Estante 28 – Divisão 7ª Volume 3º

OPERIS
DE VIRTVTE,
ET STATV
RELIGIONIS
TOMVS PRIMVS.

AVTHORE P. D. FRANCISCO SVAREZ
Granatensi è Societate IESV, Sacræ Theologiæ, in celebri
Conimbricensi Academia Primario professore.

Ad Illustrissimum, & Reuerendissimum D. D. Alphonsum de Castelbranco,
Episcopum Conimbricensem, & Comitem Arganilensem, &c.

Editio postrema prioribus accuratior & emendatior.

Quæ in hoc volumine continentur, Index proximus indicabit.



LVGDVNI,
Sumptibus Horatij Cardon.

M. DC XIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.



ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO D.D. ALPHONSO A CASTELBRANCO EPISCOPO CONIMBRICENSI, *Comiti Arganilenſi.*

OPVS de Religione, quod per hoſce annos meditabar, tuo nomine, Illuſtriſsime Præſul, tectum, ac tutum prodibit in lucem: neque enim de Religione tractatus alium depoſcit patronum, aut amabit defenſorem, quàm eum præſulem, in quo ſic Religionis amor efflореſcit, vt cum cætera ſumma habeat, hic tamen cæteris magnis, ac ſummis longè videatur eminere. Totam veteris Pontificis pulchritudinem, ac veſtium ornamenta Dei vocabulum, teſte Hieronymo, protegebat, & coronabat. Dum enim Pontifex ſacroſanctum Dei nomen religiosè colit, & capite impoſitum humiliter reueretur, quidquid induit venuſtatis, ac decoris, noua exornare gloria, nouis inſignire luminibus, nouis creditur ornamentis coronare. Haud aliter, quæ tibi benefico arridens vultu natura dedit ornamenta, quæ tua tibi peperit induſtria, quæ immortalis Deus manu contulit liberali, ea omnia, tua in Deum Religio, tua in ſuperos pietas, tua in ſacra loca obſeruantia, ita locupletat, & exornat, vt coronam addere, ac diadema imponere videatur. Tua quidem nobilitas longa proauorum ſerie ab antiquis hauſta temporibus, neminen latêre poteſt, eam tu, ſua ſatis luce promicantem triplici ampliaſti incremento: Pontificis dignitatem addidiſti: Comitis prærogatiuam cumulaſti; Supremi Luſitaniæ Gubernatoris inſignibus euexiſti. Hanc tamen generis claritudinem tua Religionis obſeruantia protegit, & coronat: *Summa enim nobilitas eſt clarum eſſe virtutibus*, vt olim Hieronymus dictitabat. Inter cæteras verò, quæ generis cõmendant ſplendorem, pietas in Deum, ac Religio certum obtinent principatum; præclarè enim Nazianzenus, cum Heronem dilaudaret, & ex optimis optimum, ex nobiliſsimis diceret nobiliſsimum; cautè adiunxit, *Nobilitatem dico, quam pietas, & mores notant.* Sed generis omitto ſplendorem, quem non tam tua tibi peperit induſtria, quàm maiorum inuexit excellentia. De tua doctrina, quam aſsiduo ſtudio, perenníque Sancto-

D. Hiero. in epiſt. ad Fabian.

D. Hieron. epiſt. 14.

Nazian. ora. 23.

rum Patrum lectione comparasti, quid cõmemorem? Non possum sanè, & ingenij felicitatem,& studij vigilantiam,& memoriæ vbertatem non demirari, cum te audiam frequenter de rebus difficilibus disertè,de grauibus copiosè, de subtilibus acutè, de omnibus luculentè philosophantem. Sed hanc ingenij tui excellentiam, ac doctrinæ vbertatem tua in Deum singularis Religio protegit,& coronat: *Non enim*(inquit Ambrosius) *sufficit ad consummationem sapientiæ verbis præferre virtutem, nisi doctrina ornetur ex rebus*: Nulla verò res est, quæ maiorem sapientiæ afferat splendorem,quàm illa, quæ in Superis colendis insudat, & Deo religiosè famulatur. Iam verò quantus in te existat Religionis amor,qui hæc omnia felici coronat ornamento, neminem credo posse ignorare: cum omnes tuæ curæ,& studia eò tendãt, vt Diuinus in tua diœcesi cultus præcipuè efflorescat. Testatur hoc in primis tua sedes cathedralis,cui augendæ, & exornandæ tam liberales opes contulisti, vt cum eam multis rebus indigam inueneris, nunc omnibus ornamentis ita possideas abundantem,vt in te mirificè quadret, quod in Gorgoniæ sororis laudem olim dixit Nazianzenus, ita Sanctam Gorgoniam,templum,in quo ipse perorabat,suis exornasse muneribus,vt nusquam posteà ita videretur honestandum. Testem quoque laudo eiusdem rei sacrarum Virginum Parthenonem, Annæ nuncupatum,quem ab imis fundamentis ad summum fastigium propriis impensis erexisti, situ amplum, opere magnificum, reditibus locupletem: denique talem, vt eius fama non Lusitaniæ terminis concludatur, sed ad exteras nationes meritissimo tuæ magnificentiæ præconio euecta deferatur. Ad hæc tuæ Religionis argumenta accedit ille tui animi affectus erga Religiosos ordines singularis, quos ad studia pietatis non solùm dictis promoues,sed factis. Seorsim verò nostra Societas tam multa à te accepit beneficia, vt non immeritò diffidat paria apud te posse obsequia collocare. Nam à primis annis, quibus litterarum studia iniisti,ad hoc temporis, quo Pontificiis infulis splendescis, semper tuus in nos amor maiora in dies habuit incrementa. Sed quid communia persequor beneficia,cum propria, quæ in me ipsum contulisti,tam multa sint, vt nequeant à me omnia recensèri? Nam ab eo die, quo in hanc vrbem pedem posui, te vnum habere cœpi singularem meorum studiorum Mecœnatem, qui non solùm editis à me libris authoritatem conciliabas,& honorem; sed etiam beneuolis me verbis ad vlteriùs scribendum erigebas, & liberalibus factis ad scripta euulganda adiuuabas. Quæ cum ita sint, librum hunc tam multis tibi debitum nominibus tuo tibi iure non dico,sed soluo;non dono,sed reddo. Tuus est,quia tuo fauore prodit;tuus sit,vt tuo patrocinio defendatur.

D. Ambros. de Pœnit. c. 8.tom.5.

D. Gregor. Nazianzen. orat.11.

INDEX

INDEX TRACTATVVM, ET LIBRORVM, QVI IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

TRACTATVS I.

DE natura, & essentia virtutis Religionis in tres libros diuisus pag.1.
Lib.I. De obiecto, & materia virtutis Religionis pag.3.
Lib.II. De actibus Religionis in generali pag.16.
Lib.III. De habitu virtutis Religionis pag.24.

TRACTATVS II.

DE præceptis affirmatiuis Religionis, præsertim ad cultum Religionis externum pertinentibus pag.49.
Lib. I. De præceptis Diuini cultus, præsertim quoad oblationes, decimas, & primitias pag.51.
Lib.II. De sacrorum dierum obseruatione, & præcepto pag.157.
Lib.III. De templorum Religioso cultu, & Ecclesiarum immunitate pag.245.

TRACTATVS III.

DE vitiis Religioni contrariis, & præceptis negatiuis, quibus prohibentur p.281.
Lib. I. De Irreligiositate, & eius speciebus, tentatione Dei, & blasphemia pag 282.
Lib.II. De superstitione, & variis modis eius pag.301.
Lib.III. De sacrilegio, eiúsque speciebus, &c. pag.386.
Lib. IV. De Simonia pag.401. vsque ad finem totius voluminis.
Ordo, & numerus capitulorum vniuscuiusque lib. in illius initio designatur.

BIBLIOTECA PARTICULAR SORIA

INDEX QVÆSTIONVM, ET ARTICVLORVM D. THOMÆ IN SECVNDAM SECVNDÆ, QVI IN HOC VOLVMINE EXPLICANTVR.

Tractauit D.Thom.de virtute Religionis,& de vitiis illi contrariis in 2.2.à q.81.vsque ad 100. Cuius omnes articuli in hoc,& in sequenti volumine explicantur, ordine aliquantulum mutato, & ideo pro studentium vtilitate loca,in quibus singuli articuli exponuntur,in præsenti indicabimus.

QVÆSTIO LXXXI.

De Religione.

Articulus I.

Vtrum Religio consistat tantùm in ordine ad Deum tract.1.lib.1.c.3.4.5.& 6.

Articulus II.

Vtrum Religio sit virtus tract.1.lib.3.cap.8.

Articulus III.

Vtrum Religio sit vna virtus,tract.1.lib. 3.cap.8.

Articulus IV.

Vtrum Religio sit specialis virtus, tract.1.lib.3.cap.2.4. vsque ad 8.

Articulus V.

Vtrum Religio sit virtus Theologica, tract.1.lib.3.cap.3.

Articulus VI.

Vtrum Religio sit præferenda aliis virtutibus moralibus,tract.1.lib.3. cap.9.

Articulus VII.

Vtrum Religio habeat exteriores actus, tractat.1. lib.2. per totum.

Articulus VIII.

Vtrum Religio sit eadem sanctitati, tract.1.lib. 3.cap.2. num.13.

QVÆSTIO LXXXII.

De deuotione.

QVÆSTIO LXXXIII.

De oratione.

Omittuntur in sequens volumen.

QVÆSTIO LXXXIV.

De adoratione.

Articulus I.

Vtrum adoratio sit actus latriæ, tract.2.lib.1.c.1.& 2.

Articulus II.

Vtrum adoratio importet exteriorem & interiorem Actum,tract.2.lib.2. cap. 2.& 3.& tract.3.lib.1.cap.1. per totum.

Articulus III.

Vtrum adoratio requirat determinationem loci, tract. 2.lib.3.per totum.

QVÆSTIO LXXXV.

De sacrificiis.

Hæc quæstio breuiter præstringitur,tract.2.lib.1.c.3.

Quia ex professo tractata est in tertio tomo 3. partis disp.73.& sequent.

QVÆSTIO LXXXVI.

De oblationibus,& primitiis.

Articulus I.

Vtrum aliquæ oblationes sint de necessitate præcepti, tract.2.lib.1.cap.4.& 5.

Articulus II.

Quibus oblationes debeantur,eod.lib.1.cap.7.

Articulus III.

De quibus rebus fieri debeant, eod.lib.1.c.7.num.6.

Articulus IV.

De oblationibus primitiarum,eod.lib.1.cap.8.

QVÆSTIO LXXXVII.

De decimis.

Articulus I.

Vtrum homines teneantur dare decimas ex necessitate præcepti,tract.2.lib.1.à cap.9.vsque ad 16.

Articulus II.

De quibus rebus sint decimæ dandæ,eod.lib.1.à cap.34. vsque ad 35.

Articulus III.

An decimæ sint soluendæ clericis, eod.lib.1. à cap.21.vsque ad 30.

Articulus IV.

Vtrum clerici teneantur decimas dare,eod.lib.1.cap.17. & sequent.

QVÆSTIO LXXXVIII.

De voto.

QVÆSTIO LXXXIX.

De iuramento.

QVÆSTIO XC.

De adiuratione.

QVÆSTIO XCI.

De assumptione Diuini nominis ad inuocandum per orationem,vel laudem.

Hæ quæstiones in sequens volumen reseruantur.

QVÆSTIO XCII.

De Superstitione.

Articulus I.

Vtrum superstitio sit vitium Religioni contrarium, tractat.3.lib.1.cap.1.præsertim num.7.

Articulus II.

Vtrum sint diuersæ superstitionis species, eodem cap.1. & lib.2.cap.1.

QVÆ

QVÆSTIO XCIII.

De superstitione in cultu veri Dei incipit explicari tract. 3. lib. 2. cap.1.

Articulus I.

Vtrum in cultu veri Dei possit esse aliquid perniciosum. l. 2. c. 1. & 2.

Articulus II.

Vtrum in cultu Dei possit esse aliquid superfluum. ibid.

QVÆSTIO XCIV.

De idololatria.

Articulus I.

Vtrum idololatria sit species superstitionis, tract. 3. lib. 2. cap. 3. & 4.

Articulus II.

Vtrum idololatria sit peccatum, eodem lib. 2. cap. 6.

Articulus III.

Vtrum idololatria sit grauissimum peccatorum, eod. cap. 6.

Articulus IV.

Vtrum causa idololatriæ fuerit ex parte hominis, eod. lib. 2. cap. 5.

QVÆSTIO XCV.

De superstitione diuinatiua.

Articulus I.

Vtrum diuinatio sit peccatum, tract. 3. lib. 2. cap. 7.

Articulus II.

Vtrum diuinatio sit species superstitionis, eod. cap. 7.

Articulus III.

De variis speciebus diuinationis. ibid.

Articulus IV.

Vtrum diuinatio per inuocationem dæmonum sit licita, explicatur eod. lib. 2. c. 8. 9. 10.

Articulus V.

Vtrum diuinatio, quæ fit per astra, sit illicita, eod. lib. 2. cap. 11.

Articulus VI.

Vtrum diuinatio, quæ fit per somnia sit illicita, eod. lib. 2. cap. 13.

Articulus VII.

Vtrum diuinatio per auguria, &c. illicita explicatur in eodem lib. cap. 8.

Articulus VIII.

Vtrum diuinatio sortium sit illicita, eod. lib. 2. cap. 12.

QVÆSTIO XCVI.

De superstitionum obseruantia.

Articulus I.

Vtrum vti obseruantiis artis notoriæ sit illicitum, eod. lib. 2. cap. 15. à n. 4.

Articulus II.

Vtrum obseruationes ad corporum immutationes sint illicitæ, eod. lib. cap. 15. à n. 8.

Articulus III.

Vtrum obseruationes ordinatæ ad præcognoscendum, &c. sint illicitæ, eodem lib. 2. c. 10. n. 4. & 5.

Articulus IV.

Vtrum suspendere Diuina ad collum sit illicitum, eodem lib. 2. cap. 15. à n. 10.

Et ad explicationem harum duarum quæstionum pertinet alia, quæ de Magia disputantur, eodem lib. cap. 14. 16. 17. 18.

QVÆSTIO XCVII.

De tentatione Dei.

Articulus I.

Dei tentatio consistit in aliquibus factis, in quibus solius Diuinæ potestatis expectatur effectus, tract. 3. lib. 1. cap. 2. & 3.

Articulus II.

Vtrum tentare Deum sit peccatum, eodem cap. 2. n. 4. & 14. & cap. 3. n. 5.

Articulus III.

Vtrum tentatio Dei opponatur virtuti Religionis, eod. cap. 2. n. 4. & cap. 3. n. 5.

Articulus IV.

Vtrum tentatio Dei sit grauis peccatum, quàm superstitio explicatur partim tract. 3. lib. 2. cap. 6. partim lib. 1. cap. 3. n. 15. & 16.

QVÆSTIO XCVIII.

De periurio.

Relinquitur in sequens volumen.

QVÆSTIO XCIX.

De sacrilegio.

Articulus I.

Vtrum sacrilegium sit sacræ rei violatio tractat. 3. lib. 3. cap. 1.

Articulus II.

Vtrum sacrilegium sit peccatum speciale, eod. lib. 3. c. 7.

Articulus III.

Vtrum species sacrilegij distinguantur secundùm res sacras, eodem lib. à cap. 1. vsque ad 6.

Articulus IV.

De pœna sacrilegij, eod. lib. cap. 7.

QVÆSTIO C.

De Simonia.

Articulus I.

Vtrum Simonia sit studiosa voluntas, &c. tract. 3. lib. 4. cap. 1.

Articulus II.

Vtrum semper sit illicitum pro Sacramentis pecuniam dare, eod. lib. 4. cap. 10. & sequent.

Articulus III.

Vtrum liceat dare, reciperéve pecuniam pro spiritualibus actibus, eod. lib. 4. à cap. 15. vsque ad 20.

Articulus IV.

Vtrum sit licitum pecuniam accipere pro his, quæ sunt spiritualibus annexa à cap. 21. vsque ad 29.

Articulus V.

Vtrum liceat spiritualia dare pro munere ab obsequio, vel à lingua, eod. lib. c. 37. vsque ad 40.

Articulus VI.

Vtrum sit conueniens Simoniaci pœna, eodem lib. 4. à cap. 55. vsque ad 61.

Alia multa in discursu illius libri tractantur, quæ tantum obiter D. Thom. attingit.

Præter has quæstiones exponitur quæstio 13. eiusdem 2. 2. D. Tho. quæ est de Blasphemia in tract. 3. lib. 1. à cap. 4. vsque ad finem.

LICEN

LICENTIÆ.

ORdine sanctæ,& supremæ Inquisitionis Senatus, qua potui diligentia,perlegi opus istud de *Virtute, & statu Religionis*, quod post multa alia, eáque præclarissima, composuit insignis admodum Doctor Franciscus Suarius,ex sacra Religione Societatis IESV,Pater vtique & literis,& religione præstantissimus, & sicut alia eruditissimis quibusque admodum fuerunt probata, ita & præsens haud dubiè probabitur; quippe quod virtutem Religionis secundum se, actus illius tam internos,quàm externos, præcepta, & reliqua omnia,quæ ipsam concernunt, mira, de more, & subtilitate, & perspicuitate contempletur; exponendo interim ad mentem Sanctorum Patrum, multa loca sacræ Scripturæ, quorum expositiones tam speculationi, quàm rei morali mirabiliter patrocinantur. Tantum abest vt aliquid contineat orthodoxæ Fidei, vel sanctis moribus repugnans. Quare ad communem studentium vtilitatem digniſſimum censeo, vt tam eximij laboris fructus in lucem prodeat, typísque mandetur.In conuentu D. Francisci d'Enxobregas Olysippone, die 24. Septembris, Anno Domini 1607.

Fr. Ludouicus ab Angelis.

EGo Hieronymus Diaz Societatis IESV in Lusitana Prouincia prouincialis, è facultate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre nostro Generali Claudio Aquaviua, facultatem concedo, vt hoc opus de *Virtute, & statu Religionis*, à Patre Francisco Suario Societatis nostræ, sacræque Theologiæ doctore, & in Conimbricensi Academia primario Professore compositum, & eiusdem Societatis grauium doctorúmque hominum iudicio approbatum, typis mandetur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, sigillóque nostro munitas dedimus. Conimbricæ 1. die Iulij, anni Domini 1608.

Hieronymus Diaz.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis Iesu, in Prouincia Lugdunensi.

LVdouicus Michaelis Prouincialis collegiorum Societatis IESV, in Prouincia Lugdunensi, iuxta priuilegium eidem Societati à Rege Christianissimo Henrico III. die x. mensis Maij, anni 1583. & Henrico IV. nunc regnante 20.Decembris 1606.concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos, absque illorum permissione imprimant;permittit Horatio Cardon,Lugdunensi Bibliopolæ, vt *Opus de Virtute, & statu Religionis, Authore P. D. Francisco Suarez,&c.* ad sex proximos annos imprimere, ac liberè diuendere possit. Datum Lugduni die 6. Maij 1609.

LVD. MICHAELIS.

Summa Priuilegij à Christianissimo Galliarum Rege obtenti.

HEnrici IV. Galliæ & Nauarræ Regis diplomate cautum est,ne quis in suo regno, aliisve locis ditioni suæ suppositis, intra proximos annos decem à die concessionis præsentium inchoandos, excudat, vendat,excudendum vendendúmve quovis modo ac ratione conetur,librum, qui inscribitur, *Opus de Virtute, & statu Religionis, Authore P. D. Francisco Suarez, &c.* vno Horatio Cardon, Bibliopola Lugdunensi, excepto, cuíve ipse concesserit: Sub pœnis originali diplomate contra delinquentes expressis. Datum Lutetiæ, die 17. Iulij, Anno 1609.

Sic signatum.

De mandato Regis.

PERREAV.

OPVS DE VIRTVTE, ET STATV RELIGIONIS.

PROOEMIVM, ET RATIO TOTIVS OPERIS DE RELIGIONE.

SAcra Theologia ita ſubtili diuinarum rerum ſpeculatione detinetur, vt humanas etiam dirigat actiones; ſpeculatrix enim eſt, & practica. Hinc fit, vt cùm Deum tanquam obiectum contempletur, non ſolùm eius nobis ingerat cognitionem: ſed etiam modum oſtendat, quo cognitum debito tantæ maieſtati cultu veneremur. Minus quidem laudabilis eſſet Theologia, ſi mentem illuſtraret, non mores dirigeret, ſi diuinæ maieſtatis notitiam conferret, neque ad eam colendam, viam, modúmque oſtenderet. Deum enim cognoſcere, & non, vt Deum, honorificare, flagitium eſt omnium maximum, quod in antiquis Philoſophis Paulus reprehendit *ad Rom. 1.* vt ibi Chryſoſt. adnotauit, ideóque diuina Sapientia non ſolùm mentem cognitione illuſtrat, ſed etiam normam præfigit voluntati, qua Deum ita cognitum ſupremo cultu, ac veneratione extollamus. Cum ergò æquum ſit Theologum doctorem, Theologiam, quam profitetur, æmulari: poſtquam ea Dei myſteria, in quibus ſpeculatrix Theologia præcipuè verſatur, pro meo captu euulgaui; non potui me ampliùs continere, quin ad explicanda illa deſcenderem, quæ nos Deo debitum cultum edocerent. Cum enim hic ſemper fuerit meorum laborum ſcopus, vt Deus ab hominibus, & cognoſcatur magis, & ardentiùs, ſanctiúſque colatur; hoc peculiari opere id mihi perficiendum putaui, quò ſpecialiùs homines ad cultum, & honorem Deo exhibendum incitarem. Cum verò, teſte Clemente Alexan. 2. Strom. *Religio cæteras virtutes ſuperans, antiquiſſimam, & ſupremam Cauſam doceat colere, & venerari*; de Religione hanc inſtitui tractationem.

Hæc præcipua cauſa eſt ſuſcepti operis; cui acceſſit alia non minoris ponderis, quæ ex Superiorum ſumitur auctoritate, à quibus ſæpe ad hoc opus aggrediendum fui excitatus, eorum autem nutum, & voluntatis ſignificationem tanquam imperium mihi ſuſcipiendam ſemper exiſtimaui. Quanquam facile illud cenſeatur imperium, in quod animus ipſe ſponte propendet, atque in hoc ita libenter voluntas ferebatur, vt calcaribus non indigeret. Enimverò cum tractatus de religioſo Statu iis ſit connectendus, quæ de virtute Religionis à nobis ſunt explicanda; mirum non eſt, ſi animus, quò ſe gratum exhiberet, ad illius ſtatus commendationem properaret, ad quem diuina gratia ipſum euexit, & per plures annos conſecrauit. Sicut enim conferre gratiam bonum eſt, ita non referre eſt duriſſimum, vt in lib. 1. de Offic. elegan-ter dixit Ambroſius.

Illud etiam benigno Lectori attentè conſiderandum eſt, multa ex his, quæ ad tertiam partem D. Thom. ſuperioribus annis diſputauimus, qualia ſunt, quæ de Adoratione, Sacrificio, Sacramentis, aliiſque ſimilibus in lucem dedimus, ad materiam, & actus Religionis, vel directè ſpectare, vel proximè reuocari; ideóque vniuerſam illam doctrinam ex huius virtutis cognitione pendere, eíque quodammodo ſubordinari, ac ſubinde tractationem hanc à ſuperiori non diſcrepare, ſed eam quodammodo perficere, ac conſummare. Iam verò quæ de Sacramento Ordinis dicenda erunt, maiori quadam ratione cum virtute Religionis copulantur: Nam per illud Sacramentum miniſtri diuini cultus conſecrantur, & à virtute Religionis de actibus, quos in eo munere exercere debent, inſtruuntur. Denique ipſum etiam Matrimonij Sacramentum, cum votis tàm ſolennibus, quàm ſimplicibus, quæ inter actus Religionis numerantur, connexionem habet. Vnde ſi fauente Deo ad inceptum Sacramentorum opus aliquando reuertar, expeditior erit curſus, multis in hoc opere enodatis, quæ in illo incommodè permiſcentur. Quòd ſi vita, virtúſque defecerit, priuſquam ad illud opus animum iterum ap-

A pellam,

pellam,quod video quàm sit probabile,non me facti pœnitebit,vt spero, quia non sunt pœnitendæ rationes,quibus inductus,illud opus interrupi,vt hoc aggrederer.

Est ergò Religio totius huius operis scopus,& obiectum. Sed quia duos hoc nomen *Religio* præcipuos habet significatus; alterum, quo exprimit virtutem quandam omnibus Christianis communem, alterum, quo peculiarem significat statum eorum, qui propriè Religiosi appellantur; duas præcipuas partes totum hoc opus continebit, quarum vna virtutis, altera status cognitionem comprehendat. Quamuis enim D. Thom. 22. à qu. 81. vsque ad 100. de virtute Religionis disputauerit, & posteà multis interiectis à qu. 183. & præsertim in 186. & sequentibus de Statu disseruerit,nihilominùs virtus, & status Religionis ita mutuo nexu copulantur, vt ad vnius exactam cognitionem alterius notitia requiri videatur. Nam religiosus Status, & ad virtutis Religionis exercitium instituitur: ideóque statui Angelorum semper laudantium, & colentium Deum, comparatur ab Ambrosio: & eiusdem virtutis actibus constituitur, consueta nimirum votorum emissione, sine quibus status ille non cohæret, imò ipsam religiosæ vitæ professionem gratum Deo sacrificium S. Augustinus appellauit, & Gregorius addidit esse gratissimum Deo holocaustum. At votum,sacrificium,& diuina laus actus virtutis Religionis sunt;non potest ergo ille status ab hac virtute, disputatione seiungi.

Ex dictis tamen manifestè deducitur,priorem huius operis locum virtuti esse tribuendum, quoniam ad illam,vt ad finem,& efficientem causam Status religiosus refertur. In virtute autem explicanda,quem in pertractandis aliis virtutibus tenere soleo ordinem,obseruabo.Prius enim eius naturam,subiectum,materiam,actus,essentiam,proprietates,vnitatem,& distinctionem ab aliis inuestigabo. Gradum posteà faciam ad moralem doctrinam, atque adeò tàm diuina,quàm humana præcepta ad hanc virtutem spectantia explicabo. Tùm ea, quæ aliquid imperant,tùm etiam ea,quæ quippiam prohibent,& cum illis vitia omnia, quæ eidem virtuti opponuntur,recensebo,& explanabo. Quamuis enim in virtutum tractatione moralis doctrina, & copiosior, & præcipuè intenta esse debeat: nisi tamen exacta cognitio, speculatióque præcedat,non possunt fundamenta deprehendi,à quibus moralis doctrina deriuatur.

Est tamen postremo loco obseruandum,licet huius virtutis actus physicè(vt aiunt)spectati, multiplices sint, in præsenti nonnisi sub ea ratione considerari, qua cultum Deo debitum continent. Sunt tamen nonnulli actus proprij huius virtutis, qui rationem ipsam cultus fundatam habent in quadam alia peculiari proprietate morali, ex qua, noua, & specialis consideratio moralis consurgit. Hi verò actus tres præcipuè inueniri videntur, Oratio,Iuramentum, ac Votum. Oratio enim ad impetrandum aliquid ab alio refertur; Iuramentum ad confirmandam veritatem infallibili testimonio; Votum ad obligandum hominem peculiari modo, ratione promissionis; quæ omnes rationes sunt substratæ ad rationem cultus, & satis morales sunt, peculiaréque tractatus exigunt. Quapropter priùs generatim de ipsa Religionis virtute, eiúsque præceptis, ac vitiis illi oppositis dicam: posteà verò de tribus actibus paulò anteà explicatis,& aliis,qui ad illos reuocantur, differam: quamuis in materia de Voto, & quia copiosior, & quia valde necessaria est, longiùs erit immorandum. Atque de industria hunc de Voto tractatum in vltimum huius virtutis locum reseruabimus, quia ex voti, eiúsque naturæ consideratione, accommodato ordine, ac procliui quasi ductu ad religiosi status considerationem transitum faciemus.

INDEX CAPITVM LIBRI PRIMI

DE OBIECTO ET MATERIA VIRTVTIS RELIGIONIS.

Cap. 1. de etymologia,& multiplici significatu vocis Religionis.

Cap. 2. De diuisione Religionis in virtutem, & statum.

Cap. 3. Quomodo Deus sub obiecto virtutis Religionis comprehendatur.

Cap. 4. Sítne Deus solus obiectum cui *virtutis Religionis.*

Cap. 5. An sola Religio respiciat Deum vt obiectum cui.

Cap. 6. Sub qua ratione Deus sit obiectum Religionis.

Cap. 7. Quænam sit materia proxima Religionis.

Cap. 8. De cultu,quem exercet Religio.

Cap. 9. De Debito,quod reddit Religio.

LIBER

LIBER PRIMVS, DE OBIECTO, ET MATERIA VIRTVTIS RELIGIONIS.

HVNC *de Religione tractatum in tres præcipuas partes, ſeu libros diuidemus: in primo tàm materiale, quàm formale obiectum virtutis Religionis explicabimus; In ſecundo generalem doctrinam de actibus eius trademus; In tertio virtutem quoad eius habitum, excellentiam, ſeu perfectionis gradum, ac diſtinctionem à cæteris virtutibus exponemus. Priùs verò quàm ad rem ipſam accedamus, pauca de nomine Religionis præmittere opportunum iudicauimus.*

CAPVT PRIMVM.

Religio *vnde dicta ſit, & quo modo ſolius Dei cultum propriè ſignificet, licet ad alia etiam transferatur.*

1. Religionis ſignificatum ex D. Augu. aliorúmque ſententia.

EX Latinis Patribus, & Doctoribus Aug. lib. 10. de Ciui. cap. 1. quem imitatus eſt Ionas Aurelian. lib. 1. de cultu Imaginum ante medium, Religionem dixit, iuxta Latinè loquẽdi conſuetudinem non imperitorum, ſed doctiſſimorum, non ſignificare ſolius Dei cultum, ſed etiam officium, quod hominibus cognatis, & affinibus, vel alia quacunque ratione nobis coniunctis exhibemus. B Hanc tamen ſententiam expendens D. Thom. 2.2.qu. 81.art.1.ad 2. dicit, Auguſt. latè Religionis voce vſum fuiſſe, & ſecundùm vocis proprietatem ſoli Deo attributam eſſe, quod verum cenſeo, & hanc eſſe propriam, & primæuam huius vocis ſignificationem, nõ ſolùm ex vſu, & accommodatione Latinorum Patrum, quod certum eſt, ſed etiam apud Latinos auctores. Nam Cicero lib. 2. de Inuentione. *Religio*, inquit, *eſt, quæ ſuperioris cuiuſdam naturæ, quam diuinam vocant, curam, cæremoniámque affert.* Quam definitionem vſurpauit Augu. lib. 83. quæſtionum qu. 31. Et in hac ſignificatione à nobis in hac materia vſurpatur. Ad cognatos autem, nobiſque coniunctos, pietas, vel amicitia, aut obſeruantia haberi dicitur, non autem C Religio: niſi forteſſe quatenus vel per exaggerationem, vel per tranſlationẽ, (vt infrà declarabo) quidquid magna cura, & ſtudio animi fit, ex religione, vel religiosè fieri dicitur, vel etiam quatenus ipſamet Dei Religio beneficentiam proximorum, & præcipuè nobis coniunctorum imperat, iuxta illud Iacobi 1. *Religio munda, & immaculata hæc eſt, viſitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum.*

D. Thom. Cicero. D. Auguſt. Iacob. 1.27.

2. Religionis etymologia à verbo *Relinquo* refertur.

Religio ergò Deum ſolùm, eiúſque cultum reſpicit; Quam ſignificationem ex ipſa vocis origine, ſeu etymologia colligere poſſumus: quæ multiplex etiã ab auctoribus traditur. Primò enim quidam Religionis nomen deducere voluerunt à verbo *Relinquo*, A quia religioſum illud eſſe dicitur, quod propter ſanctitatem aliquam remotum eſt, ac ſeparatum à communi vſu. Ita refert ex Maſurio Sabino, Aulus Gellius lib. 4. Noctium Attic. cap. 9. Nimis autem remota videtur deductio hæc, ſiue effectum, ex quo deſumitur, ſiue ipſarum vocum diſſimilitudinem conſideremus. Secundò exiſtimatum eſt, vocem *Religio* à verbo *Religendi* deriuatam eſſe. Sic D. Auguſt. 10. de Ciuitate cap. 4. de Deo loquens. *Ipſe* (inquit) *fons noſtræ beatitudinis, ipſe omnis appetitionis eſt finis, hunc eligentes, vel potiùs religentes, amiſeramus negligentes: vnde & religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, &c.* Eiuſdem meminit 1. Retract. cap. 13. eámque tribuit latini ſermonis auctoribus, Ciceronem ſubindicans; fortaſſe enim ita intellexit illa verba Ciceronis 2. de natura Deorum. *Hi dicti ſunt religioſi ex religendo, tanquam eligendo eligentes, & diligendo diligentes, intelligendo intelligentes.* Veruntamen conſtat, Ciceronem in alio ſenſu loquutum eſſe, vt ſtatim dicam. Aliqui etiam putant Iſidorum hanc ſequi etymologiam, licet in alio ſenſu, ſcilicet quia Religioſi Deum reeligant, non quem amiſerant, ſed quem priùs elegerant. Veruntamen Iſidorus nihil aliud facit, quàm ſententiam Ciceronis ſequi, & referre.

Aulus Gell. D. Auguſt. Qui crediderint à verbo *Religo* deductũ Religionis nomen. D. Iſidor. lib. 10.

Denique Auguſtinus ipſe in ea ſententia non permanſit; neque nobis placet, ſiue vocem, ſiue rem attendamus. Nam in primis nullum eſt verbum proprium latinum *Religendi*, ex quo illa vox deduci potuerit, imò nec *Religo* vſitatum inuenitur. Quinetiam ſi illud admittamus, nõ tam ſignificabit eligere, quod neglectum erat, quàm iterum eligere, quod iam erat electum. Sicut religare non ſignificat ligare ea, quæ ſoluta erant, ſed iterum ligare ea, quæ iam erant ligata. Accedit, quòd eligere Deum iam negligenter amiſſum, vel non eſt munus Religionis, ſed Pœnitentiæ, vel ſi Pœnitentia aliquo modo ſub Religione continetur, illud munus eſt quaſi ſecundarium, & accidentarium: nam Religio per ſe reſpicit Deum, & ad illum tendit, etiamſi nũquam negligenter amiſſus ſit. Non eſt ergo veriſimile, nomen Religionis fuiſſe tractum ex comparatione (vt ſic dicam) ad priorem negligentiam, ſeu ad negligentem Dei amiſſionem.

3. Religio à verbo *Religo* haud quaquam deriuatur.

4. Religionem à verbo Relego dicta dixit Tullius. D. Isidorus.

Tertiò igitur deriuata censetur vox *Religio* à verbo *Relegendi*, quia nimirum ea, quæ ad Dei cultum pertinent, iterum, atque iterum legenda, seu cogitanda sunt. Ita Cicero lib. 2. de Natura Deorum, quem sequutus est Isidorus lib. 10 Originum lit. R, in principio. Quorum sensus constat ex illis Ciceronis verbis. *Qui omnia, quæ ad cultum Dei pertinerent, retractarent, & relegerent, hi dicti sunt Religiosi à relegendo.* Alia autem verba suprà citata adducuntur tanquam exempla, non quia ex verbo *Eligendi*, aut *Religendi* in alia significatione sumpta sit etymologia, sed ex hac, qua propriè significat legere, quatenus ad cognitionem ordinatur. Estque probabilis deductio, siue vocum similitudinem, siue munus ipsum Religionis spectemus. B

5. Religionem à religando Lactantius deriuauit.

Nihilominùs Lactantius lib. 4. de vera sapientia cap. 28. Ciceronem in hoc deserit, & Religionem ex verbo *Religandi* deducit, dicens, *Hac conditione gignimur, vt generati nos Deo iusta, & debita obsequia præbeamus, hunc solum nouerimus, hunc sequamur, hoc vinculo pietatis obstricti Deo, & religati sumus, vnde ipsa Religio nomen accepit, non vt Cicero interpretatus est, à relegendo.* Atque hanc Lactantij sententiam approbarunt D. Hieronymus circa illa verba Amos 9. *Qui ædificat in cælo ascensionem suam, & fasciculum suum super terram fundauit.* Et D. Augustin. lib. de vera Religione cap. vlt. qui primam suam etymologiam retractat. lib. 1. Retract. cap. 13. Atque hæc sententia est maximè verisimilis, siue spectemus vocum allusionem, & propinquitatem, siue munus ipsum Religionis. C

Amos cap. 9.

D. August.

6. In quo D. Hier. & Lactant. dissideant.

Est autem differentia inter Lactantium, & Hieronymum: Lactantius enim vult Religionem esse dictam, quia ipsa Deo homines ligat: Hieronymus verò, quia ipsos homines inter se ligat, & quasi in vnum congregat ad colendum Deum, & ideò ait; *Gregem iustorum, seu electorum fasciculum appellari, quia vna Domini religione constrictus est: vnde & ipsa Religio à religando, & in fascem Domini vinciendo, nomen accepit*; Lactantium videtur sequi Bernard. lib. de Natura, & dignitate diuini amoris, cap. 15. dicens. *Corporalibus religamur sacramentis, ne à Deo recedamus, vnde etiam à religando Religio dicitur.* E contrariò Abulens. Exod. 12. sub quæst. 49. *Religio*, inquit, *dicitur modus specialis colendi Deum, siue verum, siue falsos Deos; vocaturque Religio à religando, quia religant se homines illi modo viuendi, & colendi Deum.* Mihi magis placet, vt Religio dicatur, quia ipsamet religat homines Deo. Nam expositio Hieronymi est quidem accommodatissima ad eam significationem, qua vox Religio pro statu religionis accipitur; tamen quia illa primæua non est, sed deriuata, vt infrà dicam, ideò Lactantij consideratio potior videtur, & primario effectui religionis accommodatior. Religio enim primùm omnium vnit nos Deo; hinc verò consequenter fit, vt qui eundē Deum colunt, aliquo modo inter se colligati maneant, magis autem, vel minùs, iuxta rationem cultus. D

D. Bernard.

Abulens.

Approbatur ea sententia, quę Religionē ita dictā credit, quia religat homines Deo.

7. Discrimen inter D. August. Lactantique sententiam.

Rursus verò considerari potest aliud discrimen inter Lactantium, & August. nam Lactantius significat Religionem dictam esse ab illo vinculo naturali, quo Deo obligamur ex propria naturæ conditione: Augustinus autem potiùs dictam significat, quia huic vinculo nouum vinculum superaddit. Quod explicuit D. Thom. Opus. 19. contra impugnātes Religionem cap. 1. dicens, *Religio iteratam ligationem importans, ostendit ad illum aliquem ligari, cui primo coniunctus fuerat, & ab eo distare incepit, & quia omnis creatura prius in Deo extitit, quàm in seipsa, & à Deo processit, quodammodo ab eo distare incipiens secundum essentiam per creationem: ideò rationalis creatura ad ipsum Deum debet religari, cui primò coniuncta fuerat antequam esset, vt sic ad locum, vnde exeunt flumina, reuertantur.* Quę explicatio subtilis quidem est, magis verò fauet sententiæ Lactantij, quatenus declarat cur ipsum naturale vinculum subiectionis rationalis creaturæ ad Deum dicatur potiùs religio, quàm ligamentum. Tamen nimis metaphorica, minúsque propria videtur illa deductio: nam creaturæ, prout sunt in Deo, non tàm dici possunt alligatæ Deo, quàm esse ipsemet Deus: solùm ergò ligantur illi, quatenus sunt in se productæ, & ab illo distinctæ: ergò primum vinculum, quo illi coniunguntur, non propriè dicitur religio, sed ligamentum tantùm. Nec dicuntur tantùm religari quę dissoluta iam sunt, cum prius fuerint ligata, sed etiam, & fortè potiùs, illa, quæ licet ligata iam sint, vt fortiùs adhæreant, & non dissoluantur, iterùm ligantur. Iuxta hanc ergò proprietatem videtur Religionis nomen rectè posse explicari: nam cum creatura rationalis per naturale debitum, & inditam propensionem ligata sit ad colendum vnum Auctorem suum: per voluntariam electionem, & superadditam habitus inclinationem religatur: & ideò virtus, quæ hoc officium præstat, Religio dici potuit.

Ligantur nō solùm dissoluta, sed ligata, vt firmiùs adhæreant, qui sēsus optimè quadrat in Religionem.

8. Cum rationalis creatura naturaliter Deo sit subiecta, & alligata; merito religio illa dicitur, quæ hoc vinculū religat.

Quod si fortasse obiiciat aliquis, hanc considerationem habere locum in omni habitu, nam auget inclinationem potentiæ, & ita quasi iterato eam ligat suo obiecto. Respondemus, hoc nihil referre; tum quia potuit hæc ratio in hoc nomine imponendo cōsiderari, & non in aliis: tum etiam, quia hæc propensio rationalis creaturæ ad suum creatorem maxima est: nam quia est perfectissima subiectio, & seruitus, magnum debitum, & obligationem inducit, ideóque meritò vinculum, seu ligamen dicitur: & quia hæc est nobilitas creaturæ rationalis, vt per se, & ex vi suæ originis, ad nullum alium, nisi ad Deum, vt ad finem ordinetur: ideò quasi per antonomasiam soli Deo naturaliter alligata censetur: meritò ergò illa virtus, quæ hoc vinculum confirmat, & debitum soluit, religio dicta est. Vndè etiam obiter intelligitur, vbi nouum vinculum voti superadditur in ordine ad hunc ipsum cultum, ibi specialiori quadam ratione quadrare nomen *Religionis* hoc modo deductum, ideóque ratio sic viuendi, & colendi Deum ferè iam sibi vsurpauit in Ecclesia hoc nomen *Religionis* simpliciter dictum.

9. Aliæ religionis etymologiæ per habitudinem ad vinculū deductæ.

Vltimò ex his quæ dicta sunt de propria significatione, & etymologia huius vocis, intelligere licet si quas alias significationes habet hæc vox, deductas esse aliquo modo ex comparatione, vel habitudine ad vinculum cum Deo iam declaratum, etiamsi aliquid immediatè ad Deum ordinatum continere non videantur. Vt, verbi gratia, religio apud Latinos aliquando sumi solet pro *anxia cura*. Sic Cicero de clar. Orat. dixit, quorundam hominum orationem esse attenuatam *nimia religione*, id est, sollicitudine. Nam quia in diuino cultu maxima cura adhibenda est, & illa cæteris curis præferenda: ideò translata est hæc vox ad significandam quandam nimiam anxietatem in aliqua re agenda. Simili modo religionis nomine significari solet scrupulus conscientiæ, ac timor, iuxta illud Pamphili apud Terentium in Andria. *Dignus es odio cum tua religione*, id est, cum tuo timore, & scrupulo. Quomodo est frequens apud Ciceronem, *religionem inuicere*, id est, conscientiæ scrupulum; *Aliquid esse religioni*, id est, in debito conscientiæ, & similia. Intellexisse enim suo modo videntur etiam Philosophi, timorem conscientiæ ad cultum Dei aliquo modo pertinere, & è contrario contra conscientiam agere, nihil aliud esse, quàm Deum offendere. Sic ergo Religionis vox ex significatione diuini cultus, ad significandum conscientiæ scrupulum translata est. Et inde etiam vlteriùs ad significandum nimium scrupulum, vel timorē in aliis rebus, vel actionibus traducta est.

Tandem

10. Tandem debitum officium in quocunque munere præstando, solet etiam à Latinis, religionis nomine significari. Quod fortè significauit Augustinus in principio citatus, cum dixit religionem etiam dici ad cognatos, vel affines. Generaliùs autem dixit Cicero 4. in Verrem. *Ego, quos adhuc magistratus mihi populus Romanus mandauit, sic accepi, vt me omnium officiorum religione obstringi arbitrarer.* Quæ extensio eandem ferè rationem habet, quam præcedentes: nam debitum officium præstare in omnibus, eatenus ad diuinum cultum pertinere potest, quatenus in eo deficere redundat in offensionem Dei: vel certè, quia honor diuinus est officium maximè debitum: per quandā analogiam ad illud, omne debitum officium, religionis nomine appellatur. Omnes ergò hæ significationes huius vocis, per extensionem quandam deriuatæ sunt à principali, & propria, qua religio solius Dei cultum importat.

D. Augustin.

Cicero.

CAPVT II.

Quot modis dicatur Religio ad Deum, & sub quo illorum, virtus, vel status sit.

1. Religio in veram, & falsam bi partitur.

PRimùm omnium notanda est diuisio Religionis valdè vsitata ab antiquis Patribus, in veram, & falsam, quam supponit Lactantius in suis Institutionibus; nam in primo libro agit de falsa religione; in 4. verò, & 6. agit de vera sapientia, & de vero cultu. Augustinus etiam in libro de vera religione, in ipso titulo tacitè indicat dari etiam religionem falsam, seu per errorem introductam, vt statim in cap. 1. significat, & in discursu operis latiùs prosequitur. Cum autem verum, & falsum proprie ad intellectum referantur, & rebus etiam tribui soleant declarare oportet: quo ex his modis Religioni accommodentur. Pro quo est animaduertendum, Religionem, iuxta modum etiam loquendi antiquorum, aliquando tribui intellectui, aliquando verò affectui. Priori modo dixit Mercurius Trismegistus ἐυσέβεια γνῶσις ἐστι θεοῦ. Quem imitatus Salui-anus lib. 2. ad Ecclesiam Catholicam non longè à fine dixit, *Religio scientia est Dei.* At verò Lactantius lib. 4. de vera sapientia cap. 4. Religionem apertè tribuit voluntati, dum ait, religionem, & sapientiam ita esse coniunctas, vt nunquam separentur, quia idem Deus est, qui intelligi debet, quod est sapientiæ, & honorari, quod est Religionis. *Sed Sapientia,* inquit, *præcedit, Religio sequitur quia prius est Deum scire, consequens colere.* Sicut ergò voluntas intellectum, ita Religio sapientiam sequitur. Statim verò videtur hæc duo confundere, dicens, *Ita in duobus nominibus vna vis est quamuis diuersa esse videantur*; Sed non negat hæc duo esse distincta, nam subdit, *Alterum est in sensu, alterum in actione,* id est, in intellectu, & affectu; sed illa vnum appellat in radice, & fundamento, nam *similia sunt,* inquit, *duobus riuis ex vno fonte manantibus, fons autem Sapientiæ, & Religionis Deus est.* Clemēs etiā Alexand. lib. 1. stroma. nu. 8. Religionē à Sapientia distinguit, significat autem Religionem esse priorem, dum ait, *Religionem esse initium sapientiæ*, sed aliter loquitur de Sapientia, quàm Lactantius: nam hic Sapientiam vocat Fidem ipsam, seu quamcunque veram Dei cognitionem; Clemēs verò loquitur de Sapientia perfecta, quæ cum Charitate coniuncta est, cuius initium dicitur esse Religio, vel eodem modo, quo timor, vel quia à Deo est impetranda per orationem, quæ est actus Religionis.

Clemens Alexand.

Religionem qui attribuerint intellectui, & qui voluntati.

Ludouicus Viues in Scholia ad 2. c. lib. 10. de Ciuit. Dei.

Religio à sapientia distinguitur, sed se inuicem comitantur.

2. Ex hac ergò coniunctione inter Sapientiam, & Religionem ortum est vt aliquando Sapientia ipsa vocetur Religio, & Religio Sapientia. Hoc enim sensisse videtur Clemens Alexand. supra dicens: *Intelligentia est rerum sanctarum cura, & prouidentia,* quod est Religionis munus, iuxta illud Ciceronis in principio citati. *Religio est, quæ diuinæ naturæ cultum, cæremoniámque affert.* Hæc autem cura proximè quidem affectus est, tamen quia ex vera Dei cognitione nascitur, intelligentia vocatur. Sic igitur, si Religio sumatur secundum id, quod in intellectu supponit, vera, vel falsa appellatur propriè, ac formaliter, prout hæc attributa in intellectu inueniuntur. Atque ita *Vera Religio erit veri Dei, veríque cultus illi debiti vera cognitio.* Atque hoc modo fides Christiana solet frequenter à Patribus appellari *Sola, & vera Religio.* Quia veritatem continet in ostendendo Deo, qui colendus est, & in proponendo modo, quo colendus est; vtrunque enim ad veram Religionem necessarium est. Est enim Fides simul, & eminenter speculatiua, & practica: speculatiua quidem, ostendens Deum esse, & dignum esse omni honore: practica verò, quatenus etiam docet modum, & obligationem colendi illum, & in vtróque munere veritatem requirit, vt simpliciter vera Religio sit.

Religio, secundum id quod in intellectu supponit, formaliter dicitur vera, vel falsa.

3. Vnde è contrario falsa Religio ex parte cognitionis duobus modis potest contingere: (nam malum ex quocunque defectu,) Primò quando pro Deo habetur, & colitur, quod Deus non est; & hoc modo fuit falsa Religio apud Gentiles colentes falsos Deos, & est apud omnes illos, qui diuinum cultum creaturæ, aut dæmonibus aliquo modo communicant, vt latè prosequitur Augustinus lib. 2. de Doct. Christ. cap. 19. & sequentibus. Alio modo contingit error in ipso cultu, quia licet colatur verus Deus, honor tamen eius in eis rebus ponitur, quibus re vera non colitur, neque adoratur. Et hoc modo est nunc falsa Religio apud Iudæos, & Paganos, & omnes illos Infideles, & Hæreticos, qui vnum verum Deum, & creatorem recognoscunt, & se colere profitentur; re tamen vera non colunt, quia vel falsis signis ad Deum colendum vtuntur, maximè Iudæi, vel cæremoniis superfluis, & ad salutem animæ nihil conferentibus, vt Pagani, & multi ex Hæreticis; vel certè quia in his omnibus nunquam deest aliquis error circa ipsius Dei cognitionem, neque illi mentem subiiciunt, quod esse debet veræ Religionis fundamentum. Propter quod D. Thom. dixit dicto Opusc. 19. cap. 1. *Primum vinculum, quo Deo ligatur homo esse Fidem,* scilicet veram, & quæ ita in ipso Deo fundetur, vt in nulla re aberrare possit.

3. Quibus modis falsa est Religio ex parte cognitionis.

D. Augustin.

D. Thom.

4. Atque hinc vlteriùs Religio, prout spectat ad affectum, (quæ est propria, & formalis Religio,) denominabitur vera, vel falsa, vel inesse rei, vel (quod perinde est) per habitudinem ad suum fundamentum, quod est Fides, aut cognitio Dei. Erit ergo vera Religio, quæ in vera Fide fundatur, & consequenter circa verum cultum veri Dei versatur; falsa autem erit omnis illa, quæ in errore fundata est, quæ etiam solet *Superstitio* appellari, de qua posteà dicemus. Vnde in priori est verum esse Religionis, quia constat ex illis principiis, quæ vera Religio postulat, & ideò dicitur *Vera* inesse rei, & per conformitatem ad veras causas Religionis, quæ sunt verus Deus, veraque cognitio eius. Alia verò solùm habet nomen, & apparentiam Religionis, & ideò falsa dicitur, vel potiùs nulla: nam Religio simpliciter dicta, solùm est illa, quæ vera existit. Vnde etiam constat, Religionem falsam, non esse virtutem, imò nihil, quod ad veram virtutem spectet, in ea, quatenus talis est, reperiri. Nam (vt rectè dixit Lactantius dict. lib. 4. cap. 4.) *Fons sapientiæ, & Religionis Deus est, à quo hi duo riui, si aberrauerint, arescant, necesse est*; nihil ergò veræ virtutis fructificare possunt. Virtus enim opus honestum requirit; In cultu, autem falsi Dei, vel in falso, & superstitioso cultu nulla honestas esse potest, cum rectæ rationi repugnet; quid-

Vera Religio, quæ in vera fide fundatur.

Lactant.

quid ergò virtutis in Religione esse potest, in vera Religione quærendum est. A

5. Religionis nomen non solũ interno affectui, sed etiam externis actibus, atq; doctrinæ, quibus Deus colitur, tribuitur. *Exod. c. 12. Num. c. 19. Exod. 29. Leuit. c. 7 & 16. Clemens Alexand.*

Rursus verò circa veram Religionem, (& cum proportione, idem est in falsa) aduertere oportet, nomen *Religionis* non solum interno affectui, sed etiam exterioribus actionibus, imò, & rebus quibus Deus colitur, tribui solere, atque etiam doctrinæ, quæ talem cultum, vel cæremoniam docet. Hoc constat ex communi vsu loquendi etiam scripturæ. Nam Exod. 12. de Phase dicitur. *Quæ est ista Religio?* id est, quid est ista cæremonia sacra; & actio religiosa? Et Num. 19. *Ista est Religio victimæ, &c.* Vbi sermo est de sacrificio vaccæ rufæ. Sic etiam Exod. 29. Leuit. 7. & 16. dicitur aliquid esse faciendum *Religione perpetua*, id est, lege stabili ad religionem, & cultum Dei pertinente. Sic B etiam dixit Clemens Alex. lib. 2. Strom. num. 5. *Religio est actio qua Deum sequitur.* Denique sicut fidei nomine significari solet, & doctrina fidei, & actus, vel habitus fidei; vel sicut votum dici solet, & res, quæ vouetur, & ipsa promissio, ita etiam *Religio* dicitur, & cultus ipse, seu modus colendi Deum, siue in hominis actibus, siue in rebus, quæ talibus actibus deseruiunt, considerentur; & actiones ipsæ, siue exteriores, per quas talis cultus exercetur, siue interiores, à quibus proficiscuntur, & consequenter etiam habitus, à quo tales actiones propriè, & sub ratione cultus efficiuntur.

6. Quomodo aliqua honestas reperiatur in iis omnibus, quibus Religionis nomẽ attribuitur.

Atque in his omnibus, prout ad veram Religionẽ C pertinent, aliqua honestas reperitur, sed diuerso modo. Nam in ipso cultu reperitur tanquam in obiecto, & materia, circa quam aliquæ actiones humanæ versantur. Est enim illud obiectum quoddam rectæ rationi consentaneum, id est, secundùm rectam rationem amabile, seu eligibile. In actionibus autem quatenus voluntariè, seu liberè exercentur, inuenitur moralis honestas, quia studiosæ sunt, & diuinæ legi conformes. In habitu etiam reperitur rectitudo, quatenus connaturale, & proximum principium est talium actionum, præbens optimum modum illas operandi.

7. Ex supradictis constat aliquem esse habitum Religionis, qui vera virtus sit.

Vnde tandem constat ex his omnibus, quæ vera Religio cõplectitur & quæ nomen Religionis aliquo D modo participant, aliquid esse, quod vera virtus sit, nempe habitus ille, qui ad tales actiones inclinat; nã virtus simpliciter dicta nihil aliud est, quàm habitus per se studiosus, & honestus, qualem hunc esse constat ex dictis, ampliúsque ex discursu materiæ constabit. Atq; in hac significatione, qua huiusmodi habitũ designat, ferè semper voce Religionis vtemur. Dico autem *Ferè*, quia non possumus aliam omittere, in qua etiã pro statu Religionis sumitur, quæ licet ex priori deriuata sit, vt suprà tetigimus, & ideò analogiam quandam continere videatur, tamen iam vox illa accipitur, vt omninò æquiuoca, propriè, & simpliciter vtrunque significans, statum scilicet, & virtutem; & ita etiam nos illa vtemur; nam ex materia subiecta E cõstabit in qua significatione accipiatur. Quin etiam *Religionis* vox prout statum significat, æquiuocationem continet, vt notauit Abulens. Leuit. 7. circa finem. Nam generalis status Ecclesiæ Catholicæ, quæ talem doctrinam, talémque modum colendi Deum profitetur, Religio Christiana dicitur; imò & vnica, & sola Religio dici potest; quia extra illam nulla esse potest vera Religio. Et eodem modo ante legem gratiæ Synagoga Iudæorum erat vera Religio, quamuis non esset vniuersalis, sicut nunc est Ecclesia Catholica; specialiori autem modo *Religionis* vox applicata est ad significandum peculiarem viuendi modum, & statũ, in quo aliqui fideles congregantur ad perfectioni modo colendum Deum; & hæc significatio nobis deseruiet simul cum alia priori, quæ virtutem indicat.

Religionis vox pro statu, ex sententia Abulensis est æquiuoca.

CAPVT III.

Quomodo Deus sub obiecto virtutis Religionis comprehendatur.

1.

EX vocis declaratione supponimus, vt per se notum, dari in nobis aliquam virtutẽ, quæ Religio vocatur, ad eiúsque naturam explicandam ab obiecto incipimus. Videtur enim ex dictis colligi obiectũ illud, aut esse solum Deum, aut Deum saltẽ principaliter complecti. In contrarium verò facere potest, quòd *D. Thom.* D. Tho. dicta q. 81. art. 5. non permittit Deum vocari materiam, vel obiectum Religionis, sed finem.

2. Statuitur Deum verè, ac propriè ad obiectum Religionis pertinere.

Dicendum nihilominùs in primis est, Deum verè, ac propriè pertinere ad obiectum virtutis Religionis, B Ita sumitur ex D. Thom. art. 3. & ibi Caiet. annotat. Et probatur, quia omne id, circa quod virtus versatur, & ad quod tendit, pertinet ad obiectum eius, ostensum autem est, virtutem Religionis ordinari ad Deum, imò circa illum solùm aliquo modo versari, quatenus solius Dei cultum, & honorem procurat, ergò Deus pertinet ad obiectum huius virtutis. Potéstq; declarari ex illa vulgata diuisione virtutis moralis in eam, quæ ordinatur primariò ad moderandas passiones, & eam, quæ perficit operationes circa alterum, quam tradit D. Tho. 1. 2. q. 60. art. 2. & nunc à nobis supponenda est potiùs, quã explicanda: sumpta verò est ex pxopriis obiectis, seu materiis, circa quas variæ virtutes versantur. Nam quarundam principale munus est, passiones reprimere, & ideò passiones ipsæ dicuntur materia, seu obiectum illarum. Aliæ verò virtutes pro fine proximo habent rectè, & conueniẽter operari circa alios, & ideò dicuntur versari circa operationes, eásq; respicere, vt materiam circa quam versantur. Hæ autem virtutes sub hac materia, includunt personam illam, circa quam operantur; quia illam respiciunt, vt terminum habitudinis suæ.

Diuisio virtutis moralis ex Diuo Thoma.

3. *Caietan.*

Rursus hæ virtutes, quæ sunt ad alterum, Religionem sub se comprehendunt. Nam (vt rectè adnotauit Caiet. in dicta q. 81. art. 1. sicut omne peccatum contra alterum, est contra personam aliquam, quia per se non peccat homo contra brutum animal; ita etiã virtus ad alterum solùm est circa rationalem, vel intellectualem personam. Hæc autem esse potest, aut Proximus, ad quem ordinatur iustitia, aut Deus, ad quem ordinatur religio: Angeli verò in hac partitione non numerantur, quia pro hoc statu non videntur habere nobiscum necessitudinem aliquam, vel communicationem naturalem, quæ à nobis officium aliquod virtutis iustitiæ circa illos requirat; sed siquam habent, non est secundùm propriam, & specificam conditionem suæ naturæ, sed secundùm communem rationẽ sanctitatis, eiúsq; beatitudinis, ad quam cum illis ordinamur, & sub qua, Proximorum nomine comprehenduntur. Est ergo Religio essentialiter virtus ad alterum, scilicet Deum. Sicut ergò iustitia sub obiecto suo comprehendit proximũ, ad quem ordinatur, & in vniuersum quidquid est ad alterum, illum respicit vt finem, vel terminum; ita Religio in Deum tendit, & consequenter sub obiecto suo illum cõplectitur; nam in habitibus finis proprius, ac terminus habitudinis, seu tendentiæ ipsius habitus, & obiectum, idem sunt.

Religio ordinatur ad Deum, iustitia ad homines, sed neutra ad Angelos ordinatur.

4. Vt autem hoc ampliùs declaretur, dubitari potest, quomodo Deus sit obiectum Religionis, an proximũ, an remotum. Si enim tantùm remotũ est, nihil in hoc habet speciale Religio, nam cuiuscunq; virtutis moralis potest Deus esse obiectum remotum, nam potest esse finis remotus, quod perinde esse videtur. Si autem dicamus Deum esse finem immediatum, Religionem extra ordinẽ virtutum moraliũ ponemus. Nam cùm virtutes morales immediatè versentur circa operationes, vel passiones, necessariò respiciunt, vt obiectũ proxi-

proximum aliquid creatum: ergò nulla virtus moralis potest Deum respicere, vt obiectum proximum. A

5. Quo sensu Deus sit obiectum Religionis proximũ, & quo remotum.

Ad hoc breuiter dicendum, Deum quodammodo esse obiectũ remotum, & quodãmodo proximũ Religionis. Possunt enim hæ voces sumi, vel in absoluta significatione, vel respectiua. Absolutè dicetur obiectum proximũ illud, inter quod & internum actum à virtute elicitũ, nihil mediat; sicut Deus est immediatum obiectũ Charitatis; & moderata comestio, Tẽperantiæ. Hoc ergo modo negamus Deum esse immediatũ obiectum Religionis, & hoc sensu loquutus est D. Thom. dicto art. 5. vt distingueret hanc virtutem à Theologicis, vt in sequentibus videbimus. Hoc etiam conuincit ratio facta; quia Religionis affectus, qui est eius actus internus, nunquam ita Deum attingit, quin mediet aliqua alia actio hominis, qua Deo cultũ, aut B reuerentiam exhibet. Sicut etiam virtus Iustitiæ nunquam ita immediatè attingit proximum, quin mediet actio aliqua, qua ius proximi conseruatur, aut restituitur. Sub nomine autem actionis, intellige etiam moralem carentiam eius, nam illa etiam potest esse medium attingendi alterum, vt quando volo non infamare proximum, vel non blasphemare Deum.

6. Alio modo potest esse obiectum proximũ respectiuè, seu comparatione facta, ad finem extrinsecũ, & remotũ, seu ad omne illud obiectũ, quod per se non attingitur ab actu elicito à tali virtute, vt ab ea progreditur, sed solũ, vt ab alia imperatur. Quomodo Deus dici potest obiectum remotũ castitatis, quãuis iuxta vsitatũ modũ loquendi, potiùs dicatur finis remotus. In hoc sensu, dicimus Deum non esse obiectũ remo- C tum Religionis, sed sub proximo cõprehendi. Quod etiam probat ratio prius facta. Et declaratur ampliùs, quia Religio ex vi eiusdẽ affectus, qui ab illa manat, & quasi eodẽ impetu, (vt sic dicam) quo versatur circa aliquam operationem, attingit etiam Deum, quia non in illa sistit, sed per illam transit in Deum, vt hęc locutio, & similes declarant. *Volo honorare Deum*: ergo hac ratione meritò dicitur Deus sub proximo Religionis obiecto contineri. Possétq; non incommodè dici, Deum esse obiectum proximũ Religionis, sed indirectum. Sicut quando relatio cognoscitur, sub obiectũ talis cognitionis, non solum cadit relatio, sed etiam terminus eius, diuerso tamen modo: nam relatio immediatè, & directè; terminus verò, media relatione, & quasi indirectè sub talem cognitionẽ cadit: & ideò comparationẽ relationis, non videtur obiectum ita propinquum: tamen quatenus illa cognitio non terminatur in relatione, nisi in ordinẽ ad aliud, verè continetur sub obiecto propinquo, quamuis indirecto; ad hunc ergò modum, in præsenti Philosophandum est.

7. Caietani sententia explicatur.

Et fortasse ita rectè explicatur, quod communiter dici solet ex Caiet. dicto art. 3. & 5. Deum esse obiectũ Religionis, non *Quod*, sed *Cui*. Appellatum est enim *Obiectum Quod*, illud, quod omninò directè, & immediatè per internum actum virtutis attingitur; vt se habet Deus ad actum, quo amatur, nam talis amor immediatè, & directè circa Deum ipsum versatur. Obiectum autẽ *Cui*, est illud, quod solum, mediante alia actione, attingitur, quamuis cum illa coniunctum sit; vt se habet res, quam honoramus, respectu voluntatis E honorandi illã. Atq; hoc etiam obiectũ *Cui*, solet vocari finis virtutis; sicq; D. Tho. dicto art. 5. Deũ vocat finem Religionis; intelligendum enim hoc est, de fine intrinseco, & proximo; nam extrinsecus, & remotus, est quasi per accidens, ideóq; sub scientiam non cadit. Prętereà quòd illo modo, Deus est finis virtutũ omnium extrinsecus, & remotus. Religionis ergò est finis proximus per se, & intrinsecè, qui finis non est extra rationem obiecti, in quod virtus tendit, ideóque ab illo fine, actus talis virtutis suam speciem sumunt.

D. Thom.

CAPVT IV.

Sitne Deus solus obiectum Cui *virtutis Religionis.*

1. Vt Deus sit adæquatum obiectũ Cui Religionis, tria requirũtur.

DIximus Deum esse obiectum Religionis, iam exponere oportet, an in ea ratione adæquatum sit. Dico autem *In ea ratione*, quia cõparatione ad obiectum *Quod*, seu materiam eiusdem virtutis, constat non esse adæquatum obiectum, nam præter illud necessaria est alia materia, circa quam proximè versatur talis virtus; quæ materia, obiectum sine dubio est, seu quasi pars obiecti, licet suo modo ad actiones externas eiusdem virtutis pertineat, vt posteà dicemus. Vt autem Deus priori modo sit obiectum adæquatum huius virtutis, tria necessaria videntur. Primò vt semper sit obiectum *Cui*, & nunquam sit obiectum *Quod* Religionis. Secundum, vt Religio solum Deum hoc modo attingat, & nullam aliam rem, vel personam attingat, vt obiectum *Cui*, Tertium, vt Deus ad nullam virtutem præterquam ad Religionem pertinere possit vt obiectum *Cui*. Atque hæc tria breuiter à nobis explicanda sunt, quia re vera sunt necessaria ad perfectam, & (vt sic dicam) conuertibilem adæquationem, & multùm conferre possunt ad naturam, & excellentiam huius virtutis explicandam.

2. Circa primum difficultas est, quia licet constet, Religionẽ per plures actus suos tantùm attingere Deum vt obiectũ *Cui*, tamen per aliquos videtur immediatiùs attingere Deum, vt obiectũ *Quod*. At si hoc verum est, non minus dicendus est Deus proximum, & immediatum obiectum *Quod* Religionis, quàm Charitatis, & Fidei. Quia etiam hæ virtutes non omnibus actibus suis proximè attingunt Deum, vt obiectum *Quod*, sed per multos versatur immediatè circa res alias, vt patet in amore proximi, & in actu credendi Virginis integritatem. Assumptum ergò probatur, quia oratio est actus virtutis Religionis, vt infrà videbimus. Oratio autem immediatè attingit Deum, vt obiectum *Quod*, oramus enim Deum, sicut amamus Deum, & petimus à Deo, sicut speramus in Deo.

3. Dicet aliquis, semper proximã, & directam materiam orationis esse aliud à Deo, rem nimirum illam, quam postulamus: personam autẽ à qua postulamus, semper se habere, vt obiectum *Cui*, quia indirectè, & per aliud attingitur, scilicet, per petendi actum. Sed D contra hoc, instо, quia non solum petimus à Deo res alias, sed etiam Deũ ipsum: sic enim interrogatus D. Tho. *Quam mercedem accipies?* respondit, *Domine non aliam nisi teipsum.* Sicut ergò hæc merces desiderari potest, & sperari, ita etiam postulari: ergò talis oratio omninò habet pro materia proxima directa, & indirecta Deum, quia petit Deum à Deo. Item dantur iustis non tantùm Spiritus Sancti dona, sed etiam persona ipsa Spiritus sancti, ergò etiam persona ipsa postulari potest. Hoc ergo satis erit, vt dicatur Deus obiectum proximum, & directum Religionis, sicut ob similem causam est obiectum spei, quia Deum à Deo speramus, quamuis res alias ab ipso speremus.

D. Thom.

4. Religionis virtus nunquam Deum attingit, vt obiectum (quod) sed vt obiectum (cui.)

Nihilominùs dicendum est, virtutem Religionis nunquã attingere Deũ, vt obiectum *Quod*, sed tãtùm vt *Cui*. Quod facilè probabitur, & soluetur difficultas proposita, si aduertamus sermonẽ esse de obiecto virtutis, quantum ad proprium, & internum actum immediatè ab ipsa elicitum. Illud enim obiectum, quod per talem actum directè & immediatè attingitur, dicitur esse obiectum proximum eiusdem virtutis cum eãdem proportione. Et respectu talis actus, satis quidẽ esse, quod virtus per vnũ actũ immediatè, & directè attingat aliquod obiectũ, vt illud dicatur esse proximũ, & directũ obiectũ *Quod* talis virtutis, siue sit ad-

æquatũ, siue principale, hoc enim conuincunt exempla adducta de Fide, & Charitate. Ratio verò est, quia illud, in quo virtus versatur, verè dicitur obiectum eius: ergò etiam illo modo, quo circa illud versatur. A

5. Negandum verò est habere Religionem aliquem talem actum, quo circa Deum ita versetur. Nam petitio, de qua difficultas procedebat, non est hoc modo proprius, & internus actus Religionis. Aliud enim est velle petere, aliud petere; sicut aliud est honorare, aliud velle honorare; velle ergò petere est actus internus immediatè elicitus à virtute Religionis, qui non attingit Deum, nisi media petitione: sicut voluntas credendi Deum, & Deo, directè, & immediatè non attingit Deum, sed credulitatem Dei. Ob hanc ergò causam, ipsa Religionis virtus directè, & immediatè non attingit Deum per talem actum, quia cum ipsa sit virtus voluntatis, immediatus actus eius est velle: non vult autem directè Deum, hoc enim ad Charitatem, vel Spem spectat; sed vult petere Deum, vel à Deo; ergò inter immediatum actum eius, & Deum interponitur petitio, ratione cuius non omnino proximè, & directè attingit Deum, vel circa illum versatur. B

6. Statim verò oriebatur difficultas, quænam virtus sit, ad quam pertineat elicere actum petitionis Dei, & quomodo illa respiciat Deum, vt obiectum proximũ, & immediatum; sed hoc melius infrà dicetur disputando de oratione. Nunc solùm addo, in ipsâmet petitione Dei, seu à Deo, duos respectus, seu rationes posse considerari. Prior est, quatenus illa petitio cedit in bonum, & commodum petentis; & vt sic, non pertinet ad Religionem, vt per se constat, quia Religio ad alterum tendit, eique debitum reddit. Posterior est, quatenus ipsa petitio est quidam cultus, & honor eius, à quo aliquid postulatur, & vt sic, pertinet ad Religionem. Constat autem sub hac ratione, Deum non considerari, nisi vt personam, cui honor defertur: ideoq; non comparari ad Religionem, vt obiectum *Quod*, seu directum, sed vt obiectum *Cui* Religio vult talem honorem deferre. C

7. Circa secundum punctum, ratio dubitandi est, quia videtur Religio habere plures actus, qui non habent Deum pro obiecto *Cui*, sed alias personas, vel res: ac proinde non esse Deum sub ea ratione obiectum adæquatum. Assumptum probatur in actu adorandi sanctos viros, qui videtur ad officium huius virtutis pertinere, idemq; est de actu venerandi res sacras, vt imagines, calicem, & similia: nam hic actus non attingit talem materiam, vt obiectum *Quod*, sed *Cui*: Deumque non proximè attingit, sed remotè, quatenus propter ipsum hæc omnia in veneratione habentur. D

8. Religio ita Deum attingit vt obiectum *cui*, vt nihil aliud sub eâdem obiecti ratione respiciat.

Nihilominus dicendum est, Deum etiam quoad hanc partem esse obiectum adæquatum *Cui* Religionis. Quia nimirum nullum habet actum externum proprium, quo non attingat Deum illo modo. Vt autem hoc probetur, & soluatur difficultas proposita, aduertendum est, non omnem actum huiusmodi attingere Deum eodem modo. Sunt enim quidã actus primarij, quibus colitur Deus in se ipso, vt sacrificium, & similes, & hi proximè tendunt in Deũ ipsum in quem explicitè diriguntur per intentionem colentis Deum. Alij verò sunt actus secundarij, quibus colitur Deus, non in se, sed in alio, vt in imagine, vel in re sacra, quando illa sumitur, vt tota materia proxima adorationis. Quia verò talis res non propter se adoratur, sed propter habitudinem aliquam, vel coniunctionem, quam habet cum Deo, ipse Deus attingitur per talem actum, tanquam ratio adorandi. Hoc autem satis est, vt talis actus ex vi talis virtutis in Deũ tendat, quia licet expressa intentione tunc non dirigatur talis actus colendi in Deum, vt in rem adoratam, implicitè tamen, & virtute ad eum refertur. E

9. Cum ergò dicitur Deus esse dicto modo adæquatum obiectum Religionis, seu (quod perinde est) Religionem circa solius Dei cultum versari, intelligendum est abstractè, itaut quilibet illorum modorum sufficiat, vt Religio secundum totam latitudinem suorum actuum sic operetur; quod clariùs constabit, explicando ipsos actus Religionis, & in genere, & in specie. Et multa, quæ hùc spectant, attigimus in 1. tomo 3. p. disp. 54. sect. 5. & 3. tomo disp. 81. sect. 8. Actus ergò, quibus colimus sanctos glorioso s, si in eis sistant, vt in re per se adorata, propter propriam excellentiam non sunt actus huius virtutis Religionis, de qua tractamus, & ita non potest ab illis sumi argumentum: Si verò solùm considerentur Sancti, vt templa Dei, in eisque colatur Deus quoquo modo, ex vi talis actus, iam Deus ipse erit etiam obiectum, *Cui* eiusdem actus. Sancti verò per illos non coluntur, nisi in quantum aliquo modo sunt vnum cum ipso Deo. Idémque est quoad hanc partem, de quibusuis rebus sacris, quæ ob habitudinem aliquam immediatam ad Deum, adorantur. Atque ita semper Deus ingreditur in obiecto *Cui* huius virtutis, quoad omnes actus illius.

CAPVT V.

Sítne Deus solius virtutis Religionis proprium obiectum Cui?

MAior nonnulla difficultas est in tertio puncto explicando, quo modo scilicet Deus ita sit obiectum adæquatum Religionis, vt non solùm Religio aliam personam non respiciat, vt obiectum per se adorabile, verùm etiam Deus ipse alteri virtuti morali non obiiciatur, sub simili habitudine obiecti *Cui*. Quæ difficultas vt intelligatur aduertendum est, Deum, non esse obiectum vnius tantùm virtutis voluntatis, sed plurium. vt nimirùm Charitatis, Spei, & Religionis: vnde absolutè, & secundùm rem, non potest dici esse obiectum adæquatum vnius tantùm virtutis, sed plurium: & ideò distinguimus in illo plures rationes, vel modos obiecti, vt circa illum plures virtutes voluntatis versari possint. Distinximus autem superiùs duos generales modos, quibus Deus obiici potest virtuti voluntatis, scilicet, vt *Quod*, vel tantùm *Cui*, seu omninò proximè, & directè, vel non omninò proximè, sed indirectè, & media alia actione. Prior ergò modus non est omnino specificus. Deus enim illo modo, non vni tantùm virtuti obiicitur, sed duabus, scilicet Charitati, & Spei, quas oportet proinde distinguere ex aliis rationibus obiectiuis, quæ in ipsâmet bonitate Dei considerari possunt, de quibus alibi. Inquirimus ergo, an Deus sub alia ratione obiecti *Cui*, vni tantùm Religioni obiiciatur, vel etiam aliis virtutibus. Quæ difficultas videtur esse coniuncta cum alia quæstione infrà tractanda, an virtus Religionis vna sit: nunc autem ab illa abstrahimus, & de toto genere Religionis (siue plures sub se species comprehendat, siue non) quærimus, an Deus, vt obiectum *Cui*, illi soli obiiciatur, vel etiam aliis.

1. Deus ita est obiectũ Cui Religionis, vt neq; ipsa aliud obiectum, neque ipse aliã virtutẽ sub eâdem habitudine respiciant.

Et quidem videtur nõ illi soli obiici, sed aliis etiam virtutibus voluntatis. Primò quia voluntas credendi Deo, & Deum, attingit aliquo modo Deum, vt obiectum, & non attingit immediatè, & directè, quia inter Deum, & voluntatem mediat ipsum credere, ergò attingit indirectè, & tanquam obiectum, *Cui* fides adhibetur, vel de quo aliquid creditur: ergò in hoc conuenit talis voluntas cum actibus elicitis à Religione. Illi autem voluntati credendi respondet in voluntate proprius habitus, vt suppono ex doctrina S. Thom. 22. quæst. 4. art. 2. & ex his, quæ notaui in 1.

2. Proponũtur argumenta contra propositam assertionem.

in 1.tom quæſt.7. art. 3.Qui habitus virtus eſt, nam eſt de obiectio valdè honeſto, & rectæ rationi conſentaneo,eſtque virtus à Religione diſtincta,quia per ſe non reſpicit cultum, ſed credulitatem. Vnde actus ipſe credendi, prout relatus ad cultum Dei, imperatiue tantùm, & extrinſecè cenſetur ad Religionem pertinere,vt infrà dicam.Et ob eãdem cauſam quamuis Religio infuſa non maneat in peccatore,Fides tamen manet etiam quoad habitum piæ affectionis, quem in voluntate ponit. Datur ergò alia virtus in voluntate præter religionem,quæ attingat Deum, vt obiectum *Cui*.

3. Idem videtur dicendum de virtute Obedientiæ, quia voluntas obediendi Deo eſt actus internus immediatè elicitus à tali virtute, & ille verſatur circa Deum aliquo modo immediatè,& vi ſua, non tamen B omnino directè, & immediatè, ſed mediante illo actu,per quem illi obedire aliquis vult: ergo in modo attingendi Deum, conuenit etiam cum Religione, à qua tamen diſtincta virtus eſt, vt nunc ſuppono ex *D.Thom.* ſententia D.Tho.2.2.quæſt.204.art.2.& 3.communiter recepta. Tertiò loco afferri poſſet Pœnitentia ad idem confirmandum,tamen quia de illa quæſtio eſt, an ſub Religione comprehendatur, eam nunc omitto.Ratione denique vti poſſumus,quia ſi Deus vt obiectum *Quod*,cadit in multas virtutes voluntaris, cur non etiam,vt obiectum *Cui*? Nulla profectò ſpecialis ratio afferri poſſe videtur. Item, quia ſicut voluntas ſuis actibus elicitis poteſt diuerſis modis directè attingere Deum ipſum,ita etiam aliæ actiones,quas voluntas proximè vult, vt tendentes in Deum, poſſunt C diuerſas habitudines dicere ad Deum ipſum, quales ſunt ratio cultus,obedientiæ,aut creduliratis.

4. Confirmatur doctrina propoſita, & argumenta diſſoluuntur In hoc puncto dicendum eſt, dari quidem in voluntate alios habitus, ſeu virtutes attingentes Deum per modum obiecti *Cui:* nihilominùs tamen Deum peculiari modo obiici virtuti Religionis, vt obiectum *Cui:* quo nulli alteri obiicitur. Priorem partem probant rationes, & exempla allata. Poſterior autem neceſſaria eſt,vt inde poſſit Religio habere propriam, & ſpecificam rationem ſuam. Vt autem explicetur quid proprium in hoc habeat Religio, aduerto duobus modis pertinere poſſe Deum ad obiectũ alicuius virtutis moralis.Primò tanquam perſonam,cuius bonum,vel commodum(vt noſtro modo loquamur)per talem virtutem intenditur. Alio modo ſolùm, vt in- D formans extrinſecè materiam,circa quam talis virtus verſatur, id eſt, vt conferens illi fundamentum illius honeſtatis, quam talis virtus per ſe reſpicit. Qui duo modi ex genere ſuo ſunt valdè diuerſi, & ſufficientes ad diſtinguendas virtutes,non minùs, quàm Dei bonitas, vt amabilis ipſi Deo propter ſe, vel vt eſt ſummum bonum ipſius amantis,ſufficit ad diſtinguendas virtutes Charitatis,& Spei.

5. Obedientia igitur & pia affectio voluntatis attingunt Deum poſteriori modo ſpectatum, ſed inter ſe differunt, quòd altera reſpicit honeſtatem in ordine ad intellectum,altera verò in ordine ad voluntatem; Deus enim reuelando, ſeu teſtificando aliquid conſtituit illud obiectum fide dignum, & ideò fides talis obiecti proponitur voluntati, vt eligenda ſecundùm E rectam,& diuinam rationem.Voluntas ergò credendi Deo tendit in tale obiectum ſuum, quod eſt ipſa fides,non vt per eam colat Deum, aut aliquid ei retribuat,ſed quia tale obiectum credibile eſt ex teſtimonio Dei.Similiter cum Deus aliquid præcipit, ſua lege facit vt res illa ſic præcepta, inde habeat ſpecialem quandam rationem bonitatis in ordine ad voluntatem, quæ ſubiecta eſſe debet ſuo ſuperiori. Et ideò virtus obedientiæ,quæ quatenus ſpecialis virtus eſt, hanc formalem bonitatem iuuetur, non ita tendit in Deum,vt illi aliquid propriè retribuat,ſed tendit in rem præceptam ratione ſpecialis bonitatis, & neceſſitatis, quæ in ea moraliter reſultat ex præcepto Dei. Hac ergò ratione dicimus has virtutes ſolùm attingere Deum,vt extrinſecè informantem materias eorum.

Religio autem tendit in Deum, quaſi in ipſum re- 6. ferendo totam materiam ſuam, intendens per illam debitum cultum,& quaſi ius ſuum Deo reddere.Pro- *D.Thom.* pter quod fortè D. Thom. dict. art. 5. vocauit Deum finem religionis,quod non tam propriè dici poteſt de voluntate credendi, aut obediendi Deo. Atque hanc doctrinam inſinuaſſe videtur idem D.Thom.d.quæſt. *D.Thom.* 104.art.2.ad 4.dicens. *Reuerentiam directè reſpicere perſonam excellentem,obedientiam verò reſpicere perſonæ excellentis præceptum.* Hæc enim diuerſitas non in alio conſiſtit,niſi quòd reuerentia reſpicit quaſi commodum, ſeu bonum extrinſecum perſonæ, cui exhibetur; & ideò dicitur directè reſpicere illam: obedientia verò non ita reſpicit perſonam,ſed præceptum eius, quatenus à tali perſona habet talem bonitatem, ſeu amabilitatem.Quod idem D.Thom.iterum explicuit ibi, *D.Thom.* art.3.ad 1.dicens, *Obedientiam procedere ex reuerentia, quæ exhibet cultum, & honorem ſuperiori, & quantum ad hoc ſub diuerſis virtutibus contineri, licet ſecundum ſe conſiderata,quatenus reſpicit rationem præcepti, ſit vna ſpecialis virtus.* Quæ doctrina ſuo modo applicari poteſt piæ affectioni ad fidem, nam etiam illa non reſpicit directè perſonam, ſed dictum eius,quatenus ſub auctoritate eius verum oſtenditur.

Sic igitur Deus quatenus eſt perſona,ad quam proximè,& directè refertur aliqua materia, ſeu actio ho- 7. minis,eſt obiectum *Cui* ſolius religionis, ita illi adæquatum, vt & religio totam materiam ſuã in hoc obiectum proximè referat, & nulla alia virtus hoc munus exerceat,quæ religio non ſit,vel ſub religione nõ comprehendatur.Neque contra hanc doctrinam procedunt exempla de pia affectione, & Obedientia, vt explicatum iam eſt:de Pœnitentia verò adhuc ſupereſt difficultas infrà tractanda.

CAPVT VI.

Deus ſub qua ratione virtuti Religionis obiiciatur.

1. Omnis virtus in perſona, in quam refertur, reſpicit rationem aliquã, quæ honeſtet actionẽ.

VT titulus intelligatur, ſupponendum eſt, cum voluntas ſtudiosè tendit in aliquam perſonam, referendo in eam operationem aliquam, vel actionẽ; neceſſarium eſſe, vt reſpiciat in tali perſona aliquam rationem, quæ talem actionem honeſtet, vt Iuſtitia reſpicit ius, quod perſona habet ad talem rem, vel actionem; miſericordia, indigentiam, & ſic de aliis. Sic ergò oportet,vt Religio etiam reſpiciat in Deo rationem aliquam, ob quam iuſtum, & honeſtum ſit, cultum,vel quippiam ſimile illi tribuere. Inquirimus ergò,quænam hæc ratio in Deo ſit?

2. Quæſtionis ſtatus aperitur,& obiicitur plura eſſe attributa, ſub quibus Religio Dei reſpicit.

Eſt autem ratio dubitandi, quia licet Deus ſit vnus, & ſimpliciſſimus,plura attributa habet, quorum diſtinctio,quamuis rationis tantùm ſit, interdum ſufficit ad diſtinguendas in nobis virtutes, quæ talia attributa, vt obiecta formalia,reſpiciunt, vt in Fide, & Charitate videre licet. Et ratio eſt, quia noſtræ virtutes accommodantur actibus noſtris, vnde ſicut nos propter diſtinctos conceptus,& actus,ratione diſtinguimus illa attributa, ita & virtutes noſtræ poſſunt optimè diſtingui per formales habitudines ad diuerſa attributa.In præſenti ergò plura poſſunt eſſe attributa,propter quæ Religio cultum, orationem, & ſimilia Deo offerat. Primum eſt excellentia, & perfectio,

ctio diuina ſecundùm ſe: & hoc attributum aſſignat D. Thom. tanquam proprium, & formale Religionis dicta quæſt. 81. art. 4. in Corpore, ad 3. aliud attributũ eſt, eſſe principium primum creationis, & gubernationis rerum, & hoc aſſignat D. Thom. art. 1. & 3. Hoc autem attributum eſſe diuerſum à primo cõſtat, quia diuerſis conceptibus noſtris ſubordinatur. Et per mẽtis præciſionem intelligimus aliquam perſonam eſſe dignam honore propter excellẽtiam aliquam, etiamſi nihil operetur.

D. Thom.

D. Thom.

3. Præter hæc conſiderari poteſt in Deo aliud attributum ſufficiens ad fundandum hunc reſpectum, nimirum peculiare dominium, vel ius, quod Deus habet in res omnes, præſertim verò in res, & actiones humanas, nam hoc titulo debitum eſt illi vt quod ſuũ eſt, ei reddatur, & ius illius in nullo violetur. Hoc ergò titulo debet homo Deo non tantùm cultum, ſed ſeruitutem, vt attigit D. Tho. art. 3. ad 2. Conſtat autem dominium eſſe attributum diſtinctum, & à cauſalitate, & ab intrinſeca excellentia. Denique datur aliud attributum Benefactoris, cui ſub tali ratione gratitudo debetur, vnde etiam gratiarum actio ad Religionem pertinere creditur. Aut ergò hæc omnia attributa formaliter concurrunt in obiecto Religionis, vel vnum eorum tantùm. Hoc poſteriùs dici non poteſt, tum propter dicta, tum etiam quia non eſt maior ratio de vno, quàm de alio. Neque etiam videtur prius dici poſſe, alias vel tot eſſent Religiones, quot ſunt formalia attributa, quæ conſiderantur in reddendo cultu Deo: vel vna, & eadem virtus ſub diuerſis formalibus rationibus tenderet in Deum, quod non videtur fieri poſſe.

4. Cõcluditur Religionem tendere in Deum ſub vna aliqua ratione. *D. Thom. Caiet.* Nihilominùs dicendum eſt, Religionem tendere in Deum ſub vnâ aliquâ ratione ipſi attributâ, quæ ſit veluti adæquata ratio honeſtatis, quam habet ex parte talis obiecti actus Religionis. Ita ſupponit D. Tho. in his art. quem ſequuntur Caiet. & omnes. Sufficienterque probatur ex proportione, & adæquatione requiſita inter intrinſecum finem, ſeu obiectum, & virtutem. Eo igitur modo, quo Religio vna eſt, aut per modum vnius concipitur, neceſſe eſt ex parte Dei fundari in aliqua formali ratione aliquo modo vna. Et ideò hoc ſupponit tanquam manifeſtum D. Tho. art. 3. Addendum verò eſt, oportere hanc rationem formalem conſiſtere in aliquo ſimplici attributo potentiæ, bonitatis, aut alio ſimili quatenus à nobis concipitur, vt præciſum ab aliis. Nam diuina excellentia, quatenus coaleſcẽs noſtro modo intelligendi ex omnibus attributis, poteſt intelligi vt adæquata ratio ob quam Religio colit Deum. Hoc etiam inſinuauit D. Thom. dict. art. 3. ad 1. dicens. *Diuerſæ rationes attributorum concurrunt ad rationem primi principij, quia Deus producit omnia, & gubernat ſapientia, voluntate, & potentia bonitatis ſuæ.* Ex quo immediatè infert. *Et ideò religio eſt vna virtus.* Subticuit tamen, & nobis intelligendum reliquit ſubſumendam propoſitionem, videlicet rationem primi principij, quatenus ad eam omnia attributa concurrunt, eſſe ſufficienter vnam ad conſtituendam formalitatem huius obiecti. Non eſt autem intelligendum, attributa concurrere ad hanc rationem primi principij, quaſi ab illis reſultet tanquam nouum attributum ita peculiare in ſuo conceptu, vt ab aliis ratione ſit diſtinctum, ſicut ex bonitate, & cognitione reſultat amor. Sed intelligendum eſt, omnia illa attributa concurrere intrinſecè, & formaliter ad cõſtituendum primum principium, vt ſic; quia neque extra illa poteſt intelligi aliud ſimplex attributum ab eis reſultans, nec ſine illorum formali perfectione concipi poteſt primum principium conſtitutum.

D. Thom. Ratio ſub qua Religio Deum reſpicit, eſt diuina excellentia, quatenus coaleſcit ex omnibus attributis. *D. Thom.*

5. Imò vlteriùs aduertendum eſt, hoc primum principium duobus modis concipi poſſe. Primò in potentia tantùm ad ſe communicandum. Secundò, vt actu ſe communicans, & benefaciens hominibus, ac gerens curã eorum. Videri ergò poteſt, quando dicimus, rationem primi principij eſſe ex parte Dei formale fundamentum Religionis, intelligẽdum id eſſe ratione primi principij ſolùm, quantum ad infinitam virtutem agendi, quam habet, & infinitam bonitatem, ac ſapientiam, quibus de ſe eſt aptum, (vt ſic dicam) & propenſum ad agendum, quia hoc tantùm pertinet ad intrinſecam excellentiam eius, quæ eſt vnica ratio colendi illum. Actualis enim operatio, vel in ipſo non eſt, vel nihil perfectionis in ipſo addit, ergò nõ poteſt illo modo ſimul concurrere ad conſtituendam illam rationem primi principij, quæ eſt ratio colendi Deũ.

Suboritur obiectio.

Nihilominùs D. Tho. dicto art. 3. ad 2. ſentit, vtrunque eſſe neceſſarium ad conſtituendam illam rationẽ. *Quia eodẽ*, inquit, *actu homo ſeruit Deo, & colit ipſum.* Vnde per omnes actus Religionis proteſtatur homo, & diuinam excellẽtiam, & ſeruitutem ſuam: dum autem ſeruitutem ſuam profitetur, dominium Dei profiteri neceſſe eſt, quod habet Deus per aliquam operationem ad extra, & non ſine illa; ergò talis actus Religionis non fundatur adęquatè in ſola excellentia Dei intrinſeca, ſed etiam in extrinſeca dominatione, nec in ſola virtute agendi, ſed etiam in operatione. Atque hoc ipſum indicauit Lactant. lib. de Ira Dei, ca. 8. vbi conatur oſtendere, ablata ira Dei, id eſt iuſtitia vindicatiua eius, & conſequenter ablata etiam remuneratiua, omnem Religionem euerti; &, *Si Deus nihil boni tribuit, nec gratiam refert colentibus, vanum eſſe illum colere.* Statim verò ſibi obiicit dicens, *Atqui naturam excellẽtem honorare oportet.* Reſpondet, *Quis honos haberi poteſt nihil curanti, & ingrato? An aliqua ratione obſtricti eſſe poſſumus ei, qui nihil habeat commune nobiſcum? Deus* (inquit Cicero) *ſi talis eſt, vt nulla gratia, nulla hominum charitate teneatur, valeat.* Quæ verba ſano modo intelligenda ſunt. Nam Deus à nobis colendus eſſet, etiamſi nullã mercedem, vel nullum beneficium propterea eſſet redditurus, nam per ſe tenemur illum colere, ſecluſa retributione, vt infrà dicemus. Senſus ergò debet eſſe, ablata Dei prouidentia, & omni operatione, auferri Dei cultum. Quia ſi apprehendatur Deus, vt nullam habens humanarum rerum prouidentiam, hoc ipſo non apprehenditur, vt ſummè excellens ac ſupremus Dominus, quod eſt quaſi fundamentum Religionis, & cultus eius.

6. Soluitur obiectio, & ratio primi principij, quomodo ſit Religionis fundamentum. *Lactant.* *Cicero.*

7. Nec refert, quòd actualis operatio non ſit perfectio Dei, tum quia cultus, & reuerentia, non ſolùm propter intrinſecam perfectionem, ſed etiam propter extrinſecam operationem ab interna perfectione manantem deberi poteſt, tum etiam quia ipſe honor non eſt intrinſecum bonum, ſed extrinſecum eius, qui honoratur; quid ergò mirum, quòd propter extrinſecam etiam rationem deberi poſſit? Maximè cum operatio, quæ ipſi Deo extrinſeca eſt, redundet in bonum, & commodum intrinſecum ipſius hominis, qui ad diuinum cultum obligatur, & ipſemet cultus ita ſit quoddam extrinſecum bonum Dei, vt ſit intrinſeca perfectio ipſiuſmet hominis honorantis Deum. Tùm etiã, quia operatio Dei eſt quaſi vinculum ita coniũgens hominem cum Deo, vt inde oriatur obligatio colendi Deum.

8. Et fortaſſe ob hanc cauſam, quando ſcriptura loquitur de reuerentia, & honore, quem Deo debemus, vtitur nominibus reſpectiuis indicantibus huiuſmodi vinculum inter nos & Deum. Huiuſmodi eſt illud Malach. 1. *Filius honorat Patrem, & ſeruus Dominum ſuum, ſi ergò ego pater ſum, vbi eſt honor meus? Et ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus?* Igitur diuina excellentia, quatenus nobiſcum habet hanc coniunctionem *Malach. 1.*

vel,

vel respectum supremi principij, & Domini, est ex parte Dei obiectiua ratio cultus debiti per Religionē. An verò hæc sit ratio omninò specifica, vel tantùm generica, & sub illa possint aliæ distingui, nondum explicatum est, nec potest commodè fieri, donec varios actus Religionis declaremus, & iuxta illos, ipsius virtutis vnitatem inuestigemus, quod in sequentibus libris præstabimus: & ibi etiam explicabimus, quando operatio Dei in nobis sit tantùm conditio sine qua non, quando verò sit etiam ratio formalis, & mouens ad colendum illum.

CAPVT VII.

Quænam sit materia proxima, circa quam Religio versatur.

1. Actiones humanas, quibus cultum Deo deferimus, esse proximam materiam, siue obiectum, (quod) Religionis.

DIximus Deum ita pertinere ad obiectum Religionis, vt non sit obiectum proximum, & directum. Hinc ergò sequitur necessarium esse, vt hęc virtus habeat aliam materiam propinquam, vt ea mediante Deum attingat, quæ materia etiam appellatur rectè communi vsu *Obiectum materiale* quod *Religionis*; nam illud est, quod immediatè vult Religio, quamuis in ordine ad Deum, cui illud vult. De hoc ergò materiali obiecto, certum in primis est consistere, vel omninò, vel principaliter in aliquibus actionibus humanis, quibus honorem, & reuerentiam Deo deferimus, quæ sub nomine cultus Deo debiti comprehendi solent, vt notauit Caiet. dicta quæst. 81. art. 2. notabili 2. dicens. *Reddere Deo debitum cultum, seu honorem, esse adæquatum actum Religionis*: quod ibidem D. Tho. non obscurè docet, & art. 3. ad 2. & art. 4. ad 2. expressiùs verò art. 5. dicit. *Hunc cultum se habere per modum materiæ, & obiecti ad Religionem.*

Caiet.

D. Thom.

2. Est enim maximè aduertendum, quod suprà indicaui, in his virtutibus moralibus eosdem actus externos, (qui à virtute fiunt, & sunt effectus internorum actuum voluntatis elicitorum à virtute) secundùm se sumptos, & vt priores in ordine intentionis (vt sic dicam) esse obiectum, seu materiam talium virtutū. Ita ergo est in virtute Religionis, quia sicut Philosophia docet finem, & effectum in idem coincidere sub diuersis respectibus: ita hic dicimus eundem cultum, quem efficienter Religio exhibet Deo, esse materiam, quæ proximè obiicitur eidem virtuti Religionis. Constat autem hunc cultum consistere in actionibus humanis, quales sunt *Sacrificare, laudare Deum*, & similes. Ergo hæ actiones sunt *Obiectum* quod *materiale* huius virtutis.

3. Quo pacto sacra instrumenta sub materia proxima Religionis contineantur.

Dixi autē *Omninò, vel principaliter*, quia præter actus hominis possunt dici materia huius virtutis omnes illæ res sacræ, quibus aliquo modo vtimur, vt instrumentis ad Dei honorem, & cultum, cuiùsmodi sunt *Imagines, cerei accensi, vestimenta, aut vasa sacra, &c.* Omnia enim hæc volumus, & procuramus ad cultū Dei, & sub hac ratione dici possunt materia huius virtutis. Tamen omnia illa reducuntur ad operationem, quia ipsa sola per sese non continent cultum, sed in quantum alicui operationi deseruiunt, & hac ratione sub operatione continentur. Vnde sub sacrificio continentur tēpla, altaria, & aliæ similes res sacræ; sub adoratione cōtinentur imagines, & sic de aliis; & ideò de hac materia, prout in his rebus cōsistit, nihil amplius dicemus, sed circa vnumquemque actum consideranda erit, prout ad illum spectauerit.

4. Proposita superius assertio confirmatur.

Iam verò supereſt explicandum, quinam sint actus hominis, in quibus hæc materia Religionis posita est. Hanc verò quæstionem latè disputaui tom. 1. in 3. p. disp. 51. sect. 2. & 3. tractando de actu adorationis; & occasione illius de omni actu, quo potest ab homine coli Deus. Et ideò, omissis opinionibus, resolutio breuiter est, omnem actum humanū honestum, quatenus in Dei honorem & gloriam referri potest, esse posse materiam Religionis. Nam in huiusmodi actu duo possunt considerari. Vnum est, actus ipse materialis, quo Deus coli dicitur; aliud est, quòd actus ille sit aliquo modo extrinsecum bonum Dei, & per hoc videtur formaliter cōpleri in ratione cultus; nam si hoc non habeat, nihil erit in tali actu, propter quod ad Deum pertinere dicatur. Hoc autem bonum, cum sit merè extrinsecum Deo, & non pertineat ad eius vtilitatem, vel commoditatem, solùm potest ad honorē, vel famam, seu æstimationem Dei spectare. Quia respectu personæ intellectualis, præter bona inhærentia, & quæ ad illa cōsequenda sunt vtilia, solùm hæc duo bona extrinseca, talia reputantur; nam si qua alia sunt quæ etiam videantur esse bona, & amabilia, vt sunt amari, vel timeri; hæc ipsa, vel ad illa reuocantur, vel solùm apprehenduntur, vt vtilia ad alios fines, vt videre licet apud Arist. 6 Ethic. cap. 8.

Est autem aduertendum, illa duo, scilicet famam, & honorem ita indifferenter accipi ab auctoribus in hac materia, vt pro eodem reputari videantur, vt constat ex modo loquendi D. Thom. in omnibus artic. d. quæst. 81. & ex his, quæ in dicta disput. 51. de adoratione tractauimus. Re tamen vera in hominibus hæc duo bona cēsentur distincta, vt colligitur ex eo, quòd gloria consistit in bona æstimatione, & fama iuxta definitionem D. Augustini lib. 83. quæstionum quæst. 31. & tract. 100. & 105. in Ioannem, nam *Gloria est clara cum laude notitia*, quam definitionem ex Ambrosio refert D. Thom. 1, 2. q. 2. art. 3. Augustinus verò dixit, esse *frequentem famam cum laude*. Honor autem non in hoc consistit, sed in significatione, seu testificatione virtutis alterius, vt docet D. Thom. dicta qu. 2. ex Arist. 1. Ethic. cap. 5. & 4. Ethic. cap. 3. & 8. Ethic. cap. 14. Sunt ergo illa duo nobis distincta. Ergo etiam respectu Dei distincta erunt. Sicut Paulus illa distinguit 1. ad Timot. 1. dicens *Soli Deo honor, & gloria*. Iudas verò in sua Epistola *Soli Deo* (dixit) *gloria, & magnificentia, imperiū, & potestas*, id est recognitio, & laudatio ex talibus attributis proueniens. Declarandum ergò supereſt, an Religio vtrumque horum, vel alterum tantùm intendat; & si vtrumque, an per modum vnius, vel vnum propter alterum.

5.

D. Augustin.

D. Ambros.

D. Thom.

D. Augustin.

D. Thom.

Arist.

D. Paul. 1. ad Timoth.

D. Iudas Canon.

6. Religio, Dei honorem, & gloriam intendit.

In quo primò dicendum est, Religionem Dei honorem, & gloriam simul intendere. Probatur quia vtrunque spectat ad debitum Dei cultum: vtriusque ergo officium, & cura ad virtutem spectat, sed non ad aliam, nisi ad Religionem: ergo ad illam spectat. Confirmatur, quia non est virtus multiplicanda propter illa duo, quæ ita sunt in actione coniuncta, vt vix possint separari. Imò si rectè aduertatur definitio gloriæ data ab Augustino, vtrunque comprehendit, scilicet bonam æstimationem, & honorem, laus enim quidam est honor, quatenus est bonitatis, & excellentiæ significatio, solúmque differt, quòd laus propriè tunc dicitur, quando verbis fit, honor autem quibuscunque signis exhibetur. Igitur gloria ex bona æstimatione, seu fama, & illius significatione, & manifestatione completur, hæc autem duo ita videntur inter se comparari, vt æstimatio sit veluti finis, & terminus honoris, & laudis, quia actus honoris ad hoc videtur ordinari, vt debita æstimatio diuinæ excellentiæ in nobis, vel in aliis generetur, conseruetur, vel augeatur.

In quo honor, & laus differant.

7. Vt plurimū non distinguuntur in cultu actus, quo significatur interna æstimatio Dei, & æstimatio ipsa.

Propter quod aliqui censent, licet cultus respectu Dei sit materia proxima Religionis, nihilominus in ipso cultu illa duo distinguenda esse, scilicet actum, quo vtimur ad significandam internam Dei æstimationem,

mationem, & æstimationem ipsam; nam hæc inter A
se comparantur, vt materiale, & formale; quia actus,
quo Deum colimus, ad eius æstimationem generan-
dam proximè refertur. Quod quidem in multis acti-
bus contingere potest, & rectè consideratum est, non
tamen est necessarium in omni actu religionis illa
duo distingui, vel illum ordinem seruari. Nam inter-
dum sola ipsa debita æstimatio Dei potest interiùs
exerceri ex affectu Religionis, quia illamet continet
honorem Dei. Est enim hæc differentia inter homi-
nem, & Deum: quòd homini non manifestamus exi-
stimationem, quam de illo habemus, nisi per aliquod
signum, quo testimonium præbemus excellentiæ eius,
& opinionis, quam de illo habemus: Deo autem
ipsammet æstimationem, quam de illo habemus, illi
offerimus in testimonium, (vt sic dicam) eiusdem- B
met bonæ famæ, quam apud nos habet, quia ipse per
se sine alio signo eam intueri potest. Atque hoc mo-
do honor diuinus aliquando vnico actu internæ æsti-
mationis Deum decentis perficitur, solúmque pos-
sunt æstimatio, & cultus, ratione, aut denomination-
ne distingui. Sæpe verò actus aliquis exercetur di-
stinctus ab æstimatione, & in ordine ad illam, non
tamen semper ad generandam, aut perficiendam il-
lam, vel in nobis, vel in aliis, sed ad exercendam il-
lam in laudem, vel honorem eius, quem sic æstima-
mus. Vt hoc modo æstimatio perficiatur, & quasi cō-
summetur in ratione gloriæ, quæ debet esse bona fa-
ma cum laude, id est, cum significatione, & testifica-
tione illius bonitatis; vel excellentiæ, quam de alio
conceptam habemus. C

8. Obiectio. Dices, hoc quidem habere locum inter homines, vt saltem ei, quem honoramus, significemus bonã æsti-
mationem, quam de illo habemus: in Deo autem mi-
nimè, cum ipse mentem nostram intueatur: ergo, si
actio, qua significamus excellentiam Dei, non ordina-
tur ad notificandam, vel manifestandam illam homi-
nibus, superflua est, nec potest habere verã rationem
virtutis, de cuius ratione est, vt ad finem intrinsecum
Soluitur ob- iectio. conuenientem tendat. Respondetur ex dictis, signifi-
cationem non semper ordinari ad nouam cognitio-
nem gignẽdam in se, vel in alio: sed sæpe fieri ad exer-
cendam, & profitendam interiorem cognitionem.
Quod practicè, & moraliter loquendo sæpe est con-
ueniens in ordine ad alios, vel vt ipsi, quam nos
habemus de Deo opinionem, agnoscant, vel vt simi- D
lem concipiant, vel ad eam exercendam excitentur: nã
totum hoc pertinet ad gloriam Dei & ita totum cadit
sub munus Religionis. Aliquando verò illud officiũ
confert ad conseruandam in operante, vel augendã,
vel actuandam illammet existimationem, quam de
Deo habet, & maximè ad accendendum ipsummet
affectum deuotionis ad Deum.

9. Addo denique, etiam seclusis his effectibus, qui
proprij videntur huius vitæ, vsum talium actuum, vel
signorum respectu Dei, esse conuenientem per se se,
& non tantùm propter alicuius vtilitatem, sed pro-
pter ipsammet Dei gloriam, quæ per se se appetibilis
est. Tum quia illam Deus intendit in operibus omni-
bus suis, & illam maximè à nobis postulat in omnibus
scripturis, præsertim in Psalmis, & epistolis Pauli, E
adeò vt omnia velit in gloriam Dei fieri, 1. ad Co-
rinth. 10. & ideò hæc gloria in æternum duratura di-
citur, nam hoc est præcipuum beatorum officium, vt
in Apoc. passim describitur. Tum etiam, quia non po-
test homo, vel intellectualis creatura aliud veluti tri-
butum Deo reddere ratione suæ seruitutis, & hoc est
valdè accommodatum, & rationi consentaneum, vt
homo seruitutem Deo debitam, & mente, & opere,
& affectu recognoscat & prout potest exerceat.

CAPVT VIII.

Corollaria ex præcedenti doctrina, quibus materia diuini cultus magis explicatur.

EX dictis constare in primis potest, materiam Religionis comprehendere, & cõuenientem de Deo æstimationem, & actus alios, quibus illa manifestatur, aut quouis modo significatur. In priori consistit bonum Dei nomen, seu fama, quam in nobis habet; in posteriori consistit honor, quem illi exhibemus, (sub honore comprehendendo adorationem, laudem, & omnia similia,) & vtrunque horum amplectitur Religio in sua proxima materia, quatenus ex vtroque diuina gloria consurgit: & ideò in scriptura hæc omnia quasi pro eodem accipiuntur. Atque hinc etiam fit, vt præter internam de Deo æstimationem, quæ requiritur in ratione cognitionis, reliqui omnes actus solùm cadant sub materiam Religionis, & veniant in vsum eius in ratione signi non naturaliter repræsentantis ex aliqua impositione, vel voluntate hominis cum aliquo fundamento in ipso actu, vt statim explicabimus. Hoc autem signum interdum oportet esse publicum, id est, publicam, & aliis notam significationem habens, quando scilicet, ita oportet exhibere Deo honorem, vt vel communi omnium nomine fiat, vel certè expediat aliis esse manifestum. Aliquando verò sufficere potest signum priuatum, id est, proprio hominis arbitrio, & quasi impositione sumptum ad talem sui animi significationem, vt quando cultus priuatus est, & inter solum hominem, & Deum fit: nam cum Deum latêre non possit aliquis modus locutionis, vel significationis, respectu illius quilibet sufficiens est. C

1. Proxima Religionis materia æstimationem, & actus alios illam manifestantes cõprehẽdit, hi in ratione signi, illa in ratione cognitionis requiritur.

Atq; hinc vlteriùs sequitur tàm internos actus hominis, quàm externos posse esse materiam proximam Religionis. Possunt autem exteriores actus appellari, vel illi tantùm, qui per corpus, aut res corporales exercentur; vel etiam illi, qui licet sint intra animam, sunt tamen extra voluntatem: vel generaliùs etiam illi, qui licet sint in voluntate, sunt tamen extra ipsam virtutem Religionis, id est, non sunt ab ea eliciti, de qua distinctione dicemus plura libro sequẽti. Nunc primo modo magis communi, & vulgari accipimus exteriorem actum, & interiorem, prout ab illo distinguitur. Non est autem existimãdum, quemlibet actum exteriorem, vel interiorem esse posse materiam Religionis: sed illum, qui habet proportionem, vt ratio cultus, & significatio diuini honoris in eo fundari possit; quod non habent actus, verbi gratia mali, neque omnes indifferentes, vt deambulare, aut similes, vt per se notum est. Duobus autem modis potest aliquis actus esse proportionatus ad officium Religionis, vt sumitur ex D. Tho. art. 1. ad 1. Vnus est, si talis actus habeat ex se aliquam honestatem in alio genere virtutis, ratione cuius ordinabilis sit ad cultũ religiosum. Et hoc modo ait D. Tho. opera misericordiæ esse posse materiam religionis, quatenus per illamet opera potest honorari Deus, si per Religionem ad hoc referantur. Alius modus est, quãdo actus, licet ex se non habeat peculiarem honestatem, sed indifferens sit, habet nihilominùs proportionem ad dictam significationem.

2. Tam interni actus, quam externi possunt esse materia proxima Religionis.

D. Thom.

Circa priorem tamen modum dubitari potest, an quilibet actus honestus, hoc ipso, quòd honestus est, possit esse apta materia Religionis: Multi enim videntur esse actus ad hunc finem improportionati, licet aliàs honesti sint, vt verbi gratia, studere, temperatè comedere, debitum ex iustitia soluere, & similia. Nihilominùs dicta disp. 5 1. sect. 2. in fine, oppositum

3. Quilibet actus honestus est apta Religionis materia.

situm tanquam probabilius defendi, ex illo Pauli 1. ad Corinth. 10. *Omnia in Dei gloriam facite.* Quam sententiam D. Thom. & Augustini esse ostendi. Nunc autem addere possumus locum D. Thom. 2. 2. qu. 104. art. 3. ad 1. vbi vniuersaliter inquit, *Obseruationem præcepti, seu obedientiam, quatenus procedit ex reuerentia Dei, sub Religionem cadere.* Intelligit autem cadere, tanquam materiam Religionis, seu deuotionis. Per obedientiam verò intelligit, vel quancunque studiosam præcepti obseruationem, vel illam maximè, quæ formaliter respicit complementum voluntatis Dei: nam tunc præcipuè videtur obedientia procedere ex reuerentia Dei. Ex hoc ergò infero, omnem actum honestum, hoc ipso quòd honestus est, habere in se fundamentũ, vt in diuinum cultum assumi possit. Nam si absolutè præceptus sit, eo ipso habet illam proportionem, quam considerauit D. Thom. & quamuis nõ sit præceptus absolutè semper est aliquo modo præceptus, saltem quoad specificationẽ, id est, vt si talis faciendus sit, tali modo, & cum talibus circunstãtiis, taliq; rectitudine fiat. Quoties ergò homo operatur aliquid seruans, & respiciens honestatem eius, prout ad actum virtutis est necessarium, implet aliquod præceptum diuinum, ergò eò ipso potest referre opus illud in diuinum honorem.

D. Thom. *D. Augus.*

4. Nihilominùs tamen considerari circa hoc potest distinctio aliqua inter varios virtutis actus. Nam multi illorum in hoc nihil habent speciale in ordine ad Deum, præter generalem rationem honestatis, aut præcepti, & quòd tendunt in Deum tanquam vltimum finem, quod etiam ad diuinum honorem spectat, & huiusmodi sunt suprà numerati. Alij verò sunt actus honesti, qui non solùm ex dictis rationibus cõmunibus, sed etiam ex propriis, & peculiaribus modis habent maiorem proportionem ad cultum, vel adorationem Dei, & huiusmodi esse videntur inter actus internos, actus fidei, timoris, spei, atque etiam charitatis: inter externos verò, fortiter, & patienter ferre aliquid propter Deum, & actus misericordiæ, vt in citato loco latiùs explicuimus.

5. Actus interni orationis & promissionis, vt sunt materia Religionis proxima, primã honestatẽ habent ex diuino cultu.

Circa alium modum, quo potest actus non habens aliam honestatem, esse proportionatus ad Dei cultum, dubitari potest an hoc contingat in solis externis actibus, vel etiam in internis. Nam in interioribus difficile videtur inuenire huiusmodi actum, in quo prior aliqua honestas non requiratur. Nam deuotio, cui hoc maximè tribui posset, non est propriè materia Religionis, sed potiùs actus proximè elicitus ab illa, quod longè diuersum est, vt infrà videbimus. Tantùm ergò videntur esse actus interiores hoc modo proprij Religionis, vel mentalis oratio, vel promissio aliqua interior sola etiam mẽte facta. In vtroque autem istorum actuum videtur requiri aliqua prior honestas. Nam vt Religio velit aliquam orationem offerre Deo, supponit, & requirit, illam esse de re honesta, & ex affectu recto, & cum circunstantiis debitis; ergò supponit in tali opere aliquam propriam honestatem, sine qua non esset aptum, vt in cultum Dei fieret. Atque idem cum proportione est de promissione. Nihilominùs tamen rectè dici potest, hos actus ita esse materiam proximam Religionis, vt prima honestas obiectiua illorum sit diuinus cultus, quamuis in aliis materiis, in quibus ipsi versantur, aliam honestatem supponant. Est enim attentè considerandum, Orationem, (quæ est materia Religionis) habere aliam materiam, in qua ipsa versatur; nam est petitio alicuius rei: & idem est de promissione. Quamuis ergo in ea re, quæ petitur, vel promittitur, supponi possit alia honestas, in ipsa tamen oratione, vel promissione, non necessariò supponitur, sed per se primò, & immediatè ad Religionem pertinere potest, vt velle, vel vouêre paupertatem, solùm ex intentione cultus, & sic de aliis, vt latiùs in propriis locis declarabitur.

In actibus autem exterioribus faciliùs inuenimus huiusmodi materiam, nam sacrificium, genuflexio, & similes sunt materia valdè propria huius virtutis, quæ per sese ad aliam virtutem non spectat, neque alterius honestatem participat: In ordine verò ad voluntatem religiosam, habet efficientem honestatem obiectiuam, vt in ea meritò versari possit. Hæc autem honestas fundatur in hoc, quòd illi actus sunt proportionati, & secundùm rectam rationem accommodati ad cultum Dei significandum. In quo supereſt aduertendum significationem talis actus ex volũtate, seu institutione diuina, vel humana prouenire, quia non est merè naturalis, vt per se notum est, & latè declaraui in 3. tom. disp. 73. de sacrificio in genere. Vbi ostendi hanc impositionem in sacrificio propriè dicto debere fieri auctoritate publica, quia cultus, & significatio publica sunt. In priuato autem cultu, seu adoratione fieri potest impositio, priuata voluntate operantis, contraria ratione. Quia verò talis impositio non ita est ad placitum, quin debeat esse prudens, & cum aliquo fundamento in re, ideò in tali materia semper supponitur decentia, & aptitudo ad talem vsum, & significationem. Hæc autem decentia sumi potest, partim ex natura ipsius actionis: oportet enim vt per se sit decens, & modum aliquem subiectionis præ se ferat, vt in genuflexione per se statim apparet: partim ex communi vsu, & apprehensione hominum vtentium similibus actionibus ad significationem honoris, vel præeminentiæ, nam tunc mutata intentione, facilè possunt accommodari, & eleuari ad diuinum cultum, si per accidens aliquid non obstet.

6. Externorũ actuũ, & qui sunt propria materia Religionis, significatio prouenit ex hominũ voluntate cum fundamẽto.

CAPVT IX.

Quomodo ratio debiti pertineat ad formale obiectum Religionis.

RAtio dubitandi esse potest, quia Religio non solùm reddit Deo cultum debitum, sed etiam non debitum: nam reddit, verbi gratia, cultum per votum, quod merè voluntariũ est, & non debitum. Quanquã enim soluere votum debitum sit, tamẽ facere non est debitum, cũ sit religiosus cultus. Itẽ oratio non solũ est ex Religione, quãdo est debita, sed etiã quando est omnino spontanea: ergo signum est, rationem debiti non cadere formaliter in obiectum Religionis, sed materialiter, seu per accidens, sicut cadere potest in materiam temperantiæ, quæ non minùs exercet abstinentiam voluntariam, quàm præceptam. Aliàs distinguere oportebit duplicem Religionem, vnam, quæ reddat formaliter: aliam, quæ præbeat cultum merè liberaliter, sicut inter homines circa tribuendas pecunias, alia est virtus, quæ soluendo debitum, illas reddit, alia, quæ omninò liberaliter donat. Rursus intra rationem debiti plura obiecta formalia distingui poterunt, sicut inter homines, aliud est debitum gratitudinis, aliud fidelitatis, aliud iustitiæ, quæ in formalibus rationibus obiectorum adeò distincta sunt, vt virtutes etiam distinguant, ergo eisdem modis distingui poterit debitum respectu Dei, ita vt aliquod esse intelligatur omnino rigorosum ex speciali iure Dei ad talem rem, vel actionem, aliud verò ex gratitudine tantùm, vel alio simili modo. Hæc autem non censentur formalia in obiecto Religionis, cum illam non distinguant, ergò nec ipsa ratio debiti pertinet ad formalitatem obiecti eius.

1. Quæstionis status aperitur.

Debitũ potest esse ex variis titulis.

Nihilominùs communis vox omnium est, reddere

2.

Statuitur proprium, & adæquatum Religionis munus esse, reddere Deo debitum cultum.

Deo debitum cultum esse proprium, & adæquatum munus Religionis, vt constat ex D. Thom. in dicta qu. 81. ferè in omnibus articulis. Nam in primo, hac ratione dicit appellatam esse Religionem, quia alligari debemus Deo, tanquam indeficienti principio. Et in solutione ad 3. hoc munus Religionis vocat specialem seruitutem ad Deum: constat autem, seruitutem debitum intrinsecè includere. Et in solutione ad 4. ait specialem rationem honoris, & cultus Deo deberi, cui attendit Religio. Et art. 2. ait ad Religionem pertinere, reddere honorem debitum Deo. Vbi Caiet. aduertit, hunc esse adæquatum actum, seu materiam proximam Religionis. Idem repetunt sæpè D. Thom. & Caiet. in cæteris articulis. Soto ibidem, Aragonius, & alij, tum ibi, tum etiam supra quæst. 57. art. 4. Ergo signum est, rationem debiti attendi formaliter in obiecto Religionis, seu (quod idem est) formaliter intendi ab ipsamet religione, quando munus suum exercet. Ratione ostendi potest, nam munus iustitiæ est, reddere debitum: Religio autè est pars potestatiua iustitiæ, ergo. Præterea ideò diximus, Deū sub ratione primi principij obiici Religioni, vt in eo spectetur aliqua ratio, ob quam honor ei debeatur, ergo honor, & cultus Dei non cadit in Religionem, nisi vt ei debitus.

D. Thom. *Caiet.* *Soto.* *Aragon.*

3. Declaratur magis proposita doctrina.

Declarari præterea potest in hunc modum, quia homo nihil potest tribuere Deo per modum liberalitatis, quia cum sit seruus, & omnia, quæ habet, vel operatur seruus, sint magis domini, quàm sua; nō potest liberalitatem circa dominum exercere: quidquid ergo facit in obsequium eius, facit per modum debiti, quia inter donationem, seu officium merè liberale, ac debitum, non est medium. Vnde in hoc cernitur magna differentia hominis ad Deum, & hominum inter se, propter quam inter homines, præter virtutes ad alterum, quæ soluunt debita, datur virtus liberalitatis: respectu verò Dei nulla datur virtus, quæ in modo operandi, liberalitatem imitetur. Tùm quia liberalitas propriè dicta, vt respicit alios, videtur respicere vtilitatem illorum, & versari in his rebus, quæ in eorum dominium transferri, vel in eorum commodum expendi possint; hæc autem respectu Dei locum habere non possunt. Tùm etiam, quia in modo operandi ita se habet liberalitas, vt in vsu pecuniæ, vel donatione alicuius rei, non consideret in altero conditionem aliquam, quæ vel minimam rationem debiti personalis inducat ad talem donationem. Nunquam autem homo ita operatur circa Deum, & ideò dicimus, nullam esse virtutem hominis ad Deum, quæ in modo conferendi aliquid, liberalitatem intendat. Cum ergo Religio sit virtus, per quam homo aliquid Deo retribuit, necesse est, vt id faciat sub aliqua ratione debiti.

4. Debitū à D. Thom. in legale, ac morale diuiditur.

Ad soluendas autem difficultates priori loco positas, distingui solet duplex debitum: vnum legale, & alterum morale ex D. Tho. 2.2.q. 80. vbi ait debitum legale esse ad quod reddendum aliquis lege astringitur, morale verò, quod aliquis debet ex honestate virtutis, in quo dicit esse latitudinem nam aliquando est tantum hoc debitum, vt sine illius obseruatione non possit honestas virtutis conseruari; aliquando verò tale debitum solùm confert ad maiorem honestatem. Dicunt ergò aliqui, debitum Religionis non esse legale, sed morale: quod interdum potest esse necessarium ad honestatem morum, interdum verò solùm ad melius esse, & ita satis fieri putant difficultatibus positis, quæ ad summum probant hoc debitum non esse legale. Et confirmari, ac declarari amplius potest hæc responsio. Quia reddere Deo illud legale debitū formaliter, ac propriè, est virtutis obedientiæ, ergo non pertinet ad Religionem. Vnde etiā quando aliquis audit sacrum in die festo, si opus illud formaliter consideretur solùm, vt præceptum est, & sub illa ratione fiat, non propriè ex Religione, sed ex Obedientia fit: è contrario verò si fiat formaliter ad reddendum Deo cultum illi debitum ratione suæ excellentiæ, est actus Religionis. Superest ergò, vt cum dicimus, rationem debiti pertinere formaliter ad obiectum religionis, intelligendum sit de debito morali, quod per se separabile est à priori, & solet esse fundamentum eius, vt in aliis etiam præceptis, ac virtutibus videre licet. Sic enim dicunt Theologi, moralia præcepta fundari in bonitate debita ipsis rebus, vel actionibus, ac subinde quædam opera esse prohibita, quia mala sunt, id est, quia carēt bonitate debita: sunt ergo talia opera præcepta propter intrinsecam bonitatem sibi moraliter debitam, sicut colere parentes, ideò præceptum est, quia ex se bonum est, & moraliter debitum parentibus: est ergo morale debitum à legali distinctum, & prius illo: sic ergo potest attendi erga Deum per virtutem Religionis.

5. Obiectio insurgit.

Dicet verò aliquis, hoc genus debiti moralis commune esse omni virtuti, maximè quoad aliquos actus, qui natura sua habent bonitatem tàm necessariam homini, vt ex illa sequatur obligatio præcepti, vt notauit Caiet. infra q. 104. art. 2. ad 1. cum D. Thom. ibi; ergo nihil in hoc habet speciale Religio, vt ei hoc debitum tribuatur tanquam pertinens ad formalitatem sui obiecti. Respondeti potest, hoc debitum morale spectandum esse iuxta exigentiam materiæ, in qua virtus versatur. Nam re vera omnis virtus aliquo modo versatur circa debitum, quia omnis virtus seruat modum, speciem, & ordinem, vt ex Augustin. sumitur, quem hic D. Thom. art. 2. citat, & ex ratione boni, quam virtus per se respicit, hæc autem includunt aliquam rationem debiti, secundùm cōuenientem proportionem vnius rei ad aliam. Sed in hoc est diuersitas inter virtutes morales, quæ solùm ad operantem, vel ad alterum pertinent. Nam priores solùm respiciunt debitum secundùm conuenientiam talis materiæ ad propriam naturam rationalem; posteriores verò respiciunt debitum, secundum ius, vel conditionem alterius personæ rationalis, vel intellectualis, considerata etiam conditione operantis, comparatione illius. Et secundùm hunc respectum ad alterum intelligitur ratio debiti, quando de his virtutibus loquimur. Variatur autem hoc debitum iuxta conditiones, & proportiones personarum, & ideò quatenus est hominis ad Deum, habet specialem rationem, quam virtus Religionis formaliter respicit.

Caiet. *D. Thom.*

Respōdetur obiectioni iuxta aliorū sententiam.

D. August. *D. Thom.*

6. Cōcluditur debitū Religionis esse legale.

Veruntamen licet hæc explicatio debiti moralis communis sit: tamen applicatio eius ad virtutem Religionis, & responsio etiam, iuxta distinctionem datam, apertè est contra mentem D. Thom. citato loco. Nam potiùs ibi distinxerat virtutes, quæ non deficiunt à proprietate iustitiæ in ratione debiti, ab illis, quæ in hoc patiuntur defectum. Et sub priori membro comprehenderat Religionem, & totum illud pertinere dicit ad debitum legale; sub posteriori autem membro complectitur virtutes, quæ solùm reddunt debitum morale in ordine ad alterum: debitum ergò Religionis ex sententia D. Thomæ legale est nō minùs, quàm debitum iustitiæ ad homines. Imò ex suo genere maius debitum est, sicut debitum pietatis inter homines, legale etiam est, vt ibidem docet D. Thom. & maius, quàm sit debitum iustitiæ ad homines, vt rectè notauit Caietanus 2.2. qu. 57. art. 4. & ibi Soto, & alij Doctores. Debitum autem ad Deum maius est, quàm ad parentes. Non dicitur autem hoc debitum legale, quia per legem constituatur, aut quia formaliter consideretur, vt est obligatio legis, & obedientiæ, vt in priori responsione insinuabatur, sed dicitur

D. Thom. *Caietan.* *Soto.*

citur legale, quia hoc debitum est, quod maximè at- A tendunt leges Reipublicæ. Id enim, quod hoc modo est debitum, vnicuique debetur ex proprio iure inuento in ipso: maximè autem interest bono Reipublicæ, & paci eius, vt hoc ius illæsum cõseruetur. Religio ergò hoc modo reddit cultũ Deo iure proprio illi debitum, & ideò debitum eius non vtcunque morale, sed proprium, & legale est.

7. Vera solutio propositæ obiectionis: & explicatur quale sit Religionis debitum.

Vt autem difficultati positæ satisfaciamus, aduertendum est, quanquam hoc debitum non sit semper tale, vt ex eo nascatur in singulis actibus obligatio præcepti, tale tamen esse, vt per singulos Religionis actus possit aliqua ex parte solui, & expleri: idq; satis est, vt talis virtus possit respicere rationem debiti. Sicut, verbi gratia, qui ex iustitia aliquid debet, etiamsi B soluat ante tempus, pro quo obligatur, verè soluit debitum, & intuitu illius operatur, vel si in cõmuni debeat aliquid, quod possit in hoc, vel illo opere, vel in hac, aut illa re præstare, quamuis spontaneè hoc, vel illud faciat, nihilominùs debitum soluit, & intuitu illius operatur. Ita ergò intelligendum est, fieri in actibus Religionis, quamuis spontanei videantur. Neque inde fit, vt materia, vel debitum Religionis exhauriri possit. Quia huic virtuti peculiare est, vt debitum eius nunquam possit impleri solutione; tum quia debitũ quodammodo infinitum est, tum etiam, quia ipsa solutione crescit, nam per eam nouum beneficium homini confertur. Quod non ita est in iustitia ad homi- A nem, nam per solutionem eius potest ita finiri debitum, vt locum iam non habeat iustitiæ exhibitio. Per actus autem Religionis nunquã potest homo exhaurire debitum, quod ad Deum habet, siue in gratiis agendis, siue in quolibet alio cultu deferendo.

8. Debitũ Religionis magis explicatur.

Aliter etiam potest hoc debitum Religionis explicari, vt non tàm intelligatur esse in exercitio actus, quàm in specificatione illius. Dicitur enim actus debitus quoad exercitiũ, quando vrget obligatio exercendi illum, quæ obligatio non semper coniuncta est cum honestate actus, quia rarò sequitur ex illa præcisè considerata, sed ex speciali præcepto vel ex speciali necessitate. Quoad specificationem autem dici potest actus debitus alicui personę, quando talis persona ratione suæ excellentiæ, vel alio simili titulo iure suo postulat talem actum, qui licet non semper necessarius sit, tamen & aliquando esse potest, & saltem semper est necessarium non operari contra tale debitum.

Per hæc igitur sufficienter explicata videtur assertio posita, & solutæ difficultates omnes in principio positæ præter vltimam, quæ in præsenti non potest sufficienter explicari. Postulat enim illa difficultas, an sub hac ratione generali cultus Deo debiti, contineãtur variæ rationes debiti, adeò diuersæ, vt sufficiant actus morales specie distinguere: & consequenter, an ex his actibus diuersi etiam habitus generentur. Vtrunque autem horum commodiùs examinabimus in libris sequentibus. 9.

INDEX CAPITVM LIBRI SECVNDI DE ACTIBVS VIRTVTIS RELIGIONIS IN GENERE.

Cap. 1. De interioribus actibus proximè à Religione elicitis.
Cap. 2. De actibus externis Religionis.
Cap. 3. An cultus externus à Religione imperetur.
Cap. 4. Habeátne Religio actus proprios specie inter se diuersos.

LIBER SECVNDVS,

DE ACTIBVS RELIGIONIS IN GENERALI.

DE *his actibus nihil in communi disseruit D.Thom.in d.qu.81.sed statim in qu.82. incipit agere de actibus huius virtutis in particulari. Nobis autem ad maius doctrinæ complementum, maiorémque claritatem, necessarium visum est,pauca de his actibus generatim præmittere; Sic enim posteà in singulis breuior, & facilior erit doctrina,meliúsq; ipsius virtutis essentia, & vnitas explicari poterit. Nam Religio habitus operatiuus est,vnde à suis actibus speciem sumit,sicut cæteræ virtutes, & potentiæ: Breuiter igitur præoculis ponemus huius virtutis actus, secundùm generales rationes eorum; singulorum verò considerationem,secundùm proprias rationes eorum,posteà suis locis trademus.*

CAPVT PRIMVM.

De Interioribus actibus proximè à Religione elicitis.

1. DVPLICES esse solent virtutum moralium actus, interni scilicet, & externi. Quoniam verò hæ voces, varias habẽt significationes, vt suprà attigi, in præsenti,per internos actus solùm intelligimus eos,qui proximè,ac per se fiũt,vel fieri possunt ab ipso habitu,procedũntq; ex immediata inclinatione ipsius,quando ex habitu fiunt, aut si illũ præcedãt, ipsum secum afferunt, vel efficiendo, vt in acquisitis, vel proximè ad illum disponendo,vt in infusis.Externos autem actus voco omnes illos, qui non fiunt ab habitu,nisi mediantibus his prioribus actibus. In hoc ergò capite solùm de prioribus agimus, de aliis dicemus posteà: nam abstractior consideratio communis vtriusque necessaria non est, neque vtilis, quia non habent rationem communem, sed valdè analogam, vt ex dicendis constabit, & ex generali doctrina actuum humanorum,quæ traditur in 1.2.quæ.18. notum esse debet.

2. Interior Religionis actus est voluntatis supponẽs rationis iudiciũ.

Dico ergo primò, Interiorem actum Religionis esse actum voluntatis, qui supponit superioris rationis iudicium. Hoc notum est ex dictis de obiecto, & munere Religionis. Nam ad cultum debitum Deo reddendum, duo necessaria sunt. Vnum est, agnoscere tale debitum, ideóque iudicare Deo esse reddendum: Aliud est voluntas soluendi tale debitum, exhibendo cultum illi proportionatum, & ex his duobus sequitur executio ipsius honoris, & cultus quæ ad exteriores actus iam pertinet. Primum pertinet ad intellectum, siue operantem per naturale lumen, siue per fidem, vel per prudentiam, de quo posteà. In illo autem actu non consistit Religio, sed est præuius ad Religionem, sicut ad omnem virtutem moralem antecedit iudicium, de agendis in tali materia, cum quo iudicio stat hominem non operari virtutem, si nolit, vel etiam contrarium operari, si velit, quamuis hoc moraliter non contingat sine aliquo defectu in ipso iudicio. Et ita in præsenti materia potest quis rectè iudicare de cultu Deo reddendo, & illum non reddere.

3. Argumentũ contra datã doctrinã de iudicio rationis.

Dices.Quando homo circa hoc rectè iudicat,conuenientem habet æstimationem de excellentia Dei: nisi enim hanc habeat, non potest rectè iudicare de honore illi debito: diximus autem suprà,ipsam debitam æstimationem de Deo, esse quendam cultũ eius, ergò qui illam habet, iam Religionis actum exercet.

Respõdetur ad Argum. D. Iacobus cap. 2.

Respondeo,hîc optimè accommodari,quod Iacobus ait cap.2. *Quid proderit, fiquis dicat, fidem se habere, & opera non habeat? nam & Dæmones credunt, & contremiscunt.* Sic enim nos dicimus, ad officium Religionis, existimationem parùm prodesse sine voluntate.Conueniens enim de Deo existimatio, obiectiuè pertinet ad cultum Religionis, formaliter autem non continebit cultum,nisi ex intentione honorandi, & colendi Deum,voluntariè exerceatur.

4. Posita assertio declaratur, & probatur.

Relinquitur ergò, vt internus actus Religionis, voluntatis proprius sit. Est ergò affectus quidam ad diuinum cultum,qui si sit perfectus & efficax,erit voluntas illa,quæ mouet cæteras potentias ad exhibendum actus,quibus colitur Deus.Probatur,quia hic est actus primus huius virtutis,& ab illo cæteri manant, ergò hic est proprius internus actus eius. Atque hoc confirmari potest ex ratione virtutis moralis, quæ est ad alterum: nam ex propria materia habet, vt ad voluntatem primò pertineat. Quod maximè verum est in virtute Religionis, tum propter excellentiam personæ, cuius honorem procurat, tum etiam propter ipsam rationem cultus,& honoris,quęvalde spiritualis est, & ideò non nisi per rationem ptoponi, & per voluntatem intendi potest. Nec circa hanc partem difficultas vlla occurrit.

5. Probabile est dari actũ Religionis naturalem.

Dubitari verò potest, an hic actus Religionis naturalis sit, vel infusus, seu supernaturalis, vel in hæc duo membra sit distinguendus. Ad quod breuiter respondeo, primò possibile est dari aliquem actum naturalem, quo voluntas sola recta ratione naturali regulata, velit debitum cultum dare Deo, tanquam aucto-

auctori,& principio suæ naturæ. Nam per se loquendo, hoc obiectum naturali ratione cognosci potest, ergò honestas eius naturalis est: ergò voluntas per naturalem actum potest illam velle, & exequi. Antecedens est D. Thom. dicta q. 81. art. 2. ad 3. & Caiet. ibi, dicentium reddere Deo debitum cultum, esse de dictamine rationis naturalis, licet determinatio ad hunc, vel illum modum colendi Deum, sit ex lege diuina, vel humana: de qua re in 3. p. sæpe dixi, tractando de sacrificio, & sacramentis. Hoc ergò satis est, vt honestus actus Religionis possit esse naturalis.

D. Thom. Caiet.

6. Ad actum Religionis naturalē an requiratur specialis Dei gratia.

Nec modò disputo, an requiratur aliquis modus gratiæ, vel specialis prouidentiæ Dei ad perficiendum talem actum cum omnibus requisitis circunstantiis: nam hæc quæstio communis est omnibus actibus moralibus, licet in hoc videatur habere nonnullam specialem difficultatem propter maiorem nobilitatē eius. Nihilominùs communis doctrina, quæ de reliquis dari solet, in hoc etiam locum habet, quòd nimirum per se, & ex ratione specifica talis actus, ad illum non requiritur gratia, quia licet nobilis appareat, non excedit nobilitatem voluntatis, & rectæ rationis naturalis, & hoc præcipuè modo, dicimus illum esse actum naturalem. Ad illum enim lex naturæ obligat, nam ob hoc Paulus ad Rom. 1. Gentes reprehendit: *Quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt.* Lex autē naturalis nonnisi ad actus naturales obligat. Vnde in natura integra certum est, potuisse esse talem actum per vires naturæ. In natura verò corrupta, alia ratio est propter impedimentum peccati. Et saltem est verum, non posse esse perfectum ex vero Dei amore super omnia, cum perseuerātia, & sine admistione errorum, & superstitionum absque auxilio gratiæ. An verò supposita naturali cognitione veri Dei, possit semel, aut iterum ille actus haberi sine speciali gratia, alia quæstio est, quæ ad præsens non spectat.

D. Paul. ad Rom. 1.

7. Perfecta voluntas colendi Deum fideli cultu est supernaturalis.

Secundò verò dicendum est, voluntatem perfectam colendi Deum fideli cultu, esse per se infusam, atque in sua specie supernaturalem. Potest autem distinctio huius actus ab alio, ciúsque supernaturalitas ex triplici capite considerari, scilicet ex parte Dei, ex parte materiæ, & ex formali honestate, seu conformitate ad rationem. Primum patet, quia per actum naturalem colimus Deum, vt principium naturæ: per actum autem infusum colimus Deum, vt est primum principium gratiæ, & finis supernaturalis. Vnde nostro modo concipiendi, apprehendimus Deum quasi sub excellentiis diuersarum rationum, & ordinum, quod satis est ad distinguendas voluntates colendi Deum. Secundum patet, quia materia, quâ colitur Deus per actum merè naturalem, est tantùm naturalis ordinis: materia autem posterioris voluntatis infusæ, aliquando est supernaturalis, qualis est, *Captiuare intellectum in obsequiū Christi*, 2. Cor. 10. & in vniuersum, actus Fidei, Spei, & Charitatis, quatenus aliquādo possunt imperari ex voluntate colendi Deum. Item sacrificium, & sacramenta à Christo instituta, & similia, materiam continent supernaturalem. Actus ergò voluntatis, qui circa illam versatur, si illi proportionatus sit, non est merè naturalis.

8. Virtutes morales acquisitæ, ab infusis distinguuntur.

Tertium patet ex ratione communi omnibus virtutibus moralibus per se infusis, quæ iuxta veriorem sententiam, ab acquisitis distinguuntur, etiamsi in eisdem materiis versentur, propter honestates diuersarum rationum, quæ in eis cerni possunt ex conformitate ad dictamen rationis supernaturaliter illuminatæ, vel (quod perinde est) per conformitatem ad naturam rationalem secundùm se, vel ad naturam eleuatam per gratiam ad participationem diuinæ naturæ, vt videre licet apud D. Tho. 1. 2. q. 63. art. 3. & 4.

D. Thom.

A & Expositores ibi. Hęc igitur distinctio in actibus Religionis locū habet, quia licet honestas Religionis dicatur sumi per comparationē ad aliū, scilicet Deū mō tamen excluditur coparatio, & conformitas ad ipsum operantē, quem Religio ordinat ad Deū, & ideò sicut in ipso homine quodāmodo sunt duæ formę diuersorum ordinum, scilicet naturæ, & gratiæ, ita & honestates, & actus colendi Deum sunt ordinū diuersorū.

9. Actus non esse supernaturales ex obiectis principijs.

Alij contenti sunt distinguendo hos actus ex parte principiorum, ita vt vnus sit naturalis solum, quia à naturali principio procedit, tanquam proportionatus illi: alius verò sit supernaturalis, quia procedit à principio supernaturali, etiamsi ex parte obiecti nihil amplius, neque alio modo sit volitum per vnum actum, quàm per alium. Sed (quicquid sit, an simpliciter sit possibilis talis distinctio actuum) mihi numquam visa est apta ad actus gratiæ explicandos, tum quia nulla est necessitas, vel ratio exigendi supernaturales actus, quando ipsa obiecta illos non requirunt, neque hoc est iuxta prouidentiam debitam, & consentaneam rebus ipsis, tum etiam quia principia connaturalia his actibus, sunt habitus, qui potius ex actibus distingui debent, quàm è conuerso, loquendo de formali, seu essentiali distinctione, & primaria: quamuis in existentia (vt sic dicam) distingui possit actus ex habitu, tanquam ex causa efficienti, sed de hoc latius in materia de gratia.

B

10. Actus Religionis ex diuerso modo tendendi in obiectum distinguuntur.

Aliter diuidi potest actus Religionis vtriusque ordinis, id est, tàm infusus, quàm naturalis, ex diuersis modis, quibus voluntas solet tendere in bonum, vel auerti à malo, nam eisdem modis potest Religio operari circa suam materiam: est enim eadem ratio. Illi autem modi operandi, vel sunt communes appetitui sensitiuo, & rationali, vt *Amare*, *desiderare*, *delectari*; vel includunt propriū modum appetitus rationalis, vt sunt *Intendere*, & *eligere*; sic ergò potest Religio habere actum amoris simplicis complacentiæ in diuino cultu per se spectato, & in honestate, quæ in actu ipso colendi Deum inest, & consideratur: potest item habere propositum, & intentionem colendi Deum, in omnibus, & ad hunc finem eligere media. Præterea potest habere voluntatem, qua per modum

C

D vsus actiui applicet corporis membra, aut vtatur aliis rebus, aut potentiis ad exercendum ipsum cultum Dei. Potest, denique de ipso, & in ipso, actuali cultu delectari propter ipsum honorem Dei. Nam per omnes hos actus tendit voluntas in eandem honestatem Religionis, licet diuerso modo propositam, aut applicatam, omnésque illi actus ita sunt inter se connexi, vt vnus ex alio oriatur; ideóq; non est dubium, quin omnes ad eandem virtutem pertineant, quidquid sit de Physica distinctione eorum inter se. Idémque dicendum est de actibus, quibus voluntas vult vitare malum immediatè oppositum honestati diuini cultus, seu quibus fugit carentiam illius boni.

11. Quomodo actus Religionis ex parte materiæ distinguantur.

Circa hos ergò actus, quantum ad modum, & distinctionem formalem ex parte voluntatis, nihil speciale occurrit aduertendum, sed applicanda est generalis doctrina, quæ ex 1. 2. supponitur. Ex parte verò materiæ, licet considerare, quosdam actus voluntatis proximè imperare ipsum cultum Dei, vt est v. g. voluntas sacrificandi, vel orandi, alios verò solùm imperare, vel eligere aliquid ordinatum ad cultum Dei, vt est, v.g mundare vasa, quibus sacrificandum est. Nam licet hæ actiones, quæ ad alias ordinari videntur, possint ab ipso operante immediatè referri, vt per illas honorificetur Deus, & vt ipsamet sint signa subiectionis debitæ, & exhibitæ Deo: nihilominùs illa ordinatio est quasi extrinseca ex parte ipsius operantis; propria autem ratio honestatis in tali actione est, quòd ordinatur ad aliam in qua cul-

E

tus consistit: quod notandum est ad explicandas multas actiones Religioni attributas, de quibus infrà dicam. Sic etiam ex parte materiæ distingui potest interior actus Religionis, vt quidà sit prosequens bonũ, alius autem fugiens, vel vitans oppositum malum: omnis enim virtus vtrunque munus amplectitur, imò in vniuersum omnis appetitus, seruata proportione, vtroque modo operatur, imò omnis facultas agendi aliquid, resistit contrario quantum potest.

12. Suboritur difficultas.

Hîc verò suboritur difficultas, quomodo voluntas non periurandi, seu non blasphemandi Deum possit esse actus Religionis, hoc enim ex dictis apertè sequitur. Ratio autem difficultatis est, quia respectu Proximi, voluntas non inferendi contumeliam, non pertinet solùm ad obseruantiam, sed etiam ad iustitiam commutatiuam, cui opponitur vitium contumeliæ, vt patet 2. 2. q. 72. Et ratio est manifesta, quia alterum honorare non est ex debito iustitiæ, sed obseruantiæ: non priuare autem alium honore suo, est ex debito iustitiæ, sicut non auferre aliena; aufertur autem honor per contumeliam, ideóque nolle contumeliam inferre, iustitiæ est: ergò multò magis erit opus iustitiæ non dicere conuitium contra Deum, vel blasphemiam, vel aliquid huiusmodi: ergò voluntas vitandi hoc malum, non est virtutis Religionis, (quæ est quasi obseruantia respectu Dei) sed iustitiæ.

13. Difficultas proposita expeditur. Disp. de Iustitia Dei, & in 4. tom. disp. de virtute Pœnitentiæ.

Respondeo primò, hunc actum non esse iustitiæ commutatiuæ: hæc enim ad homines, non ad Deum ordinatur, vt nunc supponimus, & aliis locis tetigimus. Si ergò talis actus ad aliquam iustitiam pertinet, illa erit iustitia hominis ad Deum, & longè altioris rationis, deficiens quidem à proprietate iustitiæ, quæ est inter homines in facienda æqualitate, & omnimoda distinctione tàm absoluta, quàm respectiua inter eos, inter quos versatur; nam homo, & est aliquid Dei, & æquale illi reddere non potest. Excedit tamen ille actus in ratione debiti, quia excellentius est ius, quod Deus habet ad suum honorem, & gloriam, quàm quod habet homo; maiórque iniuria illi fit, cum priuatur proprio honore, quàm creaturæ. Sicut detractio, seu falsum testimoniũ contra Deum maiorem rationem iniuriæ habet, quàm contra homines. Vnde actus voluntatis, qua homo statuit vitare omnem actionem, quæ cedit in contumeliam, infamiam, vel aliam similem iniuriam diuini nominis, non ad iustitiam commutatiuam humanam, sed ad altiorem virtutem pertinet, quam nunc sub Religione cõprehendimus, quia cum illa conuenit in respectu ad alterum, quatenus ille alter semper est idem Deus, quem respicit media aliqua materia, nempe diuino honore, quẽ aliquo modo custodit, & procurat. An verò in hac latitudine obiecti distinguendæ sint plures virtutes ad Deum, in sequẽtibus explicabimus.

14. Actus à Religione eliciti etiam ex parte motiui proximi distinguuntur.

Vltimò, distingui possunt hi actus immediatè à Religione eliciti, ex parte proximi motiui: nam licet hoc motiuum respectu totius virtutis adæquatè vnum esse videatur, tamen, ad diuersos actus videtur applicari secundùm rationes valdè diuersas, quales sunt honorare Deum propter excellentiam, quam in se habet: velle gratias agere propter beneficium collatum: profiteri illum esse auctorem omnis boni aliquid ab eo petendo: velle seruare votum propter speciale debitum ex promissione contractum. Huiusmodi enim voluntates non tantùm in materialibus obiectis, sed etiam motiuis proximis videntur differre. An verò tanta sit hæc diuersitas, vt sufficiat ad distinctionem specificam, dicemus cap. 4. priùs enim de exterioribus actibus dicere necesse est.

CAPVT II.

Vtrum præter actus internos, habeat Religio actus externos, & qui illi sint.

1.

HÆc quæstio ferè explicata est in superioribus, declarando materiam huius virtutis; quia, vt dixi, proxima materia virtutis moralis, illius præsertim, quæ est ad alterum, & exteriores actus eius, idem sunt, solúmque sub diuersis rationibus, vel habitudinibus sic denominantur; *Materia*, quatenus subiicitur virtuti; *Actus*, quatenus ab illa efficiuntur. Ex his ergo manifestum est, habere hanc virtutem aliquos actus exteriores, & hoc nomine, latè illo vtendo, appellari posse omnes illos, circa quos versatur voluntas colendi Deum. Probatur, quia omnes illi sunt materia proxima huius virtutis, quatenus in illis omnibus ratio cultus aliquo modo inuenitur.

2. Qui actus internus possit dici cultus, qui verò non.

Et iuxta hunc loquendi modum, hi exteriores actus distingui possunt; nam quidam sunt corporales, quidam verò spirituales. Rursus spirituales distingui possunt in actus intellectus, & voluntatis; nam vtrisque coli potest Deus, vt infra dicetur, & latiùs dixi in 1. tom. 3. p. Hic autem cultus, qui per actus mentis fit, communi vsu interior potiùs appellatur, vt distinguatur ab illo, qui exhibetur per actus corporis; nos autem explicuimus proprium respectum, quem tales actus habent ad ipsam virtutem. Quanquam aduerti potest, aliud esse loqui de cultu sub nomine cultus, aliud verò sub nomine actus, cultus enim solùm dicitur internus, vel externus, quia intus in anima, vel extra per corpus fit: vterque autem cultus dici potest actus externus ipsius Religionis, quia sic denominatur per habitudinem ad virtutem tanquam ad principium suum quodammodo extrinsecum, seu remotum. Actus autem ipse immediatè procedens à Religione, quem vocamus internum, non est propriè cultus, neque intrinsecus, neque extrinsecus, sed est affectus colendi, qui à cultu distinguitur, sicut actus à materiali obiecto. Nihilominùs sæpè confundi solent hæ voces, ita vt omnis cultus interior, dicatur etiam actus interior religionis, quomodo nos sæpe cum multis loquemur, aduertendo illa duo non conuerti, quia non omnis actus internus potest dici cultus, sed ille tantùm, qui remotus, seu imperatus est; nam alius, qui est propinquior, & elicitus, non est cultus, sed affectus cultus, vt dixi.

3. Quomodo affectus colendi Deum possit rationem actus, & cultus simul participare.

Quanquam dubitari hîc potest, an ipsemet affectus colendi possit etiam induere rationem cultus, & consequenter, an possit idem actus, qui proximè fit à Religione, esse etiam materia eius, ac demum simul esse actus proximè elicitus, seu internus, & externus, in priori, & rigorosa consideratione. Ad quæ omnia breuiter respondeo, vnum, & eundem actum per se simpliciter, ac solitariè sumptum, non posse illas duas rationes simul induere, seu participare, tamen si fiat reflexio vnius actus in alium, posse. Paret prior pars, quia illæ denominationes includunt conditiones oppositas, & includentes contradictionem, vt sunt immediatè oriri à virtute, vel mediatè: hæc autem duo non possunt eidem actui solitariè sumpto, ac per se conuenire. Similiter esse obiectum, & esse effectum immediatũ eiusdem potentiæ, vel virtutis animi, non potest eidem actui per se, ac nudè spectato conuenire, quia virtus per actum, quem facit, tendit directè in aliquod obiectum. Nec refert, quod actus à voluntate elicitus per se ipsum sit intrinsecè voluntarius, vt obiter attigi lib. 1. de Trinitate, & latiùs in 1. 2. Deo dante dicemus; Nam est voluntarius, non per modũ obiecti, & effectus, sed solùm per modũ actus, & implicitè potiùs, quàm explicitè. Vnde id non satis est,

vt

vt in præsenti talis actus denominetur cultus; quia non est voluntarius, vt cultus, sed vt affectus colendi.

4. Quo modo per reflexionem actus internus possit esse cultus.

Altera verò pars declaratur, quia non repugnat ex generali affectu colendi Deum, habere voluntatem sacrificandi, aut communicandi, maximè quando deest opportunitas exercendi hos exteriores actus. Tunc ergò ex illo affectu possum Deo in cultum offerre ipsam voluntatem sacrificandi, vel communicandi. Illa ergo eadem voluntas, & est affectus cultus externi, & est quidam internus cultus. Est item à Religione proximè factus, quia versatur circa materiam eius, & est etiam imperatus ab eâdem, medio illo priori affectu colendi Deum, Ac denique simul est actus proprius Religionis, & materia eius, ratione prioris actus. Ratio verò à priori est, quia voluntas est reflexiua, & imperatiua vnius actus proprij per alium; nam vult velle, seu amare, & hoc modo comprehendit actus suos sub materia sua. Et similiter potest habere duplicem respectum ad eundem actum, scilicet imperantis, & elicientis. His autem modis potest operari intra materiã Religionis, quia eadem est ratio de illa, ac de aliis. Ob eandem ergò causam eadem Religionis virtus illum modũ operandi participat, & per vnum actum, sibi imperat alium quem ipsa etiam elicit. Semper autem ratio cultus conuenit tali actui per ordinem ad alium, cuius est obiectum, & à quo in talem finem ordinatur.

5. Actus externi cultus ex parte materiæ in duo membra diuiduntur.

Iam verò, vt aliud membrum propositum explicemus, actus colendi omnino externi, sunt actus corporis, vel vsus cuiuscunque rei corporalis, circa quem per se, & directè versatur affectus ipse conlendi Deũ, tum quia ille cultus non resultat ex alio actu, sed per illam directam voluntatem imperatur, tum etiam quia illi actus per se assumuntur in gloriam, vel honorem Dei, tanquam signa, per quæ homo protestatur diuinam excellentiam. Hic ergo cultus Dei exterior multiplex esse potest iuxta varietatem actionum, quas explicatas reliquimus, tractando de obiecto materiali: est enim eadem ratio.

6. D. Thom.

Solùm vt ea, quæ tractanda sunt præ oculis habeantur, oportet aduertere hos actus ex parte materiæ in duo principalia membra distingui à D. Tho. d. q. 81. art. 3. ad 2. & q. 89. in capite illius, quia possumus Deum honorare, vel exhibendo illi aliquid, vel assumendo quasi ad nostrum vsum aliquid diuinum. Hic posterior modus exercetur in vsu Sacramentorum, in quo subiicitur homo Deo, vt sanctificatori suo, de quo vsu in 3. p. D. Thom. dictum est. Exercetur etiam hic modus in assumptione diuini nominis ad confirmandum aliquid, vt per Iuramentũ, vel aliquid simile.

7.

Rursus prior modus honorandi Deum esse potest per varios actus. Quidam enim sunt, qui per membra corporis immediatè exercentur, vt sunt genuflexio, capitis inclinatio, totius corporis prostratio, &c. Alij verò sunt, qui per alias res externas exercentur, vt per sacrificia, & oblationes, quę interdũ fiunt immediatè ipsi Deo, interdum verò mediatè, propinquè autem eius ministris, vt decimarum, & primitiarum solutio. Præter hos etiam, est alius actus, qui duos complectitur. Prior est promissio alicuius rei facta Deo, nã per talem promissionem speciali modo ipsa res promissa exhibetur Deo in honorem eius. Alius est actus, quo talis promissio impletur, & soluitur Deo debitũ per illam specialiter contractum. De quibus actibus posteà in speciali dicendum est. Hîc autem solùm aduerto, illos interdum esse posse purè internos, regulariter vero ab hominibus exteriùs fieri, & ideò inter externos actus collocari. Oratio verò è conuerso ponitur inter actus internos, quia ibi principaliùs consummatur, licet in actum etiam exteriorem prodire possit, & soleat.

8. Suboritur difficultas.

Difficultas verò circa dicta suboritur, quia motus appetitus sensitiui non videntur sub dicta numeratione comprehendi, & tamen illis possumus etiam vti ad colendum Deum, ergò non videtur sufficiens diuisio. Maior patet, quia illi actus spirituales non sunt, vt constat, nec sunt ita corporales, vt ex affectu colendi Deum, directè imperari, aut in nobis excitari valeant. Minor verò patet, tum quia deuotio est actus Religionis, & tamen magna ex parte pertinet ad appetitum sensitiuũ: tùm etiã, quia appetitus sensitiuus potest aliquo modo in Deum moueri, iuxta illud Psal. 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*: ibi enim nomine *Cordis*, spiritualis appetitus, nomine *Carnis* sensitiuus appetitus intelligitur. At hic appetitus non mouetur, nisi media phantasia proponente obiectum; potest ergò phãtasia aliquo modo illi proponere Deum, ergò possunt tales actus huius inferioris portionis in diuinum cultum, & honorem referri.

9. Dupliciter voluntas ordinat motus appetitus directè scilicet, & indirectè.

Circa hanc difficultatem aduerto, duobus modis posse voluntatem per affectum in Deum excitare, vel ordinare motus aliquos sentientis appetitus, scilicet, vel indirectè & per quandam concomitantiam, & sympathiam potentiarum, vel directè volendo talem actum ita, vt inferior actus sit obiectum superioris actus voluntatis. Priori modo mouetur appetitus, quando ex meditatione intellectuali rerum diuinarum, & ex affectu voluntatis in Deum, excitatur in phantasia apprehensio aliqua, & repræsentatio earundem rerum sub aliqua materiali forma, vel habitudine, & consequenter insurgit in appetitu motus proportionatus affectui voluntatis, delectationis, vel institiæ, timoris, aut desiderij, vel alius similis. Fit enim sæpè hæc motio appetitus, homine nihil de illa cogitante per intellectum, neque directè illam volendo per voluntatem, sed solùm ex coniunctione potentiarum, quę in eâdem anima corpori coniuncta radicantur. Posteriori autem modo mouetur appetitus, vel phantasia, quando homo directè vult applicare internum sensum seu cogitatiuam ad cogitandum, prout potest, de rebus diuinis, vt de Deo sub ratione benefactoris, aut alia simili, sub aliqua ratione materiali: & similiter mouet appetitum ad aliquos affectus circa talia obiecta exercendos. Quo modo etiam potest voluntas ex affectu Religionis mouere directè appetitum sensitiuum, vt suo modo subiiciatur Deo, vel doleat, vel gaudeat, in ordine ad cultum eius.

10. Suborta difficultas dissoluitur.

Quando ergò appetitus mouetur priori modo, & eleuatur aliquo modo ad exercendos suos actus ex affectu, & cõsideratione superiori diuinarum rerum, tunc actus appetitus sub interiori cultu computantur, tanquam accessorium sub principali. Posteriori autem modo imperati, pertinent magis motus appetitus ad cultum corporalem, & externum, tùm quia directè intenduntur, & imperantur in ipso corpore, tùm etiam, quia tunc moraliter loquendo, non separantur ab actibus externis corporis, ad quos ferè semper ordinantur. Et ideò non oportuit hos actus ab interiori, & exteriori cultu distinguere, nam sub illis sufficienter comprehenduntur.

CAPVT III.

An cultus externus sit actus à Religione elicitus, vel imperatus.

1. Argumentũ quo probatur externũ cultum à Religionis virtute nõ posse elici.

SVb externo comprehendimus omnem actum alterius potentiæ à voluntate: Et hinc oritur ratio dubitandi, quia actus elicitus ab habitu, debet etiam esse elicitus à potentia, in qua inest habitus, sed hic cultus externus non elicitur à voluntate, in qua inest Religio, vt infrà videbimus: Ergò neque ab ipsa Religione elicitur. Minor per se clara est, quia ille cultus

externus per corpus immediatè exerceretur, voluntas autem per se, & immediatè non efficit motus corporis: sed solùm applicat potentias exequentes ad mouendum, non ergo talem cultum elicit. Nam elicere est propriè, & per se efficere. Neque, vt voluntas dicatur elicere motum aliquem, satis est vt applicet aliam potentiam ad efficiendum talem cultum, aliàs voluntas eliceret assensum fidei, vel opinionis, & actum visionis corporalis, & similia, quę dici non possunt. Maior autem probatur, quia habitus non est principium per se efficiens, sed solùm coadiuuans potentiam, & ideò in tantum habitus operatur, in quantum potentia, cui adhæret, vtitur illo, & ideò habitibus vtimur, cum volumus, ergo non potest habitus elicere actum, nisi cum sua potentia, ergo necesse est, vt potentia eundem eliciat, & quod ad illum eliciendum applicet habitum, seu habitu vtatur. Et confirmatur, quia elicere actum, iuxta propriam illius verbi significationem communi vsu receptam, idem est, quod immediatè, ac per se efficere actum, qui elici dicitur, at verò habitus non efficit hoc modo, nisi actus suæ potentiæ, ergo.

2. D. Thom. in hac re sententia proponitur.

Nihilominùs D. Thom. dict. q. 91. art. 1. ad 1. & art. 4. ad 2. sentit actus aliquos exterioris cultus diuini esse elicitos à virtute Religionis. Et quia hoc non poterat in vniuersum de omnibus affirmari, distinctionem talem indicat. Nam cum colimus Deum per actus aliarum virtutum vt fidei, misericordiæ, &c. tunc cultus ille non est elicitus à Religione, sed tantùm imperatus; quando verò actus, quo Deum colimus, non habet per se honestatem alterius virtutis, vt est sacrificium, adoratio; tunc actus ille est propriè elicitus à virtute Religionis. Ratio huius sententiæ esse potest, quia necesse est, omnem actum virtutis, tàm externum, quàm internum elici ab alia virtute; sed actus, quibus colimus Deum, qui ex se non habent aliam honestatem, præter rationem cultus, non eliciuntur ab alia virtute extra Religionem, ergo eliciuntur ab illa.

3. Caiet. corollarium.

Vnde infert Caiet. non esse de ratione actus elicita ab aliqua virtute, quod sit elicitus ab eâdem potentia, in qua est virtus; sed solùm, quod non eliciatur ab alia virtute, & quod sit à voluntate mouente aliam potentiam ad talem actum ex immediata inclinatione talis virtutis. Nam vt actus sit elicitus à virtute, non est necesse vt sit ab illa quoad substantiam suam, sed satis est, quòd ab illa habeat modum, id est, facilitatem, & promptitudinem. At verò quando fit immediatè ex propensione Religionis, non interueniente aliqua alia virtute morali, tunc licet non sit actus voluntatis, sed intellectus, aut alterius facultatis, à sola Religione habet quòd facilè, & promptè fiat. Ergo est elicitus ab illa. Quæ ratio cessat quando actus habet propriam honestatem alterius virtutis, nam tunc ab illa habet immediatè promptitudinem, & facilitatem, vt eleemosyna à misericordia, & ideò talis actus non est elicitus à Religione, sed tantùm imperatus.

4. Soluitur argum. ex doctrina Caiet.

Vnde ad rationem in contrariâ in summa respondet Caiet. negando maiorem, quia vt actus sit elicitus à virtute, non est necesse, vt ab illa habeat substantiâ, sed modum; hunc autem potest habere actus à virtute superioris potentiæ, etiam si ab illa non eliciatur. Vnde alij inferunt, etiam actum virtutis, existentē in voluntate, & ab illa sola per se effectum, quoad suam entitatem, & substantiam, posse etiam esse elicitum à virtute existente in appetitu sensitiuo, quia mediante moderatione passionis alicuius, ab illa habet immediatè facilitatem, & modum virtutis; vt actus temperantiæ, qui est in voluntate, elicitur à virtute temperantiæ, quæ est in appetitu sensitiuo. Alij verò morantur loquendi modum, & aiunt, virtutem voluntatis elicere actum potentię exequentis, non Physicè, propter rationē a nobis in principio factam, sed moraliter, propter illam facilitatem, & modum virtutis.

5. Quæstio magis explicatur.

Sed ne fortasse sit quæstio de nomine, vel propter abusum vocis alicuius, circa rem ipsam erremus, explicemus prius quid res ipsa habeat, & indè facile constabit, quomodo loquendum sit. Primò ergo certum videtur, Religionem non habere efficientiam aliquam, siue Physicam, siue moralem in exteriorem actum, nisi medio actu elicito ab ipsa voluntate simul cum virtute Religionis. De Physica efficientia, hoc est, per se notum ex ratione in principio posita, quia habitus non operatur per se, sed quatenus illo vtitur potentia, & ideò nihil potest immediatè, ac per se efficere Physicè, nisi proprium actum talis potentiæ. Item quia habitus per se efficere non potest, nisi in ordine ad obiectum suum, in suo autem obiecto seruat proportionem cum potentia, & ideò non potest immediatè operari nisi circa obiectum suæ potentiæ, & sub particulari aliqua ratione illius, atque ita immediatè nihil per se efficit, nisi cooperando ipsi potentiæ. De morali autem efficientia patet, quia Religio non est causa moralis per se actus exterioris, nisi quatenus moraliter applicat potentiam exequentem ad operandum, sed non applicat illam nisi mediante actu elicito à voluntate, id est, media voluntate sacrificandi, vel flectendi genua, vel quid simile, ergo.

6. Quot modis virtus vnius potentiæ facilitatē præbeat ad actionē alterius.

Vnde obiter intelligitur, quo modo virtus vnius potentiæ det facilitatem ad actionem alterius potentiæ; variis enim modis potest illam conferre, vno modo per accidens tantùm, tollendo impedimenta & hoc modo habitus appetitus sensitiui, quatenus moderatur affectum eius, potest dare facilitatem ad actum voluntatis. Hic tamen modus non satis est, vt actus voluntatis dicatur elici ab habitu appetitus sensitiui, quia illa facilitas solùm est à tali habitu, vt à causa per accidens. Alioqui etiam posset dici elici à frigefactione corporis, aut à complexione sic, vel sic temperata, quia hæc etiam conferunt ad facilitatem, remouendo prohibens. Alio modo confert virtus ad facilitatem ex parte obiecti, & per quandam concomitantiam, quia qualis vnusquisque est, talis finis sibi videtur, & quia facilius, & attentius cogitamus de his, ad quæ afficimur, vel inclinamur. Et hic etiam modus non sufficit, vt actus vnius potentiæ fiat ab alia, vel à virtute eius, quia est etiam modus valde extrinsecus, & per accidens, magis per quandam occasionem, quàm per efficientiam.

7. Tertius facilitandi modus magis proprius explicatur.

Tertio ergo modo potest virtus vnius potentiæ dare facilitatem ad actionem alterius potentiæ, quatenus illæ potentiæ per se subordinantur, & superior applicat inferiorem ad operandum; quæ applicatio est moralis influxus per se. Et hoc modo in tantum virtus superioris potentiæ, verbi gratia, Religio, dat facilitatem in actum inferioris facultatis, in quantum voluntati dat facilitatem in efficiendo illum met actum, quo mouet inferiorem potentiam. Alio enim modo facilitatem per se dare non potest. Vnde si potentia exequens in se habet aliam difficultatem, vel defectum virtutis, non sufficit virtus superioris potentiæ ad dandam facilitatem intrinsecam, vt sic dicam, sed per proprias dispositiones vel habitus danda est, vt per se constat, & sumitur ex D. Tho. 1.2.q.56. art. 4. & 22.q.4.art.2. Facilitas ergò in actu potentiæ exequentis solùm potest esse per denominationem extrinsecam ab actu voluntatis, quatenus ille facilius fit ex habitu. Vnde propter illam solam rationem non poterit dici elici ab habitu tali, quia etiam actus imperatus participat hanc denominationem ab actu imperante, eò enim facilius fit talis actus, quo voluntas

D. Thom.

tas maiorem facilitatem habet in imperando, ergo A participat illam, vt actus imperatus, non vt elicitus.

8. Actuum externorũ cultus diuini, alij proximè à Religione imperantur, alij remotè.

Secundò nihilominùs certum est, quosdam esse actus externos, qui in ratione actus honesti, & studiosi, non postulant fieri nisi ex motione immediata Religionis per actum voluntatis pertinentem de se ad illam virtutem; alios verò esse, qui non fiunt ex immediata motione voluntatis per actum Religionis, sed per actum alterius virtutis misericordiæ, aut temperantiæ, vel alterius similis. Hoc constat satis ex supradictis, & ex doctrina D. Thom. & Caietan. Iam ergo, recténe dicantur priores actus eliciti à Religione, & posteriores imperati propter dictam differentiam, & ad explicandam illam, quæstio est de nomine. Tamen quia periti in hac arte ita loquuntur, ita etiam nos loqui possumus. Satis verò esset, priores B vocare proximè imperatos, posteriores verò remotè, quia illi sine alia virtute media imperantur, hi verò media alia virtute. Non video enim, cur sicut voluntas dicitur imperare genuflexionem, immediatè illam volendo, non dicatur etiam Religio illam imperare, immediatè concurrendo, & efficiendo illam voluntatem.

D. Thom. Caietan.

9. Imò vt actus sic imperatus à virtute, non semper necesse est, vt eliciatur medio alio habitu, nam assensus fidei imperatur à pia affectione voluntatis, licet fiat medio habitu fidei, & actus fortitudinis existens in irascibili, imperatur immediatè à voluntate, & ab habitu eius (si quis est) licet eliciatur ab appetitu medio habitu, quem in se habet. Tunc ergo dicitur actus alterius potentiæ à voluntate, immediatè imperari à C virtute voluntatis, quando illa potentia applicatur immediatè per actum voluntatis elicitum à tali virtute. Quando autem voluntas vtens vna virtute sua, non applicat aliam potentiam nisi media alia virtute eiusdem voluntatis, & actu illius, tunc dicitur mediatè imperare actum exteriorem, & hoc modo se habet Religio ad opera misericordiæ, & alia similia. Et ita satis constat distinctio talium actuum, siue quidam vocentur eliciti, & quidam imperati, siue illi dicantur proprij, & quasi connaturales Religioni, alij aduentitij, & extranei; siue denique hi dicantur immediatè imperati à Religione, alij mediatè. Quod propriè locum habet in actibus externis secundùm se spectatis, vt condistinctis ab internis; nam si consideretur actus externus, vt coniunctus interno, & quatenus ex vtro- D que fit vnus moraliter, sic optimè dicetur talis actus elicitus à Religione, quando eliciendo internum, immediatè trahit externum, & illum proximè informat, & ita loquutus est D. Thom.

D. Thom.

10. D. Iacobi verba licet à D. Tho. ad actus à Religione imperator applicentur, propriè tamen de Religionis statu intelligenda sunt.

Ex quibus facilè intelliguntur verba Iacobi 1. *Religio munda, & immaculata hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Quæ existimat D. Thom. dicto art. 1. ad 1. esse dicta, quia hæc officia solent à Religionis virtute imperari. Quod potest facilè sustineri, verba illa nudè considerando, quia in re verum est. Tamen inspecta intentione Iacobi, non videtur loqui de speciali virtute Religionis, sed de statu, seu professione Religiosa, vt patet ex antecedentibus verbis. *Si quis putat se Religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor* E *suum, huius vana est Religio*, Ibi enim Religiosum appellat nón à sola virtute Religionis, vt constat, quia non frenare linguam, nõ est contra specialem virtutẽ, sed contra sanctitatem, vt complectitur omnẽ virtutem, & consequenter veram professionem Religiosam. Contrariam ergò professionem vocat vanam Religionem, cui veram opponit, cum subiungit *Religio munda, &c.* Quæ profecto munda, & immaculata erit, etiamsi illi actus visitandi pupillos non fiant ex imperio peculiaris virtutis Religionis, sed ex propriis virtutibus. Potest autem hoc intelligi, vel de professione Religiosa, vt dicit statum perfectionis. Quomodo dixit Euseb. in vita Hieronymi; *Sacerdos, & monachus sine misericordia, nauis est in medio pelagi vndique perforata, sunt hi monachi solo habitu, & nomine quorum vana est Religio.* Vel magis ad mentem Iacobi intelligi potest de Religione Christiana. Ac si dicat, non esse solidum, ac bonum Christianum, qui linguam non moderatur, neque opera misericordiæ exercet, & hanc esse Iacobi sententiam, dixit Abbas Isaias orat. 21. de Pentecost. tom. 2. Bibl.

CAPVT IV.

Habeátne Religio actus proprios inter se specie differentes.

11. NOn est difficultas de actibus propriè imperatis secundùm se spectatis, quia constat illos posse esse omnium virtutum, vt fidei, misericordiæ, vt suprà dictum est, qui secundùm se essentialiter distinguuntur. Idémq; est de multis actibus exterioribus, vt sunt, verbi gratia, Iurare, Vouere, Sacrificare, nam quoad materiales actiones apertè distinguuntur. Difficultas verò est, an in ordine ad Religionem, essentialiter distinguantur. Vbi simul quærendũ est de internis actibus voluntatis, an voluntas orandi, verbi gratia, & sacrificandi, sint actus inter se specie distincti.

12. Different quæ constituit actum in tali esse virtutis; ipsũ etiam in tali esse entitatiuo cõstituit.

Vt autem intelligatur difficultas, & vitentur distinctiones inutiles, aduertere oportet, in interiori actu volũtatis (si intrinsecè, & ex obiecto est actus virtutis) ipsam differentiam, per quam constituitur in tali esse virtutis, esse etiam differentiam constituentem ipsum actum in suo esse entitatiuo, neque rectè considerari ipsum esse virtutis tanquã adiacens entitati essentiali talis actus. Secundò suppono de ratione actus voluntatis ex obiecto honesti, esse vt tendat in honestũ, quâ honestum est: quia omnis actus voluntatis tendit in bonum sub ratione boni: nullum autem bonũ est per se rectum, & consentaneum rationi, nisi quod honestũ est, & ideò nullum bonum reddit per se actum studiosum, & virtutis, nisi honestum, quatenus honestũ est. Atque eâdem proportione, & ratione tale bonũ honestum, quatenus tale est, constituet actum in tali esse virtutis. Et hæc est ratio à priori, ob quam ipsum esse virtutis est substantiale interno actui voluntatis, quia nimirum sumitur ex tendentia ad primariũ obiectum talis actus, in qua tendentia consistit substantiale esse eiusdẽ actus. Tandem suppono, quod sæpe dixi, exteriores actus esse obiecta internarum voluntatũ. Vnde in illis considerari potest, vel materiale obiectũ, quod est talis, vel talis actus, vel formale, quod est honestas obiectiua existens in tali actione, quatenus cultus Dei est, à qua habet interior actus volũtatis suã honestatẽ formalem; quam etiã appellamus ipsum esse virtutis.

13. 1. Sententia

Duæ igitur sunt opiniones extremè contrariæ. Prima est dicentium, quoties exteriores actus Religionis, in suo esse naturali, & materiali, specie distinguũtur, etiam distingui specie interiores voluntates, quæ circa illos versantur ob diuinum cultum. Ita sentiunt Nominales, non in particulari de Religione, sed vniuersè de quocunque habitu, vel virtute morali. Fundamentum eorum est, quia sicut loqui, verbi gratia, vel genua flectere, vel sicut credere, & petere sũt actus natura sua specie distincti, ita velle hunc, vel illum actum facere, requirit volitionem specie distinctam, quia motio actiua debet accommodari passiuæ. Nec refert (aiunt) quod illæ omnes actiones sint volitæ ad cultum Dei: nam inde solùm sequitur, internas volũtates conuenire in eodem esse morali virtutis, non autem in eâdem specifica entitate actus.

In prologo sententia.

Hæc

4. Proposita sẽtentia reiicitur.

Hæc verò sententia communiter reiicitur, quia distinctio, & constitutio actuum, & habituum non sumitur sufficienter ex obiectis materialibus, quia & circa idem materiale obiectum contingit versari distinctos actus intellectus, & voluntatis, & eundem actum circa diuersa materialia obiecta, vt latiùs traditum est in Metaphysica. In præsenti etiam non admittimus distinctionem illam de esse morali, & naturali, seu entitatiuo in ipso interno actu virtutis, vt diximus. Quocirca si interiores actus virtutis Religionis, qui sunt in voluntate, dicuntur conuenire in specifico esse virtutis, simpliciter fatendum est esse eiusdem speciei etiam in entitate. Neque oportet volitiones esse in sua entitate specie distinctas, etiamsi causent exteriores actiones, vel motiones in specie distinctas, quia vt exterior actio causetur ab interiori voluntate, sufficit quòd sit volita, siue ex hoc, siue ex alio motiuo volita sit; vt autem speciem conferat, non sufficit sola materia, sed formale obiectum attendendum est.

5. Est ergo secunda sententia, quæ affirmat, omnes actus Religionis formaliter esse eiusdẽ speciei. Cuius sensus esse debet, exteriores actus, quamuis in entitate distinguantur, tamen in honestate, quam habent in ordine ad diuinum cultum conuenire, essẽque eiusdem rationis in ratione obiecti honestè appetibilis; ac proinde interiores actus voluntatis, quibus talia obiecta, seu tales actus exteriores (sub quibus omnem Dei cultum comprehendimus) appetuntur seu imperantur, esse eiusdem speciei etiam quoad entitates Physicas, seu naturales ipsorũ. Vnde etiam fit, vt ipsi actus exteriores, quatenus ab his interioribus imperantur, & dominantur, moraliter conueniant in esse talis virtutis, quantumcunque in esse naturali distinguantur. Atque hæc sententia censetur esse D. Thom. in his articulis præsertim in 3. ad 1. & 2. & in 4. ad 1. & 2. Et eam sequuntur frequentiùs Moderni Thomistæ. Fundamentum est, quia Religio est vna virtus in specie, vt hîc docet D. Thom. ergò est vnus habitus specie; ergo omnes actus eius sunt eiusdem speciei. Probatur vltima consequentia, tum quia actus generant habitum, ergò si sunt specie diuersi non possunt generare eundem habitum in specie, tum etiam, quia si habitus est vnus, habet vnum formale obiectum: ergo & omnes actus in eodem formali obiecto conueniunt, quia habitus non attingit obiectum nisi per actum: ergo etiam actus sunt eiusdem speciei; nam ex obiecto formali speciem sumunt immediatiùs, (vt ita dicam) quàm habitus; nam vt est vulgare, habitus per actus, & actus per obiecta specificantur.

D. Thom.

D. Thom.

6. Vera sententia.

Inter has sententias media via tenenda est. Et imprimis certum existimo, dari aliquam distinctionem specificam in actibus Religionis, eam scilicèt, quæ communis est omnibus habitibus, præsertim voluntatis. Nam (vt attigi in 4. Tom. tractando de virtute Pœnitentiæ, & generaliùs Disp. 44. Metaphysicæ sect. 11.) quando actus sunt inter se ordinati, vt vnus ex alio per se oriatur, vt odium mali ex amore Dei; desiderium, & delectatio ex amore boni præsentis, vel absentis; electio ex intentione & ca. tunc omnes tales actus radicati in eodem obiecto formali pertinent ad eundem simplicem habitum, quamuis tales actus specie Physica, seu entitatiua distinguantur ex diuerso modo attingendi tale obiectum, & participandi honestatem eius. Constat autem virtutem Religionis omnes hos actus voluntatis posse exercere circa eundem cultum Dei, nam habet affectum, ad illum per modum simplicis amoris, & simili modo potest odio habere diuinam irreuerentiam, vel defectum in cultu. Constat item amorem, & odium specie distingui inter se, & ex eodem principio nasci, ergo saltem ex hac parte elicit Religio actus specie distinctos. Et eodem modo discurri potest per cæteros actus insinuatos. Neque in his habet difficultatem fundamentum secundæ sententiæ, quia tales actus ratione connexionis pertinere possunt ad eundem habitum, tanquam ad idem principium, & eadem ratione possunt illum generare, præsertim ratione primarij actus, qui est quasi fundamentum reliquorum, vt in fine dictæ sectionis 11. in Metaphysica declaraui.

Assertio 1.

7.

Hæc verò distinctio actuum internorum, circa eũdem externum actum, seu obiectum versari potest, vt ex dictis facilè constat. Difficultas ergò propria relinquitur de actibus voluntatis, qui in generali modo tẽdendi, sunt eiusdem rationis; vt sunt actus amoris, vel intentionis, quãdo versantur circa diuersos actus externos, seu diuersos cultus Dei: est (inquam) difficultas, an inde habere possint distinctionem specificam. In quo secundò censeo certum, non semper illam habere, neque ad eam sufficere quancumque distinctionem cultuum. Hoc patet ex dictis contra primam sententiam. Deinde declaratur exemplis & ratione; nam genuflexio (verbi gratia) & vocalis confessio diuinæ excellentiæ, actus sunt materialiter, & Physicè distincti, & tamen si fiant animo honorandi Deum, vt supremum dominum non habent in ratione cultus honestates diuersarum rationum: ergò interiores actus voluntatis, & Religionis, qui circa tales materias versantur, erunt eiusdem speciei substantialis, cum illam sumant ab honestate obiectorum. Consequẽtia patet ex dictis: & antecedens videtur per se euidens, quia honor resultans ex tali actione est idem, & inde habet hic actus suam honestatem, ergò accidentarium est, quod per hanc vel illam actionem materialem fiat. Ratio autem est à priori, quia honor est in genere signi, vnde sub ea ratione fundat honestatem, quæ in tali cultu reperitur: signum autem non variatur formaliter ex materia, quæ ad significandum imponitur, sed ex re proximè significata: ergò si cultus Dei ad eandem honoris significationẽm refertur, non variatur formaliter, nec sufficit ad distinguendos interiores actus Religionis, etiamsi materia cultus sit. Denique confirmatur à contrario: nam siquis neget fidem, flectendo genua Idolo, aut verbis confitendo illud esse Deum, idem peccatum in specie est: ergò & è contrario idem est Religionis cultus vero Deo tributus, siue hoc, siue illo signo fiat.

Secunda assertio.

Quælibet definitio cultuum non facit diuersos specie actus voluntatis.

8.

Adhuc superest difficultas, an inter varios actus exteriores cultus diuini, sint aliqui formaliter etiam diuersi in ratione cultus ita, vt interiores voluntates, quæ circa illos versantur, distinguantur specie. Et quoad hanc partem assero tertiò, in latitudine actuum Religionis inueniri specificam diuersitatem. Probo primò inductione, nam promittere aliquid Deo, & implere promissum, sunt actus, qui moraliter, & per ordinem ad rectam rationem spectati, habent bonitates specie distinctas, propter diuersam rationem debiti, quam includunt. Similiter obseruare votum & facere iuramentum, etiam valdè diuersæ res videntur, non materialiter tantùm, sed etiam formaliter, & in ratione cultus, & honestatis; quia per vnum actum seruatur fidelitas debita Deo, per alium verò recognoscitur Deus, vt prima, & infallibilis veritas cui falsum dicere, aut confirmare repugnat: quæ duo planè videntur etiam in ratione honesti maximè diuersa: ergo voluntates interiores, quæ circa tales actus versantur, sunt etiam specie distinctæ. Cuius etiam argumentum à posteriori, seu à contrario est, quia peccata his actibus opposita sunt specie distincta, ac proinde in confessione distinctè aperienda, & idem est de peccato, verbi gratia, omittendi Missam, vel non implendi votum.

Tertia assertio.

In actibus Religionis inuenitur diuersitas specifica.

Quòd

9. Peccata oppoſita actibus Religionis ſpecie differunt.

Quòd autem quidam Theologi moderni dicunt, hæc peccata eſſe eiuſdem ſpeciei, & nihilominùs eſſe diſtinctè confitenda propter circunſtantias varias notabiliter aggrauantes, hoc, inquam, vt verum fatear, probabile non eſt. Quis enim vnquam dixit, periurij, & orationis omiſſionem ex voto debitæ, eſſe eiuſdem ſpeciei? Aut quomodo id credi poteſt, cum in illis actibus inferatur Deo iniuria valdè diuerſæ rationis? Denique opinio aſſerens circunſtantias non mutantes ſpeciem, ſed intra eandem notabiliter aggrauantes, eſſe confitendas, non eſt adeò certa, quin oppoſita ſit practicè probabilis: poſſet ergò aliquis conformando ſe illi opinioni non explicare has circunſtantias, ſed duas omiſſiones contra Religionem confiteri, vel certè vnam, ſi in die feſto ſacrum omiſit, quamuis etiam ex voto ad id teneatur, quia tota illa tantùm eſſet vna grauior malitia, ſi eſſet eiuſdem ſpeciei, quod dicere eſſet abſurdiſſimum, & periculoſus error moralis. Et ſimilia argumenta poſſunt fieri multa ex peccato periurij, blaſphemiæ, ſimoniæ, & ſimilibus.

10. Obiectioni occurrunt.

Apparentiùs reſponderi poſſet, ex diuerſitate ſpecifica malitiarum non inferri ſimilem diſtinctionem in actibus virtutum, quibus talia peccata, ſeu malitiæ opponuntur, quia eidem virtuti opponuntur vitia nõ ſolùm ſpecie diuerſa, ſed etiam contraria. Sed contrà nam iuxta veram doctrinam malitia moralis in interiori actu voluntatis non eſt, niſi priuatio alicuius honeſtatis moraliter debitæ tali actui: ergò ſatis probabile argumentum ſumitur à priuatione ad habitum, nam priuationes proximè diſtinguuntur ex poſitiuis, quibus priuant per ſe primò, & immediatè. Vnde licet eidem habitui virtutis opponantur vitia extrema, nihilominùs actus virtutis, quibus opponuntur vitioſi actus contrarij, etiam ſunt inter ſe diſtincti, vt, verbi gratia, in liberalitate, cui opponitur auaritia, & prodigalitas, diſtincti actus ſunt prudenter retinere, vel donare, habentque honeſtates actuales valdè diuerſas, quibus opponuntur, vel nimia elargitio, vel nimia retentio. Idémque conſiderare licebit in omnibus ſimilibus vitiis. Eſt autem res clarior in his peccatis, quæ non diſtinguuntur tantùm ex diuerſis modis recedendi ab eodem medio virtutis per acceſſum, vel receſsũ, ſed etiam per diuerſam participationem obiecti talis virtutis, in quo inuenitur extenſio quędam non ſolùm in materiis particularibus talis obiecti, ſed etiam in participatione motiui, ſeu formalitatis eius.

11. Ratio à priori diſtinctionis inter Religionis actus proponitur.

Atq; hinc ſumenda eſt ratio à priori huius partis, quia multi ſunt actus voluntatis ad Religionem pertinentes, qui non ſolùm in materialibus, ſed etiam in formalibus obiectis talium actuum diſtinguuntur: ergò huiuſmodi actus ſunt ſpecie diuerſi iuxta generale principium, quod ſupponimus, actus diſtingui ſpecie ex obiectis formalibus. Antecedens probatur, ac declaratur, quia ad formale obiectum actus religioſi, pertinet ratio honoris, ſeu cultus diuini, quæ conſiſtit in exhibendo aliquo ſigno æſtimationis debitæ, quæ habetur de diuina excellentia: hoc autem ſignum, & hic honor aliquãdo exhibetur ſolùm in teſtimonium diuinæ auctoritatis in teſtificando, vt in iuramento; aliquando verò exhibetur præcisè in teſtimonium ſupremi dominij Dei, vt in ſacrificio. Quæ rationes ſunt valdè diuerſæ formaliter præſertim in ordine ad noſtros inadæquatos conceptus, & actus illis correſpõdentes: ergò ſufficit illa diſtinctio obiectorum ad diſtinguendos illos actus. Simile argumentum fieri poteſt quia ratio debiti etiam intrat obiectum formale Religionis, vt ſuprà oſtenſum eſt, ſed hæc ratio valdè diuerſo modo participatur in diuerſis materiis partialibus Religionis, vt patet in debito ex voto, vel ex ſimplici cultu, vel adoratione. Quæ omnia magis patebunt ex diſcurſu materiæ. Difficultas, quę hic ſupereſt, quámque tetigit contraria ſententia de vnitate, vel diſtinctione habitus, vel virtutis Religionis tractabitur meliùs in ſequentibus.

INDEX CAPITVM LIBRI TERTII DE HABITV VIRTVTIS RELIGIONIS.

Cap. 1. An Religio ſit habitus proprius naturæ creatæ intellectualis.

Cap. 2. Quomodo diſtinguatur Religio à Fide, Spe, & Charitate.

Cap. 3. An Religio ſit virtus Theologica, vel moralis.

Cap. 4. Quomodo Religio à Iuſtitia diſtinguatur.

Cap. 5. De Diſtinctione Religionis à Dulia.

Cap. 6. An Religio ab Obedientia diſtinguatur.

Cap. 7. Sítne Religio diſtincta virtus à Pœnitẽtia.

Cap. 8. De vnitate ſpecifica Religionis.

Cap. 9. De perfectione huius virtutis inter alias.

LIBER

LIBER TERTIVS, DE HABITV VIRTVTIS RELIGIONIS.

EXPLICATIS *obiecto, & actibus Religionis, superest vt de ipso habitu, seu (quod idem est) de propria virtute tractemus, de qua prius quædam generalia expediemus, quia ex dictis faciliora sunt, deinde distinctionem illius à cæteris virtutibus inuestigabimus, vt tandem, quod difficilius est, vnitatem eius, ac specificam rationem inuestigare possimus.*

CAPVT PRIMVM.

An Religio sit habitus proprius naturæ creatæ intellectualis.

1. Prima assertio dari in nobis habitum Religionis.

PRIMÒ certum est dari in nobis habitum Religionis, obiecto, & actibus suprà declaratis correspondẽtem. Hoc pro certo supponunt D. Tho. & omnes, qui de hac materia disputant. Potéstque experimento constare aliquo modo, nam huiusmodi actibus fit homo promptior, & facilior ad similes actus efficiendos. Ratio etiam generalis, ob quam in nobis generantur habitus, maximè locum habet hîc; quia prædicti actus difficiles sunt, & ex multis capitibus repugnantes aliquo modo inclinationi naturali. Quæ rationes probant maximè de habitu acquisito, qui actibus naturalibus proportionatus est. Tamen supponendo ex suprà dictis dari etiã actus Religionis supernaturales, ad quorum singulos gratia est necessaria, euidentius est dari etiam habitũ Religionis per se infusum, & supernaturalem. Quia talis habitus non est necessarius propter solam facilitatem talium actuum, sed etiam propter substantiam eorum, scilicet vt sit principium intrinsecum ad eliciendos tales actus connaturali modo: hæc enim est causa ob quam in aliis materiis huiusmodi habitus inueniuntur. Datur ergò duplex habitus Religionis, vnus acquisitus, & alter infusus respectu diuersorum actuum. Ne tamen oporteat semper de illis sigillatim dicere, Theologico more loquemur semper de infusa Religione, & cum proportione applicanda erunt omnia ad religionem acquisitam: quod si in aliquo fuerit diuersitas, id adnotabimus.

2. Secunda assertio hic Religionis habitus essentialiter est virtus.

Secundò dicendum est, hunc habitum Religionis essentialiter esse virtutem. Assertio certa est, quam recte probat D. Thom. dicta q. 81. art. 2. quia actus Religionis sunt boni, & honesti: ergò & habitus, qui ab eis generatur, vel est principiũ per se illorum, est habitus per se honestus, quod est esse habitum virtutis. Præterea D. Thom. art. 2. eandem veritatem demonstrat ex hoc principio, quod ad omnem actum per se honestũ, & bonum necessaria est aliqua virtus, sed actus colẽdi Deum, est per se honestus, & bonus: ergò ad illum est necessaria virtus; illam autem Religionẽ appellamus; nam illius officium est, reddere Deo honorem debitũ. Atque ita minor est satis nota ex dictis. Maiorem autem probat D. Tho. ex definitione virtutis, scilicet esse illam, quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit. Circa quam probationem dubitat Caiet. quia videtur supponere, quod omnis actus per se bonus, est ab aliquo habitu, vt significat D. Tho. dicens. *Omnis actus bonus ad virtutem pertinet:* & tamẽ hoc fallit in actibus, qui antecedunt habitum. Sed inspectis D. Tho. verbis non habet locum dubitatio, quia non dicit D. Thom. omnem actum bonum fieri ab habitu virtutis, sed *Pertinere ad virtutem*: id est, postulare habitum, vt bene, & conuenienter fiat. Maius dubium habere posset, an de omni actu voluntatis honesto, illa propositio vera sit absque exceptione. Sed nunc non est necessarium id examinare. Quia de his actibus diuini cultus satis notum est, indigere habitu, vt in præcedenti assertione ostensum est. Atq; ideò licet principium illud haberet aliquam exceptionem (in quo nunc non immoror) illa non haberet locum in præsenti, quia constat hos actus habere specialem, ac propriam honestatem, esseque satis difficiles, licet fortasse probabilius etiam sit, principium illud sine exceptione verum esse, de quo aliàs.

D. Thom.

Tertiò dicẽdum est, virtutem Religionis esse propriam naturæ creatæ intellectualis, vel rationalis. In qua assertione non solùm loquor de Religione, prout est habitus, vel qualitas; sic enim nulla virtus esse potest, nisi in natura creata, quia increata non est capax accidentium. Loquor ergò de Religione formaliter quoad perfectionem, & honestatem eius. Sicut loquẽdo de Iustitia, & misericordia dicimus esse in Deo formaliter, & secundùm se, licet nõ quoad qualitates, vel alias materiales conditiones. In hoc ergò constituimus differentiam inter Religionem, & illas virtutes, vel alias similes, quod Religio non habet conceptum communem naturæ creatæ, & increatæ, sicut sapientia, iustitia, sed definitum ex se ad naturam creatam: & hoc modo dicimus esse propriam perfectionẽ illius. Vnde fit, vt ex proprio conceptu, seu ratione formali non dicat perfectionem simpliciter simplicẽ, sicut dictæ virtutes. Ratio est, quia intrinsecè respicit superiorem, habere autem superiorem, imperfectionem inuoluit, propriúmque naturæ creatæ est. Sicut ergò natura diuina superiorem non habet, ita nec capax est Religionis. Et declaratur, quia Religio est ad alterum, nemo enim colit se ipsum, sed alium: At Deus non habet alterum Deum, quem colat, neque aliquem infrà se colere potest, sed amare, benefacere, aut misereri, quia omnia respicit, vt sibi inferiora, & indigentia.

3. Tertia assertio. Virtus Religionis est propria naturæ creatæ intellectualis.

Dices

4. Obiectio 1. Soluitur, & ostenditur vnam personam diuinã, aliã nõ posse colere.

Dices. Saltem posse vnam personam diuinam colere aliam, quatenus habet excellentiam relatiuam distinctam. Respondeo, non posse, tùm quia omnes personæ sunt vnum in voluntate, tum etiam quia sunt vnum in illa excellentia, secundùm quam sunt dignæ cultu, & veneratione religiosa. Nam perfectio relatiua in tantum ad hoc sufficit, in quantum essentialem perfectionem in re includit: & ideò Trinitas vnica tantùm adoratione simpliciter adoratur. Dices rursus, Deus vult gloriam suam formaliter, quatenus gloria est, iuxta illud: *Gloriam meam alteri non dabo:* ergo vult vt alij ipsum glorificent, & honorent: ergo formaliter vult cultum sub ratione cultus; sed in hoc consistit propria, & formalis perfectio Religionis, ergo. Respondeo, aliud esse, velle sibi deferri cultum, aliud velle deferre cultum alteri: hoc posterius pertinet ad obseruantiam, & Religionem, non verò illud prius, quia re vera non est motus ad alterum, sed ad se; vnde magis spectat vel ad amorem sui, seu proprij commodi, aut quasi commodi, vel ad summum pertinet ad simplicem affectum boni honesti, quod ab vnoquoque amari, vel desiderari potest in alterius voluntate.

Obiectio. 2.

Isaiæ c. 42.

Solutio eiusdem.

5. Tertia assertio magis explicatur.

Addidi verò in assertione, talem naturam debere esse intellectualem, vel rationalem, non solùm propter generalem rationem virtutis moralis, ad quam est necessarius vsus rationis propter libertatem, quam postulat virtus moralis, & propter cognitionem boni honesti, in quod tendit virtus: sed etiam propter spicialem rationem huius virtutis, quæ habet pro immediato, & proximo subiecto voluntatem, tùm quia proprius actus eius est in voluntate, vt suprà ostendi, tùm etiam quia non versatur immediatè circa passiones, sed circa operationes, & ad alterum tendit. De his autem virtutibus, quæ sunt ad alterum, extra controuersiam est, quod sint in voluntate, (quidquid sit de aliis virtutibus) ergò Religio dicit ex intrinseca ratione habitudinem ad voluntatem creatam, quæ non est nisi in natura intellectuali, & ideò dicitur esse propria illius.

6. Addo etiam, dici propriam talis naturæ, quia habet quandam adæquationem cum illa. Nam licet Religio, vt est habitus quidam, nõ insit omni voluntati creatæ: nihilominùs semina huius virtutis cuicunque intellectuali naturæ indita sunt, omnísque voluntas creata respicit Deum vt superiorem, éstque sub illius dominio, & ideò capax est Religionis, & illam postulat, vt magnam perfectionem suam, quia perfectio voluntatis creatæ consistit in debita coniunctione, & subiectione ad Deum. Quod adeò verum est, vt in humana Christi voluntate, quantumuis deificata, virtus hæc locum habuerit, & necessaria fuerit, quia semper mansit inferior, & subiecta, & ideò attentè non dixi hanc virtutem esse propriam personæ creatæ, sed naturæ, quia potest esse in persona increata secundùm creatam naturam. Vnde à fortiori esse potest in omni persona creata. Ideóque in omnibus voluntatibus Beatorum hæc virtus inuenitur, quia maximè sunt subiectæ Deo, & ipsum adorant. Nec refert, quod habeant necessariam rectitudinem ex perfecta coniunctione ad ipsum Deum, quia ad hanc ipsam rectitudinem cooperatur Religio in eis existens.

7. Sitne Religio in dãnatis.

De inferioribus autem voluntatibus, seu existentibus in inferiori statu constat voluntates damnatorum esse incapaces huius virtutis non secundùm se, sed ratione status. Quod quidem generale quodam modo est omni virtuti propter obstinationem damnatorum in malo: speciali tamen ratione in hac verum est propter maximum odium Dei, quo semper tenentur: ex quo fit, vt illum blasphement, & contemnant, quantum possunt. Quod si coguntur illi genua flectere iuxta illud ad Philippenses 2. *Omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum:* vt multi exponunt, tamen illud ipsum non faciunt ex virtute, sed ex necessitate, quia, velint nolint, coguntur recognocere Christum, vt Deum, & Dominum, quamuis illi reuerentiæ signa non exhibeant, nisi vel ex praua intentione, vel necessitate, coacti à Deo per Sanctorum Angelorum ministerium, de quo alias. At verò Viatores ex se capaces sunt huius virtutis: ex defectu autem cognitionis diuinæ, aut rectitudinis voluntatis, possunt illa priuari.

D Paul. ad Philip. 2.

8. Specialiter autem dubitari posset de hac virtute, quatenus infusa est, an locum habeat in homine peccatore habente Fidem, & Spem. Et ratio dubitandi esse potest, quia talis homo potest habere actus proprios, & perfectos huius virtutis, & maximè potest orare Deum, vt supernaturalem finem, & auctorem, cum debita fiducia, & aliis requisitis ad impetrationem: imò hoc est vnum ex potissimis mediis, quæ talis homo habet ad recuperandam gratiam: sed oratio supernaturalis est actus Religionis infusæ: ergo etiam virtus ipsa habet locum in peccatore. In contrarium verò est, quia nulla alia virtus moralis censetur esse in peccatore, nec recuperari, nisi recuperata gratia. Propter quod, hæc dubitatio videri potest generalis omnibus virtutibus moralibus, vt re vera est; habet tamen hic specialem rationem dubitãdi, quam proposui.

9. Sine gratia habituali potest quis habere actus Religionis supernaturales.

Videtur autem mihi ratio illa conuincere, posse peccatorem habere veros actus supernaturales pertinentes ad virtutem infusam Religionis, vt de oratione explicui, & idem censeo de sacrificio, nõ solùm vt exterius fit, quod per se est clarum, sed etiam, vt procedit ex vera existimatione, & interiori affectu colendi Deum, vt Fide propositum. Nam veram, & supernaturalem existimationem de Deo, & de cultu illi debito præbet Fides, quæ in peccatore manet, qua supposita, voluntas cum auxilio Dei, quod de se paratum est, pro libertate sua potest velle exhibere Deo illum cultum, quamuis non exhibeat perfectum amorem. Quia isti duo actus non sunt ita inter se connexi, vt honor necessariò supponat amorẽ, præsertim perfectum appretiatiuè, & super omnia, & ideò ex parte Dei etiam non negatur auxilium sufficiens ad efficiẽdum priorem actum, etiamsi alius non fiat. Nam peccator ponit in Deo suã totam fiduciam, & spẽ, etiamsi nondum in eo collocet totum amorem suum. Ergo simili proportione potest illum orare, vel sacrificium offerre ex affectu supremi cultus. Itaque quod ad actum attinet, mihi non est dubium, quin habere possit locum in voluntate peccatoris.

10. Habitus supernaturalis Religionis sine gratia in homine, de lege esse non potest.

De habitu verò non est ita necessarium: nam licet indirectè inferatur, nullam esse repugnantiam, quòd talis habitus sit in tali voluntate, nihilominùs de facto verisimile est, sequi hanc virtutem legem communem aliis virtutibus moralibus infusis, nimirum, vt Charitatem comitetur, & ab illa non separetur. Fidelis ergò cum primũ mortaliter peccat, Religionem infusam cum gratia amittit: posteà verò quamuis actus Religionis supernaturalis, & ex auxilio gratiæ efficiat, non statim virtutem ipsam infusam recuperat, donec sufficientem de peccato pœnitentiam agat, quia neque illam meretur de condigno, cum non sit in statu gratiæ, neq; ad illam sufficienter se disponit. Quia hæc virtus non est talis, vt per se conferatur, sed vt proprietas consequens ad formam gratiæ, & ideò sola illa est dispositio sufficiens ad talem virtutem recuperandam, quæ sufficit ad iterum obtinendã gratiam. Actus ergo illi pro eo statu non fiunt cõnaturali modo, sed sunt ab auxilio speciali Dei operantis.

rantis, nondum verò inhabitantis per sanctificantem gratiam. A

11. Qualis Religionis habitus in appetitu sensitiuo esse possit.

Tandem quæri hîc potest. An hæc virtus possit esse solùm in rationali natura secundùm mentem, seu voluntatem spiritualem, vel etiam secundùm appetitum sensitiuum. Nam rationes superiùs factæ videntur probare, nullo modo posse esse in tali appetitu, tum quia Iustitia, & virtus ad alterum, non est in illo: tum etiam quia excellentia obiecti huius virtutis videtur transcendere illum inferiorem appetitum. In contrarium autem est, quia hic appetitus potest aliquo modo tẽdere in Deum, vt suprà dixi. Vnde etiam dixi, posse hunc appetitum habere aliquos actus, quibus ad diuinum cultum suo modo cooperatur, in quibus actibus difficultatem aliquam patitur, vt experimento constat. Est ergo capax habituum, quibus ad huiusmodi actus promptior fiat, prout ipso vsu, & experientia cognoscitur. Talis ergò habitus ad hãc virtutem pertinet, illíq; inseruit, vt voluntas faciliùs, & suauiùs in operibus huius virtutis se exerceat, dum appetitus ipse promptè in hoc officio illi cooperatur. Denique in simili causa, & ob rationes similes diximus tractando de Pœnitentia dari in appetitu sensitiuo habitum aliquem pœnitentiæ, seu deseruiẽtẽ virtuti Pœnitentiæ: ergo idẽ cũ proportione est hîc dicendum. Quod sanè concedimus; Quanquam, vt ibi etiam dixi, talis habitus non mereatur nomen virtutis per se spectatus, sed ad summum, vt coniunctus virtuti voluntatis, & ab illa quasi informatus moraliter. Et ideò nullam rationem illius habitus in præsenti habemus, sed solius virtutis, quæ in rationali, & creato appetitu existit. B C

Corollarium primum, de causis virtutis Religionis.

12. Causæ virtutis Religionis. Finalis.

EX dictis obiter intelligi potest, quas causas habeat hæc virtus, & ideò non oportet de hac re specialem disputationem instituere. Prima enim causa, quæ est finalis, iam declarata est, coincidit enim cum obiecto huius virtutis, si sit sermo de fine per se, & intrinseco, nam finis extrinsecus, quem adhibere potest operans, per accidens est, & variari potest, nec cadit sub scientiam. Causa efficiens propria, & Physica in acquisito habitu sunt actus: in infuso, Deus, suppositа dispositione subiecti, quæ fit etiam per actus proportionatos. Moralis autem causa per meritum, vel impetrationem, & instrumentalis per sacramẽta, ita possunt interuenire in hac virtute, sicut in aliis, neque in hoc habet aliquid speciale hæc virtus. Causa formalis Physica, & propria hîc nulla est, quia ipsa Religio est quædam forma: Metaphysica verò est differentia specifica eius, quam mox inquiremus. Obiectum verò, quod solet reputari quasi forma virtutis, quatenus specificat illam, iam explicatum est. Denique materialis causa virtutis non est nisi subiectum eius, quod in hoc ipso capite à nobis declaratum est, tàm quoad subiectum proximum, quod est voluntas, quàm quoad remotum, quod est natura, vel persona. Alia item materia, quæ in virtutibus interuenit, & vocatur, *Circa quam*, cum materiali obiecto coincidit, quod etiam declaratum est; nihil ergò de his causis dicendum supereſt. D E

Efficiens.

Formalis.

Materialis.

Corollarium secundum, de effectibus virtutis Religionis.

13. Effectus virtutis Religionis.

OMnes item effectus, qui in hac virtute considerari possunt, ex dictis colligi, & facillimè intelligi possunt: si tales sint, vt generaliter ad ipsam virtutem pertineant, ad duo enim capita reuocantur. Nam hic effectus potest esse, vel formalis, vel in genere causæ efficientis, quia causalitas materialis hîc locum non habet, vt per se constat. Finalis verò inueniri potest, multa enim ab homine fieri possunt propter hanc virtutem obtinendam, & tunc illa omnia possunt dici effectus huius virtutis in genere finis, tamen quia illa sunt extrinseca, & pro arbitrio operantis multiplicari possunt, non pertinent ad particularem considerationem huius virtutis. Tantùm ergo supersunt illi duo effectus, qui communes sunt omni virtuti, & tanguntur in definitione virtutis, cum de illa dicitur, quod *Facit bonum habentem, & opus eius bonum reddit.* Nam primum horum facit formaliter, id autem præstat vnaquæque virtus ex parte, & ita hæc virtus facit habentem religiosum, id est, promptum, & facilẽ ad religiosum cultum Deo persoluendum, vel si loquamur de infusa, inclinat ad colendum Deum superiori quadã ratione, & ad hoc dat & potestatẽ, & quandam connaturalitatem: & in hoc terminatur formalis effectus huius virtutis. In quo proportionem seruat cum reliquis, neque habet aliquid speciale notatione dignum. Secundum autem, id est, opus bonum facit hæc virtus effectiuè, siue Physicè eliciendo, siue moraliter imperando iuxta superiùs tractata. Quibus nihil hîc addere necesse est, quia huiusmodi effectus cum actibus huius virtutis coincidunt. Potest autem hæc virtus mediis suis actibus habere alios effectus, non tam Physico, quàm morali modo, & sic peculiariter habet effectum impetrandi, media oratione, de quo infrà dicemus, & habere potest etiam effectus merendi, vel satisfaciendi: sed hi communes sunt aliis virtutibus, & siquid habent peculiare aliqui actus huius virtutis, propter quod censeantur habere peculiarem aptitudinem, ad hos effectus, cum ipsis actibus explicandum est, ideóque nihil amplius de his effectibus hoc loco dicere necesse est.

CAPVT II.

Quomodo distinguatur Religio à Fide, Spe, & Charitate.

1. Ratio dubitandi.

RAtio dubitandi sumi potest ex Augustin. in Enchi. cap. 2. & 3. dicente, *Deum coli à nobis Fide, Spe, & Charitate:* ergo cum Religio tantùm sit ad colendum Deum, non est necessaria tanquam distincta ab illis virtutibus, cum dictum officium per illas sufficienter impleatur. Vnde idem Aug. lib. 10. de Ciuitate cap. 9. de dilectione Dei, ait, *Hic est Dei cultus, hæc vera Religio.* Deinde de Spe, & Charitate est specialis difficultas, quia vel in Religione consideramus reuerentiam, quam Deo exhibet, vel affectum reuerendi Deum. Illa prior reuerentia videtur ad virtutẽ Spei pertinere, sub vna ratione, licet sub alia possit ad Charitatem spectare. Affectus autem ad Charitatem omninò pertinet, non est ergo necessarium distinctam addere virtutem. Minor quoad priorẽ partem probatur, quia reuerentia Dei est quidam timor eius, ex sententia D. Thom. 22. q. 81. art. 2. ad 1. Timor autem est actus virtutis spei, vt alibi dixi, quatenus eiusdem virtutis est tendere in finẽ, & timere illo carere. Quod si timor est filialis, Charitatis est actus. Quoad aliã verò partem probatur eadẽ minor. Quia ille affectus reuerendi Deum, est quidam amor eius propter ipsum, sicut affectus quærendi in omnibus gloriã & honorem Dei, actus est Charitatis eiusdem Dei, quia est beneuolentia ad ipsum propter ipsum, ergo nullus est affectus proprius Religionis, qui non sit etiam Charitatis. Religio ergo non dicit virtutem distinctam, sed continet, & declarat veluti secundariũ effectum Charitatis, quo primò vult Deo intrinseca

D. Augustin.

D. Thom.

seca bona, deinde etiam extrinseca, inter quæ sunt cultus, timor, &c. Confirmatur, quia Religio dicitur esse idem, quod sanctitas: at sanctitas vera non est, nisi Charitas, ergo.

2. Vnica assertio, Religionis virtus à Fide, Spe, & Charitate distinguitur saltē specie.

Dicendum nihilominùs est, Religionem esse virtutem à tribus Theologicis distinctam. Assertio est communis, & certa ex D. Thom. dicta q. 81. art. 4. & 5. & cæteris Theologis in 3. d. 9. vbi breuiter de hac virtute disputant, & hoc vt certum supponunt. Et probatur facilè ex dictis de obiecto formali Religionis, nam distinctio virtutum ex obiecto proximo, & formali petenda est, obiectum autem proximum, & formale Religionis est diuersum ab obiectis illarum virtutum, ergo. Minor patet, quia si considerentur omnes hæ virtutes, vt tendunt in Deum, Religio formaliter respicit in Deo excellentiam, sub ratione cuius dignus est supremo cultu, & honore. At Fides attingit Deum sub ratione primæ veritatis: Spes sub ratione maximi boni nostri, Charitas sub ratione summi boni in se, & propter se amabilis. Quæ rationes omnes sunt valdè diuersæ ab ea, quàm obseruat Religio. Item si consideretur in his virtutibus materia proxima, in Religione semper est aliquid creatum, vt suprà visum est, in illis verò tribus est Deus ipse, ergò.

3. Religio à Fide quomodo distinguatur.

Meliùs verò hoc confirmabitur discurrendo per dictas virtutes singulas. Et primò de Fide loqui possumus, vel quoad habitum, quem ponit in intellectu, vel quoad illū, quem requirit in voluntate. De primo nota est distinctio, quia Fides, quoad illum habitum, est virtus intellectualis, Religio est affectiua, seu appetitiua; vnde Fides est in intellectu, Religio in voluntate. Est ergo clara distinctio. De secundo vero habitu conuenit ille quidem cum Religione in subiecto proximo, quia vterque habitus est in voluntate; conueniunt item, quia vterq; attingit aliquo modo Deū, vt obiectum *Cui*, vnde vterque immediatè versatur circa aliquam materiam creatam, seu circa aliquem actum humanum, quo mediante attingit Deum, & vtraque respicit Deum, vt obiectum *Quo*, seu formale talis materiæ, vt de Religione suprà est ostensum: de alio autem habitu patet, quia Deus reuelans, sicut facit res à se dictas credibiles, ita reddit fidem earum amabilem, & rectæ rationi cōsentaneā. Differunt autē, quia pia voluntatis affectio dum mouet, ac determinat intellectū ad credendum, non respicit in actu credēdi, honorem, vel cultum Dei, sed veritatem infallibilem: sub testimonio Dei propositam per iudicium: quod intelligitur ex iudicio, quod antecedit illam voluntatem, iudicat enim homo credendū esse Deo dicenti, nō quia Deus est dignus cultu & honore, sed quia est prima veritas testificans, quæ digna est credulitate. Vnde etiam inter homines aliud est esse fide dignum aliquem, quod habere potest etiamsi sit infimus de plebe: aliud verò esse dignum speciali obseruantia, quod requirit aliquam excellentiam. Est ergo clara distinctio Religionis à Fide quoad vtrunque habitum eiusdem fidei.

4. Religio ab Spe quomodo distinguatur.

Quod ad Spem attinet, generalis, & primaria differentia inter ipsam, & Religionem explicabitur in cap. seq. quæ consistit in hoc, quod Spes attingit Deū, vt obiectum *Quod* non autem Religio. Illa verò, quæ tacta est sufficit, estq; magis specifica, quod Spes non attingit Deum, vt superiorem, & excellentem formaliter: sed vt bonum summū sperantis. Vnde cum Spes confidit in Deo, vel sperat ipsum consequi, non id facit, vt colat Deum, vel reuerentiam exhibeat, sed vt in illum tendat, vt in bonum consequendum. In quo officio statim apparet longè diuersa honestas, & ratio virtutis, quàm sit in Religione.

5.

Ad difficultatem autem tactam de actu reuerentiæ respondeo, nomen hoc *Reuerentiæ* æquiuocum esse, nam cum homo dicitur reuerentiam exhibere Deo, tria ibi concurrere possunt, duo interiora, & vnum externum. Primò enim interiùs cōcipitur æstimatio quædam, per quam aliquis magnam reputat diuinam excellentiam, & hoc fit per actus intellectus, vel Fidei, vel Sapientiæ, aut Scientiæ. Secundò inde nascitur in animo veluti fuga quædam accedendi ad Deum, aut nimis familiariter tractandi cum illo, quæ ad voluntatem spectat, & sine dubio timor quidam est, qualis erat in illis, qui dicebant ad Moysem: *Loquere tu nobis, non loquatur nobis Dominus.* Tertiò hinc nascitur, vt tractando cum Deo, vel ad illum accedentes signa aliqua illius æstimationis, & timoris exhibeamus. Nomen ergo *Reuerentia* his omnibus tribuitur. Vnde Henri. quodlib. 10. q. 6. & Palud. in 3. d. 9. q. 1. art. 3. dicunt, *Reuereri aliquem, esse bonum alicuius magnum reputare*, quod pertinet ad primum actum. D. Thom. autem dicta q. 81. art. 2. ad 1. ait, *Reuereri Deum, esse actum doni Timoris.* Vnde sentit reuerentiam consistere in actu secundo. At Cicero lib. 2. de Inuent. *Obseruantia*, inquit, *est, per quam ætate, aut sapientia, aut timore, aut aliqua dignitate antecedentes reuereamur, & colimus.* Et lib. 1. Offic. *Adhibenda est* (inquit) *quædam reuerentia aduersus homines.* Vbi ad tertium illud, quod proposuimus significandum, videtur vocem illam vsurpare. Atque ita expeditur facilè difficultas, nam reuerentia sumpta primo modo, non est actus à Religione elicitus, sed à Fide, vel alio dono intellectus. Secundo item modo quamuis D. Thom. significet, non elici à Religione, sed ab speciali dono Timoris, nihilominùs probabile est, sub aliqua ratione elici ab Spe, & à Charitate, quod non obstat distinctioni harum virtutum à Religione, vt per se constat. An verò reuerentia illis modis accepta possit esse actus imperatus à Religione, in superioribus tactum est, & paulò inferiùs in hoc capite dicemus. Esto tamen, sit actus imperatus, non sequitur quod Religio non sit virtus distincta, quia vna virtus imperare potest alteri, à se distinctæ. Addo insuper, aliquem timorem reuerentialem posse esse elicitum à Religione sub diuersa tamen ratione. Nam Charitas timet accedere ad Deum indebito modo, ne illum offendat: Spes, ne priuetur Deo, & pœnam incurrat: Religio, ne deficiat in debito cultu Dei. Sic abstinere à frequentia communionis, potest esse actus Religionis, & ab ea elicitus, sicut odisse irreuerentiam Dei. Reuerentia item tertio modo sumpta, est actus Religionis. Et sic dicit D. Thom. dicta solut. ad 1. *Ad Religionem pertinere, facere aliqua propter diuinam reuerentiam*, id est, exhibere signa interioris æstimationis, & timoris diuini, quæ etiam nomine reuerentiæ significantur. Reuerentia verò hoc tertio modo accepta non significat solùm actum internum præcisè spectatum, sed vt procedit ab affectu accedendi ad Deum cum talibus signis, vel tali modo, qui consentaneus sit æstimationi, quam de illo habemus. Et hic affectus non est Spei, nec Charitatis, sed Religionis immediatè ab ea elicitus, exterior vero exhibitio signorum, est actus exterior, vel elicitus, vel proximè imperatus ab eâdem Religione.

Reuerentia quid sit, & à qua virtute.

Exod. c. 20.

D. Thom.

Henr. *Palud.* *D. Thom.* *Cicero.* *D. Thom.*

6. Religio quo modo à Charitate distinguatur.

Venio ad Charitatem, de qua nō est dubium, quin nullum commercium habeat cum Religione, quoad officium amandi Deum propter se ipsum, volendo illi omne intrinsecum bonum, quod habet, seu est. Difficultas verò est de Charitate quoad amorem, quem Deo exhibet, volendo illi etiam externa bona, quæ præcipuè sunt honor, adoratio, & gloria Dei: Cum enim affectus exhibendi Deo hæc eadem bona, pertineat ad Religionem, videntur quoad hos actus non distingui, & consequenter nomine Religionis nō significari virtutem à Charitate Dei distinctā, sed

significari eandem Charitatem sub inadæquato quodam conceptu, scilicet, quatenus est veluti quædam beneficentia ad Deum. Sicut beneficentia ad proximum, non est alia virtus ab amicitia illius, sed dicit illam, vt afficit hominem ad benefaciendum amico.

7. Veruntamen ex hac ipsa comparatione ad res humanas, illam ampliùs expendendo, intelligetur facilè distinctio, & soluetur difficultas tacta. Nam esto, amicitia humana, vel Charitas erga proximum sit benefactiua, hoc non impedit, quominus iustitia, gratitudo, & obseruantia, quibus proximo etiam aliquod bonum conferimus, & conferre volumus, sint virtutes distinctæ à Charitate proximi, seu amicitia, & beneficentia. Ita verò comparantur Charitas, & Religio ad Deum, sicut amicitia, & iustitia ad proximum. Nam Charitas Dei amicitia quædam est cum illo, vt *D. Thom.* constat 2.2.q.23. Et Religio est quædam iustitia, & obseruantia ad Deum, vt infrà dicemus. Amicitia itaque per se primò respicit beneuolentiam personæ, cui vult bonum formaliter, ac præcisè propter bonum eius. Iustitia verò intendit reddere alteri ius suũ, quod quidem, quamuis re ipsa cadat in bonũ, vel commodum eius, cui fit solutio: iustitia tamen ipsa formaliter non attendit hoc bonum, vel commodum, sed honestatem, quæ in constituenda æquitate per talem solutionẽ inuenitur. Ita ergo distinguetur Charitas à Religione etiam in his actibus, in quibus videntur circa eandem, vel similem materiam versari. Nam si aliquãdo Charitas amat diuinam gloriam, & honorem, illud ipsum est ex amicitia, & beneuolentia ad ipsam personam Dei, neque in eo attendit honestatem, quæ est in reddendo debito, sed hoc solùm, quòd sit aliquo modo bonum Dei, quem propter se diligit, tanquam vera amicitia ad Deum ipsum. Religio autem in diuina gloria procuranda, aut reddenda respicit diuinã excellentiam, & debitum, quod ex illa nascitur, vt suprà satis declaratum est.

8. Prima expositio verborum Augustini. *D. Thom.* Religio elicit cultum Dei, aliæ imperant. *Durand. Marsil.* Ad rationem ergo præcipuam dubitandi, ex dictis satis responsum est. Testimonium verò Aug. ibi adductum, variè exponitur. Primò D. Thom. dicta qu. 81. art. 5. ad 1. respondet, sensum Augustini esse, Fidem, Spem, & Charitatem generare in nobis verum cultum Dei, ita vt sensus sit causalis, his nimirũ virtutibus coli Deum, non quia ipsæ eliciant cultum Dei, sed quia generant, & inducunt illum, vel illuminando, vel imperando. Eodem modo intellexerunt Aug. Durand. 3.d.9.qu.1. Marsil. qu.8. art.1. dub.3. Et quidem sententia verissima est in se; quòd verò ille fuerit sensus Augustini, non audeo dicere: quia in ca.2. expressè interrogat, quomodo colendus sit Deus, & respondet in cap.3. *Fide, Spe, & Charitate*, & in cap.6. repetit *Illa tria, per quæ colendus est*; non ergo agit de principio, & causa cultus, sed de ipso cultu, & de modo, & actibus, quibus Deus colendus est, quia in eis verus cultus continetur. Existimóque, cum Augustinus Fidem, Spem, & Charitatem numerat, non solos actus internos ab his virtutibus elicitos intelligere, sed etiam omnes actus quacunque ratione ab his virtutibus procedentes comprehendere, vt in altero loco lib.10. de Ciuitate cap.6. & 9. clariùs constat.

9. Altera expositio. Aliter ergo idem D. Thom. in 3.d.9.q.1. art.1. qu.3. respondet, coli Deum Fide, Spe, & Charitate tanquam actibus, quibus Religio vtitur, seu quos imperat ad colendum Deum, quia ipsi continent in se quasi materialem cultum Dei supremum omnium, licet formalis intentio eius sub ratione cultus ad Religionem pertineat. Sicut contritio ex Charitate, est nobilissimus actus *Pœnitentiæ*, licet intendere illum sub ratione recompensationis, sit specialis virtutis Pœnitentiæ, & non Charitatis. Vnde constat, non esse inconueniens, actus Theologicarum virtutum à moA rali aliqua imperari, etiamsi illę perfectiores sint, quia hoc imperium non est nisi motio, seu applicatio ad actum proprium, propter finem alterius virtutis, quæ applicatio potest fieri ex libertate voluntatis, etiamsi ex natura rei necessaria non sit, atque ita potest virtus inferior vti actu superioris virtutis ad suum finem propter proportionem, quam ad illam habet. In quo nulla est inordinatio moralis, sed potius quoddam augmentum perfectionis, saltem extrinsecum, & accidentarium, quod in diuinam gloriam tandem ordinatur.

10. Proposita D. Tho. explicatio ab aliquibus impugnatur. Nihilominùs hæc expositio aliis non probatur, tũ quia non est de mente Augustini, tum etiam quia falsum continet doctrinam. Putant enim nõ posse fieri, vt actus Fidei, Spei, & Charitatis à Religione imperentur in Dei cultũ. Non quia Religio non possit imperare actus perfectissimarum virtutum, id enim non repugnat, vt ostensum est, sed quia oportet, quando sic imperat, vt actus imperatus habeat proportionẽ, & aptitudinem ad finem Religionis, propter quem imperatur. Actus autem Fidei, Spei, & Charitatis de se non sunt apti ad cultũ Religionis, quia non continent notam subiectionis ex parte colentis, nec significationem, vel testificationem diuinæ excellentiæ, & recognitionis eius. Vnde Bonauent. 3.d.9. art.2.q.2. *D. Bonauent.* ad 1. & 2. Ad Augustinum respondet, locutum fuisse latè de cultu, non prout pertinet ad specialem virtutem Religionis. Distinguit enim ibi triplicem acceptionem cultus, communis, proprij, & propriissimi. Primo modo significat omnem actum virtutis relatum in Deum, vt in finem. Secundo significat actus, quibus vnimur Deo, vt obiecto immediato, vt sunt actus Fidei, Spei, & Charitatis. Tertio significat actus, qui fiunt specialiter in honorem Dei, & testimonium excellentiæ diuinæ. Ait ergo, Augustinum locutum fuisse in secunda significatione.

11. D. Tho. responsio propugnatur vt verissima. Ego verò in 3.p.tom.1. ostendi, posse Religionem imperare actus Theologicarum virtutũ in peculiarẽ, & maximũ, ac propriissimum Dei cultũ. Quod etiam D. Thom. dicta q.81. art.8. satis significauit, dum vniuersaliter tribuit sanctitati, (quam idem esse cum Religione docet, vt statim dicemus) posse imperare actus omnium aliarum virtutum. Vbi Caiet. expressè *Caiet.* id docet de actibus Theologicis: Imò tunc (ait) Religionem mereri nomen sanctitatis, quando imperat vnionem cum Deo per tales actus. Art. item 6. ad 1. & 2. eiusdem quæstionis, sine limitatione dicit, Religionem esse virtutem vniuersalem in imperando aliis, & omnia opera virtutũ omniũ, vt sunt ex imperio Religionis, esse quædã sacrificia. Sub qua vniuersali locutione, actus Theologicos, etiã ipsius Charitatis cõprehendit, sicut & Augustinus quem refert, & exponit. *D. August. Gregor. de Valent.* Idem tenet Greg. de Valent. 3. to. disp. 6. qu. 1. puncto 2. Et vterque vtitur argumento ex voto sumpto, quia actus virtutũ Theologicarũ possunt esse materia voti, ergo possunt imperari à Religione. Quam rationẽ aliqui putant infirmã, quia sine promissione non possumus affectum reuerentiæ attribuere his virtutibus, sicut nec aliis extra Religionẽ: at facta promissione, iam habet locum in tali actu promisso affectus fidelitatis ad Deũ, quem Religio ibi exerceat. At profectò argumentũ satis firmum est, quia non solùm pertinet ad Religionẽ implere promissionem circa illos actus, postquam facta est, sed etiam promittere illos, nam ipsemet actus vouendi, Religionis est. In vouendo autem non cernitur affectus fidelitatis, sed cultus; ergò materia illa, quæ potest sub votum cadere, non potest esse inepta ad cultum. Nec video quid desit actibus Theologicarum virtutum, quominus assumi possint vt notæ reuerentiæ, & submissionis, ac cultus. Quia eo ipso, quod per Fidem captiuatur intelle-

ctus in obsequium Dei, est aptissima nota subiectionis,& submissionis. Idémq; est de aliis. Quapropter licèt affectus colendi non pertineat ad virtutes has, nec ad alias extra Religioné,(hoc enim nullus dicit:) tamen actus Theologicarum virtutum aptissimi sunt, vt ex affectu colendi Deum, & tanquam testimonia excellentiæ eius Deo offerantur. A

11. Hac ergò veritate supposita, rectè iuxta illam, Augustini verba intelliguntur, quia & intentio totius operis, & verborum proprietas optimè huic sensui
D. August. accómodantur. Et ideò in alio loco de Ciuitate semper loquitur de actibus harum, & aliarum virtutum, non secundùm se, sed vt in Deum referuntur, & hoc modo vocat illa sacrificia, non, vt sacrificiũ dicitur de quodã peculiari signo externo diuini dominij, vt infra videbimus: sed vt dicitur de omni cultu Dei ex vera Religione profecto. Ac denique licet illam expositionem Bonauenturæ admittamus, & illas varias significationes cultus, (quamuis non omnes videantur satis vsu receptæ) nihilominus ex illis, & ex dicta interpretatione intelligi potest, in actibus Theologicarum virtutum esse sufficiens fundamentum, vt à Religione imperari possint ex affectu cultus, ideò enim dicuntur esse proprij cultus de se, licet non propriissimi, quia de se non habent formalitatem illam, quæ est in affectu colendi, habẽt tamen quasi in actu exercito ipsam Dei reuerentiam, & quandam subiectionem ad ipsum, ratione cuius possunt ex affectu formali cultus imperari. Ex quo tandem patet, hinc non sequi idenditatem inter Religionem, & has virtutes, sed potiùs inde distinctionem illarum inter se clariùs innotescere. B C

13. Religio qua ratione sanctitas dicatur. *D. Thom.* Supereſt, vt de sanctitate, quod in vltima confirmatione petebatur, pauca dicamus, propter D. Thomã dicta qu. 81. art. 8. Vbi docet sanctitatem speciali ratione significare Religionem ipsam, quod pertinet magis ad vsum, & etymologiam vocis, quàm ad rem nouam explicandam. Nec dubitari potest, quin iuxta proprietatẽ vocis latinæ sanctitas ad Religionem pertineat, nam propriè dicitur sanctè fieri, quod Religiosè fit, ac proinde sanctitas propriissimè dicitur de ipsa Religione, sub diuersa consideratione, seu appellatione. Nam Religio vocatur, vt præbet cultum Deo, sanctitas verò quatenùs mentem purificat, & disponit, (imperando etiam ad hunc finẽ actus aliarum virtutũ) vt firmiùs coniungatur Deo. Vbi obiter notare licet, pro his, quæ diximus, Religionem non tantùm posse imperare actus aliarum virtutũ, vt continent cultum materialem, sed etiam, vt bene hominem disponant ad colendum Deum. Quod vsu satis constat, nam homo affectus ad orationem temperatè comedit, vt sit ad orandũ melius dispositus. Tũc ergò abstinentia à Religione imperatur. Existimóque Religionem, vt officium sanctitatis exercet, imperare actus Theologicos, vt supremum cultum, alios autem morales regulariter imperare, vt dispositiones ad cultum. Sic ergo Religio sanctitas est. D E

14. Nomẽ (Sanctitas) varias habet significationes iuxta D. August. Oportet tamen aduertere, hanc vocem *Sanctitas* varias habere significationes, vt notauit Augu. serm. 14. de verbis Apostoli, circa finem, & attigimus in 1. to. 3. p. disput. 18. sect. 1. Sumpta verò sanctitas prout attribuitur homini, & ad animam, verámq; eius salutem refertur, generaliùs sumi solet pro ipsa gratia, vel iustitia, per quam formaliter sanctificamur. Quid enim sanctitas dici potest, quàm illud, quo propriè sancti efficimur? illud autem est gratia, seu iustitia. Et hoc sensu videtur dixisse Paul. ad Hebr. 12. *Pacem habete cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Similiter Concil. Trident. sess. 5. cap. 1. in hoc sensu dicit. *Adam in Paradiso sanctitatem, & iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse,* &c. ca. 2. subdit:

D. Paul. ad Heb. c. 12.

Conc. Trident.

Acceptam à Deo sanctitatem, & iustitiam sibi, & nobis perdidisse. Hanc autem sanctitatem declarat postea in sess. 6. consistere in gratia, & donis Spiritus sancti, & ideò cap. 7. iustificationem sanctificationem appellat, quia nimirum ipsa iustitia sanctitas est, qua Deus nos sanctificat, *Signans, & vngens nos Spiritu promissionis sancto.* Et in eodem sensu dixit Basil. lib. de Spiritu sancto *Sanctificationem non esse absque Spiritu sancto.* Ita vt angelici spiritus suapte naturâ sancti non sint, sine communicatione Spiritus: *Aliàs,* inquit, *nihil ab ipso Spiritu sancto differrẽt.* Aug. verò lib. de salutaribus docum. c. 9. dixit, *Sanctitatem in operibus iustitiæ positam esse:* quod intelligendum est de iustitia Christiana, & ad Deum relata.

D. Basil.

D. August.

15. Nomẽ sanctitas, Religioni, & Charitati commune est. Hinc ergò Charitas meritò etiam dici potest sanctitas animæ. Nam Augustin. dixit lib. de Natur. & gratia, 42. *Charitas est verissima, plenissima, perfectissimáque iustitia;* habet enim semper adiunctam secum gratiam, & cætera dona. Nam si Religio vocatur sanctitas, eò quòd aliarum virtutum opera ad Dei gloriam referat: maiori titulo potest Charitas hoc nomen sibi vendicare, quia altiori modo refert omnes virtutes, & ipsam Religionem in Deum, & quia illa est, quæ præbet maiorem firmitatem, & animi puritatem ad ipsum diuinum cultum præstandum. Itaque fatemur, hoc nomen cõmune esse posse Religioni, & Charitati: negamus tamen, inde sequi, illas esse eãdem virtutem, quia vel æquiuocè de illis dicitur, vel solùm, quatenus aliquo modo conueniunt in tendendo ad Deum, & ordinando ad illum cætera virtutum opera, quæ ratio generica est, & non specifica.

CAPVT III.

An Religio sit virtus Theologica, vel moralis.

1. Ratio dubitandi proponitur. QVamuis iam constet, Religionem non esse aliquam ex illis tribus virtutibus Theologicis, adhuc dubitari potest, an Theologica sit, & cum illis virtutibus sub tali genere proximo constituenda. Ratio dubitandi esse potest, quia videtur Religio habere quandam specialem cómunicationem, seu conueniẽtiam cum virtutibus Theologicis, ratione cuius solet illis annumerari, & ab aliis moralibus condistingui: sic enim D. Tho. 22. qu. 30. art. 4. cum misericordiam præfert omnibus virtutibus moralibus, non videtur sub illis cõprehendere Religionẽ, nec 1. 58. arg. 2. vbi similiter loquitur de iustitia legali: ergò videtur Religio ad altius virtutis genus pertinere, quod esse non potest, nisi Theologica virtus. Quod sic declaratur: Nã virtutes Theologicæ illæ sunt, quæ hominem ipsi Deo coniungunt, talis autẽ est Religio, ergò. Patet minor, quia Religionis munus est, totũ hominem consecrare Deo, ideò enim deuotio ponitur præcipuus Religionis actus, & Religio ipsa hac ratione sanctitas appellatur, vt vidimus, ergò verè, & propriè vnit nos Deo. Cur ergò non erit Theologica virtus?

D. Thom.

2. Solet responderi, non vnire nos Deo immediatè, sed mediante aliqua materia creata, seu actione distincta ab affectu ipsius virtutis; de ratione autẽ virtutis Theologicæ esse, vt vniat nos Deo immediatè per actũ internum proximè à se elicitum. Sed contra hoc, insto discurrendo per singulas virtutes Theologicas. Nã Fides Theologica virtus est, etiã quoad habitum, quem ponit in voluntate, & tamẽ ille habitus nõ attingit Deũ immediatè, sed mediante alia actione distincta ab affectu proximè elicito ab illo habitu, qui est pia affectio, nõ immediatè ad Deũ, sed ad credendũ Deo: ergo. Maior probatur, quia Fides habet, quòd sit virtus propriè à voluntate, nam inde habet, quòd actus eius honestè, & liberè fiat, ergò si

Argumenta quæ suadent Religionem esse Theologicam virtutem.

1. Argum.

habitus voluntatis non est virtus Theologica, nec Fi- A
2. Argum. des erit absolutè Theologica virtus. Præterea de Spe est vulgare argumentum, quia nõ attingit immediatè Deũ, sed mediante beatitudine formali, per quam ipsi vniri speramus: & ita non vnit nos Deo ipsi per suum proximum effectum, sed beatitudini, qua illi
3. Argum. vnimur, quæ beatitudo, aliquid creatum est. Tandem Charitas non solùm est virtus Theologica, quatenus amat Deum in se, sed etiam quatenus amat Deo gloriam, & honorem propter ipsum, quia per hoc etiam amat Deum ipsum in se: Vndè talis amor respectu Dei est beneuolentiæ, licèt respectu honoris, & gloriæ Dei, sit concupiscentiæ.

Nihilominùs dicendum est, Religionem non esse B
3. Assertio 1. Religio non est virtus Theologica. *D. Thom. Caietan.* Theologicam virtutem. Ita docet D. Thom. dicta qu. 81. art. 4. & 5. & ibi Caiet. & omnes Theologi communiter in 3. d. 9. & suppositа doctrina præcedentis capitis, sumitur ex communi sensu Ecclesiæ, quia virtutes Theologales tres tantùm esse creduntur, de quibus propterea singulariter dixit Paulus. *Nunc autem manent Fides, Spes, & Charitas, tria hæc.* Rationem aliqui conantur desumere ex sola ratione formali obiecti, quæ debet esse Deus sub aliqua ratione increata. Sed hoc satis non est, quia Religio etiam habet pro obiecto formali Deum ipsum, id est, diuinam, & increatam excellentiam: illa enim est ratio sub qua Religio præbet cultum, vel adorationem, vt apertè docet D. Thom. hîc art. 4. Vbi ex speciali ratione excel- C
D. Thom. lentiæ diuinæ colligit propriam, & specialem rationem virtutis Religionis, & distinctionem eius ab aliis virtutibus. Est ergò illa ratio formalis obiecti huius virtutis, quod etiam ex superiùs disputatis cõstat, ergò si ad rationem virtutis Theologicæ sufficeret, vt respiciat Deum ipsum, vt obiectum formale sub aliqua ratione increata, nihil deesset Religioni, quominùs virtus Theologica sit.

Addendum ergò est, quamuis huiusmodi formale
4. Quæ sint ad Theologicã virtutẽ necessaria. obiectum sit necessarium ad virtutem Theologicam, non tamen esse sufficiens, sed oportere, vt etiam proximè, & immediatè attingat Deum vt obiectũ *Quod*. Quia vt perfectè, & simpliciter sit virtus diuina, necesse est, vt vtroq; modo Deũ attingat, id est, quod in D illo nitatur tanquam in obiecto formali, & quod nos immediatè coniungat Deo, vt vltimo fini, & primo
D. Thom. principio, quod spectat ad obiectum proximum, & immediatum, vt sumitur ex D. Thom. suprà, & 12. qu. 62. art. 1, 2. & 4. Religio verò licet nitatur Deo, & excellentiæ eius, vt obiecto formali, non tamen nos illi immediatè vnit vt obiecto *Quod*, & ideò nõ est Theologica virtus. Quod à simili confirmari potest exemplo Pœnitentiæ, & Obedientiæ, quæ hac ratione non sunt Theologicæ virtutes.

5. Denique potest declarari in hunc modũ: Nam excellentia diuina ita est formalis ratio obiectiua Religionis, vt tamen nõ sit obiectũ, quod immediatè vult ipsa Religio, quia velle Deo illã excellentiã potiùs est E effectus Charitatis, quàm Religionis: velle autẽ illam alteri, quàm Deo, nõ esset actus virtutis. Solùm ergò respicit diuinã excellentiam medio honore, vel cultu, quatenus scilicet ratione illius Deus sic honorabilis est, & ab illa talis honor habet quòd sit honestus, & debitus Deo: quod secùs est in omnibus virtutibus Theologicis. Quod in Fide est clarum, nam illa ita credit primæ veritati, vt credat etiam ipsam primam veritatem esse, vel infallibilem esse, vel quid simile. In Charitate etiam est manifestum, quia ita nititur bonitati diuinæ in amando, vt illam etiam amet ipsimet Deo, & ita per se primò amat Deum ipsum. Idem denique est in Spe, nã ita sperat aliquid à Deo, vt primò, & principaliter speret, & amet ipsummet Deum, tãquam summũ quoddam bonũ eius, qui illũ, & in illo sperat. Quia tamen hoc bonum non est (vt ita dicam) actuale bonũ ipsius hominis, nisi ei vniatur, & cõiungatur, ideò non speratur tale bonũ, quin simul speretur possessio eius, sicut amatur calor vnitus, & pecunia possessa, amor verò non tendit immediatè ad solam vnionẽ, vel possessionẽ, sed maxime ad calorem, vel pecuniã quod tamen non ita est in Religione, quæ tãtum respicit Deũ, vt terminũ cultus: nõ vt bonum, quod immediatè amet, vt declaratum est.

Atque hinc à sufficienti diuisione cõcluditur, Re- 6.
Assertio 2. Religionem esse virtutẽ moralem. ligionem esse virtutem moralem. Quia virtus volũtatis sufficienter diuiditur in Theologalem, & Moralem: ostensum est autem, non esse Theologalem, ergò est Moralis. Atque hæc est cõmunis sententia. Solus Durandus in 4. d. 14. q. 2. dixit, partim esse Moralem, & partim quasi Theologicam, quod exponẽs num. 7. ait, Latriam non esse purè moralem, quia non potest exire in actum suum, nisi præuiis actibus virtutum Theologicarum ostendentium obiectum sub circunstantiis, ad quas ratio naturalis non possit attingere. Sed hoc non rectè dicitur, nec ipse Durandus in 3. *Durand.* d. 9. ita loquitur, sed absolutè moralem eam vocat, sicut reuera est, quia nulla est virtus, quæ in sua essentiali ratione nõ habeat puram naturam virtutis Moralis, vel Theologicæ. Neque ratio Durandi est alicuius momenti, quia Religio operari potest ex proprio motiuo sine imperio Charitatis, vel Spei: Et Religio infusa solùm indiget proxima directione prudentiæ infusæ. Quòd autem supponat fidei fundamentum, non est contra rationem virtutis moralis, sed commune est omnibus infusis. Sed obiici potest, quia virtus moralis consistit in medio, Religio autem minimè, quia nũquam potest homo tantùm reddere Deo, quin plus debeat. Respondetur ex D. Thom. dicta Soluitur obiectiuncula ex D. Tho. & Durand. qu. 81. art. 5. ad 3. & Durando 3. d. 9. qu. 1. ad 1. Mediũ Religionis imitari Medium Iustitiæ, quod est æqualitatem constituere. Quia tamen non potest illam attingere, seruat eam prout potest seruata proportione ad conditionem hominis, & Dei, ita vt Deum deceat, & hominis conditionem non excedat.

Ratio dubitandi in principio posita ex dictis so- 7.
Solutio prima in qua asseritur piã affectionem moralẽ esse virtutem. luta est. Ad instantias verò factas de tribus virtutibus respondendum est. Ad primam de Fide nego habitum piæ affectionis, qui est in voluntate ad credendum, esse virtutem Theologicam, quia reuera ille habitus per se spectatus plus habet virtutis Moralis, quam Theologicæ. Neque inde fit, fidem in ratione virtutis non esse Theologicam, quia fides propriè, & per se est virtus intellectualis, & sub ea ratione est virtus Theologica, non secundùm eas denominationes morales, quas habet ab actu voluntatis. Adde quòd sicut actus credendi, vt includit affectũ, & assensum, est Moraliter vnus actus, qui simpliciter est Theologicus, quia per aliquid sui, immediatè attingit Deum, vt obiectum: ita etiam virtus Fidei est suo modo moraliter vna, vt constans ex habitu piæ affectionis, & luminis intellectualis: & illa est simpliciter Theologica, quia per actum suum immediatè attingit Deum, vt obiectum. Neque quoad hoc æquiparatur illi Religio, quantumcunque enim actus voluntatis cum actu intellectus per modum vnius coniungatur, nunquam attingit Deum, vt obiectum, ex vi, & influxu Religionis, sed solùm, vt terminum cultus. Nam si per actum petitionis, contemplationis, aut similem attingitur Deus, vt immediatum obiectum, id semper prouenit aliunde, scilicet, quia ille actus, vel est Fidei, vel alterius similis virtutis, vt suprà tactum est, disputando de oratione latiùs dicemus.

Ad secundam difficultatem de Spe, communis re- 8.
Solutio secundi arg. sponsio est, virtutem Spei immediatè attingere Deũ in se, quia ipse est summum bonum nostrum, quem nobis

nobis amamus per illam eandem virtutem, atque etiam speramus, vt mercedem potissimam nostrorum meritorum. Nec refert, quod non speremus illum, nisi sperando simul visionem, tanquam possessionem illius boni, quia non propterea Spes attingit Deũ mediante visione, sed vtrumque immediatè, vt bonum possessum, & id, quo possidetur. Quæ duo quasi componunt vnum finem ex formali, & obiectiuo conflatum, vt latiùs in Metaphysica, & in 1.2. traditur. Neque est simile de Religione, vt dictum est, quia non Deum immediatè amat, sed vt reddatur cultus Deo. Nec Deus, vt cultus potest propriè dici immediatum obiectum Religionis, quia ibi inuoluitur denominatio ab exteriori actu Religionis, qui est proximum obiectum eius, non verò Deus ipse secundùm se.

9. Solutio tertij arg qua etiam ostenditur virtutẽ Theologicã non operari in omnibus actibus qua talem.

In tertia instãtia de Charitate petitur, an Charitas, vt amat gloriam Deo, exerceat propriè officium virtutis Theologicæ ex parte obiecti *Quod*, ita vt illud sufficiat etiamsi per impossibile perfectior modus attingendi Deum præscindatur. Vt autem intelligatur interrogatio, est aduertendum, virtutem Theologicam non in omnibus actibus suis operari (vt sic dicam) quatenus Theologica est quoad obiectum materiale, quia non semper operatur circa illud obiectũ, à quo Theologica denominatur, vt Charitas, amando proximum, non operatur Theologicè, & sic de aliis. Et ratio est, quia virtus non denominatur Theologica ex adæquata materia, sed ex primario obiecto, quod proximè, & per se attingit, quod est Deus. Hinc ergò oritur dubium, quando ex Charitate amamus gloriam Deo, an ille actus possit dici propriè, & formaliter Theologicus ex ea parte, qua est amor beneuolentię Dei, quamuis illi solùm amet bonum extrinsecum creatum; & ex illa parte qua est amor concupiscentiæ ipsius gloriæ Dei, deficiat à ratione, & excellentia virtutis Theologicæ.

10. Resolutio subortæ dubitationis.

In hoc ergò dubio vtraque pars videtur probabilis, & facilè defendi posset. Nam quòd ille affectus propriè Theologicus non sit, probare videtur difficultas tacta, retorquendo argumentum ab actu Religionis ad actum Charitatis ex similitudine rationis, quia per illum actum non attingitur Deus immediatè, sed gloria Dei. Et sequendo hanc partem, manet solutum argumentum. Quia verò actus ille est verus amor amicitiæ, qui primò, & per se fertur ad personam tanquam ad obiectum, ideò satis verisimile est, illum actum esse Theologicum, quia vnit nos ipsi Deo, vt amico. Neque hoc amisso, sequitur idem dicendum esse de actu Religionis, quia licet per illum etiam velimus reddere gloriam Deo, nihilominus per illum actum non attingitur Deus, vt obiectum, quod amatur proprio amore amicitiæ. Et propria ratio esse videtur, quia ad amorem amicitiæ non sufficit velle alicui, quod est ei bonum, sed necesse est velle, quatenus bonum eius est, & propter ipsum: quomodo Charitas vult gloriam Deo, vel potiùs vult Deum esse gloriâ affectum, & propter hunc specialem modum amandi dicitur immediatè coniungere affectum ipsi personæ amatæ, & non tantùm gloriæ eius. At verò Religio vult præbere gloriam Deo non formaliter ex affectu ad ipsam personam, neque ptopter ipsam, seu propter bonum eius, sed solùm propter iustitiæ æquitatem, & honestatem, vt suprà dicebam: & ideò talis actus formaliter, & propriè loquendo non est amor amicitiæ ad Deum, nec tendit in illum, vt immediatum obiectum *Quod*, ac proinde ex vi talis actus non est Religio, Theologica virtus. Si autem attentè consideremus, hoc totum prouenit ex eo, quod illemet Deus, cui amo gloriam ex Charitate, est in se, & propter se primariò amatus per eandẽ Charitatem, & non per Religionem, & ideò in hac differentia potissimè sistendum est.

CAPVT IV.

Quomodo Religio à vera, & propria Iustitia distinguatur.

1. Quæstionis status aperitur, ac prima suppositio præiacitur.

POst comparationem Religionis cum virtutibus Theologicis, quibus propinquissima est, cum moralibus est conferenda, vt tandem eius vnitas, ratio, & dignitas intelligatur. Suppono autem primò, hîc solùm esse sermonem de virtutibus moralibus appetitiuis, seu voluntatis, vt excludamus virtutem moralem intellectualem, vt est prudentia, quæ cum in intellectu sit, satis claram distinctionem habet à Religione, quamuis Religio necessariò debeat esse coniuncta prudentiæ, vt ab illa in suis actibus dirigatur, quod commune illi est cum cæteris virtutibus. De qua prudentia religiosa, (vt sic dicam) an sit distincta à prudentia, prout versatur in materia aliarum virtutum, quæstionem habet generalem de vnitate prudentiæ, quæ ad hunc locum nihil spectat: nam vtcunque se habeat prudentia in se, & in suo esse, & vnitate, certum est, distingui à virtute Religionis, etiam prout versatur circa materiam eius, sicut distinguitur intellectus à voluntate, quia versatur circa illam materiam sub ratione veri, Religio verò sub ratione boni, & honesti secundùm talem speciem honestatis.

2 Secũda suppositio.

Secundò suppono, nullam hîc esse difficultatem de comparatione Religionis ad Fortitudinem, vel Temperantiam: sub his virtutibus includendo virtutes omnes, quæ harum partes potentiales appellantur, nam ab his omnibus differt Religio, non tantùm specie, sed etiam quodammodò genere. Nam virtutem moralem appetitiuam generali partitione diuidit S. Thom. 1.2. quæst. 59. artic. 4. & quæst. 60. artic. 2. in duo immediata membra, vnum dicit esse virtutum circa operationes, aliud circa passiones, quæ sub aliis vocibus dicuntur virtutes ad alterum, vel ad se. Quæ diuisio non est dubium quin esse possit in omni rigore, generis in species proximas, & immediatas, licet quælibet illarum subalterna sit, & genus continens sub se plures species, vel etiam plura genera minùs vniuersalia, quia omnes virtutes sub illo quasi supremo genere, seu diuiso comprehensæ, sunt propriè, & vniuocè virtutes morales: Et illa prima duo membra ratione suæ honestatis habent inter se essentialem diuersitatem, quæ ita potest explicari. Nam sicut in accidentibus, absolutum, & relatiuum essentialiter differunt: ita in virtutibus habere honestatem per respectum ad alterum, vel solùm per conformitatem ad ipsum operantem, sunt differentiæ virtutum, & honestatum, valdè essentiales. Vnde honestates habent valde distinctas, & media diuersarum rationum. Imò multi volunt, etiam in subiecto differre, quia virtutes ad alterum, sunt in voluntate, aliæ verò à multis creduntur esse in appetitu, de quo aliàs. Cùm ergò Religio sub priori membro virtutum ad alterum comprehendatur, vt ex suprà dictis constat, & ex D. Thom. 2.2. quæst. 80. fit pluſquam specie, & quasi genere distingui ab omnibus aliis virtutibus, quæ ad se, vel circa passiones esse dicuntur, & sub Temperantia, & Fortitudine includuntur. *D. Thom.*

D. Thom.

3.

Atque hinc vlteriùs sequitur, si accipiamus illum communem conceptum virtutis moralis ad alterum, illum verè, & propriè, ac simpliciter esse vnum genus, complectens eas virtutes, quæ propriè, & vniuocè sunt ad alterum. Quæ mihi videtur esse doctrina diui Thomæ 1.2. quæst. 60. artic. 3. vbi in solutione ad 1. *D. Thom.*

ad 1. ait, illam communem rationem posse appellari nomine iustitiæ, & sic non esse iustitiam vnam specialem virtutem, & quæst. 61. artic. 3. dicit expressè, sacros Doctores, & Philosophos interdum loqui de virtutibus sub generalibus rationibus, & sic iustitiam complecti virtutes omnes, quæ reddunt alteri debitum, vt partes subiectiuas. Ratio autem est, quia omnes illæ sunt propriè, ac simpliciter, & vniuocè virtutes morales voluntatis, quæ habent inter se conuenientiam essentialem in hoc, quod circa operationes ad alterum per se primò versantur, ergò ab illa conuenientia possunt accipere genericam, seu subalternam differentiam communem, in qua à cæteris omnibus virtutibus, quæ sunt circa passiones, generaliter differunt, inter se autem in illa conueniunt. Ergò ex illa differentia cum genere communi constituitur vna species subalterna, quæ est verum, & proprium genus ad omnes illas virtutes, quæ sunt ad alterum.

4. Sub qua cõsideratione Religio sit vera, & propria Iustitia.

Hoc ergò genus, quod vno simplici conceptu, id est, incomplexo habere possumus, possumus etiam simplici voce nominare. Non inuenio autem vocem aliquam simplicem ad hoc genus, ita significandum impositam, vel communiter vsurpatam. Nisi quis velit dicere, ita esse accipiendum nomen iustitiæ, quando generaliter sumitur, tanquam vnum membrum sufficienter diuidens virtutem moralem appetitiuam, in iustitiam, fortitudinem, & temperantiam. Et quidquid sit de hoc vsu vocis, tamen non est dubium, quin potuerit vel illa vox, vel alia similis ad illud genus significandum imponi. Quo posito, clarum est, Religionem esse veram, & propriam iustitiam illo modo acceptam, quia essentialiter, & vniuocè continetur, imò fortasse sub illo genere est perfectissima species, vt inferiùs dicam. At genus verè & propriè, ac simpliciter dicitur de specie suaærit ergò Religio sub hac consideratione vera, ac propria iustitia. Differet autem ab illa, tanquam species à genere, non enim conuertitur cum illa, sed ratio talis iustitiæ sic sumptæ multò vniuersalior est, vt per se constat. Ita ergò vtendo his terminis, satis clarè constat propositæ quæstionis resolutio.

5. Multiplex Iustitiæ sub diuisio.

Non sumimus autem in titulo quæstionis nomen propriæ ac veræ iustitiæ in hoc sensu, sed in ea significatione, qua Philosophi morales, & Theologi, præsertim D. Thomas pressiùs, & rigorosiùs illa vtuntur. Pro quo est vlteriùs sciendum, genus illud virtutis moralis ad alterum, quod explicuimus, subdiuidi posse in proxima mẽbra, vel genera, aut species subalternas variis modis. Nam qua ille conceptus virtutis est ad alterum, qui alter potest esse, vel Deus, vel homo: ideò immediatè diuidi potest in virtutem, quæ est ad hominem, vel ad Deum; item quia illa virtus, quæ est ad alterum, reddit ei debitum, ideò proximè diuidi potest in eam, quæ reddit debitum rigorosum, & quod legale vocant, vel debitum solùm ex quadam decentia, quod vocant morale. Item quia munus huius virtutis est constituere æqualitatem, etiam potest diuidi in eam, quæ tendit ad constituendam absolutam, & perfectam æqualitatem, & eam, quæ tantùm secũdùm quid reddit æquale, prout potest. Omissis aliis diuisionibus, quæ præsenti instituto non seruiunt.

6. *D. Thom.*

At verò D. Thom. 2. 2. quæst. 61. in principio, & quæst. 80. indicat, genus illud diuidendum esse in iustitiam formalem, (vt sic dicam) & potentialem. Distinguit enim ibi duplices partes iustitiæ, quasdam subiectiuas vocat, inter quas ponit iustitiam commutatiuam, & distributiuam, alias appellat potentiales, inter quas ponit Religionem, Gratitudinem, Pietatem, & plures alias. Et in partibus subiectiuis significat seruari propriam, & perfectam rationem formalem iustitiæ, in potentialibus autem esse tantùm conuenientiam aliquam cum formali iustitia, cùm aliquo defectu ab illius proprietate. Dum autem priores vocat partes subiectiuas, significat habere genus commune, in quo vera ratio formalis iustitiæ integrè saluatur; Et ideo vocaui hoc genus, iustitiam formalem. Et similiter dum alias omnes virtutes ad alterum, quæ hanc perfectionem iustitiæ non attingunt, potentiales vocat, etiam sentit in alio genere proximo conuenire, quod nos ex penuria vocum potentialem iustitiam appellauimus.

7. Iustitia legalis ex doctrina Diui Thomæ est vera, & propria iustitia.

In qua diuisione aduerto, quantùm ad prius membrum, omissam videri iustitiam legalem, quam vocauit generalem diuus Thomas, licet virtutem specialem esse declaret. 2. 2. quæst. 58. art. 5. & 6. præterquam ponit iustitiam eâdem quæst. 58. art. 7. Quam rursus subdiuidit in commutatiuam, & distributiuam quæst. 61. art. 1. Et ideò aliqui dubitant, an iustitia legalis sit propriissima, & formalis iustitia. Sed sine dubio D. Thom. supponit esse veram, propriam & (vt ita dicam) formalem iustitiam, & perfectiorem aliis, & ideò nunquam illam ponit inter partes potentiales iustitiæ. Sed agens de propria iustitia, prius diuidit illam in generalem, & particularem, vt patet ex dicta quæst. 58. artic. 6. & 7. & quæst. 59. artic. 1. vbi simili modo diuidit iustitiam. Et quæst. 79. art. 1. vbi explicat partes, quas integrales vocat, vtriusque iustitiæ generalis, & specialis, quatenus in communi, & propria ratione iustitiæ conueniunt. Eandem distinctionem habet 1. 2. quæst. 60. artic. 3. ad 2. Vnde cum 22. quæst. 61. in principio quæstionis, & in art. 1. solùm ponit duas partes subiectiuas iustitiæ, loquitur de iustitia, quam specialem vocat, nam de priori iustitia generali, seu legali post quæstionem 58. nihil ampliùs ex professo tractat. De illa verò, & de tota hac re nonnulla tetigimus in speciali disputatione de iustitia Dei.

8. Iustitia quæ inter homines exercetur, tres conditiones habere debet.

Vt autem aliud membrum, & ratio totius diuisionis intelligatur, quantùm præsenti instituto necesse est, aduerto ex D. Thom. in omnibus locis proximè citatis, & ex communi doctrina, cùm munus, & materia iustitiæ sit actio, per quam redditur debitum alteri, tria postulari ad quandam perfectam integritatem, & quasi consummatam rationem iustitiæ, scilicet, quod verum, & perfectum reddat debitum, quod cum æqualitate integrè reddat, quódque alterum omnino distinctum respiciat. Vnde fit, vt loquẽdo de iustitia humana, illa dicatur, & censeatur propria, & perfecta iustitia, in qua illa tria exactè inueniuntur; censentur autem inueniri in illa iustitia, quę inter homines versatur, siue respiciat debitum communitati, vt sic, siue debitum personæ priuatę in ordine ad commutationes, siue in ordine ad distributionem cum æquitate factam. Et ideò iustitia, vt dicit communem conceptum his virtutibus, vendicauit sibi nomen iustitiæ propriæ, seu formalis, quæ comprehendit sub se tres iustitias, legalem, distributiuam, & commutatiuam, vt tres partes subiectiuas, de quibus hîc ampliùs dicendum non est.

9. Quæ sint partes potẽtiales iustitiæ.

Aliæ igitur virtutes omnes ad alterum, vocantur partes potentiales illius propriæ iustitiæ, & sub illa consideratione censentur esse iustitiæ secundùm quid, quod nos significauimus per vocem illam *Potentialis*, quia per quandam imitationem, iustitiæ vocantur, vel quia deficiunt in aliqua ex dictis conditionibus iustitiæ, vt in illa quæst. 80. latè D. Thom. declarat. Add. verò in 1. 2. quæst. 61. artic. 3. quod licèt hæ partes potentiales iustitiæ dicantur deficere ab illa principalitate iustitiæ, nihilominus possunt habere aliunde principalitatem aliam, ratione cuius emi-

D. Thom.

emineant. Et ego addo, posse in aliqua conditione propria iustitiæ habere tantùm excessum, & eminentiam, vt etiam in vera latitudine iustitiæ emineant, dicantúrque deficere à proprietate iustitiæ potiùs per excessum, quàm per defectum, vt in secunda assertione statim explicabo.

10. Prima assertio. Religio est pars potentialis iustitiæ à qua differt essentialiter. *D. Thom.* Ratio.

Dico ergò primò. Religio non est vera, & propria iustitia, sed ab illa distinguitur essentialiter, & ab omnibus partibus subiectiuis sub illa contentis, atque hoc modo ponitur inter partes potentiales iustitiæ. Assertio est D. Thom. & communis. Ratio autem est, quia ex dictis tribus conditionibus iustitiæ, saltem duæ non inueniuntur cum omni proprietate in Religione. Vna est conditio ad alterum, nam licet homo sit res satis distincta à Deo Physicè, seu entitatiuè: tamen moraliter est quasi vnum cum illo, quatenus est res Dei, filius, & seruus. Sic enim in hominibus non censetur esse inter Patrem, & Filium, Dominum, & seruum tàm perfecta distinctio, seu alteritas, quanta ad propriam iustitiam necessaria est; idem ergo est in homine respectu Dei, vt bene notauit D. Thom 2. 2. quæst. 57. & art. 3. & 3. part. quæst. 85. art. 5. Alia conditio iustitiæ, in qua maximè deficit Religio, est in constituenda æqualitate. Nam homo propter infirmam conditionem suam comparatione Dei, & quia quidquid est, vel habet, totum est Dei: ideò non potest debitum Deo cùm æqualitate reddere. Ergo deficit Religio à proprietate iustitiæ. Imò concludit hæc ratio, si attentè consideretur, nullam virtutem, per quam homo reddat debitum Deo, posse esse veram, ac propriam iustitiam in illo sensu, quia necesse est, vt in omni tali virtute duæ illæ conditiones deficiant. Vnde etiam sequitur, nullum actum virtutis quo homo reddit debitum Deo, posse esse elicitum ab aliqua ex illis tribus propriis iustitiis, quas inter homines esse posse diximus, quia illæ virtutes cum veram æqualitatem de se constituant, non attingunt Deum. Et ita primò, & per se differt Religio à propria iustitia, quod iustitia propria, & humana versatur inter homines, Religio autem per se respicit debitum Deo.

D. Thom.

11. Obiectio Durandi cõtra propositam affert.

Contra hanc assertionem referri potest Durandus in 4. dist. 14. quæst. 2. vbi vult, pœnitentiam, quatenus Deo reddit satisfactionem, esse propriam iustitiam, eandem nimirum commutatiuam, quæ inter homines versatur. Quod si verum est, inde concludi potest, illum defectum in Religione inuentum non obstare, quominus illa sit propria iustitia, & eadem cùm humana. Et ratio reddi potest quia debitum ad Deum satis rigorosum est, non minùs, quàm ad hominem. Vnde differentia illa, quod persona, cui redditur debitum, sit homo, vel Deus, materialis videtur, quantùm spectat ad formalitatem debiti. Quòd autem homo non possit reddere æquale, etiam videtur accidentarium ad essentiam virtutis: quia virtus non respicit effectum, sed affectum, vt dixit D. Thomas dicta quæst. 81. art. 6. ad 1. Nam etiam ipsa iustitia commutatiua sæpe non potest soluere æquale ex defectu facultatis, & nihilominùs eiusdem virtutis, & honestatis actum elicit, dando affectum soluendi quantum quis potest, etiam si non sit tantum, quantum debet. Ad hoc autem etiam Religio inclinat, nam si non reddit æquale, non est ex parte affectus, sed ex impotentia subiecti, ex qua non variatur ratio virtutis. Quod si hæc duo seruentur, non potest deesse sufficiens ratio ad alterum, quia verum debitum, & vera solutio non potest esse nisi inter personas diuersas, vel secundùm rationales naturas. Et licet inter eas intercedat aliqua habitudo filij, vel sergi, &c. illa est quasi materialis, & solùm facit quasi Metaphoricam vnitatem, quæ non excludit proprii ssimam distinctionem, & alteritatem: ergo non potest impedire proprietatem iustitiæ.

D. Thom.

Potestque hæc difficultas augeri auctoritate D. Thom. 2. 2. quæst. 79. art. 1. vbi docet, hæc duo *Declinare à malo, & facere bonum*, speciali quadam ratione (quã ibi explicat) esse integrales partes propriæ iustitiæ generalis, vel specialis, vt in corpore articuli desertè declarat: & tamen subdit ibidem. *Ad iustitiam generalem pertinet facere bonum debitum in ordine ad communitatem, vel ad Deum*, vel vitare malum oppositum. Sentit ergo virtutem, quæ reddit debitum Deo, esse propriam iustitiam, sicut iustitia generalis est propria iustitia, vt diximus.

12. Cõfirmatur obiectio ex doctrina D. Thomæ.

13. Obiectio quoad primã partem dissoluitur.

Respondeo, sententiam Durandi de Pœnitentia esse falsam, & communiter reprobatam, vt in proprio loco latè ostendi. Et certè Durandus ipse non consequenter loquitur, nam in 3. dist. quæst. 1. ex eodem principio docuerat, Religionem deficere à propria, & perfecta ratione iustitiæ, tum quia homo est aliquid Dei, cui per religionem debitum reddit, tum etiam quia non potest illi reddere æquale. Et hoc confirmatur ab eo exemplo Pietatis, quæ est ad parentes, nam propter similes causas distinguitur à propria iustitia. Vnde ad rationem à nobis factam libenter admittimus, debitum Religionis in tota latitudine sua rigorosius esse, quàm debitum iustitiæ commutatiuæ: ac subinde ex eo capite non descendere à rigore iustitiæ, sed fortasse excedere, vt in sequenti assertione dicam. Nihilominùs (quidquid sit de illo rigore) dico ex hoc capite, posse sufficienter distingui Religionem ab omni humana iustitia, vt Diuus Thom. in locis citatis ex 2. 2. satis indicauit. Et ratio est, quia debitum illud ad Deum est alterius ordinis, ab omni humano debito: siue respiciamus excellentiam Dei in qua fundatur, siue Dominium, & superioritatem Dei in homines, siue quemcunque alium particularem titulum in quo possit tale debitum fundari.

D. Thom.

14. Secũda pars obiectionis expeditur.

Vnde ad aliam partem de æqualitate dicitur, quando impotentia reddendi æquale non nascitur ab intrinseco, sed ex debiti magnitudine, seu quantitate materiali, & quasi homogenea, tunc habere locum obiectionem factam: secùs verò esse quando impotentia ab intrinseco nascitur, id est, ex debiti excellentia, quod est alterius ordinis, & ex conditione personæ, quia vel nihil habere potest proprium respectu illius, cuius est debitor: vel quia quo magis conatur reddere, eò magis crescit debitum, quia debitum est quasi transcendentale respectu omnium operum talis debitoris ad talem creditorem comparati. Tunc enim impotentia reddendi æquale, ostendit planè singularem naturam illius virtutis quæ tale debitum reddit, longè diuersam à iustitia, quæ per se potest reddere æquale, & solùm per accidens interdum non potest. Vnde licet verum sit, virtutem magis respicere affectum, quàm effectum: tamen etiam inclinat ad affectum proportionatum obiecto, seu debito ex natura sua talem conditionem habenti: Atque ita responsum est ad vltimam partem. Nam diuersa conditio ad alterum tunc confert ad variandam rationem virtutis, vel iustitiæ, quando ratione illius oritur diuersa ratio debiti, vel intrinseca impotentia reddendi æquale, & ita contingit inter Deum, & hominem, vt explicatum est.

15. Ad D. Tho. testimoniũ respõdetur.

Ad testimonium D. Thom. respondeo in primis, D. Thom. accepisse iustitiam non propriè, sed latè, vt dicitur de omni virtute, quæ versatur circa operationem, & non per se circa passiones. Hoc patet ex solut. ad 1. vbi ait, illas duas partes *Declinare à malo, & facere bonum*, quæ generales videntur, speciali ratione appropriari iustitiæ, & non aliis virtutibus moralibus.

talibus. *Quia aliæ virtutes morales* (inquit) *consistunt circa passiones.* Ergò intelligit partes illas appropriari Iustitiæ, vt adæquatè distinguitur à virtutibus, quæ consistunt circa passiones, aliàs inadæquata esset ratio, & in rigore falsum in ea assumeret. Vnde quod in corpore artic. numeret iustitiam specialem, & generalem, & Religionem, gratia exempli accipiendum est; potuisset enim, si voluisset, alia adiungere, vt pietatem, quæ facit bonum reddendo debitum parenti, & declinat à contrario malo. Vnde cùm D. Thom. ibi dicit ad iustitiam generalem pertinere facere æquitatem in ordine ad communitatem, vel ad Deum, probabile est sumere iustitiam generalem non pro sola iustitia legali, aliàs illam confunderet cum Religione, sed largiùs, prout includit partes potentiales iustitiæ. Addo tandem, ibi insinuasse D. Thom. Religionem habere quandam maiorem proprietatem iustitiæ, quàm habeant reliquæ virtutes annexæ Religiosæ iustitiæ, vt in sequenti assertione declarabo.

16. Secunda assertio.

Dico ergo secundò. Religio in ratione debiti, quod Deo reddit, magis rigorosa iustitia est, quàm ipsamet propriissima, & perfectissima iustitia, & quàm omnes aliæ partes potentiales iustitiæ, quæ extra Deum versantur, à quibus proinde essentialiter differt, vnde non tantùm Metaphoricè, sed cum quadam proprietate, iustitia ad Deum dici potest. Ad explicandam, & probandam hanc assertionem, aduerto inter virtutes circa operationes, seu ad alterum, quæ ponuntur potentiales partes iustitiæ, posse discrimen quoddam considerari, nam quædam illarum reddunt propriè debitum, non minùs vel interdum magis rigorosum, quàm iustitia proprissima: aliæ verò solùm reddunt debitum largè sumptum, & interdum largissimè. Hoc significauit D. Thom. 2. 2. quæst. 80. dum distinxit duo membra illarum virtutum. Vnum est earum, quæ deficiunt in æqualitate, alterum illarum quæ deficiunt in ratione debiti: sub priori membro ponit primo loco Religionem, secundo Pietatem, tertio Obseruantiam: sub posteriori autem membro ponit Veritatem, Gratitudinem, Gratiam, Vindicationem, prout sine iniustitia fieri potest priuata auctoritate, Liberalitatem, Affabilitatem & Amicitiam. Sentit ergo, virtutes sub priori membro contentas non deficere à perfecta ratione debiti: imò statim declarat illas reddere debitum morale, & legale, ac necessitatis: nam de cæteris in secundo membro contentis, dicit reddere debitum morale tantùm. Quod vlteriùs subdistinguit, nam quoddam dicit esse necessarium ad honestatem virtutis, quale dicit esse in tribus illis, Veritate, Gratitudine, & Vindicatione; aliud esse tantùm congruentiæ, seu ad melius, vt in Affabilitate, & similibus, quas parùm dicit habere de ratione debiti.

Probatur 1. pars assert.

D. Thom.

17. 2. Assertionis pars confirmatur.

Ex hac doctrina constat ex mente D. Thom. Religionem non deficere à proprietate iustitiæ ex parte debiti. Quod autem excedat ex genere suo, probatur facilè, quia excellētius est dominium diuinum, quàm humanum, quodcunque illud sit, & grauior est iniuria facta Deo, quàm homini, & promissio facta Deo maius debitum legale, & morale inducit, quàm facta homini. Confirmatur, quia Pietas propriè dicta, prout est virtus, quæ reddit parentibus debitum, excedit iustitiam in ratione debiti ex suo genere, nā coniunctio maior ex se non debet minuere obligationem debitoris, nec ius creditoris, sed potiùs augere. Vnde rectè dixit Caiet. 2. 2. quæst. 57. art 4. inter patrem, & filium non esse propriè ius, sed esse plusquam ius. Et in eandem sententiam Soto inclinat lib 1. de Iust. quæst. 1. art. 4. vbi dixit, licet inter patrem, & filium minuatur ratio iusti, non tamen

Cõfirmatio.

Caietan.

Soto.

A minui rationem debiti, sed augeri. Et addit (quod hic nos intendimus) multò magis hoc conuenire homini respectu Dei, & meritò, nam quò maior est excellentia, & beneficentia Dei, quàm parentum, eò maius est debitum honorandi, & colendi Deum, quàm parentes. Et ideò dixit Christus Luc. 4. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem, & matrem &c. propter me, non est me dignus.* Ergò debitum, quod Religio respicit, superat debitum Pietatis. Propter quod dixit Ambros. in cap. 12. Luc. *Necessitudini generis, diuinæ Religionis pietas antefertur.* Si ergo Pietas in ratione debiti superat iustitiam, multo magis superabit Religio.

S. Luc. c. 4.

D. Ambros.

18. Tertia pars assertionis stabilitur.

Atque inde tandem efficitur, Religionem superare in ratione debiti omnes alias virtutes, quæ sunt ad alterum extra Deum; nam omnes illæ inferiores B sunt Pietate in ratione debiti, & quia ratio sumpta ex diuina excellentia de omnibus concludit. Addidi autem limitationem illam, *Extra Deum*, vt abstinerem à comparatione Religionis cum Obedientia, & Pœnitentia, quæ aliquo modo Deum respiciunt, & debitum illi reddunt, in quibus non habent locum rationes factæ, & ideò peculiari comparatione indigent, quam sequenti capite faciemus. Hinc verò satis per se constat altera pars assertionis, nimirum, distingui Religionem specie, & essentialiter à virtutibus omnibus, quæ versantur circa operationes ordinatas ad alterum extra Deum, vt sunt partes potentiales iustitiæ. Tum quia ratio debiti in omnibus est diuersæ rationis, vt ostendimus: Tum etiam, quia eo ipso quod Deum proximè non attingunt, differunt à C Religione in obiecto formali, & magna ex parte in materiali.

19. Dub. An sit præferēdum debitū Religionis debito iustitiæ

Vna verò grauis, & moralis difficultas ex hac comparatione oriebatur. An propter soluendum debitum ex Religione, prætermittendum sit debitum ex iustitia, vel ex Pietate, aut alia simili virtute. Nam ex dictis videtur sequi pars affirmatiua. In contrarium verò est, quia non potest quis iustè omittere solutionem debiti, vt sacrificet Deo: nec patrem in necessitate relinquere, vt Religiosus fiat, nec relinquere sponsam, vt votum Castitatis impleat. Sed hæ quæstiones, quæ grauissimæ sunt, non sunt hîc obiter transigendæ. Omittamus ergo illas in propria loca, quæ partim occurrent in materia de Voto, partim in materia de statu Religioso, partim ad alios tractatus D pertinent.

20. Breuis resolutio.

Nunc dico breuiter, aliud esse loqui de obligatione negatiui præcepti, aliud de affirmatiui. De priori verum est nunquam esse agendum contra Religionē, hoc est, contra Dei honorem, & gloriam propter seruandum, vel soluendum iustitiæ, vel Pietatis humanæ debitum: & hoc probat illatio facta, quia diuinus honor omni rei creatæ præferendus est. De posteriori autem obligatione dicendum est, non semper esse præferendum Religionis opus aliis obligationibus. Nam in primis si Religionis actus tantùm sit in consilio, & aliàs sit obligatio necessitatis, & ex præcepto, clarum est præferendam esse. Deinde præceptum affirmatiuum Religionis, non solùm humanum, sed etiam diuinum est, quod obligat quando aliæ circunstantiæ, vel obligationes non occurrerent, cessat sæpe, & desinit obligare pro tali tempore, propter obligationes alias Iustitiæ, vel Pietatis occurrentes, vel quia illæ magis vrgent, & obligatio Religionis potest in aliud tempus differri, vel quia, stantibus talibus obligationibus, aut circunstantiis, deest materia apta ad colendum Deum: quia non vult Deus coli bonis alienis, sed propriis, nec cum alterius iniuria, vel damno graui; sed de hac re (vt dixi) latiùs in sequentibus dicemus.

21.

Tandem ex dictis colligitur vltima pars proposita

Religio quo modo sit propria iustitia.

sita in assertione, nimirum Religionem esse aliquo modo propriam iustitiam, nam licet non sit cum illa exacta ratione, quæ in Iustitia humana reperitur, & explicata iam est, est tamen cum ea proprietate, quæ ad Metaphoram excludendam satis sit. Quod annotarunt in 22. Aragon. quæst. 58. art. 5. post 2. conclusionem, & Salon. q. 57. art. 4. & q. 58. art. 5. Eámque sumo ex D. Thom. in dicta q. 80. Nam postquam dixit, Religionem, (idémque est quoad hoc, de Pietate, & Obseruantia) non deficere à proprietate Iustitiæ in ratione debiti, subdit hoc debitum esse legale, *Quod pertinet* (ait) *ad principalem iustitiam*, vbi per *principalem iustitiam*, non intelligit solùm iustitiam propriissimam specialem, & legalem, nam etiam Religioni attribuerat, quod reddat tale debitum proprium, & (vt sic dicam) rigorosum; ergo comprehendit sub illa principali iustitia omnes virtutes, quæ reddunt proprium, & principale debitum, ergo Religio est quędam principalis iustitia, atque adeò propria iustitia, licet non exacta, modo iam explicato.

Aragon. Salon. D. Thom.

22. D. Thom.

Vnde insinuat D. Tho. ibi alium modum diuidendi iustitiam communissimè sumptam pro virtute, quę versatur circa operationes ad alterum. Nam quædam est principalis & propria, vt est omnis illa, quæ reddit proprium, & rigorosum debitum: alia magis Metaphorica. Et vtraque subdiuiditur, nam propria iustitia quædam est exacta, & rigorosa, quæ etiam vocatur simpliciter Iustitia: alia est, quæ deficit in ratione ad alterum, & æqualitate constituenda, & sub hoc genere primum locum tenet Religio. Aliud item membrũ subdiuidi potest in eam, quæ reddit debitum morale necessarium ad honestatem morum, & in eam, quæ solum habet congruitatem, seu decentiam absque necessitate. Estque consentanea hæc diuisio, & doctrina alteri doctrinæ D. Th. 1. 2. q. 60. art. 3. vbi docet, ex ratione debiti distinguendas esse Iustitias, ergò vbi in obiecto virtutis ad alterum, fuerit vera, & propria ratio debiti, ibi saluatur propria, & vera iustitia, etiamsi in aliis conditionibus non attingat omnimodam æqualitatem, & proprietatem iustitiæ. Vbi autem ratio debiti fuerit quasi Metaphorica, erit etiam Metaphorica iustitia.

D. Thom.

23. Duæ conditiones ad rigorosam iustitiam quomodo in Religione reperiantur.

Neque huic proprietati iustitiæ obstant defectus illi in æqualitate constituenda, vel in respectu ad alterum, quia neuter defectus tantus est, vt excludat sufficientem proprietatem in vtrâque conditione, licet non cum exactissima ratione. Nam æqualitatem facit, quantam potest, & quantam Deus à debitore prudentissimè exigit, & hoc satis est ad propriam quandam æqualitatem, licet non summam. Et quoad hoc, iuuat obiectio supra facta, quòd laus virtutis in voluntate, non in potestate consistit, vt dixit D. Thom. dicta qu. 81. art. 6. ad 1. Quod verò spectat ad aliam conditionem, etiam constat inter Deum, & homines esse propriam habitudinem ad alterũ, vt suprà etiam in quadam obiectione tactum est. Et licet ex aliis conditionibus minuatur hæc ratio ad alterum, id quidem satis est, vt Religio non sit exactissima iustitia, non verò vt non sit propria, vt à Metaphorica distinguitur. Denique illa conditio ad alterum in tantum necessaria est, in quantum ad verum debitum, & solutionem eius per aliquam operationem est necessaria; ad hoc autem sufficit ille modus alteritatis, qui est inter homines, & Deum, vt ex dictis constat, ergo.

***

A

B

C

D

E

CAPVT V.

An Religio sit virtus distincta ab omni virtute morali, quæ circa homines versatur, præsertim à Dulia.

TOta difficultas huius quæstionis consistit in explicanda distinctione virtutis Religionis ab illa virtute, qua colimus Sanctos: (nam de cæteris non est difficultas, vt ex dictis facile cõstat.) Ratio autem difficultatis est, quia ex dictis sequitur, virtutẽ Religionis, qua colimus Deum, essentialiter distinctam esse à virtute, qua colimus Sanctos, quæ Dulia specialiter appellatur, consequens autẽ videtur difficile. Sequela patet, quia dictum est, Religionem esse quandam iustitiam respectu Dei, quæ essentialiter distinguitur ab omni iustitia propriissima, vel potentiali, quę versatur circa operationes ad alterum creatum, qualis est Dulia. Minor autem probatur, primò quia vna est Charitatis virtus, qua Deum, & proximum diligimus, ergò vna est virtus Religionis, quâ Deum, & proximũ colimus. Probatur consequentia, quia sicut diligitur Deus per se, & homo propter Deum, ita etiam colitur Deus propter se, & Sancti propter Deum, vel sicut coli possunt Sancti propter suam sanctitatem creatam, ita etiã possunt amari propter virtutem creatam, ac supernaturalem, quam in se habent. Ergo sicut est vna Charitas ad Deũ, & Sanctos, ita & vna Religio. Secũdò fieri potest argumentum de virtute Obedientiæ, nam vna est tantùm virtus, per quam Deo, & hominibus superioribus nobis obedimus, ergo est etiam vna virtus, qua vtrosque colimus, sed per Duliam colimus superiores homines, ergo Religio nõ est alia virtus ab illa.

1.

Ratio difficultatis.

Prima dubitandi ratio.

Circa hanc difficultatem Marsil. in 3. q. 8. art. 1. ad 1. opinatur, eandem esse virtutem, qua colimus Deum & Sanctos, licet diuersa nomina habeat secundùm inadæquatos conceptus suos, nam prout colit Deum vocatur Religio, prout Sanctos, vocatur Dulia, sicut etiam eadem Dulia vocatur Hyperdulia, prout colit quosdam excellentes Sanctos. Et iuxta hanc sententiam facilis est responsio ad primam difficultatem, concedendo totum, quod infertur. Imò ex illa difficultate fortasse nata est hæc opinio, argumento sumpto à paritate rationis. Quia verò argumentum hoc ab extrinseco sumptum est, per locum intrinsecũ potest reddi ratio, quia totus Sanctorum cultus est respectiuus ad Deum. Vbi autem est vnũ propter aliud, ibi est vnum tantùm. Sed dicet aliquis, hoc solum esse verum de illo cultu, quo in Sanctis adoratur Deus principaliter, & Sancti sunt solùm, vt materia, vel locus, in quo adoratur Deus, de quo cultu verum est esse à virtute Religionis; negari autẽ non posse, quin Sancti, vt tales sunt, aliter colantur propter intrinsecam, & supernaturalem dignitatem, quam in se habent: imò communi, & morali vsu hoc tantùm modo colendos esse, vt alibi diximus, hic autem cultus non videtur respectiuus. Sed contra, nam illa etiam posterior adoratio Sanctorum respectiua est. De illa enim loquuntur Sancti, cum dicunt. *Qui colit martyrem, Deũ ipsum colere*, vt ex Leontio in quodam dialogo, & ex Germano in epistola ad Ioannem refertur in 7. Syno. Act. 4. & ita etiam loqui solent alij Patres, vt ex propria materia constat.

2. Marsilij sententia existimantis eadẽ nos virtu colere De & Sanctos.

Ratio verò est, quia ipsa sanctitas, quæ est per gratiam, naturâ suâ est respectiua ad Deum, nam est participatio quædam diuinæ naturæ, & Filium Dei constituit. Ideóque sicut honor exhibitus Filio regis, etiam si ad Filium ipsum verè terminetur propter dignitatem, quæ reuera in ipso est, nihilominùs est respectiuus ad Patrem, & in eum aliquo modo redundat:

3. Superior sententia exemplis probatur.

datitia honor Sancti, vt sic natura sua tendit in Deum, non solùm tanquam in vltimum finem, quo modo tendunt in eum omnia opera, eo ipso quod honesta sunt: sed speciali quodam modo, tanquam in obiectum aliquo modo coniunctum. Hic enim modus coniunctionis videtur sufficiens ad vnitatem habitus virtutis. Sicut in exemplo posito coniunctio inter Patrem, & Filium, satis est, vt ab eodem habitu procedat vtriusque honor. Item Legatus Regis licet in se verè adoretur propter dignitatem, quam in se habet, videtur nihilominùs coli ex vi eiusdem virtutis, qua colitur Princeps, cuius Legatus est. Et Pōtifex quatenus Vicarius est Christi, colitur quidem per se, & propriissimè, vt persona digna tali honore, propter dignitatem quam in se verè habet, & nihilominùs satis verisimile est, coli ex vi eiusdem virtutis Religionis, qua Christus ipse colitur, quia semper est respectiuus aliquo modo cultus ille, quia ex vi illius virtutis, qua colitur Christus, inclinatur quis ad colendum Vicarium eius, & illa virtus est sufficiens ad vincēdam totam difficultatem, quæ est in illo actu, ergò non est necessaria alia virtus.

4. Prima assertio. Religio distinguitur re ipsa, & essentia à Dulia, & omni alia virtute quæ respicit rē creatam. *D. Thom. Bonauent. Albert. Durand. Richard. Gabriel, Alens.*

Nihilominùs communis sententia est, Religionem esse virtutem re ipsa, & essentia distinctam à virtute Duliæ, & omni alia, quæ reddit cultum personæ creatæ: hæc sententia est D. Thom. in 2.2. q. 85. art. 4. & q. 103. art. 3. Et est communis Thologorum in 3. dist. 9. Bonau. Alber. Durand. Richard. Gab. & aliorum, & Alens. 3. part. q. 30. m. 1. art. 1. §. 2. vbi vtitur nominibus *Latriæ*, & *Duliæ*, tamen perinde est, nam Latria idem est, quod Religio, vt ex D. Thom. constat 2.2. q. 84. art. 1. & ex communi vsu. Item Concilia & Patres, quando communiter docent, Deum solum coli Latria, Sanctos Hyperdulia, indicant distinctionem inter has virtutes, saltem quoad actus ipsos, maximè quoad internos, & quoad intentiones, sub quibus cultus Deo & Sanctis defertur. Nam in externis actibus sæpè potest esse similitudo, & conuenientia, vt constat ex materia de Adoratione; intentio autem est, quæ moraliter, & formaliter cultus distinguit. Ergò distinguuntur Religio. & Dulia in primariis actibus suis, & internis affectibus, ergò etiam habitus distincti sunt. Probatur consequentia, quia distinctio inter illos actus non qualiscunque est, sed ex obiectis formalibus primò diuersis defumitur. sine intrinseca cōnexione, & habitudine eorum inter se. habitus autem & virtutes distingui solent ex huiusmodi actibus, & obiectis. Vnde Alens. ex differentia, quæ est inter excellentiam increatam Dei, & excellentiam cuiuscunque creaturæ colligit differentiam harum virtutum. D. Tho. verò ex diuersa ratione debiti, quia debitum respectu Dei est longè alterius ordinis, quàm respectu creaturæ. Quam etiam rationem tetigit Alens. in solut. argumentorum. Totum verò fundamentum est in diuersitate excellentiæ, nā inde accipit Religio totam excellentiam, & vt ita dicam, singularitatem suā & inde etiam variatur ratio debiti.

Alens.

D. Thom.

5. Cultus qui fundatur in excellentia increata quā uis applicata ad rē creatā, pertinet propriè ad Religionem

Vt autem hæc ratio magis explicetur, & soluatur ratio ostensiua in contrarium facta, aduertendum est ex superiùs dictis circa actus, & obiectum Religionis, non esse de ratione Religionis, vt non colat, aut veneretur nisi solum Deum, aut personas increatas, potest enim interdum proximè versari circa rem, vel personam creatam, tanquam in materia immediata, quam veneratur, vel colit; sed de ratione illius esse, vt semper immediata ratio colendi aliquid, quidquid illud sit, sit excellentia increata ipsiusmet Dei, quomodocunque ad illam applicetur, id est, siue intrinsecè, vt diuinis personis, ac diuinitati, siue extrinsecè per aliquam habitudinem, vt rebus sacris, & ipsi Deo immediatè consecratis vt tales sunt. Omnis ergò cultus, qui neutro ex his modis fundatur immediatè in excellentia increata, sed in aliqua creata, non pertinet ad Religionem, sed nouum genus virtutis moralis requirit. Cultus autem Duliæ, qui tribuitur sanctis, non fundatur immediatè in excellentia increata, sed in illa participatione creata excellentiæ, quæ illis cōmunicata est, vt ex materia de Adoratione constat. Non pertinet ergò elicitiuè ad Religionem, sed propriam virtutem requirit.

6. Cultus Duliæ non est formaliter, respectiuus, sed virtualiter tantùm ad increatā excellētiam. *Matt. 25.*

Neque verum est, cultum hunc, seu adorationem Sanctorum respectiuum esse propriè, ac formaliter, sicut est cultus imaginum, vel rerum sacrarum, sed solùm virtualiter, seu largo modo, dici potest respectiuus; quia qui Sanctos veneratur, virtute colit Deū, qui de suorum Sanctorum honore gaudet, & illum nobis commendat; & ita loquuntur interdum Patres, sicut Christus dixit, *Quandiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Nec gratia creata est talis, vt solùm sit adorabilis ex denominatione aliqua, vel habitudine ad excellentiam increatam Dei, sed ipsa in se est quædam absoluta excellentia quæ formaliter reddit dignam honore, & cultu personam, cui inest. Sicut natura ipsa rationalis, vel intellectualis, licet creata, reddit personam aliquo honore dignam. Neque honor in illa fundatus potest dici formaliter respectiuus ad Deum, eò quod natura illa sit ad imaginem Dei, & participatio quædam intellectualis gradus per essentiam, qui in Deo est, quia ille honor non fundatur proximè in illo respectu formali, neque in termino eius, sed fundatur in absoluto esse, & perfectione talis naturæ. Idem ergò est in altiori veneratione, quæ fundatur in excellentia gratiæ creatæ, nam licet illa in se fit participatio diuinæ naturæ, & perfectior quædam similitudo eius, quàm sit sola rationalis natura: nihilominùs suum absolutum esse habet, ac intrinsecam excellentiam, quæ est fundamentum illius honoris.

7. Superioris sententiæ exempla non conuincunt.

Ad exemplum autem de Patre, & Filio, suppono in primis non esse sermonem de illis formaliter, vt relatiua sunt, quia vel relationes ipsæ formaliter sumptæ non sunt rationes adorandi, vel si ita sumantur, non erit exemplum ad rem, quia gratia non est ratio cultus propter relationem, vt relatio est, sed propter absolutam perfectionem suam. Sic ergò loquendo de Filio prout habet absolutam naturam, quam à Patre accepit, Respondeo si sermo sit de Filio naturali, esse longè diuersam rationem, quia inter talem Patrem, & Filium est quædam æqualitas, & ideò mirum non est, quod eorum veneratio ad eandem virtutem pertineat: Sic autem gratia creata non facit Filium, sed longè inferiori, & quasi Metaphorica ratione. Si autem sit sermo de Filio adoptiuo inter homines, sic etiam non tenet similitudo, quia illa filiatio non confert absolutam & intrinsecam perfectionem, sicut confert gratia, & adoptio diuinam: & ideò si aliqua veneratio talis Filij in ea fundatur, illa magis est respectiua, de qua potest esse quæstio, ad quem habitum pertineat. Idémque est de aliis exemplis, Legati Regis, & Vicarij Christi; illæ enim dignitates nullam realem perfectionem, vel Physicam excellentiam addunt personæ, & ideò in illis exemplis adoratio videri potest magis respectiua, & pertinere ad eundem habitum cum cultu Regis, vel Christi. Nihilominùs tamen contrarium fortè est etiam probabilius in illis exemplis, quia in illa persona est propria excellentia, & moralis dignitas, quæ sufficit ad fundandum honorem absolutum diuersæ rationis. Sed de hoc aliàs, ad præsens enim nō refert, quia (vt dixi) excellentia gratiæ creatæ multò magis absoluta est, magisque intrinseca. Vnde cum diuersam rationem absolutam excellentię habeat, per se

so etiam habet propriam honestatem, propriámque difficultatem, quæ requirit propriam virtutem, quia licet Religio possit imperando iuuare ad illum actũ, non tamen per se elicere.

8. Prima dubitandi ratio initio posita de exemplo Charitatis expeditur.

Supereſt verò, vt ad primam difficultatem ex exemplo Charitatis desumptam respondeamus, quæ difficultas expediri non potest, nisi prius examinando veritatem exempli de vnitate Charitatis erga Deum, & proximum, quod ex professo tractare, videtur ab hoc loco extraneum; tamen vt difficultas expediatur, attingemus tantùm quod videbitur necessarium. Quidam ergo moderni superati illa difficultate, fatentur esse omnimodam rationem de Charitate, & de Religione. Nam sicut duobus modis potest coli Sanctus, ita etiam duobus modis potest amari proximus: & sicut cultus Sanctorum vno modo factus, est à virtute Religionis, alio verò modo requirit virtutem distinctam: Ita amor proximi vno modo exercitus est ab eâdem virtute Charitatis, qua diligitur Deus, alio verò modo postulat distinctam virtutem, quæ amicitia, vel beneficentia, aut specialis Charitas proximi dici potest: ergò nulla est differentia. Antecedens totum, quoad eam partem, quæ ad cultum spectat, in superioribus declaratum est. Nam Sancti (secluso periculo) adorari possunt non propter se, sed vt imagines, & templa sunt Spiritus sancti, qui in eis adoratur tanquam in sua peculiari imagine, ac sede. Et hic cultus ad Religionem, quâ Deus ipse colitur, pertinet ex omnium sententia, vt patet ex D. Thom. 3. part. quæst. 25. artic. 3. ad 3. Caietan. ibi, & 2. 2. quæst. 103. artic. 3. ad 4. Alens. 3. part. quæst. 30. mem. 3. artic. 2. §. 1. Albert. in 3. dist. 9. artic. 4. ad 2. & 3. Vuald. tom. 3. cap. 154. & latiùs à nobis dictum est in citato loco 3. part. Alio verò modo magis proprio & vsitato adorantur Sancti propter intrinsecam dignitatem creatam, & excellentiam gratiæ, quam habent, & ita coluntur propria virtute Duliæ distincta à Religione.

D. Thom. Caietan. Alens. Alber. Mag. Vualdens.

9. Quoad alteram verò partem declaratur assumptũ. Quia Charitas per se primò est amicitia ad Deum, cui ex vi talis amicitiæ volumus, non solum bona intrinseca eius, sed etiam extrinseca, ex quibus vnum est, quod in hominibus honoretur, & glorificetur. Sic ergo possumus vno modo amare proximo omne bonum, etiam supernaturalem gratiam, & gloriã ex affectu immediato, & formali ad ipsum Deum, cuius bonum, id est, honor, & gloria reputatur totum illud, quod proximo amatur, seu proximus ipse, vt talibus affectus bonis. Alio verò modo potest diligi proximus ex sola beneuolentia, & complacentia ipsius, volendo illi bonum quodcunque, etiam supernaturale, & Deum ipsum ob ipsiusmet proximi commodum, vt sic dicam, sistendo in ipso tanquam in proximo, & formali obiecto, licet nunquam excludatur relatio ad Deum tanquam ad vltimum finem. Quæ distinctio amorum videtur per se manifesta, quia in illis obiectis cernitur illa duplex ratio amandi, & nihil repugnat ita exerceri; imò vsu videtur compertum ita fieri. Primus ergo amor non est amor amicitiæ ad proximum, sed ad Deum; nam per illum actum Deo ipsi volumus bonum propter ipsum, proximo autem non ita, sed volumus illi bonum, vt sit suo modo quoddam bonum ipsius Dei, & ita ibi potiùs amatur proximus amore concupiscentiæ comparatione ad Deum. Et ideò ille amor ab ipsâmet Charitate Dei elicitus est, & hic correspondet primæ adorationi Sanctorum, quæ est ex eâdem Religione Dei. Secundus verò amor est amicitiæ ad proximum, nam ex complacentia ad personam eius, illi volumus omne bonum, quod per illum actum volumus, vnde etiamsi illi velimus Charitatem ipsam, & Deum, non est amor amicitiæ ad Deum, sed tantùm concupiscentiæ, quia illo actu non volumus Deo bonum propter ipsum, sed potiùs volumus Deum ipsum proximo, vt bonum eius, sicut gratia ipsa, vel Charitas amatur hîc ex concupiscentiæ amore comparatione proximi. Ergo talis amor non est ex Charitate Dei elicitus, cum non sit amicitia ad ipsum: ergo necesse est vt ad aliam virtutem pertineat, quæ per se, & adæquatè, vt sic dicam, versetur circa proximum, vt circa personam per se amatam; quæ propterea vocari poterit beneficentia, vel amicitia humana. Et hic amor respondet propriè Duliæ Sanctorum, & ita nulla relinquitur differentia inter illas virtutes in pluralitate, vel vnitate earum circa Deum, & proximum.

10. Proposita sententia Durando adscribitur.

Potéstque hæc sententia attribui Durando in 3. d. 9. q. 3. ad 1. nam respondens argumento facto de comparatione inter cultum sanctorum, & amorem proximi, respondet, in Charitate nõ esse aliam formalem rationem diligendi Deum, & proximum, quia per Charitatem diligitur Deus per seipsum, *& proximus solùm propter Deum. Et ideò est vna Charitas.* Et subiungit. *Amicitia autem, per quã diligitur proximus propter aliquam aliam rationem, quàm propter relationẽ, quam habet ad Deum, differt à Charitate secundùm speciem* Et huic posteriori amicitiæ significat esse similem cultum Sanctorum, quia fundatur in propria eorum excellentia, vt est distincta ab excellentia Dei. Alterius verò modi colendi Sanctos mentionem non facit, quia neque est, neque esse debet vsitatus. Atque hoc modo videtur respondisse ad idem argumentum D. Thom. 2. 2. q. 103. art. 3. ad 2. *Dicendum est* (inquit) *rationem diligendi proximũ, esse Deum. Nõ enim per Charitatem diligimus in proximo nisi Deũ, & ideò eadem Charitas est, qua diligitur Deus, & proximus. Sunt autem aliæ amicitiæ differẽtes à Charitate secundùm alias rationes, quibus homines amantur.* Et his posterioribus amicitiis dicit comparari Duliam, non priori amori, in quibus verbis illa exclusiua maximè ponderãda est. *Per Charitatem non diligimus in proximo, nisi Deum.* Nam inde videtur colligi, amorem Charitatis circa proximum obseruare tantùm proportionem cum illo cultu proximi, quo solus Deus per se colitur in proximo, seu in homine, & ita in his seruari proportionem, neq; esse necessarium alias differentias inquirere inter Charitatem, & Religionem.

D. Thom.

11. Vera sententia in qua assignatur differentia inter Charitatem, & Religionem, vt versantur circa Deum, & proximum. D. Thom. Alens. Bonauent. Alb Mag. Richard. Argent. Durand. Scot. Gabriel.

Nihilominùs Theologi communiter differentiam aliquam quoad vnitatem, vel distinctionem assignare conati sunt inter Charitatem, vt versatur circa Deum, & proximum, & Religionem, ac Duliam, vt versantur circa Deum, & Sanctos, vt patet ex D. Tho. 2. 2. quæst. 25. art. 1. ad 2. & quæst. 81. art. 4. ad 3. Alens. dicta quæst. 30. m. 1. artic. 1. §. 2. ad argu. Bonauent. in 3. d. 9. artic. 2. q. 4. ad 2. Albert. ibid. artic. 6. ad 1. Richard. artic. 3. quæ. 1. ad 1. & in 3. d. 27. & 28. Vbi etiam Argent. quæst. 1. artic. 1. in fin. & art. 3. & 4. Durand. quæst. 1. Scot. Gab. Richard. Albert. ibi. Quorum sententiam ego veram existimo, licet non sit facilis ad explicandum, & probandum. Vt autem hoc vtcunque præstemus, pauca de Charitate, vt est vna circa Deum, & proximos, præmittenda sunt, quòd enim sit aliquo modo vna dubitari non potest, quia Scriptura hoc satis significat, cum de Charitate, vt de vna virtute loquitur 1. Corinth. 13. Illique tribuit dilectionem Dei, & proximi. 1. Ioan. 4. *Si diligamus inuicem, Charitas Dei in nobis perfecta est.* Vnde August. epistol. 29. expresè dicit, Charitate diligi Deum, & proximum, idémque constanter docent Theologi, éstque totius Ecclesiæ vnanimi consensione ita receptum,

Fâdem virtute Charitatis qua diligimus Deũ diligi, & proximum. D. Paul. 1. ad Cor. 3. Ioan. Euang. 1. epist 40. D. August.

D

receptum, vt negari nullo modo possit. Vnde Greg. de Valent. tom. 3. disp. 3. quæ. 3. p. 1. in fine, certum esse dixit eâdem Charitate, qua diligitur Deus, diligi proximum.

12. Amoré proximi ex Charitate esse amicitiæ.

Addo vlteriùs ex Charitate diligi proximum vt amicum, atque adeò amorem Charitatis, vt est amor amicitiæ, non solùm erga Deum, sed etiam circa proximum versari. Ita docent Theologi, quos retuli. Et ratione declaratur, primò quia proximus diligendus est ex Charitate, non autem res irrationales, vt citati Theologi rectè distinguunt in hoc differentiam constituentes, quod proximum ex Charitate diligimus, vt amicum; hoc enim significatur propriè illa voce *Ex Charitate*, quia Charitas amicitia est, res autem irrationales amare possumus per Charitatem amore concupiscentiæ illarum, ex amicitia Dei, vel proximi, non verò ipsarum, & ideò illæ non dicuntur propriè diligi ex Charitate: ergò Charitate diligitur proximus amore amicitiæ ad ipsum.

13. D. Thom. Scotus. Capreol.

Secundò, Deus amat nos amore amicitiæ, licet propter suam bonitatem nos præcipuè amet, & licet nos amando, magis amet se ipsum, quia nos amat, vt res suas, & vt media, vel materiam gloriæ suæ, ergo licèt nos amemus proximum ad imitationem huius amoris Dei ex Charitate, nihilominùs verè dicemur amare illum amore amicitiæ. Antecedens commune est Theologorum. D. Thom. 1. part. qu. 20. art. 2. & 2. 2. qu. 23. art. 1. Scot. in 3. dist. 32. ad 2. Et ibi Capreol. in 1. dist. 45. q. 1. art. 1. & aliorum. Et de illo plura dixi Relect. 1. Disp. 1. sect. 2. num. 16. & sequentibus. Consequentia probatur ex paritate rationis, si enim in diuino amore non est contra rationem amicitiæ ad hominem quod Deus sibi hominem amet: cur in amore meo ad Petrum, erit contra rationem amicitiæ ad eundem Petrum, quod eum Deo amem? nulla profectò reddi potest ratio. Idem argumentum sumi

Ioan. c. 14. potest ex verbis Christi, *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Diligit enim nos Chri-

Ioan. c. 15. stus, vt verè amicos, sicut ibidem subdit. *Vos amici mei estis, &c.* Ioan. 15. Nec dubitari potest, quin ex Charitate nos amet vt amicos, nam de se ibidem ait. *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos.* At Pater ex Charitate Filium diligit, ex eâdem ergo nos diligit Christus illa dilectione, de qua ibidem subiungit. *Maiorem hac dilectione nemo habet.* Ergo ex eâdem Charitate possumus, & debemus nos inuicem diligere, vt amicos. Et certè vnitatem illam animorum, de qua legimus

Act. c. 4. Actor. 4. *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna* nec negare possumus fuisse ex Charitate, nec etiam negari potest fuisse veram, & supernaturalem amicitiam, vt ex Patribus rectè ibi confir-

Lorinus. mat noster Lorinus. Charitas ergò & Deum, & proximum amat vt amicum.

14. Aristot.

Tertiò ita hoc ostenditur, quia amor amicitiæ nihil aliud est, quàm beneuolentia cum redamatione, iuxta Aristot. 9. Eth. cap. 5. sed huiusmodi est amor Charitatis ad proximum, est ergò vera amicitia ad illum. Minor quoad posteriorem partem nota est, nam ita diligimus proximũ, vt ab illo redamari possimus, & debeamus: vnde quantum est ex hoc capite amor ille amicitiæ est. Prior verò pars probatur, quia ex Charitate volumus proximo maximum bonum eius, scilicet Charitatem ipsam per essentiam illi vnitam media Charitate participata. Et quamuis hoc etiam simul velimus, vt bonũ Dei suo modo, id est, vt pertinens ad gloriam eius; hoc tamen non excludit, quin illud velimus verè, & propriè ipsi proximo, vt verum bonũ eius: nã hæc duo repugnantia non sunt, vt patet in ipso amore Dei, quo nostrũ bonũ, vt nostrũ, simúlque vt gloriã suam amat. In hoc enim differt creatura

D. Thom. rationalis ab irrationali, vt notauit D. Tho. 2. 2. q. 25. art. 3. quod irrationalis non est capax habẽdi bonum tanquam proprium, quia non habet rationem, & libertatem: & ideò, licet velimus bonum creaturæ irrationali, non tamen vt ipsius, sed solùm, vt nostrum. At verò creatura rationalis est capax proprij boni propter intellectum, & libertatem, per quam potest vti suo bono, vt proprio. Vnde fit vlteriùs, vt sicut non est contra rationẽ boni proprij creaturæ rationalis, quod sit bonũ Dei, & ad hoc principaliter ordinatum, imò hoc pertinet ad perfectionem, & honestatem eius, ita etiam non sit contra veram, & perfectam beneuolentiam rationalis naturæ, velle totum eius bonum, vt cedit in gloriam Dei, quia nihilominùs illud est velle bonum verum, ac proprium eiusdem creaturæ; imò etiam quatenus tale est specificatiuè, licet talis amor non ibi sistat, sed transeat in Deum. Simili ratione declaraui, in dicta Relectione, amorem amicitiæ Dei erga nos, quia non est propter aliorum vtilitatem, vel commodum, sed propter suam gloriam; qui respectus est adeò intrinsecus, vt excludi non debeat à vero, & honesto amore amicitiæ: pari ergò ratione non imminuet veram beneuolentiam, & amicitiam proximorum inter se ex Charitate. Quæ rationes vtique probant etiam illam dilectionẽ Charitatis, qua proximo velimus Deum, & supernaturalia dona intuitu diuinæ beneuolentiæ, & affectus erga Deum, esse etiã veram, & supernaturalem amicitiam non solùm Dei, sed etiam proximorum. Quanquam respectu Dei sit veluti secundarius amor, (nam prior est, quo Deus in se, & propter se diligitur,) respectu verò proximi, est primus, & purissimus amor.

15. Inter homines amicitiam per se infusam non esse nisi Charitatem.

Hinc vlteriùs addo valdè probabile esse, nullã esse inter homines amicitiam per se infusam intrinsecè supernaturalem ex obiecto tàm formali, quàm materiali, præter Charitatem. Declaratur, nã duobus modis potest aliqua virtus esse per se infusa, vno modo ex obiecto formali tantùm, quia scilicet in eo consideratur conformitas ad supernaturalem regulã, etiãsi materia virtutis tota naturalis sit, vt contingit verbi gratia, in Temperantia infusa: Alio modo potest esse virtus infusa, quia & rationem formalem, & materiã, totúmque fundamentum suum habet supernaturale, ideóque conformitas ad rationem supernaturalem in ea supernaturalis est, quia illa sola est proportionata tali materiæ, & non tantùm, quia ad illam veluti eleuetur. Suppono deinde vt probabile, homines ex natura rei esse capaces virtutis moralis amicitiæ inter se, quæ naturalis sit, & acquisita. Vnde etiam fit probabile, posse huic virtuti respondere in ordine gratiæ, aliam virtutem infusam, quæ in illâmet materia versetur sub altiori ratione, & consideratione honestatis, & conformitatis ad rationem rectam supernaturalem, de qua virtute probabile etiam erit, esse moralem tãtùm, & à Theologali Charitate distinctam: de hac ergò virtute modò non disputo, neque aliquid huiusmodi de illa affirmo, vel nego. Sed asfero, homines, vt per gratiam vniuntur in supernaturali quadam natura, & quasi diuina, ratione cuius communicant in eodem fine supernaturali, esse capaces altioris, & supernaturalis amicitiæ, quam ideò voco intrinsecè supernaturalem, quia totum id, in quo per se fundatur, supernaturale est, eique debita est supernaturalis ratio diligendi, vt amor proportionatus sit. Hanc ergò amicitiam censeo probabilissimè esse ipsam Charitatem, & non aliam virtutem specialem, vt in hoc clariùs cernatur differentia inter Charitatem, & Religionem.

16. Probatur proposita sententia.

Probatur autem assertio primò ex dictis, quia ostensum est, proximum amari per Charitatem vero amore amicitiæ: ergo superfluum est, aliam amicitiã in hoc genere multiplicare, cum hæc sufficiat ad omne

Secúda probatio.

omne officium amicitiæ proximorum inter se. Deinde in eâdem vnitate, communicatione bonorum, & fine, vnica tantùm amicitia proportionata, & eiusdem ordinis fundatur: sed inter homines, vt eleuatos per gratiam ad finem supernaturalem est vnica communicatio, & quasi vnitas in participatione diuinæ naturæ, & beatitudinis, ergò & vnica amicitia infusa. Si ergo Charitas est vera amicitia infusa non solùm cum Deo, sed etiam cum proximo, vt est consequens ad prædictam vnitatem, & communicationem, profectò nulla alia fingenda est.

17. 3. Probatio.

Tertiò si esset alia, esset maximè ad amandum proximo Charitatem, & alia supernaturalia dona, & Deum ipsum, vt sunt bonum eius, in eo sistendo, vt in proximo obiecto, & fine. Hoc enim genus amoris, possibile esse admittimus, esseque bonum, & honestum, quia habet bonum obiectum nullam malam circunstantiam. Estque talis amor pertinens ad amorem amicitiæ talis personæ, vt per se patet, & non est amor formalis amicitiæ Dei, quia non est formalis beneuolentia eius, etiamsi virtute dici posset amor Dei, vel potiùs propter Deum, vt vltimum finem, quia talis actus fertur ex se in ipsum, sicut omnis bonus, & honestus amor. Nihilominus tamen asserimus, non esse necessarium, vt propter hunc actum, nouam Charitatem, & amicitiam omnino supernaturalem ad proximum introducamus, à Charitate distinctam. Probatur primò ab inconuenienti, quia talis virtus esset Theologalis, & distincta à tribus cõmuniter numeratis. Quòd enim sit distincta à Fide, & Spe, vt manifestum supponitur, quòd verò distinguatur à Charitate, asseritur ab aduersariis. Quòd autem Theologalis sit, probatur, quia immediatè fertur in Deum, vt in obiectum, quod diligitur, vt in finem vltimum supernaturalem proximi, erit ergò Theologalis virtus, nam omnis virtus, quæ attingit Deum immediatè, vt proximũ obiectum, & finem, est Theologalis, vt diximus. Quod si quis dicat, hunc finem, Deúmq; ipsum per talem virtutem amari proximo: hoc nihil obstat, quia solùm amatur illi, vt obiecto, seu fini, cui tale bonũ desideratur, hoc autem non est cõtra rationẽ virtutis Theologicę. Nã vnusquisq; etiã amat Deum sibi, vt fini *Cui*, & nihilominus talis amor spectat ad Spem virtutem Theologalem, quia bonum proximè amatum, & finis propter quem, est ipsemet Deus: ergò similis virtus proportionata respectu proximi erit Theologica, sicut Spes est virtus Theologica. Neque etiã refert, siquis dicat, Spem esse virtutem Theologicam, quia sperat illud bonum ab ipso Deo: nam simili modo amatur, & desideratur proximo: Vel ergò admittenda est alia virtus Theologica voluntatis à Charitate, & Spe distincta, vel dicendum est, amicitiam, qua volumus proximo supernaturalia bona, inter quæ primum, ac præcipuum est ipse Deus, non esse aliam à Charitate, qua diligimus Deum.

18. Quarta, & vltima probatio.

Vltimò declaratur, quia licet amor amicitiæ dicatur esse ad personam, cui bonum propter se amatur, ad bonum autem quod personæ amatur, dicatur esse concupiscentia, nihilominus absolutè, & simpliciter ipsa amicitia, vnica, & simplex existens, vtrumque amat, vt ait D. Thom. 2. 2. quæst. 25. art. 3. nã ex vtroque conficit sibi vnum obiectum, in quod simpliciter, & adæquatè fertur. Quocirca cum distingui solet amor amicitiæ ab amore concupiscentiæ secundùm realem, & essentialem distinctionem, non sumitur distinctio secundùm illos tantùm respectus inadæquatos eidem actui, sed per respectum ad diuersas personas, quæ amantur propter se, & propter bonum earum, nam quando talis amor est ad propriam personam amantem, dicitur concupiscentiæ; quando verò est ad alteram, est amicitiæ. Quomodo dixit Greg.

D. Thom.

D. Greg.

A hom. 17. in Euang. amorem debere esse ad alterum, vt possit esse Charitas, seu amicitia. At verò licet amicitiæ amor in hac proprietate sumptus, sit ad alterum, semper tamen supponit, vt fundamentum, vel conditionem requisitam, vnitatem aliquam inter diligentem, & dilectum, seu communicationem in aliquo bono, iuxta doctrinam D. Thom. 2. 2. quæst. 23. art. 1. & quæst. 25. art. 4.

19.

Hinc ergò fit, vt licet personæ, quæ amicitia coniunguntur, alioqui inæquales sint, si tamen vniuntur per cõmunicationem alicuius boni cõmunis omnibus, eâdẽ amicitia omnes diligantur. Ita verò contingit in supernaturali amicitia inter Deum, & homines. Nam ratio primaria, & fundamentum huius amicitiæ B est Deus ipse secundùm se, tùm quia eius bonũ propter ipsum primariò per hanc amicitiam diligitur, tum etiam, quia hoc bonum infinitum Dei, quatenus obiectum est æternæ fruitionis, est quasi vnicum centrum, in quo tota hæc amicitia versatur, & terminatur. Et ideò Deus eâdem Charitate per essentiã, qua diligit se, etiam homines sibi amicos, vt amicos diligit, & in hoc nostra Charitas participata diuinam Charitatem imitatur. Nec refert, quod participatio huius boni, & formalis beatitudo sit inæqualis, quia hic principaliter, & formaliter attenditur ipsum bonum, quo fruendum est, reliqua verò quasi via ad illud, quæ materialem potiùs, quàm formalem diuersitatem faciunt; maximè quia tota illa participatio est C diuini ordinis, & quodammodo eiusdem formalitatis ex parte obiecti: vnde licet in entitate sit diuersa, non tamen ita per se constituit diuersum gradum naturæ creatæ, vt possit aliter haberi, quàm per specialem, & superadditam participationem diuinitatis, & in eodem genere amoris diligitur, quo ipsa diuinitas, sicut necessarium cum principali.

20. Differentia inter Charitatem, & Religionem.

Ex quibus omnibus rectè concluditur, necessariò constituendam esse aliquam differentiam inter Charitatem & Religionẽ. Nam Charitas ipsa per seipsam inclinat nos ad proximos, non solùm vt ad bona amici, qui est Deus, sed etiam vt ad eos, ad quos amicitiam habemus, volendo illis supernaturalia bona, vt D expresse ait D. Thom. 2. 2. q. 25. art. 2. ad 1. Religio verò per se sola, & immediatè solùm inclinat ad diuinam maiestatem, & excellentiam, non verò ad sanctos, vt propriam quandam excellentiam habent, sed hoc est alterius virtutis munus, scilicet Duliæ. Volens autem D. Thom. rationem huius differentiæ assignare 2. 2. q. 25. art. 1 ad 2. dixit. *Amorem respicere bonũ in communi, honorem verò propriam excellentiam honorati.* Quæ verba apparent difficilia, quia etiam amor talis respicit particulare bonum personæ sic amatæ. Eandémque difficultatem habet, quod ait q. 81. art. 5. ad 3. Obiectum amoris esse bonum, honoris verò esse excellens, creaturæ autem communicari bonitatem E Dei, non verò excellentiam. Quod est difficile, quia prout in se sunt nec bonitas, nec excellentia diuina communicatur personis creatis, secundùm aliquam autem participationem ambæ communicantur.

D. Thom.

D. Thom.

21. D. Tho. loca difficilia de charitate, & Religione enodantur.

Possumus autem, & rem, & mentem D. Thom. ita exponere. Nam Religio formaliter respicit debitum ratione excellentiæ, vnde ex propria ratione habet respicere excellentiam secundùm illum peculiarem modum, quem habet in persona tali & sic excellentia diuina incommunicabilis est. At Charitas respicit vnionem amicitiæ, in qua non ita formaliter consideratur ille respectus, sed absolutè talis bonitas, & communicatio. Quam differentiam latiùs attigi in 1. tom. 3. part. disp. 52. sect. 3. Vbi etiam declaraui, hanc esse mentem D. Thom. locis citatis. Cum enim ait, amorem ferri ad bonum absolutè, vel in communi, non est sensus, ferri ad bonum in communi, &

non in particulari: hoc enim tam apertè falsum est, vt non potuerit in mentem D. Thom. cadere. Intelligit ergo amorem amicitiæ ex formali ratione sua non niti in bonitate, vt constituit vnum superiorem alteri, sed vt constituit vnum cum altero. Vnde quãuis in exercitio, & modo, seu gradu amoris etiam attendat modum, & gradum bonitatis, quia hoc spectat ad debitum ordinem, quem omnis virtus obseruat, nihilominus ad vnitatem amicitiæ sufficit conuenientia in aliquo communi bono, licet illud bonũ non æquè ab omnibus participetur, hunc enim respectum non ita attendit amor, sicut honor. Quæ differentia etiam ex vulgari, & communi sensu omniũ hominum comprobari potest. Nam vbi personæ inæquales sese communicant, vt amici quodammodo obliuiscuntur inæqualitatis, vel illam dissimulant, vt amicitia locum habere possit: cum verò honoris ratio habenda est, tunc vniuscuiusque excellentia, & dignitas formaliter attenditur.

22. Eadem distinctio vtriusq; virtutis demonstratur magis, & rationi dubitandi in principio positæ fit satis.

Deniq; declaratur in hunc modũ, quia amor amicitiæ semper fundatur in aliqua vnitate; impossibile enim est, vt ego alicui velim bonũ propter ipsum, nisi supponam illũ tanquam vnũ mecum. Religio verò, & obseruantia, seu Dulia potiùs respiciũt distinctionem, & diuersitatẽ inter honorantẽ, & honoratum, & in ea fundantur. Hinc ergo fit, vt plures, (qui aliàs inter se diuersi sunt) in quantũ in aliqua vnitate cõueniunt, possint etiã eâdẽ amicitia amari, licet in ratione cultus, & honoris suã distinctionem retineant. Ita ergo videtur esse in præsenti, nã Charitas est specialis amicitia supernaturalis, hominis cum Deo, quæ fundatur in speciali vnitate spiritus, quam efficit gratia inter Deũ, & homines, quæ vnitas eiusdẽ formalis rationis est inter homines inter se: licet non sit in eodem gradu, quod est veluti materiale quid ad rationẽ amicitiæ: & ideò Charitas nõ est tantùm amicitia inter homines, & Deum, sed etiam inter ipsos homines, quatenus eodem vinculo inter se, quo cum Deo, vniuntur per gratiam. Religio verò non respicit hanc vnitatem, sed protsus diuersitatem, vt dictum est. Et in hoc sensu dicitur excellentia diuina incommunicabilis creaturæ, scilicet, vt ratio est talis cultus. Bonitas autem dicitur communicabilis, non quidem ita, vt reddat creaturam æquè bonam, ac Deum, sed ita, vt coniungat creaturam cum Deo in vera amicitiæ vnitate, & consequenter etiam coniungat in eâdem amicitia personas omnes creatas, quæ illam participant. Ita ergo satisfactum est rationi dubitandi in principio positæ. De confirmatione verò, & de virtute Obedientiæ dicemus cap. sequenti.

CAPVT VI.

Vtrùm Religio sit virtus distincta ab illa, quæ debitam obedientiam Deo reddit.

AD considerandam propriam vnitatem virtutis Religionis, & distinctionem eius ab aliis, superest, vt cum aliis virtutibus moralibus, quæ aliquo modo circa Deũ proximè versantur, eíq; aliquod debitum reddere videntur, eam conferamus. Duas autẽ inuenio virtutes, quæ in hoc puncto difficultatẽ aliquam ingerere possunt. Vna est Obedientia, & altera Pœnitẽtia; de priori dicemus in hoc capite, de altera in sequenti. Ratio igitur dubitandi ex suprà dictis oritur. Nam diximus, Religionem esse iustitiam quandam ad Deum, quia illi proprium quoddam, & rigorosum debitum reddit, at hoc etiam conuenit virtuti Obedientiæ, reddit enim obedientiam Deo, quæ illi summa cum proprietate, & rigore debetur, non minus, quam cultus, aut veneratio, ergò Obedientia est quædam iustitia ad Deum, ergo erit idem cum Religione, nam iustitia ad Deum vna tantum est. Respondebit aliquis fortasse, Obedientiam non considerare rationem debiti respectu Dei, sed solum respicere honestatem, quæ in materia præcepta resultat, ex hoc præcisè, quod præcepta est, quod nos suprà tractando de obiecto insinuauimus.

Ratio dubitandi ponitur.

Responsio.

Contra hoc verò obijcitur, quia Obedientia est reuera debita Deo, vnde illi fit iniuria, si ei non obediatur, ergò ad aliquam virtutem pertinet hoc debitum reddere, ergò ad Obedientiã: Illa enim videtur maximè formalis Obedientia, imò sola illa videtur specialem virtutem requirere; nã illa honestas, quæ in materia præcepta resultat posito præcepto, non est vna, sed nunc ad Temperantiam, nunc ad Iustitiam, vel aliam similem virtutẽ pertinet. Ergò propria, & formalis Obedientia est iustitia quædã propria (licet potentialis) ad Deum. Vnde D. Thom. 2.2.q.104.art.2. ex ratione debiti colligit honestatem Obedientiæ. *Quia cum multa* (inquit) *debeant subdi suis superioribus; Vnum eorum est obedire illis: quod habet spec alem rationem boni*, & art.4.subiungit. *Moueri hominem ad obediendum Deo ex quadam necessitate iustitiæ.* Ergò Obedientia & reddit debitũ Deo, & est quædam iustitia ad ipsum, est ergò idem, quod Religio, nam sola Religio est iustitia ad Deum, & omne debitum reddit ei, aliàs essent plures virtutes distinguendæ, quæ varia debita Deo redderent, quod admittendum non est, vt lib. 1. tetigi, & infrà dicam. Tandem cõfirmatur, nã qui vouit Obedientiam Deo, certũ est debere illã ex speciali virtute Religionis, sed nõ est minus debitũ illud, quod ex se, & ex vi supremæ iurisdictionis Dei ipsa Obedientia debita illi est, ergò etiam seclusa voto, reddere Obedientiam debitã Deo pertinet ad illam virtutem, quæ pro officio habet reddere debitum Deo.

2. Refutatur ratione tradita responsio.

D. Thom.

In hoc puncto nullam inuenio moueri quæstionẽ à Doctoribus, sed omnes pro cõperto videntur supponere, Religionem esse virtutem distinctã ab Obedientia, vt patet ex D. Thom. 2.q.104.art.& ibi Caiet. Valent. &c. Patres etiam semper de his virtutibus, vt de distinctis loquũtur. Et apertè Greg. distinxit actus earum cum dixit. *Melior est Obedientia, quam victima*: de quo testimonio plura in sequentibus. Ratio autem reddi potest, quia formaliter, & in ratione honesti, aliud est colere, aliud obedire; prius, est officium Religionis, posterius, Obedientiæ; virtutes autem ex officiis, seu actibus distinguuntur, ergo virtutes illæ distinctæ sunt. Dicet aliquis, obedire, & colere non distingui tanquam duo membra specifica omnino condistincta, sed distingui, vt generale, & speciale, nam colere generalius est, obedire autẽ est quoddam colere. Nam obediendo Deo magnum cultum ei exhibemus: transgrediendo autem præceptum eius iniuriam, & irreuerentiam illi facimus. Sicut colere, & orare distinguuntur, vt generale, & speciale, quia (orare) quidam cultus est.

3. Vera assertio. Religio ab Obedientia propriè distinguitur. D. Thom. Caietan. Valent. D. Gregor. Probatur assertio.

Insurgit dubitatio.

Sed contra, quia licet (Obedire) possit esse materia cultus, si ex intentione formali ad eum finem dirigatur: sicut etiam credere, vel ieiunare; tamen obedire formaliter nõ est colere, nec adæquatè, nec tanquam particulare contentum sub generali, considerata ratione formali vtriusque, quæ ad distinctionem virtutum maximè spectãda est. Assumptũ declaratur, quia formalis ratio, & intentio obediẽdi nõ respicit reuerentiam debitam personæ, cui obeditur, propter excellentiam eius, sed respicit solùm honestatem, quæ est in obseruãtia præcepti, seu (quod perinde est) quæ est in conformitate voluntatis subditi cum voluntate Superioris volentis, & potentis obligare. Et hoc significauit D. Thom. dicta q. 104.art.2.ad 4.dicens, *Reuerentia directè respicit personam excellentem Obedientia verò*

4. Ostenditur ita diuersas esse rationes formales cultus, & reuerentiæ, vt vnum nõ contineatur sub alio tanquã sub-superiori.

D. Thom.

verò respicit præceptum personæ excellentis. Velle ergo obedire, formaliter non est velle colere superiorem, & ideò talis actus respectu Dei non est actus à Religione elicitus, ac proinde nec Obedientia ipsa est Religio. Et potest ex dictis hæc differentia explicari, quia Obedientia, etiam prout versatur circa præcepta Dei, non ita proximè tendit in Deum, sicut Religio, tum quia Obedientia tota versatur immediatè circa præceptum, & auctorem præcepti solùm respicit tanquam extrinsecam causam efficientem præcepti, vel tanquam regulam extrinsecam, cui secundùm voluntatem conformari tenetur. Vnde D. Thom. dicta quæst. 104. art. 2. in corp. & ad 3. dicit, *Proprium obiectum Obedientiæ esse præceptum, quod ex alterius voluntate procedit.* Et ad 1. dicit, non facere aliquem formalem actum Obedientiæ, *nisi quando operatur ex intentione implendi præceptum.* Et August. 14. de Ciuitate cap. 12. dixit, *Obedientiam commendatam esse in præcepto.* At Religio immediatiùs, & directiùs tendit in Deum, immediatiùs quidem, quia non nititur in præcepto eius, sed in excellentia eius, atque ita in eo, quod ipse est. Directiùs verò, quia non respicit Deum vt causam efficientem, sed vt personam, ad quam tendit colendo illam, tanquam proximum finem, seu obiectum, cui reuerentiam defert.

Explicatio vberior positæ distinctionis.

D. Thom.

August.

5. Ad rationem dubitâdi initio positam respondetur approbando datam respõsionem, & refutatio eiusdem confutatur.

Ad difficultatem igitur propositam benè respondetur est, Obedientiam non attendere formaliter ad rationem debiti respectu personæ superioris, quod attendit Religio. Sed generalitèr dicit reddere debitum, quia implet obligationem præcepti, & hanc obligationem formaliter respicit. Ad replicam vero concedimus, Deo esse debitam Obedientiam. Aduertimus autẽ hoc duobus modis considerari posse: vno modo, vt est quid pertinens ad bona Dei, vel (vt ita dicam) ad ius quoddam, quod Deus habet in creaturam suam, pertinétq; ad integritatem dominij eius, quod debet illæsum seruari: alio modo considerari posse solùm vt ex illo debito, & ex vsu illius potestatis nascitur quædam specialis honestas, quæ in re præcepta inuenitur, ex hoc præcisè quod præcepta est. Dico ergo Obedientiam non habere curam soluendi hoc debitum priori ratione spectatum, sed tantùm posteriori, vt explicatum est. Cum autem quæritur, an formaliter intendere debitũ hoc reddere Deo priori modo spectatum, scilicet quatenus quid illius, & in bonis eius extrinsecis computatur, pertineat ad aliquam virtutem, & quænam illa sit. Respondeo pertinere quidem ad aliquam virtutem, nam ibi profectò cernitur magna quædam, & specialis ratio honestatis, arbitrórq; pertinere ad specialem iustitiam ad Deum, de qua statim in puncto sequenti dicam. Et hoc existimo sensisse D. Thom. dicta solut. ad 4. cum distinguit inter reuerentiam, & obedientiam; & subdit, Obedientiam formaliter non respicere reuerentiam personæ, (vtiq; reddendo illi ius suum) posse tamen imperari ex reuerentia personæ, quia nimirum ab illa virtute, quæ respicit hoc ius diuinum, optimè imperatur obedientia in præceptis Dei.

D. Thom.

6. Loca D. Th. suprà posita in meliorem sensum traduntur iuxta eius doctrinam.

Ad D. Thom. respondeo, loca illa ex aliis eiusdem doctrinæ locis explicanda esse: Intelligit ergo obedientiam soluere quoddam debitum generali quadam ratione, quatenus omnis obligatio præcepti est debitum quoddam, in quo soluendo hoc habet proprium, & speciale obedientia, quòd illam obligationem præcepti formaliter, ac præcisè attendit. Et hæc obligatio vocatur etiam quædam necessitas iustitiæ latè sumptæ pro quacunque obligatione, quæ quouis modo alterum respicit. Sic etiam facilè soluitur confirmatio ibi addita de debito orto ex obedientiæ voto, in impletione enim illius voti, formaliter loquendo, id est, si præcisè ex vi voti impleatur, attenditur speciale ius acquisitum Deo ex vi talis voti, ideóque actus ille, vt sic, non est formaliter ex virtute Obedientiæ, sed Religionis.

7. Eâdem obedientia inclinamur ad obtemperandum Deo, & hominibus, non tamen eâdem Religione colimus Deum, & sanctos.

Deniq; ex his potest sumi aliqua ratio respondendi ad comparationem relictam in præcedenti cap. inter Obedientiam, & Religionem in vnitate. Quanquam enim hîc nec tractare velimus, nec definire illã quæstionem, an virtus Obedientiæ, quatenus inclinat ad obediendum Deo, & hominibus, vna sit: supponendo tamen id, vt probabile, ratio differentiæ inquiritur, ob quam Obedientia habeat illam amplitudinem, Religio verò sistat in solo Deo, & non habeat vnitatem cum virtute, quæ sanctos homines veneratur. Ratio igitur ex dictis reddi potest, quia Obedientia solùm attendit honestatem, quæ est in obseruatione præcepti vt sic: quæ eiusdem rationis esse videtur, siue tale præceptum manet immediatè à Deo, siue per hominem. Religio autem respicit excellentiam, & debitum ratione excellentiæ, prout singularis rationis est, in Deo suprà omnem creaturam, & ideò singularem virtutem requirit. Quam rationem attigit D. Tho. dicta q. 104. art. 2, ad 4. vbi etiam adiungit, quod licet obedientia præceptorum vnius rationis sit, potest imperari à causis specie distinctis, quia Obedientia ad præceptum hominis, imperari potest à iustitia ad hominem, vel ab obseruantia: Obedientia verò ad Deum, à Religione, seu iustitia ad ipsum.

D. Thom.

CAPVT VII.

Sitne Religio virtus à Pœnitentia distincta.

1. Quæstionis status expenditur.

DE hoc puncto tractaui in 4. tom. 3. part. & plenam eius resolutionem in hunc locum remisi, solùm quoad distinctionem inter virtutem Religionis, & Pœnitentiæ. Nam de aliis opinionibus, & variis modis explicandi Pœnitentiæ virtutem, & reducendi illam ad alias virtutes, vel Charitatis, vel Iustitiæ commutatiuæ, vel vindicatiuæ, vel in vniuersum ad omnes virtutes secundùm varios actus, & materias Pœnitentiæ, ibi satis dixi. Quapropter nunc supponimus, proprios actus Pœnitentiæ, qui reducuntur ad voluntatẽ efficacem satisfaciendi Deo, & recompensandi iniurias ei factas, & destruendi illas, in quantum in nobis est: suppono (inquam) hos actus, vt tales sunt, non elici à Charitate, nec à Iustitia morali, & propriissima, neq; ab aliqua alia virtute particulari, excepta Religione. De hac ergò virtute sola videndum est, an eliciat illos, & consequẽter an præter illam non sit necessarium, ponere aliam virtutem propter illos actus, sed illamet secundùm quendam inadæquatum conceptum vocetur Pœnitentia.

2. Opinio Caietani de vnitate Religionis, & Pœnitentiæ.

Caiet. ergo 3. p. q. 85. art. 2. asseruit Religionem ipsam elicere ipsum affectum Pœnitentiæ, ideóq; non esse necessariam aliam virtutem. Fundamentum Caiet. præcipuum, quo dicit conuinci intellectum suum, est quia actus Pœnitentiæ non potest esse primarius, seu per se primò conueniens alicui virtuti, sed tantùm secundarius alicuius virtutis, ergò Pœnitentia non est virtus specialis condistincta ab omnibus aliis, ergò maximè cum Religione coincidit. Primum antecedens probat, quia nulla virtus, vt sit, vel vt operetur simpliciter, & absolutè, necessariò supponit peccatum, aut actum sibi contrarium in tali persona præcessisse. At Pœnitentia quoad actus proprios pœnitentiæ, vt sic, supponit precessisse peccatum, ergo signum est virtutem, à qua illi actus procedunt, non respicere illos actus per se primò, nec vt primarios, sed habere alios, ratione quorum potest, & esse, & operari in subiecto suo, etiamsi in illo actus peccati non præcesserit.

Ratio Caiet.

3. Aliquorum responsio.

Cui rationi aliqui satisfactũ iri putant, excipiendo Pœnitentiam in hoc à cæteris omnibus virtutibus. Nam cæteræ (inquiunt) non sunt primariò ad destruendum malum, sed ad bonum per se primò tendunt, consequenter autem auersantur malum, prout tali bono contrarium. At Pœnitentia tanquam medicina quædam per se primò est ad destruendum malum, ideóque nil mirum est, quòd peccatum in subiecto supponat, vt in eo sit, vel saltem, vt operari possit. Sed hoc modo, vt existimo, non euacuatur difficultas argumenti. Nam de omni virtute in vniuersum verum censeo, nunquam ita versari per se primò, vel adæquatè circa destructionem mali, quin principaliùs intendat bonum, vel vt introducendum, vel saltem, vt conseruandum. Hoc latè probaui in

D. Thom. dicto tom. 4. Sumitúrque satis apertè ex D. Tho. 2. 2. q. 79. art. 1. vbi in principio art. ait. *Si loquamur de bono, & malo in commun: facere bonum, & vitare malum pertinet ad omnem virtutem.* Et infrà dicit, *Eiusdem virtutis est constituere aliquid, & constitutum conseruare in his quæ sunt ad alterum. Constituit quis æqualitatem iustitiæ faciendo vnum, id est, reddendo alteri, quod ei debet: conseruat autem æqualitatem iustitiæ iam constitutæ, declinando à malo, id est, nullum nocumentum proximo inferendo.*

Hæc doctrina applicari potest ad Pœnitentiam cum proportione. Nam si ad illam pertinet facere bonum, & constituere æqualitatem ad Deum, prout potest recompensando offensam, ad eam etiam spectat declinare à malo, nullam iniuriam ei inferendo, quod non importat negationem, sed motum voluntatis repudiãtis malum, vt in eodem art. ad 2. D. Tho.

D. Thom. dicit, ergo ex hac parte non supponit illa virtus, quæ est Pœnitentia, peccatum vel iniuriam, quæ præcesserit in tali subiecto, quia per se potest conseruare illud ius diuinum illæsum, & ad hoc afficere voluntatem. Quod etiam expressè docuit Alen. 4. p. q. 12. m. 1. art. 1. §. *Ad vlt.* alias q. 54. m. 1. art. 4. vbi respondet

Al. infra. Pœnitentiam esse in eo qui non peccauit, *ad actum detestandi peccatum simpliciter.*

5. Caiet principium recipitur, improbatur illatio, & probatio.

Fundamentum ergo Caiet. non deficit in antecedente, quod assumit, sed in illatione, vel saltem in eius probatione videtur deficere. Esto enim, pœnitentia sit talis virtus, quæ non necessariò prærequirat, quod præcesserit peccatum in subiecto suo, non inde immediatè sequitur esse Religionem: quia potest esse alia species virtutis, ad quam pertineat continere voluntatem, ne Deum offendat, & intendere in omnibus vitare diuinam iniuriam diuinúmque ius illæsum conseruare, quæ ratio obiectiua videtur diuersa à ratione cultus, quam attendit Religio, ac proinde Religionem non esse illam virtutem, ad quam actus

Instantia pro Caiet. Pœnitentiæ spectant. Sed contra hoc vrgere possumus argumentum in fauorem Caietani; quia Religio habet pro fine intrinseco, & adæquato reddere Deo debitum proprium, & legale, sed sub hoc debito includitur, vel recompensatio iniuriæ commissæ, vel obligatio, ne fiat: ergo totum hoc pertinet ad Religionis munus. Confirmatur primò, quia Religio est iustitia ad Deum veta, ac propria, quantum inter Deum, & homines esse potest, sed ad virtutem iustitiæ respectu alicuius pertinet recompensatio debiti, tàm contracti in actione alteri inuoluntaria, vt est

Responsio aliorum. iniuria, quàm ex quocunque alio titulo; ergò. Respondent aliqui, Pœnitentiam in hoc differre à Iustitia, quia non purè intendit redditionem debiti, sed intendit destructionem peccati, ne Deus nobis ampliùs iratus sit, sed placatus: Iustitia verò solùm intendit æqualitatem facere, siue alter, accepta satisfactione maneat offensus, siue placatus. Vnde aiunt, recompensationem pro iniuria Deo facta peccando, vt præcisè reddit debitum Deo, pertinere ad Religionem; vt verò tendit ad placandum Deum offensum, pertinere ad Pœnitentiam.

6. Vrgetur instantia in fauorem Caietani.

Sed certè D. Tho. 3. part. q. 85. art. 3. planè fatetur esse Pœnitentiæ munus reddere Deo quoddam debitum, ideóque esse partem iustitiæ, solúmque deficere à perfecta iustitia in reddendo æquale; nunquam verò distinxit Pœnitentiam à Iustitia, vel Religione in hoc, quòd intendit placare Deum, ne peccatori ampliùs iratus sit, & ad hunc finem intendit destructionem peccati. Nec potest re vera ex hoc fine Pœnitentia distingui ab aliis virtutibus. Quia placare Deum, ne nobis ampliùs iratus sit, ex duplici affectu potest in nobis procedere. Primò ex affectu beneuolentiæ ad Deum in se, seu ex cõplacentia ad ipsum: & sic intendere illum finem est proprius actus Charitatis, ad quam pertinet, & velle Deo omne bonum eius propter se ipsum, & complacentia in ipso propter ipsum, & auferre omnia impedimenta amicitiæ eius, quatenus talia sunt. Vnde si in actione, & satisfactione pœnitentiæ, interdum ex hac intentione homo operatur, quæ optima est: ex imperio, & motione Charitatis operatur. Secundò potest quis intendere placare Deum anteà offensum, ne sibi ampliùs iratus sit, ex beneuolentia ad seipsum, & propter proprium commodum; quia magnum suum detrimentum reputat & meritò, habere Deum sibi iratum. Et hic affectus, sicut non est Iustitiæ, ita non est proprius Pœnitentiæ, sed est amoris proprij commodi, qui est beneuolentia quædam ad se ipsum, quæ concupiscentia nominatur. Quòd si supernaturaliter habeatur, pertinet proprie ad virtutem Spei, ad quam pertinet (vt alibi dixi) supernaturalis amor concupiscentiæ sui ipsius. Vnde illa intentio placandi Deum sic accepta, non differt ab eo, quod Concil. Trid. dixit, veram Pœnitentiam debere esse cum Spe veniæ. Quid est enim placare Deum, nisi intendere consequi veniam ab illo? Intendere autem veniam, & sperare illam, idem sunt: habere autem spem veniæ, omnes fatentur esse actum Spei præuium ad Pœnitentiam, & quasi imperantem illam. Non ergò debet illud motiuum placandi Deum poni, vt peculiare pœnitentiæ, neque inuolui cum proprio eius motiuo, quod est recompensare Dei offensam, propter iustitiæ æquitatem.

7. Durandi locutio recipitur, illatio refutatur.

Et quoad hoc meliùs locutus est Durand. æquiparando Pœnitentiam cum iustitia humana. Nam sicut respectu hominis, cui iniuriam intuli, illud motiuum resarciendi inæqualitatem factam, est per se honestum, & constituit iustitiam ad hominem: ita respectu Dei simile motiuum est sufficiens ad aliquam virtutem constituendam, quæ non est nisi Pœnitentia. At inter homines, licet etiam possit quis intendere per satisfactionem simul placare personam, ne sibi ampliùs sit offensa, vel irata: hoc per se non spectat ad iustitiam humanam, nec potest aliunde procedere, quàm vel ex amore beneuolentiæ erga personam offensam, propter puram amicitiam, vel gratitudinem, vel aliquid huiusmodi, vel ex timore humano illius radicato in amore concupiscentiæ, seu proprio. Sic enim interdum quis procurat placare amicum, quem offendit, solùm quia illum, illiúsque amicitiam amat: aliquando verò intendit quis placare Regem offensum, quia illum timet. Neque hinc multiplicantur aliæ virtutes, præter iustitiam elicientem, & amicitiam, vel amorem sui imperantem. Ita ergò contingit profectò in recompensatione diuinæ offensæ; nec quoad hoc ratio aliqua diuersitatis reddi potest. In hoc ergò nihil errauit Durandus, sed in eo, quòd inde intulit identitatẽ inter iustitiam humanam, & diuinam, falsum dixit, quia non attendit altiorem rationem debiti ex parte Dei, & inæqualitatem

tem

tem recompensationis ex parte hominis, quæ postulant iustitiam alterius, & altioris rationis, vt suprà dixi.

8. Discursus pro Caiet. sententia, quo tandem probabilis iudicatur.

At verò hæc omnia videntur suadere opinionem Caiet. quia hæc iustitia excellentior erga Deum, non videtur esse nisi Religio. Et confirmatur, quia vel redditio debiti ad Deum, in hac generali, & adæquata ratione sumpta, est specifica in ratione obiectiua, ita vt vnam tantùm, & specialissimam virtutem iustitiæ constituat, & sic non distinguentur Pœnitentia, & Religio: vel est generica, & sub illa distingui possunt rationes debiti ad Deum speciales, quæ sufficiant distinguere essentialiter plures virtutes reddentes debitum Deo: & sic non solùm duæ distinguendæ erunt, scilicet, Religio, & Pœnitentia, sed plures aliæ, putà, gratitudo ad Deum, fidelitas ad Deum, obseruantia ad Deum, quæ specialissimè videtur dici Religio. Patet sequela, quia sicut aliud est debitum, quod nascitur ex iniuria illata; ita aliud est, quod nascitur ex beneficio accepto, aliud ex promissione facta, aliud ex dominio, vel excellentia personæ: ergo vel hæc omnia distinguunt virtutem, vel nullum; multiplicare autem tot virtutes videtur difficile, & inusitatum: ergo sistendum est in vna virtute, quæ hoc totum munus exerceat, totúmque reuocet ad cultum adæquatum Dei. Quia cùm Deus non sit capax boni vtilis, vel alterius commodi; quidquid illi redditur, vt debitum quocunque titulo, ad gloriam, & cultum eius pertinet, nec potest esse aliquid huiusmodi, quod non innitatur diuinæ excellentiæ, eámque respiciat.

9. Sic igitur videtur fieri verisimilis, & probabilis opinio Caietani, quod Religio sit vnica virtus specialissima habens innumeros actus reddendi debita Deo, ex quibus quidam pertinent ad reddendum debitum pro peccato, sub qua habitudine peculiari, & per conceptum inadæquatum, illa virtus denominatur Pœnitentia, re tamen vera est ipsa Religio. Est ergo hæc opinio probabilis.

10. Vnica assertio: Religio à virtute Pœnitentiæ distinguitur.

Nihilominùs existimo non fuisse opinionem diui Thomæ, nec antiquorum Theologorum, vt in 4. tom. probaui, ideóque probabilius censeo, Iustitiam ad Deum, seu virtutem, quæ reddit debitum Deo, ad minus distinguendam esse in duo membra essentialiter distincta, vt species sub proximo genere, siue singula membra sint species specialissimæ, siue subalternæ, de quo statim. Illa autem duo membra vsitatis nominibus dici possunt Religio, & Pœnitentia, quarum distinctio ex duobus attendi potest, primò, ac principaliùs in ratione debiti, nam licet conueniant, quòd vtraque respicit debitum Dei, tamen strictiùs, ac rigorosiùs videtur esse debitum Pœnitentiæ, quàm Religionis. Quod ita potest explicari, nam duplex ius ex parte Dei considerare possumus; vnum, quod habet tanquam proprius, & peculiaris Dominus vel famæ suæ, vel honoris, vel aliarum rerum externarum, ad quod specialiter pertinet dominium vitæ, & mortis humanæ, & iurisdictio suprema, quam in omnes homines habet ad præcipiendum, &c. Aliud ius est, quod præcisè ratione suæ excellentiæ, potentiæ, & operationis habet, vt ab omnibus colatur, & honoretur. Ex quibus duobus iuribus primum videtur rigorosius, & inducere quandam maiorem rationem debiti. Vnde etiam violatio prioris iuris videtur esse ex genere suo magis propria iniuria, seu iniustitia contra Deum, quomodo dixit D. Thom. 22. quæst. 94. art. 5. ad 1. occidere seipsum esse actum iniustitiæ contra Deum, quod videtur intelligendum de altiori iniustitia, quàm sit contra hominem. Quia sicut dominium Dei in vitam hominis altius est, ita violatio illius dominij est iniustitia altioris, & grauioris rationis. Sic etiam in speciali disp. de iustitia, sect. 2. dixi, infamationem Dei, vel detractionem de Deo, esse propriissimam iniuriam Dei altioris rationis, quàm sit erga homines; Vnde dici potest non solùm iniuria, sed plusquam iniuria, vt in simili loquitur Caiet. 22. quæst. 57. art. 4. Igitur iuxta has duas considerationes diuini iuris, videntur satis probabiliter distingui duo genera virtutum, vnum Religionis, quod reddit Deo debitum ratione excellentiæ suæ, aliud quod illæsum seruat ius diuinum in tota latitudine dominij, & iurisdictionis eius, quod dici potest esse eiusdem strictioris iustitiæ, ad quam pertinet Pœnitentia.

Caietan.

11. 2. Probatur ex diuerso genere actuum & inæqualitate debiti.

Potest præterea discrimen aliud inter hæc duo genera virtutum considerari, nam hæc virtus, quam generico nomine iustitiam ad Deum appellamus, per se non exercet erga Deum, saltem ex necessitate actum positiuum in effectu, seu obiecto, aut materia, sed solùm in affectu, ex vi talis virtutis homo declinat ab omni iniuria Dei, habétque affectum conseruandi illæsum ius diuinum. Religio autem per se postulat ex parte obiecti, & materiæ positiuos actus, quibus colatur Deus, gratiæ agantur & cæt. Tamen suppositâ læsione iustitiæ diuinæ priori modo sumptæ, ipsámet obligat ad positiuos actus, quibus illa iniuria recompensetur, & ad æqualitatem reducatur, quoad fieri possit. Et ideò tales actus censentur esse præcipui in tali virtute, & ab illis maximè denominatur Pœnitentia. Hinc ergò intelligitur altius, & rigorosius esse debitũ prioris iustitiæ, quàm Religionis, licet vtrunque proprium, & grauissimum sit. Nam respectu superioris, & maximè Dei, maius est debitum non violandi iura eius, & non inferendi illi iniuriam, quàm sit reddendi ei cultum positiuum, & demonstrationem seruitutis. Eadémque ratione debitum recompensandi iniuriam, quod est proprium Pœnitentiæ, vt sic, videtur ex suo genere altius, quàm sit debitum colendi, (vbi iniuria non præcesserit) solùm ex obseruantia debita tali excellentiæ.

12. 3. Probatur ex inæqualitate solutionis vtriusque virtutis.

Tandem in constituenda æqualitate videtur esse alia diuersitas inter has virtutes. Nam respectu Dei porentior est homo ad iniuriam faciendam, quàm ad resarciendam, vt in 1. tom. 3. part. disput. 4 latè tractaui. Nam homo per se potest iniuriam facere Deo suo modo infinitam, recompensare autem ad æqualitatem non potest, non solùm per se ipsum, suísque viribus, (sic enim in hoc negotio nihil potest) sed nec per auxilium gratiæ, quia semper infinitè distat à persona offensa, ex qua magnitudo iniuriæ pensatur. Quocirca si homo consideretur antequam iniuriam Deo inferat, peccando in ipsum, eúmque offendendo, non potest propriè per iustitiam ad Deum, æqualitatem aliquam cum illo constituere, sed ad summum potest non facere summam inæ qualitatem abstinendo ab omni iniuria Dei, quantum est ex affectu, & propensione talis virtutis. Quod idcircò addo, quia homo per se, neque hoc simpliciter potest, nisi per Dei gratiam sibi donetur. Postquàm autem homo iniuriam in Deum commisit, etiamsi per illam virtutem ad recompensandam iniuriam afficiatur, & hoc intendat, non potest quidquam facere, quo æqualiter tale debitum soluat, tum quia non solùm habet naturalem conditionem infimam suæ personæ, sed etiã superadditam indignitatem peccati, tum etiam quia infinitis aliis titulis Deo debet, quidquid in satisfactionem offerre illi potest. At verò Religio secluſa omni culpa, & iniuria, potest aliquid Deo reddere pro suo debito, quod licet non sit omninò æquale, saltem continet aliqualem solutionem primi debiti ad Deum, & in eo soluendo seruat æqualitatem, quam potest. Hæc ergo videntur sufficere ad intel-

Probatur 1. assertio ex diuersa consideratione diuini iuris, quod respicit vtraque virtus.

D. Thom.

ligendam differentiam aliquam essentialem inter has virtutes. Quia verò communiter non solent distingui virtutes, quæ iustitiam quandam ad Deum seruant, nisi sub nomine Pœnitentiæ, & Religionis: ideò his nominibus semper vtemur, & omnes actus qui ad Pœnitentiam propriè non spectauerint, sub Religione comprehendemus, & eandem proportionem in pertractandis vitiis Religioni contrariis, obseruabimus.

CAPVT VIII.

An virtus Religionis sit vna secundùm speciem vltimam, vel solùm secundum genus continens sub se plures species.

HÆc quæstio de vnitate, vel de distinctione specifica virtutum, & habituum difficilem habet resolutionem, quia valde difficile est vltimam rerum differentiam cognoscere, & propria motiua internorum actuum, & vniuscuiusque rationem exactè discernere, & ideò proponam vtriusque partis verisimiles rationes, & vnicuique liberam opinandi facultatem relinquam; breuissimè tamen, quid mihi, vel consultius, vel verisimilius videatur insinuabo.

2. Ea sententia quæ Religionem genericam astruit, eíq; varias subiicit species, suadetur. *D. Thom.*

Quòd ergo hæc virtus vna tantùm genere sit, & sub se plures species contineat, hæc potissimum suadere videntur. Primum quòd virtutes, quæ reddunt debitum alteri, iuxta varias rationes debiti distinguuntur, sed intra latitudinem Religionis inueniuntur debita diuersarum rationum: ergo & virtutes. Maior est diui Thomæ 1. 2. quæst. 60. art. 3. vbi ex diuersa ratione debiti, concludit esse plures virtutes circa operationes. Sunt autem verba eius notanda. *Sed debitum non est vnius rationis in omnibus, aliter enim debetur aliquid æquali, aliter superiori, & aliter minori, & aliter ex pacto, vel ex promisso, vel ex beneficio suscepto. Et secundùm has diuersas rationes debiti, sumuntur diuersæ virtutes.* Et similem ferè doctrinam habet 2. 2. quæst. 80. Et ratio est, quia si ratio debiti formaliter respicitur à virtute, profectò diuersa ratio debiti faciet formalem distinctionem in obiecto, & consequenter in ipsa virtute. Minor autem probatur ex eisdem verbis diui Thomæ. Nam licet in Religione non inueniatur prima diuersitas ex parte personæ, cui debitum soluit, quia semper est ad superiorem, tamen altera diuersitas ex titulo ipsius debiti, hîc inuenitur. Nam aliquid debetur Deo ex pacto, seu promisso, aliquid ex beneficio accepto, aliquid etiam ex vi solius excellentiæ eius. Confirmatur, quia similis varietas debiti erga proximum sufficit ad distinctionem virtutum circa eundem, nam debitum ex pacto soluit iustitia; ex promissione, fidelitas; ex beneficio, gratitudo; ex dignitate personæ, obseruantia.

1. Ratio ex diuersis rationibus debiti.

3. 2. Ratio ex diuersitate specifica habituum.

Secundò argumentor, quia in hac virtute sunt plures habitus specie distincti, ergò & plures virtutes. Patet consequentia, quia omnes illi habitus sunt virtutes essentialiter: ergo si in propriis differentiis specificis distinguuntur, planè distinguuntur in specie virtutis, & consequenter sunt plures virtutes essentialiter. Antecedens patet, quia suprà dictum est inueniri in hac virtute actus specie distinctos ex diuersa honestate proximi obiecti, quorum vnus ex alio non oritur, nec habent inter se connexionem, sed solùm genericam conuenientiam in ratione cultus diuini, vt sunt vouere, vel iurare, orare, sacrificare. Quilibet autem ex his actibus est sufficiens ad generandum habitum, & habitus, qui per vnum fit, non recipit ab actu alio specie diuerso augmentum, vel promptitudinem aliquam circa suum actum, sed hoc est sufficiens signum distinctionis habituum, vt generatim dictum est in Metaphysica disput. 44. sect. 11. Ergo vnusquisque ex his actibus generat simplicem habitum distinctum ab alio, atque adeò distinctam virtutem.

4. 3. Ratio sumitur à distinctione Religionis à Pœnitentia, & Obedientia.

Vltimò argumentari possumus, quia in duobus proximè præcedentibus capitulis ostendimus distinctionem Religionis à Pœnitentia, & Obedientia, ex diuersis debitis respectu ipsiusmet Dei, vel ex diuerso modo, aut motiuo soluendi, vel implendi debitum; Sed non videtur intercedere minor ratio distinctionis inter debitum verbi gratia, quod consurgit ex promissione iam facta Deo, & cultum redditum promittendo, nam illud prius est planè magis rigorosum, & legale, & necessarium ad honestatem morum, & fortasse est cuiusdam iustitiæ superioris ordinis: debitum autem, quod ante promissionem potest considerari in ipsa promissione, nec iustitiæ est, nec rigorosum, nec necessarium ad honestatem morum, sed ex quadam decentia, & voluntario cultu: ergò ferè similis ratio distinctionis hîc interuenit.

5. Altera pars quæstionis quæ simplicem Religionis habitum, & infimam speciem credit, proponitur, ac præfertur. *D. Thom. Caietan. Valent. Aragon. Soto.*

Contrariam partem, nimirum vnicum esse, & simplicem Religionis habitum, vnámque virtutem, quæ totum id, quod generali nomine diuini cultus comprehenditur, exhibet Deo, suader in primis auctoritas D. Thom. nam ita videtur sentire in dicta quæst. 81. art. 3. & 4. quem etiam ita intelligunt, & sequuntur Caietan. Valent. Aragonius, & alij moderni, & hoc etiam supponit Soto lib. 7. de iustitia. Vnde idem diuus Thomas proxima quæst. 80. licet respectu hominum, veritatem, gratitudinem, & obseruantiam distinguat; de Religione nihilominùs semper loquitur, vt de vna tantùm virtute, eíque tribuit omnes illos actus orandi, vouendi, & soluendi votum, adorandi, sacrificandi, &c. Et similiter in 1. 2. quæst. 60. & vbique de hac virtute loquitur, vt de vna tantùm, eodémque modo loquuntur alij Theologi in 3. distinct. 9.

6. 1. Ratio.

Accedit ratio satis congrua, nam quidquid homo reddit Deo per dictos actus Religionis, totum est sub ratione cultus, vel gloriæ, ac honoris Dei, semperque in omnibus attenditur ratio diuinæ excellentiæ; nam cum homo agit gratias Deo, respectum habet ad excellentiam eius, nimirum vt aliter, & sub alia æstimatione illi agantur, quàm homini: & sic de aliis: Ergò hoc satis est ad vnitatem virtutis. Antecedens declaratur ampliùs, quia homo reddendo Deo hæc debita, nullum commodum, vel vtilitatem ei afferre potest, nec propriè dominium eius augere, quia ipse ex se, & ex sua potestate, & actione, est supremus Dominus omnium: ergo solùm supereſt ratio cultus, & honor, quæ in his omnibus actionibus Religiosis intendi possit. Ergo licet in modo colendi, vel in qualitate debiti sit in eis aliqua diuersitas, illa conuenientia in ratione cultus cum connexione in eadem excellentia Dei, erit sufficiens ad vnitatem habitus, & virtutis.

7. 2. Ratio ex eo sumitur quod non sint sine necessitate multiplicandæ entitates.

Tandem quia sine necessitate cogente non sunt multiplicandæ res, præsertim illæ, quæ tantùm sunt propter necessitatem operandi, iam verò admisimus distinctionem inter quandam iustitiam ad Deum, seu inter Pœnitentiam, & Religionem propter aliquam obiectorum diuersitatem: sed ad hæc duo membra possunt facilè reduci omnes actus, quibus Deo debitum reddimus, nam fiqui videntur magis rigorosum debitum soluere, quàm Religio obseruet, pertinebunt ad iustitiam erga Deum, & omnes alij ad vnam Religionem spectabunt: ergo. Vnde confirmatur, quia illa virtus iustitiæ ad Deum vna esse censetur, nam si iustitia commutatiua ad hominem vnica est, multò magis illa iustitia ad Deum, quæ commutatiuam

tatiuam imitatur, quantùm potest, ergo etiam virtus Religionis prout, ab illa condistincta, erit vnica species virtutis. Est enim æqualis ratio, nam sicut iustitia illa intendit diuinum ius illæsum conseruare, & in hoc fine connectit omnes actus suos, etiamsi varij esse videantur, ita Religio intendit cultũ integrum, & completum diuinæ excellentiæ tribuere, & omnes actus exercet, vt habent connexionem in hoc adæquato motiuo.

1. Iuxta 1. sent. in tres habitus tota Religio tripartitur, fidelitatem, gratitudinem, & latriam.

Vtraque pars habere videtur suam probabilitatem, vt argumenta facta ostendunt. Iuxta priora verò argumenta maximè distingui possent in latitudine huius virtutis tres habitus, quos fidelitatem ad Deũ, gratitudinem ad Deum, & Latriam possumus appellare. Nam Latria propriè respicit diuinam excellentiam, vt sic, quam suis actibus, tanquam signis honoris, & excellentiæ protestatur, & ideò vnica sub illa saltem ratione esse videtur. Tum quia ratio debiti videtur eadem, cum immediatè ex eâdem excellentia nascatur, tum etiam, quia illa distincto signorum materialis esse videtur; tum denique, quia obseruantia erga homines, quando eandem excellentiam respicit, vna est, licet ex parte personarum, vel signorum aliquam variationem actuum, immò & obligationum admittat, vt docet D. Thom. 22. quæst. 102. art. 1. ad 2. At hæc Latria est tanquam obseruantia ad Deum, ergo erit in se vna. Gratitudo autem non fundatur in excellentia, sed in beneficio accepto, & magis exhibet, & profitetur grati animi significationem, quàm protestationem diuinæ excellentiæ, & ideò videtur præ se ferre diuersam honestatem, sicut etiam diuerso fundamento nititur, ideóque non est improbabile, ad officium hoc constituendam esse specialem virtutem ad Deum, vt sensit Cano in Relect. de Pœnitentia. Quod si hoc de gratitudine admittitur, maiori ratione de Fidelitate ad Deum idem sentiendum est, fundatur enim proximè non in sola excellentia Dei, neque in actione Dei erga homines, sed potiùs in actione hominis erga Deum, & ideò diuersam rationem honesti habet, ac proinde propriam virtutem postulare videtur. Præter has autem rationes non apparet alia probabilis ad multiplicandos plures Religionis habitus. Et ita hæc pars visa est mihi probabilis in 4. tomo, saltem quoad distinctionem simplicium habituum. Nam potest quis dicere, ex illis tribus habitibus coalescere vnam virtutem Religionis, quæ aliquam vnitatem habet ex eo, quòd respicit adæquatam obseruantiam, & cultum Dei, quæ sine illis tribus habitibus consistere non potest, & ideò inter se habent connexionem aliquam. De quo modo loquendi contendendum non est, cum modus distinctionis, vel vnitatis iam declaratus sit, & congruum sit ita loqui, saltem propter communem vsum.

D. Thom.

Cano.

9. Probabilitas alterius partis quæstionis expenditur.

Nihilominus etiam potest probabiliter defendi vnam, ac simplicissimam esse virtutem Religionis, quæ omnes illos actus exercet. Quod certè de virtute per se infusa, faciliùs defendi, ac credi potest. Quia non acquiritur per actus, nec dat tantùm facultatem operandi, sed est quasi potentia quædam, quæ faciliùs admittit specificam distinctionem in suis actibus. Infunditur autem hæc virtus per se primò ad dignè, & cum debita reuerentia tractandum omnia, quæ ad exhibendam Deo seruitutem, illi debitam ratione suæ excellentiæ, & supremi dominij, pertinent: In quo obiecto, & fine videtur esse sufficiens vnitas, vt virtus ipsa vna sit. Maximè, quia tota illa varietas, quæ est in actibus huius virtutis, habet connexionem quandam ratione vnitatis diuinæ excellentiæ, quæ tota in quolibet illorum actuum semper attenditur. Nam etiam cum Deo gratiæ aguntur, habetur ratio diuinæ excellentiæ, & ratione illius intelligitur, illi esse singulari modo debita animi gratitudo. Vnde si solam honestatem grati animi spectes, non oportebit ad aliam virtutem recurrere, præter communem gratiam: ergo vt eleuetur aliquo modo respectu Dei, necessariò debet obseruari diuina excellentia, & ità consurgit quædam gratitudo reddens honorem Deo, & reuerentiam excellentiæ eius, & ita iam operatur ibi Religio. Idémque cum proportione de fidelitate dicetur. Quare meliùs dicimus, omnes hos actus esse vnius Latriæ, atque ita Latriam, seu Religionem esse vnam simplicem virtutem, saltem infusam. Nam de acquisita probabile est, quod in alio loco insinuaui.

CAPVT IX.

Quem perfectionis, & excellentiæ gradum habeat Religio inter virtutes omnes.

1. Religionis virtus Theologalib̃ cuique cedit in excellentia, & dignitate.

D. Thom. 22. quæst. 81. art. 6. similem proponens quæstionem, solùm comparat Religionem ad alias virtutes morales, nec sine causa, quia cum ostensum sit, illam non esse virtutem Theologalem, tanquam manifestum supponit Religionem esse inferiorem virtutibus Theologicis. Nec immeritò, ita enim sentiunt communiter Theologi, & sumitur ex illo Pauli 1. ad Corinth. 13. *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc.* Vbi illis tribus quasi per Antonomasiam tribuit excellentiam, & eminentiam virtutis, ideóque de illis solis est certa, & indubitata sententia esse virtutes per se infusas: de cæteris enim solùm est opinio probabilior; Quare in illis principaliter, & quasi essentialiter consistit supernaturalis iustitia infusa, vt sumitur ex Trident. sess. 6. cap. 7. Ratio denique est, quia perfectio virtutis est, vt coniungat mentem Deo, saltem vt fini; ergò illæ virtutes, quæ immediatiùs & perfectiùs attingunt Deum, perfectiores sunt cæteris, quæ remotiùs in Deum ordinantur: sed virtutes Theologales propinquiùs, & perfectiùs attingunt Deum, quàm Religio, vt ex suprà dictis constat, sunt ergo perfectiores illa.

D. Pauli 13. ad Cor. 1.

Conc. Trident.

2. Pia voluntatis affectio Religione perfectior est.

Solùm posset quispiam dubitare de habitu piæ affectionis, qui comitatur fidem, prout est in intellectu. Nam de illo non procedit ratio facta, quia non immediatè nos vnit Deo, nec præcisè spectatus est virtus Theologica, vt suprà dixi, sed magis est moralis. Vnde cogitare quis posset, cum Religio præfertur omnibus virtutibus moralibus, illi etiam habitui præferri. Nihilominus existimo, fidem quoad illum habitum antecedere, & præferri Religioni, quia licet per se non sit Theologica virtus, tamen per se est necessaria ad quandam Theologicam virtutem, cuius est quasi moralis forma. Item versatur circa nobilissimam materiam, puta intellectum, quem captiuat in obsequium fidei, vnde ex hac parte superat Religionem, & ex alia non est inferior in attingendo Deum in se, quia per illam materiam nobilissimo modo, & immediatè illum attingit; plus est enim, ad Deum ipsum ipsimet credendo, accedere, quàm signa quæcumque reuerentiæ illi exhibere; ergo habitus voluntatis, qui immediatè mouet hominem, & eius mentem, vt priori modo Deo coniungatur, perfectior est, quàm Religio, quæ posteriori modo in Deũ mouet. Nec refert, quod Religio mouere possit ipsam Fidem, & Charitatem, vt sub ratione sua in Deum ferantur. Tùm quia Religio ad summum mouere potest ad exercitium illorum actuum. Pia verò affectio quoad specificationem ad actus credendi, intellectum determinat, quod longè altius, ac difficilius

ciliùs est. Tùm etiam quia Religio solùm vtitur actibus illarum virtutum, tanquam signis recognitionis, & subiectiuis ad diuinam excellentiam ; supponit autem aliunde substantiam illorum actuum. At pia affectio vtitur intellectu ad eliciendum actum fidei, quoad substantiam eius. Estque suo modo per se necessaria ad illam, & ideò hinc magis commendatur eius perfectio. Virtutes ergo Theologales quoad omnes habitus, quos includunt, perfectiores Religione sunt.

3. Ex D. Tho. sententia, vna Religio cæteras virtutes morales longo superat interuallo.

Comparando autem Religionem ad virtutes morales, D. Thom. dicta quæst. 81. art. 6. absolutè, & sine limitatione affirmat, Religionem esse perfectiorem virtutem omnibus virtutibus moralibus. Potestque hoc persuaderi, quia virtutes Theologales perfectiores sunt omnibus moralibus, ergò etiam Religio est perfectior illis. Patet consequentia, quia licet Religio non sit virtus Theologalis, ita proximè ad eas accedit, vt minimùm ab illis distinguatur, ergo erit perfectior aliis, quæ magis à Theologalibus distant. Nam id quod est perfectissimum, est quasi metrum, & mensura cæterorum, quod ergo ad illud propinquiùs accedit, cæteris perfectius est. Ratio item à priori est, quam D. Thom. tetigit, quia virtutes Theologales habent excellentiam suam ex immediata coniunctione ad Deum, quia virtus sicut ab obiecto habet speciem suam, ita ex eodem habet suam nobilitatem. Deus autem est nobilissimum obiectum, & immediata tendentia in ipsum, omnium etiam excellentior est, & ideò virtutes Theologales sunt nobilissimæ. Post illas vero Religio attingit Deum propinquiùs, quàm reliquæ virtutes morales, ergò inde maiorem nobilitatem participat.

4. Hæc verò assertio D. Thomæ, licet quoad plures virtutes, & ferè omnes certissima, & per se clara sit; in quibusdam peculiaribus comparationibus habere potest nonnullam dubitationem, an scilicet, aliqua exceptio admittenda sit. Itaque quoad omnes virtutes, quæ versantur circa passiones, Temperantiam, scilicet, & Fortitudinem, & omnes virtutes illis connexas, nulla est controuersia, nec occasio dubitandi. Item de nonnullis virtutibus connexis Iustitiæ, quæ cum proportione exercent cum proximo illud officium, quod Religio exercet cum Deo, clarum est, esse longè inferiores, vt constat de Pietate, Dulia, seu Obseruantia, &c.

5. Caietani sententia legalē iustitiā præferens Religioni; ea tamen impugnatur. *D. Thom.*

Primum verò dubium est de Iustitia legali. De qua Caiet. dicto art. 6. contendit præferendam esse Religioni. Nam D. Thom. 2. 2. quæst. 58. art. 12. absolutè, & sine limitatione dixit, Iustitiam legalem esse præclariorem inter omnes virtutes morales. Tamen Religio sine dubio præstat etiam Iustitiæ legali. Et D. Thomas in dicto art. 6. dum generalem, & sine vlla restrictione, vel prælatione facit comparationem, tacitè declarat comparationem in alio loco factam, scilicet vt intelligatur esse de virtutibus moralibus, quæ Deum, vt obiectum non attingunt, sed circa ea versantur, quæ in Deum, vt in finem ordinantur, vt ibi expressè dixit D. Thomas. Deinde hoc etiam declarat, & suadet ratio, qua diuus Thomas vtitur in dicto art. 12. Inde enim probat iustitiam legalem esse excellentiorem, quia bonum commune præeminet bono particulari vnius personæ. Ex hac enim ratione constat, solùm comparare iustitiam legalem cum virtutibus moralibus, quæ circa personas creatas versantur. De huiusmodi enim personis loquitur. Nam si de honore, & gloria Dei sit sermo, præferendum sine dubio est hoc bonum cuicunque bono creato, etiam communi. Vnde sic potest ratio concludi, quia Religio nobilius obiectum habet, quàm iustitia legalis; nam illa habet pro obiecto *Cui* Deum, & pro obiecto *Quod* cultum illi debitum: hæc verò pro obiecto *Cui* habet Rempublicam, vel communitatem humanam, quæ Deo longè inferior est, pro obiecto verò *Quod*, habet ius, seu bonum debitum huic communitati. Obiectum ergo Religionis excellentius est: ergo & ipsa Religio.

6. Instātia pro Caiet. sententia, ea tamen dissoluitur.

Sed ait Caietanus, Iustitiam legalem non omnino excludere Deum, quia etiam ad Iustitiam pertinet reddere debitum Deo, vel satis esse, inquit, quod Deus sit finis particularis Iustitiæ legalis. Vnde ita argumentatur; iustitia legalis comparatur ad Religionem, sicut totum ad partem, vel sicut imperans, & ordinans ad imperatum & ordinatum: nam & leges latæ inueniuntur de his, quæ ad Religionem spectant, & iustitia legalis non minùs ordinat de reddendo debito Deo, quàm proximo, ergo. Sed non satis percipio, quid Caietanus his rationibus intendat. Nam si per iustitiam legalem intelligit, totam collectionem virtutum, vel omnium simpliciter, vel earum quæ sunt ad alterum, sic verum est, iustitiam legalem comparari ad Religionem, sicut totum ad partem, esseque perfectiorem non intensiuè, (si de sola collectione moralium virtutum loquamur) sed extensiuè, quia iustitia sic sumpta non est vna virtus simpliciter, sed plures virtutes. Hæc verò comparatio impertinens est, nec D. Thomas ita loquitur de iustitia legali, cum eius perfectionem exaggerat. Neque etiam Arist. lib. 5. Ethic. cap. 1. iuxta probabiliorem intellectum. Si autem legalis iustitia accipiatur pro vna speciali virtute iustitiæ, quæ à commutatiua, & distributiua distinguitur, iuxta Doctoris angelici doctrinam dicta quæst. 58. art. 5. & 6. Sic falsum est comparari ad Religionem, vt totum ad partem. *D. Thom. Aristotel.*

7. Solutio magis expenditur, & ostenditur actus omnium virtutum, vel etiam theologaliū sub imperio Religionis contineri.

Nam iustitia legalis sic sumpta, dici solet vniuersalis iustitia secundùm quādam causalitatem, & materiæ extensionem. Quod videtur Caietanus considerasse, vt eam compararet ad Religionem, vt totum ad partem. Et præcipuè videtur eam considerasse, quatenus in Principe est legum latiua, & ferre potest leges in materia Religionis, in quibus ferendis etiam obseruat rationem boni communis, quod respicit hæc iustitia. Veruntamen neque ob illam causam iustitia legalis potest præferri Religioni, neque ad illam comparari, vt totum, vel superior, sed vt pars, & inferior. Probatur, quia etiam Religio in causalitate, & materia habet vniuersalitatem quandam, in qua non solùm æquiparatur, sed superat etiam iustitiam legalem. Patet prior pars ex suprà dictis de materia, & actibus imperatis ab hac virtute, nam omnium virtutum actus sub imperio suo complectitur, quatenus eos ordinare potest ad cultum Dei. Posterior vero pars patet, primò, quia Religio non tantùm moralibus virtutibus, sed etiam Theologicis imperare potest, quod non potest ita propriè, & verè dici de iustitia legali. Deinde quia conferendo illas duas virtutes inter se, potiùs Religio imperat, & ordinat iustitiam legalem ad suum finem, quàm è conuerso. Proprio enim, & recto ordine, non debet diuinus cultus ordinari ad bonum Reipublicæ, vt ad pacem, & quietem eius, vel quid simile: sed potiùs totum Reipub. bonum ad hoc referri debet, vt Deus meliùs colatur, & in maiorem Dei gloriam cedat.

8. Religio aliquando potest per iustitiam ordinari, id tamen magis fit intentione operātis, quā virtutis.

Non nego, quin etiam liceat aliquando curam Religionis in Republica haberi, vt pax eius, & omne aliud bonum meliùs in ea conseruetur, quia hic finis honestus est, & medium illud ad eum obtinendum est sine dubio vtilissimum. Tamen ita hoc licitum est, sicut licet sæpe ordinare superiora bona ad bonum inferius, ita scilicet, vt tandem omnia in maiorem

iorem Dei gloriam redundent. Nam humanæ Reipublicæ bonum inferius est, ad diuinam gloriam comparatum: & ideò diuinum bonum, quò est Deo propinquius eò ex se magis comparatur vt finis, quàm vt medium ad quodlibet humanum bonum. Cuius signum euidens est, quia Deus ipse vult bonum commune humanum propter gloriam suam. Igitur considerando has virtutes secundùm se, & non per accidens ex intentione hominis operantis, Religio imperat iustitiæ legali, & omne bonum eius refert in finem, & obiectum suum. Nullo ergò modo comparatur iustitia legalis ad Religionem, vt totum ad partem, quia non in essentia, cum sint essentialiter condistinctæ, neque in integritate, aut alio genere compositionis, cum neque vna ex alia, neque ex vtrâque aliquod tertium componatur, nec denique in virtute, B aut causalitate vniuersali, cum Religio absolutè, & simpliciter prior sit, ac vniuersalior & eminentior in agendo.

9. Religio ita est præstantissima in ratione Virtutis, vt sit in ratione iustitiæ aliis virtutibus inferior.

Neque quidquam refert, quod Religio ponatur inter partes potentiales iustitiæ, ac proinde deficere videatur à perfecta ratione iustitiæ. Nam si hæc ratio quidquam valeret, probaret Religionem esse virtutem minùs perfectam iustitia commutatiua, imò etiam probaret iustitiam commutatiuam esse perfectiorem legali, quia conditiones iustitiæ magis integrè, & exactè in ea inueniuntur. Aliud est ergo, considerare rigorem, & proprietatem iustitiæ, aliud excellentiam virtutis: nam in priori deficit aliquando Religio, & ideò pars potentialis iustitiæ dicitur, vt suprà explicatum est. Nihilominùs tamè hoc non impedit, quomi- C nus in perfectione virtutis simpliciter superet propter excellentiam obiecti, & affectus voluntatis. Vnde D.

D. Thom. Thom. in dicto art. 6. ad 1. in simili respondet, posse esse Religionem perfectiorem simpliciter in esse virtutis, licet in attingendo medium iustitiæ deficiat magis ex impotentia subiecti, quàm ex imperfectione voluntatis.

10. Caieta. fundamenta magis euertuntur.

Quòd verò Caiet. assumit, leges etiam ferri de his, quæ ad Religionem spectant, non video quid ad causam referat. Nam si in legislatore consideretur potentia legum latiua, hæc est bonum alterius ordinis, & cum illa non fit comparatio, vt per se constat. Si verò consideretur prudentia legis latiua, quatenus est vera virtus, non solùm intellectualis, sed etiam moralis: sic quidem illa præferri potest moralibus virtutibus, D sed illa non est iustitia legalis, neque cum illa fit comparatio. At verò si in legis latore consideretur illa virtus voluntatis, quæ dirigit intentionem eius, vt rectè præcipiat in quacunque materia in ordine ad commune bonum, sic quidem habet iustitia legalis excellentiam quandam, tamen illa vincitur à Religione, quæ multò magis dirigere debet intentionem legislatoris, vt diuinam gloriam in ferendis legibus respiciat. Vnde hoc modo etiam dici potest Religio imperare, vt leges ferantur non solùm in sua materia, sed etiam in materiis aliarum virtutum, si ad diuinum honorem id spectet.

11. Deus nõ est finis particularis iustitiæ legalis.

Quapropter falsum absolutè est Deum esse finem particularem iustitiæ legalis. quia non est finis intrinsecus, & proprius, sicut est Religionis, quia non est E obiectum, in quod immediatè dirigat iustitia legalis actiones suas. Neque etiam est finis comprehensus (vt ita dicam) intrinsecè in communitate illa cuius bonum procurat iustitia legalis. Nam Deus potiùs est finis vltimus extrinsecus, seu obiectiuus, in cuius gloriam quodlibet humanum bonum referendum est, quod ad Religionem spectat. Denique ob eandem causam falsum est, quod Caietanus ait, ad iustitiam legalem spectare reddere debitum Deo, nisi iustitiam legalem sumat pro collectione aliqua, vel pro A aliquo genere virtutum, in quibus Religio contineatur. Nam loquendo de propria, & speciali virtute iustitiæ legalis, non pertinet ad illam reddere debitum Deo, vel proximo, qui sit priuata persona, vt talis est, sed solùm communitati vt sic, seu quatenus ad commune bonum illius ius spectat: quod hoc loco fusius explicari non potest; satis verò inde probatur, quod iustitia humana, sub qua legalis continetur, non attingit vllo modo Deum, vt obiectum *Cui*; & hoc titulo longè inferior est Religione.

12. Misericordia ex sententia Caietani præstat Religioni. *D. Thom.*

Secunda comparatio, de qua dubitari potest, cum misericordia sit. Nam Caiet. misericordiam præfert iustitiæ legali in dicta q. 58. & 12. ergo si legalem iustitiam præfert Religioni, multò magis misericordiã. Fauetque D. Tho. 2. 2. quæst. 30. art. 4. Vbi solam Charitatem videtur misericordiæ præferre in nobis: nam in Deo etiam Charitati misericordiam anteponit. Denique ad hoc suadendum afferri possunt illa verba Matth. 9. & 12. ex Oseæ 6. *Misericordiam volo, non sacrificium.* Quod perinde est, ac si diceretur. Malo misericordiæ opera, quàm Religionis: ergò testimonio Christi, & Oseæ, opera misericordiæ meliora sunt operibus Religionis, quia quod Deus præfert, & eligit, melius est; ergò & virtus ipsa misericordiæ est melior. *Matt. 9. & 12. Osee. 6.*

13. Vera D. Th. sententia. Misericordiã licet aliis virtutibus præstet, Religio ni tamen cedere.

Nihilominùs dicendum est, Religionem esse perfectiorem virtutem misericordia. Ita sumitur ex diuo Thoma dicta qu. 30. vbi cum limitatione ait, *Misericordiam esse potentissimam inter omnes virtutes, quæ ad proximum pertinent*, non verò excedere illas virtutes, C quæ coniungunt hominem Deo. Nam ei, qui supra se aliquem habet, melius est coniungi superiori, quàm supplere defectum inferioris. Et quamuis ibi D. Thomas solùm ponat exemplum in Charitate, non est tamen dubium, quin ea doctrina locum habeat in Spe, & Fide, quæ etiam coniungunt hominem Deo. Ob eandem ergò rationem habebit locum in Religione, quæ licet non æquè, ac virtutes Theologicæ, tamen proximè post illas coniungit nos Deo, vt supremo principio, cui cultum defert. Idem confirmat D. Thomas dicta quæst. 81. art. 6. dum sine limitatione præfert Religionem cæteris virtutibus moralibus. Et ratio qua id probat, procedit etiam respectu misericordiæ, quæ non ita proximè nos vnit Deo, sicut Religio. Vnde in eadem, quæst. art. 1. ad 1. significat idem D. Thom. ita excedi misericordiam à Religione, sicut medium à fine, quia Religio attingit finem, propter quem misericordiæ actus imperandi sunt. Atque ita simul ratione, & auctoritate, probata est nostra resolutio.

14. Scripturæ loca pro Caiet. allata explicantur. *Hieron.*

Ad locum autem Oseæ, & Matth. Hieronymus super Oseam, per *Misericordiam* videtur intelligere non nostram erga pauperes, sed Dei erga nos, quam exercet remittendo nobis peccata, vnde sic exponit. *Non in sacrificijs delector, & victimis, & multitudine holocaustorum, victimæ meæ, & holocausta, salus credentium, & conuersio peccatorum est.* Quo sensu hæc sententia æquialet illi Psalm. *Quoniam si voluisses sacrificium dedissem, vtique holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, &c.* At communiùs exponitur de misericordia hominis, & exponitur primò, *Misericordiam volo, & non tantùm sacrificium*, seu, *nolo sacrificium, sine misericordia.* Ita Anselm. Matt. 92. Non velle Deum sacrificium externum sine interno, vel quod internum præferat externo: nam per misericordiam omnia Charitatis opera ex amore Dei facta intelliguntur. Ita Maldon. Matth. 9. & sumitur ex August. lib. 10. de Ciuitate cap. 5. & 20. contra Faustum cap. 16. Tertiò significat Dominus, se non velle sacrificia hæc externa, quia illis indigeat in suam vtilitatem, ideóque vbi necessitas proximi occurrit, se malle misericordiam. *Psal. 50.* *Maldonat. August.*

Bellarm. misericordiam. Ita ferè Bellarm. tom. 1. lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 6. Vnde non fit, misericordiam esse meliorem, sed interdum esse magis necessariam, quàquam etiam tunc melius sit ipsammet misericordiam intuitu Religionis exercere propter Deum. Et ita licet interdum materia externa propria Religionis omittenda sit propter misericordiam, internus verò cultus nunquam est necessariò omittendus. Et sic facilè conciliantur omnes expositiones, & veritas constat. A

15. Conferitur Religio cum Obedientia, ac præfertur. *1. Reg. c. 15.*

Tertia comparatio fieri potest cum virtute Obedientiæ. Nam de Obedientia scriptum est, 1. Reg. ca. 11. *Melior est Obedientia, quàm victimæ.* Item Obediẽtia videtur coniunctissima Charitati, & similis in materia, quatenus voluntatem propriam voluntati Dei subiicit. Nihilominùs est dicendum, Religionem esse simpliciter perfectiorem. Ita sentit, licèt obscurè D. Thom. 2. 2. quæst. 104. art. 3. Expressiùs verò Caiet. ibi qui paucis verbis rationem cõprehendit dicens, *Quoniam Religio Deum, qui præcipit, colit: Obedientia verò ad eius præceptum attendit.* Rationes etiam suprà factæ de iustitia legali hîc habent locum, quia Religio propinquior est virturibus Theologalibus, quàm Obedientia, magisque deuouet Deo totum hominem, quàm Obedientia. Et in hoc est Charitati similior, vt ex suprà dictis constare potest, & infrà cum agemus de deuotione magis constabit. Cum ergo Obedientia præfertur externo sacrificio, non ideò præfertur toti Religioni, sed, vt Caietanus bene notauit, præfertur sacrificium internum externo, quia illo voluntas Deo mactatur, vt Greg. dixit vlt. Moral. c. 12. At illa interior mactatio per Religionem fit media deuotione. B

D. Thom. *Caiet.* *D. Greg.*

16. Comparatur Religio cum Pœnitentia, illa tamen ignobilior iudicatur. *D. Thom.*

Quartò conferri potest cum virtute Pœnitentiæ Religio, de qua cõparatione nihil scriptum inuenio. Tractat quidem D. Tho. 3. part. q. 85. art. 6. an Pœnitentia sit prima virtutũ, & significat naturâ esse inferiorẽ aliis, id est, excellentia, & perfectione, quia quod est per se, melius est, quàm id, quod est per accidens; aliæ autem virtutes sunt per se necessariæ: Pœnitentia verò per accidens, supposito peccato. Veruntamen D. Tho. illo in loco, in primis non comparat Pœnitentiam ad alias virtutes in perfectione, sed in vsu sui actus, & in hoc dicit quodammodo esse imperfectiorem Pœnitentiam: quæ comparatio est tantùm secundum quid, & præterea iuxta nostram sententiam, nõ habet locum in virtute Pœnitentiæ quoad totam latitudinem sui obiecti, suorumque actuum, sed solùm in propriissimo actu detestandi peccatũ commissum, nam in aliis per se habet illa virtus vsum suorũ actuũ quoad odium peccati secundum se, & quoad propositum cauendi omnem diuinam iniuriam, & similes. C D

17. Quocirca facta comparatione absolutè, & simpliciter inter illas virtutes quoad perfectionem earum, verisimile mihi est antecedere virtutem iustitiæ ad Deum, quæ nomine Pœnitentiæ significatur, si distincta est à Religione. Ratio est, quia cum modo attingendi Deum immediatè conuenit cum Religione, & in reddendo illi debito, attendit strictius, magisque rigorosum debitum. Vnde sicut in ordine ad proximum nobis non specialiter coniunctum perfectior virtus est iustitia propria, & rigorosa, quàm aliæ virtutes illi annexæ eundem proximum respicientes, vt Liberalitas, Obseruantia, &c. ita inter virtutes, quæ reddunt debitum Deo, illa videtur perfectior, quæ magis de perfectione, & obligatione iustitiæ participat. Nec refert, quod in constituenda æqualitate magis videatur deficere Pœnitentia, quàm Religio, vt suprà insinuauimus, nam vt notauimus etiam ex D. Tho. dicta q. 81. art. 1. ad 1. defectus æqualitatis cum non sit voluntatis, sed potestatis, parùm minuit perfectionem virtutis. Magis verò illam auget, quod ad conseruandum illæsum omne diuinum ius, quantùm in se est toto affectu tendit, & quando læsum est, illud quantum potest, restaurare studet. Et in Psa. 50. maximè commendatur sacrificium contriti cordis, vt notauit Aug. 10. de Ciuitate c. 5, nec D. Tho. alienus est ab hac sententia in illa q. 81. art. 6. Nã cum facit comparationem simpliciter, solas virtutes Theologales præfert absolutè Pœnitentiæ. Caiet. verò saltem æquiparat Pœnitentiam Religioni, quia illas non distinguit. Vnde cum Religio numerari solet inter virtutes proximo loco post Theologales, intelligendum existimo de Religione in communi, & genericè, prout omnem iustitiam ad Deum sub se comprehendit. *D. Thom.* *Caiet.*

18. Comparatur cũ Prudẽtia.

Vltimò fieri potest comparatio Religionis ad Prudentiam, sed hanc omittimus, quia est inter res diuersorum ordinum. Prudentia enim non tantùm moralis, sed etiam intellectualis est virtus, de cuius præstantia suprà reliquas virtutes morales alibi dicendũ est. Atque ex his, quæ diximus de virtute Religionis, satis videtur natura eius declarata, simulque causas, materiam, & effectum eiu sexposuimus generatim: nã in particulari tractari ampliùs non possunt, nisi discurrendo per singulos actus internos, & externos, huius virtutis, quod in sequentibus tractatibus faciemus, simulque dicemus de præceptis pertinentibus ad hanc virtutem, quia hæc dantur de actibus in particulari, & quia doctrina moralis circa particularia etiam versatur.

Finis libri tertij.

TRACTA-

TRACTATVS SECVNDVS

DE PRAECEPTIS AFFIRMATIVIS RELIGIONIS AD DEI CVLTVM, *& adorationem, præsertim externam pertinentibus.*

EXPLICATA doctrina quasi speculatiua virtutis Religionis (seruando methodum, quam in pertractandis aliis virtutibus, vel Sacramentis tenere soleo) materiam moralem huius virtutis quasi generaliter in hoc, & sequenti tractatu tradere decreui, priusquam ad nonnullos particulares actus eiusdem virtutis, qui sub specialibus, & propriis rationibus proprias, & prolixas postulant disputationes, descendam. Quia verò doctrina moralis de actibus humanis datur, & vt practica sit, & vtilis, ad particularia descendere debet, ideò necessarium erit in præsenti de nonnullis actibus Religionis in particulari dicere. Tria verò capita illorum actuum distinguimus, vt totam moralem materiam comprehendamus. Primum complectitur actus, qui secundùm substantiam suam pertinent ad alias virtutes, à quibus eliciuntur, licet à Religione possint ad suum proprium finem imperari, vt sunt actus Fidei, Humilitatis, & virtutum omnium, vt suprà tractatum est, & statim attingemus. Secundum comprehendit actus, qui ex intrinseca ratione sua continent cultum Dei, & in nulla alia specie virtutis per se collocantur, quos ad tres reuoco, qui sunt Oratio, Iuramentum, & Votum: & ad Orationem Deuotionem reduco. Quamuis enim propriissimè sumpta, magis pertineat ad affectum cultus, quàm ad cultum; hæc enim duo distincta sunt, vt suprà declaraui, & statim attingam; tamen quia Deuotio maximè comitari solet Orationem præcipuè mentalem, de hac tractando, simul rationem Deuotionis, & obligationem declarabimus. Tertium genus est illorum actuum, qui ex se non habent aliquam rationem virtutis, aut cultus, assumuntur tamen, ad protestandum diuinam excellentiam; cuiusmodi sunt actus quidam externi, vt Genuflexio, Sacrificium, & similes. De primo ergo genere actuum nihil dicendũ est, quia proprias habent rationes, & præcepta, quæ aliis in locis considerantur; quomodo autem applicari possint ad cultum Dei, obiter attingemus. De actibus vero secundi ordinis, quantum ad ea, quæ illis propria sunt, dicemus postea: hîc enim solùm ea, quæ generaliter pertinent ad rationem cultus, ad illos poterunt applicari. In hoc ergo tractatu solùm explicabimus illa præcepta affirmatiua, quæ circa actus tertij ordinis versantur. Diuidemus autem hunc tractatum in tres libros: Primus erit de præceptis pertinentibus ad actus ipsos: In secundo verò, & tertio de temporibus, ac locis ad diuinum cultum destinatis differemus: quoniam hæ duæ circunstantiæ præcipuè spectantur in diuino cultu, & materiam continent ad complementum huius doctrinæ maximè necessariam.

Tractatus huium institutus explicatur.

In tria capita diuiduntur actus ad Religionẽ pertinentes.

Tractatus distributio.

INDEX CAPITVM LIBRI PRIMI DE DIVINO CVLTV, EIVSQVE PRÆCEPTIS.

Cap. 1. *An præceptum adorandi Deum, sit naturale.*
Cap. 2. *Quomodo adorandus sit* Deus *ex lege naturali.*
Cap. 3. *An sit præceptum offerendi Deo sacrificium.*
Cap. 4. *An ritus simplicium oblationum nunc liceat.*
Cap. 5. *An oblationes Ecclesiæ debeantur.*
Cap. 6. *A quibus personis recipiendæ sint oblationes.*
Cap. 7. *Quibus, & de quibus rebus dandæ sint oblationes.*
Cap. 8. *De Primitiis.*
Cap. 9 *An sit in Ecclesia præceptum Decimarum.*
Cap. 10. *Cuius iuris sit in Ecclesia præceptum* Decimarum.
Cap. 11. *An conueniens sit determinatio Decimarum.*
Cap. 12. *Quid in Decimis possit consuetudo.*
Cap. 13. *Quod tempus requirat præscriptio non soluendi Decimas.*
Cap. 14. *Quid Pontifex possit in dispensandis Decimis.*
Cap. 15. *Priuilegium Decimarum sine causa datum, quale sit.*
Cap. 16. *Quibus locis sit impositum Decimarum præceptum.*
Cap. 17. *An Clerici teneantur ad soluendas Decimas.*
Cap. 18. *An aliqui exempti sint à debito* Decimarum.
Cap. 19. *Dubia circa exemptionem Decimarum.*
Cap. 20. *Quomodo amittatur exemptio à Decimarum solut.*
Cap. 21. *An Parochialibus Ecclesiis Decimæ soluendæ sint.*
Cap. 22. *De Consuetudine soluendi Decimas in aliena Parochia.*
Cap. 23. *De priuilegio Decimandi extra Parochiam.*
Cap. 24. *An in Ecclesia baptismali* Decimæ *soluendæ sint.*
Cap. 25. *An Laicis debeantur Decimæ.*
Cap. 26. *An Decimæ dentur in feudum perpetuum.*
Cap. 27. *An Laici possint præscribere Decimarum perceptionem.*
Cap. 28. *Ad quos Clericos Decimæ pertineant iure communi.*
Cap. 29. *Corollaria, & assertiones ex doctrina superioris cap.*
Cap. 30. *Possintne Ecclesiastici præscribere ius* Decimarum.
Cap. 31. *Ex quibus rebus* Decimæ *personales soluendæ sint.*
Cap. 32. *An aliqua propria lucra immunia sint à Decimarum solut.*
Cap. 33. *An personales Decimæ integræ soluendæ sint.*
Cap. 34. *Ex quibus bonis prædiales Decimæ soluendæ sint.*
Cap. 35. *Quomodo prædiales Decimæ soluendæ sint.*
Cap. 36. *Quomodo sint Decimæ debitæ Ecclesiæ.*
Cap. 37. *Quando, & vbi teneantur fideles* Decimis *soluendis.*
Cap. 38. *Quomodo possit Ecclesia Decimas non solutas recuperare.*

LIBER

LIBER PRIMVS, DE DIVINO CVLTV EX PRAECEPTO NECESSARIO, PRAESERTIM PER OBLATIONES, DECIMAS, AC PRIMITIAS.

IN *hoc libro priùs à nobis explicandum est generale præceptum de diuino cultu, prout iuris naturalis est, ac diuini: Hoc autem in generali breuiter poterit expediri, quia præceptum illud, quatenus affirmatiuum est, & merè naturale, valdè generale est, & indefinitum; ideóque vix potest sine positiua determinatione ad praxim applicari: quapropter consequenter explicabimus, quomodo ex institutione diuina, vel humana ad aliquos particulares actus hæc obligatio applicetur. Vnde quoniam hæc institutio non datur de actibus purè internis, sed de externis, ideò fere totus hic liber erit de actibus externis diuini cultus, qui sub præceptum cadunt, qui ad tres positos reuocantur, videlicet, Oblationem, (sub qua sacrificium comprehendimus,) Primitiarum, ac Decimarum solutionem: nam præceptum orationis in alium tractatum reseruamus, vt dixi.*

CAPVT PRIMVM.

An præceptum colendi, & adorandi Deum tàm corpore, quàm spiritu, naturale sit.

1. Philosophi qui cultum Dei abiecerunt. *Lactant.*

NONNVLLI Philosophi omnem cultum, & venerationem superioris numinis abiecerunt, & reprobarunt, vt significat Lactantius lib. 2. diuin. instit. c. 3. Quia cum ratione naturali cognoscerent falsas esse Religiones plurium Deorum, quas Gentiles profitebantur, & veram non valerent atringere, sine Religione manserunt. Et in hoc numero solet referri Comment. in 12. Met. Imò *Caiet.* Caiet. 2. 2. qu. 85. art. 1. suspicatur etiam Aristotelem B in eodem errore fuisse. Sed hi omnes, vt ait Paulus *Rom. 1.* Impugnantur hi Philosophi. Rom. 1. *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Nam si illi credebant nullum esse verum Deum, quid magis stultum cogitari potest? si autem agnoscentes esse aliquem verum Deum, à cuius potentia, & prouidentia pendemus, nihilominùs senserunt, non esse nobis colendum, contra omnem etiam naturalem rationem locuti sunt. Nam si ratio naturalis dictat parentes esse honorandos, multò magis dictat Deum verum esse colendum. Vnde propter hos Philosophos rectè dixit Paulus. *Cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt,* vnde etiam, *sunt inexcu-* C Hæreticorũ error. *sabiles.* Fortasse tamen hi non de omni cultu, sed de externo tantùm loquebantur. Putarunt enim aliqui, hæc signa externa cultus, respectu Dei permitti quidem posse propter vulgus, verè tamen nihil deseruire ad cultum Dei. Neque minùs errarunt Hæretici, qui dixerunt, Deum non esse adorandum actionibus corporalibus, quia *Spiritus est Deus, & in spiritu, & veritate debet adorari.* E' contrario quorundam etiam Catholicorum sententia fuit, adorationem propriam per sola corporis membra, illa inflectendo, vel hoc, aut illo modo in notam submissionis componendo, exhiberi posse, etiã ad Deum, quia signo, vel actu spirituali non potest talis nota submissionis intelligi, licet interiùs exerceri possint alij actus colendi Deum, vt orandi, gratias agendi, & similes, qui non sunt adorationes. Ex qua sententia sequitur proprium præceptum adorationis dari posse de adoratione externa, & corporali, non verò de interna, & spirituali. Contra primum errorem disputaui latè in 3. tom. 3. p. disp. 3. sect. 1. & disp. 15. sect. 2. & tota disp. 73. Posteriorem autem sententiam copiosè tractaui in 1. tom. 3. p. disp. 51. sect. 2. vbi ostendi adorationẽ Dei non solùm esse posse internam, & spiritualem, verùm potiùs illam esse perfectissimam; illa ergo, quæ ibi dicta sunt, hoc loco repetere necessarium non est. Catholicorum falsa opinio.

Dico ergo in primis, Deum posse, & debere adorari à nobis actibus merè internis, & spiritualibus. Ita docet diuus Thomas dicta q. 84. art. 2. Vnde cum in initio illius quæstionis proponit se acturum de actibus exterioribus Latriæ, & primo loco ponit adorationem illam, per quam aliquis corpus suum ad Deũ venerandum exhibet, non intelligit, solam hanc venerationem per corpus proprium, habere veram rationem adorationis, sed potiùs supponit, Deum aliis etiam modis adorari posse; in illa autem quæstione de illo speciali modo adorandi tractare intendit, quia, de aliis iam dixerat, scilicet de adoratione purè interna, in q. 82. De alia verò externa, quæ per alias actiones fieri potest, in sequentibus quæstionibus ibidem tractare disponit. Vnde in eodem art. 2. ad 2. expressè comparat adorationem cum oratione, & dicit sicut

2. An Deus possit actibus merè externis adorari. *D. Thom.*

datur oratio mentalis, ita etiam posse dari adoratio- A nem mentalem, seu internam; non datur autem in mente solus affectus orandi, sed etiam vera oratio, ergo etiam datur interiùs in mente, non solùm affectus adorandi Deum, sed etiam executio (vt sic dicam) illius affectus, atque adeò vera adoratio. Eadem est communis sententia Theologorum in 3. d. 9. Et sumitur ex August. 10. de Ciuit. cap. 4. Damasc. lib. 4. de Fide capit. 63. & optimè orat. 3. de imagin. circa medium, & aliis Patribus, quos citato loco retuli. Imò etiam in Scripturis hic modus loquendi de adoratione, quam Angeli exhibent Deo, & quæ in spiritu exhiberi potest, tam frequens est, vt eum per Metaphoram, vel Tropum exponere alienũ à sincera Scripturæ intelligentia videatur. Ratio autem est, quia B inter puros spiritus esse potest ordo, & consequenter esse possunt diuersi gradus honoris, & reuerentiæ: Nam in omni Republica bene instituta, & in omni corpore mystico rectè composito hoc necessariũ est, potest ergo esse reuerentia, seu honoratio spiritualis, & interna, ergo etiam potest esse adoratio spiritualis, & interna Angeli ad Deum, ergo etiam in homine suo modo esse potest.

D. August. Damascen.

Angeli verè Deum adorant.

3. *Cuius potẽtiæ sit actus, adoratio interna.*

Hîc verò statim occurrit quæstio similis illi, quam de oratione Theologi tractant, cuiusnam potentiæ actus sit hæc interna adoratio. Necesse est enim, vt consistat in aliqua operatione, nam adoratio, actus virtutis moralis est, vnde in operatione consistit, ergo C cum sit interna, & spiritualis, & proximè ad Deum referatur, vt ad personam adoratam, necesse est, vt voluntatis, vel intellectus actus sit. Præterea in nostra anima corpori vnita manifestum est, si nõ vtatur mẽbris corporis ad Deũ adorandum, non posse id facere, nisi actibus intellectus, vel voluntatis, per quod nõ excluditur, quin possit etiam cooperari phantasia. Necesse est ergo, vt mentalis adoratio præcipuè sit actus intellectus, vel voluntatis: Non videtur autem esse voluntatis, quia in ea est affectus adorandi, qui affectus non est adoratio, sed habet illam pro obiecto, sicut affectus orandi non est oratio, sed imperat illam. Nec etiam videtur esse actus intellectus, quia omnis actus intellectus est cognitio, tum quia cogni- D tio Dei est actus Fidei, vel Scientiæ, tum etiã quia stat cognoscere, & nõ adorare, Dæmones enim vel inuiti recognoscunt maiestatem Dei, quam non adorant.

4. *Resolutio quæstionis.*

Respondeo hanc adorationem posse esse vtriusque potentiæ actum, si ex affectu adorandi procedat, & sit aptus ad profitendam, indicandam, vel exercẽdam submissionem animi ad Deum. Et quidem in intellectu potest esse hic actus per modum cognitionis, & in nobis etiam esse poterit per modum locutionis humanæ mentalis, & internæ. Prior actus est, quando ex affectu colendi Deum, applicatur intellectus ad recognoscendam diuinam excellentiam, & recognoscit Deũ, vt supremum Principem, & Dominum, & hanc ipsam recogitationem illi offert in cultum, & E adorationem: Quod enim hic actus in puro spiritu exerceri possit, per se notum est, neque minus euidens est, illum esse sanctum, & honestum. At non est alterius virtutis, nisi Religionis formaliter loquendo, cum moralem honestatem habeat ab affectu, à quo procedit, & immediatè oriatur ab affectu Religionis: Neque intra virtutem Religionis aliud esse potest, quàm adoratio, quia formaliter non est oratio, vt per se patet, neque etiam est deuotio, sed potiùs affectus ipse, à quo procedit, dici posset quædam deuotio; est ergo propriissima adoratio.

5. Neque refert, quòd illa cogitatio substantialiter (vt sic dicam) sit actus Fidei, vel Scientiæ, vel alterius doni Spiritus sancti, dummodo liberè, & ex dicto affectu exerceatur, nam inde sumit nomen, & formalẽ rationem adorationis, sicut genuflexio materialiter est motus localis, tamen ex tali affectu, & intentione habet, quòd sit adoratio Latriæ, vel Dulia &c. Vel sicut detestatio peccati propter Deum potest esse substantialiter actus Charitatis, & tamen factus ex affectu Pœnitentiæ, dici potest quædam satisfactio, vel recompensatio pro offensa, quantum ab homine exhiberi potest. Atque hoc modo est etiam aptissimus actus ad hãc adorationem internam recogitatio propriæ naturæ, quatenus tam Angelus quã Homo ex se nihil est, & vel peccat, vel peccare posset, & in omnibus bonis à Deo pendet; hæc enim cogitatio, sicut animi submissionem fouet, ac generat, ita est aptissima materia, vt in signum, & notam eiusdem submissionis exhibeatur. Multò enim magis genuflectitur spiritualiter anima coràm Deo per illam recogitationem ad hunc finem ordinatam ex affectu colendi Deũ, quàm corporaliter genuflectatur per crurium plicationem, & demissionem vsque ad terram.

6. *Adoratio potest esse per modum locutionis.*

Per modum etiam locutionis potest in nobis esse talis actus, eodem ferè modo, quo potest esse in nostro intellectu petitio, & gratiarum actio mentaliter loquendo per conceptus vocum nobis ad placitum significantium. Quod in primis explicatur in actu laudandi Deum, qui absque vlla controuersia potest dicto modo in mente fieri. Et licet laus Dei specialiter numerari soleat, vt actus distinctus ab adoratione, prout exhibetur per signa, quæ non sunt voces, nec ita expresè significant, sicut voces: Nihilominùs distinctio illa materialis potiùs est in signis ad cultum exhibendum assumptis, quàm in formali ratione adorationis, si laudatio fiat ex affectu ostendendi submissionem animi ad Deum, & profitendum supremum dominium eius; sicut ergo possumus solo spiritu, & mente laudare Deum, ita etiam adorare. Deinde intelligi hoc potest in actu interiori expressæ confessionis diuinæ excellentiæ, & supremi dominij, facto in eiusdem Dei præsentia, per verba mentalia expresè significantia subiectionem, & submissionem illi maiestati debitam. Hæc enim interna confessio (quam esse possibilẽ, nemo vertit in dubium) distincta est à confessione laudis diuinæ, quia formaliter non ad hoc tendit, sed ad exhibendam Deo debitam seruitutem, saltem confitendo, & affirmando esse illi debitam ratione suæ excellentiæ, & supremi dominij, & hanc ipsam confessionem in signũ illius recognitionis exhibendo. Sicut enim Homo confitendo interiùs coram Deo, se esse peccatorem, illammet confessionem offert Deo in aliqualem satisfactionem pro peccatis, ita confitendo interiùs dominatum Dei in nos, & subiectionem nostram ad illum, ipsammet subiectionem offerimus in notam, & signum talis subiectionis, & submissionis ad Deum, & hoc est esse adorationem.

7. *Qui voluntatis actus ad adorationẽ spectent.*

Denique in voluntate multi actus inueniri possunt aptissimi ad hanc animi submissionem significãdam, vt in citato loco satis copiosè prosequutus sum. Vnus autem videtur propriissimus, qui est admiratio, qua post considerationem diuinæ maiestatis, & excellentiæ, anima quasi suspenditur, & suspensa quiescit in conspectu Dei. In quo actu multi Patres perfectissimam collocant contemplationem, vt infrà videbimus. Est autem admiratio actus voluntatis, vt in 1. tom. 3. p. q. 15. art. 8. declaraui, & quomodo in illo consistat interior reuerentia, & veneratio Dei, explicui in quæst. 7. disputa. 20. sect. 2. Est enim vel genus quoddam suauissimæ complacentiæ, seu gaudij, quo aliquis veluti in stuporem rapitur contemplans summam excellentiam Dei super omnia dilecti; vel est genus quoddam reuerentialis timoris, quo aliquis veluti reformidat ad Deum accedere, aut maiestatem

Admiratio quid sit.

tem eius contemplari, prout significabant Seraphin velantia capita,& pedes suos Isai. 6. *Significabant enim* (ait Dionysius capit. 13. de cœlesti Hierarch.) *Sacram illam, ac plenam horroris venerationem, qua sancti celsiorem mysteriorum indaginem perhorrescunt.* Et Chrysostomus homil. 1. in eadem verba Isaiæ. *Duabus* (inquit) *alis velabant faciem, simul excludentia radium è throno procedentem, eò quod ferre non possent immensam illius gloriam, simul autem suam Religionem, & reuerentiam significantia; quam habent erga Dominum: Tali gaudio gaudent illa, tali latitia exultant*: Et infrà: *Facies quidem velabant propter metuendum spectaculũ, quódque non possint inaccessam gloriam intueri.* Et infrà: *Quare pedes velant? inexplebilem erga conditorem reuerentiam exhibere student.* Et hom. 2. *Cum* (inquit) *etiam ipsas supernas virtutes semper maximus obtineat stupor, propterea auertũt facies, alasq; vice murorum obiiciunt.* Et in alia enarrat. in cap. 6. Isaiæ sic ait. *Quòd velabant pedes, quódque operiebant terga, vtrunque indicat, eos admiratione fuisse perculsos, & ad fulgorem tantæ maiestatis intremuisse.* Et in orat. 7. ex decem nuper impressis in fine tom. 5. eleganter hanc ipsam adorationem exponit. Hanc ergo internam reuerentiam, & adorationem participare possumus in hac vita per Spiritus sancti dona, & ita interiùs Deum adorare per actus voluntatis nostræ. Imò etiam per ipsos actus Spei, orationis, & similes, vt in loco citato latiùs sum prosecutus.

Isai. 6. *Dionys.* *Chrysost.*

8. An externis corporis actibus Deum adorare possimus. *D. Thom.* *Damasc.*

Dico secundò: Etiam actibus corporis, ex affectu reuerentis, ac submissi animi procedentibus, adorare possumus Deum, & debemus. Assertio est de Fide, quam docent omnes Theologi 3. distinct. 9. cum diuo Thoma suprà, & Damasceno lib. 4. de Fide cap. 15. Supponit autem hæc assertio, posse Deum ab homine adorari, etiam actibus corporis, quod suprà lib. 1. satis est declaratum, estque ex se, & ex vsu satis notum, quia potest homo per actum externum corporis indicare suam mentem, & internum affectum, & hæc ipsa manifestatio dicitur adoratio, quando ex affectu submittendi se alteri, procedit. Supponit etiam, illũm modum adorandi Deum esse honestum. Et hoc etiam est per se euidens, quia est rationi consentaneus, & ex eo quòd sit corporalis, non habet intrinsecam indecentiã, quia non ordinatur ad Deum, vt illi innotescat noster animus, ac si illum ignoraret, sed vt nos omni modo nobis possibili ei seruitutem exhibeamus.

9. Vtriusq; naturæ actibus Deum colere debemus.

Vnde concluditur tertium, quod intendimus, nempe quod hæc etiam adoratio Deo debeatur, scilicet quia nos duplici natura constamus, corporali nimirum, & spirituali; & ideò vtriusq; actibus colere debemus Deum, quia vtriusque auctor est. Quam rationem cum aliis, declarabimus de oratione vocali disputando; est enim eadem ratio. Hoc etiam suadet vetustissima consuetudo non solùm Ecclesiæ in lege gratiæ (de qua mirum non est, quod Deum factum carnem, ipsis etiam corporeis membris, & genibus flexis, & manibus extensis, adoret) verùm etiam omnium fidelium Sanctorum tàm in lege veteri, quàm naturali, vt in veteri testamento passim legimus. Est etiam hic modus colendi tam naturalis homini, vt vix possit modo sibi accommodato aliter Deum adorare. Quia sicut intelligit spiritualia per sensibilia, & ad modum rerum corporalium, ita vix exprimit interiorem reuerentiam, & submissionem, nisi exhibendo aliqua sensibilia signa illius, per quæ, & suo affectui quodammodo satisfacit, & rursus per eadem in illo interiori affectu confirmatur, & crescit. Præterquam quòd cum homo non sit solitarium animal, sed sociale, & inter homines viuat, expedit, vt existimationem, quam de Deo habet, & adorationem, quam illi præbet, aliis ostendat; hoc autem non fit, nisi per corporalem adorationem, quia homines non vident internos actus nostros, sed sensibiles. His ergo rationibus, & infinitis aliis, necesse est Deo adorationem etiam corporalem exhibere.

10. An modus externæ adorationis habeat locum in spiritibus se paratis.

Hic verò fortasse aliquis curiosè inquirat, an modus hic externæ adorationis etiam in spiritibus separatis locum habere possit, & an possit esse debitus, Respondeo in primis, adorationé per propria membra corporis non habere in eis locum, quia corpora non habent. Deinde in assumptis corporibus posse illam exercere, si velint, vti in Scriptura sæpe legimus & optimè declarat Chrysostomus in oratione 7. suprà citata, & non est dubium, quin possit Deus eam illis præcipere. Nam licet hoc non exigat eorum natura, tamen ad exercitium obedientiæ, vel propter communicationem cum hominibus posset eis præcipi. Præterea motus ipse localis Angelicus potest interdum habere rationem cultus, & adorationis, vt si Angelus cum à cœlo in terram descendit ex obedientia Dei, illammet descensionem offerat Deo in cultum, & adorationem. Sic Angeli cum descenderunt ad præsepe, vt Christum natum adorarent, & glorificarent, illammet descensionem, & detentionem in illo loco potuerunt in diuinitatis eius recognitionem ordinare. Et quando illum ascendentem in cœlum comitabantur, tota illa comitatio habebat veram rationem cultus, & adorationis. Et his modis ad literam impletum est, quod Paul. ad Hebr. ait. *Et cum iterùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei*; & quod dicit ad Philippenses 2. *In nomine* IESV *omne genu flectatur, cœlestium, &c.*

Ad Hebr.

Ad Philip. 2.

11. Animæ purgatorij possunt Deum adorare.

Imò existimo, ipsas Purgatorij animas posse adorare, & colere Deum, ipsammet detentionem in illo loco, & passionem ab igne, in Deum referendo. Nam sicut violenta detentio in animabus damnatis habet veram rationem pœnæ, & coactæ humiliationis, eò quod sit detentio in loco infimo, & vilissimo, repugnante voluntate, ita è conuerso voluntaria detentio in loco illo pœnali, sicut habet quandam rationem voluntariæ pœnæ, ita potest assumi vt nota, & signum debitæ subiectionis ad Deum, potéstque illi offerri in recognitionem supremi dominij, & potestatis eius. Quamuis enim illa detentio, seu permanentia in illo loco fortasse non sit ex imperio proprio ipsarum animarum, nec sit in potestate earum inde discedere, nihilominùs potest esse obiectiuè voluntaria; & hoc satis est, vt per eandem voluntatem ordinetur in cultum, & adorationem Dei. Sicut passio Martyris, vel etiam Christi Domini non erat effectiuè à voluntate eius, sed à militibus, seu ministris; erat tamen obiectiuè voluntaria, & hoc satis fuit, vt per modum cultus, & sacrificij potuerit Deo offerre. His ergo modis potest in spiritibus separatis, seu Angelis intelligi cultus, & adoratio per actus externos, seu imperatos, seu voluntariè ordinatos in recognitionem diuinæ excellentiæ.

12. Tàm interna, quàm externa adoratio Dei est de præcepto naturali.

Explicatur quæstio, & proponitur triplex adoratio.

Dico tertiò, vtranque adorationem Dei tam spiritualem, quàm corporalem, esse homini in præcepto ex vi ipsius legis naturalis. Loquor de hominibus, quia de Angelis dicta sufficiunt. Est ergo hæc veritas certa omninò, & communis: Vt autem illam probemus priùs explicanda est. Distinguere enim possumus duplicem, vel, (vt alij volunt,) triplicem adorationem, purè spiritualem, constantem ex spirituali, & corporali, & purè corporalem. Ego verò hanc tertiam prætermitto, quia vera non est, sed ficta. Vt enim exterior adoratio vera sit, debet verè significare talem existimationem de excellentia rei adoratæ, qualem exteriores actiones significant, & procedere ex voluntate, & affectu illam profitendi,

nam si hæc conformitas signi cum interiori mente deficiat, fictio est, & mendacium, non vera adoratio, vt rectè dixit Chrysostomus homil. 8. in Matth. *Chrysostom.* Si autem externum signum ex tali mente procedat, vocamus illam adorationem mistam ex corpore, & spiritu compositam. Purè autem spiritualis est, quando sine corporali signo Deus mente colitur, vt in prima assertione explicatum est. Quòd ergo ad fictam Adorationem attinet, non solùm præcepta non est, verumetiam est omninò prohibita, tanquam continens pernicioſum mendacium, vt infrà dicemus. Adoratio autem purè spiritualis non est in hac vita determinatè præcepta hominibus, quia si semper colamus Deum adoratione mista, satis implemus obligationem colendi Deum; nam licet adoremus corpore, simul adoramus ipsum in spiritu, & veritate. Et ideò dixi, non præcipi puram spiritualem adorationem determinatè, quia licet præcepto adorandi Deum sæpe satisfieri possit per solam internam adorationem, nunquam tamen nobis præceptum est, vt in illa sola sistamus, & ita quoad illam particulam (*pura*) non est determinatè præcepta, quia non est prohibitum, quin semper coniungi cum illa possit corporalis adoratio. Nullibi enim talis prohibitio reperitur, nec ratione aliqua naturali ostendi potest, nec est cur homini prohibeatur semper operari modo faciliori, magísque accommodato naturæ suæ.

13. Quomodo adoratio mista, sit homini præcepta.

At verò è contrario adoratio mista, seu exterior est homini determinatè præcepta etiam ex lege naturæ: Quod non est ita intelligendum, vt existimetur homo obligari ad vtendum semper hoc genere adorationis, est enim hoc præceptum affirmatiuum, quod non pro semper obligat, & ideò sicut potest homo in multis temporibus non adorare Deum, ita potest, si velit, sæpe adorare sola mente sine vsu membrorum corporis, quia illa adoratio est prior, & abstractior, & non pendet à posteriori, neq; vt fiat, neque vt honestissimè fiat. Imò vtilissimum est, sæpe exercere animum in hoc adorationis modo, vel vt assuescat ad rerum spiritualium contemplationem, & vsum, vt sæpiùs, ac frequentiùs possit adorare Deum, etiam vbi non est commoditas exercendi externa signa adorationis. Quod ergo dicimus, est obligari homines ex lege naturæ, vt interdum etiam corpore Deum adorent, quia cum animo, & corpore constent, & vtrunque à Deo habeant, vtrunque debent Deo exhibere, hostiam viuentem, ac ei placentem in cultum, & adorationem eius. Item quia moraliter loquendo, & humano modo, non facilè potest homo reuerèter ad Deum accedere, nisi corpore ipso signa reuerentiæ exhibeat, & per corpus ipsum animum componat: hic est enim modus homini maximè connaturalis, & licet interdum possit per spiritum ad Deum ascendere sine demonstratione corporis, rarò tamen, & post longam consuetudinem; & ideò cultus exterior homini præcipitur tanquam maximè connaturalis. Denique quod Paulus, dixit, *Rom. 10.* *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, ad cultum etiam religiosum Dei applicari potest; oportet enim, vt homo exteriùs se ostendat Dei seruum, & cultorem, & hoc etiam ipsa ratio naturalis dictat: ostendit autem se talem per veri Dei verum cultum externum. Est ergo hæc adoratio sub naturalis legis obligatione.

14. Obiectio.

Dices: si de hoc diuino cultu datum est naturale præceptum, quomodo in Decalogo inter præcepta primæ Tabulæ, quæ ad Deum pertinent, datum non est? In illa enim Tabula tantùm tria præcepta scripta esse legimus, ex quibus duo priora, quæ moralia erant, negatiua fuere. *Non habebis Deos alienos coram me, & Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Tertium verò, quod affirmatiuum fuit de Sabbathi sanctificatione, non fuit morale, sed cæremoniale: propterea enim cessauit, & non seruatur, vt docuit Irenæus lib. 4. contra Hæres. cap. 31. & Augustin. 19. contra Faustum cap. 18. & lib. 3. contra duas Epistolas Pelagianorum, cap. 4. Respondeo præceptum hoc naturale, de quo hic agimus, in primo præcepto Decalogi indicari, & ad tertiũ etiam posse reduci, nec fuisse necessarium, vt expressiùs traderetur. Primum patet, quia licet primum præceptum per formam negationis detur, supponit, & virtute includit affirmationem, in qua illa negatio fundatur. Ideò enim idololatria prohibetur, quia cultus vero Deo debitus non est ad falsos Deos transferendus. Et hoc significatum est in ipsa forma præcepti in verbo illo *Coram me*, perinde enim fuit, ac si diceret Deus, me solùm habebis tanquam verum Deum, quem colas, neque alium in cõsortium Deitatis mecum tibi propones. *Irenæus, August. Satisfit.*

15. Abulens. Sensus verborum primi præcepti Decalogi.

Hinc Hebræi, vt Abulens. ibi quæstione 2. refert, dixerunt, verba illa: *Ego sum Dominus Deus tuus*, quæ præcedunt ante illam negationem: *Non habebis Deos alienos coram me*, continere primum præceptum Decalogi, & illud esse affirmatiuum de adoratione Dei, & sequens negatiuum esse secundum. Quinimò etiam Hieronymus Oseæ 10. circa illa verba: *Corripientur propter duas iniquitates suas*, dicit illas duas iniquitates populi Israel, *Fuisse contra duo precepta Decalogi: Ego sum Dominus Deus tuus, &, non habebis Deos alienos.* Sic etiam illa præcepta distinxit Esichius Leui. 26. quem refert diuus Thomas 12. quæstione 100. art. 4. Veruntamen licet non sit hoc admittendum, tum quia verba illa non habent formam præcepti: nullum enim verbum præceptiuum continent, tum etiam quia aliàs plura essent præcepta Decalogi, quàm decem, contra id, quod habetur Exod. 31. & 34. & Deut. 4. nihilominùs verum est, in verbis illis insinuatum esse, Deum verum esse singulariter colendum, & adorandum, & hoc fuisse propositum, & in memoriam redactum, vt inde facilè intelligeretur ratio præcepti negatiui statim subiuncti: *Non habebis Deos alienos.* Vnde D. Thomas art. 4. ait; *Cum scriptum sit Matth. 7. nemo potest duobus Dominis seruire, eiusdem rationis esse, & sub eodem præcepto cadere, Ego sum Dominus Deus tuus, & non habebis Deos alienos.* *Hieronym.* *Esichius. D. Thom.* *Exod. 31. & 34.* *Deut. 4.* *D. Thom.*

16. An 3. Præceptum Decalogi sit morale.

Secundum patet, quia tertium præceptum licet quoad determinationem diei sabbathi cæremoniale sit, vt citati sancti docent, & est per se clarum, tamen quoad substantiam est morale, quatenus præcipit vt per aliquod tempus diuino cultui, & adorationi vacemus, vt rectè D. Thomas 12. quæst. 100. art. 3. ad 2. & Abulens. quæst. 3. & latiùs in 11. in cap. 20. Exodi, vbi ait, ibi præcipi etiam aliquam externam Dei adorationem, quia propter illam præcipiebatur vacatio ab operibus, non propter corporis otium; Et ideò in eodem præcepto dicitur: *Memento, vt diem Sabbathi sanctifices*, sanctificatur enim dies per opera Religionis, quæ in eo exercenda sunt. Et ideò etiam errauit Esichius, vt D. Thom. notat dicto art. 4. excludens præceptum de Sabbathi sanctificatione à præceptis Decalogi, eò quòd cæremoniale sit. Nam præterquam quod hoc repugnat cõtextui Scripturæ, est contra communem sententiam Patrum, & sensum totius Ecclesiæ, & contra rationem, quia (vt dixi) præceptum illud non tantùm cæremoniale est, sed etiam morale, & ideò ex illa parte potuit optimè inter præcepta Decalogi poni; Et fuit etiam conueniẽs, quoniam in illo præcepto indicatur seruitus Deo debita in recognitionem beneficiorum eius, vt diuus Thomas ait dicto art. 4. & 5. & ideò debuit ab ipso *D. Thom. Abulens.* *D. Thom.*

Deo

Deo tradi inter illa decem verba, quæ in Tabulis digito suo scripsit.

17. Adorationem Dei nō fuit necesse tradi expressius in Decalogo. *Abulens. Augus.*

Tertium, videlicet non fuisse necessarium præceptum hoc adorandi Deum clariùs, & expressiùs tradi in Decalogo, probatur ab Abulens. suprà q. 2. quia præceptum affirmatiuum colendi Deum non est vnum, sed multiplex, nam complectitur præcepta Fidei, Spei, & Charitatis, quibus maximè colitur Deus, teste Augustino in Enchir. cap. 3. & 5. & lib. 12. de Trin. cap. 14. sed hoc parùm vrget, nam licet præceptum adorādi Deum possit esse generale, quoad materiam, qua potest homo vti ad colendum Deum, nihilominùs formaliter, & sub ratione adorationis, & Religiosi cultus, potest esse speciale, saltem specie subalterna pertinente ad virtutem Religionis, iuxta illa, quæ de actibus huius virtutis præcedenti tractatu B *D. Thom.* diximus. Aliter ergo D. Tho. dicta quæst. 100. art. 4. ad 2. ait, præceptum affirmatiuum non distingui à negatiuo, quando vnum comprehenditur sub alio, sicut non est aliud præceptum restituendi à præcepto non furandi, hîc autem præceptum adorandi Deum, & non colendi alium Deum ita comparari, vt vnum sub alio comprehendatur. Addo verò, illud ipsum præceptum magis fuisse explicatum in primo præcepto per negationem, quàm per affirmationem, quia tam naturale est homini adorare Deum, vt solùm fuerit necessarium impedimenta remouere; quod factum est per illam prohibitionem, quæ illi populo, & illo tempore fuit maximè necessaria, propter pronitatem ad idololatriam, quam ex consuetudine, & conuersatione cum gentibus conceperat. Ablato autem hoc C impedimento, solùm oportuit certum aliquod tempus exigere ad cultum Dei exercendum, quod in tertio præcepto factum est.

CAPVT II.

Quomodo sit colendus, seu adorandus Deus ex vi legis, seu præcepti naturalis.

1. Status quæstionis.

DIximus in generali de præcepto adorandi, seu colendi Deum, quia verò illud non potest in vniuersali impleri, sed aliquo actu, & modo particulari, ideò necesse est exponere, quomodo hæc determinatio vel præcipiatur, vel fieri possit, ita vt præceptum impleatur. Possumus autem loqui vel de adoratione interna, quæ mente, vel de externa, quæ corpore fit: Item loqui possumus, vel de præcepto naturali, modum, & speciem adorationis præcipiente, vel de præcepto positiuo, aut diuino, aut Ecclesiastico. Cum autem loquimur de diuino iure naturali, non illud tantùm intelligimus, quod pura naturalis ratio sine fidei lumine dictat; sed illud præcipuè, quod ipsi gratiæ connaturale est, & ex ipso fidei lumine intrinsecè, & connaturaliter nascitur, & quod de illo dixerimus, poterit cum proportione applicari ad ius ipsum naturale, quod in pura natura humana bene instituta, & ordinata ad suum naturalem finem inueniretur. E

2. Quo cultu interno teneatur homo Deum adorare.

Explicatur assertio.

Dico ergo primo. Ex vi solius legis naturalis non tenetur homo colere, vel adorare Deum alio cultu, purè interno, præter illum, qui in actibus Fidei, Spei, Charitatis, & Pœnitentiæ (si necessaria sit) continetur; imò in rigore præcepti legis naturæ non teneretur homo hos actus exercere formaliter sub ratione adorationis, & cultus, sed tantùm materialiter, seu in actu exercito; atque ita præceptum naturale in rigore non obligat ad adorationem purè mentalem. Vt ergo intelligatur Assertio, suppono teneri homi- A nem ex diuino iure ad credendum, amandum, & sperandum in Deum, & ad pœnitentiam agendam, si mortaliter peccauit. Per Fidem autem habet homo de Deo conuenientem existimationem; per amorem verò, & Spem illi vnitur vt summo bono, & supremæ causæ salutis suæ. Et, (si per peccatum à Deo auersus erat) per Pœnitentiam ad eum conuertitur. Et hinc fit, vt illi actus sint aptissimi de se, vt in internum Dei cultum, veramque adorationem referantur sicut in 1. tom. 3. p. disp. 51. sect. 2. ex mente Augustini, & D. Thom. & ex rationibus ipsorum, satis ostendi. Si ergo homo illis actibus colat Deum, & per virtutem Religionis eos imperet ad recognoscendam, & profitendam diuinam excellentiam, eique debitam subiectionem tribuendam, satis implet obligationem adorandi Deum pura mente, & spiritu, quatenus ad illam supremam mentis partem hoc officium pertinere potest. Et ita patet prima pars Assertionis; nam licet fortasse possit mens nostra aliis etiam internis actibus Deum colere, tamen cum illi nos vniant Deo sufficienter, in aliis non est tanta necessitas. *D. Augus. D. Thom.*

3. An obedientiæ actus sit necessarius.

Neque aliquem moueat actus obedientiæ ad Deum, nam quatenus necessarius est, in perfecta Dei dilectione continetur; quatenus verò sub speciali formalitate virtutis moralis exerceri potest, non est necessarius simpliciter ad salutem. Dices etiam Pœnitentia posset in rigore per Charitatem sufficienter exerceri. Respondeo, verum id esse, nec distinctè numerari, vt in rigore postuletur per modum specialis actus virtutis moralis, sed vt significetur in eo, qui C peccauit, necessarium esse, vt non solum amet, sed etiam doleat, & se Deo submittat, siue per solam Charitatem vtrunque faciat, siue alio modo. Et hoc modo Augus. in Enchir. cap. 3. & lib. 10. de Ciuitat. cap. 4. & 12. de Trinit. cap. 14. Damascen. orat. 3. de Imaginibus circa medium; hos actus ponunt inter præcipuos actus diuinæ adorationis. *Augus. Damasc.*

4. Prima pars assertionis probatur. *D. Augus. D. Thom.*

Iam verò probatur altera pars Assertionis, nam duobus modis possunt hi actus Theologicarum virtutum exerceri, vel ex propriis rationibus tantùm, prout eliciuntur à propriis virtutibus, vel ex affectu colendi Deum, à quo suo modo imperari possunt, vt dixi. Ex his autem duobus modis prior est per se, & natura sua ex vi talium virtutum necessarius, quia substantia, & essentia talium actuum in illo consistit, & ideò cum illi actus præcipiuntur, necessariò D præcipiuntur quoad proprias rationes suas in quibus materialiter (vt sic dicam) seu in exercitio includunt cultum Dei, & subiectionem ad ipsum. Posterior autem modus est accidentalis illis actibus, & ideò propter proprium illorum vsum, & exercitium necessarius non est. Neque verò est aliquod naturale principium, vnde colligi possit naturalis obligatio exercendi illos actus sub tali ratione, & imperio. Dices, etiam postulari ab homine, vt ex virtute Religionis, & proprio affectu illius reddat Deo debitam seruitutem. Respondeo, esto, ita sit in genere loquendo, non tamen in particulari esse necessarium ex sola rei natura, vt Religio vtatur illis actibus internis ad Deum adorandum, quia vel potest id præstare aliis actibus, vt laude Dei interna, vel gratiarum actione, vel admiratione, vel pia meditatione, aut aliis similibus: vel certè posset illud officium exhiberi sufficienter per externos actus adorationis: nam cum illis mens subiicitur, vt suprà declaraui. Et ita in rigore præcepti naturalis, non obligatur homo ad adorationem Dei purè mentalem, quia per mistam potest naturali obligationi satisfacere, sicut inferiùs etiam de oratione dicemus. Obiectioni satisfit.

5. In exercitio adorationis internæ nulla determinatio.

Atque hinc tandem fit in hoc genere adorationis internæ, nullam determinationem quoad exerci-

tium (vt sic dicam) factam esse per proprias leges præcipientes diuinum cultum, & adorationem, vt talis est, quia nec naturalis lex facit hanc determinationem, vt declaraui, nec leges positiuæ, diuinæ, vel humanæ illam fecerunt. Nam Leges humanæ non dantur de actibus purè internis secundùm se: diuinæ autem quoad actus internos nullæ sunt, præter eos, qui ex natura rei sunt necessarij, nullæ enim aliæ nobis datæ, aut promulgatæ sunt. Hæc ergo determinatio ad arbitrium ipsius hominis operantis fieri potest, solúmque oportet, vt legitimis actibus, (vt sic dicam) & Deo decentibus fiat, quæ obligatio ex naturali quidem lege nascitur, sed pertinet magis ad negatiuum præceptum non exhibendi Deo superstitiosum cultum, quàm ad affirmatiuum, de quo præcepto infrà dicendum est.

6. Ex lege naturali an sit determinatus cultus externus adorat.

Dico secundo. Ex vi solius legis naturalis non est positiuè determinatus modus particularis adorandi Deum cultu externo, nec quoad genera actionum, nec quoad tempora, vel alias circunstantias, sed solùm datur vel præceptum affirmatiuum generale quoad exercitium, scilicet vt talis adoratio aliquando exerceatur, vel etiam quoad specificationem genericam, seu subalternam, vt modo decenti, & proportionato fiat, vel ad summum est affirmatiuum præceptum cum negatiuo coniunctum, scilicet vt adoretur Deus sine modo superstitioso, aut indecente. Hæc conclusio sumitur ex his, quæ latiùs, & distinctiùs tractauimus in 3. tom. disp. 73. per totam, præsertim section. 8. quibus hîc nihil ferè addendum occurrit. Probatur ergo prima pars ratione sumpta ex D. Thom. 22. quæst. 85. articul. 1. ad 3. quia licet sit Homini naturale significare conceptus suos per sensibilia signa, tamen determinatio talium signorum est secundùm humanum placitum, ergo similiter cum adoratio hæc consistat in vsu aliquorum signorum externorum, licet vsus illorum in genere sit de lege naturæ, determinatio illorum non erit de lege naturæ, sed aliunde. Et confirmatur, quia nulla sunt principia naturalia, ex quibus necessariò inferatur his potiùs, quàm illis signis esse vtendum ad Deum adorandum. Confirmatur secundò ex varietate talium signorum, nam quæ lege naturali præscripta sunt, eadem sunt apud omnes, at in modo colendi Deum cultu externo, magna varietas fuit à principio orbis, etiam inter veros Dei cultores, ergo. Atque eodem modo constat, non habere præceptum hoc determinationem temporis ex sola lege naturali, nam est præceptum affirmatiuum, quod non obligat pro semper, nec pro certo numero actionum in anno, mense, vel hebdomada, & sic de aliis circunstantiis. Relinquitur ergo, vt solùm in generali sint hæc omnia sub proprio præcepto legis naturæ, determinationem autem faciendam esse vel per positiuam legem, vel per prudens arbitrium operantis. Quòd verò in hac determinatione necessaria sit prudentia, & decentia, per se notum est.

D. Thom.

Ratione probatur.

7. Externæ adorationes sũt indifferẽtes ad Deum, & homines.

Vt autem breuiter declaremus, quomodo hæc determinatio facienda sit, præsertim in modo actionum, aduerto quod si consideremus omnes actiones, vel signa externa posita in actionibus, vel motibus corporis (extra locutionem) quibus aliis honorem deferimus, omnia sunt indifferentia, & ad honorandos homines vsurpari solent, vt notauit Aug. lib. 10. de Ciuit. cap 4. dicens: *Multa de cultu diuino vsurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis, siue humilitate nimia, siue adulatione pestifera, ita tamen vt quibus deferantur, homines habeantur. Quis verò sacrificandum censuit, nisi ei, quem Deum, aut sciuit, aut putauit, aut finxit?* Imò Gregorius Nyssenus, quem D. Thomas refert Lucæ 22. in Catena circa illa verba, *Et positis genibus orabat*, dicit: *Honorifica signa, quæ inuicem exhibemus, fatentes nos humiliores esse respectu excellentiæ proximi, transsumpta esse à nobis ad obsequia incomparabilis naturæ. Quia humana natura nihil habet Deo condignum, quo eius excellentiam protestetur, ac recognoscat.* Vnde fit, vt hæc signa de se indifferentia sint ad humanam, & diuinam adorationem, solúmque ex adorantis intentione, aut verbis discerni possint, nisi aliqua peculiari consuetudine, vel institutione, signum aliquod soli Deo accommodatum sit. Vnde & in Scriptura legimus, & vsu obseruari videmus, vt ferè omnia signa reuerentiæ, quæ Deo ipsi per corpus exhibentur, hominibus etiam tribuantur, vt sunt genuflexio, corporis humiliatio, prostratio, & similia. Sic Ruth 2. prostrata in terram adorauit Booz, & Abigail adorauit Dauid. 1. Reg. 25. & Iudith. cap. 10. viso Holoferne, *adorauit eum prosternens se super terram.*

Ruth 2. 1. Reg. 25. Iudith. 10.

8. Vtroq; genu flexo Deus reuerenter colitur. 3. Reg. 8. Act. 7. 9. 20. & 21. 4. Reg. 1.

Similiter genuflexio ad hominem adorandum fit, sed ordinariè fit tantùm vno genu, & ideò qui reuerenter Deum colunt, solent vtrunque genu in terram figere, vt de Salomone legimus 3. Regum 8. & de Petro, Paulo, & Stephano, aliisque fidelibus Actorum 7. 9. 20. & 21. Veruntamen hoc signum interdum etiam exhibetur homini in signum adorationis, sicut de quodam Quinquagenario legimus 4. Regum 1. qui hoc modo adorauit: etiam & nunc solemus vtrunque genu coram Pontifice flectere. Addi præterea solet, in diuina adoratione manuum eleuatio ad cœlum, vt significetur, totam adorationem ad Deum specialiter referri, sicut de Salomone loco suprà citato, & 2. Paral. cap. 6. legitur, & 1. Esdræ, cap. 9. *Curuaui genua mea, & expandi manus meas ad Dominum Deum meum.* Et ideo Psalm. 43. dicebat Dauid, *Si expandimus manus nostras ad Deum alienum.* Quasi hoc sit proprium signum adorationis veri Dei, vnde Psalm. 140. ait, *Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Et nihilominùs etiam hoc signum interdum extenditur ad homines, quia magis videtur ordinari ad postulandam misericordiam, vel auxilium, quàm ad exhibendam reuerentiam, licet vtroque respectu fieri possit; inde enim est illud Augustini libro de Cura pro mortuis agenda, cap. 5. *Orantes de membris corporis sui faciunt, quod supplicantibus congruit, cum genua figunt, cum extendunt manus, &c.* Vnde eo modo, quo potest ab homine misericordia, vel auxilium postulari, possunt etiam supplices manus ad illum eleuari, sicut facere solent pauperes coram diuitibus: & nos religiosiùs ad sanctos cum Christo regnantes genua flectimus, & manus cum debita intentione extendimus, ac eleuamus.

Manuum eleuatio ad cœlum quid significet. 2. Paral. 6. 1. Esdræ 9. Psalm. 43. Psalm. 140.

Augustí.

9. Pectus tundendi signũ cui cõperat. Augustí.

Signum etiam tundendi pectus videtur esse maximè proprium diuinæ reuerentiæ, quia est signum postulandi veniam peccatorum, quæ solùm Deus remittit: Vnde Augustí. lib. 50. Homil. in 10. refert, consuetum fuisse Christianis tundere pectus, cum dicerent, *dimitte nobis debita nostra*; Exemplo scilicet illius Publicani, qui non audebat oculos suos leuare in cœlum, sed pectus suum percutiebat dicens, *Deus propitius esto mihi peccatori.* De quo videri possunt multa apud Durantum libro 2. de Ritibus, capit. 12. numero 5. & ita Corduba libr. 1. quæstione 5. dubio 6. Vbi inter actus ad propriam Dei adorationem designatos ponit hunc percutiendi pectus. Et forsasse ex vsu frequenti, & communi ita est; tamen ex natura actus sine dubio indifferens etiam est. Nam solùm est actus ostendens submissionem animi petentis veniam pro offensione aliqua, quæ submissio fieri potest etiam homini à nobis offenso, ad postulandam etiam ab eo remissionem, quatenus ab eo fieri

Durant. Corduba.

Augustí.

Greg. Nyss.

fieri potest; posset ergo per illum actum etiam significari, si consuetudo id ferret: Præterquàm quod illud magis assumitur in signum contriti cordis, iuxta illud Augustini Enar. 2. in Psal. 31. *Tunsio pectoris obtritio cordis.* Sic ergo potius ad virtutem Pœnitentiæ spectat, quàm ad propriam adorationem, quatenus Religionis actus est.

Augustin.

10. Adoratio externa determinanda per actum internum.

Igitur adoratio externa, aut est priuata, aut publica; Item aut fit signo non habente certam significationem ex impositione, aut fit signo iam imposito sufficiēter ad aliquid determinatè significandū. Quando ergo adoratio est priuata, & fit signo de se communi, tunc vt fiat diuina, & propria Religionis quantùm ad ipsum operantem, per intentionem eius determinanda est, quia non est aliud principium, vnde talem determinationem accipere possit, & quia actus ex- B ternus, vt exercitus, ab interno, seu ab intentione accipit rationem suam. Item quia hæc externa opera nō significant naturaliter talem, vel talem excellentiam eius, cui exhibentur, sed ex institutione ad placitum; ergo respectu ipsius operantis, & quoad priuatum vsum eius non potest commune signum aliunde habere talem significationem, seu animi expressionem, nisi ex voluntate, & intentione eius. Dicitur autem adoratio priuata in rigore, omnis illa, quam vnusquisque exhibet pro se tantùm, & in persona sua tanquam priuatus cultor Dei. Hæc tamen ipsa priuata adoratio potest fieri, vel occultè, vel publicè. Quando fit occultè, ordinariè sola intentio bona ex vera fide, ac deuotione profecta sufficit ad determinationem faciendam; nam ex parte Dei nihil aliud requiritur, nec ex C parte aliorum hominum, quia supponitur actionem esse occultam. Et ita potest fieri quocunque tempore, loco, &c. Solùm ex parte operantis attendendum erit, vt talis sit gestus, vel actio, aut vsus externorum membrorum, vt ad reuerentiam conciliandam, ac submissionem, & deuotionem internam excitandam sit accommodatus: & vt corporis etiam infirmitati, ac defatigationi sit proportionatus, ita vt prudens mediocritas seruetur.

Adoratio priuata quæ.

11. Quid seruādū sit in hac adoratione quando fit publicè.

Quando verò hæc ipsa adoratio priuata publicè fit, tunc aliorum ratio habenda est, & ideò tunc non satis est bona intentione operari, sed necesse est talibus signis vti, quæ alios non offendant, & cauere ne ex circunstantiis loci, temporis, & personarū adstantium possint actiones significare aliud, quàm operans D intendit, nimirum aut adorationem illam non esse consentaneam Deo, vel non indicare in ipso adorante veram existimationem de excellentia eius, aut significare propriam Dei adorationem tribui alteri, qui non est verus Deus, vt latiùs infra dicemus de idololatria tractantes.

12. Aliud signorū externorum genus.

Quando denique adoratio fit signo iam imposito ad significandum peculiari modo diuinam excellentiam, iam in ipso opere ablata est indifferentia, ideóque soli Deo potest per tale signum adoratio exhiberi. Hæc autem determinatio (secluso sacrificio, de quo nunc non agimus) vix inuenietur in actionibus externis, quæ solùm in aliquo vsu, vel inflexione membrorum corporis positæ sint: sed tantùm in verbis, & consequenter in vsu linguæ, quatenus illa profert; E vel manus, quatenus illa scribit. Et hac ratione oportet laudare, seu adorare Deum, quando ore adoratur, vocibus verè significantibus excellentiam eius. Neque hoc loco plura de hac adoratione priuata dicam, quia de modo huius priuatæ adorationis nulla sunt orta positiua præcepta, quæ explicare necesse sit. Reliqua verò, quæ de hac adoratione desiderari possunt in dicto 1. tomo 3. parte tractata sunt, quæ verò spectant ad sacramentorum vsum, in suis locis explicata sunt.

A Atque hinc etiam constat, quid dicendum sit de adoratione Dei publica: Voco autem Publicam non omnem illam, quæ coràm aliis fit, sed illam, quæ ita de se fit coràm aliis, vt nomine omnium fiat, sicut fit ab Ecclesia, per ministros, & Sacerdotes suos colente Deum. Hoc enim genus adorationis necesse est fieri aliquo signo visibili, quia communitas hominum non potest in alio signorum genere coalescere, & conuenire, vt rectè dixit contra Faustum August. lib. 19. cap. 11. Estque per se notum, quia interiora signa per se occulta sunt hominibus, qui non intuentur cor; adoratio autem quæ nomine omnium fit, debet ex se nota esse omnibus, debet ergo fieri signo visibili. Oportet etiam, vt habeat significationem auctoritate publica, & communi, aliàs etiam non posset nomine omnium fieri. Et consequenter oportet, vt iam tale signum habeat ex impositione determinatam significationem, & quod illa sit accommodata veræ excellentiæ Dei, siue ille modus quoad alias circunstantias per naturalem prudentiam determinandus sit; siue per publicas leges sit præscriptus, vtrunque enim coniungi potest, & vtrunque seruandum est, vt in sequentibus videbimus.

13. Adoratio publica requirit externū signum.

August.

Est autem obseruandum circa hanc adorationem publicam, seu communem, duobus tantùm modis esse, & fuisse in vsu inter homines. Vnus est per actionem sacrificij; Alius per orationem publicam, inter quos duos modos prior semper habitus est, vt præcipuus, & primarius iuxta illud Pauli ad Hebr. 5. *Omnis homo ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat.* Et cap. 8. *Omnis Pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur.* Huic autem muneri semper coniuncta fuit oratio siue ad impetrandum, siue ad laudandum Deum, vel ei gratias agendum. Hæc enim duo actionum genera inuenta sunt apta, & sufficientia ad Deum adorandum publico ritu, & cultu, aliæ enim actiones vel ordinantur ad sanctificationem ipsorum fidelium proximè, & immediatè, ad cultum verò remotè, vt est Sacramentorum vsus, vel sunt ad ornatum, & decentiam illarum actionum principalium. De publico ergo cultu Dei, qui oratione, vel laude fit, infrà ex professo disputaturi sumus; de illo verò, qui consistit in sacrificiis, & oblationibus in citato 3. tom. 3. p. fusè, disputatum est. Hic ergo supponendo breuiter ea, quæ ibi dicta sunt, solùm addemus ea, quæ ad præcepta Ecclesiastica potissimùm spectant; & ad conuenientem vsum dictarum actionum ordinantur, & ibi in hunc locum remissa sunt.

14. Duo genera publicæ adorationis.

Ad Hebr. 5.

CAPVT III.

An offerre Deo aliqua sacrificia in cultum eius, sit lege naturali, diuina, vel Ecclesiastica præceptum.

1.

HIc breuiter explicabo, quæ D. Thom. in hac materia quæst. 85. 22. attigit, solùm quatenus necessaria videbuntur ad huius materiæ complementum; & ad ea intelligenda, quæ postea de Superstitione, Idololatria, & aliis vitiis Religioni contrariis seu (quod perinde est) ad intelligenda præcepta negatiua huic virtuti annexa, necessaria sunt. Quia verò sacrificium, oblatio quædam est, ideò prius ratio nominum oblationis, & sacrificij præmittenda est. Differunt enim illa duo tanquam genus; & species: omne enim sacrificium, oblatio est; non verò omnis oblatio est sacrificium; propriè, & strictè tam de oblatione, quàm de sacrificio loquendo. Nomē enim oblationis latissimè patet, nam potest esse oblatio interna, &

Oblatio, & sacrificiū in quo differāt

& externa; prior propriè pertinet ad Deuotionem, qua homo se totum, & sua offert in obsequium Dei, posterior verò fit per actiones sensibiles, & externas. Rursùm potest homo offerre seipsum Deo, non solùm interiùs, & affectu, sed etiam exteriùs, & cum reali effectu, quomodo se offert quis Deo per professionem Religionis, vel per sacram ordinationem, imò & per Baptismum, vel Confirmationem, aut Pœnitentiam, & sic etiam Martyr per Martyrium vitam suam Deo offert. Et ita nonnulli inter actus peculiariter designatos ad cultum Dei, ponunt Martyrium, vt ex Augustin. lib. 10. de Ciuit. cap. 4. notat Vvald. tom. 3. de Sacrament. cap. 117. num. 4. Cordub. lib. 1. quæst. 5. dub. 6. Aragon. 22. qu. 84. art. 2. in fine. Verumtamen non agimus hîc de his oblationibus, nam illæ secundùm proprias rationes, vel habent peculiares virtutes, ad quas pertineant, vt Martyrium, Fortitudinem, & Charitatem; Satisfactio, vel castigatio proprij corporis, Pœnitentiam: licet ad cultum, & adorationem per Religionem assumi possint: vel certè multæ ex illis pertinent ad cultum Sacramentorum. Solùm illa de professione Religionis habere potest in hac materia peculiarem considerationem, quam infrà trademus, tractando de Voto præsertim solemni.

Augustin. Vvald. Cordub. Aragon.

2. Quid sit oblatio propriè.

Oblatio ergò propriè dicitur actio exterior, per quam aliquid ex nostris sensibilibus bonis Deo offerimus in recognitionem dominij, & excellentiæ eius, & seruitutis nostræ ad ipsum, vel in quemcunque cultum Religiosum Dei. Hæc verò oblatio vlteriùs diuidi potest, nam quædam offeruntur Deo ipsi immediatè, tanquam illi, cui directè donantur, etiamsi posteà cedant in aliquem hominum vsum, vt sunt multa ex his, quæ in Ecclesia, vel in Altari offeruntur; alia offeruntur Deo tanquam ei, propter quem donantur, proximè verò, & directè donantur ministris eius, vt fit in Decimarum solutione, sed illæ communiter non censentur propriè oblationes: Et ita D. Thom. 2. 2. q. 85. art. 3. ad 3. dixit, Decimas non esse oblationes. Nunc ergo de oblatione in hac stricta significatione tractamus: Et adhuc sic accepta tandem subdiuiditur in oblationem simplicem, seu puram, & in sacrificiũ, quæ est oblatio cum aliqua consecratione, vel mutatione rei oblatæ, ita vt ipsa consecratio, vel mutatio fiat in peculiarem Dei veneration em: Et ita distinxit D. Th. suprà oblationem à Sacrificio, eámque distinctionem latè declarauimus, & ex Patribus confirmauimus in tom. 3. tertiæ partis disp. 73. sect. 5. In hoc ergo capite de solo Sacrificio tractamus, in sequentibus de Oblationibus dicemus.

Oblationis variæ diuisiones.

3. Sacrificium externum est quasi de iure gentium.

Dico ergo primò. Colere Deum per visibile sacrificium, & externam oblationem, licet non sit in rigore præscriptum sola lege naturæ, est adeò consentaneũ illi, vt semper fuerit quasi de iure gentium, quod quodammodo naturale dicitur. Hanc etiam assertionem attigi citato loco, & iuxta illam interpretor D. Thom. dicta q. 85. art. 1. dicentem, sacrificium esse de lege naturæ, quod de oblatione etiam dicit, q. 86. art. 4. Prima ergo pars sequitur apertè ex præcedentibus, quia licet cultus per externas oblationes, vel sacrificia generalis sit, & hac ratione videatur esse posse naturalis: nihilominùs comparatus ad cultum externum in communi, iam addit determinationem aliquam, nam multi sunt cultus externi, qui non sunt sacrificia, nec oblationes externarum rerum, vt sunt genuflexio, tunsio pectoris, laudatio vocalis, & similis. Possent ergo homines esse contenti similibus actionibus ad Deum adorandum sine aliis oblationibus, neque hoc haberet intrinsecam deformitatem ex vi legis naturæ, vt per se constat, quia ex nullo principio ostendi potest intrinseca malitia in limitatione talium signorum, cũ negatione, (vt sic dicam) aliorum. Ergo ex solis principiis naturæ non ostenditur necessarium præceptum talium oblationum.

D. Thom.

Altera nihilominùs pars probatur ex ipso vsu, qui satis ostendit inclinationem hominis naturalem: nam in primis ex Scriptura habemus, statim à principio mũdi Abel, & Cain obtulisse Deo de bonis suis, quos naturali lege ductos fecisse testatur Chrys. hom. 18. in Gen. & Cassian. colla. 6. c. 23. Et oblationes illas sacrificium fuisse sentiunt, estque communis expositio in illum locum. Et licet de Adam simile quid non legatur, verisimillimũ est, filios à patris doctrina, & exemplo id didicisse. Nec oportuit Scripturam omnia narrare, vt dixit D. Tho. dicto art. 1. ad 5. vbi etiam congruentiam addit, cur neque de Adam, neque de Isaac id in Scriptura referatur, quę ibi videri potest. De aliis verò Patriarchis ante legem scriptam frequenter refertur, de Noë, Abraham, Iacob, Melchisedech. Nec solùm de fidelium oblationibus, & sacrificiis, sed etiam de gentium Sacerdotibus, & sacrificiis, quæ Diis suis, & Idolis faciebãt, Scriptura loquitur, & præcipuè Gen. 47. fit mentio Sacerdotum Ægypti, & singularis immunitatis eorum. Aristoteles etiam lib. 7. Polit. c. 8. inter alia ad perfectam remp. necessaria. *Primum*, id est, præcipuum esse dicit, *Circa rem diuinam cultum, quem vocant sacrificium.* Vnde in fine concludit, inter alios artifices, vel magistratus, necessarios esse *sacerdotes*, de quibus etiam dixerat lib. 6. c. vlt. quosdam vocari sacerdotes, alios ædituos, qui templorum curam habent, & earum rerum, quæ ad diuinum cultum pertinent: Alios autem vocari Sacrificulos, alios Reges sacrorũ, alios Pontifices maximos: & lib. 8. Eth. c. 9. Sacrificia dicit esse antiqua. In Romana etiam Rep. & aliis hunc morẽ fuisse constat: satis ergo hinc ostenditur, quàm sit naturalis hic cultus. Non defuerunt tamen Philosophi, qui dixerint, hunc ritum visibilium sacrificiorum solùm propter continendum vulgus permitti, non verò quia ad Dei cultum conferant. Vt de Seneca refert Aug. lib. 6. de Ciu. c. 10. sed hi ex dictis in c. præced. satis confutantur.

Genes. 47. Aristot.

4. Probatur cãcluſio.

Chrysost. Cassian.

Quod ergo hic modus colendi Deum, si aliàs in verum Deum referatur, & debitis circunstantiis fiat, honestus sit ex vi legis naturæ, manifestum est ex vsu omnium piorum, & vera fide colentium Deum. Item quia in tali actu est aptitudo, & congruentia, vt ad diuinum cultum ordinetur, & alioqui nulla deordinatio, vel praua circunstantia per se illi coniuncta est. Quæ omnia in dicto loco latè deduxi, & patent breuiter, quia dum res aliqua Deo offertur, gratitudo animi erga illum ostenditur, & ipse tanquam bonorum omnium auctor recognoscitur. Neque enim hæc dona illi offerũtur, quia eis indigeat, vel quia illi sint vtilia, sed *Offerentium vtilitati prospicitur* (ait Philo lib. de Sacerdotum honoribus in principio) *Dum enim assuescunt semper alimenti partem Deo decidere, nunquam in eius obliuionem veniunt, qua re nihil in vita potest contingere felicius homini.* Deinde cum huic oblationi adiungitur aliqua cæremonia sacra, qua res oblata mactatur, vel aliquo modo conficitur, vel consumitur, additur expressa quædam significatio dominij supremi Dei, à quo omnium aliarũ rerum vita, & esse pendet, & interdum etiam ex diuina institutione ad aliquid aliud mysticè significandum accommodatur, quod totum sanctum, & religiosum est.

5. Hunc modũ colẽdi Deũ, esse honestũ.

Philo.

Et hinc orta est conformitas, & consonantia inter hunc cultum, & naturã hominis, quæ sensibilis simul, ac rationalis est, vt Damasc. Orat. 3. de Imag. & lib. 4. de Fide cap. 13. adnotauit. Nam quia homo per sensibilia intelligit, pervsus etiam signorũ sensibiliũ explicat mentem suã, & memoriam renouat, & affectũ suũ mouet, quod iucundius, & cum maiori attentione, & quasi admitatione facit, quando non tantùm verbis, sed

6. Cõformitas inter hunc cultũ, & hominis naturam.

Damasc.

sed etiam factis, nec tantùm vsu membrorum corporis, sed etiam aliis actionibus, & rebus ipsis, seu bonis suis externis animum suum ostendit. Ita ergo in exhibenda reuerentia, præsertim Deo, his omnibus signis vtitur, estque hoc illi valdè connaturale, & propensioni naturali consentaneum. Hic verò statim occurrebat declarandum, quæ circunstantiæ necessariæ sint vt sacrificium honestè offeratur: sed hoc in 3. tom. latè tractatum est. Et summa est, primò ex parte materiæ seruandum esse, vt res Deo digna illi offeratur; secundò vt vero Deo offeratur; tertiò vt iuxta legitimam institutionem; quartò, vt à debito ministro. Omnia verò pendent maximè ex institutione: qualis verò esse possit, an humana, vel tantùm diuina; dicto loco latè disserui.

Tandem vt explicemus ampliùs vltimam partem B assertionis, interrogare possumus, quid sibi voluerit D. Thom. constituendo in hoc discrimen aliquod inter sacrificium, & simplicem oblationem, vt ex ipso licet colligere in 22. quæst. 85. art. 1. & quæst. 86. art. 1. Nam in priori simpliciter asserit sacrificium esse de lege naturæ, in posteriori verò ait, *Huiusmodi oblationes de sui ratione habere, vt voluntariè offerantur secundùm illud* Exod. 25. *Ab homine qui offert vltroneus, accipietis eas.* Videtur enim difficile explicatu, in quo hæc differentia posita sit: Nam si loquamur propriè, & in rigore de lege naturali, prout dicit præceptum obligans ex solo discursu rationis naturalis, non magis sacrificium, quàm oblatio simplex est de lege naturæ, vt ostensum est: si verò loquamur latiùs de lege naturæ, prout dicit solùm moralem quendam vsum de se honestum, ac C religiosum, & consentaneum naturæ hominis, non minùs simplex oblatio est de iure naturæ, quàm sacrificium, imò simplex oblatio videtur de se magis connaturalis, quia sine speciali impositione, aut institutione statim ipsa dictante natura, oblatio munerum, & fructuum à Deo receptorum repræsentatur, vt apta ad ipsius dominatum, & beneficentiam recognoscendam, ac protestandam. Respondeo breuiter, quod ad legem purè naturalem attinet, nullam in hoc inueniri differentiam inter oblationem simplicem, & sacrificium, vt ratio facta conuincit, nec D. Thomas talem differentiam constituere intendit. Quin potiùs cum in art. 1. dictæ quæst. 85. dicit sacrificium esse de lege naturæ, latè videtur loqui de omni oblatione alicuius rei facta Deo in recognitionē dominij eius: hoc enim D tantùm probat eius ratio, vnde posteà in art. 3. ad 3. distinctionem constituit inter oblationem, & sacrificium, sentit ergo doctrinam priorem, vtrique esse communem. Posteà verò in q. 86. art. 1. potiùs explicat, quibus modis nunc contingat interuentu humanæ voluntatis oblationem cadere sub obligationem.

Ex illo tamen loco videtur colligi quædam differentia; quia sacrificium semper habitum est vt actio magis sacra, & publica, quàm simplex oblatio, & ideò regulariter de ritu sacrificandi, in vnaquaque Republica semper fuerunt instituta iura, & præcepta specialia, tàm spectantia ad modum, & ritum sacrificij, quàm præcipientia vsum, & exercitium eorum. Sicut in lege veteri factum esse scimus, & in noua conspicimus, & verisimile est, idem fuisse in lege naturæ, tàm E inter cultores veri Dei, quàm inter gētiles suo modo; Quamuis enim non omnes etiam fideles eodem modo sacrificarent, vt in sacrificio Melchisedech, & sacrificiis Noë, vel Abrahæ notari potest: tamen in vnaquaque congregatione credibile est fuisse solemnem sacrificandi ritum, neque fuisse vnicuique licitum, vel permissum suo arbitrio, & auctoritate ad libitum sacrificare, vt in dicta disp. 73. latiùs tractaui. At verò vsus simplicium oblationum videtur fuisse semper magis liber, & voluntarius, & ideò D. Tho. illis obla-

A tionibus specialiter tribuit, quod ex sua natura spontaneæ sint, non solùm purum ius naturæ considerando, sed etiam spectando ad communem vsum, & quasi ius gentium. Et ideò licet vtraque oblatio simplex, & sacrificij suo modo sit de iure naturæ quantum ad honestatem, & congruitatem ad diuinum cultum, tamen sacrificium specialiùs videtur fuisse semper in præcepto quasi ex communi consensu omnium nationum; vsus verò oblationum, & modus earum minorem determinationem semper habuit, & vniuscuiusque arbitrio relictus est. Ex his ergo satis tota hæc conclusio declarata & probata est.

Dico secundò. Cultus Dei per verum sacrificium in lege noua præceptum est iure diuino à Christo ipso instituto. Hæc assertio est de fide ex verbis Christi Domini Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*; Addita sententia Concilij Tridentini Sessione 22. cap. 1. dicentis, Christum illis verbis. *Hoc facite in meam commemorationem, Apostolis, eorúmque in sacerdotio successoribus, vt offerrent præcepisse, vti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit.* Et Canone 2. ita definit. *Si quis dixerit illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, vt ipsi, aliiq; Sacerdotes offerrent corpus, & sanguinem suum, Anathema sit.* Ratio verò huius præcepti est, quia Ecclesia Christi est visibilis congregatio sub vna Fide, & vno capite ad verum Dei cultum instituta, & ideò habere debuit à suo institutore visibile sacrificium, quo maximè Deum colere teneretur. Ergo Christus, qui est auctor Ecclesiæ, ritum etiam sacrificandi in ea instituit, & præcepit. De hac autem veritate latè disputatum est in 3. tom. 3. parte disputatione 73. Sect. 1. & secunda declaratum est, quomodo sacrificium hoc in mysterio Eucharistiæ conficiendo celebretur, & offeratur, & in toto discursu illius, & sequentium disputationum declaratum est, in quo consistat essentia illius sacrificij, & quas causas, & effectus habeat. Et specialiter in disp. 80. declaratum est præceptum huius sacrificij, quatenus ad ministros illius pertinet, & in disp. 88. quatenus ad alios fideles spectare potest.

Vnde hîc solùm aduertere necesse est, præceptum hoc quatenus diuinum est, per se primò datum esse ipsi Ecclesiæ, relinquendo Pastoribus Ecclesiæ determinationem eius, tàm quoad tempus, seu frequentiam, quàm quoad modum obseruandi tale præceptū personis accommodatum; aliter enim per sacerdotes, vt tales sunt, offerri potest, & debet, aliter per alios fideles inferioris status quibus propterea præcipitur, vt certis quibusdam diebus huic sacrificio assistant, & suo modo per Sacerdotem offerant, ipsis verò sacerdotibus iniungitur, vt immediatè offerant, nam ad hoc sunt ordinati ministri, nec præceptum datum vniuersę Ecclesię potest aliter impleri, nisi per sacerdotes offerendo. Et ita de obligatione huius præcepti, & quando, ac quomodo à singulis implendum sit, nihil hîc occurrit addendum. Cur autem non liceat in hac Ecclesia vti alio sacrificio, & quomodo in Christi institutione hæc prohibitio contenta sit, in disput. 74 Sect. 4. explicatum est.

CAPVT IV.

De ritu simplicium oblationum, præsertim in lege gratiæ.

PRincipio statuendum est, hunc oblationum ritum, de se non esse malum, sed legi naturali consentaneum: quoniam diuinus cultus, & adoratio non tantùm sacrificiis, sed etiam aliis obla-

9. Sacrificiū in noua lege est de iure diuino. *Luc. 22. Concil. Trid.*

Ratio præcepti.

10. Præceptum sacrificij datum esse Ecclesiæ.

1. Simplicium oblationū ritus est legi naturali cōsentaneus & non malus de se.

7. *D. Thom.* *Exod. 25.* Difficultas proponitur. Enodatur.

8. Sacrificium est actio magis sacra quā oblatio.

oblationibus exerceri potest. Hæc assertio de fide certa est; nam ex Scriptura colligitur satis apertè, quia in lege veteri tàm oblationum, quàm sacrificiorum
Exod. 23. vsus fuit approbatus, & præceptus: Nam Exod. 23. generaliter dicitur *Non apparebit in conspectu meo vacuus.*
Leuit. 23. Et ibi præcipitur oblatio Primitiarum: Item cap. 25. principio, & cap. 35. & Leuit. 23. præcipitur oblatio de manipulis nouarum spicarum, &c. & de panibus propositionis, qui Deo per sacerdotes offerebantur. Liuitic. 21. & 24. Exod. 25. & Deut. 18. sacrificia, & oblationes distinctè numerantur: Item, multi putant, oblationem Cain de fructibus terræ non fuisse sacrificium, sed simplicem oblationem, quæ non ideò displicuit Deo; sed quia non debita deuotione offerebat. Imò & de oblatione Abel eo-
Conc. Matisc. dem modo loquitur Concilium Matiscon. 2. Cant. 4. & in Canone Missæ solùm vocatur *Munerum oblatio.* Præterea etiam oblatio Decimarum, quam vouit Iacob, videtur fuisse per modum simplicis oblationis propriæ, quia tunc non erant ministri, pro quibus Decimæ redderentur, ipse enim Iacob tanquam primogeniti iure vtens, sacerdos erat, & aliis ministris non indigebat, sed immediatè videtur illa obtulisse. Denique quod Paulus ait de Pontifice, assumi, *Vt offerat dona, & Sacrificia*, multi per dona, simplices oblationes intelligunt, illæ ergo non solùm ex institutione legis veteris, sed ex dictamine rationis naturalis, præsertim fide illuminatæ, in verum Dei cultum assumi possunt. Et ratio est clara, quia in illa actione est proportio ad significandum animum subiectum, & gratum Deo, rectè- C que de illius excellentia, & prouidentia sentientem, & aliunde nihil est in tali actione, per se loquendo, quod à recta ratione exorbiter, vt ex principiis positis de externo Dei cultu notum esse potest, & per se est satis euidens.

2. Ex his ergo vlteriùs dicendum est, vsum oblationum etiam in lege gratiæ esse licitum, & sanctum. Prob. quia in Ecclesia vsus simplicium oblationum
Hieron. vltrà sacram Missæ oblationem antiquissimus est, De hoc enim videtur loqui Hieronymus Epist. 2. ad Nepotianum, cum ait, *Si altari seruiens, altaris oblatione sustentor.* Nam de oblatione sacrificij Eucharistiæ non possunt ministri altaris sustentari; supponit ergo, cum illo sacrificio coniungi solitas alias oblationes, quæ in vsum ministrorum cedere possent. Vnde Pau- D lus accommodans ad ministros noui testamenti illud: *Qui altari deseruiunt, cum altari participant*, etiam supponit, futuras fuisse similes oblationes in altari noui testamenti, sed hæc loca possent in rigore exponi de solutione Decimarum, vel etiam Primitiarum, quæ Altaris vocari possunt, quia propter Altare
Probatur assertio. fiunt, etiamsi in Altari non fiant. Clariùs ergo ostenditur conclusio ex antiquissima consuetudine Ecclesiæ offerendi in Altari, vel in Ecclesia tempore Missæ ordinariè panem, vinum, interdum verò etiam oleũ,
Synod. 6. cerámque. Sic legitur in Canon. 8. sextæ Synod. *Concurrendum est Dominica die cum oblationibus ad Missarum solemnia.* Et in Canon. 28. Trullano declaratur,
Can. Trul. quomodo possint fructus aliqui offerri, vt verbi gratia, vuæ, non vt distribuantur cum Eucharistia, sed E vt benedicantur, &c. At in Canon. 57. dicitur, non oportere offerre ad altare lac, & mel. Sed fortasse illa prohibitio specialis, facta est ad vitandam aliquam superstitionem, quæ illa occasione introducebatur; ibi autem significatur, aliarum rerum oblationes licitas esse. Vnde in Can. 69. permittitur Imperatori intra sacrarium ingredi, *Quando voluerit Creatori dona*
Conc. Matisc. *offerre.* Præterea in Concilio Matiscon. 2. capit. 4. præceptum videtur imponi de ferendis oblationibus panis, & vini ad Ecclesiam omnibus Dominicis diebus:

A *Decernimus* (ait) *vt omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris, & mulieribus offeratur, tàm panis, quàm vini.* Et infrà concludit, vt Anathemate percellantur, qui fuerint inobedientes. Refertúrq; in to. 1. Conciliorum inter decreta Fabiani Papæ, similis constitutio ex cod. decretorum sexdecim librorum lib. 5. cap. 7. eisdem ferè verbis. De quo præcepto capite sequenti dicetur.

3. Antiqua cõsuetudo panem, & vinũ offerendi. *Cyprian.*

Videtur autem consuetudo hæc offerendi panem, & vinum, introducta esse in ordine ad Missæ sacrificium: Primò propter eius participationem, quia ex illis materiis conficitur & distribuitur. Vnde Cyprianus in lib. de Oper. & Eleemosyn. circa medium reprehendit diuitem fœminam, *Quæ ad Dominum* (vtique templum, & sacrificium) *Sine sacrificio* (id est, materia sacrificij) *venit, & partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumit.* Sic etiam Augustinus. serm. 215. Oblatio- *Augustin.* nes (ait) quæ in Altari consecrentur, offerte, *Erubescere debet homo idoneus* (id est, potens, vel diues) *Si de aliena oblatione communicauerit.* Et quia hæc oblatio panis, & *Concil. Laod.* vini ad Eucharistiam ordinabatur, ideò in Concilio Laodicen. capit. 49. ordinabatur, vt oblationes per Quadragesimam non fierent, nisi in sabbatho, vel Dominica, quia iuxta veterem Orientis consuetudinem solùm illis diebus consecrari poterat, & com- *Can Trul.* municari, vt constat ex Canon. 52. Trullano. Dein- Panis benedede videtur consuetudo habuisse occasionem ex alio dictis vsus. vsu panis benedicti, qui in Ecclesia introduci cœpit quando quotidiana communio fidelium omnium, qui Missæ assistebant, incepit intermitti. Nam pro his, qui communicaturi non erant, cœpit panis benedici, qui in symbolum Charitatis inter omnes sacrificio assistentes diuideretur. Potestque hoc colligi ex Concil. Laodic. cap. 14. vbi dicitur tempore Pa- *Concil. Laod.* schatis non esse faciendam hanc oblationem, & distributionem panis benedicti: Quia nimirum illo die omnes debent Eucharistiam accipere. Solebat etiam panis benedictus mitti à Prælatis ad suos parochos, vel ad alios Prælatos in signum concordiæ, & mutuæ communicationis, vt sumitur ex Inno- *Innocent.* cent. 1. Epist. cap. 5. De quo vsu panis benedicti (qui vsque ad nostra tempora multis in locis perseuerat *Guill. Durãt.* aliqua ex parte) videri potest Guillielm. Durant. lib. 4. Ration. offic. cap. 53. & quæ refert, ac notat Pamelius in lib. de Oper. & Eleemosyn. Cypriani sub *Steph. Durãt.* numer. 5. & Stephanus Durant. lib. 21. de Ritib. ca. 58. vbi ostendit, vsum panis benedict. valde antiquum esse, & solitum fuisse dari Cathecumenis loco Eucha- *Augustin.* ristiæ ex Augustin. lib. 1. de Pecçator. mer. cap. 20. & lib. 2. cap. 26.

4. Aliæ oblationes. *Canon. Eutich. Papa.*

Præter panem autem, & vinum offerri solebant oleum pro luminaribus, thymiama ad incensum, & spicæ, ac vuæ nouæ pro Primitiis (de quibus postea dicemus) ita habetur in Can. 2. alias 3. & 4. Apostol. & Eutichius Papa epist. 5. citans illum Canonem, cum vuis adiungit *fabas*, & fortasse idem erat de Primitiis quorumcunque leguminum, vt iuxta quandam versionem in illo Canone Apostolorum legitur. *Augustin.* Denique oleo adiungit ceram Augustin. dicto serm. 215. de tempore dicens: *Qui possunt, aut cereolos, aut oleum, quod in cicindelibus mittatur, exhibeant.* Optimè Ambros. serm. 33. in feria 2. post. 1. Dominicam Qua- *Ambros.* dragesimæ, vbi multa in particulari recenset, videri etiam potest Iustin. Martyr. Apolog. 2. pro Christi. in *Iust. Martyr.* fine, vbi meminit oblationum, seu collectarum, quæ in fine Missæ fieri solebant. Deniq; Concilium Eme- *Conc. Emerit.* ritan. c. 14. etiam pecuniam dicit solitam fuisse offerri à fidelibus.

5. Obiectiones proponũtur.

Vt verò partem hanc ratione declaremus, obiici priùs contra illam potest, quia in Christi Ecclesia non licet aliud sacrificium offerre præter illud, quod ipse

ipse instituit, ergo nec aliam oblationem offerre, loquendo de oblatione, quæ ipsimet Deo immediatè fiat. Antecedens supponitur ex loco suprà allegato in 3. tom. Consequentia verò probatur, primò à paritate rationis, quia sicut vno sacrificio omnia comprehendit, & compleuit sacrificia, & illud instituendo, consequenter cætera prohibuit, non solùm vetera, sed etiam quæcunque alia, nec solùm significatiua futurorum, sed etiam moralia, aut mysteria iam facta verè significantia: ita pari ratione consummauit omnem oblationem, & virtute cæteras prohibuit. Atque ita in cap. *Non oportet*, de Consec. d. 2. dicitur, *Non oportere aliquid in Sanctuario offerri præter panem, & vinum, & aquam, quæ in typo Christi benedicuntur.* Sumptúmque est ex Canonibus Martini Brachaренsis Episcopi Can. 55. Secundò, quia ex oblatione simplici facilè fit transitus ad sacrificium, vt verbi gratia, oblationi panis benedicti nihil videtur deesse ad rationem sacrificij, nam fit oblatio cum benedictione, fractione, & distributione panis, vt consumatur. Vnde interdum ab Augustino Sacramentum appellatur, vt patet lib. 2. de peccator. merit. cap. 26. Tertiò, omnes hæ oblationes pertinebant ad cæremonialia legis veteris, ergo non debuerunt in noua lege retineri, vel renouari.

Martin. Episcop. B

6. *Satis fit obiectionibus suprà positis.*

Respondetur in primis distinguendos esse varios modos harum oblationum. Nam interdum comprehenduntur sub oblationibus omnia munera, vel dona, quæ fideles in vita, vel per mortem donant Ecclesiis, aut piis locis, etiam si non in templo, nec in Missa Deo offerantur. Et in hac ampla significatione videtur diuus Thomas de oblationibus loqui, cum dicta quæst. 87. artic. 2. inter oblationes debitas ponit, *Cum aliquis offert donatione inter viuos, vel testamento relinquit Ecclesiæ aliquam rem mobilem, vel immobilem in posterum soluendam.* Et in hoc genere oblationum non procedunt difficultates factæ, quia in illis nihil est cæremoniale (vt sic dicam) sed morale tantùm, planè honestum, & sanctum, & de se ad seruitium, & cultum ipsiusmet sacrificij Eucharistiæ ordinatum. Secundò interdum fideles offerunt aliqua Deo per ministros eius, non intentione ea donandi, seu à se alienandi, sed solùm ad quandam sanctificationem, vel benedictionem, vt posteà illa sic benedicta recuperent, vt maiori cum fructu, vel fiducia illis vtantur. De his videtur loqui Canon. 28. Trullanus seu ca. *Didicimus* de Consec. d. 2. nam priùs prohibet vuas offerri, & distribui cum Eucharistia, & posteà subdit, *Tanquam Primitias autem vuæ allationem existimantes Sacerdotes eam seorsum benedicentes, petentibus impertire possunt ad gratiarum actionem datoris fructuum, per quos corpora nostra diuina dispositione aluntur.* Breuiùs tamen dixit Gratianus, *Vuas seorsum benedictas populus, qui petierit, accipiat, & fructuum gratias agat.* De huiusmodi etiam oblationibus loqui videtur Augustin. lib. 8. de Ciuit. cap. vlt. cum agens de more piorum fidelium deferentium epulas ad sepulchra Martyrum, ait, *Quas cum apposuerint, orant, & auferunt, vt vescantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur, sanctificari eas volum ibi per merita Martyrum in nomine Domini Martyrum.* Hæc ergo deuotio bona fide, & mente facta honesta est, nec de illa procedunt difficultates suprà factæ. Quia hæc re vera non est propria oblatio, sed impetratio potiùs cuiusdam benedictionis, vel auxilij. Sicut quando quis offert Pontifici imagines, grana, vel similia, vt eis suam benedictionem, vel aliquam indulgentiam impertiatur, non facit oblationem propriam, sed potiùs gratiam aliquam postulat.

D. Thom. C

Can. Trul. D

D. Auguſt. E

7. Tertiò offeruntur aliqua Sacerdotibus per se, & directè ad eorum sustentationem, non ea intentione, vt offerantur immediatè Deo per modum specialis cultus: & huiusmodi videntur esse quædam oblationes, quæ prohibentur fieri in Ecclesia, vel altari, sed in priuatis domibus Sacerdotum, de quibus sic habetur in Can. 3. & 4. alias 5. Apostol. *Non liceat autem aliquid aliud ad altare offerre, quam oleum, & incensum tempore sanctæ oblationis: Omnis autem alius fructus domui mittatur, Primitiæ Episcopo, & Presbyteris, clàrum autem est, quod Episcopus, & Presbyteri, Diaconis, & reliquis Clericis distribuunt.* Hæ igitur oblationes non continent ipsum immediatum cultum Dei, sed se habent ad modum Decimarum, imò interdum fieri debent in defectum illarum, vt mox dicemus. Et ideò etiam de hoc oblationum genere non procedunt difficultates factæ, quia non sunt oblationes cæremoniales, aut mysticæ, (vt sic dicam) sed sunt largitiones morales, ac piæ subuentiones, ordinatæ ad cultum Dei. Eadémq; ratio est de omnibus, quæ tribuuntur immediatè Ecclesiis ad ornatum earum, vel ad fabricam, vel ad vestimenta, & vasa sacra conficienda, & similibus, quando non priùs offeruntur Deo immediatè, & directè in cultum specialem, sed immediatè donantur Ecclesiæ ad aliquem vsum sacrum, habent enim eandem rationem honestatis, quam habent aliæ donationes rerum mobilium, vel immobilium Ecclesiis factæ, & ita in eis etiam non procedunt difficultates propositæ.

Oblationes Sacerdotibus factæ.

8. Punctum difficultatis soluitur. Tota ergo dubitatio est de oblatione simplici, quæ immediatè fit Deo de aliquibus bonis ab eo datis in recognitionem beneficij ab eo susceptí, quales videntur esse oblationes illæ, quæ in altari, & quasi coniunctim cum ipsomet Sacrificio Missæ fieri cõceduntur. Vt, verbi gratia, oblatio illa panis, quæ fit Deo cum aliqua benedictione, vt postea inter fideles in symbolum concordiæ distribuatur. Item oblatio, & benedictio cerei Paschalis videtur esse eiusdem modi. Item oblatio incensi cum benedictione, & thurificatione, quæ in Missa, & diuinis officiis fit. De his ergo oblationibus dicimus, etiam esse honestas debita institutione, & intentione factas, quia non sunt iure aliquo positiuo diuino prohibitæ, nec per se malæ sunt, cum nullam contineant superstitionem, aut falsitatem. Ac denique vsus Ecclesiæ satis illas approbat. Neque contra hoc obstat cap. *Non oportet* suprà citatum, quia loquitur de his, quæ in ipsâmet oblatione constitutiua (vt sic dicam) sacrificij Missæ offerenda sunt. De qua etiam loquuntur alia multa Iura, quæ in illa d. 2. de Consecr. referuntur. Materia ergo illius oblationis non potest esse nisi panis, & vinum aquâ mistum, quod autem alia genera oblationum de aliis rebus fieri possint, non est contrarium illis Iuribus. Neq; etiam ex vi institutionis sacrificij Missæ, prohibitæ sunt aliæ oblationes simplices, quæ vel tantùm sunt morales, & quasi connaturales homini, sicut est oblatio alicuius partis fructuum in recognitionem diuini beneficij, vel si habent aliquam significationem quasi mysticam ex impositione Ecclesiæ, non in ea ponitur principalis, & quasi supremus cultus Dei, qui est in Sacrificio, sed ordinatur potiùs ad maiorem solennitatem, & honorem ipsius sacrificij Missæ.

9. Soluuntur reliqua argumenta. Et ità etiam respondetur ad secundum, nam tota illa cæremonia, & significatio est quasi sacramentale quoddam ad conciliandã maiorem reuerentiam ipsi sacramento, & sacrificio Eucharistico. Et ideò hæc signa interdum vocantur Sacramenta lato modo, prout de omnibus signis aliquo modo sacris, & occultis interdum illa vox dicitur; propriè verò nec ad Sacramenta, nec ad sacrificium pertinent. Ad 3. respondetur, oblationes legales quatenus tales sunt, cessasse in lege noua, de quibus loquitur Augustin. *D. Auguſt.*

F Enar.

Enar. in Psal. 50. cum ait, Deum velle oblationem A cordis non vitulorum, dicuntur autem oblationes legales, vel quoad propriam significationem illius legis, quæ erat præfiguratio futurorum mysteriorum Christi, & interdum etiam erat recordatio specialiũ beneficiorum temporalium illi populo concessorum, maximè liberationis ab Ægyptiaca seruitute, vel etiã dicũtur legales quoad obligationem positiuam illius legis. Sic ergo cessarunt oblationes legales vt tales, & vt propriæ cæremoniæ illius legis. At ratio oblationis, vt sic, non est legalis, sed moralis, sicut ratio templi, sacerdotij, & similes, & ideò non cessarunt per ablationem illius legis, sed in sua morali, & quasi connaturali ratione permanserunt, & possunt per nouam legem positiuam præcipi, sicut de Primitiis, & Decimis dicemus. Ita ferè D. Thom. quæ. 86. art. 1. ad 1. & art. 4. ad 1. Durand. in 4. d. 1. q. 9. ad 1. de qua re videri potest Couar. lib. 1. Vari. ca. 17. nu. 1. §. *Hinc non* in fine, vbi alios refert.

D. Thom. Durand. Couar.

B

CAPVT V.

An oblationes Ecclesiæ ex præcepto debeantur.

1. Ratio dubitandi. *Ambros.*

RAtio dubitandi esse potest, quia ex Patribus, & Decretis videtur colligi, oblationes esse simpliciter sub obligatione: Nam in primis Ambros. ser. 58. de Ascens. inter opera boni Christiani ponit, C quod *Quando ad Ecclesiam venit, oblationem, quæ altari debetur, exhibet*, & ibidem: *Qui de fructibus suis non gustat, nisi prius ex ipsis Deo aliquid offerat.* Et Clem. Rom. lib. 4. Constit. cap. 7. dicit, *Oblationes populi fieri ad victum Sacerdotum, & eleemosynas pauperum:* habent ergo, vel habere possunt eandem rationem obligationis; quàm Decimæ, vel Primitiæ, & ita in c. *Præter* d. 32. idem præceptum eodem tenore verborum de Primitiis, Decimis, & oblationibus ponitur. Similis ratio, & necessitas oblationum supponitur in capite *De his*, & capit. *Antiquos* 10. quæst. 1. ex Concil. Aurel. cap. 16. & 17. & in tribus c. vltimis eiusdem quæstionis fertur Anathema in Laicos, qui Ecclesiæ oblationes vsurpant, & in capit. *Statuimus*, 16. qu. 1. Ana- D stas. Papa similem facit prohibitionem, & supponit populum debere suæ Ecclesiæ baptismali tales oblationes. Idem habet Greg. VII. in capit. *Omnis Christianus* de Consecr. d. 1. Denique c. præcedenti retulimus verba Fabiani, & Concil. Matisc. quibus hæ oblationes præcipi videntur. Propter hæc aliqui Canonistæ absolutè docuerunt, oblationes aliquas facere, esse in præcepto Ecclesiastico. Referuntur pro hac sententia Glossæ in dicto cap. *Statuimus*, & dicto ca. *Omnes Christiani*, & Hostien. in Rub. de Parochiis, & latiùs in sum. tit. de Parochi. §. *In quibus*, vers. *sed nunquid tenetur*, &c. Lapus Alleg. 58. num. 1. & 7. Sed re vera hi omnes nihil diuersum docent ab his, qui solent etiam in contrarium referri, vt legenti constabit. Non enim fundant obligationem in pura lege E Ecclesiastica, sed in consuetudine, indigentia Parochi, vel promissione aut legato.

Clem. Rom. *Conci. Aurel.* *Anast. Papa.* *Greg. Papa.* *Glossa. Hostien.* *Lapus.*

2. Nõ est præceptum faciendi oblationes.

Vera ergo resolutio est, quam tradit D. Thom. huiusmodi oblationes per se, & natura sua spontaneas esse, & de consilio, posse autem cadere sub obligationem aliquo ex quatuor modis paulò ante insinuatis. Est autem supponendum, nunc esse sermonem de oblationibus, prout distinguuntur à Primitiis, & Decimis. Nam de his separatim dicendum est, sic autem nullum inuenitur decretum absolutè, & in rigore præcipiens oblationes fieri, sed Iura omnia citata præcipiunt, vt oblationes, quæ aliquo titulo debentur, soluantur à Laicis, & declarant illas oblationes debitas reddendas esse Ecclesiis, & Clericis, & non posse vsurpari à Laicis. Et ita loquuntur ferè omnia Iura citata, simpliciter autem ac per se, oblationes spontaneas esse declaratur in Concil. Cabilon. sub Carol. Magn. cap. 6. his verbis. *Animarum salutem inquirere Sacerdos non lucra terrena debet, quoniam fideles ad res suas dandas non sunt cogendi, neque circumueniendi: Oblatio enim spontanea esse debet iuxta id, quod in Scriptura, voluntariè sacrificabo tibi.* Psal. 55. *Et illud. Omnis populus mente deuota obtulerunt donaria Domino.* Exod. 33. Atque ita docent communiter Theologi cum D. Thom. suprà, & Canonistæ, ac Summistæ infrà referendi: Præsertim Anton. 3. part. tit. 12. cap. 11. Gabr. in Can. lect. 6.

Concil. Cabil. *Psal. 55.* *Exod. 33.* *D. Thom.* *D. Anton.* *Gabriel.*

3. Quomodo hîc sumatur oblatio.

Magis verò hoc constabit, discurrendo per quatuor titulos à D. Thom. positos, ex quibus potest oriri hæc obligatio. Ad quos explicandos supponendum est, hîc non sumi oblationem pro sola illa simplici oblatione, quæ in Ecclesia, vel altari offertur immediatè ipsi Deo per modum proprij cultus, & adorationis, sed sumitur latiùs pro quacunque donatione facta Ecclesiæ de aliqua parte bonorum temporalium, siue immediatè detur ministris ad sustentationem eorum, siue Ecclesiæ ad fabricam, & ornatum, vel alias expensas eius, & siue detur res immobilis in perpetuum, & quoad proprietatem, siue ad tempus, vel quoad fructum, vel vsum tantùm, siue detur res mobilis, &c. Quamuis enim priores oblationes Deo immediatè factæ in Ecclesia frequentiùs soleant illa voce intelligi, tamen D. Thom. generaliùs loquitur, & Iura etiam citata ita loquuntur, & hoc modo omnia pia legata solent nomine oblationum significari, etiamsi sint *Sacrificia eleemosynarum*, vt loquitur Augustl. lib. quæst. ad Dulcitium quæst. 2. Et colligitur ex capite. *Qui oblationes* 1. & 2. &c. *Clerici* 13. quæst. 2.

D. Thom. *D. Augustl.*

4. 1. Titulus oblationis debitæ ob conuentionem.

Primus ergo titulus à D. Thoma positus est, quando oblatio debetur per modum census, ratione conuentionis priùs factæ, vt cum quis vel in morte, vel in vita donat alteri talem possessionem cum onere faciendi talem oblationem Ecclesiæ talibus temporibus. Tunc enim nota est obligatio orta ex contractu, nihilq; refert, quòd fuerit donatio, legatum, aut venditio, vel alia commutatio, dummodo fuerit pactio. Et tunc obligatio erit iustitiæ tàm respectu primi donantis, seu contrahentis, quàm respectu Ecclesiæ, supposita eius acceptatione. Quia & iustum pactum obligat ex iustitia respectu eius, cum quo fit, & Ecclesiæ ex vi talis legati, vel donationis, datum est peculiare ius ad talem oblationem, seu pensionẽ, siue hoc ius sit tantùm ad rem, siue in re, & siue sit cum actione in foro exteriori, siue absque illa, hoc enim pendet ex modo contractus, aut legati, & acceptationis ex parte Ecclesiæ. Neq; hoc est in præsenti latiùs tractandum, oporteret enim hùc aduocare totam materiam de legatis piis, & multa ex materia de Voto, quod est à præsenti instituto alienum.

5. Secundus titulus Voti, vel Legati.

Et eâdem ratione nihil amplius dicere necesse est de secundo titulo à diuo Thoma posito; qui à præcedenti parùm differt, videlicet quando per votum, vel legatum aliqua bona temporalia directè relinquuntur Ecclesiæ, siue illa mobilia sint, siue immobilia: Nam tunc obligatur, qui vouit rem promissam offerre, & donare Ecclesiæ, non ex iustitia, neque ex præcepto humano, sed ex religione, & naturali iure dictante, vota esse reddenda. Et similiter obligatur hæres ad implendum legatum defuncti, quæ obligatio ex iustitia est, vt constat. Hæ autem oblationes non limitantur ad eas, quæ in Ecclesia fiunt, & immediatè Deo in se offerantur, sed generaliter comprehendunt omnes eleemosynas, & donationes factas, vel promissas Ecclesiis,

nam

nam omnes dicuntur offerri Deo, quia ad eius cultum proximè ordinantur.

6. Tertius titulus sustẽtandi ministros Ecclesiæ. *Panor. Anchar. Couar. Gutier. Greg. Lop. Soto.*

Tertius titulus est, quãdo ministri Ecclesiæ aliunde non habent commodam sustentationem: & hunc præcipuè, & sequentem ponũt omnes Canonistæ superiùs citati, neq; aliud reuera intendunt. Et ita cum eis cõueniunt Panor. Anchar. & alij in Rub. de Parochiis, & Summistæ omnes, & alij Doctores, quos refert, & sequitur Couar. dicto lib. 1. Variar. c. 17. n. 3. Et Gutierrez in Canon. q. q. c. 21. nu. 139. & sequentibus Greg. Lopez in leg. 9. tit. 19. par. 1. Soto lib. 9. de Iusti. q. 3. art. 1. Solùm est aduertendũ, hanc obligationem reduci ad illam generalem, qua tenentur laici fideles alere ministros sacramentorum: *Nam dignus est operarius mercede sua*, de qua obligatione latiùs dicemus B infrà, tractando de decimis. Ex vi autem huius generalis principij non tenetur homo magis subuenire Parocho, aut Prælato indigenti per propriam oblationem, quàm per primitias, vel decimas, vel per quemcunque alium modum contribuendi. Et ideò cum dicuntur fideles habere obligationes ad oblationes propter indigentiam ministrorum, intelligitur latè de oblationibus pro quocunque genere donationis, seu contributionis. Vbi autem vel ex consuetudine, vel ex pacto aliquo, seu transactione, aut concordia modus sustentandi ministros determinatus fuerit ad talem modum oblationum, tunc erit obligatio determinata ad tales oblationes, quia iam simul cum hoc titulo concurrit alius ex dictis, vel ti- C tulus consuetudinis, de quo statim. Tunc etiam fieri potest talis determinatio ad oblationes, vel quantitatem, aut modum earum per Ecclesiastica præcepta. Nam licet D. Thomas dicat, quando oblatio fit ex hoc titulo, licet oblatio ipsa sit necessitatis, quantitatem esse voluntatis, limitandum id est, nisi tàm parua sit quantitas oblationum, vt nõ sufficiant ad congruam sustentationem, ad hanc enim obligat naturalis lex iustitiæ, & ideò in eo casu etiam obligat ad quantitatem oblationis ad hunc finem sufficientem, vltra illam verò erit voluntaria quantitas, nisi per legem, vel conuentionem taxata sit, vel certè nisi sit introducta consuetudo de tali oblatione, & in tanta quantitate determinatè, nam tunc eadem erit vtriusD que ratio: Cum his ergo limitationibus sententia illa D. Thomæ intelligenda est.

7. Apponũtur duæ declarationes huius tituli.

Addendæ verò vlterius sunt circa hunc titulum duæ aliæ declarationes. Vna est, vt procedat quando necessitas ministrorum oritur ex eo, quod Parochiani non soluunt decimas, neq; primitias sufficientes, tunc enim necesse est vt aliquo alio modo tribuant pro ministrorum sustentatione, & totũ illud comprehenditur sub oblationibus. At verò si Parochiani soluunt primitias, & decimas nõ solum sufficientes, sed etiam abundantes ad sustentationem ministrorum, tã proprij, vt est Parochus, quàm cõmunium, vt sunt Episcopus, & alij Prælati necessarij, ad quorum sustentationem cum debita proportione debent con- E currere omnes fideles: si (inquam) Parochiani soluunt decimas sufficientes, & nihilominus Parochus, aut Vicarius non habet sustentationem congruam, quia decimæ ad alios vsus applicatæ sunt, vel in plura beneficia simplicia, aut præstimonia diuisæ fuerunt, vel quia vnus possidet beneficium, & Vicario nihil fere tribuit, aut è conuerso, quia beneficiarius nihil accipit ex decimis, sed omnes fructus alteri pro pensione dati sunt: In his, & similibus casibus, nõ iustè coguntur fideles ad nouas oblationes faciendas, secluſa cõsuetudine, vel alio titulo, propter solam indigentiam ministrantis proximè, siue proprietarius sit, siue mercenarius.

8. Ratio est, quia nullus iustè cogitur, vt duplicatam A mercedem soluat pro eâdem opera, sed Parochiani illi soluendo decimas dant stipendium, & sustentationem ministris, non tantùm sufficientem, sed etiam ordinariè abundantem, ergò titulo sustentationis nõ possunt iustè obligari ad nouas oblationes. Atque ita docent communiter Doctores superiùs citati. Vnde in eo casu, qui recipit decimarum fructus, tenetur sufficienter Ecclesiæ, & ministris eius prouidere: & Prælati tenentur sollicitè curare, vt ita fiat, & ne pauperes, & fideles nimium grauentur. Atque hæc resolutio indubitata est, quando de facto proprius beneficiatus accipit decimas à Parochianis, quia tunc maximè procedit ratio facta. Difficultas verò nonnulla esse potest, quando Papa illas accipit, vel applicat cui vult, de qua difficultate dicemus infrà, tractando de decimis.

Ratione cõfirmatur.

9. Secunda declaratio.

Alia declaratio, seu limitatio est, nisi Parochiani sint adeò pauperes, vt non habeant, vnde tot oblationes facere valeant, quot ad Parochi sustentationem necessariæ sunt. Ita aduertit Hostiens. in sum. tit. de Parochiis, idem Siluester ver. *Decima*, quæst. 2. citans Gloss. Innocent. & Raymund. sed tunc ait, vel facerdos quærat aliquid ad supplendam sustentationem suam ex aliqua arte non indecente, iuxta cap. *Clericus victum* cum sequent. d. 91. vel certè Episcopus prouidere debet, vnde illius Ecclesiæ, & ministrorum eius, necessitati subueniatur, quia ad hoc facultatem habet in sua diœcesi, iuxta ca. *Episcopus Ecclesiarum*, & c. *Præcipimus*, 12. qu. 1. & significat Hostiensis, Episcopum teneri ex propriis reditibus tali Ecclesiæ indigenti prouidere, si aliunde non habet, vnde prouideat. Quod existimo verum, quando commodè potest, attentis aliis sui status oneribus. Quod si Episcopus per se remedium adhibere non potuerit, vti debet remediis traditis à Consilio Trident. sess. 21. c. 7. & 8. de Refor. & sess. 24. c. 3. de Refor. & quando illa sufficientia non fuerint, summum Põtificem consulere oportebit, vt tanquam supremus dispensator bonorum Ecclesiæ illi necessitati prouideat.

Hostiens. Siluest. Gloss.

Hostiens.

Concil. Trid.

10. Quartus titulus consuetudinis, an obliget.

Circa quartum titulum de Consuetudine, variæ sunt sententiæ. Aliqui enim existimant per huiusmodi consuetudinem non induci præcepti obligationẽ. Quia semper fit ex deuotione tantùm spontanea, huiusmodi autem consuetudines non inducunt legis obligationem, etiamsi diuturnæ sint, vt notarunt Caiet. in sum. ver. *Horæ Canonicæ*, §. 2. & Soto lib. 2. de Iust. qu. 7. art. 2. quia actus agentium non operantur vltra intentionem eorum, qui ergo nunquam operatur intentione se obligandi, sed ex pura deuotione, etiamsi sæpius id faciat, non obligabitur. Sicut qui quotidie dat eleemosynam pauperi ad ianuam petenti, non propterea obligatur tandem dare, nec pauper acquirit ius, etiamsi per multum tempus petat, & accipiat. Quod autem talis sit hæc consuetudo, declaratur argumento Innocentij statim citandi, quia vel oblatio in principio fuit spontanea, vel extorta: si dicatur hoc secundum, talis coactio est iniusta, & simoniaca, & ideò ex vi illius non potest obligatio induci, licet eodem modo sæpius repetatur: Si verò dicatur primum procedit argumentum factum, quod per spontaneam donationem etiam continuatam non inducitur obligatio. Eò vel maximè quod hæ consuetudines oblationum non sunt adeò regulares & continuæ, quin sæpius omittantur sine scrupulo peccati, quod satis est ad interrumpendam consuetudinem, seu præscriptionem.

Caiet. Soto.

Dices, licèt ab hac, vel illa priuata persona omittatur interdũ oblatio, tamen à populo nunquã omittitur, sed ad minimum fit à maiori parte, & hoc satis est ad præscriptionẽ. Sed contra, quia obligatio non inducitur in communitatem, nisi ratione singulorum,

sed singuli non obligantur, si singuli interrumpant A actus, ergo nec populus manebit obligatus, etiamsi in diuersis personis actus ille continuetur, sed habebit semper illam moralem continuationem, sine obligatione tamen. Confirmatur ex ca. *Cum in Ecclesia,* & c. *Suam*, de simonia, vbi damnatur exactio talium oblationum, non obstante quacunq; consuetudine, quæ ibi *Corruptela* dicitur, & magis aggrauare culpã, quam excusare: at verò si talis oblatio ideò esset debita, quia consueta, eâdem ratione posset peti, & exigi, non minus quàm decimæ, vel primitiæ, sicut etiam in tribus casibus priùs dictis non solùm possunt recipi oblationes, cum offeruntur, sed etiam exigi, si non soluantur; ergo signum est, in hoc quarto casu esse B semper voluntariam oblationem, non obstante consuetudine. Et ita tenet Angel. in verb. *Oblationes*, n. 1. in additione ad illum, & inclinat Sot. lib. 9. de iust. q. 6. art. 1. nam vbi decimæ soluuntur, non putat consuetudinem oblationum obligare.

Angel. *Sot.*

12. Cõsuetudinem oblationũ obligare. *D. Thom.* *Aragon.* *Maior.* *Panor.* *Hostiens.* *Sylvest.* *Couar.* *Gutier.*

Nihilominùs contraria sententia cõmunis est, eam enim tenet D. Thom 2.2.q.86.ar.1. & ibi Caiet. Aragon, & alij. Maior in 4.d.15.q.4.Conc.2. & ad argumẽta contra illã, Panor. Hostien. & alij in c. *Suam*, & c. *Ad audientiam* de simon. Silvest. ver. *Decima*, qu.2. & frequentiùs Summistæ, Couar. dicto nu.3. vbi ait, esse cõmuniter receptam sententiam, *Nemine refragante:* Quam etiam multis allegationibus cõfirmat Gutierrez dicto c.21.n.140. & sequentibus. Videtur autem C sufficienter probari ex dicto cap. *Ad audientiam*, vbi in primis *Laudabilis* dicitur cõsuetudo introducta in Ecclesia *Pia deuotione fidelium* offerendi aliquid pro exequiis defunctorum, vel benedictionibus nuptiarum, aut aliis similibus sacramentorũ administrationibus, & deinde dicitur, *Non esse permittendũ fidelibus, vt has cõsuetudines laudabiles infringant, aut immutent, sed compescendos esse, qui hoc tentauerint.* In quo apertè supponitur, hanc cõsuetudinem inducere obligationem, non enim posset Episcopus cogere fideles ad soluendas huiusmodi oblationes titulo consuetudinis, nisi eadem consuetudo obligationem induxisset.

13. Respõsio ad argumentũ.

Responderi verò potest, in illo textu nõ dici, vt fi- D deles cogantur cõsuetas oblationes soluere, sed verba textus esse: *Sed per Episcopum loci, veritate cognita, cõpescantur, qui malitiosè nituntur laudabilem consuetudinem immutare.* dixerat enim superiùs: *Quidã laudabilem cõsuetudinem erga sanctam Ecclesiã pia deuotione fideliũ introductam ex fermento hæreticæ prauitatis nituntur infringere, sub prætextu Canonicæ pietatis.* Quãdo ergo præcipit, vt cõpescantur, qui laudabilem cõsuetudinẽ malitiosè immutare nituntur, videtur loqui de his, qui prauo spiritu nitũtur infringere piã consuetudinem, vel damnando illã vt malam, vel simoniacã, quæ pertinent *Ad fermentum hæreticæ prauitatis*, vel alio modo impediendo fideles, ne piã consuetudinẽ obseruent. At verò hinc nõ sequitur, ipsos fideles, qui non malitiosè, sed propria voluntate oblationes omittũt, quia E nõ putant, illas esse ex obligatione, sed spõtaneas, esse cogendos ad illas soluendas propter solam cõsuetudinem. Nec ex eo textu id colligi potest; aliud enim est, malitiosè infringere piam consuetudinem ex fermento hæresis, aliud propria sponte nolle oblationẽ offerre. Et hunc sensum expresè sequitur Innocent. in dict. c. *Ad Apostolicam* dicens non pertinere ad officium Episcopi cogere fideles, vt oblationes soluant, neq; hoc in illo textu doceri, sed tantùm compescere eos, qui volunt tales consuetudines mutare, solicitando, vel statuendo, ne tales consuetudines seruentur, Idémque videtur sentire ibi Ant. de Butr.

Innocent.

Anto. de Butr.

14. Alij verò Canonistæ, præsertim Hostiẽs. & Panor. absolutè intelligunt illũ textum, videlicet, in eo supponi, talem consuetudinẽ induxisse obligationem, & ideò cogi posse fideles per Episcopum, & debito modo, vt illas obseruent. Et huic sensui fauent multùm illa verba textus. *Prauam exactionem fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus obseruari.* Nam hæc posteriora verba absolutum continent præceptum, quod non sufficienter impleretur solùm cõpescendo impedientes malitiosè. Respondere autẽ posset Innocent. illa verba intelligenda esse iuxta casus propositionẽ, & iuxta verba vltima explicantia præceptum illud. Vnde sensus illorum esse posset, vt præcipiantur obseruari consuetudines, id est, nõ immutari, nec impediri, sed in sua libertate relinqui, vt ita obseruentur, sicut introductæ fuerunt, id est, vt sponte offerentes aliquid, liberè, & sine impedimento possint id facere, qui verò noluerint, non cogantur. Ita enim moraliter loquẽdo fiet, vt semper consuetudo in sua obseruantia perseueret, quia ex tota multitudine populi semper aliqui offerent, licet alij omittant, & qui offerũt, sponte id faciant, & non ex obligatione. Atq; ita fateor textum illum non omnino cogere, maximè cum sint alia decreta multùm repugnantia huic axactioni, & obligationi.

15. Nihilominùs hic posterior sensus Hostiensis, & Panormitani est simplicior, & magis pius, & ideò præferendus est. Et iuxta illũ simpliciter fatendũ est, per hanc consuetudinem induci obligationem. Et ad hominem confirmari hoc potest contrà Innocentiũ. Nam ille concedit per consuetudinem voluntariam posse induci obligationem, quando non in ipsa collatione sacramenti, vel rei spiritualis administratione aliquid ex consuetudine datur, sed postea, *Quia qui tanto tempore* (ait) *exsoluerunt, creditur, quòd voluntarie se obligauerint.* Sed hæc ratio etiam habet locum in consuetudine offerendi aliquid tempore ipso, quo sacramentũ ministratur, ergo. Et confirmatur, quia vel talis consuetudo nõ obligat solùm, quia per spontaneã actionẽ incepit, & durauit, vel quia simoniæ labe infecta est. Hoc posterius dici non potest, tum quia in illo met textu vocatur hæc pia cõsuetudo, tum etiam quia ibi nõ datur aliquid pro re spirituali, licet simul detur, sed datur gratis: hæc enim duo nõ repugnant. Primum item non rectè dicitur, quandoquidem in aliis exemplis admittitur, per gratuitam oblationem continuatam posse obligationem induci. & nulla ratio affertur, cur hîc etiam non possit.

Pars affirmatiua confirmatur ad hominem.

16. Soluuntur rationes in oppositum factæ.

Ratio autem huius sententiæ magis constabit respõdendo ad rationes in oppositum. Circa primam, ac præcipuam de intentione sponte offerentium occurrit aduertendum, duobus modis posse intelligi hanc obligationem, scilicet vel per modũ consuetudinis habentis vim legis, & introducentis rigorosum præceptum: vel per modum præscriptionis Ecclesiæ, seu Parochorum contra laicos, seu Parochianos offerentes: sunt enim hæc duo valdè diuersa, vt infrà cap. 13. latiùs explicabo. Si priori modo intelligatur, consequenter dicendum est, quòd licet hæc cõsuetudo in principio gratis, & spontanea intentione inceperit: postea paulatim mutata est intentio in voluntatem soluendi illam oblationem vt iam debitam, siue ex voluntate sponte se obligandi formali, aut virtuali, siue ex conscientia erronea; quia cùm priores offerentes gratis darent, successores cogitantes illam esse obligationẽ, in eodem officio perseuerarunt, & cum illa apprehensione reliqui prosecuti sunt, & ita tandem inducta est consuetudo habens vim legis. Atque ita explicat hanc obligationem Maior dicta qu. 4. Et non putat esse singulare in hoc genere operis pij, sed generale ad similia opera Religionis publica, & communia, vt est obseruatio alicuius diei festi, vel ieiunij alicuius vigiliæ, verbi gratia, Natiuitatis Virginis, vel alterius similis, vnde doctrina

Duplex caput huius obligationis proponitur.

Maior.

Caiet. Sotus.

ctrina Caietan. & Sot. ſuprà in contrarium allegata intelligenda erit, quando vſus incipit ſub apprehenſione, & intentione voluntariæ intentionis, & cum eâdem continuatur: ſecus verò erit, ſi paulatim mutetur intentio dicto modo, vt dictum eſt.

17. Præcedens expoſitio impugnatur. Cap. *Ad Apoſt.* Soluitur Argumentum.

Contra hanc verò expoſitionem obiici poteſt, quia omnes Doctores ad valorem huius conſuetudinis requirunt, vt ſit ſpontena, & merè voluntaria oblatio, vt in ſuprà allegatis videri poteſt ex dicto cap. *Ad Apoſtolicam*, ibi, *Pia fidelium deuotione introducta.* Hoc verò non vrget, tum quia iam ſupponitur conſuetudinis initium fuiſſe omninò purum ab omni pactione, & coactione, ſed perfectè voluntarium, tum quia etiam continuatio fuit ſine exactione, & compulſione, vt ſupponimus. Quod autem pro aliquo tempore fuerit ex conſcientia obligationis, aut intentione ſe obligandi, non obſtat, quominus abſolutè ſit ſpontanea oblatio, quia illamet obligatio voluntariè aſſumpta ſupponitur, non per aliquam coactionem. Sicut quod ex voto redditur, dicitur eſſe ſpontaneum, & gratuitum in ſua radice, cap. *Ex parte* de cenſib.

Cap. *Ex parte.*

18. Duplex proponitur difficultas cõtra ſolutionem datam.

Adhuc verò reſponſio illa duas patitur difficultates: Vna eſt, quia ſaltem ſequitur, deciſionem capituli *Ad Apoſtolicam*, non eſſe vniuerſalem; Nam vbi conſtiterit offerentes nunquam habuiſſe intentionẽ ſe obligandi, neque ex tali conſcientia, aut exiſtimatione rei debitæ aliquid tale obtuliſſe, ſed tantùm ex pia deuotione voluntaria, non erit inducta lex, nec obligatio, nec poterunt fideles compelli ad ſimiles oblationes faciendas: non eſt autem impoſſibile ſæpiùs poſſe conſtare de tali intentione: Imò eſt veriſimile in multis populis, vel Eccleſiis ita explicaturos fideles mentem ſuam, ſi interrogentur. Alia difficultas eſt, quia licet fideles ex erronea conſcientia habuerint illam intentionem ſoluendi debitum, non videtur ſufficiens ad inducendam obligationẽ, quia illa obligatio debet eſſe voluntariè inducta, error autem ille cauſat inuoluntarium, & ita non ſufficit ad inducendam talem obligationem. Quocirca ſi aliquando talis conſuetudo obtinet vim legis, neceſſe eſt, vt non præſumatur ex tali errore fuiſſe inductam, ſed ex voluntate ſe obligandi, in hac autem materia ſupponitur vt conſtat, initium talium oblationum fuiſſe ſpontaneum, & non tranſiiſſe in cogitationem obligationis niſi per errorem, ergo difficile eſt hoc modo ſaluare obligationẽ cum ſolido fundamento, niſi aliquid aliud addatur quod ſtatim videbimus.

An conſuetudo errore introducta obliget.

19. 2. Caput obligationis, quod eſt præſcriptio. Præſcriptio non requirit conſenſum.

Alio ergo modo poteſt hæc obligatio intelligi per modum præſcriptionis, nam in præſcriptione non interuenit abrogatio, vel inductio legis, ſed acquiſitio alicuius dominij, vel iuris in re, vel ad rem, in aliquem locum, vel in rem alterius, vel ad opus, aut ſeruitium eius, quod ius acquiri ſolet per diuturnum vſum cum bona fide, & aliis conditionibus in iure requiſitis, ſic enim acquiritur ius ſeruitutis in fundum, vel domum, vel etiam in perſonam, aut ius ad aliquã actionem humanam, vt ad eligendũ, iuxta c. *Cumana* de electione, & clariùs in cap. *Cum Eccleſia ſutrina* de Cauſ. poſſeſſ. & propriet. Hæc autem præſcriptio in alterius perſonam vel actionem, aut rem eius, non requirit ex parte eius, ſuper quem cadit, conſenſum, aut voluntatem dandi tale ius alteri, aut obligandi ſe illi, ſed ipſo vſu, & facto ipſo acquiritur adminiculo iuris. Vnde ſæpe acquiritur, alio nihil ſciente, & conſequenter ipſo neque expreſsè, neque tacitè conſentiente. Quæ eſt differentia quædam notanda inter hanc præſcriptionem, & conſuetudinem derogantem legi poſitiuæ, nam hæc non poteſt hunc effectum habere, niſi interueniente tacito conſenſu Principis, cuius legi per talem conſuetudinem derogatur, vt ex materia de legibus ſuppono. In præſcriptione verò non requiritur conſenſus eius, contra quem præſcribitur, quia Iura illum non requirunt, & præſcriptio inducitur virtute legis, imò videtur à lege inducta ad ſupplendum conſenſum alterius, vt poſſit tranſlatio iurium fieri ipſo vſu, ſine conſenſu alterius, ad quem antea pertinebat. Et nihilominùs conſummata præſcriptione ille contra quem præſcriptum eſt, obligatus manet ex iuſtitia ad ſeruandum alteri ius acquiſitum per præſcriptionem, non quidem in virtute alicuius legis poſitiuæ inductæ per conſuetudinem, ſed ex vi naturalis iuſtitiæ, quæ obligat ad ſeruandum vnicuique ius ſuum.

C. *Cumana.* Cap. *Cum Eccleſ.*

Diſcrimen inter abrogationem & præſcriptionem.

20. Clerici per modũ præſcriptionis acquirũt ius in oblationes.

Sic igitur in præſenti dicimus per diuturnam conſuetudinem offerendi, acquiri Eccleſiæ, ſeu Clericis, ius ad ſimiles oblationes, per modum cuiuſdam præſcriptionis, & conſequenter Parochianos manere obligatos ad oblationes, non ex voto, vel ex ſpeciali voluntate; & intentione ſe obligandi, ſed ex vi iuris acquiſiti Eccleſiæ, quod ſeruandum eſt ex ipſo naturali iure, poſtquam re vera ſemel acquiſitum eſt. Vt autem acquiratur, non eſt neceſſarius ſpecialis conſenſus offerentium in voluntariam oblationem, continuatus tanto tempore; quia ad præſcriptionem, vt dixi, non requiritur ſimilis conſenſus, ex parte eius, contra quem præſcribitur. Neceſſarium verò eſt adminiculum iuris, & hoc videtur præſtari in dicto cap. *Ad audientiam*, in quo præcipuè hæc obligatio fundatur. Quod ſi quis dicat, illud ius fundari in præſumptione, quia, vt Innocentius aiebat, qui tanto tempore obtulerunt, præſumuntur voluiſſe ſe obligare, & ideò, ſi veritas in re ipſa non reſpondeat præſumptioni, legem illam in conſcientia ſaltem, non obligare. Reſpondemus primò negando conſequentiam, quicquid ſit de antecedenti, nam illa præſumptio, fuit (vt ſic dicam) occaſio legis, non cauſa, & proprium fundamentum; nam non immeritò haberi poterat talis præſumptio, & quia illa non ſufficiebat ad certitudinem obligationis, voluit Eccleſia tollere omnem dubitationem conferendi Eccleſiæ ius, & modum præſcribendi: ideóque ſuppoſito illo iure, qui voluntariè perſeuerant tanto tempore in oblatione, conuincuntur velle ſe obligare iuxta illud ius, etiam ſi illud ignorent, & nihil de hoc cogitent. Secundò reſpondetur cum Panor. Couar. & aliis, negando hoc ius eſſe inductum propter præſumptionem, ſed in fauorem Eccleſiæ, & piæ cauſæ. Addit etiam Panor. cum Bart. hoc maximè habere locum in actionibus, quæ referuntur ad alium, ſub aliquo reſpectu, ad recompenſationem, in præſenti offertur aliquid miniſtris, in recognitionem beneficij, & in ordine ad ſuſtentationem eorum, ſimúlque in Dei honorem, & ideò Eccleſia ita acceptat illam oblationem, vt ſi tanto tempore duret, etiam ius acquirat.

Cap. *Ad audient.*

Obiectioni reſpõdetur.

1. Reſpõſio. *Panor. Couar.* *Bart.*

21. Quæ continuatio requiratur ad hanc obligationem. *Panor.*

Sed quæres, quanta continuatio, & quanto tempore neceſſaria ſit ad hanc obligationem inducendam. Reſpondeo breuiter, in primis ſufficere tempus decem annorum. Ita docent Panor. & ratio eſt, quia hæc conſuetudo non eſt contra ius, ſed potiùs illi conformis, & eſt pia, & fauorabilis, & ideò decennium in illa ſufficit, quia in huiuſmodi rebus non ſolent Iura longius tempus poſtulare ad præſcriptionem. Addenda verò eſt limitatio, niſi conſtet conſuetudinem illam inchoatam, & continuatam eſſe, in ordine ad certum effectum, vt ad ædificationem Eccleſiæ, vel quid ſimile, nam tunc finito effectu, poteſt ceſſare conſuetudo, quia tunc non habet locum abſoluta obligatio, vel præſcriptio, vt per ſe notum eſt, & notat Panorm. in capit. *Abolendæ* de ſepult. Modus autem continuandi, ſeu frequentandi actum ſine interruptione, debet eſſe accommodatus mate-

Limitatio concluſionis.

tiæ,& actioni. Hæ namque oblationes interdum fiũt à particularibus, & solis singularibus personis, vt ab sponsis in benedictionibus nuptialibus;ab ordinatis, qui solent candelam offerre, & in his non oportet, quod ab eisdem personis actus frequentẽtur;sed satis est,quod à diuersis,in simili occasione, vel causa. Aliquando verò fiunt oblationes à populo congregato in Ecclesia ad sacrificium, vel aliud diuinum officiũ, ita vt singuli aliquid offerant, & tunc satis est vt pro maiori parte assistentes offerre soleant,vel qui potentes sunt,quia hoc satis est,vt absolutè cẽseatur esse in illo populo talis consuetudo, vt latè Paul. Castrens. probat Cons. 296. quem cum aliis refert Gutierrez sup. num. 148. Tunc autem, licet vnus, vel alius interdum omittat, non solùm non interrumpitur consuetudo,verum etiam nec fortasse grauiter peccatur, præsertim si rationabilis causa interueniat,quia iuxta communem morem non introducuntur hæ consuetudines cum maiori rigore. Et ita responsum est sufficienter ad secundam rationem dubitandi.

Paul. Castr. Gutier.

22. Respondetur iuris capitibus prohibentibus exactionem oblationũ. *Maior.*

Ad alia verò Iura,quæ videntur prohibere exactionem talium oblationum, Maior respondet illa loqui de oblationibus nondum satis præscriptis, & consuetudine firmatis. Addo verò etiam post ius acquisitum, prohiberi indebitum, & indecentem modum exigendi. Nam in primis priuatus Parochus non habet propriam iurisdictionem ad cogendum alium,& ideò non potest auctoritate sua extorquere oblationem, neque cogere illum, qui non vult dare, sed per Episcopum cogi debet, & ab Episcopo peti debet, vt ipse exigat,&soluere cogat,prout cauetur in dicto cap. *Ad Apostolicam*. Deinde specialiter damnatur in illis Iuribus modus extorquendi oblationes, negando Sacramenta, vel spiritualia officia,nisi oblationes priùs afferantur, vel detur cautio, aut aliquid simile. Hoc enim habet quandam speciem Simoniæ,& venditionis Sacramentorum. Et ideò prohibent Iura ne ita fiat, in quo non contradicit cap. *Ad Apostolicam*. Et ideò seruandum id est, vt etiam D. Thom. & omnes Doctores admonent.

Cap. *Ad Apost.*

D. *Thom. Caietan.*

23. An possit negari Sacramentum nõ soluenti oblationes.

Interrogat autem Caiet. dicta q. 86. art. 1. Quid faciet Parochus, si videat Parochianum esse in malo statu,eo quod nõ soluit oblationem, & nihilominus petere Sacramentum, nam tunc tenebitur illud negare, ne conferat indigno, & negando illud, videtur agere contra prædicta Iura. Dicendum verò est, in primis necessarium esse, vt sit omninò certum, subditum esse in statu peccati,nam si sit res aliquomodò dubia, præsumi potest,illum habere bonam fidem,& sequi probabilem opinionem,vel consilium alicuius hominis docti, & ita poterit illi dari Sacramentum sine culpa. Imò vlteriùs oportet, vt crimen sit publicum, si Sacramentum publicè negandum est, quia peccatori occulto petenti publicè Sacramentũ, dari potest sine culpa, imò etiam dari debet ab eo, qui ex officio tenetur,vt ex materia de Sacramentis,& Censuris constat. Si autem crimen est certum, & publicum, siue illud consistat in non dandis oblationibus debitis, siue in non soluendis Decimis, siue in quacunque alia materia, negari potest, & debet Sacramentum. Neque fit contra dicta Iura, quia non negatur ad extorquendum temporale commodum, sed ne indignè conferatur Sacramentum, & tunc satis erit moderatam diligentiam adhiberi, vt hoc etiam publicè intelligatur, & ita omne scandalum vitetur.

24. Contra consuetudinem non potest populus aliquid statuere.

Ex quibus à fortiori sequitur, post inductam talem consuetudinem non posse populum, vel Laicum aliquem statuere contra illam, vt non seruetur, vel continuetur, nam id esset contra ius Ecclesiæ acquisitum, ac subinde contra libertatem Ecclesiasticam, vt bene notauit Abbas dicto Cod. *Abolendæ* cum Part. in leg. *Priuilegia*,cap. de sacros. Eccles. Et hoc ipsum vt notius supponit Innocent. Nam etiam si consuetudo nondum induxisset obligationem, illam prohibere, cum sit pia, impium esset,& contra Ecclesiasticam libertatem, quia esset dispositio, in spirituali materia à potestate Laica omninò aliena.

Abbas. Part. Innocent.

Sed quæret tandem aliquis, an qui non soluunt oblationes debitas, censuram aliquam, vel pœnam Ecclesiasticam eo ipso incurrant. Respondeo breuiter, nullam esse talem pœnam, vel censuram ipso facto incurrendam per Ecclesiam latam aliquo Iure; nullum enim tale inuenitur:sunt quidem aliqua iura, quæ præcipiunt excommunicari, vel ab Ecclesia vt infideles excludi eos, qui bona Ecclesiæ legata non soluunt; vel qui bona semel Ecclesiæ donata,auferre moliuntur, vt patet in cap. *Qui oblationes* 1. & 2. & cap. *Clerici* 13. q. 2. Sed ibi nulla censura fertur ipso Iure, vt Glossa etiam notauit. Et illa Iura non de omnibus oblationibus loquuntur, sed de illis specialiter, quæ vel iam donata sunt Ecclesiæ, & actu transierunt in eius Dominium, eiúsque bona sunt effecta, vel testamento ei legata sunt,& post mortem testatoris etiam suo modo ad Ecclesiastica bona pertinent. De aliis verò oblationibus,quæ solùm ex consuetudine debentur, nihil peculiare statutum est in Iure circa modum, quo cogendi sunt fideles ad illas soluendas præter illud, quod circa hoc statuitur in dicto c. *Ad Apostolicam*, Vbi hoc videtur committi arbitrio Episcopi, *Vt veritate cognita*, id est,consuetudine, & obligatione bene examinata, *Faciat pias consuetudines seruari*, prudenti arbitrio, pœnam,& coactionem adhibendo. De quadam verò censura specialiter lata in Concil. Trident. sess. 22. c. 11. de Refor. & aliâ, quæ habetur in Bulla Cœnæ, éstque num. 17. an possit,vel debeat ad hanc materiam applicari, dicemus commodiùs infrà,tractando de Decimis,quia difficultas potest esse communis ad oblationes, Decimas, & Primitias; & in Decimis, quæ magis debitæ esse solent, magisque pertinent ad Eccleſiasticos fructus, meliùs expendetur.

25. Qui oblationes non soluunt, an incurrant censuram.

Cap. *Qui oblat.*

Cap. *Ad Apost.*

Concil. Trid. Bulla Cœna.

CAPVT VI.

Quæ personæ admitti possint, vel debeant ad Ecclesiasticas oblationes faciendas.

IN hoc actu facilè considerari possunt circunstantiæ omnes communes cæteris actibus moralibus, nam omnes cum proportione sunt necessariæ in his oblationibus faciẽdis, & in eis,quatenus ex solo Iure naturali postulari possunt, nihil ferè occurrit peculiariter adnotandum;quatenus verò ex iure Ecclesiastico aliquid circa nõnullas illarum positum est,sunt aliquæ cõsiderandæ,præsertim ex parte personæ offerentis,& eius,cui offertur,& rei oblatæ;nam reliquæ, vel nihil habent peculiare, vel in superioribus tactæ sunt; Nam de loco diximus, quando, & quomodo faciendæ sint in Ecclesia,vel alibi, &in discursu huius capitis aliquid attingemus. De tempore, constat faciendas esse vel tempore consueto, vel debito ex alio titulo. Quod si oblatio sit merè voluntaria,etiam determinatio temporis proprio arbitrio fiet. De modo, dictum est debere fieri sponte, & sine coactione,&c. Denique de fine, constat debere fieri in Dei cultum, vel propter alium pium finem, vt est subuentio pauperum,aut ministrorum; in his ergò ampliùs immorari non est necesse.

1. Variæ circunstantiæ numerãtur.

Circa personam ergò offerentem, communiter dici solet,necessarium esse,vt sit persona baptizata,& fidelis, & ab Ecclesia non præcisa, neque publicus peccator. Et quidẽ de præcisis ab Ecclesia,seu excommuni-

2. Persona offerens qualis debeat esse.

municatis, frequentiùs sermo est in sacris Canonibus. Nam in Concil. Illibertin. cap. 28. sic habetur, *Episcopum placuit, ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere.* Qui Canon duobus modis intelligi potest. Primò de communione, id est, receptione Eucharistiæ, ita vt sensus sit, ab eo, qui cum assistit diuino sacrificio, de illo non participat communicando, non esse oblationem suscipiendam. Fuit enim olim consuetudo, vt omnes audientes sacrum, in illo communicarent, quæ colligi potest probabiliter ex Can. 9. & 10. Apost. & ex Concil. Antiochen. can. 2. ideò ad verecundiam, & confusionem eorum, qui tam piam consuetudinem non seruabant, potuit Concilium ordinare, vt eorum oblationes non reciperentur. Sed hoc, ad summum, habere poterat locum in Missa diei, publica, & solenni: quia non est verisimile, vt in priuatis omnibus Missis omnes audientes communicare cogerentur, aliàs vel sæpiùs intra eundem diem communicare licuisset; vel non licuisset plures Missas in eodem die audire; vel certè oporteret excusationem afferre non communicandi, eo quòd iam eodem die communicassent, quod esset fraudibus, & scandalis expositum. Et fortasse nunquam fuit consuetudo, obligans ex rigoroso præcepto, communicare in Missa, etiam solenni, de quo alibi dictum est.

Conc. Illibert. *Can. 9. & 10. Apost.* *Conc. Antioc.*

3. Proprius cõcilij sensus.

Propriè ergò, in allegatis verbis, de excommunicatis sermo est, qui non solùm actu, verùm etiam neque potestate communicant, nec solùm à communicatione Eucharistiæ arcentur, sed etiam ab omni alia communicatione, præsertim spirituali, & Ecclesiastica. Quia ergo datio, & receptio oblationum magna communicatio est, & sub modo spiritualis, ideò cum excommunicatis prohibetur. Quod ab Apostolis manasse testatur Clem. lib. 3. Const. Apost. cap. 8. & lib. 4. cap. 7. Et Confirmatur in Concil. Nicen. cap. 27. iuxta versionem Pisani. Et constat ex propria materia de Censuris, & à fortiori, ex aliis Iuribus statim citandis.

Clemens. *Conc. Nicen.*

4. A quibus peccatoribus non sint accipiendæ oblationes.

De peccatoribus autem publicis, licet sint multa iura specialia; nullum tamen inuenitur decretum, in quo generaliter sit sermo de quocunque peccatore publico: & ideò quæri potest, an idem dicendum sit de quocunque publico peccatore, quod nimirum eius oblatio recipienda non sit. Nam Glossa in cap. *Oblationes*, d. 90. simpliciter negat, & probabili quidem ratione. *Nam hæc* (inquit) *est pœna* est enim veluti quædam censura, & infamia) ergo non est extendenda vltra casus in Iure expressos.

5. Argumenta in contrarium.

In contrarium verò facit, primò quod eadem Glossa extendit hoc ad publicas meretrices, cum tamen expressè in Iure nõ habeatur. Nam licèt in quadam nota marginali ibidem allegetur Authentica de Lenonib. in princ. Collat. 3. illa non habet auctoritatem legis in materia, & pœna Ecclesiastica; præsertim quia nec de tali pœna ibi mentio fit; non est ergo ad rem Ius illud; nec Glossa in eo fundata est, sed in ipsa rei decentia, & paritate rationis; ergo eâdem ratione, nec à publico concubinario oblatio recipiẽda est, & consequenter, nec à quolibet peccatore publico. Præterea videtur dixisse hoc quasi diuinum naturale ius; nam ipsi naturales Philosophi illud agnouisse videntur, Plato enim, lib. 4. de Rep. dixit, nec virũ bonum ab impio se donari velle, nedum ipsum Deũ: & Cicero, lib. 2. de legibus, dixit; non placari Deum donis impiorum. Quibus consonat illud Eccles. 34. *Dona iniquorum non probat altissimus, nec respicit in oblationibus iniquorum.* Accedit, quod etiam in Ecclesia videtur fuisse hoc semper prohibitum; nam Clem. d. dicto lib. 4. cap. 6. generaliter ait, *Qui deliquerunt, & eos non pœnitet delictorum suorum, non solum non exaudien-*

Plato. *Cicero.* *Eccles. 34.* *Clemens.*

A *tur, cum precationes facient, sed magis Deum irritabunt; Prohibete igitur huiusmodi ministeria oblationum*, & cap. 7. *Præstat fame perire, quàm ab inimicis Dei quicquam accipere*, & cap. 9. ait; si contingat aliquid ob necessitatem ab impiis recipi, id non esse insumendum in cibos pauperum, sed in ligna, vel carbones esse impendendum. Item Petr. Damian. Epist. 1. *Dona*, (inquit,) *vel oblationes ab iniquo suscipere, quid est aliud, quàm propriam animam ex dantis squalore fœdare?* Denique, interdum etiam propter indecentiam corporalem, prohibetur oblatio; vt de fœminis menstruatis refert Burchar. lib. 19. sui decret. c. 140. Ex Concil. Mogunt. can. 6. ergo multò magis, pro indecentia status publici, in peccato mortali, arcendus quis est ab oblatione, & si ad illam accedere præsumpserit, non est admittendus.

Petr. Dam. *Burchar.*

B

Hæc interrogatio non videtur posse habere vnam simplicem, & vniuersalem responsionem: Nam distinguere oportet de vitio, quod vel ipsam oblationem commaculat, & est veluti circunstantia eius praua; vel tantùm afficit personam, & quasi materialiter se habet, respectu oblationis. Quando vitium est prioris generis, constat non esse oblationem recipiendam, quia esset cooperari actioni iniustæ, vel irreligiosæ. Exẽpla sunt; primùm in oblatione vsurarij, quæ recipi prohibetur in cap. *Quia in omnibus*, de vsuris, non solùm in pœnam, & odium talis delicti, sed etiam, quia acquisita per vsuram, aliena sunt; ideóq; C illa Deo offerre, non solum sacrilegium est; sed etiam noua iniustitia; ac propterea, ibidem præcipitur, vt talis oblatio statim restituatur, vt ibidem Glossa notauit, addens, rem oblatam, offerenti esse reddendam; vt ipse verò domino illam restituat; & eâdem ratione cauetur in cap. *Super eo*, de Raptore, ne raptorum eleemosynæ recipiantur ab Ecclesia. Atque eadem ratio est de omnibus iniustè possessis, seu acquisitis, vt notauit D. Tho. dicta q. 86. art. 3. cum August. serm. 35. de verb. Domini; & ita exponit illud Eccles. 34. *Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata*; & habet locum in quacunque alia oblatione, vel eleemosyna, vt latè tradit Greg. lib. 7. epist. 110. & habetur D in c. *Non est*, 1. q. 1. Qui etiam adiungit illud Eccles. 34. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.*

6. Quæstioni satisfit per varios casus.

Ab vsurario non accipiẽda oblatio. C. *Quia in omnibus.*

Gloss.

C. *Super eo.* Neque à furc.

D. Thom. August. Eccles. 34.

Greg. Cap. *Non est.* *Eccles. 34.*

Et similis ratio est de his rebus, quæ, licet iustè possideantur, secundum ordinem Iustitiæ, vel Charitatis, sunt obnoxiæ alteri priori, & maiori obligationi: Tunc enim, licet offerẽs non supponatur esse in statu peccati, peccaret tamen, vel contra Iustitiam, vel contra Charitatem, aut pietatem, rem suam offerendo Deo, vel Ecclesiæ: & ideò eius oblatio recipienda non est. Talis est oblatio, quam filius facere vult de re necessaria ad sustentationem parentis; quam reprehendit Dominus Matth. 15. Et eadem, vel maior ratio est de parente, qui oblationem facere vult de rebus necessariis filiis, vel aliàs eis debitis. Item, de creditore, qui ex bonis debitis offert: & idem contingere potest in eleemosyna, quando necessitas proximorum vrget; quia tunc Deus magis vult misericordiam, quàm oblationem Matth. 9.

7. Oblatio rei alteri obnoxiæ, non est accipienda.

Matth. 9.

8. Quando vitium est persõæ & non rei oblatæ potest recipi oblatio.

At verò quando vitium est tantùm personæ offerentis, & in rem oblatam non redundat; per se loquendo, non obstat, quo minùs oblatio talis personæ recipi possit, quantumuis eius peccatum publicum sit. Ita sumitur ex D. Thom. suprà, & ex Glossa in capit. *Oblationes*, d. 90. Et ratio est, quia illa conditio personæ non obstat, quo minùs illa oblatio sit verus Religionis actus; ergo nec obstare potest, quo minùs recipere illam licitum sit; quia tunc nulla est ad malum cooperatio, nec alia malitia in tali acceptatione cogitari potest: Dixi autem *per se loquen-*

D. *Thom.* *Gloss.*

Excipiuntur duo casus quorum primus, est scandali. *D. Thom.*

do, quia oportet duos casus excipere. Primus est quando ex tali oblatione sequitur scandalum, & hac ratione ait diuus Thomas suprà, non licere tunc accipere oblationem à publica meretrice, quia intelligitur esse de mercede prostibuli, quam accipere prohibitum erat Deut. 23. & licet illa lex, quatenus cæremonialis erat, cessauerit; vt habet moralem rationem, potest durare. Ratio autem scandali est moralis, ne videatur Ecclesia fauere iniquitati, si de mercede iniquitatis oblationem acceptet. Et ideò, non est eadem ratio de publico concubinario, qui non offert aliquid ex iniquitate comparatum, quia cessat dicta ratio scandali; si verò aliundè oriretur, etiam vitandum esset; vt si crederetur Ecclesia conniuere, & tolerare talem statum in tali persona, propter oblationem eius, vel quid simile. Sicut è contrario, si ratio scandali in meretrice cessaret, posset eius oblatio recipi; vt si meretrix publica, publicè conuertatur, & statum mutet; & postea, de bonis priùs comparatis non iniustè, licet inhonestè, aliquid Ecclesiæ offerat, acceptari posset; quia iam tunc cessat scandalum: tunc enim non potest existimari, quòd Ecclesia faueat iniquitati, sed pœnitentiæ, & satisfactioni, pro præteritis peccatis. Nec aliunde est hoc prohibitum, iure positiuo, vt bene supra probatum est.

Deut. 23.

9. Secundus casus. *Glos.*

Alia exceptio est, nisi speciali iure prohibitum sit, talis peccatoris oblationem accipere; tunc enim quòd ius statuit, seruandum est. Ita notat Glossa dicto cap. *Oblationes* d. 90. Et ex parte sumitur ex illo textu, quatenus ait, oblationes dissidentium fratrum recipiendas non esse. Altera verò pars illius textus, in qua dicitur, dona eorum, qui pauperes opprimunt, à Sacerdotibus recipienda non esse, magis pertinet ad aliud membrum priùs explicatum de oblationibus iniustis, ex parte etiam rei oblatæ, vt ex dictis constat. Et ita in Concil. Carth. 4. illi sunt Canones diuersi, nonagesimus tertius, & nonagesimus quartus. Ad hanc verò partem spectat cap. *De viro*, 12. quæst. 2. vbi sacrilegis quibusdam, in partem pœnitentiæ, imponitur, vt in tertio anno pœnitentiæ, permittantur esse in Ecclesia *Inter audientes sine oblatione.* Et simile quid de Matricida statuit Nicolaus Papa in cap. *Latorem* 33. quæst. 2. Et de his, qui rebaptizantur. Felix Papa in cap. *Eos, quos*, de conse. d. 4. Et de his, qui infantes suos rebaptizandos tradunt, Concil. Illerdens. cap. 13. Item facit, quod ex Aug. Epist. 187. refertur in cap. *Miror*, 17. quæst. 4. præcepisse nimirum, ne reciperentur oblationes Bonifacij Præsidis, qui homines de Ecclesia extraxerat. Ad hoc etiam adduci solet Canon trigesimus septimus Concilij Laodic. sed diuersa est illius decreti dispositio: Nam in primis loquitur de Iudæis, & Hæreticis, ex quibus primi baptizati non sunt; postremi sunt præcisi, & excommunicati. Deinde non videtur loqui de oblationibus Ecclesiasticis, sed de quibuscunque muneribus, quæ indicant amicitiam, vel communicationem, præsertim in ritu Religionis. Verba Concilij sunt, *Quod non oporteat à Iudæis, vel Hæreticis, quæ mittuntur munera festiua suscipere, nec cum eis festa celebrare.* Vbi munera festiua appellati videntur illa, quæ pro alicuius diei festiuitate, vel solennitate mitti solent, non tantùm Ecclesiæ, vel Clericis, sed etiam inter amicos, vel quouis alio modo. In casibus ergo à Iure expressis, non sunt oblationes iniquorum hominum suscipiendæ, etiam si aliàs fiant de rebus conuenientibus, & iustè possessis. Non sunt tamen extendenda illa Iura ad alios casus, etiam si similes esse videantur, quia in pœnalibus legibus non habet locum hæc extensio, vt dicta Glossa notauit, quam ibi Turrecr. & alij sequuntur, & Silu. verb. *Decima*, num. 8. & ibidem Angel. limitat hoc tantùm Siluester, nisi crimen sit horrendum; quod habere poterit locum, ratione scandali, non ex vi legis pœnalis, quicquid ipse dicat.

Concil. Carth.

Cap. De viro.

Nicolaus. Papa.

Felix Papa

Concil. Iller.

Concil. Laodic.

Turrec. Syluest.

10. An Iura solũ intelligẽda de oblationibus factis ad altare.

Interrogabit verò aliquis, primò an hæc Iura intelligenda sint tantùm, de oblationibus, quæ fiunt ad altare, & in Ecclesia, vel vniuersè de omni donatione, quomodocunque facta Ecclesiæ, inter viuos, vel in legato, aut testaméto, aut quouis alio modo. Quidam de quocunque modo offerendi, Iura illa intelligunt, quia Laici nunquam offerebant immediatè per se, sed per Diaconum, iuxta cap. *Perlectis*, 25. d. nec deferebant oblata ad altare, sed ad sacrarium, vel gazo-philacium; quod etiam prohibetur his peccatoribus in dicto cap. *Oblationes* 90. d. At verò Glossa in dicto cap. *Eos, quos*, de conse. d. 4. de oblatione tantùm, quæ fit ad altare, intelligit textum illum, & capitulum *De viro*, 12. quæst. 2. Vbi Turrecremata etiam cum Hugone, restringit ius illud, ad oblationem, *Quæ ad altare, ad manus Sacerdotis defertur, iuxta* cap. *Omnis Christianus, de conse. d.* 1. Et simili modo exponit cap. *Latorem*, 33. quæst. 2. de oblationibus, *quæ diebus Dominicis, & festiuis in Ecclesia fieri solent.* Et in eodem sensu videtur locutus August. in dicto cap. *Miror*: Et regulariter loquendo, est hæc expositio magis accommodata Iuribus, & materiæ pœnali, quæ restringenda est. Nec refert, quòd Laici non accedant ad altare immediatè ad offerendum; satis enim est, quòd immediatè offerant, vel in manu Sacerdotis, vel per Diaconum, nam semper talis oblatio censetur fieri immediatè Deo, & censetur magis sacra, & per se magis publica, ideóque specialiùs acceptari prohibetur. Hoc tamen non impedit, quo minùs prohibitio possit generaliùs fieri, & exponi specialia verba alicuius Canonis, quando vel materia ipsa id postulauerit.

Ferdin. Mẽdoza lib. 2. in Concil. Elib. cap. 54.
Cap. Perlectis.
Cap. Oblationes. Gloss.
Cap. De viro. Turre. Hugo.
Cap. Omnis. Chrysostom.
Cap. Latorẽ.
Cap. Miror.

11. An prohibitio sit solùm ad oblationes necessarias, vel etiã ad spõtaneas

Vlteriùs interrogari potest, an extendatur hæc prohibitio ad oblationes necessarias, vel tantùm ad spontaneas: Nam Glossa, Hugo, Archid. Turrecrem. & alij communiter exponunt de oblationibus tantùm spontaneis; quia necessariæ, id est, quæ sunt in præcepto, vt Primitiæ, ac Decimæ, non solùm accepiendæ, sed etiam exigendæ sunt, etiam ab his malefactoribus, aliàs, commodum ex sua iniquitate reportarent, & id cederet in Ecclesiæ grauamen. Omissis tamen Decimis, & Primitiis, petimus quid dicendum sit de oblationibus, quæ in principio spontaneæ fuerunt, iam verò vsu factæ sunt necessariæ; Nam hinc apparet doctrinam, & rationem illorum auctorum in his locum habere, vt solui debeant, & recipi possint. Item de oblationibus necessariis ad sustentationem ministrorum, non videtur dubium, quin solui debeant à publicis peccatoribus, & recipi possint, imò & exigi. Aliunde verò obstat, quia tales solent esse oblationes, quæ ordinariè fiunt in Ecclesia ad Missam, in diebus Dominicis, & festiuis; & tamen iidem Auctores dicunt has oblationes susciendas non esse in casibus prohibitis; ergo intelligenda sunt illa Iura, non solùm de voluntariis, sed etiam de necessariis oblationibus.

Glos. Hugo. Archi. Turrec.

12. Sententia Auctoris.

Mihi ergo breuiter videtur, nullas oblationes, etiam necessarias aliquo ex dictis modis recipiendas esse ab his peccatoribus in Ecclesia, ad altare, vel in publica oblatione, ad manum Sacerdotis. Nam hoc absolutè, & sine restrictione prohibent dicta Iura, nec æstimant inconueniens, quod Ecclesia tunc priuetur illo temporali commodo in detestationem talis delicti, & ad confusionem, & humiliationem talis peccatoris; ad quos fines parùm refert, quòd talis oblatio voluntaria sit, vel necessaria; & hoc modo, neque Primitiæ à talibus recipiendæ sunt per modum

dum sacrarum oblationum, quæ suo modo offeruntur immediatè in Dei cultum. Nihilominùs verò res ipsæ, si aliàs sint debitæ in sustentationem ministrorum, possunt alio modo priuatim tradi, vel exigi; quia hoc non est prohibitum, vt dixi, & ratio Iustitiæ, id per se postulat. Item hoc modo exigi possunt primitiæ, sicut & decimæ, & quoad hoc, eadem est ratio de oblationibus necessariis ad sustentationem ministrorum; quia illæ, per se primò debentur ministris, & modus offerendi illas in Missa, vel Ecclesia, accidentarius est illi fini. Confirmatur hoc ex cap. *Quanto* de Vsuris, vbi dicitur, etiam Iudæos compelli posse ad soluendum valorem oblationum, vel pensionum, quas accipere solebat Ecclesia à domibus vel terris, priusquam ad Iudæos deuenissent, de quo vide Syluestrum supra num. 8. Addo tandem, quando obligatio non nascitur ex simili iure Ecclesiæ, neque ex indigentia ministrorum, sed ex pura consuetudine, recipi quidem posse valorem illum, si extra actionem sacram datur, non tamen posse exigi, vt alio modo detur, quia consuetudo non obligat, nisi ad dandum tali modo, loco, & tempore, & ideò si tunc Ecclesia illas recipere non vult, peccator non obligatur, aliter illas offerre.

Cap. *Quanto.*

Sylvest.

13. Vt oblationes nō accipiantur, an expectāda sit condēnatio.

Tandem, interrogari potest, an ministri altaris teneantur, has oblationes non accipere ab his peccatoribus, eo ipso, quòd peccatum de facto notum est, ante condemnationem, vel etiam ante declarationem per sententiam; Ratio dubij esse potest, quia dicta Glossa nihil aliud requirit, nisi vt delictum sit notorium, id est, facto ipso publicum, & eam videntur approbare cæteri Doctores, vnde non requirunt condemnationem, vel sententiam. In contrarium verò est; quia (vt supponitur) hæc prohibitio non fit ratione scandali, nec quia ipsa oblatio, vel receptio eius mala sit: sed solùm in pœnam, at pœna, non est executioni mandanda ante sententiam, vel præceptum iudicis, seu superioris; ergo eadem regula, in præsenti, seruanda est. Vnde Augustin. in dicto cap. *Miror*, specialiter dicit, *oblatio vero domus tuæ, à clericis ne recipiatur, iniũxi*, vel, *interdixi*; quia videlicet, sine ipsius præcepto, vel iudicio, non poterant ministri Ecclesiæ, alterius oblationem non recipere, seu illum ab oblatione excludere. Confirmatur, ac declaratur; Quia hæc est veluti excommunicatio quædam partialis, quia est priuatio cuiusdam Ecclesiasticæ communicationis; ergo non incurritur ipso facto, nisi in ipsa lege exprimatur.

Augustin.

14. Vera sentētia.

Circa rem hanc considerandum occurrit, duobus modis posse hanc pœnam, seu prohibitionem imponi: Primò, ex parte ipsius peccatoris, vt quando illi præcipitur, ne offerat, sicut fit in dicto cap. *De viro*, & dicto cap. *Tenorem*, & dicto cap. *Eos quos*. Secundò, fit prohibitio ex parte ministrorum Ecclesiæ, interdicendo eis, ne talium peccatorum oblationes recipiant, vt fit in dicto cap. *Miror*, & in dicto cap. *Oblationes*, & in dicto Concilio Laodiceno. Quando fit prohibitio priori modo, sine dubio non obligat peccatorem, vt ipse ab oblatione abstineat, donec per Ecclesiasticum Pastorem arceatur, nisi vbi lex aliud disposuerit, verbis satis expressis, quod in decretis citatis ex iure communi factum non inuenio, & hoc mihi satis probant rationes posteriori loco factæ. Et tunc, consequenti ratione, non tenentur Ecclesiæ ministri, oblationes tales non recipere, donec offerens, per sententiam superioris damnatus sit, vel declaratus, iuxta legis exigentiam, vel donec ipsis à superiori Prælato præcipiatur. Quia nullâ lege directè eis prohibetur receptio talium oblationum, vt supponitur, nec etiam consequenter; cum alteri non sit prohibita donatio; & alioqui talis receptio, per se, & naturâ suâ, mala non est, vt constat. At vero, quando prohibitio fit directè ipsis clericis, ne talium hominum obligationes recipiant; tunc non videtur necessaria sententia, sed sufficit, delictum esse publicum, quia illud præceptum, licèt redundet in pœnam peccatoris, respectu eorum, quibus directè imponitur, nō est pœnale, sed directiuum, & ita eos obligat ante omnem sententiam, & ideò satis est, quòd materia præcepti supponatur. Oportet tamen, factum esse notorium, & publicum, quia separatio illa, & quasi denegatio illius Ecclesiasticæ communicationis, publica est, & scandalum posset generare, nisi delictum esset publicum, & in hoc casu loquuntur Glossa, & Doctores allegati.

Cap. *Tenorem.* Ca. *Eos quos.* Cap. *Miror* Cap. *Oblationes.* *Concil. Laod.*

CAPVT VII.

Quibus personis, & de quibus rebus, faciendæ sint oblationes.

1. Conditiones requisitæ ex parte illius, cui fiūt oblationes.

DIximus de conditionibus requisitis ex parte offerentis: sequitur, vt dicamus de eo, cui debent huiusmodi oblationes fieri, & de qua materia fieri debeant. In priori puncto, breuiter considerandum est, oblationes has, principaliter offerri Deo, & secundariò, ministris eius, sed non omnes eodem modo. Dupliciter enim potest aliquid offerri Deo principaliter, scilicet; vt quod, & vt quo (vt præcisis, & Scholasticis verbis rem explicem;) interdum enim Deus ipse est persona, cui directè, & proximè res offertur, quo modo sacrificiū dicitur offerri soli Deo, aliquando, non Deus, sed homo est, cui directè, & proximè res aliqua donatur; ratio autem, propter quam proximè donatur, est ipse Deus, seu cultus eius, vt per talem donationem conseruari, seu promoueri possit; & sic decimæ dicuntur offerri Deo, licèt proximè ministris eius dentur. Oblationes ergò, sunt veluti mediæ, inter sacrificium, & decimas; vnde vtroque modo fieri possunt, vt sæpiùs dictum est; aliquando enim Deo ipsi immediatè offeruntur, ita vt proprium cultum eius immediatè contineant; & tunc, ex parte eius, cui offeruntur, conueniunt cum sacrificio, vt cap. 3. declarauit. Huiusmodi ergo oblatio, ex parte eius, cui directè offertur, solùm requirit, vt sit verus Deus; quia fit in recognitionem supremi dominij, & offertur quasi tributum soli Deo debitum.

Ille, cui fit oblatio, debet esse verus Deus.

2 Aliquando immediatè fit homini, sed ratio offerendi est Deus.

Aliquando verò fiunt oblationes directè, & immediatè hominibus, & tunc, vt oblatio sit religiosa (de qua sola nunc loquimur) oportet, vt ratio offerendi & donandi proxima, sit Deus, ac diuinus honor, & cultus; & hoc modo, pertinent ad oblationes multa, quæ ipsis sacerdotibus sponte donantur, vt ad Diuinum cultum nutriantur, & sustententur, & sic, etiam ad oblationes pertinent ea, quæ ad ornatum, vel ministerium sacrum, templis donantur. In his ergo oblationibus, ex parte eius, cui donatio fit proximè, & vt quod; postulatur vt sit Clericus, seu Dei minister in spiritualibus; vel persona, ad Diuinum cultum aliquo modo deputata, quia aliàs, oblatio non esset religiosa, nec ad cultum Dei pertineret.

3. Ius ad oblationes, est Ecclesiasticū & ad clericos pertinens. *Damas* Ca. 1. Ca. *Peruenit* *D. Thom.* *Alensis.*

Atque hinc constat, ius ad huiusmodi oblationes, seu ad res, quæ offeruntur, Ecclesiasticum esse, & spirituale, & quodammodo diuinum; ideóque solis Clericis, & Ecclesiasticis personis conuenire posse, vt declarat Damasus, in capit. vltim. 10. quæst. 1. Et idem sumitur, ex duobus antecedentibus capitulis & ex cap. 1. & cap. *Peruenit*, 16. quæst. 7. Idem tradit D. Thom. 22. quæst. 86. art. 2. Alens. 3. part. quæst. 53. mem. 2. & omnes. Et ratio est, quia ministerium Diuini cultus, & cura eius, & salutis animarum,

Ratio conclusionis.

rum, ad solos Sacerdotes, & Ecclesiasticos, per se A pertinet; & ideò, ad illos etiam pertinent omnia, quæ in diuinum cultum offeruntur: non tamen eodem modo, sed quædam, vt illorum vsui cedant, in eorúmque sustentationem consumantur: quædam, vt diuino cultui dicata maneant, & in eum finem conseruentur sub cura, & dispositione ministrorum Dei: quædam verò, vt in eodem diuino cultu, vel eleemosynis pauperum consumantur, iuxta varia genera oblationum, & intentionem offerentium.

D. Thom. Et in hoc sensu, dixit Diuus Thomas supra, *Oblationes pertinere ad Clericos, vel, vt in suos vsus eas conuertant, vel vt eas fideliter dispensent.* An verò acquirant earum dominium, vel solùm ius vtendi, ac dispensandi, quæstio generalis est de omnibus reditibus Ecclesiasticis, ac Decimarum, & Primitiarum; de qua alio loco, B vbi de beneficiis Ecclesiasticis tractabimus, differemus. Nunc solùm aduertendum est, quòd licèt ius oblationum, sit proprium Clericorum, res tamen ipsæ oblatæ, præsertim mobiles, si consecratæ non sint, possunt in Laicorum vsum conuerti, per donationem, vel alium iustum contractum, quia nec res illæ in se sacræ sunt, nec aliquo iure est prohibitum; secus verò est, post consecrationem talis rei, vt D. Thomas notauit ex Damaso in ca. *Hanc consuetudinem.* 10. quæstione 1.

19. Tribus modis sunt Religiosi oblationum capaces.

Sed quæres, an Monachi, seu Religiosi, sint capaces oblationum. Respondet D. Thomas dicto art. 2. ad 2. Religiosos tribus modis posse oblationes accipere, vel de illis participare. Primò, vt pauperes, per dispensationem sacerdotum. Secundò, si sint mini- C stri altaris, possunt recipere voluntarias oblationes. Tertiò, si annexam habeant animarum curam, seu Parochiam; tunc etiam oblationes debitas accipiunt. Vnde videtur fieri, vt Religiosi, quâ Religiosi sunt, non recipiant oblationes. Nam in primo modo, recipiunt vt pauperes, & ad illum effectum accidentarium est, quod sint pauperes voluntarij, vel necessarij: Prætérquam quòd non recipiunt proprium ius decimarum, sed vsum: Secundo autem modo recipiunt oblationes, non vt religiosi, sed vt ministri altaris; vnde si exerceant idem ministerium, non ex professione Religiosa, sed ex deuotione, poterunt etiam spontaneas oblationes recipere. Addo etiam, secundùm istum modum, non posse dici habere ius oblationum, sed capacitatem. Hanc verò, etiam ha- D bere possunt omnes personæ, peculiariter deputatæ diuino cultui, & orationi, potest enim intuitu diuini cultus, aliquid eis sponte offerri, habebitque veram rationem spontaneæ oblationis: In tertio verò modo Religiosi subeunt vicem Parochorum, & ideò proprium ius oblationum participare possunt, sicut etiam recipere possunt decimas, vt infra videbimus.

20. An possit cõsuetudo introduci vt clerici aliquid dent laicis. *Freder Senen. Rosel. Greg. Lopez. Syluest. Gutter. Menochi.*

Tractari etiam hic potest, an possit consuetudine introduci, vt in aliquo festo, & diuino officio, Clerici aliquid tribuant Laicis; vt, verbi gratia, in die festo Purificationis, cereos albos; vel quid simile. Hoc attigit Freder. Senen. cons. 155. & affirmat, posse valere talem consuetudinem. Sequitur Rosel. Ver. *Decima*, Additio ad Abbat. cap. 1. de consuet. num. 2. E Greg. Lopez in lib. 15. Tit. 17. part. 1. Illam verò Frederici resolutionem improbat Syluester; Ver. *Decima* num. 7. & in eandem partem inclinat Gutierrez, referens Menochium lib. 2. quæst. Canonic. cap. 21. numer. 156. Sed profectò, non est talis consuetudo per se, & intrinsecè irrationabilis, vt prævalere non possit, quia non fit eo titulo, vt Ecclesia soluat tributum Laicis, neque vt eis offerat, loco Dei: sed est donatio quædam cuiusdam rei sacræ, qua fideles iuuentur, & excitentur ad deuotionem. Vnde falsum est, quod Siluester ait, per illam consuetudinem, subiici Ecclesiam Laicis, non enim ita est, sed potius se ostendit matrem erga illos. Sicut sacerdos, dando aliis Eucharistiam, non se illis subiicit. Deinde, hac largitione non multùm grauatur Ecclesia. Sed ait Siluester, licet vna candela non sit grauamen, dare tamen multas, esse grauamen notabile. Dico tamen, in hoc rationem esse habendam, & multitudinis populi, & facultatis Ecclesiæ, vt non nimium grauetur, vel per eiusdem populi oblationes iuuetur; in quo, iudicio pastoris Ecclesiæ standum est, qui hoc modo potest consuetudinem temperare, & alia etiam incommoda cauere, quæ, cum accidentaria sint, non considerantur.

21. De cõditionibus rei oblatæ. *D. Thom.*

Vltimò dicendum superest de conditionibus rei oblatæ, de qua re egit D. Thom. dicta quæst. 86. art. 3. Ex cuius doctrina breuiter dicendum est, aliter loquendum esse de oblatione, quæ fit ex debito, & aliter de illa, quæ sponte fit: Nam quando oblatio fit ex debito, oportet vt res oblata correspondeat debito, id est, vt talis sit, qualis debetur; vt, verbi gratia, si debeatur oblatio ex voto, vt talis offeratur, qualis necessaria sit, ac sufficiat ad implendum integrè votum: Si verò debeatur ex consuetudine, aut Superioris præcepto, eas conditiones habeat, quas habet consuetudo, vel præceptum postulat. Ratio clara est, quia aliàs, non satisfit obligationi. Sed quid, si obligatio cadat in rem absolutè dictam? nunquid satisfaciet quis, offerendo quancunque rem talis speciei, etiam vilem, vel infimam; vel tenebitur optimam offerre, vt, verbi gratia, si lex præcipiat offerre oleum, satisfaciet ne, offerendo quodcúmque, etiam vilissimum, vel quale oportebit offerre? Idem de vino, & quacunque alia re simili, interrogari potest, & in materia voti, & similibus, eadem quæstio locum habet. Ad quod respondendum est, quando ex verbis legis, aut voti, aut intentione vouentis, huiusmodi circunstantiæ, rei offerendæ, determinatæ non sunt, tunc in primis considerandas esse circunstantias, & præsertim finem, propter quem res offertur, nam ex illis, sæpe determinari poterit qualitas, quæ in re oblata postulatur: Si verò, nec ex his circunstantiis satis colligi potest, arbitraria res est, & prudentis iudicio definienda; semper tamen cauenda est fraus, dolus, & ne aliquid contra reuerentiam, D Deo debitam committatur, iuxta illud Malach. 1. *Malach. 1.* *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum* (supple integrum & sine vitio) *& votum faciens, immolat debile Domino; quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, & nomen meum horribile in gentibus.* Itaque, quando obligatio simpliciter est de offerenda tali re, saltem intelligi debet de re sana, & integra, & vsui sacro accommodata, & illam offerens satisfaciet obligationi suæ; si autem optimum obtulerit, melius faciet.

Qualis res offerenda, quãdo obligatio est de re absolutè.

Expeditus quæstio.

22. Qualis res offerenda, in oblatione spontanea. *D. Thom.*

At verò quando oblatio est spontanea, tunc, ex parte rei oblatæ nulla specialis conditio requiritur, quasi positiuè (vt sic dicam) præter illam supra insinuatam; quod scilicet sit de bonis propriis, & non de alienis, propriis (inquam) vel quoad dominium vel saltem quoad dispensationem, & vsum, saltem ex licentia veri Domini, ita vt oblatio sine alicuius iniuria fiat. Quantitas verò rei offerendæ, ordinariè in his oblationibus spontaneis arbitraria est, vt D. Thom. & omnes notant, licèt consuetudine possit interdum etiam quantitas præscribi, vt suprà notatum est. Dico autem, non requiri specialem conditionem positiuam, quia generatim, seu negatiuè obseruare oportet, vt res oblata non habeat conditionem aliquam non decentem ad diuinum cultum. Qua ratione apud Malachiam dicto cap. 1. simpliciter *Malach. 1.*

pliciter dicitur esse malum, offerre Deo claudum, aut cæcum, quia, ex natura rei, videtur esse contra reuerentiam Deo debitam; vel quia, eius Maiestas videtur contemptui haberi; vel quia, per talem oblationem, non rectè significatur perfectio Dei, in efficiendis suis operibus. Regulariter autem, & secluso contemptu, & scandalo, non videtur hoc peccatum graue, etiam, si ex auaritia, vel negligentia procedat; quia oblatio est spontanea, & defectus rei oblatæ non est simpliciter contra substantiam oblationis, vt supponitur; sed contra perfectionem eius; & licèt aliquam indecentiam includat, regulariter leuis est: vt si quis, ad offerendum in Ecclesia, & maximè in sacrificio, vile triticum, aut vinum eligat; si verò eligeret iam corruptum, vt vinum, factum acetum, grauis esset culpa, quia esset contra substantiam oblationis.

CAPVT VIII.

De Præcepto soluendi Primitias.

1. Quid sint Primitiæ.

PRimitiæ sub oblationibus continentur, habent tamen specialem quandam rationem, & obligationem; & ideò, aliquid de illis in particulari dicendum est, cum D. Thom. dicta quæst. 86. art. 4. Alexand. 3. part. quæst. 52. Primitiæ igitur, dicuntur primi fructus frugum, terræ, vt ex Deut. 6. colligitur. Addit Hostiens. in Sum. Raimund. & alij, esse primam partem fructuum Domino offerendam; Sed non oportet hanc posteriorem particulam addere: quia, nec ex vi vocis significatur, nec pertinet ad rationem Primitiarum. Non enim ideò Primitiæ sunt, quia Domino sunt offerendæ; sed potiùs, quia sunt Primitiæ, id est, primi fructus frugum; ideò præcipiuntur Deo offerri. Potest autem dici fructus primus; vel origine, seu tempore, quia priùs maturescit, & ante alios colligitur; vel dignitate, quia est cæteris melior, aut pinguior. Interrogari ergo potest, an Primitiæ dicantur primi fructus tempore, vel bonitate, id est, optimi. Nam in modo loquendi Scripturæ videtur esse in hoc aliqua ambiguitas; nam Numer. 18. sic dicitur, *Primitias, quas vouerint, & obtulerint filij Israel, tibi dedi*, &c. Quæ autem istæ Primitiæ, ita explicatur: *Omnem medullam olei, vini, ac frumenti, quicquid offerunt Primitiarum tibi dedi.* Vbi medulla vocatur, id quod est optimum; & hoc ipsum, nomine Primitiarum, significatur.

D. Thom. Alex. Deut. 6. Hostiens. Raimund.

Primitiæ an sint primi fructus, an meliores.

Num. 18.

2. Solutio q. *Abulens.*

Dicendum tamen est, licèt nomen Primitiarum varium sit, & multiplex in Scriptura, vt latè tractat Abulens. in cap. 23. Matth. à quæst. 209. & Exod. 25. Num. 18. & sæpè aliàs: Nihilominùs vt significat materiam propriam illius præcepti de Primitiis quotannis soluendis, non à dignitate, sed ab ordine temporis sumptum est, id est, non optimos, fructus, sed primos significat. Ita enim explicatur statim in eodem cap. 18. Num. *Vniuersa frugum initia, quæ gignit humus, & Domino deportantur, cedent in vsus tuos.* Et infrà: *Quicquid primum erumpit de vulua, &c.* Itaque, sicut primogenita dicuntur, primi fœtus animalium, etiam si optima non sint; ita Primitiæ, secundùm ordinem originis considerantur, non secundùm bonitatis gradum. Denique, in præceptis tradendis, vox in propria significatione accipitur; Primitiarum autem vox, propriè significat primos in origine fructus; aliæ verò significationes, Metaphoricæ sunt. E' conuerso autem ijdem Primitiarum fructus, per quandam Metaphoram, vocantur medulla; vel quia multum solent æstimari; vel quia ordinariè solent esse præcipui, vel vt tales reputari. Et hoc significauit D. Thom. dicta quæst. 86. art. 4. infra verò, aliam expositionem trademus. Circa hoc ergo Primitiarum præceptum; primò videndum est, quid ius naturæ statuat; deinde, quid fuerit in veteri lege præceptum; ac tandem, quid in lege noua obseruandum sit.

Num. 18.

D. Thom.

Circa primum; aliqui existimant, præceptum offerendi Deo Primitias factum naturale esse, ac subinde, pertinere ad ius diuinum morale: Quod videntur sentire multi ex auctoribus, qui dicunt, præceptum de soluendis Decimis, esse de iure naturali, quos seq. cap. referemus: Nam eodem fere modo loquuntur de præcepto Primitiarum, nam Primitiæ, eodem modo censentur debitæ, quo Decimæ, iuxta Glossam in §. *His ita* vers. *Et Primitias* post cap. 1. 13. quæst. 1. ex cap. *Reuertimini* 16. quæst. 1. Et hoc videtur tenere Andr. Hispan. tract. de Decim. quæst. 8. quem sequitur Rebuf. tract. de Decim. quæst. 1. num. 21. Dicunt enim, non valere consuetudinem contra præceptum de soluendis Primitiis, quia est contra gratitudinem, & honorem Deo debitum. Et potest hæc sententia suaderi ex vsu antiquissimo honorandi Deum, Primitias frugum, vel cum proportione, primogenita pecorum ei offerendo: sicut de Abel legitur, Genes. 4. obtulisse *Domino de primogenitis gregis sui*, & Plinius, libro 18. c. 2. refert, Romanos olim non priùs degustasse nouas fruges, aut vina, quàm Sacerdotes Primitias libassent, & multa similia, ex antiquitate, refert Alex. ab Alex. lib. 5. Genial. cap. 18. Tiraquel. de primogen. in Præfat. num. 65.

3. Aliqui dicunt esse primitias de iure diuino naturali.

Gloss. Cap. 1. Ca. Reuertimini. Andr. Hispan. Rebuf.

Genes. 4. Plin.

Alex.

Tiraquel.

Sed hæc sententia, si de proprio præcepto intelligatur, probabilis non est. Tria enim in Primitiis distingui possunt. Vnum est, quod aliqua pars fructuum Deo, in recognitionem beneficij, offeratur; Secundum est, vt illa pars sit primorum fructuum. Tertium, vt sit in tanta quantitate. Quoad hoc tertium, omnes fatentur, nihil esse determinatum, de iure naturali, in solutione Primitiarum; imò nec de iure positiuo diuino, aut humano id definitum est; sed arbitrio offerentium relinquitur, vel consuetudine interdum determinatur, vt videbimus. Vnde in hoc differunt Primitiæ à Decimis, quòd Decima in rigore sumpta, dicit certam partem aliquotam fructuum, vt vox ipsa præ se fert: Primitiarum verò præceptum non dicit partem certæ quantitatis, etiam proportionalis, sed absolutè primam partem fructuum. De secundo etiam manifestum est, nullum esse præceptum naturalis iuris obligans ad colendum Deum per oblationem primorum fructuum. vt rectè docuit D. Thom. dicto art. 4. quem omnes sequuntur, & Henric. Boic. in capit. 1. de Decimis. Et fatetur etiam Rebuf. suprà numer. 22. vbi hac ratione dicit Primitiarum præceptum in lege veteri non fuisse morale, sed iudiciale. Ac denique est communis, & certa sententia: Quia nulla ratio naturalis dictat esse ad honestatem morum necessarium, offerre Deo primos fructus; quia aliis modis, & oblationibus potest coli Deus, & ostendi gratitudo ad ipsum, quantum satis sit ad non peccandum, vt ex dictis in cap. 3. apertè constat, & ampliùs statim declarabitur.

4. Tria in primitiis considerada.

D. Thom. Henr. Boic. Rebuf.

De tertio verò, ait D. Thom. supra, *Pertinere ad ius naturale, vt homo, de rebus suis, aliquid Deo exhibeat, in eius honorem.* Et sequitur Caiet. ibi & Anton. 2. p. tit. 4. cap. 3. §. 3. & latè Didac. Per. in lib. 1. ordinat. tit. 5. li. 1. Et in re consentit Abulens. Matth. 23. q. 221. Nam fatetur de iure naturali esse, vt aliud detur Deo, in recognitionem; vnde sine causa reprobat D. Thom. sententiam, cum re vera nihil aliud dicat. Veruntamen etiam illud dictum D. Thom. explicandum est, iuxta dicta in capit. 3. dici de iure naturali; non quia sit de absoluto præcepto legis naturalis, cum præceptum naturale colendi

5. Quo modo primitiæ dicatur de iure naturali.

D. Thom. Caietan. Anton. Didac. Per. Abulens. D. Thom.

colẽdi Deum, possit aliis modis impleri, si omnis determinatio iuris positiui excludatur: Sed dicitur pertinere ad ius naturale, quia habet quandam honestatem, & congruentiam moralem, valde consentaneam naturali rationi, & quia ipsa natura valde inclinat ad hunc modum colendi Deum, & recognoscendi eum, vt supremum benefactorem, & auctorem bonorum fructuum.

6. Obiectionibus impugnatur.

Occurrit vero statim obiectio: Quia hoc modo etiam, Primitiarum oblatio est de iure naturali, quia, etiam in oblatione primorum fructuum, est peculiaris congruitas, & aptitudo ad significandum gratum animum ad Deum, tanquam ad primum auctorem omnium fructuum, & maximum benefactorem, & supremũ dominum, cuius est terra, & plenitudo eius. Item inter homines est peculiare signum beneuolentiæ, donare amico primos fructus arboris, & si id fiat ab Inferiori, respectu Superioris, est signum peculiaris reuerentiæ; & hoc fit dictãte, & inclinante natura; ergo, in dicto sensu, dici potest de iure naturali; ergo idem à fortiori verum est, de oblatione Primitiarum facta Deo; Denique hoc ostendit antiquitas huius cõsuetudinis, etiam inter Gentiles, vt diximus. Respondeo, hæc argumẽta probare locutionem illam, in bono sensu expositam posse, vt veram admitti; nimirum, oblationem Primitiarum, etiam quoad eam circunstantiam, scilicet, vt de primis fructibus soluatur tributum, esse de iure naturæ, non vt simpliciter necessarium, sed vt honestum, congruum, & conforme naturali dictamini, & propensioni. Nèque hoc negat D. Thomas; nam in eodem art. solut. ad 1. ait, huiusmodi oblationem Primitiarum, esse retentam in lege gratiæ, quia est secundum dictamen rationis naturalis. Inter has ergo circunstantias, solùm potest differentia hæc constitui, quòd offerre aliquam partem fructuum, abstrahendo à prima, vel alia qualibet, generalius quidem est, & ideò immediatiùs dictatur à ratione naturali, & moralem quandam necessitatem, seu congruentiam habere videtur maiorem, quam oblatio ex Primitiis fructuum.

Satisfit.

D. Thom.

7. Caiet. An primitiæ prout à sacrificio distinguuntur sint de iure naturæ.

Interrogat autem Caietan. in dicto art. an oblatio Primitiarum, vel alicuius partis fructuum, intelligatur esse hoc modo de iure naturæ, etiam vt est distincta à sacrificio, vel solùm, vt in ipso sacrificio fieri, & includi potest; & respondet, intelligendum id esse de tali oblatione, vt distincta à sacrificio; quia in hoc sensu, de illa tractat D. Thom. & in alio sensu, nihil suo discursu conficeret. Addit tamen Caieta. sacrificium, esse quasi per se de iure naturali; oblationem vero Primitiarum, vt distinctam à sacrificio, solùm esse de iure naturali, suppositâ indigentiâ ministrorum. Sed dico, in rigore iuris naturalis stando, vnica oblatione sacrificij, satisfieri posse rationi naturali, dictanti; Deo esse offerendam aliquam partem fructuum, etiam primam, in recognitionem dominij, & beneficiorum eius; siue intelligatur hoc dictari, vt necessarium; siue, vt congruum, & consentaneum rationi naturali. Patet, quia Primitiæ directè, & proximè Deo ipsi offeruntur, in cultum & honorem, & non ministris eius: licèt consequenter ad vsus eorum applicari soleant, quod sanè pendet ex institutione: nam possent etiam pauperibus applicari, vel permanenter conseruari, aut suspendi in signum honoris, donec per se consumerentur, & perirent. In quo differunt Primitiæ à Decimis, quæ directè, & proximè ministris soluuntur, & conueniunt cum sacrificio ex sententia eiusdem D. Thom. & omnium. Ergo Primitiæ fructuum possunt simul & Deo offerri, & in oblatione ipsa aliquid sacrum circa ipsas exerceri; ergo illâ vnicâ actione, posset in rigore satisfieri & cultui sacrificandi, & recognitioni Diuini beneficij, per oblationem Primitiarum: Non enim est de ratione huius recognitionis, vt oblatio Primitiarum simplex sit, & sine aliqua consecratione, quin potiùs quò actio fuerit magis sacra, eò aptior erit ad gratias Deo agendas.

8. Obligationi Primitiarũ sacrificij per vnã actionẽ posse satisfieri.

Nec etiam est necessarium, vt Primitiæ Deo oblatæ saluæ conseruentur, sed possent comburi, vel alio modo consumi in Dei honorem; non enim offeruntur Deo, quia illis egeat; sed solùm in signum reuerentiæ, & gratitudinis. Et quòd cedant, vel cedere possint in vsum ministrorum, est per accidens; nam ex Decimis, vel aliunde possent sustentari. Nec denique obstat, quod sacrificium, & Primitiæ sub diuersis rationibus, offerri Deo videantur: sacrificium enim Dei maiestatem, & excellentiam secundum se respicit, & protestatur; oblatio autem Primitiarum, ipsius beneficentiam, & singularem prouidentiam recognoscit: Nam licèt hoc ita sit, vtrunque potest eâdem oblatione sacrâ significari; illud, quatenus in Dei honorem res consumitur; hoc verò, quatenus materia ipsa oblata, ex primis terræ fructibus, ad Deũ honorandum offertur. Atque hoc modo vtrique rationi, & obligationi satisfecit Abel, offerendo Deo primogenitos gregis sui, & illos mactando, & sacrificando. Et idem intelligi potest, in oblatione Cain, ex fructibus terræ; potuit enim esse ex prima parte fructuum, & per modum sacrificij comburi. Et in lege veteri oblatio Primitiarum non fiebat sine aliquo genere sacrificationis, vt mox dicemus. Et in nostro Diuino Sacrificio, etiam offerimus Deo Primitias omnium beneficiorum Dei, quia Christum offerimus, qui est Primogenitus mortuorum, & Primitiæ resurgentium, & primus prædestinatus, in gloriam nostram.

9. Oblationem primitiarum distinctam à sacrificio fieri, consentaneũ est iuri naturæ.

Nihilominùs tamen dicendum etiam est, consentaneum esse iuri naturali, vt præter sacrificium proprium, offerantur Deo Primitiæ, oblatione distincta, etiam sine indigentia ministrorum. Declaratur, & probatur; quia non dicitur hoc esse de iure naturali, quia præceptum illo iure, sed quia ratio naturalis ad id inclinat, dictando esse honestum, & congruum, vt iam explicatum est. At ratio naturalis inclinat ad colendum Deum, non tantùm vno modo, sed multipliciter; non tantùm corde, sed etiam ore; nec tantùm ore, sed etiam gestibus corporis; neque his solùm, sed etiã aliis actionibus, & rebus externis; ergo cum sacrificatio, & oblatio Primitiarum, ad diuersos fines ordinentur, satis consentaneum rationi est, vt rebus, & signis, seu oblationibus diuersis fiant. Nec esset ridiculum (vt Caiet. obiicit) offerre Deo simpliciter Primitias, etiam sine indigentia ministrorum; tum quia possent priùs simpliciter offerri in signum gratitudinis ad Deum, & posteà ab ipsis offerentibus consumi; nõ ita, vt consumptio esset veluti pars actionis sacræ, sed solùm ad propriam sustentationem; sicut Dauid comedit de panibus propositionis: tum etiam, quia possent suspendi in loco Deo dicato, vel in propria domo, in signum, & memoriale permanens beneficiorũ Dei: sicut nunc interdum, & spontanea pietate fieri videmus in floribus, & nonnullis primis fructibus. Et Hæc sunt satis, de oblatione Primitiarum, stando in iure naturæ.

10. De præcepto Primitiarum in lege veteri.

De tempore autem legis veteris, certum est sæpiùs latum esse præceptum de Primitiis Deo offerendis. In quo præcepto, in primis continebatur quidquid ex vi legis naturalis desiderari poterat, vt per se constat; addebantur autem plures circunstantiæ, vel determinationes, quas ratio naturalis, vel non exigit, vel etiam non dictaret per se solam; sed ex peculiaribus occasionibus fuerunt illi populo, tempori, ac legi accommodatæ, secundùm ordinem diuinæ Sapientiæ. Nam in primis, præceptum fuit illi

illi populo, peculiari modo, offerre Deo primogenita. *Tam de hominibus, quàm de iumentis.* Exod. 13. Quod fortasse ratio naturalis non assequeretur, præsertim quoad proprios filios; nec etiam fortè extenderetur ad primos fœtus omnium aliorum animalium, sed satis esse crederet aliquos offerre, præsertim ex his pecudibus, quæ ad cibum, & vestitum corporis humani maximè inseruiunt. Deinde ampliatum est illud præceptum *Ad Primitias omnium frugum*, Exod. 23.34. Num. 28. Deut. 26. Vnde August. lib. quæst. in Num. q. 32. distinguit primitiuos fructus animalium, à Primitiis, quas dicit fuisse ex primis fructibus terræ iam collectis, nam in dictis locis, hæ vocantur *Primitiæ frugum terræ:* generaliùs tamen nomen *Primitiarum*, etiam primogenita animalium comprehendere potest. Addit verò Abulens. sub nomine Primitiarũ, non fuisse comprehensos in veteri lege fructus arborum; nam ex Primitiis fructuum arborum, ait, nihil erat debitum Deo; quod non ex Scriptura, sed solùm ex quadam traditione Rabbinorum confirmat. Oppositum verò sentit August. dicta qu. 32. in Num. ibi. *Vel de arbore, vel de vite.* Et videtur planè colligi ex allegatis locis Scripturæ, in quibus sic dicitur: *Primitias frugum terræ tuæ offeres.* Constat autem nomine frugum, etiam fructus arborum comprehendi in omni proprietate latini sermonis; vnde Vatabl. vertit, *Principium primitiuorum fructuum terræ tuæ inferes in domum Domini Dei tui*; at fructus arborum fructus sunt terræ, vt notum est; non potest ergo illa limitatio admitti: Maximè cum Deut. 26. addatur distributio *De cunctis frugibus terræ*, seu *cunctorum fructuum telluris*. Erat ergo materia huius præcepti, vniuersalis de omnibus fructibus, qui ad sustentationem corporis humani, deseruire poterant.

Exod. 13. — Exod. 23. & 34. Num. 28. Deut. 26. August. — Abulens. — August. — Vatab. — Deut. 26.

11. Multiplex primitiarum oblatio. August.

Tertiò, non vna tantùm erat Primitiarum oblatio, sed multiplex; vnde August. dict. q. 32. præter primogenita animalium, distinguit duplices Primitias frugum terræ: Quædam specialiter offerebantur ex ipsis fructibus arborum, aut segetum ante generalem fructuum collectionem, aliæ verò soluebãtur de fructibus iam redactis ab agro. De prioribus Primitiis videtur esse sermo Leuit. 2. cùm dicitur: ¶ *Si obtuleris munus Primitiarum tuarum Domino de spicis adhuc virentibus, torrebis igni, & confringes in morem farris, & sic offeres primitias tuas Domino.* Et ex illo loco colligitur, illam nõ fuisse simplicem oblationem, sed per modum sacrificij, vt notat D. Thom. 1.2. q. 102. art. 3. ad 12. De eodem Primitiarum genere videtur fuisse manipulus spicarum, qui Leuit. 23. ferri præcipitur ad Sacerdotem tanquam Primitiæ messis in festo Azimorum. Item panes etiam Primitiarum, qui offerebantur in Pentecoste, vt ibidem habetur. At verò aliæ Primitiæ offerebantur, vel dabantur Sacerdotibus ex fructibus iam collectis, & congregatis in dolio, vel in area, aut alio simili loco, & de his Primitiis videtur specialiter sermo esse Deut. 26. cum dicitur: *Tolles de cunctis frugibus terræ, &c.* Quod fieri solitum fuisse in festo Tabernaculorum, notat Abul.

Leuit. 2. — D. Thom. — Leuit. 23. — Deut. 26.

12. Primitiarũ quantitas non certa. Vide Abul.

Itaque ante Decimarum computationem, & exactionem aliquid pro Primitiis soluebatur, quod non erat in determinata quantitate taxatum, sed pro arbitrio soluentium dabatur. Vsu autem receptum erat, vt ex fructibus terræ ad summum daretur pars quadragesima, & ad minimum sexagesima, vel inter hæc duo extrema pro voluntate offerentium, vt Hieronym. tradit Ezech. 45. & ex eo refertur in ca. 1. *De Decimis.* Addit verò Hieronymus, propter Sacerdotum auaritiam, & duram exactionem determinatam esse ibi ab Ezechiele propheta quantitatem offerendam in Primitiis, quod in lege prætermissum fuerat. Dices, quomodo poterant Primitiæ ex fructibus omnibus iam collectis deduci, cum illic iam non posset fieri distinctio inter primos, & cæteros fructus? Respondeo, vel tunc quantitatem aliquam fuisse solutam loco Primitiarum, etiamsi non fuisset prima, quæ collecta, vel maturata fuerat, vel debuisse esse primam partem, quæ ex tali cumulo extraheretur, vel certè tunc locum habet, vt ex optimis fructibus pars aliqua eligeretur, quæ pro Primitiis penderetur.

Hieron. Cap. *De Decimis.*

Dubitationi satisfit.

Quartò habebat hæc Primitiarum oblatio peculiarem determinationem in illa lege ex parte causæ: Tum quia non tantùm offerebatur in recognitionem generalium beneficiorum Dei, qui & terram ipsam hominibus dedit, & fructus eius multiplicat, sed specialiter in memoriam peculiarium beneficiorum illi populo collatorum, tam in liberatione de terra Ægypti, quàm in donatione terræ promissionis, vt ex allegatis locis cõstat, præsertim Deut. 26. Tum etiam quia peculiariter applicatæ fuerunt Primitiæ Aaron, & filiis eius, Num. 18. Rationem autem illius applicationis reddit D. Thom. dicto art. 4. Quia Primitiæ singulariter offerebantur tanquam supremo benefactori, & quia Sacerdos est sequester, & specialis intercessor ad Deum pro populo, ideò peculiariter, & in signum maioris dignitatis applicatæ fuerunt Sacerdotibus, Leuitis autem tanquam inferioribus Decimæ donatæ fuerunt, ipsi verò etiam Decimas Decimarum Sacerdotibus tribuebant, quæ nomine etiam Primitiarum aliquando in Scriptura appellantur. Et hæc de veteribus Primitiis nostræ intentioni sufficiunt, alia legi possunt in Abulensi, & aliis expositoribus veteris Testamenti.

13. Quæ causæ offerẽdi Primitias in lege veteri. — Deut. 26. — Num. 18. D. Thom. — Abulens.

Vltimò ergo dicendum superest de tempore legis gratiæ. De quo, primò certum est latum esse in Ecclesia Christi præceptũ aliquod soluendi Primitias Deo. Ita docent Theologi omnes, & Canonistæ, & Glossa suprà citata in cap. 13. qu. 2. Primitias æquiparat Decimis quoad præcepti obligationem, & idem tradit Glossa in cap. 1. de Decimis, ver. *In Primitiis*, & colligitur ex Hier. in eodem textu relato: Et hoc ad minimum affirmat Malac. 3. & refertur in ca. *Reuertimini*, 16. q. 1. idémque supponit Gregor. 7. in cap. *Decimas*, 16. qu. 7. & Orig. dicta Hom. 11. in Num. & Ambros. serm. 33. Fauent etiam Concil. Arelat. 3. c. 9. & Conci. Foroiul. c. 14.

14. In lege gratiæ est præceptum soluendi Primitias. Gloss. Hieron. Malach. 3. Cap. *Reuertimini.* Gregor. Origen. Ambros. Concil. Arel. Conc. Foroiul.

Secundò verò etiam est certum, hoc præceptum non durare in Ecclesia ex vi præcepti legis veteris, quia (vt ostendimus) illud non fuit morale, seu naturale, sed merè positiuum, siue iudiciale fuerit, siue (quod magis videtur) cæremoniale: At illa lex quoad vtraque præcepta cessauit, ita vt nec obseruari possit ratione antiquæ obligationis, nec retineri, seu renouari quoad cæremonias, quæ specialiter ad illum populum pertinebant. Vnde fit, vt solutio Primitiarum, quæ in noua lege retinetur, abstrahat ab omni peculiari determinatione veteris legis, quia non præcipiuntur Primitiæ in recognitionẽ beneficiorum liberationis ex Ægypto, aut donationis terræ promissionis, sed præcipuè ad Ecclesiæ sumptus, & consequenter in recognitionem quasi naturalem beneficiorum Dei, & prouidentiæ ipsius. Nec determinatio quantitatis Primitiarum olim introducta modo ab Hieron. relato nunc durat, sed omninò arbitraria est. Nec applicatio specialis Sacerdotibus facta nunc retinetur, sed indifferenter Primitiæ cum Decimis, Clericis, Ecclesiis, & pauperibus dispensantur. Denique hæc Primitiarum solutio non videtur nunc in Ecclesia retineri per modum propriæ oblationis, quæ directè, & proximè Deo fiat: sed per modum tributi ad onera Ecclesiæ sustentanda, quia vbicunque in Iure fit mentio Primitiarum, in hunc finem

15. Hoc præceptũ non durat in Ecclesia ex vi legis veteris.

præcipuè instituta esse declaratur, eodem modo, quo Decimarum solutio, nec in Ecclesia est aliquis vlus aliter offerendi Primitias in templo, vel ad altare. Et ita omnia, quæ in illo præcepto veteri cæremonialia fuerunt, in lege noua cessarunt. Et consequenter sublata est illa multiplex Primitiarum oblatio, quia tota illa in cæremoniarum ritu fundabatur. Quamuis non propterea prohibitum sit, quin manipulus spicarum, vel aliorum fructuum possit in Ecclesia offerri, vel suspendi in signum gratitudinis, & gratiarum actionis, dummodo ex deuotione, non ex ritu legis id fiat, quia illud per se morale est, & nullum vestigium superstitionis habet.

16. Obligationem Primitiarum posse consuetudine variari, & auferri.

Tertiò hinc constat, obligationem hanc soluendi Primitias, posse consuetudine non solùm minui, variari, & augeri, sed etiam omninò auferri. Quod affirmant Doctores in. i. puncto citati contra Rebuff. & Andream Hispan. Estque sententia communis, & clara: Quoad priorem quidem partem; quia in tali præcepto nulla quantitas determinata est, ergo de se est arbitraria, ergo potest consuetudine determinari, ergo & variari, vel in diuersis locis, vel in eodem pro diuersis temporibus: Nam humanæ consuetudines sunt variabiles etiam sine malitia. Quoad alteram verò partem; patet, quia consuetudo potest prævalere contra legem humanam. Idem à fortiori constabit ex his, quæ de Decimis statim dicemus, est enim eadem ratio. Vnde quia (vt dixi) Primitiæ hoc habent commune cum Decimis, quod propter sustentationem ministrorũ exigantur semper subintelligendum est, tunc valere dictam consuetudinem, quando ad sustentationem ministrorum Primitiæ non sunt necessariæ, nec ad alia Ecclesiæ onera sustentanda, tamen quia regulariter satis prouisum his est, aut prouideri potest per alias oblationes, & Decimas, & possessiones, seu reditus Ecclesiasticos, ideò moraliter loquendo talis consuetudo valet. Imò ex communi sententia Doctorum in hac materia pro regula huius obligationis habenda est, tàm quoad gradum obligationis, quàm quoad quantitatem soluendam, & quoad personas, quæ ad Primitias soluendas obligantur, & quoad loca, vel personas, quibus reddendæ sunt, vt sumitur ex Innocent. & aliis in cap. 1. de Decimis, Siluest. ver. *Decima* quæ. 1. circa finem, vbi alibi refert, vnde quæ de Decimis quoad hanc partem dicturi sumus, ad Primitias poterunt applicari.

Innocent. Siluest.

CAPVT IX.

De Præcepto soluendi Decimas, An sit in Euangelica lege.

1. Præceptum hoc est in Ecclesia, & ad virtutẽ Religionis pertinet.

PRæceptum hoc esse nunc in Ecclesia tanquam certum supponimus; quinque enim Ecclesiæ præcepta fidelibus communia etiam inter ipsa fidei rudimenta traduntur, & quintum eorum est de Decimis soluendis, sicut de Primitiis diximus: & statim allegabimus Iura, in quibus fundatur. Deinde præceptum hoc ad Religionis virtutem pertinere, supponit D. Thom. 22. qu. 87. & cum eo Theologia omnis: Quod non caret aliqua difficultate, quia videtur potiùs pertinere ad iustitiam, sed explicando modum, & fundamentum illius præcepti, explicabimus quomodo id verum sit. Nunc solùm supponimus tanquam manifestum, hoc præceptum trahere necessitatem suam à virtute Religionis, & à quibusdam actibus eius, tanquam ex primaria radice. Dictum est enim ad officium Religionis pertinere, vt sit in Ecclesia Sacrificium, & cætera omnia, quæ ad illius religionem, & debitum cultum communem, & publicum Dei necessaria sunt, ad quem etiam pertinent omnia sacramenta, & sacramentalia. Hinc ergo factum est, vt in Christiana Republica sint maximè necessarij ministri ad hoc sacrificium, & ad hunc Dei cultum specialiter deputati, quibus cõsequenter spiritualis cura, & regimen animarum peculiariter commissum est, quia medio sacrificio, & sacramentis, simul cum vera fide & verbo Dei, animarum salus procuratur.

D. Thom.

2. Quale fuerit in Ecclesia instituendi Decimas fundamentum.

Hoc ergo fuit primarium Decimarum fundamentum, nam hi Ecclesiæ ministri corporali sustẽtatione indigent, & non debent à diuino cultu, & aliis spiritualibus muneribus abstrahi, vt sibi necessaria ad vitã transigendam procurent: Tum quia neq; id erat decens, vel conueniens ad diuinum cultum, neq; ad bonum animarũ erat vtile: Tum etiam quia ratio postulat, vt qui laborant aliis spiritualia ministrando, ab eisdem corporaliter alantur, vnde est illud Paul. 1. ad Corinth. 9. *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est, si carnalia vestra metamus?* Et iuxta alia testimonia, & Iura, quæ infrà referemus. Hinc Doctores omnes duo distinguunt in Decimis soluendis, vnum est, vt ministris Ecclesiasticis congrua sustentatio tribuatur: Aliud est, vt ad hunc finem designetur decima pars fructuum, & illa reddi præcipiatur. Nam primum de se abstrahit à quota parte, vt vocant, posset enim esse maior, vel minor ad sustentandos ministros necessaria. Vnde si de illa tantùm congrua sustentatione sermo esset, vel nihil, vel parũ difficultatis haberet, quia ex suppositione facta, & ex tali statu Reipublicæ fidelis ratio ipsa naturaliter dictat, illam sustentationem esse debitam lege non tantùm Religionis, sed etiam naturalis iustitiæ, ad quam pertinet illud Pauli citato loco, *Quis militat suis stipendiis vnquam?* Et illud: *Non alligabis os boui trituranti*; Et illud: *Qui in sacrario operãtur, quæ de sacrario sunt, edunt; & qui altari deseruit, cum altari participat.* Hic autem non de sustentatione in genere, sed de propria decima tractamus.

D. Paul. 1. ad Cor. 9.

3. Triplex Decimarum distinctio proponitur.

Est igitur quæstio, an præceptum soluendi decimam partem fructuum naturale, aut positiuum, diuinum, aut humanum sit. Quia verò ad intelligendas opiniones, & ad claritatem materiæ oportet terminos exponere, ideò aduertere necesse est, duplices, vel triplices Decimas solere distingui, scilicet prædiales, & personales, quibus Hostiensis in principio huius materiæ in summa, mistas addit, quem Angel. Siluest. & alij secuti sunt. Et latè Nauar. cons. 1. De Decim. Prædiales dicuntur, quæ ex fructibus prouenientibus ex terra, seu prædiis resultant, vt sunt frumentũ, vinum, & oleum, & sub his etiam continentur omnes fructus arborum, & olera, & siqua sunt similia. Personales dicuntur, quæ ex lucro per negotiationem, vel per quancunque actionem personæ comparato soluuntur, iuxta cap. *Ad Apostolicæ*, & cap. *Non est.* & cap. *Pastoralis* de Decimis, vt ex mercatura, venatione, opificio, & similibus: In his enim exempla posuit Augustin. relatus in cap. *Decimæ*, 16. quæ. 1. Mistæ dicuntur, quæ ex fructibus animalium debentur, vt ex ouibus, & similibus, siue sint fœtus ipsi, siue lana, caseus, & similia: Vocantur autem hæ Mistæ, quia non proueniunt ex solis prædiis, sed ex illis simul cum industria hominum.

Hostiens. Angel. Siluest. Nauar. Prædiales.

Personales.

Cap. Apost. Cap. Non est. Cap. Pastoralis. D. August. Cap. Decimæ. Mistæ.

4. Mediæ decimæ impugnantur.

Fortasse tamen hoc membrum non est necessariũ, quia nullæ ferè sunt prædiales Decimæ, quæ iuxta illam considerationem non possint dici Mistæ, quia nulli essent terræ prouentus, si industria hominum ad illos non cooperaretur, plantando, rigando, triturando, quibus modis cooperatur homo ad fructus animalium, custodiendo, pascendo, &c. Et quamuis negari nõ possit, quin circa animalia maior industria & custodia hominum requiratur, tamen in ipsis prædiis hoc ipsum reperitur, maiorem enim industria requirũt segetes, quàm arbores, & inter arbores maiorem olliæ, quàm poma. Vnde Iurisperiti, ipsos prædiales

fructus

fructus distinguunt in naturales, & industriales, vt notauit Couar.lib.1.Var.c.3.n.6. cum Glos. in l. *Diuortio* ver.*fructus*,ff.solut.Matri.Non quia in prioribus nulla sit necessaria industria,& in posterioribus nihil operetur natura, sed quia in illis multùm facit natura cum parua industria, in his verò multa industria necessaria est vt iuuetur natura ; & ita fructus arborum vocant naturales,segetum industriales, & oleum inter industriales ponunt, vt patet per Bart.in l. *Ex diuerso* C. de Rei vendi. Et eadem ratio est de vino, vt indicatur in l. *Seium* ff. de leg. 1. Et hoc modo etiam lac, lana, & animalium fœtus inter industriales fructus numerantur à Bart.suprà, & Bald.in l. *Ancilla*, C. de Fur.& Panor.in c. *Grauis* de Recti.spoliat.Qui addunt alios fructus, quos ciuiles vocant, vt pensiones domorum,& similes,quos tamen Baldus industriales etiam vocat in l.vlt.C. de vsuris,& fructibus legatorum. Omnes ergò Decimæ horum fructuum Prædiales censendæ videntur, nisi velimus tot membra Decimarum distinguere, quot fructuum distinguuntur: vnde Glos. in dicto cap. *Ad Apostolicæ*, duo tantùm membra ponit,& animalium Decimas inter Prædiales computat, eámque communiter approbari restatur Nauar.d.consi.1.de Decimis.n.8. Et habent fundamentum in textu; nam duo tantùm membra ponit, cóstat autem apud omnes illas Decimas nó esse Personales. Et ad tollendá ambiguitatem cótra Personales Decimas possent distingui Decimæ Reales,quæ omnes dictas comprehendant, vt indicauit Tyndarus tract.de Decimis n.4. Differentiáq; inter eas est,quòd Personales sunt ex lucris prouenientibus ab actionibus merè personalibus, vt sunt corporales, & artificiales omnes,vel doctrinales;& inter has etiamvenatio,& piscatio computantur,vt notauit. Innoc. in ca. *Non est*,de Decimis,& Tynda. suprà. Reales verò, seu Prædiales sunt ex bonis prouenientibus à rebus distinctis à nobis, quas possidemus : Interdum autem breuitatis causa vtemur nomine Mistarum ad significandas Decimas ex fructibus animalium,vbi specialis difficultas circa eas occurrerit. Non est autē semper facile discernere an aliqua Decima sit Realis, vel Personalis, cum tamen id multum interfit ad scien- D dum cui soluenda sit. Sed hoc pendet ex dicendis, & præcipuè in c.19.explicabitur.

Couar. Gloss. — *Bart. Bald. Panor.* — *Nauar.* — *Tyndarus.* — *Innocent.*

5. 1. Assertio præceptū soluendi Decimas non est de puro iure naturali.

His positis, de præcepto soluendi Decimas vnum cōstat apud omnes, scilicet non esse de puro iure naturali,secluso omni positiuo diuino & humano,quia nulla ratio naturalis dictat, necessarium esse ad honestatem morum dare decimam partem prouētuum Sacerdotibus ad suam sustentationem ; quia nec certum, nec euidens est illam copiam esse illis necessariam,aut esse iustum stipendium. Vnde hoc non solùm est verum loquendo de lege naturæ, qualis in pura natura esse potuisset, sed etiam loquendo de lege connaturali fidei,seu rationis illustratæ per fidem. Neque etiam hoc solùm fundari potest in hoc, quod ipsemet ritus Sacrificij,& Sacerdotij,vt sic,non est ita E necessarius ex puro iure naturali, quin aliquo etiam iure positiuo diuino, vel fortasse iure gentium fuerit introductum : nec etiam procedit,facta suppositione talis status Sacerdotalis ad cultum Dei,& ministeriū cæterorum fidelium ordinati : Nam etiam hoc modo ex puro discursu rationis non sequitur obligatio reddendi illam quotam partem, sed solùm conuenientem sustentationem. Et ita ante legem scriptam nullum fuit præceptum de soluendis Decimis, vt docuit D.Thom.22.q.87. ar.1.ad 2.ideóque in Scriptura de toto illo tempore non legimus obligationem aliquá soluendi Decimas ex præcepto : nam licet Genes. 14. Abraham Decimas dederit Melchisedech, non constat id fecisse ex obligatione sed ex gratitudine, vel reuerentia, ac deuotione, & gratiarum actione pro victoria in bello parta, & in recognitionem dignitatis, & Sacerdotij Melchisedech, & fortasse spiritu prophetico, vt Christum in sua figura veneraretur, iuxta doctrinam Pauli ad Hebr. 7. Similiter licet Genes.28. Iacob obtulerit Deo Decimas dicens: *Cunctorum, quæ dederis mihi, Decimas offeram tibi*, tamen ipse modus offerendi ex voto, (vt rectè notarunt Hugo de S.Victor.infrà citandus,& Abulens. ibi) ostendit, non fuisse ex obligatione, sed ex deuotione, & spontanea promissione. Præterquam quòd illa Decimarū solutio alterius rationis,& considerationis fuit,vt infrà probabo: Vtrunque autem modum offerendi Decimas in Dei cultum, scilicet & ex voto,& in gratiarum actionem pro aliqua victoria fuisse etiam inter Gentiles vsitatum ex humanis historiis constat, quas breuiter indicat Cæsar Baro. tom.1. anno Christi 57. nu.74.& plura Azor.lib.7.Instit.cap.34.qu.2.Salmer. tom.4.in Euang.p.3.tract.34.& videri potest Plin.lib. 19.c.14.& Plutarch.in Problem.cap.16. Hæc verò omnia non indicant naturale præceptum, sed ad summum consonātiam cum lege naturali. Et quamuis in contrarium referri soleant Innocen.in cap.vlt.de Parochiis, & Host.in sum.tit.de Decimis. §.7.& Panor. in c.*In aliquibus*,de Decimis,& alij,quos refert Coua. lib.1.Variar.cap.17.nu.2. §. *Et præter has*, tamen neq; illi satis declarant,de quo iure loquantur,sed confusè C valde tractant de iure diuino, neque illa sententia in illo sensu intellecta probabilitatem, aut verisimilitudinem habet,nec rationem, aut testimonium, cui respondere necessarium sit.

D. Paul. ad Hebr.7. Genes.28. — *Baron. Azor. Salmer. Plin. Plutarch.* — *Innocent. Hostiens. Panor. Couar.*

Ante legem scriptā nullū erat præceptum Decimarum. *Genes.* 14. Abrahamus quas ob causas soluerit Decimas.

6. 2. Assertio. In lege veteri datum est diuinū præceptum de soluēdis Decimis. *Exod.* 22. & 23. *Leuit.* 27.

Secundò constans, & certum est, in lege veteri fuisse datum diuinum præceptum de soluendis Decimis Sacerdotibus, & Leuitis, res est notissima,Exod. 22. & 23.& Leuit. 27. &c. Duo autem circa præceptum illud declarare necesse est: Primū, an fuerit datum de solis Decimis Prædialibus, vel etiam de Personalibus;Nonnulli enim Canonistæ,vt Innocentius, Panormitanus, & alij indicant de vtrisque datum esse illud præceptum, quatenus aiunt, etiam nunc præceptum soluendi Decimas Personales esse de iure diuino. Tamen D.Thom.22.qu.87.art.2.ad 1.docet tantùm Decimas Prædiales fuisse tunc præceptas, quia de Personalibus nullum inuenitur datum præceptum,& eo ipso quod in lege datum non est, rectè colligitur non fuisse, quia non erat naturale, vt dictum est, & idem colligo ex Philone lib. de Sacerdotibus honorandis, vbi post explicatum vsum Iudaici populi de soluendis Decimis, subdit, *Et hæ quidem soluuntur ex priuatis possessionibus*. Sub Prædialibus autem Mistas comprehendi intelligendum est, vt diserte explicatur Leuit.27.*Omnes* (inquit) *Decimæ terræ, siue de frugibus,siue de pomis arborum, Domini sunt*. Sub quibus etiam minimi fructus comprehēduntur iuxta illud Luc.11. *Decimatis menthā, & rutam, & omne olus*. Et additur in prædicta lege,*Omnium Decimarum bouis, & ouis,& capræ,quæ sub pastoris virga transeunt, quicquid decimum venerit, sanctificabitur Domino:* Quod etiam de quibuscunque fœtibus, & fructibus aliorum animalium intelligendum est. Vnde Luc. 18. Pharisæus ille dicebat: *Decimas do omnium,quæ possideo*. Vbi etiam notari potest, quòd licet se maximè laudare cuperet,non dixit, Decimas do omnium, quæ lucror, vel acquiro: Quod est signum,Prædiales non Personales Decimas fuisse tunc præceptas. Atque hæc sententia vera est, & communiter recepta, vt videre licet in Soto lib. 9. de Iustit.qu.4.art.2.Couar. Gutierrez, & aliis, quos infrà referemus, & tenuit etiam Hostiens. in dicto §.7.

Leuit. 27. — *Luc.11.* — *Luc.18.* — *Soto. Couar. Gutier. Hostiens.*

7. Prima sententia astruēs

Alterum explicandum circa illam legem est, An præceptum illud Decimarum fuerit iudiciale,vel cæ-

Præceptũ de Decimis esse cæremoniale, non verò iudiciale, nec morale.

remoniale. Suppono enim ex materia de legibus no- A tam distinctionem triplicium præceptorum illius legis, moralium, iudicialium, & cæremonialium: Suppono etiam præceptum Decimarum non fuisse purè morale, vt ex prima assertione manifestum est, quia præcepta moralia dicuntur illa, quæ sunt de lege naturæ, in hoc autem præcepto specialis determinatio addita fuit ex iure diuino positiuo, ad quod pertinebant præcepta iudicialia, & cæremonialia. Inquirimus ergo, sub quo illorum membrorum contineretur hoc præceptum, videri autem potest esse præceptum cæremoniale, quia erat præceptum pertinens ad virtutem Religionis, omnes autem actus Religionis sub cæremoniis meritò comprehenduntur, ergo præceptum de tali actu cæremoniale erat, quia præ- B ceptum cæremoniale nihil aliud esse videtur, quàm præceptum de cæremonia religiosa. Item præceptum illud significationem aliquam habebat, quod etiam erat proprium cæremonialium præceptorum: Assumptum patet, quia denarius est numerus perfectus, vnde qui Decimam Sacerdoti soluit, dum nouem tantum partes retinet, imperfectionem suam profitetur, vt notauit Philo. lib. de Congressu quærendæ eruditionis gratia, ad medium, & ita etiam populus ille soluendo Decimam, imperfectionem sui status, & perfectionem per Christum expectandam præfigurabat, & Paulus ad Hebræos 7. perfectionem Melchisedech indicatam dicit in eo, quod Abraham ei Decimas C soluit. *Intuemini* (inquit) *quantus sit hic, cui & Decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha*, quæ perfectio in Christo præcipuè futura significabatur, vt ibidem exponit diuus Thomas, & latiùs 3.p.q.31.art.8. Accedit quod D.Thom.12.quæst.104.art.4. reducens præcepta iudicialia ad quatuor membra, nullum assignat, sub quo possit hoc præceptum contineri, & in 3.par.quæ.65.art.1. ad 7. Decimas ponit inter Sacramenta veteta, at verò præcepta Sacramentorum cæremonialia erant, iuxta doctrinam eiusdem Sancti, 12.qu.101.art.4. Ergo præceptum Decimarum erat cæremoniale, quoad quotam. Atque ita sensit Henric. quod 4.qu.28.

Probatur.

Cõfirmatur ex eo quod illud præceptũ erat significatiuũ.

D. Paul. ad Hebr.7.

Henric.

8. Vera D.Th. & aliorum sent. Esse Iudiciale quoad determinatiõe partis Decimæ.

Nihilominùs D.Thom.dicta qu. 87. art. 1. (quam D Soto, Aragon. Valentia, & alij sequuntur, & Astensis in Sum.2.p.lib.6.nu.35.) docet, præceptum illud fuisse iudiciale quoad determinationem partis decimæ. Ratio est, quia præcepta iudicialia dicebantur, quæ ad debitũ ordinem, & æquitatem inter partes illius populi seruandam ordinabantur, vt latè D.Tho. declarat 12.q. 104. Præceptum autem Decimarum ordinabatur ad cõstituendam æquitatẽ quandam inter homines illius populi secundum specialem, & determinatum modum, quem sola naturalis ratio non dictabat, vt necessarium erat, ergo ex præceptis iudicialibus. Minor declaratur, quia in primis tribus Leui nõ habuit partem cum aliis Tribubus in diuisione terræ quoad prædia, & possessiones, & ideò oportuit ali- E quo modo illud recompensari, quod factum est per solutionem Decimarum. Deinde quia Leuitæ, & Sacerdotes ministrabant populo, & ideò ratio etiã postulabat, vt à populo alerentur solutis Decimis, iuxta illud Num. 18. *Filiis Leui dedi omnes Decimas Israel in possessionem pro ministerio, quo seruiunt mihi.* Et infrà: *Nihil aliud possidebunt, Decimarum oblatione contenti, quas in vsus eorum, & necessaria præparaui.* Idem Deut. 10. & 18. Præterea præceptum illud non fuit primò, & per se datum propter significationem, sed propter conuenientem ordinem illius Reip. consequenter autem, vel indirectè habere potuit significationem supra positam, nam id etiam præceptis iudicialibus cõuenit. Tandem cæremonialia præcepta ita cessarunt, vt renouari non possint per legem humanam. Præ-

Probatur.

Secundò.

Num. 18.

Deut. 10. & 18.

Tertiò.

Quarto.

ceptum autem Decimarum retentum est in Ecclesia, vt videbimus. quod in iudicialibus præceptis fieri potest, vt constat ex D.Thom. dicta q.104.art. 3. ergo signum est, esse iudiciale.

D.Thom.

Ad rationem igitur in oppositum respondemus, si consideretur actus soluendi Decimas, quatenus ad cultum Dei ordinatur, aliquid sine dubio participare de cæremonialibus præceptis. Vt dixit etiam D. Tho. quodlib. 2.art. 8. Quia verò actus soluendi Decimas immediatè, & quasi ex obiecto proximo pertinet ad iustitiam, ad religionem autem quasi remotè, quia formaliter non continet ipsum cultum Dei, sed ad illum ordinatur, ideò magis censetur illud præceptum iudiciale, quàm ceremoniale. Et sic dixit D. Thom. 22.q.85.art. 3. ad 3. Decimas non offerri Deo immediatè, sed ministris diuini cultus, & ideò non esse oblationes, neque sacrificia. Vnde etiam in rigore, & proprietate sermonis Decimarum solutio non potest dici propriè cæremonia: nam sustentatio ministrorum non est cæremonia, vt per se patet: determinatio autem ad talem modum non fit propter cæremoniam, sed propter quandam prudentem legis moralis determinationem. Quod autem dicebatur de significatione, iam solutum est, nam facilè potuit nunc retineri ille vsus sine illa significatione, nihil autem impedit, quòd nunc etiam significet imperfectionem populi Laici respectu Sacerdotalis. Ad primum autem locum D. Thomæ respondetur, præceptum hoc reduci ad illud membrum ordinis debiti inter Principes, & subditos, hunc enim iudicialia præcepta constituebant, & inter Principes possunt Sacerdotes numerari, quod eleganter sensit Philo suprà dicto lib. de Sacerd. honor. vbi explicato præcepto Decimarum subiungit, *Ex his liquet iuxta legis iudicium Sacerdotes æquiparari honore, ac maiestate Regibus, siquidẽ illis tanquam principibus conferri tributa imperat.* In altero verò loco tertiæ partis latè vtitur D.Thom. nomine Sacramẽti pro quocunque signo sacro; sic enim loquitur Hugo de S.Victor. 1. de sacram. p. 12. ca. 10. quem ibi D. Thom. interpretatur, & ideò iuxta illius modum loquitur.

9. 2. Sententia amplectitur & ad 1. fundamentũ respondetur. D. Thom.

Cõfirmatio infirmatur.

D.Thom. loca explanantur.

Tertiò principaliter dicendum est, fidelibus Christianis datum esse præceptum soluẽdi Decimas. Hoc in genere sumptum certissimum est, ac de fide. Quia verò in Decima duo distinximus, scilicet congruam sustentationem Clericorum, quæ vocari potest Decima sustentationis, & determinatio tantæ partis, quæ vocatur Decima quotæ, ex diuersis fundamẽtis vtrũque probandum est, nam quoad primum, solutio Decimarum de iure naturali rigorosa est, vt in principio diximus. Est etiam de iure diuino Euangelico quasi confirmante, & explicante ius ipsum morale, quod apertè docuit Paulus 1. ad Corinth. 9. vbi prius ius naturæ declarat, dicens: *Quis militat suis stipendiis vnquam?* & pluribus aliis similibus verbis: Deinde Euangelicum ostendit dicẽs: *Ita & Dominus ordinauit iis, qui Euangeliũ annunciant de Euangelio viuere.* Significauit autem hoc Christus Dominus Luc. 10. dicens: *In eadem autem domo manete edẽtes, & bibentes, quæ apud illos sunt, dignus est enim operarius mercede sua.* Idem docuit Paulus 1. ad Tim. 5. dicens: *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeãtur, maximè qui laborant in verbo, & doctrina, dicit enim Scriptura: Non alligabis os boui trituranti, & dignus est operarius mercede sua.* Vbi Ambr. & aliqui interpretes per duplicẽ honorem intelligunt exteriorem reuerẽtiam, & sustentationem; Chrysostomus autem ibi homil. 15. de solo honore subsidij verba intelligit, sed illum futurum dicit esse duplicem, id est; non solum sufficientem, sed etiam abundantem, iuxta phrasim Scripturæ, *Duplici contritione conteret eos*, Ieremiæ 16. id est, *magna*, *Oportet enim* (inquit)

10. 3. Assertio. Præceptum. soluẽdi Decimas, quo sensu est de iure naturali, & diuino Euangelico.

D.Paul. 1.ad Cor. 9.

Luc.10.

D.Paul. 1. ad Tim.5.

D. Ambr.

D.Chrys.

Ierem.16.

(inquit) *doctoribus necessaria affatim ministrare, ne deficiant, neque soluatur, neq; minimis occupati, magnis se ipsos, atque alios priuent.* Gregor. autem Homil. 17. in Euangelia, duplicem honorē declarat subsidij conuenientis in terris, & condigni præmij in cœlis: *Vt hic* (inquit) *de labore prædicationis merces inchoetur, quæ ibi de veritatis visione perficitur.* Quocunq; autem modo illa verba exponantur, in eis naturale, & Euangelicum præceptum de congrua, imò & abundanti sustentatione ministris Euangelicis debita continetur.

p. Greg.

11. Probatur hoc præceptum ex traditione Ecclesiæ, & Iure canonico.

Altera verò pars huius præcepti de quota, probatur ab aliquibus Canonistis etiā ex Euangelio Matth. 23. *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi, qui decimatis, &c.* & infrà, *hæc oportuit facere, & illa non omittere, &c.* Quod etiam habet Lucas cap. 11. Sed inde nihil probatur, quia Christus de tempore antiquæ legis ibi loquitur, & laudat Pharisæos in hoc, quod præceptum illud seruabant, reprehendit autem, quia alia prætermittebant: Inde verò colligi non potest, quod illud idem præceptum pro tempore legis gratiæ approbauerit. Solùm ergo probandum est hoc præceptum ex traditione Ecclesiæ, & ex iure Canonico, ita enim habetur in decretis, 16. q. 1. per multa capita, cap. *Ecclesiæ*, cap. *de Decimis*, & cap. *Decimas*, & cap. *Statuimus*, & cap. *In sacris*, cap. *In Canonibus*, cap. *Reuertimini*, & cap. *Decimæ*, vbi specialiter Augustin. ait, *Decimæ ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerit, res alienas inuasit.* serm. 219. de tempore. Idem præceptum habetur in titulis de Decimis lib. 3. decretal. & in 6. Ex quibus aliqua decreta statim indicabimus. Et in Clementina *Cupientes* de Pœnis, excommunicantur Religiosi, qui concionando, vel alio modo abalienant homines à soluendis Decimis debitis, & in Concil. Trident. sess. 25. cap. 13. de Refor. dicitur, *Non sunt ferendi, qui variis artibus Decimas Ecclesiis obuenientes subtrahere moliuntur*, &c. *Cum Decimarum solutio debita sit Deo, & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas inuadunt.* Deinde adiungit præceptum reddendi integrè Decimas debitas. Et in Concil. Const. sess. 8. damnatur error VVicleph, qui dicebat Decimas tantùm esse voluntarias eleemosynas, quas populus pro arbitrio negare potest Sacerdotibus, malè viuentibus. Rationem autem, & antiquitatem huius præcepti explicabimus commodiùs cap. sequentibus.

Cap. De Decimis.
Cap. Decimas.
Cap. Statuimus.
Cap. In Sacris.
Cap. In Canonibus.
Cap. Reuertimini.
Cap. Decimæ.
D. August.
Clemen. Cupientes, &c. Concil. Trid.
Concil. Constant.

CAPVT X.

An præceptum Decimarum nunc sit iuris diuini, vel tantùm Ecclesiastici.

1. SVppositis his, quæ in superiori capite diximus, vix relinquitur huic quæstioni locus; solet tamen latissimè tractari, & ideò non possumus omittere, quin breuiter illam attingamus. Canonistę itaque contendunt esse de iure diuino, quod aliqui etiam naturale vocant: Inter ipsos verò duæ sunt opiniones. Prima affirmat, esse simpliciter de iure diuino hoc præceptum, tam quoad Personales, quàm quoad Prædiales Decimas. Hæc fuit opinio Innocentij in Rubrica de Decimis, & in cap. vlt. de Parochiis, quam secuta est Glossa in c. 1. de Decimis in 6. & Archidiac. in c. *Decimæ* 19. q. 1. & in c. *Quicunque*, vbi etiam Gloss. 16. q. 7. & Anton. de Butrio in c. *Parochianos* de Decimis: & esse communem sententiam Canonistarum ait Tyndarus tractatu de Decimis quæst. 2. n. 36. & eam constanter sequitur Andr. Hisp. tract. de Decimis §. 2. vbi sentit fuisse præceptum naturale, & morale, & esse immutabile, etiam quoad quotam per Ecclesiasticam potestatem. At verò Rebuf. in tract. de Decimis q. 1. n. 9. & 10. declarat, non esse de iure naturali, sed de iure diuino positiuo, dictante ratione naturali. Fundantur præcipuè in aliquibus decretis Canonicis, quæ ita loqui videntur sub tit. de Decimis, vt in cap. *Parochianos*, ait Papa: *Cum Decimæ non ab homine, sed à Deo sint institutæ, tanquam debitum exigi possunt.* Et cap. *Tua nobis*, dicitur, *Decimæ, quas Deus in signum vniuersalis dominij sibi reddi præcipit*, & idem in c. *Cum non sit*, & 16. q. 1. c. *Decimas*, & *Reuertimini*, cum similibus, & in c. *Decimas*, & c. vlt. eiusdem caus. & q. 15. & c. *Maiores* 16. q. 7. c. *Quadragesima* de cons. d. 5. ex Greg. idémque habet Ambr. serm. 33. in fer. 2. post Dom. 1. Quadrag. & clariùs serm. 34. & habetur. *Namqui* 16. quæst. 2. & cap. *Quincunque* 16. quæst. 7.

Cap. Tua nobis.
Cap. Cum non sit.
Cap. Decimas.
Cap. Reuertimini.
Cap. Vltimo. C. Maiores.
Cap. Quadragesima. D. Greg. D. ambr.

2. Sent. asserens præceptum soluēdi Decimas Prediales, esse de iure diuino, personales vero, Ecclesiastico.

Secunda opinio Canonistarum est, præceptū soluendi Decimas Prædiales esse de iure diuino, præceptum autem soluendi Decimas Personales esse tantùm Ecclesiasticū. Hæc fuit opinio Hostiens. in sum. tit. de Decimis §. 7. & in cap. *In aliquibus* de Decimis, eandem tenet Ioannes Andr. in regula, *Qui prior* in Mercurialibus, & Imola, & Florianus, quos refert Tyndarus suprà, & Felinus in cap. *Causam* de præscription. Cardinalis, & Hēricus cum aliis, quos moderni referunt, de quibus statim. Hæc opinio videtur orta ex eo, quod suprà diximus, Prædiales Decimas fuisse præceptas iure diuino legis veteris, non verò Personales. Vnde sentiunt hi auctores, hoc ius diuinum, quod nunc obligat ad Decimarum Prædialium solutionem, esse illud ipsum, quod in lege veteri obligauit, & vix possunt exponi, vt solùm loquantur secundùm quandam imitationem, vel confirmationem, & non formaliter, ac per se, nam addunt tale esse illud ius diuinum circa Prædiales Decimas, vt nulla humana consuetudo possit cōtra illud præualere etiam quoad quotam: In Personalibus autem id facile admittunt, quia præceptum eas soluendi humanum est.

Hostiens. Ioan. Andr. Imola. Florianus. Tyndarus. Felinus. Cardinalis. Henricus. Fundamentum.

3. 4. Assert. Præcep. alendi ministros Eccles. est de Iure naturali; Determinatio, quoad quotam de iure Ecclesiastic.

Vera tamen sententia est, quæ ex discursu, & assertionibus c. præced. propositis facile colligitur, nempe obligationem alendi Ecclesiasticos ministros de iure naturali esse, explicato etiam, & confirmato in Euangelica lege per Christum ipsum, & Apostolos, modum autem, seu determinationem Decimæ quoad quotam ad prædictum finem reddendam in tempore legis gratiæ formaliter esse de iure Ecclesiastico: Exemplariter autem (vt sic dicam) constitutum esse ad imitationem iuris diuini legis veteris. Addo præterea, radicaliter, seu potestatiuè manasse ex iure Euāgelico, & potestate à Christo specialiter data. Hæc est doctrina D. Thom. 22. q. 87. art. 1. vbi satis expressè omnes partes à nobis positas declarat, vltima excepta, idem Quodlib. 2. art. 8. Ita etiam est intelligenda sententia Hugonis de S. Victor. de Sacrament. lib. 1. cap. 4. & 11. qui dixit, Decimas ante legem fuisse in consilio, sub lege in præcepto diuino, nunc de Ecclesiastico: idem Alens. 3. p. q. 51. m. 1. 2. & 3. D. Anto. 2. p. tit. 4. cap. 3. §. 5. Richard. in 4. d. 17. art. 2. q. 7. ad 4. Mai. 4. d. 15. q. 4. ad 2. cont. 3. c. & idem sentit in d. 25. q. 4. & in 3. d. 37. q. 36. Idem tenet Henr. Quodlib. 4. q. 28. Adrian. quodlib. 5. Abulens. Matth. 23. q. 63. Soto lib. 9. de iust. q. 4. art. 1. & recentiores Theologi omnes, atque etiam moderni Canonistæ, præsertim Nauar. in Manuali c. 21. num. 28. & in Apolog. de reditibus Eccles. q. 1. monito. 69. Couar. lib. 1. Variar. c. 17. à principio & Gutierrez lib. 2. Canon. q. c. 21. num. 8. & sequentibus.

D. Thom.
Hugo de S. Victor.
Alens. D. Anton. Richard. Maior. Henri. Adrian. Abulens. Soto.
Nauar. Couar.

4. Probatur tota assertio.

Ratio totius sententiæ facilis est ex dictis: nam in prima parte nulla est dissensio, sed omnes conuenimus, Decimam sustentationis iure naturæ, & diuino Euangelico deberi. Cum autem Euangelicum ius coniungimus naturali, non existimamus in hac parte esse diuersum, quia in lege gratiæ non habemus specialia præcepta iudicialia, vel cæremonialia, præter præcepta sacrificij, & sacramentorum, & præcepta Fidei, sub quibus spiritualis potestas in Ecclesia à

Innocent. Glossa. Archidiac.
Anton. de Butr. Tyndar.
Notanda est seut. Andr. Hispan. & Rebuf.

Christo relicta, cum obligatione illi obediendi comprehenditur, sed dicimus, hoc naturale præceptum peculiariter fuisse à Christo Domino in Euangelio declaratum, confirmatum, & ad vsum Ecclesiæ suæ accommodatum, in quibus omnibus nulla, vt dixi, dissensio est. Deinde loquendo in rigore de Decima quoad quotam, & de proprio præcepto legis diuinæ naturalis, euidentissimũ est, non esse nunc in Ecclesia hoc præceptum iuris diuini in hoc sensu, quia ex natura sua tale non est, & in hoc tempore non habet aliam naturam, neque est nunc peculiaris aliqua ratio naturalis, quæ per se sola conuincat magis esse debitam Clericis decimam partem fructuum, quàm octauam, vel duodecimam, & sic de aliis. Ac denique vsus ipse ostendit, non esse hoc naturale præceptum, cum non eodem modo in omnibus Ecclesiæ prouinciis seruetur, idq; sine peccato, vt postea videbimus.

5. Præceptum Decimarum non est idẽ, quod legis veteris.

Si verò sit sermo de iure diuino positiuo, duobus modis intelligi potest, Decimam quotæ esse nunc de hoc iure diuino. Primò quia illudmet præceptum quod populo Israel fuit datum, adhuc durat, ita vt ex vi illius obligentur nunc fideles. Et in hoc sensu id sentire hæreticum esset, quia de fide est, legem illam veterem iam non obligare, maximè quoad cæremonialia, & iudicialia præcepta, imò nec quoad moralia, quatenus illius erant, sed solùm quatenus naturali ratione dictantur. Et ideò Maior in tertio, Canonistarum sententiam quoad hanc partem hæreticam vocauit, quia re vera interdum significant obligare nunc illud præceptum eo ipso, quod non inuenitur expressè reuocatum, vt videre licet in Rebuffo, & aliis relatis ab ipso, & à nobis suprà. Veruntamen non fuit necessaria reuocatio, quia illa lex non erat perpetua, sed temporalis; lex autem, quæ pro aliquo tempore datur, illo completo, desinit obligare absque alia reuocatione, illa autem lex *Posita est, donec veniret semen*, vt dicit Paul. ad Galat. 3. & ideò adueniente Christo & consummata redemptione, cessauit, *fuit enim illa lex* (ait Paulus citato loco) *Pædagogus fidelium in Christo, at vbi venit Fides, iam non sumus sub Pædagogo.* Et propterea quod hoc præceptum nunc non obliget in virtute illius legis, euidens argumentum est, quia illa lex non obligabat omnes homines, sed tantùm Iudaicum populum, vel eos, qui per circuncisionem ad illum transibant: Hoc autem præceptum nunc obligat de se vniuersum mundum, & non media Circuncisione, sed Baptismate.

Maior. *Rebuf.* *D. Paul. ad Galat. 3.*

6. Commodiori modo explicatur illud ius diuinum, & impugnatur. D. Thom.

Alio ergo modo posset hoc ius diuinum positiuũ intelligi, quia illud præceptum diuinum ex peculiari Christi confirmatione prorogatũ est pro lege gratiæ. Et hic sensus non continet apertum errorem contra Fidem, quia vt est communis sententia D. Thom. & Theologorum, præcepta iudicialia legis veteris, licet vt erant illius, cessauerint, & mortua sint, possunt secundum eandem formam retineri in aliqua republica, si per legitimum principem ferantur. Vnde multò magis potuit hoc præceptum à Christo Domino pro sua Ecclesia confirmari, vel potiùs de nouo tradi. Est tamen illa sententia in hoc sensu voluntaria, & improbabilis, tum quia nullum habet fundamentum in Euangelio, neque in traditione, aut doctrina Patrum: Nam quæ Hostiens. Innocent. & alij Canonistæ afferunt ex Greg. Ambros. August. & Hieron. relatis apud Gratianum suprà, nihil probant, quia non loquuntur de speciali præcepto à Christo dato, sed ab Ecclesia tradito ad imitationem diuinæ legis antiquæ, vt ex Cypriano, & aliis cap. seq. referemus; est etiam contra receptam doctrinam Theologorum, quod cum lege noua non sunt à Christo data præcepta iudicialia, nec cæremonialia præterquam Sacramentorum, vt est D. Thom. 1. 2. quæst. 108.

Hostiens. Innocent. D. Greg. D. Ambr. D. August. D. Hieron. *D. Thom.*

art. 1. & 2. & quolib. 4. art. 13. Relinquitur ergo præceptum hoc quoad hanc partem Ecclesiasticum esse.

7. Superuacanea distinctio.

Vnde etiam constat nullam esse in hoc necessariam distinctionem inter Decimas Prædiales, & Personales, si in rigore loquamur quoad præcepti obligationem, quia si solùm considerentur quatenus sunt Decimæ sustentationis, sic verius dicunt, qui indifferenter asserunt omnes esse de iure naturali diuino, quia etiam illi fideles, qui possessiones non habent, tenentur concurrere ad sustentandos ministros spirituales, si ex labore, & actionibus suis habeeant, vnde id facere possint. Si autem loquamur de Decimis, quoad quotã, neutræ sunt de iure diuino quoad obligationem, vt dixi. At verò quoad imitationem admitti potest distinctio Hostiensis: Nam Prædiales retentæ sunt in Ecclesia ad imitationem antiqui iuris diuini, Personales verò sine exemplo additæ sunt, cur autem id fecerit Ecclesia, postea videbimus. Atque ita constat quo sensu intelligẽda sint Iura Canonica, quando Decimas dicunt esse ex Dei præcepto, vel de iure diuino, loquũtur enim de præcepto diuino, non quod nunc obliget, sed quod aliquando fuit, & quo primum fuerunt Decimæ sub necessitate constitutæ, & quia inde, seu exemplo illius, sumptum est Ecclesiasticum præceptum, ideò etiam hoc per quandam imitationem, diuinum dicitur. Sicut solent Patres præceptum Quadragesimæ seruandæ diuinum vocare, quia exemplum eius in Domino præcessit, vt est apud Ambr. serm. 31. in 1. Dom. Quadrag. & per nonnulla capita de Cons. d. 5. Vnde allegata Iura præsertim loqui videntur de Prædialibus Decimis, nam Personales neque isto modo dici possunt de iure diuino, nisi nimis remotè, & per quandam similitudinem rationis.

Decimæ in Ecclesia sunt ad imitationem legis antiquæ.

D. Ambr.

8. Vltima assert. parsconfirmatur.

Addidi verò in fine assertionis modum alium vtrisque Decimis Prædialibus, & Personalibus communem, quo possunt omnes dici esse de iure diuino Euangelico, non actu, sed potestate, seu in radice. Quod vtile est ad intelligendum, per quam potestatem potuerit hæc determinatio Decimarum quoad quotam in Ecclesia fieri. Dicimus enim hoc pertinere ad potestatem spiritualem Ecclesiæ, non ad temporalem, seu ciuilem. Quod certum de Fide est, quia disponere de spiritualibus & de spiritualibus annexis, ad spiritualem, potestatem pertinet, non ad temporalem, vt in materia de legibus, & in peculiari tractatu de immunitate Ecclesiæ, latiùs diximus, ius autem Decimarum spirituale est, & Decimæ ipsæ spiritualibus sunt annexæ, ergo taxatio, seu determinatio illarum ad spirituale potestatem spectat. Vnde etiam omnes causæ Decimales Ecclesiasticæ sunt, vt est indubitatum: Ac denique Decimæ ipsæ peculiari titulo sunt bona Dei, & ideò tota cura, & prouidentia circa illas ad dispensatores Dei per Christum constitutos pertinet. Ergo determinatio Decimæ quoad quotam in tempore legis gratiæ actus est spiritualis potestatis. Hæc autem potestas supernaturalis est, & ab ipso Christo immediatè data, & instituta in Ecclesia sua, ergo hæc determinatio peculiari modo trahit originem à iure diuino Euangelico, saltem radicaliter, seu potestatiuè. Hac ergo ratione possunt etiam dici Decimæ aliquomodo de iure diuino. Adde postquam hoc ius Decimarum in Ecclesia constitutum est, Decimas deberi Deo in ministris suis, & ratione iam peculiari modo pertinere ad ius diuinum. Item Decimæ sunt res sacræ ac Religiosæ, & ius percipiendi illas spirituale est, & ad diuinum cultum pertinet, & ideò hac etiam ratione diuinum appellari potest, id est ius Deo ipsi comparatum.

9. Potestatem determinan-

Atq; hinc obiter constat, hanc potestatem determinandi quotam Decimæ primò, ac per se residere in summo

di quotam Decimæ de iure diuino residere in summo Pōt.

summo Pontifice, & iure diuino soli illi immediatè conuenire, quia tota potestas spiritualis quæ est in Ecclesia in illo solo est immediatè ex diuino iure, aliis verò per ipsum communicatur, vt nunc suppono, est enim sermo de potestate spiritualis iurisdictionis, & gubernationis, non de potestate ordinis: sub illa autem generali potestate comprehenditur hæc de qua nunc tractamus. Quoad vsum verò huius potestatis aduertendum est, quod licet per se primò pertineat ad Pontificem, præsertim respectu totius Ecclesiæ vniuersalis, tamen in his, quæ ipse non prohibet, vel si ipse non præueniat, modum, & ordinem vniuersalem in hac determinatione constituendo ad vnumquenque Episcopum in sua Diœcesi pertinere, huiusmodi facere determinationem, & consequenter etiam potuisse vnunquenque Episcopum Decimam in sua Diœcesi imperare, etiamsi pro tota Ecclesia non esset lex lata per Pontifices, vel generalia Concilia, dummodo (vt dixi) non esset prohibitum. Quia vnusquisque Episcopus potest in sua Diœcesi facere omnia, quæ ad conuenientem spiritualem administrationem pertinent in his, quæ sibi per Pontificem prohibita, aut limitata non sunt: Inter hæc autem continetur Decimarum determinatio, sed in eo casu vt supponimus, nulla esset prohibitio, ergo. Quantam verò potestatem circa hoc, habeant nunc Episcopi, infra declarabimus. Difficultates etiam, quæ circa hoc præceptum occurrere possunt, in sequenti capite elucidabuntur.

CAPVT XI.

An determinatio Decimarum conuenienti ratione in tempore legis gratiæ facta sit.

1. Prima ratio dubitandi.

RAtio dubitandi esse potest, quia hæc determinatio facta est ad imitationem legis veteris: non est autem eadem proportio inter hoc tempus; & illud, hanc legem; & illam, & ideò non videtur seruata æquitatis ratio. Declaratur minor. Primò quia in populo Israelitico ex duodecim Tribubus vna integra erat Sacerdotalis, & ita ferè seruabatur proportio inter partem decimam fructuum & partem duodecimam totius gentis, at verò in Ecclesia non duodecima, nec vigesima pars fidelis populi pertinet ad Clerum, seu brachium Ecclesiasticum, ergo non cum debita proportione imperatur, sed sufficeret vigesima, vel trigesima. Secundò est alia magna differentia, nam in lege veteri non sunt datæ possessiones Tribui Leui in terra promissionis, & ideò etiam sine causa ministerij quodammodo debebatur illi Tribui aliquis census, vel subsidium loco possessionum. Nam licèt receperit ciuitates cum suburbiis vsque ad mille passus, tamen ciuitates solùm erant ad habitandum, & suburbia non poterant deseruire ad sustentationem, sed ad summum ad quandam ciuium commoditatem, & necessariam recreationem, ergo debebantur illis alimenta, si prædia denegabantur. At nunc Ecclesiastici omnes possunt habere, & multi habent diuitias, & possessiones temporales æquè, ac Laici: ergo non est in eis eadem adæquata ratio, vt

2. Ratio.

3. Ratio.

persoluantur ipsis Decimæ, ergo neque ipsa quota stipendij debuit esse æqualis. Tertiò est aliud discrimen suprà indicatum, quia in lege veteri solùm imperabantur Decimæ Prædiales, nunc autem etiam Personales iuxta cap. *Decimæ*, 16. q. 1. cum similibus, quod videtur nimium rigorosum. Præsertim cum ministri Euangelij debeant liberaliùs donare, quod gratis acceperunt, esseque minus affecti ad hæc temporalia, quàm fuerint Leuitici Sacerdotes.

Ca. *Decimæ.*

A In hac re grauiter errauit Erasmus in annotationibus ad nouum Testamentum, nam ausus est dicere, exactionem Decimarum esse tyrannidem. Referuntur etiam quidam hæretici vocati Fratriceli, qui dixerunt, Decimas non esse soluendas his Clericis, qui paupertatem Apostolicam non profitentur. Ita refert Turrecre. in summa de Ecclesia lib. 4. p. 2. c. 37. & in eodem errore fuerunt Pseudo-Apostoli, vt refert Guido Carmelita, & Castro lib. 4. de hæreticis, verb. *Decimæ*. Fundamenta huius erroris, vel sunt eadem, quæ in ratione dubitandi indicata sunt, vel etiam supponunt alium errorem, scilicet Clericos, & Sacerdotes legis gratiæ esse prohibitos iure diuino, ne possint habere rerum temporalium dominium, de quo errore nunc dicendum non est, nam spectat ad

B proprium tractatum de Sacramento ordinis, & statu Ecclesiastico. Aliqui etiam Catholici Doctores moti fortasse coniecturis, propositis existimant necessarium ad iustificandam hanc institutionem Decimarum in lege gratiæ, dicere non eo fine imperari Decimas, vt in dominium Sacerdotum transferantur, sed vt dispensationi eorum committantur, ita vt ex illis congruam, & decentem pro ratione status sustentationem accipiant, & Ecclesiarum vsibus, ac sumptibus prouideant, & reliqua, quæ superflua fuerint, pauperibus erogent.

1. Hæreticorum error.

Turrec.

Guido. Castro.

Aliquorum doctorum sententia.

Dicendum verò in primis est, præceptum hoc, etiam prout Ecclesiasticum est quoad quotam, iustè, ac conuenienter institutum, & latum fuisse. Assertio est de Fide, ad quam probandam sufficiunt Iura, &

C Concilia suprà citata: Sufficit etiam auctoritas, & consensus vniuersalis Ecclesiæ, quæ errare non potest in moribus: & præsertim in re tam graui. Confirmatur verò hoc ampliùs ex antiquitate huius institutionis: Nam illius meminit Clemens Rom. lib. 2. Constit. Apost. cap. 25. dicens: *Quæ secundum Dei mandatum tribuuntur, Decimas dico, & Primitias, insumat Episcopus vt homo Dei*, & lib. 8. cap. 30. idem dicit. Item Cyprianus Epist. 34. in fine, & clariùs Epist. 66. priùs commemorat veteris legis institutum. *Quod*, inquit, *fiebat de auctoritate, & dispositione diuina, vt qui operationibus diuinis insistebant, in nulla re auocarentur, ne cogitare, aut agere secularia cogerentur.* Et statim de tempore legis gratiæ subiungit, *Quæ nunc ratio, & forma in Clero tenetur, vt qui in Ecclesia Domini ordinatione Clerica tenentur, in nullo ab administratione diuina auocentur, nec molestiis, & negotiis secularibus alligentur, sed in honore sportulantium fratrum tanquam Decimas ex fructibus accipientes ab altari & sacrificiis non recedant*, &c. Origenes etiam Hom. 11. in 18. cap. Num. dicit, præcepta Primitiarum, & Decimarum esse ex his, quæ ad literam sunt seruanda in lege Gratiæ: Imò indicat, ius ipsum naturale, & diuinum hoc exigere, quod vt sit verum secundùm magnam congruentiam, & propinquitatem, intelligendum est, & hoc modo præsenti instituto deseruit.

3. Ecclesiasticum præceptum de Decimis quoad quotam iustè institutum.

Confirmatio.

Clemens. Roman.

Cyprian.

Origen.

Sic etiam Chrysost. Hom. 4. ad Ephes. in fine agens de eleemosyna, & solutione Decimarum: *Quanto est*, inquit, *hoc plenum probro, & dedecore, si quod apud Iudæos non habebatur in admiratione, hoc apud Christianos factum est admirabile. Si tunc erat periculum, Decimas non reliquere, cogita, quantum nunc sit*, D. etiam Hieron. in Epist. 2. ad Nepotianum Decimarum meminit dicens: *Si pars Domini sum, & quasi Sacerdos viuo de Decimis, habens victum, & vestitum, his contentus ero*: & Malach. 3. quod de Primitiis ibi à Propheta dicitur, etiam in Ecclesiæ populis locum habere dicit. Hanc etiam esse antiquam consuetudinem apertè indicat. Aug. lib. 50. Hom. in 48. dicens: *Maiores nostri ideò copiis omnibus abundabant, quia Deo Decimas dabant*: & cætera, quæ referuntur in cap. *Maiores*, 16. quæst. 7.

4. *Chrysostom.*

Hieronym.

August.

De reddendis etiam Decimis habet integrum ser- A monem Augustinus 219. de tempore, vbi etiam locum Malachiæ accommodat, & inter alia Decimas vocat *Tributa egentium animarum:* Quem Augustini sermonem refert Conc. Triburiense Canon. 13. Vbi etiam adducit Gelasium Papam in Epist. 1. cap. 29. præcipientem, quatuor fieri partes de reditibus Ecclesiarum, & oblationibus fidelium, quod de Decimis Concilium dictum intelligit. Et multa alia ex Conciliis, & Patribus infra afferemus, explicando, quibus personis & de quibus rebus dandæ sint Decimæ.

3. Congruëtia probatur Decimarum determinatio.

Ratione declarari potest hæc veritas, ostendendo & congruentiam huius institutionis, seu taxæ, & vindicando illam ab omni iniustitia, nam absolutam necessitatem eius non possumus ostendere, cum ex impositione, & arbitrio pendeat, vt diximus. Congruentia ergo est primò imitatio legis diuinæ: nam huius considerationis magnam rationem habent iura omnia Canonica, vt visum est. In quo etiam animaduertere possumus, non tantùm in lege veteri, sed etiã ante legem insignes Dei cultores Abraham, & Iacob eam quotam elegisse, non sine instinctu Spiritus sancti, vt credimus, ad eundem Deum colendum, & vt auctorem omnium beneficiorum recognoscendum. Imò quasi naturali instinctu etiam Gentiles infideles Decimarum solutionibus vtebantur ad gratias agendas suis Diis, vt supra attigimus. Est ergo in hac parte aliqua moralis congruitas, quam Ecclesia etiam meritò obseruare voluit. Illa autem esse potest vel vt fideles Christiani non minùs gratos se ostendant erga Deum, quàm antiqui Iusti, vel autores legis veteris, vel etiam falsorum Deorum adoratores: hanc enim rationem, & August. supra, & Hieron, & nonnulla Iura citata indicant, & Chrysost. hom. 43. in 1. ad Corint. Vel etiam esse potest significatio mystica, non repugnans, sed potiùs valde accommodata statui legis gratiæ. Nam quæ in illa Sacerdotibus dantur, Christo, cuius personam gerunt, principaliter offeruntur: Decima autem Christi perfectionem significat, nam *Decimus numerus* (ait Chrisost. Homil. 1. in Matth. in imperfecto) *Quia numerus est perfectionis, mysterium habet Christi perfecti*, quod etiam supra tactum est, & ideò rectè illi quasi in tributum Decima designatur: Et fortasse ob similem causam Deo ipsi semper oblata fuit, vel ad recognoscendum in illo omnem perfectionem, quæ nobis deest, vel ad profitendum, habere nos ab illo, quicquid boni, vel abundantiæ nobis prouenit. Quæ omnia, & similia conuientissimè possunt etiam nunc fideles intendere, & confiteri in Decimarum solutione.

August. Hieronym. Chrysostom.

Chrysost.

6. Decimarum quotam non esse rigorosam, probatur ex iis, ad quæ fuit instituta.

Sed considerando vlteriùs Decimas secundùm moralem vsum, prout ordinantur ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ, & ad onera Ecclesiastica (vt sic dicam) sustentanda, non potest hæc quota videri rigorosa exactio. Et in primis si spectemus antiquam institutionem præcipientem, fieri distributionem Decimarum in quatuor partes: Vnam pro Episcopo, aliam pro Clero, aliam pro fabrica Ecclesiæ, & quartam pro pauperibus, statim apparebit, esse æquissimam Decimarum exactionem. Habetur autem hæc institutio ex Gelasio Papa in epist. 1. cap. 21. Et habetur in cap. *Quatuor*, 12. q. 2. vbi ex multis aliis Pontificibus & Conciliis eadem refertur: Et idem habetur in Concilio Maguntino 3. sub Greg. IIII. cap. 10, vbi specialiter dicitur, Decimas esse *Ad vsus Ecclesiæ, & pauperum*, & in Concilio Turonico tempore Leonis III. & Carol. Magn. cap. 16. similiter dicitur, *Esse dispensandas in vsus Ecclesiæ & pauperũ*: & in Conc. Meldensi c. 65. Presbyteris dicitur, vt *Si Decimas acceperint, sarta tecta Ecclesiæ, & luminaria exinde competenter prouideant, & restaurationem Ecclesiarum, & hospitum, ac pauperum receptionem exhibeant, populi necessitatibus debitè inuigilent.* Et similia leguntur passim in Decretis antiquis: Si hæc ergo institutio seruaretur, nulla esset prorsus difficultas, quin Decimarum quantitas sit Ecclesiastico statui necessaria.

Gelas. Pap. Cap. Quatuor. Concil. Magunt. Concil. Turon.

Concil. Melden.

7. Cura pauperum cur Pastoribus specialiter commissa.

Nec etiam potest esse dubium, quin potuerit Ecclesia imperare Decimas intuitu subuentionis pauperum (præter alia capita, quæ per se clarissima sunt) quia hæc cura, & sollicitudo pauperum ad spirituale regimen Ecclesiæ maximè pertinet, & ideò Pastoribus Ecclesiæ specialiter commissa est, vt alibi tractatum est. Veruntamen hinc statim insurgit ardua illa quæstio de reditibus Ecclesiæ, & de obligatione, B quam Præbendati in Ecclesia habent ad eleemosynas faciendas, an sit ex iustitia, vel Charitate, à qua nunc abstinere intendimus, quia in proprium tractatum de Beneficiis illam reseruamus. Ideóque addimus, siue stipendia Decimarum dentur Clericis cum onere, & obligatione iustitiæ dandi superflua pauperibus, siue absolutè in proprium stipendium cum speciali obligatione Charitatis, vtroque modo habere posse æquitatem, & omnibus pensatis, esse moderatum stipendium: Quod declarabitur meliùs, respondendo ad difficultates propositas.

8. Soluuntur rationes partis contrariæ.

Prima ratio dubitandi erat, quia in populo Christiano pars Clericorum est multò minor respectu totius corporis Ecclesiæ, quàm esset Tribus Leuitica, C respectu duodecim Tribuum: Ad quam respondemus primo, quòd licet quantitate sit minor, qualitate, & dignitate est multò maior, & ideò nunc indiget maiori splendore, & auctoritate: vt in debita veneratione ab omnibus habeatur. In quo etiam considerandum est, Hierarchiam Ecclesiasticam esse multò maiorem, & altiorem, quàm fuerit in Leuitico Sacerdotio: Nam & dignitas summi Pontificatus longè excellentior est, & sub illo sunt varij ordines Pontificum, dignitatum, Sacerdotum, & Clericorum, qui non possunt sine magnis sumptibus cum debito honore tractari. Accedit præterea (quod D. Tho. aduertit dicta q. 87. art. 2. ad 1.) Sacerdotes legis gra- D tiæ debere magis abstractos esse ab omni negotiatione, quàm Sacerdotes Leuiticos, quibus non prohibebatur, quin possent honestè lucrari, sicut alij Iudæi. Præterea considerari potest, in lege veteri fuisse sacrificia carnalia, quæ magna ex parte cedebant in vsus Sacerdotum cum innumeris oblationibus panis, & aliorum fructuum, & rerum vtensilium, quæ ferè ad vitæ sustentationem potuissent sufficere: quæ omnia in lege noua non inueniuntur ex vi diuinæ institutionis circa sacrificium, aliæ verò oblationes ferè sunt spontaneæ, vt suprà visum est, præter Primitias, quæ etiam in lege veteri imperabantur.

Cur Sacerdotes nouæ legis maiori sumptu indigeant, quã veteris legis Sacerd.

9. Sacerdotes alias diuites possunt Decimas recipere.

Secunda ratio dubitandi petit dubium, an Sacerdotes aliàs diuites possint Decimas recipere, & Laici E teneantur eis illas soluere. Aliqui enim dixerunt, Decimas non esse soluendas Clericis, quando diuites sunt, neque ipsos posse tuta conscientia illas recipere, quomodo videntur loqui Hieron. & Prosp. relati in cap. *Clericos*, & cap. *Pastores*, 1. q. 2. Dicendum verò est, & Sacerdotes diuites posse licitè Decimas recipere, si beneficium habent Ecclesiasticum, cui ministrant, & fideles teneri ad eas soluendas Sacerdoti, quantumuis aliàs diues sit. Ratio est, quia id quod est per accidens, & non est fundamentum obligationis, non tollit ius, neque debitum iustitiæ, Decimæ autem non debentur Sacerdoti, quia pauper est, sed quia ex officio ministrat, & ideò, quòd sit diues, accidentarium est, neque ab illo tollit ius suum, neque ab altero debitum. Et hæc est certa, & indubitata sententia inter Catholicos, vt constat ex D. Thom. quodlib.

Prosper. Hieronym.

quodlib.6.art. 10. & 22. quæst. 87. art. 3. ad 1. & ibi Caiet.Sot.& reliquis Theologis,Castro vers.*Decima*, & Couar.dicto c.17.num 4.Dict. verò Hieronym. & Prosp. videntur intelligenda de Clericis simplicibus, qui licet Ecclesiæ non deseruiant,volunt ex bonis Ecclesiæ sustẽtari,etiamsi aliàs diuites sint. De illis enim rectè dicitur, iniquè bona pauperum vsurpare, quia alimenta non debentur Clericis ex eo tantùm, quod Clerici sunt,sed quia ex officio ministrare teneantur. Vnde licet Clericus sit pauper, si non ministret, non debentur ei Decimæ ex iustitia commutatiua, sed ex misericordia,vel ad summum ex Religione; è contrario verò si ministret,ex officio,ei debentur ex iustitia, licet aliàs sit diues.

D. Thom. Caiet. Castro. Hieron.& Prosp. dicta explicantur.

10. Ad improportionem autem, quæ inde videtur sequi inter institutionem Dei in veteri testamento, & hanc Ecclesiæ determinationem respondet D.Thom. dicta q.87.art.3.ad 1.nullam esse. Quia in lege veteri vltra Decimas, quæ dabantur tribui Leui, aliæ reseruabantur, vel ad sacrificandum, aut offerendum, vel comedendum in templo,de quibus etiam Leuitę participabant,& vltra has reseruabantur aliæ tertio quoque anno ad vsum pauperum, & peregrinorum, de quibus etiam Leuitę indigentes participare poterant: Quæ omnia constant ex Deut.14. & 26. & explicantur ab Hieron.lib.14.in Ezech.in principio circa cap. 45 qui refertur in cap.1.de Decimis, & de illis videri etiam potest Abulens.Deut.12.qu.7.& q.10.& Deut. 14.post quæstionem 4.& in fine,& Deut.26. quæst.4. & Rebuffus tract.de Decim.q.3.nu. 9. & 11.At verò in lege noua tantum vna Decima imperatur, non solùm ad integram sustentationem ministrorum altaris sed etiam(ait D. Thom.) vt ex eis subueniant pauperibus, *Et ideò non superfluunt,sed ad hoc necessariæ sunt possessiones Ecclesiastica, & oblationes, & Primitiæ simul cum Decimis.*

p. Thom. *Deut. 14. & 26.* *Hieronym.* *Abulens.* *Rebuf.* *D. Thom.*

11. Hinc Caiet.art.1.& 3. d.quæst. 87. dixit non posse plenè iustificari hanc determinationem Decimarum, prout in lege gratiæ fit, nisi ex eo, quòd pro subuentione pauperum simul cum sustentatione Sacerdotũ largiuntur, quia pro pauperibus nunquam satis sufficere possunt, licet amplissimæ sint: & eodem modo expedit hanc difficultatem Castro contra hæres.vers. *Decimæ*, vbi pauperum egestatem ponit inter causas iustificantes exactiones Decimarum. Et subiungit, propter hanc causam docere peritissimos Theologos, Sacerdotes etiam aliàs abundantes in diuitiis posse Decimas recipere, tanquam earum dispensatores, vt eas videlicet pauperibus distribuant, *Et qui hoc non faciunt,* inquit, *iniustè eas retinent.* Et certè Hieronym.Malach.3.ad hoc videtur alludere, cum sic inquit: *Quod de Decimis, Primitiisque diximus, quæ olim dabantur à populo Sacerdotibus, ac Leuitis, in Ecclesiæ quoque populis intelligite, quibus præceptum est, non solùm Decimas dare, & Primitias, sed & vendere omnia, quæ habent, & dare pauperibus, & sequi Dominum Saluatorem: quod si facere nolumus, saltem Iudæorum imitemur exordia, vt pauperibus partem demus ex toto, & Sacerdotibus, ac Leuitis honorem debitum deferamus. Honorem* vtique abundantis subsidij, quem *Duplicem honorem* appellauit Paul. 1. ad Tim.5. quem ibidem Hieron.allegat:sentit ergo Primitias,& Decimas nunc solui ad vtrunque finem subueniendi, & Sacerdotibus, & pauperibus. Atque hic est communis modus loquendi Patrum, qui latè referuntur à Gratiano.16.quæst.1.cap. *Cunctis*, & sequentibus, & quæst.7.& 13 quæst.1.& 2. Et nonnulla alia supra indicauimus.

Caietan. *Castro.* *Gratia.*

Sacerdotes diuites esse decimarũ dispẽsatores cẽsent aliqui.

12. Hæc autem responsio, vt supra etiam tetigi, licet plenissimè expediat totam hanc difficultatem,videtur tamen nimium coartare potestatem, & dominium ministrorum Euangelij circa Decimas, in quo videntur fieri multo deterioris conditionis, quàm essent Sacerdotes, aut Leuitæ in lege veteri. Nam illi habebant proprium, & verum dominium illarum Decimarum, quæ ipsis in solidum soluebantur; & præterea habebant vsum secundarum Decimarum, quæ ad offerendum, & epulandum in Templo reseruabantur, præter alias victimas, & sacrificia, quæ vel ex præcepto,vel voluntariè fiebant, & magna ex parte in vsum ministrorum cedebant. Et vltra hoc videntur fuisse exempti ab speciali onere eleemosynarum, quia aliæ Tribus ad hunc finem tertiam Decimam reseruabant, ex qua poterat sufficienter subueniri pauperibus. Igitur iuxta illam responsionem videtur nimium inclinari in contrarium extremum. Et ideò non oportet,ita rem hanc intelligere,ac si Decimæ non potuerint imperari in lege noua, vt inter Ecclesiæ ministros simpliciter distribuantur, iuxta munera,& dignitates suas,siue aliàs habeant secularia bona, siue non, id enim accidentarium est, & minùs frequens, ideóque in moralem considerationem non venit.

13. Decimas in dominiũ Ecclesiæ, & Sacerdotũ trãsferri absolutè.

Censeo ergo simpliciter potuisse hoc modo imperari, & de facto ita fuisse hoc præceptum impositum, vt omnes Decimæ in Ecclesiæ dominium transferantur, & Sacerdotibus, ac ministris Ecclesiasticis ex iustitia debeantur integrè, & sine diminutione,supposito Ecclesiæ præcepto in sua vi permanente, vt nunc loquimur. Ratio est, quia Decimæ dantur Pastoribus Ecclesiæ ad sustentanda onera sui officij, inter quæ (præter propriam sustentationem congruam, tam personarum, quàm dignitatum, & status vniuscuiusque) numerantur sumptus Ecclesiarum, receptio peregrinorum, & subsidia pauperum. Nam vt rectè adnotauit Caietan. dicta quæst. 87. Prælati Ecclesiæ ex officio sunt Patres pauperum, quia vt boni Pastores tenentur,etiam animam suam, nedum exteriora bona offerre pro ouibus suis, Ioann. 10. & ideò Paul.2. ad Timot. 2. ait: *Oportet, Episcopum hospitalem esse*: Item, loquendo de toto Clero, includendo caput cum inferioribus Prælatis,& Clericis, sæpe necessarium est, vt possint etiam temporalibus Principibus subuenire ad defendendam Ecclesiam: Item, sæpe necesse est, illis se gratos ostendere, adiuuando illos ex reditibus Ecclesiæ.

Ratio affert.

Caiet. *Ioan.* 10. *2.Tim.* 2.

14. Aliæ personæ Ecclesiasticæ ex Decimis alũtur, licet sacramenta non ministrent.

Præterea, licet non omnes Clerici voluntariam pauperrtatem profiteantur, magna tamen pars personarum Ecclesiasticarum huiusmodi paupertatem obseruant, & multi ex his Decimis Ecclesiæ aluntur, etiamsi ex officio non ministrent sacramenta, neque per modum stipendij Decimas recipiant,sed per modum liberalis largitionis, seu applicationis Pontificum.Alij verò Clerici, licet capaces sint hæreditatum temporalium, nihilominùs experientia constat, eos maximè applicari ad Ecclesiasticum ordinem, qui illas non habent,siue illi sint ex communi plebe,siue ex nobilibus, quibus etiam Ecclesiasticus ordo ornatur, expeditque, vt iuxta suam conditionem commodè possint ex Ecclesiasticis reditibus sustentari. Omnibus ergo pensatis, non est excessus in huiusmodi designatione quotæ partis, & sanè experientia ipsa tot annorum satis ostendit, fuisse hanc determinationem Ecclesiæ conuenientem, ac necessariam. Et licèt in particulari interdum eueniat, vt quidam Clerici plus nimiò abundent,alij verò,& fortasse digniores,& qui plus laborant,multùm egeant, id non potest imputari excessui, vel superfluitati Decimarũ, sed interdum sunt particulares defectus,vel casu cõtingentes,vel ex negligentia aliquorum Prælatorum: qui defectus non possunt omnino impediri in rebus humanis.

Difficultas præcedentis responsionis

Concedo ergo sub oneribus Clericorum percipientium

Decimæ datæ Clericis habẽt respectum subuẽtionis pauperum.

pientium Decimas comprehendi subuentionem pauperum,& consequenter Decimas,quæ ad sustentanda onera Clericatus dantur,habere peculiarem respectũ subuentionis pauperum:Hinc autem non oportet inferre aliquam partem Decimarum non transferri in Ecclesiam, seu in Clerũ quoad dominium,sed solùm quoad dispensationem,hoc enim nec necessarium est nec fortasse verum, præsertim loquendo in communi de Clero: Alioqui Laici in rigore iustitiæ non tenerentur, saltem eam partem Decimarum soluere Ecclesiæ,nec illam Ecclesię restituere,si non soliti essent. Patet sequela, quia præceptum Decimarum solùm pertinet ad iustitiam, quatenus est solutio stipendij debiti,& quasi taxati ab Ecclesia, nam eo ipso materia illa transit in rationem iustitiæ: At verò pars illa quæ re vera non datur Clericis, sed pauperibus, non habet rationem stipendij, non est ergo materia iustitiæ,sed eleemosynæ.Et licèt ex speciali præcepto positiuo Ecclesia obliget ad dandam partem in eleemosynam per Pastores Ecclesiæ, tanquam per dispensatores, nihilominùs totum hoc pertinebit ad circunstantiam eleemosynæ,non verò ad materiam iustitiæ, ergo qui omiserit dare illam partem peccabit contra misericordiam,non contra iustitiam,& qui suo arbitrio illam dederit in eleemosynam, peccabit contra ordinem,& modum præceptum ab Ecclesia, non tamen contra iustitiam, nec tenebitur aliquid restituere. Imò posset quis excusari à culpa,si propterea illam partem daret pauperibus,& non Parocho, quia certo experimento scit, si intret in possessionem Parochi, non esse peruenturam ad pauperes. Hæc autem & similia admittenda non sunt, nam planè repugnant legibus &consuetudini Ecclesię,& possunt afferre multa practica incommoda,ergo.

Occurritur difficultati.

16. Decimę etiã in partes possent partiri à Pontif.

Dico ergo;Decimas omnes, & in integrum transire in verum ius,& dominium Ecclesiæ, & Cleri, generatim loquendo, & quantum est ex vi determinationis Decimarum. Quod ideò addo, quia ipsamet Ecclesia,seu Pontifices,aut Concilia approbantibus Põtificibus, optimè possunt cumulum Decimarum in aliquas partes diuidere, & vnam ita applicare pauperibus,& alteram fabricæ Ecclesiæ, vt neutra transeat in dominium Parochi,aut Episcopi, vel Rectoris Ecclesiæ, aut alterius beneficiati, quia suprema potestas dispensandi hæc bona est in summo Pontifice, & ille modus dispensationis, & distributionis esse potest satis rationabilis. Et illo non obstante, semper Laici tenentur integras Decimas soluere ex iustitia, quia respectu totius Cleri absolutè imperantur vt iusta stipendia,& necessaria ad sustentanda onera ministrorũ Ecclesiæ,quamuis modus applicandi,& distribuendi; Decimas,vel partes earum per ipsosmet Ecclesiæ Pastores, & præsertim per Pontificem variis modis determinari possit: Inter quos ille,quem diximus, possibilis est,& non incongruus. An verò sit de facto,necne,non est huic loco necessarium, quia sine illo modo distributionis rectè intelligimus, assignationem Decimarum habere æquitatem, & proportionem cum officio ministrorum Ecclesiæ, adiuncto etiam onere subueniendi pauperibus,siue hæc subuentio facienda sit ab ipsis ex Decimis tanquam ex bonis iam propriis & sibi concessis in verum dominium,siue tanquam à meris dispensatoribus: vterque enim modus sufficit ad prædictam æquitatem.

17. Cur personales Decimæ imperẽtur in lege noua,& non inuerẽ D. Tho. Prima ratio.

Tertia ratio postulabat causam,ob quam Personales Decimæ imperentur in lege noua cum non precirentur in veteri,quia hinc videtur augeri difficultas circa æquitatem huius impositionis. Quam difficultatem attigit D.Tho.dicta q.87.art.2.ad 1.& duas indicat rationes vel vnam adæquatam, quæ ex duabus partibus coalescit. Prima est, quia in lege veteri omnes vndecim Tribus extra Leuiticam habuerunt in sortitione terræ suas proprias possessiones, ex quibus sufficienter poterant Decimas soluere Leuitis, tam pro ministerio, quàm quia carebant possessionibus. At in lege noua non sunt datæ possessiones fidelibus omnibus, quin potius maxima illorum pars prædia non habet, cum tamen æquè fruantur labore,& ministerio Sacerdõtum, vnde si ex propriis operibus Decimas non soluerent, nullo modo contribuerent ad sustentationẽ ministrorum sibi seruientium,quod præter rationem & æquitatem iustitiæ videretur. Et potest hæc ratio ampliùs explicari,quia in lege veteri etiam si in singulis Tribubus possent esse multi pauperes non habentes possessiones, & ideò non soluerent Decimas,nihilominùs ipse vsus sacrificiorum,& cæremoniarum talis erat, vt non posset quis vti ministerio,& opera Sacerdotum,aut Leuitarum, quin per ipsasmet materias sacrificiorum, & oblationum aliquo sufficienti modo contribuerent ad sustentationem Leuitarum.In lege autem noua non ita est:Nam ex sacrificio,vt tale est, vel ex Sacramentorum administratione nulla vtilitas temporalis,per se loquendo, prouenit ministris. Nam siquæ oblationes cum his coniunguntur,id accidentarium est,& per se loquendo spontaneum,vt supra visum est. Et ideò oportuit, vt quota Decimarum communis esset dę se omnibus fidelibus vndecunque haberent prouentus,aut lucra, cum omnibus sint communia spiritualia, quæ per se, & intrinsecè stipendium non includunt, vt explicatum est.

18.

Altera ratio D.Th.est,quia Sacerdotes Leuitici licet priuati fuerint possessionibus in sortitione terræ, non fuerunt priuati potestate negotiandi,& lucrandi eodem modo quo alij conciues,& ideò non fuit aliis impositum onus soluendi ipsis aliquid ex suis lucris. At verò in lege noua Clerici, vt possint dignè intendere diuino cultui,& ministeriis spiritualibus,quibus omninò dicati sunt,arcentur à negotiationibus secularibus,& lucris; & ideò meritò Laicis imponitur,vt ex suis lucris, aliquam partem eis impertiantur, cum propter eorum vtilitatem ipsi Clerici priuentur similibus lucris. Quæ ratio optima est; supponit tamen, quòd totus cumulus Decimarũ consurgens ex Prędialibus,& Personalibus,nõ excedit conuenientẽ quantitatem redituum Ecclesiasticorum, quod ex dictis in duobus prioribus pũctis declarandũ,& probandũ est.

CAPVT XII.

Quid possit consuetudo circa obligationem vel modum soluendi Decimas.

1. An obligatio soluendi Decimas possit auferri per cõsuetudinẽ.

PRiusquam de circunstantiis huius præcepti dicamus,videtur hæc quæstio hoc loco necessaria,tum quia pendet ex dictis in capitibus proximè præcedentibus, & illius resolutio doctrinam in eis datam magis declarabit & confirmabit: tum etiam quia lucem afferet ad omnia sequentia, quia maiori ex parte ex consuetudine definienda sunt.Sub consuetudine autem præscriptionem comprehendimus, quamuis aliquo modo inter se differant,vt dicemus.Præcipua ergo quæstio in præsenti est,an obligatio soluendi Decimas,possit per consuetudinem auferri. In qua consequenter loquuntur Canonistæ,vt latè tractat,& refert Couar.d.cap.17.nu.8.& Gutier.d.lib.2,cap.20. nu.31.& sequentibus,præsertim vsque ad 38.Qui ergo dixerunt, Decimam deberi ex iure diuino, etiam quoad quotam,consequenter asserunt, nec tolli, nec diminui posse per contrariam consuetudinem, quia hæc non

Couar. Gutier.

hæc non potest derogare iuri diuino: Nam si naturale sit, illud est immutabile: Si verò est positiuum, pendet ex diuina voluntate, quæ non mutatur, neque aufert legem, propter prauam hominum consuetudinem. Et hanc opinionem tenent Innoc. & Ioan. Andr. quos tandem sequitur Pan. in c. *In aliquibus*, de Decim. nu. 7. licet satis dubius, & perplexus in hac re fuisse videatur. Nonnulli verò relati à dictis auctoribus valde inconstanter loquuntur, & errant, quia ex vna parte asserunt, quotam Decimæ esse de iure diuino, & ex alia affirmant, posse diminui per consuetudinem, licèt non prorsùs tolli, quia ius, inquiunt, diuinum licèt non possit tolli, potest diminui. Quod omninò falsum est: Nam ratio facta æquè probat de immutabilitate quoad diminutionem, & quoad ablationem: Eò vel maximè quòd lex taxans stipendium, sicut & pretium, quasi in indiuisibili consistit, nam eo ipso, quòd præcipitur, & taxatur tanta quantitas, si illa non impletur, non seruatur lex. Isti ergò dum illa duo admittunt, licet propriam vocem ignorare videantur, in re dicũt, quotam non esse de iure diuino, sed aliquid aliud, quod per minorem partem impleri potest, nempe sustentatio ministrorum.

3. Opinio. *Innocent. Ioan. Andr. Panor.*

2. Alia opinio refertur.

Alij, qui inter Prædiales, & Personales Decimas distinguebant, asserendo, priores esse de iure diuino, & posteriores de humano, consequenter distinguunt cum proportione in præsenti, dicentes, Prædiales nec tolli, nec diminui posse per contrariam consuetudinẽ vtpote repugnantem diuino iuri: Personales autem aiunt, posse, & diminui, & tolli per consuetudinem, quia consuetudo potest prævalere contra humanam legem, hæ autem Decimæ tantùm Ecclesiastica lege debentur, vt supponitur. Atque ita distinxit Turrecr. in cap. *Reuertimini*, 16. q. 1. art. 7. cum Hostien. & aliis, quos latiùs referunt Couar. & Gutier. supra. Et hoc modo interpretantur multi §. *Illẽ quippe*, c. *In aliquibus*, de Decimis, in quo dicitur, illas Decimas necessariò esse soluendas, *Quæ debentur ex lege diuina, vel loci consuetudine probata*: Nam prior pars censetur posita propter Decimas Prædiales, quas dicunt, non pendere ex consuetudine, quia in lege diuina taxatæ sunt: Posteriorem verò partem accommodant ad Decimas Personales, nam quia illę de iure humano sunt, ipsummet ius humanum potuit approbare, vel tolerare consuetudinem illis derogantem.

3. Opinio aliorum in hac materia.

Non defuerunt alij, qui aliter distinguerent, dicentes, consuetudinem per se solam, & non approbatam à Papa, non posse prævalere contra Decimas, etiam ad diminuendas illas, siue sint de iure diuino, siue de humano: Si verò sit approbata à Papa, putát sufficere, cuiuscunque etiam iuris sint. Ita refert Abbas d. cap. *In aliquibus*, & non multùm refragatur. Et idem significat Gloss. ibi, ver. *Consuetudinem*. Latè illam defendit Didac. Perez. in lib. 1. tit. 5. lib. 1. Ordin. Ratio prioris partis quoad ius diuinum iam constat ex dictis, quoad humanum verò reddi potest, quia non quælibet consuetudo potens est ad derogandum iuri Ecclesiastico, sed illa tantùm, quę rationabilis est, consuetudo autem non soluendi integrè Decimas, irrationabilis est. Quod declarari potest ex dictis in præcedenti capite, nam si quota Decimæ secundùm prudentem æstimationem Pontificum, & totius Ecclesiæ est conueniens subsidium Clericorum, & moraliter necessarium, ad sustentanda onera illius status, profectò consuetudo diminuens illam quotam, irrationabilis censenda est. Quod etiam ex effectibus declarari potest, quia necesse est, per talem consuetudinem diminui, & subsidium pauperum, & diuinum cultum, aut ornatum eius, & decentiam Sacerdotum, seu Clericorum, quæ omnia sunt à recta ratione aliena.

Abbas.

Gloss. Didac. Per.

Altera verò pars, scilicet, quòd interueniente approbatione Pontificis, hæc consuetudo prævalere possit, si supponamus quotam Decimæ tantùm de iure Ecclesiastico deberi, facilis est, quia Pontifex potest Ecclesiasticam legem immediatè immutare, ergo etiam potest id facere, approbando consuetudinem. Item tunc cessat ratio in contrarium facta, quia Pontificis approbatio præsumitur rationabilis, & non fieri, nisi vbi aliter est sufficienter prouisum Ecclesiæ, & ministris eius. At verò si quota Decimæ esset in rigore de præcepto diuino, difficile videretur illam partem sustinere, quia non potest Pontifex diuinum præceptum auferre, etiam ex parte. Posset autem quis dicere, posse Pontificem cedere iuri suo, vel Ecclesiarum, & hoc modo probare consuetudinem, non directè mutando ius diuinum, sed quasi subtrahendo materiam eius, sicut qui remittit promissionẽ, tollit ab altero obligationem, nullam mutationem faciendo in iure diuino naturali.

4. Posterior pars opinionis probatur

Alia distinctio magis recepta, & communis est de Decima sustentationis, vel Decima quotæ. Nam contra priorem non potest valere consuetudo, potest autem prævalere contra posteriorem, quando tota illa necessaria non est ad congruam sustentationem ministrorum. Ita tenet Couar. sup. n. 8. & Gut. n. 35. & in re idem tenet Sot. 9. de Iust. q. 4. ad 4. & Aragon. 22. q. 87. art. 1. circa solutionem ad 5. Rebuf. etiam tract. de Decimis q. 13. hoc ipsũ sentit, licèt aliter loqui videatur, quod ferè in omnibus Iuristis citatis obseruari potest, & in Abul. & aliis, quos statim referam. Et ex hac distinctione colligunt dicti auctores, consuetudine fieri posse, vt minuantur Decimæ quoad quotam, id est, quod sufficiat soluere vigesimam, vel trigesimã partem, nõ verò posse fieri, vt omninò tollantur. Quia cum diminutione potest manere sufficiens sustentatio ministrorum, non verò si omninò nihil soluatur. Vnde fit, vt etiam in diminutione necessariò sit assignandus terminus, vltra quem iam non relinqueretur congrua sustentatio.

5. Alia distinctio de decima sustentationis, & quotæ. *Couar. Gutier. Soto. Aragon. Rebuf. Abulens.*

Deinde inferunt, consuetudine facilè posse introduci, vt Personales Decimę absque culpa non soluantur, quia Prædiales sufficiunt ad sustentationem ministrorũ. Consequẽti autem ratione videtur posse inferri, vbi fuerit consuetudo soluendi Decimas Personales, & illæ fuerint sufficientes ad sustentationẽ ministrorum, posse valere consuetudinẽ nihil soluendi de Decimis Prædialibus, quia tunc eadẽ procedit ratio: Neque auctores citati hoc negant, licèt illud taceant, fortasse quia vel rarò, vel nunquam contingit talis modus cõsuetudinis. Cuius ratio esse potest, quia soluentes Prædiales Decimas ordinariè sunt diuites, soluentes autem Personales frequẽtiùs sunt pauperes, rationabile autem est, vt diuites potiùs, quàm pauperes ministros alant. Fructus etiam Prædiales sunt magis naturales, vt sic dicam, & sunt magis certi & magis noti, & ideò, vbi est consuetudo soluendi Decimas, ordinariè incipit à Prædialibus. Nisi fortasse in aliqua ciuitate (qualis potest cogitari Venetia, vel alia similis) in qua pauca, vel nulla sunt prædia, & ideò omnes vel artibus, vel negotiationibus incumbunt. In huiusmodi enim locis, facile posset introduci, consuetudo non soluendi Decimas Prædiales, dummodo Personales persoluantur: E contrariò verò non item, quia sine Decimis Personalibus non haberent Ecclesiastici sufficientem sustentationem, vt notarunt Gregor. Lupus in lib. 1. tit. 20. part. 1. & Archid. in lib. 1. tit. 5. lib. 1. Nou. recopila. quos refert, & sequitur Gutier. supr. numer. 53. cum Couar. d. numer. 8. Ratio denique fundamentalis huius sententiæ est, quia Decima sustentationis, est de iure naturali, ergo debitum eius non potest tolli per consuetudinem, Decima autem

6. Doctrina quę ex superiori opinione infertur.

Greg. Lup.

Gutier. Couar.

quotæ

quotæ de iure humano est, ergo potest per consuetudinem tolli, vel quod perinde est, diminui in omni illa parte, quæ non repugnauerit congruæ sustentationi.

7. Approbatur precedens opinio & explicatur.

Et hæc quidem sententia in re vera est, indiget tamen explicatione quoad vtrumque membrum. Nam contra primum obiici potest, quia supra dictum est, soluendas esse Primitias ex precepto, quantitatem verò Primitiarum, aut voluntate, aut consuetudine determinari. Si ergo esset consuetudo soluendi tantam quantitatem Primitiarum, vt ad congruam sustentationem ministrorum sufficeret, posset ibi valere consuetudo nihil omnino soluendi ex Decimis, tam Prædialibus, quam Personalibus, ergo non tantùm Decima quotæ, sed etiam Decima sustentationis potest consuetudine abrogari. Simile argumentum sumi potest ex oblationibus, nam illæ etiam cedunt in sustentationem ministrorum, si ergo illæ tantæ sint, vt sufficiant, non erit contra naturale ius, vel diuinum, nihil omnino ex Decimis soluere. Præsertim quia supra dictum est interdum teneri fideles ad oblationes soluendas, solùm quia ministri illis indigent ad suam sustentationem, ergo commutata proportione, quando ministri sufficienter aluntur per oblationes, poterit per consuetudinem tolli integrè, & omninò obligatio soluendi Decimas. Tandem Ecclesiis dantur à fidelibus multa prædia & bona immobilia fructifera, & soluuntur census per pia legata, vel aliis modis Ecclesiæ relicti, ergo fieri potest, vt ex his fructibus habeant ministri Ecclesiarum sufficientem sustentationem, ergo ibi etiam non erit iuri naturali contraria consuetudo nihil omninò soluendi ex Decimis, poterit ergo prævalere. Atque ita sine vlla distinctione Decimarum hoc asseruit Gloss. in c. *Quia cognouimus*, 10. q. 3. & in c. *In aliquibus*. §. *Ille quippe*, de Decim. Abul. qu. 185. in c. 23. Matth. & eandem opinionem constanter defendit Mencha. lib. 2. controuer. Illustr. c. 89. nu. 8. Nec dissentit Rebuf. dicta q. 13. nu. 43. & 44. ait enim non valere consuetudinem non soluendi Decimas, nisi eadem consuetudo habeat vt detur aliquid pro ipsis Decimis, nam tunc, inquit, valeret: hoc autem in omnibus dictis casibus fit.

Obiectio contra primam partē.

Gloss. Abulens. Mencha. Rebuf.

8. Argumenta facta nō procedere cōtra superiorem sententiam.

Dico ergo, huiusmodi argumenta non procedere contra mentem, & intentionem præcedentis sententiæ, si conuenienter declaretur. Non enim facienda est vis, in voce, *Decima*, neque in hoc, quod sustentatio congrua ministrorum deducenda necessariò sit ex aliqua parte aliquota fructuum prædialium, vel negotiorum, aut operum, sed in hoc tantum, quòd Clericis prouideatur de congrua sustentatione. Nam hoc est debitum ex iure naturali; quod autem impleatur, hoc, vel illo modo, non est de iure naturali, vel diuino, & ideò si alia via sufficienter prouisum est Ecclesiis, non est dubium, quin possit consuetudine introduci, vt nulla alia pars fructuum, vel lucrorum Clericis soluatur. Et hæc consuetudo dicitur esse in Italia, atque eadem dicitur viguisse inter Græcos.

Impugnatur Couar.

Vnde non video, cur Couar. d. c. 17. cum priùs D. Tho. & Theologorum sententiam defendisset, postea in fine nu. 8. ver. *Vndecimo* simpliciter damnet vt irrationabilem consuetudinem non soluendi aliquas Decimas, *Etiamsi Sacerdotes* (inquit (*spiritualia ministrantes, aliunde habeant, vnde congruè alimenta recipiant*. Nec reddit aliam rationem, nisi quia est nimia illa exemptio, siquidem ex ea tollitur recognitio, quam exhibere debent Laici Sacerdotibus ministrantibus eis sacramēta, præbendo eis aliquod stipendium: Veruntamen si supponantur ministri altaris habere ratione sui ministerij congrua alimenta, non possunt dici omninò priuati stipendio, nec Laici prorsus exempti ab illo soluendo. Ideóque licet talis consuetudo laudanda nō sit, vbi fuerit præscripta legitimè, Ecclesia non repugnante, non videtur damnanda. At verò si Couar. loquatur in eo casu, in quo ministri Ecclesiæ ab illa nihil habent, licet aliunde ex patrimonio, vel ex industria, seu arte alimentum habere possint: tunc vera esset eius sententia, nam esset irrationabilis talis cōsuetudo, vt eius ratio probat. Nos autem loquimur semper in priori sensu.

9. Vnde talis consuetudo posset oriri.

Atque hoc modo potuit contingere, vt huiusmodi consuetudines in principio introductæ fuerint ex benigna conuentione inter Clericos, & Laicos, consentientibus Episcopis, & approbante, vel saltem non repugnante summo Pontifice. Potuerunt etiam in principio Clerici, voluntariè cedere iuri Decimarum, contenti solis spontaneis oblationibus: (sicut Paulus 1. ad Cor. 9. de se dicit, non fuisse vsum potestate exigendi sustentationem, sed pro prijs manibus laborasse ad ea, quæ sibi necessaria erant, comparanda,) & postea vsu temporis illam consuetudinem præscripram esse. Contra hunc ergo sensum non procedunt obiectiones factæ. Sed obiici potest, quia nemo potest præscriptione liberari ab obligatione soluendi tributum Regi, leg. *Comperimus*, ca. de Præscription. trigint. &c. ergo minus poterit liberari à solutione diuini tributi, qualis est Decima, iuxta ca. *Tua nobis* de Decim. Respondent Abbas, Felin. & alij in ca. *Ad audientiam*, de Præscript. negando consequentiam, quia tributa immediatè soluuntur in recognitionem regiæ potestatis. Decimæ verò in commodum, & sustentationem ministrorum, & protestatio Diuini dominij est quasi annexa, & secundaria in hoc actu, nam aliis actionibus primariò fit. Dici etiam potest, ob hanc, & aliam rationem ius Ciuile non admittere illam præscriptionem, ius autem Canonicum illam admittere in Decimis, quia noluit cum maiori rigore Decimas imperare.

1. Cor. 9.

Leg. *Comperimus*. C. *Tua nobis*. Cap. *Ad audientiam*.

10. Quo sensu verū sit præceptum Decimarum nō tolli per cōsuetudinem. *D. Thom. Soto.*

Circa hanc verò partem est aduertendum ex mente D. Thomæ dicta quæst. 87. art. 1. & quodlib. 6. art. 10. ad 2. quod doctè animaduertit Soto dicto art. 1, in fine hanc consuetudinem minuentem, vel tollentem solutionem Decimarum, nunquam posse ita contra Ecclesiam præscribi, vt priuetur Ecclesia potestate imperandi Decimas, etiam quoad quotam, non obstante tali consuetudine, quoties ad bonum Ecclesiæ expedire iudicauerit. Atque in hoc sensu verum est, præceptum Decimarum non posse tolli, aut diminui per consuetudinem, nisi sit à Pontifice approbata, vel saltem tolerata; est autem tolerata, quandiu Pontifex illi non resistit, maximè si illam non ignoret. Verumtamen etiam si ignoret illam, ratione iuris communis censetur eam approbare, neque enim necessaria est specialis approbatio, quæ prærequirit facti cognitionem, nullo enim iure hoc cauetur, & ex natura rei non est necessarium, vt probant omnia, quæ diximus. Sufficit ergo ius commune, quod frequenter in hac materia disponit, in Decimarum solutione consuetudinem attendendam esse, vt patet ex cap. *Commissum*, ca. *Cum sint homines*, & in c. *Dilecti*, & c. *Apostolicæ*, de Decimis. Et idem probat dictum capitulum *In quibusdam*. §. *Ille*. Sensus enim supra relatus necessarius non est, sed proprius intellectus esse videtur, Decimam soluendam esse ex rigore legis quoad quotam; vbi autem minus solutum fuerit, debere esse ex consuetudine approbata, censetur autem approbata, vt dixi, eo ipso, quod est legitimo tempore prescripta, & illi contradictum non est per eum, qui habet legitimam potestatem.

11. In Ecclesia est potestas ad ponendā Decimam de nouo, etiam contra consuetudinem.

Non obstante verò hoc iure communi, & quacunque consuetudine, etiam immemoriali, semper manet in Ecclesia spiritualis potestas ad imponendam Decimam de nouo, etiam vbi nunquam soluta fuit, si iudicauerit, expedire. Hæc autem potestas de facto

facto nō est in aliquo inferiori summo Pontifice. Itaque vbi est præscripta consuetudo non soluendi quotam Decimę, vel simpliciter, vel ex talibus rebus, non possunt Clerici sua auctoritate illam petere, vel exigere, & iniustè facerent, si per coactionem vellent illam extorquere. Imò neq; Episcopi particulares, cuiuscunque dignitatis sint infra Pontificē, possunt imponere obligationem soluendi Decimā contra consuetudinē receptam. Ratio est, quia hoc est contra ius cōmune, inferiores autē Episcopi non possunt contra ius cōmune quicquā disponere, præsertim in re tam graui, & quæ potest esse onerosa fidelibus, & scandalū generare, quando de nouo introducitur. At verò in summo Pontifice semper manet integra hæc potestas: Nam in primis semper potest iuri cōmuni derogare: & licitè id facit ex legitima causa. Deinde potestas illa imperandi Decimas, quam supra diximus Pontificem habere, diuina est, & per nullam consuetudinem tolli, aut diminui potest: Et ideò sicut in principio, antequam esset in Ecclesia hæc, vel illa consuetudo, potuerunt Pōtifices præceptū Decimarū imponere, ita semper possunt, non obstante quacunq; cōsuetudine. Vnde licet semper possint cedere iuri suo, vel Ecclesiarū, vel conniuere, aut priuilegia concedere, vt capite sequenti dicā, nunquam possunt seipsos priuare potestate condendi hoc ius, quando, & vbi expedire senserint, neque subditi possunt ita præscribere contra hanc potestatem, quin teneantur consuetudinem relinquere, quoties Pontifex illā reprobauerit, aut mutauerit, & hæc est cōmunis resolutio, quam expressè tenet Ant. 2. p. tit. 4. c. 3. §. 16. & Sylvest. ver. *Decima*, q. 4. §. *Quantum ad tertium*. Couar. dicto cap. 17. nu. 12. & Gutierrez allegat plures dicto cap. 21. num. 51.

Hoc solùm ad summum Pontificem spectat.

12. Explicatur D. Tho. dupliciter.

Et iuxta hæc intelligendus est D. Thom. quando in dict. ar. 1. ad 5. ait, *Eos qui propter desuetudinem non soluunt Decimas, non esse in statu peccati, nisi fortè propter obstinationem animi habentes voluntatem non soluendi, etiam si ab eis petantur.* Duobus enim modis hoc potest intelligi: Primò quando adeò est obstinatus animus, vt licet Clerici seruientes Ecclesiæ, non habeant congruentem sustentationem, & ideò illam petant, nihilominùs fideles non sint parati ad illam dandam prætextu consuetudinis, nam hoc contra iustitiam esset. Vnde si fortasse Ecclesia aliqua superiori tempore habebat prædia, vel alios reditus, ex quibus posset ministros sustentare, & postea per mutationem rerum, & temporum ad paupertatem perueniat, & ideò de nouo petat Decimas, sine dubio tenebuntur fideles illas soluere, saltē in ea quantitate', quæ ad sustentationē sufficiat, dū modo ipsis de necessitate cōstet, quia iam tunc illud incipit esse debitū iustitiæ, & diuini, ac naturalis iuris, quod reddendū est, etiā sine interuentu humani præcepti. Imò si Ecclesia semper fuit indigens, & nihilominùs antecessores Parochi nō petebāt Decimas, nec sustentationē, sed cedebant iuri suo, & aliunde victū, ac vestitū, & nécessaria sibi quę rebant, postea verò succedentes Clerici nolint cedere iuri suo, sed petant sibi sustentationē debitā, tenebūtur fideles eā præstare & consequenter vbicūq; status Ecclesiæ est huiusmodi, quāuis Decimæ sine peccato nō soluātur, quandiu non petuntur, quia ita habet cōsuetudo, & quia censentur Pastores cedere iuri suo, nihilominùs tenentur fideles esse parati ad dandum saltem congrua, si petantur, & tunc procedit, quod D. Thom. ait, illos esse in statu peccati, si sint obstinati in contrario proposito.

13. Cur D. Th. particulam fortè addiderit.

Dixit autē *fortè*, non quia ius sit incertū, sed quia factū potest esse dubiū, id est, an Ecclesia verè indigeat, & an nō solutio Decimarū fundetur in volūtaria cessione Clericorū, vel in alia recompensatione. Tamen supposita facti certitudine, obligatio satis certa est, quia contra naturale ius præscribi non potest, & quia liberalitas vnius cedentis iuri suo non potest successori præiudicium afferre, nec obligare illum, vt etiam ipse cedat iuri suo. Imò neq; eadem persona, propterea quod aliquo tempore cessit, vel dissimulauit, obligatur, aut cogitur ad non petendum postea congruā sustentationem, si re vera illa indiget.

14. 1. Modus explicandi. *D. Thom.*

Alio modo potest intelligi illud dictū D. Th. de petitione Decimarū, etiā quoad quotā, quāuis non tota sit necessaria ad congruā sustentationem ministrorū talis Ecclesiæ, vel Prouinciæ, vel etiā si petatur in minori parte, noua tamen & nō solita solui, neq; propter nouam mutationem, & penuriam in bonis Ecclesiæ factā, sed solùm propter vniuersale ius Ecclesiæ, eiusque potestatem. Et in hoc sensu erit hoc etiam verum in ordine ad potestatē Pontificis, propter rationē supra factā, & quia ipse respicit vniuersale bonū Ecclesiæ, & ita potest statuere de nouo aliquid, quod obliget particularē Ecclesiā, vel Prouinciā, etiamsi ibi non sit facta noua mutatio, neq; occurrat particularis necessitas, quia vniuersalis gubernator, & dispensator potest vti sua potestate propter vniuersaliores causas. Qui ergo in huiusmodi Prouinciis, vbi nunc est talis consuetudo non soluendi Decimas, essent in animo obstinato non reddendi, etiāsi à Pontifice præciperē-tur, essent sine dubio in statu peccati mortalis. Si solū autē essent in proposito non dandi quotam Decimæ, vel aliā partem non necessariā ad sustentationem, etiā inferioribus Clericis petētibus, tūc nō essent in statu peccati mortalis. Et ita videtur clariùs locutus D. Th. *D. Thom.* in quodlibeto 2. ar. 8. dum ait, nō obstante quacunq; consuetudinē, Ecclesiam posse imperare Decimas, & fideles debere esse paratos ad obediendum illi: nam per Ecclesiam supremam eius potestatem intelligit, vt Authores citati rectè intellexerunt.

15. Posse cōsuetudine introduci varietatem in circū stantiis Decimarum.

Ex his, quæ diximus de virtute consuetudinis ad minuendā, vel abrogandam obligationem soluendi Decimas Ecclesiæ absolutè, & simpliciter, suppositā aliunde sufficienti sustentatione ministrorū, sequitur à fortiori, posse cōsuetudine introduci mutationem, seu varietatem in circunstātiis (vt sic dicam) circa solutionem Decimarū, vt v.g. quòd soluantur ex his rebus, & non ex illis, quòd soluantur huic loco potiùs, quā illi, v.g. Ecclesiæ vbi quis habet prędia, vel vbi recipit Sacramenta. Item quòd soluantur hoc tempore, hac mēsura, hoc modo potiùs, quàm illo, vt v.g. quod solùm soluantur, quando petuntur, vel etiāsi non petantur, vel quod soluantur in arca, aut deferantur in Ecclesiam, seu domum Parochi, & similia; hæc enim omnia ex consuetudine pendent, vt Iura supra citata docent, & in sequentibus in particulari dicemus. Ratio verò generalis est, quia Iura nihil statuunt in particulari de his circunstantiis singulis, & consuetudo de se habet vim sufficientem ad introducendā humanam regulā in his rebus seruandam, præsertim quādo alia deest. Quod ideò addo, quia sub consuetudine comprehendi debent pacta, & conuentiones humanæ, seu concordiæ, quæ in huiusmodi circunstantiis possunt transigi, & constitui inter Laicos & Clericos, dū modo sufficienti auctoritate confirmatæ sint. Nā si sint perpetuæ, Episcopi consensum requirunt, si verò ad tempus tantùm, vel vitam fiant, ex partium conuentione fieri possunt: Vt notat Gloss. in cap. *Ex multiplici*, de Decim. per textum ibi, & c. *Suggestum*, & c. *Nuper*, eodē tit. & c. *Statuimus*, ca. *Veniens*, de transact. Deniq; semper in his consuetudinibus supponendum est, manere integrum ius naturale dandi sufficientem sustentationem ministris Ecclesiæ: Nam huic iuri nūquam potest consuetudo derogare, & hæc regula applicanda semper est ad particulares casus, quos infra attingemus.

Gloss. Cap. *Suggestum.* Cap. *Nuper.* Cap. *Statuimus.*

16. Potest per consuetudinẽ aliquis liberari à soluendis Decimis. *Couar.*

Secundò sequitur ex dictis, posse aliquem vsu, & consuetudine legitimè præscripta liberari à debito soluendi Decimas, vel ex parte, vel etiam in toto. Ita sentit Couar. dicto c. 17. num. 10. contra nonnullos Canonistas, quos ibi refert. Verumtamen illi Canonistę fundabantur in opinione supra reprobata, quòd consuetudo non possit Decimarum debitum tollere. Suppositis autem iis, quæ diximus, nulla in hoc potest esse dubitatio, quia si consuetudo potest liberare ab hac obligatione totam communitatem, à fortiori poterit vnã, vel aliam personam eximere, quia minùs est eximere vnam personam, quàm omnes. Itẽ sicut consuetudo potest abrogare legem, ita & aliquem liberare ab obligatione legis humanæ: sed ostendimus, hãc legem Decimarũ quoad quotam, esse humanã, & ideò posse abrogari per consuetudinem, ergo eadẽ ratione potest limitari (vt sic dicã) seu exceptionẽ pati quoad vnam vel aliã personam, supponimus enim per hoc non priuari ministros sacramẽtorum congruenti sustentatione; hoc enim ius semper debet manere illæsum. Et ita sequitur Gutier. sup. num. 64. citans etiam Menchac. lib. 2. Contr. illust. cap. 89. num. 10.

Gutierr. Mencha.

17. Obiectio.

Sed obiici solet, quia Laicus nõ potest præscribere ius Decimarũ, id est, vt ei soluantur Decimæ ab aliis, ergo nec potest præscribere ius retinendi Decimas, quas ipse soluere deberet. Cõsequẽtia probatur. Quia hæc duo paria sunt; nã retinendo Decimas, quasi a se ipso illas recipit: Antecedẽs autem certũ est apud Iurisperitos ex c. *Causam, quæ*, de Præscript. vbi videtur esse expressa diffinitio: Et ratio est, quia Laicus est incapax spiritualis iuris, & persona incapax nunquam præscribit. Respondetur tamen, negando consequentiam: Nã longe diuersa sunt acquirere ius Decimarũ, vel liberari ab onere soluendi Decimas, illud enim prius est acquirere ius spirituale: Nam ius obtinendi Decimas spirituale est, onus autem soluẽdi Decimas, temporale, & ideò immunitas ab hoc onere in rigore tantùm est quædam commoditas, vel libertas temporalis, quæ consuetudine præscribi potest.

Cap. *Causam Satisfit.*

Satisfit.

18. Augetur argumẽti vis.

Sed vrgebis: Quia videtur contra iustitiam, quòd is, qui fruitur ministerio, & labore alterius, non soluat stipendium; cur enim onus hoc aliis accrescet, cùm non magis participent de huiusmodi ministerio, quàm ille alius, qui Decimas non soluit? Respondetur, posse hanc consuetudinem legitimè præscriptam non esse contra iustitiam, nam vel iniustitia consideratur respectu Parochi, vel respectu aliorũ Parochianorum qui soluunt Decimas: At verò respectu Parochi non est iniustitia, quia supponitur habere congruentem sustentationem, & illius parùm interest, quòd ab hoc, vel ab illo soluantur, integræ autẽ Decimæ non debentur illi, nisi iuxta cõsuetudinem præscriptam. Neque etiam respectu aliorum Parochianorum intercedit necessariò iniustitia, tum quia fieri optimè potest, vt licet alius non soluat Decimas, ipsi non plus soluant: tum etiam quia potest interdum rationabilis causa interuenire eximendi aliquem priuatum à communi onere aliorum, & quando inuenitur consuetudo præscripta legitimè, præsumitur exẽptionem illam ex aliqua legitima causa factã esse, imò etiã præsumitur priuilegiũ aliquod præcessisse, vel saltem bona fide reputatũ semper esse, quia nõ est verisimile, Pastores, & Parochos, ad quos pertinebat ius taliũ Decimarũ, tanto tẽpore dissimulasse, & patiẽter tolerasse, non solui sibi Decimas sine aliquo iusto titulo.

Respõdetur.

CAPVT XIII.

De tempore necessario, vt consuetudo non soluendi Decimas, sit legitimè præscripta.

1. Dicendum est in primis, in hac præscriptione seruandam esse regulam Cap. primi de Præscriptionibus in 6. Oportere talem consuetudinem immemorialem esse, vel necessarium esse ostendere titulum, in quo talis præscriptio fundata fuerit. Nam ad præscribendum contra Ecclesiam in his, quæ simul sunt contra ius cõmune, talis modus consuetudinis, & probationis ibi postulatur: Hæc autẽ præscriptio, de qua loquimur, & est contra Ecclesiam, & contra ius cõmune, vt constat, ergo in ea ius illius decreti seruãdum est. Et ita docent allegando alios, Couar. dicto cap. 17. nu. 7. 8. & 10. & Gutierrez nu. 65. & 67. & Molina tract. 2. de Iust. disput. 75. Addũt verò iidem Auctores, non esse eandem rationem de consuetudine totius communitatis in non soluendis Decimis, quia in illa sufficit tempus quadraginta annorum, etiam sine titulo, iuxta capitulum vlt. de Consuetudine, adiuncta Glossa, verb. *Legitimè præscripta*, & quæ ibi à Panormitano, & aliis notantur, & c. *Auditis*, de Præscriptionibus cum similibus.

Quanto tẽpore opus sit ad præscribendum in Decimis. Cap. 1.

Couar. Gutierr. Molin.

Aliter de cõmunitate loquendũ, aliter de particulari in hac materia. Cap. *vlt. Gloss.* Cap. *Auditis.* 2.

Contra hanc verò differentiam obstare videtur ratio supra facta, quòd faciliùs videtur eximere vnam personam ab onere soluendi Decimas, quàm totam communitatẽ. si ergo vt præualeat consuetudo totius communitatis contra debitũ Decimarum, sufficit tẽpus quadraginta annorũ absq; alio titulo, cur in priuata persona, vltra tempus quadraginta annorũ postulatur titulus & deficiẽte titulo, immemorialis cõsuetudo requiritur? Ad hoc respondent dicti Auctores, & rationem diuersitatis reddunt, quia peculiaris persona non eximitur ex vi solius consuetudinis, sed ex vi præscriptionis, communitas autem eximitur ex vi consuetudinis absque præscriptione, & ideò præscriptio priuatæ personæ regulanda est iuxta ius statutum in dicto cap. 1. de Præscriptionibus, in 6. quod de præscriptione contra Ecclesiam, quæ fit, resistente iure, expressè loquitur: Illud autem ius, cũ odiosum quodammodo sit, & restringens; non est extendendũ ad consuetudinem, quæ nõ est præscriptio, qualis est consuetudo totius communitatis de non soluendis Decimis. Cum ergo iuxta ius commune ad talẽ consuetudinem sufficiat tempus quadraginta annorum cum aliis conditionibus requisitis, vt suum effectum habeat, idem dicendum erit de consuetudine communitatis non soluendi Decimas.

Impugnatur tradita differentia.

Respõsio.

3. In quo differant consuetudo & præscriptio.

In hac verò resolutione, quam veram existimo, statim occurrit illa difficultas cur, vel in quo præscriptio à consuetudine distinguatur, quia præscriptio essentialiter videtur includere consuetudinem, cum nihil aliud sit, quàm ius quoddam vsu longi temporis bona fide acquisitum; vsus autẽ longi temporis, & consuetudo idem esse videntur, & è contrario omnis cõsuetudo debet esse legitimè præscripta, vt vim habeat, vt dicitur in dicto cap. vlt. de Consuet. Omnis ergo consuetudo præscriptionem aliquam inducit. Quæ est ergo illa differentia? Et quæ reddi potest ratio, ob quam ad consuetudinem non soluendi Decimam, sufficiat tempus quadraginta annorum absq; titulo, non verò ad præscriptionem? Item, cur immunitas priuatæ personæ à Debito Decimarum vocatur præscriptio, & non liberatio, & immunitas totius communitatis? Quod enim aliqui respondent, præscriptionem, & consuetudinem differre, quod præscriptione ius acquiritur priuatis personis, consuetudine autem communitati, & est petitio principij, & ad summum est quędam vocabulorum accommodatio, nonverò declarat rationẽ, ob quã plùs in priuata persona, quàm in cõmunitate postuletur. Eò vel maximè quòd etiam communitas potest præscribere tam contra aliam communitatem, quàm contra personas priuatas, vt ciuitas contra ciuitatem, & contra ciues, vt est res clara.

Cap. *vlt.*

Respõsio, quorundam impugnatur.

4. In hac differentia assignanda inter consuetudinem, & præ-

Assignatur discrimen. *Gloss. Couar. Matien. Molin. Gutierr.*

& præscriptionem laborant Iuris-periti, cum Glossa in c.vlt. de consuet. & in c.vlt.18. q.2. Couarr. allegans alios in regula *Possessor* 2.p. §.3.n.2.& Matienzo in lege 1.tit.lib.5. nouæ recopilat.Gloss.6.n.3. Molina libr. de Primogeniis, cap. 6. num. 10. Gutierrez, qui alios etiam refert dicto cap.21.n.68.& sequentibus.Omissis verò variis differentiis,quas ibi assignāt, breuiter dicendum videtur, si ad vsum tantùm terminorum attendamus, variam, & multiplicem esse, nam interdum consuetudo cōsummata vocatur præscriptio, & è conuerso, vt ex Paulo de Castro notauit Gutierrez suprà.In rigore verò illæ duæ voces,videntur se habere, vt generalis, & specialis, nam omnis præscriptio consuetudo quædam est, vt ratio supra facta probat, non tamen omnis consuetudo est præscriptio,vt statim declarabimus. Hinc ergo est,vt cōsuetudo soleat interdum à præscriptione distingui applicando genericum nomen vni speciei; prout est Dialecticis consuetum. Et hoc modo loquuntur Auctores citati in præsenti puncto.

Paul.de Cast.

5. Præscriptio est quid facti, consuetudo autem est quid iuris.

Differentia autem,quæ constituenda videtur inter præscriptionem, & consuetudinem, & ad rem præsentē maximè facit,est, quod præscriptio videtur esse quid facti (vt sic dicam) consuetudo autem quid iuris,accipiendo ius,prout ad legem pertinet, quia etiā illa vox æquiuoca est.Nam ius interdum sumitur pro lege,interdum verò pro facultate vtendi,vel nō vtendi aliqua re,vt est dominium, vel seruitus,& alia huiusmodi.Et ius hoc posteriori modo sumptum vocamus quid facti, quia non constituit legē, nec aliquid illi æquialens,sed respicit tantùm dominia,& potestates morales vtēdi rebus. Hoc ergo modo dicimus, præscriptionem esse quid facti, quia per se non constituit,vel mutat ius legale,sed mutat dominia rerum, vel æquialentia iura, quæ generaliter loquendo cōsistunt in facultate vtendi,vel non vtendi rebus, consuetudinem verò specialiter sumptam dicimus esse quid iuris, quia propriè dicitur consuetudo illa, quæ habet vim legis,vel quæ habet vim abrogandi legem, seu liberandi à iugo legis, nam semper priuatio ad habitum reducitur,&eiusdē ordinis reputatur.In qua differentia res ipsas satis nota est, nam sine dubio inuenitur ille duplex modus iuris,seu facultatis, vt cōstat ex materia de legibus, & iustitia,& iure. Constat etiam,vtrunque illorum posse vsu, & frequentia actuum acquiri, vt ex eisdem materiis manifestum est. Quòd autem vocabula consuetudinis,& præscriptionis ad illa duo significanda rectè accommodentur,ex vsu sapientium est etiam notum, sufficítque ad vsum terminorum,maximè cum non habeamus alias voces quibus illa duo distinctè significemus.

6. Ex hac ergo differentia expeditur optimè difficultas tacta, & redditur ratio discriminis supra constituti circa tempus præscriptionis priuatæ personæ, vel consuetudinis communitatis de non soluendis Decimis. Nam priuata persona non potest liberari à lege Decimarum per solam vim consuetudinis strictè sumptæ,& ideò vt liberetur,necesse est,vt propriè præscribat cum omnibus conditionibus in Iure requisitis ad veram præscriptionem talis rei: Ratio autem, cur non possit liberari per consuetudinem, est, quia vnius tantùm personę vsus longæuus non potest legem introducere,nam lex propriè respicit communitatem. Et eadem ratione priuatus vsus vnius personæ nō potest legem abrogare neq; immutare, quia eiusdem rationis,& potestatis est, ferre, aut abrogare illā,vel in illa dispensare.Et hinc est,vt priuata persona nunquam eximatur ab obligatione legis propter diuturnam non obseruantiam eius, etiamsi ex ignorantia inuincibili bona fide in illa perstiterit, sed quam primùm ignorantiam depulerit, incipiat lege obligari. Ergo per puram consuetudinem,vt est quid iuris, non potest aliquis eximi ab obligatione præcepti soluendi Decimas: Oportet ergo vt eximatur per præscriptionem,vt est quid facti, id est, vt potest dominia rerum augere,vel mutare,obligationes, & debita extinguere,seruitutes introducere, vel ab illis liberare,& similia.

7. Diuturnus vsus communitatis habet vim introducendi legem

At verò communitas potest liberari à iugo Decimarum per consuetudinem,vt est quid iuris: Et ratio est, quia frequens, & diuturnus vsus communitatis habet vim introducendi legem, & ideò potest etiam illam abrogare, si legitimo tempore duret. Ad abrogandam autem legem Ecclesiasticam,sufficit consuetudo quadraginta annorum, vt ex materia de legibus notum est,ideóq; etiam sufficit ad abrogandum præceptum de soluendis Decimis respectu talis communitatis,in qua illa consuetudo introducta tolerata est. Imò sunt qui putent minus tempus sufficere, vt lex Ecclesiastica per contrariam consuetudinem abrogetur. Sed hoc in generali pertinet ad materiam de legibus: in hac verò particulari lege Decimarum, omnes Auctores hoc tempus requirunt. Estque securior sententia,tum quia est iuri communi conformior, esto non sit in illo satis expressa: Tum etiam quia illa consuetudo est in graue damnum Ecclesiæ, & ideò temperanda est: tum etiam quia non potest prudenter præsumi in minori tempore de tacito consensu Pontificis, sine quo nihil potest consuetudo illa operari. Ob dictam verò causam, in communitate non petuntur conditiones aliæ ad præscriptionem requisitæ: Non quidem quia communitas etiam præscribere non possit: hoc enim non est in vniuersim verum, vt obiectiones probant: sed quia non oportet expectare rigorosam præscriptionem, sed sola consuetudo sufficit,vt notatum est.

8. Ad præscriptionem requiritur bona fides,non verò in consuetudine.

Potest denique hæc ratio ampliùs explicari ex alia differentia notanda inter præscriptionem,& consuetudinem, sumptas eo modo, quo à nobis explicatæ sunt. Nam ad præscriptionem requiritur bona fides in præscribente ab initio temporis vsque ad consummationem eius: maximè secundùm ius Canonicum, vt suppono ex toto titulo de Præscriptionibus, & ex propria materia. At verò ad consuetudinē abrogantem legem, non requiritur bona fides toto tempore illius: Nam in principio,quando cōsuetudo nititur contra legem solet inchoari cum mala fide,& per actus prauos,vtpote legi contrarios vt omnes fatentur, aliàs nulla consuetudo humana posset legem positiuam abrogare. Ex hac ergo differentia sequitur, meritò ad præscriptionem non soluendi Decimas in particulari persona, postulari immemorialem consuetudinem, aut in illius defectum postulari saltem consuetudinem longi temporis cum titulo. Quia vt præscriptio inducatur, requiritur bona fides, quando autem consuetudo est immemorialis, præsumitur bona fides, etiamsi de titulo non cōstet, quia sicut initiū consuetudinis extra memoriam hominū est,ita etiā facilè potuit obliuiscī titulus;& ideò præsumitur bonus, cum probari non possit malus.Imò si coniectura vtendū sit, verisimilius apparet tam diuturnum, & constantem vsum non potuisse sine bona fide introduci. Imò licet in principio malè inchoatus fuisset,postea potuit bona fide continuari, & ex quo cœpit bona fides, potuit etiam sufficienti tempore præscribi. quia immemoriale tempus totū hoc comprehendere potest, & ideò totum præsumitur, quando aliud non constat.

Quādo præsumatur bona fides in consuetudine, etiāsi nō cōstet de titulo.

9. Quādo præsumatur mala fides in cō suetudine.

At verò quando de initio consuetudinis constat,& non apparet titulus, eo ipso meritò præsumitur mala fides, q actus sine legitimo titulo factus contra communem legem, de se malus est. At verò actus

ille,quo inchoatur præscriptio,nisi habeat legitimam excusationem de se iniustus est,quia est,verbi gratia, vsus, vel detentio rei alienæ, & ideò nisi ostendatur titulus,cõtra se habet præsumptionẽ,maximè in præsenti, vbi non soluere Decimas est contra ius commune,& adeò graue,vt difficilè dispensetur, aut priuilegium contra illud concedatur. Item quia nõ potest quis in eo casu iustam causam obliuionis tituli allegare, cum ipsummet initium consuetudinis immemoriale non sit. At verò ad consuetudinem alicuius cõmunitatis de non soluendis Decimis sufficere censetur tempus quadraginta annorum absque alio titulo,quia, vt dixi, illa non est præscriptio, sed aliud genus consuetudinis, in quo in principio non requiritur bona fides, & ideò non postulatur præsumptio eius,sed siue præcesserit,siue non,consuetudo est sufficiens ad derogandum legi, dummodo habeat alias conditiones in tali consuetudine requisitas, & præsertim quòd sciente, & tolerante Pontifice, ad eum statum peruenerit. Et per hæc satis responsum est ad difficultates omnes supra insinuatas.

CAPVT XIV.

Quid possit Summus Pontifex in remittendis, vel dispensandis Decimis.

1. 2. Difficultas, an Pontifex possit abrogare totam legem Decimarum

EX potestate Summi Pontificis insurgit specialis difficultas circa doctrinam cap. 111. quæ hoc loco expedienda est, & simul declarabimus, quantùm extendatur potestas Pontificia, vel prout in ipso est, vel prout participatur ab aliis Episcopis tam circa ius Decimarum, quàm circa prouectus, seu reditus ipsos: Quod magna ex parte attingit materiam de beneficiis, non tamen inuoluemus illam, sed tantùm nonnulla fundamenta iaciemus. Difficultas ergo est,quia videtur sequi ex dictis, Pontificem Summum posse abrogare totam legem Decimarum, salua tantùm congrua sustẽtatione Clericorum: Consequens nulla ratione videtur admittendum, quia esset in magnam perniciem Ecclesiæ, & in destructionem, & non ædificationem,ergo. Sequela patet,quia dictum est,præceptum Decimarum quoad quotam esse merè Ecclesiasticum,solúmq; pertinere ad ius diuinum naturale ratione congrui stipendij: Pontifex autem potest abrogare totum id,quod est de solo iure Ecclesiastico: quia totum pendet ex volũtate ipsius,quia per quam voluntatem introductum est, potest etiam tolli; nam si affirmatio est causa adæquata affirmationis, negatio erit negationis.

2. An possit sibi capere Decimas relinquendo Ecclesiasticis sufficiens stipendium.

Secunda difficultas est, quia sequitur posse Pontificem sibi vsurpare totas Decimas quoad quotam,relinquendo cæteris inferioribus omnibus Ecclesiasticis ministris solùm certum stipendium sufficiens ad congruam sustentationem iuxta vniuscuiusque statum: Consequens est durissimum,& nullo modo admittendum. Sequela patet, quia Pontifex habet in se supremam potestatem, ergo in rigore solùm tenetur ad id, ad quod iure diuino naturali obligatur, nam positiuum ipse potest mutare, sed dando aliis stipendium sufficiens, satisfacit iuri diuino naturali, ergo vsurpando reliqua, contra nullam legem facit, ergo

3. An possit liberare à Decimis quem voluerit.

potest licitè id facere. Tertia difficultas similis est, quia sequitur,posse Pontificem suo arbitrio liberare,, quem voluerit à debito soluendi Decimas, & dare cum voluerit ius recipiendi illas,vel applicare illas ad hunc,vel illum locum,aut personam,ita vt etiam licitè id faciat, si ex rationabili causa, vel saltem validè, etiamsi absque illa pro sola voluntate faciat: Consequens autem non est admittendum, ergo. Sequela probatur eodem modo, quo aliæ, quia in omnibus illis factis nihil est contra ius naturale, sed tantùm contra Ecclesiasticum.

3. Quorúdam opinio.

Circa quæstionem hanc multi ex Canonistis docuerunt, Summum Pontificem non posse tollere in totum,seu absolutè,& simpliciter præceptum de Decima soluenda, etiam quoad quotam, sed solùm posse eximere aliquem ab hac obligatione,& concedere huic,vel illi vsum,aut ius Decimarũ. Ita tenet Glossa in cap. *A nobis* de Decimis. Quam scribentes ferè sequuntur,Hostiens. Ioan. Andr. Panor. & alij, tum ibi, tum etiam in cap. *Licet*,& cap. *Ad audientiam*, & cap. *Ex parte tua*,eodem tit. Fundantur autem quoad primum dictum in hoc, quod præceptum Decimarum est diuinum, & ideò non potest in totum abrogari à Papa: Confirmant hoc, & declarant, quia Deus ipse retinuit sibi Decimas in signum vniuersalis dominij, iuxta cap. *Tua nobis*, de Decimis: Non potest autem Papa facere quin homines recognoscant Deum, vt vniuersalem Dominum.

Glossa. Hostiens. Ioan. And. Panorm.

Cap. *Tua nobis.*

4. Posse aliquos eximi à Decimis.

Nihilominùs verò addunt, posse Pontificem eximere aliquos particulares ab onere soluendi Decimas, quia potest,inquiunt, remittere ex parte ius diuinum,& naturale. Ponit glossa illa exemplum in iure libertatis humánæ, quod naturale est, & ideò non potest in totum tolli, non enim possunt omnes homines fieri serui, potest autem ex parte remitti, quia possunt aliqui in seruitutem redigi. Aliter verò Panor.& Hostiens.cum existiment,præceptum hoc Decimarum pertinere ad moralia, differentiam constituunt inter illud, & alia moralia, quòd alia non possunt per Pontificem tolli,nec remitti,quia continent immutabilem honestatem. In hoc autem præcepto duplicem distinguunt considerationem:Vna est,quatenus ordinatur ad recognitionem supremi dominij Dei;& hac ratione dicunt, non posse tolli omnino à Papa. Alia consideratio est, quatenus concernit commodum Clericorum; Et hac ratione dicunt,posse ex parte, & quoad aliquas personas remitti. De tertio autem puncto, scilicet, de potestate applicandi Decimam ad hanc, vel illam personam ait Panormitanus, rem esse claram, quando personæ sunt Ecclesiasticæ, quia ibi nihil fit contra præceptum diuinum, sed ad summũ contra Ecclesiasticum: Si verò Decimæ conferantur Laico, est inter Canonistas nonnulla dissensio, quam in sequentibus attingemus: Nunc de duobus primis punctis pauca dicenda sunt.

5. Refellitur primum Canonistarum dictum.

Primum ergo dictum Canonistarum falso nititur fundamento,quia, vt ostendimus, totum hoc præceptum Decimarum non est de iure diuino merè positiuo, quia ius positiuum legis veteris omninò cessauit; in lege autem Euangelica nullum est ius positiuum diuinum de Decima quoad quotam: Et licet inueniatur ius Euangelicum de Decimá sustentationis, illud non est propriè positiuum,sed est explicatio iuris naturalis,quod in Ecclesia locum habet,suppositâ institutione eius, & ministrorum illius. Ex hoc ergo iure diuino solùm potest colligi.Pontificem non posse dispensare,aut efficere, quominus ministris Euangelicis congrua sustentatio debeatur, quia hoc est contra ius naturale. Si autem ipse alio sufficienti modo prouideat Clericis, & Ecclesiis de sustentatione congrua,ex illo principio non potest ostendi,hoc esse extra Pontificis potestatem. Nec confirmatio illa de recognitione vniuersalis dominij diuini, alicuius momenti est, nam licet sit de iure naturali hæc recognitio,& protestatio illius per aliquod signum sensibile, determinatio autem huius signi per solutionem Decimæ non est de puro iure naturali, vt est euidens ex dictis in principio huius libri. Quod si illa determinatio facta est in lege veteri, quoad illam fuit ius illud positiuum, & temporale, licet diuinum, &

ideò

ideò iam nunc non obligat, vt lex diuina fuit. Ac subinde si talis determinatio nunc etiam est in lege gratiæ, solùm est in quantum Ecclesia vult illam facere, & in ea imitari antiquum ius diuinum, & ideò quantum est ex hoc capite, per eandem Ecclesiam poterit talis determinatio auferri, & constitui, vt illa recognitio vniuersalis dominij Dei fiat per alias oblationes, vel contributiones, præterquam quòd etiam fit per diuinum sacrificium.

6. Refellitur secundum punctum.

Præterea, in secundo puncto non satis constanter loquuntur: Nam verum ius diuinum, vt supra dixi, non solùm non potest in totum auferri, verum etiam nec diminui circa propriam materiam suam. Quod in primis clarum est in iure naturali, seu morali proprio, id est, quod ex se necessarium est, secluſa omni B lege positiua diuina, & humana: Nam quod est contrarium tali iuri naturali, intrinsecè malũ est, & prohibitum, quia malum, non malum, quia prohibitum, & ideò in quocunque indiuiduo semper est malum, quia semper secum defert intrinsecam rationẽ suam, ergo tale ius non solùm in totum, sed etiam quoad quãcunque partem immutabile, & irremissibile est, maximè per potestatem homini concessam. Neque exemplũ adductum à Glossa ad rem facit, quia quòd homines sint liberi, & non serui, non est de iure naturali præceptiuo, (vt sic dicam) sed est de iure naturali concessiuo, seu creatiuo (vt sic etiam rem declarem) si enim puram naturã hominis consideremus, ab illa habent homines naturaliter, vt liberi procreentur. C Non est autem aliqua lex naturalis, quæ præcipiat, vt homines in illa libertate cõseruentur, aut generẽtur semper. Et ita cum ius libertatis dicitur naturale, illud ius non est propriè legale, sed dominatiuum (vt supra in simili distinxi) quia videlicet dominiũ libertatis, seu propriarum actionum naturale est, & ideò auferri non potest, nisi ex legitima causa, & potestate: Nam quod hoc modo auferatur, non est prohibitum præcepto naturali. Et in idem redit, quod aliàs dici solet libertatẽ esse de iure naturæ negatiuè, non affirmatiuè, quia lex naturalis non facit hominem seruũ, neque etiã positiuè præcipit, vt semper sit liber. In illo ergo exemplo nec tollitur, nec remittitur ius naturale præceptiuum, de quo tantum in præsenti sermo est. D

7. Differentiã supra traditam non subsistere.

Differentia autem à Panormitano, & Hostiensi assignata inter hoc præceptum, & alia moralia, subsistere non potest, supponendo, vt supponunt, hoc etiam præceptũ morale esse. Nam si ius naturæ determinatè præcipit, vt homines habentes fructus terræ, soluant Deo quasi tributum decimæ partis in recognitionem vniuersalis dominij eius, nullus hominum poterit eximi ab hac lege, sicut nullus filius eximi potest à lege honorandi parentes, & sicut nullus hominum potest eximi à lege colẽdi Deum cultu externo illi naturaliter debito, quicunque tandem ille sit. Quapropter ex illo principio non solùm deberẽt concludere, hanc recognitionem diuini dominij non E posse in vniuersum auferri, verum etiam nec posse diminui, aut aliquem ab illa eximi. Verumtamẽ quia ius illud quoad talem determinationem, vt dixi, naturale non est, ideò quantum est ex hoc capite, non minùs in totũ auferri, quàm ex parte remitti potest. Addo, quod licet hoc ius esset positiuum diuinum, nihilominùs dicendum iam esset, non posse ex parte remitti, magis quàm auferri in totum, quia non potest Pontifex dispensare in iure Diuino positiuo, nisi fortasse in casu sibi specialiter concesso. Vnde sicut non potest auferre præceptum diuinum confitendi, vel communicandi, ita non potest cum aliqua persona in talibus præceptis dispensare. Dices; posse Pontificem remittere Decimas debitas Ecclesiæ, etiamsi debeantur iure Diuino, quia hoc non est dispensare A in præcepto Diuino. Respondeo in primis, hoc non satis esse, vt dicatur remittere ipsum ius Diuinum in parte. Nam hoc modo quilibet Parochus, vel beneficiatus habens ius ad Decimas, potest eximere aliquẽ remittendo ius suum, nam ibi interuenit, quædã virtualis donatio, & consequenter ex parte alterius præcedit virtualis solutio, per quam seruat præceptum soluẽdi Decimas. Deinde illa remissio faciẽda à Pontifice solùm haberet locum in Decimis ad ipsum speciali titulo pertinentibus, quia non faceret illam per potestatem supra legem Decimarum, sed per ius propriũ, seu dominiũ, quod haberet circa tales Decimas.

Obiectioni respõdetur.

8. Pontificis potestatem dupliciter spectari.

Omissis ergo fundamentis illius doctrinæ, & supposita communi sententia Theologorum supra explicata circa modum, quo Decimæ sunt de iure Diuino, vel Ecclesiastico, aduertendum vlteriùs est, potestatem Pontificis quoad iurisdictionem, seu administrationem Ecclesiasticam; duobus modis spectari posse. Primò secundùm se; seu nudè sumptam, quomodo dici potest quædam absoluta potentia, secundò prout subest directioni, & regimini Spiritus sancti, quomodo dici potest potentia quædam ordinata. Rursus in vsu huius potestatis distinguendum est inter licitum, & validum. Multa enim per potestatem iurisdictionis fiunt, quæ licet illicitè fiant, facta tenent: Quanquam è conuerso nihil fiat inualidè, quin etiam illicitè fiat, per se loquendo, seu nisi ignorantia excuset, quia semper ibi interuenit illicita vsurpatio iurisdictionis, seu potestatis, quæ non habetur. Optimus autem vsus potestatis est, quãdo & est validus, & licitus.

9. Põtifex quo modo validè possit Decimas omninò tollere.

Dico ergo primò, Pontificem absoluta potestate vtendo posse omninò obligationem Decimarum tollere, ita vt si id faceret, factum tenere, quamuis malè faceret, saluo tamen semper naturali iure alendi Ecclesiasticos ministros. Ita docent communiter Theologi supra citati, quos Couar. Gutier. & alij moderni Canonistæ sequuntur ex principio posito, quòd hæc obligatio est de iure Ecclesiastico, potest autem Pontifex auferre totum Ecclesiasticum præceptum; quia semper pendet ex eius voluntate non vt talis, vel talis persona est, sed vt Pontifex est. Si ergo per impossibile daretur casus, in quo Pontifex totum hoc præceptum abrogaret, Laici non tenerentur ad quotam Decimæ soluendam, neque in rigore ad aliquam determinatam partem fructuum, sed retinerent tantùm naturalem obligationem alendi ministros suos, hanc enim auferre non potest Pontifex, etiamsi vniuersa Ecclesiastica præcepta euerteret per impossibile (vt dixi) Et consequenti ratione, si in eo casu Pontifex non determinaret modum alendi ministros, Episcopi possent, & deberent illum determinare, quia sunt ordinarij Pastores, & habẽt sufficientem iurisdictionem, nisi impediantur. Quod si ipsi etiam hoc facere omitterent, tunc ipsimet fideles prudẽti arbitrio possent modum illum determinare, præsertim per modum cõpositionis cum suis Clericis diuina ministrantibus. Et iuxta hanc assertionem & sensum eius existimo, intelligendos esse auctores modernos dicentes, posse Pontificem remittere Decimam, reducendo illam in vigesimam, aut trigesimam partem, non tamen posse in vniuersum præceptum de Decimis auferre, vt videre licet in Soto dict. lib. 9. de Iust. q. 4. art. 1. Couar. dicto c. 17. à n. 9. Gutier. dicto c. 21. n. 30. qui alios allegant. Intelligunt autem, vt apertè explicant, non posse auferre in totum præceptum Decimarum, quatenus continet sustentationem necessariam ministrorum, vel nisi hæc aliunde suppleatur. Posset etiam id interpretari iuxta sequentem Assertionem.

Soto. Couar. Gutierr.

10. Quomodo non possit Põtifex Decimarũ legẽ abrogare.

Dico secundò, simpliciter loquendo, non posse Pontificem legem Decimarum in totum abrogare, etiam quatenus Ecclesiastica est. In hoc Canonistis

assentior, Theologis non repugnantibus, vt ex declaratione patebit: Nam in primis certũ est talem, abrogationem non posse licitè fieri, quia non esset dispensatio, sed dissipatio redituum Ecclesiasticorum. Deinde talis vsus supremæ potestatis à Christo datæ Pontifici sine dubio cederet in grauissimum, & generale damnum totius Ecclesiæ, non solùm temporale, sed etiam spirituale, tum quia necessario fieret consequẽs, vt diuinus cultus, & maxima ex parte minueretur, & ferè in vniuersum indecenter, vel sine cõuenienti ornatu, & honore fieret. Præterea Ecclesiasticæ personæ vilescerent, essentq; veluti mercenarij operarij Laicorum, & ita ab eis contemnerentur, & sæpè etiam cogerentur ad Sacramenta indignè tractanda. Vnde vlterius ipsimet Clerici habentes animarum curam, nec de illa essent multùm soliciti humano, & morali modo loquendo, neque in administrando suo munere auctoritatem, & libertatem necessariam habere possent. Tandem, subuentio pauperum, & miserabilium personarũ magna ex parte periclitaretur. Hinc ergo magna cum probabilitate inferimus, cum ad prouidentiam Spiritus sancti pertineat, regere, & gubernare supremam potestatẽ Pontificis, vt non erret, saltem cum notabili & communi detrimẽto totius Ecclesiæ, fieri non posse, vt eum huiusmodi abrogationem facere permittat. Hoc ergo modo dicimus simpliciter non posse in totum tollere Decimas, sicut etiam alibi diximus, non posse Ecclesiasticã immunitatem abrogare, vel Ecclesiasticas cęremonias auferre, aut similibus modis vniuersalem Ecclesiæ statum perturbare. Atque hic etiam loquendi modus consentaneus est modo loquendi ipsorum Pontificum, vt constat ex cap. *Litteras* de Restit. spoliat. cum similibus.

Cap. *Litteras.*

11. Pontifex potest cum aliquibus dispensare in Decimis.

Dico tertiò. Potest Summus Põtifex in particulari eximere aliquos à solutione Decimarum, nõ tantùm cedendo iuri suo, sed dispensando, vel in præcepto ipso soluẽdi Decimas, vel in vsu, & applicatione ipsorum fructuum Decimarum. Tota hæc assertio communis est, & satis certa ex vsu ipso, & praxi Pontificum; frequenter enim hæc priuilegia conceduntur, vt colligitur ex c. *Anobis*, & cap. *Ex parte* de Decimis, & ex cap. *Nuper*, eodem titulo eadem potestas colligitur, quamuis similia priuilegia ibi aliquo modo restringantur: Eadem potestas colligitur ex cap. 2. de Ecclesiis ædificandis, & ex cap. vlt. *Vt lite pendente*, & ex variis priuilegiis Religionibus concessis, quæ interdum satis ampla sunt, & iuri etiam communi derogant, quæ fortasse inferius tractãdo de statu Religionis explicabimus: hic enim prouinciam hanc non assumimus, ne doctrinæ ordinem peruertamus. Videri potest interim Ioannes Azorius in 1. tom. li. 7. c. 37. q. 6. 7. & 8. Ratio denique est, quia præceptum soluendi Decimas, Ecclesiasticũ est, vt sæpè dixi, & ideò per potestatem Ecclesiasticã possunt aliqui eximi ab eius obligatione. Dices, præceptum hoc naturale esse saltem quoad Decimam sustentationis, ergo dispensatio Pontificis non poterit omninò eximere à Decimis soluendi, saltem quoad sustentationem. Respondeo, quamuis naturale ius dictet dandam esse ministris congruentem sustentationem, non tamen dictare, vt detur ab omnibus, & singulis personis, seu mẽbris communitatis, ideoque potest Pontifex eximere omnino aliqua membra in particulari, dummodo ex Decimis, quas alij soluunt, habeãt Ecclesiastici ministri congruam sustentationem, vel aliunde eis sufficienter sit prouisum, hæc enim conditio semper subintelligenda est; ne illam repetere necessarium sit.

Cap *Anobis.* C. *Ex partt.* Cap. *Nuper.*

Azorius.

12. Et ex ratione data constant aliæ partes assertionis, scilicet, hoc priuilegium nõ concedi per modum donationis, seu sessionis ex rebus propriis, vel pertinentibus ad propriũ, & speciale ius Pontificis: Nam constat, generaliter priuilegia concedi respectu cuiuscũque Ecclesiæ, Episcopatus, vel beneficij. Datur ergo per modum dispensationis in lege communi, vt probatum est. Vel certè intelligi etiam posset per modũ applicationis talium Decimarũ ad vsum & sustentationem eorum, quibus tale priuilegium conceditur, vt in priuilegiis Religiosorum facilè considerari, & credi potest. Vnde circa huiusmodi dispẽsationes, ac priuilegia in primis necessaria est iusta causa, saltem vt licitè concedantur, quia dispensatio in lege communi causam iustã requirit, vt licitè fiat, sicut in materia de Legibus constans est. Maximè verò est necessaria talis causa, quando dispensatio redundat in aliquod præiudicium, vel grauamen aliorum, vt in præsenti contingit, nam exemptio aliquorum à Decimarum solutione minuit reditus Ecclesiasticorũ. Quocirca etiam si hæc dispensatio consideretur, vt distributio, & applicatio redituum Ecclesiasticorum, magnam causam requirit, vt aliis applicentur, quàm illis, quibus ex communi, & ordinario iure competebant. An verò hæc causa necessaria sit etiam ad valorem concessionis, statim dicemus. Est enim vlteriùs considerandum, qualis sit persona, quæ à solutione Decimarum eximitur. Potest enim esse vel Ecclesiastica, vel Laica.

Dispensatio in Decimis requirit iustã causam.

De Ecclesiasticis indubitatum est apud omnes, facilè posse illis hanc exemptionem concedi. Vt aduertunt Anton. & Panor. in cap. *Anobis* de Decimis. Imò siquis rectè consideret Iura omnia, & indulta, quæ supra ad hoc conformandum allegauimus, inueniet per illa omnia cõcedi pro priuilegium Ecclesiasticis personis: Nam Religiosi omnes in hoc ordine continentur. Vnde certum existimo priuilegium hoc Ecclesiasticis concessum validum semper esse absque alia extrinseca causa, tum quia ipsamet subuentio personarum Ecclesiasticarum, vel alicuius particularis Ecclesiæ est causa iusta, & quasi intrinsecè inclusa in hac dispensatione. Tum etiam quia per hoc priuilegium non immutatur generalis ratio, & quasi adæquatus finis, & per se intentus in Decimis, qui est diuinus cultus, & sustentatio ministrorum Dei, ac pauperum, sed immutatur particulare ius applicandi hanc partẽ Decimarum huic Ecclesiæ, vel illi, his personis, vel illis: hoc autem licet aliquam causam requirat, quatenus per tale priuilegium aliquo modo ius commune immutatur, tantò verò minor causa sufficiet, quantò minor est immutatio: præcipuè tamen cauendum est, ne tale priuilegium cedat in aliorum scandalum, vel rationabilem querimoniam, iuxta capitulum *Suggestũ* de Decimis. Nihilominùs tamen etiamsi in hoc summus Pontifex interdum sit nimium liberalis, ita vt excedat iustitiam causæ, ac denique licet in tali concessione peccet, nihilominùs cẽseo, priuilegium esse validum, quia cõtra nullum ius diuinum est, nec contra naturale; semper enim suppono, Ecclesiæ, & Clericis relinqui sufficientes reditus, & ita in rigore non fit illis iniuria contra iustitiam commutatiuam, licet fiat contra legalem, & fortasse etiam contra prudentem distributionem, & fidelem dispensationem. Et in hoc etiam videntur conuenire Ant. & Panormit. supra.

13. Exemptio à Decimis Ecclesiasticis facilè potest concedi. *Anton. Panor.*

Cap. *Suggestum.*

Priuilegium hoc sine causa cõcessum adhuc est validum.

At verò in personis Laicis habet hoc priuilegium nonnullam maiorem difficultatem, quia per exemptionem earum non hæc, vel illa Ecclesia, aut hæc, vel illa pars personarum Ecclesiasticarum, sed in vniuersum totum Ecclesiasticum corpus illis Ecclesiasticis reditibus priuatur. Quod videtur esse magnum præiudicium Ecclesiæ, & contra ipsam institutionem Decimarum. Vnde ex nullo iure Canonico (quantum inuenire potui (probari potest tale priuilegium Laicis concessum. Nihilominùs certum est, ex iusta causa posse

14. Quomodo Laicis possit concedi hoc priuilegium.

poſſe hoc priuilegium concedi Laicis. Probatur primò, quia per hoc non læditur ius diuinum, vel naturale: ergo non eſt, cur poteſtas Papæ ad hoc non extendatur. Secũdò probatur à fortiori, quia Laico poteſt Pontifex concedere Decimas, quas alij ſolunt Eccleſiæ, ergo ex ſimili, vel proportionali cauſa poteſt idem Pontifex Laico concedere, vt Decimas non ſoluat, ſed ſibi retineat. Vt autem tale priuilegium licitè concedatur, iuſta cauſa neceſſaria eſt, vt ex dictis conſtat: An verò ſit etiam neceſſaria ad valorem eius in ſequenti capite dicemus.

CAPVT XV.

An priuilegium de non ſoluendis, vel de recipiendis Decimis ſine cauſa Laico conceſſum, validum ſit.

1. DIcemus priùs de priuilegio non ſoluendi Decimas. Illud enim ſine cauſa conceſſum Laico eſſe inualidum, tenet Anton. in dicto cap. *A nobis*. Fundatúrq; in hoc, quòd talis exemptio derogat iuri diuino Decimarum, diſpenſatio autem, quæ attingit ius diuinum, ſi abſque cauſa detur, inualida eſt, vt patet in voto, & iuramento, in quo ipſe ponit exemplũ.

Panor. Sequitur hãc opinionem Panor. ibi dicens, ſic priuilegiatum non eſſe tutum in conſcientia ex remiſſione Papæ. Quia licet Papa (inquit) habeat plenitudinem poteſtatis, debet tamen facere, ſicut diligens pater familias, diſpenſando vnicuique, prout opus eſt. Citat etiam capitulum primum 16. q. 7. ſed ibi nihil agitur de poteſtate Pontificis, ſed de retentione, vel vſurpatione Decimarum propria auctoritate. Panormitanum vero ſequi videtur Sylueſt. verb. *Decima*, quæſt. 5. vbi refert Innocentium, & alios.

Sylueſt. Innocent.

2. Validã eſſe exemptionẽ à Pontifice factam etiã ſine cauſa.

Hæc autem ſententia communiter non videtur probari ab aliis Auctoribus, qui ſimpliciter aſſerunt, poſſe Pontificem eximere quoſcunque fideles à ſolutione Decimarum, dummodo id fiat ſine præiudicio naturalis iuris ſuſtentãdi congruenter miniſtros Eccleſiæ. Et licet in particulari non definiant, validam eſſe exemptionem in dicto caſu, tamen ex eorũ principiis colligi videtur. Quia tota hæc diſpenſatio eſt tantum in iure Eccleſiaſtico, & non in diuino poſitiuo, vel naturali. De poſitiuo eſt res clara, quia nullum eſt ius diuinum à Chriſto ſpecialiter traditum, quod omnes Chriſtianos in particulari obliget ad Decimas ſoluendas. De naturali probatur, quia (vt ſupponimus) per exemptionem vnius non grauantur alij ſoluentes Decimas (quod videri poſſet contra naturalem iuſtitiam) quia non plus ſoluunt, quàm ſi alter non eſſet exemptus. Neque etiam fit propria iniuria Eccleſiæ, quia nondum habet ius in Decimis ſoluendis, priuſquã ſoluantur. Et quod talis perſona in particulari teneatur ſoluere Decimas, non eſt debitum Eccleſiæ ex iuſtitia, ſed ex ſolo præcepto Eccleſiæ, ergo exemptio alicuius ab hoc præcepto licet ſit illicita, non eſt contra iuſtitiam commutatiuam reſpectu Eccleſiæ, ergo talis diſpenſatio ex hac parte non eſt contra ius naturale, ergo nec eſt inualida ex tali capite, ergo ſimpliciter valida eſt, quia licet ſit illicita ex ſuppoſitione præcepti communis Eccleſiaſtici, & ex defectu cauſæ legitimæ, hoc non ſatis eſt ad nullitatem. Et cõfirmatur: Nam Laicus poteſt præſcriptione acquirere hanc exemptionem, vt diximus, neque ad valorem talis præſcriptionis ſpecialis cauſa examinatur, aut poſtulatur, ergo ſignum eſt, hunc effectũ tantum derogare iuri Eccleſiaſtico, ac ſubinde poſſe fieri à Pontifice validè, licet inordinatè fiat. Dixi autem, *dummodo id fiat ſine præiudicio, &c.* quia ſi propter talem exemptionem Eccleſia tantam indigẽtiam pa-

A teretur, vt non poſſet miniſtros, & fabricam ſufficiẽter ſuſtentare, tunc priuilegium non excuſaret, quominus priuilegiatus teneretur ſoluere Decimas ſaltem ad hunc finem neceſſarias, vt ſatis conſtat ex hactenus dictis.

3. Poteſt Pontifex applicare partem Decimarum aliis perſonis, etiã Laicis.

Maior difficultas eſt, quando ex Decimis, quæ re vera ſoluuntur Eccleſiæ à fidelibus, magna pars illarũ applicatur aliquibus Laicis per Pontificẽ. In qua ſupponimus in primis poſſe Pontificem, non ſolùm Eccleſiis, vel perſonis Eccleſiaſticis, ſed etiam Laicis applicare aliquam partem Decimarũ, & validè, & licitè, ſi iuſta ſit cauſa. Ita docent omnes, & cõſtat ex vſu. Ratiò verò eſt, quia licet Laicus ſit incapax ſpiritualis iuris, non eſt tamen incapax fructuum Decimarũ,

B quia temporales ſunt; Pontifex autẽ eſt ſupremus diſpenſator horum fructuũ, ergo poteſt illos applicare cuicunq; perſonæ capaci, ſi ſecundum rectam & conuenientẽ cauſam expedire iudicauerit. Poteſt autem hæc cauſa eſſe vel pia ſubuentio perſonæ verè indigẽtis, & dignæ tali ſubſidio, vel adiutoriũ alicuius Principis ad defendendã Eccleſiam, vel gratitudo pro magnis laboribus pro Eccleſia ſuſceptis, & aliæ ſimiles. Quod totũ ex frequenti vſu Eccleſiæ manifeſtum eſt.

4. Applicatio ad perſonas Eccleſiaſticas valida eſt, etiam ſine cauſa ſufficiẽte facta.

Deinde ſolùm quærimus de Laicis, quia quando hęc diſtributio, vel applicatio fit inter ipſas Eccleſias, vel perſonas Eccleſiaſticas, aliter tamen, quam in iure communi ordinatum ſit: Tunc etiam videtur certum, applicationem eſſe validam, etiamſi abſque ſuf-

C ficienti cauſa fiat, non ſine aliqua culpa, vel inordinatione. Ratio eſt, quia etiam tunc fit diſpenſatio tantùm in iure Eccleſiaſtico & ſi aliquis defectus ibi committitur, non eſt in rigore contra iuſtitiam commutatiuam, & ideò non ſufficit actum facere inualidum. Quod totum conſtabit ex ſequenti puncto, in quo eſt maior difficultas.

5. Applicatio facta Laico ſine cauſa, nulla eſt.

Vltimò ergo videtur dicendum, largitionem, Decimarum factam Laico per modum diſpenſationis, vel applicationis Pontificiæ ſine cauſa pietatis, quæ honeſtet actionem eſſe in conſcientia nullam, & non reddere tutum nec Pontificem applicãtem, nec eum, cui applicatur. Hæc aſſertio ex hypotheſi tãtum procedit ad veritatem explicãdam; credendum eſt enim,

D Pontificas, quoties has Decimas diſtribuunt, habere rationabiles, & pias cauſas, & ideò, qui has gratias recipiunt, ſi bona fide procedãt, & veram informationem cauſarũ tribuant, ſecuros poſſe eſſe in conſcientia, præſumendo ſemper legitimam eſſe conceſſionẽ. Decimus nihilominùs, ſi contingat talẽ diſpenſationẽ fieri ſine cauſa, ſolùm ex humano affectu, vel prodigalitate quadam, & hoc conſtet recipienti gratiam, non reddere illum tutum in conſcientia. Hoc à fortiori ſumitur ex ſententia Panormitani, & Anton. ſupr. citata, & ex eorum fundamento, nimirum, quia hoc repugnat aliquo modo iuri diuino naturali: Quod tamen fundamentum longè aliter, quàm ipſi ſentiant, nos explicamus: Nõ enim agimus de præcepto ipſo ſoluendi Decimas, ſed de alio diuino iure,

E quod illo poſito reſultat. Quod in primis declarati poteſt iuxta opinionem eorum, qui dicunt, Decimas, & reditus omnes Eccleſiaſticos ipſi Deo immediatè donari, & ſub illius dominio tantũ eſſe, homines verò, etiam Pontificem, tantũ eſſe illorũ diſpenſatores: Nã ex hoc principio optimè ſequitur, diſpenſationẽ taliũ bonorũ contra Dei voluntatem factã, eſſe nullã, vtpote contra veri Domini voluntatẽ, & vltra illius commiſſionem, talis enim eſt diſpenſatio, quæ fit ſine cauſa legitima, ſeu ad pietatem pertinente. Confirmatur, Quia diſpẽſatio in his, quæ attingunt diuinum ius facta ſine cauſa legitima, eſt nulla, vt cõſtat in diſpẽſatione voti, ergo ſimiliter in præſenti applicatio eſt nulla, quia eſt contra ius Deo acquiſitum.

Panor. Anton.

Cõfirmatur.

6. Aliud fundamentum commodius assignatur.

Quia verò principium illud non est certum, nec fortassè verum, ideò possumus aliter rationem explicare supponendo Ecclesiasticos reditus sub dominio aliquo humano constitui, siue illorum dominus censeatur esse determinata persona; cui ratione beneficij applicati sunt, siue ipsa communitas Ecclesiæ, ad quam tales reditus pertinent, illíque collati sunt, vt in diuino cultu, & sustentatione ministrorum eius, & pauperum, aliísque piis operibus consumantur. Sic enim etiam Papa non est Dominus Decimarum, seu Ecclesiasticorum redituum, his exceptis, qui illi in particulari ratione suæ dignitatis, & officij, seu beneficij applicati sunt, (de quibus hic nunc non tractamus) Ergo contra iustitiam, atque adeò contra ius diuinum naturale facit, quando Decimas ex primæua institutione sua Ecclesiæ tributas ad prædictos fines, in vsus merè humanos, & prophanos conuertit, ac prodigit: Est ergo talis elargitio nulla, quia etiam est contra voluntatem veri Domini, & contra iustam intentionem eorum, qui Decimas soluunt, ac denique sine potestate legitima facta, quia Deus non dedit Pōtifici potestatem dispensandi in dissipationem, sed in ædificationem: Neque in hoc inuenio obiectionem aliquam, vel rationem, quę contrarium probabiliter suadeat.

7. Iniustam esse applicationē si minister propriæ Ecclesiæ sustentatione careat.

Hinc verò obiter infertur, quotis Decimæ, seu fructus alicuius beneficij ita applicantur alteri loco, vel personæ, vt beneficiatus ipse, seu minister Ecclesię debita sustentatione priuetur, iniustam esse applicationem, & nullam, saltem quoad partem necessariam ad cōgruam sustentationem ministri. Ratio est, quia talis actio est contra naturalem iustitiam, quę dictat dignum esse operarium mercede sua: Quæ ratio procedat, etiam si is, cui applicati sunt fructus, sit persona Ecclesiastica, vel locus piùs, quia semper committitur, dicta iniustitia. Vnde fit, vt non obstante tali applicatione, teneatur is, cui tales fructus applicati sunt, congruenter alere beneficiatum, nisi Pontifex ipse aliter illi prouideat, vel conferendo ei aliud beneficium sufficiens, vel pensionem, vel ex propriis bonis illum sustentando. Patet, quia non potest aliter illa inæqualitas ad debitam æquitatem redigi. In quo tamen considerandum est (vt latiùs dicemus infrà tractando de Horis canonicis) dupliciter posse aliquem recipere beneficium quoad titulum sine fructibus etiam ad sustentationem necessariis: vno modo sciens, & videns, ac liberè consentiens, & tunc nulla illi fit iniuria, ideóque obligatur satisfacere officio, propter quod beneficium datur, etiamsi nullum emolumentū ei conferatur, quia voluntariè se obligauit suis expensis inseruire, quando sciēter tali modo beneficium acceptauit. Et hoc generale est in omnibus beneficiis, tam Curatis, quàm habentibus ministerium aliquod annexum, siue omninò simplicibus, seruata proportione, quia ratio facta in omnibus militat. Alio verò modo potest quis recipere tale beneficium per deceptionem, & ignorantiam, & tunc non tenetur sine stipendio, saltem sustentationis congruæ ministrare, quia nec se sponte obligauit, nec iustè cogi potest, vt inuoluntariè ita faciat sine aliqua extrema Ecclesiæ necessitate. Neque etiam cogi potest, vt beneficium, relinquat, si absque stipendio ministrare non vult, quia postquam illud recepit, est verus Dominus, & habet ius illud retinendi debito modo. Nec denique cogi potest, vt non inseruiat, vel ministret, vt sic Pontifex, vel tertia persona, quæ fruitur Decimis, liberetur obligatione sustentandi illum. Tum quia si beneficium habeat curam animarum, illa deserenda non est, si verò habeat annexum aliud ministerium, vel seruitium Ecclesiæ etiam est præstandum, quia non debet Ecclesia priuari seruitio suo, maximè quando ad spirituale regimen, vel bonum commune spectat, & eadem ratione nunquam potest obligari beneficiatus, vt non præstet officium proprium sui beneficij, ne ius ad propriam sustentationem acquirat, quia hoc semper est, & contra commune bonum Ecclesiæ, & contra proprium ius, quod acquiritur ex vi tituli beneficij, talis ergo applicatio Decimarum quoad hanc partem valere non potest.

Dupliciter posse recipi beneficium sine fructibus.

8. Si nec Pontifex, nec Pēsionarius prouideat ministro Ecclesiæ, an populus ad id teneatur. Pars affirmatiua *D. Thom.*

Sed quid si in eo casu nec Papa, nec Pensionarius prouideat ministro Ecclesiæ de congruenti sustentatione, & ipse nihilominùs inseruiat, tenebitúrne populus, qui aliàs sufficiētes soluit Decimas, illum congruenter alere, augendo oblationes, vel alio modo illi prouidendo? Aliqui affirmant, tribuíque solet D. Tho. 2.2. q. 86. art. 1. quia affirmat populum teneri ad alendum ministrum ex oblationibus, quādo indiget, quæ est certa, & communis sententia, vt etiam supra à nobis dictum est, sed in eo casu Sacerdos indiget, vt supponitur, ergo. Confirmatur primò, quia ille Sacerdos non potest licitè deserere ministerium suum, cum sit pastor ouium, nec tenetur gratis ministrare, & aliunde quærere victum, nam qui altari deseruit de altari viuere debet, ergo tenetur populus illum alere. Confirmatur secundò, quia ille populus simpliciter debet huic ministro sustentationem, & licet soluat Decimas, illæ tamen cum effectu non perueniunt ad ministrum, nec ex illis sustentatur, ergo non satisfit debito eius, ergo semper manet apud populum obligatio implendi tale debitum. Sicut si debitor mittat per famulum pecunias debitas creditori, & famulus ei non tribuat, sed defraudet, tenebitur debitor iterum eas soluere. Aliis videtur dura hæc sententia, quia populus ille semel iam soluit iustum stipendium suorum ministrorum per Decimarum exhibitionem, ergo non potest iustè obligari, vt iterum alat ministros, quia nemo tenetur duplicatum stipendium pro ministerio præstare. Item qui semel misit debitam pecuniam creditori per ministrum ab eo designatum, vel admissum, vel certè publica auctoritate constitutum, etiamsi per iniquitatem ministri talis pecunia cum effectu non soluatur creditori, non tenetur debitor iterùm eam soluere, sic autē est in præsenti, & in hoc multum deficit exemplum in contrarium allatum. Denique onus sustentandi Vicarium, seu ministrum est quasi reale, & inhærens ipsis Decimis, vnde cum illis transit ad eum, cui conferuntur, vel ad Pontificem, per quem applicantur, ergo non potest simul manere in ipso populo.

Pars negatiua.

9. Dirimitur quæstio.

In hac re primò certum est de iure non teneri talem ministrum, siue beneficiatum, siue Vicarium ministrare suis stipendiis, sed illi deberi de iustitia sustentationem ab aliquo. Secundò est certum primum debitorem (vt sic dicam) huius congruæ sustentationis esse illum, qui Decimas recipit, siue ille habeat etiam titulum beneficij, & minister sit Vicarius eius, siue è contrario ipse minister habeat titulum beneficij, & alius recipiat omnes Decimas per modum pensionis, vtroque enim modo potest casus accidere. Et in priori est res clarior, quia ille est proprius pastor, & Vicarius subit vicem eius: Veruntamen etiam in posteriori modo Assertio locum habet propter rationem supra insinuatam, quod Decimæ transeunt cum hoc onere, quæ statim ampliùs confirmabitur. Tertiò videtur etiam certum in casu, quem tractamus, scilicet, quando sine iusta causa Decimæ alteri donatæ sunt, seu applicatæ per Pontificem, ipsummet Pontificem teneri secundo loco (vt sic dicam) ad ministrum alendum, id est, in defectum alterius, cui applicatæ sunt Decimæ; quando nec ipse præbet congruam sustentationem, nec Pontifex vult eum cogere. Tunc enim Pontifex ipse

ipse tenetur, quia est prima radix, & causa illius iniustitiæ; vnde non potest iterùm grauare populum sine grauissima causa ad commune bonum pertinente: Difficultas verò superest, quando neuter satisfacit huic obligationi, an cadat in populum quasi tertio loco: Nam pars quidem affirmans videtur sanè probabilis propter rationem priori loco factam: Iuxta quã dicendum esset, semper manere ius apud populum ad recuperandos huiusmodi sumptus, & è conuerso eũ, qui recipit Decimas, & in defectum eius, Pontificem teneri ad resarciendum populo damnum illud, quia est causa eius contra iustitiam.

10. Non teneri populum in eo casu ad sustẽtationem ministri. *Couar. Soto.*

Nihilominus censeo contrariam sententiam veriorem, scilicet non obligari populum ad prębendam sustentationem in eo casu, etiam cum dicto ordine: Quam indicat Couarr. libr. 5. Variar. cap. 17. num. 3. in fine, absolutè affirmans, non posse cogi in eo casu populum ad alendum ministrum, citatque in eandem sententiam Sotum libr. 9. de Iust. quæst. 3. art. 1. qui non tam clarè loquitur. Et quidem quando ille, qui seruit beneficio, est Vicarius alterius proprij beneficiarij, res est clara, quia iam populus satisfacit proprio Pastori: Et Vicarius non cum populo, sed cum ipso beneficiario pacisci tur, propriéque est minister eius, & ideò ab illo, & non à populo iniuriam patitur, quare populum grauare non potest. Et ideò *Concil Trid.* Concilium Trident. sæpius prouidit de congrua portione Vicariis designanda, & soluenda, sess. 6. cap. 2. de Refor. & sess. 7. cap. 5. & 7. & sess. 25. cap. 16. Deinde licet proprius Pastor, seu beneficiatus sit, qui ministrat, & Pontifex alteri iniustè applicuerit Decimas, non relicta congrua sustentatione ministranti, non est ad illam præstandam populus grauandus, nec in conscientia obligandus, quia re vera soluendo Decimas satisfecit suæ obligationi. Nec obstat, quod non dederit ei, qui immediatè seruit tanquam proximus Pastor, quia satis est, quod dederit supremo Pastori, qui est etiam immediatus Pastor, si vult, aut debet de illo sufficienter prouidere. Sicut etiam si Rex non soluat stipendia debita Prætoribus, vel Iudicibus Regni, non tenetur Regnum illa soluere, quia iam soluit Regi (vt supponitur) sufficientia tributa, vt per se, & ministros suos Regnum gubernet, & iudicet. Ad hunc enim modum se habet populus Christianus respectu Pontificis, nec possunt fideles aliter reddere suis proximis ministris sustentationem ex Decimis debitam, ergo si per ipsum Pontificem impediatur, ne pars illa Decimarum cum effectu perueniat ad beneficiatum ministrantem, non potest obligatio illa iterùm in populum recidere. Neque tunc cogitur beneficiatus sine stipendio ministrare, nam semper habet ius stipendij, & Papa, vel alius tertius semper tenetur illud ei præstare: Quod si non faciant, & cogi non possint propter potentiam eorum, non potest propterea populus obligari ad resarciendam iniuriam, quam alius committit.

11. Prælatos inferiores non posse ius Decimarũ mutare. *Rebuf. Ratio.*

Vltimò, est in fine huius cap. addendum, reliquos prælatos Ecclesiæ inferiores Pontifice, nullam habere potestatem circa iura Decimarum immutanda, vel Decimas ipsis aliter distribuendas, vel applicandas, quàm iure communi statutum sit, vel legitima consuetudine receptum. Conclusio est communiter recepta ab Auctoribus in hoc, & superiori cap. citatis, maximè ab his qui vix in Summo Pontifice hanc potestatem agnoscunt. Et de Episcopis in speciali id docet Rebuffus quæst. 5. de Decimis num. 32. vbi multa iura adducit. Ratio verò est, quia cæteri Episcopi, vel Prelati sunt inferiores iure communi, & non possunt immutare ea, quæ per Summos Pontifices stabilita sunt, nisi in casibus sibi concessis, hic autem nulla talis concessio eis facta est, neque in Iure vel Concilijs legitur: Sed solùm in quibusdam specialibus casibus, eis committitur, vt Decimas, vel aliquam earum partem, aut beneficia ex illis instituta ad aliqua opera, vel loca pia applicare possint nunc vniendo beneficia, nunc diuidendo, vel Decimarum partem applicando. Quæ concessiones maximè in Concilio Tri- *Concil. Trid.* dentino factæ sunt, vt videre licet sessio. 7. capit. 5. 6. 7. & 8. de Reform. & sessio. 21. cap. 3. 4. 5. & 7. & sessio. 22. cap. 9. & sessio. 23. cap. 18. sessio. 24. cap. 13. & 15. sessio. 25. cap. 9. Et in plerisque ex his locis dicitur, hanc potestatem tribui Episcopis, vt Apostolicæ sedis legatis, & si attente inspiciantur omnia dicta Iura, & similia, concessiones illæ non tam sunt relaxationes communis iuris ad Decimarum solutionem, & applicationem pertinentis, quàm directiones, & prouidentissima remedia, vt finis Decimarum fructuosiùs comparetur, & ius ipsum executioni mandetur. Aliæ ergo dispensationes, vel exceptiones, aut liberales concessiones circa Decimas, nec ad ordinariam potestatem Episcoporum pertinent, neque ipsis concessæ inueniuntur.

CAPVT XVI.

Vtrum præceptum soluendi Decimas obliget omnes, an solos fideles, præsertim Laicos.

EXplicata vi, & origine huius præcepti, de circunstantiis, & modo implendi illud, agendum est inter quæ primum occurrit persona, cui præceptum impositum est, in qua explicanda Regula generalis facilis est: exceptiones autem sunt variæ, & obscuriores ad explicandum. Regula igitur generalis est, omnes baptizatos, qui de manu Sacerdotum sacramenta tenentur recipere, teneri per se loquendo, & ex vi communis iuris ad Decimas soluendas, nisi aliquo legitimo titulo exempti sint. Hæc Regula sumitur ex D. Thom. 22. quæst. 87. art. 1. & 4. & aliis *D. Thom.* Theologis, Canonistis, & Summistis infra referendis: Et probatur ex cap. *Ex transmissa*, & cap. *A nobis*, de Decimis: Nam in priori dicitur, fideles omnes teneri ad Decimas soluendas; in posteriori additur exceptio, *Nisi quis se exemptum ostendat*. Ratione declarabitur, & probabitur melius per singulas propositæ Regulæ partes discurrendo. Ca. *Ex transmissa.* Cap. *A nobis.*

Omnes baptizatos ad Decimas obligari.

2. Expenduntur tres partes positæ Regulæ.

Tres enim principales partes in proposita Regula considerandæ sunt. Prima explicat conditionem necessariam, vt aliquid hoc præcepto obligetur, nimirum quod baptizatus sit; per quam excluduntur infideles omnes non baptizati. Et ratio est, quia præceptum Decimarum considerari potest, vel quatenus naturale est, vel quatenus Ecclesiasticum. Priori modo non obligat infideles, quia illi non sunt Ecclesiæ membra, & consequenter Sacerdotes Ecclesiæ non sunt eorum Pastores, nec ministrant illis spiritualia, nec pro illis offerunt, ergo nec possunt ab eis exigere Decimas, nec ipsi tenentur eas soluere ex vi iuris naturæ, cum in eis deficiat fundamentum illius obligationis, scilicet, illud: *Dignus est operarius mercede sua*. Posteriori etiam ratione non possunt obligari, quia præcepta Ecclesiastica solùm obligãt baptizatos, *Nam de his, quæ foris sunt, nihil ad nos*. 1. Cor. 15. Dixi autem, *baprizatos* omnes obligari hoc præcepto, vt hoc modo explicarem verba dicti c. *Ex transmissa. Fideles omnes.* Intelligenda enim sunt de fidelibus in foro Ecclesiæ, cuiusmodi sunt baptizati omnes: nam per baptismum vnusquisque Ecclesiæ subiicitur, & præceptis eius.

1. Pars. Infideles non obligãtur Decimarũ præcepto. 1. *Cor.* 15.

Vnde hæretici baptizati re vera obligantur hoc præcepto: Tum quia ratione characteris obligantur Eccle-

3.

Hæretici tenentur Decimas soluere.

Ecclesiasticis præceptis: Tùm etiam quia ante hæresim erant obligati, vt constat, non eximuntur autem à tali obligatione suo vitio, & voluntate; non est enim hoc in subditi potestate: Tùm præterea, quia licet de facto non sint fideles propter iniquitatem suam, iure tenentur esse fideles, & per Ecclesiam cogi possunt, vt ad fidem reuertantur. Et similiter licet fortasse de facto non recipiant spiritualia ab Ecclesiæ ministris, tenentur recipere, & ipsi Sacerdotes parati sunt ad ministrandum, imò ex officio ad hoc tenentur, & debent actu facere, prout possunt, vel eos monendo, & illuminando, quantum possunt, vel certè eos cogendo, vel puniendo propter hæresim, & Apostasiam. E' contrario verò, licet aliquis fidelis sit, quandiu baptizatus non est, sed catechumenus, in rigore non tenetur ad soluendas Decimas, propter rationem dictam, quia sola fides absque charactere, & solemni fidei professione, quæ in susceptione baptismi fit, non subiicit homines præceptis Ecclesiæ. Loquor autem de catechumeno filio infidelium, qui sua sponte ad Ecclesiam venit, nam filij Christianorum ex vi originis subduntur Ecclesiæ propter characterem parentum, & per voluntatem, seu obligationem eorum, & ideò si contingat eos habere dominia rerum, & fructuum priusquam baptizentur. Decimis soluendis sunt obnoxij, & tanquam baptizati censentur.

Qui cathecumeni obligentur ad Decimas.

4. Obiectio. Cap. *De terris.* Cap. *Quãto.* Soluitur.

Duæ verò difficultates circa istam partem occurrunt. Prima est, quia per ius Ecclesiasticum Iudæi non baptizati tenentur soluere Decimas, capit. *De terris*, de Decim. & capit. *Quanto*, de vsur. ergo non est in vniuersum vera regula posita. Respondent aliqui distinguendo inter Personales, & Prædiales Decimas, & limitando regulam à nobis positam ad Personales Decimas, nam ad Prædiales soluendas cogi possunt etiam infideles non baptizati, vt iura facta probant. In qua distinctione prior pars, nimirum hos infideles non teneri ad Personales Decimas, communis, est cum Glossa in dicto cap. *De terris*. Et conuincitur rationibus factis. Panorm. verò in dicto cap. *De terris*. Num. 6. illam limitat, vt intelligatur per se, & formaliter (vt sic dicam) de Decima, nam per modum compensationis ait obligari Iudæum non baptizatum habitantem in Parochia Christianorum ad soluendũ Ecclesiæ valorem Decimę personalis, quam Christianus ibidem habitans posset soluere: Nam infidelis habitando ibi impedit, ne Christianus habitet, & consequenter defraudat Ecclesiam Personali Decima, quam esset perceptura à fideli ibi habitante, & ideò cogi potest ad satisfaciendum interesse. Et hoc fortasse significauit Glossa in cap. *Tua nos*. vers. *Prætextu*, De Decimis, dicens: *Nam & Iudæus præstat Personales Decimas quasdam quandoque, sed non omnes, licet non ratione diuini obsequij*. Non explicat enim quæ sint illæ Decimæ, nec qua ratione soluendæ sint, nec videtur alia posse excogitari præter eam, quàm Abbas expressit.

Glossa. *Panorm.* *Gloss.* *Abbas.*

5. Iudæos non obligari ad Decimas Personales.

Hanc verò sententiam non probat Soto lib. 9. de Iustitia quæstion. 4. articul. 4. Nec mihi verisimilis videtur, Quia nullo iure fundatur, imò siquis recte expendat caput penultimum de vsur. inde sumet argumentum ab speciali, satis probabile contra hanc sententiam. Dicitur enim ibi, cogi posse Iudæos ad satisfaciendum Ecclesiis pro Decimis, quas de domibus, & aliis possessionibus recipere consueuerant, non ergo pro personis. Deinde neque in ratione habet illa sententia fundamentum, nam ille prætextus non est solidus, neque verus: quia Parochialis Ecclesia non habet ius acquisitum, vt omnes, qui intra eam habitant, laborent, & lucrentur aliquid mani-

nibus, aut negotiatione sua, ex quo Decimam soluant, sed hoc liberum est, ac voluntarium etiam ipsis fidelibus. Alioqui nobilis habitans in aliqua Parochia, cum Personales Decimas non habeat, deberet nihilominùs satisfacere Ecclesiæ interesse pro Decima Personali, quam negotiator ibidem habitans posset dare, & similiter Clericus habitans intra Parochiã, quia impedit ne ibi habitet artifex, qui solueret Personales Decimas, deberet soluere interesse: hęc autem, vel similia admittere ridiculum est, ergo etiam respectu infidelis similis prætextus fictus est, & non verus. Adde, posse Iudæum venire ad habitandum in Parochia Christianorum, de nouo ibi domum ædificando, & consequenter neminem impediendo. Denique si nunc in Iapone diuiderentur Parochiæ, & in singulis manerent Gentiles habitantes inter fideles, possent obligari ad soluendas Decimas Personales ratione interesse; quod dicere, nec pium, nec vtile esset, & sine dubio verum non est. Quia quòd Gentilis hîc habitans impediat, vel non impediat habitatorem fidelem, & obnoxium Personalibus Decimis, & incertum, atque contingens, & accidentarium est: Nam ille vtitur iure suo, & per se non facit contra aliquod ius Ecclesiæ acquisitum, ergo ad nullam satisfactionem tenetur.

6. Ad prædiales Decimas obligantur Iudæi. C. *Tua nobis.* *Panor.* *Syluest.* *Hostiens.* *Gloss.*

De Prædialibus autẽ Decimis videtur illa sententia frequentior: Quam tenet Glossa in dicto cap. *Tua nobis*, Panormitanus supra, & Syluester vers. *Decimæ* quæst. 7. cap. 1. citans Hostiensem, & hoc maximè videtur probari per Iura citata: Sed vt rectè aduertit Glossa in dicto capit. *De terris*, Iudæi non obligantur ad soluendas Decimas vt sic, etiam Prædiales, sed solùm obligantur ad soluenda onera realia talium prædiorum. Nam ipsi Iudæi, vel quicunque infideles non baptizati ratione suarum personarum non obligantur soluere aliquid, vt probatum est. Et ideò in Assertione posui illam partem *per se*, quia hîc consideramus vim directam præcepti de soluenda Decima. Nihilominùs tamen, quia prædia ipsa habent annexam Decimam Ecclesiæ soluendam tanquam onus ipsiusmet rei, necesse est vt ad Iudæum, & quenlibet alium transeat cum illo onere, vt Ecclesia seruetur illæsa, & hoc modo potest infidelis obligari ad Decimas Prædiales per modum satisfactionis interesse. Quod satis in Iure ipso declaratur: Nam in dicto cap. *De terris* dicitur, *Ne fortè illa occasione Ecclesiæ valeant suo iure fraudari*. Itaque supponit, Ecclesiæ ius esse acquisitum in tali fundo, quoad talem pensionem & Iudæos cogi, non ad Decimam vt sic; sed ad non lædendam Ecclesiam. Imò in dicto capit. *Quanto* dicitur, Pœna etiam imposita cogendos esse Iudæos *ad satisfaciendum Ecclesiis pro Decimis, & oblationibus debitis, quas de domibus, & possessionibus aliis accipere consueuerant; antequam ad Iudæos quocunque titulo deuenissent*, Vbi Glossa notat rationem, *Quia res* (inquit) *transit cum suo onere*. Supponitur ergo ius illud acquisitum in rem ipsam.

Cap. *De terris.* Ca. *Quanto.* *Gloss.*

7. Duplex modus quo Ecclesia acquirit ius reale in Decimis.

Quod autem onus hoc intelligatur esse reale, & quasi adhærens ipsis rebus, duobus modis accidere potest. Primò ex vi alicuius contractus, vel per specialem donationem factam Ecclesiæ, aut inter viuos, aut per testamentum, aut legatum, vel quia possessio illa fuit aliquando Ecclesiæ, & cum illo onere illam alienauit, vel alio simili modo: & tunc nulla est difficultas neque id pertinet ad ius Decimarum, sed potiùs ad oblationes, de quibus suprà dictum est. Alius modus est, vt possessio aliqua intelligatur habere hoc ex vi iuris Decimarum, & hoc est, quod ad præsens spectat, quando autem prædium aliquod intelligatur habere tale onus reale, & quæ conditiones ad hoc requirantur, in cap. seq. explicabimus.

Ex

3. Infideles vbicunq; degãt, Decimas Ecclesiæ debere, falsò quidam aiunt.

Ex his verò iuribus conuincitur, falsam esse sententiam Abbatis, vbi suprà, & Oldrandi Consil. 9. 1. omnes infideles, vbicunque degant, debere Ecclesiæ Prædiales Decimas, & iure ad eas soluendas cogi posse, si facto esset possibile: Et si nunc conuertantur, teneri in conscientia ad persoluendas omnes Decimas, quas antea non soluerant. Fundamentum eorum esse potuit, quia Ecclesia habet ius possidendi totam vniuersi terram, & consequenter exigendi Decimas ab omnibus prædiis vbique gentium, & iniquè ab infidelibus impediri, ne hoc iure vtatur, & fruatur. Hæc ergo sententia falsa est, & improbabilis, vt Soto supra notauit, & ex illo cap. *Quanto* satis improbatur: Nam ibi dicitur Iudæos posse cogi pro Decimis, *Quas Ecclesiæ de possessionibus prius accipere consueuerant*. Ergo alij infideles non possunt obligari pro Decimis prædiorum, quæ ad Ecclesiam nunquam pertinuerunt. Ratio itaque est, quia illa prædia nunquam habuerunt tale onus reale, neque cum illo peruenerunt ad Gentiles, verbi gratia, à quibus possidentur, ergo illi non tenentur ad tales Decimas nec ratione suarum personarum, nec ratione rerum ipsarum, ergo nullo titulo. Nec ratio in contrarium quicquam probat, quia Ecclesia non habet proprium ius iustitiæ ad terras infidelium, nec ipsi peccant contra iustitiam, vel eas occupando, vel fidem non recipiendo, sed tantùm contra fidem ipsam, & contra salutem propriam, ideóque non habet in eis locum obligatio per modum satisfactionis, seu cuiusdam restitutionis. Habet tamen nonnullam probabilitatem in terris, quæ aliquando fuerunt Christianorum, & in eis fuerunt erectæ Ecclesiæ, & prædia in ius Decimarum attributa fuerunt, postea verò ab infidelibus, & Paganis per iniusta bella vsurpata sunt. Nunquam enim priuata fuit Ecclesia iure acquisito in illa prædia, vt à fortiori sumitur ex Concil. Hispal. 2. cap. 1. & habetur in cap. *Prima*, 16. q. 3. & cap. *Cum per beliscam*. 34. quæst. 1. neque contra hoc ius ab infidelibus præscribi potuit, ideóque semper videntur obligari ad satisfactionem reddendam Ecclesiæ pro illo interesse.

Ca. *Quanto*.

Quã probabilitatẽ hoc habeat in terris, quæ iam fuerũt Christianorum. *Concil. Hisp.* Cap. *Prima*. & Ca. *Cum per*. Vide Barbosam in lege. (Diuortio) §. (Interdũ) à num. 7. ff. solut. matrimonio.

9. Quid de hoc sentiendum.

Sed licet hoc de rigore iuris, & speculatiuè fortasse verum sit, tamen moraliter loquendo est nullius vtilitatis, quia isti infideles, dum in sua infidelitate manent, moraliter obligari non possunt ad hanc recompensationem, multoque minus possunt cogi, & facilè possunt excusari, saltem per ignorantiam inuincibilẽ. Nam licet fidei ignorantiam inuincibilem non habeant, huius tamen Ecclesiastici iuris omninò illã habere possunt. Si verò ad fidem conuertantur, nulla ratione obligandi sunt ad aliquid satisfaciendum Ecclesiæ pro huiusmodi Decimis, seu interesse illius non soluto, tum quia esset intolerabile onus, & magnum fidei impedimentum, tum etiam quia Ecclesia id facere non consueuit: Eò vel maxime, quia licet ius Ecclesiæ semper duret quasi in habitu, vt scilicet, si contingat, Prouincias illas ad Ecclesiam Catholicam reuocari, Diœceses, & Parochiæ cum suis prædiis, quantùm de illis constare poterit, instaurentur, quod ad summum probant Iura citata: nihilominùs quandiu ibi spiritualia non ministrantur, videtur cessare ius illud, vel quasi suspendi in actu, quia debentur Ecclesiæ propter ministerium, & in sustentationem ministrorum, Ecclesiarum instaurationem, & cultum; cum ergo hæc omnia in illis regionibus cessent, non videtur peculiaris aliqua iniuria inferri Ecclesiæ, eò quòd Decimæ illi non soluantur, sed sit iniuria generalis in detentione iniusta illius terræ totius, & omnium fructuum eius, quos omnes tyranni illi, & infideles restituere tenentur, sed illa restitutio (vt dixi) non potest ad praxim reduci.

10. Proponitur obiectio.

A Statim verò occurrit altera obiectio, quia licet infideles non sint subiecti Ecclesiastico iuri, subiiciuntur nihilominùs iuri diuino, ergo ratione illius obligantur ad soluendas Decimas. Primò, quia ipsi etiam tenentur recognoscere Deum vt supremum Dominum; Deus autem ipse Decimas sibi solui præcipit in recognitionem sui supremi dominij, vt dicitur in cap. *Tua nobis*, de Decimis, ergo. Secundo quia licet non teneantur Gentiles soluere Decimam quoad quotam, tenentur tamen quoad sustentationem, quia tenentur auditum fidei præbere, & prædicatores Euangelij recipere, & ad hoc possunt à Pontifice summo cogi: ergo etiam cogi possunt ad alendos huiusmodi prædicatores, & pastores Ecclesiæ, quatenus huic muneri incumbunt, & ad illud parati sunt, & ex officio obligati. Et hoc modo Sacerdotes Ecclesiæ, etiam respectu infidelium, sunt ministri Sacramentorum saltem quoad baptismum, & seminant illis spiritualia per fidei doctrinam, & præcepta, ac Sacramenta, ergo etiam in illis habet locum illud Pauli: *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* 1. Corinth. 9. Confirmatur ipso vsu, & experientia: Nam ad mittendos prædicatores Euangelij ad Sinas, verbi gratia, vel Iaponios, magnas expensas facere necesse est; & plures ad conseruandos, nutriendos, & augendos illos, ergo potest Ecclesia has expensas ab ipsismet Gentilibus exigere, cum teneatur hoc modo illos pascere, & nemo militet suis stipendiis vnquam.

C. *Tua nobis*.

1. *Cor.* 9.

11. Respondetur obiectionis.

Prior pars huius obiectionis facilis est, Nam licet omnes homines teneantur iure naturæ diuinum dominium recognoscere, non tamen ex vi eiusdem iuris tenentur illam recognitionem facere per solutionem Decimarum, vt supra ostensum est, Fuit ergo illa determinatio facta iure diuino positiuo, quod olim non omnibus hominibus, sed populo Israelitico positum fuit; nunc verò etiamsi demus sub illa etiam ratione morali fuisse ab Ecclesia retentum, tamen vt sic, non potest extra Ecclesiam extendi, vt probatum est. Qui ergo sunt extra Ecclesiam non tenentur hoc peculiari modo diuinum dominium recognoscere, donec baptizentur, sicut non tenentur ad colendum Deum per sacrificium Missæ, sed solùm quantùm naturalis ratio dictat. Difficilior est altera pars, non enim satisfacit, quod Soto ait, infideles non baptizatos, licet immediatè obligentur ad fidem, & baptismum suscipiendum, non tamen ad alia Ecclesiæ præcepta. Hoc enim verum est de præceptis positiuis Ecclesiæ: & ita solùm concludit de Decima quoad quotam: Obiectio autem procedit de Decima quoad sustentationem, & de præcepto iuris diuini, quod videtur annexum illi præcepto ricipiendi fidem, & baptismum. Quia qui præcipit actum, præcipit omnia quæ ad actum consequuntur, Deus autem ipse subiecit omnes gentes Ecclesiæ, quoad hoc, vt tenerentur prædicationem Euangelij per eius ministros suscipere, audire, & eis parere proximè, & immediatè quoad fidei, & baptismi susceptionem, sed ad hoc necessarij sunt ministri, & consequenter eorum sustentatio, ergo.

D *Soto.*

12. Probabile est posse exigi tributum ab infidelib' ad prædicatores eorum alendos.

Probabile profectò est, hoc titulo posse Ecclesiam, & principes eius aliquod tributum ab infidelibus exigere, ad quos de facto prædicatores Euangelij mittũtur, tum ad expensas itineris, tum adeos sustentandos, quandiu inter ipsos versantur: Sicut Romę, verbi gratia, posset exigi à Iudæis tributum specialiter deputatum ad sustentandum prædicatorem Euangelij, qui illos doceat, & illuminet: Ecclesia verò non solet vti hac potestate maximè circa infideles sibi nõ subditos tẽporaliter, quia fortasse scandalum esset infidelibus.

E

Vnde

Vnde in principio, priùs à Christo, pòst ab Apostolis missi sunt prædicatores, qui omninò gratis sine stipendio, etiam sustentationis, verbum Dei prædicarent, victum & vestitum, vel suo labore quærendo, vel ab his, qui fidem admittebant, accipiendo, vel certè ab ipsismet infidelibus, eleemosynam postulando. Postquàm verò Ecclesia, & Pontifices habere cœperunt Ecclesiasticos reditus, quos possent dispensare: ex Decimis, quæ ab ipsis fidelibus præstantur, sustentare potuerunt ministros, quos ad infidelium ministerium mittebant, & eis prouidere, donec à fidelibus in singulis prouinciis conuersis sustentari possent. Et certè cum hæc cura pertineat ad vniuersalem Ecclesiæ Pastorem, qui est Pontifex, meritò potest ab Ecclesia fidelium exigere reditus sufficientes ad sustentandos ministros Euangelij etiã pro infidelibus, quando necessarij fuerint. Et fortasse hæc ratio aliis addita, quas suprà tractauimus, non parùm cohonestat quotam Decimarum, & abũdantiam redituum Ecclesiasticorum. Atque ita consulendum profecto est, vt Gentiles ipsi non grauentur, nec vexentur tributis pro prædicatoribus Euangelij, sed à Pontifice, & Christianis Principibus alendi sunt, donec fideles denuò ad fidem conuersi ex Gentibus, eos ex bonis suis sponte alant: Eò vel maximè quòd Deus semper vocat aliquos in Ecclesia sua qui cum voluntariè pauperes sint, sine certo stipendio, vel viatico huic muneri incumbant, ex eleemosynis victitando.

13. 2. Pars regulæ positæ explicatur qua Sacerdotes liberantur à Decimis.

Secunda pars regulæ positę continetur illis verbis, *Qui de manu Sacerdotum sacramenta recipiunt*, per quæ partim limitatur, partim ampliatur hæc regula. Limitatur enim ad eos fideles, qui Sacramenta à Sacerdotibus recipiunt: ipsi enim Sacerdotes fideles etiam sunt, & baptizati, tamen quia ipsi sunt ministri constituti ad ministranda aliis Sacramenta (sub quibus nunc omnia spiritualia comprehendimus) ideò non soluunt ipsi, vt tales sunt, Decimas, sed potiùs ipsis penduntur. Sicut in veteri lege Tribus vndecim Decimas soluebant Leuiticæ: hæc autem aliis non soluebat: sic ergo limitatur Assertio ad fideles, quibus ministrantur Sacramenta. Intelligitur autem de his fidelibus, qui pro Sacramentorum susceptione alicui subiecti sunt, qui ex officio teneatur illa eis ministrare, nam illi per se debentur Decimæ, vt infrà ostendemus, & ita solùm fideles sic subiecti illas debent. Inter hos verò extenditur regula ad omnes, siue pauperes sint, siue diuites, siue nobiles, siue Principes, & Reges. Et ratio est, quia præceptum de se vniuersale est, & generalibus verbis propositum, vt patet ex citatis Iuribus, & ex communi forma Ecclesiasticorum præceptorum vniuersali Ecclesiæ traditione recepta, & alioqui in his omnibus est capacitas huius obligationis, quia sunt fideles baptizati, subditique pastoribus Ecclesiæ, & inuenitur etiam in eis fundamentum obligationis, nam omnes fruuntur opera, & labore ministrorum Ecclesiæ, ergo par est, vt omnes ad eorum sustentationem concurrant, ergo omnes obligantur ad solutionem Decimarum, quæ ad hunc finem proximè, ac præcipuè ordinantur.

14. An inhumanum sit obligari pauperes ad Decimas.

Sitne conueniens quòd Reges obligentur.

Circa vtranque vero partem occurrit difficultas, & primò circa ampliationem, primò ex parte pauperum; videtur enim inhumanum, pauperes ad soluendas Decimas obligare, cum innumeri sint, qui vix possint seipsos, suamque familiam alere. Item, quia ipsæmet Decimæ exiguntur ad pauperum sustentationem, vt suprà visum est, quomodo ergo ab ipsismet pauperibus extorqueri possunt? Secundò ex parte diuitum, quia si omnes omninò fideles, quibus Ecclesia spiritualia ministrat, tenerentur per se loquendo, & ex vi iuris Decimas omnium suorum reddituum, & lucrorum reddere, obligarentur omnes Reges, & Principes Ecclesiæ Decimam partem omnium suorum reddituum, tributorum, ac fructuum, vel bonorum vndecunque sibi quotannis prouenientium Ecclesiæ reddere, & similiter omnes mercatores decimam partem omnium, quæ lucrantur, & sic de aliis, hoc autem incredibile est, aliàs immensæ essent Ecclesiæ opes.

15. Teneri pauperes ad Decimas. *D. Thom. Soto. Alenf. Sylueft. Angel. Rebuf. Panor. Hoftienf.*

Ad primam difficultatem Doctores simpliciter docent, pauperes obligari ad Decimas soluendas. Ita D. Thom. dicta quæst. 87. art. 4. & ibi Soto. & alij: Alens. 3. p. quæst. 51. Memb. 7. art. 1. & Sylvest. Angel. & alij Summistæ, Rebuffus dicto tract. quæst. 5. num. 14. cum Panor. & aliis in cap. *Cum homines*, de Decimis: Hostiens. in summ. 5. de Decim. Ratio verò præter suprà tactam addi potest ex Alense, quia pauperes non eximuntur à tributis regiis soluendis, ergo nec eximi debent à solutione Decimarum. D. Thom. aliam rationem indicat, quia pauperibus fidelibus subueniendum est per dispensationem Ecclesiæ, & ministrorum eius, & ideò non oportet, vt ipsi à solutione Decimarum se ipsos eximant; oportet enim vt soluendo Decimas, Deum colant, & subiectionem Ecclesiæ recognoscant, quod si aliàs indiguerint, melius illis per Ecclesiam subuenietur, quàm si ipsi suam partem Decimarum præoccupent. Imò addit Alensis, promissionem esse Dei, vt qui fideliter Decimas soluerit, penuriam non sentiat, per Malach. cap. 3. dicentem: *Inferte omnes Decimam*, &c. *Et probate me super hoc dicit Dominus* &c. Iuxta quam promissionem dixit etiam Aug. *Maiores nostri ideò omnibus copiis abundabant, quia Deo Decimas dabant*, &c. lib. quinquaginta Hom. in 48. & similia habet serm. 219. de tempore, & refertur 16. q. 7. cap. *Maiores*.

Malach. 3. *Auguſt.*

16. De quibus pauperibus sententia cõmunis intelligenda.

Veruntamen quod ad promissionem attinet, existimo illam, quatenus erat de temporali abundantia, vel extendendam non esse ad legem gratiæ, vel non esse absolutam, sed sub conditione, si ad spiritualem fructum fuerit cõueniens. Vnde licet verum sit, quod Augustinus refert, non oportet, vt ex rigorosa promissione id fieri soleat, sed ex ordinatissima prouidentia Dei. Quod verò spectat ad pauperum obligationem, licet doctrina communis vera simpliciter sit, intelligenda videtur de his pauperibus, qui licet tenuissimos prouentus, aut lucra habeant, nihilominùs habent necessaria ad congruam sustentationem personæ, & familiæ, etiamsi Decimas soluant. Nec enim verisimile est, vt Ecclesia velit cum tanto rigore obligare pauperes ad Decimas soluendas, vt etiam ex rebus sibi moraliter necessariis illas soluere teneantur, & postea mendicatò illas postulare. Præsertim hoc tempore, quando pars illa Ecclesiasticorum redituum, quæ pauperibus destinata erat, disparuit, vel cum aliis confusa est, & subuentio pauperum ex arbitrio Clericorum pendet.

17. Aliqui præcedentẽ doctrinam impugnant. *Panorm. Ioan. Andr. Ca. Parochianos.* Cap. *Tua.*

Hæc declaratio, & moderatio fuit antiqui cuiusdã Doctoris Canonistæ, vt Innocent. refert in cap. *Licet* de censibus, quam ipse non videtur improbare. Panor. autem cum Ioanne Andr & aliis eam probat. Primò, quia Decimæ debentur ex iustitia cap. *Parochianos*, de Decimis, sed propter inopiam non potest committi iniustitia, ergo. Confirmatur, quia Decimę sunt ipsius Ecclesiæ ex reseruatione diuina cap. *Tua*. de Decimis, ergo non possunt à quoquam detineri, etiamsi pauper sit, nisi fortasse in casu extremæ necessitatis, in quo omnia sunt communia. Et ita solùm illum casum excipiendum esse, tenet in specie Rebuff. supra. Imò addit etiam in illo casu debere pauperem habere propositum reddendi, si venerit ad pinguiorem fortunam, & in confessione id aperire, ac promittere. Sed hoc vltimum est planè falsum, nam qui in casu extremæ necessitatis

Rebuff.

Qui in necessitate extrema aliena consumit, non tenetur postea restituere.

cessitatis accipit alienum, & illud consumit, postea non tenetur aliquid restituere, quia nec ratione acceptionis, quæ iusta fuit: nec ratione rei acceptæ, quæ consumpta iam est, ergo à fortiori in præsenti: Item, quia tunc non consumitur res vt aliena, sed vt propria. At verò extra casum extremæ necessitatis, pium, ac probabile est, quod dicti Auctores asserunt, pauperem debere suam necessitatem Ecclesiæ ostendere, id est, Pastoribus Ecclesiæ eam comprobare, & tunc ipsi Pastores tenentur Decimam remittere, non tamen posse pauperem sua auctoritate eam retinere. Quòd maximè probabile est, si sententia illa vera est, quæ affirmat Decimas esse sub dominio Ecclesiæ, etiam antequam soluantur, quam postea discutiemus; illa tamen supposita, est consecutio valde apparens, quia nemo potest accipere alienum in graui necessitate auctoritate sua, sed debet à Domino postulare. Item Oeconomus non potest consumere sua auctoritate, & sine Domini voluntate propter necessitatem grauem, ergo idem est in præsenti, supposita illa sententia.

12. In graui necessitate non teneri quẽpiã ad Decimas est probabile.

At verò quia illa sententia incerta est, & contraria est probabilis, ideò non videtur improbabile, quòd excusetur à culpa, qui propter solam necessitatem grauem Decimam non soluit. Quia illa re vera indiget ad sustentationem suam, & familiæ suæ: hæc enim necessitas grauis reputatur. Neque tunc facit iniustitiam propter vitandam inopiam, sed ipsa inopia facit, vt iustitia tunc non obliget, quia hoc præceptum affirmatiuum est, & non obligat pro semper, sed cum certis circunstantiis, & ita etiam licet Decima per se debeatur, pro tunc tamen non vrget eius debitum. Imò licet dicatur Decima esse sub dominio Ecclesiæ, antequam tradatur, dici posset obligationem ad tradendam illam etiam postulare circunstantias suas, & posse prorogari propter necessitatem. Sicut qui possidet rem alienam, & non potest reddere statim sine magna iactura personę, vel status; potest differre. Maximè verò potest hæc opinio locum habere, quando pauper certus est de sua necessitate, & timet probabiliter, non esse subueniendum illi, nec remittendam Decimam, etiamsi necessitatem suam ostendat, & cõprobet. In hoc verò casu, siue mala, siue bona conscientia Decima non soluatur propter paupertatem, restituenda integrè erit postea, si ad pinguiorem fortunam deueniatur, & hoc ad minimum probant fundamenta contrariæ sententiæ.

CAPVT XVII.

An Clerici, & Ecclesiastici omnes ad Decimas soluendas teneantur.

1. An Clerici ad Decimas teneantur.

HÆc quæstio petitur in secunda parte prioris difficultatis in præcedenti capite propositæ: quam hic separatim proponimus, quia largiorem disputationem requirit. Et ratio dubitandi pro vtraque parte oritur ex ca. 2. de Decimis. Nam in priori eius parte dicitur, *nouum esse, vt Clerici à Clericis Decimas exigant*, appellat autem *nouum*, id est, insolitum, & præter ius, vt ex contextu constat, & ita sentit ibi Glossa vltima in fine. Contrarium verò suaderi potest ex eodem textu in fine, vbi quasi comprobando regulam contrariam ait, Clericos qui à Clericis spiritualia recipiunt, debere illis Decimas persoluere. D. Tho. ergo dicta q. 87. art. 4. Clericos sub duplici ratione considerari posse dicit, scilicet vel quatenus Clerici sunt, & ministri spiritualium, vel quatenus fideles sunt, & à Sacerdotibus possunt spiritualia recipere. Priori modo ait nõ teneri Clericos ad Decimas soluendas, sed potiùs ad illos sub ea ratione spectatos pertinere Decimas recipere. Posteriori autem modo ait, ex vi iuris teneri ad soluendas Decimas, quia sic sub dicta regula includuntur, & nullo iure eximuntur. Et hanc doctrinam communiter recipiunt ibi Sot. Aragon. Valent. & alij, & communiter Canonistæ (licet sub diuersis terminis) in dicto ca. 2. & Summistæ in verb. *Decima*, Couar. lib. 1. var. c. 17. n. 8. Gutier. dicto cap. 21. nu. 52. qui alios referunt.

Cap. 2.

Cap. 2.

D. Thom.

Soto. Arag. Valent. Couar. Gutierr.

Atque ex hac distinctione, & doctrina inferunt primò, Clericum nõ teneri soluere Decimas prædiales ex reditibus Ecclesiæ, quos recipit ratione beneficij, vel spiritualis ministerij ex Decimis fideliũ, vel ex prædiis Ecclesiæ, quæ aliquo titulo Ecclesiastico possidet. Ita sumitur ex D. Thom. supra, & docet expresse Alens. 3. p. q. 51. mem. 7. art. 2. & alij Theologi, & Summistæ suprà relati, idémq; sentiunt Canonistę cum Glos. vlt. in dicto ca. 2. & Abbas, ibi, nu. 4. Et sumitur ex textu illo in principio, vbi in hoc comparat Sacerdotes Leuitis, qui nõ tenebantur soluere Decimas, quia nõ habebant propria bona, sed tantùm Decimalia, ergo simpliciter Clerici ex his saltem bonis nõ soluunt Decimas. Prętera probatur ex dicto principio, quia hi fructus competunt Clerico, vt Clericus est, & minister Ecclesiæ, si ergo ex illis solueret Decimas, iam solueret vt Clericus, contra dictũ c. 2. de Decimis. Et contra rationem suprà insinuatã, quod talia bona potiùs debentur ipsi Clerico, vt talis est ratione sui muneris, ergo repugnat ex illis, vt Decimas debeat. Aliàs sibi ipsi illas deberet, quod moraliter esse non potest, quia iustitia, & obligatio, seu debitum propriũ est ad alterum, & ideò nemo potest sibi soluere tributum, & similia, & in vniuersum inter dantem, & accipientem debet esse distinctio, vt dicitur in ca. vlt. de institut. Circa hanc verò rationem occurrit difficultas, quam infrà tractabo.

2. Clericos nõ teneri ad Decimas prædiales de reditibus Ecclesiæ.

D. Thom. Alens. Gloss. Abbas.

Secundò inferunt, Clericos teneri ad soluendas Decimas Prædiales ex prædiis, quæ tẽporali, seu seculari titulo possident, vt ex bonis patrimonialibus, aut alio simili titulo acquisitis. Ita D. Tho. Alens. Sot. Et alij Theologi, & Syluest. Angel. ac Summistæ, Couar. Gutier. & alij Canonistæ, quos referunt cum Glossa in d. c. 2. Ex quo textu in vltima parte illius etiã hæc pars probatur. Ibi enim asseritur, Clericos posse esse obnoxios Decimis soluendis aliis, à quibus Sacramẽta recipiunt, ergo maximè ex his bonis temporalibus, cum ex spiritualibus illas non debeant, vt dictum est. Confirmatur, quia respectu talium bonorum per accidens est, quod talis persona sit Clericus, aut beneficiatus, ergo habet illa, non vt Clericus, sed vt ciuis, ergo vt sic non est exemptus à solutione Decimarum ex talibus bonis: & aliunde est fidelis baptizatus, & ab alio potest recipere Sacramẽta, ergo comprehenditur quoad hæc bona sub generali regula eorum, qui ad Decimas soluendas tenentur.

3. Clericos teneri ad Decimas prædiales ex prædiis alio titulo possessis.

D. Thom. Alens. Soto. Sylvest. Angel. Couar. Gutierr. Gloss.

Tertiò inferunt, idem esse de Personalibus statuẽdũ cum proportione: Nam persona Clerici potest aliqua lucrari, vt Clericus, id est, titulo, & actione spirituali, sicut comparat stipendiũ, seu eleemosynam pro Missa, vel anniuersario, &c. Aliqua verò lucratur vt artifex, vel corporaliter laborans. De priori ergo lucro non debet Clericus Personales Decimas, quia nullas Decimas debet vt Clericus, illi autem prouentus ad illum pertinent, vt Clericum, & ita tenet Couar. dicto cap. 17. num. 8. ver. *Primum*, imò ibi absolutè sentit esse probabilius, Clericos iure communi esse exemptos à Personalibus Decimis, quam sententiam dicit esse communem. Sed intelligenda videtur de his Decimis ex lucris spiritualibus. Nam de aliis temporalibus consequenter dicendum videtur, Clericos non esse exemptos ex vi iuris communis à Decimis Personalibus ex talibus bonis, propter contrariam rationem, quæ eundem locum habet in his De-

4. Idẽ cũ proportione de Decimis Personalibus dicendum.

Couar.

cimis Perſonalibus,quem in Prædialibus ex patrimonio.Nec eſt textus in Iure,vnde talis exemptio colligi poſſit,& ita ſentit apertè Silueſt. verb. *Decima*, nu. 13.Excipit tamen Clericos communiter viuentes,ſed hoc ſpectat ad tertiam partem regulæ.

Silueſt.

4. Duæ difficultates cõtra doctrinã traditã proponuntur.

Duæ vero difficultates circa hanc doctrinam occurrunt. Vna eſt circa fundamentũ, quod in hac doctrina ſupponitur, alia circa cõſequentiam doctrinæ. Supponitur enim in hac doctrina, Clericos eſſe debitores Decimarum, ſaltem vt Sacramenta ab aliis Clericis recipiunt;declaratur autem hoc debitũ poſſe cadere in bonis Laicis,non in Clericalibus. Circa primum igitur eſt difficultas, quia ſequitur primò etiam ſummum Pontificem poſſe eſſe obnoxium Decimis ſoluendis,ſaltem ex Laicis bonis, ſi illa habeat. B Conſequens eſt falſum,ergo. Sequela patet,quia etiã ipſe recipit Sacramenta, vel confeſſionis, dum eſt ſanus, vel extremæ vnctionis, & communionis, quando eſt æger, imò & ordinem, & conſecrationem recipere poteſt iam electus Pontifex, quin etiam confirmationem; ſi enim contingat nondum confirmatũ eligi,verus erit Pontifex,& confirmatione indigebit, ergo vt homo fidelis eſt, indiget aliquo veluti ſpirituali miniſtro,qui ei neceſſaria,vel vtilia Sacramenta miniſtret,& pro illo offerat, vel ſacrum faciat, quando ipſe non poteſt, ergo vt ſic poterit eſſe obnoxius Decimis ſoluendis. Falſitas autem cõſequentis patet, quia repugnat,Principẽ ſupremum ſoluere tributum: cui enim ſolueret? certè non ſuperiori, illum enim C non habet: neque Eccleſiæ, nam etiam eſt ſupra totam illam, nec ſibi ipſi, quia hoc repugnat, vt ſupra dixi,ſed Decima eſt veluti quoddam tributum, quod Eccleſiæ ſoluitur,ergo Pontifex non eſt illi ſubiectus. Secundò ſequitur,Clericos poſſe eſſe debitores Decimarum, etiam vt Clerici ſunt, quod eſt contra dicta. Sequela patet, quia vt Clerici ſunt, ſpiritualiter paſcuntur ab aliis Clericis, quod in omnibus inferioribus ſummo Pontifice videre licet. Nam in primis omnes Clerici ab Epiſcopis ordinantur, ergo Sacramenta recipiunt ab illis, etiã vt Clerici ſunt. Deinde inferiores omnes regũtur ſpiritualiter à ſuperioribus, vt Sacerdotes ſimplices àParochis,hi ab Epiſcopis,& omnes à Põtifice,regimen autẽ illud ſpirituale eſt, & D cadit in Clericos formaliter, vt Clerici ſunt, ſic enim ſubiiciuntur Eccleſiaſticæ poteſtati,& regimini;ergo ratione illius debent Decimas, etiam vt ſunt Clerici. Et confirmatur primò: Nam omnes ſubditi in aliquo ordine debent recognitionem aliquã ſuperiori eiuſdem ordinis, ergo omnes Clerici inferiores in ordine Clericatus eandem recognitionem debent ſuperiori,cui vt tales ſubordinantur, illa autem recognitio fit optimè per ſolutionem Decimarum,ergo. Cõfirmatur,quia hoc modo Leuitæ in veteri lege ex Decimis ſoluebant Decimas ſummo Sacerdoti.

5. 2. Difficultas.

Atque hinc oritur ſecunda difficultas circa conſecutionem doctrinæ. Nã ſi Clerici poſſunt eſſe debitores Decimarũ,profectò non minùs ex ſpiritualibus E reditibus, quàm ex temporalibus poſſunt illas debere. Primò quidem,quia poſſunt illas debere,vt Clerici,ſicut oſtenſum eſt, & poſſunt illud debitum ſoluere ex fructibus beneficiorum.Reſpondent aliqui,non poſſe, quia non faciunt illos fructus ſuos,ſed ſolùm eis dantùr,vt ex eis ſumant neceſſaria,& reliqua dent pauperibus. Et hoc titulo illos eximunt Innocent. & Abb.c.2.de Decimis: Sed illud impugnant ibi Anto. & Anchar. Et ex contrario fundamento fatentur teneri Clericos ad Decimas ſoluendas ex illis fructibus tanquam ex lucro perſonali, quia re vera faciunt illos ſuos.Ego addo,licet nõ facerent illos ſuos, fundamentum videri inualidum, quia inter neceſſarios vſus ſuos, vnus eſt, ſoluere Decimas ſeruientibus, & A miniſtrantibus ſibi, ergo hoc titulo debent ſoluere Decimas ante omnes eleemoſynas. Secundò quia ſi Clericus debet Decimas, ideò eſt,quia recipit ab alio ſpiritualia, & ideò debet illi temporalia miniſtrare, ergo vndecunq; illa habeat, tenetur ex illis huic debito ſatisfacere, ſiue illa temporalia acquiſita ſint titulo ſpirituali ſiue tẽporali, hoc enim valde accidentariũ videtur ad rationem illius debiti, & ad ſolutionem eius. Nam ſi Clericus debeat famulo ſtipendiũ, & non habeat vnde ſoluat,niſi ex fructibus ſui beneficij, certè ex illis tenetur ſoluere, & ſi vnus Clericus alteri promittat iuſta ſtipendia centum Miſſarum,tenetur illa ſoluere ex quibuſcunque bonis,titulo etiam ſpirituali acquiſitis: Ergo ſi ſimplex Clericus, verbi B gratia, debet ſuo Parocho Decimas, quia re vera eſt parochianus eius, profecto tenebitur illas ſoluere ex quibuſcunque fructibus, aut lucris etiam Eccleſiaſtico titulo acquiſitis.

6. Vnde apparent valde infirmæ rationes adductæ pro dicto primo, quia licet Clericus ſoluat Decimas ex fructibus Eccleſiaſticis, ſibi aliàs competentibus, ſi illas tantùm ſoluat,quatenus fruitur opera, & miniſterio Parochi communi aliis fidelibus Laicis,ſemper ſoluet illas non vt Clericus, ſed vt vnus ex fidelibus ſubditis. Quia hæc formalitas(vt ſic dicam)non eſt attendenda ex titulo quo acquiruntur bona, ex quibus ſoluũtur Decimæ,ſed ex titulo,propter quem Decima ſoluitur,quia hęc eſt ratio ſoluendi,non alia, & per illam reduplicationem ratio ſoluendi ſignificatur. Sicut licet mercator ſoluat Decimas ex lucro ſuæ negotiationis, & agricola ex fructibus ſui agri,& venator ex præda, & ſic de aliis, omnes ſoluunt ſub eâdem ratione fidelis ſubditi,quia hoc titulo debent, non ſub ratione venatoris,aut mercatoris, &c. Quia hoc materiale eſt ad rationem debendi Decimam. Vnde è contrario, ſi Clericus debeat Decimam, non ſolùm quia recipit Sacramenta modo communi aliis fidelibus, ſed etiam quia ſpeciali modo vel Sacramenta, vel alia ſpiritualia miniſteria recipit ab alio, cui ſubiicitur,profectò dicendus eſt debere Decimas vt Clericus, & vt talis ſoluere, etiamſi ex patrimonialibus, ſeu Laicalibus bonis illas ſoluat. Videtur ergo illa diſtinctio ſine fundamento confícta, ſed potiùs eſſe vniuerſaliter dicendum, Clericos & communi ratione, & titulo aliorum fidelium & ſpeciali, ac proprio Clericorum recipientium ab aliis ſpiritualia, vel communia, vel propria modo explicato, eſſe poſſe debitores Decimarum. Et quando tales ſunt,illas debere tam ex Perſonalibus, quàm ex Prædialibus, vndecunque illas comparent attento naturali iure, vt determinato per Eccleſiaſticum, ſi aliunde non eximantur.

7. Augetur difficultas. Cap.2.

Accedit tandem,quòd illa diſtinctio videtur inuenta ad conciliandas duas partes illius capitis ſecundi de Decimis. Nã in priori dicitur eſſe nouũ,& improbatur,quòd Clerici à Clericis exigãt Decimas: In poſteriori verò ſubiungitur, illos Clericos, qui ab aliis Clericis Sacramẽta recipiunt,debere illis ſoluere Decimas. At vtrunq; poteſt vniuerſaliter, & ſimpliciter intelligi, ſi prior pars intelligatur de Clericis, vt miniſtrant actiuè ſpiritualia, poſterior verò de Clericis, vt recipiunt illa.Nã in priori modo nõ reſpiciũt alios Clericos vt ſuperiores,vel Paſtores, ſed ad ſummum, vt cooperatores, vel coadiutores, & vt ſic non poſſunt eſſe debitores Decimarum, ſed potiùs eis debetur pars Decimarum. At poſteriori modo reſpiciunt alios Clericos vt Paſtores ſuos, & ſic meritò poſſunt illis debere Decimas. Et in hoc ſenſu admitti poterit diſtinctio de Clerico, vt Clericus eſt,vel vt fidelis recipiens, id eſt, vt actiuè, vel paſſiuè comparatur ad ſpiritualia miniſteria. Quamuis in ſecundo membro poſſit

Innocent. Abbas. Anton. Anchar.

possit habere locum eadem distinctio in alio sensu: Nam in ipsamet receptione Sacramentorum ab alio interdum se habet Clericus generali modo Laicorũ, interdũ vero speciali,& vt Clericus. Quomodo antiqui Canones distinguunt interdum communionem Laicam à Clericali, & præcipiunt aliquando Clericũ non cõmunicare vt Clericũ, sed vt Laicum. Igitur vt Clericus dicatur soluere Decimas vt Clericus, nõ satis est, quod soluat illas ex prædiis Ecclesiasticis, si alioqui debet illas, quia communi modo aliorum fidelium Sacramenta recipit: Et in hoc videtur D. Tho. in dicto art. 4. quandam æquiuocationem cõmittere, priùs enim explicat distinctionem illam Clerici, vt Clerici, & vt fidelis, per respectum actiuum, vel passiuum ad ministerium Sacramentorum, postea verò explicat Clericum nõ debere Decimas vt Clericum, id est, *in quantum habet Ecclesiasticam possessionem.* Hoc enim longè diuersum est: nam licet verum sit, Clericum non debere Decimas, in quantum habet talem possessionẽ, id est, licet non inde nascatur ratio obligationis, potest nihilominùs debere Decimas ex illis ratione ministerij passiui Sacramentorum, & tunc re vera non debet illas vt Clericus, vt explicatum est. Distinctio ergo illa de Decimis soluendis ex prouentibus temporalibus, vel Ecclesiasticis, neq; necessaria est ad intelligentiam illius capitis secundi, nec veram doctrinam continere videtur.

D. Thom.

2. An Pontifex summus ad Decimas teneatur.

Hæ difficultates postulant, vt doctrinam illam magis in particulari explicemus, & ad omnes ordines, seu gradus Clericorũ illam applicemus. In prima ergo difficultate petitur, an summus Pontifex teneatur aliquo titulo, vel ex aliquibus bonis soluere Decimas. In qua re aliqui Canonistæ sentiũt, Papam teneri ad Decimarũ solutionem. Ita Rebuff. dicta q. 5. nu. 26. cum Andrea Hispan. sua regula 10. q. 11. Quia addunt rationem, quia etiam Papa tenetur Deo recognitionẽ facere, quia omnes sumus de populo eius & oues pascuæ eius,& nihil habemus, quod ab eo nõ possideamus. Confirmari potest, quia Episcopus in sua Ecclesia,& Parochus in sua tenetur soluere Decimas, ergo Pontifex in sua, vel in quacunq; possessionem habuerit. Dicendum verò est, præceptum Decimarum propriè, & per se non obligare Pontificem ratione suæ personæ, interdum verò posse obligare ad aliquam Decimam ratione possessionis, & debiti realis. Ad intelligendam vtranque partem suppono, quod in præcedenti puncto tetigi, Decimam duplici titulo deberi, scilicet vel ratione personæ, vel ratione prædij: Quæ distinctio tangitur in cap. *Tua nobis*, de Decimis circa finem, eámq; intelligo, nõ iuxta distinctionem Decimarum in Personales, & Prædiales, sed iuxta distinctionem debiti in personale, & reale: interdum enim debitum oritur ex actione, vel passione ipsius personæ, interdum verò ex re accepta, vel possessa, quia secum affert onus illud. Et hoc modo dicebamus in puncto præcedenti, præceptum Decimarum directè, & per se respicere ipsos fideles, & ipsos obligare, interdum verò onus soluẽdi aliquam Decimam aduenire cum re ipsa habente tale onus, & sic posse transire hoc debitũ etiam ad infideles. Ad eum ergo modum nunc loquimur de Pontifice, quia ratione suæ personæ nõ obligatur hoc præcepto, potest autem obligari ad aliquam Decimam ratione rei.

Rebuff. Andr. Hisp.

Resolutio quæstionis.

Cap. Tua nobis.

9. Rationes in contrarium soluuntur.

Probatur prima pars. Primò ratione facta, proponendo priorem difficultatem. Secundò, quia Clerici, vt Clerici, vel non debent Decimas, vel nonnisi superioribus, vt infrà dicam; Pontifex autem nõ habet superiorem, ergo vt Clericus, & Pontifex nõ debet Decimas, nec etiam vt fidelis, quia etiam non habet Pastorem, cui in perceptione Sacramentorum ex officio subdatur, quod necessariũ est ad personale debitum Decimarum, vt in regula declaraui, ergo nullo modo habet hoc debitum per se, & vt personale. Vnde ratio in contrarium, quam tangit Rebuffus de recognitione ad Deum, parui momenti est quia non est hæc propria, & per se ratio institutionis Decimarum, sed sustentatio ministrorum, & sunt multi alij modi, quibus Pontifex profiteatur recognitionem ad Deum. Nec etiam obstat ratio illa, quod Pontifex recipit aliqua Sacramenta, & habere debet Confessorẽ, vel ministrum ad hoc deputatum: Quia hinc ad summum sequitur, debere huic ministro sustentationem, eam verò præstare illi potest, non soluendo Decimam, sed vel aliquod ei stipendium præstando, vel ex Decimis aliorum fidelium partem aliquam illi applicando: Eo vel maximè quòd ille Confessor Pontificis non est propriè ordinarius Pastor eius, sed Commissarius ab ipso electus, & tanquam Vicarius, & Minister ab ipso constitutus. Vnde sicut alios Officiales suos alit Pontifex, non soluendo illis Decimas, sed applicando eis partem vel Decimarum, quas vniuersi fideles soluũt, vel aliorum Ecclesiasticorum redituum, vel certum stipendium, ita & hunc alere potest. Ipsi enim Pontifici ex vi sui muneris debitum est ex reditibus Ecclesiasticis totum id, quod ad sui, suæque familiæ, & omnium Officialium suorum sustentationem necessarium fuerit, vt statim explicabimus. Non reperitur ergo in Pontifice proprium fundamentum Decimarum, quantum ad debitum personale earum, ideóque nec debitum ipsum inueniri potest. Deniq, hoc modo habet etiam vim alia ratio, scilicet quòd præceptum soluendi Decimas, nõ obligat Pontificem, quatenus naturale est, quia vt sic, obligat ad sustentationem ministrorum, de qua iam dictum est; Nec etiam vt Ecclesiasticum, quia vt sic, Papa est supra Canones. Et licet obligetur legibus Ecclesiasticis quoad vim directiuam, illud procedit quando lex respicit rationem vniuersalem, & honestatem communem Principi, & subditis, non est autem huiusmodi hoc præceptum Decimarum, sed directè respicit fideles aliquo modo subditos in spiritualibus, vt dictum est, & ampliùs iam exponetur. Et hanc partem sequitur Abulens. Matth. 23. qu. 193. infra.

Abulens.

10. Altera pars de debito reali confirmatur.

Alteram partem de debito reali non videtur admittere Abulensis: est tamen vera, & fortasse intenta à Canonistis suprà citatis, & illa ad summũ suadetur ex proportione ad Episcopos, vel Parochos. Et breuiter declaratur, quia post Parochiarum, vel Diœcesum diuisionem, prædia vnicuique Ecclesiæ assignata habent annexum tanquam onus reale debitum Decimarum, respectu talis, vel talis Ecclesiæ, vt nunc supponimus, & cap. 21. ex professo ostendemus. Ergò si Pontifex quocunque temporali titulo acquirat, vel possideat possessiones illas, vt proprias, acquirit illas cum suo onere, ergo tenetur ex illis soluere Decimas illis Ecclesiis, quibus antea debebantur, quia res transit cum onere suo. Et licet summus Pontifex sit supremus dispensator Decimarum, & iurium earum, non est tamen Dominus, & ideò non potest arbitrio suo illas vsurpare. Quapropter si Cardinalis aliquis antequam eligeretur in Pontificem, haberet prædia patrimonialia, vel alio modo propria, ratione quorum deberet alicui Ecclesiæ Decimas, easdem ex eisdem, eidémque Ecclesiæ, debebit postea etiam electus Pontifex: eadémque ratio est, licet iam factus Pontifex talem possessionẽ acquirat. Quòd si forrasse vti velit potestate Põtificia, secũ ipse dispensando, & se eximendo ab illarum solutione, oportet vt ex rationabili causa id faciat, quomodo posset sibi applicare Decimas alicui Ecclesiæ debitas ex aliis prædiis, & ideò hæc potestas nõ impedit, quominus simpliciter, & ex vi iustitiæ Decimæ talium prædiorum

Abulens.

soluendæ sint Ecclesiæ, etiamsi dominium prędiorum ad Pontificem transeat titulo temporali. Quod semper addo, quia si prædia pertineant ad Pontificem vt Pontifex est, quia scilicet sunt de patrimonio Petri, sic constat non posse ex eis debere Decimas, quia sibi ipsi illas deberet, & quia non sola Decima, sed simpliciter omnes fructus talium prædiorum ad ipsum pertinent. An verò teneatur ex eis quotam aliquam partem vel pauperibus, vel fabricæ applicare, alia quæstio est, quæ ad debitum Decimarum non pertinet. Et hæc satis sunt de Pontifice, per quę prima pars primæ difficultatis satis expedita est.

11. Episcopos teneri ad Decimas debito reali, non verò personali.

In secunda de Episcopis, & Prælatis petitur, an teneantur ad Decimas, & omissis opinionibus, dicendũ est, non teneri ad soluendas Decimas debito personali, attento iure Ecclesiastico, posse tamen teneri debito reali quoad aliquas Prædiales Decimas, non verò quoad Personales etiam temporali titulo acquisitas. Probatur prima pars, quia Episcopi non tenentur soluere Decimas Parochis, aut summo Põtifici, nec aliis Episcopis, vel Archiepiscopis, nec Clericis sibi inferioribus; ergo per se non obligantur hoc debito, vt personali: Consequentia tenet à sufficienti partium enumeratione, quia hoc debitum immediatè debet esse ad aliquem hominem, sub homine comprehendendo corpus mysticum ex hominibus constans, hoc autem sufficienter comprehenditur sub illis tribus membris, ergo illis exclusis, non manet debitum, quia nemo cõstituitur Debitor, nisi respectu alicuius. Probatur ergo prima pars, quia licet attento iure diuino naturali, possit Põtifex postulare ab omnibus Episcopis quotam aliquam suorum redituum tam Ecclesiasticorum quàm temporalium ad se, suáq; onera sustẽtanda, nihilominùs iure cõmuni, & Ecclesiastico non est vsus hac potestate quoad quotam Decimarũ Episcopalium, sed aliis modis sustentationi, & quasi stipendio Pontifici debito prouisum est. Et ideò non dixi, Episcopos non posse ad hanc Decimã obligari, nec dixi simpliciter non teneri, sed cum limitatione, non teneri attento iure Ecclesiastico. Nam quod in rigore obligari possent, mihi satis probant omnia adducta in secunda parte primæ difficultatis, & in tota difficultate secunda, quæ maximè procedit in debito personali Decimarum possibilia absolutè attẽta ratione naturali. Et ita etiam fatetur D. Thom. dicto art. 4. ad 3. quem omnes sequuntur. Et loquitur non solùm de Episcopis, sed absolutè de Clericis, quia eadem est ratio de omnibus, cum Pontifex sit vniuersalis omnium Pastor.

D. Thom.

12. Quòd autem secundùm commune ius Pontifex non vtatur hac potestate, sentiunt idem D. Thom. & omnes, & constat quia nullum tale ius Ecclesiasticum inuenitur, nec vsus illud ostendit. Sed alitur Pontifex, & sustentat onera sua, partim ex tributis, & reditibus sui dominij temporalis, quod Petri patrimonium vocatur, partim ex Decimis, & reditibus Ecclesiasticis sui Romani Episcopatus, partim ex partitione aliqua beneficiorum Ecclesiasticorũ, & Episcopatuum vacantium, aut de nouo prouisorum, quam sibi sedes Apostolica applicauit, in quo consuetudines Prouinciarum, & Regnorum obseruari solent partim ex certis quibusdam Iuribus, quæ in expeditionibus diuersarum litterarum illi Sedi debentur, vel aliis similibus reditibus. Et nihilominùs potestatem retinet plura exigendi, & non solùm Decimam Decimarum, sed etiam maiorem quotam, quando necessitas, vel occasio aliqua id postulauerit, tamen de facto, & ex vi iuris communis constituti non tenentur Episcopi soluere Decimas Pontifici, vnde à fortiori nõ tenentur aliis, siue superioribus, siue inferioribus, aut æqualibus Prælatis, vel Clericis, quia in his nec ius inuenitur, nec fundamentum iuris, cum non sint Pastores Episcoporum, nec illis spiritualia ministrent. Et licet in superioribus videri posset esse aliquod fundamentũ respectu inferiorũ, vt in Archiepiscopo respectũ Suffraganeorum Episcoporum, & similibus, nihilominùs ex vi iuris communis nullum est tale debitum, nec sufficiens fundamentum eius, quia illa subiectio, & subordinatio parua est, & non meretur tãtam recompensationem: sed onus illud vel censentur esse superiori dignitati annexum, eíque sufficienter prouisum per reditus talis dignitatis, vel per contributiones alias, quæ pro actibus iudicialibus, aut visitationibus debentur, sufficienter compensantur.

13. Probatur assertio quoad debitum reale.

Ex his ergo satis probata manet assertio quoad personale debitum: quoad alteram verò partem de debito reali, quod nimirũ hoc modo obligentur Episcopi ad Decimas prædiales seculari titulo possessas, cõmunis sententia est, vt ex D. Tho. & Theologis referemus in puncto sequenti, & ex Inno. Et aliis Canonistis sumitur in cap. 2. de Decimis, & sequitur Rebuff. dicta q. 5. n. 3. & 4. cum Cardin. cons. 88. n. 7. Probari autem solet ex ca. *Quæst.* 16. q. 1. quod Gratianus refert ex Concilio Moguntino, inuenitur tamen solùm in Cabilonens. 2. ca. 19. Nihil verò ad rem præsentem facit, nam verba sunt: *Quæsti sunt quidam fratres, quòd essent aliqui Episcopi & Abbates, qui Decimas nõ sinunt dari Ecclesiis, vbi illi Coloni Missas audiunt. Proinde decreuit sacer iste conuentus, vt Episcopi, & Abbates de agris, & vineis, quæ ad suũ, & fratrum stipendium habent, Decimas ad Ecclesias dari faciant. Familiæ verò ibident Decimas suas, vbi infantes eorũ baptizantur, & vbi per totum anni circulum Missas audiunt.* Ex quibus verbis apertè cõstat, ibi non esse sermonem de prædiis Patrimonialibus, seu secularibus Episcoporũ; sed de his, que Ecclesia possidet ad Clericorum suorum stipendium, & sustentationem, vt patet ex illis verbis: *Quæ ad suũ, & fratrum stipendium habent.* Episcopi enim non habent Patrimonialia bona ad suum, & fratrum stipendium vt per se constat, ad hoc autem dicuntur Ecclesiasticas possessiones habere, quia illas sub sua cura, & dispensatione habent.

D. Thom. *Innocent.* *Rebuff.* *Cardin.* Cap. *Quæsti.*

14. Obiectioni occurritur.

Dices, hinc augeri difficultatem, quia sequitur, teneri Episcopos ad soluendas Decimas ex Ecclesiasticis prędiis. Nam ibi cõcluditur, vt ex dictis agris *Decimas ad Ecclesias dari faciant.* Vnde à fortiori sumitur argumentum quod multò magis ex Patrimonialibus prędiis Decimas soluere teneantur. Sed verba illa contrariũ habent sensum, nam intelligendũ est, *Vt faciãt dari Decimas ad Ecclesias suas.* Ita enim addit Gratianus, & fortè ita inuenit in antiquo Concilio, licet nunc in Cabilon. non legatur. Estq; consonũ casui, & decisioni Concilij: Nam querimonia erat, quia Episcopi nõ permittebant Colonos soluere Decimas in suis Ecclesiis Parochialibus, quæ (vt apertè supponitur) erãt distinctæ ab Ecclesiis Episcoporum, vel Abbatum. Decisio autem Concilij est, vt si possessiones sint Ecclesiasticæ, & ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ deputatæ, Episcopi non soluant Decimas Prædiales Parochiis Colonorum, sed illas retineant pro suis Ecclesiis, ipsos autem Colonos (quos nomine *familiæ* intelligit) sinant in Parochiis suis soluere Decimas, vtiq; vel personales, vel partiales, quas ex prædiis conductis habere solent, si prædia sunt intra terminos suarum Parochiarum cõstituta, & in summario illius textus negatiuè legitur: *Non persoluant de propriis prædiis Abbates, & Episcopi Decimas.* Qui tamen titulus sano modo intelligendus est de prædiis Ecclesiasticis, seu suarum Ecclesiarum. Atque ad hoc propositum adducitur textus ille à Gratiano: Ac denique sensus ille euidentiùs exprimitur in Canone Vrbani Papæ, qui sub dicto ca. *Quæsti*, refertur in nouo Decreto Grego

Gratian. *Vrban. Papa.*

Gregoriano. *Prælatum est ad sanctam Synodum, quòd sint quidam Episcopi, & Abbates, qui Colonos ad se pertinentes non sinant Decimas dare ad Ecclesias, vbi Missas audiunt, & infantes eorum baptizantur. Proinde decreuit sacer iste conuentus, vt Episcopi, & Abbates de vineis, vel agris, ac frugibus, quæ ad suum, vel fratrum vsum laborant, Decimas sibi pro beneductione, vel hospitum susceptione habeant, familiæ verò ibi dent Decimas suas, vbi per totum anni circulum missas audiunt, & infantes eorum baptizantur.* Ille ergo textus nihil ad rem præsentem facit. Alij verò id
Cap. 2. probare conantur ex dicto c. 2. de Decimis, sed nihil etiam probat, nam in priori parte eius potiùs negatur obligatio soluendi Decimas: posterior verò, vbi affirmatur, non potest applicari ad Episcopos, quia per se loquendo non sunt ex illis Clericis, qui ab aliis Clericis Sacramenta recipiunt, quia in ea parte sermo est de debito personali, non de reali.

15. Probatur ratione assertio.

Illa ergo pars eodem modo probanda est, quo similem de Pontifice ostendimus, quia res transit cum onere suo, & quia Ecclesia non debet in bonis suis lædi, eo quòd ad temporale dominium Episcopi prædia transeant. Quæ rationes eò fortiùs in cæteris Prælatis infra Pontificem procedunt, quo minorem illi potestatem habent circa Decimarum dispensationem, vnde constat, partem hanc non procedere in prædiis Ecclesiasticis, siqua fortasse specialiter Episcopo applicentur in stipendium, & sustentationem propriam, ex illis enim Decimas soluere non tenetur, vt à fortiori constabit ex his, quæ de Parochis dicemus. Idémque iudicium est de quibuscunque Decimis Personalibus, quia in illis non habet locum reale debitum, vt iterùm etiam statim dicemus.

16. Parochum teneri ad Decimas soluendas debito reali, non verò personali.

Tertiò petitur in eâdem parte similis quæstio de Parocho vniuscuiusque Ecclesiæ, an teneatur ille soluere Decimas. Cui cum proportione respondendum est, Parochos teneri quidem posse debito reali ad Decimas Prædiales soluendas, propriè tamen non teneri ad soluẽdas vllas debito personali, attento iure communi. Prima pars à fortiori constat ex dictis, & iuxta intelligo dictum D. Thom. in dicto art. 4. ad 1. vbi ait. Clericos debere Decimas de propriis prædiis, *Etiamsi sint Clerici illarum Ecclesiarum, in quibus tales Decimæ soluuntur.* Sub quibus Clericis etiam Parochos com-
D. Thom. *Couar.* *Gutier.* prehendi expressiùs, quàm alij declarant Couar. & Gutier. supra. Et sic est res clara ex his, quæ de Pontifice, & Episcopis diximus: nam si prædia ipsa habent hoc reale onus, cum illo transeunt ad Clericũ, etiamsi Parochus sit. Limitandum autem hoc est ad prædia Laicalia, seu titulo seculari acquisita, vt Soto dixit, & D. Thom. apertè sentit. Quia si prædia sint Ecclesiastica, & Parocho sint in particulari applicata ad eius sustentationem, non potest ex illis debere Decimas, nam potiùs illæ habent locum Decimarum, quæ ipsi Parocho dantur ratione sui ministerij. Quod si Ecclesiæ prædium non sit in particulari applicatum Parocho, tunc non Decimæ, sed omnes fructus eius ad Ecclesiam peruenient, ex quibus sua pars ad Parochum iuxta modum sui beneficij pertinebit, ex qua parte nullam Decimam cogitur soluere propter eandem rationem. Secus verò est de fructibus secularis prædij, nam illi non pertinent ad personam Parochi ratione sui ministerij, & ideò ex illis debet soluere Decimas, saltem ex debito reali.

17. Satisfit obiectioni.

Dices: in Ecclesia Parochiali Decimæ soluuntur ipsi Parocho, ergo si Parochus illius Ecclesiæ tales Decimas debet, sibi debet, quod repugnat, vt suprà argumentabamur. Respondetur primò, licèt antecedens esset verum, nihilominùs debere in hac persona distingui rationem debitoris, & eius, cui debetur: & verum semper esset, quod Decima illius prædij non competit huic personæ, quatenus Dominus temporalis illius prædij est, sed quatenus tale beneficium habet. Secundò verò dicitur antecedens esse falsum in rigore, quia Decimæ non Parocho propriè, sed Clero, seu ministris huius Ecclesiæ debentur, ex quibus pars aliqua ad Parochum pertinere solet, vt magis sequenti capite explicabimus. Et hoc significauit D. Thomas in ratione, quàm subdidit dicens, *Quia aliud est habere aliquid vt proprium: aliud vt commune.* Decima ergo ex tali prædio non potest vsurpari à Parocho tanquam propria, sed debet illam exhibere suæ Ecclesiæ, vt communem, etiamsi postea ex ipsa tanquam beneficiatus participare debeat. Vnde longè diuersò modo, & distincto onere possidebit illos fructus, vt proprios ratione temporalis dominij, vel vt receptos ratione sui beneficij, vt constat.

18. Probatur secunda pars de debito personali. *Soto.* *Rebuff.*

Secundam partem de debito personali in Curato specialiter indicauit Soto, sentit enim, Curatum solùm propter temporalem possessionem posse debere Decimas, non verò ratione suæ personæ. Et idem sentit Rebuffus dicta quæst. 5. num. 9. & probatur ex dictis, quia debitum personale Decimarum fundatur in receptione spiritualium ab aliquo Pastore, qui ex officio ad hoc teneatur, & per ius Ecclesiasticũ consummatur, at in Parocho, vel deest fundamentum illud, vel per ius Ecclesiæ non consummatur, ergo debitum illud non habet locum in Parocho ratione suæ personæ. Minor declaratur, quia Parochus non habet proprium Pastorem, nisi Episcopum, & Pontificem (nam sub Episcopo comprehendo quemlibet alium participãtem aliquomodo Episcopalem iurisdictionem, si esse contingat, nam eadem est ratio de illo) Respectu ergo summi Pontificis, quæ dicta sunt de Episcopo, à fortiori de Parochis procedunt, quantùm ad potestatem exigẽdi ab eis Decimas pro summo Pontifice, tamen de facto etiam non est illis hoc onus impositum iure communi, vt sentit D. Thom. *D. Thom.* dicta solut. ad 3. & eodem modo declarari, ac persuaderi potest, quo in Episcopo, & ideò licet respectu Pontificis non desit fundamẽtum, deest tamen commune ius, & ideò attento iure, non est in Parochis talis obligatio. Respectu etiam Episcopi non deest fundamentum, vt probant obiectiones suprà factæ, quia etiam Episcopus est Pastor ordinarius Parochorum sibi subditorum, eisque spiritualia administrat, nam licet ordinariè non tribuat illis Sacramenta, pascit eos verbo, & doctrina & spiritualiter ipsos gubernat, sicut & cæteras oues suas, & in multis casibus specialiori modo. Ergo intercedit inter Parochum, & Episcopum sufficiens fundamentum persoluendi Decimas, de possibile loquendo.

19. Differentia inter summũ Pontif. & Episcopos in Decimis imponendis. *Cap. Constitutum.* *Cap. Nulli.* *Cap. Ad hoc.* *Cap. Prædicator.*

Est tamen hæc differentia inter Pontificem, & Episcopum, quod Pontifex habet suo iure potestatem imponendi Decimas Parochis, sicut & Episcopis: Episcopus autem non potest illas imperare Parochis sibi subiectis, nec tributum aliquod, aut subsidium ab illis exigere, præter id, quod iure communi statutum est, vt patet ex c. *Constitutum*, c. *Nulli Episcoporum*, cap. *Ad hoc*, c. *Prædicator*, 16. q. 1. Ratio vero est, quia Episcopi non sunt supremi dispensatores Decimarum, sicut Pontifex, nec illis commissa est potestas ad imponendas Decimas, non solùm Parochis, verùm etiam quibuslibet Clericis, vel Laicis, vt ex dictis iuribus, quæ ferè omnia Pontificia sunt, constat. Ex hoc ergo capite non tenentur, nec obligari possunt Parochi ab Episcopis suis sibi Decimas persoluere: illisque, & eorum sustentationi ac oneri sufficiẽter prouisum est per communium Decimarum portionem eis iuxta sacros canones designatam, vel (vbi commune ius receptum non est) per alios Ecclesiasticos reditus vnicuiq; Ecclesiæ designatos. Denique in vno-

quoque Parocho respectu aliorum extraneorum Episcoporum, vel Clericorum, aut Parochorum deest non tantùm ius, sed etiam fundamentum Decimarum, quia non recipiunt ab illis diuina, neque eis subordinantur. Et hoc sensu dixerunt aliqui, vt refert Rebuff. supra num. 6. Clericos non debere Decimas Clericis æqualibus, ita intelligentes cap. 2. de Decimis, quæ sententia in se vera est, & rationi conformis, quicquid sit de accommodatione illius ad textum prædictum: Nomine autem æqualium comprehenduntur omnes non superiores in iurisdictione, vel pastorali munere respectu ipsorum.

20. Parochos non teneri ad Decimas soluendas ratione personarum.

Ita ergo inductione facta constat, Parochos non teneri ad Decimas soluendas ratione suarum personarum, quia nulla persona inuenitur, cui debitores constituantur. Dici verò potest debere illas suæ Ecclesiæ, vt in cumulum communem veniant cum aliis Decimis, & postea omnes cum proportione diuidantur iuxta Canones vel consuetudinem, sicut suprà dicebamus de debito reali Decimarum Prædialium ex secularibus possessionibus. Sed hoc etiam dici non potest, quia Parochus ad suam Ecclesiam non comparatur, vt recipiens, sed vt conferens sacra, vt hîc Soto aduertit, ergo non est, cur obligetur ad soluendas Decimas: quia ad hoc solùm obligantur Clerici, quatenus recipiunt ab aliis diuina, vt patet ex dicto c. 2. de Decimis, in fine. Nec refert, quod ipse etiam Parochus Sacramẽta interdum ab alio recipiat, nam per se tantùm recipit illa à suo Episcopo, vel Pontifice, vel à Vicario, quem loco illorum ex eorum consensu speciali, vel generali habet, & ideò non magis illi debet Decimas, quam Pontifici, vel Episcopo. Nec est eadem ratio de Decimis Prædialibus debitis ratione ipsarum rerum, seu possessionum, quia in illis & ius, & fundamentum est longè diuersum, vt explicatum est. Atque ex his apertè concluditur, Parochum non teneri ad soluendas Personales Decimas, siue spirituali titulo, siue temporali acquisitæ sint: Probatur quia non tenetur ad soluendas illas ex debito personali, quia ad nullas omninò Decimas hoc titulo obligatur, vt ostensum est: debitum autem reale non cadit in Decimas Personales, quia persona de se non habet annexum onus soluendi Decimam, nisi quatenus resultat ex receptione diuinorum per laborem, & operam ministrorum Ecclesiæ, quod pertinet ad personale debitum. Atque ita tenet Rebuff. dicta q. 5. num. 9. Couar. suprà, qui etiam generalius loquuntur, vt in sequenti puncto declarabo.

Rebuff. Couar.

21. Clerici simplices tenentur ex vi iuris ad Decimas non solum reali, sed personali debito.

D. Thom. Hostiens. Anton. Abb. Henric. Cardinalis. Couar. Soto. Rebuff.

Quartò tandem similis interrogatio peti potest de aliis simplicibus Clericis, de quibus alia ratio esse videtur. Et ideò dicendum est, alios Clericos, qui non sunt Pastores Ecclesiæ, nec ex officio diuina ministrant aliis fidelibus, per se, & ex vi iuris communis teneri ad Decimas persoluendas, non solùm reali debito (vbi contigerit illud habere) sed etiam personali. Hæc conclusio in genere sumpta est D. Tho. & communis in dicto cap. 2. de Decimis, vbi Hostiens. Anton. Abbas, Henr. Cardin. Conf. 90. Couar. Soto, Gutier. Rebuff. & alij suprà citati. Probatúrque sufficienter ex posteriori parte illius textus. In qua dicitur Clericos, qui ab aliis Clericis recipiunt Sacramenta, Decimis esse obnoxios, non quidem ratione rei possessæ, sed ratione operis, & laboris in eorum commodum impensi, ex quo titulo oritur debitum personale. Sine causa verò Glossa ibi hoc limitat ad Clericos coniugatos: tum quia textus absolutè loquitur, tum quia ratio textus in omnibus Clericis recipientibus dicto modo Sacramenta locum habet, vt notauit Rebuff. suprà. Et ideò nec limitandus est ille textus ad Clericos inferiores primæ tonsuræ, vel minorum ordinum, (quicquid ille insinuet) quia eadem ratio est de Clericis in sacris; etiamsi Sacerdotes sint, vt Antonius ibi, & alij dixerant. Quia licet Sacerdotes non ab alio, sed à se videantur Sacramenta suscipere, hoc solùm est verum de Eucharistiæ communione, quæ in ipso sacrificio fit: In aliis verò etiam ipsi subduntur Parochis quoad spiritualia, quia eorum curæ subsunt in Sacramentorum receptione, vt communiter notant Canonistæ in cap. *Omnis vtriusque* de Pœnit. & remissi. ergo sub regula soluendi Decimas comprehenduntur in rigore iuris.

Gloss.

22. Limitatio quibusdam assignata. *Al. Inf. Syluest. Angel.* Cap. 2.

Impugnatur.

Ab hac tamen obligatione excipiunt aliqui, Clericos inseruientes alicui Ecclesiæ, cui Decimæ debentur: nam illos aiunt non teneri ad soluendas Decimas etiam de patrimonialibus bonis. Ita Alensis suprà, quem Syluester & Angel. sequuntur, solúmque id probant ex cap. 2. de Decimis, sed inde nihil probari potest, quantùm ad Decimas ex secularibus bonis, vt ex dictis facilè constat. Si ergo illa limitatio intelligatur de debito reali Decimarum ex prædiis secularibus, probabilis profecto non est, estque contra D. Thomam, & communem suprà allegatam, & sine fundamento. Si enim Parochus ipse tenetur illas Decimas soluere, multò magis quilibet alius tali Ecclesiæ inseruiens. Item illud onus est annexum rei, & ideò diximus etiam Episcopum, & Papam obligari, ergo. Item aliàs grauiter læderetur Ecclesia, quia possent Canonici, & alij inseruientes ei, multas possessiones acquirere, & eam Decimis priuare. Denique hoc euidenter supponitur in c. *Siquis Laicus, vel Clericus*, 16. q. 1. vbi dicitur, non posse Clericum rem propriam legare, aut dare, priuando priorem Ecclesiam Decimarum prouentu, supponit ergo habere Ecclesiã Decimarum prouentũ ex rebus Clericorum. Si verò illa sententia intelligatur de personali debito, erit fortasse magis tolerabilis. Simpliciter tamen vera non est, neque in iure habet fundamentum, quia cap. 2. quod pro illa citatur, in secunda parte sua potiùs contrarium probat, vt deductum est, in priori verò non agit de Clericis, quatenus possident prædia more Laicorum, sed ad summum vt Clerici sunt, vt omnes exponunt, & ratio facta conuincit, vnde contraria sententia est etiã ratione destituta, nam in his Clericis inuenitur fundamẽtum obligationis personalis harum Decimarum, & forma generalis præcepti illos comprehendit tanquam fideles Sacramenta recipientes, & nullum est ius illos eximens, ergo.

Cap. Siquis.

Cap. 2.

23. Exceptio præcedens quomodo possit esse vera.

Intellecta verò illa exceptio de Decimis ex possessionibus, vel reditibus Ecclesiasticis, est probabilis, & communiùs recepta, & habet in illo cap. 2. magnum fundamentum iuxta expositionem D. Thomæ communiter etiam approbatam, & ita accommodatur exemplum à Leuitis in eo textu sumptum, nam illi non soluebant Decimas aliis Leuitis, quia non habebant alia bona, nisi Decimarum, ergo & nostri Clerici nòn soluent aliis Clericis Decimas ex fructibus Ecclesiasticis. Tandem ratione declarari potest, quia ad soluendas huiusmodi Decimas non obligantur hi Clerici ex debito reali, quia possessiones Ecclesię non habent annexum onus soluendi Decimas eidem Ecclesiæ, cuius sunt, vt suprà ostensum est cum D. Tho. & aliis: Et eadem ratio est de omnibus fructibus, seu reditibus, nam secundùm ius commune Ecclesiæ Decimæ non sunt obnoxiæ, vt ex illis soluantur aliæ Decimæ, neque in hoc Ecclesia imitata est legem veterem. Neque etiam obligantur hi Clerici ad Prædictas Decimas soluendas ex debito personali, tum quia illo modo non plus obligantur, quàm Laici, quia titulo, & onere Laicorum obligantur, & ideò solùm obligantur ad soluendũ Decimam ex reditibus possessionum secularium, sicut Laici, tum etiam quia eo ipso quod eidem Ecclesiæ ministrant, & illo titulo acci-

accipiunt Ecclesiasticos reditus in stipendium,& sustentationem, censentur illud stipendium accipere integrum,& liberum ab omni Ecclesiastico onere,& hoc est,quod in dicto cap.2.in principio significatur: Quandam verò limitationem in hoc puncto inuenio positam ab Alensi suprà, videlicet, quando Clerici testari possunt ex fructibus suorum beneficiorum,teneri etiam ad Decimas præstandas ex eorum reditibus. Sed hoc nulla iure fundatum esse video, nec ratione probari potest, & ideò admittendum non est, nisi vbi eadem consuetudo, quæ facultatem testandi induxerit, simul etiam Decimandi oblationem introducat, quot tamen nec necessarium est, quia illa duo non sunt per se connexa, nec de facto consuetudine seruatur, quantum intelligo.

Alia limitatio impugnatur. *Alensis.*

Denique ex his colligi potest,qui dicendum sit de Personalibus Decimis: Verisimiliùs enim est, Clericos nunquam teneri ad Decimas Personales soluendas ex lucris acquisitis spirituali titulo propter eandem rationem cum proportione applicatam. Et potest etiam alia suprà insinuata induci, quia Ecclesia non vult Clericos grauari in Ecclesiasticis bonis, nisi in casibus in Iure expressis, hic autem casus, seu decimãdi modus non est in iure expressus.De aliis verò Decimis Personalibus ex lucris temporalibus variæ sunt opiniones, tamen in rigore iuris eadem ratio de illis est, quæ de Prædialibus Decimis ex secularibus possessionibus, licet consuetudo esse dicatur, vt tales Decimæ non soluantur, maximè à Clericis,quæ consuetudo, vbi fuerint, seruanda est iuxta suprà dicta, & dicenda in sequenti capite.

Atque ex his constat, quid dicendum sit de Religiosis, & de quibuscumque Personis Ecclesiasticis, quocumque modo, aut titulo tales censeantur. Dicendum enim est, omnes teneri ad persoluendas Decimas, quantùm est ex vi communis iuris. Probatur, quia non eximuntur ex eo præcisè, quod Ecclesiasticæ personæ sunt, nam Clerici simpliciùs,& propriùs sunt Ecclesiasticæ personæ,&non propterea eximuntur,neque etiam ex eo,quod sub generali regula non comprehendantur, nam etiam illi sunt fideles participantes Sacramenta, & diuina à Pastoribus Ecclesiæ. Quòd si interdum ipsi participant curam animarum ex officio, non id habent, quatenus Religiosi sunt, sed quatenus Clerici, & beneficiati, & vt sic illorum regulam sequuntur, Religiosi autem per se, & vt Religiosi sunt, Decimas debent, vt in cap. *De cætero*, cap. *Ex parte*, & cap. *Licet* & aliis de Decimis, habetur & cap. 2. §. *Cæterum*, de Decimis, in 6. & idem supponitur in cap. *Veniens* de transactio.

25. Religiosos teneri ad soluendas Decimas.

Cap. *De cætero.* Cap. *Ex parte.* Cap. *Licet.* Cap. 2. 26.

Tandem ex his omnibus satisfactum est toti primæ difficultati,nam explicuimus,quomodo Decimarum obligatio in singulos Clericorum ordines cadere possit. Solùm est cauenda æquiuocatio circa illam reduplicationẽ *De Clericis, vt Clerici sunt*, quia non in eo sensu accipitur à diuo Thoma,& aliis doctoribus, in quo in illa obiectione accipitur, non enim negantur Clerici soluere Decimas vt Clerici,eò quod illas non soluant suis superioribus, qui illos speciali modo pascunt, & gubernant, etiam vt Clericos, nihil enim repugnat, quin hoc titulo, illas soluant, vt ostensum est:sed dicuntur non soluere vt Clerici,quia quotiescunque Decimas soluunt, non soluunt illas ex Ecclesiasticis bonis, sed ex temporalibus, nam in illa formalitate soluendi (vt sic dicam) magis attenditur respectus ad bona, ex quibus fit solutio, quàm ad modum subiectionis ad Prælatos Ecclesiæ, seu ad influxum spiritualem Pastorum in subditos debentes Decimas, nam quod ille influxus sit communis fidelibus, vel proprius Clericorum, materiale quid est in ordine ad solutionem Decimarum. Et ita manet etiam expedita tota secunda difficultas, quæ in prædicta æquiuocatione ferè fundata est. Cur autem bona,seu prædia seculari titulo possessa sint obnoxia solutioni Decimarum,non autem Ecclesiastica prædia, iam satis explicatum est.

Vna verò supereſt difficultas circa hæc prædia Ecclesiastica, quando prædia vnius Parochiæ propria sita sunt intra terminos alterius Parochiæ, an tunc Ecclesia, cuius est prædium, teneatur soluere Decimam illi Ecclesiæ, in cuius territorio est prædium: nam ex dictis videtur sequi, teneri saltem ex debito reali, licet personale hic intercedere non possit, sequela patet, quia res transit cum suo onere, sed prædia existentia in termino alicuius Ecclesiæ, habent onus reale Decimarum illi Ecclesiæ soluendarum, ergo licet perueniant ad dominium alterius Ecclesiæ,ad illam transeunt cum suo onere,scilicet soluendi Decimas alteri Ecclesiæ. Et confirmatur, quia dictum est, etiam ad summum Pontificem, & Episcopos transire cum hoc onere, ergo multò magis ad aliam particularem Ecclesiam. Confirmatur secundò; quia alias monasterium emens, & colens prædia in alicuius Ecclesiæ terminis existentia, non teneretur ex illis soluere Decimas tali Ecclesiæ ex vi iuris communis, quia iam efficiuntur Ecclesiastica prædia: Consequens est contra multa decreta, capit. *Commissum*,cap. *Nuper* cum aliis de Decimis,& 16. quæst. 1. ergo.

27. Cum prædia vnius Ecclesiæ sunt intra terminos alterius, an Ecclesia teneatur ad Decimas.

Cap *Commissum.* Cap. *Nuper.*

Ad hanc igitur difficultatem primò responderi potest, concedendo sequelam, nimirum tales Ecclesias tunc teneri ad soluendas Decimas alteri Ecclesiæ, in qua sunt prædia debito reali. Quam sententiam tenent Abbas in dicto capite 2. numer. 6. & in dicto capite *Nuper*,de Decimis,Rebuffus dicta quæstion. 5. num. 20. Gutierrez dicto capit. 21. numer. 54. & esse communiùs receptam affirmat Couarruias dicto cap. 17. numer. 8. §. *Secundo*, Et à fortiori tenet eandem sententiam Glossa in cap. 1. de Censibus versic. *Vllo onere*, ampliando illam etiam ad mansum, seu proprium fundum Ecclesiæ. Nam licet de illo manso in illo textu dicatur debere esse liberum ab omni onere, nihilominùs Glossa illa dicet,quòd si priùs ex illo soluebantur Decimæ alteri Ecclesiæ, etiam postea soluendæ sunt. Habétque hæc sententia magnum fundamentum in capit. *Ecclesiæ*, & capit. *Quicunque*, 16. quæst. 1. Quibus statuitur antiquiores Ecclesias non esse priuandas Decimis prædiorum, propter nouas Ecclesias in eis ædificatas. Addi etiam potest ratio vltra supradictas, quia alias posset vna Ecclesia graue detrimentum pati, si aliæ possessiones intra illius terminos sitas acquirerent, qua ratione vtuntur sæpe Iura citata, cum de Religiosis loquuntur.

28. Pars affirmatiua proponitur.

Abbas. Rebuff. Gutier. Couar.

Glos.

Cap. *Ecclesiæ.* C. *Quicunque.*

Nihilominùs contrariam sententiam, nimirum in prædicto casu, Ecclesiam, cuius est possessio aliqua, non teneri ad soluendas Decimas alteri Ecclesiæ, in qua est possessio,tenet expresse D. Thom. dicta q. 87. art. 4. ad 1. vbi Caiet. Soto,Aragon.qui omnes limitationem adhibent, nisi contingat ob eam causam Ecclesiam, in qua sunt prædia, magnam pati iacturam. Hi verò auctores nullam probationem ex Iure afferunt, sed solùm hanc coniecturam, scilicet,quòd fundus eo ipso quòd fit Ecclesiæ,efficitur Ecclesiasticus, ac subinde spirituali muneri,ac Ecclesiæ fabricæ mancipatus: & ideò ad soluendas Decimas alteri Ecclesiæ non manet obnoxius. Quæ coniectura parui momenti esse videtur. Primò quia non potest de nouo huic Ecclesiæ mancipari cum iniuriæ prioris Ecclesię,& ita per hanc rationem non satisfit obiectioni factæ, nec Iuribus in contrarium adductis. Secundò quia non repugnat, fundum,vel possessionẽ aliquam

29. Pars negatiua explicatur.

D. Thom. Caiet. Soto. Aragon.

habentem antiquum censum, vel pensionem, donari, aut vendi Ecclesiæ, & cum ipsomet onere transire ad Ecclesiam, vt in lib. de immunit. Ecclesiast. latè tractani, & res est vulgaris, & receptissima. Maximèque hoc verum est, quando onus illud spirituale etiam
Cap. 1. est iuxta cap. 1. de Censib. in fin. Nihil ergo repugnat, fundum esse Ecclesiasticum, & fructus eius quoad nonam partem, esse vnius Ecclesiæ, & decimam esse alterius, nam ita etiam totus fundus erit mancipatus spirituali muneri, vel fabricæ Ecclesiæ, non tamen vnius. & eiusdem, sed plurium, iuxta earum quasi partialia iura.

30. Cap. *Quæsti.* Melius posset suaderi hæc sententia ex dicto cap. *Quæsti.* 16. quæst. 1. cum his, quæ circa illud suprà notauimus, videtur enim ibi facta concessio vnicuique Ecclesiæ, vt ex suis possessionibus, quas habet ad suorum ministrorum sustentationem, Decimas alteri Ecclesiæ non soluat. Quod videtur generaliter intelligendum, vbicunque illæ possessiones sitæ sint, tum quia textus absolutè loquitur, tum quia ex contextu colligi potest de huiusmodi Decimis ibi esse sermonem. Nam aliàs nulla esset ratio, cur Clerici altierius Ecclesiæ conquererentur, quia Episcopus non sinebat, colonos suorum prædiorum alteri Parochiæ soluere Decimam. Neque enim est verisimile, querelam fuisse pro solis Personalibus Decimis colonorum, quia nec de illis ita solent curare Episcopi, neque Consilium tanta cum distinctione respodisset, si de solis illis esset quæstio, & ita videtur intellexisse
Cap. 2. textum illum Glossa in dicto cap. 2. de Decimis verb. *A clericis.*

31. Reijcitur media sententia inter duas suprà relatas. At verò Glossa in eodem cap. *Quæst.* in proponendo casum illius textus, aliquid addit huic textui, & tertiam opinionem inducit, ait enim, Ecclesiam dominam agri altera in Ecclesia siti, si colat illum suis sumptibus, & famulis non teneri ad soluendas Decimas alteri Ecclesiæ, & quoad hoc approbat posteriorem sententiam. Indicat verò per argumentũ à contrariò, quod ũ per colonos agrum colat, tunc Decimas soluere debet alteri Ecclesiæ iuxta priorem opi-
Turrec. nionem. Quam sententiam etiam approbat Turrecr. Sed profectò non habet in textu illo fundamentum, quia textus non ponit illam conditionem, *Si agros suos propriis colunt stipendiis*, sed verba textus sunt. *De vineis, & agris, quæ ad suum vel fratrum stipendium habent.* Quocirca licet illa distinctio in aliis casibus à Pontificibus tradi soleat, maximè in priuilegiis Religiosorum, vt infrà videbimus: In præsenti quæstione non habet fundamentum in illo textu, nec in alio iure, quod ego sciam. Omissa ergo hac distinctione, aliæ duæ opiniones probabiles sunt, quamuis prior magis nitatur rigore iustitiæ, & ideò in Iure videatur habere maius fundamentum: nam sensus illius capit. *Quæsti.* dubius est, & satis obscurus. Defendendo autẽ illum sensum iuxta secundam opinionem dicendum consequenter est ad obiectionem factam, illam procedere secundùm generalem regulam, tamen in hoc Ecclesiam statuisse speciale ius in fauorem Ecclesiasticorum prædiorum, quod sine dubio facere potuit, mutando aliqua ex parte Iura Ecclesiarum, vt bona Ecclesiastica essent magis certa, & integra. Et ideò non est eadem ratio de prædiis, quæ veniunt in dominium personæ Pontificis, vel Episcopi, &c. quia per hoc non efficiuntur bona illa Ecclesiastica, vt constat. De Religiosorum autem prædiis statim dicemus. Denique licet in rigore iuris res sit dubia, vsu verò, & consuetudine D. Thom. sententia recepta
Couar. Gutierr. est, vt Couar. & Gutier. significarunt. Et fortasse ipse D. Thomas in illo sensu est loquutus. Limitatio verò, quam Caiet. & alij adhibent, rationi consentanea est, iudicio tamen superioris Prælati discernendum erit, quando sit tam enormis læsio, vt ius illud, vel consuetudo admittenda non sit. Et hactenus de secunda parte regulæ.

CAPVT XVIII.

An aliqui eximantur à debito Decimarum, vbi de priuilegio non soluendi Decimas nonnulla differuntur.

1. Explicatur tertia pars regulæ suprà positæ. IN hoc cap. explicanda est tertia pars regulæ propositæ in c. 16. quæ habebat, omnes suprà dictos obligari ad Decimas, *Nisi peculiari titulo exempti sint:* Quam particulam, & limitationem expresè addidit Innocentius III. in cap. *A nobis*, de Decimis, in illis verbis: *Nisi à præstatione ipsarum specialiter sit exemptus*, & infrà: *nisi ab eis ostendatur, quare ab huiusmodi sint immunes.* Et ratio talis limitationis est clara ex dictis in c. 11. 12. & 13. Nam hæc obligatio soluendi Decimas considerata in particulari, vt applicata singulis personis, non est naturalis, seu diuina, sed merè humana, ergo fieri potest, vt aliquæ personæ obligatæ aliàs ex vi iuris ad solutionem Decimarum ab ea obligatione eximantur. Dices hoc solùm probare de exemptione à quota, non verò à tota solutione, quia præceptum Decimarum solùm est humanum quantùm ad quotam. Respondeo hoc procedere respectu totius communitatis, vel Parochiæ, vel Ecclesiæ, non verò respectu singularum particularium personarum, vel familiarum. Quia de iure naturali, & diuino solum est, vt ministri Ecclesiæ habeant ab eadem Ecclesia congruam sustentationem; quòd verò concurrant omnes & singuli de Ecclesia, aliquid contribuendo, non est de iure naturali, neque quoad quotam Decimæ, nec omninò quoad aliquam partem, quantumuis minimam, possunt ergo aliqui per Ecclesiam eximi ab hoc onere. Dices, saltem erit hæc acceptio personarum, quæ est contra ius diuinum, & naturale, quia est contra iustitiam distributiuam, vel etiam contra commutatiuam, quia dum quidam eximuntur, alij grauantur. Assumptum patet, quia cum omnes fideles gaudeant laboribus ministrorum Ecclesiæ, acceptio personarum est quibusdam imponere totum onus sustentandi ministros, & alios eximere. Respondetur, hanc exceptionem semper fieri debere ex rationabili causa, & quando respicitur iusta causa, non accipi personam, neque hoc redundare in grauamen aliorum, qui non eximuntur, quia non exigitur ab illis vltra Decimam, ad quam ex iure tenentur, solùm ergo per hanc exceptionem diminuitur census, & stipendium ministrorum Ecclesiæ, quæ diminutio nunquam est, nec esse potest citra congruentem sustentationem, quod autem vltrà illam datur, potest Ecclesia taxare, augere, & minuere, prout ad commune bonum expedire iudicauerit. Hæc ergo exemptio sæpe iustè fit, & ideò illa limitatio regulæ, necessaria fuit.

Innocen. 3.

Obiectio.

Soluitur.

Obiectio.

Respondetur.

2. Exemptio à Decimis à solo sum. Pontif. potest fieri. Est autem circa istam partem vlteriùs aduertendum ex dictis in cap. 15. solum Summum Pontificem posse hanc exceptionem facere, quia inferiores Prælati non possunt, vt ibi ostensum est. Et licet per consuetudinem comparari possit, vt diximus capit. 12. tamen ibidem adnotauimus, consuetudinem quoad hunc affectum pendêre semper aliquo modo à Papa, vt expresè, vel tacitè, in generali, aut in particulari admittente talem consuetudinem, quæ contra illius voluntatem, vel potestatem prævalere non potest. Et hoc modo dicimus à solo Pontifice posse hanc exemptionem fieri. Possumus autem distinguere tres modos, quibus fieri solet. Primus est per ipsum commune

Propo nũtur tres modi eximendi à Decimis.

mune ius, sub quo comprehendimus omnia priuilegia in corpore Iuris inserta. Secundus est per priuilegia scripta, & concessa extra ius commune. Tertius est per consuetudinem non scriptam. De hoc tertio modo, quę ad doctrinam generalem spectare possunt, tradita sunt in cap. 12. reliqua particularia, quæ ad factum potiùs, quàm ad ius pertinent, non possunt à nobis tradi, quia in diuersis Prouinciis, Populis, & Familiis variæ sunt consuetudines, quas illi scire, & seruare tenentur, ad quos pertinent. In secundo etiam modo est magna varietas pro diuersitate Religionum, & vnicuique remittimus, vt sua priuilegia consideret, & obseruet, & tractando de statu Religioso attingemus aliqua, tum in communi, tum in specie de nostra Religione Societatis. Nunc ergo de exemptionibus in Iure concessis pauca dicemus, & quia illæ ad B Religiosos maximè spectant, quædam etiam generalia principia de hoc priuilegio Decimarum elucidabimus.

3. Primo modo eximuntur à Decimis qui in communi viuunt. *Pascas. Papa. Alens. Syluest. Angel.*

Ad primum ergo modum pertinet exemptio à solutione Decimarum Personalium ex propriis laboribus, quam concedit his, qui in communi viuunt, Paschasius Papa in cap. *Decimas.* 16. quæst. 1. vt notant Alens. Siluest. & Angel. locis sæpe citatis. Et fit extensio in textu tam ad Monachos, quam ad Clericos communiter viuentes, id est, Regulares, & paupertatem in communi profitentes, nam illi non sibi, sed suæ communitati lucrantur ad sustentationem illius, quæ Ecclesiastica est, & siquid habet superfluum, in pauperes, & pia opera illud expendere debet, vt dixit Gregorius in responsione 2. ad Augustin. Et ideò C merito ab hac Decima eximuntur. Imò Glossa, Turrecr. & alij intelligunt, ibi non solùm concedi exemptionem à Decimis Personalibus, sed etiam à prædialibus, quæ ex labore, & industria talium Regularium proueniunt. Quod certè satis insinuatur in verbis illis textus: *Decimas de laboribus, seu nutrimentis suis propriis:* Nam licet vox illa, *De laboribus*, posset in rigore restringi ad Decimas merè Personales, per alias nimirum, *Seu nutrimentis suis propriis*, extendi videtur etiam ad Prædiales: Nam hoc verbum non est synonymum prioris, sed ampliat illud ad omnes labores, qui ad nutrimentum proprium ordinantur: huiusmodi autem sunt animalium, quibus nutrimur educatio, proprij agri, vel horti cultura. Est ergo hæc sententia valde probabilis, vnde per hæc verba so- D lent significari in Iure Decimæ omnes, quæ ex propriis laboribus proueniunt, vt in sequentibus videbimus.

Greg. Auguſt. Gloſſ. Turrecr.

4. Et confirmari potest ex cap. 2. de Ecclesiis ædi. Vbi extenditur hæc concessio ad leprosos communiter viuentes, quando sunt in tanto numero, vt propriam Ecclesiam cum suo cæmeterio, & proprium Presbyterum habere possint. Qui dicuntur *sub communi vita congregati*, non quia Religiosi sint, vt bene ibi Glossa vltima supponit, sed quia per modum vnius communitatis quasi in hospitali sibi communi separatim viuunt. Illis ergo ibi conceditur, *De hortis, & nutrimentis animalium suorum Decimas tribuere non cogantur.* Hoc ergo multò magis intelligitur concessum Monachis, & Clericis communiter viuentibus. E Sed hoc euidentius in sequentibus confirmabitur. Addit verò Alens. dicta quæst. 52. Memb. 7. art. 3. per Clericos communiter viuentes intelligi etiam Canonicos seculares, quatenus de stipendiis Ecclesiæ viuunt, quia bona Ecclesiæ, ex quibus aluntur, communia sunt, ex quo concludit illos non teneri ad soluendas Decimas de reditibus Ecclesiæ. Quæ conclusio in se quidem vera est, aliena tamen à sensu illius textus, vt ex communi expositione constat, & ex proprietate verborum, & quia Gregor. quem Paschasius

Gloſſ. *Alens.* *Greg.*

A citat per *Clericos communiter viuentes*, apertè intelligit Regulares Clericos, qui proprium stipendium non habent, eósque distinguit ab illis, quibus propria portio ex Decimis assignatur. Est ergo illa exemptio Regularium propria, præter casum specialem in alio Iure expressum.

5. Hoc autem priuilegium, quantùm ad Prædiales Decimas spectat, magis in aliis Iuribus explicatur: Nam in cap. *Ex multiplici*, de Decimis Adrianus 2. dicit, se concessisse simile priuilegium Cistercien sibus. illis verbis, *Vt de laboribus, quos propriis manibus, aut sumptibus excolunt, nulli Decimas soluere teneantur.* Eiusdem priuilegij meminit Alexand. III. in cap. *Ex parte* de Decimis, dicitque priùs concessum fuisse à Prædecessoribus suis ferè omnibus, Religiosis, postea verò Adrianum solis Cistercien sibus, Templariis, & Hospitalarijs, illud simpliciter concessisse, *Cæteris verò, vt de noualibus suis, quæ propriis manibus, vel sumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium suorum, & hortis suis, Decimas non persoluant.* Et hoc idem priuilegium ipse confirmat, addens extra casus, in illo priuilegio expressos teneri Religiosos omnes ad Decimas ex rebus omnibus soluendas: Et in duobus capitulis sequentibus declarat, per illud priuilegium non eximi à soluendis Decimis, quas per Colonos excolunt. Et in cap. *Dilecti* eodem tit. declarat, Priuilegium illud arctari ad Decimas prædiorum propriorum Religionis. Nam de prædiis conductis debent Religiosi Decimas, etiāsi per se, vel famulos suos illa excolant. Et idem declarauit Innocentius cum Lateran. Concil. in cap. *Nuper* eodem tit. vbi etiam priùs priuilegium Cistercien- sium reuocat quoad prædia ab illo tempore acquirenda, de quibus antea Decimæ debebantur Ecclesiis, statuit enim, vt de illis Decimas soluant, etiamsi terras suas suis laboribus excolant, & idem seruari statuit de omnibus Regularibus habentibus similia priuilegia. Post illud verò Lateran. Concil, non inuenitur aucta, vel immutata hæc exemptio. Et ita ex vi iuris communis Religiosi iam non habent in hoc maiorem exemptionem, vt colligitur etiam ex cap. 2. *§. Cæterum* de Decim. in 6. Et notarunt Rebuff. dicto tract. quæst. 5. nu. 5. & 29. cum sequentibus & quæst. 14. num. 30. & 42. & alij, quos refert Gutier. dicto capit. 21. num. 136. At vero per priuilegia particularia plurium Religionum nouæ exemptiones, & concessiones factæ sunt, quæ (vt suprà dixi) nunc exponere non est in animo, sed in proprium locum ea remittere.

Ca. *Ex multiplici.* *Adrian.* 2.

Alexand. 3.

Quo pacto se habeant Religiosi circa Decimas.

Cap. *Dilecti.*

Innocent. Concil. Later. Cap. *Nuper.*

Cap. 2. *Rebuf.*

Gutier.

6. Priuilegium Religiosorũ circa Decimas non soluẽdas odiosum esse.

Hîc verò quædam generalis regula circa hæc priuilegia Religiosorum de non soluendis Decimis, obseruanda est, quia locum habet etiam in priuilegiis in Iure contentis est autem regula, hoc priuilegium exẽptionis à Decimis soluendis etiam Religiosis concessum odiosum esse: Nam licet ex parte eorum, quibus datur, videatur Religioni fauere, tamen simpliciter derogat communi Iuri, & secum affert præiudicium tertij, scilicet Ecclesiarum, & Clericorum, qui illis Decimis priuantur, ideóque simpliciter odiosum reputatur, vt notarunt Oldra. Consil. 268. & Gutier. Consil. 5. num. 15. & alij infrà referendi, vnde fit, vt strictè interpretandum sit, iuxta vulgarem regulam: *Odia restringi*, &c. Ita vt quàm minimum fieri possit, & Iuri communi legis deroget, & Iuri alterius noceat: vt in simili respondet Pontifex in cap. *Cum Capella* de Priuil. Ita enim solet Princeps priuilegium concedere, vt quoad fieri possit sine cuiusque præiudicio obseruetur, vt dixit I. C. in lege *Prætor ait* §. *Siquis* 1. & 2. ff. Nequid in loco publico. Semper tamen ita est restrictio facienda, vt verba priuilegij in sua proprietate soluentur, & secundùm illam significationem priuilegium seruetur, & ad effectum perducatur

Oldra. *Gutier.*

Pontifex. Cap. *Cum. Capella.*

Leg. Prætor ait.

Decius. Bald. catur iuxta doctrinam Decij Conſ. 113. num. vlt. & Bald. Conſ. 271. in 1. volum. Quia voluntas ſuperioris ſeruanda eſt, illa verò ex verbis propriè intellectis colligi debet, niſi aliunde de illius intentione conſtet. De qua re latiùs in materia de legibus dictum eſt. Et iuxta hoc videtur intelligenda Gloſſa in cap. *Ad audientiam* de Decimis, quatenus dicit priuilegia hæc eſſe latiſſimè interpretanda, vtique quantùm ad proprietatem verborum retinendam, & explendam neceſſe fuerit. Ex hoc autem principio varia dubia breuiter definiri poſſunt, quæ in ſequenti capite expedientur.

CAPVT XIX.

Exponuntur varia dubia circa priuilegia non ſoluendi Decimas.

1. PRimum dubium eſt, an per dicta priuilegia eximentia à ſolutione Decimarum Prædialium, liberetur quis à debito etiam reali ſoluendi Decimam Prædialem, quæ antea Parochiæ ex tali agro debebatur. Nam Oldra. dicto Conſil. 268. putat non liberari, ſed ſolùm à Decimis agri noualis, quem Religioſi ſuis laboribus denuò excoluerunt. *Rebuff.* Quod ſequitur Rebuf. 13. num. 114. & alij, vt referunt *Couar.* dicto cap. 17. num. 14. *Gutierr.* Gutier. dicto cap. 21. num. 129. Ratio eſt, quia hoc priuilegium eſt odioſum, & ideò ſtrictè interpretandum, ergo cum poſſit habere effectum, & ſufficienter ſeruari in exemptione à Decimis, quę ſine præiudicio tertij poſſunt non ſolui, non eſt vltra illas extendendum, ſed intellectum de Decimis noualium prædiorum cauetur præiudicium tertij, quia illa prædia nunquam fuerunt obligata ſolutioni Decimarum alteri Eccleſiæ, & ſufficienter impletur priuilegium in rigore verborum. Tùm quia illa verba *De laboribus, quos propriis manibus, & ſumptibus excolunt:* propriiſſimè arctantur ad noualia, & quæ proprio labore, & ſumptu fructifera fiunt, prouentus enim antiquorum prædiorum ſuo modo aliorum laboribus attribui poſſunt, tum etiam quia cum aliquis eximitur à Decima, optimè intelligitur eximi à debito perſonali, non à reali, quod magis eſt rei, quàm perſonæ, cum ratione rei ſolius perſona obligetur.

2. *Pars affirmatiua communis, & certa. Couar. Gutierr. Abbas.* Nihilominùs contraria ſententia eſt communis, vt referunt Couar. & Gutier. ſuprà cum Abbat. in ca. *Dudum*, de Priuilegiis. Eſtque communis praxis. Et poſt declarationem Alex. 3. videtur mihi res indubitata. Nam antea poterat fortaſſe prior ſententia apparenter ſuſtineri, quia neque Paſchaſ. neque Adrian. Papa vſi fuerant verbis, quibus ſatis apertè oſtenderent, ſe eximere non tantùm perſonas, ſed etiam res priùs obnoxias debito Decimarum. *Alexand. 3.* At verò Alex. 3. in dicto cap. *Ex parte* 1. expreſsè diſtinguit dicens, antiquitùs fuiſſe conceſſum omnibus Religioſis, vt Decimas non ſoluerent de laboribus ſuis & intelligit à temporibus Paſchaſ. 2. in dicto cap. *Decimas* 16. q. 1. Nam antea Monachi ſoluebant Decimas non minùs, quàm Laici, vt notat Gloſ. in dicto c. *Ex parte* 1. iuxta c. *Alia cauſa* 1. adiuncta Gloſ. Ver. *Si munus* 16. q. 1. *Gloſſa. Rebuff.* Rebuf. verò dicta q. 14. n 27. & 38 addit Gregorium exemiſſe. Monachos à Decimis ſuorum prædiorum ſoluendis ſimpleiter, & ſine illa limitatione: *De laboribus ſuis*, citatque Canonem Gregorij, qui in Iure, vel operibus eius non inuenitur. Poſtmodum verò Paſchaſius Religioſos exemit verbis ſuprà relatis quę ambiguitatem tactam facere poterant. At vero attenta relatione, & confirmatione Alexandi, res eſt clara, dicit enim ſe cum Adriano eximere quoſdam abſolutè *A Decimis ſoluendis de laboribus ſuis*, alios verò *tantùm à Decimis de noualibus, animalibus, & hortis.* Ergo planè declarat, illos priores non tantùm quoad noualia, ſed abſolutè quoad omnes terras propriis manibus cultas eximi, ſiue priùs cultæ fuerint, & ſoluendis Decimis aſſuetæ, ſiue non, aliàs nulla eſſet differentia inter illa duo membra. Et conſequenter exponit illa verba *De laboribus, &c.* Extendi ad quæcunque prædia propriis laboribus, vel ſumptibus culta, ac ſubindè in hoc ſenſu non fuiſſe antea conceſſum priuileginm. Ac denique in ca. *Ad audientiam* eodē tit. expreſsè refert priorem interpretationem, & explodit illam. Tandem Innoc. III. in dicto c. *Nuper* ſtatuit, vt Religioſi de terris amodò acquirendis Decimas perſoluant Eccleſiis, quibus ratione prædiorum antea ſoluebātur, ergo de terris ante illud Decretum acquiſitis non tenebantur ſoluere Decimas, licet ratione prædiorum antea ſoluerentur. Et è contrario etiam nunc non tenentur ſoluere de noualibus, nam ex illis, vel ratione ipſorum nullis Eccleſiis priùs Decimæ ſoluebantur, ergò per illa verba generalia, conceſſa erat exemptio à Prædialibus Decimis, etiam quoad reale debitum. Atque hoc euidentiùs locum habet in priuilegiis extra Ius conceſſis Religioſis, in quorum fauorem interdum derogatur dictum cap. *Nuper*, interdum additur diſtributio *Ab omnibus Decimis*, aliquando ſimpliciter dicitur *A Prædialibus Decimis.*

Cap. *Ad audientiam. Innocent.* Cap. *Nuper.*

Sed obiici poteſt cap. *Dudum* de Priuileg. quatenus ex eo colligitur per priuilegium non ſoluendi Decimas de noualibus, non priuari aliquā Eccleſiam iure, vel poſſeſſione exigendi Decimas de talibus rebus, niſi hoc ipſum in ipſo priuilegio exprimatur, ergo in vniuerſum niſi Indultum mentionem faciat debiti realis, non eximit ab illo, nec priuat tertium iure ſuo: Sic etiam in cap. *Dudum* de Decimis per conceſſionem cuiuſdam Eccleſiæ cuidam Hoſpitali factam, non cenſetur Epiſcopus priuari iure Decimarum talis Eccleſiæ, quia hoc in literis non exprimebatur, ergò idem eſt in præſenti. Reſpondetur, caſum vtriuſque textus eſſe longè diuerſum. Nam in priori ſermo eſt de priuilegio conceſſo ad non ſoluendas Decimas de noualibus, & declaratur ſub tali Indulto non comprehendi noualia, à quibus Eccleſia Decimas accipiebat priùs, quàm rumperentur, & excolerentur. Poterat enim priùs accipere Decimas ex herbis, paſcuis; aut lignis talium terrarum, & tunc non cenſetur Pontifex facere præiudicium Eccleſiæ poſſidenti, ſed ſolùm concedere illa noualia, quæ omninò infructuoſa erant Eccleſiis, quia ex vi vocis *noualium* hæc videtur eſſe intentio Pontificis, & ita declarata eſt illa vox in ca. *Quid per nouale*, de verb. ſignifi. At in præſenti cum conceditur abſolutè exemptio à Decimis ex propriis laboribus, ſeu (quod idem eſt) ex prædiis propriis laboribus, vel ſumptibus cultis, comprehenduntur etiam Decimæ ex terris priùs cultis, & ſub poſſeſſione Eccleſiæ conſtitutis quoad Decimarum perceptionem, quia verba illa in proprietate hoc totum comprehendunt. Nam ipſa vox, *Decima*, ſignificat aliquid ſub iure Eccleſiæ conſtitutum, à quo iure priuilegium liberat, quia implicitè ſaltem fit in eo ſufficiens mentio illius iuris. Hinc verò inferunt Couar. & Gutier. hanc ſententiam intelligendam eſſe quoad Decimas, quatenus communi Iure debentur. Nam ſi alicui deberentur ex talibus prædiis ex particulari priuilegio, vel titulo, tunc illi non præiudicaret tale priuilegium, niſi vel alterius iuris ſpecialis expreſſam faceret mentionem, vel daretur per verba adeò particularia, vt omnes ſimiles titulos, & exactiones comprehenderet, vt in priuilegiis Religionum fieri nunc ſolet, quod mihi valde placet. In alio verò cap. *Dudum*, minor eſt difficultas, quia concedere Eccleſiam, ſeu illam vnire Hoſpitali, aut Monaſterio, in rigore

2. Obiectio. Cap. *Dudum de priuileg.*

Cap. *Dudum*

Soluitur.

Cap. *Quid per.*

Couar. Gutier.

rigore non est illi applicare iura Episcopalia illius Ecclesiæ, sed ad summum propria, & Parochialia, & ideò nulla ibi erat difficultas, nec similitudo cum nostro casu.

4. An priuilegium de non soluēdis prædialibus Decimis extendatur ad noualia. *Rebuf. Anton. Socin. Gutier.*

Secundò verò potest è conuerso dubitari, an priuilegium concessum, *De non soluendis Prædialibus Decimis*, extendatur ad noualia, post concessum priuilegium culta, vel solùm de prædiis vsque ad illud tempus cultis intelligatur. Quidam enim censent non extendendum ad noualia. Ita Rebuffus dicta quæst. 14. num. 29. & 30. refertque Anton. & Socin. Et eum sequitur Gutier. dicto cap. 21. num. 130. Constituunt autem dicti Auctores differentiam inter priuilegium eximens à Decimis soluendis ex propriis laboribus propriorum agrorum, vel absolutè eximens à Decimis propriorum prædiorum: Nam primum fatentur B extendi ad noualia, quod de altero negant. Quocirca loquendo de priuilegiis in Iure concessis simpliciter dicendum est, extendi ad noualia, quia in Iure non inuenitur priuilegium eximens à Prædialibus Decimis, nisi cum illa duplici limitatione, *De prædiis propriis, & de propriis laboribus, vel expensis*, sed ita concessum extenditur ad noualia, ergo. Atque ita colligitur ex dicto cap. *Ad audientiam*, ibi, *Nam si intelligeremus tantummodo de noualibus*, ergo intelligit etiam de illis, quamuis non solis. Idem argumentum sumitur ex ca. *Ex parte* 1. ibi, *Cæteris verò, vt de noualibus suis*, aliis ergo, id est, quibus priuilegium de propriis laboribus datum est, tam de noualibus, quàm de aliis facta est gratia. Item potest sumi argumentum ex cap. *Ex parte* 3. de Decimis. Quia ibi dicitur Parochianis, quibus C concessæ sunt Decimæ de laboribus terræ Parochiæ suæ, concessas etiam esse Decimas noualium, ergo similiter Religiosis, quibus concessæ sunt Decimæ de propriis laboribus, noualia etiam data intelliguntur. Verum est textum illum habere obscuriorem intellectum, de quo in capite sequenti.

Cap. *Ad audientiam.*

5. Priùs verò, quàm rationem reddamus, oportet expendere alteram partem de priuilegio absolutè concesso de non soluendis Decimis Prædialibus: Nam si hoc non extenditur ad noualia, difficile est, rationem differentiæ reddere. Illi enim Auctores hoc probant, quia hoc priuilegium est odiosum, & restringendum: At idem argumentum procedit de altero: nam etiam est odiosum, vt dictum est. In vtroque ergò non est restrictio facienda vltra verborum proprietatem, vnde D quia in noualibus implentur duæ illæ conditiones, nimirum quòd Decimæ ipsorum sunt ex agris propriis (supponimus enim terras illas esse proprias monasterij priuilegiati) & sunt ex propriis laboribus (nã etiam supponimus propriis laboribus, & expensis fuisse ruptas) ideò sub illa negatione, non soluendi Decimas ex prædiis, & laboribus, euidenter comprehenduntur etiam noualia. At verò hæc ratio procedit in alio priuilegio *De non soluendis Decimis ex propriis prædiis*, quia etiam noualia sunt propria prædia. & illa negatio est absoluta, ergo omnia prædia comprehendit. Item inter hæc priuilegia solùm videtur esse differentia, quod in vno exigitur duplex conditio suprà dicta: in altero verò vna tantùm, scilicet quod prædia sint propria, ergo sicut illud extenditur ad omnia E prædia, in quibus duplex conditio inuenitur, siue illa sint noualia, siue non, ita & secundum æquè vniuersaliter intelligendum est de omnibus prædiis, in quibus illa conditio verificatur, quod scilicet propria sint.

6. Alia differētia quæ assignatur.

Assignant verò aliam differentiam, quod quando priuilegium limitatur ad proprios labores, potest paruum detrimentum Ecclesiæ afferre, quia non possunt Religiosi magnam terræ partem propriis laboribus colere, ideoque po[illegible]est ad noualia extendi, A secùs verò est de alio priuilegio sine tali limitatione concesso, quia potest magnum præiudicium afferre. Sed hęc differentia non est solida. Primò quia fieri facilè potest, vt prius priuilegium graue præiudicium afferat, si monasterium multa prędia habeat, nam licet Religiosi non possint facilè propriis manibus illa colere, possunt tamen facilè propriis sumptibus, quod perinde est; & è contrario aliud priuilegium paruum detrimentum afferet, si monasterium paruam terram habeat: Secundò quia illud est per accidens, hîc autem per se loquimur, nam siue in vno, siue in alio priuilegio enormis læsio contingat, alio iure agendum est, ita vt vel soluantur Decimæ, vel congrua compositio fiat, iuxta cap. *Suggestum*, de Decim. ca. *Quid per nouale*, C. *Suggestum.* Ca. *Quid per.* de verb. sign. & argum. cap. penult. de Cleric. non resid. Quapropter verius existimo, vtrunque priuilegium per se extendi ad noualia, quia proprietas verborum vtriusque id requirit, per accidens verò sæpiùs vni derogari propter enormem læsionem inde subsecutam, quàm alteri. Cap. *Penult.*

7. An priuilegia sint solũ ad prædia acquisita an etiam ad acquirenda. *Oldra.*

Tertiò dubitari solet, an talia priuilegia limitanda sint ad prædia acquisita, & possessa tempore concessionis, an verò extendantur etiam ad acquirēda. Nam priorem partem affirmat Oldrad. Cons. 268. ex eodem principio, quòd tale priuilegium strictè intelligendum est. Item quia res transit cum suo onere. Item quia in Decimis non fit extensio ad futurum, capit. *Cum contingat*, capit. *Tua* 1. §. vltimò de Decimis. Sed contrarium est omninò verum, maximè quando priuilegium est restrictum ad proprios labores, potestque id non obscurè colligi ex dicto capit. *Nuper*, de Decimis in quantum decernit, *Vt de terris amodo acquirendis Decimæ ex tunc soluerentur, non obstante prædicto priuilegio*, ergo antea ad terras acquirendas extendebatur, & ex vi illorum verborum tales terræ comprehendebantur. Et ita omnes intelligunt in illo Concilio Lateran. factam esse reuocationem illius priuilegij quoad illam partem, & idcircò in priuilegiis postea concessis, quando extensio fit ad terras acquirendas, additur. *Non obstante capit. Nuper*, &c. Deinde est ad hoc textus ferè expressus in capit. *Quia circa*, de Priuil. vbi interrogatus Pontifex, an priuilegium Monachis concessum ab Episcopo de retinendis Decimis, extendatur ad possessiones acquirendas: respondet affirmando (si priuilegium fuit secundùm ius concessum) *Quia indefinitè concedendo, intellexisse videtur non solum de Decimis illius temporis, sed futuris.* Hæc ergò decisio à fortiori procedit in priuilegio Pontificio, quod non dubitatur esse legitimum. Nam rationes, quæ ibi redduntur, fortiùs in Pontifice procedunt. Prima, *Cum nihil exceperit, & potuerit excepisse.* Secunda, *quia in beneficiis plenissima est interpretatio adhibenda*, vtique iuxta verborum proprietatem, vnde rectè dixit, *plenissima*, quia debent verba integrè expleri non addendo limitationem in verbis non contentam, nec necessariam ad æquitatem beneficij. Quæ ratio maximè locum habet in beneficiis supremi Principis iuxta regulam Iuris. Tertia ratio, *Qui non debet vna, eademq; substantia diuerso iure censeri.* Quæ licet non semper cogat, vt seq. cap. videbimus, est tamen congrua ratio, quando aliæ iuuant. Maximè quia ex illa colligitur alia, scilicet, *Quod indefinita æquiualet vniuersali*, quando est eadem ratio de omnibus, vt ibidem aduertit Henricus in principio, & cum eo Couar. lib. 1. Var. cap. 13. in fine. Accedit tandem, quod priuilegium hoc includit negationem nõ soluendi Decimas, tũc etiam indefinita transit in vniuersalem, vt ibidem latè Couarr. num. 7. Et per hæc satis est responsum fundamentis contrariæ sententiæ. Quia priuilegium est strictè intelligendum, sed planè, & tunc res transit cum onere, quando prtuilegium illud,

C. *Cum contingat.* Cap. *Tua.*

Cap *Nuper.*

Resoluitur extendi etiã ad prædia ac quirenda.

Concil. Late.

C. *Quia circa*

Henr. Couar.

illud non tollit, hic autem tollit, vt ostensum est. Nec est eadem ratio de præscriptione Decimarum, de quibus textus ibi allegati loquuntur, vt in ca. sequent. videbimus.

8. An Religiosi eximantur à soluēdis Decimis prędiorum, quorū non habent propriū dominium.

Quartò interrogari potest, an ex vi dictorum priuilegiorum eximantur Religiosi à soluendis Decimis ex prædiis: quorum proprium dominium non habent. Quidam enim distinguunt, quia vel priuilegium concedit, vt non soluant Religiosi Decimas *Ex prædiis suis, seu propriis*, & tunc aiunt, soluendas esse Decimas, si prædia non sint propria, etiamsi in Emphyteusim habeantur, vel priuilegium concedit, ne soluant Decimas *Ex prædus seu locis quæ habent*: & tunc aiunt eximi à soluendis Decimis, etiam ex agris conductis, quos ipsi suis manibus, vel sumptibus colunt, quia etiam prædia conducta habentur à conductore, & multò magis bona emphyteutica. Idémque videri potest dicendum esse, quando forma priuilegij est illa vsitata in Iure, *De laboribus, & nutrimentis suis propriis*, vt habet cap. *Decimas* 16. quæst. 1. vel illa: *Indulsit Decimas laborum suorum, quos propriis manibus, vel sumptibus colunt*, vt habetur in cap. *Ex parte* 1. de Decimis. Nam si Religiosi manibus suis, vel sumptibus colant conductitios agros, re vera illi fructus sunt de laboribus suis propriis, ergo de illis non debent Decimas. Veruntamen hac in re vnum habemus de iure certum, nimirum si agri sint conducti, licet Religiosi eos colant propriis laboribus, vel sumptibus, teneri ad soluendas Decimas. Ita enim declarauit Alexand. III. in cap. *Dilecti*, de Decimis, & sumitur etiam ex dicto cap. *Ex parte*, vt in vtroque loco notant Panorm. & omnes, & Rebuffus dicta quæst. 14. num. 52. Neque oportet hîc alias rationes quærere, præter voluntatem Pontificis, qui noluit illam concessionem ampliùs extendere; tum ne Parochiales Ecclesiæ enormiùs læderentur, tum ne Religiosi in conducendis agris excederent. Hæc autem declaratio solùm cadit in hæc priuilegia, quatenus in Iure conceduntur, seu quatenus ante Alexandrum III. concessa erant, non enim poterat ipse declarare futura, si verbis distinctis concederentur. Contra illam verò declarationem videtur procedere vltima obiectio facta. Ad quam tacitè respondit Panorm. in dicto cap. *Dilecti*, quòd licet esset priuilegium simpliciter concessum de Decimis non soluendis, restringitur contra propriam significationem verborum, vt tertio non inferatur graue præiudicium, & nihilominùs inferiùs ait, non fuisse illam reuocationem partialem priuilegij, sed declarationem intentionis Pontificis.

Ca. *Decimas.*

Ca. *Ex parte.*

Non enim certum est in prædiis conductis. *Alexand. 3.*

Panormitani responsio.

9. Impugnatur prædicta responsio.

Sed in primis non videtur vera facti narratio, quia in Iure non conceditur Religiosi priuilegium simpliciter de Decimis non soluendis, sed cum limitationibus multis, vt patet ex verbis citatis. Deinde non videtur esse verum, quòd priuilegium restringatur contra propriam verborum significationem, quia hoc est contra naturam priuilegij, vt suprà dictum est: Vnde si Pontifex talem declarationem faceret, in rigore potiùs esset partialis reuocatio, quàm interpretatio, vel certè solus ipse posset illam declarationem adhibere, quia ipse nouit intentionem suam, licet fortasse per verba non bene fuerit explicata, quod in præsenti dicere necessarium non est. Vnde existimo ex vi, & proprietate verborum, quæ in Iure habentur, priuilegium illud non extendi ad prædia conductitia: Nam in verbis illis Alexand. III. *Laborum suorum*, subintelligendum videtur *Suorum agrorum*, nam subiungitur, *Quos propriis manibus, vel sumptibus colunt*, non enim coluntur labores, sed agri, ergo necesse est, agros subintelligere, quos oportet esse suos, non conductos, vnde cum ibi referat Alexander, talem fuisse concessionem Adriani, in eodem sensu interpretatur priora verba *De laboribus suis*, seu *propriis*. Et addi præterea potest, labores culturæ tunc maximè dici proprios, quando in propriis agris fiunt, nam quando fiunt in alieno agro, potiùs videntur alieni, & domini agri venditi, seu locati. Atque hæc tandem videtur esse propria ratio huius declarationis; nimirum quia per hoc priuilegium eximuntur directè ab onere Decimarum personæ, non prædia, nisi ratione personarum, vt notauit Abbas in dicto cap. *Ex parte*. Et ideò quando prædia sunt aliena, non eximuntur à Decimis, etiamsi colantur à personis exemptis, quia sola cultura non sufficit, vt prædia censeantur exempta ratione personarum, si non sint sua. Quod ita etiam declaratur, quia fructus agri culti non sunt proprij ipsius colentis, vel laborum eius, sed sunt maximè fructus ipsius agri, & ideò Decima illorum fructuum non potest dici ex propriis laboribus, nisi etiam agri ipsi sint colentium ipsos. Ita ergo verum existimo Decimas ex agris conductitiis, etiam in rigore verborum non comprehendi in priuilegiis iure concessis sub prædicta verborum forma.

Abbas.

10. De illa igitur verborum forma, *Ne soluant Decimas ex propriis fundis, vel ex suis fundis*, à fortiori sequitur sub illa non comprehendi agros conductitios, quia illi re vera non sunt proprij, vel sui. Quod etiam conuincit dictum cap. *Dilecti*. Idem verò censeo dicendum de verbis illis, *Non soluant Decimas de prædiis, quæ habent*, seu *de bonis possessis, & obtentis*, & similibus: Et hîc maximè habet locum doctrina Panormitani, quod Pontifices voluerunt, satisque declaratunt verba priuilegiorum istorum, quoad hanc partem esse strictè intelligenda, illa autem verba cum omni proprietate restringuntur ad bona, quę habentur, vel possidentur vt propria, non enim dicitur quis habere domum simpliciter, eò quod habeat conductam, sed dicitur habere secundùm quid, id est, ad habitandum aliquo tempore, seu habere vsum eius.

Cap. *Dilecti.*

Panorm.

11. An ex bonis Emphyteuticis monasterium debeat Decimas.

Maior certè difficultas esse potest de bonis acceptis in emphyteusim, an si monasterium priuilegiatū aliqua talia habeat, & suis sumptibus colat, ex illis Decimas debeat; videtur enim non debere, quia bona emphyteutica simpliciter, & absolutè in bonis propriis talis monasterij numerantur iuxta communem existimationem, & loquendi modum. Item cōtractus emphyteuticus distinctus est à locato, & conducto, vt constat ex Iure, sed Pontifex in dicto ca. *Dilecti*, solùm excipit agros conductitios, ergo non comprehendit emphyteuticos, ergo exceptio illa firmat regulam in cōtrarium, ac subinde tales agri sub priuilegio exemptionis Decimarum comprehēduntur. Denique Emphyteuta simpliciter solet vocari dominus agri, quia habet dominium vtile, ergo hoc satis est, vt monasterium, quod est Emphyteuta, dicatur colere agros suos ergo, &c.

Cap. *Dilecti.*

12. In contrarium verò est, quia illi agri sunt alterius habentis dominium directum illorum; nam ille proprietatem eorum habet, vnde monasterium eos colendo, non potest dici proprios agros colere. Maximè quia verba huius priuilegij sunt strictè intelligenda, in rigore autem, & propriissimè Emphyteuta non est dominus iuxta leg. 1. iuncta Glossa vltim. ff. si ager emphyteuticus petatur. Præterea si priuilegia illa extendantur ad agros emphyteuticos, pari ratione extendentur ad agros conductos ad longum tempus. Consequens admittendum non est, ergo. Sequela patet, quia re vera Emphyteusis non est nisi quædam ad longum tempus locatio, & conductio, nam eosdem effectus, & easdem conditiones habet; & conductor longi temporis etiam censetur

Leg. 1. Gloss. vlt.

setur habere dominium vtile, seu actionem in rem iuxta leg. 1. ff. de superficiebus; & locatio ad longum tempus etiam censetur in iure quædam alienatio iuxta cap. *Nulli*, de reb. Eccles. non alien. cum Glossa in Clem. 1. eod. tit. Quod si hæc non dicitur alienatio nisi largè, nec etiam Emphyteusis, & consequenter nec ex parte excipientis est propria acquisitio, est ergo æqualis ratio. Minor verò patet, tum quia consequenter extenderetur etiam ad rem locatam ad breue tempus, quia maioris, vel minoris temporis duratio substantiam contractus non mutat: tum maximè, quia Pontifex indefinitè loquitur de agris conductitiis, ergo vbi ipse non distinguit, nec distinguere debemus. Maximè, quia illa declaratio est simpliciter fauorabilis, & ad euitandum grauamen, & præiudicium tertij, & ideò restringenda non est. Imò si verba textus attentè pensentur, videntur omnes illos contractus comprehendere, in quibus res accipitur ad culturam, & fructus, sine dominio directo, & sub certa pactione, sub qua generalis omnis conductio siue ad longum, siue ad breue tempus, & Emphyteusis comprehenditur, verba textus sunt. *Conduxistis, & recepistis prædiam ad formam*, scilicet pensionem, sic autem accipiuntur etiam Emphyteutica bona, seu ad longum tempus conducta argumento capit. *Vestra* declarato. Quocirca licet res appareat dubia, hæc posterior tutior, & probabilior est, nam est iuri conformior, & quia ex fundamentis eius contraria dissoluuntur facilè, & non tanti momenti esse videntur.

Leg. 1.

Cap. Nulli. Gloss.

A

B

C

13. Colonos Religiosorum non eximi à Decimis per hæc priuilegia.

Quinta dubitatio esse potest, an Coloni conducentes prædia Religiosorum habentium talia priuilegia, eximantur ipsi à solutione Decimarum. In quo si de solis priuilegiis in iure contentis loquamur, resolutio clara est, Colonos non eximi, sed teneri ad soluendas Decimas. Ratio est, quia hoc priuilegium expressè conceditur sub illa conditione ex propriis laboribus, & explicatur, necessarium esse, vt propriis manibus, vel expensis prædia colant, vt sæpe dictum est, ergò si per Colonos id faciant, tenentur ipsi Religiosi soluere Decimas de illis fructibus, quos ipsi percipiunt, vt expressè declaratur in capit. *Licet*, de Decimis, ergò etiam ipsi Coloni tenentur soluere Decimas illius partis fructuum, qua fruuntur, iuxta cap. *Anobis*, & cap. *Tua*, 2. eodem titulo. Quando verò aliquis censendus sit Colonus, & quomodo inter eum, & dominum integrè Decimæ soluendæ sint, infra capit. 35. explicabitur. Hoc autem procedit, vt dixi, & indubitatum est, attenta forma priuilegiorum Iuris; si tamen forma mutetur, vel augeatur, vt interdum solet, tunc aliter iudicandum erit. Aliquibus enim Religiosis concessum est, vt de suis prædiis, etiamsi per Colonos ea colant, Decimas soluere non teneantur. Quo stante priuilegio Coloni ipsi non tenebuntur soluere aliam Decimam præter pensionem, quam Religiosis soluunt ratione contractus, non quidem quia Coloni ipsi aliqua ex parte priuilegio illo fruantur, vt statim explicabo, sed quia Religiosi possunt sibi vẽdicare illam Decimam, siue augendo ob eam causam quantitatem pensionis, siue distinctè exigendo tantùm pro pensione, & tantùm pro Decima. Quia cum simpliciter sint exempti à Decima, eam sibi vsurpare possunt.

Cap. A nobis.

Cap. Tua.

Aliqui Religiosi circa hoc habent particulare priuil.

D

E

14. Discrimẽ inter priuilegiũ reale, & personale.

Et iuxta hæc intelligenda est communis distinctio Iuristarum de Priuilegio reali, & personali. Dicunt enim si priuilegium detur tantùm personæ, & non prędio, tunc ad Colonos non extendi, si verò per priuilegium prædia ipsa eximantur directè, & absolutè ab onere Decimarum sine alia conditione, vel onere, nisi quod talis Religionis sint, tunc extendi ad conductores. Ita Glossa in Clem. 2. de Decimis, verbo

Cap. Licet.

Gloss.

Excolendas, quam ibi omnes sequuntur, & Abbas in cap. *Ex parte*, 1. de Decimis num. 5. Non explicant autem dicti Auctores, quando priuilegium hoc censendum sit tantùm personæ concessum, quando verò etiam prædio. Solùm Panormitanus ait priuilegia in iure contenta tantùm personis concedi, & ideò ad Colonos non extendi. Glossa verò illa dicit considerandа esse verba priuilegij iuxta cap. *Porrò*, de Priuilegiis. Quatuor ergo modis possunt concipi talia verba. Primus est, ille vsitatus in Iure *De proprio*, vel, *De agris, quos suis laboribus, vel expensis excolunt*, & tunc res est clara, priuilegium esse personale, vt bene dixit Abbas. Secundus est, si priuilegium dicat, *Eximimus tales Religiosos, & eorum prædia ab onere soluendi Decimas*, vt de facto nunc habent aliqua priuilegia. Et tunc sine dubio priuilegium est reale, vt prædicta Glossa expressè declarat, & verba ipsa præ se ferunt. Tertiùs modus erit, si priuilegium eximat Religiosos à Decimis soluendis de suis prædiis, addendo, *siue per se, siue per Colonos illa colant*. Et tunc licet priuilegium videatur directè referri ad personas, tamen quia in fauorem earum simpliciter eximit terras, reale dici potest, & eundem effectum habet, vt mox explicabo. Quartus modus esse potest, si absolutè eximatur Religio à debito Decimarum Prædialium suorum prædiorum, non addita restrictione, *si ea propriis laboribus colant*, nec ampliatione *licet per Colonos*, &c. Et tunc Glossa illa sentit priuilegium esse personale, ego verò censeo transire in reale.

Panorm.

Cap. Porrò.

Abbas.

Vt autem hæc intelligantur, & probentur, oportet expendere differentiam inter hoc priuilegium, quãdo est personale, vel reale, quam dicta Glossa assignat. Dicit enim, quando priuilegium est reale, tunc si ager tradatur aliis excolendus, colonos non teneri ad solutionem Decimarum, *quia priuilegio participant*, & sequitur Abbas, *quia fructus capiuntur ex terra priuilegiata*. Sed non existimo hoc esse verum, nisi sano modo intelligatur, quia priuilegium illud concessum est rebus, seu agris, in ordine ad commodum, & vtilitatem Religiosorum, non verò Colonorum, nec enim intentio concedentis fuit directè, vel indirectè, concedere beneficium aliquod conductoribus, sed locatoribus. Igitur Coloni non sunt liberi à Decima, nisi quatenus illam compensant, soluendo eam Religiosis, vel augendo pensionem, quam soluere obligantur, nisi ipsi Religiosi illam remittant ex iusta causa; aliter ènim non possunt, quia esset abusus priuilegij, & in virtute darentur Laicis bona Ecclesiæ sine causa, & potestate, ergo Coloni non participant priuilegiũ quoad exemptionem ab onere, sed solùm quoad libertatem, vel facultatem soluendi Religiosis, & non Ecclesiæ tales Decimas. Reale igitur priuilegium in præsenti dicetur illud, per quod agri ita eximuntur, vt quomodocunque colantur, possint Religiosi apud se retinere Decimas, & nõ soluere illas Ecclesiæ, nec permittere, vt à Colonis soluantur. Personale autem erit, quando conceditur eum onere personali, id est, colendi agros per se, seu suis sumptibus, quia tunc si aliter fiat, non possunt priuilegiati retinere Decimas illorum fructuum, quos percipiunt, nec Colonos impedire, quominus pro sua parte Ecclesiæ soluant: iuxta hanc ergo doctrinam, quam omnino verã censeo, etiam priuilegium tertio modo concessum reale erit, quia per illud eximuntur omnino talia prædia ab onere Decimarum Ecclesiæ soluendarum, & applicantur ipsis Religiosis, quomodocunque talia prædia excolantur.

Abbas.

15. Impugnatur discrimen à Glossa assignatũ.

Abb.

Dices, verba illa posse habere hunc sensum; vt scilicet, Religiosi ex vi illorum liberentur ab onere soluendi Decimas fructuum, quos percipiunt, qui interdum sunt omnes fructus agri, vt quando illum

16. Obiectio.

per se excolunt, interdum pars aliquota, vt quando A colunt illum per Colonos partiarios, seu pensionarios, & tunc ex altera parte fructuum, quam Coloni percipiunt, soluent Decimas Ecclesiæ, & sic priuilegium erit personale, non reale. At enim hic sensus erit probabilis, si priuilegium dicat, *Non soluant Decimas de fructibus suis*; non solet autem sub hac forma concedi, sed sub hac *Non soluant de prædiis suis Decimas, etiamsi per Colonos, &c.* quod perinde est, ac si dicatur, *Non soluant Decimas de fructibus prædiorum suorum*, pars autem illa fructuum, quam Coloni accipiunt, de prædiis Religionis sunt, licet ipsi fructus non sint illius, ergo etiam Decima illorum fructuum ad religionem pertinet, quia illi etiam fructus eximuntur ex vi illorum verborum. Et ita priuilegium reale est, quia B ex vi illius eximuntur illi fructus ab onere Decimæ soluendæ Ecclesiæ, & applicatur Religioni, cui per Colonos danda est, vel ratione illius pensio augenda. Et re vera si rectè pensentur hæc verba: *Eximimus prædia Religionis*, vel *eximimus fructus prædiorum Religionis*, æquipollentia sunt: at verò idem est eximere personas à solutione Decimarum ex fructibus cum illa ampliatione, quod eximere absolutè fructus talium prædiorum. Quamuis ergo non repugnet concessionem fieri in priori sensu, & ad illum iudicandum pensanda sint verba priuilegij, tamen iuxta formam verborum à nobis propositam, quam in multis priuilegiis legimus, sensus declaratus videtur proprius absq; ampliatione verborum cum sola propria, & integra C illorum significatione.

Explicatur.

17. Vltima forma priuilegiorum supra posita.

De vltima verò forma verborum posset esse nonnullum dubium, quia cum non addatur in ea illa ampliatio, *Licet per Colonos*, non videtur derogari iuri cõmuni, nam posset illa clausula exponi secũdùm commune ius. Sed nihilominùs censeo ex vi illorum verborum eximi fructus, & prædia, absque illa conditione, *Quod propriis laboribus colantur*, quando Pontifex illam non adhibet, quia quando vult, vt seruetur, solet illam addere, si ergo hic voluisset, expressisset, vt in simili ait Pontifex dicto cap. *Ad audientiam*, de Decimis. Item ius commune non statuit quasi positiuè, vt Religiosi non eximantur à Decimis sine illa conditione, sed solùm negatiuè in hoc se habet, quia D in eo non inuenitur priuilegium, tam absolutum, hoc autem nõ satis est, vt illa forma dicatur esse contra ius commune, sed esse vltra formam inuentam in iure communi, ergo non est restringenda ad formas iuris communis, quia potius omittendo illam conditionem, satis iudicauit Pontifex velle ampliorem concessionem facere. Denique si Pontifex in priuilegio dicat, *Eximimus prædia Religionis*, non addendo restrictionem, nec ampliationem, sed purè, intelligitur absolutè eximere prædia, ita vt licet per Colonos colantur, non sint subiecta oneri Decimarum vt dicta Glossa, & Panormitanus fatentur, & ego admitto, dummodo Decimæ cedant Religiosis, non ipsis Colonis, ergo idem est, si purè dicat, *Eximimus Religiosos à Decimis Prædialibus*, quia siue hoc, siue illo modo explicetur, semper intenditur fauor Religiosorum in omnibus illis Decimis absolutè. Vnde si Religiosi non possunt sibi retinere Decimam fructuum, quos percipiunt Coloni, re vera licet proximè videantur Coloni illam soluere, non ipsi, sed Religiosi soluunt, cum sit de prædiis ipsorum, & Coloni nihil iuris in illa habeant, at verò Pontifex per illa verba liberat eos ab onere Decimarum Prædialium purè, & absolutè, & sine conditione; ergo dicendum est, per illa verba simpliciter eximi prædia Religiosorum à tali onere, eo ipso quòd illorum sunt, à quocunque nomine illorum colantur.

Cap. *Ad audientiam.*

E

CAPVT XX.

Quibus modis priuilegium non soluendi Decimas amittatur.

1. Proponuntur tres modi amittẽdi hoc priuilegium.

TRes modi amittendi hoc priuilegium communiter assignantur. Primus est, si priuilegium cedat in enormem læsionem, vel grauamen Ecclesiæ, & personarum, ad quas tales Decimæ pertinerent, & secluso priuilegio. Ita sumitur ex capit. *Suggestum*, de Decimis, vbi Doctores omnes, & Alensis, Sotus, Rebuffus, Couarruuias, & alij locis allegatis. Et ratio est clara, quia non est intentio concedentis, ita grauare Ecclesiam, vt sæpe dicitur in eodem titulo de Decimis, aliàs concessio esset iniusta. Interrogari verò solet, an in eo casu amittatur priuilegium ipso iure, aut necessaria sit declaratio, vel reuocatio superioris. De quo puncto videri potest Panormitanus in dicto cap. *Suggestum*, & in cap. *Cum ad hoc*, de Clericis non residen. num. 8. & in cap. *Quid per nouale*, circa finem de verbo significat. Et ibidem Ioannes Andr. & Felin. in capit. *Cum accessissent*, de Constitutionibus. Breuiter tamen videtur dicendum, si priuilegiato clarè, & euidenter constet de enormi læsione, eo ipso amittere priuilegium in conscientia, & iustitia. Ita Glossa in capit. *Rescripta*. 25. quæst. 2. ver. *Quod non lædat*. Panorm. & alij, & patet, quia iam illi constat de mente concedentis, & quia priuilegium semper habet intrinsecè inclusam illam cõditionem, & ideò si à principio eam inueniisset, fuisset nullum, ergo quam primùm impleta fuerit, cessat effectus priuilegij. Denique illa conditio resoluitur quasi in limitatione temporis, datur enim priuilegium, donec enormiter lædat, ergo dato termino cessat, ergo non potest priuilegiatus illo in conscientia vti. Nihilominùs tamen in eo casu non poterit Ecclesia exteriùs cogere Religionem ad Decimas soluendas propria auctoritate, sed per superiorem legitimum, quia nullo iure hoc ei conceditur, tunc autem satis est, vt causa decidatur per quemlibet iudicem competentem.

Proponuntur tres modi amittẽdi hoc priuilegium. Cap. *Suggestum.* *Alens.* *Soto.* *Rebuff.* *Couar.* *Panorm.* *Ioan. And.* *Felin.* *Gloss.*

2. Quando enormis læsio clara non est, quid agendum. *Panorm.*

Si verò læsionis enormitas clara non est, & necessarium est arbitrium, recurrendum est ad Pontificem tanquam ad priuilegij auctorem, quia eius est interpretari rescriptum suum, vt bene Panormitanus, qui alia citat. Qui etiam addit in eo casu non esse moderandum priuilegium, quia totum extinctum est: Quod verum credo, si res agatur per inferiorem iudicem, quia læsio est manifesta, quia tunc cessauit simpliciter priuilegium, & inferior nec in totum, nec in partem potest illud restaurare. At si agatur coram Pontifice, etiamsi iudicet læsionem esse enormem, potest moderari priuilegium, & non omninò auferre, quia vel non fuit ipso facto nullum, aut licet fuisset, ipse potest illo modo illud innouare. Neque habet vim ratio Panormitani, scilicet quia non est maior ratio, (inquit) quare magis in vna parte, quàm in alia consistat. Sufficiens enim ratio est, quòd priuilegium moderatum potest esse iustum, & antea erat iniustum. Et fortasse propter hanc causam dicunt Iura, in casu talis læsionis debere Religionem, vel non vti priuilegio, vel compositionem eum alia parte facere, vt patet ex dicto capit. *Suggestum*. Quod maximè habet locum, quando enormitas læsionis non est manifesta, vel si sit occasio litium, aut dilationum sub spe obtinendi à Pontifice moderationem; tunc enim melius facient partes inter se componendo.

Cap. *Suggestum.*

3. 2. Modus amittẽdi priuilegium. Cap. *Si de terra.* Ca. *Accedẽt.*

Secundò perditur hoc priuilegium per contrarium vsum soluendi Decimas, non obstante priuilegio: Quod aliis priuilegiis commune est, & de hoc in specie traditur in cap. *Si de terra*, & cap. *Accedentibus*, de Pri-

de Priuileg. In quibus duobus Iuribus est differentia notanda, quia in priori videtur postulari tempus triginta annorum; in posteriori verò quadraginta, vt per contrauentionem hoc priuilegium amittatur; vnde videtur inter eos esse repugnantia. Aliunde autem videtur neutrum tempus esse necessarium, sed vnico actu posse priuilegium amitti, quia per renunciationem amittitur, vt in eisdem Iuribus significatur; renunciatio autem vnico actu fieri potest, & ita multi putant priuilegium vnico actu contrario amitti ex cap. *Cum accessissent*, de Constitut. Sed quicquid sit de aliis priuilegiis, quod alibi tractandum est, de hoc est certum non amitti, nisi tempore legitimo, & sufficienti ad præscriptionem. Vnde considerandum est, duobus modis posse intelligi amitti hoc priuilegium, vno modo directè renunciando illi per voluntariam cessionem, alio modo indirectè, & quasi per consecutionem, quando alius acquirit ius. Hoc ergo priuilegium non amittitur priori modo, sed tantum posteriori, siue hoc sit, quia (vt multi volunt) in hoc priuilegio non habet locum expressa renunciatio, eo quod est in fauorem Ecclesiæ, & Religionis concessum; & consequenter multò minùs admittitur tacita renunciatio, siue hoc sit, quia licet tota Religio, cui datum est priuilegium, possit illi renunciare, non tamen priuata domus, persona, aut prælatus; siue sit, quia Iura ita statuunt, vt videlicet non admittatur, nec præsumatur talis renunciatio, donec alia Ecclesia contra Religionem sic priuilegiatam ius stabile acquirat, & hoc plane videtur statui in dictis Iuribus. Vnde quia ad ius illud adquirendum requiritur præscriptio plurium annorum, ideò tot anni necessarij sunt vt hoc modo priuilegium amittatur. Renunciatio ergo, de qua illa Iura loquuntur, non est sola, sed coniuncta præscriptioni alterius partis, & in re non est aliud, quam tacitus consensus in iure alteri dando contra suum priuilegium, qui tacitus consensus nonnisi per plurium annorum cursum præsumitur, vel admittitur.

Ca. *Cum ac cessissent.*

4. Nō semper idem annorum numerus requisitus ad præscribendum contra Ecclesiam. Cap. *Illud. Glos. Panorm.*

Differentia autem, quæ in numero annorum in illis textibus reperitur, ad varia tempora pertinet, priùs enim ad præscriptionem contra Ecclesiam triginta anni sufficiebant, postea verò inductum est, vt quadraginta anni sint necessarij, vt expressè dicitur in cap. *Illud*, de Præscript. Et hoc ius nunc seruatur, & aliæ etiam conditiones ad præscriptionem necessariæ seruandæ hic sunt. Et hæc est sententia Glossæ, & Panorm. & communis in dicto cap. Ex qua obiter colligo, quod si priuilegium non soluendi Decimas, non Religioni, nec in fauorem Ecclesiæ, sed priuatæ personæ fuisset concessum, posset breuiori tempore amitti, quatenus contra priuatam personam breuiori tempore præscribitur, imò etiam posset per renunciationem expressam dimitti, quia illa renunciatio non esset contra, sed in fauorem Ecclesiæ: Vnde consequenter habere posset in eo locum tacita renunciatio per actus contrarios, quando autem, vel per quos actus præsumeretur consummata talis renunciatio, ex materia de Priuilegiis petendum est, quia non habet hic specialem doctrinam, sed generalem.

5. 3. Modus amittendi priuilegium. *Alens. Angel. Siluest.* Ca. *Ex multiplici.*

Tertius modus perdendi priuilegium est ex conuentione, seu pactione partium. Hunc ponunt Alens. Angel. & Siluester, supra allegantes caput *Ex multiplici*, de Decimis. Sed aduertendum est, conuentionem partium posse antecedere priuilegium, vel subsequi: Quando antecedit ad priuilegium, & priuilegium est conuentioni partium contrarium, quia scilicet vna pars petit priuilegium, vt non seruet pactum, tunc priuilegium à principio est nullum, si in eo non fuit facta mentio prioris conuentionis, quia est subreptitium, & hic est casus dicti capit. *Ex multiplici*, vnde tunc non reuocatur, nec perditur propriè priuilegium, sed à principio est nullum. At verò quando conuentio subsequitur post priuilegium rite, & validè obtentum, tunc non videtur posse tolli per partum conuentionem, si in fauorem Religionis concessum est, quia tunc illa conuentio ex parte Religionis esset quædam expressa renunciatio, quæ fieri non potest, vt est probabile. Dicendum nihilominùs est, tale pactum esse posse validum, & legitimum, & tunc sine dubio amitti, vel limitari priuilegium iuxta conditiones pacti. Probatur, quia talis conuentio non est per se mala; supponimus enim esse liberam ab omni labe simoniæ, neque etiam est vllum ius positiuum, quod talem conuentionem prohibeat, imò in multis casibus ius illam consulit, vt patet ex capit. *Suggestum*, capit. *Dilecti*, de Decimis, & alioqui potest esse conuentio rationabilis, & vtilis vtrique parti, ergo per illam poterit tolli priuilegium. Neque illa dici potest absoluta, & quasi liberalis renunciatio, de qua obiectio procedit, sed iusta conuentio, quæ semper intelligitur esse congrua Religioni. Vnde quia talis conuentio non est contra commune ius soluendi Decimas, sed potiùs secundùm illud, ideò non videtur necessaria confirmatio Papæ, vel alterius Prælati, præter illum, qui ordinariam potestatem habet ad similia pacta cum debito modo, & solennitate facienda.

Cap. *Suggestum.* Cap. *Dilecti.*

6. 4. Modus amittendi hoc priuilegium.

Quartò addere possumus, hoc priuilegium amitti per alienationem prædiorum, quæ ab onere soluendi Decimas eximebantur virtute priuilegij; intelligo autem tunc amitti non simpliciter, sed quoad ipsa prædia: Hoc aduerto solùm propter distinctionem priuilegij in personale, & reale suprà traditam. Vt nimirum intelligatur hoc priuilegium nunquam ita esse reale, vt cum rebus ipsis, seu prædiis transeat, si contingat illa vendi, aut alio modo à Religione alienari: Nam eo ipso quod prædium desinit esse sub dominio Religionis, desinit etiam esse exemptum ab onere Decimarum. Quia (vt dixi) fauor ille totus fit Religioni, & intuitu eius, non ad commodum alterius, cui tale priuilegium concessum non est, nec etiam potest Religio cum re etiã exemptionem transferre, licet maximè vellet, tum quia nec ex se habet talem potestatem, nec est illi in priuilegio concessa, tum etiam, quia vel hoc titulo venderet rem cariùs, & sic venderet priuilegium, quod esset & iniustum, & simoniacum, vel rem daret pro iusto pretio, & priuilegium liberaliter: & hoc esset dissipatio bonorum Religionis, & vsurpatio alienæ potestatis. Igitur eo ipso quòd res desinit esse sub dominio Religionis, definit esse exempta, sicut si seruo, vel famulo Religionis daretur priuilegium exemptionis à Decimis, verbi gratia, personalibus, si desineret esse seruus, aut famulus, eo ipso tale priuilegium amitteret. Verum est tamen, quòd si religiosus rem immobilem pro alia cõmutaret, aut prædium venderet, vt ex pecunia aliud emeret, tunc prædium subrogatum loco alterius, & translatum in dominium Religionis, exemptum esset à Decimis iuxta tenorem priuilegij. Quod intelligo non solùm in his, qui modo gaudent his priuilegiis tam pro bonis acquisitis, quàm pro acquirendis, nam tunc res est omninò certa, & per se nota, sed etiam in his, qui post Concil. Lateranens. sub Innocentio III. non habent tale priuilegium pro terris acquirendis. Tum quia prædium subrogatum loco alterius non est simpliciter acquisitum de nouo, sed subrogatum loco alterius, & ita sapit naturam, & conditionem eius, pro quo subrogatur. Tum etiã quia illa reuocatio fuit odiosa, & ideò restringenda ad acquisitionem omni-

nò nouam. Tum denique quia tunc seruari videtur A intentio Concilij, scilicet, vt opes Religionis non augeantur cum grauamine Ecclesiæ, cum autem fit illa cominutatio, non crescunt opes per se loquendo, neque ampliùs Ecclesia grauatur moraliter, aut notabiliter, quod solum Consilium considerauit.

CAPVT XXI.

An secundùm commune ius Decimæ soluendæ sint Ecclesiæ Parochiali.

1. QVoniam hoc Decimarum debitum non est immediatè ad Deum, sed ad homines intuitu Dei, B ideò postquam dictum est de personis, quæ Decimas debent, dicendum sequitur de illis, quibus debentur, sed quia personæ illæ semper habent respectum ad locum, seu Ecclesiam aliquam, cui inseruiunt, ideò priùs de locis, postea de personis, quibus Decimæ soluendæ sunt, dicemus. In priori ergo puncto distinguendum est, quid iure communi debeatur, quid verò aliis titulis excipi possit, ac debeat. Et quoniam diuersa est difficultas de Decimis prædialibus, de personalibus prius dicemus. Sitque generalis regula, Personales Decimas ex vi iuris communis deberi propriæ Parochiæ, in qua quis tenetur ex eodem iure, vel Missas debitis temporibus audire, vel sacramenta recipere, &c. Ita D. Thomas dicta quæst. C 87. artic. 3. ad 2. & ibi omnes, Abulens. in cap. 23. Matth. quæst. 196. Siluest. verb. *Decima*, num. 14. Canonistæ omnes in sequentibus cap. Expressè enim hoc traditum est in cap. *Ad Apostolicæ* de Decimis, & cap. *Significauit* de Parochiis, & in cap. *Quæsti*, cap. *Statuimus*, cap. *In sacris*, 16. quæst. 1. Et de eisdem Decimis est maximè intelligendus textus in capit. *De Decimis*, ibidem. Ratio verò est, quia Decimantur in sustentationem eorum, qui spiritualia ministrant, ergo vnusquisque fidelis illi maximè tenetur eas soluere, qui tenetur ei ex officio spiritualia ministrare, ergo illi Ecclesiæ debet eas soluere, vbi sacramenta recipit, nam Parochus illius Ecclesiæ est proprius Sacerdos, & minister eius.

Personales Decimas deberi propriæ Parochiæ.

D. Thom. Abulens. Syluest.

Cap. *Ad Apostolicæ.* Cap. *Significauit.* Cap. *Quæsti.* C. *Statuimus* C. *In sacris.*

Ratio conclusionis.

2. Cõfirmatur assertio.

D Declaratur præterea in hunc modum, quia Decimæ personales non sunt onus reale, id est, rei extra personam, sed merè personale, ergo maximè debetur ab ipsa persona ratione ministerij, seu officij, quod circa illam Ecclesia exercet, ergo illi Ecclesiæ debetur Decima personalis, in qua persona ipsa hoc beneficium suscipit. Et eadem ratio probat de Rectore eiusdem Ecclesiæ, quòd ei debeantur tales Decimæ, quia ipse Rector suo Parochiano inseruit, vt à fortiori probat cap. *Nouum* de Decimis in 2. p. illius. Vnde infertur, quod si persona mutet domicilium in aliam Parochiam, licet habeat possessionem in alia, Decimas personales debet soluere vbi, vbi habet domicilium, quia ibi suscipit sacramenta, &c. At verò si non mu- E tet domicilium, licet extra suam Parochiam laboret, negotietur, aut lucretur, etiam per magnam anni partem, semper soluere debet Decimas personales illi Ecclesiæ, vbi habet domicilium, quia ibi per se recipit Diuina, licet ex accidenti contingat tatione absentiæ, & peregrinationis, alibi ea recipere. Quod totum ex dicto cap. *Ad Apostolicæ* colligitur; & optimè confirmatur ex cap. 3. de sepult. n. 6. Quod si contingat, vnam personam habere duo domicilia in diuersis Parochiis, tunc si vnũ sit principale, aliud quasi accessorium, priori Ecclesiæ debentur Decimę personales, si verò sint æqualia domicilia, diuiduntur Decimę, vt resoluit Rebuffus supra q. 6. vbi alios similes casus sufficienter prosequitur. Sed non oportet immorari, quia hæ Decimæ personales ferè sunt omninò sublatæ per consuetudinem, ita vt nullibi soluantur. Vt notauit Panor. in cap. *Cum homines* de Decimis nu. 5. in fine. Si alicubi tamen soluuntur, semper propriæ Ecclesiæ soluuntur, neque legi alicubi esse consuetudinem, vt persona ex propriis personalibus lucris Decimas soluat extra suam Parochiam.

Vide Nauar. cons. 2. de Decimis. n. 3 Cap. 3.

Rebuff.

Panor.

3. *Si domicilium in vna Parochia fuerit, & prædia in alia, cui Decimæ soluendæ.*

De Decimis autem prædialibus est specialis difficultas, quæ inde oritur, quod aliquando contingit, personam habitare in vna Parochia, vbi habet domicilium, in alia verò habere prædia, ex quibus percipit fructus: Quod interdum contingit in diuersis Episcopatibus, interdum verò in diuersis Parochiis eiusdem Episcopatus: Nam sicut Diœceses, & Territoria Episcopatuum diuisa olim fuerunt, per localia spatia, quæ suis propriis terminis clauduntur: ita in vnaquaque Diœcesi diuisa fuerunt Territoria Parochialia, (vt si dicam) quæ singulis Ecclesiis fuerunt commissa, quæ Ecclesiæ Parochiales vocantur, & vnicuiq; tali Ecclesiæ præficitur Sacerdos aliquis tanquam Rector, cui talis Ecclesiæ demandata est cura, omniúmque habitantium intra ambitum loci tali Ecclesiæ designatum, & totum illud spatium solet Parochia appellari, vt constat ex toto titulo de Parochiis, & Doctor. ibi in Rub. & ex cap. 1. 13. quæst. 1. vbi Turrecrem. & alij, & ex Siluest. & aliis verb. *Parochia*. Facta ergo hac diuisione optimè intelligitur, posse aliquem habere domicilium, (id est, suæ stabilis habitationis domum) in Territorio vnius Parochiæ, & possessiones, ac fructus in alia Parochia eiusdem, vel alterius Episcopatus, & ita habere duas Parochias, vnam personæ, quam personalem vocare possumus, aliam prædiorum, quæ prædialis nominetur. Cui ergo Parochiæ Decimas prædiales soluet? Videri enim potest, quòd eas debeat Ecclesiæ domicilij, quia ibi recipit sacramenta, & omnia ministeria, ratione quorum debet Decimas, vt latè argumentatur Gratianus in illa quæst. 1. causæ 13. ferè per totam. Quam quæstionem adeò difficilem iudicauit Alexand. III. in capit. *Cum sint* de Decimis, vt consuetudinem consulendam esse dixerit, nec aliter illam definierit.

Doctor. Cap. 1. Turrecr. Syluest.

Gratian.

Alexand. 3.

4. *Prædiales Decimæ soluendæ vbi sunt prædia.*

Nihilominùs dicendum est primo: Ordinario iure Decimas prædiales illi Ecclesiæ soluendas esse, in cuius Parochia sunt prædia. Hæc est certa, & communis resolutio D. Thomæ, Abulens. & aliorum Theologorum, Iuristarum, & Summistarum in locis citatis, & explicando Iura, ex quibus illa probatur, quæ multa sunt, In primis cap. *Cum contingat*, cap. *Cum in tua*, de Decimis: Idémque supponitur in cap. *Quoniam*, eod. tit. & cap. vltim. in fine de Parochiis, & optimè in cap. vltim. de restit. spoliat. in 6. Ratio verò sumenda est ex ipsamet Ecclesiæ institutione, & Parochiarum diuisione, per eam enim factum est, vt prædia omnia, seu terræ sitæ in Territorio vniuscuiusque Parochialis Ecclesiæ illi applicarentur, vt illi soluerentur Decimæ ex omnibus illis terris, quibus ex vi eiusdem communis iuris hoc onus reale impositum est. Hinc ergo fit, vt sicut illæ terræ immutabiliter manent in illo territorio, ita etiam ius illius Ecclesiæ Parochialis ad tales Decimas immutabile sit ex vi iuris communis, quantuncunque persona habens dominium talium terrarum mutet domicilium suum, seu Parochiam, quia in soluendo reali onere non consideratur persona, sed res ipsa iuxta leg. *Imperatores*, ff. de Publicani. & vectigal. Quod autem talis fuerit Ecclesiæ institutio ex allegatis Iuribus colligitur. Item ex dicto cap. 1. 13. q. 1. Vbi Dionysius Papa sic inquit: *Ecclesias singulas singulis Presbyteris dedimus Parochias, & cæmeteria eis diuisimus, & vnicuique ius proprium habere statuimus, ita vt nullas*

Cap. *Cum contingat.* C. *Quoniam.* Cap. *vlt.*

Leg. *Imperatores.* Cap. 1. *Dionys. Papa.*

nullos alterius Parochiæ terminos, aut ius inuadat, ſed ſit vnuſquiſque ſuis terminis contentus. Quibus verbis ſatis declarat ius illud fundatum eſſe in ipſo territorio, eique quaſi affixum, & hoc eſt eſſe onus reale. Quod optimè confirmat Concilium Magunt. in cap. *Si quis Laicus, vel Clericus*, 16. quæſt. 1. dicens: *Si quis Laicus, vel Clericus, vel vtriuſque ſexus perſona proprietatis ſuæ loca, vel res alicui dare delegauerit, Decimationum prouentum priori Eccleſiæ legitimè aſſignatum inde abſtrahere nullam habeat poteſtatem.* Et quicquid in contrarium tentatum fuerit, declaratur ibidem irritum, & inane, quia ſemper à poſſeſſore terræ poterit Decima peti, quia res tranſit cum onere ſuo, vt ibi Gloſſa aduertit; fuit ergo hoc onus impoſitum ipſis terris, ſeu proprietatibus. Et idem habetur ex cap. *Eccleſiæ*, & cap. *Quicunque* eadem cauſa, & quæſt.

Concil. Magunt.

Gloſſ. Cap. Eccleſia.

Cap. Quicunque.

5. Cõuenientia huius rei.

Fuítque hæc inſtitutio magna ratione facta in hunc modum, vt iura Eccleſiarum, quoad fieri poſſet, firma, & immutabilia permanerent. Nam ſi prædiorum iura transferrẽtur cum perſonis, infinita eſſet confuſio, cum perſonæ ipſæ quotidie mutentur, vel prædia in hoc Territorio exiſtentia vendantur, donentur, aut legentur hominibus in alia Diœceſi, vel Parochia degentibus, vnde fieret, vt proprietates Eccleſiarum eſſent permiſtæ, nam hodie ad hanc, cras ad illam Eccleſiam pertinerent. Quam rationem attigit Alexand. III. in dicto cap. *Cum ſint homines* dicens: *Difficile nimis videtur, quod vna Eccleſia in Epiſcopatu alterius accipiat Decimas, cum ex hoc Epiſcopatuum fines confundi non immeritò viderentur.* Vbi licet de ſolis Epiſcopatibus loquatur, in quibus illud inconueniẽs maius eſt, & clariùs cernitur, tamen etiam habet locum in Parochiis, vt apertè ſupponitur in cap. *Super eo*, de Parochiis, & in cap. *Licet*, 16. q. 3. Et iuuat cap. *Quicunque*, ibid. & cap. 9. de Reform. Concilij Trid. ſeſſ. 14. & optimè in ſeſſ. 24. cap. 13. in fine.

Alexand. 3.

Cap. Super eo. *Cap Licet.* *Cap Quicunque.*

6. Per hunc nulli Parochiæ fit iniuria,

Nec verò per hanc inſtitutionem aliqua iniuria fit illi Eccleſiæ, quæ Sacramenta miniſtrat perſonis habentibus prædia in aliis Eccleſiis; tum quia ius Eccleſiarum æquale eſt per ſe loquendo, & per accidens eſt, quod huic Eccleſiæ hoc incommodum contingat, potuiſſet enim etiam alteri accidere, & poterit curſu temporis commutari: Tum etiam quia vnicuique Eccleſiæ ſemper manent integra ex vi communis iuris ſua prædia, quorum Decimæ viſæ ſunt ſufficere ad Clericorum ſuſtentationem. Quod ergo in aliqua creſcat numerus Parochianorũ ſine augmento prædialium Decimarum non eſt inconueniens. Tum quia iam ſupponitur ius naturale impletum per congruam ſuſtentationem, tum etiam quia ſæpe augetur ille numerus perſonarum ex pauperibus, qui nullibi habent prædia: quid ergo refert, quòd augeatur ex aliquibus habentibus ea in alio territorio? Tum denique quia ſemper hi Parochiani aliquid conferunt, vel ex Decimis perſonalibus, vel ex oblationibus, & quotidianis contributionibus, quæ ſolent eſſe maiores, quando Parochiani diuites ſunt, etiamſi in aliis Eccleſiis prædia ſua poſſideant. Accedit tandem quod humanæ leges conſiderant id, quod frequentiùs accidit, frequentiùs autem accidit, vt domini prædiorum Parochiani ſint illius Eccleſiæ, in cuius Territorio prædia exiſtunt, quod autem in hoc contingat mutatio, rarum eſt, & accidentarium, nec debet præiudicium afferre ipſi Eccleſiæ Parochiali, quia ipſa parata eſt de ſe adminiſtrare eis Sacramenta, ſi in ſuis fundis habitare voluerint.

Rebuffus q. 5. num. 19. q. 6 num. 11. q 14. num. 39.

7. Quid in ſimili caſu ſentiendum de Decimis Miſtis.

Supereſt verò videndum, quid dicendum ſit in quæſtione ſimili de Decimis ex fructibus, & fœtibus pecorum, quas ſupra Miſtas appellari diximus. Eſt enim quædam differentia inter has, & præcedentes, quod res illæ, ſeu animalia, vnde producuntur, non ſunt immobilia, ſicut ſunt prædia, vnde fit, vt interdum intra propriam Parochiam domini ſui fructificent, interdum extra illam. Quando ergo intra illam habitant, & ibi producunt fructus ſuos, clarum eſt eorum Decimas Eccleſiæ Parochiali ipſiuſmet domini eſſe reddendas, quia tunc & perſona, & res fructiferæ ibi permanentem habitationem habent. Contingit autem vt hæc animalia, vt oues, verbi gratia, in hyeme in vno loco paſcantur, & maneant longè ab Eccleſia Parochiali, imò interdum etiam à Diœceſi, & Prouincia, in æſtate verò ad propriam habitationem reducantur. Tunc ergo difficultas eſt, an ſequantur conditionem perſonalium, vel prædialium Decimarum, & conſequenter an tales Decimæ ſoluendæ ſint, vbi fructus percipiuntur, vel vbi dominus fructuum recipit Sacramenta. Et ratio dubij eſt primò, quia iura nihil in hoc caſu de his Decimis diſponunt, dictum enim caput *Ad Apoſtolicæ*, ſolùm diſtinguit de perſonalibus Decimis meſſium, ac fructuum arborum, de his verò Miſtis nihil dicit, nec in alio textu diſponitur, quem ego viderim: Nam caput, *Commiſſum*, quod adduci ſolet, non agit de animalibus, ſed de paſcuis, quorum Decimæ, etiam prædiales ſunt, vt conſtat. Secundò quia hæ Decimæ ſunt miſtæ, & ideò non apparet cuius extremi naturam ſequantur; nam perſonalibus multum aſſimilantur in hoc, quod ex hominum induſtria maximè pendẽre videntur, prædialibus verò in hoc, quod immediatè non ex lucris actionum, ſed ex fructibus rerum poſſeſſarum ab homine proueniunt.

A B C

Ratio dubitandi. *Cap. Ad Apoſtolicæ.*

Cap. Commiſſum.

In hoc puncto communis reſolutio eſt, in eo caſu diuidendas eſſe Decimas, & pro rata temporis vnicuique Eccleſiæ partem fructuum eſſe reddendam, ita vt ſi per totum dimidium annum in alia Eccleſia oues habuerunt paſcua, illi dimidia pars Decimarum ſoluatur, alia verò dimidia detur propriæ Eccleſiæ ipſius perſonæ, ſi in ea per alium dimidium annum commorantur, & paſcuntur, quod ſi in alia tertia Eccleſia per aliquam notabilem partem anni, verbi gratia, quattam depaſtæ ſunt oues, illi etiam ſua pars proportionalis detur, & diminuatur alteri, in qua temporis etiam diminutio facta eſt. Ratio eſt, quia hæ Decimæ ſimpliciter ſunt prædiales, & in Canonibus ſub illis comprehenduntur, vt in principio huius materiæ oſtendimus, & ideò illarum naturam, & legem ſequuntur. Et poteſt confirmari, quia Decimæ paſcuorum debentur Eccleſiæ prædiali argument. dicti caput. *Commiſſum*, ergo quando hæc pecora aluntur ex prædiis Parochiæ alicuius, illi debentur Decimæ ex fructibus pecorum pro rata temporis. Ita tenet Gloſſa in dicto cap. *Ad Apoſtolicæ*, quam ibi Doctores ſequuntur, & D. Thom. 2. 2. quæſt. 87. artic. 3. ad 2. Et ibidem Soto, & alij. Alenſ. 3. part. quæſt. 51. Membr. 4. artic. 4. in fine, Rebuffus dicta quæſt. 6. num. 25. & ſequentibus. Hæcque ſententia in praxi ſequẽda eſt, niſi conſuetudo aliud expoſcat, vt mox dicemus. Minùs tamen certa eſt, quàm altera de Decimis prædialibus, quia non eſt omninò certum, has Miſtas regulandas eſſe per Iura prædialium. Vnde alij dicunt, quando dominus ouium domicilium habet in Eccleſia, in qua oues nunquam paſcuntur, ſed in alia vel aliis, vnam partem fructuum dandam eſſe Eccleſiæ domicilij, alias verò partes Eccleſiæ, vel Eccleſiis, vbi ſunt paſcua, quia vt perſonalis eſt hæc Decima, ſequitur perſonam, vt prædialis prædia. Ita indicat Nauarr. Conſil. 1. de Decimis, num. 10. Quia tamen verius eſt has Decimas ſimpliciter cenſeri prædiales, ideò communis opinio probabilior eſt.

D E

Cap. Commiſſum. *Gloſſ.* *D. Thom.* *Soto.* *Alenſ.* *Rebuff.*

8. Reſoluitur quæſtio,

Nauarri opinio.

9. Aliqua notatu digna.

Nonnulla verò occurrunt aduertenda. Primum in his mutationibus gregum ab vno loco in alium distantem, solere multum temporis in itinere consumi, quod tamen non consideratur, sed solùm illi termini, in quibus habitatio, & quasi domicilium per plures menses figitur. Tum quia pascua itineris respectu singularum Parochiarum in itinere occurrentium sunt parui momenti, & moraliter fieri non potest, vt inter omnes diuidantur Decimæ cum proportione, vt notat Nauar. suprà, num. 3. Tum etiam quia personæ peregrinantes non tenentur soluere aliquam personalem Decimam in Parochiis, per quas transeunt, licet ibi Sacramenta percipient, sed solùm vbi domicilium habent, vel si nullibi habeant omninò fixum, vbi diutiùs permanent, & quasi domicilium ponunt. Et item vlteriùs considerandum in ipsamet prouincia, vbi oues, verbi gratia, pascuntur per totam hyemem, vel æstatem sæpe non permanere in eadem Parochia per totum tempus veris, sed per varias discurrere, vnum mensem in vna, alium in alia tentoria figendo, & interdum etiam in diuersis Episcopatibus: Et tunc difficile erit, distributionem Decimarum facere, ideóque iudicio prudentis existimo relinquendum, vel consuetudini, vt infrà dicam.

Nauarr.

10. Quando greges in vna Parochia pascuntur, & in alia accubant, cui Decimæ debeantur. *D. Thom. Alens. Soto.* Aliorum probabilis opinio. *Gloss. Henric. Bohic. Rebuff.*

Præterea considerandum etiam est, interdum solere contingere, vt greges armentorum pascantur in prædiis vnius Parochiæ, accubent verò in alia Parochia, in qua habent quasi domicilium, seu habitationem. Et tunc D. Thomas cum Alense, quos Soto sequitur, dixit magis deberi Decimam Ecclesiæ prædiali, quia fructus gregis ex agris proueniunt. At verò citata Gloss. quam ibi sequitur Henric. Bohic. & Rebuffus suprà, putant tunc etiam esse diuidendas Decimas. Et videtur hoc probabile, quia hæ Decimæ, vt dictum est, prædiales sunt, id ergo, quod hic tanquam prædium reputatur, sunt ipsa animalia, ergo sicut Decima prædij debetur, vbi est prædium, ita hæ Decimæ vbi sunt animalia. Dicuntur autem propriè esse non minùs vbi degunt, & iacent, quàm vbi pascuntur: Et induci potest, quod I.C. ait in l. *Si plures*, ff. Arborum furtim Cæsarum, in vltimis verbis, *Si radicibus vicini arbor aletur, tamen eius est, in cuius fundo origo eius fuerit.* Ita enim per quandam accommodationem, vbi oues iacent, & dormiunt, ibi quodammodo radices figunt, ibique nutriuntur, & ab inclementiis cœli proteguntur, ergo ea ratione dicentur saltem ex parte illius territorij esse, & ea ratione pertinere ad ius illius Ecclesiæ quoad partem Decimarum, licet altera debeatur Ecclesiæ prædiali propter rationem D. Tho.

Leg. *Si pluues.*

Denique interdum potest contingere, vt oues neque pascantur, neque habitent per vllam partem anni in Ecclesia Parochiali sui Domini, sed in aliis, & tunc nulla pars Decimarum videtur deberi tali Ecclesiæ Parochiali, sed diuidendas esse cum proportione inter alias Ecclesias, in quarum Parochiis vel pascuntur, vel iacent. Nauarr. autem vult, semper esse soluendam saltem partem quartam Ecclesiæ Parochiali, quia putat has Decimas reputandas esse personales aliqua ex parte. Sed illud prius videtur verius, præsertim quia nulla ratio illius quotæ, seu quartæ partis reddi potest, magis quàm sextæ, vel octauæ, quia nec ex debito personæ, nec ex quantitate temporis reddi potest. Igitur sequenda est regula prædialium Decimarum, & applicanda cum proportione ad tempus pascuæ, vel habitationum ouium, semper tamen est consulenda consuetudo, vt generaliter nunc exponemus.

Nauarr.

CAPVT XXII.

De consuetudine soluendi Decimas in aliena Parochia.

1. Consuetudine potest introduci contrarium. *D. Thom.* Cap. *Ad Apostolicæ.* Cap. *Cum sint.* Cap. *Ad aures.*

SVpponendum in primis est, contra supradictum ius consuetudine introduci, ac præscribi posse, vt Decimæ prædiales non in Ecclesia, vbi est prædium, sed in alia Parochiali persoluantur. Hæc est sententia D. Thom. & omnium, quos supra retuli, & certa ex responsis Pontificum in cap. *Ad Apostolicæ*, & cap. *Cum sint homines*, de Decimis, & colligitur ex cap. *Ad aures*, de Præscr. & cap. 1. de Præscr. in 6. Et ratio est, quia consuetudo habet vim derogandi ordinario iuri positiuo: Item quia inducit præscriptionem, per quam etiam iura, & dominia mutari solent, ita disponente ipsomet iure vt dominia, & iura rerum certa permaneant, vt in materia de præscriptionibus latiùs tractatur.

2. Quantum tempus requiratur ad hoc ius. *Panor. Couar. Gutier.*

Difficultas verò est in explicando, quantum temporis necessarium sit vt consuetudo tribuat hoc ius. Multorum enim resolutio est, decennium sufficere, tradit Panor. in dicto cap. *Cum sint homines*, in fin. Quem sequitur Couar. dicto c. 17. num. 8. §. *Quarto*, Gutier. dicto cap. 21. num. 58. Fundamentum eorum est, quia in consuetudinibus, quæ non sunt contra ius, sed præter ius, sufficit diuturnum tempus, quod decennium esse censetur ad ius præscriptionis acquirendum, iuxta doctrinam communiter receptam ex Glossa in cap. vlt. de consuetud. in 6. sed hæc consuetudo non est contra ius, sed præter ius, vel potiùs est ipsius iuris interpretatio, quia nullum est ius, quod absolutè prohibeat prædiales Decimas solui Ecclesiæ Parochiali domini prædij, sed potiùs ipsum ius dicit, obscuram esse controuersiam inter vtranque Ecclesiam Parochialem, & prædialem, quando sunt distinctæ, & ideò consuetudinem esse seruandam, ergo. Potest etiam ad hoc ponderari dictum cap. *Ad Apostolicæ*, ibi, *Tu eligas in hoc, quod per consuetudinem diù obtentam, ibidem noueris obseruatum*: Nam consuetudo tunc dicitur *diù* durasse, quando per decennium durauit, iuxta Gloss. in l. *De quibus*, Ver. *Inueterata* ff. de legit. & quæ allegant tam illi, quam Panor. suprà, ergo.

Gloss. Cap. *Ad Apostolicæ.* *Gloss.*

3. Præcedens opinio impugnatur. *Gloss.*

Contra hanc verò sententiam obijci potest, quia hæc consuetudo potiùs est contra ius, ergo vt per eam inducatur præscriptio, necessarium est tempus quadraginta annorum, iuxta sententiam dictorum Auctorum; quæ satis communis est cum Gloss. in c. fin. de consuet. Antecedens expressè asseritur à Gloss. in dicto cap. *Cum sint homines*, Ver. *Ad consuetudinem*, ibi, *Per quam iuri communi præiudicatur.* Et in cap. *Ad Apostolicæ*, Ver. *Consuetudo.* dum ait, *ius commune in promptu esse, quod illi Ecclesiæ debent dari hæ Decimæ, in cuius territorio sunt prædia*, & certè omnia quæ pro assertione adduximus, videntur hoc conuincere. Nam in dicto cap. *Cum contingat, perceptionem Decimarum ad Parochiales Ecclesias de iure contingere*, & erat sermo apertè de prædialibus, & de Parochia, vbi prædia sunt, nam inde concluditur, Decimas noualium eodem communi iure ad illam Ecclesiam pertinere, in cuius territorio noualia fuerint. Idem probat cap. *Cum in tua*, ibi, *Ad quas de iure communi spectat perceptio Decimarum.*

Cap. *Cum in tua.*

4.

Dicetur fortasse, hæc, & similia iura ordinare quidem, vt prædiales Decimæ dentur Ecclesiæ territorij, non tamen prohibere, quin alteri Parochiali dari possint. Nam potius dictum cap. *Cum sint homines*, & cap. *Ad Apostolicæ*, de Ecclesia Parochiali generatim loquuntur, possuntq; intelligi vel de Parochiali personę, vel de Parochiali prædij: Alia verò Iura intelligi poterunt

poterunt indefinitè, seu absque præiudicio alterius Ecclesiæ, vt scilicet tales Decimæ dandæ sint Ecclesiæ talis prædij, nisi alia habeat maius ius, vt apertè additur in cap. *Cum contingat*. Contra hoc verò instatur primò, quia ius non solùm disponit affirmatiuè (vt sic dicam) quod Ecclesiæ prædiali dantur Decimæ, sed etiam priuatiuè, quia expressè prohibet, ne tales possessiones ita possint alteri Ecclesiæ applicari, vt altera priuetur Decimis suis, vt patet ex cap. *Siquis Laicus, vel Clericus*, 16. q. 1. & expressiùs ex seq. *Ecclesiæ antiquitus constitutæ, nec Decimis nec vlla possessione priuentur, ita vt nouis oratoriis tribuatur*. Quod plane intelligitur de Capellis etiam intra eandem Parochiam erectis, ergo à fortiori tribui prohibet extraneis Ecclesiis. Et idem habetur in cap. *Quicunque*, ibid. Item in c. 1. 13. quæst. 1. ita diuiduntur iura Parochialium Ecclesiarum per Territoria, *Vt nullus* (dicitur ibi *alterius Parochiæ terminos, aut ius inuadat*, scilicet, nullus Presbyter Parochialis, ergo recipere Decimas ex terminis alterius Parochiæ, planè est contra hoc commune ius. Tandem in cap. vlt. de Restitut. Spoli. in 6. dicitur, Præsumi, eos Decimas iniustè occupare, qui eas exigunt ex prædiis in aliena Parochia constitutis, hæc autem præsumptio in hoc fundatur, quod illa exactio est contra ius commune, vnde consequenter subiungitur. *Sitque manifestum (nisi aliud ostendatur) eas de iure communi ad eandem Ecclesiam pertinere*, quo modo dici poterat clariùs contrarium hoc esse contra commune ius? Deinde non refert limitatio illa, nisi consuetudo, &c. nam eodem modo non soluere Decimas est contra ius commune cum illa limitatione, vt supra dictum est, & nihilominùs illud simpliciter est contra ius commune.

Cap. *Cum contingat.*

Cap. *Siquis Laicus.*

C. *Quicunque.* Cap. 1.

Cap. Vlt.

5. Alia responsio.

Aliter verò responderi potest, aliud esse considerare ius introductum ab Ecclesia post diuisionem Parochiarum: aliud, primæuum ius ipsarum Decimarum secundùm se, quod maximè connaturale institutione Decimarum dici potest: Nam loquendo de priori iure, negari non potest, quin hæc consuetudo contraria sit iuri communi, vt videntur conuincere, quæ adduximus. At verò cõsiderando primæuum ius, consuetudo illa non est iuri contraria, sed potius, per illam redditur ad ius proprium, & quasi intrinsecum ipsis Decimis. Quia iuxta illam consuetudinem soluuntur propriis ministris Sacramentorum, propter quos illæ primum institutæ sunt, & præceptæ, & ideò talis consuetudo non dicitur simpliciter contra ius, ac subinde ad illam sufficit decem annorum tempus.

6. Cap. *Accedentibus.*

Contra hoc verò obiicio ex cap. *Accedentibus*, de Priuil. ibi enim postulatur tempus 40. annorum, vt vna regularis Ecclesia contra aliam præscribat in perceptione Decimarum à Religiosis priuilegiatis, qui tanto tempore suo priuilegio vsi non fuerũt, vt supra expendimus, quia talis consuetudo censetur esse contra ius Ecclesiæ, & necessarium erit tempus 40. annorum, vt Ecclesia Parochialis, seu Personalis (vt sic dicam) contra Ecclesiam prædialem præscribat. Probatur consequentia, quia vel per Ecclesiasticum ius intelligimus ius facti (vt sic me explicem) id est, facultatem illam, quam vnaquæque Ecclesia habet ad recipiendas, & exigendas, vel retinendas Decimas virtute alicuius confessionis, priuilegij, aut consuetudinis, ita vt idem sit dicere contra ius Ecclesiæ, quod contra dominium, vel quasi dominium Ecclesiasticum: & sic non minus, imò quodammodo magis est dominium Ecclesiasticum, quod habet vnaquæque Ecclesia Parochialis ad Decimas prædiales sui Territorij, quam quod habet monasterium priuilegiatum ad retinendas Decimas suarum terrarum, aut Ecclesiarum sibi vnitarum, quia vtrumque ius est

A legitimum, & vera facultas moralis dominio æquiualens, & prius est ex iure communi, posterius ex priuilegio, ergo quoad hoc procedit æquiparatio. Nam si ad præscribendum contra ius illud ex priuilegio conueniens tempus 40. annorum necessarium, est, multo magis ad præscribendum contra illud ius competens iuri communi, quod non minus Ecclesiasticum est. Vel per Ecclesiasticum ius intelligimus legale per Ecclesiam introductum quod nil differt à præcepto Ecclesiastico, & sic propriùs est consuetudo contra ius Ecclesiasticum in nostro casu, quàm in casu cap. *Accedentibus*, nam casus hic est proximè contra ordinariam legem, & vniuersale præceptum Ecclesiæ, & in rigore opinio, quam dicti Auctores B supponunt, scilicet, necessarium esse tempus 40. annorum ad derogandum communi iuri Ecclesiastico, magis procedit in nostro casu, quam in alio, vbi agitur contra priuilegium, quod minus propriè vocatur ius in hoc sensu. Et quamuis verum sit, incertam esse illam opinionem de necessitate temporis 40. annorum, vt consuetudo præualeat contra legem Ecclesiæ, & fortasse opposita sit probabilior, tamen re vera in præsenti consuetudo magis est contra ius facti, quam legis, & solum in vi præscriptionis confert, aut tollit ius Ecclesiæ, de qua certum est, postulare tempus 40. annorum, vt supra dictum est, & constat ex cap. *Auditis*, de Præscr. & ex cap. 3. de consuet. in 6.

C. *Auditis.*

Quapropter mihi probabilius videtur necessarium C esse tempus 40. annorum, vt hæc consuetudo conferat Ecclesiæ Parochiali vnius personæ ius ad Decimas prædiorum existentium in alia Parochia, quia oportet, vt sit præscriptio contra Ecclesiam, quæ minori tempore non fit quod etiam si consideretur, vt est contra legem Ecclesiæ, falsum est per illam consuetudinem rediri ad aliquod antiquius ius, nunquam enim fuit in Ecclesia lex contraria, sed solum aliquando non fuit in Ecclesia materia huius legis. Quando enim in singulis Diœcesibus non erant diuisæ Parochiæ, non poterat circa terminos, vel prædia earum propria lex constitui, tamen eo modo, quo D poterat, eadem lex vigebat: Quia tunc vnusquisque Episcopatus totus erat veluti vna Parochia, & ideò interdum ita appellatur, vt patet ex Can. 14. Apostolic. & c. *Ad Apostolicæ* de Decim. & in capite, *Apostolicæ*, de Donation. Et inter Diœceses ipsas eadem lex semper fuit seruata, vt ex allegatis iuribus cõstat. Denique in cap. *Ad aures*, de Præscrip. apertè supponi videtur, quadragennalem præscriptionem in hoc casu esse necessariam, & in cap. 1. de Præscrip. in 6. ad similes præscriptiones inter diuersas Diœceses, idem tempus cum titulo postulatur, vel tempus immemoriale sine titulo.

7. Probabilius est tempus 40. annorũ necessarium esse ad hanc præscriptionem.

Can. 14. Cap. *Ad Apostolicæ.* Cap. *Apostolicæ.* Cap. *Ad aures.* Cap. 1.

Quare non video, quomodo sententia Abbatis 8. possit defendi nisi in eo casu, in quo dubium esset de E ipsomet prædio, ad quam illarum Ecclesiarum pertineret, tunc enim ipsummet ius commune esset dubium pro vtraque Ecclesia, & ibi posset decennalis præscriptio deseruire. Et in eo casu videntur apertè loqui Couar. & Gutier. Nam Couar. paulo superius num. 7. nobiscum sentit in casu proprio, quem tractamus. Fundamentum verò contrariæ sententiæ expeditum iam est. Ponderatio autem illius particulæ *Diu* in dicto cap. *Ad Apostolicæ*, parui momenti est: eadem enim vox habetur in dicto cap. *Accedentibus*, & non significat tempus decem annorum, nec aliquod tempus certum. Illa ergo vox solum ponitur ad declarandum, illam consuetudinem non debere esse minorem decem annorum, non verò, vt tempus decem annorum semper ad illam sufficiat, interdum enim decem, interdum viginti, aliquando plu-

Couar. Gutier.

Occurritur contrariæ sententiæ fundamento.

res anni requiruntur iuxta diuersas materias, & personas. Ex illa ergo particula solùm colligitur, ex vi illius textus esse necessariam cõsuetudinem longi temporis, quantum verò tempus necessarium sit in illo ordine, ibi non declaratur, sed ex aliis Iuribus colligitur esse quadraginta annorum, vt ostensum est.

9. Consuetudo hæc non extenditur ad noualia antea non possessa.

Addendum verò est circa hanc consuetudinem, illam non extendi ad noualia antea nullo modo possessa. Itaque licet vna Parochia consueuerit per longissimum tempus exigere Decimas à prædiis, quæ coli consueuerunt in alia Parochia: & in hac nunc denuò excolantur, & seminantur, vel plantentur agri inculti, non extenditur ad illos ius prioris Ecclesiæ, nec poterit ex illis noualibus Decimas exigere. Hæc sententia communis est, & in hoc sensu dici solet, præscriptionem non extendi ad furem, & ita tenet Rebuffus B *Rebuff.* dicta quæst. 14. à num. 9. vbi doctè, & latè per varios casus hanc materiam explicat. Item Couar. dicto *Couar.* cap. 17. num. 13. Gutier. dicto cap. 21. num. 78. & *Gutier.* sequentibus. Et probatur bene ex cap. *Cum contingat*, Cap. *Cum contingat.* de Decim. vbi Glossa, ver. *Noualium*, & omnes notant. Item ex cap. *Tua*, §. *nec*, eod. vbi additur, *in talibus non esse extendendam licentiam, sed potius restringendam.* Ratio etiam est clara, quia præscriptio supponit possessionem, & per vsum, & consuetudinem acquiritur, sed in eo casu Ecclesia, quæ præscripsit prædiales Decimas, non possedit vnquam terras siluestres, & incultas, nec vsum habuit aliquid ab eis percipiendi, ergo non potuit præscribere Decimam, quæ postea de nouo debetur ex nouis fructibus. Confirmatur, quia præscriptio in aliena Parochia non extenditur ab vno prædio ad aliud, sed potest esse circa vnum prædium: & non circa aliud, etiam ex prædiis Cap. *Cum in tua.* cultis, vt planè supponitur in cap. *Cum in tua*, de Decimis. Ex illa ratione, quod non plus præscribitur, quàm possideatur, & vsu capiatur, ergo à fortiori idem erit de prædiis incultis, illa ergo noualia non sunt præscripta, ideóque Iure communi debentur illi Cap. *Quoniam.* Ecclesiæ, in cuius Territorio sunt iuxta cap. *Quoniam*, Cap. *Cum contingat.* de Decim. & dictum. cap. *Cum contingat*.

10. Quid faciendum si agri inculti antea possidebantur.

Et propterea addidi, hanc præscriptionem non extendi ad noualia, *Antea nullo modo possessa*. Nam si agri inculti antea possidebantur, & ex herba, vel lignis vel pastu illorum aliquæ Decimæ accipiebantur, tunc licet postea de nouo excolantur, & crescant Decimæ, ad omnes illas extenditur præscriptio, quia D nec possessio, nec vsus deest, & aliæ conditiones supponuntur, & videtur casus expressus in cap. *Dudum*, C. *Dudum.* Cap. 2. de Priuil. Iuuat cap. 2. §. 1. de Decimis in 6. Nec varietas in fructibus, seu Decimis obstat, quia præscriptio per se primò est realis circa terram ipsam, seu fundum, & ideò quicquid fructificet, præscribenti fructificat quoad Decimam. Sicut si in eodem prædio culto ab antiquo in seminatione grani, & ita præscripto, postea plantetur vinea, etiam extenditur præscriptio ad Decimam vini, quia illa varietas accidentalis est, & per se attenditur præscriptio terræ, vt Cap. *Commissum.* à paritate rationis probatur apertè ex cap. *Commissum*, de Decimis, ibi. *Et sicut de pascuis olim Decimæ persoluebantur, ita nunc de eisdem ad frugum fertilitatem translatis Decimas volumus absque diminutione persolui*: vt ibi no- E tat Glossa ver. *Pascuis*, & latiùs Auctores citati pro- *Gloss.* sequuntur, & Couar. etiam in Practic. c. 37. num. 5. & *Couar.* idem censent dicti Auctores esse, quando præscriptio cadit in fundum, qui simpliciter censetur vnus, quia certis terminis clauditur, & tanquam vnus, & indiuisibilis possidetur, tunc enim licet antea non coleretur in omnibus partibus suis, & in aliquibus earum postea fiant noualia, ad illa extenditur præscriptio, quia totus simpliciter censetur possessus, licet per partes, vt latè Rebuffus supra à num. 20. & *Rebuff.* A Gutier. à num. 101.

Gutier.

11. Decimæ Mistæ eodem modo procedunt, quo prædiales quoad consuetudinem.

Tandem addo, hæc, quæ de consuetudine circa prædiales Decimas dicta sunt, cum proportione habere locum in Mistis, quia illæ etiam inter prædiales computantur, & in omnibus, quoad fieri potest, illas imitantur. Imò quia in his non est tam expressum ius, ideò fere omnes Auctores docent, in eis seruandam esse receptam consuetudinem, estque aliunde maior necessitas, quia res illæ, vnde percipiuntur hi fructus, non habent ita firmam sedem, & radicem, sicut prædia, & arbores, & ideò facilè potest prædialis Ecclesia (vt sic dicam) mutari, aut multiplicari: ex quo oriuntur varij casus, qui non possunt meliùs, quàm consuetudine terminari, vt ex supra dictis constare potest. Quapropter in his Decimis Mistis, & in casi- B bus dubiis supra tractatis circa diuisionẽ talium Decimarum admitti facilè potest, sufficere consuetudinem decem annorum ad præscribendum, & acquirendum ius, quia non est tam clarè contra ius commune, & ita non est certum, talem consuetudinem esse contra aliquam Ecclesiam, quia nulla est, quæ ex vi iuris communis habeat certum ius in casibus prædictis.

CAPVT XXIII.

De priuilegio, vt extra propriam Parochiam Decimæ soluantur.

1. EX dictis in superioribus hanc generalem assertionem statuere possumus. Priuilegio concedi C posse, vt prædiales Decimæ non soluantur Ecclesiæ Parochiali illius Territorij, in quo sunt prædia, sed vel alicui Ecclesiæ alterius Territorij, vel alteri non Parochiali, in eodem Territorio existenti. Conclusio est certa apud omnes & ex supra dictis satis nota. Nam ostensum est supremam potestatem dispensandi Decimas, omnésque Ecclesiasticos reditus esse in summo Pontifice, ac subinde posse priuilegia concedere ad retinendas, seu non soluendas Decimas, eadem ergo ratione potest priuilegia concedere vni loco sacro, vt Decimas accipiat, licet de iure communi ei non debebantur. Dices, non posse hoc fieri, quin Obiectioni occurritur. alter locus, cui iure debebantur, illis priuetur, hoc autem contra iustitiam videri. Respondetur, semper supponendum esse, Ecclesiam illam, ad quam iure ordinario, vel etiam consuetudine Decimæ illæ pertinebant, non priuari occasione talis priuilegij congrua sustentatione ministrorum, & omnium onerum suorum, alias argumentum concludi, priuilegium fore iniustum, & contra naturale ius, & quoad illam partem non valere. At verò quando Ecclesiæ relinquuntur sufficientes reditus, non est contra iustitiam, partem Decimarum applicare alteri, vt supra ostensum est, quia illa solum est dispensatio in iure humano, & quia talis Ecclesia non habet absolutum dominium talium Decimarum, sed pendens à iusta Pontificis dispensatione.

2. Duæ partes assertionis explicantur.

Duas autem partes in assertione distinximus: Vna est de applicatione Decimarum ad Ecclesias alterius Territorij, siue Parochiales, siue non Parochiales: Altera est ad Ecclesias eiusdem Parochię non Parochiales, nec curam animarum habentes. Prior dispensatio difficilior est quàm posterior, quia in priori Decimæ vnius Ecclesiæ distrahuntur ad aliam in qua fideles, qui Decimas illas soluunt, nullam spiritualem vtilitatem, vel ministerium accipiunt, in posteriori autem, cum Ecclesia, cui applicãtur Decimæ, maneat intra eandem Parochiam, semper possunt illius Parochiani diuinis officiis, quæ in illa fiunt, interesse, & aliquem spiritualem vsum illius habere, ideóque hoc posterius minus exorbitat à communi iure, & ab scopo,

scopo, & fine, propter quem Decimæ à fidelibus soluuntur, hac ergo ratione difficilior est prior dispensatio: vnde in illo genere dispensationis quò fuerit minor elongatio, seu separatio Ecclesiarum, eò faciliùs poterit priuilegium, seu dispensatio iustificari, vt si pars Decimarum vnius Parochiæ applicetur Ecclesiæ alterius Parochiæ intra eandem ciuitatem, seu populum, minus habet incõmodi, quam si in diuersis populis fiat, & quando fit applicatio ad Ecclesiam alterius populi intra eandem Diœcesim, minor est dispẽsatio, quàm si fiat ad Ecclesiam alterius Diœcesis, quia in Iure difficilevalde iudicatur, quod fructus vnius Diœcesis in aliam transferantur, vt patet ex ca. *Cum sint*, de Decimis.

Ca. *Cum sint.*

3. Vniones perpetuæ beneficiorum difficiles. *Concil. Trid.*

Et hinc in Iure vniones perpetuæ beneficiorum difficiles sunt, & odiosæ, quia per illas Decimæ ad vnam Ecclesiam pertinentes alteri applicantur, vt satis significauit Concilium Tridentinum sess. 7. cap. 6. de Reform. Maximè verò illæ, quæ inter Ecclesias distinctarum Diœcesum fiunt ex eodem Concilio, session. 14. cap. 9. Nihilominùs licet hæc applicatio Decimarum ad Ecclesiam alterius Diœcesis, sit difficilis, & ideò non debeat, nisi rarò, & magna ex causa fieri, tamen non est impossibilis, vt notauit Glossa in dicto capit. *Cum sint*. quia quod consuetudine introduci potest, etiam potest per priuilegium Pontificis concedi quia maior est potestas Pontificis, quàm consuetudinis: ostensum autem est, id posse consuetudine introduci, ergo. Item hæc dispensatio sæpe necessaria est ad bonum Ecclesiæ, eiusque potestas Pontifici commissa est, vt supra ostendimus. Vnde non refert, quod fortasse Ecclesia, cui applicantur Decimæ aliquorum fidelium, illis immediatè non seruiat, nec spiritualia ministret, tum quia omnes sumus vnum corpus in Christo, & membra debent se inuicem iuuare, quando indigent, tum etiam quia Pontifex ipse potest à quibuscumque fidelibus Decimas exigere, quatenus ad suum vniuersale regimen necessarium fuerit, nam ipse omnibus ministrat, & in omnes influit, & ideò potest etiam partem Decimarum huic, vel illi Ecclesiæ applicare, prout necessarium iudicauerit.

Gloss.

4. An per tale priuilegium noualiũ Decimæ concedantur.

Ratio difficultatis.

Supereſt autem dubitatio circa hoc priuilegium, quando vni Ecclesiæ conceditur Decima prædiorum alterius Ecclesiæ, an sub illa concessione noualia comprehendantur. Vt autem ratio difficultatis intelligatur: supponimus, vt clarum, concessionem non extendi vltra vim verborum, quia priuilegia non plus valent, quam sonant; vnde si determinatè concedantur Decimæ talium prædiorum, vel terrarum, vel tantæ quantitatis fructuum, nulla potest moueri quæstio, quia solum tales Decimæ debentur, siue plures accrescant postea per noualia, siue non. Difficultas ergo est, quando indefinitè conceduntur Decimæ talis Ecclesiæ, vel talis terræ, & in illa Ecclesia, vel terra postea fiunt noualia: Nam ex vna parte videntur tunc noualia concessa, quia concessio est indefinita, quæ nihil excludit, sed æquiualet vniuersali. Item quia dictum est in priuilegio non soluendi Decimas comprehendi noualia, ergo & in priuilegio percipiendi.

Ca. *Ex parte.*

Maximè verò suadetur ex cap. *Ex parte*, de Decim. vbi sic dicitur: *Cum tibi, quod maius est, sit concessum, videlicet, vt de laboribus terræ Parochiarum tuarum cum integritate percipias, de noualibus eas exigere satis potest, quia vbi maius conceditur, minus concessum esse videtur.* Ergo in absoluta concessione Decimarum noualia comprehensa esse intelliguntur. In contrarium verò vrget non parum decisio, & ratio textus in cap. *Tua.* 1. §. vlt. eod. sic enim ibi dicitur, *Nec occasione Decimationis antiquæ (licet in feudum Decimæ sint concessæ) sunt Decimæ noualium vsurpandæ, cum in talibus non sit extendenda licentia, sed potius restringenda.* Quæ ratio in omni simili concessione locum habet, quia concessio hæc odiosa est, & odia sunt restringenda. Item quia verba illa in rigore non continent distributionem. Item quia qui donat fructus suarum hæreditatum, non intelligitur donare fructus hæreditatum, quas postea acquisiturus est, sed quas nunc habet. Denique quia priuilegium æquiparatur præscriptioni, at præscriptio Decimarum non extenditur ad noualia, vt supra visum est, ergo.

Contraria pars proponitur.

Cap. *Tua.*

5. Communis sententia.

In hac difficultate, & in concordia illorum duorum Canonum variæ sunt sententiæ Doctorum. Prima, & communis distinguit inter priuilegium concessum Clericis, aut Laicis: Et de priori ait, extendi ad noualia propter cap. *Exparte*, de posteriori autem negat propter cap. *Tua*, & ratio reddi potest, quia respectu Laicorum tale priuilegium est valdè odiosum, non verò respectu Clericorum: ita Glossa ibi, & Panor. éstque communis sententia, vt testatur Couar. dicto cap. 17. num. 13. Secunda sententia dicit, hoc priuilegium non extendi ad noualia, siue Clericis, siue Laicis concessum sit. Ita tenet latè Rebuffus dicta quæst. 14. à principio vsque ad numer. 8. & numer. 29. & sequentibus, Couarr. dicto numer. 13. Gutier. dicto cap. 21. num. 120. & sequentibus, qui referunt Anchar. Fortuni. Gar. & alios, & suaderi potest, primò quia licet hoc priuilegium Clericis concessum, minus odiosum sit, quam concessum Laicis, tamen simpliciter est odiosum, & præiudicat tertio, ergo vt sic, & quoad hunc respectum restringendum est. Vnde sic argumentor. Vel verba priuilegij talia sunt, vt salua eorum proprietate possint restringi ad priùs culta prædia, & non extendi ad noualia, vel ex vi verborum omnia comprehenduntur, nec possunt verba restringi absque impropria, & violenta interpretatione. Quando sunt prioris modi, tam in Clericis, quàm in Laicis restringenda sunt propter rationem factam: quando verò sunt posterioris rationis, non possunt ita restringi etiam pro Laicis, nisi in eo casu, in quo intellecta plenè, & iuxta suam proprietatem continerent iniquitatem, vel iustitiam, in quo casu etiam respectu Clericorum restrictio facienda esset, ergo non est conueniens illa distinctio, nec est verisimile in illis decretis esse intentam. Præterea multùm iuuatur hæc sententia ex cap. 1. de Decimis in 6. Nam in principio illius cap. supponitur, priuilegium veterum Decimarum non extendi ad noualia, nisi expressè addatur extensio, & quando additur, strictè dicitur interpretanda, quantum verba permittunt: & in §. 1. subiungitur. Quando priuilegium erat priùs datum de percipiendis totaliter antiquis Decimis, & postea de nouo extenditur ad noualia, quæ antea non erant concessa, restringendum esse ad medietatem Decimarum noualium. *Quia non est verisimile* (ait) *si tunc de plena, & integra perceptione veterum fuisset expressum, quod Apostolica sedes pariter, & similiter noualium Decimas in tam graue Parochiarum dispendium indulsisset.* Additurque vt concessio noualium in posterum intelligatur restricta ad medietatem, etiam si absolutè concedatur. Et licet illa fuerit specialis dispositio Iuris vltra vim verborum priuilegij, ex illa tamen colligitur, quàm sit hoc priuilegium in Iure odiosum, ac subinde pro certo supponi, priuilegium de obtinendis Decimis ad aliam Ecclesiam spectantibus Iure communi, absolutè concessum sine expressa mentione noualium, ad illa non extendi: Ibi autem nulla distinctio fit de Clericis, aut Laicis, sed absolutus est sermo, ergo.

Gloss. *Panorm.* *Couar.* 2. Sententia. *Rebuf.* *Couar.* *Gutierr.* *Anchar.* *Fortu.* *Garn.*

Cõfirmatur hæc sententia. Cap. 1.

Quapropter hæc sententia probabilior videtur, Nec est eadem ratio de priuilegio negatiuo non soluendi Decimas, tum quia hoc ex forma; & vi verborum

6. Secunda sententia probabilior.

rum magis vniuersale est propter negationem inclusam, tum quia minus affert præiudicium Ecclesiæ, quia solùm priuat illam Decimis prædiorum pertinentium ad vnam personam, per aliud autem priuilegium percipiendi Decimas alterius Parochiæ omninò priuaretur Ecclesia illa toto territorio suo, si tale priuilegium ad noualia extenderetur, & omni spe habendi aliquam vtilitatem ex tota illa terra, quod est graue detrimentum, quod considerasse videtur Pontifex in dicto cap. 2. de Decimis. Ad dictum autem cap. *Ex parte* respondent Rebuffus, & Couar. ibi non esse sermonem de priuilegio contrario iuri communi, de quo hic loquimur, sed de ordinario Iure Parochiali, declarato in c. *Cum contingat*, de Decim. Quem sensum satis indicant illa verba explicantia concessionem: *Vt videlicet Decimas de laboribus terræ Parochiarum tuarum cum integritate percipias.* Refert autem Rebuff. quandam lectionē integram illius textus, ex qua sensus ille euidens est. Nam ex illa constat, Parochialem quandam Ecclesiam per quendam Episcopum priuatam fuisse veteribus Decimis, quas ille Episcopus prætextu cuiusdam consuetudinis cuidam Canonico concesserat, illa verò Ecclesia veteres suas Decimas à Pontifice recuperauerat. Postea verò petit, vt in illa concessione declaretur, siue esse cōcessa noualia, quod profecto nulla declaratione indigebat. Tum quia ex vi alterius gratiæ, quam Episcopus Canonico fecerat in præiudicium Ecclesiæ (etiam si fuisset valida) non erant comprehensa noualia, quæ Parochiæ de Iure competebant, iuxta eandem opinionem, quam defendimus, quod sub generali concessione Decimarum facta in Ecclesiæ præiudicium, non veniunt noualia. Tum etiam quia per illam concessionem restituebatur Ecclesia ad statum pristinum, & iuri consentaneum, & ideò non tam concedebantur ei noualia, quam sua esse declarabantur.

Cap. 2. *Rebuff. Couar.*

7. Enodatur difficultas. *Rebuff.*

Dices, cur ergo in illa textu pro ratione affertur, quia cui maius conceditur, minus intelligitur esse concessum. Respondet Rebuff. in integra non esse talia verba, nec talem rationem; quæ vera non esset, quia in priuilegio non valet argumentum à maiori, sed à cōprehensis ex vi verborum. Ratio ergo, quæ in integra ab illo relata redditur, est. *Cum ergo perceptio Decimarū ad Parochiales Ecclesias de Iure cōmuni pertineat, per quod Decimæ noualium, quæ fiunt in Parochiis earundem ad ipsas spectare noscuntur*, &c. Quia verò alia verba in Grægoriana compilatione habentur, possumus illa trahere ad eundum sensum, non enim esse potest sensus illorū verborum, in priuilegiis valere argumentum à maiori ad minus, si tantum sit à simili, & non simul ex vi verborum: igitur iuxta subiectam materiam intelligendum est, cum concessio, vel potiùs redintegratio fuerit facta in eo, quod fuerat expressè ablatum, multò magis factam fuisse in eo, quod expressè ablatum non fuerat, & ad idem ius Parochiæ pertinebat.

CAPVT XXIIII.

An in Ecclesia baptismali Decimæ soluendæ sint.

1. DIcendum supereſt de Decimis soluendis in Ecclesia baptismali, Matrice, vel Cathedrali, quando hæc à Parochiali distinguitur, vel quando intra terminos sui territorij habet Parochiales Ecclesias ædificatas, ad quas proximè spectat Cura aliquorum Parochianorum. Et vt intelligatur dubium, aduertendum est, regulariter, ac ordinariè eandem Ecclesiam solere esse baptismalem, & Parochialem, baptismalis enim dicitur, in qua solent, & debēt fideles filios suos baptizare, & quia in eadem Ecclesia solent etiam Sacramenta recipere, ac participare Diuina, ideò talis Ecclesia etiam est Parochialis. Contingit autem aliquando, vt sub Ecclesia baptismali sint erectæ Parochiales Ecclesiæ, quæ baptismales non sint, sed purè Parochiales, quia nimirum fideles iam baptizati in eis recipere debent alia Sacramenta, ibi tamen non baptizātur, sed in alia, in qua fons baptismi relictus est pro aliis Parochiis, quasi inferioribus, illa verò tunc speciali modo baptismalis dicitur. Non quia nullam omninò Parochiam habeat, aliquam enim semper retinet, respectu cuius Parochialis etiam est. Nam si solum sit erecta ad iuuandas Parochiales in ministratione baptismatis propter periculum puerorum, tunc solum reputatur vt capella quædam Parochialis Ecclesiæ, vnde in præsentem considerationem non venit, quicquid Rebuff. sentiat in dicta q. 6. n. 19.

Rebuff. 2. Quæ sit Ecclesia baptismalis.

Baptismalis ergo propriè est, quæ licet propriam habet Parochiam, habet etiam alias, quæ illam aliquo modo recognoscunt in hoc, quod ad professionem solemnem fidei per susceptionem baptismi faciendā, subditos suos ad illam deferre tenentur, vnde talis Ecclesia respectu aliarum solet Matris appellari, iuxta modum loquendi Iuris in ca. *Ad audientiam* 1. de Ecclesiis ædific. & c. *Ex transmissa* de Præscr. & c. *Præterea* 2. de transact. & Clemen. 1. de sent. excom. vbi id notat Gloss. verſ. *Matrix*, dicens baptismalem Ecclesiam Matricem vocari quia sicut mater generat, sic & illa regenerat per baptismum. Sed iuxta hanc rationē omnis baptismalis Ecclesia esset Matrix, non tamen ita appellatur, nisi quando habet alias Ecclesias sibi aliquo modo subiectas, vt sentit Panor. ca. *Ex parte* de Rescrip. num. 1. & notat Rebuff. tract. de Decimis q. 6. num. 6. & 7. Qui etiam aduertunt, Ecclesiam Matricem simpliciter dictam, Cathedralem significare, nisi qualitas materiæ aliud necessariò postulet, iuxta cap. *Venerabili*, de verb. significat.

Cap. *Ad audientiam.* Ca. *Ex transmissa.* Ca. *Præterea, Gloſſa.* *Panorm. Rebuff.* C. *Venerabili.*

3. Ratio dubitādi proponitur.

Hinc ergo nascitur dubium, quia Iura interdū dicunt Decimas soluendas esse Ecclesiæ Parochiali, ca. *Quoniam*, c. *Ad Apostolicæ*, c. *Cum contingat*, de Decimis, aliquando verò dicunt, soluendas esse Ecclesiæ baptismali c. 1. §. *In Diœcesi.* 13. q. 1. & c. *De Decimis.* c. *Statuimus.* c. *In sacris* 16. q. 1. & in Concil. Lateran. sub Alex. 3. p. 4. c. 3. vbi integrè habetur ca. *Nuncios* de Decimis & dicitur, *Omnes de Parochia tua moneas, vt Decimas matricibus Ecclesiis persoluant*, vbi *Parochia* Diœcesim planè significat: per Matrices autem Ecclesias videntur intelligi baptismales. Quando ergo eadem Ecclesia Parochialis est, & baptismalis respectu eiusdem personæ, seu familiæ, tunc planè procedunt omnia suprà dicta, & de illis Ecclesiis loquuntur expressè ca. *Quæsti* & c. *In sacris* 16. q. 1. Quando verò vna est baptismalis, alia Parochialis, dubium est, quomodo sint applicanda, & intelligenda omnia, quæ diximus. Potestque hoc tam de personalibus, quàm de prædialibus interrogari. Primò ergo de personalibus probabilior sententia videtur, pertinere ad Parochialem etiamsi baptismalis non sit. Ita tenet Glossa in dicto ca. *De Decimis*, verb. *Baptismalem*, Abb in c. *Cum contingat*, de Decim. n. 6. Ioan. Andr. & Anchar. in dict. c. *Ad Apostolicæ*, Rebuff. d. q. 6. n. 21. Et ratio est, quia regula Iuris est, vt hę Decimæ Parochiali Ecclesiæ debeantur, vt supra visum est, at Ecclesia Parochialis, licet baptismum non tribuat, simpliciter Parochialis est, ergo. Item si quis alibi baptizatus domiciliū mutet, absolutè debet Decimas personales illi Parochię, vbi fixit domiciliū, iuxta cap. vlt. de Parochiis, ergo. Denique Parochialis Ecclesia est, quæ permanenter ministrat spiritualia, illi ergo debentur maiora, & quasi continua stipendia, saltem ergo debentur Decimæ Parochiales. Addit verò Abb. dicto cap. *Cum contingat*, cum Cardin. ibidem, verisimile

Probabilior sententia. *Gloſſ. Abbas. Ioan Andr. Anchar. Rebuff.*

Cap. Vlt.

Abbas. Cardin.

C. *Quoniam.* C. *Ad Apost.* Cap. *Cum contingat.* Cap. 1. C. *De Decimis* C. *Statuimus* Ca. *In sacris. Concil. Later.* Ca. *Nuncios.* Cap. *Quæsti.*

verisimile esse aliquam partem harum Decimarum esse dandum Ecclesiæ baptismali, quia Sacramentum aliquod administrat,& quia solet esse Ecclesia Matrix cui aliqua recognitio facienda est. Sed hoc licet seruandum sit,vbi consuetudine fuerit receptum, per se tamen non videtur necessarium , tum quia semper in ipso baptismo fit aliqua oblatio , quæ in recognitionem,& stipendium illius ministerij sufficit,tum etiam quia quatenus Ecclesia baptismalis Matrix est , solet inferior Ecclesia aliis modis , vel actionibus subiectionem illam recognoscere iuxta ca. *Ad audientiam*, 1.Cum Gloss.ibi,de Ecclesiis ædific.

Cap. *Ad audientiam. Gloss.*

4. De cimæ Prædiales ad Parochialem spectant.

Secundò de Prædialibus multa dicunt Panormit. & Rebuff.supra,vera tamen resolutio esse videtur,vbi constiterit Ecclesiam Parochialem habere territoriũ propriis terminis clausum , ad illam pertinere Decimas omnium prædiorum,in illius territorio existentium,nisi aliunde constiterit,speciali aliquo Iure pertinere ad Ecclesiam baptismalem. Ita tenet Abbas in dicto cap. *Cum contingat*, num 8. & Archid 13. quæst. 1.in principio , & ad hoc suadendum faciunt cum proportione rationes adductæ in puncto præcedenti. Fauent etiam Iura adducta,quæ censent, hæc prædia esse adiudicata Parochiali Ecclesiæ talis territorij, nam talis est illa Ecclesia simpliciter loquendo , licet baptismum non administret. Vnde alia Iura, quæ de Ecclesia baptismali loquuntur , vel baptismalem accipiunt pro Parochiali, quia regulariter sunt eadem, & illa partitio extraordinaria est,& rara,vel certè loquuntur quia prædia sunt constituta intra Parochiam ipsius Ecclesiæ baptismalis. Dices: Ordinariò solet baptismalis Ecclesia esse antiquior Parochiali , & antea sub terminis suæ Parochiæ comprehendisse totum territorium nouæ Ecclesiæ Parochialis , ac subinde omnia prædia illius territorij reali debito fuisse obligata illi Ecclesiæ antiquiori pro Decimis Prædialibus , ergo licet prædia postea transierint ad nouam Parochiam,transierunt cum onere suo,ac subinde illorum Decimæ non vicinæ Ecclesiæ Parochiali, sed baptismali,& Matrici debentur. Maximè quia in c.*Ecclesiæ*,& c. *Quicunque*,10.q. 1.statuitur,vt Ecclesiæ antiquæ non priuentur suis Decimis propter nouarum ædificationem.

Abb. Archi.

Obiectio.

Ca. *Ecclesiæ* C.*Quicũque.*

5. Soluitur. Obiectio.

Respondetur , in primis argumentum posse conuerti,quando constiterit,Parochialem Ecclesiam esse antiquiorem , nam illi etiam fauet ius Parochiale, quod oritur ex continuo seruitio, seu ministerio spirituali , & obligatione ad illud. Et ita in eo casu rem esse indubitatam , fatetur Rebuffus supra numer.17. Deinde si fuerit dubium de antiquitate , pro Parochiali præsumendum est,& ad baptismalem pertinebit probare suam antiquitatem , & ius(quidquid Rebuffus supra contendat) quia ius commune magis fauet Parochiali,vt ostensum est,& propter rationem quam nunc subiungemus.Vnde vlterius addo etiamsi constet,Ecclesiam baptismalem esse antiquiorem , & prius habuisse illa prædia in suo territorio , per nouæ Ecclesiæ ædificationem iuxta illos terminos , & legitimam erectionem illius in Parochiam, cum assignatione talis territorij,translata fuisse prędia etiam cum Iure Decimarum ad talem Parochiam , non obstante præiudicio antiquioris Ecclesiæ. Quod sanè satis apertè videtur probare textus in dicto c. *Ad audientiam* 1.de Ecclesiis ædific. Et ratio est, quia licet res soleat transire cum onere suo,tamen quando causa, & fundamentum illius oneris cum ipsa re,publica auctoritate,& ex rationabili causa in alium trãsfertur, etiam vtilitas illius omnis debet in eundem transferri,quia ratio iustitiæ , & æquitatis hoc postulat , in præsenti autem onus ministrandi Sacramenta , quod habebat antiqua Ecclesia, transfertur in nouam Parochiam,

Rebuf.

Cap. *Ad audientiam.*

A & illud est præcipuum fundamentum Decimarum, ergo & prædia antiquæ Ecclesiæ translata censenda sunt in nouam Ecclesiam cum vtilitate Decimarum, ac subinde non cum onere tradendi Decimas alteri Ecclesiæ,sed cum Iure percipiendi illas translata sunt. Aliàs prior Ecclesia abiecisset à se onus onerosum(vt sic dicam) scilicet ministrandi Sacramenta in toto illo territorio nouæ Parochiæ , & retinuisset ius , & vtilitatem ad onus reale eiusdem territorij, quod videtur contra æquitatem per se loquendo. Non est ergo id præsumendum,nisi aliqua certa ratione constet.

6. Explicantur Iura.

Quando ergo Iura dicunt, antiquis Ecclesiis non esse inferendum præiudicium quoad Decimarum perceptionem per nouæ Ecclesiæ ædificationem , loquuntur in primis,quando per nouæ Ecclesię ędificationem non diuiditur Parochia.Et ita loquitur apertè dictum c.*Ecclesia* de nouis oratoriis,& cap. *Quicunque*, de Ecclesia,quam aliquis in sua proprietate ædificare vult de consensu Episcopi , quæ non solet esse Parochia , sed simplex quædam Capella. Secus verò est, quando ædificatio Ecclesiæ fit ad diuidendam Parochiam , iuxta dictum cap. *Ad audientiam* renouatum, & auctum in c.4. Concil. Trident.sess. 21. vbi declarat,posse hoc facere Episcopum,etiam inuitis Rectoribus Matricis Ecclesiæ , seu baptismalis , iuxta formam prædicti cap. *Ad audientiam*. Ad quam formam maximè spectat, vt id non fiat sine magna necessitate Parochianorum , vt quando aliàs non possunt accedere ad Diuina audienda sine magno incommodo, vt ibidem dicitur , & notant Doctores in dicto cap. *Ad audientiam*. Vbi videri potest Glossa 2. & circa illam Abbas , qui bene hoc explicat. Denique oportet aduertere. semper præsumi , hanc translationem Decimarum ad Parochialem Ecclesiam ex rationabili causa, & modo legitimo factam esse , nisi oppositum probetur , vt notauit Abbas, in dicto c.*Cum contingat*, num.8.& Rebuffus in dicta quæst.6. num. 15. ex cap. *Nisi essent*,de Præben. Et faciunt cap.vlt.9. quæst.2.& quæ congerit Felin. in cap. *De quarta*,de Prescription. num. 12.

Concil. Trid.

Gloss.2. Abbas.

Rebuff. C. *Nisi essent.* Cap. Vlt. *Felin.*

7. Limitationis ratio explicatur.

Addidi verò limitationem , *Nisi aliunde constiterit, Ecclesiam baptismalem retinuisse ius ad tales Decimas*, quia certum est, multis modis hoc posse contingere. Vnus est,si constat transactionem, & compositionem esse factam in erectione Parochialis Ecclesiæ, inter eam,& baptismalem cum approbatione Episcopi, & ex vi illius Decimas retentas esse baptismali Ecclesię, & Parochiali aliter esse prouisum : nam tunc id seruandum est , vt notat Rebuffus supra num. 12. Alius est , si Parochialis Ecclesia non est omninò separata à baptismali,nec erecta in titulum beneficij Curati , aut Vicariæ perpetuæ , sed est annexa baptismali , cuius Parochus mercenarium illic constituit , vt in ea seruiat , tunc enim tota est quasi sit vna Parochia , & ita omnes Decimæ pertinet ad Matricem. Et sic ait Panor.per textum in cap. *Ex parte* de Rescrip. *Posse Ecclesiam Matricem plebanalem* (sic enim appellat) *tenere Capellam positam in suo plebanatu , non ponendo ibi Rectorem,sed Capellanum , qui eam officiet*. Tertius esse potest titulus consuetudinis,nam in hac materia habet magnam vim,vt Iura docent. Et consuetudo ostendit , à principio erectam fuisse inferiorem Ecclesiam cum hac conditione,& modo. Præsertim quando aliunde habet sufficientes reditus sine talibus Decimis. Et tũc sine dubio sufficiet decennalis consuetudo , quia illa non est apertè contra ius, sed ad summum est de Iure dubio,& ideò Innocent.& alij in dicto c. *Cum contingat*,dicunt,in toto hoc dubio standum esse consuetudini,nam si hæc fauet Parochiali,multò magis procedunt ea,quæ diximus.

Rebuff.

Panor.

Innocent.

Addo

8. Idē sentiendum etiamsi baptismalis Ecclesia sit Cathedralis.

Addo præterea, dictam resolutionem procedere, etiamsi Ecclesia baptismalis sit Cathedralis, vel cuiuscunque dignitatis, semper enim pro Parochiali præsumitur, non solùm, quando illi fauet consuetudo, sed etiam secluso hoc titulo, ex vi ordinarij iuris, quando oppositum sufficienter non probatur in alterius Ecclesiæ fauorem. Nam sola maior dignitas talis Ecclesiæ non confert illi speciale ius ad Decimas Prædiales alterius Parochiæ, etiamsi illi alias subiecta sit. Dicit tamen Glossa in c. *Quicunque* 16.q.1. in fin. Pluralem Ecclesiam (sic enim Parochialem appellat) debere suas Decimas in quatuor partes diuidere, & quartam dare Ecclesiæ baptismali, alias pro pauperibus, fabrica, & suis Clericis retinere. Sed hoc nullo Iure probat, & supra ostensum est, quartam illam portionem esse de Iure Episcopali, non ergo debetur de Iure Ecclesiæ baptismali quæcunque illa sit. Vnde tandem constat, hoc ius Prædialium Decimarum, quod diximus esse in tali Parochiali Ecclesia pura, extendi ad noualia, quæ post talis Ecclesiæ fundationem in illius territorio facta fuerunt, quia non ex priuilegio, vel præscriptione habet tales Decimas, sed ex vi Iuris communis pertinentis ad Parochialem Ecclesiam, & ideò in illa locum habet decisio c. *Quoniam* & cap. *Cum contingat*, de Decim. Idem verò dicendum est de baptismali Ecclesia in illis casibus, in quibus Prædiales Decimas antiqui territorij retinuisse ostenditur, tunc enim non nisi Iure Parochialis Ecclesiæ ab antiquo illicōueniente illas retinet & ideò ad noualia semper extendi potest.

C. *Quoniam.* Cap. *Cum contingat.*

9. Quādo prædia in nullius Parochiæ territorio sūt quid dicendum. *Panorm. Rebuff.* C. *Quoniam.*

Tandem verò interrogari potest in hac materia, ad quam Ecclesiam pertineant Decimæ Prædiales, vbi constat, prædia non cadere intra territorium alicuius Parochiæ. Respondeo breuiter, ad nullam Ecclesiam Iure communi pertinere, sed ad Episcopalem mensam. Ita docet Panor. dicto c. *Cum Contingat*, & sequitur Rebuff. q.7.n.8. & sumitur ex dicto c. *Quoniam*, quatenus decernit, Decimas noualium ad Episcopos pertinere, quando terræ de nouo cultæ intra certā alicuius Ecclesiæ Parochiam non cōtinentur, nisi ipse Episcopus eas velit alteri Ecclesiæ deputare. Eadem autem ratio est de terris quibuscunque ab antiquo cultis extra terminos Parochianorum existentibus. Generalis autem ratio esse videtur, quia Episcopus ante diuisionem Parochiarum habet ius disponendi de omnibus Decimis totius Diœcesis, modo sacris Canonibus præscripto, si ergo in diuisione Parochiarū aliquę terræ nulli Parochiæ designatę fuerunt, sub antiquo Iure remanserunt, vnde relictæ censentur pro mensa Episcopali, vel illi accreuisse, si postea de nouo cultæ sunt. Et ita videtur hoc ius declarari in illo c. *Quoniam.*

CAPVT XXV.

Possintne Decimæ deberi, aut iustè solui Laicis.

1. Variis personis Decimas solui.

LIcet dictū sit, Decimas certis locis, seu Parochialibus Ecclesiis esse soluendas, tamen propter personas dantur, ad quarum sustentationem præcipuè ordinantur. Personæ autem sunt variæ, quidam enim sunt Laici, alij Clerici, & inter Clericos quidam habent curam animarum, alij minimè, quidam item habent in tali Ecclesia ministerium aliquod, quidam nullum habent. Igitur exponere necesse est, cui ordini personarum Decimæ debeantur ordinario Iure, & consequenter dicendum erit, quibus ex consuetudine, vel priuilegio competant. Ad cuius quæstionis decisionem vulgaris distinctio supponenda est. Nam potest esse sermo vel de Iure, seu tit. percipiendi Decimas, vel de ipsis Decimis, prout sunt quidam temporales fructus pretio æstimabiles. Inter quæ discrimen assignatur, quod ius ad Decimas percipiendas spirituale quid est, quatenus est fundatum in spirituali ministerio, seu in potestate, & obligatione ministrandi spiritualia, ratione cuius ministerij temporalia dātur. Quod probatur optimè ex c.vlt. de rerum permut. vbi hac ratione dicitur, ius percipiendi Decimas non posse temporali pensione compensari, quia non potest spirituale pro temporali comparari. At fructus ipsi Decimales temporales sunt, vt constat.

Vulgaris distinctio.

Cap. Vlt.

2. Obiectio.

Dices. Etiam ius ad Decimas percipiendas potest esse temporale, vt siquis conducat beneficium, titulo conductionis habet ius ad Decimas, quod temporale est. Idem acquiri potest titulo venditionis, potest enim quis futuras Decimas huius anni vendere, & consequenter alteri ius conferre ad illas percipiendas, Laici etiā sæpe videntur habere hoc ius, & tunc necesse est, esse temporale. Respondeo, sermonē esse de Iure proprio & per se pertinente ad Decimā, vt talem, & iuxta institutionem suā, de hoc enim procedit ratio facta, & de illo loquūtur Iura, cum dicunt, beneficium dari propter officium, & ideò esse quid annexum rei spirituali: Conductor autem, aut emptor nō habet tale ius ad Decimam, nec illā respicit vt Decimam, nec vt stipēdium pro munere spirituali, sed solùm materialiter (vt sic dicam) vt est quidam temporalis fructus tanto pretio æstimabilis. Et similiter Laici habentes Decimarum concessionem aliquam non proprio Iure illas recipiunt, sed quasi vice aliorum, vt statim dicemus.

Soluitur.

3. Decimæ, vt tales non debentur Laicis.

Ex his ergo dicendum est primò, Decimas, vt tales sunt, & vt sunt Ecclesiastici fructus, per se non deberi Laicis, neque illis esse soluendas. Est certa, & communis sententia, quam D.Tho. & alij Theologi 22.q.87. ar.3. tenent. Idem D.Tho. Quodlib.2.art.8. ad argum. Alens.3.p.q.51.memb.6.art.1. Abul.q.178. in dicto c. 23. Matth. Glossa in communiter approbata in cap. *Quamuis* de Decimis, ver. *Concesserit*, & Glossa in c. *Causam quæ* de Præscr. & Doctores communiter Rebuff. latè dicto tract.q.10. ferè per totam. Couar. dicto cap. 17. à n.6. Gutier. dicto c.21. à n. 64. Et habetur sæpiùs in Iure, c. *Decimas* 16.q.7. vbi Greg.7. cum Concil. Lateran. Sic ait, *Decimas, quas in vsum pietatis concessas esse Canonica auctoritas demōstrat, à Laicis possideri auctoritate Apostolica prohibemus*, & infrà, *Decimas, & Primitias, quas iure sacerdotum esse sancimus*, &c. Notatur autem in editione Gregoriana, priora verba reperiri etiam in Concilio Romano sub Innoc.2.c.9. Et vtrumq; Concilium extare in Bibliotheca Vaticana, posteriora autem verba in neutro Concilio inueniri. Idem verò habetur in c. *Quamuis*, c. *Prohibemus*, c. *Ad hæc*, c. *Tua* 1. de Decim. & in c. *Causam* de Præscript. & generatim de oblationibus Ecclesiæ, idem tradit Damas. in c.vlt. 10.q.1. refertque idem fuisse in Niceno Concil. statutum: sic etiam intelligendum est, quod in c.vlt.16.qu. 7. dicitur vsum Decimarum, & oblationum secularibus prouenire non posse. Idem fere in c. *Peruenit*. 1.q. 3. & 16.q.7. Ratio vero clara est, quia Laici spiritualia ministrare non possunt, ergo non sunt capaces spiritualis Iuris, ergo proprium ius Decimarum nō potest illis conuenire, ergo Laicis non possunt per se, seu ratione illorum deberi Decimæ.

Greg.7. Concil. Later.

Concil. Rom.

C. *Quamuis.* C. *Prohibem⁹* Cap *Ad hæc.* Cap. *Tua.* C. *Causam.* *Damas.* *Concil. Nicæ.* Ca. *Peruenit.* Ratio assertionis.

4. Quā immutabilis sit hæc regula.

Atque hinc colligitur, hanc regulam non solum procedere de Iure communi, sed etiam simpliciter de Iure ita fundato in naturali ratione, supposita institutione diuina: vt per nullam præscriptionem, vel humanam concessionem immutari possit, si formaliter, ac propriè loquamur. Declaratur in primis ex ratione facta, quia ratio naturalis dictat, neminem esse capacē stipendij, qui non est capax ministerij, aut laboris, cui stipendium respondet, sed Laici Iure diuino sunt incapaces spiritualis ministerij, vt nunc supponitur, & est

& est per se constans in iure, ergo sunt incapaces Decimarum, vt sunt stipendium ministrorum Ecclesiæ, ergo nullo modo potest immutari ius prohibens ne Laici Decimas accipiant. Deinde per partes ostenditur. Et primo non posse Laicos Decimas præscribere apertè docet Alexand. 3. in cap. *Causam quæ*, de Præscription. ergo maximè id verum est de Decimis hoc modo, & quasi formaliter spectatis, quatenus ratione proprij, & intrinseci iuris debentur. Et ratio est, quia præscriptio supponit capacitatem tituli, & possessionis iustę, seu ciuilis, quia sine tali possessione non currit præscriptio, iuxta regulam iuris in 6. An verò possint Laici præscribere Decimas ipsas quasi materialiter, id est, fructus illos alio nomine, & ratione percipiendo, mox dicemus.

Alexand. Præscriptione nō mutatur hoc ius.

5. Neque etiā humana cōcessione variatur hoc ius.

Tandem hinc etiam facilè probatur, non posse hoc ius immutari per humanam concessionem, etiāsi Pontificia sit, quia non potest Pontifex Laicis concedere spiritualem titulum, quia non potest illis concedere spiritualia ministeria. Et hoc sanè clarum est in ministeriis, quæ essentialiter pendent à potestate ordinis, vt sunt oblatio sacrificij, & administratio Sacramentorum, & consequenter vsus spiritualis iurisdictionis in foro pœnitentiæ: De aliquo verò vsu spiritualis iurisdictionis in exteriori foro Ecclesiæ, & de aliquo spirituali ministerio, quod sine ordine aliquo potest exerceri, vel in publicis orationibus, vel in alio ministerio exteriori Ecclesiæ, potest esse nonnullum dubium, cur mediante tali ministerio non possit ius aliquod Decimarum Laicis concedi saltem à Pontifice, sed de hoc inferius dicam. Nunc breuiter dico, & si aliquid possit hoc titulo aliquibus concedi, qui propriè Clerici non sunt, nihilominùs non eis cocedi vt Laici sunt, sed vt aliquo modo fiunt Ecclesiasticę personæ, vt postea declarabo.

D. Thom. Gloss. Abbas. Rebuff. Tiraquel.

6. Laicos posse licitè percipere fructus Decim.

Secundo ergo dicendum est, non repugnare, quin Laicę personę licitè interdum percipiant fructus Decimarum, non proprio titulo, sed vel nomine Clericorum, ad quos pertinent, vel per iustam dispensationem, & applicationem Prælatorum Ecclesiæ. Sensus assertionis non solum est de perceptione Decimarum quasi materiali, vel ministeriali, vt sic dicam, qualis est in famulo, vel Oeconomo, qui colligit fructus, non sibi, sed Domino, in cuius possessionem, & dominium statim transeunt, nam hoc non est propriè percipere Decimas, neque hoc poterat in quæstionem venire, cum constet, posse Clericos per ministerium Laicorum reditus suos colligere, ac percipere. Sensus ergo est de propria perceptione quasi formali, qua quis fructus colligit, vt in suam possessionem, & dominium illos transferat. Et in hoc sensu assertio est communis D. Thom. & aliorum, quos supra retuli, Glossæ receptæ, in cap. *Quamuis*, de Decim. Abb. ibi, & dicto cap. *Ad hæc*, & dicto cap. *Causam*. Rebuffi dicta q. 10. à n. 33. Tiraquel. de Retr. tit. 1. §. 1. Glossæ num. 51. Estque conclusio per se clara, quia Decimæ hoc modo spectatæ res temporales sunt, idcóque in potestatem iustè venire possunt, dummodo ratio accipiendi illas, & ab his manet, quibus ius Decimarum, & primarius vsus earum competit, & iustam aliquam causam habeat Laicis accommodatam. Hoc autem modo illam accipiunt, quando & nomine Clericorum, ad quos pertinent, & ex aliqua iusta causa illas recipiunt. Atque ita probatur etiam assertio ex iure in cap. 2. de locato. Dico autem, hoc posse concedi per iustum contractum, & iure non prohibitum, quia interueniente Ecclesiæ prohibitione, iam Laicus non perciperet Decimas ex Ecclesiæ consensu, & approbatione, vnde nec nomine Ecclesiæ, nec iusta aliqua ratione, aut titulo eas posset exigere.

Cap. 1.

7. Statim verò occurrit inquirendum, quibus modis A possint Laici accipere hanc facultatem percipiendi fructus Decimarum licitè, & validè, saltem nomine Clericorum, à quibus talem facultatem accipiunt. In quo in primis considerandum est, aliud esse accipere fructus, seu reditus Decimarū iam perceptos ab ipsis Ecclesiasticis personis, ad quas pertinent, aliud verò esse, accipere facultatem durabilem, ac diuturnam exigendi Decimas ex concessione habentium spiritualem potestatem, atque adeò nomine illorum. De priori modo hic nō tractamus, quia re vera tunc non soluitur Decima Laico (de quo tātùm hic agimus) sed postquam Sacerdoti soluta est à Laico, ipse Sacerdos illam iterum dispensat in Laicos, & tūc Sacerdos est, qui propriè vtitur suis reditibus, eos dispensando, vel B donando Laico; postquam autem in dominium Laici transeunt, iam non habent rationem bonorum Ecclesiasticorum, sed merè temporales sunt, & liberè illos potest expendere.

Quibus modis Laici accipiant hoc ius.

Regula autem discernendi, quando talis acceptio fructuum Ecclesiasticorum, etiam de manu Clerici licita sit, vel illicita Laico, sumenda est ex parte Clerici, nam si Clericus bene dispensat, Laicus licitè recipit, si autem Sacerdos dat, quando non potest, alter iniquè accipit, quia saltem cooperatur iniquæ actioni, ac distributioni. Non tamen semper eodem modo, nam Clericus si dispenset eam partem Decimarum, quarum non est Dominus, sed solum fidelis dispensator, & in donationem excedit suam commissionem, & Decimas donet eis, qui non sunt capaces eorum iuxta titulum, & rationem dispēsationis Clerico commissæ, tunc sicut dans dat contra iustitiam, ita & recipiens, nec potest acceptas Decimas tuta cōscientia retinere, sed tenetur eas Ecclesiæ restituere. Si vero Clericus donet Decimas, quarum est Dominus, peccet autem in modo contra Charitatem, vel aliam Ecclesiæ prohibitionem non irritantem donationem, tūc peccabit quidem accipiens propter cooperationem: nihilominùs tamen factum tenebit, & postea retinere poterit, quæ accepit, & illis licitè vti, quia effectus est Dominus. Quando autem Clerici habentes reditus Ecclesiasticos peccent vno, vel alio modo, vel nullo modo in expendendis Decimis, dicemus, Deo dante, tractando de Clericis, & beneficiis, quia non pertinet ad præsentem materiam.

8. Regula discernendi an iusta sit acceptio Decimarum.

Agimus ergo in præsenti de alio modo facultatis, quæ interdum conceditur Laico ad accipiendas, & exigendas Decimas vice, & nomine Clericorum: & hæc etiam interdum concedi potest ex vi particularis iuris, quod Clericus, vel aliqua Ecclesia habet ad tales Decimas, interdum verò ex vniuersali aliqua potestate gubernandi, & dispensandi Ecclesiastica bona. Priori modo vnusquisque Clericus habens Ecclesiasticum beneficium, ratione cuius Decimas habet, potest sua auctoritate, & voluntate, eas locare ad breue tempus, & pro illo dare conductori facultatem ad exigendas illas, iuxta cap. 2. de locato. Et eadem ratio est de quolibet alio iusto contractu, vt satis indicatur in Clem. 1. de Reb. Eccles. non alien. in fine, vt autem contractus sit iustus, necesse est in primis, vt iure Canonico non sit prohibitus, vt in dicta Clem. & cap. *Nulli* de Reb. Eccles. non alien. Vbi constat maximè necessarium esse, vt contractus in alienationem iuriū Ecclesiæ, seu bonorum immobilium non trāseat, hæc enim maximè prohibita est. Reputatur autem alienatio, quando est locatio perpetua, seu ad longum tempus, vt notant Gloss. & Doctores in dict. cap. 2. de locat. qui tempus illud dicunt esse decennium, nam infra illud ex iure communi tempus reputatus breue, vt de Septennio habetur in cap. vlt. Ne prælati vices suas, & notat Gloss. in dicta Clem. 1. At verò Pius II. in Extrauag. *Ambitiosè*, de Reb. Eccles. non alien. Hoc

9. Alius modus, quo Laici Decimas percipiunt.

Cap. 2.

Clement. Cap. Nulli.

Cap. Vlt. Gloss. Pius II.

tempus contraxit ad triennium, & irritauit omnem A locationem, aut venditionē longioris temporis. Quæ constitutio seruanda est, vbi non fuerit contraria cōsuetudine derogata. Vnde à fortiori fit, etiam concessionem ad vitam esse prohibitam auctoritate priuata, vel etiam Episcopi, vt notauit Abb. in cap. *Quamuis* de Decim. Quia concessio ad vitam non potest breuis temporis existimari, quod etiam de Iure communi ille affirmat, & videtur verum. Oportet autem considerare, hanc prohibitionem non esse tantum in ordine ad Laicos, sed etiam ad Clericos, quia etiam inter Ecclesias, monasteria, vel Episcopos non licent hæ alienationes, & ideò nihil habent peculiare, quod ad præsens pertineat.

Abbas.

10. Decimas pro stipendio conferri Laico posse.

Alio etiam modo possunt Decimæ conferri Laico B per modum temporalia stipendij: sic enim potest Laicus accipere ab Ecclesia particulari, vel ab Episcopo portionem aliquam in fructibus Decimarum, pro obsequio exhibere Ecclesiæ, vel ius cultu publico, vel in docēda grammatica, vel in alio simili obsequio, quod per Laicos exerceri potest, & tunc Laicus non suo iure spirituali, sed Ecclesiæ, vel Episcopi auctoritate recipit fructus illos, tanquam mercedem pro temporali obsequio. De quo etiam modo percipiendi Decimas, nulla est difficultas, quin licitus esse possit, quia in eo non conceduntur Decimæ Laicis, vt aliquā spiritualitatem habent, sed vt sunt quid merè temporale, & iusto titulo, & ab habente potestatē, vt supponi- C tur, largiuntur. Vnde tunc etiam vsus Decimarum non à Laico, sed à Clerico, vel Ecclesia exercetur, & per illum vsum fit, vt pars illa Decimarum ad temporalem (vt sic dicam) statum trāsferatur ex iusta causa, vt sit iustum pretium corporalis laboris, vel obsequij pretio æstimabilis. Et in hoc genere concessionis nulla videtur facta in iure temporis limitatio, sed potest ad decennium, & ad vitam alicuius fieri: in hoc enim contractu Ecclesiæ, vel Ecclesiastica persona non locat bona Ecclesiæ, sed conducit potius alterius operas, quas potest ad longum tempus conducere, quod illi prohibitum non est, imò in vsu ita seruatur.

11. Alius modus conferēdi Decimas Laicis per donationes.

Ad alium modum concedendi Decimas Laicis per superiorem, & vniuersalem potestatem dispensandi D Ecclesiastica bona spectant maximè liberales donationes Decimarum, quæ interdum fieri solent Laicis per legitimam potestatem. Sic enim Reges, & Principes seculares solent interdum percipere tertiam, vel quartam partem Decimarum, vel certa quædam subsidia, aut alia genera contributionum ex Ecclesiasticis Decimis. Hoc autem posse esse licitum praxis Ecclesiæ ostendit, nec enim verisimile est, tam frequentem consuetudinem inter Catholicos Principes, consentientibus Pontificibus, honestari non posse. Nec etiá ostendi potest in illo vsu Decimarum intrinseca malitia, vt licitus esse non valeat. Multa verò concurrere necessarium est, vt sanctè fiat. Primum enim certum est, id non posse fieri propria auctoritate, & potestate E ipsorum Principum secularium, siue enim illi vsurpare tentent hoc ius, siue aliis concedere, iniustè faciūt, & res Ecclesiæ rapiunt, vnde neque ipsi, neque illi, quibus eas concedunt, reti ,ere illas possunt, & varias censuras incurrere, vt constat ex omnibus titulis de Reb. Eccles. non alien. & ex cap. *Prohibemus*, & capit. *Tua*, 1. de Decim. Et in Bulla Cœnæ clausula 17.

Cap. *Prohibemus.* Cap. *Tua.* *Bulla Cœna.*

12. Hæ concessiones à Pōtifice fieri.

Oportet ergo, vt talis concessio per Ecclesiasticam potestatem fiat. Quam potestatem sine controuersia habet summus Pontifex: nam in omni genere gubernationis, & administrationis Ecclesiasticæ habet supremam potestatem. Item quia hæc potestas moraliter necessaria est ad bonum Ecclesiæ vniuersale, & commune, ergo non deest ipsi Ecclesiæ, ergo maximè est in Pontifice, nam per illum omnis similis potestas ad Ecclesiam manat, vt alibi ostensum est. Denique ex vsu ipso id cōstat, sæpè enim Pontifices, cum Regibus Hispaniæ, & Galliæ hac gratia vsi sunt, vt videre licet in Couar. lib. Pract. q. c. 35. Rebuff. q. 10. de Decim. An verò Episcopi inferiores hanc potestatem participēt, infra dicemus. Deniq; necessariū est, vt talis cōcessio ex legitima causa fiat, qualis interdum sumitur ex magnis obsequiis, ac beneficiis ab aliquo Rege, aut Principe in Ecclesiam collatis, præsertim quando facta sunt cum magnis expensis, ac laboribus, nam huiusmodi gratitudo, & remuneratio ad vniuersale bonum Ecclesię necessaria est, vt constat, & indicauit D. Tho. dicto Quodlib. 2. art. 8. ad arg. Aliquando verò hæc concessio fit per modum subsidij propter imminentes necessitates ad resistendum infidelibus, vel hæreticis, & aliis Ecclesiæ hostibus. Sæpè verò conceduntur Decimæ in feudum cum aliqua recognitione, & obligatione alicuius obsequij, vel adiutorij in certis occasionibus, vel necessitatibus, in quo etiam habetur ratio gratitudinis, & defensionis Ecclesiæ, simúlque id pertinet ad quendam splendorem, & auctoritatem Ecclesiæ, vt Prælati eius in maiori veneratione, ac honore, etiam à temporalibus Principibus habeantur. An verò talis concessio possit esse perpetua, cap. seq. dicemus.

Couar. Rebuff.

D. Thom.

CAPVT XXVI.

An Decimæ possint dari Laicis in feudum auctoritate inferiorum Episcoporum.

1. QVoniam certum est auctoritate Pontificis hoc fieri posse, vt ex supra dictis constat, & obiter hîc dicetur, solum de cæteris Episcopis mouetur quæstio: In qua duo solent distingui tempora, vnum est ante Conc. Later. sub Alexan. 3. anno 1179. Aliud ab ipso Concilio. Ego verò (vt infrà dicam) potius distinguenda puto hæc tempora à tempore Vrbani II. qui per 84. annos ante illud Concil. Later. præcessit. Item distinguitur de concessione vel in perpetuum feudum, vel ad tempus, aut ad vitam. Primò ergo de concessione temporali, seu vitalitia, communis sententia est fieri posse ab Episcopo ex iusta causa, vt propter magnum obsequium Ecclesię præstitum, eam à Tyranno defendendo, vel propter aliud simile. Ita tenet Gloss. in cap. *Quamuis*, de Decim. Quam refert communiter probatam esse dicens Couar. dicto cap. 17. num. 5. Illa verò Glossa dicit quidem posse hanc concessionem fieri Laico ad vitam, non tamen dicit Episcopum habere hanc potestatem, sed indifferenter loquitur: Vnde Abb. eam intelligit etiam de locatione, quæ propria, & priuata auctoritate fieri potest, ipse verò addit sine Episcopi auctoritate fieri non posse locationem ad vitam. Vnde extendendo sermonem ad concessionem remuneratiuam, vel feudalem, sentit ipse posse fieri auctoritate Episcopi, quod etiam significat in dicto cap. *Ad hæc*, refert etiā Couar. Cardin. & Bald. in eam sententiam, quam ipse etiam sequitur: Non tamen affert illius fundamentum, videtur autem posse probari ex decreto Vrbani II. quod refertur in Rubrica, *Episcopum, vel Abbatem*, in vsibus feudorum, de quo plura inferius. Et ratio reddi potest, quia hoc non inuenitur Episcopo prohibitum, ergo intelligitur concessum per ordinariam eius potestatem, cum ad bonum, & ordinarium regimen pertinere possit. Item ex his, quæ de feudis perpetuis statim dicemus, hoc potest colligi per argumentum à contrario, quia in feudis perpetuis facta est specialis prohibitio, ergo signum est, temporalia non esse ita prohibita, quin ab Episcopi dari possint,

Cap. *Abbas.* *Couar.* *Cardin.* *Bald.* *Vrban. II.*

possint, vnde hæc assertio communis in sequentibus magis expenditur, & explicabitur.

2. Potuisse Episcopũ olim fructus Decimarũ in feudũ perpetuũ dare Laicis.

Secundò supponunt omnes, olim potuisse Episcopos fructus Decimarum in feudum etiam perpetuum dare Laicis ex iusta causa, & multi existimant illud ius durasse vsque ad Concil. Lateran. sub Alexand. III. fortasse tamen solum durauit vsque ad Vrbanum. II. Vnde etiam attendendum est, similes concessiones antea factas, nunc posse retineri tuta conscientia. Ita colligitur ex Auctoribus statim citandis. Ratio prioris partis illa esse videtur, quæ facta est, quia ante illud tempus non erat talis prohibitio facta, ergo intelligebatur potestas concessa, quia Episcopus in suo Episcopatu potest, quicquid potest Pontifex in Ecclesia, nisi prohibeatur. Quæ regula maximè verum habet in his, quæ ordinariè fieri contingunt absq; dispensatione aliqua in Iure communi, sed ex generali, (vt ita dicam) & communi Prælatorum prouidentia, huiusmodi autem sunt istæ concessiones seu infeudationes etiam perpetuæ, vt Doctores supponunt: præsertimque videri potest Felin. in c. *Quæ in Ecclesiarum* de Const. n. 69. §. *Quinta declaratio.* Maximè verò Cõfirmatur ex dicto decreto Vrbani II. Ex quo etiam apertè probatur posterior pars, nam de feudis antea factis ibi dicitur, *In suo robore permansisse.* Quia nimirum decretum illud non reuocauit concessionem, aut infeudationes antea licitè factas, sed solùm prohibuit in futurum, ergo prius factæ validæ permanserunt, ergò tuta conscientia retinentur à Laicis æquè, ac antea. Quod ex dicendis amplius declarabitur, & confirmabitur.

Felin. *Vrban. 2.*

3. A quo tempore concessio feudi perpetui irrita fit sine sum. Põtificis auctoritate. *Couar.* *Aragon.* *Rebuff.*

Tertiò dicendum est, post illud tempus omnes concessiones Laicis factas in feudum perpetuum Decimarum sine Pontificia auctoritate illicitas esse, imò & irritas, & inanes. In hoc omnes Doctores conueniunt, multi tamen existimant, hanc prohibitionem incœpisse à tempore Concil. Later. sub Alex. 3. Quod maximè tradit Couar. dicto num. 5. quem Aragon. sequitur 22. quæst. 87. artic. 3. Ego verò cum Rebuffo, & aliis antiquiorem esse existimo prohibitionem, imò nullam inueniri specialiter ab Alexan. 3. factam. Quod ostendam, exponendo decreta, quæ in hac materia afferuntur. Primum est ca. *Prohibemus*, de Decimis ex dicto Concilio parte 1. cap. 14. in fine, vbi sic habetur. *Prohibemus, ne Laici Decimas cum animarum suarum periculo detinentes, in alios Laicos possint aliquo modo transferre, si quis verò acceperit, & Ecclesiæ non reddiderit, Christiana sepultura priuetur.* Quem textum latè expendit Rebuffus dicta quæst. 10. à num. 11. Tamen si attentè verba pensentur, intelligetur, illam prohibitionem non esse vniuersalem simpliciter, nec directè fieri Episcopis, ne Decimas in feudum concedere possint eo modo, quo antea poterant, quia nulla mentio Episcoporum ibi fit, sed prohibitio directè dirigitur ad Laicos, & nõ ad omnes indiscriminatim, sed specialiter ad illicitè Decimas detinentes, nimirum, (vt Rebuffus significat) quia illas de manu Principum secularium, præsertim cuiusdam Regis Franciæ, & non de manu Prælatorum Ecclesiæ illas acceperant, vel certè generalius, quia ab illis acceperunt, qui dare non poterant (vt infra dicam) illi enim, qui Decimas sic receperant, eas retinere non poterãt, & in malo statu erant, eas occupando, iuxta cap. 2. de Reb. Eccles. non alien. Vnde etiam sine prohibitione noua Conc. Later. eas non poterant trãsferre in alios, sed tenebantur statim eas Ecclesiæ restituere. Tamen ex iustis causis, & fortasse ad vitanda scandala noluit Concilium eos ad hoc cogere per Ecclesiasticam personam, sed solùm prohibere, ne illas in alios transferrent, vt saltem per mortem eorum ad Ecclesiam rediirent. Nec tamen propterea eis concessit, vt licitè in vita retinerent, quæ malè acceperant, sed in hoc permissiuè se habuit, vt bene notat Rebuff. num. 22. Et hic videtur proprius sensus illius textus. Ex quo nulla specialis prohibitio colligitur ab illo Concilio facta Episcopis, ne Decimas dare possint in feudum perpetuum, vnde si antea hæc licebant, nihil circa illa videtur innouasse Concilium, & consequenter nec prohibuisse, quin in posterum Episcoporum etiam auctoritate similia fieri possint, alibi ergo quærenda est prohibitio.

Cap. Prohibemus. *Concil. Lat.* *Cap. Prohibemus.* *Cap. Quauis.*

4. Ab Vrbano 2. hæc prohibitio fuit facta.

Addo præterea in illo cap. non explicari, quinam sint Laici, qui *Decimas detinent in animarum suarum periculum:* ideóque non oportere coarctari ad eos, qui de manu Principum secularium illas receperant, sed intelligi posse etiam de multis, qui de manu Episcoporum illas acceperant. Nam ante illud Concilium inuenimus, id fuisse prohibitum ab Vrbano II. & Alexand. 3. non legimus specialem circa hoc prohibitionem addidisse. Primum patet ex dicto decreto Vrbani II. relato in dicta lege de vsibus feudorum sub Rubricis *Episcopum vel Abbatem*, vbi sic dicitur: *Item, si Episcopus, vel Abbas, vel Abbatissa, vel Dominus plebis feudum dederit de rebus Ecclesiarum, quæ eis subiectæ sunt, & tituli vocantur, nullum habere vigorem, secundum hoc, quod constitutum est à Papa Vrbano in sancta synodo, hoc est illud, quod post eius decretum fuerit datum, quod autem ante datum fuerit, firmiter permanere debet.* Fuit autem illud decretum editum ab Vrbano in Concilio Turonico anno 1096. vt ex Archidiac. & Henric. refert Rebuffus dicta qu. 10. num. 23. Qui inde concludit, prohibitionem illam factam esse Episcopis ante Alexand. 3.

Alexand. 3. *Rebuff.* *Gloss.* *Cap. Ad hæc.* *Cap. Cum Apostolica.* *Vrban. 2.* *Archid.* *Henric.*

Est autem in allegatis verbis aduertendum in primis, absolutum esse sermonem de feudis sine limitatione ad perpetua, nihilominùs de illis solis communiter intelligi, fortasse quia illa tantùm videntur esse simpliciter, & absolutè talia, & lex illa, quæ rigorem continet, est restringenda. Deinde aduerto, ibi non esse tantùm sermonem de feudis Laicis concedendis, sed simpliciter de feudis, & ideò in rigore omnia videri comprehendi, nisi aliunde de limitatione constet. Semper tamen verum est, illam prohibitionem maximè propter Laicos factam esse, & in eis speciali ratione iustam fuisse. In Concilio autem Lateranens. sub Alexand. 3. videtur hæc prohibitio supponi potius, quam de nouo fieri, vt in dicto capit. *Prohibemus*, explicatum est. Idémque colligi potest ex cap. *Quamuis*, de Decim. Quod etiam ex Alexand. 3. refertur, quod in dicto Concilio non inuenitur, sed ante illud fuisse ab Alexand. editum, Rebuffus suprà insinuat. In illo ergo textu grauiter conqueritur Alexand. quod, cum Laicis non liceat Decimas Ecclesiarum tenere, nonnulli prælati Ecclesiarum eas illis indulgent, & ideò suspensionis pœna imponitur ei, *qui alicui Laico in seculo remanenti Ecclesiam, Decimam, oblationémque concesserit,* quod de Decimis quoad feudum perpetuum ibi Glossa exponit iuxta dicta, & colligitur etiam ex cap. *Ad hæc*, eod. tit. vbi dicitur, non licere Laicis ita Decimas possidere, vt iure hæreditario ad hæredes illas transmittant, & capit. *Cum Apostolica*, de iis, quæ fiunt à Prælat. &c. in fine de feudo perpetuo expressè loquitur. Vnde per argumentum à contrario Glossa, & Doctores colligunt, concessionem Decimarum non perpetuam, nec ad posteros transfundendam, non esse illo iure prohibitam; habetur autem illud ius in dicto Concilio Lateranens. sub Alexand. 3. part. 50. capit. 39. Ex his ergo satis constat assertio posita, siue illa prohibitio incœperit à Concilio Lateranens. siue à Concilio Turon. sub Vrbano II. quod videtur probabilius.

5.

6. In quo fundetur hæc prohibitio.

Atque hinc intelligitur, hanc prohibitionem non esse in eo fundandam, quod ius Decimarum spirituale est, & non potest Laicis concedi, vt nonnulli Doctores significant; nam hoc modo non à tempore illorum Conciliorum, sed semper fuit prohibitum Laicis Decimas dare, etiam ad tempus, imò etiam ab ipso Pontifice non fit, saltem ordinario Iure. Fundatur ergo in positiua prohibitione Ecclesiæ, quæ necessaria fuit propter abusum, & prodigalitatem Prælatorum in concedendis Decimis Laicis Iure perpetuo. Et hinc etiam constat, concessiones factas ante hanc prohibitionem firmas permansisse, & vsque in hodiernum diem permanere. An verò illarum tempus computandum sit à tempore Alexan. 3. vel Vrbani II.

Couar. potest esse controuersia: Nam Couar. suprà pro indubitato habet, esse computandum à tempore Alex. & Concil. Lateranens. Ex dictis autem videtur sequi, numerandum esse à tempore Vrbani II. quia in

Rubr. Ioan. Andr. Hostiens. dicta Rubr. de Vsibus feudorum ita refertur, & decidit, & illa habet auctoritatem, teste Ioan. Andr. & aliis ibi, & ita tenet Hostiens. in Summa. Quod si hoc verum est, sequitur, concessiones factas ante Concilium Lateranense, & post Turonicum, non esse nunc firmas. Cuius contrarium videtur supponi

Cap. 2. in cap. 2. §. *Sanè*, de Decim. in 6. Nam ibi declaratur, concessiones Decimarum factas ante Concilium Later. posse ab eisdem Laicis Ecclesiæ, vel alicui religioni tribui de licentia Episcopi, vnde supponitur ibi licitè nunc detineri à Laicis. Ita ergo illa declaratio facta in illo titulo de vsibus feudorum, videtur ampliata, & extensa vsque ad tempus Concilij Lateranensis, siue hoc factum fuerit consuetudine, & quasi præscriptione, siue expressa eiusdem Concilij declaratione, quamuis ego hactenus illam non inuenerim. Siue (vt Syluester ait) quia piè creditur, tempore Vrbani omnes, qui iniustè Decimas tenebant, illas restituisse Ecclesiæ, & ideò præsumitur, omnes Decimarum concessiones, quas Laici antea habuerunt, & vsque ad Concil. Lateran. ab eis retentæ fuerunt, licitas fuisse.

7. Vtrum Laici perpetui feudi Decimas trãsferre in alios possunt.

Solet autem vlterius dubitari, an isti Laici, qui ab antiquo licitè retinent Decimas in feudum perpetuum, possint iustè in alios trãsferre illas, siue in Laicos, siue in Ecclesiasticos. Et quoad Laicos quidẽ multi simpliciter negãt, posse alteri Laico donare, aut trãsmittere huiusmodi feudum etiam ex consensu Episcopi. Ita Abbas in c. *Prohibemus*, de Decimis, & dicit esse communem sententiam Doctorum, quam tenet etiam Hostiens. in dicto cap. *Cum Apostolica*, Archidiac. in cap. 2. de Decimis in 6. Rebuffus dicta quæstione 10. à num. 26. Alij verò affirmant, id fieri posse saltem Episcopi consensu. Ita tenet Glossa in dicto cap. *Prohibemus*, quam sequitur Cardin. ibi, & Syluest. nu. 16. cum Raymund. summa Confess. & summa Pisan. Et idem tenet Ioannes Andr. in cap. 1. de præscriptione in 6. Et hanc opinionem prequalere in consuetudine, ait Felin. (referens alios) in c. *Quæ in Ecclesiarum*, de Const. num. 69. Et in cap. *Causam*, de Præscriptione num. 4. & Couar. dicto num. 5. §. *Præter hæc.* Breuiter dico, aliter esse loquendum de Decimis iustè detentis à Laico, aliter de iustè possessis per feudum licitum, & iustum, id est, vel antiquius Concilio Lateranensi, vel à Papa concessum. In priori enim casu certum est, non posse illas Decimas transferri in alium Laicum, etiam auctoritate, & consensu Episcopi. Et in hoc conueniunt omnes citati Doctores. Et probatur apertè ex cap. *Cum Apostolica*, & ex dictis cap. *Prohibemus*, & ex ca. *Ad hæc*, de Decimis, quæ maximè in hoc casu loquuntur, vt ex verbis planè cõstat, maximè in c. *Ad hæc*, & c. *Cum Apostolica*, infra ponderebimus, in ca. autem *Prohibemus*, considerandum est

Felin. Couar. Resolutio quæstionis. Gloss. Cardin. Syluest. Raym. Ioan. And. Hostiens. Archid. Rebuff. Abbas. Cap. Cum Apostolica. Cap. Prohibemus. Cap. Ad hæc.

A verbũ illud, *Nullo modo transmittant*, nam excludit etiã hæreditariam successionem, quæ tamen in feudo iusto, & legitimo excludi non potest, vt infra videbimus. Habet ergo locum casus hic vel in Decimis antiquioribus Concil. Latera. quæ à Laicis, & non à Prælatis Ecclesiæ receptæ fuerunt, vel in his quæ post illud Concilium sine auctoritate Papæ receptæ fuerũt. At verò in posteriori casu supponimus, feudum illud perpetuum transferri posse ad successores legitimos iuxta feudi institutionem, quia feudum priùs constitutum firmum manet, & eiusdem qualitatis, cuius antea erat, sicut ergo erat perpetuum, ita perseuerat. Non est autem perpetuum, nisi ratione successionis, saltem filiorum in ius parentum, ergo semper est locus huic successioni.

8. Quid faciẽdum cum extinguitur linea.

B Difficultas verò est, quando extinguitur linea, & tunc etiam duo tempora distingui possunt: vnum, in quo feudum adhuc durat, quia vltimus possessor viuit, aliud, in quo iam defunctus est vltimus possessor, & feudum vacauit: In priori quidem tempore, & casu ego non dubito, quin possit fieri translatio feudi in alium de consensu Episcopi. In quo secundam sententiam sequimur, quia cum transfertur feudum adhuc in suo esse permanens, re vera non erigitur de nouo, ergo ex vi verborum non comprehenditur hæc translatio sub prohibitione Vrbani, & Concilij Lateranensis, ergo fieri nunc potest, sicut antea poterat, ergo consentiente Episcopo, feudatarius

C potest illud transferre in alium etiam Laicum. Et confirmatur, quia illa bona non sunt tunc sub dominio vtili Ecclesiæ, sed solùm sub directo, ergo per translationem illam non magis alienantur ab Ecclesia, quam antea essent, ergo quantùm ad hoc non cadunt sub prohibitione non alienandi, ergo nec etiam cadunt sub prohibitione non dandi illa in feudum. Et hoc à fortiori ex sequenti puncto patebit. Hinc verò colligitur, quod in altero casu, & tempore, quo feudum iam vacauit, mortuo vltimo feudatario sine successoribus, non possit Episcopus Decimas illas in feudum dare, quia iam priùs feudum extinctum fuit, oportet ergo, vt omnino de nouo detur, ergo talis concessio comprehenditur sub prohibitione facta Episcopis per Vrbanum II. Et Alexandrum III. In illo etiam casu Decimæ illæ fuerunt ipso facto per mortem vltimi feudatarij incorporatæ Ecclesiæ, ergo statim recuperat Ecclesia dominium vtile illius, ergo illa dare in feudum alteri Laico esset, illa alienare, quod Episcopo non licet. In hoc ergo casu est satis probabilis prior sententia.

9. Contraria sententia probabilior. Cap. 2.

Nihilominùs tamen etiam in illo videtur contraria probari fortiter ex cap. 2. *De feudis*, vbi interrogatus Innocentius III. an Episcopus, qui iurat, non infeudare bona Ecclesiæ, possit sine transgressione iuramenti, dare feudum alteri, quando contingit, vasallum decedere sine successore: respondet Pontifex, liberè posse id facere: declarans subinde sub iuramento non infeudandi de nouo, non comprehendi bona iam data in feudum, etiamsi per mortem vasalli ad Ecclesiam redeant, & ita omnes Doctores ibi fatentur. Eadem ergo ratione in præsenti sub prohibitione facta Episcopo non infeudandi in perpetuum, non comprehenduntur bona iam antea infeudata, etiamsi vacauerit antiquius feudum. Ratio verò est, quia illa bona non censentur esse simpliciter de mẽsa Episcopi, vel Ecclesiæ, vt notant latè Panormit. & alij in cap. *Vt super*, de Reb. Eccles. non alien. Glossa in Clement. vnic. de Excess. prælat. ver. *Ad mensam*, quia non sunt sub eius dominio vtili, & ideò ad illa non extenditur prohibitio. Item quia difficiliùs est de bonis omnino propriis, iámque incorporatis aliquid abscindere, & de nouo infeudare, quàm non

Panorm. Gloss.

admit

admittere, vel incorporare, quod separatum iam erat. Vnde consequenter dicendum est, illa Decimas prius infeudatas non incorporari Ecclesiæ quoad dominium vtile ipso facto, per mortem vasalli, sed necessariam esse acceptationē Episcopi: vnde prius, quàm illam det, potest infeudare alteri. Si autem illas semel incorporauit, iam non poterit iuxta doctrinam Abbatis in dicto cap. *Vt super.* Atque hoc modo hæc sententia videtur probabilior. Solum occurrit addendum, quòd licet hæc sint vera quoad prohibitionem Concilij, & loquendo in rigore potestatis necessariæ, vt factū teneat: nihilominùs, vt licitè fiat tale feudi renouatio, necessariam esse iustam causam, vt ita vtilitati Ecclesiæ consulatur, vel alia ratio gratitudinis, vel boni communis intercedat. Quia hæc ex natura rei est necessaria, & parum interest quoad hoc, vt feudum sit omninò nouum, vel instauratum, aut quasi continuatum per nouam concessionem.

Abbas.

10. An Laicus possit feudi Decimas cui cumque Ecclesiæ dare. Cap. *cum Apostolica.* Cap. *Cum & plantare.*

Atque ex his facilè responderi potest ad alteram partem initio propositam, an possit Laicus in eo casu dare illas Decimas, cui voluerit Ecclesiæ, de consensu Episcopi. In quo sententia communis affirmat, quæ videtur expressè probari in cap. *Cum Apostolica*, de iis, quæ fiunt à Prælat. & in cap. *Cum & plantare*, de Priuileg. sed in hoc puncto etiam considerandum est, an Laicus verè, & iustè habeat tales Decimas in feudum, vel solum iniustè detineat, quia non recepit illas ab habente dandi potestatem. In priori casu est indubitata dicta resolutio, & vel formaliter, vel à fortiori probatur ex citatis iuribus, vt videbimus.

Gloss.

Imò addo ex Glossa in cap. 2. *§. Sanè*, de Decim. in 6. Quando Laicus habens feudum alicuius Ecclesiæ, vult eidemmet Ecclesiæ, cuius est vasallus, restituere Decimas, quas in feudum habet, tunc neque consensum Episcopi esse necessarium, quia ibi nihil subtrahitur vlli Ecclesiæ, sed acquiritur: Tunc ergo consensus Episcopi necessarius est, quando Laicus possidens Decimas non vult illas reunire Ecclesiæ, cuius antea erant, sed alteri, quia tunc fit quædam alienatio ab vna Ecclesia in aliam, ideo meritò prælati consensus postulatur in dictis c. & in dict. §. *Sanè*. At verò quando feudatarius non est verus, & iustus possessor, sed intrusus, ac iniustus detentor Decimarum, & non vult illas illi Ecclesiæ restituere, cuius erant; sed alteri, difficultas est, an possit fieri de consensu Episcopi. Et videtur profectò non posse: Nam ille iniuriam facit priori Ecclesiæ, ergo etiamsi consentiat Episcopus, non potest iustificari: Et consequenter neque factum valebit, quia non potest Episcopus Ecclesias priuare suis Decimis, illæ autem Decimæ re vera sunt illius Ecclesiæ, etiamsi ab alio iniustè detineantur, & hoc videtur sentire Glossa vlt. in dicto c. *Cum Apostolica*, & Panorm. & alij ibi: & idem sumitur ex Panorm. in cap. *Prohibemus*, de Decimis.

Gloss. vlt. Panor.

11. Opposita pars probatur.

Contrarium autem videtur probari ex dicto cap. *Cum Apostolica*: Nam quæstio proposita erat de Decimis detentis à Laicis: dicuntur autem detineri, quæ non possidentur iustè, sed per vim detinentur: nam detinere ad factum refertur, possidere ad ius, vt in dicto c. *Prohibemus* ponderauit Rebuff. dicta q. 10. n. 14. Eò vel maximè quòd Hieronymus citatus in eodem capit. *Cum Apostolica*, expressè dicit, *Si fuerint à Laicis malè detentæ*, & nihilominùs ait, sufficere consensum Episcopi, cuius sententiam in hoc Pontifex sequitur: Præterea videtur clarè hoc colligi ex illis verbis, *Monendus est Laicus, qui Decimam detinet, vt eam restituat Ecclesiæ, ad quam spectat*, ergo loquitur de eo, qui iniustè detinet, & restituere tenetur, vt ibi quoque Glossa sentit. Ac tamen de illo subditur, vt si induci non possit, vt illi Ecclesiæ restituat, & alteri det de consensu Episcopi, donatio valeat. Item Pontifex ibi videtur intendere, vt in eo casu sufficiat consensus Episcopi in ordine ad locum Religiosum, in quo non sufficeret respectu alterius Laici, vt patet ex illa ratione, *Cum per vtrumque vtilitati Ecclesiæ consulatur*, sed quādo Laicus iustè possidet, potest in alium Laicum transferre ius suum de consensu Episcopi, vt supra visum est, ergo vt aliquid speciale ibi concedatur de locis Religiosis, oportet dicere, quod, licet restitutio fiat de iniustè detentis, applicatio fieri potest de consensu Epiſcopi.

Rebuff. Hieron.

12. Secunda sententia probabilior iudicatur.

His verò non obstantibus, Panorm. & alij conantur omnia verba illius textus, imò & capituli *Prohibemus*, accommodare ad iustam possessionem Decimarum in verum, & validum feudum. Et vltimum argumentum à nobis factum retorquent, inde colligentes, non posse Laicum transferre in Laicum etiam ex cōsensu Episcopi Decimas, quas legitimè possidet in verum feudum perpetuum. Sed profectò magnam vim inferunt verbis Decretorum, & quoad hoc vltimum repugnant aliis iuribus, vt visum est: ideóque probabiliorem putamus hanc sententiam cum declaratione, & restrictione addita in dicto §. *Sanè*, de Decimis in 6. Vbi postquam declarauit Pontifex, Religiosos non posse habere Decimas à Laicis sine consensu Episcopi, quantumuis fingāt, ipsos illas dedisse Laicis in feudum, subiungit: *Illas autem Decimas intelligimus, posse taliter à Religiosis de manibus Laicorum recipi, & acquiri, quæ ante Lateranense Concilium ipsis Laicis in feudum perpetuò fuere concessæ.* Dicit autem *taliter*, id est, ex consensu Episcopi, vt ex antecedentibus constat.

13. De illis ergo Decimis, quæ ante dictum Concilium à Laicis detentæ fuerunt, verum existimo de consensu Episcopi cuilibet loco Religioso applicari posse, seu ita restitui posse, etiamsi iniustè detentæ fuerint. Hoc enim probant argumenta facta, idque videtur ab illis Pontificibus concessum ad maiora mala vitanda, & damna Ecclesiæ aliquo modo reparanda, prout fieri possit. Quia minùs inconueniens est, Decimas mutari ab vna Ecclesia in aliam, quàm à Laico possideri, nec per hoc fouet Ecclesia peccatum aliquod, vel aliquam iniustitiam, sed per piam Ecclesiæ dispensationem, & cōniuentiam fit, vt materia iniustitiæ subtrahatur, etiamsi restitutio fiat aliter, quàm in rigore fieri deberet, non interueniente prouidentia Ecclesiæ. Nam qui tenetur alicui centum restituere, si à creditore obtineat facultatem dandi illa pauperibus, vel alicui Ecclesiæ, sufficienter restituet, sic ergo licet alicui Ecclesiæ in particulari debeantur Decimæ iniustè ab aliquo retentæ, vniuersalis Ecclesia, quæ est veluti principalis creditor, potest esse contenta, vt alteri Ecclesiæ donentur, illāque sufficiens restitutio habeatur. Id ergo in præsenti ordinasse videtur Ecclesia cum hac iustissima conditione, vt cum Episcopi consensu, & auctoritate applicatio Decimarū alteri Ecclesiæ fieret. Omninò enim prohibitum est, vt Laici sua auctoritate de rebus Ecclesiasticis disponant 16. quæst. 7. per totam, vnde etiam in feudis, seu Decimis iustè possessis à Laicis seruandum omninò est, vt sine consensu Episcopi nulli Religioso loco eas audeant applicare iuxta cap. *Cum & plantare*, (sic intelligendum) de Priuileg. Denique accedit, quòd de illis Decimis ante Concilium Lateranense in perpetuum feudum concessis, vix constare potest, an iustè vel iniustè concessæ fuerint, & ideò indistinctè concessum est, vt omnes illæ restitui possint Ecclesiis quibuscumque, dummodo consensus Episcopi accedat.

Cap. Cum & plantare. Aliter dicendum de Decimis vsurpatis post Concil. Lateran.

14. At verò de Decimis vsurpatis à Laicis post Lateranēse Concilium sine titulo iusto, existimo omninò esse restituendas illi Ecclesiæ, ad quam antea pertinebant, nec posse alteri applicari etiam de consensu

Epiſcopi, & in hoc verum habere ſententiam Gloſſæ, & aliorum. Quia nec ex iuribus dictis aliud colligitur, imò ex dicto §. *Sanè*, videtur hoc ſatis colligi. Nec eſt in cæteris eadem ratio, vel neceſſitas, neque hæc licentia, quæ videri poteſt in præiudicium aliquarum Eccleſiarum, amplianda eſt ſine maiori fundamento.

CAPVT XXVII.

An Laici poſſint præſcribere Decimarum perceptionem.

1. An Laici poſſint præſcribere Decimas.

TAndem poteſt circa Laicos inquiri, an conſuetudine, ſeu præſcriptione poſſint Laici Decimas acquirere. Nam licet ſupra dictum ſit, non poſſe præſcribere ius Decimarum, quod ſpirituale eſt, ita vt conſuetudo efficiat, vt Laici quaſi proprio dominio, & intrinſeco Iure illas poſſideant, quia illi non ſunt capaces talis iuris, vel poſſeſſionis, nihilominùs de ipſis Decimis, (vt ſunt quidam temporales fructus, & percipi poſſunt ſine ſpirituali titulo, ex alia conceſſione) dubitari poteſt, an hoc modo poſſint cõſuetudine comparari à Laico, ita vt eo modo, quo per priuilegium Pontificium concedi poſſunt Laico, ita intelligantur conſuetudine concedi. Aliqui abſolutè negant ex c. *Cauſam*, de Præſcript. vbi abſolutè dicitur, *Laicos Decimas præſcribere non poſſe*. Hoc enim non videtur intelligendum tantum quoad titulum ſpiritualem Decimarum, quia non eſt veriſimile, virum illum nobilem (de quo ibi eſt ſermo) pro ſpirituali Iure Decimarum contendiſſe, ſed pro ipſis fructibus quacumque ratione præſcribi poſſint, ergo oportet, vt nullo modo valeant præſcribi, aliàs non potuiſſet illa ratione ſimpliciter priuari fructu Decimarum, ſed ſolum vt ſpirituali titulo eas non perciperet, quod non multum ille curaret, dummodo illi concederentur. Intelligit ergo Pontifex, Decimas quacumque ratione ſpectatas præſcribi non poſſe; atque ita videntur ibi omnes ſentire.

Pars negatiua. C. *Cauſam.*

2. Affirmatiua pars proponitur. Cap. *Super quibuſdam.* Leg. *Hoc Iure.*

In contrarium verò eſt, quia præſcriptio longiſſimi temporis, ſeu immemorialis æquiparatur priuilegio, cap. *Super quibuſdam*, de verb. ſignif. Vbi Gloſſa notat, conſuetudinem, cuius initij memoria non extat, priuilegium inducere nec indigere alio titulo, & ad hoc multa allegat, & notatur etiam à Doctoribus in leg. *Hoc Iure*, §. 1. ver. *Ductus aquæ*, ff. de Aqua quotid. & æſtiua, ſed Laicus poteſt per priuilegium Decimas obtinere, ergo & præſcriptione. Reſpondet Felin. d. c. *Cauſam*, num. 2. cum Abb. & multis aliis, illam æquiparationem procedere in perſona capaci, fallere tamen, quando præſcribens eſt incapax, vt eſt in præſenti, reſpectu Decimarum, ſed contra, quia licet Laicus ſit incapax iuris ſpiritualis, non eſt incapax illius commoditatis temporalis, quæ eſt in perceptione Decimarum, ergo hanc poteſt præſcribere, quod hic ſolum intendimus, non de ſpirituali Iure. Et confirmatur, quia per priuilegium non dantur Decimæ Laico, vt incapaci iuris ſpiritualis, nec enim per tale priuilegium aliquod ius ſpirituale illi conceditur; (& fortaſſe nec dari poteſt,) ſed datur illud temporale commodum, cuius capax eſſe ſupponitur, atque priuilegium non dat capacitatem, ſed illa ſuppoſita, dat actum, hunc ergo actum poterit etiam dare præſcriptio, quia iam non deeſt capacitas.

Felin. Abb.

3. Quæſtionis reſolutio.

Dicendum breuiter eſt, conſuetudinem, etiam immemorialem non ſufficere in vi ſolius præſcriptionis ad poſſidendas, & exigendas legitimè Decimas, poſſe autem ſufficere in vi cuiuſdam probationis ſufficientis priuilegij, in cuius virtute illa conſuetudo inchoata, & continuata creditur, etiamſi tale priuilegium, nec inueniatur ſcriptum, nec aliter probari poſſit, quàm per diuturnam famam, & opinionem. Priorem partem intendit communis ſententia in d. c. *Cauſam*. Et ratio eſt, quia præſcriptio tunc cenſetur dare ius vi ſua, quando poteſt transferre ab vna perſona in aliam dominium proprium, ſeu ius in illa re, quæ præſcribi dicitur; in præſenti autem materia non poteſt præſcriptio hanc vim habere, propter rationem tactam, quòd proprium ius Decimarum eſt ſpirituale, quod in Laicum transferri non poteſt propter incapacitatẽ eius. Facultas autem illa ad frũendum Decimis, quæ ſolet Laico per priuilegium concedi, non poteſt dari ex vi præſcriptionis: Tum quia tota vis præſcriptionis eſt, à lege inſtituente talem modum transferendi rerum dominia, vel iuriſdictionem, aut alia ſimilia, nulla eſt autem lex, in cuius virtute hæc facultas conferatur ex vi ſolius conſuetudinis: Tum etiam quia præſcriptio prærequirit bonam fidem, & poſſeſſionem; Decimæ autem non poſſunt à Laicis poſſideri propria, & ciuili poſſeſſione, quæ requirit, vt proprio nomine, iure, ac titulo, res ipſa, vel ius ad illam habeatur; Laicus autem non eſt capax, vt proprio nomine, & Iure Decimas habeat, & ius ad illas vt dictum eſt. Vt autem poſſit illas accipere nomine Eccleſiæ, oportet, vt à Prælatis habeat legitimam facultatem, ergo vt conſuetudo ſit legitima, debet ſupponi hæc facultas, ac ſubinde non conſuetudo, ſeu præſcriptio dat talem facultatem, ſed potius ex facultate debet manare cõſuetudo licita, & honeſta, qualis ad huiuſmodi effectus neceſſaria eſt.

Prior pars concluſionis probatur.

4. Poſterior pars oſtenditur. *Felin. Cardin. Bald. Imol. Domin. Sylueſt. Ioan. Andr.*

Hinc autem facilè oſtendi poteſt altera pars, quam docuit expreſsè Felinus in dicto cap. *Cauſam*, num. 3. cum Cardinal. ibi, & in dicto cap. *Cum Apoſtolica*, de his, quæ fiunt à Prælatis, vbi etiam idem tenent Baldus, & Imol. & Domin. in cap. 2. §. *Sanè*, de Decimis in 6. & idem ſentit Sylueſter verb. *Decima*, quæſt. 10. dicto 2. refertque Ioannem Andr. in cap. 1. de Præſcript. in 6. & in cap. *Super quibuſdam*, de verborum ſignificatione, dicentem, quando conſuetudo illa immemorialis introducta eſt cum opinione, & fama, quòd ex aliqua conceſſione legitima petuntur tales Decimæ à tali Laico, & ab anteceſſoribus eius, tunc præſumi probatum priuilegium, vel inueſtituram feudi debita auctoritate factam, ſcilicet, Pontificis, vel Epiſcopi ante Concil. Lateran. & in re idem ſentit Couar. plures alios referens dicto cap. 17. num. 5. §. *Sed ſi dubitetur*. Vbi in principio videtur ita hoc ampliare, vt dicat, non eſſe neceſſariam probationem famæ, ſed ſufficere probationem immemorialis poſſeſſionis. Tandẽ verò concludit, neceſſarium eſſe, vt ſaltem ex fama conſtet, Laicos ex feudo Decimas poſſediſſe. Quod neceſſe eſt intelligi de feudo iuſto, idémque eſt de quacũque legitima conceſſione. Sic ergo intellecta hæc opinio perſuaderi poteſt optimè ex leg. vltim. ff. de aqua pluuia arcen. Vbi ſic habetur: *Scæuola dixit, ſolere eos, qui iuri dicendo præſunt, tueri aquæ ductus, quibus auctoritatem vetuſtas daret, tametſi ius non probaretur*. Sic ergo tueri debemus priuilegium, cui auctoritatem vetuſtas dat, tametſi aliter non probetur, ergo in noſtro caſu licet conſuetudo non det ius præſcriptionis, tamen dat ſufficientem auctoritatem, ſeu probationem priuilegio, ſub cuius opinione, & fama continuata eſt.

Couar.

Leg.

5. Cõfirmatur exemplis.

Et ad hoc confirmandum adduci poſſunt multa exempla, vt de facultate eligendi confeſſorem, quia licet conſuetudine comparari non poſſit, poteſt tamen conſuetudo probare talem facultatem eſſe legitimam, & ex priuilegio manaſſe, vt alibi diximus: Item de vnione Eccleſiarum, quæ licet præſcriptione fieri non poſſit, poteſt tamen conſuetudine probari

bari à superiore aliquo legitimè factam esse, vt ex Ioan. Andr. & aliis notat Felinus supra. Præterea est optima ratio pertinens ad forum animæ, quia vnusquisque præsumitur bonus, nisi probetur malus, sed in præsenti non probatur, prædecessores Laicos per vim & iniustitiam Decimas vsurpasse, imò, vt supponitur, simul cum vsu recipiendi Decimas currit opinio, quòd aliquo priuilegio, vel concessione legitima illas acciperent, ergo ita est præsumendum, & probata consuetudine sub tali opinione probatum censetur priuilegium. Alia ratio politica, seu ad externum regimen necessaria est, quia propter difficultatem probandi rem adeo antiquam, credendum est receptæ opinioni, seu famæ æquè antiquæ, ne pereat ius possidentis, præsertim quia in dubio melior est conditio illius, ne dum quando habet tam vehementem præsumptionem. Vnde constat, quòd si cum tali consuetudine percipiendi Decimas, non coniungeretur constans fama, & opinio, quòd in virtute alicuius priuilegij reciperentur, cessaret præsumptio priuilegij, & præscriptio non sufficeret. Et ita componuntur omnia, quæ pro vtraque parte adducta sunt.

Felin.

CAPVT XXVIII.

Ad quas personas Ecclesiasticas Decimæ pertineant Iure communi.

1. Decimas Iure communi ad solos Parochos pertineret.

EX dictis in præcedenti cap. constat, Decimas ad Clericos per se, & Iure pertinere; tamen quia inter Clericos est magna varietas, ideo explicare oportet, ad quos pertineat hoc ius Decimarum, & quomodo: In qua re est quædam sententia satis communis, quæ affirmat, Decimas Iure communi ad solos Parochos pertinere, & omnem aliam Decimarum applicationem, seu donationem aliis Clericis, vel personis Ecclesiasticis factam esse priuilegio, vel alio speciali Iure factam. Ita sentit D. Thom. 2. 2. q. 87. art. 4. vbi ait, ius spirituale Decimarum sequi ex debito, quo ministris altaris debentur sumptus de ministerio spirituali. *Quod* (ait) *ad solos Clericos pertinet habentes curam animarum, & ideo eis solus competit hoc ius habere.* Quam sententiam ibi Caiet. ita exponit, & defendit, quam etiam in art. 1. tradiderat. Et hanc opinionem habet Glossa in cap. *Cum contingat*, de Decimis, ver. *De Iure communi* per textum ibi quatenus ait, *Decimas de Iure cõmuni ad Ecclesias Parochiales pertinere*, ex quo Glossa infert, *Decimas Parochiarum ita deberi Parochis, vt Episcopi nullam in eis debeat habere portionem, sed solum in Decimis suæ Parochiæ, vel Episcopalis Ecclesiæ:* Sentit ergo, Decimas ad solos Parochos, vel pastores Ecclesiæ respectiuè pertinere. In idem inclinat Sylvest. ver. *Decima*, q. 8. dicto 9. dum ait, Clericum non posse præscribere Decimas, nisi habeat Parochiam, sed solos Parochos.

D. Thom. *Caiet.* *Gloss.* *Sylvest.*

2. *Soto. Aragon. Valent.* Fundamentum huius sententiæ.

Hanc verò opinionem reprobant Sot. lib. 9. de Iust. q. 3. art. 1. & 3. Aragon. 2. 2. q 87. art. 1. & 3. Et in hanc partem magis inclinant Valentia, & alij moderni. Fundamentum huius sententiæ est, quia non soli Parochi, nec illi soli, qui curam animarum habent, ministrant Ecclesiæ in spiritualibus, & ex officio, sed Decimæ institutæ sunt pro omnibus, qui ministrant in spiritualibus, iuxta sententiam Pauli sæpè citatam, ergo Decimæ non Parochis solis debentur. Alij denique distinctione vtuntur, dicentes, Decimas solis Parochis, seu habentibus animarum curam ex iustitia deberi, aliis verò Clericis deberi posse ex Charitate & Religione, ac præcepto Ecclesiæ, non verò proprie ex iustitia. Ratio prioris partis est, quia soli curatores animarum ex obligatione, & officio habẽt quasi implicitum pactum cum populo, vt illi teneantur spiritualia ministrare, ideóque ab ipso alantur, alij verò, licet diuino cultui inseruiant, non ita sunt populo obligati, vnde nec ipse populus tenetur eos alere ex vi iustitiæ, cum illius vtilitati non seruiant: Ex præcepto autem Religionis, & Ecclesiæ teneri possunt, quia Ecclesia ita statuit.

Aliorum opinio.

Hæc dissentio fortasse magna ex parte est de modo loquendi, & ideò vt tota res explicetur, incipiemus à prima institutione Decimarum, & indicabimus, quid olim seruatum fuerit, & quid nunc seruandum sit in distribuendis Decimis inter Clericos, ac tandem constabit, quid in hoc peculiare habeant Parochi, vel in vniuersum omnes qui curam habent animarum. Dico ergo primò; Decimas ex primæua institutione deberi Clero ad ipsius sustentationem, & ad omnes expensas necessarias ad Ecclesiarum seruitium, ac diuini cultus ministerium. Hoc facilè ostendi potest, ex dictis in principio huius materiæ, & ex proportione ad institutionem Decimarum in veteri testamento, & ex decretis statim allegandis.

Decimæ prima institutio beri C

4. Diœcesum diuisio antiquissima.

Secundò ergo dicendum est, in Ecclesia factam esse à principio diuisionem Diœcesum, & vniuscuiusque Diœcesis Decimas ad Clerum illius Diœcesis pertinuisse, licet præcipua earum administratio Episcopo esset commissa, vt cum debita proportione eas distribueret. Prima pars de diuisione Diœcesum constat ex ipsamet Scriptura, præsertim in Actibus Apostolorum, Epistolis Pauli, & Apocalypsi, item ex Decretis Pontificum dicto 80. cap. 1. & sequentibus, & dicto 99. cap. 1. & sequentibus: Item ex Ecclesiasticis historiis, in quibus Hierosolymitanam Ecclesiam ab Apostolis fundatam, & Iacobum illius Episcopum creatum fuisse legimus: Item Antiochiæ Petrum priùs sedem suam collocasse paucis annis post Christi ascensionem, & alias Ecclesias per Syriam, & alias regiones fundasse, & postea Romæ sedisse, & partim per se, partim per discipulos à se missos Episcopatus varios erexisse, idémque Ioannem Apostolum Ephesi, & in aliis Orientis Ecclesiis, Paulum verò, & alios Apostolos ferè per vniuersum mundum feciſſe, vt summatim collegit Baronius tomo primo, Anno Christi 39. à num. 9. vsque ad finem, & Anno 44. à num. 10. vsque ad 41. Ratio etiam illam partem suadet: Nam Episcopalis dignitas à Christo est instituta, & ita hæc diuisio Ecclesiarum Episcopalium à Christi præcepto manauit, licet modus, & determinatio in particulari ex Petri, Apostolorum fuerit arbitrio, ideóque tanquam maximè necessaria ad Ecclesiæ ordinem, & regimen statim à principio quoad fieri potuit indicata est.

Act. Paul. Apocalyp. *Baron.*

5. Decimarum vsus quando incepit.

Et ita etiam facilè suadetur pars secunda, nam licet fortè prior fuerit Episcopatuum diuisio, quàm Decimarum institutio, (nam prius per aliquot annos omnia fuerunt communia, postea ex eleemosynis, & oblationibus fidelium Clerici viuebant, & pauperibus subueniebatur, vt intelligi potest ex illo Pauli 1. Corinth. 6. *De collectis autem, quæ fiunt in sanctos*, & ex aliis, quæ refert Baronius tomo 1. Anno 44. num. 68. & sequentibus) nihilominùs etiam Decimæ imperatæ sunt non multò post, quandoquidem earum meminit Clemens lib. 2. Constit. capit. 25. 34. & 35. Et post eum ferè omnes antiqui Patres, quos in principio huius materiæ retulimus. Semper ergo pro Cleri, & ministrorum Dei sustentatione, & cum dicta proportione imperatæ fuerunt, vt in vnaquaque Diœcesi ad Clerum illius Diœcesis pertinerent, quia ratio iustitiæ id postulabat, & ad debitum ordinem necessarium erat. Imò quando erant omnia communia, non est putandum in vniuersa Ecclesia Catholica, iam per varias regiones dispersa, omnia

1. Corinth. 6. *Clemens.*

Decimæ vnius Diœcesis ad illius Clerum spectabant.

fuisse ita communia, vt essent sub dominio totius vniuersalis Ecclesiæ: sed ita vt in vnaquaque Ecclesia, vel ciuitate, Hierosolymitana, Alexandrina, &c. omnia essent ibi communia: Ita ergo Decimæ, & oblationes ad singulas Diœceses cum proportione spectabant. Quod etiam apertè probatur ex 16. quæstio. 7. c. *Peruenit*, cap. *Omnes Basilicæ*, & cap. *Quoniam*, cum aliis: Et ratio est clara, tum quia in vnaquaque Diœcesi ministri eius sunt illius Clerici, ergo illis dari debent illius Diœcesis Decimæ; tum etiam quia hoc necessarium semper fuit ad seruandum debitum ordinem, & confusionem, & dissentionem vitandam.

Cap. *Peruenit.* Cap. *Omnes Basilic.* Cap. *Quoniam.*

6. Confirmatur tradita doctrina. *Clemens.*

Quod ex tertia parte proposita apertè declaratur, & confirmatur: Nam vt Clemens dicit dicto cap. 25. Ad vnumquemque Episcopum Decimarum, & oblationum distributio spectabat: vitanda autem semper fuit Episcopatuum confusio, ideóque ad vniuscuiusque Episcopi curam suæ Diœcesis Decimæ pertinebant. Non tamen pro solo Episcopo soluebantur, sed pro ipso, & vniuerso Clero, aliisque Ecclesiasticis sumptibus, & oneribus, vnde non illi propriè, sed Clero per illum soluebantur. Et hoc ipsum sumitur ex multis decretis 12. quæst. 1. cap. *Videntes*, cap. *Episcopus*, cap. *Præcipimus*, & sequentibus. Et 12. quæst. 2. cap. *Vulteranæ*, cap. *Concessio*, cap. *Quatuor*, & sequentibus. In quibus de diuisione Ecclesiasticorum reddituum in quatuor partes per Episcopum facienda, sermo est. Vnde in capit. 1. 16. quæstion. 7. sic Gregorius inquit, *Decimas sub manu Episcopi fore censemus, vt ille, qui cæteris præest, omnibus iustè distribuat, &c.* & in cap. *Peruenit*, reprehendit Episcopos, *qui Decimas, atque oblationes Christianorum, non in Sacerdotes propriæ Diœcesis conferunt.* In quibus verbis rationes etiam huius institutionis tanguntur. Quia Decimæ institutæ sunt pro his, qui diuina populo ministrant, sed non soli Episcopi ministrant, sed etiam alij Clerici, ergo. In Clero autem Episcopus præest, ergo & illi peculiari ratione prouideri debet de necessariis ex fructibus Decimarum, & ipsi tanquam aliorum pastori committi debuit omnium reditum Diœcesis suæ gubernatio.

Cap. *Videntes.* Cap. *Episcopus* Cap. *Præcipimus.* Cap. *Vulteranæ.* Cap. *Concessio.* Cap. *Quatuor* Cap. 1. *Gregor.* Cap. *Peruenit.*

7. Quando Decimæ vnius Parochiæ ad illius Clerum pertinere incepit.

Tertiò dicendum est postquam Diœceses in Parochias diuisæ fuere, vniuscuiusque Parochiæ Decimas ad Clerum in illa Parochia ex officio ministrantem Diuina per se loquendo pertinere, illíque esse reddendas, & non soli Parocho, licet per illum regulariter distribuantur, in quo consuetudo, vel Episcoporum ordinationes seruandæ sunt. Hæc assertio in primis habet fundamentum in his, quæ supra diximus de diuisione Parochiarum à Dionysio facta cum assignatione propriorum finium, seu Decimarum ad vnamquamque pertinentiũ. Inde enim planè constat, vniuscuiusque Parochiæ Decimas pro ministris propriis solui, non pro alienis: In hoc enim sensu probatum est, Decimas Parochiæ in illius Ecclesia soluendas esse, non in alienas: Item facta diuisione eadem proportio seruanda est inter Parochias distinctas, quæ inter Diœceses distinctas prius seruabatur, vt respondit Vrbanus III. in cap. *Super eo*, de Parochiis, & rationes supra factæ probant, ergo.

Dionys. *Vrban.* 3.

8. Differentia cõsideranda inter Parochias & Diœceses.

Est autem hic consideranda quædam differentia, nam Parochiæ nunquam debent intelligi ita diuisæ, vt vnaquæque solum Parochum, & inferiores Clericos comprehendat, nam etiam Episcopus totius Diœcesis ad Clerum vniuscuiusque Parochiæ aliquo modo pertinet, tanquam principalis illius populi gubernator, & minister in spiritualibus, & suo modo etiam proximus. Diœceses verò ita fuerunt semper distinctæ, vt Clerus illius Diœcesis solum Episcopum, & inferiores comprehendat. Nam licet Papa ex institutione Diuina omnium Ecclesiarum, & Episcopatuum sit pastor, nihilominùs quatenus Papa est, censetur esse extra, & supra Clerum vniuscuiusque Diœcesis, præsertim quoad negotium Decimarum, quia tanquam supremus Princeps, & caput non ordinario Iure, sed altiori modo de reditibus singularum Diœcesum participat, vt supra tetigimus, & statim amplius explicabimus. Alij verò superiores prælati Episcopalium Diœcesum, quos Ecclesia constituit, vt Archiepiscopi, Primates, seu Patriarchæ, valdè etiam remotè attingunt regimen, & curam suffraganeorum Episcopatuum, & ideò extra Clerum illorum censentur, maximè in iure Decimarum.

9. Decimæ Parochiales ad Episcopum etiam pertinent.

Ex his ergo satis probata manet, non solùm prima assertionis pars, sed aliquo modo etiã secunda quoad negationem illius exclusiuæ, nimirum quòd Decimæ Parochiales non pertineant ad solum Parochum, etiam per se, & iure ordinario, quia etiam ad Episcopum Diœcesis cum proportione pertinent, quo sensu dicimus sub Clero vniuscuiusque Parochiæ comprehendi. Dico autem *Cum proportione*, quia inter Clericos Parochiæ cum proportione diuidendæ sunt Decimæ, & inter eos Prælatus cõputatur, ad quem pars Decimarum spectat, vt rectè docuit Abulens. q. 176. in 23. cap. Matth. & Panor. in cap. *Cum contingat*, de Decimis num. 7. vbi quartam partem ad Episcopum pertinere dicit, & videtur expressè declaratum in cap. *Conquerente*, de offic. ordin. Vbi inter Episcopalia iura ponitur, *Quarta Decimationum*, & licet Glossa ibi dicat, quod hanc quartam Episcopus de consuetudine percipiebat; tamen & nullam probationem affert, & illa consuetudo sufficere potuit ad introducendum ius. Vel certè ex antiquo Iure Manasse, probabilius est. Nam illa consuetudo consentanea est antiquis decretis cap. *Vobis*, cap. *Vulteranæ*, & sequentibus 12. q. 2. Vnde in cap. *De quarta*, de Præscript. clarè supponitur, hanc quartam pertinere ad Episcopum iure ordinario, cùm ibi dicatur, necessariam esse præscriptionem 40. annorum, vt Parochus possit cõtra Episcopum se tueri in huius quartæ petitione. Et idem planè colligitur ex cap. *Quoniam*, de Decim. ibi *Tua parte retenta*: Nam planè supponitur, partem aliquam Decimarum prædialium Parochiarum ita ad Episcopum pertinere, vt tanquam suam possit illam retinere. Signum est ergo, esse certam partem aliquotam, quam oportet esse iure definitam, & concessam, nam propter solam consuetudinem contingentem non oporteret illam exceptionem facere. Idem colligitur ex cap. *Dudum*, eod. tit. vt ibi notant Ioan. Andr. & Hostiens. in illis verbis: *Intentione tua de Iure communi fundata petisti.* Nec refert, quod Glossa, quam sequitur Rebuffus dicta quæst. 7. num. 11. dicat, illam esse narrationem partis, non Papæ, hoc, inquam, non obstat, tum quia id non satis constat ex verbis, tum etiam quia Papa inferius consentit, dum ait, non fuisse *Iuri Episcopali* derogatum, loquitur enim de Iure, quod pro se Episcopus allegauerat.

Abulens. *Panor.* Cap. *Conquerente.* *Gloss.* Cap. *Vobis.* Cap. *Vulteranæ.* Cap. *De quarta.* Cap. *Quoniam.* Ca. *Dudum.* *Ioan Andr.* *Host.* *Gloss.* *Rebuff.*

10. *Ioan. Andr.* *Abbas.* Decimas mediante Parochia deberi, Episcopo aliqui dicunt.

Addunt tamen Ioannes Andreas, & Abbas in dicto c. *Conquerente*, Decimas de Iure communi non deberi Episcopo, sed Ecclesiis Parochialibus, has verò Ecclesias debere Episcopo quartam partem perceptarũ Decimarum: Sed hoc in idem redit, dicuntur enim Decimæ Parochiarũ non deberi Episcopo quasi immediatè, sed mediante ipsa Parochia, quia immediatum ius est in ipsa Parochia, seu Clero illius, & respectu illius totus cumulus Decimarũ ad talem Ecclesiam pertinentium congregandus: ex illo autem sua portio ad Episcopum spectat æquè primo, ac ad cæteros de illo Clero, vel etiam principalius, quia ipse de iure est principalis dispensator illius cumuli perceptarum Decimarum, & ita etiam in hoc modo loquendi, vel non magis pertinẽt Decimæ de iure com-

muni ad Parochum, quam ad Episcopum, respectiuè loquendo de portionibus illorum vel ad summum dici posse videtur, Parochum esse quasi proximum ministrum, ad quem ius colligendi Decimas Ecclesiæ suæ debitas pertinet. Propter hoc enim ille habet potestatem agendi ad petendas omnes Decimas Parochiæ contra iniustè occupantes, vt notauit Rebuffus quæst. 9. num. 16. licet non sibi soli, sed aliis consortibus petat. Ratio autem huius institutionis est supra tacta, quia Episcopus est principalis minister singularum Parochiarum, ergo ratio postulat, vt de bonis, ac Decimis vniuscuiusque Parochiæ principaliter participet, vnde olim etiam pars fructuum illi conferebantur, vt colligitur ex cap. *Vnio.* 10. quæst. 3. Quod tamen non de Decimis, sed de oblationibus multi intelligunt, iuxta alia iura eiusdem quæstionis. Inde verò roboratur saltem ratio facta, quod Episcopus semper habitus est tanquam pars, & caput Parochialis Cleri, ideò enim etiam oblationum particeps fiebat, ergo licet illud de oblationibus ordinariis vsu videatur sublatum, merito participatio Decimarum Iure communi retenta est. Neque huic assertioni D. Thom. aut Caiet. refragantur, nam generatim loquuntur de Clericis habentibus animarum curam, sed quibus meritò Episcopi comprehenduntur. Atque ex hoc ratione constat, non esse hoc limitandum ad Parochiam Cathedralis Ecclesiæ, quia quod attinet ad quartam partem Decimarum prædialium iura de omnibus Parochiis Diœcesis loquuntur. Nec maiorem partem habet in Decimis Parochiæ Ecclesiæ Cathedralis, nisi vbi ipse fuerit proprius Curatus eius (vt notauit Rebuff. dicta quæst. 7. num. 7. alios referens) quia nullo Iure plus illi tribuitur.

Rebuff. — Ratio institutionis. — Ca. Vnio. — D. Thom. Caiet. — Rebuff.

11. Obiectio.

Dices, hac ratione concludi Decimas singularum Ecclesiarum, siue Parochialium, siue Episcopalium cum debita proportione etiam ad summum Pontificem pertinere, quia ipse etiam est Clericus habens animarum curam, habet autem curam omnium animarum in omnibus Parochiis degentium, & ibi suas Decimas persoluentium. Respondeo breuiter ex supra dictis c. 12. loquendo de possibili, potuisse quidem Iure communi statui, vt in distributione omnium Decimarum Parochialium suam partem Summus Pontifex haberet, quia cum ipse sit caput omnium Ecclesiarum, & vniuersalis pastor spiritualis, in illo maximè locum habet finis proximus Decimarum. Et ita supponit D. Tho. 22. q. 78. art. 4. ad 3. Alens. 3. p. q. 51. mēb. 6. art. 6. Abul. dicto c. 23. q. 176. Ioan. Andr. Host. & alij in c. 1. de Decimis. Ad quod notari potest singulare verbum in Cōcil. Lateran. sub Alexand. 3. p. 4. c. 4. *Cum homines &c. Decimas Ecclesiæ, & mihi soluere teneantur:* Est enim considerandа illa particula, *Et mihi*, nam Pōtifex est, qui loquitur, & significat, Decimas sibi deberi. Sed illa particula in cap. *Cum homines.* Extra de Decimis omittitur, tamen potest intelligi, vt dicantur Pontifici deberi, tū quia ex præcepto eius debentur, tū quia est supremus dispensator illarum, tū quia ius habet de illis participandi, si velit, & indigeat. Nihilominus Iure communi, & ordinario non vsurparunt sibi Pontifices hoc ius, vt iidem Auctores pro comperto habent, & nos in dict. ca. ostendimus: & huius institutionis varias congruentias Abul. supra adducit. Et in hoc sensu diximus supra, Papam non comprehendi sub Parochia, seu Clero Parochiali, cui debētur Decimæ Iure ordinario, & cōmuni quamuis alioqui habeat supremum ius dispensandi omnes Decimas, & aliquam earum partem postulandi ex vera, ac iusta causa, & necessitate. At Episcopus è conuerso quoad suam canonicam portionem Iure communi censetur de illo Clero: quoad reliquas vero partes licet habeat potestatem administrandi, & distribuendi

Satisfit illi. — D. Thom. Alens. Abulens. Ioan. Andr. Host. Concil Lat. — Cap. Cum homines. — Abulens.

A illas, habet tamen illam alligatam Iuri communi, nec potest ea, quæ ad alios pertinent, vsurpare, nec nouum onus Clericis imponere, vt in multis decretis institutum est, 16. quæst. 1. Hac ergo ratione merito dicimus Decimas Parochiæ non soli Parocho deberi, quia etiam Episcopo magna ex parte, & quodāmodo magis, ac principaliùs debentur.

12. Quibus Ecclesiæ ministris Decimę etiā debeantur. Soto.

Addendum verò vlteriùs est, alia etiam ratione deberi Decimas non solis Parochis; quia videlicet in vnaquaque Ecclesia simul debentur aliis ministris altaris, qui ex titulo alicuius beneficij ex Decimis instituti tenentur ex officio altari, vel choro inseruire. Hanc conclusionem principaliter intendunt Soto, & qui eum sequuntur: & licet non possit positiuè, (vt sic dicam) & in particulari ex Iure ostendi, ostenditur autem in primis illa ratione, quòd Decimæ non sunt institutæ propter solum ministerium curandi animas, seu ministrandi illis Sacramenta, sed simpliciter propter ministerium diuini cultus cap. *Ex parte* 2. de Decim. Quia populus Christianus non tenetur tantùm Sacramenta suscipere, sed etiam sacrificia offerre, ac Deum publicè colere, & laudare, fidémque profiteri, ac tueri; ad hos autem fines necessarium est, non solum alere ministros, qui curam habeant animarum, sed etiam alios, qui Deum variis modis colant nomine totius populi, & fidē tueantur, ac doceant, & verbo Dei populum pascant: ergo Decimæ non tantùm curatis, sed etiam aliis ex officio ministrantibus spiritualia deberi possunt. Atque hoc modo potest hoc ex Iure colligi partim negatiuè, partim ex generalibus locutionibus, & rationibus Decimarum, quę in re habentur. Negatiuè quidem, quia nullum est ius ita præcipiens Decimas dari Parochis, vt alij ministri Ecclesiæ excludantur; ad summum enim dicunt iura, Decimas persoluendas esse Parochiis, at in Parochiis non solum computātur Parochi, sed etiam alij ministri, licet cura, & administratio proxima Parochiæ, & bonorum ad eam pertinentium peculiari modo Rectori eius commissa sit.

Ca. Ex parte.

13. Cap. Non est. — Ca. Ex parte. Cap. Tua. — Cap. 1.

Vnde adiungi potest alia probatio ex generalibus locutionibus, nam in cap. *Non est* de Decimis, dicitur, Decimas esse *Ministris Ecclesiæ* tribuendas: & in cap. *Ex parte*, 2. supponitur *Canonicis* in sua Ecclesia esse debitas: & in cap. *Tua* 2. dicitur, *Deo debitam esse solutionem Decimarum*, quia nimirum propter cultum suum principaliter imperantur, vnde subditur, *Esse Clericis exhibendas, quibus eas ipse pro suo Cultu concessit.* Et in capit. 1. 16. quæst. 7. absolutè dicitur, Decimas in vsum pietatis concessas esse Canonica auctoritas demonstrat. Et hoc maximè probant antiqui Canones, qui in diuisione Decimarum disposuerunt, vt quarta pars non solis Parochis daretur, sed *Presbyteris, Diaconibus, & Clero diuideretur*, vt dicitur in cap. *Ad hoc*, 16. quæst. 1. & aliis supra citatis. Quæ iura antiqua quoad hanc partem non sunt per posteriora decreta sublata, nec Parochiarum diuisio obstat, quominus illa in sua vi possint remanere.

Cap. Ad hoc.

14. Obiectiones proponūtur.

Sed obiici potest, quia hinc sequitur Decimas prædiales non ad solum Clerum pertinere, sed etiam ad pauperes, quia etiam illis sua portio Decimarum ex vi communis Iuris applicanda est: consequens est planè falsum, vt ex omnium sententia, & ex dictis in capit. præced. constat. Similiter sequitur, Decimas aliqua ex parte non pertinere ad personas Clericorum, sed etiam ad ipsam Ecclesiam, seu fabricam eius, in qua etiam pars aliqua Decimarum expendi debet, iuxta dispositionem Iuris. Consequens est falsum, quia materiale ipsum templum non est capax Iuris, sed Clerici, vel Rectores eius habent tale ius cum tali obligatione, seu onere. Denique si ratio facta esset efficax, quotquot ministri Ecclesiæ ex Decimis eius

eius aluntur, computandi essent inter eos, quibus Decimæ debentur, etiam cantores Laici, & famuli, quia omnibus datur aliqua pars Decimarum ex vi illius legis, *Non alligabis os bouis triturantis*, & *Dignus est mercenarius mercede sua*. Propter hæc, & similia dicunt aliqui, Decimas solis Parochis propriè deberi, & ad summum etiam Episcopis, cæteros autem Ecclesiæ ministros non habere ius Decimarum, quia populus non tenetur eos alere, cum illius vtilitatem non procurent, sed Ecclesia, cui inseruiunt, ad hoc tenetur, quæ obligatio cadit in eos, qui habent animarum, & consequenter etiam Ecclesiarum curam. Tenentur enim illi alere ex suis reditibus ministros, & coadiutores sibi necessarios, vt suo muneri possint satisfacere, siue illi ministri Clerici sint, siue etiam Laici pro ratione, & modo ministerij, aut seruitij Ecclesiæ, ad quod conducuntur.

Quorũdam opinio.

A

B

15. Soluũtur obiectiones.

Respondeo ad excludendas has, & similes obiectiones, & rem totam explicandam, dictum à nobis esse, Decimas deberi illis ministris altaris, qui ex titulo alicuius beneficij tenentur in Ecclesia ad aliquod ministerium spirituale, etiam si propriam animarum curam non habeant. Quod omninò verum esse probatur. Quia illi propriè, & in rigore debentur Decimæ, qui habent ius spirituale, in quo fundatur tale debitum, sed omnes illi, qui habent tale beneficium, habent ius ad percipiendos fructus eius, etiam si sint fructus Decimarum, ergo. Maior ex suprà notatis clara est quia in Decima duo tantùm à D. Thom. & Doctoribus distinguuntur, reditus ipsi materiales, & ius spirituale, cui ergo ista duo propriè conueniunt, propriissimè etiam Decimæ debentur. Minor autem est etiam certa: Nam omnia beneficia, etiam si curata non sint, in spirituali Iure fundata sunt, & illud principaliter includunt; temporale autem est quasi annexum, & hoc est totum fundamentum simoniæ in venditione, & emptione beneficiorum, non enim tantùm in beneficiis curatis, sed in omnibus simonia committitur, & ideò ait Soto, non posse sine errore negari ius ad Decimas in talibus beneficijs spirituale esse. Et confirmatur, ac declaratur, quia licet alij Clerici non ita immediatè incumbant saluti animarum, sicut curati, nihilominùs non tantum actiones propriæ Parochorum spirituales sunt, sed etiam aliæ, ergo aliæ etiam sufficiunt ad fundandum ius, & propriũ debitum Decimarum, quia non est de ratione huius iuris, vt fundetur in actionibus directè operantibus salutem animarum, sed satis est, vt sint actiones spirituales pertinentes ad cultum Dei. Eò vel maximè quod nullæ sunt huiusmodi actiones factæ à ministris Ecclesiæ, vt tales sunt, quæ non conferant ad animarum salutem, licet non omnes æqualiter, neq; cum eadem necessitate quod parùm refert.

D. Thom.

C

Soto.

16. Accedit tandem, quod vtrumque genus actionum pertinentium tam directè ad curationem animarum, quam ad alia ministeria diuini cultus, potest duobus modis fieri, scilicet vel ex proprio officio collato per Ecclesiam cum spirituali titulo, vel non ex officio, sed aut deuotione, vt fit à Religiosis, vel ex mercenario stipendio, sicut fit à Clericis mercede conductis, inter quos modos tanta est differentia, vt etiam ministerium proprium Parochorum, nisi fiat priori modo, non sufficiat, vt sic operantibus Decimæ propriè debeantur. Et hac ratione Religiosis vt sic, & ex proprio Iure non debentur Decimæ, etiam si maximè cooperentur animarum saluti, vt est certa omnium sententia. Nec etiam Clerico Cappellano per mercedem conducto, vt Parochum iuuet, debentur Decimæ, sed Parochus, vel Episcopus debet ei suam mercedem. Ergo simili modo dicendum est in aliis spiritualibus actionibus, ac ministeriis diuini cultus, quod licet facta ex deuotione, vel mercenaria conductione non sufficiant ad fundandum proprium debitum Decimarum, nihilominùs facta ex officio, ratione beneficij, & tituli spiritualis, fundant proprium ius, cui etiã correspondet proprium debitum Decimarum.

D

Et ita facilè respondetur obiectionibus factis. In primis enim non est eadem ratio de pauperibus, quia illi nunquam habent intrinsecum ius ad aliquam partem Decimarum, sed ipsis Clericis dantur beneficia cum hoc onere subueniendi pauperibus, siue onus illud sit ex propria iustitia, siue ex Charitate, vel alia virtute, quod alibi est tractandum. Vnde optimè dixit Ambros. serm. 58. de Ascens. *Ille bonus Christianus est qui Decimas Deo annis singulis erogandas pauperibus reddit, qui Sacerdotibus suis honorem impendit.* Pauperibus ergo Decimæ sunt erogandæ, sed per Sacerdotes locum Dei tenentes, qui Decimarum solutione honorandi sunt. Sic etiam Clemens lib. 2. Constitutionum cap. 25. *Quæ secundum Dei mandatum* (ait) *tribuuntur, Decimas dico, & primitias, insumat Episcopus, vt homo Dei, quæ causa pauperum sponte offeruntur, distribuat decenter*, &c. Et plura de hoc videri possunt in Abul. in dicto cap. 23. Matth. quæst. 177.

17. Nõ esse eandẽ rationem in pauperibus, atque in aliis Clericis

Ambros.

Clemens.

Abulens.

Eademque ratio est de fabrica cum proportione. Quod si fortasse contingat, vt olim obseruatum erat, partem aliquam Decimarum nulli Clerico, seu beneficiato applicari, sed ad vsum fabricæ, vel pauperũ reseruari, tunc quidem Decimæ illæ non debentur propriè alicui Clerico in particulari, vt in eius dominium trãsferantur: sed debentur Ecclesiæ non quidem materiali templo, vt obiectio procedebat, sed ratione templi debentur Ecclesiæ, id est Clero, vt in talem vsum, & non in alium illas dispenset; non est autem ita de Decimis, quæ per institutionem beneficiorum Ecclesiasticorum variis modis applicatæ sunt Clericis ad varia ministeria, nam tunc proprium ius Decimarum confertur Clerico habenti tale beneficium. Et ideò etiam non est simile de aliis, qui Ecclesiæ inseruiunt (etiam in spiritualibus) tantùm, vt mercenarij conducti, quia illi non habent intrinsecum ius ad Decimas, neque respectu plebis soluentis Decimas habent propriam actionem, sed tantùm respectu Episcoporum, Parochorum, vel Ecclesiarum, quæ eos conduxerunt: secus verò est de his, qui ratione beneficij ministrant in quibuscunq; spiritualibus actionibus, vt declaratum est.

18. Quid de tẽpli fabrica dicendum.

CAPVT XXIX.

Corollaria, & assertiones, quæ ex doctrina præcedentis capitis inferuntur.

EX dictis in superiori capite inferimus primò, Decimas primò, ac principaliter deberi Episcopis, quia principaliter habent curam animarum ex officio, & præterea ad eos proximè pertinet spirituale regimen Clericorum, & Christiani populi in rebus Ecclesiasticis, etiam ad forum externum pertinentibus, propter quod munus etiam Decimæ meritò impendi possunt. Ad eosque maximè spectat subuentio pauperum, & omnia alia onera, propter quæ Decimæ exigi possunt. Tria autem genera Decimarum videntur ad Episcopos pertinere. Vnum est ratione Cathedralis Ecclesiæ, cuius peculiari modum est membrum, & caput, & ideò illi debetur Iure ordinario magna portio Decimarũ, ac redituum talis Ecclesiæ. Aliud est ratione Parochiarũ suæ Diœcesis, quarum etiam est suo modo membrum, & caput, & ideò quarta pars Decimarum illi debetur Iure communi, vt

1. Decimas primò Episcopis deberi.

E

Tria genera Decimarum ad Episcopos spectantia.

oſtenſum eſt. Quod ſi in aliqua, vel aliquibus Eccleſiis Parochialibus ipſe eſt immediatus curatus, ad illum etiam pertinebunt Decimæ, quæ Parochis deberi ſolent, ſiue illa Parochia ſit ſuæ Eccleſiæ Cathedralis, ſiue aliarum: eadem enim ratio quoad hoc eſt de omnibus. Vnde ſi aliquæ Diœceſes nunc ſunt, (vt re vera ſunt) in quibus Parochię non ſunt ita diuiſæ, vt in ſingulis ſint propria beneficia curata pro Parochis inſtituta, ſed ſub cura Epiſcopi immediatè maneant, & per mercenarios Clericos ab ipſo conſtitutos animarum cura miniſtretur, ibi habebit Epiſcopus omnes Decimas Parochorum, tenebitur autem ipſe congruè-ter alere dignos, & ſufficientes animarum Paſtores, & alia onera talium Eccleſiarum ſuſtinere. Tertium genus Decimarum Epiſcopalium eſſe poteſt ad ipſius perſonam, ſeu menſam immediatè pertinens ex prædiis, quæ ſunt intra terminos ſuæ Diœceſis, & nullius Parochiæ, vel particularis Eccleſiæ ſunt: nam Decimæ prædiales inde conſurgentes ad Epiſcopum pertinent, vt diximus. Et hæc dici poſſunt de communi Iure, poſſunt tamen conſuetudine augeri, vel minui, vt conſtat ex dictis, & paulò inferiùs aliquid addemus.

2. Poſt Epiſcopos Decimas Parochis præcipuè deberi D. *Thom.*

Secundò ſequitur ex dictis, poſt Epiſcopos Decimas præcipuè deberi Parochis tam titulo iuſtitiæ, quam omni alio, qui in hac materia interuenire poſſit. Et hanc concluſionem cum præcedenti fortaſſe intendit D. Thom. Nam hic duplex ordo miniſtrorum eſt maximè per ſe (vt ſic dicam) neceſſarius in Chriſtiano populo, & in qualibet etiam Parochiali Eccleſia. In miniſtris ergo Eccleſiæ neceſſariis Parochi tenent ſecundum locum (nam de Summo Pontifice nunc non agimus) ipſique maximè ſuſtinent pondus miniſterij ſpiritualis, & ad illud ex officio, & peculiari titulo tenentur, ergo illis maximè debentur Decimæ ex iuſtitia, & conſequenter etiam ex charitate, quia ſunt peculiari modo ſpirituales Patres, & Paſtores ſuorum ſubditorum, & ex Religione, quia eorum ſuſtentatio ad diuinum cultum maximè pertinet, & quia peculiari modo vicem Dei gerunt. Denique etiam ex obedientia maximè illis debentur, quia hæc eſt voluntas Eccleſiæ, vt illi præcipuè ex Decimis alantur, & hoc maximè præcipiunt iura, ideóque diligentiſſimè prouident, vt beneficia curata in ſua inſtitutione conſeruentur, & ſufficientes habeant reditus, vt patet ex Trident. ſeſſ. 25. cap. 16. de Reform. Quanta verò pars Decimarum præſertim Parochialium ad Parochos pertineat, non inuenio in Iure definitum ſpecialiter. Si tamen ſpectemus ius antiquum, quarta pars fructuum Decimarum vniuſcuiuſque Parochiæ pertinet ad Clerum Eccleſiæ illius. Vnde ſi in illa Eccleſia non fuerint alia beneficia inſtituta ex Decimis ad inſeruiendum illi Eccleſiæ præter Parochiale, ad Parochum pertinebit quarta pars Decimarum Prædialium, præter perſonales, & oblationes, & alia commoda. Ipſe verò tenebitur neceſſarios ſibi miniſtros, adiutoreſque conducere, & ſuis ſumptibus alere: Nec in hoc poterit amplius populum grauare, quia hac lege, & conditione illi tanta pars Decimarum tribuitur in Concil. Trid. ſeſſ. 21. de Refor. cap. 4. arg. ca. vlt. de Eccleſiis ædif. *Et temporis*, 16. quæſt. 1.

Concil. Trid.

3. Quibus etiã propriiſſimè debeãtur Decimæ.

Tertiò ſequitur, Eccleſiarum Cathedralium capitulis, & eorum membris, ſeu Clericis præbendatis, vt ſunt Canonici, Dignitates, &c. propriiſſimè deberi Decimas Eccleſiæ ſuæ, eo modo, & proportione, quo eorum menſis vel beneficiis applicatæ ſunt. Idemque cum proportione dicendum eſt, de quibuſcumq; Eccleſiis collegiatis ex Decimis Eccleſiaſticis legitimè fundatis. Ac denique idem eſt de omnibus Clericis, qui titulo cuiuſcunque beneficij Eccleſiaſtici propriè dicti Decimarum fructus vel aliquam eorum partem recipiunt. Hoc corollarium quantùm ad primam partem de Canonicis probatur ex c. *Ex parte* 2. de Decimis, & conſequenter inde probari poſſunt omnes propter ſimilitudinem rationis. Eſt autem generalis ratio ſuprà facta, quia omnes hi proprio Iure ſpirituali ad ſe pertinente Decimas recipiunt. Et confirmatur: nam hi omnes non recipiunt fructus ſuos, vel partem Decimarum ad ſe pertinẽtem à Parochis propriè loquendo, licet enim (vt ſupra dixi) Parochi ſæpè habeant aliquam adminiſtrationem, vel curam circa collectionem Decimarum (in quo eſt conſuetudo conſulenda) nihilominùs nunquam ſibi colligunt totas prædiales Decimas ſuæ Parochiæ, ita vt illarum efficiantur Domini, & poſtea teneantur aliis ſuas portiones dare, ſed immediatè vnuſquiſque habens beneficium, ius, vel dominium in ſua portione obtinet, alioqui eſſet quaſi penſionarius, vel ſtipendiarius Parochi, quod falſum eſſe conſtat. Sicut ergo poſt diuiſionem Parochiarum vnuſquiſque Parochus habet ius in Parochiam ſuam, ita poſtquam Eccleſia diuiſit reditus vniuſcuiuſque Parochiæ in plura beneficia, vnicuique beneficiato per ſe, & directè competit ius ad portionem Decimarum ſuo beneficio correſpondentem, illi ergo propriè debentur Decimæ.

Ca. *Ex parte.*

4. Hoc Decimarũ debitum nõ ſolum ad Religionem, ſed etiam ad iuſtitiam pertinere.

Vnde etiam colligo, hoc debitum non ſolum ad Religionem, ſed etiam ad iuſtitiam pertinere, cum tam propria obligatione iuſtitiæ, quanta eſt reſpectu Clericorum habentium curam animarum: Nam licet in his videatur eſſe maius quoddam fundamentum rigoroſæ iuſtitiæ, in illis non deeſt ſufficiens ad propriam, & veram obligationem iuſtitiæ. Quia illæ Decimæ, quæ his conferuntur, debentur ex iuſtitia Eccleſiæ, & ipſa erigendo beneficiorum titulos tranſtulit ius ſuum proprium in ſuos miniſtros beneficiatos, ergo illis debentur ex iuſtitia Decimæ. Item illi ſunt veri miniſtri Eccleſiæ, ergo debetur illis ſuſtentatio ex iuſtitia, ergo debetur iuxta taxam, & modum ab Eccleſia præſcriptum, ergo debetur ſecundum proprium Decimarum ius, vnde nihil obſtat, quod ad hoc debitum neceſſaria fuerit inſtitutio, taxatio, & præceptum Eccleſiæ, nam per tale præceptum, & inſtitutionem conſtituitur illa materia in propria ratione iuſtitiæ. Sic enim etiam iuſtitia Parochorum ad ſuas Decimas pendet ex inſtitutione Eccleſiæ, & naturalis, ac diuina obligatio iuſtitiæ, quam habet populus Chriſtianus ad alendos miniſtros Eccleſiaſticos, non eſt limitata ex ſe ad Parochos (licet erga illos maiori quadam ratione vrgeat) ſed extenditur generatim ad omnes etiam miniſtros, quos Eccleſia iudicauerit ſibi eſſe neceſſarios, vel conuenientes, & ideò facta determinatione, & inſtitutione beneficiorum per Eccleſiam illa obligatio iuſtitiæ ad omnes extenditur.

5. Clericis etiã diuitibus ſoluendæ Decimæ.

Hic verò inquiri ſolet, an omnes hi Clerici, & beneficiati, de quibus in his tribus aſſertionibus loquuti ſumus, poſſint percipere Decimas, eiſque debeantur, etiam ſi diuites ſint. Sed in hoc reſolutio eſt certa, diuitias eorum nihil obſtare, quominus eis debeantur Decimæ, & iuſtè illas percipiant, ſi miniſtrent, Quia *Nemo militat ſuis ſtipendiis vnquam*, vt Paulus dixit, vnde accidentarium eſt, quod ſint diuites, nam creditori diuiti ſuum debitum ſoluendum eſt, nemo enim ſuo Iure priuatur propter diuitias. Ideóque meritò damnatus eſt error Pſeudoapoſtolorum, qui negabant Decimas dandas eſſe Clericis, qui non profitentur Euangelicam paupertatem, vt referunt Caſtro verb. *Decima*, & Turrecrem. lib. 4. ſummæ, part. 2. cap. 37. De qua re in materia de Beneficiis, & reditibus Eccleſiaſticis tranctandum eſt, hîc enim non explicamus, quomodo Clerici teneantur vti Decimis quibus ipſi interdum non indigent, ſed ſolùm agimus

Paulus.

Caſtro. Turrec.

Decimæ solēdæ prædictis Clericis, etiam malis.

mus de debito soluendi illas ex vi præcepti, quod absolutè datur & ideò respectu omnium obligat. Et eodem modo resoluenda est similis dubitatio de malis beneficiatis, an illis soluendæ sint Decimæ. Nam Wicleph. dixit, liberum esse fidelibus negare Decimas malis Sacerdotibus. Sed ille errauit in fundamento, quia putauit, Decimas non esse debitas, sed voluntarias, ideóque articulus ille cum aliis damnatus est in Concil. Constantiēsi, sess. 45. & expressè sententia illa reiicitur in cap. *Tua nobis*, de Decimis. Et ratio est euidens, quia Decimæ non dantur propter bonitatem vitæ, sed propter seruitium, & ideò si Clerici ministrent, vt debent, malitia eorum non liberat alios à debito Decimarum. Vide Rebuff. q. 7. de Decim. n. 14. 15. & 16. & Abul. dict. cap. 23. Matth. qu. 174. 175. & Alens. dicta q. 51. Membr. 6. art. 3.

Concil. Const. C. Tua nobis.

Rebuff. Abulens. Alens.

6 Simplices Clericos nō habere proprium ius ad Decimas.

Quartò è contrario sequitur, Clericos simplices nullum habentes Ecclesiasticum beneficium, non habere proprium ius ad Decimas recipiendas, nec illis esse propriè debitas. Vtraque pars & certa, & communis. Ratio autem prioris est, quia ius Decimarum non sequitur ipso facto, seu ipso Iure ex vi characteris seu Clericatus, sed ad summum intelligitur ordo, vel tonsura dare capacitatem quandam ad habendum tale ius, si aliquo titulo conferatur, quia cum Laici non sint capaces illius Iuris, Clericatus dat capacitatem. Non verò dat statim ius ipsum, quia nec Diuinum ius id statuit, vt per se constat, nec etiam Ecclesia illud confert, vbi enim est talis Ecclesiæ institutio, aut præceptum; Confirmatur, quia ex vi solius Clericatus non obligatur quis ad ministrandum populo Christiano in spiritualibus, ergo nec acquirit statim ius ad Decimas. Et inde patet ratio alterius partis, quia si Clericus non est obligatus ex vi status ad ministrandum populo, nec populus est illi Decimarum debitor.

Obiectio.

Dices: saltem Clerici in sacris obligantur statim ad horas canonicas recitandas, in quo toti populo Christiano inseruiunt, cum illius nomine orent, & à Deo impetrare illi possint multa bona. Respondeo obligari ad illud officium non debito iustitiæ, sed Religionis ex præcepto Ecclesiæ: Illud autem præceptum non imponitur quasi in vi pacti includentis obligationem iustitiæ, sed solùm ratione status ad Religionem pertinentis, vt infra tract. 4. lib. 4. latè dicetur, & ideò nisi Clericus beneficium habeat, nullæ Decimæ illi debentur ex vi ordinationis suę. Vrgebis præterea, saltem illis, qui ministrant, & inseruiunt ex aliquo pacto debetur sustentatio, ergo & Decimæ propter sustentationem ministrorum dantur.

Diluitur.

Respondetur ex dictis, deberi quidem illis sustentationem ab eo, cum quo pactum inierunt, non in vi iuris Decimarum, sed in vi pacti, siue sustentatio illa detur ex Decimis, siue ex aliis bonis, siue Ecclesiasticis, siue secularibus; vnde licet sæpè talia stipendia soluantur ex Decimis, id est, quasi per accidens, ita enim etiam Laicis conferri possunt, vt supra vidimus.

7. Religiosis nō debentur Decimę Iure communi. *D. Thom. Alens. Abulens. Turrec. Abbas. Gloss. Anton C. Alia causa Cap. Placuit. Ca. Peruenit. Cap Doctos. Ca. Si monachus.*

Quintò infertur, etiam Religiosos ex vi sui status non habere proprium, & intrinsecum ius Decimarū, neque illis Iure communi deberi. Ita D. Tho. 22. q. 87. art. 3. ad 3. Et ibi omnes, Alens. 3. p. q. 51. Memb. 6. art. 2. Abulens. dicto cap. 23. Matth. q 189. Turrec. in cap. vlt. 16. qu. 1. ad quæstionem primam, Abbas in cap. *Suggestum*, de Decimis, notab. 1. Gloss. & Doctores in cap. penult. de Decimis. Anton. 2 part. tit. 4. cap. 3. §. 3. Et Canonistæ passim, ex quorum sententia sub Religiosis omnes personæ ita Deo deuotæ, vt aliquo modo Ecclesiasticæ censeantur, comprehenduntur. De quibus procedunt in primis omnia dicta in capite præcedenti. Et præterea probatur assertio ex capit. *Alia causa*, cap. *Placuit* 2. cap. *Peruenit*, 16. quæst. 1. & faciunt etiam cap. *Doctos* & cap. *Si monachus* ibidem.

A Quibus locis dicitur, ad Clericos pertinere ex altari viuere, non verò ad Monachos, nisi ad Clericorum statum, & munus assumantur: Et ideò Religiosis non deberi Decimas ex vi status.

8. Ratio affert.

Ratio verò est, quia status Religiosus vt sic non constituit ministros Ecclesiæ, nec inducit obligationem seruiendi populo in spiritualibus, & ideò nec populus obligatur ex iustitia ad Religiosos sustentandos, etiamsi ipsi ex deuotione vel regula, aut voto proximorum saluti maximè incumbant, sed solùm ex gratitudine, misericordia, seu Charitate, aut Religione poterit populus eos alere, non tamen Ecclesiam priuando Decimis suis. Quia semper ius ad Decimas manet integrum apud Ecclesiam, & ministros suos, ex officio ad id obligatos, etiam si ipsi Religiosi cooperatores, & coadiutores Clericorum voluntariè se exhibeant. Tandem ob hanc causam in Clem. I. de Decimis suspenduntur, aut excommunicantur (respectiuè) Religiosi, qui Decimas Ecclesiis debitas sine iusto titulo vsurpant, & qui prauis artibus, & fraudibus impediunt, ne Decimæ Ecclesiis debitæ illis persoluantur. Et in Clem. *Cupientes* de pœnis, excommunicantur Religiosi, qui suis sermonibus alios auertunt à solutione debitarum Decimarum, & suspenduntur Religiosi, qui audiendo confessiones id detinentibus iniustè Decimas scrupulum non iniiciunt. De quibus iuris videri possunt adnotata in tom. 5. de Cens. disp. 23. sect. 5. n. 3. & 36. & sequentibus, & disp. 31. sect. 6. num. 9. 12. & 13.

B *Clem. I.*

Clem cupientes.

9. Religiosis variis modis Decimæ cōferri pnsūt. *D. Thom. Alens.*

Quamuis autem Religiosis non debeantur Decimæ ex eo præcisè, quod Religiosi sunt, conferri tamē possunt, & aliquo modo eis deberi variis modis. Primò si illis vt pauperibus conferantur, quod etiam D. Thom. & Alens. notarunt. Tunc autem non confertur Religiosis ius Decimarum, sed fructuum, neque hi conferuntur ex titulo iustitiæ, sed ex Charitate, ideóque conferri non possunt, nisi ab his, quibus ipsæ Decimæ proprio Iure competunt, vel potestatem habent illas dispensandi, & applicandi. Et sic res est clara. Secundò possunt eas habere, si beneficium aliquod Ecclesiasticum eis conferatur, quod interdum fit, vniendo Ecclesiam vel beneficium Parochiale, aut simplex Monasterio alicui, interdum conferendo beneficium ipsum alicui particulari Religioso. De quibus vnionibus, & collationibus, quo modo, & à quibus fieri possint, non est hic dicendi locus, tamen illis factis, non est dubium, quin ius Decimarum in Religionem, vel Religiosum transferatur, quia per beneficium tale ius confertur sub onere ministrandi, quod onus in se suscipit Religio; vel Religiosus, qui supponitur etiam Clericus, & ideò capax est talis iuris.

C

10. C. *Quamuis.* *Panorm.*

Tertiò possunt Decimæ Religiosis conferri ex speciali priuilegio, quod satis constat ex vsu, & ex dictis in superioribus. Nam si hoc priuilegium potest Laicis concedi, multo magis Religiosis. Quin potius in ca. *Quamuis* de Decimis, ita prohibetur Episcopis, ne Laicis secularibus Decimas concedant, vt de Religiosis etiam Laicis id permitti videatur in verbis illis: *Siquis Laico alicui in seculo remanenti.* Vbi Panor. notat. Laicum conuersum, & Religiosum non excludi, quo minus ex priuilegio possint illi Decimæ concedi. Vnde indicat differentiam inter Laicos seculares, & Religiosos, nā prioribus potest concedi ex priuilegio perceptio Decimarum, non tamen ius proprium ad illas. Religiosis autem potest non solum concedi priuilegium percipiendi Decimas more Laicorum per modū cuiusdam eleemosynæ, vel charitatiui subsidij sine aliqua obligatione ad ministeriū spirituale, vt est clarum c. vlt. 16. q. 1. Sed etiam potest concedi priuilegiū percipiendi Decimas sub aliquo titulo spirituali, cum onere alicuius spiritualis ministerij, quia Religiosi

giosi possunt exhibere tale ministerium, & sunt capaces illius iuris, vt Abbas suprà docet per textũ in dicto cap. *Quamuis*. Et est communis sententia in ca. *Causam, quæ* de Præscrip. de qua re videri potest Couar. dicto cap. 27. nu. 13. Gutier. Consil. 5. nu. 2. & 17. Cætera verò, quæ de hoc priuilegio desiderari possunt, ex cap. 10. & 13. petenda sunt. A

Abbas. *Couar.* *Gutier.*

CAPVT XXX.

An Clerici, vel Ecclesiasticæ personæ possint præscriptione acquirere ius Decimarum.

1. *Prima sententia.*

HÆc quæstio locum habet in Religiosis, & in aliis Clericis, qui non sunt incapaces Decimarũ, sicut Laici. Et in hoc puncto aliqui docuerunt nõ posse Religionẽ præscriptione acquirere ius Decimarũ, nisi aliunde habeat, vnitam aliquam Parochiam, ratione cuius præscribat Decimas in alia Parochia. Et idem dicunt de quolibet Clerico, nam si Parochiam, vel beneficium habet, ratione illius potest præscribere aliquas Decimas, quæ videantur excedere titulum talis beneficij secundum commune ius, si tamen nec Parochiam, nec beneficium habet, non potest præscribere. Ita sentit Hostiens. in Summa tit. 1. de Decimis §. *An præscribi possint*. Et Abulens. in cap. 23. Matth. q. 188. Anton. 2. p. c. 4. tit. 3. §. 3. Quorum sententia ita explicari potest, & fundari, quia ius Decimarum consuetudine præscribi potest quoad augmentum, vel extensionem suam (vt sic dicam) non verò quoad substantiam, seu quoad primum esse suũ, seu respectu omnium Decimarum. B C

Hostiens. Abulens. Anton.

2. *Ca. Cum sint homines.*

Prior pars nota est ex superioribus, & ex omnibus iuribus, quæ in hac materia loquuntur. Nam si quis ea rectè consideret, tractant de extensione Decimarum. Nam cap. *Cum sint homines* de Decimis, agit de Ecclesiis Parochialibus, quæ ius habent percipiendi Decimas in suis Territoriis, & interdum ex consuetudine extenduntur ad percipiendas Decimas ex prædiis sitis in alia Parochia, & de eodem loquitur cap. *Ad Apostolicæ*, & cap. *Ad aures* de Præscrip. in cap. autem *De quarta* de Præscription. illa præscriptio in quarta Episcopali est etiam per extensionem, quia Clericus habens iura Parochialia præscriptione extẽditur ad illud ius Episcopale. Sic etiam in cap. 1. de Præscriptione in 6. sermo est de Episcopo, qui præscribit contra Episcopum extendendo ius suum de percipiendis Decimis ad alterius Diœcesim. Et ratio huius partis est quia qui habet ius ad aliquas Decimas percipiendas, potest bona fide possidere aliarũ perceptionem, putans comprehendi sub suo ire, & ita currente tempore præscribere. D

Ca. Ad Apostolicæ. *Ca. Ad aures.* *Cap. De quarta.* *Cap. 1.*

3. *Fundamẽtũ assertionis.*

Hinc verò sumitur ratio alterius partis, quia qui nullum habet beneficium, nec verum ius aliquarum Decimarum, non potest possidere saltem bona fide aliquas Decimas, quia non potest habere titulum etiam coloratum ad percipiendas illas, sine possessione autem ciuili, & bona fide non potest præscribi. Atq; hinc fit, vt de tali modo præscribendi Decimas etiam à Clericis, vel Religiosis, nulla sit in iure mentio. Nam si aliquando indicatur, Religiosos posse præscribere, illud est ratione alicuius Parochiæ, vel facultatis, quã ex priuilegio supponũtur habere, nam suppositio iure ad aliquas Decimas per priuilegiũ obtento, non est inconueniens, quin sub illius colore possint alias præscribere. Et ita videtur supponi in c. *Dudum* de Decimis. & fatentur Hostiens. & Abulen. supra, & potest etiam sumi ex ca. *Cum contingat*, & ca. *Cum in tua* de Decimis. Vt verò totum ius Decimarũ possit præscribi, non videtur habere exemplum in iure, neque fundamentum. E

Cap. Dudum Hostiens. Abulens. *Cap. Cum contingat.* *Cap. Cum in tua.*

Contrarium nihilominùs sententiam tenet Rebuff. q. 13. de Decimis nu. 63. ait enim absolutè, Religiosos posse præscriptione acquirere ius percipiendi Decimas, etiamsi Ecclesias Parochiales non habeant, citatq; in eandem sententiam Turrecrem. in cap. vlt. 16 q. 1. ad q. 1. Sed ibi nullum habet verbum de præscriptione, sed potiùs absolutè dicit, Religiosos seclusa Ecclesiæ donatione per modum eleemosynæ, aut nisi Parochiam habeant, non posse percipere Decimas ibi non concessas, quæ ad aliorum ius pertinent, citat etiam dictum c. *Cum in tua*, sed ibi nec verbum est de cõsuetudine, & præscriptione, sed solùm generatim supponitur, aliquando Religiosos iure accipere Decimas maiores, & explicatur, quomodo illud ius ad minutas Decimas extendatur, non verò dicitur, illud ius posse præscriptione acquiri. Referri solet in eandem sententiam Couar. dicto c. 17. n. 8. §. *Tertio*. Sed sine causa, nam ibi tãtum generaliter dicit, consuetudine fieri posse, vt Decimæ ordinario iure alicui Ecclesiæ debitæ, alteri soluantur, quod verum est, supposito aliquo iure accipiendi Decimas in vtraque Ecclesia. Illam verò sententiam sequitur Gutier. dicto c. 21. nu. 6. afferétque cap. *Statuto §.* Penult. de Decimis in 6. sed sine causa, vt statim dicam. 4. *Secũda sententia contraria præcedenti.* *Rebuff.* *Turrec.* *Couar.* *Gutier.* *Cap. Statuto.*

Potest autem hæc sententia suaderi, quia Iura, & dominia humana, quæ nullo iure prohibentur præscribi, præscriptione cõparari possunt, tale autem est ius Decimarum respectu personæ Ecclesiasticæ, vel monasterij Religiosi, ergo. Maior cõmunis est in materia de Præscripti. Quia leges Ciuiles, & Canonicæ illam admittunt in materia non prohibita; etiam in spiritualibus, Iuribus vt patet ex c. *Auditis* de Præscriptione cum similibus. Minor autem patet, quia in iure Decimandi supposita capacitate personæ, nulla est prohibitio, neque ex natura rei, cum non sit hoc intrinsecè malũ, nec iure Canonico, quia in eo solùm specialiter prohibetur, ne Laici præscribant ius Decimarũ, vnde potius per argumentũ à contrario, vel ab speciali indicat Clericos, vel Monasteria posse præscribere eo ipso, quod nõ sunt Laici, sed Ecclesiastici, licet nullũ aliud beneficium habeant. Et cõfirmatur, quia præscriptio, & priuilegium æquiparantur, vt supra dictum est, sed Religiosi possunt habere ius Decimarum ex priuilegio, vt etiam dictum est, ergo etiam poterunt præscriptione illud acquirere. 5. *Fundamẽtũ secundæ sententiæ.* *Cap. Auditis.*

Mihi occurrit breuiter aduertendũ, aliud esse loqui de iure retinendi Decimas prædiorum, aliud verò de iure accipiendi Decimas iure ordinario debitas alteri Ecclesiæ. De primo enim nõ est dubium, quin possit à Religiosis, & aliis Clericis præscribi, cum etiã à Laicis possit, quia illud nõ est ius ad recipiendas Decimas sed ad non soluendas, quod non est ius spirituale, sed immunitas quædam à temporali onere, quæ potest consuetudine acquiri. Et in hac specie loquitur ca. *Statuto* §. penult. de Decimis in 6. quamuis neque illud loquatur de consuetudine, sed de priuilegio, sed quoad hoc, est eadem ratio, vt supra visum est. De acceptione verò Decimarum sub distinguendum est, nam aut consuetudine præscribitur non tantùm ius Decimarũ, sed etiam fundamentum quod est spirituale ministeriũ ex officio prestandũ, ratione cuius Decimæ dantur, vel solum acquiritur ius ad Decimas percipiendas separatũ ab omni tali ministerio spirituali, vel obligatione ad illud, vt, verbi gratia, potest monasteriũ intelligi prescriptione acquirere Decimas alicuius Parochiæ, quia præscriptione acquisiuit ipsam Parochiã, & ius Parochiale illius, ita vt obligatum maneat ad gerẽdam curam talis Parochiæ, vel intelligi potest solum acquisiuisse ius ad Decimas sine Parochia ipsa, vel onere illius. 6. *Discrimen adnotandũ.* *Cap. Statuto*

Dico ergo primò, recte fieri posse, vt Monasterium 7.

Religiosos posse præscribere Decimas alicuius Ecclesiæ suscipiendo illius onus. Silvest. Ca. Ad aures.

acquirat ius Decimarum alicuius Ecclesiæ præscribendo ipsammet Ecclesiam, & illius onera in se suscipiendo. Hoc certum videtur apud omnes. Suppono enim, Ecclesiã posse præscriptione acquiri ab alio, qui sit capax eius, possitque illam possidere, quale est Religiosum Monasterium, vt tradit Silvest. Verb. *Præscriptio*, 2. nu. 4. ex cap. *Ad aures*, de Præscriptione cum his, quæ ibi communiter notantur. Acquisita autem Ecclesia, clarum est, etiam Decimas acquiri, quia acquiritur fundamentum Decimarum, quod est principale, vnde fit, vt etiam acquiratur accessoriũ. Item tunc semper Decimæ exigũtur titulo Parochiæ, ergò optimè illo modo præscribi possunt. Item, licet quis non possit præscribere ius ad procurationem debitam ratione visitationis si no visitet, nec visitare possit, tamen præscribendo ius visitandi, potest etiam procurationẽ præscribere, cap. *Cum ex officiis*, de Præscriptione, ergo similiter præscripta Ecclesia præscribuntur Decimæ. Quanto autem tempore præscribatur Ecclesia, & quis titulus sit necessarius, ad hunc locum non spectat.

Cap. *Cum ex officiis.*

8. Nõ posse Ecclesiasticum præscribere ius Decimarũ sine Parochia.

Dico secundò, per se, & directè non potest quispiam, etiam Ecclesiasticus totum ius Decimarum sine Parochia, vel alio simili titulo præscribere, potest tamen per talem præscriptionem sufficienter probari, seu præsumi priuilegium, ratione cuius tales Decimæ iustè postulentur. Priorem partem probat mihi prioris sententiæ fundamentum, quia secluso priuilegio, nunquam potest Decima exigi iustè ab eo, qui non seruit, nec laborat, quia Decimæ intrinsecè habent, vt sint stipendium spiritualis ministerij, & ideò non possunt aliter iustè peti, nisi ratione concessionis, vel donationis à domino, vel dispensatore facta, quam nomine priuilegij comprehendimus. Sed in eo casu constat, talem personam, vel Monasterium non accipere Decimas vt stipendium, quia supponimus non suscepisse in se onus Ecclesiæ, seu beneficij, sed tantum cõmodum; ideoq; non habet ibi locũ ratio stipendij, ergo nõ possunt aliter iustè peti, nisi ratione priuilegij. Neque sub alio colore potest valere præscriptio, quia per actionem iniustam non potest præscribi & petere Decimas, non ministrando, & sine concessione speciali, seu priuilegio, nunquam potest esse licitum. Neq; in hoc potest præsumi bona fides, quia cõtinet tam claram iniustitiam, vt nullo alio titulo colorari possit. Et ideò non procedit cõtra hanc partem fundamentum prioris sententiæ, quia hic nõ est necessaria specialis prohibitio talis materiæ præscribendæ, quia modus ille præscribendi intrinsecè continet iniustitiam, & excludit bonam fidem. Neq; etiam confirmatio quicquam probat, quia licet quicquid præscriptione acquiri potest, possit etiam priuilegio concedi, non tamen è contrario conuertitur, vt apertè probatur ex cap. *Accedentes*, de Præscriptione, vbi dicitur, posse aliquem priuilegio eximi à procurationibus pro visitatione soluendis, & nõ posse eximi præscriptione longissimi temporis, nõ ergo quicquid priuilegio obtineri potest, potest etiam præscriptione. Et ratio est, quia posito priuilegio interdum fit iustè, quod sine illo bona fide fieri non potest, quia non habet locum præscriptio.

C. Accedentes

9. Probatur secunda pars conclusionis

Hinc verò probatur facilè altera pars, quia si priuilegium sit, vel existimetur esse: tunc potest bona fide inchoari, vel saltem cõtinuari cõsuetudo exigendi Decimas, ergo tunc nihil oberit, quominus possit præscribi illo modo, quia persona est capax, & habet locum bonæ fidei possessio. Tunc autem præscriptio nõ est propria præscriptio rei, seu iuris, sed est quasi præscriptio priuilegij, seu talis præsumptio eius, quæ & conscientiam reddat securam, & det actionem, & ius etiam in foro exteriori. Sicut supra dicebamus, A hoc modo posse etiam Laicos probare consuetudine priuilegium obtinendi Decimas, etiamsi non possint aliter probare. Est tamen differentia, quia sicut priuilegium non dat Laicis ius proprium spirituale Decimarum, sed solum facultatem ad temporalem vtilitatem de licentia Ecclesiæ capiendam, ita nec illa cõsuetuto plus ostendit. In Religiosis autem quia per priuilegium dari eis potest ius etiam Decimarũ, idem potest consuetudine probari, si in modo cõsueto exigẽdi Decimas sint sufficientia signa talis iuris, & quod illæ Decimæ petantur tanquam debitæ ex proprio, & intrinseco spirituali iure. Quod maximè iudicari poterit, si Monasterium, in quo est talis consuetudo, se agnoscit obligatum ex iustitia ad aliquod ministeriũ spirituale ratione talium Decimarum. Hinc verò cõstat, ad hoc genus præscriptionis, vel consuetudinis necessarium esse immemorialem morem iuxta dicta suprà de Laicis, nam quoad hoc est eadem ratio, nimirum quod in hac consuetudine non potest allegari, & ostendi titulus, præter priuilegium ipsum, de quo dubitatur, & sola cõsuetudine ostenditur, & alioqui res, de qua controuertitur, est contra ius commune, ergo necessaria est immemorialis consuetudo ad plenam ostensionem, & quietem conscientiæ, iuxta Decisionem c. 1. de Decimis in 6. & alia, quæ videri possunt in Couar. dicto c. 17. nu. 7. & aliis suprà relatis.

Ad hãc præscriptionem immemorialis mos necessarius.

Cap. 1. Couar.

CAPVT XXXI.

Ex quibus rebus Decimæ personales soluendæ sint.

1. Exponitur quæstionis sensus.

HÆc est tertia principalis circunstantia in Decimarum solutione obseruanda, quæ pertinet ad circunstantiam *quid*, seu *circa quid*, & inde etiam pendet scire, quanta Decimarum quantitas sit soluenda. Nam licet quoad quantitatẽ partis aliquotæ singulorum fructuum constet debere esse Decimam stando in communi iure, tamen quantitas omnium Decimarum pendet ex multitudine, vel paucitate rerum ex quibus soluendæ sunt. Et quia hæc quantitas, & circunstantia maximè pendet ex modo supputandi fructus, ex quibus Decimæ soluendæ sunt, ideò de hoc etiam modo in discursu dicemus. Quia verò in multis loquendum est aliter de prædialibus quam de personalibus Decimis, ideo prius expediemus, quæ ad personales pertinent postea de prædialibus dicemus.

2. Decimæ personales ex omnibus lucris soluendæ Auguſt.

De personalibus ergo Decimis generaliter dicendũ est, stando in iure cõmuni Ecclesiæ soluendas esse ex omnibus lucris, quæ quouis modo verè, ac iustè acquiruntur. Est communis sententia omnium, quos referemus, & sumitur ex verbis Augustini. *De militia, de negotio, de artificio redde Decimas.* Præmiserat autem, *Si tardiùs dare, peccatum est, quanto peius est non dedisse?* ostendẽs esse præceptum. Habetur in c. *Decimæ*, 16. q. 1. Expressiùs, ac generaliùs id traditur in ea. *Extransmissa*, de Decimis, *Fidelis homo de omnibus, quæ licitè potest acquirere, Decimas erogare tenetur*, & in c. *Non est*, eodem *De negotiatione, de ipsa etiam militia, & venatione, & omnibus bonis.* Ratio ergo huius tam generalis obligationis est Ecclesiæ præceptum; congruentia autem nunc sit, quia non est maior ratio de vno lucro, quam de alio, cum de omnibus honorandus sit Deus.

Ca. *Decimæ.* C. *Extransmissa.* Cap. *Non est.*

3. An aliqua limitatio adhibenda cõclusioni.

Vt autem hæc generalis regula explicetur, nonnulla circa illam inquiri possunt. Primum est, An de omnibus licitè acquisitis debeatur hæc Decima, vel aliqua limitatio, vel declaratio adhibenda sit. Ratio autem dubitandi est, primò quia multa acquiruntur per liberalem donationem aliorum, vel per legatum, aut hæreditariam successionem, ex quibus non est

Ratio dubitandi.

est verisimile, deberi decimas, alias facilè bona omnia peruenirent ad Ecclesiam. Item, quæ aliquis acquirit ex propriis laboribus tanquam iusta illorum stipendia iustissimè acquiruntur: & tamen durissimũ est obligare omnes ad soluendas decimas suorum stipendiorum, aliàs Aduocatus ex mercede, Lector ex cathedræ stipendio, & omnes similes, decimas ex his lucris deberent soluere: quod videtur iniustũ onus; nam qui vendit equum, vel triticum suum iusto pretio, non tenetur soluere Ecclesiæ decimam; ergo nec ille, qui vendit laborem suũ iusta æstimatione, quod fit quoties pro opere merces accipitur. Simile argumentum fit de militibus, cur enim decimas soluent de stipendio, quo vix possunt sustentari? Dices, soluant saltem de præda. Contrà, ergo tenebitur Princeps decimam partem terrarum, quas in bello iusto acquirit, Ecclesiæ dare, quia tenetur decimam soluere. Accedit quod modus ille lucrandi in bello multis est periculis plenus, & quod hodie ab hoste accipitur, paulò post duplicatũ perditur: durum est autẽ prædam non accipere integram, & postea subire periculum amittendi illam non tantùm integram, sed etiam duplam. Et hæc difficultas inuenitur etiam in lucratis per ludum, quantuncunq; iustum, quia semper est dubia fortuna, ideóque non potest statim in lucrum computari, quod hodie per ludum comparatur, cras enim perditur: quod si lucrum anteà obtentum posteà amittatur, antequam soluatur decima, non videtur posse deberi. Quando ergo ex tali lucro orietur obligatio soluendi decimas? Denique si propter distributionem positam in cap. *Ex transmissa*, & similibus, de omnibus his lucris deberentur decimæ, etiam de omnibus bonis tàm immobilibus, quàm mobilibus denuò comparatis deberentur decimæ, quia in cap. *Non est*, absolutè dicitur, deberi *De omnibus bonis*: id autem dici non potest, vt omnes fatentur, ergo nec alia regula certa est.

Ca. *Ex transmissa.*

Ca. *Non est.*

4. Stabilitur præcedens conclusio. *D. Thom. Abba. Rebuff.*

Respondeo nihilominùs, ex vi iuris communis de omni vero lucro ab homine acquisito deberi decimam, quia ita loquuntur Iura, & ita intelligunt omnes, vt præter D. Thom. & Theologos, ac Summistas videri potest in Abbate, & aliis exponentibus illa Iura, & latè per Rebuffum dicto tract. q. 8. à nu. 18. Et præterea quia non possumus dicere ex nullo lucro personali licito deberi decimã, quia est expressè cõtra ius, nec possumus cum ratione excipere vnum potiùs, quàm aliud, tum quia nulla est maior ratio, tum etiam quia vbi Ius non distinguit, nos distinguere non debemus sine alio iure, vel ratione cogente, ergo ex vi iuris, generalis est illa obligatio. Dico autẽ semper *Ex vi iuris*, quia consuetudine ferè sunt istæ decimæ sublatæ, & facilè potuerunt consuetudine excipi aliqua lucra, & non alia, quia ipsa consuetudo derogat, vel minuit ius, & ita illa posita insurgit specialis ratio excipiendi. Interdũ verò dubitari potest de aliquibus bonis, quæ de nouo in nostrum dominium veniunt, an sint propria lucra, vt de lucro Iura in hac materia loquuntur.

5. An proprie lucra sint quæ per donationẽ acquiruntur. Pars affirmatiua. *Siluest. Hostiens.*

Et hoc in primis postulatur in prima obiectione posita de his bonis, quæ per donationem, vel aliam largitionem, vel per testamentum, aut successionem necessariam, vel alio simili modo cõparantur, an sint propria lucra, ex quibus decimæ debentur. Nam partem affirmantem simpliciter docuit Siluester verb. *Decima* cum Hostiens. & aliis, solùm propter absolutam, & vniuersalem locutionem Iuris de omni lucro, nam omnia ista obtinentur titulo lucratiuo. Et hoc ipsum significant, qui dicunt ex omni lucro Castrensi, quasi Castrensi, aduentitio, vel profectitio deberi decimam. Vt loquitur Rebuffus dicta quæst. 8. nu. 2. cum Andr. Hispan. q. 12. Addi verò solet duplex limitatio. Vna est de filio succedente patri in hæreditate, vel non habente fructus, vel habente illos iam decimatos, quia tunc non censetur filius aliquid lucrari, sed possidere incipere, quod iure suum iam erat. Ita Glossa in cap. *Pastoralis*, de decimis, Verb. *Quasi de lucro*, quam multi ibi sequuntur. Alij verò hanc exceptionem extendunt ad omnes ab intestato succedentes, quia illi sunt necessarij hæredes, & ideò non tàm acquirunt, quàm rem sibi debitam accipiũt. Ita Glossa in cap. *Decima* 16. quæst. 1. Secunda limitatio est, vt de solis mobilibus bonis decima soluatur, non de immobilibus etiam de nouo per legatum vel donationem acquisitis. Ita Glossa dicto cap. *Pastoralis*, quam ibi in hoc multi sequuntur, & Rebuffus dicta quæ. 8. num. vlt. *Quia frugum* (inquit) *nomine res immobiles non veniunt.* Et quia si ex immobilibus decima deberetur, omnia ferè immobilia bona ad Ecclesiam peruenirent.

Gloss.

Rebuff.

6. Pars negatiua proponitur.

Aliorũ autem opinio est de bonis nobis aduenientibus per liberalem largitionem alterius, siue per donationem inter viuos, siue causa mortis, siue per legatum, aut institutionem hæredis quantumuis extranei, non deberi decimas. Hanc sententiam benè defendit, ac declarat Valent. in sum. tom. 3. disp. 6. qu. est. 5. p. 3. fuitque Alberi. vt Siluest. refert. Et in eam inclinat Innoc. in cap. *Non est*, de decimis, qui refert fuisse opinionem antiquiorum, & Panor. in dicto cap. *Pastoralis*, ait non esse facile in hoc præcipitare sententiam, & tandem ait, standum esse consuetudini. Quem imitando assero, rem quidem esse dubiam, tamen in rigore iuris satis probabile videri de sic acquisitis non solui decimam. Quia ex nullo iure hoc satis colligitur, & non sunt augenda onera sine iure cogente. Antecedens patet, quia ex iure solùm habemus soluendas esse decimas ex frugibus, seu fructibus, aut emolumentis rerum immobilium, vel animalium, quod pertinet ad decimas prædiales: vel ex laboribus nostris, vel ex acquisitis nostra manu, opere, seu industria, quod spectat ad personales. At illa bona, quæ nobis donantur, quocunque modo, nec ad prius membrum pertinent, vt per se constat, nec ad posterius, quia non ex actione nostra nobis proueniunt, sed ex actione alterius in nobis recipiuntur, vt sic dicam: ergo.

Valent. Alberi. Innocent. Panor.

7. Confirmatur hæc doctrina.

Vnde confirmari, ac declarari potest, quia sicut decimæ prædiales debentur ex fructibus prædiorum, ita personales ex fructibus personarum, qui fructus, sunt actiones, & labores ipsius personæ, & lucra illorum: at quæ nobis dono dantur, neutro modo sunt fructus, ergo non sunt materia decimarum. Confirmatur secundò, quia si aliquo modo ex Iure illa obligatio colligeretur, maximè ex generalibus locutionibus Canonum; inde autem non colligitur, ergo. Patet minòr: nam in primis cap. *Non est*, & *De omnibus bonis*, non possunt tàm late accipi, vt nullam declarationem admittant: aliàs etiam de immobilibus testamento nobis relictis decimas deberemus, quod ab omnibus reiicitur: sequela patet, quia etiam res immobiles sunt bona, quæ verè acquirimus, cum nobis donantur. Vnde parùm referret, quod non sint fruges, (vt Rebuffus argumentatur) tum quia textus ille non dicit de omnibus frugibus, sed de omnibus bonis, tum etiam quia si licet exponere de bonis quæ sint fruges, vel fructus, etiam aliæ res mobiles, vt vasa aurea, & argentea, & vestes, & similes testamento nobis relictæ, non sunt fruges, nec fructus, ergo etiam illæ non comprehenduntur sub illa generalitate. Videtur ergo illa locutio exponenda iuxta subiectam materiam, & contextum de omnibus prouentibus, vt loquitur cap. *Tua nobis*, de decimis: legata autem, vel donaria non dicuntur pro-

Ca. *Non est.*

Rebuff.

Cap. *Tua nobis.*

Rebuff. Andr. Hisp.

priè prouentus, quia non ſunt reditus, & prouentus A idem eſt, quod reditus. Vnde nec eleemoſynæ, nomine prouentuum, vel redituum comprehenduntur.

Ca. *Ex tranſmiſſa.* Et ſimiliter quod dicitur in d. cap. *Ex tranſmiſſa de omnibus, quæ homo licitè poteſt acquirere*, &c. actiuè, (vt ſic dicam) & non paſſiuè tantùm intelligendum videtur, id eſt, de his, quæ noſtra actione, vel induſtria acquirimus, non de his, quæ nobis acquiruntur ex ſola quaſi actione, vel donatione alterius, alioqui etiam immobilia comprehenderet (vt dictum eſt) quia ſimpliciter dicit de omnibus quæ acquirimus, & immobilia etiam acquirimus.

8. Augetur argumẽti vis. Atque idem argumentum vrgeri poteſt etiam cõtra aliam limitationem de acquirentibus per ſucceſſionem ab inteſtato, quia etiam illi acquirunt de no- B uo, ſolùm ergo poſſunt excludi, quia non per actionem ſuam acquirunt. Nam quod acquirant ex debito parùm refert, nam etiam mercenarius acquirit rem ſibi iam debitam ratione operis ſui, iuxta leg. *Qui operas*. ff. locati. Solùm ergò conſtitui poteſt differentia, quia in mercenario lucrum fit debitum per actionem eius: in hæreditate ab inteſtato naſcitur iure ſanguinis, quod ius partim humana lege, partim ex voluntate defuncti (ſaltem negatiuè ſe habente, non conſtituendo alium hæredem) prouenit, quando ſucceſſio non eſt neceſſaria omnino, vt in filio, &c. Quæ differentia parùm ad præſentem materiam facit, niſi ſupponamus nõ de omni lucro quocunque modo nobis adueniente, ſed de comparato per propriam actio- C nem, decimam deberi. Nam ſi de bonis merè ab intrinſeco prouenientibus deberi poteſt, quid refert quod illa bona nobis debeantur, & proueniant ex ſola voluntate teſtatoris poſitiua, & iure extraneo, vel quod proueniant iure hæreditario virtute legis, abſque interuentu voluntatis defuncti? Imò etiam in ſucceſſione filiorũ eſt parua differẽtia, quia illi etiam re vera acquirunt de nouo hæreditatem per mortem patris; licet anteà haberent ius ad illam magis intrinſecum, & neceſſarium.

Cap. *Qui operas.*

9. Tandem confirmari poteſt, quia aliâs ex eleemoſynis, quæ nobis conferuntur, teneremur decimas ſoluere; conſequens videtur abſurdum, ergo. Sequela patet, quia etiam acquiſita per eleemoſynam ſunt D bona quædam, vt per ſe conſtat, & ſunt licitè comparata, vt etiam eſt clarum, quia excludimus omnem fictionem, & violentiam, ergo in rigore comprehenduntur ſub illis generalibus locutionibus Iurium ſi nullam limitationem admittant. Conſequens autem illud abſurdum eſſe conſtat ex ſenſu omnium, nullum enim Doctorem legi, qui diceret ex eleemoſynis decimam deberi. Nec in Iure inuenitur verbum, in quo id fundari poſſit, neque fuiſſet conueniens pauperibus mendicantibus, ſeu ex eleemoſynis viuentibus tale onus imponere. Vnde licet Canones interdum dicant Religioſos debere decimas ex laboribus, vel fructibus, nullibi tamen indicatur eos debere decimas ex eleemoſynis etiam attento iure; ergo E non de omnibus, quæ liberaliter nobis dantur, decimas debemus. Quod ſi quis fortè dicat de eleemoſynis non exigi decimas, vel quia neceſſariæ ſunt pauperibus, quibus dantur, vel quia pro minimis reputãtur, & de minimis lucris non exiguntur decimæ, quia minima in generali locutione non computãtur. Reſpondemus, non minus eſſe neceſſariam mercedem pauperi mercenario, vel ſtipendiũ militi, quàm eleemoſynam mendicanti, ergo quoad hoc, eſt eadem ratio. Nec eſt diſſimilis in quantitate, nam in vtroque lucro inuenitur, & parua, & magna quantitas, & licet eleemoſyna vnius diei ſit parua, cumulus totius anni efficit magnam quantitatem, quod etiam in mercede operum reperitur: & ſæpe etiam per vnam tantũ elee-

Euaſio refellitur.

moſynam magna quantitas confertur. Non eſt ergo illa vera differentia, ſed quæ ex modo acquirendi per propriam induſtriam, vel per alterius tantùm voluntatem inſurgit. Nam Iura loquentia de decimis, ſolùm de acquiſitis priõri modo loquuntur, & illa vocantur propria lucra negotiationum, emptionum, ac venditionum, & aliarum actionum, de quibus planè loquuntur dicta Iura, & cap. *Paſtoralis* de Decimis, ibi. *Quaſi de lucro.* Cap. *Paſtoralis.*

Atque ex his ſatis reſponſum eſt ad fundamenta aliarum opinionum, ſolùm oportet aduertere, quando res fructiferæ, ſiue immobiles, ſiue ſe mouentes, teſtamento, aut legato, aut ſucceſſione ſanguinis, aut alia donatione ad aliquem tranſeunt cum ſuis fructibus, conſiderandũ eſſe an illi fructus collecti ſint, necne. Nam ſi non ſint percepti, clarum eſt, ex illis deberi decimam ſuo tempore ab eo, in cuius dominium, & poſſeſſionẽ talia bona tranſeunt, tum quia tranſeunt cum onere ſuo, & ex illis fructibus debetur Eccleſiæ decima debito reali; tum etiam quia illi fructus percipiuntur ab illo vltimo poſſeſſore ex rebus, & bonis ſuis, & ideò comprehenduntur in omni proprietate, & rigore ſub decimis prædialibus, & verbis Canonum. Item ex fructibus in futurum producendis clarum eſt, ſoluendam eſſe decimam, ergo & de illis, licet iam eſſent nati, quia à principio naſcuntur cum illa obligatione. At verò ſi fructus iam erant percepti, quando in alterius dominium tranſeunt, conſiderandum vlterius eſſet, an eſſent ex illis decimæ ſolutæ ante mortem teſtatoris, vel ante donationẽ. Nam ſi non erant ſolutæ, ſoluendæ ſunt, propter eandem rationem, vt latiùs videbimus cap. ſeq. At verò ſi decimæ iam erant ſolutæ, non eſt alia decima ſoluenda ex reliquis nouem partibus fructuum, quæ in horreis, vel cellariis inueniuntur, ſolum propter nouam acquiſitionem illorum per donationem, vel teſtamentum, quia iam illi non habent onus reale, nec ex eis debetur decima prædialis, vt per ſe notum eſt, cum iam fuerit ſoluta, vt ſupponitur. Nec perſonalis etiam debetur propter omnia dicta. Vnde illi iam non habent rationem fructuum, vel prouentuum, ſed perinde ſe habent, ac res aliæ mobiles, & vſu conſumptibiles, pretio comparatæ à teſtamento, vel donatione, de quibus nullas decimas debet, qui dono, vel hæreditario iure illas recipit, vt dictum eſt.

10. Quando res donantur cũ fructibus, quid faciendum.

CAPVT XXXII.

An aliqua propria lucra ſint ab onere decimarum exempta.

HAnc quæſtionem propono propter obiectiones factas in ſuperiori capite, & exemplis, quæ in eis adducuntur, quibus non obſtantibus. Dicendum eſt, in rigore iuris nihil eſſe excipiendum de propriis lucris per actionem, & induſtriam hominis comparatis. Quia & generalia verba Iurium, & ſpecialia, quibus illam obligationem applicant ad negotiationem, piſcationem, venationem, militiam, lucrum, vẽditionem, & artificium, non permittunt, quin omnia ſimilia lucra comprehendantur abſque exceptione. Dico autem *In rigore iuris*, quia conſuetudo potuit illud mutare, vt ſupra viſum eſt, & de facto mutauit, ideóque conſuetudo ſemper conſulenda eſt, vt omnes docent, ad iudicandum autem de conſuetudine oportet ſcire, quale ſit ius. Probatur ergo aſſertio inductione. Nam miles debet decimam ex ſtipendio, quia ſus dicit, *De militia*, & militia tam comprehendit lucrum ſtipendij, ſicut lucrum iuſtæ prædæ, vt notant Cardin. & Panor. in dicto c. *Non eſt*. Eadẽ ratione Aduocatus ex lucris ſui patrocinij decimis ſoluendis obnoxius eſt, nam eadem eſt ratio; vnde militibus

1.

Cardin. Panor.

Leg. *Aduocati.*

tibus comparantur, & militare dicuntur in leg. *Aduocati*, C. de Aduocatis diuerſ. iud. in priori titut. Eadémq; ratio eſt de publico Doctore quoad ſtipendiũ cathedræ, & de iudicibus, & omnibus aliis ſimilibus.

2. Non eſſe hoc præter æquitatem.

Nec in hoc genere obligationis, & præcepti eſt nimius rigor, vel præter æquitatem, quia cum non minus fructus laborum noſtrorum ſint à Deo, quàm fructus terræ, non minus decet, vt ex illis Deum colamus, quàm ex iſtis; cúmque miniſtri Eccleſiæ ſuas operas in ſpirituale bonum fidelium impendant, iuſtum etiam eſt, vt de fructibus quaſi carnalibus operum eorundem fidelium participent. Et ideò non eſt ſimile de venditione rei per iuſtum pretium, quando ex illa non capitur nouum lucrum; at ſi cum nouo lucro vendatur, & ad hoc ordinetur talis rei acquiſitio, & venditio, etiam ex illo lucro ſoluenda erit Decima, iuxta cap. *Paſtoralis* de Decimis, & ita ſeruatur proportio. Eo vel maximè, quod propriè non dicitur quis vendere, ſed locare operas ſuas, vel ſe ad operas ſuas, ſicut è contrario dicitur paterfamilias conducere operarios in vineam Matth. 20. Ex locatione autem rei fructiferæ Decima ſoluitur, vt mox videbimus. Quod verò addebatur de paupertate militum, vel aliorum mercenariorum locantium operas ſuas, non habet hîc ſpecialem difficultatem, ſed communem ſuprà tractatam, quomodo pauperes obligentur ad Decimas ſoluendas. Et iuxta ibi reſoluta dicendum hîc eſt accidentarium eſſe, quod lucra ſint tam tenuia, & perſona adeò indigẽs, vt indigeat omnibus, quæ lucratur ad ſuam ſuſtentationem: tunc enim meritò excuſabitur, præceptum autem de ſe obligat, & generalius eſt. Ad cap. autem *Ex tranſmiſſa*, & *Non eſt*, ſatis in ſuperioribus dictum eſt, ex quibus facilè expediuntur cætera, quæ ibi tanguntur.

Cap. *Paſtoralis.*

Matth. 20.

3. Decimas ſoluendas eſſe ex militia.

Circa Decimas verò ex militia ſoluendas petitur ibi, an extendantur etiam ad prædam. Et ſanè affirmandum eſt, quandoquidem præda in maximam partem lucri computatur, & cum obtineatur poſt comparatam victoriam, maximè poſtulat gratiarum actionem, & recognitionem diuini beneficij. Vnde Abraham de omnibus ſpoliis victoriæ Decimas obtulit Melchiſedecho, Geneſ. 14. & ad Hebr. 7. Quo exemplo maximè oſtenditur initium, & Religio harum Decimarum perſonalium, vt notauit Concil. Magunt. in c. *Decimas* 16. q. 7. Rurſus verò poſtulatur ibidẽ, an ex rebus etiam immobilibus in bello captis Decimæ debeantur. Ad quod iuxta doctrinã Gloſſæ, & aliorũ ſuprà relatam reſponderi poteſt, ſimpliciter non deberi, quia ex reb. immobilibus non debentur Decimæ: & poteſt ad hoc induci dictum c. *Paſtoralis*, quatenus ibi ſignificatur ex domo ædificata non deberi Decimam, donec vendatur, & lucrum accreſcat.

Geneſ. 14. *Hebr.* 7.

Concil. Magunt.

Gloſſ.

Cap. *Paſtoralis.*

4. Quid ſentiendum de rebus immobilibus.

At verò quæſtio illa generaliter proponi poteſt de quacunque re immobili acquiſita per modum lucri per propriam actionem, an ex illa debeatur Decima, vt v. g. ſi pro labore tanti temporis, nimirum ſeptem annorum talis domus detur, vel quid ſimile. Et tunc certè non video; cur ex tali lucro non debeatur Decima perſonalis. Quia hęc non ſolùm debetur, quando lucrum eſt, pecunia, ſed etiam ſi ſit triticum, vel ouis, vel aliquid ſimile, quia qualitas rei accidentaria eſt, & quia tunc illa res ſubit locum pecuniæ, ſeu pretij, idem ergo eſt, etiamſi pro mercede detur res immobilis. Et hoc etiam ſuadent multa ex argumentis factis, quia Iura indiſtinctè loquuntur. Nec obſtat cap. *Paſtoralis*, ibi enim non debebatur Decima ante venditionem domus, non quia illa eſſet res immobilis, ſed quia nondum erat contractus lucratiuus conſummatus. Idem enim erit in rebus mobilibus, ſeu ſe mouentibus, nam ſiquis ad negotiandũ emat agnos, vt illos nutriat, &c. non debet Decimam lucri, donec vendat illos, & lucretur, quia antea non eſt conſummatus contractus, nec fructus lucri perceptus. Et idem eſt in emptione, & venditione quarumcunque mercium. At in præſenti ſi vinea detur in mercedem, & ſtipendium operis, conſummato opere, & accepta vinea, contractus, & lucrum conſummatur, cur ergo non debebitur Decima? Credo igitur deberi, ſed non neceſſario in eadem ſpecie, id eſt, in parte rei immobilis, ſed ſufficit dare in æſtimatione & pretio, quia hoc eſt per ſe in tali lucro; aliud eſt per accidens. In caſu autem illo particulari de bello, regulariter non debetur talis Decima, quia cum bellum debeat eſſe iuſtum ſi terræ hoſtium occupantur iuſtè: id eſt (regulariter loquendo) vel quia occupãtur, & accipiuntur, vt propriæ, vel quia accipiuntur in recompenſationem iuſtarum expenſarum, vel in pœnam iuſtam, & recompenſationem iniuriæ illatæ, his autem cauſis interuenientibus illa bona non cõputantur in lucro, & hanc ſententiã tenet Abulenſ. ſupra q. 159. in fine.

Abulenſ.

5. Ex ludo licito deberi Decimas.

Præterea, petebatur in illis obiectionibus aliud dubium de lucro ex ludo comparato, an debeatur ex illo Decima. In quo diſtingui poteſt de ludo illicito, vel licito, nam de illicito iudicandum eſt per regulam cæterorum lucrorum ex actionibus illicitis, de quibus in puncto ſequenti dicemus. De licito autem ludo non videtur dubium, quin per ſe loquendo Decimæ debeantur ex illius lucro. Quia ille eſt quidam contractus licitus, & lucrum eſt iuſtum, nullíque reſtitutioni obnoxium, & eſt verum lucrum ex actione, & induſtria hominis proueniens, licet enim ſæpe interueniat fortuna ſeu contingentia euentus, hæc ferè nunquam excluditur ab his lucris, & negotiationibus humanis, & quòd ſit maior, vel minor, parum refert ad veram lucri rationem, quando actio, & induſtria hominis interuenit. Quamuis ergo Iura de hoc lucro in ſpecie non loquantur, quia communiter turpe reputatur, includunt tamen illud ſub generali ratione lucri, quoties iuſtum eſſe contigerit. Auctores etiam illud non excludunt, quamuis in ſpecie non attingant. Tandem petebatur ibidem, quomodo ex his lucris peti poſſit Decima, cum ſemper ſint quaſi in fieri, & in dubio euentu, ſed hoc magis ſpectat ad quæſtionem, quando ſoluenda ſit hæc Decima perſonalis, de qua dicam in ſequentibus.

6. An perſonales Decimæ debeantur de rebus illicitè acquiſitis.

Tandem inquiri ſolet de his perſonalibus Decimis, an debeantur de rebus illicitè acquiſitis. Duobus autem modis poteſt aliquid illicitè acquiri. Primo contra iuſtitiam commutatiuam, vt per furtum, per vſuram, per venditionem vltra iuſtum pretium: Et hùc ſpectat omnis acceptio, in qua non comparatur dominium lucri acquiſiti, etiamſi non videatur eſſe contra iuſtitiam, vt ſunt acquiſita per ſimoniam, quæ Religioni opponitur, vel per quamcunque largitionem ita lege prohibitam, vt dominij tranſlatio per legem impediatur, licet illa acceptio non ſit contra iuſtitiam commutatiuam, (quia dans non ſupponitur inuitus) ſed contra obedientiam, vel iuſtitiam legalem eſſe videatur, tamen hæc omnia ſub vno capite comprehendimus, quia de omnibus eadem eſt ratio. Et quia fortaſſe ſuppoſita lege prohibente, & impediente trãſlationem dominij, illud lucrum non acquiritur moraliter loquendò ſine iniuſtitia, quia licet dans non ſit ſimpliciter inuitus, tamen moraliter cogitur, & præterea, quia licet conſentire videatur, lex irritat eius voluntatem. Secundò poteſt aliquid illicitè acquiri ſine iniuſtitia & verum, ac firmum dominium rei acquirendo, per vitioſam tamen actionem contra temperantiam, vel aliam ſimilem virtutem.

Duplíciter aliquid acquiri illicitè.

7. Dicendum ergo in primis eſt de acquiſitis illicitè, id eſt, iniuſtè, ita vt lucrans vel non acquirat dominiũ

De rebus iniustè acquisitis non deberi Decimam.

rei, vel ad illius restitutionem teneatur, non deberi Decimam, nec ab Ecclesia accipi posse. Hoc significaui in generali regula, cum dixi, *Verè & iustè acquiruntur*, nam quorum dominium non acquiritur, verè non acquiruntur, & quæ obnoxia sunt restitutioni, non acquiruntur iustè. Et in hoc sensu accipiendum est verbum *Licitè*, positum in cap. *Extransmissa*, vt ibi Glossa explicat, & omnes, & D. Tho. dicta q. 87. art. 2. ad 2. Et ibi omnes Theologi, & omnes Summistæ.

C. *Extransmissa. Gloss. D. Thom.*

Ratio conclusionis.

Ratio autem est clara: Quia si lucrans non acquirit rei dominium, non potest de illa disponere, nec alienare, ergo nec potest eam, aut partem eius Ecclesiæ tribuere. Item si ita rem vsurpat, vt eam teneatur restituere, re vera non lucratur, quia illa sic acquisita non computatur in bonis eius, vt ait I. C. in leg. *Si fratres*, §. vlt. ff. Pro socio, & leg. *Non possunt*, ff. de iure fisc. Dices, qui accipit pretium, vt alium occidat, contra iustitiam commutatiuam peccat; & tamen inde tenetur Decimam soluere, quia verè ditior factus est: similiter mulier coniugata, quæ propter adulterium mercedem accipit, contra iustitiam peccat, & nihilominùs tenetur, ob eandem causam. Item qui seminat in alieno agro contra voluntatem domini, & fructus colligit, tenetur ex fructibus Decimam soluere, licet contra iustitiam peccauerit. Et similiter, qui seminat triticum furto sublatum, contra iustitiam peccat, & tamen ex fructibus Decimas debet, vt D. Tho. supra docet: Glossa, Innoc. & omnes in dicto cap. *Extransmissa*. Denique Glossa in cap. *Decimæ*, 16. q. 1. ver. *Negotiatio*, docet, à fure, & raptore benè peti Decimam, propter possessionem, quia Decima sequitur quemlibet possessorem: *Alioqui* (ait) *esset prædo melioris conditionis, quàm bonæ fidei possessor.*

Iuris C.

Obiectio.

D. Thom. Gloss. Innocent.

8. Satisfit.

Respondeo ad priorem partem, cum dicimus ex lucratione iniusta non deberi Decimã, intelligi formaliter de lucratione, quæ in se continet formaliter iniustitiam respectu eius, à quo res lucrata subtrahitur, & iniustè accipitur, de tali enim lucro procedunt rationes factæ. At verò in casibus, qui obiiciuntur, acceptio mercedis pro occisione, vel adulterio non continet in se formalem iniustitiam respectu dantis mercedem, sed est actio causaliter iniusta respectu eius, qui occiditur per assassinum, vel respectu mariti in vxorẽ adultera, & ideò non est in illis casibus similis ratio. Nam in illis re vera cõparat malefactor dominium sui stipendij, & non tenetur illud restituere danti, si opus præstitit, quod vt est quidam corporalis labor, æquiualet stipendio, licet ad iniustum opus applicatus sit. Ad alteram verò partem respondetur, illas Decimas, quatenus debitæ sunt, non pertinere ad personales Decimas, sed ad prædiales, quia debentur ex fructibus terræ, & ita non debentur ex actione iniusta vt sic, nec ex re male parta, sed ex re à Deo producta ex ipsa terra, quæ cum illo onere nascitur. Vnde (vt supra dicebamus) debitum talis Decimæ reale est, non personale, nisi ratione rei: Nec per hoc fit iniuria domino agri, si erat alienus, quia ipsemet teneretur Decimas soluere, si fructus illos percipere, & terra semper relinquitur sub dominio eius, & siquid illi debetur propter iniustam detentionem, & vsum terræ, ex nouem partibus fructuum satis superque satisfieri potest. Et similiter licet triticum seminatum furto esset ablatum, nulla fit creditori iniuria, exigendo fructuum Decimam, quia non est ille dominus omnium fructuum, nec illi debentur, sed solùm quod furto sublatum fuerat, cum satisfactione pro lucro cessante, vel damno emergente ex iniusta detentione, quod totum ex residuis fructibus sublata Decima satisfieri potest. Ad Glossam respondeo, aut loqui de Decimis prædialibus, iuxta hæc, quæ proximè dicimus, (vt illa non allegata) tacitè indicat Abbas in c. *Pastoralis*, de Decim. n. 3. Vel certè posset intelligi, à fure, & raptore peti posse Decimam, non vt Ecclesia illam retineat, sed saltem vt eam partem vero domino recuperet. Quicquid verò sit de sensu eius, ipsius rationes nullius momenti sunt, quia fur, & prædo verè non possidet, sed facto detinet rem alienam, de re autem sic detenta non debetur Decima. Nec propterea est melioris conditionis prædo, cum rem totam teneatur vero domino restituere.

Abb.

9. De acquisitis non iniustè etiam si turpiter, deberi Decimas.

Secundò dicendum est, de acquisitis non iniustè deberi per se loquendo Decimam, etiamsi aliàs turpiter acquisita sint. Ita sumitur ex D. Thom. supra, & ex his, quæ tradit Siluester cum Hostiens. verb. *Decima*, q. 6. Exempla sunt in meretrice, histrione, & aliis supra adductis. Ratio verò est, quia licet hæc sint turpiter acquisita, tamen sunt verè, & firmiter lucrata, id est, cum acquisitione dominij, & sine obligatione restituendi, ergo comprehenduntur sub regula generali Decimarum personalium. Item hîc habet vim illa ratio, quòd non debet esse melioris conditionis turpis lucrator, nam consequentur lucrum totum sine onere Decimæ, solum propter suam turpitudinem, ne videatur ergo commodum de sua malitia reportare, vt dicitur in cap. *Intelleximus*, de Iudiciis, æquum est, vt soluat. Optimum exemplum est in milite stipendiario in bello iniusto, nam ex stipendio debet Decimam, quia licet sit turpe lucrum, non est iniustum respectu dantis, nec tenetur illud restituere, ex præda autem non debet Decimam, quia est lucrum iniustum respectu eius, à quo subtrahitur, & non potest retinere illud, sed totum tenetur restituere. Dixi autem *Per se loquendo*, quia si sequatur scandalum, vel indecentia Ecclesiæ ex acceptione talis Decimæ, tunc Ecclesia non recipit illam, vt quando delictum v.g. meretricis publicum est, & consequenter talis meretrix excusatur tunc à Decima soluenda, non quia illam, quatenus est ex se, non debeat, sed quia cum Ecclesia illam nolit, consequenter eam remittit. Dicunt autem aliqui, debere tunc meretricem dare illam pauperibus, vel insumere in alia opera pia. Quod potest esse bonum consilium, vt à Deo impetret auxilium ad resipiscendum, tamen ex vi præcepti Decimarum ad id non tenetur, quia præceptum à principio ad hoc non obligabat, nec Ecclesia dum non acceptat, seu remittit Decimam, imponit de nouo illam obligationem.

Cap. *Intelleximus.*

10.

D. Thom.

Silues. Raymund. Innocent.

At verò si peccatum fuit occultum, & sine scandalo, potest recipi Decima lucri, & peccator tenetur illam dare, & Parochus potest accipere, etiamsi delictum nouerit, quia nulla lege prohibetur, nec aliud incommodum sequitur. Imò addit D. Thom. quòd etiam à peccatore publico postquam pœnitentiam egit & de vitæ mutatione constat, possunt Decimæ ab Ecclesia recipi, etiam de anterioribus lucris. Idémque affirmat Siluester cum Raymund. & Innocent. Non tamen declarat, an in eo casu teneatur meretrix post conuersionem suam omnium priorum lucrorum Decimas nunquam solutas Ecclesiæ reddere, & quasi restituere. Ego tamen existimo, non teneri, tum quia iam illas Ecclesia remisit, tum etiam quia non est verisimile, velle his peccatoribus hanc obligationem imponere, quæ ipsorum conuersioni magno impedimento esse posset. Denique quia hi peccatores potuissent antea illas Decimas consumere sine iniuria Ecclesiæ, nec tenebatur illas conseruare, vt in sua conuersione, vel in fine vitæ illas darent, ergo si per accidens illas conseruarunt, sibi retinuerunt. Addit præterea Sot. nullibi solui has Decimas, sed ille de consuetudine loquitur, nos de iure.

CAPVT

CAPVT XXXIII.

An Decimæ personales integræ soluendæ sint vel deductis expensis.

1. An hæ Decimæ soluendæ deductis expensis. Cap. *Tua nobis.* C. *Commissum.*

CErtum quidem est, illas Decimas, quæ debentur, integras debere solui, iuxta c. *Tua nobis*, c. *Commissum*, cum similibus de Decim. Quia ipsa ratio iustitiæ non permittit aliquid de solutione rei debitæ substrahere, & contra Religionem specialiter est, aliquid ex Decimis, quæ speciali modo Deo debentur, suffurari. Nihilominùs tamen, meritò quæritur, an hæc integritas in præsenti materia spectari debeat in parte decima lucri, quod supereſt deductis expensis, vel simpliciter. Et ratio dubij esse potest, quia Decimæ prædiales integræ persoluendæ sunt ex omnibus fructibus, nihil ex illis priùs deducendo, vt infrà videbimus, ergo & ex personalibus. Patet consequentia, tum à paritate rationis; tum ex cap. *Non est*, vbi prius proponitur ex sententia sanctorum Patrum, *Decimas esse soluendas de vino, agro, fructibus*, & additur, *Negotiatione, militia, venatione*, & ita prædiales, & personales comprehenduntur; & tamen subiungitur. *Præcipimus, quatenus antequam deducatis vllas de bonis prædictis expẽsas, Decimas cum integritate persoluatis*, ergo hoc præceptum etiam ad personales extenditur. In contrarium verò est, quòd in dicto cap. *Pastoralis* dicitur, *in negotiatione concessum esse, vt possint expensæ deduci priusquam Decimæ soluantur ex lucro.* Et ideò ibidem subiungitur circa res acquisitas, vel factas de pecunia decimata, *Cum ipsæ venduntur, deducendas esse expensas, & de residuo, quasi de lucro Decimas persoluendas*, ergo idem dicendum est de omnibus Decimis personalibus, quia omnium est eadem ratio.

Ratio dubitandi. C. *Non est.* Cap *Pastoralis.*

2. In Decimis personalibus deducendas esse expensas. *Gloss. Hostiens. Anton. Panor Rebuff.*

In hac ergo re communis consensus omnium Doctorum est, expensas deducendas esse ante solutionem Decimarum personalium. Ita docet indistinctè Glossa in cap. *Apostolicæ*, de Decim. ver. *Personales.* Item Glossa in dicto cap. *Non est*, & in cap. *Pastoralis*, vbi in hoc conueniunt Innoc. Hostiens. Anton. Panor. & cæteri, Rebuff. q. 11. n. 4. & 6. Ratio præcipua est, quia ita Ecclesia declarauit suum præceptum, est autem hæc declaratio antiquior, quam sit cap. *Pastoralis*, nam in illo refertur tanquam iam facta illis verbis: *Sicut est in negotiatione concessum.* Aduertit tamẽ ibi Glossa, non inueniri ius scriptum antiquius illo capite, quo talis declaratio facta sit, sed vel consuetudine recepta, vel ratione cogente communi interpretatione factum esse, & in illo cap. tandem fuisse approbatum, & ad ius deductum. Et quamuis textus ille solùm de negotiatione loquatur, tamen Doctores absolutè id extendunt ad Decimas personales, quamuis ex multis aliis actionibus debeantur, quæ re vera negotiationes non sunt, vt venatio, piscatio, artificium, &c. Colligi autẽ potest extensio tum ex paritate rationis, tum ex verbo illo eiusdem textus suprà ibi, *De residuo quasi lucro.* Ex quo verbo sumunt auctores primam rationẽ huius iustissimæ moderationis, quia personalis Decima præcipitur solui tantùm de lucro. At in negotiatione non est lucrum totum pretium, pro quo venditur merces, sed id, quod supereſt, deductis expensis, vt constat ex ipsamet appellatione lucri, & ex communi omnium sensu, ergo meritò in solutione harum Decimarum expensæ deducuntur. Et eodem modò induci ad hoc potest dictum c. *Extransmissa*, vbi Decimæ dicuntur soluendæ ex omnibus licitè acquisitis, at in negotiatione nõ dicitur homo acquirere, nisi quæ illi supersunt deductis expensis, ergo. Hæ autem rationes cum proportione procedunt eodem modo in omnibus personalibus Decimis, omnes enim debentur ex lucro, & ex acquisitis.

C. *Ex transmissa.*

A Aliam rationem tradit Glossa in dicto cap. *Pastoralis, Quia alias* (inquit) *de eadem re bis Decima solueretur*, quæ ratio ab Hostiens. & aliis approbatur, & fundamentum habet in eodem textu ibi *Acquisitas, vel factas de pecunia Decimata.* Ideò ergo, quando res acquisitæ, vel factæ per talem pecuniam iterum venduntur negotiationis causa, non soluitur Decima de toto pretio rei venditæ, ne prior pecunia bis decimetur, semel quia iam Decimata supponitur, & iterum quando resultat ex venditione rei, ac propterea tantum *De residuo* Decima soluitur, de qua ratione plura inferius. Tertia etiam ratio redditur. *Ne clerici videantur improbi exactores, & ne ditentur cum graui iactura aliorum.* vt ex Hostiens. dicit supra Panor. Quam ra- B tionem declarare possemus ex differentia inter fructus terræ, & lucrum negotiationis vel alterius operis, quia in fructibus terræ ex vno nasci solent decem, vel quid simile, ex negotiatione verò, vel actione hominis, vix ex decem vnum accrescit, seu vix quod accrescit sufficit ad compensandas expensas (regulariter, & vt plurimùm loquendo) quod leges humanæ considerant, & ideò intolerabilis esset exactio, si Decimæ personales, non deductis expensis postularentur.

3. Assignatur alia ratio. *Gloss. Hostiens.* *Hostiens. Panor.*

Ex his ergò satis responsum est ad rationem dubitandi in contrarium, negando consequentiã, est enim longè diuersa ratio de prædialibus Decimis, de quibus postea dicemus. Ad dictum autem cap. *Non est*, C responderi posset, illud ius fuisse antiquius, & reuocatum fuisse in c. *Pastoralis*, sed non placet, tum quia prius caput ex Cœlest. III. posterius ex Innoc. III. refertur, fuit autem Innoc. paulò posterior, cum ergo ipse non statuat de nouo hoc ius, sed dicat fuisse concessum, non videtur verisimile, Cœlestinum contrarium statuisse, tum maximè quia rationes factę ostendunt, tam magnum esse illud grauamẽ, vt non sit verisimile, aliquãdo fuisse ab Ecclesia impositum. Dico ergo, quamuis illa verba in dicto cap. *Non est, Antequam deducatis*, &c. videantur indifferenter cadere super omnes actiones superiùs numeratas, nihilominùs ex necessitate materiæ, & ne sequatur absurdum contra aliam legem, restringenda esse ad Decimas prædiales. Quam responsionem significat Glossa ibi- D dem. Addi etiam potest, illa verba accommodanda esse ad materiam capacem, talis autem materia inuenitur in fructibus prædiorum, vt per se constat, non autem in lucris humanarum actionum: quia non potest cognosci, an resultet aliud lucrum, necne, nisi priùs deducantur expensæ; quando autem lucrum post computationem expensarum, est liquidum, & notum, iam non habet locum deductio expensarum, & ideò respectu lucri, ex quo solo Decima personalis debetur, non fit in rigore deductio expensarum.

4. Soluuntur rationes dubitandi suprà allatæ. *Cœlest. 3. Innocent. 3.* *Gloss.*

Solùm supereſt in hoc puncto explicandum, quid sit in his expensis computandũ. Hoc declarat Rebuf. E expressiùs, quam cæteri Auctores his verbis: *Deducuntur expensæ factæ in mercibus emendis, quærendis, & vendendis, & in faciendo rem meliorem, etiam quæ datæ sunt mediatoribus, & similibus.* Sed interrogo, an deduci etiam debeant expensæ, quas ipsemet homo negotiator facit in sustentatione suæ personæ, & seruorum. Itẽ an miles deducere debeat expensas, quas militãdo facit in victu vestitu, &c. Idẽ de quolibet mercenario saltem seruitore interrogari poterit, & de aduocato, & Doctore, & similibus, vt non intelligantur teneri ad integras Decimas ex toto stipendio, sed ex solo residuo post conuenientem sustentationẽ suam. Cur enim non omnia ista inter expensas computabuntur, quandoquidem verè insumuntur, & necessaria sunt ad præstandum laborem, seu opus, ex quo lucrum reportandum est.

5. Quid sit in expẽsis computandum.

Certè si hæc sententia vera est multùm alleuat pondus harum Decimarum, & plenissimè satisfacit dubitationi supra propositæ de tenuitate huiusmodi lucri, vt plurimum loquendo de mercenariis, & militibus, aliisque hominibus stipendiariis, qui vix solent suis stipendiis viuere, & expensas necessarias ad suum ministerium ex suis stipendiis facere. Vereor tamen, ne videatur nimia hæc restrictio, & diminutio harum Decimarum, sic enim fere nulli ad eas soluendas obligarentur, nisi negotiatores, qui copiosa lucra acquirunt. Et ideò fortasse non displicebit distinctione vti. Nam hi sumptus, qui fiunt in alenda persona, & familia, duplices considerari possunt. Quidam sunt, qui non causantur ex ipso ministerio, vel arte, sed vel per se necessarij sunt, ita vt etiam sine exercitio talis artis, vel lucratiuæ actionis excusari non possint, vel sunt ita voluntarij, vt sine illis posset optimè talis negotiatio, vel actio fieri: alij sunt qui præcisè propter tale ministerium fiunt, & accrescunt (vt sic dicam) sumptibus necessariis per se ad propriã conseruationem. Expensæ igitur in his posterioribus sumptibus consumptæ deducendæ sunt, & hoc probant omnia adducta; non verò illæ, quæ priori modo fiunt, quia illæ re vera non sunt expensæ, quæ propter lucrum faciendum fiant. Et potest distinctio sumi ex Glossa. in leg. *Fructus*, ver. *Impensa*, ff. solut. matrim.

Distinctio accommodata.

CAPVT XXXIV.

Ex quibus bonis prædiales Decimæ soluendæ sint.

1. Decimas prædiales soluendas esse ex fructibus omnium rerũ. C. *Nuncios.* C. *Ex parte.* C. *Ex transmissa.* Cap. *Tua nobis* D. *Thom.*

DE his Decimis generalis regula statuitur, soluendas esse ex fructibus, seu prouentibus, aut reditibus temporalibus rerum omnium tam immobilium, quàm se mouentium. Ita sumitur ex c. *Nuncios* ibi, *de omni fructu*, & c. *Ex parte*, 2. ibi, *de omnibus prædiorum fructibus*, & c. *Ex transmissa*, ibi, *de omnibus, quæ potest acquirere*. Loquitur enim etiam de prædialibus Decimis, vt ex conclusione capitis colligitur, & statim ostendetur, & cap. *Tua nobis*, ibi, *de cunctis omnino prouentibus*: Multaque sunt alia iura sub titulis de Decimis, & 16.q.1.& 7. Et conueniunt omnes Doctores super dicta iura, & Theologicum D. Thom. dicta q. 87. art. 2. Rationes verò sunt illæ, quæ supra de præcepto Decimarum datæ sunt, propter easdem enim de omnibus fructibus datum est. Et quia ita datum fuit à Deo in lege veteri, & non debent fideles minus liberales esse erga ministros Dei in noua lege. Ac denique quia non erat maior ratio percipiendi Decimas ex quibusdam fructibus, quam ex alijs, cum omnes ex Dei munere proueniant, & ad sustentationem ministrorum Dei, & rerum necessariarum ad cultum eius omnes possint esse necessarij.

2. Exempla apponuntur. C. *Ex parte.* C. *Quicunque.* C. *Omnes.* Leg. *Adeo.* *Abb.*

Hæc autem generalis regula variis exemplis illustratur in sacris Canonibus: Et in primis de rebus immobilibus passim nominantur prædia, & fructus eorum in dicto cap. *Ex parte*, & in specie *granum*, & *vinum*, in dicto cap. *Non est*, & in cap. *Quicunque*, 16.q. 7. eadémque ratio est de oleo. Generalius autem omnes fructus arborum in vtroque textu adiunguntur, & in cap. *Omnes*, 19.q.7. dicitur, *siue de frugibus, siue de pomis arborum*, & in dicto cap. *Quicunque*, additur, *aut de horto*. Sub grano autem in rigore iuris palea comprehenditur tanquam accessorium sub principali, & quia etiam palea inter fructus computatur, vt Iuristæ colligunt ex leg. *Adeo* ff. de Acqui. rer. Dom. licet ibi expressè non dicatur, sed solùm eiusdem domini esse triticum, cuius erat spica. Inde verò colligitur, etiam paleam esse eiusdem domini, cuius erat spica, priusquam à palea diuideretur. Notat autem Abbas in c. *Peruenit*, de Decimis num. 3. Decimam deberi ex manipulis segetum, prout metuntur ex terra, & in rigore ita esse Decimandas, quia tota illa res, seu materia est fructus terræ. Et ita iura sæpe sub nomine segetum, vel messium loquuntur, vt in cap. *Ad Apostolicæ*, ergo licet post triturationem decimetur granum, idem ius manet in palea in rigore iuris, licet consuetudo possit aliud introducere. C. *Ad Apostolica.*

Præterea adduntur expressè legumina cap. *Ex multiplici, de blado*, ait, *& vniuersis leguminibus*. Et ibi præter legumina adduntur etiam minutæ Decimæ, quæ de oleribus esse intelliguntur, & ideò etiam de his ex vi iuris Decimæ debentur; & hæc videntur etiam significari nomine *Hortorum*, cum de hortis Decimæ soluendæ dicuntur, vt in cap. *Non est*. Præterea in dicto cap. *Peruenit*, additur fœnum: & eadem ratio est de similibus. Adduntur etiam ibidem *Prouentus molendinorum*, de quibus etiam in cap. *Ex transmissa*, & cap. *Pastoralis*, vnde vlterius licet colligere, ex pensionibus domorum, quæ locantur, etiam si in pecunia soluantur Decimam deberi, vt in eodem cap. *Pastoralis*, significatur, vbi & domus, & clibanus numerantur inter res, ex quarum fructibus Decima debetur, idémque supponitur in c. *Plerique*, de Pactis, & in cap. *Commissum*, de Decimis, vbi etiam additur, de pascuis soluendas esse, id est, de valore herbæ, si pratum ad pascendum locetur, vel si herba colligatur, & in fasciculos, vel saccos redacta vendatur, nam eadem ratio est de herba, quæ de fœno, & aliis rebus, etiamsi sint fructus maximè naturales, quia eos terra quasi sua sponte producit. Vnde fit, vt etiam de lignis nemorum, quæ scinduntur, & pretio æstimantur, Decima debeatur, & de lapidibus pretio æstimabilibus, quæ ex lapidicinis scinduntur, & de metallis, quæ ex terra eruuntur; nam de omnibus iis est eadem ratio. De his autem posterioribus dubitari potest, an sint personales Decimæ, vel prædiales, de quo statim dicetur. Denique additur in cap. *Ex parte*, 2. de Decimis, licet eadem terra plures fructus in eodem anno ferat, de omnibus esse Decimas soluendas, quia omnes sub generali lege comprehenduntur. C. *Ex parte.* C. *Plerique* C. *Commissum.*

3. C. *Ex multiplici.*

C. *Non est.* C. *Peruenit.* C. *Ex transmissa.* C. *Pastoralis.*

4. Apponuntur exempla in Decimis Mistis.

Rursus quoad Decimas Mistas, seu ex animalibus varij fructus considerari possunt, de quibus varia etiam exempla in iure ponuntur ex quibus alia intelligenda sunt. Et in hoc ordine primum locũ tenent greges ouium, & armenta boum, de quorum fœtibus soluẽda est Decima, & de lacte, caseo, lana, butyro, & similibus, c. *Peruenit*, cum similibus, eod. Hæc enim omnia in fructibus pecorum computantur, §. *Item ea*, & §. *In pecudum*, Institut. de rerum diuis. Omnes autem fructus pecorum Decimandi sunt c. *Non est*, eod. & cap. *Quicunque*, c. *Omnes*, 16. quæst. 7. vbi oues, & boues & capreæ in particulari numerantur, eadem tamen ratio est de equis, & iumentis, ac denique *De omnibus, quæ sub pastoris virga transeunt*, vt Scriptura loquitur. Præterea de fructibus animalium domesticorum etiam debentur Decimæ, vt ex gallinis pulli, oua, & similia, hæc enim sub minutis Decimis comprehenduntur, vt notauit Glossa prima in cap. *Cum in tua*, eodem, & ita licet in particulari non numerentur, ex aliis colliguntur. Maximè quia in c. *Nuncios*, dicitur *de apibus, & de omni fructu*. Quod autem dicitur de apibus, quoad mel, & ceram intelligitur, nam hi censentur proprij fructus apum. De apibus verò ipsis, seu earum fœtibus, qui in noua examina prodeunt, nouisque aluearibus includuntur, non solet solui Decima. Siue hoc sit de rigore iuris, quia nihil de hoc expressè dicit, siue quia apes tanquam feræ reputantur, vt dicitur in §. *Apes*, Instit. de rerum diuis. Et ita non videntur earum fœtus natura sua inter fructus computari, sed industria hominum capi, & in alueis includi. Et ideò siquid est emo-

C. *Non est.* C. *Quicunque.* C. *Omnes.* *Gloss.* Ca. *Nuncios.*

emolumenti in ea captura, magis ad industriam hominis, quàm ad naturalem procreationem pertinere censetur, ideoque si decima esset inde soluenda, potius esset personalis, & ita in desuetudinem abiit, præsertim quia res parui momenti reputatur. Præterea in dicto cap. *Peruenit*, numerantur *Piscariæ*, nam ex piscibus in stagnis inclusis, & possessis decimæ debentur, si vendantur, vel si pretio locentur, vt in eis piscari possit: Et idem cum proportione intelligitur de auibus, vel animalibus, quę inclusa tenentur, & tanquam propria possidentur ad lucrosam capturam, vel locationem, nam est eadem ratio: Ex his autem non videtur solui decima per genituram, & fœtum, sicut in pecoribus, & ferè in auibus domesticis fit, sed per capita, quando capiuntur, & interficiuntur, quia vix possunt alio modo decimari, quamuis in hoc consuetudo consulenda esse videatur.

5 Difficultates proponũtur. *Abb. Ca. Pastoralis.*

Nonnulla verò explicanda superſunt: Vnum est, quia ex dictis videtur sequi, ex eadem re sæpè esse soluendam duplicem decimam, quod Deus non præcepit, & ideò nec Ecclesia præcipit, vt dixit Abbas dicto cap. *Non est*, & sumitur ex dicto cap. *Pastoralis*, eo. Sequela patet: Nam siquis in sylua cædua ligna cædat, ex illis iuxta valorem, quem ibi habent, debet decimã, quia est quasi fructus illius nemoris, quem ex illo capit, & rursus, quando illa ligna vendit, debet decimã, quia aliquid inde lucratur. Similiter si dominus stagni piscatoribus locet stagnum, seu vendat facultatem ibi piscandi, de illo lucro debet decimam, quæ, re vera, est decima piscium, & tamen piscatores ipsi etiam debent decimas ex captura illorum: Idémque est de venatione, & similibus. Sic etiam dominus prati ex pascuis soluit decimam, & tamen illámet herba virtute decimatur iterum in ouibus, quæ illam pauerunt. Vnde etiam fiet, vt si dominus prati proprias oues in eis pascat, nihilominùs ex pascuis debeat vnam decimam, & ex ouibus aliam, quod videtur durum. Aliud explicandum est, quia videntur in his interdum confundi decimæ personales, & prædiales, & ita ambiguum relinquitur, cui Ecclesiæ soluendæ sint, iuxta superiùs dicta. Assumptum declaratur quia venatio, & piscatio inter personales decimas numerantur. & tamen dicimus de animalibus, vel piscibus captis interdum deberi decimam prædialem. Idem de lignis cæsis ex sylua, de lapidibus, & metallis cum eadem proportione. Tertiò, quod de minutis decimis dictum est, explicatione indiget, quia videtur nimius rigor, cauendum est enim (vt supra dicebam) ne Clerici videantur improbi exactores, id autem sequi videtur, si ex singulis minimis decimæ exigantur: Aliàs tenebitur vnusquisque ex horto tantùm habente olera ad suum vsum, vel ficum ad suam voluptatem, & similia soluere decimas. Eadémque difficultas est de columbis, cuniculis & similibus quando ad proprium tantùm vsum, vel voluptatem domi educantur.

6 Doctrina notanda ad soluendas difficultates suprà positas.

Circa priora duo dubia aduertendum est in primis, quando lucrum aliquod resultat ex actione hominis, aliquando comparati ex sola actione, aliquando verò non solum ratione actionis, sed etiam ratione rei acceptæ: Prior modus consideratur in actione fodiendi terram, vel inseruiendi alio modo simili: secundus in venatione, piscatione, in lignis cæduis, vel lapidibus, metallis eruendis, &c. Posset etiam tertium membrum addi de actionibus artificiosis, ex quibus aliquid factum, vel permanens resultat: sed hæc ad prius membrum reduci possunt, quia cum non computentur in lucro, nisi deductis expensis, totum lucrum videtur in actione, & industria positum, non in materia, in qua omnes expensæ insumuntur præter affectionem. Quando ergo lucrum est prioris generis, constat totum esse fructum personæ, ac subinde tantùm deberi vnam decimam personalem. At verò quando lucrum est posterioris generis, potest ex ipsa re accepta augeri, & quoad hoc, videndum est, an ex illo augmento decima debeatur, & qualis illa sit, vt inde constet cui soluenda sit. Est ergo considerandum vlterius, an res illa denuò capta, & lucrata antea esset sub alicuius dominio, necne: nam diuerso modo est de illa censendum. Quando ergo res de nouo capta, seu acquisita nullius anteà erat, vna tãtum debetur decima totius lucri, quæ personalis erit, & consequenter Ecclesiæ personæ reddenda: quando verò res erat alterius, vel tanquam pars, vel tanquam fructus, vel tanquam nutrimentum sui prędij, vel domus, tunc ex licito lucro duplex debebitur decima, vna prædialis, & altera personalis, ita tamen vt vtraque non excedat decimam partem valoris totius lucri.

Exemplis res declaratur: Nam per venationem, vel aucupium capi possunt aues, vel animalia, quæ anteà sub nullius erant dominio, & per capturam efficiuntur capientis. Tunc ergo vnum est tantùm lucrum venationis, quod totum est capientis, & ratione illius vnam debet decimam, quæ personalis est ex omnium sententia. Tum quia non resultat ex prædio aliquo, neque ex re, quæ considerari possit vt adiuncta alicui prædio, vel domicilio. Tum etiam quia licet post capturam totum lucrum consistat in valore rei acceptæ, nihilominùs totum censetur ortum ex actione personæ, quia cum res anteà non esset sub humano dominio, non censebatur, vt sic, habere valorem, neque esse pretio digna. At verò quando quis venatur, aut piscatur animalia sub alicuius dominio existentia, tunc ex parte rei, & ex ipsa actione potest accrescere lucrum: Nam dominus potest vendere ius venandi, aut piscandi, quod in re est vendere res illas secundum aliquem valorem, vel æstimationem, quam habent prius, quàm capiantur, & tunc illud lucrum est quasi fructus talis possessionis, vel talium animalium, & ideò ex illo debetur decima prædialis, iuxta regulam supra positam, & illam per se loquendo debet dominus talium rerum Ecclesiæ prædiali. Per capturam autem crescit valor illius rei, & inde accrescit lucrum venatori, vnde si vendat res captas, debet ex illo lucro decimam personalem, ac subinde computari debet, deductis expensis, seu pretio, quod dedit domino fundi, aut stagni, pro facultate venandi, aut piscandi, & talis decima personalis est vt constat, & vtraque simul non excedit decimam partem valoris integri rei captæ, vt facilè consideranti patebit. Atque hæc regula habet etiam locum in lignis, lapidicinis, metallis, & similibus, nam hæc omnia æquiparantur in Leg. *Item si fundi.* ff. de Vsufructu, & in Vsufructu fundi computari dicuntur, si illi adhæreant, & ideò secundum prædictam regulam decimandæ sunt. Videriqúe potest Rebuffus dicta quæst. 8. num. 10. 14. 15. 16. 17. 23. & 24. In hoc tamen vltimo loco ait, decimam de argentariis, aut metallariis, vt personalem esse soluendam: sed intelligendum est, quando ad nullius fundi vsum fructum pertinentis ad aliquam Ecclesiam spectabunt, alioqui etiam est prædialis, sicut de lignis ipse statim ait numer. 26. Ex dictis verò obiter colligo, ex partu ancillæ non esse decimam soluendam, quia ille non computatur in fructibus, vt dicitur in §. *In pecudum*, de Rerum diuis. Et Leg. *In pecudum* ff. de Vsur. Nec obstat, quod licet non in fructibus, saltem in reditibus computatur, iuxta Glossam vlt. in cap. *Generali* de Elect. in 6. Nam Iura loquentia de decimis, de fructibus loquuntur, & restringenda sunt. Præsertim quia sæpe addunt *pecudum*, vel

Leg. *Item si fundi.* — *Rebuff.* — Leg. *In pecudum.* — *Glossa. Vlt.* — Ca. *Nuncios.* Ca. *Non est.*

dum, vel *animalium*, cap. *Nuncios*, & cap. *Non eſt* eod. Sub illa autem appellatione non veniunt homines.

5. Soluuntur difficultates.

Ex his ergo eſt reſponſum ad primum dubium: Nã re vera nunquam ſoluitur, niſi vna integra decima, licet hæc interdum per partes ſoluatur, & vna ſit perſonalis, & alia prædialis, quia fructus ipſe eſt quaſi diuiſus inter duos, & ex diuerſis titulis. Et hoc tantùm probant exempla ibi adducta. Solùm in vltimo exemplo de paſcuis aduertendum eſt, decimam, quæ ex paſcuis ſoluitur, & ex fructu ouium, quæ ex paſcuis aluntur, vtramque prædialem eſſe: non tamen ex eadem re, neque ex eiſdem fructibus, vt per ſe conſtat. Quod autem oues nutriantur ex paſcuis decimatis, valdè remotum eſt. An verò dominus prati, qui non vendit herbam, nec locat pratum, ſed in eo ſuas oues, vel alia animalia paſcit, teneatur inde ſoluere decimam iuxta valorem pretij, non facilè dixerim; aliqui enim ſimpliciter negant, vt Azor lib. 7. cap. 35. quæſt. 9. referens Panor. in cap. *Commiſſum*. At ille ſolum dicit de paſcuis deberi decimã, & exponit, *id eſt, de pretio*. Statim verò addit, quod licet non vendantur, ſed gratis alicui dentur, ſoluenda eſt decima, quia ſicut non poteſt vendere niſi cum onere: ita nec donare, & quia ita eſt in aliis fructibus. Vnde ſumitur argumentum, idem eſſe ſi conſumantur paſcua in nutriendis propriis animalibus, tum quia in aliis fructibus ita ſeruatur, vt in tritico, &c. herba autem eſt quidam fructus, tum etiam quia eadem eſt ratio de conſumptione, quæ de donatione, quia fructus naſcuntur cũ illo onere, & à natiuitate (vt ſic dicam) decima pars eſt debita Eccleſiæ, vnde ſicut donari, aut vendi non poteſt, ita neque conſumi. Dices, Ergo ſiquis habitet propriam domum, debebit decimam ex valore illius vſus. Sed non eſt ſimile, quia vſus non computatur in fructu, nec domus habet fructum neceſſarium, ſed voluntarium.

Azor. *Panor.*

Obiectioni occurritur.

6. Duplex modus lucrandi in pecudibus

De ſecunda difficultate nihil ferè addendum occurrit nam ſatis explicatum eſt quomodo in exemplis ibi adductis, perſonalis, & prædialis decima diſtinguenda ſit. Solùm occurrit aduertendum circa decimas, quæ de pecudibus ſoluuntur, duplicem modum lucrandi in his animalibus interuenire poſſe. Vnus eſt percipiendo fructus, qui ex illis naſcuntur, vt ſunt fœtus, lana, & alij ſupra numerati. Et decimæ, quæ hinc ſoluuntur, inter prædiales computantur, vt ſæpe diximus, & earum conditionem ſequuntur, licet interdum miſtæ nominentur. At verò alio modo cõtingit lucrari ex his rebus per modum ſolius mercaturæ, & negotiationis, vt fit cum armenta boũ in vno loco emuntur, & in alium transferuntur, vt cariùs vẽdantur, vel in eodem ſtatu, vel meliùs nutrita, vel robuſtiora facta, qui modus negotiationis etiam in animalibus ſterilibus locum habet, vt patet in mulis. Ex hoc ergo lucro etiam debetur decima, ſed illa perſonalis eſt, & leges illius ſequitur, quia nõ eſt ex fructibus ipſarum rerum, ſed quaſi ex ſubſtãtia earum, media induſtria, & negotiatione hominum: vnde ita ſe habent tunc talia animalia, ſicut res aliæ inanimatæ, ac infructuoſæ, circa quas talis mercatura exercetur. Et iuxta hęc intelligenda ſunt ſupra dicta de loco, vbi ſoluendæ ſunt decimæ horum animalium, nam intelligẽda ſunt de prioribus decimis quæ ſunt formaliter (vt ſic dicam) de fructibus animaliũ, non de poſterioribus, quæ ſunt de mercatura, & negotiatione, in qua ſolùm quaſi materialiter animalia ipſa interueniunt.

7. Quid aſſerẽdum de decimis minutis D. Thom.

Ad tertiam de decimis minutis D. Thom. dicta qu. 87. art. 2. ad 3. ſignificat, non cadere in præceptum propter argumentum factum, & propter exemplum legis veteris, in qua dicit non fuiſſe in præcepto, ſed in conſilio, quia hæc minima quaſi nihil cõputantur. Vnde concludit, nunc non teneri fideles ad has minutas decimas, niſi forte propter conſuetudinem patriæ. Idem ſignificat Alenſ. dicta q. 51. mem. 4. art. 3. licet obſcurè loquatur. Verumtamen negare non poſſumus, quia Iura Canonica etiam minutas decimas ſub præcepto decimandi concludant. Tum propter Iura ſupra allegata, quæ de fructibus ſatis minutis loquuntur: tum quia in dicto cap. *Ex multiplici*, minutarum dicimarum in ſpecie fit mentio, & clariùs in cap. *Cum in tua*, dicuntur deberi, & dari mandantur locis, ad quæ pertinent: tum etiam quia illi quoque ſunt veri fructus, & Iura cum diſtributione loquuntur. Et licet ſingula ex his videantur minima, & inde nominentur, tamen cumulus omnium, poteſt eſſe magnæ æſtimationis, & neceſſarius, vel valdè commodus ad conuenientem ſuſtentationem miniſtrorum. Et ita videtur ſentire Sot. lib. 9. de Iuſt. q. 4. art. 2. ad 3. niſi immemorialis conſuetudo aliud habeat. Tacitè autẽ exponit D. Thom. vt intelligatur de minutiſſimis oleribus, quæ ex priuatis hortis colliguntur, non ad lucrum, ſed ad quandam commoditatem, & voluptatẽ. Quam limitationem etiam in viuariis domeſticis, & ſtagnis omnes adhibent. Neque diſplicet, quod de immemoriali conſuetudine Soto aduertit. Nam de illa intelligendas puto omnes limitationes, quæ in hac materia fiunt ab omnibus circa omnia ſupra dicta, quæ licet de rigore iuris procedant, conſuetudine auferri poſſunt, & magna ex parte ſublata ſunt. Tamen quia illa conſuetudo contra ius eſt, immemorialis eſſe debet, quia ordinariè nullo ſpeciali titulo fundatur præter morem: cum titulo verò conſuetudo quadragenalis ſufficeret iuxta ſuperiùs tradita.

Alenſ.

Ca. *Ex multiplici.*

Ca. *Cum in tua.*

Soto.

CAPVT XXXV.

An prædiales decimæ integræ ſoluendæ ſint.

1 In decimis prædialibus nõ priùs deducẽdas eſſe expenſas.

SEnſus quæſtionis eſt, an decimæ ſoluendæ ſint ex omnibus fructibus nulla facta eorum diminutione, vel pro ſumptibus compenſandis, vel pro aliis tributis, ſeu penſionibus ſoluendis. In qua re Iura Canonica expreſsè definiunt integros fructus decimandos eſſe ſine vlla diminutione. Et primò non eſſe deducendas expenſas expreſsè traditur in cap. *Tua nobis*, & in cap. *Non eſt*, & in cap. *Paſtoralis*, & in cap. *Cum homines*, de Decimis, vbi Gloſſ. & Doctores ſine controuerſia id docent, & plures per Tiraquel. relati de vtroque retr. tit. 1. §. 15. Gloſſ. 1. nu. 10. & de Primog. quæſt. 74. num. 9. Deinde, non eſſe deducenda tributa, neque cenſus expreſsè traditur in capit. *Cum non ſit*, de Decimis. Quapropter dubitari non poteſt, quin ita ſit ſeruandum quia ita præceptum eſt. Vt autẽ ratio, & ſenſus præcepti magis explicetur, difficultates circa vtramq; partem occurentes breuiter explicandę ſunt.

Cap. *Tua nobis.*
Ca. *Non eſt.*
Cap. *Paſtoralis.*
Ca. *Cum homines.*
Gloſſ.
Tiraq.
Cap. *Cum nõ ſit.*

2 Obiectiones

Circa primam de expenſis frequens difficultas eſt, quia decimæ ſolùm debentur ex fructibus, & expenſæ non computantur in fructibus; ſed illi tantùm cenſentur fructus, qui ſuperſunt deductis expenſis, vt expreſsè dicitur in leg. *Fructus* ff. ſoluto matrim. Et in leg. 1. C. de fructibus & litium expenſis, & quod magis vrget, additur in leg. *Fundus* ff. Familiæ Erciſcũdæ, quod *Nullius caſus interuenire poteſt, qui hoc genus deductionis impediat*. Eſtque hæc regula frequentiſſima in iure Ciuili, & Gloſſa, & Doctores in dictis locis notant. Confirmatur primò, quia quantitas illa fructuũ, quæ ſeminata fuit erat iã decimata, & iterum decimatur fructus ex illa productus, ergo nihil impedit quin ipſa deducatur. Confirmatur ſecundò, quia interdum contingit, non plures fructus naſci ex terra, quàm fuerit quantitas ſeminis, ergo iniuſtum videtur, tunc decimam

Leg. *Fructus*
Leg. 1.
Leg. *Fundus.*

Decimam exigere, sæpiùs verò contingit, ad summum excédere fructus quãtitatem seminis in dupla, vel tripla quantitate, & tunc si computentur aliæ expensæ, quæ in cultura terræ, & collectione fructuum fiunt, vix sufficiunt fructus ad compensandas expensas, ergo iniquum est non eas deducere. Denique licet multories fructus sint vberiores, tamen computando steriles annos cum abundantibus, ferè dimidia pars lucri soluetur Ecclesiæ ex fructibus terræ, si expensæ nõ deducantur, ergò videtur hæc esse nimia exactio. Atque hæc consideratio maximè videtur vrgere in nonnullis fructibus, qui & maioribus periculis expositi sunt, sæpiusque deficiunt, & maioribus sumptibus coluntur, vt sunt præcipuè vinearum fructus. Confirmatur tertio, quia in Decimis personalibus soluendis expensarum deductio prius fit, sed Prædiales Decimæ magna ex parte conueniunt cum personalibus, saltem quoad sumptus, qui fiunt in adhibendo labore, & industria hominum & animalium, aliorúmque instrumentorum, cur ergo saltem hæ expensæ non deducantur in his etiam Decimis? Vltimò videtur durum, hoc extẽdere ad Decimas Mistas, quia res illæ ex quarum fructibus tales Decimæ soluuntur, non sunt ita durabiles sicut agri, vineæ, & arbores, sed facilè moriuntur & sæpè cum magno dispendio dominorum, quod damnum totum in sumptibus numeratur, nec reparari potest sine magno dispendio, nisi ex fructibus eorundem animalium ergo saltem hæc deductio fieri debet in solutione talium Decimarum. Et hæc ratio procedit etiam in Decimis quæ ex molendinis soluũtur, propter magnas expensas, quæ in illis reparandis fieri solent, & suo modo habet etiam locum in pensionibus domorum, & similibus.

3. Soluitur prima difficultas.

Ad primam difficultatem communis responsio est, nullam esse in moralibus tam generalem regulam, quę exceptionem non admittat, & ita in præsenti esse speciale in Decimis, quod fructus computentur sine deductione expensarum, cum generalis regula in cõtrarium sit. Ita Gloss. in dicto c. *Pastoralis* ver. *Credimus*, & Glossa in cap. *Grauis* de Rest. Spol. vers. *Fructus*, & Bart. & alij in dicta leg. *Fructus*. Ratio autem huius specialitatis reddi potest, quia ita statuit ius Canonicum, cui non potest ius Ciuile obuiare, etiamsi ipsum non admittat casum, in quo talis deductio non fiat. Ratio autem, cur ius Canonicum hanc specialitatem fecit, reddi potest, tum ex parte Dei, in cuius cultum Decimæ soluuntur, & ideò cum omni plenitudine & integritate soluendæ sunt; tum etiam quia hoc modo Deus ipse illas præcepit, quem Ecclesia imitata est. Quas rationes lura citata indicant. Addi etiam potest, Ecclesiam iudicasse ad sustentationem ministrorum suorum, & alia onera sustinenda necessarium esse hoc tributum cum tali integritate exigere. Quæ responsio mihi satisfaceret, si ad illam confugere necessarium esset, tamen necessarium non est, quia re vera non est hæc specialitas, sed in aliis casibus hoc seruatur, vt videbimus.

C. *Pastoralis*, Cap. *Grauis*, Bart.

4. Alia respõsio

Alia responsio vulgaris, (vel potius eadem sub aliis terminis) est, fructus terræ considerari posse ciuiliter, vel naturaliter, & priori modo non computari, nisi deductis expensis, & ita procedere leges citatas; posteriori autem modo integre computari, prout nascũtur ex terra, nulla deductione expensarum facta, & ita considerari à lege Canonica in materia de Decimis. Hanc responsionem indicauit Gloss. in dicta leg. *Fructus* ver. *Impensa*, in illis ver. *Et hoc inspecto exitu, interim tamen verè est fructus* Quam ibi singularem dicunt Aretinus, & Iason, & ita exponunt; *Fructus dicti deductis expensis interpretatiuè non verè*, idem autem est *interpretatiuè* quod *ciuiliter*, & *verè* quod *naturaliter*. Eandem distinctionem approbat Innocentius in dicto cap. *Pa-*

Gloss.

Areti. Iason.

Innocent.

storalis, quem ibi Panor. sequitur num. 9. Dico autem, hanc responsionem coincidere in præcedentem, quia reddenda est ratio, cur in solutione Decimarum fructus considerentur naturaliter, & non ciuiliter. Ratio autem non est alia, nisi quia ius Canonicum, quod à ciuili non pendet, ita statuit propter congruentias supra adductas. Refert præterea Panorm. distinctiones alias, & responsiones ex Hostiensi, & Barto. quæ in illis videri possunt latiùs, breuiter tamen eas attingemus.

Panor.

Hostiens. Bart.

5. Duplex fructuum consideratio.

Addimus enim, fructus dupliciter considerari posse, vel vt sunt lucrum, & commodum vsufructuarij; vel secundum se, vt oriuntur ex terra, arboribus, &c. Priori modo considerantur in ordine ad restitutionẽ, seu reparationem damni illati vsufructuario, cum culpa, vel sine culpa alterius possidentis fructus, seu inferentis damnum. Et ideò tunc habet verum in vniuersum, quòd fructus computantur, deductis expensis, & ita procedunt tres leges supra citatæ; nam hæc est materia illarum, & loquũtur iuxta subiectam materiam, vt Glossæ declarant, præsertim in dicta leg. 1. C. de Fructib. Vnde cum dicitur, ciuiliter computari fructus, deductis expensis, vt sit in vniuersum verum, intelligendum est quando fructus considerantur, vt lucrum, sicut fit in ordine ad restitutionem, vel damni compensationem. Ratio autem est, quia restitutio tãta esse debet, quantum fuit damnum, & non maior; nam si aliquando maior exigitur, est pœna, non pura compensatio, vt vsufructuarius, vel dominus fundi non erat consecuturus fructus sine sumptibus, & ideò nec illi restituendi sunt, nisi deductis sumptibus, quia non maius damnum passus est: In ordine ergo ad talem effectum fructus considerantur ciuiliter, vel fortasse melius considerantur, non vt fructus, sed vt lucrum, non est autem lucrum, nisi quod supereſt deductis expensis, vt supra dicebamus. Atq; simili ratione, cui legantur fructus omnes fundi, nõ eximitur ab expensis necessariis, iuxta leg. *Fundi*, ff. de vsufruct. leg. Quia intelligitur legari commoditas, & nõ alteri imponi onus colẽdi fundum suis sumptibus, vt alter totum fructum integrum accipiat: esset enim res nimis iniusta. Et eadẽ ratione, si in beneficio omnes fructus pro pensione ponantur, demptis oneribus, & expensis intelligitur, quia aliàs nimis esset iniqua. Item eadem ratione, licet fructus beneficij sint centum aurei, si deductis expensis solùm supersunt quinquaginta, non creditur esse fraudulẽta narratio, si tantum quinquaginta pendere dicatur quia censentur narrari fructus, prout re vera cedunt in stipendium, & commodum, vel sustentationem Clerici. De quo vide Felin. num. in c. *Ad nostram*, de Iusiur. nu. 3. & 4. & in ca. *Ad aures*, de Rescript. n. 13. concluſ. 12.

Leg. *Fundi*.

Felin.

6. Secunda fructuum consideratio.

At verò cum considerantur fructus posteriori modo integri, & absque deductione expẽsarum considerari debent quia isto modo fructus sunt: Et hoc modo regulariter accipiuntur in contractibus, vel aliis casibus, in quibus de aliqua parte fructuum disponitur, etiam secundum ius ciuile, vt patet ex leg. *Si pendentes*, ff. de vsufructu, vbi sic intelliguntur legari fructus, *Quando fructus pendentes iam maturos reliquerit testator*, non enim priores expensæ deducendæ sunt, *Sed omnes extantes fructus accipiet vsufructuarius*, vt ibidem dicitur. Similiter si quis vẽdat feudum cum onere, vt sibi quotannis soluatur certa pars fructuum, intelligitur soluenda, non deductis expensis, etiam secundum ius ciuile, vt videre licet per Bartolum suprà. Simile est, si locetur ager pro tot mensuris, vel quarta parte fructuum, etiam intelligitur, non deductis expensis, vt explicatur apertè in dicto cap. *Tua nobis*, de Decimis: Ita ergo (vt ibi argumentatur Pontifex) in lege Decimarum, cum nõ agatur de restitutione damni, nec de commo-

Leg. *Si pendentes*.

Barto.

C. *Tua nobis*.

commoditate eius, qui soluturus est Decimas, sed de pensione certa Deo, & ministris eius soluenda, intelligenda est de fructibus integrè spectatis, vt naturales fructus sunt, ac subinde non deductis expensis. Quia nec ex vi, & proprietate verborum aliud deduci potest, neque ex materia, quia non considerantur fructus solùm, quatenus lucrum afferunt dominis suis, sed secundum se *In quantum prouenium ex Diuino munere*, vt dixit D. Thom. dicta quæst. 87. art. 2. ad 4. in fine. Ob quam rationem ait Soto, dicto libr. 9. quæst. 4. art. 2. paulò ante solutionem argumentorum, tam esse hoc ius rationi consentaneum, vt non possit valere consuetudo in contrarium, scilicet, deducendi semen ante Decimationem, vel alias expensas. Sed hæc exaggeratio nulla ratione fundata est, vt notauit Aragon. dicto art. 2. quia cum hic modus Decimandi Iure Ecclesiastico inductus sit, contra illud potest præscribere consuetudo. Necessaria verò erit immemorialis sine titulo, vel quadragenaria cum titulo, vt in aliis dictum est, & ita sufficienter ex expedita principalis difficultas.

D. Thom. *Soto.* *Aragon.*

Ad primam confirmationem negatur sequela, nam semen iterum Decimari non potest, cum necesse sit mori, vt fructum afferre possit; totus ergo fructus qui ex semine nascitur, de nouo fit, & donum Dei est, & ideò totum illum denuo Decimari necesse est. Ad secundam confirmationem respondetur, euentus, qui ibi considerantur, contingentes esse, & ideò non debere vnius, vel alterius anni fructus spectari, sed omnibus compensatis, hoc autem modo onus hoc considerando non est præter æquitatem, & moderationem debitam, vt vsus ipse, & experientia satis ostendit. In quo etiam duo consideranda sunt; vnum est respectu Dei, nam tota hæc contingentia, & varietas fructuum, id est, quod pauci sint, vel multi, ex illius prouidentia, aut per iudicium, aut per misericordiam prouenit, & ideò sicut proueniunt, ita reddendi sunt, vel in recognitionem misericordiæ, vel in confessionem iustitiæ. Alterum est erga Dei ministros, quod illi semper indigent, semperque laborant æqualiter, siue annus sit sterilis, siue fertilis, & nihilominùs in se suscipiunt contingentiam, & periculum sterilitatis, sicut & vbertatis, ideóque cum eadem proportione Decimandi sunt. Nisi tanta sit paupertas vt propter impotentiam homines excusentur, tunc enim etiam ipsa Ecclesia conniuere debet, imò & de bonis suis debet pauperes iuuare.

7. Respondetur confirmationibus primi arg.

Gloss.

Ad tertiam confirmationem iam suprà assignata est differentia inter Decimas personales, & prædiales. Quia in personalibus fructus est in lucro; in prædialibus est in ipsis prouentibus, qui denuò procreantur. Item quia lucrum personale regulariter paruum est, & vix respondet singulis annis vnum pro decem, fructus autem prædiales multò vberiores sunt; vnde ex augmento illorum relinquitur sufficiens lucrum vltra expensas, etiam si soluatur Decima, non deductis expensis. Item in negotiatione non oportet rem destrui ad lucrandum, sed satis est, aut transportari, aut pro alia commutari, &c. Vt autem terra fructificet, necesse est, semen corrumpi in his, quæ ex semine producuntur, vel saltem necesse est, vt Deus det incrementum arboribus, & materiam, ac dispositiones, vt fructificare possint. Et hoc sensu dixit Glossa cap. *Pastoralis*, vers. *Deducendas*, ideò in mercimoniis deduci expensas, & non in fructibus, *Quia in negotiatione operatur manus hominis, in fructibus verò manus Dei.* Non quod lucrum negotiationis non pendeat etiam ex Dei prouidentia, & beneficio, (vt aliqui obiiciunt) sed quod magis cernatur eius operatio in fructibus naturæ, qui substantialiter producuntur, & minùs ibi operatur industria humana, A quia *Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*, &c. Atque hoc etiam modo dixit Diuus Thomas, Decimas non esse obnoxias mercedi operariorum, quia debentur Deo, in quantum fructus proueniunt ex eius munere. Et Soto dixit, cogitandum esse, in hoc negotio genus quoddam societatis inter Deum, & homines interuenire; nam homo laborem suum, & semen exponit, Deus autem protectionem, & operationem suam, ea solum conditione, vt homo pro suo labore, expensis, & periculo nouem partes obtineat, Deo autem Decimam in recognitionem, & suorum ministrorum sustentationem soluat.

D. Thom. *Soto.*

Atque ita etiam patet solutio ad vltimam difficultatem de Mistis Decimis, in qua specialiter attingitur de sumptibus, qui fieri solent in reparandis proprietatibus, vt molendinis, domibus, &c. De quo est expressa Decisio in dicto c. *Pastoralis*, etiam has expensas non esse deducendas, *Quia penes dominum* (dicitur ibi) *Res permanent restauratæ*, & ideò expensis eius, non Ecclesiæ, restauratio fieri debet. Idémque ibi esse dicitur, *Si pars aliqua moriatur armenti*; imò (quod notandum est) etiam in Decimis personalibus, quę ex negotiatione resultant, *Si pars mercium deperiit*, dicitur ibi, non esse reparandam ex lucro aliarum partium ante deductionem Decimarum, propter eam rationem, quod si reparatur, domini efficitur. Et addi potest alia, videlicet, quia expensæ factæ in parte mercis Deperditæ, non fuerunt factæ ad comparandum lucrum, ex quo Decima soluitur, sed aliunde illud damnum accidit. Quę ratio suo modo applicari potest ad Decimas prędiales; vnde nō est, cur onus illud durū videri debeat, præsertim quia licet in Decimis merè prædialibus videantur magis durabiles terræ, & fundi, &c. tamen semen ipsum quotannis perit, quod onus in aliis mistis non ita inuenitur, & ita in omnibus ferè eadem proportionalis ratio seruatur.

C. *Pastoralis.*

10. Decimā solnendam esse nulla prius deducta pēsione.

Tandem circa alteram partem de non deducendis ex fructibus aliis pensionibus, vel tributis ante Decimationem, est difficultas. Primò quia hinc fit, vt tributa regia ratione Decimarum minuantur. Item si quis teneatur soluere census ex fructibus alicuius prædij, tenetur suam pensionem integram soluere pensionario, non ergo debet Decimam priùs soluere, alias altera pensio minueretur. Tandem colonus, qui conducit agrum pro parte fructuum, qui partiarius dicitur, partem integram debet reddere domino fundi, vt supponi videtur in c. *Tua nobis*, de Decimis, ergo non debet fructum priùs Decimare. Respondeo nihilominùs, hanc legem semper esse inuiolabiliter seruandam, vt nihil Ecclesiæ depereat de integra Decima parte fructuum, & in hoc sensu dicitur, Decimam esse soluendam integram, nulla prius deducta pensione. Fieri tamen potest interdum, vt hoc potius æquialenter fiat, quam formaliter, quod nihil refert, dummodo Ecclesia illæsa permaneat, vt iam explicabitur, ex dicto cap. *Tua nobis*.

C. *Tua nobis.*

C. *Tua nobis.*

11. Satisfit argumentis.

Itaque ad primum respondemus, in primis id non esse inconueniens, quia tributum Diuinum regio præferendum est, vt D. Tho. supra rectè significat. Alioqui Decimæ ipsę minuerentur propter tributum regium, & ita in virtute ex Decimis solueretur tributū, quod non decet, nec fieri potest. Deinde dicitur, Regē ipsum teneri ad soluendas Decimas ex suis reditibus, at si recipiat tributum ex fructibus Decimatis Ecclesiæ, iam ex illo non tenebitur soluere Decimā, & ita non grauatur, etiamsi contingat, ea de causa minui quantitatem absolutam tributi, quod accidere posset, si tributum consisteret in aliqua parte aliquota fructuum, nā si esset pensio determinatæ quātitatis absolutæ, tunc non minueretur, vt iam dicemus, est enim eadē ratio.

Ad

12. Ad secundum ergo dicitur, si pensio sit determinatæ quantitatis absolutæ, verum esse antecedens, illationem verò non esse bonam: quia licet pensio soluatur ex nouem partibus fructuum, quæ remanent solutæ Decimæ, potest integra solui, sicut per censum cõstituta est, & ita est intelligendus contractus, quia non potest fieri cum Ecclesiæ iniuria. Tunc autem ex pensione non soluetur Decima, quia ex fructibus iam decimatis accipitur, & dominus agri cẽsetur in se accepisse onus decimandi pro illa, ideóque vel pensio minuenda fuit in contractu, vel pretium eius agendum, alioqui iustus non fuisset. At verò si pensio est de aliqua parte aliquota, quæ maior est ex integris fructibus, quam ex decimatis, tunc re vera est intelligenda pensio de fructibus decimatis, & tunc pensionarius non tenebitur aliam soluere Decimam ex sua parte, & ita nihil grauatur. Nam si reciperet talem partem aliquotã ex fructibus integris, teneretur ipse pro parte sua decimare, & sic tandem in idem rediret, & Ecclesia reciperet integram Decimam.

13. A quo debeat solui Decima, quando ager colitur per colonos.

Et ita etiam contingit in casu de colono, qui in vltima difficultate tangebatur, & petit illam quæstionem, quando ager colitur per colonos, ex qua parte debeant solui Decimæ. Resolutio autem est, soluẽdas esse ex integris fructibus; siue priùs ex illis Decima deducatur, & postea dominus, & colonos inter se diuidant iuxta conuentionem suam, qui ordo videtur optimus, & iuri consentaneus, quo facto, neuter illorum tenebitur ad alteram decimationem pro parte sua: siue priùs inter se diuidãt fructus. & postea vnusquisq; pro sua parte Decimã soluat, nã in idem redit, & fieri posse supponitur in dicto cap. *Tua nobis*. Et ita rem hanc expediunt Gloss. Panormitan. & alij ibi, & Gloss. in cap. *Quæsti*, 16. quæst. 1. Hoc autem procedit de proprio colono. Si verò loquamur de mercenario, qui seruit in cultura agri pro aliqua parte fructuum, tunc constat, illam pensionem pertinere ad expensas, quæ fiunt in cultura agri, vel collectione fructuum, & ideò deduci non posse ante decimationem. Ait tamen Soto, mercenarium in illo casu non teneri ad soluendas Decimas ex sua pensione. Quod erit verum quoad prædialem Decimam, secus verò est de personale, quæ alterius rationis est. & aliud habet fundamentum, ideóque à mercenario tunc debetur, non minùs quàm si in pecunia stipendium sui laboris acciperet. Quod bene notauit Abulens. in cap. 23. Matth. quæst. 204.

C. *Tua nobis. Gloss. Panor*

Quid sentiẽdum quãdo ager colitur per mercenarium.

Soto.

Abulens.

14. Addit verò Abulen. ibidem, etiam dominum fundi, qui illum locat colõno pro certa parte fructuum, vel certo pretio, transferendo in colonum onus soluendi integras Decimas prædiales, teneri ad alteram Decimam soluendam ex pẽsione, quam accipit, vel ex pecunia, quia est lucrum illi accrescens de nouo, & ex omni lucro debetur Decima. Nec putat, hoc esse inconueniens, quia existimat hanc Decimam esse personalem, quia ei datur ratione iuris, & dominij; iura autem dominij personalia sunt, & ideò Decima est personalis. ac subinde deberi potest simul cum prædiali. Sed hoc fundamentum re vera falsum est; quia totum illud luctum pertinet ad reditus fundi respectu domini, & ideò Decima, quæ ex illo deberi potest, prædialis est; quia ex fructu prædij datur, & non ratione personalis actionis, vel negotiationis, quod necessarium est ad Decimam personalem. Quod benè perspexit Gloss. dicto cap. *Tua nobis*, ver. *Sic & dominus*; & nihilominùs in principio indicat ex illa deberi specialẽ Decimam, vt ait Abulen. Tandem verò ait Gloss. contrarium esse æquius, & Hostiens. ac Ioan. Andr. dicũt, esse iustius, & mihi videtur omninò verum. Quia dominus fundi iam soluit illam Decimam per colonum, quando in illum transfert omnes fructus cum onere decimandi illos integrè; ibi enim sua pensio est virtute decimata, nam ea ratione minor esse debuit, & proportionata valori nouem partium fructuum tantùm; & ideò non debet iterùm decimari, cum ibi nullum sit distinctum lucrum personale. Probabiliùs certè id dici posset de colono, quia licet soluat integram Decimam prædialem, quicquid, soluta pensione, ex residuis fructibus lucratur, est lucrum personale ex propria actione, & industria, & ideò deductis expensis, & in eis computando labores proprios iuxta suum valorem, videtur teneri ad Decimam personalem ex tali lucro, non minus quàm mercenarius, vel famulus ex sua mercede, vel negotiator ex suo lucro. Veruntamen licet fortasse in rigore ita sit, non tamen est in vsu, vel quia personales Decimæ sublatæ sunt consuetudine, vel quia colonus ille censetur iam quasi vsufructuarius, & habens dominium vtile fundi, & ita ratione illius fructus illos percipere.

Præcedens fundamentũ infirmatur.

Gloss.

Hostiens. Ioan. Andr.

CAPVT XXXVI.

Quomodo sint Decimæ debitæ Ecclesiæ.

1. Quomodo Ecclesiæ Decimę debeãtur.

HActenus explicuimus ea, quæ ad substantiam huius præcepti pertinere videntur, vt sunt finis, & ratio propter quam positum est, persona, cui imponitur, & respectu cuius, & circa quam materiam imponitur. Nunc de circunstantiis, & accidentibus dicendum superest, vt sunt quando, vbi, & quo modo facienda sit Decimarum solutio, vt præceptum illud impleatur. Resolutio autem in his omnibus maximè pendet ex quadam graui quæstione, quam propterea præmittendum duximus, nimirum, quomodo Ecclesiæ Decimæ debeantur. Supponimus enim deberi, nam id Iura statim citanda sæpè tradunt, & ex ipso præcepto, & ratione eius colligitur, quia præceptum inducit debitum, vnde in cap. *Parochianos*, de Decimis, sic dicitur; *Cum Decimæ non ab homine, sed ab ipso Domino sint institutæ, quasi debitum exigi possunt.* Quæ ratio vim suam habet, siue præceptum illud fuerit à Deo immediatè latum, vt olim, siue per Ecclesiam, vt in lege gratiæ. Supponimus item ex dictis, hoc debitum non tantùm esse Religionis, sed etiam iustitiæ, quia subsidiũ aliquod ad ea, quæ necessaria, vel cõueuientia sunt pro diuino cultu, & pro sustentatione ministrorũ eius, ex iustitia debitum est ex natura rei, vt supra visum est: illud autem potuit taxare Ecclesia, quod fecisse intelligitur, præcipiendo Decimas. Facta verò illa taxatione, iam tale, & tantum subsidiũ ex eadem iustitia debetur: sicut taxato pretio frumẽti ex iustitia seruandum est, sic enim lex humana constituit talem materiam, & actum intra obiectum iustitiæ. Intra latitudinem autẽ iustitiæ potest res duobus modis esse debita, scilicet vel tanquam aliena, sicut debetur res furto sublata, vel tanquam propria creditoris cum obligatione tamen reddendi illam, sicut debetur pecunia mutuò accepta: qui duo modi licet quod attinet ad obligationem conscientiæ, & peccati, in idem redire videantur, tamen in ordine ad multos effectus morales, & ciuiles multùm differunt, vt videbimus, & ideò explicandum à nobis est, quo ex his modis Decimæ sint debitæ.

Cap. *Parochianos.*

2. Deberi Decimas tanquam res alienas dicũt aliqui.

Abbas.

C. *Tua nobis.* Cap. *Commissum.*

Prima opinio dicit, esse debitas tanquam res alienas respectu debitoris, quia ex quo fructus percipiũtur, statim esse incipiunt sub dominio Ecclesiæ, seu Dei, etiam antequam soluantur, vel separentur ex cumulo fructuũ. Ita tenet Abbas in dicto ca. *Tua nobis*, nu. 11. & dicto ca. *Commissum*, n. 4. de Decimis. Putátque esse sententiam Innocentij, & Ioannis Andr. vel ex eorum dictis colligi. Deinde illam probat ex cap. *Tua nobis*, de Decimis, quatenus ait, quod Deus præcepit solui Decimas, *suas esse asseuerans*; nam pro-

Vide ff. de Argento legato. L. *Quintus Mutius.* § *Argento*, & L. *Cum sua ancilla*, & L. *Scripsit Quintus. Augustinus.*

nomen *suum* dominium significat, vt habetur in iure ciuili; nec propter solam actionem ad rem potest quis dicere illam esse suam. Secundò expressiùs in c. *Omnes*, 16.quæst.7. *Omnes* (dicitur) *Decimæ terræ, siue de frugibus, siue de pomis arborum Domini sunt*: sunt ergo sub speciali dominio Dei, quod Ecclesiæ ipse concessit, vel saltem talem illius administrationem, vt eodem iure agere possit. Tertiò Augustinus in cap. *Decima*, 16.quæst.1. *Decimæ* (ait) *ex debito requiruntur*; explicans autem hoc debitum, addit, *& qui eas dare noluerit, res alienas inuasit.* Vbi Glossa, ver. *Alienas*, infert, *ergo ante separationem, sunt Ecclesiæ*, debentur enim vt res, quæ non sunt sub dominio debitoris, aliàs non inuaderet res alienas, ergo sunt sub dominio Ecclesiæ, seu Dei.

Gloss.

3. Quartò, quia priuilegium Ecclesiæ est, vt sine traditione consequatur dominiũ rei sibi legatæ, aut donatæ, ex cap.2. de Cõsuetud. in fine, & clariùs ex lege, vlt. Cod. de Sacrosanctis Ecclesiis, ergo multò magis ex voluntate Dei, & Ecclesiæ transfertur dominium Decimarum in Clericos, seu Ecclesiam ante traditionem, vel separationẽ, quia efficacior est voluntas Ecclesiæ, quàm priuati donatoris. Quintò inducitur c. *Moderamine*, 16. q. 1. quatenus ibi dicitur, Sacerdotes ministrantes diuina, laudabiliter Decimas sibi vendicare; sitque vis in verbo, *vendicare*, quia actio rei vendicationis non datur, nisi in rem propriam ab alio detentam, ff. de rei vendicat. leg. *In rem*: sed hæc actio datur Clericis ad exigendas, vel recuperandas Decimas, ergo. Sextò Ecclesia potest exigere Decimam à quocunque raptore, & iniusto detentore, potest etiã agere contra incendiarium, qui segetes combussit, & similia; ergo signum est habere ius in re, atque adeò dominium ipsarum Decimarum. Et confirmatur maximè, quia si Parochianus vendat omnes fructus non decimatos, potest Ecclesia cõtra emptorem agere, & ipse tenetur in conscientia restituere Ecclesiæ Decimas suas, & agere contra venditorem pro illa parte, ex c. *Pastoralis*, de Decimis. Imò si quis ex pecunia, seu fructibus non decimatis emit domum, tenetur ex reditu domus Decimam soluere Ecclesiæ, vt ex eodem c. colligitur saltem per argumentum à cõtrario; ergo signum est domũ illam saltem quoad decimam partem, emptam fuisse ex pecunia Ecclesiæ, & ideò eadem proportione in ius illius transisse.

Cap. *Moderamine.*

Leg. *In rem.*

C. *Pastoralis.*

4. Secunda sententia, negat Decimã esse sub dominio Ecclesiæ, quãdiu separata nõ est ab aliis fructibus, seu partibus, nec tradita aliquo modo Ecclesiæ. Hanc sententiam fuisse antiquorũ Canonistarum, refert superiùs Panor. & in eam magis inclinat Gloss. in dicto cap. *Moderamine*, verb. *sibi vendicent*, in fin. 16. q. 1. & Gloss. in dicto cap. *Tua nobis*, verbo, *Tributa*, etiam in fine. Licet priorem sententiam satis probabilem censeat. Hanc verò cõstantiùs asseuerant Freder. Senens. Const. 74. & Rebuff. tract. de Decimis quæ. 3. nu. 16. & 17. & quæst. 9. num. 8. & sequentibus. Fundamentum huius sententiæ ita potest explicari, quia Decima, donec sit separata ab aliis partibus fructuum, est sub dominio eius, cuius sunt fructus; Arg. leg. 2. ff. de Pollicit. quæ loquitur quando Decima ex voto debetur, videtur autem eadem ratio, licet debeatur ex præcepto, quia votum est quasi lex quædam priuata. Ratiò vero est quia in re nondum diuisa non potest acquiri dominium determinatæ partis. Dicetur, posse aliquem habere dominium rei, seu partis nondum diuisæ, vt quando plures habent dominium hæreditatis totius, vel quando cumulus tritici est multorum simul, & singulorum partialiter, licet nullus habeat dominium determinatæ partis materialis (vt sic dicam) sed formalis, seu aliquotæ in cõfuso. Sed contra, quia oportet ostendere titulum sufficientem huius dominij communis, quod hic fieri non potest: Nam Ecclesia non habet dominium commune in terris, v.g. quæ seminantur, nec in semine ipso, nec in arboribus, aut ouibus, aut aliis rebus similibus, à quibus proueniunt fructus, ergo nec in ipsos fructus habet tale dominium ex vi natiuitatis eorum, (vt sic dicam) nec etiam ex vi solius præcepti, quia præceptum nec tollit dominium, nec facit illud commune, nisi id satis explicet, quod in hoc præcepto non fit.

2. Sententia negãs Decimã esse sub dominio Ecclesiæ quandiu non est separata. *Panor. Gloss. Freder.*

Rebuff.

Fundamentum.

Leg 2.

Potest autem hoc multis modis ostendi. Primò ex lege veteri, ad cuius exemplum nostrum præceptum datum est, tunc enim non videntur Decimæ fuisse sub dominio Leuitarum priùs, quàm separarentur, & traderentur: Tum quia Exod. 22. dicitur, *Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere.* Vbi pondero particulam, *tuas*, quæ dominium significat, erant ergo Decimæ illorum, à quibus tradendæ erant, donec eas traderent, & hoc tantùm eis præcipiebatur, & Deut. 14. *Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis*, &c. Omnes ergo fructus erant possidentis, & ille tenebatur segregare partem, & à se illam abdicare. Item, in illa lege tres Decimæ præcipiebantur, & tamen verisimile non est, Decimam pauperum, illorum fuisse, antequam daretur, ergo nec Decima Leuitarum. Tandem, Primitiæ non poterant transire in dominium Leuitarum ex vi legis, antequam darentur, quia non præcipiebantur in certa parte, vel quantitate, sed hoc erat ex arbitrio dantium, dominium autem debet esse de re certa, & tamen forma præcepti eadem erat in Primitiis, & Decimis, vt patet ex citatis verbis Exodi, & (quod notandum est) in dicto cap. *Tua nobis*, eodem modo dicitur, *Suas esse Decimas, & Primitias asseuerans.* Quod certè de Primitiis intelligi non potest cum eo rigore, quem prior sententia ponderabat, sed eo modo, quo dicit Deus Exod. 13. *Sanctifica mihi omne primogenitum, &c. Mea sunt enim omnia.* Ergo eodem sensu dicitur Leuit. 27. *Omnes Decimæ Domini sunt, & illi sanctificantur.* Dicuntur enim Domini, quia ad illius cultum specialiter erant deputatæ, non quia à dominio Israelitarum subtraherentur, antequam illas traderent, sicut Primitiæ, & primogenita. Quod etiam ex Num. 18. non obscurè colligitur, si attentè legatur.

5. Ostenditur assertio.

Exod. 22.

Deut. 14.

C. *Tua nobis.*

Exod. 13.

Leuit. 27.

Num. 18.

Præterea hoc declaratur ex verbis ipsorum Canonum: Nam in dicto cap. *Parochianos*, solùm dicitur, Decimas peti posse, *tanquam debitum*, non ergo vt res propria, nam hæc duo in rigore diuersa sunt. Item in cap. *Ex transmissa*, dicitur: *Fidelis homo ex omnibus, quæ licitè acquirit, Decimas erogare tenetur.* Priùs ergo acquirit rem totam, seu omnes fructus, & ex illis Decimas dare tenetur, priùs ergo, quàm det, ipse retinet omnia, quæ acquisiuit. Præterea, solent in iure Decimæ vocari tributa, vel cum tributis comparari, cap. *Decimæ*, 19. q. 1. & dicto cap. *Tua nobis*. At tributa licet sint debita, non tamen fiunt extra dominium debentis, & sub dominio Principis, donec soluantur, ergo similiter Decimæ, & ideò iura dicunt, Deum illas sibi reseruasse in signum vniuersalis dominij, in dicto ca. *Tua nobis*, & in cap. *Cum non sit*, eod. vbi speciali titulo esse reseruatas dicitur; & ideò in prærogatiuam dominij generalis præcedere solutionem Decimarũ ante solutionem aliorum tributorũ, aut pensionum. Non ergo ratione particularis dominij præfertur Decimarum solutio: nam si illa ratio interueniret, illa esset præcipua, & maximè proponenda, sed præfertur ratione maioris excellentiæ, & strictioris debiti, ergo sicut aliæ pensiones, & tributa debita ex rigore iustitiæ, non sunt eius, cui debentur, nec extra dominium debitoris, priùs quàm soluantur, ita nec Decimæ, sed in hoc æquiparantur.

6. Probatur ex Canonũ decretis.

Cap. *Parochianos.*

C. *Ex transmissa.*

C. *Decimæ.*

C. *Tua nobis.*

Cap. *Cum non sit.*

Tandem

7. Argumento negatiuo probatur.

Tandem ostendi idem potest argumento negatiuo, quod in hac materia est sufficiens: nã si ius ipsum diuinum, vel humanum per se ipsum nõ confert Ecclesiæ hoc dominium, non est, vnde illud habeat, non sunt autem verba in Iure, quibus indicetur translatio talis dominij ipso facto. Quod in primis declaratur ex iure antiquo diuino, & verbis, quæ in contrarium ponderantur, nam quod Deus appellet suas Decimas, nimis generale est, quia etiam vocat sua omnia, vt re vera sunt, licet per hoc non immutentur humana dominia. Et speciali titulo solet vocare sua, quæ ad suum cultum peculiariter reseruauit, & deputauit, vt primogenita, & primitias, vt vidimus, neque alia verba fortiora inueniuntur in Scriptura, ex quibus id probari possit. Hinc verò facilè etiam probatur de iure Canonico, quia si in illo reperiuntur similia verba, solùm referuntur ex veteri lege, vnde in eodem sensu afferuntur. Posset etiam vocare Ecclesia Decimas suas, antequam soluantur, quia in illis habet peculiare ius & actionem, ita enim in bonis computantur ea, ad quæ actio habetur iuxta Leg. *Rem in bonis*, ff. de Acquirend. rer. domin. Et contraria ratione, qui debitum non soluit, per quandam æquipollentiam dicitur rem alienam rapere, vel inuadere. Imò interdũ Sancti vocant fures, & raptores, ac homicidas eos, qui superflua non dant pauperibus, cum teneantur, quamuis non statim illorum bonorum dominium amittant, vel pauperes ipso facto illud acquirant ante omnem traditionem. Ex his ergo formulis loquendi nihil colligitur. Neque verbum *Vendicandi*, plus probat, vt iam ostendam.

Leg. *Rem in nobis.*

8. Præcedentiũ opinionũ iudicium, & concordia.

Inter has sententias prior videtur magis pia, quia fauorabilior Ecclesiæ, posterior verò magis secũdum rigorem iustitiæ. Possumus autem quadam moderatione adhibita vtramque sententiam interpretari, & quasi componere dissensionem, si dicamus, Ecclesiam nõ habere proprium, & rigorosum dominium Decimarũ, antequam illas percipiat, habere tamen vsumfructum illarum, atque adeò nõ solùm habere ius ad illas, sed etiam aliquod ius in illis, quod dici potest dominium vtile, licet non sit directum, quale habet vsufructuarius in fructibus nondum percepris. Priorem partem, quæ negat dominium directum, & perfectum, probant adducta pro sententia posteriori. Quibus non obstant motiua prioris opinionis, quia tria prima ex modis loquendi Scripturæ, & Canonũ sumpta, non probant, vt ostendi. Quartum verò de priuilegio Ecclesiæ acquirendi dominium sine reali traditione Dei, habet locũ, vel quando res est certa, & determinata, vel certè quãdo de donatione proprietatis constat, quod hic non constat, vt dixi. Aliæ verò duæ rationes sumptæ ex effectibus ad summum probant alteram partem de dominio vtili, & nõ amplius. Illa ergo pars videtur mihi satis probabiliter colligi ex ca. *Pastoralis*, de Decimis, vt statim ostendã, maximè verò probari ex effectibus aliquibus, qui ex hoc iure Ecclesiæ nascuntur, qui varij possunt numerari; quorum declaratio maximè elucidabit hanc resolutionem, & totam hanc materiam, & ideò per illos breuiter discurrere oportet, vt & falsi à veris separentur & veri rectè intelligantur.

C. *Pastoralis.*

9. Dominium vtile Ecclesiæ in Decimas probatur ex effectibus. *Gregor.*

Primus ergo effectus huius dominij esse censetur, quia Ecclesia potest Decimas postulare per rei vendicationem ab iniusto inuasore. At hic effectus in primis nõ colligitur ex iure, nam verbũ *Vendicandi*, in illo ca. *Moderamine*, positũ, non accipitur in hoc sensu, quia nõ tractabat ibi Greg. de actione ciuili, qua potest vti Ecclesia contra non soluentes, vel vsurpantes Decimas, sed de ratione, ob quam possunt Monachi accipere Decimas, si Sacerdotum ordinem, & ministerium accipiant, & tunc ait, posse illas sibi vendicare, id est, vsurpare, vel appropriare, hæc enim est vis latina illius verbi, & est in vsu iuris, etiam in iure Canonico, vt in ca. *Quia nonnulli*, de Cler. non resid. Alia verò significatio non vsurpatur, nisi cum agitur de proprietate iuris ciuilis. Deinde ille effectus parum necessarius est Ecclesiæ, quia si tractetur de Decimis, id est de iure Decimarum, tunc Iuristæ dicunt, petendum esse actione confessoria, quæ in Iuribus incorporalibus æquiualet actioni, quę circa bona corporalia rei vendicatio dicitur, & meritò ita fit, quia illud ius ad Decimas sub dominio Ecclesiæ existit. Hic verò non tractamus de Decimis pro iure, sed pro fructibus ipsis, qui peti possunt, cum iniustè detinentur, etiamsi *Ius ipsum* Ecclesiæ nõ vertatur in dubium. Et tunc actio personalis sufficit, quæ dicitur ex lege, vel ex Canone: nec rei vendicatio affert specialem vtilitatem. Propter quod dixit Hostiens. in c. *Parochianos*, Canonistas non multùm curare de his formis petendi. Sic ergo necessarium non est vt talis actio, seu postulatio procedat à dominio; nam certum est, non posse Decimas accipi propria auctoritate, sed petendas esse, ad quod sufficit ius, & actio personalis, vt Rebuff. dicta quæst. 9. latiùs prosequitur. Tandem ad summum inde probari potest ius aliquod in re, quia negari non potest, quin dominus fundi habeat actionem ad vendicandos omnes fructus integros sui prædij, si ab alio iniustè occupentur, & contra illum habere actionem rei vendicatiuam. Possumus ergo dicere, Parochianum habere actionem directam per rei vendicationem ad omnes fructus integros: Ecclesiam verò habere actionem vtilem per rei vendicationem ad suam partem. Nam istæ actiones etiam à Iuristis distinguuntur, vt pater ex Gloss. in §. *Si quis in aliena*, verb. *Vtilis actio*. Instit. de Rerũ diuisione, & in Gloss. in Leg. *Idem Pomponius*. §. *De arbore*, ver. *dabant*, ff. de Rei vendi. Atque hoc modo ex hoc effectu rectè nostra sententia declaratur.

Hostiens. Rebuff. Gloss.

10. Exponitur secundus effectus.

Secundus effectus esse potest, quia apud quemcunque fructus non Decimati existunt, potest Ecclesia ab illo immediatè suam Decimam postulare. Itaque si Parochianus vendidit omnes fructus non Decimatos, potest Ecclesia Decimam immediatè postulare ab emptore, & non à venditore, licet emptori postea suum ius maneat contra venditorem. Quod censetur verum non solùm in iudicio externo, sed etiam in foro conscientiæ, in quo talis emptor tenetur reddere Decimam Ecclesiæ, etiamsi non petatur, vel etiamsi Ecclesia ignoret suum nocumentum. Hoc ergo videtur esse magnum signum dominij, quia tunc tenetur ille emptor ratione rei acceptæ restituere, ergo signum est, illam Decimam esse ipsius Ecclesiæ, cui debetur. Item quia nisi Ecclesia haberet ius in illa re, non transiret ius cum re contra emptorem, sed maneret semper contra personam venditoris, vt ex aliis bonis suis satisfaceret Ecclesiæ. Atque ita in hoc effectu magnam vim facit Panormitan. nam ille effectus videtur certus ex cap. *Cum non sit* de Decimis, ait enim, eos ad quos census, vel tributa ex fructibus indecimatis peruenerunt, cogendos esse, illa decimare Ecclesiis, ad quas pertinent. *Quoniam res* (inquit) *cum onere suo transiit*. Quod autem ibi de parte fructuum dicitur, eadem proportione, & ratione procedit in omnibus fructibus, si quouis modo ad alium indecimati perueniant. Idem patet ex capit. *Pastoralis* eod. vbi dicitur, *Fructus non posse alienari, nisi cum onere Decimarum*, scilicet cum onere reali, quod ipsis fructibus veluti inhæreat, vt in alio cap. declaratur. Hoc autem onus non videtur esse aliud, nisi quod illi fructus quoad decimam partem sunt alieni, nimirum Ecclesiæ, quæ potest illam recuperare, vbicunque inuenerit.

C. *Quia nonnulli.*

Panorm. Cap. *Cum non sit.*

C. *Pastoralis*

11. Declaratur amplius hic effectus.

Circa hunc autem effectum priùs oportet expo- A nere, quomodo sit intelligendus, vt sit verus. Tribus enim modis potest aliqua persona occupare fructus non decimatos, scilicet, per actionẽ iniquam, & iniustam cõtra possidentem, & contra Ecclesiam, secundò per actionem iniustam contra Ecclesiam, non vero contra possidentem, tertiò bona fide, & sine iniuria alicuius. Primus modus habet locũ in eo, qui omnes fructus indecimatos furatur, & tunc clarum est, teneri ad restituendos omnes fructus: tamen non dubito, quin satisfaciat illos omnes reddendo priori domino, imò fortasse non rectè faceret, reddendo nouem partes Domino, & Decimam Ecclesiæ, quia nõ potest ipse sua auctoritate Decimam ab alio debitam ex illius bonis soluere, nam si Parochus ipse non potest B propria auctoritate capere, multò minus poterit alius rapere, vt det Parocho: vnde in eo casu non videtur Ecclesia habere immediatam actionem cõtra furẽ, nisi quando dominus esset negligẽs, & ea de causa Ecclesia pateretur: nã tunc Ecclesia habebit actionem ad Decimam recuperãdam, siue illa sit ratione rei acceptæ, siue ratione dãni illati, quælibet enim sufficit.

Triplex modus occupãdi fructꝰ nõ decimatos.

12. Secundus modus.

Secundus modus contingit vel in ipso Parochiano detinente Decimas, & nolente eas soluere cum iniuria Ecclesiæ, vel in emptore, qui mala fide emit fructus non decimatos ab iniquo venditore: tunc enim emptor nullam iniuriam facit venditori voluntariè vendenti, & pro iusto pretio; facit tamen iniuriã Ecclesiæ, nisi in se suscipiat onus soluendi Decimam: Nã C si hoc onus suscipiat, non peccat sic emendo, & accipiendo fructus non decimatos, vt apertè colligitur ex

C. Pastoralis. dicto cap. *Pastoralis*, dicente: *Fructus autem ipsos alienari posse non credimus, nisi cum onere Decimarum*, ergo cum illo alienari possunt, & idem planè supponitur in di-

C. Tua nobis. cto cap. *Tua nobis*. Et ratio est, quia tunc venditor transfert in emptorem onus, & obligationem soluẽdi Decimam, & ita per illum quasi per suũ ministrum soluit Ecclesiæ Decimam. Tunc ergo mirum non est, quod Ecclesia habeat actionem immediatè contra emptorem, si Decimam detineat, quam ei immediatè reddere tenetur ex vi pacti inter ipsum, & venditorẽ, quod pactum, etiamsi expressum non sit, interuenire censetur, quoties venditor apertè dixit emptori, fru- D ctus illos non esse decimatos, & ita illos vendere,

Abulens. quia censetur vendere, vt licitè potest, vt sensit Abulens. infra citandus. Imò in eo casu verissimum credo, illum emptorem non acquirere dominium illius Decimæ, quia vendens, vel non potest; vel certè nõ vult illud concedere, quia cum tali modo, & onere rem vendit. Semper tamen liberum erit Ecclesiæ à suo subdito, & debitore immediatè Decimam petere, quia ille est primarius debitor, & non potuit se illo onere liberare omninò sine consensu Ecclesiæ, sed

Gloss. Panorm. onus cum re ipsa incedit, vt notauit Glossa in cap. *In aliquibus*, de Decimis, verbo *Compellantur*, & Panormitanus ibi per illum textum, & alia suprà allegata. At verò qui emeret fructus indecimatos sine onere E decimandi illos, sed cum intentione emendi etiam partem ad Ecclesiam pertinentem, tunc plane esset Ecclesiæ iniurioſus, siue cooperando damno illi iniustè illato per venditorem, siue rem ad Ecclesiam iure pertinentem emẽdo, vnde, (velit, nolit,) tenebitur Ecclesiæ satisfacere, & sustinere onus decimandi, siue ratione rei acceptæ, siue ratione iniustæ acceptionis. Et ideò tunc etiam Ecclesia potest, si velit, immediatè agere contra emptorem ab illo postulando Decimam, quia iniustè occupauit rem ad Ecclesiam pertinentem cum damno illius. Et præsertim potest hoc Ecclesia facere per censuras Ecclesiasticas, vt in dictis Iuribus dicitur, quia cum talis emptor ex iustitia teneatur Decimam restituere Ecclesiæ, meritò potest ab eadem Ecclesia per censuras cogi, vt restituat.

13. Tertius modus.

Tertius modus cõtingit in eo, qui bona fide emit fructus integros non decimatos, putans, esse decimatos, quia venduntur tempore, & modo, quo decimati fructus vendi solent, & non habet probabilem rationem suspicandi, venditorem peccare, aut malè agere, & tunc cum non teneatur ratione acceptionis, dubitari potest, an ratione rei acceptæ teneatur ad decimandum, & consequenter, an Ecclesia habeat actionem contra illum immediatè, si velit, vel si non possit à venditore valorem Decimæ recuperare. Et in hoc dicendum videtur iuxta communem sententiam, emptorem teneri ad restituendum Ecclesiæ Decimam illam, & Ecclesiam posse ab illo eam postulare immediatè, si velit, ipsum verò retinere actionem contra venditorem. Ita sumitur ex D. Thom. 22. quæst. 87. art. 2. ad 4. Qui licet non declaret, an loquatur etiam in casu, in quo emptor bona fide emit, tamen absolutè dicit, emptorem fructuum, integrorum teneri ad Decimam soluendam Ecclesiæ. *Quia habet* (inquit) *rem Ecclesiæ debitam*, & non dicit; *Quia Ecclesiam defraudauit*, sicut dicit de venditore; vnde planè sentit, obligationem oriri ex ipsa re, siue interuenerit culpa, siue non. Idem habet in specie Abulensis in cap. 23. Matth. quæst. 158. Et sumitur planè ex Iuribus citatis, quatenus in eis dicitur, quod fructus transeunt ad emptorem cum onere suo, & hoc titulo eum teneri ad Decimam soluendam, ergo hæc obligatio oritur ex ipsa re, & non tantùm ex crimine, vel culpa ementis. Ratio verò sumi potest ex dictis suprà de prædiis ipsis, seu possessionibus, ex quibus Decimæ soluuntur, nimirum habere in se onus reale Decimarum respectu talis Ecclesiæ, & illud secum deferre, ad quemcunque dominum transeant, hinc ergo fit, vt fructus cum eodem onere nascantur, & transeant ad quemcunque possessorem, siue iustè, siue iniustè illos occupet. Totum autem hoc nascitur ex institutione Ecclesiæ, quæ ita hoc præceptum ordinauit, & tale ius sibi attribuit.

D. Thom. Abulens.

14. Quale ius sit necessarium ad hoc dominium.

Iam verò explicandum superest, quale sit hoc ius, & an ad hunc effectum necessarium sit verum dominium, vel aliud ius minus sufficiat. Dico ergo, non esse necessarium dominium perfectum, & plenarium, seu dominium proprietatis, vel directum (vt vocant:) necessarium tamen esse tale ius, quale censetur habere vsufructuarius in fructibus nondum apprehensis, quod suo modo dominium vtile potest appellari. Hoc declaro ex §. *Is verò*, instituta de Rerum diuision. Vbi de vsufructuario sic dicitur: *Is verò ad quem vsusfructus fundi pertinet, non aliter fructuum dominus efficitur, quàm si ipse eos perceperit.* Ex his ergo constat, vsufructuarium, antequã fructus ipse percipiat, non consequi verum, ac radicale dominium illorum: Et tamen negari nõ potest quin priusquam fructus ex terra, vel arbore colligantur, vsufructuarius habeat aliquod ius in illis, ratione cuius habet potestatem recipiendi illos, & recuperandi, vel postulandi eos, si ab alio iustè, vel iniustè, percipiantur. Ac denique hinc constat, totum hunc effectum cum eadem proportione habere locum in vsufructuario. Nam si dominus fundi vendiderit fructus, vel donauerit alteri, quàm vsufructuario, potest ille ab emptore illos postulare. Et ipse emptor à principio non potuit tuta conscientia illos emere, & si per ignorantiam id fecit bona fide, statim, ac sciuerit, tenetur vsufructuario illos fructus restituere. Sic ergo Ecclesia, licet non habeat proprium dominium Decimarum, priusquam illas recipiat, videtur esse vsufructuaria partialis, vt sic dicam, & ita habere aliquod ius non tantùm ad rem, sed

sed etiam in re in ipsa Decima: Tale enim ius videtur habere vsufructuarius. In fructibus nondum perceptis, ratione cuius ei debentur tales fructus, antequam illos percipiat, non tantùm personali debito, sed etiam reali, ita vt ipsimet fructus habeant in se tale onus, cum quo transeunt ad quemcunque occupantem. Ita ergo videtur dicendum in Decimis Ecclesiæ: nam quòd hoc ius sufficiat, probat exemplum adductum, quòd autem necessarium sit, probat prædictus effectus.

15. Declaratur hoc ex iure Ecclesiæ in possessiones.

Declarari etiam hoc potest ex iure, quod habet Ecclesia circa possessiones ipsas, seu prædia, ex quibus Decimam partem fructuum percipit, nam Ecclesia non habet proprium, ac perfectum dominium talium possessionum, vt constat ex communi sensu omnium, & probat textus in dicto cap. *Pastoralis*, ibi, *Quia apud dominum res permanent restauratæ.* Ex qua ratione collegit Pontifex, non esse deducendas expensas consumptas in restauranda possessione, vel alia re, à qua fructus percipiuntur, quia semper res illa vt melior per restaurationem effecta manet sub potestate, & dominio Parochiani. Necesse est autẽ, vt intelligat sic manere ex omni parte, ita vt nec quoad decimam partem etiam in confuso sumptam intelligatur esse sub dominio Ecclesiæ, alioqui ratio nihil valeret. Nam si Decima pars domus, v. g. esset Ecclesiæ, deberet profectò soluere Decimã partem expensarum pro restauratione talis rei, & sic essent expensæ cum proportione deducendæ. Ergo vt illa ratio contrarium probet, oportet ita intelligi, vt Ecclesia non habeat proprium dominium illius rei, nec Decimæ partis eius. Et nihilominùs habet aliquod ius in illa re, ratione cuius res illa dicitur esse obnoxia Ecclesiæ debito reali, & secum deferre illud onus, quod ius non videtur esse aliud, nisi quòd res illa est vsufructuaria Ecclesiæ quoad illam partem. Eodem ergo modo fructus, qui ex illa nascuntur, sunt Ecclesiæ obnoxij, & ipsa habet idem ius in illos, quod ad prædictum effectum sufficit. Atque in hunc modum intelligenda censeo alia verba illius capit. *Pastoralis*, quæ licet ab Auctoribus primæ sententiæ non afferantur: maximè videntur posse illorum sententiam confirmare. Cum enim dixisset Innocent. III. non esse deducendas expensas, quæ fiunt pro fructibus percipiendis, subdit rationem: *Quoniam salua Decima, fructus efficiuntur eorum, qui faciunt ipsas expensas*: Considerandа enim est illa exceptio, *Salua Decima*, significat enim Papa, fructus quidem effici possidentis fundum, non tamen omnes absolutè, sed præter Decimam, & hoc modo videtur hic textus probare priorem sententiam. Tamen intelligenda puto verba illa cum dicto moderamine, quia non omnes fructus simpliciter fiunt possidentis, sed cum onere Decimæ, ita vt quoad illam non habeat saltem vtile dominium, sed hoc sit penes Ecclesiam, & ideò illi semper, & vbique Decima debeat salua manere. Hoc ergo modo ex hoc effectu, & ex illo textu optimè nostra sententia declaratur, & confirmatur.

Cap. *Pastoralis.*

Innocent. 3.

16. Tertius effectus dominij Ecclesiæ in Decimas.

Tertius effectus addi potest affinis præcedenti, quia Ecclesia potest petere Decimas ab eo, qui iniustè segetes combussit, vel arbores succidit habentes iam fructus. Non enim minus damnificat Ecclesiam, qui cõburit fructus, quàm qui sibi rapit, ac detinet; ergo sicut in hunc habet actionem ratione rei acceptæ, ita in illum ratione damni illati. Atq; ita docent Innoc. Ioannes Andreas, & Panorm. in cap. *Commissum*, de Decimis; & Couar. in reg. *Peccatum* p. 2. §. 8. num. 12. in fin. vbi hoc extendit etiam ad Decimas personales, vt venationum; vbi fuerint in vsu, quando aliquis impedit iniustè, ne alius lucretur tali modo. Ex hoc ergo effectu etiam confirmat Panormitanus suam sententiam. Veruntamen dato etiam illo effectu, ex illo non probatur habere Ecclesiam plus quam ius aliquod, seu dominium vtile illorum fructuum. Tum quia multò magis potest dominus fundi agere cõtra malefactorem ad resarciendos integros fructus sine vlla diminutione, iuxta prudentem æstimationem, vt multa Iura disponunt, ergo signum est, habere illum dominum directum ius, & dominium talium fructuum. Tum etiam quia in simili casu vsufructuarius posset agere contra inuasorem, aut destructorem fructuum, cum non possit aliter suum damnum resarcire, ergo ex hoc effectu non potest ius maius colligi.

Innocent. Ioan. Andr. Panor. Couar.

17. Limitatio huius effectus.

Circa ipsum verò effectum aduertit Panormitanus cum Ioanne Andr. intelligendum esse quando segetes, v. g. iniustè combustæ sint, nam si iustè comburantur, tunc in damnificante nulla est obligatio satisfaciendi Ecclesiæ pro Decima perdita, ideóque nec in Ecclesia est ius aliquid ab illo petendi. Exemplum est, si in bello iusto segetes comburantur, destruantur vineæ, &c. Tunc enim non grauatur conscientia militum, aut ducum, etiam respectu Decimæ, in qua damnificatur Ecclesia, quãuis ipsa Ecclesia non fuerit causa belli, nec contra illam geratur; quia tunc hostes vtuntur iure suo, & non possunt separationem facere. Crediderim autem hoc habere locum, quando illa destructio fructuum est medium necessarium ad victoriam, seu ad agendum bellum securè, & expeditè, tunc enim per se intenditur finis iustus belli & damnum illud est per accidens. At verò quando id non fit, vt medium necessarium ad bellum, sed fortasse in pœnam iniuriæ illatæ; tunc non videtur posse fieri iustè cum Ecclesiæ nocumento, quia posset agi bellum sine tali damno, & post comparatam victoriam posset illa pœna imponi in bonis propriis eorum, qui deliquerunt sine damno Ecclesiæ. Nunquam enim licet, innocentes cum nocentibus inuoluere in participatione pœnę, quando ad finem belli necessarium non est, & comparata victoria, potest conuenienter separatio fieri.

18. Quartus effectus.

Quartus effectus, vel quasi extensio præcedentis addi potest, quia non solùm contra extrinsecos hostes, sed etiam contra suum subditum, seu Parochianum dominum fundi potest Ecclesia agere, si sua causa fructus eius pereant: Nam hæc potestas videtur fundari in dominio, quod Ecclesia habet Decimarum talium fructuum. Hunc autem effectum indicauit D. Thom. dicta quæst. 87. art. 2. ad 4. Vbi generaliter ait, si culpa domini pereant fructus, teneri ad resarciendas Decimas, *Quia ex culpa illius non debet Ecclesia damnificari.* Variis autem modis potest intelligi hæc culpa in Parochiano. Primò quia iniuriam fecit alteri, qui odio, vel ira iusta, vel iniuria prouocatus fructus in vindictam destruit. Et hæc culpa videtur valde remota, ac subinde per se solum non sufficere, vt propter illam cogatur Parochianus Ecclesiæ pro Decimis satisfacere. Quia nec tenetur ratione rei acceptę, vt supponitur, nec ratione acceptionis, vel iniuriæ, quia nullo modo ad illam cooperatus est. Quoniam non positiuè, quia non est cooperatus illi actioni, & licet aliquam occasionem dederit, valde tamen remotam, ad quam vitandam non obligabatur ex speciali lege soluendi Decimas, seu non ponendi impedimentum perceptioni earum. Vnde nec omissiuè concurrit, quia non tenebatur hoc peculiari titulo remouere illud obstaculum, quia erat valde accidentarium, & remotum.

D. Thom.

19. Tribus modis potest dici subditus moralis causa damni Ecclesiæ. Primus modus

Oportet ergo, vt culpa sit talis, quòd re vera ratione illius possit subditus dici moralis causa nocumenti illati suæ Ecclesiæ. Quod tribus modis potest accidere. Primò commissiuè, vt si ipsemet Parochianus suas segetes comburat, &c. Et tunc obligatio clara

est, quia si extraneus tenetur, cur non ille? Item quia si contra vsufructuarium totalem, vel partialem id feciſſet, tenetur illi pro rata fructus reſtituere, ergo & Ecclesiæ. Secundò omiſſiuè, vt si potuit impedire damnum, vel reſiſtere hoſtibus ſine maiori iactura, & non fecit; & hoc etiam putat D. Thom. ſufficere, vt teneatur quis Decimas ſoluere, ſi ſua culpa fructus amiſerit; & addit Soto, quòd ſi agricola fuit in mora triturandi, v. g. vel recondendi fructus in area, & alluuione perierunt, tenetur Eccleſiæ Decimas perſoluere. *Secus verò* (ait) *eſſet, ſi abſque negligentia notabili id accideret, quia tunc periculum quaſi naturale eſt, & commune.* Tertius modus cogitari poſſet, ſiquis non haberet ſui prædij fructus, quia noluit ſeminare, vel vineam colere, &c. De quo Auctores expreſsè non loquuntur, tamen conſequenter videtur ſequi, tunc etiam teneri, quia eſt in cauſa, vt Eccleſia careat Decimis ſuis.

Secundus.

D. Thom.

Soto.

Tertius modus.

20. Secundus. & tertius caſus impugnatur.

At enim difficilè eſt, hanc obligationem imponere in ſecundo, & tertio caſu, quia dominus agri non tenetur ex iuſtitia defendere, vel cuſtodire, aut recondere fructus propter vitandum periculum reſpectu Eccleſiæ, ergo licet in eo peccauerit, vel contra charitatem, vel per quandam prodigalitatem, & negligentiam contra debitam prouidentiam familiæ, & rerum ſuarum, non videtur inde obligari ad reſtitutionem Decimæ reſpectu Eccleſiæ. Quia vbi non eſt iniuſtitia, nec res aliena detinetur, non poteſt eſſe reſtitutionis obligatio. Item eadem ratione, qui eſt negligens in metendis ſegetibus, vel fructibus ex arboribus colligendis, vel qui omninò nolit eos colligere, & qui circa agnos recens natos negligés fuit, & ideò mortui ſunt, non videtur poſſe obligari ad Decimas ſoluendas, quia contra iuſtitiam non peccauit. Alias qui propter negligentiam pauciores fructus habuit, quam potuiſſet, teneretur etiam diminutionem Decimarum reſtituere, quod incredibile eſt. Denique eadem ratione credi non poteſt, eum, qui propter pigritiam tantum, vel auaritiam ſeminare noluit, nec agros colere, debere nihilominùs Decimas, quæ ex illis ſolent prouenire, cum coluntur, cum non teneatur ex iuſtitia ſeminare. Diſtinguendum igitur videtur de mora. Vna eſt, quando collectis iam fructibus, & in eo ſtatu poſitis, in quo tenetur quis ſtatim Decimam tribuere Eccleſiæ, non ſoluit, ſed detinet. Alia eſt mora in colligendis ipſis fructibus tempore opportuno, quo in ſtatu non videtur adhuc obligare præceptum Eccleſiæ, quia ſolùm obligat ad dandas Decimas ex fructibus collectis, vt apertè habetur ex c. *Cum homines*, de Decimis. Quando ergo mora eſt primi generis, procedit indubiè ſententia D. Thom. quod periculum Decimarum ad Parochianum ſpectat, vt dixit etiam Gloſſa in dicto cap. *Cum homines*, ver. *Fructibus collectis*, & Alenſ. 3. part. q. 51. membr. 5. ad penult. & Rebuff. q. 12. num. 2. Et ratio eſt, quia ſicut Decimæ ex iuſtitia debentur, ita illa mora procedit contra iuſtitiam, & ideò nocumentum, quod ratione illius prouenit, imputatur debitori tanquam iniuria illi facta, & ideò illud reſtituere tenetur.

Quid in his ſentiendum.

C. *Cum homines.*

Gloſſ. Alenſ. Rebuff.

11. Quando verò mora eſt poſterioris generis, procedunt obiectiones à nobis factæ, ad quas dicendum videtur, in illis caſibus poſſe Clericos, ad quos pertinent Decimæ, monere Parochianos, vt per ſe, vel per colonos, aut alios miniſtros colant agros, fructúſve colligant temporibus ſuis, & eos fideliter adminiſtrent, vt Eccleſia non fraudetur ſuis Decimis. Quod ſi noluerint, poſſunt per Eccleſiaſticum prælatum eos compellere argum. tex. in cap. *In aliquibus* de Decim. vbi præcipitur, vt domini prædiorum talibus perſonis, & taliter ſua prædia excolenda committant, quòd abſque contradictione Eccleſiis Decimas cum integritate perſoluant, & ad id, ſi neceſſe fuerit, per cenſuras compellantur. Vbi Panor. num. 3. aduertit, inde colligi, ratione Decimæ habere Eccleſiam quoddam ius in fundum, ratione cuius poteſt compellere dominum, vt talibus colonis fundum locet, qui vtiliter, & fideliter rem gerant, etiam reſpectu Eccleſiæ; ergo, eadem ratione poteſt cogere ipſos colonos, vel etiam dominos, vt fideliter, & ſtrenuè ſe gerant in cultura agrorum vſque ad fructuum collectionem; nam eſt eadem ratio. Vnde ſi in eo caſu ſubditi non obedirent Eccleſiæ, poſſet Eccleſia iure aſſumere curam, & adminiſtrationem prædiorum, & ſe indemnem ſeruare, quod ſi propter potentiam domini, & ad maiora mala vitanda, id non faceret, tunc ſubditus contumax in cõſcientia teneretur ad reſarciendum Eccleſiæ damnum in amiſſione Decimarum, quia per vim, & contra iuſtitiam illam priuat iure ſuo. At verò ſi paſtores Eccleſiæ videntes, ſubditum negligenter ſe gerere in fructuum perceptione, illum non monent, neque cogunt vllo modo, nec ſe offerunt ad curam aſſumendam, ſi ipſe non emendetur, non videtur ſubditus obligari ad ſoluẽdum plus quàm Decimas fructuum, quos de facto percipit, etiamſi ex negligentia plures non fuerint exorti, vel ad maturitatem non peruenerint, & hoc mihi probant obiectiones factæ.

Panor.

Potéſtque hoc totum explicari exemplo vſufructuarij partialis, vt ſic dicam. Eſt enim notandũ, quod vſufructuarius cui legato, v. g. omnes fructus prædij reliqui ſunt, ſemper intelligitur eos recipere cum onere expenſarum, ita vt ipſe teneatur prædium colere, fructus colligite, &c. & ideò non habet locum in caſu, quem tractamus. Nam ſi talis vſufructuarius fuerit negligens, ſibi nocebit: At verò ſi alicui teſtamento legetur certa pars fructuum, tunc ad dominũ proprietatis pertinet quidem cultura agri vſque ad fructuum collectionem, etiam expenſis ſuis faciendã, vt Bart. tradit in l. *Fructus*, ff. ſolut. matr. Tunc ergo licet proprietarius ſit negligens, & ea de cauſa vel nulli, vel tenues ſint fructus, & ideò pars illa minoris valoris; ſeu abſolutæ quantitatis ſit: quia in ea negligentia non peccauit contra iuſtitiam reſpectu alterius, non tenetur illi aliquid amplius ſoluere, aut reſtitueret habebit tamen vſufructuarius ius petendi, & procurãdi, vt prædia illa fideliter, & vtiliter adminiſtrentur, vt ſe poſſit indemnem ſeruare, & vt ex malitia, vel negligentia alterius non priuetur conuenienti portione ſua. Ita ergo in præſenti dicendum cenſeo, atque ita ex hoc effectu, prout explicatus eſt, rectè explicatur, & confirmatur noſtra ſententia.

12.

Bart.

Ratio fundamentalis.

CAPVT XXXVII.

Quando, & vbi teneantur fideles ſoluere Decimas.

1. Quintus effectus.

EX principio ſuperiori capite poſito declarari facilè poſſunt hæ duæ circunſtantiæ. Nam vlteriùs ex illo colligimus, Decimam dandam eſſe Eccleſiæ, etiam non petitam, & ſine mora. Ita ſentit Gloſſa in dicto cap. *Cum homines*, ver. *Fructibus*, & ibi communis Rebuff. dicta q. 11. à num. 7. & alij infrà referendi: Et colligitur ex dicto cap. *Cum homines*. Et prior pars conſtat ex forma præcepti, non enim præcipitur fidelibus, vt ſi requiſiti fuerint, Decimas ſoluant, ſed abſolutè vt ſoluant. Et ideò in lege veteri præceptũ erat, *offerre Decimas*, Exod. 22. Verbum autem *offerendi*, ſignificat oblationem, quæ vltrò danda eſt, etiam ſi non petatur. Ratio verò propria eſt, quia vnuſquiſque tenetur reddere alteri, quod ſuum eſt, etiam illo non petente, ſed Decima eſt Eccleſiæ aliquo modo, ſaltem quoad dominium, vtile, vt oſtenſum eſt, ergo.

Gloſſ.

Rebuff.

C. *Cum homines.*

Exod. 22.

Imò

Imò ad hunc effectum neutrum dominium videtur in rigore necessarium, sed sufficit, quòd Decima verè sit debita, quia vnusquisque tenetur soluere debitum etiam creditore non petente, quando iam tempus, pro quo debetur, aduenit. Maximè verò vrget hæc obligatio, quando res ipsa, quæ detinetur, est aliena, vel habet reale onus sibi annexũ, ratione cuius alteri reddenda est, quale onus habet Decima, vt Iura docent. Atque hinc facile patet altera pars assertionis: Quæ etiam in lege veteri expressè ponebatur, Exod. 22. *Decimas, & Primitias non tardabis reddere*, Pertinetque hoc ad quandam integritatem solutionis: nam qui tardè soluit, minuit quodammodo solutionem, quatenus illa dilatio potest esse incommoda creditori, & ideò dixit lex ciuilis, *Minus soluit, qui tardius soluit*: præcipimur autem integrò Decimas soluere. Denique pertinet hoc ad intrinsecam rationem præcepti, seruandum enim est eo tempore, quo obligat, aliàs contra illud fit, tunc autem censetur quis esse in mora, quando tempore præcepto non soluit.

L. Si cui ff. de ver. sign.

2. Quando fiat mora in soluendis Decimis.

Statim verò occurrit interrogandum, quando quis censetur esse in mora non soluendo Decimam, videtur enim non esse in mora, donec Decimę petantur, vel (quod perinde est) donec subditus moneatur à Parocho. Ita sensit Archid. in cap. 1. de Decimis in 6. quem sequitur Parisi. Cons. 15. in 1. volum. & solet pro hac sententia referri D. Thomas 2.2. quæst. 87. artic. 1. ad 5. quia dicit, non peccare, qui absque obstinatione animi differt soluere Decimas, quia non petuntur, paratus reddere, si petantur. Quod etiam sensit Anton. 2. part. tit. 4. cap. 3. §. vltim. & pro hac opinione citantur iura, quæ monitionem postulare videntur, c. *Peruenit*, de Decimis cum similibus. Dicendum verò est, duplicem esse posse moram, vnam in ordine ad conscientiam, aliam in ordine ad forum externum, seu vnam in ordine ad culpam, aliam in ordine ad pœnam, seu censuram. Ad hanc posteriorem clarum est, esse necessariam præuiam monitionem, vt ex materia de excommunicatione constat, & ita loquitur apertè dictum c. *Peruenit*, & c. *Omnes*, 16. q. 7. sufficiet tamen generalis monitio, quam in Ecclesiis solent facere Parochi, si trina sit, quia illa sufficit ad contumaciam. Hîc verò non agimus de pœna, sed de culpa. Hoc ergo modo ad priorẽ moram nulla est necessaria præuia monitio, vel petitio. Quæ est certa, & communis sententia, vt patet ex Abbate, & aliis dicto cap. *Peruenit*, & dicto c. *Cum homines*, Rota in Antiquis decision. in 25. Felin. in cap. *Si autem*, de Rescr. n. 5. Couar. 1. Var. cap. 17. num. 8. ver. *Octauo*, & num. 12. Gutier. dicto cap. 20. num. 43. Et probatur facilè ex dictis in assertione præcedenti, quia tunc aliquis est in mora, quoad conscientiam, quando peccat, differendo solutionem debiti, sed vt aliquis peccet, non soluendo Decimam, non est necesse, vt præcedat petitio, vel monitio, quia tenetur soluere, etiam non requisitus, vt ostensum est, ergo. Nec D. Thomas contra hoc aliquid docuit, loquitur enim de locis, vbi per consuetudinem abrogatæ sunt Decimæ, & ibi ait, non peccare, qui non soluunt, & nihilominùs vult, eos esse paratos ad soluendum, si petantur, quod quomodo sit intelligendum, supra à nobis declaratum est. Et eodem sensu loquitur Anton. & fortasse etiam alij doctores, moti enim sunt ex verbis D. Thomæ, & planè loquuntur, quando Ecclesia non petendo intelligitur remittere Decimam, at hoc solum habet locum, vbi vel expressa est remissio, vel consuetudo, quæ tacitam remissionem indicat, vel inducit, nunc autem loquimur per se, & ex vi iuris, vbi integrum est.

Archi. Pariſi. D. Thom.

Anton.

Cap. Peruenit.

Quæstio resoluitur.

Cap. Peruenit.

Cap. Omnes

Abb.

Couar. Gutier.

3. Quæ mora sit culpabilis in Decimis personalibus soluendis.

Sed vlteriùs occurrit inquirendum, quando teneantur fideles soluere Decimam, ita vt si differant, A sint in mora culpabili. Circa hoc distinguere oportet de personalibus, & prædialibus Decimis, & de personalibus dicendum est, nihil de illis esse iure præscriptum. Ideóque dixit Hostiens. in summa de Decim. in fin. in his locum habere opinionem dicentiũ tunc deberi, quando petuntur. Sed melius dicitur, standum esse consuetudini, quæ succedit loco iuris, vnde cum frequentiùs consuetudo habeat, vt hæ Decimæ non soluantur, cessat quæstio de tempore solutionis. Nihilominùs vbi fuerint in vsu, aiunt doctores, per annos esse soluendas, ac subinde in fine singulorum annorum, quia hoc est Ecclesiæ vtilius, & magis accommodatum moribus humanis. Ita Alens. supra, Glos. in c. *Reuertimini*, ver. *Annus*, 16. q. 1. Panor. cum Ioan. Andr. in cap. *Peruenit*, de Decimis. Inclinat Rebuffus dicta quæst. 12. num. 4. & sequentibus, licet alias referat sententias, quæ videntur esse consilia bona; ad seruandum verò præceptum illud prius sine dubio sufficit: maior autem dilatio non esset permittenda, nisi consuetudine introducta.

Hostiens.

Alens. Gloss. Panor. Ioan. Andr. Rebuff.

4. Soluitur dubium supra tactum de compensatione.

Et iuxta hanc resolutionem facilè expeditur difficultas quædam in superioribus tacta, præsertim circa ea, quæ per negotiationem, vel militiam acquiruntur, quæ semper sunt periculis exposita, & non videntur plenè comparata, quandiu homo negotiatur, aut bellum gerit. Facilè enim respondemus, hanc computationem per annos singulos esse faciendam, & in vnoquoque anno expensas esse detrahendas, & in eis esse computanda damna omnia, & bona infelicibus euentibus amissa, & ex remanente lucro totius anni Decimas esse soluendas. Inter diuersos autem annos non est talis compensatio admittenda, quia aliàs nunquam posset certa quantitas lucri haberi ad Decimas persoluendas. Hæc igitur tempora sunt per annos singulos computanda, nulla enim ratio moribus humanis magis accommodata excogitari potest, regulariter loquendo. Annus autem hic per se loquendo videtur computandus secundum naturalem ordinem, & cursum eius; tamen in particulari possunt esse variæ consuetudines iuxta locorum, & materiarum exigentiam. Vel vnusquisque poterit annum computare, aut ex quo tempore cœpit negotiari, aut seruire, aut militare, aut iuxta communem modum computandi lucra, vt in hoc regno ab vno aduentu nauium ex India vsque ad alium, & in aliis locis à quibusdam nundinis vsque ad alias sequentis anni, & sic de aliis. Oportet ergo, vt veluti communi conuentione, vel prudenti arbitrio certa tempora designentur, in quibus hæc computatio, & solutio fiat.

5. Prædiales Decimas collectis fructibus statim esse soluendas.

De prædialibus autem Decimis communis sententia est, collectis fructibus statim sine morali mora persoluendas esse. Ita sentiunt D. Thomas, Alens. Glossa, Panorm. & Rebuffus supra citati, & Summistæ communiter: Quia in dicto cap. *Cum homines*, sic dicitur: *Mandamus, vt statim fructibus collectis, Decimam persoluant*. Estque hæc determinatio consentanea legi diuinæ antiquæ, in qua tempus collectionis fructuũ designabatur ad soluendas Decimas, & respectu illius admonebatur sæpe populus, vt Decimas soluere non tardaret. Item cum hoc præceptum sit affirmatiuum, cuius natura est, vt non obliget pro semper, oportuit, aliquod certum tempus pro illo designare, nullum autem poterat esse commodius, quia tunc maior est commoditas, priusquam insumantur fructus; & quia ex tunc incipit Ecclesia habere ius magis certum, & dominiũ talium fructuum quoad Decimam partem, & ideò statim illi est tradenda, quia non potest res aliena detineri. Vnde colligunt Doctores, quod si idem prædium ter in anno fructus ferat, cum de singulis soluenda sit Decima, iuxtà cap.

D. Thom. Alens. Gloss. Panor. Rebuff. C. Cum homines.

Ca. *Ex parte.* *Ex parte*, 1. de Decim, non est expectandus finis anni ad soluendas omnes illas Decimas simul, sed singulas reddendas esse suis temporibus, statim ac fuerint collectæ.

6. Assignatur tempus soluendis Decimis animalium.

Et iuxta hæc iudicari poterit de Decimis ex fructibus animalium, nam cum ex vno animali multiplex possit esse fructus, singulorum Decima reddenda est suo proportionato tempore; nam fœtuum soluenda est Decima paulò post partum; & quidam dicunt exspectãdos esse nouem dies, in quibus fœtus nutriantur, vt sine periculo possint Decimari. Ita Rebuffus dicta quæst. 12. num. 3. cum aliis, quos refert, & melius quæst. 6. num. 30. De hoc tamen non est certum ius, sed prudens arbitrium; tunc enim fœtus præstari debet, quando sine matre viuere commodè possit, & interim congruenter ad hunc finem nutriendus est, alioqui infructuosa esset decimatio, & non fideliter Decimæ soluerentur: At verò lanæ Decima solui debet, quando tundentur oues in fine: Alius fructus est ex lacte, quod potest in ea specie Decimari, vel in caseo, butyro, &c. iuxta consuetudinem, vel conuentionem tacitam, aut expressam cum Parochis, & quia hic fructus tractu longi temporis colligi solet, in fine totius temporis soluenda est Decima cum proportione. Hæc autem regula non potest omninò accommodari ad eas possessiones, quæ non reddunt proprios fructus naturales, sed pecuniam, vel aliquid simile, & in his fieri poterit solutio aut per singulos annos, aut in duabus, aut tribus partibus anni, prout videbitur expediens, aut magis consentaneũ: Hæc enim omnia ad consuetudinem tandem reuocanda sunt, quam oportet esse certam, & immemorialem, & tunc seruanda est, alioqui ius est seruandum in materia, in qua disponit, in aliis verò habet locum prudens arbitrium, quod per ius quoad fieri possit, regulandum est, & vtilitati Ecclesiæ semper est consulendum.

Rebuff.

7. Vbi, & quomodo soluendæ sint Decimæ.

Iam verò dubitari vlterius potest, an fideles teneantur, non solum tempore debito offerre Decimas, sed etiam illas deferre in domos, vel horrea Clericorum propriis sumptibus, & labore, quod est quærere vbi, & quomodo, & quibus auxiliis, seu subsidiis Decimæ soluendæ sint. Aliqui dixerunt teneri fideles suis expensis deferre Decimas. Ita sentit Glos. in cap. *Reuertimini*, 16. q. 1. ver. *In horrea*, & in cap. *Decimas*, 1. ver. *In horreum*, 16. q. 7. Et sequitur Panor. in c. *Peruenit*, de Decimis n. 3. vbi Ioan. Andr. & alios refert. Cõsentit ex parte Couar. suprà, limitat enim, dummodo leui sumptu, & labore Decimæ deferri possint, non verò aliàs, quem ferè in omnibus imitatur Gutier. dicto c. 21. num. 43. & sequentibus, vbi plures Iuristas pro illa sentẽtia refert. Sed re vera hoc nullo iure probatur. Vnde veriorem censeo sententiam, quæ negat teneri fideles ad deferendas Decimas suis sumptibus, & laboribus. Neque oportet distinguere de sumptibus leuibus vel grauibus, nec de horreis publicis Ecclesiæ, vel priuatis, (vt Cou. distinxit) quia in nullo ex his casibus ius aliquid præscribit, & hoc modo tenuit hanc sententiã Rota suprà, & Adr. quodlib. 5. art. 1. §. 2. Satis ergo implet hoc præceptũ, attento tenore iuris, qui post collectionem fructuum monet Parochum, vt Decimam deferri faciat, quia iam est tempus percipiendi, & ipse est paratus ad dandum, ille enim iam soluit tempore debito, quantum in se est, vt indicauit Glos. in dicto c. *Cum homines*, verb. *Fructibus*, ergo ex vi iuris ad nihil aliud tenetur, nec est imponendum nouum grauamen sine expresso iure.

Glos. *Panor.* *Ioan. Andr.* *Couar.* *Gutier.* *Rota.* *Adr.* *Glos.*

8. Non deferendos esse fructus indecimatos in horrea. *Couar.*

Bene autem Couar. aduertit, non esse fructus in horrea mittendos indecimatos, sine scientia, & consensu Clericorum, quia aliàs possent Laici fraudem committere in Ecclesiæ præiudicium, & ideò supposita lege, & debito Decimarum ex natura rei videtur sequi hæc obligatio, quia *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* Item hoc sequitur ex dicto dominio, quod diximus habere Ecclesiã in Decimas; nam ad debitum vsum, & securitatẽ illius iuris spectat, vt collecti fructus non recondantur sine consortio vsufructuarij. Denique quoad hanc partem hæc est recepta sententia, & praxis, vt latè Gutier. suprà prosequitur. Postquam verò Clerici admoniti sunt, & certiores facti, si nolint deferre, vel negligentes sint, non tenetur dominus fructuum in area exspectare, sed potest vel omnes fructus recondere, vel etiam Decimam in area relinquere, si consuetudo ita habeat, vt dixit Rebuff. in q. 13. n. 50. cum Hostiens. & aliis. Quamuis autem ex vi iuris hoc verum sit, si tamen consuetudo habeat, vt fideles deferãt Decimam in horrea, seruanda est, & ad hoc sufficiet consuetudo decem annorum, quia non est contra ius, & eo modo seruabitur, quo fuerit introducta, id est, quoad paruas expensas, vel etiam magnas, vel quoad publica horrea, vel quoad priuatas domos, prout habuerit consuetudo. Atque ita satis explicatæ sunt circunstantiæ in solutione Decimarum seruandæ.

Gutier. *Rebuff.* *Hostiens.*

CAPVT XXXVIII.

Quomodo recuperari ab Ecclesia possint Decimæ non solutæ.

1. QVia de modo soluendi Decimas dictum est, oportet, vt de modo exigendi, vel recuperandi Decimas non solutas, pauca dicamus. In quo in primis suppono, semper habere Ecclesiam ius ad petendas, & exigendas Decimas ab iniustis detentoribus, quandiu illas non remisit, vel alij bona fide non præscripserunt. In quo grauiter errauit Parisi, leg. 1. Consilio 15. n. 26. dicens, Parochum, si non petiit Decimas tempore collectionis, non posse postea petere; est enim practicè improbabilis, & planè temeraria assertio, quia nullo iure, vel ratione fundatur; imò nec est alterius auctoris, vt latè Couar. & Gutier. supra ostendunt. Ratio verò clara est, quia qui non petit debitum statim, ac potest, non censetur idcircò illud remittere, vt per se notum est. Imò semper potest omitti, vel differri petitio ex vrbanitate quadam, quãdo enim creditor plus expectat, tunc debitor tenetur magis ex iustitia, & gratitudine se offerre. Si ergo ipse sit negligens, semper potest creditor petere: ita ergo est in præsenti. Imò licet Parochus oblatas Decimas nolit nunc recipere, potest postea postulare, & Parochianus tenetur dare, & ex tunc incipiet esse in mora, si non det, antea enim iam fecerat, quod debebat, vt notauit Glos. in dicto cap. *Cum homines*, ver. *Fructibus*.

Parisi. *Couar.* *Gutier.* *Glos.*

2. Non potest Parochus accipere Decimas per vim sua auctoritate. *Rebuff.*

Secundò est certum, non posse Parochum per vim accipere Decimas sua auctoritate, etiam si subditus iniustè detineat, vel solutionem differat. Ita sumitur ex communi sententia Doctorum, vt tradit Rebuffus q. 9. per totam, maximè verò num. 20. Ratio est, quia fidelis quisque est in legitima possessione suorum fructuum, ergo non potest per vim priuari illa possessione auctoritate priuata, etiamsi verè sit debitor illorum; quia hæc vis est contra pacem Reipublicæ, & potest esse origo plurium iniuriatum, & scandalorum. Et ideò omnia Iura dicũt per publicam potestatem cogendos esse soluere Decimas, qui eas detinent, non verò priuata auctoritate. Quocirca non solum per vim corporalem, verum etiam nec per spiritualẽ (vt sic dicam) potest Parochus propria auctoritate cogere Parochianum, vt Decimas soluat. Tetigit hoc Nauar. in Concilio 2. de Decimis, vbi docet. non posse Parochum negare Parochiano sacramẽta, donec Decimas soluat, quia hoc esset propria auctoritate,

Ratio conclusionis. *Nauar.*

ritate illum cogere, & bonis suis, vel possessione, & vsu eorum priuare, quod non licet iuxta cap. *In literis*, & capit. *Conquerente*, cum similibus de Rest. Spoli. Item quia vel illa coactio esset per iurisdictionem forensem, & coactiuam, seu punitiuam in foro externo, & hanc non habet Parochus; vel esset per facultatem quasi intrinsecam non dandi Sacramenta indignis, & hac non potest vti Parochus, nisi quando est publicum, & indubitabile delictum; hic autem peccatum non est publicum, quia non est per sententiam declaratum, vt supponimus, nec est ita indubitabile, vt sit publicum euidentia facti, quia potest quis habere excusationem, & ius aliquod prætendere, ergo nullo modo licet talis coactio priuata auctoritate. Item, qui sic delinquit, non est excommunicatus ipso facto, vt supra dixi; & licet esset, non posset, à Parocho publicè denunciari, donec per sententiam esset declaratum incurrisse, ergo antea non potest eo titulo excludi à participatione Sacramentorum, ergo illa coactio est violenta, & iniusta, si propria auctoritate fiat. Et hîc addi possunt, quæ supra in simili de oblationibus diximus.

Ca. In literis. *Ca. Conquerente.*

3. Prælatos, & Iudices Ecclesiæ posse cogere Decimarum debitores.

Tertiò est certum, Prælatos Ecclesiæ, & iudices Ecclesiasticos competentes posse cogere fideles debitores Decimarum ad soluendas illas. Hoc constat ex ca. *Omnes*, 16. quæst. 7. vbi dicitur, hos esse admonendos primò, secundò, & tertiò; & si non obedierint, anathemate feriendos vsque ad satisfactionem congruam. Idem sumitur ex multis capit. de Decimis, Ac tandem ex Tridentino sessione 25. cap. 12. de Reformatione. *Qui Decimas* (inquit) *subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine sine plena restitutione secuta absoluantur.* Ratio verò clara est, quia qui Decimas detinent, sacrilegij crimen committunt, & æternæ damnationis reatum incurrunt, vt dicitur in cap. *Decimas*, 1. 16. quæst. 7. Ergo si admoniti contumaces sunt, meritò excommunicari possunt, & quandiù non restituunt, absoluendi non sunt, quia non sunt ad absolutionem dispositi, & quia semper cogi possunt, donec Ecclesiæ satisfaciant. Aduertit autem circa hoc Nauarr. in Man. cap. 21. num. 33. hoc intelligendum esse de illo, qui potest restituere ante communionem, vel mortem, quia si excusetur impotentia, absolui poterit ab habente potestatem in foro interno, vel externo iuxta modum iurisdictionis, cum proposito satisfaciendi Ecclesiæ, cum primum possit, & sufficiente cautione iuxta occurrentes circunstantias.

Conc. Trid. *Ca. Decimas.* *Nauar.*

4. An prælati teneãtur subditos cogere *Panorm.* *Ca. Peruenit. Alexand. 3.*

Sed quæres, an teneantur Episcopi, & Prælati hoc modo cogere subditos ad solutionem Decimarum. Respondeo primò, per se loquendo, teneri. Ita Panormitanus cum aliis in cap. *Peruenit*, de Decimis. Ex quo textu id rectè probatur, ibi, *Mandamus*, &c. per quod præceptum hoc Prælatis imponitur ab Alexan. III. Præterquamquod ex vi sui muneris ad hoc tenentur, quia vt fideles ministri, & dispensatores tenentur non negligere Ecclesiasticorum bonorum defensionem, & custodiam. Secundò verò dicitur, posse interdum Prælatos Ecclesiæ conniuere, & non cogere propter vitanda scandala, & maiora mala. Ita sumitur ex Diuo Thoma dicta quæst. 87. art. 1. ad 5. & rationem reddit. *Quia ministri Ecclesiæ maiorem curam habere debent spiritualium bonorum in populo promouendorum, quam temporalium colligendorum.* Et infrà, *Laudabiliter ministri Ecclesiæ Decimas non requirunt, vbi sine scandalo requiri non possent.* Idem verò Diuus Thomas 2. 2. quæ. 43. art. 8. significat, prælatos Ecclesiæ non posse dimittere temporalia bona Ecclesiæ propter scandalum vitandum, & in solut. ad 5. solùm excipit petitionem Decimarum, vbi scandalum oriretur ex consuetudine non soluendi Decimas. Alens. etiam 3. parte.

D. Thom. *Alens.*

A quæst. 51. membr. 6. art. 1. dicit, propter vitandum scandalum generale, quod in schisma vergeret, posse prælatos dissimulare, & Decimas non exigere, propter vitandum autem scandalum particulare non posse.

Sed non existimo posse in hoc dari generalem regulam, sed prudentia opus esse; & præterea, adhibendam esse distinctionem, nam aliud est, si agatur de Iure Decimarum; aliud, si tantùm de temporali Decima per injustitiam negata, aut occupata. In priori casu nõ debet Ecclesia facile cedere propter scandalum publicum, seu schisma, vt optimè probat exemplum Sãcti Thomæ Cantuarien sis, & in libro de Immunit. Ecclesiæ latiùs ostendimus; & in hoc casu loqui videtur D. Thomas cit. loco, & ideò excipit consuetudinem, quia illa mutat ius. At verò in posteriori casu facilè possunt Pastores Ecclesiæ non exigere Decimas, propter vitandum scandalum, maximè si sit publicum, vel multorum. Interdũ verò licere id poterit propter spirituale bonum alicuius, qui fortè per ignorantiam excusatur, & de fragilitate eius timetur, si cogatur. In quo valde mihi placet, quod Caietan. aduertit dicta qu. 43. art. 8. aliud esse, bona, quæ iam sunt in potestate Ecclesiæ, benè dispensare; aliud, bona Ecclesiæ debita, & occupata recuperare. Nam primum ita est necessarium, vt nunquam contrarium licere possit propter vitandum scandalum, quia est contra præceptum diuinum negatiuum. Secundum autem pertinet ad præceptum defendendi, vel recuperãdi res Ecclesiæ, quod non obligat pro semper sed pro loco, & tempore iuxta prudentis arbitrium & ideò interdum omitti potest propter scandalum vitandum.

1.

Caiet.

Addimus præterea, etiam posse prælatos Ecclesiæ desistere ab hac coactione per aliquod genus transactionis, & amicabilis compositionis, & interdum etiã per liberalem remissionem. Ita notat Caiet. cit. loco, vbi maximè de remissione agit, quando is, qui Decimas debet, re vera indiget, saltem ad decentiam status: sic etiam Nauar. dicto c. 21. n. 33. ait, condonationem factam ab eo, cui debentur Decimæ, sufficere ad liberandum ab hoc debito, & sentit, licitè posse fieri ab Ecclesiasticis, si debitor sit pauper, non verò si sit diues, quod debet intelligi, si absque rationabili causa fieret, at propter scandalum vitandum, vel alia mala posset honestè fieri, vt Caiet. sentit. Quod verò generaliter loquendo possint prælati, vel beneficiati, ad quos tales Decimę pertinent, in his euentibus paciscì, & per priuatam conuentionem rem transigere, indubitatum est apud omnes, vt patet ex Gloss. in c. *Vt super* de Reb. Eccles. non alien. ver. *Possessiones*, & Panor. in c. *Cum homines*, de Decim. n. 7. Et in c. vlt. de Rerum permut. Et colligitur ex dicto ca. *Vt super*. Ratio verò est, quia ibi non agitur de Iure spirituali, sed de temporali debito, & ita in illa compositione nulla est simoniæ species, sed potest esse fidelis administratio, & dispositio de bonis Ecclesiæ.

6. Posse per cõpositionẽ desistere Prælatos ab hac coactione. *Caiet.* *Nauar.*

Gloss. *Panor.* *Cap. Vt super.*

Ratio assignatur.

Dices, saltem est quædam alienatio bonorum Ecclesiasticorum. Respondeo non esse alienationem bonorum immobilium, sed quorundam redituum, & ideò ex iuxta causa vel in totum, vel ex parte remitti posse, vel commutari, aut aliter de illis transigi. Et ideò notant dicti Auctores, hanc compositionem licitam esse de præteritis Decimis, non verò de futuris, commutando in perpetuum, vel ad longum tempus Decimas futuras in alios fructus, vel possessiones. Nã hoc expressè prohibetur in Concil. Lateran. sub Alex. III. part. 4. ca. 1. quod incipit, *Intelleximus*. Quod olim videtur fuisse sub titulo de Decimis in Decret. vt significat Glossa in cap. vlt. de Rerum permutat. in fine, asserens, non debuisse remoueri, nam illa prohibitio durat, vt ex eodem capite colligitur. Et ratio redditur

7. Occurritur obiectioni.

Concil Later. *Concil.* *Gloss.*

ditur ab Alexand. III. quia Decimæ non sunt pro temporalibus immutandæ, id est ius Decimarum, quod videtur commutari, quando est de futuris Decimis; vnde Panorm. hoc explicans sentit, hoc maximè procedere in Laicis, quia non sunt capaces Decimarum, vel certè quia non possunt ab eis eximi, nisi de consensu Pontificis. Vnde inter Ecclesiam, & Clericos potest habere locum illa compositio in futurum; tamen quia tunc interuenit quædam alienatio rei perpetuæ, quale est ius Decimarum, ideo sine auctoritate superioris, & debita solemnitate, ac Ecclesiæ vtilitate fieri non potest, vt notatur latiùs in d.ca. vlt. de Rerum permut. vbi videri potest Abbas, & in cap. 2. de Transact. & in dicto cap. *Cum homines* de Decimis.

Panorm.

Cap. Vlt. Abbas.

8. An Prælati possint Decimas petere, non solũ ab eo, quidebet, sed etiam ab eo qui agrũ emit.

Quartò addunt multi, Pastores Ecclesiæ non solum posse petere præteritas Decimas prædiales non solutas ab illis personis, quæ illas non soluerunt, sed etiam ab his, quibus ipsa prædia vendiderunt, vel donarunt, aut testamento legarunt; nam illi vltimi possessores tenentur non solùm ad soluendas futuras Decimas, sed etiam ad præteritas ratione prædiorum. Ita docent Canonistæ significat Glossa in cap. *Tua nobis*, de Decimis ver. *Sic & dominus* in fine; tenet Abbas cum Ioan. Andr. & Hostiens. in cap. *Pastoralis*, de Decimis num. 5. Idem Abbas in cap. *Cum homines* de Decimis num. 6 cum Ioan. Andr. & Freder. Senens. Consilio. 81. Fundantur in hoc, quod Decimæ sunt tributa iuxta cap. *Tua nobis*, de Decimis. At tributum transit in nouum possessorem, ita vt etiam præterita tributa non soluta soluere teneatur, vt expressè dicitur in leg. *Imperatores* ff. de Publican. & vectig. ergo. Secundò allegat Abbas cap. *In aliquibus*, de Decimis, quia ibi dicitur, cogi posse dominos prædiorum ea locare illis personis à quibus Ecclesia sine contradictione Decimas percipiat. Citat etiam cap. *De terris*, quia ibi dicitur, vt Iudæi soluant Decimas de terris, à quibus Ecclesiæ recipiebant Decimas, vel illas compellantur relinquere; & c. *Si quis Laicus*, 16. qu. 1. vbi dicitur, vt nullus possit ita alienare prædia sua, vt prouentus Decimarum inde abstrahere valeat.

Pars affirmatiua. Gloss. Abbas. Ioan. Andr. Hostiens. Freder. C. Tua nobis.

Leg. Imperatores. C. In aliquibus. Ca. De terris. Cap. Si quis Laicus.

9. Pars negatiua. *Abb. Freder.*

Nihilominùs contrariam sententiam tenuerunt alij Canonistæ, vt Abbas, & Freder. referunt. Quæ primò probari potest, quia omnia, quæ adducunt dicti auctores in confirmationem suæ opinionis, probant solum prædia esse obnoxia pro futuris Decimis, non verò pro præteritis. Nam cap. *In aliquibus*, cap. *De terris*, c. *Si quis Laicus*, cum similibus euidenter loquũtur de onere Decimandi fructus prouenturos ex talibus prædiis à tempore, quo possidentur à quocunque. Hinc autem non licet colligere, etiam obligari pro præteritis quia est debitum longè diuersum, & prædium iam dedit fructus obnoxios illi debito, & consequenter mansit liberum à tali onere. Vnde prima ratio, quæ videtur magis vrgens ex leg. *Imperatores* etiam non probat, tum quia ipsimet Iuristæ fatentur, Decimas non esse propriè tributa, sed per quandam similitudinem, & accommodationem, vt notat Gloss. in d. c. *Tua nobis*, vers. *Tributa*, vbi multa dicit seruari in tributis, quæ non seruantur in Decimis, ergo etiam in præsenti argumentum sumptum ex Decisione Imperatoria circa tributa per solam similitudinem non est efficax, quia Pontifices hoc non disposuerunt circa Decimas, & ad extendenda oneta argumentum à simili inefficax est, præsertim vbi similitudo in aliis multis deficit. Tum maximè quia iura Canonica disponunt, vt onus præteritarum Decimarum transeat cum ipsis fructibus, qui indecimati alienantur, quod in tributis non seruatur. Videtur autem vltra æquitatem, quòd idem onus præteritarum Decimarum maneat, & super possessionem, & super fructus præteritos, cum etiam semper maneat supra personam Primi debitoris, qui vendidit prædium, vt iidem Doctores fatentur. Vnde confirmatur, quia si ille debitor alienauit & prædia, & fructus indecimatos diuersis personis Ecclesia debet conuenire possidentem fructus, & non possidentem prædia, quia iura Canonica expressè disponunt, primum esse debitorem ratione fructuum, c. *Cum non sit in homine*, & cap. *Pastoralis*, de alio autem habente prædia solùm disponunt, vt teneatur ad Decimas in posterum soluendas. Tandem declaratur, quia prædia habent in se onus Decimarum, quatenus virtute continent fructus, sic autem comparantur ad futuros; nam præteritos iam protulerunt, & in illos transtulerunt onus Decimarum, vnde si manerent obnoxia prioribus debitis, id esse debere per modum pignoris, seu hypothecæ, vel in vi alicuius legis nihil autem horum inuenitur.

C. Cũ non sit. C. Pastoralis.

Quocirca dicendum censeo, duobus modis posse intelligi, prædia esse specialiter obligata pro præteritis Decimis: vno modo speciali obligatione, quæ nascitur ex lege Decimarũ propter peculiare onus, quod Ecclesia imponit vnicuique prædio pro Decima suorum fructuum: alio modo posset intelligi ex hypothecaria obligatione inducta beneficio legis in fauorem Decimarum. Inter quos duos modos potest hæc differentia cognitari, quod in priori onus non extenditur in vnoquoque prædio, nisi ad Decimam suorum fructuum, non verò aliorum: Itaque siquis habẽs vineas, & prædia quæ seminantur, & de vuis soluit Decimã, non verò de grauis licet postea vendat vineas, non erunt obnoxiæ debito Decimarum grani ex vi illius oneris, quia illud onus non extẽditur nisi ad proprios fructus talis vineæ, vel possessionis, etiam futuros. ergo multò minus ad præteritos. At verò in alio modo obligationis & hypothecæ, quodlibet prædium intelligetur esse obnoxium pro quolibet debito ex non solutis Decimis contracto, ex quibuscunque fructibus illæ Decimæ debeãtur. Auctores ergo primæ opinionis videntur loqui de priori genere oneris & obligationis, & fortasse est probabilis eorum sententia propter ipsorum auctoritatem, contra illam verò procedunt obiectiones à nobis factæ, quibus satisfieri aliquomodo posset. Ego tamen, vt verum fatear, non video sufficiens fundamentum illius obligationis, nec qua lege inducta sit, & ideò in hoc puncto illis non assentior, sed aliis iudicium relinquo.

10. Dupliciter Prædia posse esse obligata pro Decimis præteritis.

Posset autem quis vlteriùs dicere, hæc bona immobilia fidelium esse obligata posteriori modo, scilicet per modum generalis hypothecæ tacita obligatione in fauorem Decimarum, & ita semper transire cum hoc onere pro quibuscunque Decimis non solutis. Eo modo, quo bona mariti dicuntur esse taliter obligata pro dote vxoris in cap. *Ex literis*, de Pignor. Tamen quia hæc hypothecaria obligatio debet esse inducta virtute alicuius legis, cum ipsi fideles ad hoc non se obligauerint voluntate sua: Oportet ostendere legem, vbi hæc obligatio imposita sit omnibus bonis fidelium. Dici verò potest, quod licet non sit expressum in Iure, in fauorem Ecclesiæ extendi potest priuilegium illud concessum fœminis pro dotibus suis. Sic enim doctores illud extendunt ad dotem Ecclesiæ, cui bona prælati obligata creduntur pro mala administratione, vt videre licet in Gloss. Abbas & aliis in dicto cap. *Ex literis*. Item est aliud argumentum à simili, quòd bona tutoris sunt obligata pupillo, sed Ecclesia comparatur minori, ergo & bona fidelium erunt obligata Ecclesiæ pro Decimis non solutis, tanquam pro bonis Ecclesiæ: Verũtamen licet hoc pium sit, non audeo illud proferre, quia huiusmodi extensiones non sunt facilè admittendæ. Præsertim cum sit magna differentia inter singulos priuatos fideles, & Prælatos

11.

Ca. Ex literis. Gloss. Abbas.

Prælatos respectu Ecclesiæ,& tutore respectu pupilli, A iam horum est multò maior obligatio. Quapropter probabiliter concludi videtur, hæc bona immobilia fidelium non magis esse obligata ad debita præteritarum Decimarum, quam ad quæcunque alia. Quod si verum est per generalem regulam iustitiæ iudicandum est, quando ex illis bonis recuparari possint Decimæ non solutæ. Vbi applicari possunt, quæ de restitutione vsurarum ex bonis vsurariis apud alium inuentis tradi solent, de quo videri potest Couar. libr. 3. Var. cap. 3. numer. 6. & Nauar. in Man. cap. 17. numer. 265. Sot. libr. 6. de Iust. quæst. 1. art. 4. Med. Cod. de Rest. quæst. 4.

Couar. Nauar. Soto. Medi.

12. Quid sentiendū si ex pecunia Decimis obnoxia ager ematur.

Denique addunt aliqui, quod si ex fructibus, vel pecunia obnoxiis Decimationi, ante solutam Decimam ematur res fructifera, ex fructu illius debetur Ecclesiæ B Decima tanquam de re sua quoad partem Decimam, quia empta fuit ex pecunia, quæ etiam erat Ecclesiæ quoad decimam partem. Ita sentit Pano. in c. *Pastoralis*, de Decim. n. 6. Vbi ait esse opinionem Innocentij, & aliorum. Et inde etiam colligit, Decimam esse sub dominio Ecclesiæ priusquam illi soluatur: Nam illa ratione, quicquid ex illa, vel ex pretio eius emitur, transit in dominium Ecclesiæ, ac subinde illi fructificat pro rata, saltem deductis expensis necessariis ad talem fructum. Sed hoc licet piè dictum, & consideratum sit, credo tamen non esse vsu receptum, nec facile posse ad praxim accommodari, nec satis posse fundari, quia non fundatur in Iure, sed in principiis incertis. Vnum est, quod Decima non soluta computatur in bonis, quæ sunt sub dominio Ecclesiæ, quod satis du- C bium est; nam de dominio perfecto, ac directo cōtrarium est verius; de dominio verò vtili, vel Iure aliquo in re, licet id probabilius sit, valde tamen est dubium, an ad illos consequentes effectus sufficiat. Præsertim quod illa sententia supponit aliud principium, scilicet, bona, vel possessiones emptas ex bonis Ecclesiæ, esse Ecclesiæ, illique fructificare, etiamsi nec illius voluntate sint emptæ, nec illi traditæ, & applicatæ, quod non minus incertum est. Nam vel fundatur in alio generali principio, quòd bona empta alicuius pecunia iniustè occupata, sunt eius cuius est pecunia: vel in aliquo speciali priuilegio. At illud generalissimum pronunciatum communiter non admittitur, vt latè tractat Couar. dicto lib. 3. Var. c. 3. nu. 6. specialiter de re empta ab vsurario ex vsurario lucro, quia non censetur transire in dominium eius, qui soluit vsuras, sed acquiri vsurario, ac subinde quamuis ipse maneat obligatus restitutioni vsurarum, non tamen fructuum ex re empta perceptorum. Sicut non tenetur ad lucra, quæ sua industria cum vsuraria pecunia comparauit, vt docuit etiam Sot. dicto art. 4. sed de his alias.

Couar.

13. Si autem dicatur, hoc esse speciale in Ecclesia, vt quicquid emitur pecunia illius, ipsius sit; hoc nec sufficienter ex Iure probari potest, vt dixit Ioan. And. in additione ad Specul. tit. de Emptione, & venditione §. 3. Quia ex c. 1. de Peculio Cleric. id generaliter non probatur, cum id habeat specialem rationem in clerico administrante bona Ecclesiæ: & aliud ius non affertur. Vndè multò magis erit incerta illa assertio in his, quæ emuntur ex Decima non soluta, cum fructus, E in quibus illa continetur, simpliciter sint illius, qui ex illis tales possessiones emit, & illius industria, & opera fit emptio, ergo illi tribuendi sunt fructus, qui ex possessione empta postea resultant. Valde igitur dubito, an in exteriori foro ille condemnaretur, nisi ad soluendum valorem Decimarum non solutarum, & in conscientiæ foro nullam aliam obligationem ego illi imponendam iudico.

Ioan Andr. Cap. 1.

14. Occurritur obiectioni. C. *Pastoralis.*

Solùm potest pro sententia Panormitani induci illud cap. *Pastoralis*, per argumentum à contrario sensu. Dicitur enim ibi, ex fructibus prædij empti ex fructibus Decimatis non deberi Ecclesiæ Decimam, ergo à contrario ex fructibus possessionis emptæ ex fructibus non Decimatis debetur Ecclesiæ Decima. Sed hoc argumentum non est efficax, vbi ratio obligationis aliunde non constat. Negatur ergo consequentia. Nā ibi loquutus est Pontifex de his tantùm possessionibus, quæ ex fructibus Decimatis emuntur, vel quia tantum de illis interrogatus est, vel quia illo tantum modo possunt tales emptiones licitè fieri, inde tamē non sequitur, contrarium esse intelligendum, quando emptio sit ex pecunia non Decimata. Quin potiùs considerando immediatam Decisionem illius textus, necessariò videtur extendenda, etiam ad emptionem factam ex pecunia non Decimata. Nam ibi Pontifex non agit de dominio rei emptæ ex tali pecunia, cuius videlicet sit, nec agit de fructu talis rei, si sit fructifera, sed agit merè de lucro comparato ex emptione, & venditione talis rei, quod potest accrescere tam in re immobili, & fructifera, quàm in re mobili, & non fructifera; vt sunt ordinariæ merces, in quibus etiam ponit ibi exemplum Pontifex. Certum est autem, quod si quis negotietur ex pecunia non Decimata, emendo, & vendendo merces, non debet Ecclesiæ partem lucri, vt lucrum est, imò licet tota pecunia negotiationi exposita, esset Ecclesiæ, nullum lucrum vt sic deberetur Ecclesiæ, sed tantùm restitutio fuæ pecuniæ, quia nec vsurarius tenetur mutuatario restituere lucrum, quod negotiando cum pecunia vsuraria comparauit, sed solam pecuniam.

Si quis negotietur ex pecunia nō Decimata, non debet Ecclesiæ partem lucri.

15. Dico autem, in eo casu non deberi partem lucri, vt lucrum est, quia ex lucro illo deberetur Decima personalis, non quia ex pecunia Ecclesię, vel ex indecimata pecunia comparatum est, sed quia ex omni lucro debetur personalis Decima: Et hæc est Decisio illius c. *Pastoralis*. Illa ergo etiam habet locum in re empta ex pecunia non Decimata. Vnde si talis res empta esset fructifera, ex fructibus eius deberetur Decima ex titulo Decimationis prædialis, non tamen ex titulo dominij decimæ partis talis possessionis, vt citata opinio docet. Cuius signum est, quia etiamsi fundus ematur ex pecunia Decimata, debetur ex illo Decima prædialis, etiam non deductis expensis, vt ibidem dicitur, ergo decisio illius textus nullo modo induci potest in fauorem prioris sententiæ. Nisi forte aliquis consequenter dicat iuxta illam sententiam, quòd si prædium sit emptum ex pecunia non Decimata in primis debetur Ecclesiæ Decima pars fructuum titulo dominij, vel peculiaris iuris circa partem pretij, quæ Decima pars computanda esset, deductis expensis: & deinde ex residuis fructibus debetur Decima prædialis, non deductis expensis: Sed hoc licet consequenter sit dictum, tamen per se incredibile est, & nullum habet fundamentum in textu, vnde potius ostendit illius sententiæ difficultatem, quam illam suadeat: Non ergo necesse est, nouis scrupulis, & oneribus rem hāc inuoluere, sed satis est, quòd fructus, vel pecunia non Decimata semper est obnoxia Ecclesiæ prō Decima non soluta, licet prō aliis lucris ex illa comparatis speciale debitum non oriatur.

16. Causæ Decimarum ad quod forum pertineant.

Vltimò solet hoc loco tractari, ad quod forum pertineant causæ Decimarum, vbi prō illis recuperandis, vel soluendis, aut non soluendis lites mouentur. Sed hæc quæstio generalis est de omnibus Ecclesiasticis bonis, & pertinet ad eorum immunitatem, & ideò illam generaliter tractaui in peculiari opere de immunitate Ecclesiæ. Hîc ergo illam omittendam censui. Generalis enim, ac certa regula est, Decimales causas Ecclesiasticas esse, & in foro Ecclesiastico tractandas, quoties de Iure Decimarum, vel de difficultatibus, aut dubiis circa earum solutionem

Cap. *Prohibemus.* Cap. *Tua.* C. *Ex tenore.* *Clem. vlt.* *Glossa.* Ca. *Decernimus.* Ca. *Quanto.*

nem lites oriuntur. Ita sumitur ex c. *Prohibemus*, & ca. *Tua*, 1. de Decimis: Imò & ex toto titulo, vt ait Glossa in cap. *Ex tenore*, de Foro compet. ver. *Ecclesiasticam*, ex Clem. vlt. de Iudic. cum Glossa ibi, ver. *Decimis*, & ex generali regula Iuris in c. *Decernimus*, de Iudic. *Vt Laici Ecclesiastica tractare negotia non præsumant.* Et à simili, vel ex alia regula tradita in ca. *Quanto*, eod. tit. vbi decernitur, causam Iuris patronatus tantùm in iudicio Ecclesiastico posse terminari, quia est omninò coniuncta cum spiritualibus causis, ac rebus, non est autem minùs coniuncta Decimarum causa. Vnde generalis regula sumitur, non tantùm spiritualia, sed etiam spiritualibus annexa ad forum Ecclesiasticum pertinere, ius autem Decimarum spirituale est, vt ostendimus, & consequenter Decimæ ipsæ sunt spiritualibus annexæ, ergo vt tales sunt, vel quatenus tales consi- B derantur, ac tractantur, ad Ecclesiasticum tantùm forum pertinent.

16. An generalis regula exceptionem aliquam patiatur. *Couar.* *Rebuff.*

An verò hæc generalis regula aliquas exceptiones patiatur, tractant latè Couar. in Practi. ca. 35. & lib. 1. Var. cap. 17. num. 8. dicto nono, Rebuffus q. 10. de Decimis: Sed tam illi, quàm nonnulli alij, quos ipsi refe- A runt, cautè legendi sunt, quia plus quàm oportet inclinant in fauorem secularium principum, vt breuiter adnotauit Azor. libr. 7. instit. cap. 36. quæst. 3. & se- Azor. quentibus. Et inconcussa seruanda est generalis regula sacrorum Canonum, Ecclesias cum Decimis, & omnibus rebus suis ad ordinationem, & consequenter ad curam, & iurisdictionem Pastorum Ecclesiæ pertinere, cap. *Decretum est*, cum multis aliis, 10. qu. 1. & cap. *Statuimus*, cap. *In sacris*, cum tribus sequentibus, 16. quæst. 1. & cap. 1. & 2. cap. *Nullus*, cap. *In nona*, 16. quæst. 7. Nulla ergo exceptio admittenda est, nisi vbi priuilegium, & specialis licentia Summi Pontificis interuenerit, quandiu nimirum de Decimis agitur, vt Decimæ sunt: Nam si fructus Decimarum iam soluti sint Ecclesiis, & postea sunt distracti, vel furto sublati, aut in alios vsus temporales conuersi, iam amiserunt annexionem illam, quam habebant cum spirituali titulo, & nullo modo Ecclesiastica bona sunt, & ideò ad Laicum tribunal pertinere poterunt causæ circa illos exortæ, nisi alioqui ratione personarum, inter quas tractatur, ad Ecclesiasticum forum pertineant.

C. *Decretum.* C. *Statuimus.* Ca. *In sacris.* Cap. 1. & 2. Cap. *Nullus.* Cap. *In nona.*

INDEX CAPITVM LIBRI SECVNDI, DE DIEBVS FESTIS.

Cap. 1. *De Obseruatione Sabbathi.*
Cap. 2. *An conueniens sit præceptum seruandi festa in Ecclesia.*
Cap. 3. *De diebus ab vniuersa Ecclesia obseruandis in generali.*
Cap. 4. *De Festo Dominicæ, atque Trinitatis.*
Cap. 5. *De Festis ad vitam, & mortem Christi pertinentibus.*
Cap. 6. *De Resurrectionis Festo.*
Cap. 7. *De Festis Christi post Resurrectionem.*
Cap. 8. *De Festis Beatissimæ Virginis Mariæ.*
Cap. 9. *De Festis Sanctorum.*
Cap. 10. *De Numero, & comparatione generalium festiuitatum.*
Cap. 11. *De Festis, quæ in aliquibus Diœcesibus seruantur.*
Cap. 12. *De Festis, quæ à Principe seculari instituuntur.*
Cap. 13. *An obligentur peregrini ad festa patriæ.*
Cap. 14. *An obligentur peregrini ad festa loci.*
Cap. 15. *De Missa in die festo audienda.*
Cap. 16. *De aliis actionibus sacris in die festo exercendis.*
Cap. 17. *Non omnia corporalia opera prohiberi in Festis.*
Cap. 18. *An per peccatum mortale festum violetur.*
Cap. 19. *An opus omne mercenarium prohibeatur in die festo.*
Cap. 20. *Seruile opus quod sit.*
Cap. 21. *De aliquibus operibus seruilibus non prohibitis.*
Cap. 22. *De operibus liberalibus non prohibitis.*
Cap. 23. *Dentur ne opera media, & quomodo se habeant ad hoc præceptum.*
Cap. 24. *An scribere interdum sit vetitum in die festo.*
Cap. 25. *An transcribere sit prohibitum in die festo.*
Cap. 26. *Actio pingendi an seruilis, & prohibita in die festo.*
Cap. 27. *De itineratione: & aliis corporis agitationibus.*
Cap. 28. *De Veneratione, Piscatione, & Militia.*
Cap. 29. *De operibus liberis speciali Iure prohibitis.*
Cap. 30. *De operibus Forensibus irritis, vel prohibitis in festo.*
Cap. 31. *De obligatione, & duratione huius prohibitionis.*
Cap. 32. *De excusationibus ad laborandum in festo.*
Cap. 33. *De dispensatione in obseruatione festi*

LIBER

LIBER SECVNDVS,

DE SACRORVM, SEV FESTORVM DIERVM OBSERVATIONE, ET PRÆCEPTO.

Hactenus explicuimus actiones, in quibus externus Dei cultus continetur, vel ad illum proximè ordinantur; nunc duæ circumstantiæ ad huiusmodi actiones necessariæ explicandæ supersunt, quæ sunt tempus, & locus: Nam de his etiam circumstantiis præcepta sunt data, ad virtutem Religionis pertinentia, quorum declaratio ad hunc locum maximè pertinet. Dicemus ergò priùs de tempore, postea de loco. De tempore autem duo præcepta data nobis sunt: Vnum diuinum, quod est tertium Decalogi de sanctificatione Sabbathi, aliud humanum, quòd est primum inter generalia Ecclesiæ præcepta, quod est de Festorum obseruatione, quæ duo præcepta in huius libri discursu à nobis explicanda sunt.

CAPVT PRIMVM.

An præceptũ de obseruatione Sabbathi, conuenienter inter præcepta primæ Tabulæ latum sit.

QVONIAM ab hoc præcepto deriuatum est præceptum Ecclesiasticum de obseruatione festorum, ideò ab huius præcepti declaratione initium huius materiæ sumendum est. Adnotandum autem in primis est in obseruatione alicuius temporis ad diuinum cultum dicati, duo posse considerari: vnum ad ius naturale spectans, aliud ad positiuum. Nam aliquid inuenitur, quod dictante ratione naturali necessarium est, etiamsi nulla lex extrinsecùs addita sit, aliquid verò, quod per voluntatẽ alicuius legislatoris inductum est. Naturale enim est, vt aliquod tempus soli diuino cultui tribuendum sit, positiuum verò est, quòd tale tempus sit determinatũ ad talem diem, vel horam, &c. Vtrumque facilè constat ex supra dictis. Diximus enim cultum Dei externum esse de præcepto legis naturalis, at hæc est hominis natura, vt ad suas actiones, præsertim externas tẽpore indigeat, ergo sub idem præceptum cadit, quod in eo cultu exercendo tempus aliquod insumamus. Rursus hæc est etiam hominis conditio, vt non possit conuenienter vacare diuino cultui, nisi ab aliis operibus vacet, ergo hoc etiam cadit sub idẽ præceptum, pro eo nimirum tempore, quo cultui diuino vacandũ est. Diximus præterea, naturale præceptum Religionis, quod affirmatiuum est, ex vi solius rationis naturalis non determinari ex necessitate ad certas cæremonias, vel actiones, & multò minus ad certa tempora, ergo illa præcepta, quatenus certa tempora determinant, non sunt naturalia, sed positiua.

Primò ergo ex hac doctrina, quæ certa, clara, & communis est, inferunt Theologi, tertium præceptũ Decalogi, prout latum fuit in lege Moysis, hoc differre à cæteris eiusdem Decalogi, quòd cætera purè moralia sunt, tertium verò partim morale, partim cæremoniale fuit. Ita D. Thom. 2.2.q.122.artic.4. ad 1. & ibi Caiet. & alij. Idem D. Tho. 1.2.q.100.art. 7. ad 2. & 5. Alens. 3.p.q.32.memb. & omnes Scholastici, & Summistæ: Et notauit Iren. lib. 4. cont. hær. c. 31. Significat etiam Aug. lib. de Spirit. & Lit. c. 16. Qui ob eandem causam dixit lib. 3. contra duas Epist. Pelag. c. 4. Decalogum seruari à Christianis, *Excepta Sabbathi obseruatione carnali, quæ spiritualem sanctificationem, quietémq; significat:* Ait autem, *obseruatione carnali*, id est, quoad id, quoad literam præcepto illo mandabatur: sic enim paulò antea dixerat: *Christũ abstulisse à nobis iugum carnalium obseruationũ:* inter quas ponit: *Ne Sabbatho, septeno dierum volumine redeunte, ab operibus etiã necessariis quiescamus:* E' contrario verò dixit li. 19. cont. Faust. ca. 18. præceptum illud tertium spiritualiter seruari à Christianis: *Nunquid* (ait) *ipsum Sabbathum, quod ad intelligendam veram requiem pertinet, non obseruant Christiani?*

Aug.

Hæc etiam differentia ex alia facilè ostenditur, quia ante legem Moysis præceptum de obseruatione Sabbathi non obligabat homines, cætera autem præcepta Decalogi obligabant. Hoc posterius patet ex illo Pauli: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.* Rom. 2. Primum autem constat, quia ante Abraham nó erat Sabbathorum obseruatio, etiam apud pios, & Deum colentes, sicut neque in nobis est, vt dixit Euseb. lib. 1. Hist. c. 4. post Iren. lib. 4. cap. 30. & 42. & Tertul. lib. contra Iudæ. cap. 2. Et post illos Damas. lib. 4. de Fid. cap. 24. Dices: Quid ergo est, quod Genes. 2. dicitur Deus *Benedixisse diei septimo & sanctificasse illum?* Hinc enim aliqui collegerunt, ex tunc dicasse Deum diem illum ad suum cultum, quia non potest esse alia illa benedictio, & sanctificatio. Respondet autem ibi Abulens. quæst. 4. illud esse dictum per anticipationem, vt est frequens in Scriptura: Itaque ex tunc dedicauit Deus illum diem ad suum cultum in sua mente, & proposito, non in executione. Vel certè tunc posuit (vt sic dicam) fundamentum illius sanctificationis, non obligationem, aut legem, quia nec illam specialiter promulgauit, nec per rationem naturalem patefecit: Non est autem improbabile, ex tunc incepisse obseruationem aliquam diei septimæ, quæ per traditionem ad posteros deuenerit: Nam Eusebius lib. 13. de Præparat. cap. 7. refert *Septimam diem non Hebræos tantùm, sed omnes ferè tam Philosophos, quàm Poëtas sacratiorem esse cognouisse.* Credit tamen ipse, hanc opinionem ad Philosophos ab Hebræis manasse, ac subinde vel antea non fuisse, vel per errores, & idololatrias fuisse ex-

Alia 3. differentia.

Rom. 2.

Euseb. Iren. Tertul Damasc.

Obiectio. Gen. 2.

Respõdetur.

Euseb.

O tinctam

1. In quo differat tertiũ præceptum Decalogi ab aliis.

D. Thom. Caiet.

Alens. Iren.

tinctam. Non fuit ergo illa lex purè moralis, sed ex parte cæremonialis. A

4. Quid morale, & quid cæremoniale in hoc præcepto. *D. Thom.*

Quid autem fuit morale in illo præcepto, quid verò cæremoniale? Respondeo, fuisse morale illud præceptum, quatenus absolutè præcipiebat cultum Dei externum, hunc enim ibi esse præceptum docet D. Thom. 2.2. qu. 122. art. 4. *Quia ad interiorem cultum* (ait) *magis inducitur homo Spiritus sancti instinctu, quam exteriori lege*, & ideò hæc data fuit de exteriori cultu. Item quia vacatio ab operibus ibi præcepta, propriè intelligitur de operibus externis, & ita præcipiebatur quædam exterior dedicatio alicuius temporis ad cultum Dei. Perinde autem esse videtur præcipere cultum Dei externum, & præcipere vt tempus aliquod huic cultui destinemus, quia nec tempus præcipitur, nisi vt circunstantia illius actionis, ne actio præcipi potest, quin etiam tempus aliquod illi tribuere ex vi eiusdem præcepti necessarium sit. Vnde *Alens.* Alens. dicta q. 32. memb. 3. art. 2. §. *Ad illud*, ait, ad internam adorationem (quàm dicit pertinere ad primum præceptum) non fuisse additam in Decalogo alicuius temporis determinationem, quia ad exercendam illam non oportet ab externis operibus vacare: *Exercetur enim* (ait) *hæc adoratio per latriam mentis, concurrente deuotione fidei, spei, & charitatis, quæ simul esse potest cum opere corporali.* Ad exercendum autem externum cultum Dei, necessarium est ab aliis vacare operibus pro illo tempore, & ideò dicit hanc vacationem in illo tertio præcepto fuisse spicialiter determinatam: sentit ergo fuisse illud præceptum de cultu exteriori. B C

5. Qui cultus externus fuerit per illud præceptum impositus. *Exod.* 20. & 31. *Deut.* 5. *Caiet.*

Sed quæres, quisnam externus cultus fuerit mandatus ex vi illius præcepti? Nam cultus hic consistit in actu positiuo, at in forma illius præcepti nullus actus in Dei cultum exercendus in die Sabbathi designabatur, nec præcipiebatur, sed sola vacatio ab aliis externis operibus seruilibus, seu alienis à diuino cultu, vt videre licet Exod. 20. & 31. & Deut. 5. cũ similibus. Ad hoc tacitè respondet Caiet. dicta q. 122. art. 4. in principio illum externum cultum ex vi illius præcepti necessarium non in positiuo actu, sed in carentia actus constitisse: *Colebatur siquidem Deus* (ait) *Sabbatho in ipsa exteriori quiete ab operibus seruilibus, quia quiescebant ad repræsentandum diuinam quietem à creatione mundi.* Vnde aliqui dixerunt præceptum illud negatiuum fuisse, quia nullum actum præcipiebat, sed tantum cessationem ab actu. Et licèt forma illius videatur positiua: *Memento, vt Sabbathum sanctifices:* tamen re ipsa sanctificatio illa ibi præcepta solùm consistebat in priuatione quadam, vt si alicui præcipiatur quiescere per horam, licet forma præcepti per verba affirmatiua proferatur, re ipsa est negatiua, quia nihil aliud præcipitur; quàm non moueri. Confirmatur, quia si præceptum illud fuisset affirmatiuum, oportuisset vt obligaret ad exercẽdum aliquod opus externum diuini cultus in die Sabbathi, sicut nunc præceptum Ecclesiæ de obseruatione festorum positiuum est quoad aliquid, vt postea dicemus. At verò ex vi illius præcepti, vt erat legis veteris, non fuit determinatum speciale opus cultus diuini necessariò exercendum in die Sabbathi, vt ex dictis locis apertè constat, & Exod. 31. & 35. D E *Exod.* 31. & 35.

6. Obiectioni satisfit.

Dices, licet non obligauerit præceptum illud ad particulare opus diuini cultus, nihilominùs obligasse ad colendum aliquo modo Deum illo die externo cultu, prout vnusquisque vellet. At enim neque hoc colligi posse videtur ex scriptura, nam vbicumque de illo præcepto fit mentio, sola cessatio ab opere præcipitur, non verò alicuius operis positiuus cultus, & specialiter Leuitic. 23. dicitur, *Sex diebus facietis opus, dies septimus, quia Sabbathi requies est, vocabitur sanctus omne opus non facietis in eo.* Vbi notanda est illa causalis, per illam enim explicatur verbum *Sanctificandi*, diem Sabbathi, consistebat enim illa sanctificatio in cessatione ab opere seruili, ordinata ad diuinum cultum tum propter significationem eius, tum maximè, quia per eam deputabatur tempus illud diuino cultui, ad illam verò nullum opus positiuum diuini cultus postulari videbatur. Dici verò potest primò, licet per illud præceptum expresè, ac formaliter non præciperetur cultus positiuus, virtute fuisse præceptum, quia moraliter loquendo non poterat cessari ab omni opere modo religioso, prout ibi præcipiebatur, & infra explicabimus, quin signo aliquo externo, & positiuo id ostenderetur: tale autem signum pertineret ad externum cultum Dei. Item, cum lex naturalis obliget ad colendum Deum aliquando cultu externo, eo ipso quod Deus determinat aliquod tempus huic cultui, vt fecit per illud præceptum, videtur consequenter obligatio illa naturalis ad tale tempus determinari, & pro ipso vrgere, sicut præceptum diuinum communicandi, licet de se non determinet certum tempus suæ obligationis, nihilominùs facta determinatione per Ecclesiam de die Paschatis obligat pro illo. Atque hoc modo posset dici, præceptum illud tertium Decalogi esse morale, & naturale quoad positiuam obligationem cultus, facta tali temporis determinatione. *Leuit.* 23.

7. Sed licet hoc probabile sit, non satis colligitur ex forma præcepti, quia non determinat tempus illud; præcipiendo aliquid fieri, sed solùm prohibendo, ne aliquid fiat, quod non satis est, vt dicamus, præceptum illud fuisse de cultu positiuo, præter cessationem ab operibus seruilibus. Quia hæc cessatio ex intentione præcepti, & ex intentione seruandi illud, esset religiosa, absque alia demonstratione exteriori. Neque ex tali cessatione fit consequens, vt lex naturalis obliget ad exercendos actus exteriores diuini cultus in illo tempore, nisi per aliam legem positiuam pro tunc præcipiantur, sicut de Ecclesiastico præcepto mox dicemus. Formaliter ergo nihil ibi præcipiebatur, nisi dedicatio quædam illius temporis ad cultum Dei, quæ vocatur sanctificatio illius, vt ait D. Thom. dicto articulo 4. ad 3. Hæc autem dedicatio formaliter fit per cessationem ab opere, quæ pertinet ad externum cultum per signum negatiuum declaratum. Vnde materialiter videtur esse illud præceptum negatiuum: formaliter verò, & in genere signi, ac cultus esse affirmatiuum. Addi etiam potest, in illa lege fuisse alia præcepta positiua de aliquibus actibus diuini cultus exercendis in die Sabbathi, vt erat oblatio, & sanctificatio panis propositionis, Leuitic. 24. & sacrificandi eodem die duos agnos, & duas Decimas similæ, & liba, Numero. 28. sed illa cæremonialia erant, & non pertinebant ad omnes, & singulos de illo populo, sed ad Sacerdotes, non enim tenebantur omnes ad illa sacrificia conuenire, vt constat. Addit verò Philo, & refert Euseb. libr. 8. de Præpar. Euangelica, cap. 2. Moysem instituisse; populum septenis diebus congregari, *Vt considentes, scripturas audirent:* quem morem ex Euangeliis etiam, & Actibus Apostolorum colligimus. Videtur autem potius traditione, & quasi morali consecutione introductum, quam ex vi ac forma præcepti, igitur tertium illud præceptum solùm fuit morale, quatenus generaliter continebat, tempus aliquod esse diuino cultui dicandum. Quid formaliter per hoc præceptum mandaretur. *D. Thom.* *Leuit.* 24. *Num.* 28. *Philo.*

8. Tertium Decalogi præceptum in quo fuit cæremoniale.

Fuit autem præceptum illud cæremoniale quoad multa. Primò quoad significationem, vt testatur D. Thomas dicto articulo 4. in corp. & ad 1. Nam datum est illud præceptum in signum rememorationum

tuum beneficij creationis, vt expressè in eisdem locis ostenditur, quia pro ratione illius præcepti assignatur, *Quoniam sex diebus fecit Deus cælum & terram, & in septimo requieuit, & ideirco* (dicitur) *benedixit Deus diei septimo, & sanctificauit illum.* Exod. 20. Addit etiam D. Thomas, allegoricè significasse quietem Christi Domini in sepulchro, & anagogicè quietem æternæ patriæ. Secundò, fuit Cæremoniale quoad temporis determinationem, in qua determinatione duo distingui possunt. Vnum est, quod ad hunc effectum, non tantum singulis annis, aut mensibus, sed etiam singulis hebdomadis certum vnius diei tempus designatum sit, ita vt post sex dies, operibus humanis occupatos, septimus quietis sequatur, & hoc licet positiuum sit, non potest tamen dici cæremoniale veteris legis, quia nihil habet proprium illius, poterat enim talis determinatio sine speciali cæremonia, vel significatione solùm propter moralem rationem, & vtilitatem fieri. Quia licet naturalis ratio non dictet illam determinationem vt necessariam, dictat tamen vt conuenientem, vt sic per publicam legem homines ad seruandam naturæ legem inducantur. Et similiter est consentaneum rationi naturali, vt Dei cultus frequenter exerceatur, & ideò illa etiam temporis determinatio quoad dierum frequentiam poterat fieri ex morali, ac prudenti ratione sine propria cæremoniali significatione. Aliud verò fuit peculiare in illa determinatione quod scilicet dies ille septimus fuerit talis, nimirum vltimus hebdomadæ, incipiendo numerationem à primo die creationis mundi, ita enim fuit dies ille determinatus in lege veteri, vnde non potuit, nisi à Deo, vel ex reuelatione Dei determinari, quia non poterat aliter cognosci, quis fuerit primus creationis dies. Et ideò dies ille per Antonomasiam Sabbathum appellatus est, quia tunc Deus ab operibus suis requieuit: Sabbathum enim iuxta Hebraicam deriuationem requiem significat: sic ergo illa determinatio sumpta est in ordine ad significationem, fuitq; propriè cæremonialis.

Exod. 20.

9. Quod Sabbathi solemnitas per 24. horas duret positiuum, & cæremoniale est.

Leuit. 23.

Tertiò fuit etiam positiui iuris, & aliquo modo cæremoniale in illa determinatione, quod solemnitas illa Sabbathi per integras viginti quatuor horas iussa est obseruari, iuxta illud, *A vespera vsque ad vesperam celebrabitis Sabbatha vestra.* Leuitic. 23. Vnde non est dubium, quin hoc tunc fuerit diuino iure statutum? Aliqui verò sentiunt, illud fuisse ita immutabile, vt hodie etiam necessariò sit seruandum in celebratione Dominicæ diei, ita vt nulla consuetudine, vel potestate humana possit tempus illud viginti quatuor horarum minui, quia esset contra ius diuinum: ex quo planè sequitur, hanc circumstantiam illius præcepti non fuisse ex positiuo iure, sed naturali. Atque ita sentit Angel. verbo. *Dies festus*, in principio, & inclinat Syluester, Verbo. *Dominica*, numero 4. Sed hoc sine dubio est improbabile, quia nulla ratio naturalis dictabat tanquam necessarium ad honestatem morum, vt integer dies viginti quatuor horarum diuino cultui dedicaretur, quæ enim potest esse hæc necessitas? Item, non fuit de iure naturali, vt per singulas hebdomadas certum tempus præciperetur pro diuino cultu, poterat enim præcipi singulis mensibus, vt in lege veteri potuit Deus præcipere Neomenias, & non Sabbathum, nam cur non? Ergo potuit præcipere in singulis hebdomadis tantum dimidium diem, vel aliquas horas. Fuit ergo sine vlla dubitatione illa circumstantia temporis de iure tantum positiuo diuino, & ad cæremonias pertinuit, quatenus propter significationem etiam obseruata est. Quamuis potuerit habere rationem moralem congruentiæ, non necessitatis; vt licet, vt diuinus cultus publicus, & solemnis durabilior esset, ac solemnior; & ita potuit Ecclesia in suis festiuitatibus hanc circumstantiam imitari, licet id non fuerit simpliciter necessarium, nec semper seruetur, vt infrà dicemus.

Angel. Siluest.

Quartò fuit etiam positiuum, & cæremoniale in illa determinatione otium, & cessatio ab operibus ibi præcepta. Illa enim non erat per se, & ex sola ratione naturali necessaria ad diuinum cultum, vt per se manifestum est. Potuit tamen præcipi ex ratione morali congruenti, vt homines illo tempore essent magis expediti, & dispositi ad diuinum cultum, vnde hoc modo etiam Gentiles custodiebant suos dies festos, abstinendo ab humanis occupationibus, & laboribus, vt suis sacrificiis & cæremoniis vacare possent. Tamen quatenus in illa lege otium illud specialiter præceptum est propter proportionem, & analogiam ad significandam requiem Dei ab operibus, ad cæremonialia præcepta illud pertinuit. Et auget, ac declarat cæremoniam, quod propter exactam significationem, non solum à seruilibus operibus voluntariis, sed etiam aliquo modo à necessariis vacatio præcipiebatur, in quo clara distinctio cernitur illius præcepti à præcepto Ecclesiæ, vt postea videbimus. Hæc igitur fuit ratio cæremonialis præcepti, ex qua intelligitur propter ignorãtiam religionis errasse Senecam, qui Sabbatha Iudæorum reprehendebat, quod existimaret inutiliter septimam vitæ partem perdere, vt Augustin. refert 6. libro de Ciuit. capit. 11. Impium autem est existimare, inutiliter amitti tempus, quod in diuino cultu consumitur. Quod si quis vacans ab aliis operibus propter præceptum, diuino cultui, & bonis operibus non vacet, inutiliter tempus amittit, quia præcepto abutitur, & non quia præceptum de se inutile sit.

10. Otium, & requies Sabbathi positiua, & cæremonialia fuere.

Senecæ error.

Augustin.

Secundò principaliter dicendum est, præceptum illud tertium Decalogi quantùm ad totam illam determinationem, quam addit vltra moralem, ac naturalem obligationem, cessasse, & in lege gratiæ non obligare, sicut nec præcepta de aliis festiuitatibus in ea lege lata nunc obligant. Hoc de fide certum est ex generali doctrina de cessatione legalium, vnde eodem modo de cæteris festis Iudæorum, prout in ea lege obseruabantur, intelligendum est, & probabitur apertè ex locis Pauli infrà tractandis. In particulari verò de Sabbatho id tradit Gregor. libro 11. Epistol. 3. & in capit. *Peruenit*, de Conse. dicto 3. contrà quosdam hæreticos; qui suo tempore errorem Ebionitarum excitando, Christianos cogebant ad seruandum Sabbathum, vacando ab operibus, & eandem hæresim ait excitaturum esse Antichristum, vt Iudæos sibi lucri faciat. Eandem veritatem tradidit Augustin. locis citatis, censens, eandem esse rationem de hoc præcepto obseruationis Sabbathi, quæ de tota lege veteri & in sermon. 251. de Tempore ait, *ideo sanctos Ecclesiæ Pastores decreuisse, omnem gloriam Iudaici Sabbathi in diem Dominicam transferre, vt quod ipsi in figura, nos celebraremus in veritate*, Quod ipse optimè declarauit lib. 4. Genes. ad literam, cap. 15. Vide Concil. Lugdunens. in capit. 1. de Conse. dicto 3. dixit, Christianos obseruare Dominicam diem, *Ne Iudaismo capiantur*, vtique in obseruatione Sabbathi.

11. Quid de hoc præcepto cessauerit in lege gratiæ.

Gregor.

Augustin.

Concil. Lugdun.

Circa rationem autem huius assertionis oportet aduertere, vnam esse rationem, ob quam lex vetus mortua est, aliam, ob quam est mortifera, dicitur enim mortua, quatenus non obligat, mortifera verò, quatenus non solùm non tenemur seruare ritus eius, sed etiam peccatum est, illos seruare. Ratio ergo, ob quam illa lex fuit mortua, est, quia non fuit in perpetuum posita, sed vsque ad Christi consumma-

12. Cur lex vetus sit mortua, & cur mortifera.

Galat. 3. rionem, vt dixit Paulus ad Galat. 3. interrogans, *Quid igitur lex?* & respondens, *Propter transgressionem posita est, donec veniret semen, cui promiserat*, &c. Ratio autem, cur sit mortifera, est, quia erat vmbra, & figura futurorum, & ideò adueniente luce, & veritate, prohiberi debuit, quia iam eius significatio, & professio falsa esset. Prima ergo ratio manifestè habet locum in præcepto de obseruatione Sabbathi. Posterior autem videri potest non ita necessaria, quia propria significatio obseruantiæ Sabbathi non erat de futuro aliquo mysterio, sed de beneficio creationis, semper autem potuit verè significari beneficium illud, & requies Dei ab operibus suis per quietem Sabbathi, etiam post Christi aduentum, & sine iniuria eius. Vnde Clemens libro B

Clement. 7. Institut. cap. 24. *Sabbathum cum Dominica seruandum esse, dicit, illud in recordationem fabricationis mundi, hanc resurrectionis Domini.* Et hunc fuisse morem antiquum Ecclesiæ Orientalis, testatur Socrat.

Socrat. Ignat. lib. 6. Histor. cap. 8. & patet ex Canon. 64. Apostol. Ignat. Epistol. 5. Clemen. lib. 7. Constitut. cap. 24. Nec obstat, si quis dicat cum D. Thoma suprà, illud otium Sabbathi etiam significasse futuram requiem

D. Thom. Christi in sepulchro, quia non constat, illam significationem fuisse in illo præcepto intentam, vel non oportet, illam significari vt futuram, sed posset significari vt iam facta, sicut significatur beneficium

Diluitur obiectio. creationis. Respondetur nihilominùs, hac ratione ad summum probari, obseruationem Sabbathi, se- C clusso spiritu Iudaico non esse intrinsecè malam, id est, si non fiat vel ex necessitate, & obligatione legis veteris, ac si illa duraret, nec in significationem alicuius mysterij Christi, tanquam venturi. Atque hac

Conc. Laod. ratione dicitur in Concil. Laodicens. cap. 29. *Quod non oporteat, Christianos Iudaizare, & otiari in Sabbatho, sed operari eos in eodem die.* Quibus verbis ostenditur mortuum esse antiquum præceptum: subditur vero statim: *Præferentes autem in veneratione Dominicum diem, si vacare voluerint, vt Christiani hoc faciant*, id est, non eo ritu, & modo, quo faciebant Iudæi, aliqui: *Anathemate feriendos esse* decernit. Indicat ergo id non fuisse simpliciter prohibitum, sed solum, si spiritu Iudaico fieret. D

13. Sabbathi obseruatio mortifera. Nihilominùs dicendum est, absolutè esse mortiferam nunc obseruationem Sabbathi, qualem præscribebat lex vetus, meritóque esse ab Ecclesia prohibitam in detestationem Iudaicæ cæcitatis, ne videatur Ecclesia illi consentire, & ideò suspecti meritò sunt de Iudaismo, qui Sabbathum custodire inueniuntur. Nam in primis Ecclesia non præcipit obseruantiam Sabbathi, vt per se notum est, nullibi enim talis lex Ecclesiastica reperitur. Quin potius

Act. 15. Act. 15. vniuersaliter dictum est ab Apostolis, *Visum est Spiritui sancto, & nobis nihil aliud imponere vobis onerис*, &c. Declararunt ergo etiam onus Sabbathi esse sublatum: qui ergo illud obseruat, meritò censetur ex obligatione legis veteris illud seruare, ac subinde E spiritu Iudaico duci. Deinde Ecclesia absolutè prohibet illam obseruantiam, vt patet ex dicto cap. 1.

Cap. 1. Cap. Peruenit. & cap. *Peruenit*, de Consecr. dicto 3. & ex traditione Ecclesiæ, quæ ex citatis Patribus colligitur, & ex translatione Sabbathi in Dominicam diem, de qua infrà dicemus. Quocirca, licet significatio beneficij creationis facta per otium Sabbathi falsitatem non contineat, semper indicat imperfectionem legis veteris, & saltem obliquè indicabat, beneficium redemptionis nondum fuisse hominibus collatum: nam cum sit longè maius, multò magis debuit illud coli & repræsentari per Dominicum diem, quam beneficium creationis per Sabbathum. Nec oportuit vtrumque commemorari, vtrúmque diem festum agendo, tum propter moralem rationem quia non expediebat tantum onus perpetuum, ac continuum imponere Christiano populo; tum etiam quia in die Dominico potest vtrumque beneficium recognosci, vel quia illo die cœpit mundi creatio, vt constat, vel quia eundem esse credimus mundi auctorem, & restauratorem.

14. Cõfirmatur Coloss. 2. Accedit, quod teste Paulo ad Coloss. 2. etiam Sabbathorum obseruatio erat vmbra futurorum adimplendorum per Christum, & in Christo, cuius erat vmbra lex illa, & ideò significatio futuræ quietis Christi in sepulchro, non est tantùm ab hominibus excogitata, sed etiam ab spiritu sancto intenta, licet fortasse vsque ad veritatis aduentum non fuerit declarata. Et quamuis illius diei obseruantia, quæ priùs erat signum futuri, mutari potuerit in memoriam præteriti beneficij; tamen hæc memoria non per festum, & lætitiam, sed per ieiunium, & mœrorem debuit retineri, & repræsentari, & ideò Ecclesia ieiunari potius voluit illo die, seu à carnibus abstineri, quàm festum diem agi, vt Innocentius Papa tradit Epist. 11. *Innoc. Papa.* ad Decentium, cap. 4. cap. *Sabbatho* de Consecrat. dicto 3. Quam consuetudinem antiquissimam esse cõ- *Hieron.* stat ex Hieronymo, Epist. 97. ad Augustinum, & ex *August.* Augustino, Epist. 86. & 118.

15. Obiectio. Cap. Licet. Alexand. 3. Vna verò superest contra hoc obiectio ex capite *Licet*, de Feriis, Vbi Alexand. III. prius dicit, *Licet tam veteris, quàm noui testamenti pagina septimum diem ad humanam quietem specialiter deputauerit*, posteà verò subiungit, *quod tam eum, quam alios dies Maiestati altissimæ deputatos, necnon natalitia Sanctorum Martyrum Ecclesia decreuit obseruando.* Ergo non solùm in veteri, sed etiam in noua lege Sabbathina requies commendata est, & eius religiosa obseruatio saltem ex Ecclesiæ præcepto retinenda est. Quod autem Pontifex ait, in nouo Testamento esse Sabbathum approbatum, ideò dixisse videtur, quia Actor. 20. dicitur, *Act. 20.* *Paulum vna Sabbathorum conuenisse ad frangendum panem*, simile habetur 1. Corinth. 16. & clariùs Act. *1. Corin. 16. Act. 13.* 13. Paulus ingressus est Synagogas in die Sabbatho ad docendum. Ad Alexandrum respondet ibi Glossa, *Respõdetur. Gloss.* partitionem illam deberi accipi cum distributione accommoda; nam vetus Testamentum deputauit Sabbathum ad literam, & quasi materialiter, *Nouum verò* (ait) *spiritualiter illud seruat, primam diem pro septimana celebrando.* Idem sequitur Panor. Sed non placet *Panor.* quia Pontifex loquitur de obseruantia vera, & ad literam, quæ in diebus festis seruanda est. Dicendum ergo est, Pontificem non fuisse locutum de Sabbatho, neque illud nominasse, sed locutum esse de die septimo. Septimus autem dies intelligi potest, vel ille, qui est septimus, numerando à primo die creationis, quæ dici potest veluti materialis numeratio; vel potest dici septimus quasi generatim, seu formaliter ille, qui est vltimus in septenario numero dierum, sicut Arist. *Arist.* dixit, vltimam vnitatem esse formam numeri. Dico ergo Pontificem loquutum fuisse de die septimo hoc posteriori modo, sensumque esse, vtrumque testamentum approbasse morem deputandi ad quietem humanam septimum quémque diem hebdomadæ, quod est formaliter deputare septimum diem, licet materialiter non idem dies fuerit ille deputatus ad hanc quietem pro diuino cultu, vnde cum subdit, *Tam eum*, &c. Illud relatiuum *eum* non refert Sabbathum materialiter sumptum, sed refert septimum diem, quem Ecclesia ad illam requiem designauit. Et hoc modo verum est, quod alij dicunt, septimum illum diem in lege veteri esse Sabbathum; in noua verò esse Dominicam diem.

Comodior responsio assignatur. Dices, vbi pagina noui testamenti dedicauit septimum diem pro humana requie? Respondeo in primis, *16.* vbicum

vbicumque in nouo testamento approbatur Sabbathismus Iudæorum, virtute approbari dedicationem septimi cuiusque diei ad diuinum cultum, quia in præcepto de obseruatione Sabbathi hoc etiam continetur, vt dixi. Approbatur autem Iudaicum Sabbathum in nouo testamento, vel in generali, vbicumque lex vetus commendatur, vel in particulari, vbicumque legimus, tam Christum, quàm Apostolos Sabbathum obseruasse, vel honorasse, vt de Christo in multis eius verbis, & actibus legimus; cum enim sæpè argueretur à Iudæis de violatione Sabbathi, semper ostendit, se nunquam illud violasse, sed secundum veram intelligentiam, & pietatem obseruasse. Et præterea refert Marcus, c. 6. quod *Facto Sabbatho*, cœpit in Synagoga docere. Quam consuetudinem seruasse frequenter refert Luc. cap. 4. & 13. & eodem modo Paulus se ostendit cultorem Sabbathi Act. 13. & 18. Verisimile enim est, Apostolos eo primo tempore, quo lex erat mortua, & non mortifera, Sabbathum obseruasse, nam qui Circumcisionem retinebant consequenter etiam cæteras cæremonias legis, & Sabbatha cum honore sepeliebant. Per hæc autem facta non intelliguntur quidem Christus, vel Apostoli approbare, seu confirmare legem Sabbathi pro tempore legis gratiæ, sed approbare illam in se; vnde fit, vt generaliter etiam approbauerint dedicationem septimi diei pro diuino cultu, vt mox dicemus latiùs. Nunc ita interpretamur alia duo testimonia citata ex Act. 20. & 1. Cor. 16. Hinc enim *Vna Sabbathi*, diem Dominicam significat; dicitur enim *Vna*, id est, *Prima, Sabbathi*, id est post Sabbathum iuxta doctrinam Hieronymi Epist. 150. ad Hebidiam quæst. 4. Et in particulari ita exponit Pauli verba, lib. contra Vigilan. cap. 5. Estque communis expositio Anselmi, D. Thom. Caiet. &c.

Marc. 6. Luc. 4. & 13. Act. 13. & 18. Act. 20. 1. Cor. 16. Hieron. Anselm. D. Thom. Caiet.

CAPVT II.

Vtrum Festorum obseruatio conuenienter in tempore legis gratiæ instituta sit.

1. Conuenientem esse festorum obseruationem in lege noua.

CIrca quæstionem hanc errauit Aerius, qui obseruationem hanc sacram festorũ dierum damnabat, vt Auctor est Epiphan. hæres. 75. Augustverò hær. 53. solum de Aerianis ait, *Negasse statuta solemniter seruanda esse ieiunia, ne videamur esse sub lege*: quæ ratio etiam de diebus festis procedebat. Vnde maximè confirmari solet hic error, quia non licet in lege noua cæremonialia præcepta legis veteris retinere, aut in morem inducere, festorum autem obseruatio ad cæremonias pertinet. Et hunc errorem, licet alio modo explicatum, docent huius temporis hæretici, vt latè refert, & impugnat Bellarm. lib. 3. de cultu Sanctorum, cap. 10. Addúntque in sui erroris confirmationem verba Pauli ad Gal. 4. *Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos: timeo, vos, ne forte sine causa laborauerim in vobis*. Et ad Coloss. 2. *Nemo vos iudicet in cibo, aut potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut Sabbathorum*. Vbi Sabbathorum nomine omnes dies festos, qui ad otium, & cessationem à laboribus obseruantur, intelligere videtur.

Epiphan. August. Bellarm. Ad Galat. 4. Ad Coloss. 2.

2. Assertio.

Nihilominùs dicendum est, præceptum de obseruatione festorum, seu dierum, qui ad diuinum cultum destinantur; conuenienter fuisse in Ecclesia traditum. Est assertio de fide, ex perpetua traditione, & communi Ecclesiæ consensu, qui ad hoc sufficit. In diuina enim Scriptura non habemus traditum, quod Christus Dominus alicuius festi obseruationem instituerit, & infrà ostendemus, nullum de hac re Ecclesiæ suæ peculiare præceptum tradidisse; quia præter leges fidei, & Sacramentorum, nulla præcepta positiua tradidit, sed suis ministris commisit. Tamen etiam non legimus, prohibuisse, ne festi dies in sua Ecclesia instituerentur, vel seruari præciperentur in Religiosum cultum. Quia neque hoc est per se malum, nec inutile, sed est valdè consentaneum rationi naturali, vt ostensum est; & potius est moraliter necessarium, tum ad conuenientem hominum gubernationem, sunt enim mortales, & laboribus corporis facilè distrahuntur, & ideò consentaneum naturæ illorum est, vt interdum à laboribus quiescant; tum maximè, vt certum tempus pro tota populi communitate designetur, in quo diuino cultui vacare, & ad illum publicè, & gregatim conuenire valeant. De Apostolis verò non solum certum est, obseruationem festorum non prohibuisse, sed etiam est certum ea obseruasse modo proprio, & peculiari legis nouæ, & probabilissimum est, aliquorum obseruationem lege lata sanxisse, quod in particulari ostendemus c. sequen. per nonnullos dies festos discurrendo. Nunc duo testimonia Actor. 20. & 1. Cor. 16. suprà explicata de die Dominico sufficiunt, nam ex eis habetur, solitos fuisse fideles tempore Apostoli Pauli conuenire specialiter die Dominico *Ad fractionem panis*, id est, ad Missæ sacrificium, & communionem, & in eisdem solitas fuisse fieri collectiones, & oblationes eleemosynarum pro pauperibus fidelibus, de quibus ibi Paul. & Rom. 15. & 2. Cor. 9. mentionem facit. Atque hoc modo ex traditione Apostolica confutat dictum errorem Epiph. Et eandem tradunt Hilar. in prolog. Psal. Tertul. lib. aduersus, Psychi. c. 15. Orig. l. 8. contra Cel. Nazian. orat. in Pentecost. Basil. de Spiritu sancto c. 27. Aug. Epist. 86. & alij infrà referendi.

Rom. 15. 2. Cor. 6. Epiphan. Hilar. Tertull. Origen. Nazianz. Basil. August.

3. Ecclesiæ auctoritate cõfirmatur.

Denique quamuis hæc obseruatio, tam antiqua non esset, sufficeret Ecclesiæ auctoritas ad veritatem hanc confirmandam. Nam quod suprema eius auctoritate latum sit hoc præceptum, constat ex Canonibus scriptis sub titulo de Fer. & de Consec. dict. 3. quos in sequentibus afferemus: & ex vniuersali consensu, & consuetudine; cum autem ipsa Ecclesia sit columna, & firmamentum veritatis, clarum est in re tanti momenti, & quæ ad sanctitatem morum pertinet; errare non potuisse. Et confirmatur, quia licet hæc institutio non sit eadem, quæ fuit in veteri testamento, est tamen instar illius facta in his omnibus, quæ sunt consentanea rationi naturali, ac fidei; solúmque discrepat vel in maiori perfectione, vel in his, quæ ad speciales cæremonias, & significationem illius temporis, & non per se ad moralem vsum pertinebant, ergo nihil est in tali vsu, quod conueniens & honestum non sit. Vnde solutum manet fundamentum contrarij erroris: nam cæremonialia præcepta legis veteris abrogata quidem sunt, ideóque nullam obligationem inducunt, & consequenter etiam sunt prohibita, vt tanquam necessaria virtute illius legis fieri non possint. Ac subinde etiam est vetitum, ne secundum propriam, & specialem significationem illius legis, & consequenter nec secundum proprium modum ad illam significationem accommodatum in vsum reuocentur. Nihilominùs tamen in illis cæremoniis, seu obseruantiis sunt quædam rationes generales, quæ secundum se pertinent ad moralem rationem virtutum, vt de se abstrahunt à particulari significatione, & ritu veteris legis, vt suprà dicebamus de oblationibus, primitiis, & Decimis; & in præsenti ita se habent, quod aliquod certum tempus sit lege præscriptum ad cultum Dei, & quod in illo præcipiatur aliqua cessatio ab operibus, & similia, quæ (vt dicebam) consentanea sunt legi naturali, & in omni tempore, & in omni gente iuxta mẽsuram cognitionis Dei, quam habuit, obseruata sunt. Hoc ergo modo retinuit Ecclesia vsum de obseruatione festorum, & de ea re peculiare præceptum imposuit.

4. Exponitur D. Paulus. *Hier.*

Ad locum verò Pauli ad Galat. 4. copiosè respondet ibi Hier. Apostolum loqui ad litteram de Iudaicis ritibus, quos ex vi illius legis aliqui introducere in Ecclesiam volebant; illi ergo obseruabant *dies Sabbathorum, Neomeniæ, & Azimorum, &*. Item *menses*, Martium ad Azimorum festum, Septembrem ad Festum Tabernaculorum, &c. Item *tempora anni*, in quibus fructus terræ, vel matutescere incipiunt, vel collecti iam sunt, vel in quibus ter per annum in templum erat ascendendum: *Annos* denique obseruabant vel Sabbathismi terræ, vel Remissionis, aut Iubilæi. Hunc ergo modum Iudaicarum obseruationum ibi reprehendit Apostolus, non Ecclesiasticam traditionem. *Nos enim* (ait Hieronymus) *non Azimorum Pascha celebramus, sed Resurrectionis, & Crucis, nec septem iuxta morem Israel numeramus hebdomadas in Pentecoste, sed Spiritus sancti veneramur aduentum, & ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Christo, propterea dies aliqui constituti sunt, vt in vnum pariter veniremus.* Quasi dicat, nunc propter rationem moralem determinata esse hæc tempora, non propter Iudaicam cæremoniam. Et aduertit vlterius, Iudæos ita obseruasse illa tempora, vt extra illa non liceret tale, vel tale sacrificium offerre, vel conuentus illos facere. Tabernacula figere, Azima obseruare, &c. At nos quolibet die sacrificium offerre possumus, & de illo participare, & mortem, vel Resurrectionem Domini recolere, & quoad hoc, ait Hieronymus, omnes dies nobis esse æquales, & Ecclesiam non obseruare dies, & annos, sed solùm, vt omnia ordinatè fiant, designasse tempora accommodata, in quibus fideles teneantur, vel ad sacrificium congregari, vel peculiaria Dei beneficia propria legis gratiæ recognoscere, *Præsertim* (ait) *propter eos, qui magis sæculo, quam Deo vacant, & negligentissimè viuerent, nisi per hæc præcepta ad officium Religionis inducerentur.*

5. Alia eiusdem loci expositio. *Orig.*

Alij intelligunt, Paulum illo loco ritus Gentilicos reprehendere, quod indicat Orig. lib. 8. contra Celsum, & videtur verisimile; nam quod loquatur ad eos, qui ex gentibus conuersi erant, verba illa ostendunt. *Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis, qui natura non sunt dij seruiebatis*: Quod non Iudæis, sed gentibus dici poterat, & tamen subdit: *Nunc autem cum cognouerits Deum, imò cogniti sitis ab eo, quomodo conuertimini iterùm ad infirma, & egena elementa, quibus denuò seruire vultis?* *Dies obseruatis, &c.* Vnde Aug. in Enchir. c. 79. *August.* intelligit Apostolum reprehendere illos, *Qui certis diebus, siue mensibus, siue annis volunt, vel nolunt aliquid inchoare, eo quod secundum vanam doctrinam hominum fausta, vel infausta existiment tempora.* Et latius Epist. 119. cap. 7. *Eos* (inquit) *culpat Apostolus, qui dicunt, non proficiscar hodie, quia posterus dies est, &c.* Hinc idem Aug. lib. contra Adiman. cap. 16. Cum ille abuteretur illis verbis Apostoli ad damnandas cæremonias legis veteris, & consequenter totam legem, & hoc modo Apostoli verba allegaret: *Dies obseruatis, & Sabbatha, & solemnitates, timeo vos, &c.* Illum arguit, quod malè verba referret, quia non ibi Apostolus nominat Sabbathum, aut solemnitates sed dies, menses, &c. Significans, Apostolum non agere ibi de obseruationibus Iudæorum, quæ suo tempore sanctæ fuerant, sed de vanis superstitionibus, & diuinationibus Gentilium. Verumtamen non ita hoc docuit Augustinus, vt priorem sensum improbaret, imò in residua parte illius capitis, illum egregiè declarat, dicens, *Sed putet esse de Sabbatho dictum: Numquid, vt nos non dicimus ista non esse obseruanda, sed illa potiùs, quæ his significantur. Illi enim ea similiter obseruabant, non intelligentes ad quarum rerum significationem & prænunciationem pertinerent. Hoc in eis culpat Apostolus, & in omnibus, qui seruiunt creaturæ potiùs, quàm creatori: nam nos quoque & Dominicum diem, & Pascha solemniter celebramus, & quaslibet alias Christianas dierum festiuitates, sed quia intelligimus, quò pertineant, non tempora obseruamus, sed quæ illis significantur.* Et cætera, quæ prosequitur.

Atque ita vtrumque sensum amplectitur ibi Anselmus, vt probabilem; D. Thom. verò, licet hunc posteriorè sustineri posse dicat, priorem tamen præfert, & mea sententia meritò. Nam licet ibi loqueretur Paulus cum fidelibus ex Gentilitate conuersis, tamen non eos reprehendit, quòd ad Idololatriam, vel Gentilicam obseruationem, redire vellent, sed quod legalia vellent obseruare, & hoc agit in toto illo capite, & Epistola. Ergo etiam ibi tractat de obseruationibus Iudaicis, &c. Quod autem ait? *Quomodo conuertimini iterum*, non ideò dicit, quia ad idola cõuerti vellent, sed ita loquitur, quia illa superstitio iam erat omninò vana, & veræ fidei ita repugnans, sicut Idololatria, & ideò ait, illos voluisse conuerti *Iterum*, & *denuò* ad agena, & infirma elementa, quæ licet non essent idola, in superstitione, & inutilitate, ac falsitate conueniebant cum idolis. Vnde rectè ibi Caietanus *Caiet.* ait, verum esse quod Apostolus ait, *Quia conuertebantur iterùm ad elementa, licet non eodem modo, prius enim adorando elementa, ad illa conuertebantur, postea non adorando, sed inutiliter seruiendo.*

6. Præfertur prima expositio. *Anselm. D. Thom.*

Eadem responsio est ad aliud Pauli testimonium ad Colos. 2. Nam ibi clarè loquitur de obseruatione legalium, & monet Colossenses, vt non timeant, etiam si quis eos *iudicet*, id est, reprehendat, quod non discernant inter cibos mundos, vel immundos, *Nec in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut Sabbathorum*, id est, nec in ea temporis parte, quæ ad festa Iudaica, Neomenias, & Sabbatha celebranda deputata erat, discretionem faceret, vel peculiarem obseruationem, vel (vt exponunt Hieronymus, & Origenes suprà) *Hier. Orig.* *Partem festi* vocat, quia illa festa Iudaica non erant perfecta, & integra, sed imperfecta, & adumbrata. Nam vt statim subdit Paulus, illa omnia erant vmbræ futurorum, & ideò iam transierant, ideóque meritò illa non seruabant. At festa nouæ legis non sunt vmbræ futurorum, sed corpus ipsum Christi continent, ac repræsentant: nihil ergo ad has festiuitates illa Pauli monitio pertinet, vt omnes citati Patres concludunt.

7. Alius locus Pauli explicatur.

CAPVT III.

De diebus, quos vniuersa Ecclesia ex obligatione seruat, in generali.

1.

EXplicuimus in generali hoc præceptum, tamen quia in multa diuiditur, quæ sub se quodámodo continet, & obligatio præcepti nonnisi in particulari cognoscitur; ideò de his præceptis sigillatim dicere necesse est. Aduertendũ autem est, dupliciter ferri posse huiusmodi præceptum de aliquo festo seruando, scilicet, vel pro tota Ecclesia, vel pro aliquo tantum prouincia, vel Diœcesi. Hanc partitionem indicauit Pontifex in cap. *Conquestus*, de Feriis, vbi prius numerat vniuersales festiuitates totius Ecclesiæ, deinde addit, *Cæterisque solemnitatibus, quas singuli Episcopi in suis Diœcesibus duxerint, solemniter venerandas.* Et in capit. *Quoniam*, eodem, dicitur secundùm diuersas consuetudines interdum celebrari vnum festum in vno loco, & non in alio, & hîc in vno die alibi in alio. Idem sumitur ex capit. 1. de Consecratione distinct. 3. & generaliùs ex cap. *Catholica*, distinct. 11. quod est ex August. Epist. 118. Priores ergo festiuitates vniuersales, posteriores particulares appellabimus, atque priùs de vniuersalibus, postea verò de particularibus dicemus.

Duplex solemnitas.

Cap. *Conquestus.*

C. *Quoniam.*

Circa

2. In quo sit potestas ferendi leges vniuersales celebrandi festa.

Circa vniuersales autem festiuitates supponendum est, esse in Ecclesia potestatem ferendi legem, aut leges vniuersales, quæ totam Ecclesiam obligent ad has, vel illas festiuitates seruandas. Hoc satis constat ex dictis in c. præced. Nam hæc celebritas, & consensio totius Ecclesiæ in aliquibus præcipuis festiuitatibus pertinere potest ad conuenientem vsum Religionis, & ad vnitatem Ecclesiasticam; & aliunde determinatio talium dierum non est facta diuino iure, vt dictum est, & dicetur, ergo necessaria fuit potestas in Ecclesia, qua huiusmodi legem possit statuere.

3. Vnde vlterius tanquam certum, & clarum supponimus, hanc potestatem præcipuè esse in Summo Pontifice, & quodammodo in illo solo. Primum patet, quia Pontifex est vniuersalis Pastor, & ideò habet vniuersalem potestatem legislatiuam in spiritualibus, vt alibi in materia de Legibus, & de Summo Pontifice latiùs probandum est: Inde verò probatur etiam exclusiua, per quam in primis excluduntur Imperatores, Reges, & omnes Potestates seculares, non enim possunt illi in spirituali materia præcipere, vt generaliter in materia de immunitate Ecclesiastica ostensum est, & in particulari aliquid addemus in discursu huius cap. & sequentium. Excluduntur præterea, quicumque Episcopi inferiores Pontifice, quia nullus eorum potest legem vniuersalem pro vniuersa Ecclesia ferre. Dixi autem, *Quodammodo*, quia Concilium generale potest hanc legem ferre, non tamen sine Pontifice cogente, & approbante Concilium. Item vniuersalis consuetudo totius Ecclesiæ potest hanc legem introducere, non tamen sine Pontifice, vel expressè, vel tacitè approbante, vt cum proportione dicemus infrà de consuetudine particulari respectu Episcopi; est enim eadē proportionalis ratio.

4. Festiuitates quasdam esse Dei, alias sanctorum.

His positis, vt vsum huius potestatis circa institutionem vniuersalem festorum ad aliquem ordinem reuocemus, est præ oculis habendum; licet festiuitates omnes in Dei cultum, & venerationem primariò ordinentur; nihilominùs inter eas quasdam esse, quæ in solius Dei memoria, & honore, vel gratiarum actione pro aliquo beneficio suscepto quodammodo sistunt; alias verò, quæ simul cum Dei cultu coniungunt specialem alicuius Sancti memoriam, & venerationem. Priores que vocare possumus Dei festiuitates, posteriores verò festiuitates sanctorum. Et vtrumque ex his mēbris in alia duo subdiuidere possumus: Nam inter Dei festiuitates, quædam ad Deum ipsum, vt Deus est, referuntur, eúmque quasi pro speciali materia, & obiecto habent, aliæ verò sunt propriæ festiuitates Christi, seu Dei hominis facti. Inter Sanctos verò Virginem Beatissimam speciali cultu colimus, quem hyperduliam vocamus, alios verò omnes sanctós communi dulia: Et ideò festiuitates sanctorum in duo etiam capita diuidimus: quædam enim sunt propriæ Beatissimæ Virginis, quæ inter festiuitates Sanctorum sunt præcipuæ, & interdum ita sunt cum Christi festiuitatibus coniunctæ, vt aliquæ festiuitates tam Matri, quàm filio tribuantur, sub vltimo verò membro reliquorum Sanctorum festiuitates comprehendimus. Per hæc ergo capita breuiter festiuitates omnes, quas Ecclesia vniuersaliter celebrat, proponemus, & in singulis antiquitatem, rationem institutionis, & modum institutionis explicabimus.

CAPVT IV.

De diei Dominicæ obseruatione, & de festo Trinitatis.

1. Dies Dominica.

QVoniam in ipsius Dei cultum, vt Deus est, præcipuè videtur in lege gratiæ Dominica dies ad Ecclesiæ exordio instituta, & tanquam præcipua festiuitas obseruari præcepta: cui postea temporis decursu speciale festum Trinitatis adiunctum est; ideò de his primo loco dicendum est. Et in primis celebritas Dominicæ diei habetur ex communi vsu, & sensu Ecclesiæ, & in ipsa Scriptura noui Testamenti commendatur. Nam Ioan. Apocal. 1 commemorat, se in Dominica die insignem illam reuelationem accepisse, vbi sine dubio diem illam Dominicam appellat à Christo Domino, qui sua Resurrectione illam specialiter consecrauit, sicut Paul. 1. Cor. 11. Vocat cœnam Dominicā sacram communionem, quam Christus Dominus instituit, & in qua ipse manducatur, vel certè Dominicā diem vocauit Ioannes, quia eam per Antonomasiam Dominus fecisse dicitur, iuxta illud: *Hæc dies, quam fecit Dominus, &c.* Quæ verba de ipso die Resurrectionis Dominicæ dicta sunt à Propheta Psal. 117. Nam totum euidenter est de Resurrectione Dominica, de qua ipsemet Christus illum interpretatus est, de se exponens illa verba, quæ proximè præcedunt: *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factū est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Post quæ verba immediatè subsequuntur illa: *Hæc dies, quam fecit Dominus, &c.* Dicta ergo sunt specialiter de die Resurrectionis, vt vniuersa Ecclesia intellexit. Imò Hieronym. Marc. 16. *Post Sabbatha tristia* (inquit) *felix irradiat dies, quæ primatum in diebus tenet, luce prima in eo lucescente, & Domino meo cum triumpho resurgente, & dicente, Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea.*

Dominicæ diei quam antiqua obseruatio. *Apocal.* 1. *Cor.* 11. *Psalm.* 117. *Marc.* 16.

5. Inde igitur prima dies hebdomadæ, quam Ecclesia vt festiuam seruat, Dominica appellata est. Imò vt ait Euseb. lib. 4. de Demonst. Euang. c. 18. *Is vnus & solus re vera est proprius ac, Dominicus dies, & melior est aliis innumerabilibus diebus, siue qui communiter intelliguntur, siue qui à Moyse in solemnibus, & Nouilunii, & Sabbathis lege sancti sunt.* Et statim subiungit, hunc solum, & verum Dominicum Saluatoris diem in sola Ecclesia per totum orbem diffusa, lucere, & nomen, ac dignitatem suam obtinere. Quia nimirum in Ecclesia semper celebris fuit, & Dominicus appellatus. Vnde non est dubium, quin Ioannes de illo, tanquam de die celebri, & omnibus fidelibus solemni loquatur, ad suam reuelationem etiam ex circunstantia temporis commendandam, vt Chrys. Beda, Ansel. & alij ibi adnotarūt. Ibi verò non declaratur, tunc fuisse diem illum, vt festiuum ad Ecclesia obseruatum: verumtamen Actor. 20. hoc magis indicatum est. *Vna autem Sabbathi cum conuenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis.* Nam illam diem fuisse Dominicam supra ostensum est, fractio autem illa panis non erat, nisi oblatio, & communio Eucharistiæ, ad quam diebus Dominicis conuenire solebant fideles, tanquam in solemni, ac festo die, vt constat ex Patribus statim allegandis. Ibíque fiebat sacra concio, cuius etiam in eodem Act. loco mētio fit. Et eodem die fieri solebat oblatio fidelium ad diem festum conuenientium, vt suprà tractando de oblationibus vidimus, quod etiam in Scriptura fundamentum habere constat ex 1. Cor. 16. Ita enim hæc loca Patres intellexerunt, vt suprà notatum est, & videri potest in Chrys. Amb. & aliis expositoribus Græcis, & Latinis.

Chrys. Beda. Anselm. Actor. 20. 1. *Cor.* 16. *Chrys. Ambr.*

6. Confirmatur Patrum testimoniis. *Clemens.*

Hùc accedit traditio antiquissima Patrum docentium, hunc diem semper fuisse in Ecclesia tanquam festum obseruatum, & in magna veneratione habitum. Clemens lib. 7. Constit. c. 31. *Die*, inquit, *resurrectionis Domini quem Dominicū dicimus, conuenite sine vlla conuentus intermissione ad agendas gratias Deo, & profitendum beneficia, quibus nos Deus per Christum affecit, cum liberauit nos ignorantia, errore, vinculis, vt sic sacrificiū vestrū reprehensione careat.* Quæ ibi prosequitur. & latiùs

Ignat. infrà cap. 37. idem habet Ignat. Epist. 3 ad Magnesia. A dicens. *Pro Sabbathizatione diem festum celebret omnis Christianus Dominicam Resurrectionem, regalem, eminentissimam omnium dierum*, &c. Idem latè Iust. Apolog. 2. pro Christi circa finem vbi de conuentibus Christianorũ in die Dominico agi solitis tractat. Idem Orig. hom. 7. in Exod. Eeuseb. lib. 4. de vita Constant. cap. 18. 19. refert Constantinum diem illum religiosissimẽ obseruasse & obseruandum præcepisse, Apostolicam nimirum traditionem amplectens. Idem habet Ambr. in Lucam cap. 17. August. serm. 251. de Tempore, dicens expresè, celebritatem huius festi ab Apostolis traditam fuisse. Quam etiam declarat antiquissima prohibitio ieiunandi in illo die, propter solemnitatem, & alacritatem eius. De qua extat Canon sexagesimus quintus Apostolorum, & apud Clementem lib. 8. de Constit. capit. vltim. in fine, & lib. 7. Constit. cap. 24. vbi Turrianus affert Damasum lib. de Ieiuniis, & alios: Idem habet Ignat. Epist. 5. ad Philip. Tertullian. in Apolog. cap. 16. & de Coron. milit. c. 3. vnde in Concil. Carthag. IV. Can. 64. dicitur. *Qui studiosè ieiunat die Dominico non credatur Catholicus.* Idem ferè in Concil. Gangren. cap. 18. vide cap. *Siquis* 7. & cap. vlt. dict. 30. & cap. *Sacerdos*, 26. quæst. 7. & cap. *Placuit*, cap. *Ieiunium*, cap. *Nequis*, cap. *Ieiunia*, de Consec. dict. 3. ac denique videri potest latè Epiphan. in Epitome fidei ad finem, & Basil. de Spiritu sancto cap. 27.

Iust.

Orig.

Ambr. August.

Prohibitio ieiunãdi die Dominica.

Can.

Damas. Tertullian. Concil. Carthag. Conc. Gang. Cap. Siquis. Cap. Vltim. Cap Sacerdotes. Cap. Placuit. Cap. Ieiuniũ. Cap. Nequis. Cap. Ieiunia.

7. Diei Dominicæ obseruationem esse de iure diuino, qui dicant.

Ex his ergo intulerunt aliqui festiuitatem hanc C diei Dominicæ in lege gratiæ non humano, sed diuino iure esse introductam. Ita sentit Auctor supplementi ad summam Pisanam, ver. *Dominica* in Additione. Indicat etiam Abbas in cap. *Licet* de Fer. num. 3. Nam ex dispensatione in hoc præcepto infert, posse Papam dispensare in præcepto veteris, & noui testamenti. Angel. ver. *Feria*, num. 3. in fine dicit, esse quasi iuris diuini. Simpliciter id affirmat Sylvest. ver. *Dominica*, quæst. 1. §. 7. vbi alias etiam festiuitates adiungit, quas dicit esse de iure diuino, vt natiuitatem Domini, Pascha, Pentecostẽ, & alias, de quibus infrà.

Auct. Suppl. Abb. Angel. Siluest.

Fundamentum. Fundamentum esse videtur, quia supponunt hi auctores, septimi cuiúsque diei dedicationem ad diuinum cultum esse de iue diuino; & putant, determinationem ad talem diem, seu mutationem diei Sabbathi in Dominicam, esse ex institutione diuina in lege gratiæ. Confirmatur, quia aliàs posset festum hoc mutari, abrogari, aut prorogari per humanam legem, vel consuetudinem, quia omnis lex humana potest per hominem, vel per consuetudinem tolli; sed hoc admittendum non est in die Dominica, vt communiter Doctores docent in dict. cap. *Licet*, & cap. *Conquestus*, de Fer. ergo. D

8. Refellitur præcedens opinio. Nihilominùs hoc non probatur ex testimoniis Scripturæ adductis, nec ex traditione; vnde nec verum censendum est. Quia est contra regulam generalem, quod in lege noua non sunt data specialia præcepta diuina de his accidentalibus obseruantiis, sed tantùm de substãtialibus, quæ sunt Fides, Sacramenta, & Sacrificium. Reliqua enim dispositioni Pastorum Ecclesiæ relicta sunt. Igitur tantùm ex præcepto Ecclesiæ retenta est determinatio septimi diei ad diuinum cultum, & eodem iure mutata est à Sabbatho in Dominicam, Ita D. Thom. 22. quæst. 122. art. 4. ad 4. dicens hoc esse de constitutione Ecclesiæ, & consuetudine populi Christiani: Idem Anton. 2. p. tit. 9. cap. 7. Bonau. in 3. dict. 37. circa literam, & ibi Maior. quæst. 19. Sot. lib. 2. de Iust. quæst. 4. art. 4. ad 2. Vvaldens. de Sacramental. tit. 17. cap. 140. Turrecrem. in cap. 1. de Consec. d. 3. Nauar. in Manual. c. 13. n. 1. Tabiena, Rosel. & Armilla, ver. *Dominica*, & Archid. in c. *Ieiunia*, de cons. d. 3. Fundamentum autem contrariæ sententiæ ad summum probat, hoc præceptum non incœpisse à lege scripta Ecclesiæ, sed à traditione Apostolica; nam quod ex tunc cœperit consuetudo, apertè conuincitur ex testimoniis adductis. Probabile item est, id fuisse verbo tenus ab Apostolis tunc præceptum, & à toto populo Christiano receptum, vt necessarium ad honestatem moram, & Religionis Christianæ, atque sub hac æstimatione consuetudinem durasse. Quæ tandem legibus scriptis confirmata est, vt patet ex cap. 1. & cap. *Sabbatho*, de Conse. d. 3. & cap. *Quoniam*, cap. *Licet*, & cap. *Conquestus*, de Fer. Et ipsi etiam Imperatores hoc præceptum suis legibus munierunt, vt patet toto tit. 6. de Feriis, præsertim leg. 2. & leg. *Omnes dies*, vbi post alias præcipuas festiuitates subditur. *Et dies Solis, quos dominicos ritè dixere Maiores, qui repetito in sese calculo reuoluuntur, parem necesse est habere reuerẽtiam*, &c. Et in leg. vlt. *Dominicum diem ita semper honorabilem decernimus, ac venerandum, vt à cunctis executionibus excusetur.* B

Cap. 1. Ca. *Sabbath.* Cap. *Quoniã.* Cap. *Licet.* Cap. *Conquestus.* Leg 2. Leg. *Omnes.* Leg. vltim.

9. Respondetur argum. Ad argumenta verò de immutabilitate huius præcepti per consuetudinẽ, vel legem humanam respondetur, simpliciter loquendo, & quasi de potentia absoluta Ecclesiæ, seu Pontificum, tale præceptũ mutabile esse, vt argumentum probat; tamen practicè, ac moraliter dici posse aliquo modo immutabile, licet Ecclesiasticũ sit. Quædã enim sunt Ecclesiastica præcepta tàm propinqua, tamque similia diuinis institutionibus, & tam conformia legi naturali, & tot rationibus honestatis, ac Religionis munita, & tam vetusta, ac vniuersali cõsuetudine firmata, vt simpliciter loquendo secundùm ordinatã potentiam abrogari, & omninò tolli non possint, licet in particulari dispensari possint. Et per hoc posterius satis ostenditur, non esse de iure diuino. Ex primo autem non colligitur ius diuinum, & quia illud genus immutabilitatis solum oritur ex materiæ qualitate, & quia non potest moraliter occurrere rationabilis causa talis abrogationis. Vnde cum semper futura sit in destructionem, & non in ædificationẽ, credendum est, Spiritum sanctum non permissurũ, vt Ecclesia erret in tam sanctis legibus, & consuetudinibus mutãdis, etiãsi Ecclesiasticæ sint. Exempla similia sunt in lege Decimarũ, vt suprà dictũ est, & in lege Quadragesimæ, & similibus.

10. Obiectio. Dices: Quamuis demus, non posse moraliter mutari legem quoad dedicationem diei septimi ad cultum Dei, cur non poterit mutari quoad mutationem talis diei? Nam lex vetus de obseruatione Sabbathi mutata est quoad hanc determinationem, etiamsi ab ipso Deo immediatè fuerit lata, cur ergo non magis poterit hæc determinatio mutari, si ab Apostolis facta sit? Maior est enim auctoritas Dei, quàm Apostolorum: maximè cum dictum sit, Apostolos non introduxisse hanc consuetudinẽ, vt promulgatores alicuius præcepti à Christo lati, sed vt instituentes nouum ius.

Satisfit. Respondeo, hanc immutabilitatem non fundari in E auctoritate, & potestate immediati legislatoris, sic enim conuincit ratio facta, sed fundari in modo, materia, & ratione talis determinationis. Nam in primis Deus non fecit illam determinationẽ Sabbathi, statuendo illam lege perpetua simpliciter, sed tantùm secundùm quid, id est durante statu illius populi, & vtilitate, ac valore Circuncisionis, seu *Donec veniret semen*, vt ait Paul. Vnde veniente illo tempore, per se cessauit, non ex defectu potestatis, sed voluntatis ipsius legislatoris. At verò præceptum hoc Ecclesiasticum latum est sine temporis determinatione, ac subinde quantum est ex se in perpetuum, quia Ecclesia Christi est perpetua, id est, vsque ad finem mundi duratura, & illius vtilitas etiam est perpetua: Deinde præceptum illud legale includebat ordinem ad mysterium futurum, quod aliquando debebat

D. Thom. Anton. Bonauent. Maior. Soto. Vvaldens. Turrecr. Nau. Tabiena. Rosel. Armill. Archid.

bat desinere esse futurum, & incipere esse præsens, aut præteritum, & ideò ex tunc oportuit tale præceptum abrogari. At verò hoc Ecclesiasticum præceptum nititur in mysterio Resurrectionis Christi iam facto, quod vt sic immutabile est, nec enim potest Christus non resurrexisse, nec potest non viuere gloriosè, postquam resurrexerit. Quod si hoc præceptum habet aliquem ordinem ad quietem perfectam futuram in gloria, quando illa comparata fuerit, cessabit etiam hoc præceptum. Denique rationes, quæ in die Dominico concurrunt, vt pro illo facta sit hæc determinatio, & mutatio, sunt rationes perpetuæ, & immutabiles, & ideò præceptum ipsum non potest rationabiliter abrogari, contra rationem autem, & contra vtilitatem Ecclesiæ non permittet Spiritus sanctus, vt dixi, qui Ecclesiam gubernat, talem B fieri mutationem.

11. Assignantur rationes ob quas Dominica dies celebretur.

Sed quæ sunt istæ rationes, seu proprietates talis diei, propter quas ita oportuit in eum cadere tam fixam, & immutabilem determinationem? Plures à sanctis Patribus assignantur. Prima, & præcipua est, quia in illo die Christus resurrexit, illo enim die mysterium contigisse indubitatum fidelibus est, & tractatum à nobis est latè in 2.tom.3.p. disput.46.sect. 2. Quòd verò illa fuerit præcipua ratio huius determinationis, testatur August. in serm. 154. & 251. de Tempore, cuius verba, & aliorum Patrum ibi retuli, vnde etiam dies Dominicus, dies Resurrectionis à Patribus appellatur, & inde etiam Dominicus dictus est, quia Domini victoriam commemorat, vt videre licet in Leone Papa epist. 81. ad Diosc. cap. 2. Chrysost. hom. C 5. de Resurrect. Greg. lib. 11. epist. 3. in fine, *Dominico* (inquit) *die à labore terreno cessandum est, atque omni modo orationibus insistendum, vt siquid negligentiæ per sex dies agitur, per diem Resurrectionis Dominicæ precibus expietur.* Et ob hanc causam Dominico die genuflexio prohibita semper fuit, sicut in die Paschatis, vt constat ex Concil. Nicen. cap. 20. de Consec. d. 3. c. *Quoniam sunt*: Eámque esse Apostolicam traditionem ex Iren. refertur sub nomine Iustin. quæst. 115. ad Orthod. Cum autem ibi Irenæus martyr citetur, non potuit à Iustino allegari: cum ipse Iustinus quadraginta ferè annis ante Irenæum passus sit, vt doctè aduertit Couarr. lib. 4. Var. cap. 19. Ergo vel illa responsio Iustini non est, vel allegatio illa ab aliquo addita est. Eiusdem verò traditionis meminerunt Tertull. de Coron. milit. ca. 3. Hieron. contra Lucifer. August. epist. 119. cap. 15. & sequentibus, Ambro. optimè serm. 60. *Dominica* (inquit) *erecta, & feriam Resurrectionem Domini celebramus, Dominica enim idcò venerabilis est, atque solemnis, quia in ea Salnator velut sol oriens emicuit, ac propterea ipsa dies ab hominibus seculi dies Solis vocatur, quòd ortus eam Sol iustitiæ Christus illuminet.* Atque eundem morem standi diebus Dominicis seruauit Ecclesia vsque ad Alexan. III. iuxta cap. *Quoniam*, de Fer. Et eundem postea Clem. 8. instaurauit.

Concil. Nicen. *Iren.* *Couar.* *Tertul.* *Hieron.* *August.* *Ambros.* *C. Quoniam. Clemen. 8.* *Leo Papa.* *Chrysost.* *Gregor.* *August.*

12. Aliæ rationes afferuntur. *Canon. Trullano.*

Præter hanc rationem considerantur aliæ in hoc die ex mirabilibus operibus, quæ in eo Deus operatus est, propter quæ (vt dicitur in Cano. 8. Trullano) *Tanta debet esse illius diei obseruantia, vt præter orationes, & Missarum solemnia, & ea, quæ ad vescendum pertinent, nihil aliud fiat.* Secunda ergo ratio sumitur ex aduentu Spiritus sancti in Apostolos, & discipulos, qui in eundem diem contigit, vt in eodem Canone dicitur; & idem habent Leo Papa, & August. suprà, idem August. serm. 154. & alij statim referendi, multaque alia de hoc puncto dixi in d. 2. tom. disput. 46. sect. 2. Tertia ratio sit, quia in eodem die natus est Christus, vt expressè affirmatur in d. Can. 8. Trull. idemque habet Ruper. lib. 3. de diuinis officiis, c. 16. & Cassiod. in id Psalm. 117. *Hæc dies, quam fecit Dominus*, &c. latius,

Leo Papa. *August.* *Can. Trull.* *Rupert.* *Cassiodor.*

A auctoritate, & coniecturis confirmauimus d. 2. tom. disp. 13. sect. 4. Atque hinc sequitur quarta ratio, quia in eodem die circumcisus est Christus, & sanguinem pro hominibus fundere cœpit, & nomen *Iesus*, illi est impositum, vt notauit Nicep. li. 1. hist. c. 12. Quinta addi potest, ex eodem Canone Trull. quod in eodem die stella Magis refulsit, quæ etiam sequitur ex tertia, quia eodem die stella Magis apparuit, quo Christus natus est, vt tradunt Leo, August. Fulgent. & alij in sermonibus de Epiphan. & diximus latiùs dict. 2. tom. disp. 14. sect. 4.

Nicephor. *Leo.* *August.* *Fulg.*

Sexta adiungitur ibidem, quia in eodem die baptizatus est Christus, quod etiam affirmat Augustin. serm. 154. de Tempore. Vnde verò id possit satis confirmari, nunc non inuenio, præsertim quia in eodem sermone August. dicit, Christum etiam cœpisse sua miracula facere in die Dominico, conuertendo scilicet aquam in vinum; ostendimus autem in dict. 2. to. disputatio. 26. sect. 1. non potuisse vtrumque mysterium in Dominica fieri, quia vtrumque est factum sexta die Ianuarij, & integer annus tantùm inter illa intercessit, fieri autem non potest, vt sextus dies eiusdem mensis in duobus annis continuis Dominicus sit, seu quicumque alius dies hebdomadæ; & ita vtrumque redditur incertum. Suppositis verò opinionibus, quas loco proximè citato secuti sumus, videlicet Christum baptizatum esse anno ætatis suæ trigesimo inchoato, & sexto die Ianuar. quo die facta est Magorum adoratio, seu Epiphania, & supponendo ex iam dictis, in anno primo Natiuitatis Christi Epiphaniam incidisse in sextam feriam hebdomadæ, quia ipsa Natiuitas, & Circumcisio in Dominicam inciderunt ex his principiis per singulos annos computando, non erit difficilè deducere, an in trigesimo, vel trigesimo primo anno ætatis Christi potuerit sexta dies Ianuarij esse Dominica. Nunc verò nolumus in hoc immorari, sed probabili fide sequimur, quod de baptismo dixerunt Patres sextæ synodi in Trullo congregati, quod & nomine Augustini in dicto sermone habetur. Aliud verò de miraculo nuptiarum omittemus; & eadem ratione omitto aliam rationem, quæ in eodem serm. 154. August. habetur, scilicet in hoc die benedixisse Dominum quinque panes, quibus quinque millia hominum satiauit: nam vnde hoc probari possit, non video.

13.

August.

Septimam rationem addit Leo Papa in d. Epist. 81. his verbis: *In hac die Apostoli à Domino prædicandi omnibus gentibus Euangelij tubam sumunt, & inferendum vniuerso mundo sacramentum regenerationis accipiunt.* In quibus verbis obscurum est, de quo mysterio, vel de qua Christi apparitione ad discipulos suos post Resurrectionem suam, Leo loquatur; nam si verba in superficie considerentur, videtur alludere ad illa Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. Quia per priora verba acceperunt Apostoli tubam Euangelij, per posteriora verò sumpserunt Sacramentum regenerationis inferendũ mundo. At difficile est ostẽdere, quod Matt. ibi narrat de apparitione Christi facta vndecim discipulis in monte Galileæ, &c. die Dominico factum esse, quamuis neq; contrarium possit demonstrari. Quicquid ergo de hoc sit, quod tanquã incertũ omittimus, melius fundatur hæc septima ratio in verbis, quæ statim addit idem Põtifex: *In hac die (sicut beatus Ioannes Euãgelista testatur) congregatis in vnũ discipulis ianuis clausis, cum ad eos Dominus introisset, insufflauit & dixit, accipite Spiritum sanctum*, &c. Nã hoc factum esse in ipsa die Resurrectionis ad vesperam, ac subinde in die Dominico, constat ex Lucæ vlt. & Ioann. 20. Et latè ostendimus d. 2. tom. disp. 49. sect. 4. Et ad idem mysterium possunt applicari priora verba Leonis. Quia tunc dixit etiam Christus discipulis, *Sicut misit me viuens Pater,*

14. *Leo Papa.* *Matth. 28.* *Luc. vltim.* *Ioan. 20.*

Pater, & ego mitto vos. Per quæ verba Euangelij tubam absque dubio sumpserunt. Vnde etiam Lucas narrat, ibi dixisse Christum, *Oportere, in nomine eius prædicari pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes.* Quibus verbis etiam Sacramentum regenerationis significatur. Hoc ergo mysterium merito inter præcipuas huius diei prærogatiuas distinctè numeratur, quia licet eodem die Resurrectionis contigerit, specialia, & maxima beneficia continet Ecclesiæ collata: Nam tunc data est illi potestas remittendi peccata in Apostolis, qui tunc primùm consummati sunt Sacerdotes quoad potestatem in corpus Christi mysticum, vnde etiam tunc videntur primò consecrati Episcopi, & creati etiam Apostoli quoad spiritualem iurisdictionem in vniuersum orbem, maximè in foro sacramentali. Et fortasse ob hãc causam à sanctis Patribus, & Canonibus institutum est, vt Episcopi nonnisi in Dominico die consecrentur, vt ex Decreto Anacleti Papæ refertur in cap. 1. d. 75. Nam Episcopi Apostolis succedunt cap. *In nouo*, dict. 21. ideò eodem die consecrantur, vt ibi notat Turrecrem.

Anacl. Papa. Turrec.

15. Assignantur prærogatiuæ à lege naturali & scripta petitæ.

Atque hæ quidem rationes ad illam dignitatem Dominicæ diei pertinent, quam specialiter in lege gratiæ obtinuit; non tamen caret prærogatiuis, quæ ad legem naturæ, & scriptam spectare videntur. Constat enim in die Dominica creatũ esse mundum quoad substantiam cœli, & terræ, & in eãdem factam esse lucem, non solùm spiritualem, & angelicam, sed etiam hanc materialem, ratione cuius hęc fuit prima dierum omnium: Vt notat August. dict. serm. 251. & Beda lib. de offic. Eccles. cap. 1. Et idem habet Leo suprà, & dictus Canon. 8. Trullanus. Hanc ergo prærogatiuam dicimus communem esse legi naturæ, quia in Deum, vt in naturæ conditorem refertur. Atque ita hic dies complectitur præcipuam dignitatẽ Sabbathi Iudaici: Non enim minùs per celebrationem huius diei, quàm per solemnitatem Sabbathi, beneficium creationis recognoscimus. Denique addunt prædicti Patres præsertim August. & Orientales in dicto Can. 8. in hac die misisse Deum Manna de Cœlo, quod pertinet ad mirabilia patrata tempore legis scriptæ, imò est memoriale quoddam omnium beneficiorum, quæ Deus illi populo contulit. Idem affirmat Isidor. lib. 1. de Offic. Eccles. cap. 24. Probat ex cap. 16. Exod. Vbi in principio datum est Manna Hebræis per sex dies continuos, & cessauit in septimo, quia erat Sabbathum, vnde benè concluditur cœpisse in Dominico, seu primo die: *Vnde* (infert Isidor.) *intelligant Iudæi, iam tunc prælatam esse Iudaico Sabbatho Dominicam nostram: Iam tunc indicatum, quòd in Sabbatho ipsorum gratia de cœlo ad eos nulla descenderit, sed in sancta Dominica, in quâ primùm Dominus illam pluit.* Sic ergo satis constat, quot, & quantis rationibus dies hæc ad diuinum cultum peculiariter in lege gratiæ electa est.

August. Beda. Leo. Can. Trul.

August.

Isidor. Exod. 10.

16. Dies Dominica assignata ad colendum Deum propter se.

Est autem animaduertendum, licet ad hanc determinationem talis diei faciendam, hæ omnes prærogatiuæ considerari potuerint, nihilominùs per se, ac directè non referri, vel institui hunc diem ad peculiarem commemorationem illorum operum Dei, sed ad Deum ipsum propter se colendum, & propter suam excellentiam, & maiestatem. Nam (vt sæpe diximus) naturalis ratio hoc modo principaliter dictat diuinum cultum, & quoniam sola ratio certum tempus ad hunc cultum non determinat, per positiuam legem fieri determinationem oportuit, & ita in lege veteri facta est in die Sabbathi, cui Dominica dies successit; ergo solemnitas, & requies ab operibus terrenis, quæ in hoc die indicitur, ad ipsam diuinitatem colendam ordinatur, etiamsi ad hanc determinationem pro tali die faciendam circumstantiæ illius diei, & opera, quæ in eo Deus fecit, fuerint considerata. Et confirmatur hoc, nam hac ratione in Ecclesia Romana Dominicus dies specialiter censetur dicatus in honorem totius Trinitatis, quia in lege gratiæ, sicut expressiùs cognoscitur Deus, prout in se est trinus, & vnus; ita ad profitendam hanc fidem, & Deum trinum, & vnum expressiùs colendum, septimus hebdomadæ dies specialiter destinatus est. Et ideò graues Auctores referunt, olim præfationem Trinitatis in omnibus Dominicis fuisse decantatam, quia Dominici dies sanctissimæ Trinitati dicati erant. Ita Micrologus de Eccles. obseruat. cap. 60. Et sumi potest ex cap. *Innenimus*, de Conse. dicto 1. Vbi Pelag. II. inter præfationes, *Quas longa retrò vetustas in Romana Ecclesia seruauit*, ponit præfationem sanctissimæ Trinitatis, cum tamen Ecclesia Romana speciale festum Trinitatis olim non seruaret, vt dicit Alexandr. III. in cap. 2. de Fer. Ergo verisimile est, præfationem illam fuisse dictam in diebus Dominicis, vt Micrologus dicit. Item in eisdem diebus in ordinario tempore non impedito consueuit dici in Matutino octauum Responsorium de Trinitate. Et in eisdem Dominicis maximè obseruari præcipitur, vt symbolum fidei, quo Trinitatem profitemur, in Missa dici non omittatur. Sic ergo dicimus, diem Dominicum in Dei, ac Trinitatis cultum esse singulariter ordinatum.

Dominica dies specialiter dicata toti Trinitati.

Microlog. C. Inuenimus Pelag. 2.

Alexand. 3.

17. Neque obstat, quòd postea introductus sit mos in Ecclesia, vt in quadam peculiari Dominica festum Trinitatis celebretur; quod priùs in particularibus Prouinciis, seu Ecclesiis incepit, vt Alexand. III. d. c. 2. refert, & sumitur ex Rupert. lib. 2. de diuin. Offic. c. 1. & Dur. in Rationali lib. 6. cap. 111. & postea Ioannes XXII. in Romana etiam Ecclesia celebrari voluit, vt notat summa Pisana ver. *Feriæ* §. 3. quod etiam nunc vniuersa Ecclesia seruat. Non (inquam) hoc obstat, quia illud meritò additum est ad maiorem reuerentiam Trinitatis, & vt expressior memoria, tam in officio toto, quàm in concionibus illius mysteriis fieret. Nihilominùs tamen omnes etiam Dominici dies ad peculiarem Trinitatis honorem instituti sunt.

Rupert.

CAPVT V.

De Festis ad vitam, & mortem Christi pertinentibus, Virginique communibus.

ADuertendum est, sermonem esse de his festiuitatibus, quæ sub præcepto seruari mandantur vniuersæ Ecclesiæ, & populo eius, & in rigore tantùm sunt quinque, quibus nos duas addemus vsq; ad Christi mortem. Sunt verò multæ aliæ, in quibus quoad Ecclesiasticæ officia, mysteria humanitatis Christi celebrantur, sed illæ non pertinent ad præceptum speciale de obseruatione festorum, de quo nunc differimus, sed vel ad præceptum de horis Canonicis, vel de modo celebrandi Missæ sacrificium, & ideò nunc de illis non agemus; attingemus verò quę necessaria fuerint, vt intelligatur, an in aliquo illorum dictum præceptum hoc de obligatione festorum liget.

1.

Festum Incarnationis.

2. In eodẽ die festum celebratur Verbi Incarnationis & Virginis annuntiationis. *Concil. Tolet.*

Primùm ergo festum, vt secundùm ordinem rerum ea enumeremus, est festum Incarnationis diuini verbi, quod etiam festum Annunciationis B. Virginis appellari solet. Imò in Conc. Tolet. 10. c. 1. per Antonomasiã festũ diuinę seu Dominicę Matris appellatur; *Nã, quod* (ait) *festum Matris est, nisi Incarnatio verbi?* Et ita cõmuniter inter festiuitates Beatissimę Virginis hæc numerari solet, nec immeritò, quandoquidẽ in illa sũmam digni

dignitatem, & excellentissima gratiæ dona consecuta est. Propriè tamen dici etiam potest festum verbi Incarnati quod illo die conceptum est sanctum, vt per Angelum annunciatum est. Sicut enim festum Conceptionis Virginis magis est festum eiusdem Virginis quàm Matris eius Annæ, quamuis ex illa Conceptione magnus honor, magnáque Dei dona (vt credendum est) in gloriosam Annam redundauerint ita festum Incarnationis Christi principaliter est festum personæ conceptæ, & mysterij, licet simul ad Virginem pertineat. Quapropter si secundum se spectetur illud festum summæ dignitatis, & lætitiæ inter omnia, quæ ad humanitatem Dei pertinent, esse videtur. Quia in illo supremum beneficium Deus hominibus contulit, & maximum omnium mirabiliũ suorum operum fecit. Tamen quoad nos non videtur donum illud perfectè collatum vsque ad Virginis partum, & ideò quoad exteriorem lætitiam solemniùs illa Natiuitatis festiuitas celebratur. Et ob eãdem causam festiuitas illa præcipuè ad Christum, hæc verò ad Virginem referri videtur, & sine dudio Ecclesiasticum officium ad Virginem præcipuè dirigitur. Nihilominùs tamen propter rationes factas, & propter ordinem festiuitatum hoc loco illam posuimus. Sciendum autem est, festum hoc duobus modis in Ecclesia celebrari, vno generali, & alio particulari: generali quidem modo celebratur eodem die, quo mysterium peractum est, nimirum vigesima quinta die Martij; particulari verò, prout in Hispania obseruatur, Decima septima die Decembris ex decreto Concilij Tolet. 10. capit. 1. consuetudine, & Pontificum approbatione vsque ad nostra tempora retento; & olim in Ecclesia Mediolanensi iuxta ritum Ambrosianum celebratur in Dominica quarta Aduentus, vt refert Galesinus in annotationibus ad Martyrolog. Romanum: verumtamen hîc de proprio festo agimus, nam aliud potiùs institutum est per translationem quandam solemnitatis, vt in eodem Concilio dicitur.

Dupliciter hoc festum in Ecclesia celebratur.

Concil. Tolet.

3. De illo ergo festo in omni rigore obseruando non inuenio præceptum in Iure expressum, & scriptum. Nam in cap. 1. de Conse. d. 3. inter festiuitates generales non ponitur, neque inter eas, quæ ad Christum, neque inter eas, quæ ad Virginem spectant, cum tamen inter priores ponatur Purificatio, & inter posteriores Natiuitas, & Assumptio Virginis. In cap. 1. extra de Feriis solum in generali dicitur. *Et omnes festiuitates Beatæ Virginis*, quæ autem illæ sint, non declaratur. Nihilominùs tamen Doctores ibi communiter Host. Ioan. Andr. Panorm. & alij pro certo supponunt, Annunciationem ibi comprehendi sub festiuitatibus Virginis; & aduertunt, quatuor solemnes festiuitates Virginis in quatuor anni temporibus celebrari, Annunciationem in vere, Purificationem in hyeme, Assumptionem in æstate, Natiuitatem in Autumno, vt ita omnibus temporibus Virgo colatur, & vicissim omnia tempora Virginis solemnitatibus ornentur, & protegantur. Et sanè cum Gregor. IX. auctor illius Decret. non sit admodum antiquus, verisimile non est, illius tempore festum Incarnationis non fuisse ex præcepto obseruatum in vniuersa Ecclesia; E nam vt colligitur ex Leone Papa epist. ad Episcopos Siciliæ, c. 2. *Sicut est aliud tempus, quo, annunciante Angelo, Beata Maria fœcundandam se per Spiritum sanctum credidit, & concepit; aliud quo salua integritate Virginea puer editus, exultante gaudio cœlestium ministrorum, pastoribus indicatur: ita discernandæ erant causæ solemnitatum, & in omnibus institutis Patrum, Principumque nostrorum rationabilis seruanda discretio. Nam spiritus Sapientiæ, & intellectus ita Apostolos, & totius Ecclesiæ eruduit magistros, vt in Christiana obseruantia nihil inordinatum, nihil pate-*

Cap. 1.

Annunciationem esse vnã ex Deiparæ festiuitatibus.

Greg. 9.

Leo Papa.

A *retur esse confusum.* Quæ verba omnia sunt Leonis, licet non eodem ordine, & contextu posita: vnde licet non expressè asserat has solemnitates fuisse à principio distinctas, indicat tamen, & ex eisdem verbis satis congrua ratio eius institutionis colligitur, vnde non dubito, quin mysterium Incarnationis proprio, & speciali ritu, officio, ac die fuerit ab Ecclesia semper celebratum.

4. Quo die obseruari solitũ sit hoc festum; incertum est. *Conci. Tolet.*

An verò vbique, & semper fuerit omnibus fidelibus propositum, vt ex præcepto obseruandum, vel quando hæc obligatio incœperit, mihi non constat. Item an vbique fuerit in vigesima quinta die Martij obseruatum, vel in alio die, mihi incertum est. Nam in dict. Concil. Tolet. 10. præcipitur obseruari in Hispania Decima septima die Ianuarij, & de festiuitate B Martij nulla fit mentio; imò significatur, tunc non celebrari propter officia Quadragesimæ, aut Passionis, vel Resurrectionis Domini, & ideò ne omitteretur illa solemnitas, illum alium diem pro illa designari. Et additur. *Quod tamen nec sine exemplo decentis moris, qui per diuersas mundi partes dignoscitur obseruari, videtur institui. In multis enim Ecclesiis à nobis, & spatio remotis, & terris, hic mos agnoscitur retineri.* Non est autem dubium, quin loquatur illud Concilium de obseruatione propria festi omnibus fidelibus iniunctis: nam dixit *Debere esse ita solemne, sicut est eiusdem Natiuitatis Verbi.*

5. Quàm antiquum sit hoc festum. *August.*

Atque eodem modo videtur mentio eiusdem festi fieri in serm. 18. de Sanctis apud Aug. qui est secundus de Annun. quem aliqui tribuunt Fulgentio, sub nomine tamen Augustini legitur ab Ecclesia in die C Natiuitatis Virginis: incipit autem in hunc modum, *Adest nobis dilectissimi optatus dies Beatæ, ac Venerabilis semper Virginis Mariæ, ideò cum summa exultatione gaudeat terra nostra tantæ Virginis illustrata die solemni, &c.* Quæ verba satis indicant, magnam fuisse tunc illam festiuitatem, nec sunt admodum dissimilia, quibus sermonem alium in eandem festiuitatem inchoat Andr. Ierosol. auctor grauis, & satis antiquus. *Adest* (inquit) *nobis hodie gaudium omnium pristinam nobis noxam diluens, adest, qui est vtique, vt omnia gaudio impleat.* Ioannis etiam Chrysost. oratio in eandem festiuitatem nobis indicat, eius antiquitatem, incipit autem in hunc modum, *Rursus lætitiæ nuncij, rursus libertatis indicia, rursum gaudia, rursum à seruitute liberatio, &c.* Petrus etiam Chrysologus ante mille centum annos varias D in illud festum habuit hom. quæ inter ser. eius à 140. incipiunt, & in 142. sic incipit: *Audistis hodie, fratres charissimi, Angelum cum muliere de hominis reparatione tractantem,* &c. Et multa in cæteris habet similia, quibus illius festi obseruantiam indicat. Beda etiam in to. 7. in eadem festiuitate concionem habuit, omitto Bernard. Petrum Damian. & recentiore, quamuis illi etiam suis concionibus festum illud vt solemne, & antiquum celebrent: & Guarricus in serm. 1. planè demonstrat, in proprio die obseruari solitum, sic enim incipit: *Opportunè nobis in his diebus Quadragesimalis obseruantiæ solemnitas interuenit Dominicæ Annunciationis,* &c. Non est ergo dubium, quin hoc festum antiquum satis sit: quando verò inceperit, & præsertim quando Romana Ecclesia illud amplexa fuerit, & per vniuersam Ecclesiam obseruari primùm præceperit, affirmare non possumus, quia scriptum non inuenimus, certũ tamen est, traditione satis esse firmatum hoc præceptum, & à Summis Põtificibus saltem ipso vsu approbatum. Et multò ante Gregorium IX. festiuitatibus præcipuis Virginis fuisse annumeratum, ac proinde fuisse ab ipso comprehensum in dicto cap. vlt. in illis verbis generalibus, eaque satis esse vt dicamus, hoc festum esse vnum ex his, quæ Iure communi in vniuersa Ecclesia obseruari præcipiuntur.

Andr. Ierosol.

Chrysost.

Refert eam Metaph. *Petrus Chrisolog.*

Beda. Bernard. Petrus. Damian.

Gnarric.

Greg. 9.

Cap. vlt.

Festum

Festum Natiuitatis.

6. Natiuitatis festũ ab Apostolis institutum. Cap. 1. Cap. Vlt. Clemen.

Secundum est festum Natiuitatis Domini, quod primo loco ponitur in dictis c. 1. de Consc. d. 3. & vlt. de Feriis. Et illi statim adiunguntur festum sancti Stephani, sancti Ioannis Euangelistæ, & Innocentum, & S. Sylvestri, de quibus postea. Illud autem festum antiquissimum esse, & ab Apostolis institutum constat ex Clement. lib. 8. Constit. & ex perpetua traditione, cuius initium ignoratur, quod est signum illam esse Apostolicam. Et ita Isidor. lib. 1. de offic. 25. cap. indistinctè ait: *Natalis dies Domini à Patribus votiuæ solennitatis institutus est.* Idemque ex variis concionibus antiquissimorum Patrum in illud festum facilè intelligitur. Nicephorus autem lib. 17. Histor. cap. 28. indicat, Iustinum hoc festum obseruari præcepisse his verbis vtens: *Idem Imperator* (agit autem de Iustiniano primo) *tum primum Seruatores exceptionem toto orbe terrarum festo die honorare instituit, sicut Iustinus de sancta Christi Natiuitate fecit.* Ita enim legendum est, non Iustinianus, vt habent nonnulla vetera exemplaria. Nam ibi tractat de Iustiniano, qui Iustino primo successit, ante quem non fuit alius Iustinianus. Igitur Iustino tribuit huius festi institutionem. Verumtamen non potest ita intelligi, vt tunc primum existimetur hoc festum incepisse: nam sine dubio est multò antiquius: Ad summum ergo potuit Iustinus augere illius diei celebritatem, & fortasse negligentiam aliquam, quæ irrepserat, sua lege emendauit, vt adnotauit Bellarm. lib. 3. de cultu sanctorum cap. 16. circa finem.

Isidor. Nicephor. Iustinus. Imperat. Bellarm.

7. Quo die celebretur.

Celebrat autem Ecclesia festum hoc eodem die C mensis, quo factum est mysterium, scilicet vigesima quinta Decembris, illo enim die natus est Christus, de quo mysterio, & circumstantiis eius in dicto 2. tom. disp. 23. diximus. Non celebratur autem semper in eodem die hebdomadæ Natiuitatis Christi, ille enim in die Dominico natus est, festum autem nõ potest semper in Dominica celebrari simul cum eodem die mẽsis, & ideò per omnes dies hebdomadæ mutatur. Cur autem id factum sit in hoc festo potiùs quàm in morte, vel Resurrectione Domini, tractat Durand. libr. 6. Ration. c. 4. & varias rationes affert, quas infrà agentes de Paschate attingemus. Nunc illa sufficit, hoc fuisse necessarium, vt singulis annis, seu post completum anni circulum festum posset celebrari, quod in omnibus aliis festis immobilibus obseruatum est, id D enim per se erat conueniens, in Paschate verò propter specialem rationem immutatum est, & consequenter in quibusdam aliis festiuitatibus, quæ ab illa pendent, & mobiles appellantur, vt videbimus.

Durand.

Festum Circumcisionis.

8. Circumcisionis institutio valdè antiqua. Cap. 1. Cap. vlt.

Tertium festum est Circumcisionis Domini, quasi annexum præcedenti: & ita in dicto cap. 1. ponitur sub nomine Octauæ natalis in ca. autem vltimo de Feriis sub proprio nomine Circumcisionis. Quàm verò antiqua sit solemnis & festiua obseruatio illius diei, non satis constat, quia ante illa iura, nec Clemens, nec Isidorus, aut alij ex antiquis scriptoribus Ecclesiasticarum festiuitatum, huius facit specialem mentionem. E Nec etiam Leo Papa, aut Augustinus, aut alij Patres illis ætate æquales, & de hoc festo proprias conciones reliquerunt. Imò Leo Papa in sermonibus de Epiph. significat, festum illud proximè post Natiuitatem Domini solitum fuisse celebrari. Idem tamen Leo in dicta Epist. c. 2. inter illa Christi Domini opera, & mysteria peculiari solemnitate digniora illud ponit, *quo infans circumciditur.* Et Cyptianus, vel Auctor de Cardinal. Christi operibus huic festo peculiarem orationem dicauit; Beda etiam in quadam Hom. illius diei

Leo Papa. Cyprian. Beda.

A tom. 7. sic incipit: *Sanctam, venerabilemq; præsentis festi memoriam paucis quidem verbis Euangelista comprehendit, sed non pauca cœlestis mysterij virtute reliquit.* Ex concionibus etiam Bernardi in illud festum intelligimus, inter celebres festiuitates illam fuisse annumeratam. Itaque dubitandum non est, quin sit satis antiqua, & sine certi initij memoria. Solet autem cum Natiuitatis festo confundi, quia est veluti terminus, & octaua illius. Tamen licet ratio octauæ sit sufficiens ad solemnitatem quoad officium, quoad obseruantiam autem festi non solet reputari sufficiens, nisi cum die Dominica, vel cum alio peculiari iungatur mysterio. Sicut in hoc die octauo adiunctum fuit mysterium Circumcisionis, quod peculiari festo meruit celebrari, Tum quia eodem die cœpit Christus pro nobis soluere pretium sanguinis sui. Tum etiam quia signaculum Circumcisionis, quod proprium lapsorum hominum videbatur, pro nobis sumpsit. Tum denique, *Vt in nomine Iesu*, quod illa die accepit, *Omne genu flectatur.* Ob has ergo, & alias rationes sub præcepto festum illud generaliter constitutum est. Et aliqui existimant illud etiam fuisse institutum ad impediendas superstitiones, quas Gentiles in illis calendis Ianuarij obseruare solebant, vt habetur ex cap. *Non obseruetis* 26. quæst. vlt. Tandem aduertit Durand. lib. 6. Ration. offic. cap. 15. festum illud non solùm Christo, sed etiã Virgini esse dicatum, & olim duas Missas solitas fuisse in eo celebrari, vnam de Virgine, alteram de mysterio, & nunc constat ex multis Missæ, & officij partibus, præsertim ex Collecta, Antiphonis, & Responsoriis, magnam officij partem esse de B. Virgine. Propter quod idem Durand. lib. 7. cap. 1. num. 47. illam vocat Octauam suppletionis, *Nam quia in Natiuitate* (ait) *multum actum est de partu, & parum de parturiente, ideò in Octaua plenius ipsa celebratur.*

B

Cap. *Non obseruetis.* Durand. Festum hoc non solùm Christo, sed Virgini etiã dicari.

Festum Epiphaniæ.

9. Epiphaniæ festũ ab Apostolis decretum. Clemen.

Quartum festum est Epiphania, quod in eisdem iuribus expressè numeratur, estque adeo celebre, & antiquum, vt inter Apostolicas festiuitates post Natiuitatem numerari soleat, vt videre licet in Clem. lib. 5. Const. cap. 12. & lib. 8. cap. 33. vbi (quod valdè notandum est) pro ratione illius festiuitatis affert, *Quod in illa die declarata sit Diuinitas Christi testimonio Patris in baptismo, & Spiritus sancti, qui in specie columbæ ostendit astantibus eum, cui tributum erat testimonium.* Isidor. etiam lib. 1. de diuin. offic. ca. 26. eandem rationem ponit simul cum præcipua de manifestatione Christi Magis facta, eorumque adoratione: addens etiam eodem die factum esse à Christo primum, & celebre miraculum conuersionis aquæ in vinum, de quorum mysteriorum concursu in eodem die fusiùs egimus dicto 2. tom. disp. 26. sect. 1. vbi Augustinum, Ambrosium, Origenem, Maximum, Leonem, & alios Patres festum illud maximè venerantes retulimus. Et videri etiam potest Rupert. lib. 3. de diuin. offic. cap. 34. & Allin. lib. 4. cap. 23. & Ammianus Marcelli. lib. 21. Vbi circa tempora Constantij Imperatoris huius festiuitatis meminit, longè antiquiorem esse significans. De præcepto ergo seruandi hoc festum, & scriptum ius habemus, & Apostolicam traditionem, & magnas huius obseruantiæ causas, præsertim propter vocationem gentium, & Christi manifestationem, de quibus dicto loco est disputatum, & ideò hìc plura dicere est necesse.

Isidor. Augustin. Ambros. Origen. Maxim. Leo. Rupert. Allin. Ammian. Marcel.

Festum Præsentationis.

10. Præsentationis festũ

Quinto loco inter Christi festa ponimus præsentationem, & oblationem eius in templo propter ordinem festiuitatũ, & quia re vera primaria ratio illius solem

Christo simul, & virgini exhibetur.

Cap. 1. Cap. vlt.

solennitatis est Christus: vnde in hoc ordine videtur numerari in dicto c. 1. de Cōs. d. 3. nam proxime post Epiph. ponitur ante Pascha, & inferiùs adduntur festiuitates Beatæ Mariæ & more Ambr. & iuxta Græcorum ritum ita numerari dicitur. At verò in cap. vlt. de Feriis hoc festum omittitur, vnde sine dubio sub festis Beatæ Virginis comprehenditur; nam ita etiam numerari optimè potest, & communiter solet præsertim iuxta Romanum morem, vt ex lib. *Ordo Romanus*, & ex communi vsu satis constat. Habétque magnum fundamētum in ipso mysterio, quia simul cum oblatione Primogeniti sacrificium pro matre offerebatur, vnde & Purificatio Virginis, festum illud appellatur. Propter quod rectè dixit Beda, tom. 7. in homil. illius diei. *Solemnitatem nobis hodiernæ celebritatis, quam quadragesimo natiuitatis die debuis veneramur officius, maximè eiusdem Saluatoris nostri, simul & intemeratæ genitricis eius humilitate dedicatam sacra Euangelistæ lectio designat, exponens eos qui legi nihil debuerant, implendis se legalibus per omnia subdidisse decretis.* Si autem illius festi officium attentè spectetur, maiori ex parte ad Christum referri, tàm ex collecta, quàm ex Introitu, Epistola, & aliis partibus facilè intelligitur.

Ordo. Rom.

Beda.

A

B

11. Quando inceperit.

Niceph.

De antiquitate autem huius festi non est tam certa notitia, sicut præcedentis, vnde aliqui putarunt, cœpisse celebrari temporibus Iustiniani primi, quia Niceph. lib. 17. c. 28. sic de illo scribit: *Idem Imperator* (loquitur de Iustiniano seniore, seu primo) *tum primum seruatoris exceptionem toto orbe terrarum festo die honorare instituit*, vbi *seruatoris exceptionem*, illius præsentationem appellat more Græcorum, qui hoc festum hypātin vocant, id est, occursum, vel Simeonis, & Annæ, qui eo die obuiauerunt Domino, dum præsentaretur in templo, vt ait Micrologus ca. 48. vel celebrantium festum, qui fide Christo occurrūt, cum à Virgine matre in templum præsentandus defertur, vt ex Martino Polono in Chron. lib. 17. cap. 28. retulit Couar. lib. 4. Var cap. 19. Et cum Nicephoro concordare videtur Sigibertus in Chronico, qui huius festi institutionem ponit in anno Domini quingentesimo quadragesimo secundo, qui sine dubio cadit in Imperium Iustiniani, Duran. etiam in Rationali, lib. 7. cap. 7 dicit tempore Iustiniani Imperatoris Constantinopoli magnam hominum multitudinem pestilentia fuisse sublatam, & ideò tunc fuisse institutam festiuitatem Purificationis. Georgius autem Cedrenus Iustino prædecessori Iustiniani institutionem huius festi tribuit anno quingentesimo vigesimoseptimo.

ὑπάντιν.

Micrologus.

Mart. Pol.

Sigibert.

Durand.

Geor. Ced.

C

D

12. Baron. Hoc festum Romæ celebratum ad abolenda Lupercalia.

Apud Baron. verò in 1. tom. in I. Christi anno, nu. 41. reperio, Purificationis festum ad abolēda Lupercalia Romæ cœptum fuisse anniuersario die celebrari; ibi autem non refert, quo anno inceperit, nec potui alium locum inuenire, in quo id se dicturum promittit. Nam tom. 6. Ann. 496. n. 46. dicit tempore Gelasij, & eius monitu Lupercalia fuisse à Senatu sublata, de Institutione autem festi illo tempore facta nihil narrat. At verò Beda in Martyrol. quinto Idus Septembris, & ordo Romanus referunt, Sergium Pontificem instituisse solemnē supplicationem, seu processionem, quæ illo die fit, illámque consuetudinem, & solemnē festiuitatem introductam esse ab Ecclesia ad mutandam lustrandi consuetudinem, quam gētes obseruabant, refert idem Beda in lib. de Ratione tēporum, & Allin. Flac. de diuin. offic. c. de Purificatione, & Durand. supra. Vbi etiam tribuit hanc institutionē Sergio Papæ, vnde dici potest priùs fuisse hoc festum institutum Constantinopoli occasione pestis, postea verò Romæ alia ratione. At Sergius post Iustinianum I. fuit tempore Iunioris, & Tiberij. Ideóq; probabilius est, nō fuisse festum à Sergio institutum, sed auctum, vt sensit etiam Bar. Ann. 701. nu. 3. Imò

Beda. Ordo Rom.

Allin. Durand.

E

verisimile est, antiquius esse hoc festum, (vt bene Couar. suprà aduertit, & sequitur Azor tom. 2. lib. 1. c. 18.) nā antiquorum Patrū Gregorij Nysseni, Chrysost. Cyril. Hieron. & aliorū declamationes, & homiliæ in ea festiuitate habitæ leguntur apud Suriū: Inter quos Cyrillus indicare videtur processionum vsum, quæ accensis cereis fiunt. Fortasse ergo aucta est solemnitas, vel innouatum eius præceptum tum Constantinopoli, tum etiam Romæ, vt maiori cum pompa, & obseruatione celebraretur; ipsum autem festū antiquius esse credibile est; nam & Leo Papa in dicta Epist. 4. illius tempus, & rationem, cum aliis solemnitatibus maioribus ponit.

Couar. Azor.

Leo Papa.

Festum Transfigurationis.

13.

Hæ festiuitates, quas hactenus enumerauimus, pertinent ad infantiam Saluatoris, de reliquis autem mysteriis eius, quæ ante passionem contigerunt, vnam tantùm festiuitatem videtur Ecclesia celebrare, quàm sexto loco ponimus, scilicet Transfigurationis. Nam licet de aliis mysteriis vitæ eius peculiarem commemorationem faciat, vt de initio doctrinæ eius in ætate duodecim annorū quando ad templum veniens cum matre ibi remansit, &c. Et de illius Baptismo, Ieiunio, ac tentationibus, & de initio miraculorum eius, non tamen his mysteriis peculiarem festiuitatem dedicat, sed vel cum aliis festiuitatibus illa coniungit, vel in aliquibus Dominicis per annum ea commemorat, vt mansionem Christi in Templo celebrat in Dominica infra octauam Epiphaniæ; Baptismum in ipsāmet Epiphania, & in Octaua eius, initium miraculorum cum eādem etiam Epiphania, & prima Dominica post Octauam eius: Ieiunium verò in prima Dominica Quadragesimæ. At verò de Transfiguratione licet in secunda Dominica Quadragesimæ particularem mentionem faciat; specialis nihilominùs instituta est festiuitas, quæ sexto die Augusti celebratur. Qui mos in Ecclesia græca videtur esse antiquus, vt ex Menologio Græcorum colligitur. In Ecclesia autem Latina habuisse initium à Calixto III affirmat Platina in vita eius, & in eo festo indulgentias illas concessisse, quas Vrbanus in festo corporis Domini concesserat. Occasionem illud instituendi in illo die dicit fuisse, quia in eo Christiani insignem victoriam à Turcis ad Belgradum reportarunt. Alij verò antiquius putant esse hoc festum, quia illius meminit Vvandelbertus in suo Martyrol. Vixit autem ille ante Calixtum III. circa annum Domini 858. teste Trithemio lib. 2. de Vir. illus. S. Benedicti c. 36. Secundò quia Durand. lib. 7. de diuin. off. c. 22. & Ioan. Beleth. in explicatione diuin. off. c. 144. hāc posuerunt festiuitatem in die sexta Augusti, & tamē sunt Calixto III. antiquiores. Tertiò quia legitur homil. S. Leonis in eo tēpore habita. Quapropter in hac re nihil certum affirmare possum. Est autem verisimile, festum hoc quoad officium Chori, altarísque solemnitatem ante Calixtum incepisse, quoad præceptum verò seruandi diem illum vt festiuum, à tempore ipsius Calixti exordium habuisse.

Multa Christi festa simul cum aliis celebrātur.

Transfigurationis solennitas quā antiqua.

Menolog. Gregor.

Platina.

VVandel.

Trithem.

Durand.

Ioan. Beleth.

14. Propositæ opiniones in concordiam reducuntur.

Et ita facilè possunt in concordiam redigi prædictæ sententiæ: Nam Platina de propria obseruatione festi loqui videtur, Durandus autem, & Beleth. de officio præcipuè tractant; nam innumeras recēsent festiuitates sanctorū, quæ sub præcepto non sunt, licet Ecclesia de illis recitet. Minùs verò vrget, quod ex Vvandelberto refertur, quia solent in Martyrologiis poni festiuitates, quæ nō seruantur ex præcepto, imò sæpe ponuntur Sancti, de quibus Ecclesia nō recitat. Aliquando etiam referuntur festiuitates, quæ apud Græcos celebrantur, etiamsi non obseruentur à Latinis; verisimile autem est, festū hoc fuisse celebrius, &

antiquius apud Græcos, quàm inter Latinos, vt indicant orationes Sanctorũ Ephræm, Cyrilli, Alexandrini, Andreæ Creten. & Basilij Seleuc. in eam solemnitatem, quas refert Surius, & Simeon Metaphr. & prima habetur inter opera Ephræm. Verum est illas tantùm esse de mysterio, nihilq; de speciali festiuitate indicare, vnde potuerũt in Dominica 2. Quadragesimæ proferri quod etiã probabile est de homilia sancti Leonis. Denique quod ad præsens spectat, præceptũ seruandi illud festum non videtur multùm antiquum, & fortasse Romæ, vbi hoc festum rigorosè seruatur, à Calixto 3. inchoatum est; non tamen videtur fuisse latum pro vniuersa Ecclesia, vel certè non vbique est consuetudine receptum, quia de facto nõ vbique obligat, sed cõsuetudini standum est. Et ideò hæc sufficiunt de hoc festo; nam de mysterio ipso in dicto 2. tom. disp. 32. tractatum est.

Surius. Metaphr.

Festum Passionis.

15. Passionis festum quãdo inceperit.

Septima Christi festiuitas poni potest dies mortis, & passionis eius cum his, quæ illam proximè antecedunt, & subsequuntur vsque ad diem Resurrectionis exclusiuè. Hoc enim festum, vt ab aliis distinctũ ponit Greg. IX. in d. c. vlt. de Feriis, his verbis, *Septem diebus Dominicæ Passionis*, & in leg. *Vt in die*, & leg. *Omnes dies*, C. de Feriis, septem dies præcedentes ante Pascha obseruari præcipiuntur. Et (quod maius est) Clem. lib. 8. Constit. c. 33. significat, illas fuisse institutiones Apostolorum. Sed sciendum est, aliud esse tractare de Feriis, quæ in ordine ad iudicia concessa sunt in iure, aliud verò in ordine ad obseruationem ex præcepto quoad abstinendum ab operibus seruilibus, audiendam Missam, &c. Priori modo considerantur maximè in iure ciuili, & magna ex parte in iure Canonico sub titulo illo de Feriis, & præsertim in illo cap. vlt. videtur de hoc præcipuè tractari sic enim in principio dicitur: *Quamuis non prorogari, sed expediri deceat quæstiones, debet tamen iudicialis strepitus diebus quiescere feriatis, qui ob reuerentiam Dei noscuntur esse instituti.* Quam vltimam particulam addit, quia sunt aliæ feriæ, *quæ gratia vindemiarum, vel messium indulgentur* (vt ibidem subiungitur) quas quidam Iuristæ *rusticas*, alij *temporales* vocant: Inter quas, & priores differentia D constituitur in eodem capite in ordine ad strepitum iudicialem, quòd prioribus nõ possunt partes renunciare, nam etiam ex consensu illarum nõ possunt iudicia peragi, quia non in earum fauorem, sed in Dei honorem sunt introductæ: Posterioribus autem renunciare possunt partes, si inter se consentiant, vt eis non obstantibus, lis tractetur, quia sunt veluti priuilegium in fauorem earum concessum, cui renunciare possunt. His addunt Iuristæ ferias, quas repentinas vocant, id est, quæ non certa, & stabili lege, sed præcepto Principis ob occurrentem occasionem vno vel alio die præcipiuntur. Quæ quidem vtroque ex dictis modis iuberi possũt, scilicet vel ab Ecclesiastico Principe in honorem Dei, vel à seculari in honorem suum, vel propter aliam Reipublicæ commoditatem ob Principem natum, vel partam victoriam. Sed hæc E obiter tantùm attingimus, vt nominum notitia habeatur, reliqua Iurisperitis remittimus.

Greg. 9. Cap. vlt. Leg. Vt in die Leg. Omnes dies. Clemens.

16. An septem dies sanctæ hebdomadæ obseruentur operum cessatione.

Quòd ergo attinet ad septem dies Dominicæ Passionis, licet probabile sit, olim dies illos fuisse in præcepto ex vi iuris communis, etiam quoad religiosum cultum, & cessationem ab operibus seruilibus: Nihilominùs dicendum est, nunc non esse sub peculiari præcepto totam illam hebdomadam, quam sanctam appellamus. Dico autem *sub peculiari*, quia prima dies eius sub generali præcepto de Dominica obseruanda continetur; de reliquis verò diebus nullum est præceptum generale obligans totam Eccle-

A siam. Et ita in cap. 1. de Conse. d. 3. nulla fit illorum dierum mentio. Et quamuis ibi Archid. dixerit hodie seruari feriam quintam, & diem Parasceues; tamen id non habet vniuersalis consuetudo, vt notat Siluest. ver. *Dominica*, q. 1. §. 7. qui addit limitationem his verbis: *Nisi forte Parasceues vsque ad osculum Crucis.* Sed in hoc etiam consulenda est consuetudo, nam alicubi solet obseruari cessatio ab operibus seruilibus, ab officio Missæ feriæ quintæ vsque ad finem officij feriæ sextæ illius hebdomadæ. Frequentius tamen (vt opinor) hoc fit ex voluntaria pietate, ac deuotione; potiùs quàm ex obligatione in conscientia, & sicubi censetur esse obligatio propter consuetudinem, videtur solùm esse quoad cessationem ab operibus in publico exercendis propter scandalum, & perturbationem vitandam, non verò quoad obligationem audiendi Missam, seu sacrum officium, vel omnino cessandi ab operibus etiam in occulto. Cuius signum esse potest, quod quando dies Incarnationis cadit in aliquem ex illis diebus, longè alio modo, & rigore seruatur festiuitas à populo Christiano quoad Missam, vel officium audiendum, & quoad cessationem à laboribus.

Cap. 1. Archid. Siluest.

B

C

Igitur si olim fuit tota illa hebdomada sub præcepto, consuetudine derogatum est, vt Summistæ cõmuniter docent Armill. ve. *Feriæ*, nu. 6. Rosella ibidem, Anton. 2. p. tit. 9. cap. 7. & alij. Verisimile autem est id, quod Clemens refert. non fuisse in vniuersa Ecclesia introductum, neque fuisse institutum, vt semper duraret, sed pro aliquo tempore. Nã ibidem refert etiam Apostolos præcepisse tunc obseruationem Sabbathi more Christiano per modum festi, quod fieri potuit pro illa regione, & tempore, donec lex vetus cum honore sepeliretur. De Gregorio autem IX. verisimile est, nullum de hoc tulisse speciale præceptum, quia in dicto cap. vltim. non est sermo de cessatione ab omnibus operibus, sed ab strepitu iudiciorum: Et hoc solum in principio proponitur, vt pater ex verbis citatis, & id solùm in fine capitis concluditur illis verbis: *Quibus solemnibus feriis (nisi necessitas vrgeat, vel pietas suadeat) vsque adeò conuenit ab huiusmodi abstinere, vt consentientibus etiam partibus, nec processus habitus teneant, nec sententia, quam contingit diebus huiusmodi promulgari.* Et certè verisimile non est, ante Gregorium aliam fuisse consuetudinem, nec facilè credi potest, illum voluisse nouam consuetudinem, & festiuitatem introducere.

17. *Armill. Rosel. Anton. Clemens.*

Neque obstat, quòd feriæ illæ dicantur solemnes, non enim ita vocantur propter festiuam solemnitatem religiosam, quam in omnibus illis obseruare necesse sit, sed quia stabili, & antiqua consuetudine recepta sunt. Sic enim Latinè etiam dicitur esse solemne, quod quotannis fieri solet, vel consuetudine receptum est: vnde etiam feriæ rusticæ æstiuales, vel autumnales solemnes appellantur, vt à repentinis distinguantur, vt sumitur ex Glossa dicto cap. vltim. & ibi Panor. num. 8. Nec etiam obstat, quòd illæ feriæ dicantur in Dei reuerentiam, quia hoc optimè stat fine præcepto abstinendi omninò ab operibus seruilibus, vel audiendi sacrum omnibus illis diebus. Sunt enim multi dies peculiariter dicati in honorem Dei, vel alicuius Sancti, qui non præcipiuntur illo modo obseruari, sed specialis reuerentia, aut honor cernitur maximè in Ecclesiastico officio, quod in diebus maioris hebdomadæ peculiariter fit in recordationem Dominicæ Passionis. Et vt maiori cum solemnitate fieret, adiunxit Ecclesia vacationem saltem à strepitu iudiciorum, quæ non sunt tam necessaria ad hominum vitam, & sustentationem, sicut sunt alia opera, & ideò noluit Ecclesia vniuersale præceptum ferre de obseruatione festiua illorum dierum, licet iudi-

18. Quare feriæ illæ solẽnes dicantur.

Gloss. Panorm.

iudicia prohibuerit in ordine ad reuerentiam Dei. Quin potiùs toto tempore. Quadragesimæ iure ciuili prohibebantur iudicia criminalia, vt in l. *Quadraginta*, Co. de Feriis, & in c. 1. 15. q. 4. prohibetur, ne omnibus illis diebus liceat, aliquem damnare in exilium. Et in cap. *Decreuit*, 22. q. 5. à Septuagesima prohibetur, exigi ab aliquo iuramentum. Quæ omnia nō seruantur, & decreta illa sunt tantùm Conciliorum prouincialium. Tamen ex eis intelligitur, quàm diuersum sit tempus feriatū in ordine ad iudicia, etiam in reuerentiam Dei, & bonum animæ, vel simpliciter festiuum.

Leg. *Quadraginta.* Cap. 2.

Cap. *Decreuit.*

19. Obiectio.

Potest tamen apparentiùs obiici, quia hinc sequitur ex vi illius Decreti non probari, alios dies qui ibi numerantur, etiam Natalis, vel Paschatis, & similes B esse in præcepto iuris communis quoad obseruationem rigorosam festi. Patet sequela, quia non aliter dicuntur feriati hi dies, quàm feriæ hebdomadæ sanctę: Consequens autem videtur contra dicta. Respondeo, propter hoc argumentum esse probabilem opinionē, quam Siluester suprà communem dicit, in illo capite non tantùm præcipi vacationem ab strepitu iudicij, sed etiam ab operibus seruilibus in omnibus illis diebus. Sed nihilominùs, inspecta intentione Pontificis in illa lege, & vi verborum eius, concedendum videtur, intentionem illius legis non fuisse agere de festis ex præcepto obseruandis ab omnibus fidelibus, sed solùm de feriis, in quibus abstinendum est ab strepitu iudicij propter reuerentiam Dei, quæ feriæ latiùs pa- C tent, quàm illæ festiuitates, vt declaratum est. Nihilominùs tamen ex qualitate materiæ, & ex aliis Iuribus, & maximè ex traditione Ecclesiæ intelligimus festiuitates, quæ ibi numerantur, esse ita solemnes, vt ab omnibus sint ex præcepto obseruandæ cultu religioso, & hanc esse generalem regulam, quæ non admittit exceptionem, nisi vbi ex materia ipsa, vel ex consuetudine contrarium constet.

Diluitur.

Siluest.

CAPVT VI.

De festo Paschatis, & Resurrectionis Domini.

1. Paschatis festum antiquissimum.

HÆc est octaua, & plenissima Christi festiuitas, quam communiter Pascha appellamus, transla- D to nomine ab vsu Hebræorum, qui circa illud tempus, suum Pascha celebrabant, quia iam Pascha nostrū immolatus est Christus, vt dixit Paulus 1. ad Corint.

1. *Corin.* 15.

15. Qua occasione solet hîc tractari de vocibus *Phase*, & *Pascha*, & significatis earum, sed de his satis pro nostro instituto dictum à nobis est in 2. tom. sect. 2. in fin. Iam ergo vsu Ecclesiæ Pascha significat tempus illud, seu solemnitatem illam, in qua Dominicam Resurrectionem solemniter celebramus. De qua in primis certum est, cadere sub rigorosum præceptum sabbathizādi (vt sic dicam) seu festiuū agendi diem illū. Et ita sub nomine sancti Paschatis proponitur in dicto cap. 1. de Conse. distinct. 3. & sub nomine Resurrectionis in dicto cap. vlt. de feriis. Quam E esse institutionem Apostolicam colligimus ex Clemente lib. 8. Const. cap. 33. & ex Canono 68. Apostolorum, vbi Quadragesima Paschæ ieiunari præcipitur, id est, quæ in solemnitate, & festiuitate Paschæ terminatur, vt ex Clemente intelligimus lib. 5. cap. 12. 16. 17. & 18. Et hanc constitutionem fuisse perpetuò in Ecclesia obseruatam sub obligatione legis, & præcepti notius est, quàm vt probatione indigeat. Nam in præsenti statu cōstat de communi consensu Ecclesiæ, & obseruantia; cuius nullum aliud initium assignari potest præter Apostolicam institutionem, nec assignari potest tēpus, in quo talis consuetudo fuerit in Catholica Ecclesia interrupta. Eam verò fuisse cōtinuam, ex Patribus ostendi potest, quos statim refe-

Cap. 1. Cap. *vlt.*

Clemens. *Can. 68.*

remus. Vnde aliqui putarunt; hoc præceptum esse de iure diuino, ipsósque Apostolos non proprio arbitrio, sed institutione diuina hoc festum Ecclesiæ tradidisse, quia summa, & quasi diuina ratione nititur, tum propter resurrectionem Christi, tum quia in illo omnes resurreximus, tum etiam quia illa est per Antonomasiam dies, quam fecit Dominus ad salutem, & iustificationem nostram. Vnde etiam fit, vt illud festum omnino immutabile videatur, ac proinde diuinum. Sed nihilominùs idem de Resurrectione, quod de Dominica die censendum est, propter easdem rationes, simpliciter enim est Ecclesiasticū præceptum licet Apostolicum, non diuinum, habétque omnem firmitatem, & rationem, quam habet dies Dominica, cum maiori excellentia, & causa, quia illa est tanquam exemplar, & prototypon omnium Dominicarum anni, nihilominùs tamen in eadem latitudine Ecclesiastici præcepti continetur.

Hoc festum nō est de iure diuino.

Vnde est vlteriùs obseruandū, ex dictis locis Clementis haberi, hanc institutionem in principio factā esse, de obseruāda tota hebdomada Paschæ, ita enim expressè dicit in dicto cap. 33. lib. 8. & quod ampliùs est, in dicto cap. vlt. ponitur dies *Resurrectionis cum septem sequentibus*, & in dicto ca. 1. ponitur: *Sanctum Pascha cum tota hebdomada.* Nihilominùs tamen certum est, licet tota illa hebdomada sit feriata in ordine ad iudicia, quod maximè intenditur in illo cap. vlt. non tamen esse totam sub præcepto festiuæ obseruatio- C nis quoad omnia, quæ ad diem festum pertinent, vt constat ex Ecclesiæ consuetudine. Vnde in Concilio Maguntino sub Carolo cap. 36. præcipitur obseruari Pascha vsque ad quartam feriam simpliciter, & quintam cum aliqua moderatione. At verò iam nunc generalis consuetudo est, vt duo proximi dies post festum Paschæ ita obseruentur, sicut primus, ob maiorem solemnitatem, & honorem mysterij. In aliquibus item Prouinciis obseruatur tertius, reliqui verò vsque ad sabbathum nullibi obseruantur, & in obseruatione tertij diei, seu feriæ quartæ illius hebdomadæ consuetudini standum est. Nam iuxta morem Ecclesiæ Romanæ illa dies non est ita solemnis sicut priores. Vnde etiam in officio diei non habet æqualem solemnitatem, nam primi tres duplices sunt, & supremæ classis, quartus verò solùm vt semiduplex colitur. Et hæc est sententia communis, Anton. Siluestri, Angeli, Caietani, Armillæ, & aliorum.

2. Totam hebdomadā Paschatis non esse festiuæ obseruationis.

Clemens. Cap. 1.

Cap. *vlt.*

Concil. Magunt.

Circa hanc autem festiuitatem nonnulla breuiter explicanda sunt, propter antiquam de hoc festo controuersiam, & vt ratio tēporis eius perspicuè cognoscatur. Secundò igitur dicendum est, festum Paschæ semper esse in Dominico die celebrandum cum hebdomada sequenti in sensu iam explicato. Ita habetur ex traditione Ecclesiæ, quæ ab Apostolis traxit originem, vt sumitur ex Clemente dicto lib. 5. capit. 16. *Ne per errorem* (ait) *diem Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi alio die, præterquam Dominico tātum celebremus*, Et cap. 18. *Sabbatho vsque ad galli cantum ieiunium producite, & illucescente vna sabbathorum, qui est dies Dominicus, desinite, &c.* Et quoniam de obligatione huius institutionis aliqui dubitare cœperunt, Deus speciali reuelatione, Hermæ Doctori Ecclesiæ antiquissimo facta, illam confirmauit, vt refert Pius I. (qui anno centesimo quinquagesimo Christi sedit) in Epist. 1. decret. Vbi etiam de hac obseruatione specialem legem tulit, quæ habetur de Consec. d. 4. cap. *Nosse vos*, Quam post quadraginta annos confirmauit Victor Papa Epist. 1. cap. *Celebritatem*, de Consec. d. 5. Et cum eo ferè tempore de hoc articulo controuersia orta esset inter Orientales Ecclesias, omnes Episcopi Orientis in Concilio quodam Palestino congregati statuerunt, omninò esse retinendam

3. Pascha die Dominico celebrandū.

Clemens.

Pius I.

Victor Papa.

traditionem, vt festum Paschæ in die Dominica celebraretur, túncque ieiunium solueretur. Ita refert Euseb. lib. 5. Histor. cap. 22. addens, eo tempore in variis prouinciis tam Orientis, quàm Occidentis, atque etiam Romæ fuisse de hac re motam quæstionem, & omnes Episcopos in hanc sententiam conspirasse: & cap. 23. refert Epistolas Polycratis ad Victorem, vbi perpetuam traditionem de hac obseruantia ostendit, & cap. 24. refert decisionem Victoris Papæ de hac re, & concordiam Irenæi in sententia, licet iudicaret, non esse vnitatem Ecclesiæ scindendam propter vnius cæremoniæ diuersitatem. *Euseb.* *Polycr.*

4. *Conc. Nic.* Tandem verò in Concilio Niceno controuersia omnis consopita est & dicta veritas stabilita: Quamuis enim in actis Concilij, quæ modo habemus, nihil de hac causa tractatum legamus, & in eius Decretis vel viginti, vel octoginta, quæ in 1. tomo Concil. iuxta varias editiones leguntur, nullum sit ad hanc quæstionem pertinens, nihilominùs communis traditio Patrum est, in Concilio Niceno statutum, vel potius constitutum esse, quod nunc Ecclesia seruat. Quod satis patet ex Consilio Antiocheno, vt statim dicemus: Item ex Socrate lib. 1. Tripart. cap. vlt. & Euseb. lib. 3. de Vit. Const. cap. 4. & 5. Qui referunt, duas fuisse causas præcipuas cogendi Concilium illud; vnam ad definiendam fidem contra Arium, alteram ad statuendum Dominicum diem pro Paschate celebrando, contra Asiaticos. Et cap. 17. refert, vbi in Concilio de sanctissimo festo Paschatis disceptaretur, communi sententia stabilitum esse, vt vno die, videlicet Dominico ab omnibus celebretur. Quòd etiam refert Niceph. lib. 8. Hist. c. 19. Et attigit Athan. in Epist. de synodo Arimin. & Seleuci. latiùs Epiph. hæres. 50. & 70. & Ambros. in Epist. 83. aliàs in enarratione de Paschatis celebrandi ratione, vbi præterea refert in Niceno Concilio aureum numerum computo esse adiectum ad statuendam certam rationem inueniendi legitimum diem Paschatis celebrandi. Ipsum autem Decretum ex quadam Epistola eiusdem Concilij ad Alexandrinam Ecclesiam, refert Theodor. lib. 1. Histor. cap. 9. & in lib. 2. Tripart. cap. 12. his verbis: *Euangelizamur de consonantia sanctissimi Paschæ, quia vestris orationibus est correctum hoc opus, ita vt omnes Orientales fratres qui cùm Iudeis primitùs celebrabant, consonè cum Romanis, & vobiscum, & cum omnibus ab initio Pascha custodientibus ex hoc tempore debeant custodire.* *Conc. Antio.* *Socrates.* *Euseb.* *Niceph.* *Athanas.* *Seleuc.* *Epiphan.* *Ambros.* *Theodor.*

5. Quanta sit certitudo positæ assertionis. Vt autem veritas magis declaretur, inquiri potest, quanta certitudine tenenda sit assertio posita, & quo sensu accipienda sit, & an sit mortale peccatum contrarium sentire, vel agere, & quo iure fundata sit. Quidam enim dixerunt, non debere Pascha celebrari semper die Dominica, sed in decima quarta luna primi mensis, in quacunque die hebdomadæ inciderit iuxta Iudæorum obseruationem. In hac opinione fuerunt Asiani ante Concilium Nicenum, vt ex Euseb. relatum est, addítque Niceph. lib. 4. cap. vltim. etiam post Concil. Nicen. aliquos in ea opinione perdurasse, eamque consuetudinem retinuisse; idémque refert Epiphan. hæres. 50. vbi sectatores huius ritus Quartadecimanos vocat: Et inter hæreticos eos ponit; sicut & Augustin. hæres. 29. Tessarascædecatitas eos vocat. Alij verò dixerunt, rem hanc indifferentem esse, & neutram fuisse vt necessariam statuendam. Ita videntur sensisse Nouatiani, vt ex Socrate lib. 5. Histor. cap. 20. & lib. 8. Tripart. cap. 9. colligitur. Et hæretici huius temporis dicuntur ita sentire, & multi alij, de quibus videri potest Bellar. lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 10. Et ad hoc suadendum indici potest historia supra relata de Irenæo, qui Victori Pontifici obstitit, ne propter cuiusdam cæremoniæ obseruationem Asianos excommunicaret. Allegari etiá potest, quòd Ioannes Euangelista ferrur, morem illum celebrandi hoc festum 14. Luna Ecclesiis Asiæ tradidisse, sicut Petrus tradidit Romanis vsum celebrandi illud in Dominica, & ideò neutrum morem fuisse damnandum; vnde refert Niceph. lib. 4. Hist. cap. vlt. cum Polycarpus Romam venisset tempore Aniceti, persuaderi ab illo non potuisse, vt morem à Ioanne receptum relinqueret, & nihilominùs vnione inter eos seruata discessisse: Idem habet Euseb. lib. 5. cap. 24. & ita etiam admittit Beda. lib. 5. Hist. cap. 25. & Bellarm. suprà. Denique cùm alia festa Christi non eodem die hebdomadæ celebrenter, quo mysteria ipsa facta fuerunt, videri potest commodius futurum, si idem in hoc festo seruaretur, ita enim maior vniformitas in festis celebrandis haberetur, & innumeræ difficultates circa obseruanda, nouilunia ad legitimum diem Paschæ inueniendum euitarentur. *Niceph.* *Euseb.* *Beda.* *Bellarm.*

6. Hæreticum est sentire il licitum esse celebrari Pascha die Dominico. *Castro.* *Epiphan.* *August.* Ratio. Veruntamen; vt rectè notauit Castro, verb. *Pascha*, aliud est agere de doctrina, aliud de obseruatione. Quod ergo ad doctrinam attinet; in primis sentire, esse illicitam consuetudinem celebrandi Pascha in die Dominico, & non in decima quarta luna, hæreticum est. Et hoc sensisse videntur illi, quos vt hæreticos damnant Epiphan. August. & alij Patres. Ratio verò est primò, quia est contra infallibilem Ecclesiæ vniuersalis auctoritatem, & contra Apostolicam traditionem; impossibile enim est, vt Ecclesia, quæ est columna, & firmamentum veritatis, erret approbando pro licito id, quod illicitum est. Secundò, quia vel hoc esset illicitum, quia est contra præceptum legis veteris de celebratione Paschatis in luna 14. & hoc Iudaicum est, & inuoluit hæresim, quod obseruatione legalium sit necessaria, vel esset illicitum, quia est iure naturali, aut alio diuino positiuo prohibitum, & hoc stultum est, quia nec naturalis lex habet hîc locum, vt est per se notum, nec de tali prohibitione est aliqua scriptura, vel traditio; imò illam fingere, est contra Ecclesiasticam traditionem, ac proinde hæreticum est; vel esset illicitum, quia contra præceptum aliquod humanum, & sic præter temerariam assertionem sine fundamento, inuoluitur hæresis, quod supra leges Pontificias, & Conciliares à Pontificibus approbatas, possit esse humana prohibitio, quæ actum reddat illicitum.

7. Dempta Ecclesiæ lege, an per se sit illicitũ celebrare Pascha aliis diebus. At verò è contrario sentire, quod secluſa Ecclesiæ lege de ritu celebrandi Pascha die Dominico, sit per se illicitum illud celebrare in aliis diebus hebdomadæ, in quibus 14. Lunam incidere contigerit, licet probabile non sit, non tamen est ita falsum, seu hæreticum, sicut contrarium assertum. Hoc propono contra aliquos, qui dixerunt, esse contra ius diuinum alio die celebrare Pascha, quàm Dominico. Id enim supponitur in illa assertione, quam reprobamus, si enim hoc est illicitum secluſa Ecclesiæ institutione, & lege, oportet, vt sit contra ius diuinum. At illud ius esse non potest naturale, vt per se notum est, quia tota celebratio huius festiuitatis est vltra rationem naturalem, etiam suppositis ipsis mysteriis, & beneficiis mortis, & Resurrectionis Christi, ex nullo enim principio morali sequitur necessitas talis festiuitatis, seu commemorationis, secluſa lege determinante, & præcipiente illam, ergo multò magis idem est de circumstantia talis diei in illa solemnitate seruanda. Nec etiam potest de hoc fingi præceptum diuinum positiuum, quia nec scriptum est, nec traditum. Et quia totum ipsum festum non est de præcepto iuris diuini, vt dixi, ergò multò minùs illa circunstantia. Et hoc ad summum probat argumentum sumptum ex facto Ioan. Euangelistæ, si verum est,

est, ipsum in vita sua celebrasse Pascha in 14. luna sine obseruatione peculiari diei Dominicæ. Potuit enim tunc id facere quodam arbitrio humano, quia non erat res prohibita, & potuit fortasse tunc expedire in illis locis ad sedandos Iudæorum animos, sicut Paulus circuncidit Timotheum, & alia legalia interdum seruauit. Quanquam Ioan. non more Iudæorum celebrabat Pascha, sed ritu Christiano, solúmque in circũstantia diei volebat cum Iudęis conuenire, vt minùs à nostra festiuitate abhorrerent. Vel certè id facere potuit ex aliis humanis coniecturis, vt ex propinquitate temporis ostenderetur consonantia rei, & figuræ, veritatis, & vmbræ, vel vt celebritas Paschæ haberet diem magis certum, vel aliis similibus, quæ in his moralibus rebus sufficiunt ad aliquam determinationem faciendam in re de se non mala, neque prohibita.

7. Post Ecclesiæ decretũ non est indifferẽs dies ad Pascha celebrandum. Socrates cautè in hoc legendus.

Dico vero tertiò, licet sit verum, hanc rem ante determinationem esse indifferentem, non tamen ita esse indifferentem, vt non possit Ecclesia circa illa necessitatem imponere, ac subinde nunc post Ecclesiæ præceptum non esse indifferentem, sed necessariam ad honestatẽ morum, & oppositum dicere hæreticum esse. In quo cautè legendus est Socrat. lib. 5. Hist. c. 20. & lib. 9. Tripar. c. 38. Nam contrario errori fauere videtur. Probatur autè assertio, quia licet non seruare præceptum Ecclesiæ non sit hæreticum, sed prauum, vel sacrilegum, vel scandalosum, aut etiam chismaticum: tamen dicere, non esse peccatum agere contra præceptum Ecclesiæ, hæreticum est, quia est negare potestatem Ecclesiæ ad ferẽdum verum præceptum, & obligans in conscientia, quod est hæreticum. Et ita etiam hoc titulo iudicantur hęretici à Patribus omnes, qui in priori opinione Asianorum fuerunt pertinaces post Ecclesiæ determinationem, & præceptum, sicut etiam modò hæretici habentur, qui communionem sub vtraque specie retinere student contra Ecclesiæ prohibitionem.

8. Obiectio.

Dices non oportere, vt qui sic sentit de hac particulari materia, generaliter neget Ecclesiæ potestatem ad præcipiendum, vel obligandum in conscientia: Sed in hac tantùm materia dicere posset quis non obligare præceptum, aut consuetudinem, vel quia materia non est capax tãtæ obligationis, vel quia non est iustum tale præceptum, cum alius ritus reputetur magis conueniens. Veruntamen dubitari non potest, quin Ecclesia hoc statuerit tanquam necessariò seruandum ab omnibus Ecclesiis. Sic enim ait Ambros. suprà. *Eò vsque Domini, fratres dilectissimi, à vero nos deuiare non conuenit, nec vago ingenio discrepare, vt quædam necessitas celebritatis eius omnibus sit imposita Christianis.* Et Euseb. suprà ait, statutum esse, *vt amplius non liceat, nisi die Dominica Paschæ celebrare.* Et Athanas. in dicta Epist. ait *Visum esse Concilio, vt omnes obtemperarent.* Et ex summa diligentia adhibita ab Ecclesiæ Pastoribus, Conciliis, & summis Pontificibus circa hanc obseruationem constat, ab eis iudicatã esse rem grauissimam, & ad vnionem, & decorem Ecclesiæ multùm pertinentem. Et similiter verba decretorum Pij, Victoris, euidenter ostendunt proprium præceptum, & idem referũt omnes citati Patres de decreto Concil. Nice. Alias nullius vtilitatis fuisset Concilij labor, si nihil stabile, ac firmum ab illo fuisset constitutum, nulla enim esse posset vtilitas, nisi res esset in necessitatem adducta, & imposita: Est ergo nunc hæreticum dicere, vel hoc non esse in præcepto, vel non potuisse ferri, aut præceptum esse iniustum, aut materiam non esse capacem illius, omnia enim hæc sunt contra communem sensum & traditionẽ vniuersalis Ecclesiæ, & Pontificum, Conciliorum, ac Patrum.

Satisfit. Ambr. Euseb. Athanas. Pius. Victor.

9. Neque ab huius legis obligatione posset quis excusari eo titulo, quòd Ioannes Euangelista alium ritum tradidit, nam Ioannes tunc illum tradidit, quando oppositus non erat generaliter præceptus, & ipse non potuit cæremoniam statuere, quæ per Petrum, & successores eius non posset reuocari. Imò neque poterat legem ferre obligantem vniuersam Ecclesiam sine consensu Petri, vel expresso, vel saltem tacito, qui in præsenti non interuenit: Vnde certissimum est, ritum illum non fuisse generalem. Et in rigore non est dubium, quin potuisset Anicetus Papa obligare Polycarpum ad seruandum morem Romanum, tamen eo tempore non fecit quia non expediebat. Atque eadem ratione certissimum esse censeo, quod si aliqua priuata Ecclesia pertinaciter vellet in hac obseruantia à Romana, & vniuersali discedere, siue cum Iudæis Pascha celebrãdo, siue in certo, ac fixo aliquo die mensis, vt tertio die Aprilis, vel 25. Martij vel alio simili, iuxta varias opiniones de die Mortis, & Resurrectionis Christi: meritò posset cogi per censuras ad seruandum Ecclesiæ ritum, & si contumax esset, præscindi, & Anathematizari. Quia illa esset, grauissima culpa, & inobedientia cum scandalo, & schismate, & non sine magna suspicione hæresis. Vnde Concilium Antiochen. sub Iulio c. 1. sub grauissima censura præcipit, obseruari decretum Concil. Nice. de celebratione Paschatis in die Dominico & excommunicat eos, qui celebrant in 14. luna more Iudaico. Neque contra hoc obstat factum Irenæi, quia tunc fortè non erat tam clara obligatio, vel licet esset, pro tunc iudicauit, non expedire, coactione vti, non quia fieri non posset, sed quia tolerando, & conniendo pro tunc, credidit potuisse melius remediũ adhiberi.

Ex ritu tradito per Ioannem Apostolum, non excusari quenquã.

Concil. Antioc.

10. Tertia assertio.

Tertiò dicendum est, magnis rationibus Ecclesiam motam fuisse ad hanc obseruantiam retinendam, & præcipiendam, atque adeò hunc ritum secundùm se magis esse conuenientem, & oppositum sentire plus esse quàm temerarium, id autem docere esse valde scandalosum & impium. Non dico autem esse hæreticum, quia de hac maiori congruitate non inuenio expressam definitionem, neque necessariam consecutionem ex vi præcepti, vel traditionis de re ipsa, quia ad obligationem, & honestatem præcepti satis est, quod res sit pia, & honesta, ac subinde conueniens, quicquid sit de illa comparatione. Nihilominùs tamen dicta ratio conuenientiæ euidenter supponitur & significatur à sanctis Patribus, & Ecclesiasticis decretis, & hoc sufficit ad prędictum gradum certitudinis. Rationes autem, quæ potuerunt Ecclesiam mouere, sequentes occurrunt. Prima, quod ita sit à Petro, & Paulo traditum, & (vt credi potest) à cæteris Apostolis, saltem excepto Ioanne, & vniuersalis consuetudo, paucis exceptis, ita tenuit vsque ad Concil. Nice. vt ex Patribus, & Historiis vsque ad illud tempus constat, & allegatum est. Et ita locum habet ratio, quam ex Constant. supra indicat Euseb. dicto lib. 3. de Vita eius c. 7. *Quia nefas est, vt in tanto, & tam solemni nostræ Religionis festo regnet dissensio, & quia graue, ac indecorum est, vt ijsdem diebus, alij sint in mœrore, & ieiuniis, celebrando mortem Christi, alij in lætitia & animorum remissione Paschæ celebrando. Quapropter* (ait) *istud rectiùs instituendum est, & ad vnam normam redigendum.* Ergo ratio ipsa postulat, vt pauciores pluribus cedant, & inferiores superioribus, & præsertim ipsi capiti Petro, & successoribus eius.

Prima ratio.

Constant. Euseb.

11. 2. Ratio. *Clemens.*

Secunda ratio tradita à Patribus est, vt non videamur Iudæis cõsentire, aut illos imitari, eodẽ die cum illis Pascha celebrando. Hanc significauit Clemens dicto lib. 5. c. 16. dicens, *Neque amplius cum Iudæis tempus celebrandi Paschæ obseruetis, nulla enim cum eis nunc nobis communitas est.* Et addit, ipsos etiam Iudæos falli in suo calculo, & ratiocinatione. Quod etiam dixit

Epiphan. Epiphan. hæres 70. Et eandem rationem habet Con-
Constant. stant. suprà, & addit: *In nostra enim est potestate, vt illorum more reiecto, veriore ac magis sincero instituto quod quidem à prima passionis die vsque hactenus recoluimus, huius festi celebrationem ad posteros propagemus.* Et infrà: *est enim reuera absurdissimum, vt illi insolenter se iactant, nos absque ipsorum disciplinæ subsidio istas res obseruare non posse.* Ac si dicat, vitandam esse illam similitudinem cum Iudaica consuetudine, vt clariùs profiteamur nos non celebrare Pascha ex obligatione suæ legis, nec indigere illorũ ritibus ad verum Pascha celebrãdum. Quæ ratio adeò mouit Concilium Nicenum, vt statuerit, nunquam esse celebrandum Pascha eodem die, quo Iudæi celebrãt, etiamsi contingat, diem Dominicam in 14. Lunam incidere, vt infrà videbimus. Nam licet in rigore, festiuitatẽ tunc agere, non esset Iudaicum (sicut nunc sæpe festum agimus in die Sabbathi sine ritu Iudaico, quia alio titulo, & modo id obseruamus) nihilominùs ob celebritatẽ magnam Paschæ, & propter Iudæorum insolentiam, ac cæcitatem noluit Ecclesia cum eis vnquam concurrere in huius festi solemnitate. Solet præterea hîc alia ratio tradi, quia nisi hoc modo celebretur Pascha, continget in aliquo anno non celebrari, & in alio celebrari bis. Hoc enim inconueniens videntur colligere Clemens, & Constantinus citatis locis ex obseruatione Paschatis more Iudæorum, sed non videtur procedere simpliciter, sed suppositio alio errore Iudæorum, vt infrà dicam.

Concil. Nicæ.

14. Ratio. 3. Tertia ratio addi potest, quia per sese erat expediens, vt Ecclesia semper ageret Pascha in Dominica, hoc autem suaderi potest omnibus rationibus, quibus persuasum est, debuisse festum Sabbathi in festum Dominicæ diei à Christianis commutari. Si enim propter gloriam Dominicæ Resurrectionis, & propter spem nostrã expediebat diem illum festiuum agere, multò certè magis conueniens erat festum ipsum Resurrectionis, quod est veluti prototypon omnium Dominicarum extra Dominicam diem non celebrari. Rationem hanc longo discursu tractat Augustinus Epist. 119. ad Ianuarium, præsertim à c. 9 vsque ad 17. vbi latè discurrens ostendit, debuisse ita celebrari Pascha in lege gratiæ, vt ante diem eius Sabbathum præcedat, & ante illud dies crucis Domini, quia hoc Pascha nostrum non significat corporalem transitum, sed spiritualem, quem Christus nobis meruit, transeundo priùs de hoc mundo ad patrem, & postea trãseundo de morte ad vitam gloriosam. Vnde in c. 13. sic inquit, *Dies Dominicus, non Iudæis, sed Christianis Resurrectione Domini declaratus est, & ex illo cœpit habere festiuitatem suam.* Et in cap. 14. præcipit attẽdere *triduum sacratissimum (crucifixi, sepulti, suscitati.* Nam per diem Crucifixionis sanctificatio laboriosa huius vitæ, quæ ferendo Christi crucem, obtinetur, significatur, per sepulturam verò requies gloriæ in anima inchoata, & per Resurrectionem, consummatio nostra in gloria per generalem Resurrectionem. Et concludit in fine c. *Hoc ex auctoritate Scripturarum, & vniuersæ Ecclesiæ consensione per anniuersarium Pascha celebratur.* Vnde addit in principio c. 15. *In veteri lege ad celebrandum Pascha solùm præceptum est obseruare mensem primum, & lunam 14. Ex Euangelio tamen,* (ait) *quia iam manifestum est, quo etiam Die Dominus Crucifixus sit, & in sepultura fuerit, & resurrexerit, adiuncta est etiam dierum obseruatio per Patrum (concilia, & orbi Christiano persuasum est, eo modo Pascha celebrari oportere.* Eundémque Augustini discursum breuiter, & dilucidè collegit Isidor. lib. 1. offic. cap. 31.

Augusti. Isidor.

13. Cur Pascha non celebratur semper Atque ex hac assertione intelligitur ratio, ob quam festum Resurrectionis non celebretur in die fixo, & immobili alicuius mensis, vt fit in Natiuitate, & aliis festis, quæ immobilia vocantur. Nam eo ipso quod oportuit in Dominica semper fieri, non potuit in certo die mẽsis Aprilis, aut Martij, puta tertio, vigesimo quinto, aut alio simili numero fieri, quia non semper talis dies mensis est Dominicus. Aliam rationem reddit August. in dicta Epist. 119. cap. 1. scilicet, quia in festo Natiuitatis, & similibus non repræsentatur aliquod Sacramentum, id est, sacra aliqua significatio, sed fit tantùm annua commemoratio talis mysterij, in festo autem Paschatis non solum fit commemoratio mysterij secundùm se, sed etiam repræsentatur peculiare Sacramentum, quod Deus obseruari voluit in sua morte, sepultura, & Resurrectione, prout talibus diebus factæ sunt. Vnde totus ille discursus ad hoc reducitur, quod oportuit hoc festum semper in Dominica celebrari, quæ non potest immutabiliter in aliquo die mensis numerari. Dices potuisse institui, vt in quarta Dominica Martij v. g. vel prima Aprilis semper Pascha celebraretur, & tunc fieret aliqua mutatio in numero dierum, mensis tamen fuisset longè minor, & faciliùs inueniri posset. Et hoc sufficeret ad repræsentandum omnia mysteria, & Sacramenta, quæ in hac solemnitate Augustinus suprà expendit, quia semper præcederet Sabbathũ, & posset præcedere repræsentatio mortis Christi in feria, 6. & ante Pascha potuisset etiã ieiunium Quadragesimale designari, obseruata in vnoquoque anno Dominica, & cum proportione possent celebrari Pentecostes, & alia festa, quæ mobilia dicuntur, quę aliquantulùm etiam tunc mutarentur, sed multò minùs, quàm nunc. Et ita hic discursus non videtur sufficienter ostendere necessitatem, aut conuenientiam in modo designandi Dominicam Paschæ, quam nunc habet Ecclesia. Respondeo concludere obiectionem, aliquid oportere addere discursui facto, vt hoc probetur, hactenus verò non fuit necessarium, quia solùm egimus de ratione celebrandi hoc festum in die Dominico.

certo die mensis. August. Obiectio. Respondetur.

14. Pascha celebrãdum die Dominico post. 14. lunam. Dico ergo quartò festum Paschatis celebrandum semper esse in die Dominico, qui proximè cadit post 14. lunam primi mensis, idque conuenienter fuisse ab Ecclesia statutum, & præceptum. Doctrina huius assertionis non minùs certa est quàm præcedentis, quia eadem auctoritate, & traditione Ecclesiæ, Pontificum, & Conciliorum, ac Patrum nititur. Nam vt ex omnibus suprà citatis constat, ita statutum est in Concilio Niceno, sicut antea fuerat generaliter obseruatum, & postea retentum est. Vt autem tota res breuiter exponatur, aduerto primò, Primum mẽsem hic appellari illum de quo dicitur Exod. 12. *Mensis iste vobis principium mensium primus erit in mensibus anni,* qui statim c. 13. vocatur. *Mensis nouarum frugum,* quo clarè ostenditur fuisse principium veris, quod inter Martium, & Aprilem cadit. Quamuis enim mensis Septembris antea esset primus apud Hebræos, vt multi volunt, & fortè semper talis habitus fuerit in ordine ad negotia, & actiones politicas: tamen ex peculiari institutione diuina aliud principium anni, atque adeò alius primus mensis in eo capite designatus est. Sicut ergo Hebræi obseruabant illum mẽsem ad suum Pascha celebrandum, ita etiam voluit Ecclesia eundem ad verum Pascha obseruari. Diuerso tamen spiritu, nam Iudæi in recognitionem temporalis beneficij, quod in Ægypto receperunt, illum mensem obseruabant; Ecclesia verò in repræsentationem mortis, & Resurrectionis Christi. Illi enim celebrant Pascha propter transitum Angeli percutientis, vel propter transitum suum ex Ægypto in terram promissionis; nos propter transitum Christi ex hoc mundo ad Patrem, & à morte ad vitam, & propter transitum nostrum à morte spirituali ad vitam gratiæ in hac vita, & gloriæ (in spe) pro vita futura. Denique ait

Exod. 12. Quis mensis primus dicatur hoc loco. August.

ait Augustinus. *Obseruamus mensem nouarum frugum, quia innouationem nostram recognoscimus.*

15. Annus lunaris obseruabatur à Iudæis in Paschate.

Secundò obseruare oportet annum, de quo ibi est sermo, esse lunarem, qui initium sumit à nouilunio primi mensis, in cuius decima quarta luna, id est, lunari die, Iudæi suum Pascha celebrabant. Vt ex dicto loco Exod. 13. & Leuit. 23. & Num. 18. constat. Primus autem mensis erat semper circa Æquinoctiũ vernale, sole in Ariete existente, vt ait Ioseph. libr. 3. Antiquitatum ca. 13. estque communis traditio Hebræorum, vt ex Anatholio statim referemus; sumiturque ex Scriptura, quæ mensem illum vocat nouarum frugum Exod. 13. Ac denique id etiam confirmat Ecclesiastica traditio. Quia verò Æquinoctium solùm cadit in vno die mensis ad non errandũ in designanda decima quarta luna, quam Deus requirebat ad celebrationem Paschæ; oportet inquirere, an quilibet mensis, in cuius aliquo die cadit Æquinoctium vernale, sit primus. In quo est certa, & communis responsio, non omnem mensem, in quo cadit Æquinoctium, esse primum, sed distinctione vtendum esse, nam si Æquinoctium cadat in ipsa decima quarta die mensis, vel in quacumque alia antecedente, ille erit mensis primus. Si verò 14. luna, vel quod idem est, si 14. dies mensis lunaris præterita sit ante Æquinoctiũ, tunc mensis ille non primus, sed vltimus anni, & consequenter illa decimaquarta luna Paschalis non est. Ita docent omnes, vt constat ex Clauio in Apolog. noui Kalend. lib. 1. cap. 1. & in explicatione eiusdem Kalend. c. 1. Pereira in c. 12. Exod. disp. 1. Azor tom. 2. lib. 1. cap. 3. & 4. Qui supponunt hanc fuisse diuinam institutionem, quam colligunt ex communi traditione Hebræorum, & Ecclesiæ, quam tradit Bed. de Ratione temporum cap. 43. & sequentibus vsque ad 60. vbi primum mensem Hebræorum ad festiuitatem Paschæ celebrãdam, illum esse definit, cuius decima-quarta luna cadit in ipsum Æquinoctium, vel proximè post illud: & hanc fuisse traditionem Hebræorum, refert Anatholius antiquissimus, & peritissimus in his rebus. Laodiceæ Episcopus, apud Euseb. lib. 7. Hist. c. 26. aliàs 28. ex qua concludit; *Pascha, & festum Azimorum omninò post Æquinoctium agendum fuisse.* Idem attigit Niceph. lib. 12. cap. 32. Sozomen. lib. 7. c. 18. Socrat. lib. 5. cap. 20. & lib. 9. Tripart. cap. 38.

Exod. 13. *Clauius.* *Pereira.* *Azor.* *Beda.* *Anathol.* *Niceph. Sozomen. Socrat.*

16. *Epiphan.*

Quod etiam sumitur ex Epiph. hæres. 70. vbi notat, Iudæos quosdã in magno errore versatos fuisse quatenus Pascha suum interdum ante Æquinoctiũ vernum celebrabãt. *Vnde sequebatur,* (ait) *vt intra eundem annum bis aliquando Pascha celebrarent.* Et ita ab inconueniente tacitè confirmat hanc sententiam; nam vt singulis annis ordinatè celebraretur Pascha, & non esset confusio, bis in vno anno illud celebrando, & in alio nunquam, necessarium fuit illud celebrari, vel in ipso Æquinoctio, vel in prima 14. luna post illud. Atque ita eundem errorem Iudæorum notauit Constant. apud Euseb. lib. 3. vitæ eius c. 17. & ante illum Clemens lib. 5. c. 16. De quibus tandem concluditur, nouilunium, siue initium illius primi mensis potuisse antecedere Æquinoctium, per vnum, vel duos, vsque ad tredecim dies, non verò ampliùs. Vnde aliqui dixerunt, illum mensem esse primum, cuius initium est propinquius Æquinoctio vernali. Sed hæc regula non est vniuersalis, quia potest interdum nec plus, nec minùs distare, sed æqualiter, & tunc non potest regula applicari, nec est vera, vt dicti auctores latiùs probant, & ex dictis facilè potest intelligi. Rectè autem ex dictis colligitur, non esse necessarium, vt Æquinoctium cadat semper intra primũ mensem, nam fieri potest, vt aliquando cadat in vltimo mense, nimirum, quando Æquinoctium cadit in 15. die mensis, vel post illam. Regula ergo generalis,

Errores Iudæorum in Paschate ob seruando. *Constant. Clemens.*

A tantùm sumi potest ex 14. luna ad Æquinoctium comparata, vt scilicet non sit ante illud, sed vel in illo, vel prima post illud. Et hinc sumi potest nonnulla cõgruentia huius institutionis, nam quoties maior pars mensis præcedit Æquinoctium, meritò mensis ille cum præcedenti anno computatur. Alia etiam ratio reddi potest, quia verisimile est, Deũ non creasse mundum ante Æquinoctium vernale, sed in illo, vel post illud nã in illo Æquinoctio incipit propriũ, & quasi naturale ver, & ideò conueniens fuit Paschã non celebrare ante Æquinoctiũ. Denique credibile etiam est, illam 14. lunã in cuius nocte Iudæi discesserunt ex Ægypto, incidisse, vel in ipso Æquinoctio, vel post ipsum; celebrabant autem Pascha in memoriam illius beneficij, & ideò eodem modo 14. lunam Paschalem numerabant. Quod si verum est, inde etiam fit, Christum passum fuisse ante Æquinoctium; ita ergo nostrum etiam Pascha celebrandum est.

18. Ecclesia Paschа celebrat post Æquinoctium.

Ex his ergo colligitur; Iudæos interdum celebrasse Pascha in ipso Æquinoctio, interdum post illud, nunquam verò ante illud, si legitimè celebrabant. Tenebantur enim celebrare in 14. luna primi mensis; hæc autem interdum incidit in ipso Æquinoctio, interdum post illud, nunquam verò ante illud, quia iam ille mensis non erat primus, sed vltimus, ergo & Pascha celebrandũ erat in Æquinoctio, vel post illud, non verò ante. Ecclesia autem nunc semper celebrat, & celebrare tenetur suum Pascha post Æquinoctium, id est, non ante illud, nec in illo. Ita enim ab eadem traditum, & præceptum est, vt patet ex Clem. Euseb. & Anthon. Ambr. & August. ac Beda suprà. Et quidem quod non celebretur Pascha ante Æquinoctium vernum præceperunt seueriſſimè Apostoli Can. 8. vbi deponi præcipitur Clericus *celebrans Pascha cum Iudæis ante Æquinoctium vernum.* Dicit autem *cum Iudæis* scilicet, qui in hoc etiam secundum suam legem errabant, vt suprà ex Clem. ac Euseb. notauimus. Nam quòd antiqui, & veri Iudæi hoc non facerent, constat. Primò quia Christus non ante Æquinoctium mortuus est, & resurrexit, cum altero die à die Paschatis mortuus fuerit, & post triduum resurrexit. Secundò quia hoc modo clariùs ostenditur quomodo Paschæ veritas per Christum adimpleta sit, & figuratum figuræ respondeat. Item propter alia mysteria, quæ Aug. supra à c. 2. vsque ad 8. obseruat. Tertiò addi potest ex Clem. & Euseb. suprà, hoc fieri ad vitandum illud inconueniens, ne intra eundem annum bis Pascha celebremus.

Clemen. Euseb. Anath. Ambr. August. Beda.

19.

Sed obiici potest, hoc inconueniens per hoc non vitari, nam sæpe inter duo Paschata non intercedit annus integer, vt quando hoc anno celebratur in Aprili, & in proximè præcedenti, aut sequenti in Martio; tunc ergo intra vnum annum duo Paschata celebrantur. Vnde etiam è conuerso aliquando intra duo Paschata tredecim menses interueniunt, & ita datur aliquis annus integer vacuus solennitate Paschali. Respondeo, hoc esse verum de anno solari, non verò *Satisfit.* de anno lunari, de quo procedit ratio facta, quia iuxta initium illius anni Paschæ tempus computatur. Vnde etiam fit, vt computando annum ab vno Æquinoctio vernali vsque ad aliud, nunquam intra duo Æquinoctia celebrentur duo Paschata, & hoc est inconueniens, quod dicti Patres inferebant.

20. Probatur non celebrari Pascha ab Ecclesia Inæquinoctio, *Concil. Nic.*

Quod autem Ecclesia nunquam celebret suum Pascha in ipso Æquinoctio, patet; quia nunquam celebrat illud in 14. luna, sed post illam. Hoc autem ita seruat ex institutione, & traditione Apostolica confirmata in Concilio Niceno, vt ex omnibus Patribus suprà citatis constat; statutum enim est ab Ecclesia, vt quando contigerit decimamquartam lunam primi mensis incidere in diem Dominicam, non celebretur

Pascha in illa Dominica, sed in proximè sequenti; & ita etiam nunc obseruatur. Ratio autē prima, ac præcipua fuit, quia eo anno Iudæi celebrabāt suum Pascha in Dominica die, & noluit Ecclesia in illa solemnitate concordare cum illis propter rationes supra factas, quas hîc repetere necesse non est. Dicet verò aliquis, Ecclesia conuenit cum Iudeis in non celebrādo Paschate ante 14. lunam, idque sine inconuenientę, quia non propter eorum legem, sed propter suas rationes morales, aut mystica id facit, ergo eodem modo posset cum illis concordare in celebrādo Paschate, aliquando in ipsamet 14. luna, ac subinde in Æquinoctio. Respondeo, non esse eandem rationem, quia in primo habet respectum ad ipsam Christi Resurrectionem, in hoc verò secundo non potest habere hunc respectum, quia Christus Dominus non est mortuus, nec resurrexit in 14. luna, sed post illam, mortuus enim est in 15. luna, & resurrexit in 17. & ideò non est, cur Ecclesia celebret suum Pascha in ipsa decimaquarta, ideóque id non obseruat, ne videatur Iudæis consentire, vel id facere ex obseruantia legis veteris. Vnde conuenientia in sola illa negatione non celebrandi Pascha ante Æquinoctium, non potest habere vestigium cæremoniæ Iudaicæ, obseruare autem posituè (vt sic dicam) definitum diem decimæquartæ lunæ, multò maioré habet conuenientiā, quàm omninò voluit Ecclesia vitare. Vnde in Can. 69. Apostolorum omninò cauetur, ne fideles in cæremoniis obseruandis Iudæos imitentur.

Obiectio.

Enodatur.

21. *Instantia.* Sed instabit aliquis: nam si contingat decimamquartam lunam esse diem Sabbathi, & eandem esse Æquinoctij diem, nihilominùs tunc Ecclesia celebrat suum Pascha luna decimaquinta proximè sequenti. At tunc dies ille est solemnissimus dies festus Iudæorum; est enim primus Azimorum, qui erat etiam festum Paschæ iuxta Ioannem cap. 13. ergo si hoc non reputatur inconueniens, neque etiam fuisset, quod in ipsam decimamquartam lunam interdum caderet nostrum festum Paschæ. Maior patet ex Beda lib. de Ratione temporis cap. 49. dicente, *Dominicum diem Paschæ à decimaquinta luna vsque ad 21. esse quærendum* & c. 57. ait, *Dominicam Paschalem esse illam quæ proximè sequitur post decimamquartam lunam*, talis autem erit, etiamsi incidat in decimamquintam lunam: & idem repetit c. 59. 60. & 61. Idémque tradit Isidorus dicto lib. 1. c. 31. & idem intendit Victor Papa suprà, dum ait, *A quarta decima die primi mensis vsque ad vicesimam primam eiusdem mensis diem, eadem celebretur festiuitas.* Idémque ferè habet Augustinus dicta Epist. cap. 3. dicens, Ecclesiam celebrare Pascha tertia hebdomada lunæ. *Qui dies* (ait) *occurrit à quarta decima in vigesimam primam.* Hoc enim necesse est intelligi, vel à 14. excluſiuè & consequenter à 15. incluſiuè vsque ad 21. etiam incluſiuè, vel intelligitur solemnitas Paschæ celebrari à 14. luna, quia incipit celebrari à vespera præcedentis diei, qui potest esse decimaquarta luna, vt dictum est, & ita augetur difficultas, quia tunc nulla erit differentia inter Pascha nostrum, & Iudaicum quoad temporis solemnitatem.

Ioan. 13.

Beda.

Isidor.

Vict. Papa.

Augustin.

22. Propter hoc fortasse dicet aliquis, non esse celebrandum Pascha in die illo Dominico, quando inciderit in decimamquintam lunam, sed in sequentem esse transferendū. Ita enim quosdam obstinatè sentire Clauius suprà refert. Meritò tamen id refellit ex testimoniis adductis, & aliis, quæ ex nouioribus auctoribus ibi refert. Idémque ex sequentibus confirmabitur. Non enim posset Pascha vnquam celebrari die 22. Martij, nisi in luna 15. celebrari posset, quia luna decimaquinta non potest esse ante 21. diem Martij, in qua Æquinoctium. At verò Dominicam Paschæ posse incidere in 22. diem Martij, certissimum est, vt videbimus. Denique si Dominica veniens in 15. luna non esset Paschalis; duæ Dominicæ omittendæ essent in hac celebritate, & transferendū Pascha in aliam sequentem, scilicet Dominica cadens in 14. lunam & cadens in 15. At Patres hoc nunquam docuerunt, sed solùm illam, quæ cadit in 14. lunam transferendam esse docuerūt. Ad difficultatem ergo Beda suprà cap. 57. & 59. & lib. 3. Hist. c. 25. illam præsentiens, tacitè respondet, verum esse in eo casu, in quo Dominica dies incidit in decimamquintam lunam, nihil obseruantiam Ecclesiasticam à legali dissonare quoad tēpus, discrepare verò multùm in Sacramentis, quibus Paschalem colimus, & ideò nullum esse inconueniens. Sed per hoc non omninò euacuatur difficultas, & ideò addo semper esse in hoc diuersitatem, quod Ecclesia nunquam celebrat vt festiuam vesperam illam Decimæquartæ lunæ, quatenus pars illius diei est; illa autem vespera erat proprium Pascha Iudæorum, & ita non obseruando illud satis ostendit Ecclesia, non curare de cæremoniis legalibus, nec illas seruare, sed sua propria Sacramenta.

Occurritur instantiæ.

Ex his ergo concluditur assertio intenta, & proposita, videlicet Paschæ festum celebrandum esse Dominica proximè sequenti post 14. lunam primi mensis. Quæ est communis assertio Patrum, quos retuli, præsertim Clementis, Anatholij, Ambr. & Augustini. Et probatur, quia celebrandum est Pascha in Dominica aliqua occurrente circa 14. lunam, & non in aliqua antecedente, quia illa etiam antecederet Æquinoctium, ante quod non celebratur Pascha, vt ostensum est, nec etiam in 14. luna, in quam ipsum Æquinoctium incidat, quia hoc prohibitum est, vt ostendimus, ergo debet celebrari hoc festum in Dominica, quæ proximè cadit post 14. lunam; non enim potest vltra differri, aliàs nullum esset tempus fixum, neque certum pro Paschate celebrando. Et hinc facilè intelligitur, quæ sit dierum latitudo, intra quam potest hoc festum celebrari. Si enim loquamur de diebus mensis primi, & lunaris iuxta computationem Hebræorum, sic intra latitudinem septem dierum celebrari potest, scilicet à decimaquinta die vsque ad vigesimam primam, vt expressè docet Beda suprà. Et ratio est clara, quia sicut potest in Dominicam, incidere 14. luna, ita in feriam secundam, & quancumque aliam vsque ad Sabbathum, solùm autem excluditur Pascha ab ea Dominica, quæ fuerit 14. luna, & tunc celebratur in proxima Dominica sequenti, ac subinde in 21. luna, si autem 14. luna sit Sabbathum, celebrabitur in 15. luna, vt ostensum est, & sic consequenter de reliquis diebus intermediis; vltra vigesimam primam autem lunam differri non potest Dominica, quia iam non esset prima post 14. lunam. Obiiciet verò aliquis Innocentiū I. Epist. 11. dicentem, in vigesima tertia luna nunquā celebrari Pascha, qui proinde videtur sentire in vigesimasecūda posse celebrari. Sed nulla est coniectura, ibi enim docet id, quod suo instituto sufficiebat, docebat enim quoddam Pascha, de quo dubitatur, celebrandum fuisse in luna 16. quia alias differendum fuisset vsque ad 23. lunam, quod dicit esse contra morem inuiolabilem. Deinde dico, potiùs ex illa Epist. colligi posse, Pascha celebrari altera die post Æquinoctium, scilicet vigesima secunda Martij, quod non potest esse, nisi etiam celebretur in 15. luna, quia non potest decimaquarta præcedere, nisi in die Sabbathi, aliàs caderet ante Æquinoctiū, quod esse non potest.

25.

Clemens. Anathol. Ambros. August.

Quæ sit dierum latitudo intra quā potest Pascha celebrari.

Obiectio. Innocent.

Soluitur.

At verò si loquamur de mensibus Solaribus, licet olim aliquibus Patribus visum sit, tempus, in quo incidere potest Dominica Paschæ, solum extendi à 22. die Martij vsque ad 25. Aprilis, vt patet ex Epist. Synodali Theophil. Cæsar. apud Euseb. lib. 5. Hist. c. 23. & ex

24. A 22 die Martij vsque ad 25. Aprilis potest incidere Pascha.

Thophil. Leo Papa. & ex Epist. 64. & 65. Leonis Papæ. Nihilominùs postea certa ratione compertum est, extendi illud tempus vsque ad 25. diem Aprilis, vt nunc obseruatur. Vt ratio vtriusque partis breuiter intelligatur, supponendum est, Æquinoctium vernum cadere in 21. diem *Conc. Nicæ.* Martij, ita enim in Concil. Niceno declaratum est, & constitutum tanquam magis certum, & stabile, & vt dies illa certa semper maneret per Kalendarium Gregorianum ad suam sedem restituta est, & modus inuentus, quo perpetuò in ea conseruetur, vt latè prosequitur Clauius in lib. allegato. Hoc ergo posito facilè ostenditur prior pars, quam apertè docuit Innocentius I. in dicta Epist. 11. quia contingit, vt decimaquarta luna in ipsum Æquinoctium, simul in diem Sabbathi incidat, hoc enim ex ipsis motibus Solis, & Lunæ manifestum est. Tunc ergò dies Dominica sequens erit Paschalis iuxta superiùs dicta, quia erit prima post Æquinoctium, & post 14. Lunam; tunc ergo Pascha erit 22. die Martij, ergò ab illo die potest incipere Dominica Paschæ, & consequenter eodem modo facilè probabitur posse cadere in 23. quia 14. Luna potest cadere in feriam sextam, & in eandem incidere Æquinoctium, seu 21. dies Martij, & consequenter dies vigesimus tertius erit Dominica Paschę, vel etiam potest accedere, vt 14. Luna cadat in Sabbathum post Æquinoctium præcedens in feria sexta, & tunc redit eadem necessitas celebrandi Pascha in die 23. Martij, & sic de aliis.

Clauius. Innocent. 1.

25. Quòd verò tempus extendatur vsque ad 25. Aprilis, & ibi terminetur, ratio est, quia potest Luna decimaquarta primi mensis cadere in diem 18. Aprilis, & esse dies Dominica, quæ proinde non potest esse Paschalis iuxta principia posita, ergo tunc necesse est, Pascha differri vsque ad diem vigesimamquintam: Consequentia clara est, & antecedens patet, quia si nouilunium Martij cadat in septimam diem Martij, vt facilè potest, tunc ille non erit primus mensis anni sequentis, sed vltimus præcedentis, quia decima quarta Luna eius cadet ante Æquinoctium, vt facilè computanti patebit; cadet enim in 26. Æquinoctium autem est in 21. vt positum est, ergo annus Lunaris potest finiri in quarto die Aprilis inclusiuè; ergo primus mensis anni Lunaris potest incipere quinto die Aprilis, ergo tunc 14. Luna cadet in decimumoctauum diem, ergo si contingat, esse Dominicam, vt facilè potest, cadet Pascha in 25. diem Aprilis, ergo tanta est latitudo dierum mensium solarium, per quos potest variari Dominica Paschalis. Et inde facilè colligi potest nouilunia, quæ dicuntur Paschalia (id est apta, vt celebrationi Paschæ deseruiant) ab octaua die Martij incipere, excurrere autem vsque ad quintum diem Aprilis inclusiuè, ita vt in quocunque ex omnibus illis vigintinouem diebus intermediis nouilunium contingat, illud sit in illo anno nouilunium Paschale, quia in prima Dominica post 14. Lunam eius, celebrandum erit Pascha, vt ex dictis satis liquet.

26. Proponitur difficultas prima. Solùm supersunt duo dubiola explicanda circa dicta. Vnum est, quia posuimus Æquinoctium statuendum esse in 21. die Martij, & ex illo tanquam ex certo, & immutabili fundamento reliqua omnia esse deducenda. At illud mutabile etiam est iuxta numerationem nostrorum dierum, mensium, & annorum, qui non adæquatè respondent motibus cæli, vt est constans apud Astronomicos: Nam communis noster annus ferè per sex horas deficit ab integro circulo solari per motum proprium: vnde fit, vt Æquinoctiũ vno anno contingens, verbi gratia sexta hora matutina diei, alio accidat hora 12. & in sequenti hora sexta pomeridiana; & ita consequenter vt alio anno cadat Æquinoctium in 22. Martij, & sic paulatim mutetur. Atq; hinc fiet, vt si semper vtamur 21. die Martij pro Æquinoctio, accidat interdum vt Luna 14. ante Æquinoctium numeretur, & sic euertatur tota ratio colligendi verum diem Paschatis. Aliud dubium est, quia iuxta hanc computationem non poterit festum Paschatis celebrari eodem die naturali in vniuerso mundo, quod admittendum non est. Sequela patet, quia Æquinoctium vernum non est in vniuerso orbe in eodem die, sed aliis citiùs, aliis tardiùs accidit iuxta diuersitatem regionum, & tanta est inter aliquas regiones oppositio, vt quod vni est Æquinoctium vernum, alteri sit autumale.

Secunda difficultas.

Respondetur ad priorem partem ex communi, & vera doctrina, quam Clauius dictis in locis copiosè, & eruditè explicat, verum quidem esse computationem Ecclesiasticam non correspondere exactè, & ad amussim circulationibus cœli, idverò non esse inconueniens, quia hæc res non Mathematicè, sed moraliter pensanda est, nam hoc totum ex Iure Ecclesiastico pendet, quod humanum est, & non poterat alio modo moraliter ferri, nec expediebat redigere totam Ecclesiam ad summam Astronomiæ subtilitatem, neque id erat necessarium ad conuenientem mysteriorũ Christi celebrationem, quæ in his festiuitatibus, & obseruationibus intenditur. Atque ita distingui solet duplex Æquinoctium, vnum naturale, aliud Ecclesiasticum, seu ex institutione, illud vix cognoscitur, & attingitur ab hominibus, prout in se est, sed solùm plus, minúsve, secundum ergo oportuit esse certum, & omnibus facilè cognitum, vt iuxta illud regula celebrandi Pascha computaretur. Quia verò hæc institutio, vt conuenienter fiat, debet accedere ad naturalem, quãtùm moraliter fieri possit, ideò curatum diligenter est, vt obseruatio Ecclesiastici Æquinoctij non multùm à naturali distet; & si cursu temporis paulatim ab illo recedat plus quàm oportet, ad illud reuocetur. Sic ergo ex antiqua institutione Iulij Cæsaris, quam Ecclesia retinet, illa mutatio, quæ fit in annis propter horas, quæ in singulis annis communibus deficiunt, quarto quoque anno, qui bissextilis dicitur, reparatur per additionem vnius diei, per quam Æquinoctium ad suum statum reuocatur. Et intra curriculum trium, vel quatuor annorum non habetur ratio illius mutationis, seu postpositionis Æquinoctij, etiamsi in re ipsa contingat ab vno de naturali in alium proximum sequenti anno transferri, quia, vt dixi, non potest aliter commodè fieri, & Ecclesia non tam subtiliter hæc expendit, sed moraliter. Vnde etiam per additionem vnius diei integri naturalis, quæ in anno bissextili fit, in aliud extremum transitur, quia additio est aliquantulùm maior, quàm esset necessaria. Quoniam in singulis annis communibus non deficiunt sex horæ integræ, & postea supplentur integræ; vnde fit vt Æquinoctia, prout in re fiunt, singulis annis anticipentur aliquantulùm, & paulatim præueniant diem vigesimumprimum Martij per vnum, duos vel plures dies. Et nihilominùs Ecclesia semper vsa est à temporibus Concilij Niceni die illo 21. pro Æquinoctio, propter difficultatem magnam reducendi, & confirmandi semper Æquinoctium Ecclesiasticum ad proprium diem, in quo reuera existit. Quia verò illa discrepantia iam erat nimia, & in dies futura erat maior, difficultatem illam superauit insignis Pontifex Gregorius XIII. & Kalendarium correxit subtractis decem diebus anni 1582. in mense Octobri, & modum inuenit, quo in posterum Æquinoctium vernum firmius staret in eadem die 21. Martij parum, aut nihil recedendo ab Æquinoctio naturali, statuendo, vt in posterum in singulis centenariis annorum vnus dies subtrahatur, ita vt vltimus annus centenarij, qui futurus fuisset bissextilis, non sit bissextilis,

27. Enodatur primum dubium. Clauius.

bissextilis, sed communis. Nam tempore centum annorum plus, minúsve per additionem dierum bissextilium, quæ fit quarto quoque anno, vnus dies vltra necessarios additus erat, & ita etiam Æquinoctium per vnum diem anticipatum fuerat, per subtractionẽ autem vnius diei ad propriam sedem reuocatur. Hoc ergo modo, & sensu rectè Æquinoctium in 21. die Martij collocatur, & ad celebrationem legitimam Paschæ sufficienter deseruit.

28. Satisfit secundæ dubitationi.

Ad 2. dubitationem respõdetur, sine dubio Paschæ festum celebrandum esse à Christianis totius orbis in eodem die, in eo nimirum, in quo Romana Ecclesia illud celebrat. Ita enim Pontifices Romani, Pius, Victor, & sequentes statuerunt, qui ius habent statuendi pro vniuerso orbe. Ita etiam Concilium Nicenum decreuit, vt enim suprà ex Theodoreto retuli, voluit omnes Orientales conformari Ecclesiæ Romanæ in celebratione Paschatis, loquitur autem de Orientalibus dissentientibus, & ita planè vult omnes fideles in hoc conformari. Vnde Euseb. suprà refert, statuisse Concilium, vt omnes vno die Pascha celebrarent: Idemque significat Concilium Antiochenum & satis etiam declarauit Constantinus in sua epistola, cuius verba suprà retuli. Et in Concil. Arelat. 1. ca. 1. dicitur, *De obseruatione Paschæ Domini statuimus, vt vno die, & tempore per omnem orbem obseruetur, & iuxta consuetudinem literas ad omnes tu dirigas.* Scribunt enim ad Siluestrum Papam, & ideò fortasse in Decreto Gregoriano de Consec. d. 3. vbi hoc cap. refertur, additur, confirmatum esse à Siluestro Papa. Similiter in Conci. Carthag. 4. cap. 65. *Paschæ solemnitas* (dicitur) *vno die, & tempore celebranda est.* Idemque colligitur ex cap. *Placuit*, 1. & 2. de Consec. d. 3. Denique idem constat ex Leone Papa epist. 64. ad Martianum: dicit enim ex errore contingere interdum: *Quod non licet, vt non simul omnis Ecclesia, quod nonnisi vnum esse oportet, obseruet.* Idem ferè habet in epist. 65. & optimè in 95. vbi ad Episcopos Galliæ, & Hispaniæ scribens, ait, cauendum esse, *Ne in Paschalis festi die vel ignorantia, vel præsumptio peccatum diuersitatis incurrat.* Iuuat etiam, quod in Concilio Aureliano 4. cap. 1. dicitur, vno die esse Pascha celebrandum, & si aliquod dubium occurrat, à sede Apostolica sacram constitutionem esse tenendam. Nec obstat huic legi, & vniuersali consuetudini Ecclesiæ, quòd tardiùs, aut citiùs Æquinoctium in aliquibus prouinciis contingat, quia omnes seruare debent Æquinoctium ab Ecclesia designatum, & id satis est, vt dixi, vnde non refert, quòd alicubi sit Æquinoctium autumnale illud, quod nobis est vernale, quia regula sumi debet ex regione Iudææ, tum quia ibi Christus est mortuus prope Æquinoctiũ vernale, tum etiam quia in Ecclesia Romana idem est Æquinoctium. Estque animaduersione dignum, quòd sicut Christus resurrexit eo tempore, quo in nostro Hemisphærio incipit vernum tempus, ita etiam mortuus est in illo tempore, in quo habitantibus in alio Hemisphærio incipit autumnus, & ideò mirum non est, quòd eodem die omnes festum illud celebremus, licet nobis vernale sit, aliis autumnale. Quod si quæ difficultates in aliis regionibus occurrant, per prouidentiam Summi Põtificis subueniendum est, vt & sciant, & commodè valeant, tum festum ipsum, tum cætera, quę antecedunt, & subsequũtur, opportunè agere. Ita enim semper habuit consuetudo, vt dicitur in dicto Concil. Arelat. & in literis Pontificiis Pij, Victoris, Innocentij, & Leonis suprà relatis. Atque hæc præsenti loco de hac festiuitate sufficiunt, nam de fundamento illius quod est tempus mortis, & Resurrectionis Christi Domini in secundo tomo 3. part. copiosè à nobis disputatum est.

Euseb.

Concil. Ant. Constant.

Conc. Arel.

Greg. Dec.

Conc. Cart.

Cap. Placuit. Leo Papa.

Conc. Aur.

CAPVT VII.

De aliis festiuitatibus ad Christi gloriam pertinentibus.

Festum Ascensionis.

1. Ascensionis festũ ab Apostolis manauit. *Clemens.*

POst Resurrectionem celebrat Ecclesia alia festa mobilia, inter quę primum locum obtinet Ascensio, estque nonum festum ad Christum pertinens, de quo his verbis scribit Clemens lib. 5. cap. 18. *Numeratis* (ait) *quadraginta diebus à primo Dominico die celebrate festum Ascensionis Domini*, &c. & lib. 8. cap. 33. ait; *Die Ascensionis vacent, quòd hic fuerit impositus finis œconomiæ Christi*, Vnde constat hoc festum antiquissimum esse, nam ab Apostolis manauit, nec aliud initium perpetuæ consuetudinis de illius obseruatione cognoscitur; & constat etiam ex antiquissimis Patribus, festum illud suis orationibus, seu homiliis celebrantibus. De illo enim dixi Epiphanius Constantiæ Episcopus: *Celebramus Christi Domini secundùm carnem Ascensum, quod sanè festum inter Dominica fastigium obtinet, vt enim caput totam corporis constitutionem exornat, ita hæc solemnitas diuinæ Oeconomiæ pulchritudinem, quasi colophonem illi imponens, mirificè illustrat.* Et ideò etiam illud vocat *Festorum decus*, & Augustinus serm. 174. de Tempore ait, glorificationem Christi in Resurrectione factam, in Ascensione fuisse completam, & ideò vtrunque festum celebrari; & serm. 176. addit aliam causam. Quia sicut resurgendo, spem nobis resurgendi contulit, ita ascendendo, *Victoribus, quò sequantur, ostenda.* Et multa similia in Leone Papa, & aliis Patribus in Concionibus illius festi legi possunt. Denique hoc festum inter generalia totius Ecclesiæ in Iure etiam ponitur in dicto ca. vlt. de Feriis, & in c. 1. de Consec. d. 3. Circa quem textum obiter aduertendum est, addi in illo capite, & quasi cum hoc festo coniungi tres antecedentes dies, qui Rogationũ dicuntur, propter solemnes Litanias, quæ in illis tribus diebus dicuntur, vnde videntur olim fuisse festiui, & in præcepto. Nunc autẽ certum est, nõ ita esse, vt Anton. suprà, & omnes Summistæ tradunt, & Doctores in dicto c. 1. & vlt. & constat ex communi vsu totius Ecclesiæ. Neque fortè vllo tempore præceptum illud generaliter obseruatum est. Nam caput illud non est alicuius Pontificis; sed Concilij Lugdun. inscribitur, quod non extat in tomis Conciliorum, & solùm prouinciale fuit, quod totam Ecclesiam obligare non potuit, vnde verisimile est, peculiarẽ consuetudinem alicuius Prouinciæ, quoad hanc partem declarasse, sicut de aliis in illo capite contentis postea videbimus. Tandem de tempore, in quo festum hoc celebrandum est, constat definitum esse ad certum hebdomadæ diem, scilicet feriam quintam, quia in illa completur dies quadragesimus à die Resurrectionis, quo die quadragesimo Christus ascendit. Quoad diem autem mensis hoc festum inter mobilia computatur, quia semper cum proportione sequitur ad diem Dominicæ Resurrectionis, ita enim propriis temporibus, & cum exacta, non solùm memoria, sed etiam repræsentatione hæc festa celebrantur, cætera de ipso mysterio, quod in hoc festo celebratur in dicto 2. to. disp. 51. tractata sunt.

Epiphan.

Augustin.

Leo.

Festum hoc generale est. Cap. vlt. Cap. 1.

Litaniæ

Anton.

Conc. Lugd.

Festum Pentecostes.

2. Cur Pentecoste numeretur inter Christi festa

Decimum festum est aduentus Spiritus sancti in discipulos, in die Pentecostes: Nam licet hoc festum potius de Spiritu sancto, quàm de Christo Domino esse videatur, tamen quia ipse Christus Spiritum sanctum promiserat, & verbum suum illo die impleuit, & quia donatio etiam Spiritus sancti fructus fuit merito

meritorum Christi,ac denique quia in hoc die quasi cœpit Christus regnare in Ecclesia sua militante, cœpitque publicè prædicari in vniuerso mundo,ideò inter festa Christi hoc annumeratur. Atque ita hoc eodem loco illud ponunt Clemens Papa, dicto hb.8.c. 33.& libr.5. cap. 19. & Gregor.IX.dicto cap.vltim.& Concilium Lugdun.in cap.1.Isid.lib.1.de Diuin.offi. cap.33. Et eiusdem festi meminit etiam Tertullianus lib.de Corom.milit.Basil.de Spiritusancto ca.27. Epipha.in fin.Pannarij,Iustin.quæst.15. Hilar.in proœm. Psalmo.August.lib.32.contra Faustum,ca.12.& epist. 118.cap.1.& epist.119.c.15.& 16.& in 17. concludit, *Hæc de scripturis firmissimè teneri Pascha, & Pentecosten.* Vnde multi arbitrantur, de hoc festo loqui Lucam Actor.20.cùm ait de Paulo : *Festinabat enim, si possibile sibi esset, vt diem Pentecostes faceret Hierosolymis*; quia non B erat tam solicitus de festiuitate Iudaica,sicut de Christiana:item de eodem loqui Paulum ipsum 1.Cor.16. cum ait : *Permanebo autem Epheſi vsque ad Pentecosten:* Cùm enim ad fideles scriberet,verisimile est,loquutũ fuisse de festiuitate solemni ; & nota omnibus Christianis, atque adeò illam fuisse iam tunc seruatam, & illo nomine appellatam:Et ita intellexit illa loca Epiphan.hæres.75. Eidem sentit Hieronym.in Proœmio epistolæ ad Ephesios. Qui etiam huius festi mentionem fecit ad Galat.4.& Matth.9.Hoc denique festum antiquissimi Patres suis concionibus, & homiliis celeberrimum semper fuisse ostendunt.Vnde aliqui putarunt, non esse humano Iure præceptum,sed diuino. Veruntamen regula sæpè repetita tenenda est,in lege Euangelica non esse data de his cæremoniis peculiaria præcepta diuina, sed Ecclesiæ dispositioni fuisse commissa. Festum ergo Pentecostes,prout in lege veteri fuit obseruatum,de Iure diuino fuit, illud autem ius iam cessauit, quia verò festum illud antiquum figura fuit diei Pentecostes, & aduentus Spiritus sancti,ac promulgationis legis nouæ, quæ in illo facta est ideò hoc etiam festum legis gratiæ, quodammodo & per quandam imitationem ab illo Iure manauit, simpliciter autem, & in se Ecclesiasticum est. Habet tamen gratissimum fundamentum,& causam immutabilem, ideóque tale est, vt moraliter mutari non possit,sicut de aliis dictum est.Denique hoc festum, sicut & Pascha,voluit Ecclesia,non vno tantùm die Dominico , sed etiam per duas sequentes ferias solemniter celebrari, & seruari , vt sumitur ex citatis Iuribus , & D constat ex vsu Ecclesiæ,& omnibus Auctoribus:cætera verò , quæ de illius diei mysterio scholasticè disputari possunt,tetigimus sufficienter in dicto 2.to. disp. 46.sect.1.ad finem,& in 1.p.lib.12.de Trinit.c.6.

Clem Papa. *Greg. 9. Concil. Lugd.* *Isidor.* *Tertul.* *Basil.* *Epiphan.* *Iustin.* *Hilar.* *August.* *Actor.20.* *1.Cor.16.* *Epiphan.* *Hieron.* *Pẽtecoste in lege veteri fuit de iure diuino.*

Festum Corporis Christi.

3. Festum Corporis Christi quando incœperit.

Vndecimum Domini festum est de sancto Eucharistiæ mysterio, quod festum corporis Christi appellamus, & magna solemnitate, & lætitia ab Ecclesia colitur feria quinta post octauam Pentecostes. Quod festum per mille ducentos annos non fuit in Ecclesia specialiter celebratum.sed eo ferè tempore ab Vrbano IIII. institutum est, insigni de hoc festo edita constitutione,quæ incipit: *Transiturus de hoc mundo ad Patrem Saluator noster*, &c. Quam postea confirmauit,& E in Iure posuit Clemens V.in Clem.Vnic. de Relig.& vener. Sanct. In illa ergo districtè præcipitur huius obseruatio festiuitatis , & commonentur fideles , vt singulari deuotione, ac lætitia diem illum festum colant , & publicis supplicationibus,seu processionibus venerentur , & peculiares indulgentiæ conceduntur assistentibus in illo die , vel per Octauam, diuinis officiis. Quod quidem institutum tanta fide , ac deuotione populus Christianus amplexus est , vt ab eo A tempore nullum Domini festum maiori solemnitate, ac deuotione celebrari videatur.

Vrban.4. *Clemen.5.*

Contra hanc verò institutionem fremunt hæretici reprehendentes , vel cultum tanti sacramenti, vel nouitatem in solemnitate, & modo illam exhibendi. Illos verò sapientissimè redarguit Concil. Trident. session.13.cap.5.Vbi priùs definit , sacramentum hoc eodem latriæ cultu esse adorandum , quo ipse Christus colitur , cum in eo sit verè,ac realiter præsens. Et per hoc primum fundamentum obiectiones hæreticorum confutat : & statim tacitè subinferendo subiungit, *Declarat præterea sancta synodus, piè, ac Religiosè in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem , vt singulis annis peculiari quodam,& festo die præcelsum hoc,& venerabile Sacramentum singulari veneratione , ac solemnitate celebraretur,vtq; in processionibus reuerenter, & honorificè illud per vias , & loca publica circunferretur.* Addit verò duas elegentissimas rationes:vna est,*quia æquum est, Christianos omnes singulari significatione ostendere gratos animos erga communem dominum,& Redemptorem pro tam ineffabili beneficio, quo mortis eius victoria , & triumphus repræsentatur.* Alia est : *Quia oportuit victricem veritatem de mendacio,& hæresi triumphum agere*,&c. Et per hoc respondet ad aliud hæreticorum fundamentum , nam cum non multò antè Vrbanum Sacramentariorum hæresis exorta esset,auctore Berengario, eamque ferè toto illo tempore,Petrobrusiani, Henriciani, Vvaldenses, & Albigenses defendere , & disseminare conarentur, contra nouam impietatem,pientissimam , ac religiosissimam nouitatem prouidus Pastor inuenit. Existimóque , non sine diuina prouidentia factum esse , vt C iam ex tunc præmuniretur sancta Ecclesia contra futuros nouatores Lutherum , Caluinum , & sequaces. Et eorum occasione in dies inter Catholicos augetur deuotio & huius festiuitatis obseruantia. De qua hîc non dicemus plura,quia de illo venerabili Sacramento in 3.to.3.p.pro nostra tenuitate disputauimus.

4. Hæretici cõtra hanc solemnitatem fremunt. *Concil. Trid.*

Festum Inuentionis Crucis.

Duodecimum Domini festum merito numerari potest Inuentio Crucis , quod festum die tertia Maij ab vniuersa Ecclesia custoditur,& colitur. Circa hoc autem festum in primis supponendum est fundamẽtum eius , quod est historia inuentionis sanctæ Crucis.Referunt enim antiqui Patres , lignum illud sanctissimæ Crucis,in quo Christus pependit, Iudæorũ, & infidelium industria sub terram fuisse absconditũ, & in loco eius simulachrum Veneris fuisse positum, vt Christianis penitus esset ignotum ; sicut fuit vsque ad tempora Constantini : Quo tempore non sine diuino nutu , & admonitione , illud Helena inuestigatura Hierosolymam petiit , & ipsó Deo iuuante , illud tandem inuenit. Retulit hanc inuentionem Eu- *Euseb.* seb. in Chronico Anno Domini 325. his verbis. *Helena Constantini mater diuinis monita visionibus beatissimum Crucis signum,in quo mundi salus pependit,apud Hierosolymam reperit.* Latius totam historiam retulit Ambr. *Ambros.* in Orat.de obitu Theodosij,& Paulin.epist.11.ad Se- *Paulin.* uer.Sulpit.Et ipse Sulpit.lib. 2.historiæ , Ruffin. libr. *Sulpit.* 1.hist. capit. 7. & 8.Theodor.libr.1.capit. 18.Socrat. *Ruffin.* libr.1.cap.13.Sozom.lib.2.cap.1.& lib.2.Tripart.cap. *Theodor.* 18.Niceph.li.8. cap. 29. Qui Auctores nonnihil inter *Socrat.* se in historia narranda differunt , sed nullam inuenio *Sozom.* partem , quæ contrarietatem contineat. Licet enim *Nicephor.* vnus omittat , quod alius refert,omnia tamen conciliari possunt,vt quod Ambrosius ait,Crucem Domini ex titulo fuisse cognitam , & distinctam à crucibus latronum,Paulinus verò,& Ruffin.ex miraculo,quod diuerso modo vterque narrat: subsistere simul potest. Nam potuit in principio ex coniecturis , aut vestigiis tituli

5. Quo pacto crux fuerit inuenta.

tituli dignosci, non tamen sufficienti certitudine; posthæc verò vel vno miraculo, vel duobus, vt Nicephorus indicat, potuit certius differentia cognosci. Nec verò multum referret, quod in his circumstantiis esset aliqua contradictio, vel error in humana historia, quam non viderunt propriis oculis illi, qui referunt, & loco, ac tempore distantes fuerunt, satisque est, quòd in substantia (vt sic dicam) narrationis de Cruce inuenta omnes conueniant, vt historiam illam tanquam veram, & moraliter certam supponamus.

6. Difficultas.

Dubitabit verò aliquis, quomodo potuerit ab Ecclesia festum institui propter inuentionem Crucis, solum humana fide, & opinione cognitam, vel quid in illa inueniatur tanta celebritate dignum. Et auget dubium, quòd Gelas. Papa in ca. *Sancta Romana*, d. 15. totam hanc historiam de inuentione Dominicæ Crucis tanquam dubiam, & incertam reliquit, dicens, *esse nonnullas reuelationes, quæ cum ad Catholicorum manus peruenerint:* (ait) *Beati Apostoli sententia præcedat; omnia proba te, & quod bonum est tenete.* Et auget dubitationē quod Euse. antiquior omnibus quos retulimus, & propriùs illorum temporum historiographus narrans in lib. 3. de vita Constantini peregrinationem Helenæ in Hierusalem, & quæ ibi fecit opera, nullam ibi de inuentione Crucis mentionē facit. Vnde aliqui suspicantur, quod in Chronico eius legitur, ab aliquo superadditum esse, nam aliqua similia in illud Chronicum irrepsisse viri eruditi existimant. Vltimò magis auget difficultatem, quod in Pontificali Damasi, & in 1. tom. Conciliorū legitur. *Tempore Eusebij Papæ Crux Domini nostri Iesu Christi quinto nonas Maij inuenta est: Baptizatur quoque Iudas, post Quiriacus vocatus, Crucis inuentor.* Quod etiam affirmant Marianus. Scot. & Guiliel. Duran. in Rationali lib. 7. ca. 11. Quomodo ergo potuit Helena illam inuenire, cum tempore Eusebij Papæ nondum esset Christiana? Nam tempore Syluestri; & post Constantinum filium suum baptizata est, vt aperte docet Euseb. lib. 3. de vita Constantini c. 6. vel, si illi historiæ Damasi non creditur, cur alteri fides adhibebitur? vel quomodo potuit tam graue festum in tam incerta historia fundari?

Gelas. Papa. Cap. Sancta Romana.

Euseb.

Damas.

Marian. Scot. Guiliel. Durand. Eusib.

7. Enodatur difficultas.

Respondeo in primis, incipiendo ab vltima parte propositæ interrogationis, inuentionem Crucis non tam fuisse fundamentum huius celebritatis, quam occasionem. In ipsa enim Cruce ratione illius, qui in ipsa crucifixus fuit, est per se sufficiens fundamentum huius festiuitatis, in illum enim tota hæc religio tendit, & in veneratione Crucis propterea maximè festiuus dies designatur, quòd instrumentum nostræ redemptionis fuerit. Sed hoc antea solum fiebant ab Ecclesia publico cultu in die Parasceues, cum mors Domini celebratur, & Crux speciali titulo populo adoranda proponitur. Postea verò occasione illius inuentionis noua festiuitas in illius specialem cultum dicata est; vnde parum refert, historiam esse certam, aut dubiam, vt ab illa ritè, & sanctè sumatur occasio honestissimi, & religiosissimi cultus. semper enim manet in tali festo practica certitudo de conuenientia talis festiuitatis, & infallibilis veritas de sanctitate Crucis, tali festo, & veneratione dignissima.

8. Assignantur causæ celebrādi crucis festum.

Addimus verò vlteriùs, in illâmet inuentione considerari posse multa, & magna Dei beneficia, in quorum gratiarum actionem meritò potuit, ac debuit talis festiuitas constitui. Hæc enim solet esse maxima ratio instituendi has solemnitatis, iuxta dictum Aug. lib. 10. de Ciuit. ca. 4. *Ei* (scilicet Deo) *beneficiorum eius solemnitatibus, festis, & diebus statutis dicamus, sacramusq; memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio.* In hoc ergo festo primum, & magnum beneficium Dei recognoscimus, quòd tam longo tempore infidelitatis crucē illam integram nobis reseruarit; id enim sine speciali Dei prouidentia fieri non potuit: Dignū enim admiratione est, quomodo Iudæi statim post passionem Domini crucem illam non combusserunt, si ad manus eorum peruenit. Nam vt ait Paulinus in dicta epistola: *Si ad manus Iudæorum omnia contra fidem Christi præcauentium lignum illud venisset, conterendum, & exurendum fuisset; neque enim in Cruce, abolenda negligentes fuissent: qui signauerant sepulchrum*, &c. Si autem Iudæis post passionem abscondita est, *Non nisi diuina manu latuit, vt postea inueniretur, cum Religiosè coleretur.* Vt idem sanctus paulò inferiùs subiungit. Dicet aliquis fortasse, quòd tempore Resurrectionis Christi crux Iudæos non latuit, sed potius ipsi in illius odium, eam in terræ abditis absconderunt. Quod magis insinuat Ambrosius dicens, *Video, quid egeris Diabole, vt gladius, quo peremptus es, obstrueretur:* & infrà: *Quid egesti Diabole, vt absconderes lignum, nisi vt iterum vincereris?* & infrà: *Aperuit humum, decutit puluerem, tria patibula confusa reperit, quæ ruina contexerat, inimicus absconderat.* Sed profectò si hoc verum est, non minùs mirabile, nec minoris diuinæ beneficentiæ in Ecclesiam suam signum est: Nam si ex odio fidei ab hostibus eius, siue Iudæis, siue gentilibus Crux Christi in visceribus terræ sepulta est, quomodo non potiùs illam igne consumpserunt, & in cineres redegerunt, vt nunquam posset in manus Christianorum peruenire? Nónne hoc remedium securius, & facilius erat? Diuino ergo beneficio id tribuendum est, quòd infatuauerit, & dissipauerit eorum Consilium. Aliud beneficium fuit, reuelare crucem illam Ecclesiæ, cum primum cœpit Ecclesia pacem habere sub Christianis Imperatoribus, quo satis significauit, vt Paulinus dixit, ideò ad tempus illam Deum occultasse, *Vt tunc inueniretur, cum Religiosè coleretur.* Meritò ergo Ecclesia peculiari cultu Religioso cœpit tunc Crucem venerari, peculiare festum in eius honorem dicando, & gratias Deo agendo, quod ad fidelium consolationem sacrum illud lignum sibi reddiderit.

Ambros.

Paulin.

9. Satisfit primę parti propositæ difficultatis.

Vnde vlteriùs ad alteram partem interrogationis, & dubitationis respondeo, humanam fidem, & moralem certitudinem rei gestè satis, superque fuisse ad instituendam solemnitatem illius diei, vtroque titulo, & modo declarato, quia nullum pernicioſi erroris periculum in tali celebritate esse poterat. Eò vel maximè quòd de inuentione Crucis in genere (vt sic dicā) dubitari non poterat, quando cœpit festum illud celebrari, quia res potuit esset notissima, & certissima, licet per humanam fidem haberetur. Sicut modo instituitur festum in gratiarum actionem pro victoria Christianis concessa, ad quod necessarium non est, vt factum illud fide diuina constet, sed sufficit certitudo fidei humanæ, quæ in quadam publica, & euidenti testificatione fundatur, talis ergo esse potuit in hoc facto, maximè si statim festum incœpit, vt credibile est. Vnde nihil obstat, quod ex Gelasio affertur, tum quia non constat, loqui de hac inuentione, sed fortè de aliqua alia, quæ tunc ex aliqua nouella reuelatione circumferebatur. Nam inuentio Helenæ, per centum, & plures annos iam præcesserat, vel certè si de illa inuētione loquitur, non de ipsa re, nec de scriptis antiquorum Patrum, quæ ibidē approbat, sed de noua aliqua, & apochrypha scriptura, quę nouo modo illam historiam narrabat, & tunc legebatur, loquitur, tum etiam quia Gelasius non dicit historiam non esse veram, sed prudenter esse legendam, vt discernatur pretiosum à vili, & certum ab incerto; satis ergo est, quod factum ipsum certum sit. Quòd autem Eusebius illud præterierit, casu accidere potuit, quia tunc non vitam Helenæ, nec omnia gesta eius enarrabat, sed quædam, quæ de ædificatione templorum dicere occurrit, occasione templi à Constantino ædificati, vt ibi etiam retulerat.

retulerat. De vltima verò dubitandi ratione dicam in sequenti puncto.

10. An festum hoc iure cõmuni celebrari præcipiatur. *Angel. Sylvest. Armil. Caiet. Panor. Hostiens. Joan. Andr. Cap. Crucis.*

Inquiri enim tandem potest, an hoc festum sit ex his, quæ iure cõmuni celebrari præcipiuntur & quando, & vbi latum fuerit hoc præceptum: Summistæ enim communiter ponunt hoc festum inter ea, quæ in iure communi continentur. Ita Angelus Ver. *Feria* num. 3. Siluester Ver. *Dominica* num. 3. Armilla Ver. *Festum* num. 4. & 7. cum Caiet. Idem sequuntur Canonistæ, vt patet ex Panor. c. vlt. de Feriis, num. 6. vbi refert Hostiens. Ioan. Andr. & Specul. Omnes fundantur in c. *Crucis*, de Conse. distin. 3. vbi etiam Glossa id supponit. Difficultas verò est, quia textus ille non videtur habere auctoritatem; & alioqui hoc festum non ponitur in dictis Iuribus cap. 1. de Cons. d. 3. vel c. vlt. de Feriis, ergo signum est, non esse de præcepto ex vi iuris. Probatur Maior, quia in illo textu continetur error, & falsitas manifesta. Dicitur enim esse Euseb. Papæ in Epist. 3. Qui Eusebius ante Siluestrum, & ante Melchiadem præcessit; verba autem textus sunt. *Crucis Domini nostri Iesu Christi, quæ nuper nobis gubernacula Ecclesiæ Romanæ tenentibus quinto nonas Maij inuenta est, in prædicto Kalendarum die inuentionis festum vobis solemniter celebrare mandamus.* At hæc verba continent manifestam repugnantiam, quia non potuit Eusebius Papa esse auctor illius Canonis, cum non fuerit illius tẽpore Crux inuenta, vt suprà visum est, & in ipso festo in officio eius profitetur Ecclesia illam inuentionem factam esse opera Helenæ matris Constantini, & Ruffinus, aliæq; historiæ referunt, accidisse etiam post Concil. Nicen. non ergo potuit esse tempore Eusebij, ergo vel Eusebius loquitur de alia inuentione, quam modo non celebrat Ecclesia, & ita decretum illud non obligat. Præterquàm quòd nulla talis inuentio vnquam fuit, nec poterat Crux inueniri tempore Eusebij, & iterũ occultari, rursumq; inueniri tempore Siluestri, cum inter Eusebium & Siluestrum vix quatuor anni interceserint, vel certè fatendum est, legem illam non esse Eusebij, ac subinde non habere auctoritatem, quia nescimus à quo lata sit. Vnde in 1. tom. Concil. in 3. Epist. Eusebij circa finem, vbi illa verba referuntur, nota quædam marginalis, quæ videtur esse Sunij, sic habet, *Hoc quidem est contra sensum omnium historicorum, aliunde igitur huic loco assimulatum est.* Et ex ipso contextu Epistolæ constat verba illa nec cum antecedentibus, nec cum consequentibus conuenientiam habere.

Textus cuiusdam falsitatis conuincitur.

11. Quomodo textus defẽdi possit.

Qui voluerit defendere decretũ illud esse Eusebij, oportet, vt dicat Helenam fuisse Christianam ante Constantinum, & ita potuisse, illo iam imperante, & nondũ Christiano, Hierosolymã adire tempore Eusebij Papæ, & Crucem inquirere, & inuenire. Nam quòd illa fuerit priùs Christiana, (licet Euseb. contradicat) non caret fundamento; nam Paulinus in dicta epist. 11. ait de Constantino. *Qui Princeps esse Principibus Christianis non magis sua, quam matris Helenæ fide meruit.* Hoc autem posito, reliqua non videntur repugnare, quia Eusebius rexit Ecclesiam 4. 5. & 6. anno Imperij Constantini, & licet ille non esset Christianus, tamen non erat malè affectus erga illos, & ideò nihil obstare videtur, quominùs Helena illo tempore Crucem inuenerit. Sed nihilominùs probare hoc non possumus, tum quia etiamsi dicamus, Helenam inuenisse Crucem ante cõuersionem filij, non tamen possumus negare, quin illa inuẽtio fuerit saltem post reportatam victoriam Constantini ex Maxentio, quo tempore iam Euseb. obierat, vt Cæsar Baronius in Annalib. deducit. Tum etiam quia Ruffinus, & ferè omnes referunt, inuentam esse Crucem post Concil. Nicen. Et certè per se est verisimilius, Helenam non potuisse tantum opus aggredi, nisi filij auctoritate, pietate, & fide niteretur; nec Eusebius, aut alius refert, illam iuisse Hierosolymam, nisi post fidem, & cõuersionem filij. Quare constanter tenendum est, inuentã fuisse Crucem tempore Siluestri: Ex quo apertè sequitur caput illud *Crucis*, non esse Eusebij, an verò illud fuerit à Siluestro editum, & solum in nomine, & titulo error irrepserit, affirmare non possum, quia nullum ad id habeo fundamentum, & sola Gratiani auctoritas non sufficit, quia ille sine alia examinatione, vel collatione historiarum fragmentum illud accepit ex illa Epistola, vbi illud inueni. Ex eo verò, quòd in Gratiani decreto positum fuerit, non cœpit habere vim legis, si antèa non habebat.

Impugnatur adhuc.

Baron. Russa.

12. Antiquitas huius festi. *Ord. Rom. Mierol. Beda. Martyrol. Rom.*

De ipso autem festo non videtur dubium, quin sit valdè antiquum; nam in Ord. Romano antiquo habetur, & in Micrologo, & Beda in suo Martyrologio illius facit mentionem, & Martyrologium Romanũ, & alia. Et (quod caput est) Ecclesia Romana illud festum celebrat tanquam ex præcepto obseruandum, & hæc est generalis consuetudo. Hoc ergo satis est, vt hoc festum inter ea, quæ ex præcepto generaliter obseruantur, numeretur, siue in Iure contineatur, siue non. Verisimiléque est, incepisse hoc festum statim à tempore Siluestri, quia post illud tempus nullũ aliud initium eius inuenitur. Est autem vltimò aduertendum, præter hoc festum celebrare Ecclesiam aliud de Cruce mense Septembri, quod Exaltatio Crucis nominatur, quod festum tempore Heraclij Imperatoris incœpisse creditur, quando Crucem Dominicam ex potestate Persarum eripuit, & in Hierosolymitanum templum non sine diuinis prodigiis, & singularibus auxiliis restituit. Veruntamen hoc festum ab Ecclesia Romana obseruari non præcipitur, neque id consuetudine receptum est, ideóque non pertinet ad ea, de quibus nunc tractamus, est enim festum solùm quoad ecclesiasticum officium, non quoad festiuam obseruationem ex præcepto.

Festũ Exaltationis Crucis.

CAPVT VIII.

De festis Beatæ Virginis Mariæ.

1. Deiparæ Virgin. festa meritò ab Ecclesia celebrari.

PRincipiò statuendum est, meritò Ecclesiam nonnullos dies festos sub præcepto obseruari generaliter voluisse in peculiarem honorem Virginis beatissimæ. Hæc assertio est de fide certa, quã in 2. tom. 3. p. variis in locis attigimus; hoc verò loco solùm dicemus ea, quę ad hoc præceptum explicandum necessaria fuerint. Solent autem communiter recenseri quatuor tantùm solemnitates Virginis, quæ iure cõmuni sub præceptum cadunt, scilicet, Natiuitas, Annunciatio, Purificatio, & Assumptio: Verumtamen de secunda, & tertia iam dictum est; possunt enim, vt notaui, inter Christi, vel Virginis festiuitates numerari. De aliis verò duabus, licet solemnitate, & obligatione excellant, tamen vt ordinatè iuxta mysteriorum exigentiam omnes commemoremus, de illis suo loco dicamus.

2. Conceptio Virg. potuit ab Ecclesia sub præcepto cõstitui.

Prima ergo festiuitas Virginis est de Conceptione ipsius, de quo festo nonnulla dixi in dicto 2. tom. disp. 3. sect. 5. Quibus duo hìc breuiter addenda sunt. Vnum est, festum illud potuisse optimè ab Ecclesia sub præcepto constitui. Aliud est, de facto non esse ex vi præcepti seruandum, sed standum esse consuetudini. Primum non potest in dubium reuocari, quia certum est, esse licitum, ac pium tale festum celebrare, ergo etiam debet esse certum potuisse ab Ecclesia præcipi. Antecedens ex dictis in illo loco est manifestum, quia Ecclesia non solùm permittit, aut tolerat hoc festum, sed etiam approbat, & consulit, & indulgentiis concessis fauet obseruantibus illud, non potest autem Ecclesia admittere vniuersalem

errorem in materia morali, ergo nec cultum illicitum positiuè (vt sic dicam) approbare est ergo cultus illius festi sanctus & licitus. Et ideò Sixtus IV. cum in Extrauag. *Cum præexcelsa*, de Reliquiis & vener. Sãct. hoc festum approbasset, & cultoribus eius indulgentias concessisset, statim in Extrauag. *Graue nimis*, excommunicat ipso facto eos, qui dixerint non esse licitum, Conceptionem Virginis, eiúsque festum celebrare. Hinc verò facilè probatur prima illatio, quia Ecclesia habet potestatem præcipiendi actum pium, & religiosum, si expedire iudicauerit.

Sixtus 4. Extra. *Cum præexcelsa.*

Extr. *Graue nimis.*

3. Secundum verò dictum, videlicet tale præceptũ non esse latum ab Ecclesia, cõmune est Doctorum in hac materia. Et patet, quia ante Sixtum IV. Ecclesia Romana non tulit tale præceptũ, vt constat: Neque etiam Sixtus obseruationem illius festi præcepit, sed laudauit, & ad illam fideles induxit gratiis, & fauoribus concessis, nunquam verò necessitatem imposuit. Nec denique post illum, latum est tale præceptũ scriptum, vt constat. Vnde in Concil. Oxomensi sub Stephano in principio præcipiũtur obseruari omnia festa beatæ Virginis: *Præter festum Conceptionis* (ait) *cuius celebrationi non imponitur necessitas.* Cum tamen initium festiuitatis huius in Anglia incœperit, vt fertur; consulenda ergo est consuetudo, quæ quidem etiam non est sub hac obligatione generaliter introducta, vt omnes sentiunt. Vt ergo alicubi censeatur cum eo rigore introducta, & obligare, oportet vt aliquibus peculiaribus indiciis, & rationibus constet: Et ad Episcopos maximè pertinebit in vnaquaque diœcesi modum consuetudinis declarare, quod in multis ex sequentibus festiuitatibus est explicandum.

Non est tamẽ hoc præceptum impositum.

Concil. Oxom.

4. Secundum festum est Natiuitatis eiusdem Virginis. De quo fit specifica mentio in dicto cap. 1. de Consec. d. 3. Vnde comprehendi censetur in cap. vltim. de Feriis sub generali distributione omnium festiuitatum Virginis: Nam Doctores communiter id dictum esse putant propter quatuor præcipuas festiuitates, quarum vna est Natiuitas. Et ita de hoc festo obseruando recepta, & certa sententia est, datum esse præceptum obligans vniuersam Ecclesiam, & haberi ex iure communi, & ex consuetudine ita interpretante ius. Obscurum autem est initium huius festiuitatis, quando scilicet cœperit ab Ecclesia obseruari. Quod enim in primitiua Ecclesia obseruata nõ fuerit, magnum indicium est in antiquis ecclesiasticis historiis nullam illius mẽtionem inueniri. Quin imò expresso testimonio D. Augustini videtur constare, suo tempore non fuisse celebratum festum de Natiuitate Virginis. Quia serm. 20. & 21. de Sanctis dicit solius Christi & Ioannis natalem diem Ecclesiam celebrare, & nulli aliorum sanctorum hoc fuisse concessum. Violentum autem erit exponere de sanctis viris, non autem comprehendere fœminas, quia hoc præter ordinarium modum loquendi est, & serm. 40. de Diuersis dixit, *Solum duos natales celebrat Ecclesia, huius* (id est, Ioannis) *& Christi.* Nec est verisimile, fuisse tàm absolutè locuturum cum exclusione, si natiuitas Virginis tunc celebraretur. Cuius etiam signum est, quòd nullus sermo eius in natale Virginis reperitur. Quin potiùs post Augustinum per multa tempora non videtur celebrata hæc festiuitas: Nam in Concilio Magunt. circa annum 800. c. 36. celebrato, numerantur festa obseruanda, & inter ea Assumptio, & Purificatio Virginis, & non ponitur Natiuitas. Verisimile ergo videtur, per plures annos non fuisse hoc festum obseruatũ saltem in vniuersa Ecclesia. Quod mirum videri non debet, quia cum multa festa de Christo essent communia Virgini, & aliis multis modis frequens memoria de Virgine ageretur, potuit facilè accidere, vt priùs Natiuitas Ioannis, quàm Virginis solemni festo celebraretur. Præsertim cum illis primis temporibus non fuerit tanta pax in Ecclesia, vt potuerint omnia simul ad consummatum ordinem redigi.

Natiuitas Virginis sub præcepto vniuersaliter obseruatur.

D. Augusti. Quando celebrari cœperit.

Concil. Mag.

At verò licet hinc colligatur, festum hoc nõ fuisse vbique celebratum, vt v. g. in Africa, vel in Gallia, &c. quòd verò Romæ, vel in Italia, aut in Hispania non fuerit semper obseruatum, inde probari non potest, nec certò constat. Vnde affirmare possumus ecclesiasticis antiquum, & multis in locis fuisse celebratum ante mille annos, vt ex variis indiciis colligi potest. Nam Gregor. in Sacramentario, & Antiphonario illud commemorat, & in ordine Romano fit illius mentio, & ibi refertur Sergium I. Papam ordinasse in illo festo fieri processionem, & Litanias decantari, sicut in aliis solemnioribus festis B. Virginis. Item in tom. 4. Bibliot. homiliarum refertur ser. 5. Ilefonsi de Natiuitate Mariæ, in quo inter alia sic inquit; *Honorabilis dies, & sacra festiuitas, in qua nata est Virgo Maria Dei genitrix. Hoc est gaudium nostrum, hæc est festiuitas nostra, exultemus, & lætemur omnes in celebratione hodiernæ festiuitatis, &c.* Et in lib. de Virgine Maria idẽ significat; itẽ Beda in Martyrolog. illud posuit, quod in aliis Martyrologiis est frequens. Apud Damascenum etiam, & alios Patres reperiuntur Orationes, & homiliæ huius festiuitatis. Sed in his omnibus obseruandum est, aliud esse loqui de celebritate religiosa illius diei ex deuotione ob sanctissimæ Virginis Natiuitatem, aliud verò de rigore præcepti obseruandi tale festum; primum euidenter colligitur ex dictis indiciis; secundum non cum tanta certitudine, quia similia possunt adduci de multis festis, quæ ex deuotione tantum celebramus. Initium ergo huius præcepti nobis incertum est; sed consuetudine videtur introductum, & tandem in Iure ipso declaratum, vt dictum est.

Greger. Ordo Rom. Serg. I.

Illyr.

Beda. Damasc.

11. Tertium festum Virgini dicatum est Præsentationis eius in templo, quo veneramur sacrã illam oblationem, qua & ipsa Virgo seipsam, & parentes eius illam Domino in templo obtulerunt in tertio anno ætatis eius. Hoc autem festum non præcepti est, sed deuotionis: & ideò nihil de illo hic addendũ occurrit his, quæ in 2. tom. attigimus, vbi de ipso mysterio, in quo festum fundatur, breuiter dixi in dis. 7. in initio. De celebratione autem dici in memoriam, & honorem illius mysterij, dixi disp. 22. sect. 1. Et videri etiam possunt Orationes Patrum Grecorum, quas de illa festiuitate refert Surius die 21. Nouẽbris. Quartum festum est Annunciationis Angelicæ, quæ inter quatuor principales Virginis festiuitates numerari solet, & sub eis comprehendi, quoties de his festiuitatibus sermo est; de quo festo iam suprà diximus.

Festum Præsentationis Deiparæ.

Surius. Annunciationis festũ.

12. Quinto ergo loco, & ordine, succedit festum Visitationis, quando statim post filij cõceptionem Virgo Elisabetham salutauit. De quo etiam quæ ad nostrum institutum pertinent in dicto tom. 2. disp. 22. sect. 1. dicta sunt; neq; hîc amplius immorari oportet, quia hoc festum deuotionis etiam est, non præcepti. Nam licet Auctores referant, Vrbanum VI. solemnitatem illam instituisse, non tamen cõstat præceptũ de illius obseruatione tulisse. Potuit enim illã ordinare quoad ecclesiasticum officium, & celebrationem, non tamen præcipere quoad obseruationem. Quod si præcepit (vt Siluester cum Archidiacono docet) vsu receptum non est, nec custoditum; & addit Siluest. fortasse illam legem non fuisse promulgatam. In Concilio verò Basil. sessione 43 hæc solemnitas itẽrũ erecta, & comendata est; veruntamen nec ibi habentur verba, quæ indicent præceptum de obseruatione festi, nec si essent, haberent vim obligandi totam Ecclesiam, cum Concilium illud tunc non procederet sub obedien

Visitationis festum.

Siluest. Archid. Concil Basil.

obedientia Papæ, nec Papa postea illud quoad illam partem confirmauerit. Denique ex ipso vsu constat, Ecclesiam nunc non agnoscere tale præceptum; si tamen alicubi consuetudo illud introduxerit, seruandum est: oportet tamen, vt de modo consuetudinis satis constet, vt sæpe dictum est. Sextum festum est Purificationis, quod inter quatuor præcipuas Virginis solemnitates ponitur, de quo suprà dictum est.

13. Assumptionis festũ de iure cõmuni seruandum.

Septimum, ac præcipuũ est festum Assumptionis, in quo tria illa, quæ sæpè indicaui, distinguenda sunt, Veritas mysterij, celebritas quoad officia cum publica solemnitate, ac veneratione; & præceptũ obseruãdi illum diem tanquam festiuum. De primo diximus in proprio loco in dicto 2. tom. disp. 21. per totam, & B de secundo diximus ibidem specialiter in sect. 2. circa medium, & disp. 22. sect. 1. Neq; hîc circa illa duo puncta aliquid addendum occurrit. De tertio igitur puncto, quod huius loci est proprium, dicendum est, festum hoc Virginis ex præcepto iuris cõmunis seruandum esse. Ita docent omnes Doctores in ca. 1. de Conse. d. 3. vbi expressè hoc festum numeratur, & in cap. vlt. de Feriis, vbi sub festiuitatibus Virginis hoc festum maximè comprehenditur. Nam est maximè propriũ ipsius Virginis, & inter festiuitates eius habet quandam excellentiam, quia gloriam, præmium, ac triũphum sanctissimæ Virginis nobis repræsentat. Eiusdem præterea festi, & præcepti meminit Concil. Magunt. sub Carolo Magno cap. 36. Et, quod ca- C put est, indubitata Ecclesiæ traditione, & consuetudine sub hac existimatione recepta, præceptum hoc inuiolabiliter ab Ecclesia obseruatur. Vnde Bernardus Epist. 174. tantùm has duas festiuitates Virginis, vt ab Ecclesia vniuersaliter præceptas recognoscit Natiuitatem, & Assumptionem, easque æquiparat dicens, *Accepi ab Ecclesia illum diem cum summa veneratione colendum, quo assumpta de seculo nequam, cœlis quoque intulit celeberrimorum festa gaudiorum. Sed & ortum Virginis nihilominùs in Ecclesia, & ab Ecclesia indubitanter habere festiuum, atque sanctum, firmissimè cum Ecclesia sentiens, in vtero eam accepisse, vt sancta prodiret.*

Conc. Mag.

Bernard.

14. Quapropter sine probabilitate loquũtur, qui festũ Assumptionis iuri diuino attribuunt; qui per nullam D consuetudinem derogari potest, quod senserunt Ioan. Andr. in cap. *Licet*, de Feriis argum. cap. vlt. de sent. ex-com. lib. 6. quem ex parte sequitur Angel. verb. *Feria*, nu. 3. dicens, esse quasi iuris diuini. Sed hoc per quandam exaggerationem dictum videtur. Nam re vera (vt sæpe dixi) nullum ex his festis est de iure diuino. Tamen hoc festum censetur esse tantæ dignitatis, vt in ipso diuino iure proximè fundatum, vel potius ex illo quasi necessaria collectione deductum videatur, & ideò moraliter verum est, consuetudinem non posse prævalere contra obligationem huius præcepti, non quia esset contra ius diuinum, sed quia esset adeò irrationabilis, vt nunquam possit tam sancto, ac necessario præcepto derogare. Quod etiam sensit Silu- *Silvest.* uester verb. *Dominica*, qu. 1. §. 7. Hinc denique intule- Ab Apostolis manasse probabile est. runt aliqui, festum hoc ab Apostolis incepisse: Quod E non est improbabile quoad celebritatem, & cultum, ac annuam memoriam Dormitionis Virginis in ecclesiasticis officiis, & conuentibus. Et illius antiquitatis magnum indiciũ sumitur ex traditione, & scriptis antiquorum Patrum, præsertim Græcorum, quos in dicto to. 2. locis citatis adduximus. At de ipso præcepto obseruandi talem diem, incerta res est, quando inceperit, & (sicut de similibus dixi) videtur potius traditione introductum, quàm lege scripta: tandem verò etiam iure confirmatum esse.

Ioan. Andr.

Angel.

15. Octauum festum Virginis, & generale totius Ecclesiæ est Dedicationis templi S. Mariæ Maioris, A quod dicitur sanctæ Mariæ ad Niues. Quod Romæ celebrari cœpit à tempore Liberij Papæ, vt ex historia illius diei constat. Non constat autem ab eodémne Liberio fuerit latum præceptum de obseruatione illius festi, scriptum enim non extat, nec in historiis illius Dedicationis, ac prodigij, quod in illa accidit, aliud dicitur, nisi *quòd in illius dedicationis memoriam ex niue, quæ mirabiliter illo die cecidit, anniuersaria celebritate colitur.* Nullum ergo videtur præceptum de obseruatione festi traditum, maximè quod vniuersam Ecclesiã obligaret, vnde hodie plerisque in locis ex sola deuotione seruatur. Romæ autem videtur ex consuetudine seruari sub obligatione; est tamen particularis obligatio, non communis omnibus locis, nisi vbi constiterit, similem consuetudinem introductam esse. Vnde constat, solemnitates proprias Virginis sub generali præceptas tantùm esse quatuor, vel si duas illarum Christo tribuamus, vt de Incarnatione, & Præsentatione Christi diximus, tantùm esse duas, scilicet, Natiuitatem, & Assumptionem; alias verò quatuor, deuotionis esse, nisi de spaciali cõsuetudine aliud constet. Præter has verò sunt aliæ festiuitates Virginis, & particulares aliquorum regnorum, præsertim in Hispania festum Expectationis, & Desce- Expectationis festum. sionis Virginis, quarum mentionem fecimus in dicto 2. tom. disp. 22. sect. 1. Et magis ad caput decimum pertinent. Solùm aduerto, dici hæc festa particularia, non solùm propter præceptum de illis obseruandis, quia re vera non semper interuenit, sed etiam quia ex deuotione non vbique, sed in quibusdam Prouinciis Ecclesiæ celebrantur.

Festum B. Mariæ ad Niues.

Quatuor Virginis festa sub generali præcepto seruantur.

CAPVT IX.

De aliorum Sanctorum festiuitatibus.

1. Sanctorũ festa meritò seruantur.

HIc etiam pro fundamento ponendum est, iure, ac meritò institutum esse ab Ecclesia, vt in aliquorum Sanctorũ honorem dies aliqui ita Deo dicati sint, vt ex obligatione, ac præcepto ab vniuersa Ecclesia seruentur. Doctrina in hac assertione contenta de fide est quoad multa; aliquid verò includit certum ex festo ipso. Primò ergo de fide est, sanctè, & honestè posse dies festos Deo dicari in peculiarem honorem aliquorum Sanctorum. De hac parte multa diximus in 1. tomo tertiæ partis, tractando de cultu Sanctorum, & ideò hîc eam breuiter expediemus. Nam ex perpetua Ecclesiæ traditione, & consensu est manifesta: Clemens enim lib. 8. Constitution. cap. 33. Apostolorum, & Martyrum festa dicit esse seruanda, *Quia & magistri nostri fuerunt ad docendum nos de Christo, nobisque Spiritum sanctum dederunt, & Christum vitæ suæ antepossuerunt.* Et apud Euseb. lib. 4. Hist. cap. 14. aliàs 15. Extat egregia Epistola Ecclesiæ Smyrnensis ad alias Ecclesias, in qua historiam Martyris sui Episcopi Polycarpi scribit, & concludit; *Sic nos postea ossa eius potiora lapillis pretiosis, auróque purióra ex cineribus selecta, eo loco reposuimus qui illis erat decorus, consentaneúsque. Vbi sane nobis in vnum aliquando coactis Dominus præstabit; vt celebrem eius martyrij diem instar Natalis festi cum exultatione, & gaudio quantũ fieri potest maximo recolamus.* Quibus verbis satis ostenditur, quam sit antiqua consuetudo Christiana dies festiuos in honorem Sanctorum dicandi: eandémque egregiè declarat, quod idem Euseb. lib. 7. cap. 17. aliàs 19. refert, antiquos Christianos propter nullam persecutionem, aut loci incommoditatem à celebrandis Sanctorum Martyrum memoriis destitisse. Sic Tertullianus lib. de Coron. milit. dixit, *Ex antiqua maiorũ traditione pro natalitiis annua die facimus*, cum autem Tertullianus non multùm ab Apostolorum temporibus distauerit, non potuit vocare antiquam maiorum

Clemens.

Euseb.

Quare antiquus hic mos.

Tertull.

traditionem, nisi quæ ab Apostolis manauerat. Eandémque traditionem planè confirmat Cyprianus Epistola 34. & 37.

Cyprian.

2. Finis huius institutionis & modus illius.

Finem, & modum huius institutionis declarauit optimè Augustinus multis in locis, præsertim verò lib. 20. cap. 21. *Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur, ita tamen vt nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrũ, quamuis in memoriam Martyrum constituamus altaria, &c.* Similia habet lib. 8. de Ciuitate capit. 27. lib. 22. capit. 2. Enarrat. 2. in Psalm. 88. 47. serm. de Sanctis, & 101. de diuersis cap. 7. 8. & 9. in multis sermonibus qui antecedunt, & sequuntur, ac denique in omnibus, quæ de Sanctis scripsit. Atque eadem ratione allegari possunt Nazian. Gregor. Nysseu. Amb. Chrysost. & alij antiqui Patres in orationibus & cõcionibus, quas de aliis Sanctis, non solùm Apostolis; & Martyribus, sed etiam Confessoribus, & Doctoribus, ac Virginibus, & in eorum festiuitatibus ad populum factas, scriptas reliquerunt. Denique Isidorus lib. 1. de diuinis Officiis cap. 34. *Festiuitates* (inquit) *Apostolorum, & in honorem Martyrum antiqui Patres in venerationis mysterio celebrari sanxerunt, &c.* Et capit. 35. addit, has festiuitates pro varietate regionum multiplicatas esse, *Ne forte rara congregatio populi fidem minueret in Christo.* Ratio denique huius veritatis est, quia Sancti digni sunt cultu, & honore, non tantùm ciuili, sed etiam Religioso, vt in d. 1. tom. probatum, & declaratum est, sed ad hunc finem dedicantur festi dies in honorem Sanctorum, & ideò illis diebus Deo sacrificamus, & cum Sanctorum cõmemoratione Deum principaliter oramus, specialiter tamen intercessione talis, vel talis Sancti adiuuari postulamus. Denique Sanctos ipsos non cogitamus, nisi vt amicos Dei cum illo iam regnantes, & vt nostræ salutis ministros, & instrumenta viua, & vt intercessores, ac Patronos nostros apud Deum, hoc autem totum cadit, & terminatur in laudem, & gloriam Dei, ergo.

Augusti. Nazian. Gregor. Nysse. Ambros. Chrys. Isidor.

3. Dies festos Sanctorũ designare.

Hac ergo veritate supposita, facilè est alteram persuadere, videlicet iure, ac meritò potuisse Ecclesiam nonnullos dies ita destinare ad cultum in peculiarem honorem aliquorum Sanctorum, vt sub obligatione præcepti eorum obseruantiam constitueret, quia cum res sit sancta, & honesta, non excedit Ecclesiasticam potestatem; nam est valde vtilis Christiano populo, propter rationes, quas Augustinus, & Isidorus tetigerunt, scilicet, vt fides excitetur, & non dormiat, vt spes erigatur, tum Sanctorum gloriam conspiciendo, tum auxilium intercessionis eorum expectãdo, vt charitas etiam, tum ad Deum, tum ad ipsos Sanctos augeatur. Ac denique ad gratum animum pro beneficiis acceptis ostendendum, & alia similia. Et alioqui non est tale præceptum nimis onerosum, vel intolerabile Christiano populo, sed potius iuuat ad corporum leuamen, & moderandos labores externos, præsertim ne spiritum obruant. Nec est tanta multitudo harum festiuitatum vt necessarios, ac conuenientes labores ad vsus humanæ vitæ impediat, vt experientia ipsa ostendit, & de prudentia, & prouidentia Pastorum Ecclesiæ semper sperandum est.

4. Duo hæreticorum errores circa festa Sanctorum.

Quocirca dupliciter errant hæretici huius temporis circa has Sanctorum festiuitates. Primò, quia non putant posse institui in cultũ religiosum, sed ciuilem tãtum, sicut Principes temporales possunt in aliquem honorem suum dies aliquos destinare. Est enim euidens, Sanctos esse dignos altiori honore, & adoratione. Nec minus euidens est, hanc institutionem religiosam cedere in maiorem Dei gloriam, maioremq; fructum animarum: Nam fideles in illis diebus exercentur in operibus pietatis, & cultus diuini; tũncque existimare debent diem festum agere, quando cultu sancto, & religioso Deum in Sanctis suis venerantur, & laudant. Psal. 150. Secundò errant hi hæretici, quia Ecclesiæ negant potestatem præcipiendi obseruantiam festorum, quæ in Sanctorum honorem ordinantur; putant enim, esse contra libertatem legis gratiæ, quam ipsi falsò confingunt. Sed hæc controuersia generalis est, eandémque rationem habet in omnibus præceptis Ecclesiasticis de Ieiuniis, & similibus, de quibus in materia de Legibus dicendum est. Neque enim in his festis Sanctorum est specialis ratio, vt ex dictis satis constat. Libertas ergo legis gratiæ non excludit præcepta positiua, nec festiuitates, quæ fide, & spiritu Christi celebrantur, vt dixit Nazianz. Orat. in sanctum Pentecosten, sed excludit necessitatem seruandi legem Moysis, & eius festa.

Psal. 150.

Nazian.

5. Instituisse Ecclesiã sub præcepto aliqua Sanctorum festa. Cap. 1. Cap. *vlt.*

His ergo fidei veritatibus addimus, de facto institutum, & præceptum esse ab Ecclesia, vt aliqui dies festi non solùm in honorem Dei, & Filij, ac Matris eius, sed etiam in honorem aliorum Sanctorum generaliter celebrentur. Ita docent omnes Doctores in dicto cap. 1. de Consec. d. 3. & in vlt. de Feriis, & Summistæ eodem ver. *Feriæ*, & verb. *Dominica*, & constat ex dictis iuribus, in eis enim plures festiuitates recensentur, quas constat ab vniuersa Ecclesia sub obligatione seruari: quod ipsa consuetudo, & traditio Ecclesiæ maximè confirmat. Vnde supposita hac notitia, & traditione, de fide certum relinquitur, nunc de facto teneri fideles vi præcepti ad has festiuitates obseruandas.

6. Angelorum festum.

Sed, vt hoc præceptum omninò explicatum relinquatur, oportet in particulari has festiuitates numerare: quod seruato ordine, quem Ecclesia in Litaniis obseruat, faciemus. Primum ergo sit festũ Sanctorum Angelorum, quod Ecclesia in mense Septembri celebrat. Est enim aduertendum, Ecclesiam duo festa Angelorum celebrare: vnum mense Maio, quod peculiariter videtur institutum in honorem Michaelis Archangeli, occasione apparitionis eius in monte Gargano: aliud verò mense Septembri, quod, licet denominetur ex Dedicatione templi Michaelis Archangeli, *eo tamen die* (vt ibi dicitur) *omnium Angelorum memoriam Ecclesia celebrat.* Vnde etiam incertum est, quod ex his festis sit antiquius: nam apparitio illa Michaelis antiquior est Dedicatione templi eius. Quia, vt in eadem historia dicitur, apparitio facta est tempore Gelasij primi: templum autem Michaelis, *non ita multò post dedicatum fuit à Bonifacio Papa*, vt ibidem dicitur, debétque necessario intelligi de Bonifacio II. qui fuit septimus à Gelasio: nam Bonifacius primus Gelasium præcessit. Et quamuis non constet, ab eisdem Pontificibus Gelasio I. & Bonifacio II. hæc festa esse instituta respectiuè, non est tamen incredibile, imò dum aliud non constat, id videtur verisimilius. Nihilominùs tamen festum Septembris est sub præcepto, non autem festum Maij. Quod est certum ex ipso vsu Ecclesiæ, & quia in dictis ca. 1. & vltim. festum Dedicationis Angelorum specialiter numeratur, de alio verò non fit mentio. Vnde primum seruatur ex vi iuris communis, neque scitur esse alicubi consuetudine derogatum; aliud verò ex deuotione tantùm colitur, nisi alicubi consuetudo obligationem induxerit. Ratio autem non est alia, nisi quia obligatio non oritur ex antiquitate; sed ex præcepto, & licet festum Michaelis sit antiquius, solùm fuit institutum quoad Ecclesiasticum officium & cultum; aliud verò simul habuit præceptum adiunctum. Et causa esse potuit, quod institutum fuit in honorem omnium Angelorum, & vt præcipuum

Ratio.

festum

festum etiam ipsius Archangeli Michaelis. Solent etiam in aliis locis celebrari festa, vel Gabrielis Archãgeli, vel Angeli custodis, sed hæc, & similia sunt aliquorum locorum particularia, præsertim in Hispania; omnia tamen honestissimas rationes habent, si legitima potestate introducta, seu approbata sint.

7. Natiuitas S. Ioan. Bap.

Secundo loco ponimus Natiuitatem Sancti Ioannis Baptistæ, quod festum inter ea, quæ iure communi obseruari præcipiuntur in dictis iuribus numeratur, & ab omnibus auctoribus; illúdque esse antiquissimum constat, quia tempore Augustini iam colebatur vt antiquum, & ab Ecclesia traditum, sicut constat ex concionibus eius, & de initio illius nulla est memoria, quod est signum Apostolicæ traditionis iuxta doctrinam eiusdem Augustini in Epist. 118. & 119. Videtúrque hoc festum habuisse fundamentum in verbis Archangeli Gabrielis Luc. 1. *Et multi in Natiuitate eius gaudebunt*, & in prodigiis, & miraculis, quæ partim in eius sanctificatione in vtero, partim in eius natiuitate acciderunt.

Augustin. Luc. 1.

8. Cur Baptistæ Natiuitas potiùs, quàm mors sub præcepto seruetur.

Atque hinc etiam factum est, vt cum duas de hoc Sancto festiuitates celebret Ecclesia, vnam de natiuitate eius mense Iunio, aliam de ipsius martyrio in Augusto, priorem sub præcepto præcipiat, non verò posteriorem. Tum quia Gabriel Archangelus in citatis verbis significasse videtur, placitum Deo esse, vt huius Sancti festiuitas in lætitia de natiuitate eius præcipuè ostendatur, tùm quia in prima sanctificatione, & natiuitate specialem quandam prærogatiuam habuit; tum etiam quia licet per vitam creuerit in gratia, & per mortem in illa fuerit consummatus, non tamen statim ad gloriam transiuit, & quoad hoc inter Sanctos antiquæ legis computari potest, quorum festa non solet Ecclesia specialiter colere: Addit etiam August. in concionibus suis, Natiuitatem Ioannis celebrari propter mysterium, quod præ se fert. Quia Ioannes fuit quasi terminus legis veteris, & initium nouæ, & quasi indicium vbertatis spiritualis eius, & veluti nexus vtriusque, & quasi Lucifer indicans Orientem solem, & ideò solemnius ab Ecclesia celebratur. Denique adiungo, non solere Ecclesiam duo festa alicuius Sancti sub præcepto constituere, hoc enim quasi in singulare signum excellentiæ adorationis hyperduliæ Virgini reseruatũ est, & ideò quando de aliquo Sancto plura festa celebrat, vnum censetur esse principale, alia veluti accessoria, & ad summum de principali præceptum datur. Quia ergo Ecclesia natiuitatem Ioannis principaliter celebrandam elegit propter rationes supra indicatas, ideo etiam de illius tantùm obseruatione præceptum tulit. Cætera, quæ de hoc Sancto desiderari possunt, in 2. tom. 3. par. à nobis tractata sunt.

August.

9. Apostolorũ festa antiquissima. *Clemens.* Cap. 1. Cap. *Vlt.*

Tertio loco ponimus festa Apostolorum: Quam institutionem antiquissimam esse, constat ex Clem. d. lib. 8. c. 33. vbi specialiter ait: *In diebus Apostolorum vacent, Magistri enim vestri fuerunt, &c.* Vbi significat, iam tunc fuisse hæc festa sub præcepto constituta, & in dictis c. 1. de Conse. distin. 3. & vlt. de Feriis similiter generatim ponuntur, *Festa duodecim Apostolorum*, vbi Doctores omnes, & Summistæ aduertunt, intelligi de festis principalibus, non de accessoriis, nam de aliquibus Apostolis, secundaria quædam festa celebrantur, quæ non sunt sub præcepto, vt de Petro vtraque Cathedra Antiochena, & Romana, & Vinculorum festum. De Paulo conuersio eius, & peculiaris commemoratio, quæ post festum Petri, & Pauli, de illo fit, & de Ioanne Euangelista, festum ante portam Latinam vocatum.

10. Cur 12. Apostoli numerentur, cum sint 14.

Dubitare autem quis potest, cur duodecim Apostoli numerentur, cum illi sint quatuordecim: nam præter duodecim, sunt Paulus, & Barnabas: nec enim dicere possumus, Paulum ab hoc honore ab Ecclesia excludi. Respondeo, non excludi quidem Paulum, vt infrà dicam; Barnabam autem non numerari, quia etiamsi cum Paulo fuerit ab Spiritu sancto segregatus. Actor. 3. & ideò Ecclesia Apostolorum nomine, ac officio illum honoret, & colat; nihilominùs festũ eius diem sub generali præcepto non constituit, vt est certa, & communis sententia Doctorum, quia nec in illis iuribus comprehenditur, nec in alio præcipitur, nec vsu receptum est tale præceptum; & ideò si alicubi ex consuetudine obseruatur, est particularis obligatio, non generalis lex. Non est autem eadem ratio de Paulo, tum quia, licet non sit ex primis Apostolis ordine electionis, seu vocationis secundum ordinem temporis, est tamen ex primis in munere, spiritu, & in laboribus pro Christo, & Ecclesia. Tum etiam, quia (vt sic dicam) indiuiduus comes Petri, & quasi vnum quid cum illo: & ideò in illis Iuribus specialis de illo mentio statim fit. Vnde cum numerãtur duodecim Apostoli, sub Petro comprehenditur Paulus; quia diem festum habent commune; & Ecclesia nullum aliud festum solius Pauli proprium sub præceptum constituit. Idem, quod de Barnaba diximus, dicendum est de festis Sanctorum Lucæ, & Marci Euangelistarum, quos Ecclesia ritu Apostolorum celebrare solet: eorum tamen dies festos sub generali præcepto hactenus non constituit: etiamsi aliud senserint Ioan. Andr. Panorm. & Anton. in dicto cap. vltim. & summa Pisana verb. *Feriæ* ex capit. *Gloriosus*, de Relig. & ven. Sanct. Verumtamen inde nihil probatur, vt infrà circa Doctores adnotabimus. Et ita sentiunt Anton. Siluest. Angel. & alij. Præterea vniuersalis consuetudo ita est interpretata legem illam: nam in multis locis non seruantur illa festa: vbi tamen fuerit consuetudine recepta obligatio, seruanda est.

Ioan. Andr. Panor. Anton. Summ. Pisa. Cap. Gloriosus. Anton. Siluest. Angel.

11. Festum Petri, & Pauli à die martyrij illorum cœpisse. *Cap. vlt.*

Additur præterea in dicto c. 1. Maximè feriandum esse in festo Sanctorum Petri, & Pauli, qui mundum sua prædicatione illuminauerunt, idémque ferè in dicto cap. vltim. dicitur. Vnde non videtur dubium, quin hoc festum à die Martyrij illorum Apostolorum fuerit Romæ, & in vniuersa Ecclesia latina magna veneratione celebratum. Quod etiam ex supra dicto loco Clementis à fortiori colligitur. Meminit huius festi Hieronymus Epist. 19. ad Eustoch. his verbis: *Festus est dies, & natali Beati Petri festiuius est solitò condiendus.* Refert etiam Nicephor. lib. 16. Hist. cap. 35. tempore Anastasij Imperatoris auctum esse cultũ illius festiuitatis Constantinopoli: nam senator quidã Romanus nomine Festus, cum illuc alia de causâ venisset, & vidisset, festum illud minore cura, & splendore celebrari, quam par esset, ab Imperatore petiit, vt iuberet eâdem reuerentia celebrari, qua Romæ fieri solitum erat. Imperatorem autem annuisse, & constitutione promulgata sanxisse, vt magnificè conuentus Ecclesiasticus in Apostolorum eorum honorem ageretur. *Et ab eo* (inquit) *tempore conuentus eius celebritas magna cœpit incrementa, atque ingenti cum lætitia est frequentata.*

Clement. Hieron. Niceph.

12. Ioan. Euãg. festum antiquissimum.

Post hoc magna solemnitate colitur ab Ecclesia festum Sancti Ioannis Apostoli, & Euangelistæ. Quod etiam est ex his, quæ in dictis iuribus expressè numerantur, præterquàm quòd vniuersali consuetudine obseruatur, & traditione adeo antiqua, vt illius initium ignoretur, à nullo enim scriptore Ecclesiastico traditur, & Beda in Martyrol. & omnes alij scriptores de Sanctis, vel de officiis Ecclesiasticis, de hoc festo, vt de antiquissimo, & solemnissimo loquuntur. Celebratur autem ab Ecclesia, tertia die à natiuitate Domini. Cuius rationem aliqui esse putant, quia eo die, id est vigesimo septimo

Beda.

Decembris mortuus est. Alij mortuum in die 24. Iunij, quo die Natiuitas Baptistæ celebratur, & ideò trãslatum fuisse festum Ioannis in illum alium diem, propter aliquam peculiarem rationem, quia vel tunc sedem Ephesinam accepit, vel ei est Ecclesia Ephesi dedicata, vt videre licet in Ioan. Belet. de diuin. offic. cap. 30. & Duran. lib. 7. cap. 42. Sed hæc incerta sunt, & probabile est, Ecclesiæ non constitisse de die obitus, seu transitus eius, ideóque illum diem designasse, & festum eius cum natali Domini coniunxisse ad augendam illius festi celebritatem, sicut de festo S. Stephani, & Innocentum verisimile est.

Ioan Belet. Durand.

13. S. Iacobi festum solenniter Hispania celebrat tribus de causis.

Præterea, inter festa Apostolorum, festum S. Iacobi Maioris, fratris Ioannis valde celebre est in vniuersa Ecclesia, præsertim in nostra Hispania, quæ illum singulari solemnitate colit, vt patronum & parentem, tribus potissimum de causis. Prima est, quia primus ipse Euangelium in Hispania prædicauit, prius enim, quam Ierosolymis martyrium pateretur, decimo anno post Christi Domini mortem Hispaniam peragraui, & fidei semina iecit, quæ licet tũc parum fructus attulerint, tamen in virtute illius magnum Deus posteà incrementum dedit. Et quamuis hoc tempore nonnulli tentauerint hunc Iacobi in Hispaniam aduẽtum in dubium reuocare, nullo modo possunt antiquissimæ, & generali omnium Hispaniarum traditioni resistere, nec aliqui proponere, quod probabilem rationem dubitandi faciat: Nam quod Iacobus ante martyrium potuerit in Hispaniam venire, & redire Ierosolymam, non repugnat his quæ de Apostolorum prædicatione, & gestis in Actibus Apostolorum, vel in aliis historiis fide dignis narrantur. Quia licet ex Actibus constet, per duos, vel tres annos primos ab Ascensione Domini, Apostolos non recessisse Ierosolyma, tamen de cæteris annis vsque ad Iacobi martyrium nihil de factis à Iacobo, & aliis narratur, sed solùm de Petro, & Paulo. Item licet ante Petri vincula (quando iam fuerat Iacobus mortuus) non credantur fuisse diuisi Apostoli in orbem terræ ad prædicandum, non reuersuri ampliùs in Ierusalem: tamen nihil vetat, quominus ante id tempus exierint per diuersas prouincias, & digressiones facerent, & iterum Ierosolymam redirent. Sicut scimus, Petrum intra id tempus Antiochiam iuisse, ibique primùm sedem suam fundasse, licet interim Ierosolymam proficisceretur, & Iudæam visitaret. Sic ergo potuit Iacobus intra idem tempus migrare in Hispaniam, & ibi prædicare, & posteà Ierusalem redire.

Prima est quia ante martyriũ Hispaniã adiit.

Act. Apost.

14. Ante factam Petro reuelationem, an gẽtibus prædicaretur Euangelium.

Neque etiam obstat, quòd eo tempore Apostoli Euangelium non prædicarent Gentibus vsque ad visionem Petri, Act. 10. Primum quidem, quia fortasse in Hispania etiam tunc aliqui Iudæi habitabant, quibus annunciari poterat Euangelium. Nam (vt cõlligitur ex Act. 1.) Iudæi dispersi erant per omnem nationem, quæ sub cælo est, quandoquidem ex omnibus tunc venerant Ierosolymam, ergo etiam in Hispania esse poterant Iudæi, quibus prædicaretur Euangelium. Tum etiam quia non est certum, ante reuelationem factam Petro, non fuisse Euangelium Gentibus prædicatum; nam certè Paulus statim post conuersionem suam in Arabiam abiit, & in alias regiones, vbi verisimile non est, solis Iudæis prædicasse, cum ipse esset Gentium prædicator, & non ab homine, nec per hominem, sed per Iesum Christum edoctus esset, quid, & quibus, & quãdo prædicaturus esset. Idem ergo credi potest de Iacobo, quem Deus in Prædicatorem, & fundatorem fidei in Hispania elegerat. Vnde reuelatio illa Petri eo tendit, vt Ecclesiæ vniuersæ, & præsertim ex Iudæis collectæ publicè iam proponeretur, omnes saluari posse per fidem Christi, & ideò omnes ad Euãgelium vocandos esse. Vsque ad illud ergo tempus non fuit hæc veritas ita publicè declarata, vt inter Iudæos, Gentibus prædicaretur Euangelium, neque ex Iudæis, & Gentibus vna Ecclesia congregari cœperit, nihilominùs tamen potuit ante illam reuelationem aliis Apostolis instinctu diuino inspirari, vt ad Gentium prouincias irent, eisque prædicarent, Tum denique quia illa reuelatio facta est Petro quatuor, vel ad minus tribus annis ante mortem Iacobi, & illud erat sufficiens tempus, vt iret in Hispaniam, & per vnum, vel duos integros annos ibi prædicaret, & postea Ierosolymam reuerteretur.

15. Nihil obest quod humanæ historiæ hunc aduẽtũ non enarrent.

Quòd si hoc non repugnat canonicæ Historiæ, neque aliis dogmatibus receptis, parum profectò refert, quòd priuatæ historiæ humanæ illorum temporum illius peregrinationis Iacobi mentionem non fecerint. Tum quia in ea Iacobi peregrinatione nihil accidit adeo publicum, & prodigiosum, vt in vniuersum orbem illius fama exierit, quo possent excitari historici ad id memoriæ prodendum. Tum etiam quia in illis temporibus non fuerunt in Hispania diligentes scriptores rerum, quæ in ea gerebantur, externi autem non poterant facilè illarum notitiam habere, nisi fortasse earum, quæ ad publica bella, & Reipublicæ statum & dominium pertinebant: nam aliarum rerum pertinentium ad Religionem paruam, aut nullam rationem, vel curam habebant. Vnde cum in illa ætate non fuerint scriptores Ecclesiastici; qui de rebus Hispaniæ mentionem fecerint nisi tenuem, mirum non est, quod in historiis antiquis nihil de hac profectione Iacobi in Hispaniam reperiatur. Nam profectò si Lucas acta Petri, & Pauli posteritati scripta non reliquisset, multæ illorum Apostolorum peregrinationes, & prædicationes obliuioni traditæ fuissent, nec aliter quàm ex traditione ipsarum Ecclesiarum, quas fundassent, cognosci potuissent. Sicut profectio Petri Antiochiã, quæ à Luca omissa est, non aliter, quam ex illius Ecclesiæ traditione cognita fuit nec ad nostram notitiam peruenisset nisi ex monumentis illius Ecclesiæ Clem. Alexand. & ab illo Euseb. & Hieron. illam scriptam reliquissent. Sic ergo aduentus Iacobi in Hispaniam nonnisi ex eiusdem Hispaniæ traditione inquirendus est, hanc autem non permisit Deus excidere, nec obliuioni tradi, nec in angulo concludi, sed ab vniuersis Ecclesiis Hispaniæ retineri. Quis, ergo audebit huic traditioni contradicere, aut quomodo aliæ Ecclesiasticæ traditiones inconcussæ conseruari poterunt, si huic fides non adhibeatur?

Clem. Alex. Euseb. Hier.

16. Firmatur hoc monumento Cæsaraugustano.

Eò vel maximè, quòd non tantùm à publica fama per dimanationem à parentibus ad filios, sed etiam à solemni, & antiquissimo monumento Cæsaraugustano testimonium habet hæc veritas. Nam Cæsaraugustæ, & in vniuersa Hispania est receptissima traditio, cum beatus Iacobus illuc peruenisset, & animo, ac cogitatione suspensus esset, quòd paucos homines ad fidem trahere potuisset, beatissimam Virginem in corpore mortali ei apparuisse, eúmq; fuisse consolatam, & ab ea certiorem factum, per discipulos paucos, quos congregarat, complendum fuisse, quòd ipse perficere non potuisset. Et in huius beneficij æternam memoriam insigne templum, & valde honorificum ibi fundatum est. Quòd in collegiatam Ecclesiam erectum magnis exemptionibus & priuilegiis Apostolicis donatum est, & Sanctæ Mariæ de columna, vulgo *Del pilar*, dicitur, quia saxum, vel columna in eo cernitur, quam ipsam sacram Virginẽ suis pedibus calcasse, eadem docet traditio. Hæc est ergo prima causa, ob quam meritò Hispania festum Sancti Iacobi summa veneratione colit, simúlque vt ipsius beneficium recognoscit, quod eius occasione beatissi-

beatissima virgo antequam ex hoc mundo discederet, Hispaniam consolari, & sua præsentia honorare, & protectionem eius simul cum Iacobo assumere, dignata fuerit.

17. 2. Causa est quia eius habet corpus.

Alia causa est, quòd sacrum Iacobi corpus post martyrium naui impositum diuina prouidentia, & peculiari eiusdem Spiritus sancti fauore in Galęciam Hispaniæ prouinciam appulit, ibique vsque in hodiernum diem summa gentium omnium veneratione colitur. Tertia denique causa est, quòd Iacobus innumeris amoris signis, & beneficiis in Hispanos collatis, se semper ostendit singularem illorum Patronum, ac benefactorem, quæ res notissima est in historiis; Nec in his ampliùs immorari licet. Ex his verò duabus posterioribus rationibus multum apud me prima confirmatur: Non enim sine causa Iacobus post mortem, & corporis præsentia, & glorioſi spiritus fauore tam propensum in Hispanos se ostendit: sed profectò ea causa fuit, quòd in Christo Iesu in Euangelio ipse illos genuit, & illius protectione, ac precibus non solùm magna soliditate in fide permanent, sed etiam eorum ministerio, & industria Deus vti voluit ad fidem innumeris gentibus, & vt aiunt, nouo mundo prædicandam.

3. Causa.

18. S. Bartholomæi festum cur Roma diuerso die colat.

Atque hæc sufficiant de Apostolorum festiuitatibus dixisse, nam de cæteris Apostolis nihil nobis peculiare dicendum occurrit. Solùm de festo S. Barthol. scire oportet, quod licet Romæ die 25. August. celebretur, non obligat præceptum vniuersam Ecclesiam pro illo die, nam extra Romanam Ecclesiam die 24. celebratur, & pro tunc obligat præceptum, vel quia ita est consuetudine introductum, vt Auctores dicunt, vel certè quia Romana Ecclesia peculiari aliqua ratione ad illum diem immutandum ducta est: fortasse enim in illo die corpus S. Bartholomæi Romam est delatum; noluerunt autem Pontifices aliarum Ecclesiarum morem immutare.

19. Martyrum festa.

Quartò celebrat Ecclesia, & præcipit obseruari dies festos aliquibus Martyribus dicatos. Inter quæ festa primum, & antiquissimum est S. Stephani, nam illius specialiter meminit Clemens dicto l. 8. Const. cap. 32. & de illo habemus antiquissimas conciones Aug. Fulgentij, Gregorij Nisseni, Maximi, & aliorum. At denique hoc festum in iure etiam habetur in sæpe allegatis capitulis. Et huic affine est festum sanctorum Innocentium, quod in eisdem iuribus recensetur, & adeò est antiquum, vt Origenes homil. 3. in Diuer. dixerit: *Horum memoria semper vt dignum est in Ecclesiis celebratur secundum integrum ordinem sanctorum, vt primorum Martyrum pro Domino occisorum, & vt ipsa Bethleem primitias Domino Martyrum, in qua natus est ipse Saluator, obtulisse videatur.* Eodem fere modo loquuntur Chrysost. homil. 3. ex Variis in Matth. Aug. Hilar. Arelaten. Beda, & alij Patres antiqui in homiliis eiusdem festiuitatis. At nihilominùs Caiet. in Summa indicat, festum illud non obseruari ex generali præcepto, sed ex consuetudine. Contrario tamen modo sentiendum est: est enim sub præcepto Ecclesiastico, vt sufficienter probant, quæ adduximus & communiter Doctores docent, & vsus Ecclesiæ confirmat. Nec est parum indicium, quòd Ecclesia eâdem solemnitate, & cum celebritate Octauæ festum illud celebrat. Nunquam enim inuenietur Ecclesia celebrare festum alicuius sancti cum Octaua, cuius principalem festiuitatem non præcipiat obseruari; Lex ergo de se omnes obligat, poterit tamen in aliquo loco consuetudine esse derogata, quod aliis etiam festiuitatibus, & legibus humanis commune est. His simile est S. Laurentij festum, quod sub eodem iuris præcepto continetur, & in dictis c. 1. & vltim. speciatim exprimitur. Et ab initio ferè martyrij

Caiet.

S. Laurentij festum. Cap. 1. Cap. *vlt.*

A huius Sancti celebre fuisse, satis indicant sermones Sanctorum Leonis, Ambrosij, Augustini, Maximi, Petri Chrysologi, & aliorum, in illum diem. Præter hæc festa Martyrum nullum aliud inuenitur iuris præcepto mandatum obseruari, neque (quod ego sciam) vniuersali consuetudine per modum præcepti obligante receptum sit. Solum de festo S. Sebastiani potest videri contrarium probabile, quia valde generalis videtur esse consuetudo. Sed nihilominùs, quia est res pendens ex facto, non possumus id generaliter affirmare, sed vniuscuiusque loci consuetudinem esse spectandam.

Leo. Ambros. August. Maxim Petrus. Chrysost.

Quid de festo S. Sebast.

Quintò de Sanctis Confessoribus licet multas festiuitates solemniter Ecclesia celebret, nullius tamen B inuenio festum, de quo certo affirmare possimus, generali præcepto Ecclesiæ obseruandum proponi. Maximè enim probabile videri potest de Festo S. Siluest. multi enim credunt, ex vi iuris constitutum esse sub præcepto, quia expressè numeratur in dicto c. 1. de Conf. & dicto c. vlt. de Fer. sed nihilominùs omnes fatentur, de facto vix seruari extra Romam, dicunt tamè, consuetudine cõtraria esse abrogatum. Veruntamen vt suprà insinuaui, ex solis illis duobus textibus, nisi aliũde traditio accedat, non satis probatur generale præceptum iuris de obseruatione alicuius festi. Quia c. vlt. de Feriis solùm loquitur de diebus feriatis in ordine ad iudiciorum strepitum, & dictum c. 1. non est ius Pontificium, nec C generalis Concilij, & ideò non potuit generale ius introducere, si antea non erat, vt statim alio exemplo videbimus. Et ideò censeo, hoc non esse sub præcepto iuris cum Glossa in L. *Omnes*, ver. *Epiphaniarum*, C. de Feriis. Quamuis differentia non sit magni momenti, cum iam illud præceptum extra Romam derogatum esse constet, quòd perinde est, ac si non fuisset latum. Quòd si alicubi consuetudine obseruatur, ibi obligabit, si constet, talem consuetudinem non solum ex deuotione seruari, sed sub existimatione obligationis.

20. Cõfessorum festum nullum generali præcepto seruatur. S. Siluestri festum. Cap. 1. Cap. *vlt.*

Gloss.

Aliud festum, de quo dubitatum est à summistis, est S. Martini, quia in dicto cap. 1. cum aliis ponitur. Vnde Siluester, Tabiena & Armilla, & latiùs Abbas D dicto c. vlt. de Feriis, n. cum 6. Speculat. Hostiensis & Ioan. Andr. & aliis dicunt fuisse quidem festum illud de iure antiquo, sublatum verò fuisse per ius nouum c. vlt. de Fer. quia ibi omissum est. Sed neque hoc admittit Abbas. *Quia omitti* (inquit) *non est reuocari*, & ideò dicendum esset, reuocatum esse consuetudine. Sed existimo non esse necessariam reuocationem, quia Concilium Lugdunense non poterat facere generalem legem; numerauit autem illud, quia Galliæ Concilium erat, in Gallia autem meritò celebratur festum illud speciali titulo, & vt magis proprium illius gentis: at extra Galliam non est in Ecclesiastico præcepto vniuersali, & ideò in alio capite omissum fuit. Est ergo consulenda consuetudo: Romæ enim obseruari solet sub præcepto, in Hispania verò minimè, nisi fortasse in aliquo priuato loco.

21. S. Martin. festum. Cap. 1. *Siluest. Tabien. Armill. Abb.* Cap. *vlt. Specula. Hostiens. Ioan. Andr. Concil. Lugd.*

Dubitatum præterea est de festis Doctorum; nam Canonistæ volunt esse in præcepto lato in Clem. vni. de Reliq. & Vener. sanct. Ita Ioan. Andr. Anton. de But. & Panor. supra citati. Quod si obiicias, quia ibi non inueniuntur verba declarantia tale præceptum; sed solùm, vt festa illa sub duplici officio celebrẽtur: Respondet Abbas, *Non esse verisimile, pro illo modico dimanasse decretalem maturè, & ornatè compositã.* Expendi etiam possunt verba illius textus, quatenus videntur æquiparare festum sanctorum Doctorum festo Apostolorum. *Meritò* (inquit) *prouidit* (Apostolica sedes) *Apostolos, & Euangelistas, & Confessores eosdem in vniuersali Ecclesia honorificẽtiæ potioris attollendos*, & infrà

22. Festa Doctorum. *Clem. Vni. Ioan. Andr. Anton. de But. Panor. Abb.*

concludit, *Volumus, statuimus, & præcipimus Apostolorum, & Euangelistarum, & Confessorum festiuitates præcipuas annis singulis perpetuo celebrari sub officio duplici.* Nihilominus tamen dicendum est, ibi non ferri tale præceptũ de obseruandis illis festiuitatibus, sed solũ de celebratione earũ sub officio duplici, in hoc enim tantùm facit æquiparationem, & cum illa limitatione præceptum imponit, quod vltra vim verborum extendendum non est. Neque hoc est *Modicum*, vt Abbas obiicit, quia ex vi illius decretalis celebritas, & solemnitas in officio Doctorum non parum aucta est, non sunt ergo hæ festiuitates sub præcepto iuris, licet possint alicubi ex consuetudine introduci. Et hæc sententia nunc magis recepta est Anton. 2. p. tit. 9. cap. 7. §. 1. Siluest. verb. *Dominica*, Angel. & fere alij Summistæ verb. *Feriæ*. Idem dicendum est de Festo S. Nicolai, quod nullo iure cautum est, consuetudine autem videtur in multis locis obseruari, sed neque est vniuersalis consuetudo, nec vbi reperitur, creditur esse obligationis, sed deuotionis, vt Angel. & Siluest. notant. Quod ferè regulariter ita est, in particulari tamen semper est examinandus modus consuetudinis. De Festo item S. Fran. aliqui dicunt esse latum præceptum à Sixto V. Sed de hoc mihi non constat, & consuetudini standum esse, iudico.

Anton. Siluest. Angel. *S. Nico. festum.* *Angel. Siluest.* *S. Francisc. festum.*

23. Nullum festum Sanctarum mulierum ex generali præcepto seruatur. Cap. 1. Cap. *Vlt. Concil. Oxom.*

Sextò dicendum est, nullum festum Sanctarũ mulierum esse ex vi iuris communis, vel generalis legis vniuersæ Ecclesiæ obseruari mandatum. Ita docent omnes Doctores citati, & constat, quia nec in illis c. 1. de Consec. d. 3. & vlt. de Fer. aliquod festum huiusmodi ponitur, nec alibi reperitur. In Concilio autem Oxomensi (quod supra retuli) trium Sanctarum festiuitates obseruari mandantur, Mariæ Magdalenæ, Catharinæ, & Margaritæ. Sed illa lex priuata fuit illius Diœcesis, vel prouinciæ. De festo autem Magdalenæ multorum locorum est consuetudo, non tamen vniuersalis: Solet etiam esse S. Catharinæ, sed non est tam frequens. Multis etiam in locis S. Luciæ festum sacrum habetur. Sed hæc duo posteriora regulariter sunt ex deuotione tantùm; rarò verò sub obligatione. Festum item Sanctæ Annæ cœpit multis in locis introduci, præsertim in Hisp. Sed non est ex vi legis, neque hactenus videtur consuetudo obligationem introduxisse. Cur autem de Sanctarum mulierum festiuitatibus præter Virginem, nulla sint data ab Ecclesia præcepta vniuersum Christianismum obligantia, possent facilè rationes, & congruentiæ excogitari, sed non est necesse in hoc immorari.

24. Festum omnium Sanctorum generaliter seruatur. Cap. 1. Cap. *Vlt. Couar.*

Septimò institutum est ab Ecclesia generale festum de omnibus Sanctis, & de illius obseruatione latum est præceptum vniuersale, & ita in dictis cap. 1. & vlt. hoc festum inter solemnia numeratur, & de illius obseruatione, sub obligatione, vniuersalis est, & indubitata consuetudo. De antiquitate autem huius festi Couar. 4. Var. c. 19. num. 8. circa finem, existimat esse ante tempora Augustini, propter concionem, quæ nomine Augustini in illa festiuitate legitur. Verum tamen multi obseruarunt, sermonem illum non esse Augustini, sed Alcuini seu Albini, vel alterius, qui ex scriptis Cypriani, & Chrysostomi illum concinnauit, ideóque à Louanien sibus inter sermones Augustini de Sanctis positus non est, sed separatim inter incertos. Est ergo communis resolutio, festum hoc non fuisse ante Bonifacium 4. De quo referunt Platina in vita eius, & Raban. Homil. in illud festum, Bonifacium Romæ consecrasse templum, quod ab Ethnicis Pantheon dicebatur, in honorem omnium Martyrum, & Virginis, vnde hodie Ecclesia S. Mariæ Rotundæ vulgò vocatur. Inde verò (ait Raban.) crescente paulatim deuotione, & Religione fidelium, decretum est, vt dies primus Nouembris in honorem Sanctorum omniũ obseruari præciperetur. Et Matt. Palmerius in Chronico refert, Gregorium 4. ante 835. annos id præcepisse, & ab eo tempore in vniuersa Ecclesia obseruatum esse, vt refert etiam Durandus in Rationali l. 7. c. 34. Post diem autem omnium Sanctorum instituta est commemoratio Defunctorum omnium, sed dies ille non est obseruari præceptus, nec ad festiuitatem pertinet. De suffragiis autem pro defunctis alibi diximus; & institutione illius diei videri potest Duran. supra c. 35. Solent præterea hîc addi festa Dedicationum, vel Patronorum, sed hæc licet fortasse manent à lege vniuersali, & ex vi iuris, vt exponam capite sequenti, tamen nullum est, quod obliget sub præcepto vniuersalem Ecclesiam, præter festum Angelorum, vel Sanctæ Mariæ ad Niues, de quibus dictum est: aliæ enim dedicationes Lateranensis tẽpli, aut S. Petri, quas Ecclesia Romana celebrat quoad officiũ, de præcepto non sunt, vt constat.

Louanienſ.

Festum hoc cœpit tempore Bonifacij 4. *Platt. Rab.*

Palmerius. *Durand.*

CAPVT X.

De numero, & comparatione dictarum festiuitatum.

1. EX dictis in superioribus capitulis colligere licet, numerum festiuitatum, quę ex generali præcepto ab vniuersa Ecclesia obseruandæ sunt, ad numerum octoginta vnius dierum ad summum accedere. Patet, quia Dominici dies regulariter sunt quinquaginta duo, ex festis autem Domini, quæ numerauimus, decem tantùm sunt sub præcepto, ex illis tamen duo cum Dominicis coincidunt, & duo alia Virgini tribui solent, pro eis tamen addi debent quatuor dies festiui, qui coniunguntur cum festis Paschæ, & Pentecostes, & ita relinquitur idem numerus decem dierum, quibus addendæ sunt quatuor solemnes festiuitates Virginis, & vnus dies Ioannis Baptistæ, & decem Apostolorum (quia licet ipsi sint tredecim, sex illorum bini celebrantur per singulos dies;) Martyrum verò tres tantũ festiuitates ex præcepto obseruamus, quæ omnes numerum octoginta dierum efficiũt: cui numero dies vnus omnibus Sanctis dicatus adiungitur. Interdum verò hic numerus dierũ minuitur, quia sæpè Sanctorum festiuitates in diem Dominicum cadunt. Et ideò moraliter loquendo non potest augeri ille numerus, nisi de nouo feratur aliquod præceptũ, quia licet nonnunquam (scilicet) per singulos senarios annorum numerus Dominicarum crescat ad quinquaginta tres, semper, ex alia parte dierum festiualium numerus minuetur, & ideò vix vnquam acceder ad numerum dierum octoginta.

2. An hi dies omnes æquales sint in obligatione. Cap. 1. Cap. *Licet.*

Sed quæret tandem aliquis, an hi omnes dies æquales sint quoad præcepti obligationem. Et ratio dubitandi esse potest, quia in iure quidam maiores, alij minores dicuntur, vt ex c. 1. & c. *Licet* de Fer. colligitur. Respondeo breuiter primò, si comparatio fiat in magnitudine, seu durationc temporis, hos dies omnes esse æquales, nimirum viginti quatuor horarum, non quia hoc pertineat ad ius Diuinum, vel naturale, vt quidam Summistæ falsò confingunt, contra quos supra egimus, sed quia ius commune de his diebus loquitur. vt patet ex c. 1. de Feriis, & aliis supra citatis; & quia simpliciter loquendo de diebus solent intelligi dies naturales, qui sunt viginti quatuor horarum, & ita præcepta ieiuniorum, vel orationum, quæ per singulos dies fieri debent, semper de his diebus iutelliguntur.

3. Quid dicendum de rebus ad quas obligant.

Secundò si cõparatio fiat in actionibus, vel omissionibus, ad quas obligat præceptum obseruandi festos dies, sic etiam omnes hi dies sunt æquales, extensiuè, (vt sic dicam) licet intensiuè possit inter eos aliqua inæqualitas cogitari. Dico autem esse æquales in hoc

in hoc extensiuè, quia (vt infrà latè dicam) non obligat dictum præceptum ad plures actiones in vno festo, quàm in alio; nec ad abstinendum à pluribus operibus in vno, quàm in alio, quātumuis in se sit dignius alio. Ratio est, quia tenor præcepti vnus est pro omnibus diebus; nam positiuè iubet tantum audire Missam, negatiuè autem prohibet vniuersa opera seruilia, & omnia quæ ad illa reducuntur, vt infra videbimus. Neq; in hoc fit ampliatio, aut restrictio pro diuersis diebus, & siquis velit fingere varietatem aliquam, nullam regulam, aut rationem illius assignare poterit. Est ergò in hoc quædam æqualitas, quæ planè fuit necessaria, quia totum hoc præceptum fertur per modum vnius, nec poterat aliter ad diuersos dies applicari. Intensiuè autem dico esse in hoc quandam inæqualitatem, quia quò solemnius, & dignius est festū, eò maior est obligatio seruandi illud, & in illius transgressione, aut cōtemptu magis peccatur. Cuius signum est, quia magis scandalizat, seu offendit alios publica violatio festi, in vno quàm in alio. Et ratio est, quia hæc inæqualitas non oritur ex forma præcepti, sed ex materia ipsa, quę in vno actu eiusdē virtutis nobilior est, quàm in alio, & consequenter actus ipsi inæquales sunt, vnde fit, vt idem præceptum cadens in illos magis, vel minùs obliget. Existimo tamen, hanc inæqualitatem nō esse tantam, vt notabilem diuersitatem faciat, quam in cōfessione explicare necesse sit, nisi ratione notabilis scādali, aut alterius extrinsecæ circumstantiæ.

Ratio conclusionis.

4. Dies festi inæquales sūt in solemnitate, & in difficultate relaxandi obseruationem

Tertiò hinc fit, vt inter hos dies sit aliqua inæqualitas in solēnitate, & signis honoris, & cultus, quibus ab Ecclesia celebrantur, atque etiam, quod ad nos magis spectat, in difficultate relaxandi obseruationē talis diei. Prior pars pertinet ad clerum, & ad modum celebrādi Diuina officia in his diebus, & ideò eam vt notam, & ab hoc loco alienam remitto. Solum aduerto, quia hoc ad omnes pertinet, Alex. III. in c. 2. de Feriis, docere, *Dominicis diebus, & in præcipuis festiuitatibus*, non esse flectanda genua in orationibus publicis, sicut obseruatur tempore Paschali, vbi obscurum est, quid intelligat per præcipuas festiuitates, & quod in hoc habeant singulare. Nam Glossa ibi vers. *Præcipuis*, intelligit, omnes festiuitates ibi comprehendi, quæ obseruari præcipiuntur in dicto c. 1. de Conse. d. 3. & in vlt. de Feriis, ac subinde in hoc etiam seruari æqualitatem in omnibus diebus festis. Sed in primis Cæremonia illa non spectat ad obligationē præcepti: Deinde fortè nunquam obseruata fuit in omnibus diebus festis indifferenter, sed in quibusdam maioribus, qui in eo textu dicuntur præcipui. Denique Clem. VIII. renouans cæremoniam illam in Breuiario, non facit mentionem festiuitatem, sed tantùm Dominicarum. Posteriorem ergo partē posuimus propter c. *Licet* de Fer. vbi facultas datur laborandi in aliquibus operibus aliàs prohibitis in diebus festis, & ab illa dispensatione excipiuntur maiores anni solemnitates. Quæ exceptio, licet in particulari dispensatione fieri videatur, tamen ibi intelligitur data esse forma concedendi similes indulgentias, seu dispensationes, & quoad hoc dicimus, non omnia festa esse æqualia. Nam in maioribus festis conceditur ex aliqua causa indulgentia, quæ ex eâdem in minoribus concedi non debet.

Alexand. 3.

Glossa.

Diebus festis an flectenda genua.

Clemen. 8.

Cap. Licet.

Dubitant tamen ibi Doctores; quę dicantur maiores festiuitates. Glos. enim ibi quinque numerat Natiuitatem Domini, Epiphaniam, Pascha, Ascensionem & Pentecosten, nulla adhibita probatione; eam tamē sequuntur Ioan. Andr. & Panor. Addunt verò Assumptionem Virginis, nā illud festum inter quatuor maximè priuilegiata quoad interdictum numeratur in c. *Alma* de sent. Excom. in 6. vbi ex illis quinque numeratis à Glos. omittūtur Epiphania, & Ascensio Domini, & aliis tribus æquiparatur Assumptio; ergo à fortiori in præsenti est comprehendenda sub festis maioribus. Censeo verò etiam esse addendum festū corporis Christi; tùm quia in Ecclesia non est receptum, vt minus solemne, quàm cætera enumerata, tum etiā quia illud etiam festum non est capax interdicti, iuxta concessiones Pontificum, de quibus diximus in to. 5. 3. p. disp. 34. sect. 1. n. 41. Sunt autem hæc septem festa maiora limitanda, vt existimo, ad septem dies, quoad dictum effectum, quia non oportet illam difficultatē dispensationis extendi ad Octauarūm dies, etiamsi aliqui eorum festiui sint, vt à fortiori constat ex his, quæ in dicto loco tom. 5. dixi. Cum autem hæc enumeratio nullo Iure in rigore probetur, quia dictū ca. *Alma* parū fauet Epiphaniæ, & Ascensioni, oportet vt cōmuni opinione, & existimatione nitatur, nam omnia illa festa communiter reputantur quasi Æqualia, & Paschalia, (vt sic dicam) licet interdum in Iure aliquod priuilegium vni concedatur, quod alteri non conceditur; quod nō obstat, quominùs simpliciter ex maioribus censeantur. Vnde infero, quod si alicubi aliquod festum Patroni, vt ver. grat. S. Iacobi Compostellę, vel aliud simile, æquè solemne, ac prædicta communiter reputetur, meritò etiam possit inter maiores festiuitates ibi reputari, vt non debeat in illo indulgentia laborandi sine valdè extraordinaria causa concedi.

5. Quæ festiuitates dicātur maiores. Glos. Ioan. Andr. Panorm. Cap. *Alma.*

CAPVT XI.

De Festis, quæ in aliquibus tantùm Prouinciis, seu Diœcesibus seruari debent ex præcepto.

QVamuis Ecclesia vna sit, & ideò in substantialibus, & principalibus ritibus, ac festiuitatibus vnitatem seruet; non est contra vnitatem eius, quod in aliquibus secundariis cæremoniis varietatem habeat, imò hæc varietas pertinet ad pulchritudinem eius. Hæc ergo varietas etiam in festiuitatibus cernitur, quędam enim in vno loco seruantur ex precepto, quę in aliis locis sub obligationem non cadunt, vt cōstat ex vsu Ecclesiæ, & supponitur in dicto c. 1. de Conse. dist. 3. & c. 2. & vlt. de Feriis, vbi Doctores omnes id aduertunt. De his ergo festis particularibus dicendū hîc est. Non possumus autem singula numerare, sicut in prioribus fecimus, quia pēdent ex priuatis legibus, & consuetudinibus, quæ variæ sunt. Solùm ergo ad nos spectat explicare ius, & modum introducendi tales festiuitates, & modum obligationis huius præcepti, prout talibus festiuitatibus applicatur. Possumus autem intelligere, duobus modis introduci huiusmodi festa particularia, primò ex vi ipsius iuris communis sine speciali facto, seu voluntate alicuius inferioris prælati. Secundò per inferiorem legem, seu constitutionem extra ius commune, seu consuetudinem illi Æquiualentem, & vterque modus est suo modo vetus, & à nobis breuiter explicandus.

1. Aliqualis varietas Ecclesiæ decorem addit.

Cap. 1. Cap. 2. Cap. vlt.

Dupliciter introducuntur festa particularia.

Primò ergo dicendū est, posse aliquod festum esse sub obligatione in vno loco ex vi iuris cōmunis, licet non obligetur vniuersa Ecclesia ad illud festū obseruandū. Hoc patet, quia licèt præceptum sit iuris communis, nihilominùs materia præcepti potest in vno loco inueniri, & nō in aliis, & sic obligare ibi, vbi est materia eius, & nō alibi, vbi non occurrit. Exēplis res declaratur; nā potest ius commune disponere, vt festum Patroni, Dedicationis, aut S. Tutelaris vniuscuiusque loci, seu Ecclesiæ ex præcepto obseruetur; tunc enim hæc ciuitas ex vi huius legis tenetur obseruare festum S. Antonij, vel S. Vincentij, & nihilominùs illa particularis est huius Diœcesis, & nō totius Ecclesię, & sic de aliis. Itaq; in huiusmodi lege ad illius obligationem

2. Primus modus explicatur.

gationem supponitur quidem aliquid speciale in tali loco, ratione cuius obligat lex ad tale festum obseruandum in illo potiùs, quàm in alio, sed illud, quod supponitur, non est particularis lex de festo ipso, sed est factum aliquod ex quo oritur materia legis, quale est Dedicatio talis templi facta hodie, & hoc loco, vel particularis ratio, & voluntas habendi hunc sanctum, vt Patronum, vel Titularem. hac enim materia supposita ipsum ius commune obligat. Sicut in materia de voto dicimus, obligationem seruandi votum de Iure naturali esse, quamuis materia illius obligationis, quæ est promissio, ex propria, ac particulari pendeat voluntate.

3. An dies dedicationis templi in quouis oppido seruandus. Cap. 1. Specul. Cap. Vlt. Ioan. Andr. Anton. Abbas.

Iuxta hanc assertionem ad ius commune pertinet id, quod disponitur in cap. 1. de Conse. distin. 3. vbi inter obseruanda proponitur *Dedicatio cuiusque Oratorij.* B Ex quibus verbis videtur colligi in vnoquoque oppido ex præcepto obseruandum esse diem Dedicationis templi eius. Et ita censuit Specul. in summ. tit. de Fer. §. 1. illa tamen verba omittuntur in cap. vlt. de Fer. & ideò alij censent, reuocatum iam esse illud præceptum. Imò Ioan. Andr. Anton. & Abbas in dicto c. vlt. intelligunt illa verba de festiuitate quoad officium, non quoad obligationem totius populi, quia esset (inquit) dura obligatio. Tamen quia textus ille à principio incipit, *Pronũciandum est Laicis, vt sciant tempora feriandi per annum*, & infrà, *Feriandi autem isti sunt dies.* Et posteà consequenter, eodem modo omnes enumerat, & ideò difficilè creditu est, in illo solo die sermonem esse de officio Clericorum. Vnde potiùs dicendum censeo, quod supra iam dixi, legem illam C non fuisse Pontificis alicuius, vel Concilij Generalis. & ita non potuisse per se constituere ius generale, sed particulare Prouinciæ Lugdunensis: neque etiam est extensum illud ius per consuetudinem; nam potius communi vsu, & regulariter talis Dedicationis dies non seruatur. In Concilio autem Oxomensi in principio inter festa obseruanda ponitur. *Festum Dedicationis cuiusliber Ecclesiæ in sua Parochia.* Sed illud etiam declarat particulare ius Anglicanę cuiusdam Prouinciæ, non generale. Idemque censeo de alia lege ibi subiũcta videlicet, *Quodlibet festum illius Sancti, in cuius honorem fundata est Ecclesia* & loquitur *de festis obseruandis omni veneratione* & non tantum quoad officij celebritatem: nam de his postea separatim tractat, estque lex illa satis pia, & consentanea rationi, nihilominùs D tamen non obligat generaliter, quia non habetur ex Iure communi, neque etiam consuetudine generali recepta est. Idem dicendum est de simili lege lata in Concilio Magunt. sub Carol. ca. 36. his verbis: *Et illas festiuitates Martyrum, vel Confessorum obseruare decreuimus, quorum in vnaquaque Parochia sancta corpora requiescunt, similiter etiam Dedicationem templi*, sed de hoc vltimo iam dictum est. Illud verò prius, licet pium, & sanctum sit, non potest habere vim legis vniuersalis, quia illud etiam priuatum Concilium est, & in Iure communi non inuenitur. Solùm ergo quoad officiorum celebritatem hæc seruanda sunt iuxta rubricas, & regulas Missalis, & Breuiarij Romani, quoad festorum autem obseruationem nulla est de hoc lex, aut vniuersalis consuetudo, vbi autem fuerit, seruanda E est. Ex quibus concluditur, licet hic modus institutionis, & obligationis alicuius festi particularis ex vi iuris communis possibilis sit, de facto tamen nullum inueniri ius commune talem generalem legem statuens in obseruatione festorum vt ex ea particulares obseruantiæ oriantur, nam præterea, quæ attigimus, nullum tale ius commune inuenitur, quod ad nostram notitiam peruenerit.

Concil. Oxom.

Concil. Magunt.

4. Episcopos posse præcipere festa obseruanda in suis Diœcesibus.

Secundò dicendum est, Episcopos in suis Diœcesibus habere potestatem instituendi, ac præcipiendi A festa particularia ibi obseruanda. Hoc certum est apud omnes, & statim probabitur. Non intelligimus autem, solos priuatos Episcopos habere hanc potestatem, quia non est dubium, quin Summus Pontifex hanc habeat potestatem, cum supremam, & vniuersalem habeat, non solet tamen immediatè illa vti, nisi quando pro vniuersali Ecclesia festum instituit, sed ad summum præbet suam confirmationem, & assensum. Inquiri autem potest, an hic assensus necessarius sit, vel Episcopi auctoritas sufficiat. Dicendum verò est, vnumquemque Episcopum posse hanc legem ferre pro sua Diœcesi, absque speciali facultate, vel confirmatione Pontificis. Ratio prima est, quia hoc non est Episcopo prohibitum, & eo ipso, quòd non prohibetur, censetur concessum, quia pertinet ad ordinariam pastoralem iurisdictionem. Secũda ratio est, quia hoc ei expressè conceditur in dicto c. vlt. de Feriis, ibi, *Singuli Episcopi in suis Diœcesibus*, & in dicto c. 1. de Conse. distin. 3. Tertiò hoc confirmat vsus antiquissimus Ecclesiæ, nam Episcopi hac potestate vsi sunt, vt ex historiis, & ex variis consuetudinibus diuersorum locorum, & Episcopatuum constat.

An auctoritas Summi Pontificis ad hoc necessaria sit.

Cap. Vlt. Cap. 1.

5. Obiectio.

Dicet aliquis, priuatas festiuitates ordinariè instituì in honorem alicuius sancti, siue Martyriis, siue Confessoris; at non possunt Episcopi sanctum aliquẽ Religiosè colẽdum suæ Ecclesiæ proponere, sine Romanæ Ecclesiæ approbatione, vt declarat Alex. III. in c. 1. de Reliq. & vener. Sanctor. ergo nec possunt particularia festa ordinare sine Pontificis consensu. Respondeo, duo hîc esse distinguenda, vnum est facultas colendi aliquem vt sanctum publico, & solemni ritu, quæ per Canonizationem, aut Beatificationem (vt vocant) fieri solet aliud est obligatio per præceptum inducta ad agendum diem festum in honorem talis Sãcti. Hîc non de illo priori agimus, sed de hoc posteriori; nam sunt valde diuersa, quia prius potest esse sine secundo vt patet in multis sanctis, quorum festiuitates non celebramur, licet canonizati sint; secundum autem necessariò supponit primum, non potest enim in venerationem alicuius hominis mortui festum dicari, nisi supponatur Ecclesiæ legitimè propositus tãquam sanctus, & cum Christo regnans. De hac ergo legitima propositione loquitur Alex. III. in dicto c. 1. de qua in materia de Fide, & de Summo Pontifice agendum est. Alia verò decreta, quæ Episcopis tribuũt dictam facultatem, loquuntur tantum de secundo, id est, de præcepto obseruandi diem festum, supposita materiæ capacitate, vt rectè intellexerunt ibi Innocent. Ioan. Andr. & Abbas cum Gloss. in c. vnic. de Reliq. & Vener. sanctor. in 6. & Gloss. in c. 1. de Conse. d. 3. Siluest. Ver. *Dominica*, nu. 3. contra nonnullos Canonistas, qui dixerunt, posse Episcopos sine præuia Canonizatione, vel approbatione Pontificis, festos dies hominibus sub opinione sanctitatis defunctis dicare. Sed illi fortasse iuxta morem antiquissimum Ecclesiæ locuti sunt, quando ex tacita voluntate Pontificis Summi id permittebatur Episcopis cum consensu Metropolitanorum; sed iam non licet sine expressa Pontificis approbatione iuxta Decisione Alex. III. Imò ille apertè significat non se de hoc nouam legem ferre, affirmat enim etiam ante illud decretum id non licuisse.

Alexand. 3.

Expeditur.

Innocent. Ioan. Andr. Abbas. Gloss. Sylvest.

6. Quid supponendum, vt ab Episcopo possit festum solius Dei præcipi.

Vnde vlteriùs addo, etiam in festis, quæ ad solius Dei venerationem ordinantur, vt est verbi gratia festum Trinitatis, si speciali præcepto in aliqua Diœcesi præceptum esset (vt de eodem festo Trinitatis dicitur in cap. 2. de Feriis) necessariò supponendam esse veram fidem, & existimationem de tali mysterio iuxta dogmata ab Ecclesia Romana approbata: nam præceptum Episcopi solùm addit obligationem talis cultus, non verò fidem approbat. Et eadem ratione, quando

quando de Virgine, vel de Sancto aliquo, cuius felicitas, & sanctitas indubiè creditur ab Ecclesia, instituitur festum ob specialem aliquam rationem sanctitatis, aut propter sanctam Natiuitatem, oportet vt ratio illa, & veritas eius priùs ab Ecclesia Romana probetur, quàm tale festum publicè indicetur, vel præcipiatur, etiam in particulari Episcopatu. Quia oportuit festum, & religiosum cultum in veritate fundari, Episcopis autem non est commissa hæc facultas approbandi veritatem illam, aut mysterium, quod est fundamentum festiuitatis, sed supposita illa approbatione, data est iurisdictio præcipiendi cultum, etiam per festi approbationem. Et hac ratione olim nō placebat Bernardo eorum deuotio, qui conceptionem Virginis celebrabāt sine approbatione Romanæ Ecclesiæ, & meritò reprehenderetur si non posset illa festiuitas in alio, quàm in præseruatione fundari, ramē quia generatim celebrari poterat, vel in honorem primæ sanctificationis Virginis, quocunque tādem momēto facta fuisset, vel in gratiarum actionem ad Deū pro beneficio nobis collato, personam illam nobis dando, & producendo, ideò tolerāri potuit illa deuotio, quæ postea per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem confirmata est. Atque ad hunc modum de similibus particularibus festiuitatibus est iudicandum.

Bernard.

7. Vtrùm necessarius sit Cleri, & populi consensus.

Vlteriùs verò interrogari potest, an solus Episcopus possit hoc præceptū imponere sine consensu Cleri, & populi, vel necesse sit horum consensum simul concurrere. Et ratio dubitandi est, quia ferre præceptum de obseruatione festi, est actus iuridictionis, sed iurisdictio est tantùm in Episcopo, non in populo, vel Clero, nam ad laicum populum non pertinet legem ferre Ecclesiasticam, etiam particulariter, & cum clericis, sed tantùm obedire illis, Clerus autem cum sit subditus Episcopo, illius tenetur obedire præcepto, quia iurisdictio Episcopi licet non sit suprema, est quasi monarchica in suo Episcopatu, & ideò illius præcepto tenentur subditi parere. Et confirmatur ex vsu, quia Episcopi ad huiusmodi leges statuendas nō solent populum, vel Clerum in concilium vocare, sed sua potestate illas condunt. Respondeo, in rigore iuris, Episcopum non solum, *Sed cum Clero, & populo* posse præscribere leges de peculiaribus festis in suo Episcopatu seruandis. His enim ferè verbis eius potestas circa hunc actum limitatur in cap. vlt. de Feriis, & in cap. 1. de Consec. distinct. 3. Quibus locis id notant Doctores, præsertim Abbas num. 4. vbi allegat Innocent. & alios sequitur Angel. Ver. *Feriæ* num. 5. Tabien. num. 10. Sylvest. Ver. *Dominica* num. 3. Anton. 2 par. tit. 9 cap. 7 §. 1. Rationem verò deducit Abbas ex alio principio fortassè magis dubio, quòd ea, quæ possunt aliis afferre præiudicium, non possunt præcipi ab Episcopo sine approbatione, vel saltem non cum rationabili contradictione eorum, quorum interest. Quod principium ipse probat auctoritate Innocentij, Frederici, & Archidiaconi, non tamen ex iure nisi ex cap. *Gesta* i cap. *Vbi*, distin. 74. quæ prohibent Episcopis, ne aliquem inuitum ordinent, aut consecrent, quod longè diuersum est. Illud ergo principium licet sit consentaneum rationi, existimō tamen, in rigore solùm procedere in casibus à iure expressis, vel contentis in aliqua iuris regula. Quod mihi probat ratio dubitandi proposita, nam iurisdictio Episcopi de se monarchica est, nisi à superiori limitetur, limitari autem potest iure communi, vel à Pontifice; ergo quando non inuenitur talis limitatio, potest suos subditos obligare præcepto, aut lege sua, quæ non sit manifestè iniqua. Quòd si subditis grauis visa fuerit, non possunt sua resistere potentia, seu auctoritate, sed ad superiorem recurrere, secus verò erit, si potestas eius iure sit limitata.

Cap. vlt. Cap 1. *Abbas. Innocent. Angel. Tabien. Sylvest. Anton.*

Innocent. Frederi. Archid. Cap. *Gesta.* Cap. *Vbi*

In præsenti ergo omnes admittunt dictam resolutionem quoad Cleri consensum, fatenturque, iurisdictionem Episcopi in hoc casu esse limitatam, vt sine Clero non possit hanc legem ferre, ob dictum c. vlt. de Feriis. Quod non est speciale, sed frequens in his, quæ pertinent ad negotia Ecclesiastica, spectantia ad bona Ecclesiæ, vel commune ius Clericorum, vt constat ex toto titulo de iis, quæ fiunt à Prælatis sine consensu capituli, vbi specialiter videri potest Panorm. in cap. *Nouit*. Quamuis in his multùm valeat consuetudo, vt decernitur in cap. 3. de Consuetud. in 6. De altera verò parte, quæ ad populum spectat, Anton. de But. in dicto cap. vlt. negat, assensum, vel concursum populi esse necessarium propter rationem suprà positam, quia in his, quæ spectant ad Religionem, & bonum animæ, populus est subiectus Episcopo. Sed re vera dicta iura videntur contrarium expressè docere, nam æquè requirunt populi, ac Cleri consensum; imò dictum cap. 1. de Conse. distin. 3. nullam mentionem Cleri fecit, sed solius populi, sub eo tamen à fortiori includitur Clerus; vnde Abbas in dicto cap. vlt. dicit requiri consensum, vel saltem præsentiam populi. Addit enim, non esse semper consensum necessarium, quia si populus sine legitima causa contradicat, non obstabit eius dissensus. Et in confirmationem adducit cap. 1. de iis, quæ fiunt à maiori part. cap. & cap. 1. 65. distinct. Quæ iura non de populo, sed de sacerdotibus loquuntur. Vnde si aliquid in præsenti probant, etiam de Clero idem erit dicendum. Re tamen vera illa iura non probant, quia loquuntur, quando minor pars contradicit in his, quæ à capitulo, seu congregatione aliqua facienda sunt; tunc enim paucorum contradictio non obstat, nisi vbi aliqua ratio manifesta obstiterit, quæ coràm superiore probanda est, vt Gloss. notat in dicto capit. 1. de his, quæ fiunt à maiori parte cap. At in præsenti ius expressè videtur postulare consensum populi, & si totus populus contradicat, videtur censenda maior pars, & cuius maximè interest, ergo debet præualere. Præterea notanda sunt verba dicti cap. 1. de Conse. d. 3. *Quamsinguli Episcopi in suis Episcopatibus cum populo collaudauerint*. Vbi verbum, *collaudauerint*, requirit consensum expressum, vt notat Ægidius, quem refert, & sequitur Abbas in cap. 1. de his, quæ fiunt à Prælatis &c. nota. 2. num. 3. Ergo ex vi iuris, ac per se loquendo requiritur in præsenti casu consensus populi. Neque hoc videri debet præter debitū ordinem, quia cum huiusmodi præcepta non sint ad salutem populi necessaria, sed ad quendam maiorem ornatum, & deuotionem, & aliàs possit inde grauari populus, dum à suis laboribus, & lucris impeditur, meritò potuit iure statui, vt sine suo consensu non cogeretur.

8. Resoluitur quæstio.

Cap. Vlt.

Panor.

Cap. 3. *Anto. de But.*

Cap. 1.

Abbas.

Gloss.

Cap. 1.

Ægid. Abbas.

9.

Hoc autem videtur intelligendum, quando populus vnanimi cōsensu contradiceret, nam tunc præsumitur, ratione aliqua iusta moueri; & timeri meritò potest tale præceptum non esse futurum vtile, si cum tanta contradictione populi ponatur: ac denique, quia ius illi fauet. At verò si Episcopus cum Clero communiter conueniret, & aliqui de populo assentirent, licet plures cōtradicerent, tunc forte haberet locum opinio Abbatis, maximè vbi ratio contradictionis iusta, & clara non videretur, & tunc recurrendum videretur ad superiorem. Hæc autem locum habent ante latum præceptum: semel autem præstito consensu, & stabilito præcepto, non erit in potestate populi contradicere, & illud abrogare, nisi Episcopus consentiat. Episcopus autem potest solus illud abrogare, quia quoad hoc, potestas eius non est vllo iure præscripta. Intelliguntur etiam hæc, stando in iure communi, nam per consuetudinem videtur huic

iuri

iuti derogatum: solent enim Episcopi cum consilio Cleri, vel aliquorum de Clero hæc præcepta populo dare, illo non vocato, nec consulto: & similiter solet populus talia præcepta timere, & acceptare. Quæ consuetudo seruanda est, vbi introducta fuerit, iuxta cap. 3. de Consuetudin. in 6. Et nunc etiam censetur populus consentire, per hoc solùm, quòd non contradicit.

Cap. 3.

10. Quibus conueniat præceptum particulare de festo seruando cum generali.

Dico tertiò, præceptum hoc de obseruando aliquo festo particulari in extensione obligationis quoad loca, & personas differre à generali præcepto, quoad cætera verò omnia, ferè conuenire. Explico assertionem, incipiendo à posteriori parte. Nam si in hoc præcepto consideretur id, quod agendum, vel omittendum præcipitur in die festo, eiusdem rationis est præceptum hoc particulare, & vniuersale, id est, ad idem obligat, quia ius non constituit in hoc aliquam differentiam, sed eôdem modo, quo generalia festa obseruari mandantur, declaratur in Iure, vel etiam præcipitur, vt obseruentur festa, quæ Episcopi seruari præcipiunt in suis Episcopatibus: ergo in hac parte est quædam similitudo, & æqualitas. Quin potius etiam in gradu obligationis, seu solemnitatis potest esse non minor intensiuè (vt sic dicam) obligatio seruandi particulare festum, quàm generale. Quia licet generalis lex videatur habere quandam maiorem dignitatem, & consequenter maiorem etiam vim obligandi ex vniuersali potestate, quæ maior est, nihilominùs in particulari festiuitate quodammodo illa vniuersalis ratio imbibitur, quatenus ipsum commune ius præcipit obseruare festa ab Episcopis indicta. Et præterea ex particularibus rationibus potest augeri particularis festi obligatio, vt si sit insignis benefactor, & Patronus, vel ipsius reliquiæ magna populi veneratione colantur, & similia.

Æqualia possunt esse in solemnitate.

11. Conueniunt in tempore.

Deinde in tempore pro quo tale præceptum ponitur soler esse regulariter vniformitas: nam sicut festa generalia præcipiuntur pro vno die naturali per illa designato, ita etiam particularia, vt constat ex vsu, & ex paritate rationis. Dico autem *Regulariter*, quia interdum præcipitur festum particulare pro dimidio tantùm die, verbi gratia vsque ad meridiem: hoc enim in aliquibus diœcesibus fieri obseruauimus in die aliquorum Martyrum, vt sancti Blasij, &c. quod licet non sit frequens reprehendi non potest. Quia nullum est ius Diuinum, vel naturale, quod præcipiat, vt festum necessariò esse debeat viginti quatuor horarum, aut quod prohibeat vnam partem tantùm diei festiuam. Et alioqui illa determinatio est voluntaria, seu arbitraria, ergo nihil impedit, quominùs rectè fiat tantùm pro dimidio die. Item hoc modo potest quis voto se obligare ad vacandum Deo hora matutina tantùm, ergo & totus populus, ergo etiam per legem particularem potest obligari, quia potest iusta ratio subesse, nam vt aliqua vacatio fiat, potest suadere pietas, & gratitudo ad sanctum: vt tamen non fiat pro integro die, potest postulare populi necessitas. Et matutinum tempus sufficiens, & magis accommodatum iudicatur, propter Missam audiendam. Interdum verò alicubi præcipitur pomeridianum tempus in feria quinta hebdomadæ sanctæ (vt supra notaui) propter specialem venerationem illius temporis, & propter Stationes, & frequentiam populi Christiani. Hæc verò differentia accidentaria valdè est, quia non est in potestate, sed in facti contingentia; nam etiam posset Pontifex pro vniuersa Ecclesia præcipere festum dimidij diei. Quid enim obstat? Hactenus verò non fecit, quia non iudicauit necessarium; vel quia festa vniuersalia sunt digniora, vel quia vniuersales leges non descendunt ad hæc particularia. Ex his ergo satis patet assertio quoad posteriorem partem.

Posse obseruari festum solùm vsque ad meridiem.

Prior verò pars declarat propriam, & per se differentiam inter hæc festa, quam posuit Concilium Lugdunense in dicto cap. 1. addens, quod festiuitates Episcopales. *Vicinis tantum circummorantibus indicendæ sunt, non generaliter omnibus.* Ex quibus in primis constat præceptum de tali festiuitate non obligare extra territorium præcipientis. *Quia extra territorium ius dicenti, non paretur impunè.* Vt dicitur in Leg. vlt. ff. de iurisdict. omnium iudicum. Et cap. *Vt animarum.* De Constitut. in 6. Ex quo textu hæc pars sufficienter probatur. Et eius ratio ex eisdem verbis constat, quia actus agentis non extenditur vltra sphæram actiuitatis eius, sed vnusquisque Episcopus habet vt sphæram limitatam suæ iurisdictionis territorium suum, seu diœcesim, ergo extra illam non obligat. Vnde etiam concluditur differentia in ordine ad personas, nam ad seruanda vniuersalia festa tenentur omnes fideles totius mundi, & vbicunque existant, ad seruanda autem festa particularia, tantùm obligantur illi homines, qui intra locum talis territorij continentur. Et hoc sensu dictum est in dicto c. 1. has festiuitates solùm esse indicendas *Circummorantibus*, id est intra terminos diœcesis, vel loci, pro quo festum indicitur: Interdum enim solùm pro vno oppido, vel ciuitate iubetur. Sed de hac obligatione plura in sequentibus tractanda sunt.

12. Quibus tribus conueniunt. Conc. Lug.

Leg. vlt. C. Vt animarum.

CAPVT XII.

An Potestas laica possit obseruationem alicuius diei festi præcipere, sine Episcopi auctoritate.

1. Ratio dubitandi.

RAtio dubitandi esse potest, quia Princeps secularis subditis suis præcipere potest, vt aliquo die ab operibus obstineant, & festum diem agant propter diem Natalis sui, vel propter insignem victoriam aut aliam rationabilem causam. Dices, posse quidem hoc præcipere per modum politici honoris, non per modum cultus religiosi, sic enim feriæ tèporum propter temporales vtilitates interdum introduuntur. Sed contrà quia potestas secularis potest præcipere actus Religionis, sicut potest præcipere actus aliarum virtutũ Iustitiæ, Temperantiæ; Fortitudinis, cur enim non poterit? Hoc enim naturale est, & Reip. conueniens, ergo potest præcipere obseruationem festi alicuius etiam intuitu Religionis, vt ad gratiarũ actionem Deo faciendam, & consequenter potest etiam præcipere non solum vacare ab operibus aliquo dre, sed etiã opera Religionis exercere, vt audire Missam, & huiusmodi. Potest ergo festum aliquod instituere, & præcipere. Et confirmatur primò, quia vnusquisque Christianus potest se voto obligare ad diem aliquem obseruandum tanquam festiuum; ergo & Rex potest hoc præcipere subditis, quia votum est veluti lex priuata, quam sibi potest vouens imponere in materia Religionis: non est autem minùs potẽs voluntas Regis ad præcipiendum subditis, quàm vnusquisque ad sibi legem imponendam, eò vel maximè, quòd sicut potest priuata persona vouere festiuitatem aliquam, ita potest totus populus, seu tota Resp. illam vouere, possunt ergo sibi legem imponere in religiosa materia, licet ipsi laici sint. ergo etiam Rex, vel Princeps id poterit. Tandem consuetudo laicorum potest festum diem introducere, ergo & lex Principis laici, nam hæc proportione æquiparantur: Atq; huic parti fauere videntur multæ leges Codicis tit. de Feriis, vbi Imperatores

Cod.

tores de diebus festiuis,& de modo,quo seruandi sunt multa disponunt.

1. Negatiua pars approbatur.

Nihilominùs dicendum est,potestatem hanc indicendi,& præcipiendi dies festos, & cultui diuino dicatos,esse propriè spiritualem, seu Ecclesiasticam, & ita ad solos Ecclesiæ pastores pertinere, ideóque sine illorum consensu non posse Principes,vel communitates laicas festorum obseruationem præcipere. Ita sensit Panor.in cap.2. de Feriis, num. 2. Sylvest.verb. *Dominica*,num.2.Anton.2.p.ti.9.ca.7.§.1. & est clara, & communis. Sumiturque ex generali illo principio Iuris, quòd laici in spiritualibus nullam habent præcipiendi auctoritatem c. *Cum laicis*, de rebus Ecclesiæ non alien.cap. *Decernimus*,de Iudi.& cap.*Bene quidem*, cum tota d.96,& similibus:nam festorum obseruatio ad publicũ Dei cultum ordinata inter spititualia continetur,nam directè, & immediatè ordinatur ad bonum animæ,& ad sacra pertinet,ergo. Deinde potest speciale argumentum sumi à simili ex ca.vlt.de Reb. Eccle.non alien.ibi enim habetur, non posse potestates Laicas de mortuariis disponere, id est, leges ferre circa funera defunctorum,& modum,vel circunstantias in eis seruandas, quia illa omnia sunt annexa rei spirituali, & concernunt diuinum cultum, & bonum animæ,vt ibi Doctores adnotant,& in cap. *Ecclesia S. Mariæ*;de Constitut. Ergo eadem ratione non potest Laica potestas disponere de obseruatione festorum, quæ magis directe ordinantur ad diuinum cultum,& animarum profectum.Et confirmatur,quia aliàs si secularis princeps posset festa præcipere per se, & sine consensu Episcopi, posset etiam prohibere, nam est eadem ratio, consequens autem est contra debitum ordinem Ecclesiæ,nam Laica potestas debet esse subordinata Ecclesiæ in spiritualibus,& in omnibus,quæ ad illa ordinantur, aliàs sequerentur schismata,& diuisiones in Ecclesia, vel spiritualia impedirentur per dispositionem Laicorum.Itaque res est clara,& communis.

Panorm. Sylvest. Anton.

Cap. Cum Laicis. *Cap. Decernimus.* *Cap. Bene quidem.*

Cap.vlt.

Cap. Ecclesia S.Maria.

3. Respõdetur argumentis.

Ad argumentum ergo benè ibi respõsum est,posse principes seculares interdum præcipere subditis feriari à laboribus, vel mechanicis operibus ad ciuilem honorem, vel ostensionem lætitiæ, vel ad commodam gubernationem in ordine ad requiem, & salutem corporum, vel in ordine ad collectionem fructuum,& similia,vt constat ex tit.de Feriis Cod. & ff. Tamen in ordine ad religiosum cultum non pertinet hæc cura ad temporalem principem. Quòd si aliquando rex iudicauerit occurrere rationem aliquam sufficientem ad instituendum aliquod festum; debet per Ecclesiæ prælatos competentes id procurare, qui semper eius desiderio satisfacient, prout res postulauerit. Et ad replicam in contrarium respondeo, finem Religionis esse altiorem, quam sit finis potestatis secularis: nam hic sistit in conseruanda externa pace, & iustitia Reipublicæ, & non attingit opera Religionis, nisi quatenus ad illum finem conferunt, nam alia ratione non cadunt sub Laicam potestatem, sicut nec ieiunia, vel similia virtutum opera. At perfecta Religio primariò tendit in Deum, & ad illius cultum ordinat ipsam pacem, & externam Reipublicæ conseruationem, & ideò materia diuini cultus, & Religionis ad superiorem potestatem spectat,præsertim in lege gratiæ, in qua hæ potestates per Christum distinctæ sunt, & perfecto modo subordinatæ. Hac ergo ratione non pertinet nunc ad ciuilem potestatem leges condere in materia Religionis, quia debent ferri præcipuè in ordine ad salutem animarum, & ad diuinum cultum secundùm se spectatum. Quod si aliquando fuerit conueniens, spiritualia præcipere in ordine ad temporalia, id debent facere principes per superiorem potestatem, quæ possit illa omnia ad superiorem finem ordinare, & per altiora principia regulare. Vt si expedit publicam processionem facere ad obtinendum à Deo temporale beneficium salutis,victoriæ, aut fructus terræ, non potest princeps secularis immediatè illam præcipere, sed petere à Pastore Ecclesiæ, vt illam indicat. Idem est in ieiunio, & similibus. Idem ergo est in festiuitatibus seruandis.

4. Satisfit confirmationi.

Ad primam confirmationem de voto respondetur, non esse similem rationem, nam votum re vera non est lex, nec est actus iurisdictionis, sed est promissio Deo facta, cuius materia esse potest cuiuscumque virtutis actus, etiam ipsiúsmet Religionis: maior enim est Charitas, quam Religio, & tamen actus ipsiúsmet Charitatis possunt esse materia voti, quia potest quis illos Deo promittere, etiamsi merè interiores sint, ita ergo potest actum orandi, vel sacrificandi, & alios actus Religionis Deo promittere. Vnde non solum potest homo ad plura obligari per proprium votum, quàm per legem ciuilem, verùm etiam ad plura, quàm per legem Ecclesiasticam, vt patet de operibus consiliorum, & de actibus internis, nulla est ergo illa consecutio. Quapropter etiamsi votum sit totius populi, non obligabit in vi legis, sed tantùm in vi promissionis, ideóque tantùm obligabit vouentes, vel consentientes ipsis, quia obligatio voti est personalis,vt posteà videbimus. Vt ergo tale votum publicè seruetur ex obligatione ab his,qui non vouerunt,nec consentire voluerunt, necessaria erit Prælati Ecclesiastici auctoritas,quæ illis obligationem imponat in vi præcepti.

5. Sola consuetudo laicorum non potest introducere diem festum.

Ad id verò, quòd de consuetudine attingebatur, dicendum in primis est, solam consuetudinem Laicorum non posse propriam obligationem diei festi introducere,quia cum obseruatio diei festi communis esse debeat Clericis,& Laicis, & specialiori modo ad clerum pertineat,non potest sola consuetudo Laicorum legem vniuersalem introducere, nec Clericos obligare, iuxta communem doctrinam de consuetudine. Deinde, quod caput est, nec totius populi, & cleri consuetudo potest obligare in vi legis,nisi Episcopi consensus expressus, vel tacitus accedat. Ratio est, quia consuetudo non habet vim inducendi obligationem legis, nisi includat consensum, & voluntatem eius, qui posset expressè talem legem ferre, vt ex materia de Legibus suppono: Atqui sine voluntate Episcopi non potest hæc lex de obseruatione expressè ferri, vt dictum est, ergo nec consuetudine. Oportet ergo consuetudinem esse notam Episcopo, & ab eo esse, vel expressè, vel tacitè approbatam, & ita cessat obiectio. Oportet tamen in hoc actu seruandi diem aliquem vt festum, duo distinguere; vnum est,facere id,in quo cultus talis diei positus est, vt sunt ver. grat. audire Missam, & cessare ab operibus; aliud est, facere hoc ex obligatione ab alio imposita, & non tantùm ex deuotione; dico autem *ab alio imposita*, vt excludam obligationem voti. Potest ergo interdum approbare Episcopus actum illum ex deuotione factum, non habendo voluntatem imponendi obligationem, nec approbando illam, & tunc non sufficiet consuetudo inducere obligationem præcepti, quia sine voluntate obligandi eius, qui potestatem habet obligandi, nulla est lex, cum vera lex debeat esse signum illius voluntatis, hîc autem sine voluntate Ecclesiastici Prælati voluntas totius populi non sufficit hanc obligationem imponere,vt dictum est; oportet ergo, vt Prælatus approbet actum vt ex obligatione factum, seu, quod idem est, vt approbet obligationem. Et hinc valdè difficile est discernere,quando talis consuetudo sit introducta,

ducta, vt obligatoria, quando verò in vi tantùm deuotionis; existimóque vix posse discerni, nisi interueniat, vel expressa declaratio Episcopi, vel factum aliquod indicans talem voluntatem, vt si puniri faciat eos, qui festum non custodiunt, vel quid simile. Videtur etiam sufficere communis existimatio totius ciuitatis, aut Diœcesis, quam non ignorat Episcopus, & non corrigit, sed tacitè approbat.

6. Leges Codicis quomodo intelligendæ.

Ad vltimam partem de Legibus Codicis, memini me aliis locis latiùs dixisse, illas leges Codicis quæ in rebus Ecclesiasticis disponunt, vel non factas esse auctoritate Imperatorum tantùm, sed ex consensu, vel petitione Summorum Pontificum, vel si aliter factæ sunt per ignorantiam, vel potentiam, vsurpando iurisdictionem, non habere vim legum: Verumtamen de illis legibus in particulari, quę de sacris feriis loquuntur, dici potest, in eis non ferri leges de obseruatione festorum, sed suppositis Ecclesiasticis legibus præcipientibus talia festa religiosè obseruari, Imperatores Christianos, tanquam Ecclesiæ protectores, & defensores, suis legibus imponere pœnas contra legum Ecclesiasticarum transgressores: Hoc enim non excedit potestatem Principum secularium, maximè quando tales leges non reprobantur ab Ecclesia, sed tolerantur, & approbantur, vt vtiles ad disciplinam Ecclesiasticam muniendam, sic enim leges ciuiles ferunt pœnas contra hæreticos, & alios similes; quamuis seculares iudices illis legibus vti non possint, nisi postquam Ecclesia tulerit sententiam de culpa ad suum forum pertinente, & punitionem eius brachio seculari remiserit.

7. *Silvest. Anton.*

Quin potiùs indicant Siluester, & Anton. suprà, posse Principem secularem sua lege statuere festum sub tali pœna, quam iustè à transgressoribus exigat, etiamsi illi culpam non incurrant, eò quòd ad Principes non spectet festum instituere. Quæ sanè videntur repugnantia, nam si Princeps non potest talem legem ferre, ergo illa non est lex ergo non potest Princeps iustè exigere pœnam ab his, qui non seruant. Item si nulla interceßit culpa, quomodo potest esse iusta pœna? Dicendum ergo est, quando lex ciuilis cadit super festum ab Ecclesia statutum, & punit transgressores eius, tunc pura imponere pœnam, licet non obliget ad culpam, quia illam supponit contra superiorem legem, nonnihil vero aggrauat illam culpam virtualis quidam contemptus, qui tunc interuenit contra secularem Principem. Si verò lex ciuilis præcipiat feriari in die non præcepto ab Ecclesia, tunc sicut non obligat ad cultum religiosum, ita non potest secularis iudex iustè punire eum, qui diem illum, vt proprium festum non obseruat, vt v. g. quia non audit Missam, vel quia priuatim, & secreto opera seruilia exercet. Poterit tamen punire eum, qui ciuilem honorem publicum, qui per talem legem intendi potest, non obseruauerit. Tunc autem certè transgressores legis non erunt immunes ab omni culpa, non quidem contra religionem, sed contra obedientiam, vel iustitiam legalem, aut debitam obseruantiam, nisi fingamus, legem ferri purè pœnalem, quod non repugnat, sed ad præsens nihil refert.

A extra Diœcesim existentes teneantur tale festum obseruare, quando in loco, in quo existunt, non est festum sub præcepto indictum. Loquimur autem de his qui non mutarunt domicilium, sed solùm actualem præsentiam: seu existentiam; nam qui domicilium mutat, eo ipso desinit esse subditus, & ideò manifestum est, non teneri ad seruanda festa propria prioris territorij, seu Diœcesis, aut Parochiæ. De alio autem esse potest aliqua ratio dubitandi: Nam multi auctores docent, obligari aliquem legibus patriæ propriis, etiamsi absens sit, si non mutauit domicilium, vnde idem erit in hac lege de seruando festo. Tenet autem id Siluest. verb. *Ieiunium*, q. 2. dist. 2. & ibi Rosell. nu. 16. & Ant. 2. p. tit. 6. cap. 2. §. 2. Palud. 4. d. 15. qu. 4. art. 3. Fundamentum esse potest, quia ille semper est membrum illius communitatis, & ideò semper tenetur illi conformari in legum obseruatione; vel aliter, quia ille est subditus, ergo tenetur obedire præcepto sui Prælati, ac superioris: Secundò aliàs posset quis per fraudem subterfugere onus huius præcepti, vt ver. gr. in loco propinquo terminis territorij, posset quis in initio festi transilire trans territorij solum, vt laborare liberè posset; vel certè si festum tantum esset vnius oppidi, posset in vicinum ire, vel si in eadem ciuitate festum solùm esset vnius parochiæ, vt esse potest, liceret parochianis illius Ecclesiæ transire ad domos alterius Parochiæ, & ibi opera seruilia facere: Hæc autem videntur absurda, quia nemo potest per fraudem ab obligatione legis eximi, ergo.

Siluest. Rosel. Anton. Palud.

2. Pars negatiua eligitur.

Nihilominùs dicendum est, personas aliàs subditas, dum extra territorium, id est, Diœcesim, oppidum, aut Parochiam (respectiuè) versantur, non teneri ad hæc festa obseruanda. Hæc videtur esse communis sententia Doctorum in cap. *Vt animarum, §. Statuto*, de Const. in 6, vt notauimus in 5. to. 3. p. disp. 5. sect. 4. Item in cap. *A nobis*, 1. de Sent. excom. vbi Abbas nu. 11. & Felin. n. 6. Et hic alij referuntur. Idem tenet Nauar. in Manual. cap. 13. nu. 5. cap. 23. nu. 120. Couar. 4. Variar. cap. 20. num. 8. in fin. Et omnes, qui tenent, alienigenas, dum versantur in alieno Episcopatu, obligari statutis eius, vt videbimus dub. seq. Et probatur sufficienter ex cap. *Vt animarum*, vbi declaratur, non incurrere censuram per statutum Episcopi latam, qui extra territorium Episcopi agit contra statutum. Cuius decisionis ratio est, quia ille nō peccat contra statutum, sed aut nihil peccat, si aliàs actio, vel omissio non erat contra legem diuinā, vel naturalem, sed tantùm contra humanam; vel si peccat, erit ex alio capite, quia agit v.g. contra legem naturalem, non quia agat contrā statutum, nec quia sit contumax contra obedientiam suo Episcopo debitam, & ideò eius censuram non incurrit; illa ergo decisio euidenter supponit, statutum Episcopale non obligare subditos, seu personas Diœcesis extra Diœcesim peregrinantes. Vt latè declaraui in dicta disp. 5. sect. 4. & 5. Et ex ibi dictis multa sumi possunt in huius sententiæ confirmationem. Et ibi rationes vniuersales declarauimus, quia statutum directè, ac per se respicit territorium, & pacem illius, vel communes mores eius, vt in eo seruandæ sunt, & ideò non cadit in personas etiam subditas, nisi vt existentes intra territorium. Et ita in eodem cap. additur ratio: *Quia extra territorium iure dicenti non paretur impunè*: Nam cum iurisdictio, vt respicit territorium, intra illud limitetur, lex quæ pro territorio fertur, non potest extra illud obligare, quia iam excederet iurisdictionem.

Cap. *Vt animarum.* Cap. *A nobis. Abbas. Felin. Nauar. Couar.*

3. Cōfirmatur. *Augustin.*

Et confirmatur ex Aug. Epist. 118. & in cap. *Illa*, d. 12. dicente: Quòd non est cōtra fidem, & bonos mores, honestè obseruari debere iuxta morem eorum, inter quos viuitur. *Et ideò*, inquit, *in Sabbatho, si sum Romæ,*

CAPVT XIII.

An obligentur peregrini ad festa patriæ seruanda.

1. Vtrùm absens obligetur legibus patriæ.

HÆc quæstio generalis esse potest pro materia de Legibus, & in materia de Ieiunio, & aliis tractari solet, tamen etiam est huius loci propria, & est annexa his, quæ proximè diximus. Duo enim dubia inde oriuntur: Primum est, an subditi Episcopi

Romæ, ieiuno, si Mediolani, non ieiuno: Idémque refert *Ambros.* ex sententia Ambr. Ergo signum est, non teneri aliquem seruare in alio Episcopatu priuatum festum sui Episcopatus. Tota enim hæc doctrina, quæ receptissima est, habet locum in hoc præcepto de obseruando aliquo particulari festo; nam præceptum illud maximè respicit publicum ritum religiosum in tali loco seruandum. Et confirmatur: Nam de lege, vel consuetudine priuata ieiunij, vel abstinentiæ à carnibus in Lusitania verb. gra. pro vigilia sancti Antonij, certum est, non teneri Lusitanum ad seruandam illam, dum in Castella versatur, vbi non est talis consuetudo, vt omnes fatentur, & consuetudo ipsa satis ostendit; ergo idem est in obseruatione festi particularis; est enim eadem ratio.

4. Soluitur argumentum.

Ad rationem ergo dubitandi solutio constat ex dictis: Nam lex talis non fertur ad subditos absolutè, & secundum se spectatos, sed ad subditos præsentes, & existentes in tali loco, vel potius directè fertur ad locum, præcipitq; in eo seruari tale festum, & ideò non comprehendit absentes, quia non possunt seruare festum in tali loco. Ideóque licet alibi illud non seruent, non agunt contra obedientiam sui Prælati, tum quia non obligantur præcepto eius; tum etiam, quia re vera non agunt aliquid contra materiam præcepti, quia non violant festum in loco, in quo obseruari præcipitur, & ita eò ipso quòd sunt absentes, quasi mutant statum, ratione cuius materia talis præcepti in eis locum non habet. Ad inconuenientia verò, quæ *Nauar.* ibi inferebantur, Nauarrus supra expressè illa concedit, & infert tanquam corollaria: Ait enim, ex dicto principio inferri, quòd operarij, qui ad locandas suas operas vadunt in alias regiones, non tenentur obseruare dies festos suorum locorum, vbi ad tempus commorantur, & quòd in festis illis, quæ in propria Parochia obseruantur, non peccant, operas suas præstãdo in aliis Parochiis, vbi illa festa non seruantur, nec posse ob eas rationes puniri iustè, etiamsi in vigilia festi, vel etiam in eodem migrent à loco, vbi seruatur festum, ad alium, vbi non seruatur. Nego igitur, illa esse inconuenientia, quia in nullo illorum casuum agitur contra id, quod præceptum iubet, quod solùm est, vt præceptum in tali loco non violetur, nunquam enim in illo loco violatur, & licet præcipiat, vt seruetur in tali loco, non tamen præcipit ibi assistere ad celebrandum illud. Quocirca ibi non interuenit propria fraus, aut dolus, sed fuga quædam (vt sic dicam) obligationis præcepti, quæ tamen contra præceptum non est, & ita licet per se non sit bona, non est mala, sed erit bona, vel mala aliundè pro ratione finis, aut causæ, propter quam fit.

5. Nãuarri limitatio in Missa audiẽda.

Addit verò Nauarrus in hoc limitationem circa Missæ auditionem, dicens, nisi dies festus inueniat incolam in loco proprio, vbi festum seruatur, quã Summistæ posteriores secuti sunt, vt videre licet in Ludo. Lop. 1. par. Instruct. cap. 25. §. *Nec peccat*, Sairo lib. 7. ca. 3. num. 12. Manuele in Sum. 1. p. cap. 122. & Emanuele Sà, in sua Sum. Sed de hoc dicemus commodiùs infrà cap. 15. in fine.

CAPVT XIV.

An obligentur peregrini ad obseruanda festa loci, in quo versantur.

1. HOc est secundum dubium superiori affine, videntur enim hi peregrini ad hoc non teneri, quia non sunt subditi, & lex non obligat, nisi subditos eius, qui legem tulit. Nec verò sola præsentia in tali loco facit subditos, quia illi non mutarunt domicilium, nec deerunt esse subditi alterius Episcopi.

A Vnde confirmatur, quia soli perpetui habitatores obligantur legibus ciuitatis, argum. l. *Debitor*, ff. de Pign. ergo similiter in proposito. Confirmatur secundò ex l. *Hæres*, §. *Proinde*, ff. de Iud. vbi dicitur, peregrinum, eò quòd in transitu emat, aut vendat, non comparare forum alicubi, nisi ibi ex proposito, & modo stabili ad negotiandum commoretur, & redditur ratio, *quia durissimum est, quotquot locis quis nauigans, vel iter faciens, delatus est, tot locis se defendat* Ergo similiter in præsenti non obligatur quis ad seruandum loci festum, eò quòd ibi casu inueniatur statim discessurus, quia durissimum est, tot statutis, & consuetudinibus obligari, quot sunt loca, quæ in peregrinando mutat. Neque valet argumentum, quod B ex puncto præcedenti sumi potest, quasi à commutata proportione, scilicet, nam siquis eximitur ab obligatione legis sui territorij, quia est absens, ergo è contrario obligabitur legibus alterius territorij, cui fit præsens: Non est enim similis ratio, quia ad obligationem duo requiruntur, scilicet & subiectio, & materia præcepti; in priori autem casu, licet subiectio non desit, deest materia præcepti, quæ per absentiam mutatur, & tollitur, vt declarauit; in præsenti verò casu semper deest subiectio, licet materia præcepti intercedere videatur, & ideò non oritur obligatio, nam ad excusandum, defectus vnius conditionis ad obligationem necessariæ sufficit, ad obligandum verò necesse est, vt omnes conueniant, & C nulla deficiat.

In hac re variè loquuntur Doctores. Prima ergo sententia esse potest, absolutè negans, aduenas obligari legibus loci, in quo morantur, nisi perpetuo habitaturi illùc accedant. Ita sentit Gloss. in cap. *Quæ contra*, d. 8. ver. *Aut peregrini*. Quærit enim, an peregrini, vel scholares obligentur dictis legibus, & prius ex illo textu, & aliis argumentatur pro parte affirmatiua; postea verò in contrarium obiicit leges à nobis allegatas, quibus concludi videtur, solos perpetuos habitatores obligari legibus ciuitatis; & nihil respõdet, vnde videtur hoc sentire: & cum in quæstione posuisset tã peregrinos, quam scholares, videtur indistincte loqui de omnibus extraneis, siue parùm, siue diù ibi maneant. Idẽ sentit Glos. in c. *Illa*, d. 12. ver. *Veneris*. Nam licet dicat, *referre, an sint moraturi, vel citò recessuri*, tamen remittit se ad dicta in priori Glossa; & ita in eodem sensu videtur intelligere distinctionem, vt soli illi dicantur esse moraturi, qui ibi perpetuò mansuri accedunt. Et ita planè sentit Archid. dicto c. *Illa*, ver. *Serua*, referens Host. Palud. 4. d. 15. q. 4. art. 3. num. 24. & ibi Palac. disp. 8. §. *At verò*, Ledes. 2. p. Quarti, q. 17. art. 3. §. *Tertiò dico*, indicat Siluest. ver. *Ieiunium*, q. 2. dum ait, *Si veniunt animo habitandi*, idem Rosella eodem verbo, num. 19. Medina Cod. de Ieiunio q. *Quando necesse est ieiunare*, & Turrecremata in dicto c. *Quæ contra*, n. 8. qui etiam ait, *nisi velint ibi habitare*, idem in dicto c. *Illa*. Hæc verò sententia non potest conuenienti ratione defendi, & ideò non cẽseo illam practicè probabilem, nec enim sufficit multitudo Auctorum sine ratione, aut fundamento probabili, maximè in re, quæ multùm potest vergere contra bonos mores. Quis enim dicat, scholares Conimbricenses, qui per magnam anni partem ibi morantur, non teneri ad audiendam Missam in diebus festis propris illius Episcopatus? Profectò est contra communem sensum, & contra omnem bonam gubernationem, est etiam contra rationem, vt statim videbimus.

Propterea est secunda opinio, quæ præcedentem moderatur, distinguítque inter habitationem perpetuam, & transeuntem præsentiam, & diuturnam habitationem, per quam non acquiritur domicilium,

Le. *Debitor.* Leg. *Hæres.*

2. Prima sententia. *Gloss.*

Gloss. Cap. *Illa.*

Archid. Hostiens. Palud. Palac. Ledes. Siluest. Rosel. Medim. Turrecr.

3. Secunda sententia.

quia non fit cum animo ibi perpetuò manendi, quod ad domicilium requiritur, vt est receptum apud omnes, sed acquiritur quasi domicilium iuxta ea, quæ tradimus in 4. tom. tractando de ministro confessionis, vbi exempla posuimus in scholaribus manentibus in loco Vniuersitatis, seu Studij per magnam anni partem in curialibus, mercatoribus, &c. Dicit ergo hæc opinio, non solùm ratione domicilij, sed etiam ratione quasi domicilij obligari aliquem ad seruanda festa localia, quandiu alicubi manet, non verò propter quamcumque aliam permanentiam transeuntem, etiamsi multorum dierum, vel plurium etiam mensium sit. Hanc opinionem quoad omnes eius partes tenet satis expressè Felinus in cap. *Quod Clericis* de Foro Compet. Vbi refert, & approbat sententiam Dominici in dicto ca. *Quæ contra*, ille enim reprobat opinionē Glossæ supra citatam, quatenus æquiparat scholarem peregrino, quoad hoc, quod non obligatur statuto loci vnde ait, scholares obligari, quia acquirunt forum, licet non acquirant domicilium. Vnde sentit ad hoc sufficere quasi domicilium, peregrinum autem non obligari contraria ratione, quia nec domicilium, nec quasi domicilium, nec forum acquirit. Pro eadem sententia citari possunt Auctores, qui specialiter de peregrinis, vel transeuntibus negant obligari statuto loci; de aliis autem diutiùs ibi commorantibus affirmant obligari, & nihil distinguunt in modo commorandi. Quomodo videtur sentire Anton. 2. part. tit. 6. cap. 2. §. 1. Medin. 1. 2. q. 96. art. 5. Distinctiùs autem, & copiosiùs Sancius in 1. tomo de Matrim. lib. 3. disput. 18. q. 1. Vbi refert Speculat. & plures alios.

Felin. Domin. Gloss. — *Anton. Medin. Sancius. Speculat.*

4. Prima pars relatæ sentē tiæ approbatur. Ratio Asser.

In qua sententia maximè probanda est pars prior affirmans, habitationem ita diuturnam, vt ad forum acquirendum, & quasi domicilium sufficiat, sufficere etiam ad obligationem seruandi festa loci, & idem est de similibus statutis. Ratio est primò, quia hoc genus permanentis habitationis sufficit ad acquirendum forum in ordine ad vsum Sacramentorum ordinatium, & cōuenientem ad professionem vitæ Christianæ, ergo etiam sufficit ad subiectionem habēdam Episcopo loci, imò & ad actus iurisdictionis voluntariæ satis est, id est, ad dispensationem, vt est probabilis multorum opinio, ergo multò magis sufficiet ad obligationem seruandi omnia festa, & statuta loci, pertinentia præcipuè ad commune regimē spirituale animarum illius loci. Secundò, quia per se est valdè absurdum, quod isti non teneantur viuere toto illo tempore secundùm legem patriæ, & quòd etiam non teneantur viuere secundum legem loci, in quo habitāt. Tertiò quia similiter est valdè exorbitans à ratione, quòd ciuitas publicum festum obseruet, vel ieiunium, & tamen scholares ibi permanenter habitātes, & qui interdum esse solent magna pars populi, non conueniant cum ciuitate in his cōmunibus moribus Christianorum, negari enim non potest, quin tunc illi sint pars illius populi, & in illis locum habeat axioma Augustini, turpem esse partem, quæ non consonat toti.

5. Cōfirmatur. *Bulla. Gregor. 13. Nau. Tiraquel. Panor.*

Et confirmari hoc potest, quia isti solent interdum vocari incolæ, & habitatores alicuius ciuitates, vt sumitur ex Bulla Gregorij XIII. de anno Iubilæi apud Nauar. tract. de Iubilæo nota. 32. vt ipse notat Ver. *Incolæ*; & ex multis, quæ adducit Tiraquel. de Retract. lignagi. §. Gloss. 2. num. 26. & Panormit. in capit. *Quod Clericis*, de For. compet. num. 5. Vbi hac ratione dicit, acquiri forum per hanc habitationē diuturnā, & ex iure, & doctoribus id latè confirmat, ergo hi habitatores meritò obligantur ad seruanda loci festa, & statuta. Deniq; confirmari hoc potest ex dicta leg. *Hæres absens* §. *Proinde*, ff. de Iudi. quatenus, ait, mercatores sortiri forum per diuturnam permanentiam ad negotiandum, etiamsi domicilium perpetuum ibi non figant, ergo idem erit in præsenti, & ex sequentibus hæc pars latiùs confirmabitur. Declarant autem, & bene citati auctores, non oportere, vt aliquis priùs in loco faciat magnam temporis moram, quam obligetur legibus loci, sed satis esse, si ad locum veniat, & ibi morari incipiat cum intentione permanendi diuturno tempore, quo solet studium, aut negotium durare. Quia sicut ad acquirendum domicilium non requiritur mora, vel successio temporis, sed translatio actualis habitationis cum proposito perpetuò permanendi (vt rectè Silvest. Ver. *Domicilium*, num. 2. & bene Nauar. de Iubil. ad §. *In Leuitico*, not. 32. §. *Incolæ*, n. 43. & in Consil. 4. de Const. nu. 43. & Sancius suprà disput. 23.) ita ad acquirendum quasi domicilium sufficit habitatio cum proposito, est enim eadem ratio.

Silvest. Nauar. Sancius.

6. Quanta mora sit necessaria, vt quis ad leges teneatur.

Sed quæres, quanta mora temporis, saltem animo, & proposito concepta sit necessaria ad obligationem fundatam in hoc titulo quasi domicilij. Quidam ex dictis Auctoribus postulant maiorem partem anni. Itaque requirunt vel explicitum propositum permanendi ibi pro maiori parte anni, vel (quod perinde est) intentionem existendi ibi tempore necessario ad talem actionem, quæ regulariter, aut semper requirit ad minus partem anni maiorem, ita sentit Silvest. ver. *Domicilium*, nu. 2. quatenus ait ad perceptionem Sacramentorum necessarium esse habitare in aliqua Parochia per maiorem partem anni, ex Innocentio cap. *Omnes*, de Pœnit. & remis. Sed licet hoc sine dubio sufficiat ad acquirendum quasi domicilium, & habitationem simpliciter, tamen quòd id sit necessarium, nimis restrictum est, & non potest sufficienti ratione probari; nam etiam habitatio quatuor, vel quinque mensium est satis diuturnum tempus, vt quis dicatur ibi habitare eo tempore, vel accedere ad habitandum ibi, quando accedit animo habitādi per plures menses, etiamsi non sit maior anni pars. Vnde placet mihi, quod Nauar. loco suprà citato dicit, satis esse accedere cum animo habitandi ibi ad tempus incertum, putà ad tale negotium, quod solet tardiùs, vel citiùs fieri, moraliter autem requirit notabilem durationem; vel, (si quis non determinat actionem, nec tempus) satis esse accedere cum animo viuendi ibi pro aliquo tempore diuturno, non determinando illud; vel denique si determinet tempus certum, satis esse, quòd sit adeò magnū, vt arbitrio prudentis possit dici esse ibi habitator. In quo addo, licet in ordine ad alios effectus possit fortè iuxta hoc prudens arbitrium, postulari maior anni pars, nihilominùs in ordine ad eum, quem nunc tractamus, non videri hoc rationabile arbitrium, quia etiam pro minori tempore prudenter postulatur vniformitas cum toto populo in publica obseruatione festorum, vel similium legum propriarum talis loci, quod ex sequenti puncto apertè constabit.

Silvest. — *Innocent. Cap. Omnes.* — *Nauar.*

7. Secūda pars relatæ sententiæ refellitur.

Altera ergo pars huius sententiæ, nempe ad hanc obligationem esse necessarium quasi domicilium, & omnes aduenas breuiùs commorantes alicubi, vel peregrinantes, & transeuntes per varia loca, non teneri ad seruanda localia statuta; hæc (inquam) pars mihi nullo modo probari potest. Est ergo tertia sententia, quæ indifferenter ait, peregrinos, & aduenas obligari legibus loci, in quo inueniuntur, & consequenter teneri ad festa seruanda, ieiunia, &c. Ita tenet Maior. 4. d. 15. q. 5. Dried. li. 1. de Libert. Christia. c. 17. §. *Vna est*, Ledesm. 1. p. 4. q. 15. art. 2. dub. 2. Lud. Lopez 1. p. Instruct. cap. 52. §. *Vnaquæq; ciuitas*, Couar. lib. 4. Var. cap. 20. n. 8. circa finem, Nauar. in Manual. cap. 13. n. 5. in fine, clariùs in cap. 23. nu. 120. Vbi de ieiunio loquens ait, peccare, qui vescitur carnibus

Tertia sententia. *Maior. Dried. Ledes. Lopez. Couar. Nauar.*

Leg. *Hæres absens.*

transeundo per alias regiones, etiam quando licitè illis vescereturin terra sua,& in fine subdit,idem esse dicendum de festis,& similib is præceptis. Citat Panor. in c. *Consilium*, de Ieiun. obser. vbi num. 6. expressè dicit, quòd peregrini in ieiuniis,& similibus debent se conformare consuetudini loci, & ad hoc inducit textum in dicto cap. *Consilium*, & Gloss. ibi: Addítque posse peregrinos ad hoc compelli per Episcopum, vbi clarè supponit habere Episcopum iurisdictionem in hos,subdit tamen pro ratione, *Ne sit alicui scandalum*, de qua ratione infrà dicam: Idem Abbas cap. *A nobis*, 1. de Sent. Excom. & ibi Host. & in Sum. tit. de Obser. Ieiun. §. *Quando ieiunandum*, num. 5. Porcius in dicto §. *Sed & quòd Principi*, num. 26. Cardinal. Immol. & Bonifa. in Clem. 2. de Celebrat. Missar. idem sentit Archid. in dicto cap. *Quæ contra*, quatenus ait, peregrinum ligari statuto loci, per quem transit, & pro transgressione eius posse puniri. Hanc etiam partem indicat Angelus ver. *Ieiunium*, n. 7. licet non de Missa, sed ieiunio agat. Et pro hac sententia faciunt omnia, quæ circa c. *Vt animarum*. de Const. in 6. diximus in d. dis. 5. sect. 5. tom. 5.

Panor. — Cap. Consilium. Gloss. — Abb. Hostiens. Porcius. Cardin. Immola. Bonifac. Archi. Angel.

8. Sententia vera proponitur.

Hæc verò sententia ita indifferenter, & generaliter intellecta non videtur æquè certa, quia infra illos duos modos domicilij, & quasi domicilij potest esse magna latitudo in modo existendi alicubi, & in modo ibi permanendi; & non in omnibus approbatur à Modernis hæc sentétia, & re vera non est æquè certa in vniuersum. Possumus ergo subdistinguere alios duos modos. Vnus est, quando quis peruenit ad locum, vbi per aliquot dies moretur, vel recreetur, vel negotietur, ita vt ille sit quasi terminus peregrinationis, & viæ, licet quis in illo, paruo tempore duraturus sit. Alius modus est, quando præsentia in tali loco solùm est in transitu, tanquam in hospitio viæ, prandendo, vel pernoctando, & statim discedendo sine alia mora. Quando ergo præsentia est prioris modi, dicendum omninò censeo cum præcedenti sententia illam sufficere, vt quis teneatur ad festum, vel statutum loci seruandum. Duobus autem modis hoc fundari potest, vel in consuetudine, vel in vi legis, & iurisdictionis. Cum enim contraria opinio maximè fundetur in defectu iurisdictionis ferentis talem legem in personas sibi non subditas; aliqui hac ratione fatentur, hos extraneos non teneri ad has leges seruandas ex vi subiectionis suæ, seu iurisdictionis alterius; nihilominùs tamen aiunt teneri ratione consuetudinis; nam omnes fideles, qui per dies aliquos alicubi manét, si in eis occurrat festum, vel ieiunium loci, existimant, in conscientia se teneri ad seruandum illud; at consuetudo huiusmodi solet inducere obligationem; vt constat ex materia de Consuetudine, ergo. Confirmatur, quia talis est rationabilis, & necessaria ad bonos mores Reipublicæ, quia sæpè huiusmodi externi sunt plures, & habent amicos, & socios loci incolas, qui facilè inducuntur ad non seruandum festum, vel non ieiunandum, si alij, quos comitantur, id faciant, ergo talis consuetudo meritò obligat exteros, vt se potiùs aliis conforment quàm eos impediant. Dices. hoc esse ratione scandali. Respondeo, licet vitatio scandali sit occasio, vel indicium obligationis, non est tamen propria ratio obligationis, sed consuetudo est sufficiens ratio.

Duplex modus permanendi in loco.

In consuetudine potest fundari obligatio hæc.

9. Ex Augustino confirmatur.

Atque hoc modo probari etiam potest hæc sententia ex August. dict. cap. *Quæ contra*, seu 3. *Confess.* dicente, vitanda esse flagitia, quæ sunt contra mores hominum, & subdit. *Vt pactum inter se ciuitatis, aut gentis consuetudine, vel lege firmatum nulla eius, aut peregrini libidine violetur, turpis enim est pars suo vniuerso non congruens.* Peregrinus enim certè non dicitur, qui alicubi habet domicilium, vel quasi domicilium: loquitur ergo Augustinus de extraneis hominibus per paucos dies alicubi existentibus, & in eis censet, esse flagitium rumpere leges hominum, inter quos pro tunc habitant. Et in ratione, quam adducit, expendo Augustinum hos etiam peregrinos numerare inter partes illius vniuersitatis, vt hac ratione teneantur non dissentire à toto. Præterea in dicto cap. *Illa*, seu Epist. 118. cap. 2. loquens de his moribus, & legibus ait, *Nec disciplina vlla est in his melior graui, prudentique Christiano, quam vt eo modo agat, quo viderit Ecclesiam, ad quamcúmque fortè deuenerit.* Vbi planè de his peregrinis loquitur, non dicit tantùm apertè, hoc cadere sub obligationem, sed esse bonum, & prudens consilium; infrà verò addit. *Pro eorum, inter quos viuunt, societate seruandum est.* Et statim refert, quomodo in simili dubitatione Matris suæ consuluerit Ambrosius, eiúsque responsum in summa fuisse. *Ad quam fortè Ecclesiam veneris, eius morem serua, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quémquam tibi.* Et addit Augustinus, se suscepisse hanc sententiam Ambrosij tanquam cœleste oraculum, & cap. 4. addit, *Violare quietem, & pacem, qui illam non seruant*, in quibus omnibus non paruam obligationem indicat, sempérque de peregrinis loquitur, & in consuetudine fundatur.

Cap. Illa.

10. Non solum consuetudine, sed etiam ea iurisdictione tenentur peregrini ad festa loci, in quo sunt.

Addo verò, non solum ratione consuetudinis, sed etiam per se ex vi legis, & ratione iurisdictionis, teneri huiusmodi peregrinos ad seruanda hæc festa, & statuta. Quod in primis ita declaro, quia licet consuetudo interdum habeat vim legis, nunquam tamen potest habere illam vim, nisi quatenus in iurisdictione aliqua fundatur; nam si sit in materia temporali; oportet, vt fundetur consuetudo in consensu Reipublicæ, vel communitatis habentis iurisdictionem ad ferendam legem, qua iurisdictione tacitè vtitur, quando in talem consuetudinem tacitè consentit, vel si communitas talem potestatem non habeat, requiritur expressus, vel tacitus consensus Principis, qui illam habeat; & in materia, & legibus spiritualibus necessarius est consensus Papæ, vel Episcopi cum proportione, vt suprà dictum est, & in materia de Legibus est notum. Interrogo ergo, à qua iurisdictione habeat vim obligandi hæc consuetudo, aut enim à iurisdictione illius communitatis, vel Episcopi illius loci, vbi festum seruandum est, & ita poterit etiá lex ipsa in vi iurisdictionis ferentis ipsam obligare peregrinos, etiam sine consuetudine, nam potestas, quæ dat vim consuetudini, potest legem ferre. Vel illa consuetudo obligat in vi alterius iurisdictionis; & hæc non facilè explicari potest cuius sit, vel qualis, quia non potest esse alterius communitatis particularis, vel Episcopi proprij ipsius personæ, quia minus potest obligare extra propriam Diœcesim, vel est iurisdictio Papæ per tacitum consensum, vel per ius commune præcipiens, vt hæ consuetudines seruentur, & hoc ius non videtur posse facilè ostendi, & illo dato non potest cómodè intelligi, nisi intercedat iurisdictio particularis prælati, aliàs hi peregrini tenerentur seruare hæc festa ex vi iuris communis, & non ex vi talium statutorum, aut particularium consuetudinum. Vnde potiùs videtur dicendũ, illam consuetudinem, vt aduenæ commorantes per aliquos dies in vno loco se conformét moribus loci in his, quæ ad communem vitam spectant, esse quasi ex iure gentiũ, & inde habere vim suam; tamen quia obligatio ad seruandum tale festum non est immediatè ex iure gentium, sed ex statuto talis Episcopatus, necesse est, dicere quasi communi iure gentium, & ex consensu omnium fidelium, & præcipuè Pastorum, & Pontificum, introductum in Ecclesiam esse, vt Episcopi possint suis statutis obligare, non solùm incolas, sed omnes ad tempus aliquod habitantes

tantes in suis Diœcesibus, vel locis sibi subiectis, ergò supposita illa consuetudine vniuersali, & quasi de iure gentium, obligatio iam est ex vi iurisdictionis episcopalis.

11. Variis indiciis ostenditur hæc iurisdictio.

Potéstque vlteriùs hæc iurisdictio variis modis, & indiciis ostendi. Primò à posteriori, quia Episcopi solent punire huiusmodi peregrinantes non seruantes festa, vel ieiunia sua, idque iustè ab eis fieri, docent Auctores graues Canonistæ suprà citati, quia non est verisimile, vsum tam frequentem Prælatum esse iniustum, ergò habent iurisdictionem coactiuã, & directiuam circa tales personas. Secundò à priori, quia hæc obligatio est necessaria ad bonum regimen proprij gregis, quia vt dicebamus, periculum est, vt multi incolæ non seruent legem si peregrini non seruant. Dices satis esse, quòd peregrini ex iure naturali teneantur ad scandalum vitandum. Sed contrà, quia sicut ratio scandali vitandi obligat ex charitate ad vitandam hanc, vel illam actionem, aut ad omittendam illam, ita potest inde sumi ratio sufficiens ad præcipiendum, vel prohibendum simpliciter, ne talis actio in tali loco fiat, ita vt non relinquatur vniuscuiusque arbitrio, an sequatur scandalum, necne, sed absolutè feratur talis lex, quæ considerat id, quod moraliter accidit, & ad vitanda incommoda publica certam regulam operandi statuit. Hoc ergo modo ex scandalo, quod moraliter timeri potest, si aduenę non conformentur populo in obseruatione festi, seu localis statuti, colligimus Episcopum loci, seu alium similem legislatorem habere ius, & potestatem ad obligandum omnes, qui actu degunt in tali loco, ad seruandam legem, & vniformitatem cum aliis, quia hoc est per se necessarium ad pacem, & bonum regimen talis loci, ergo hac ratione illi aduenæ, quatenus ibi existunt, sunt subditi gubernatori loci, quatenus ad illum spectat, paci talis loci consulere, & consequenter etiam statuere de moribus ad illam necessariis, ergo per se etiam, & directè obligantur tali lege, vel consuetudine.

Obiectioni Respõdetur.

12. Confirmatur ex potestate Principum Laicorum.

Et confirmatur, quia Princeps Laicus in multis casibus habet potestatem statuendi leges in terra sua, etiam in ordine ad peregrinos, quando respiciũt bonum, & vtilitatem suæ terræ, vel populi in ordine ad externam iustitiam, & pacem, ergo idem poterit Episcopus in ordine ad spirituale bonum. Antecedens constat ex vsu omnium regnorũ, & quia illa potestas est necessaria ad conseruationem, & bonum regimen reipublicæ in tali loco existentis: Item inductiõne, de lege prohibente deferre talia arma, vel extrahendi tales merces ex tali loco & similibus, de quibus per Bartol. Bald. & alios in l. 1. C. de iurisdict. Omni. iudi. Consequentia verò probatur, quia non est minùs perfecta spiritualis potestas in ordine ad suum finem, quàm sit temporalis in ordine ad suum, vtramque comparando ad suum territorium, ergò non solùm subiiciuntur Episcopo incolæ loci, sed etiam aduenæ in ordine ad leges, quarum generalis obseruantia in illo loco necessaria est ad bonum suarum ouium. Denique declarari hoc potest ex dictis suprà, & latiùs in 5. to. de Censuris: quia statutum per se primò respicit territoriũ, & ratione illius personas ibi de gentes, sed isti aduenæ pro tunc ibi degunt, & tenentur vti illo loco iuxta legis eius, & prout expedit ad cõmune bonum eius, ergo tenentur etiam hanc legem seruare.

Bartol. Bald.

13. Declaratur amplius.

Tertiò id declaro in hunc modum, Quia lex habet vim constituendi actum in tali, vel tali virtute iuxta exigentiam materiæ eius, & similiter habet vim constituendi medium virtutis, vt temperantiæ, & iustitiæ, ac denique habet vim præscribendi circumstantias necessarias temporis, & loci, vt actus in tali virtute honestè fiat, vt lex ieiunij facit, vt carnes hodie non sint materia temperantiæ, vel quod perinde est, vt hodiernum tempus non sit, quale esse oportet ad vsum carnium. Quod si lex illa limitata sit ad tale territorium, determinat etiã, locum illum pro tali tempore non esse conuenientem ad esum carnium, & similiter lex de obseruatione festi facit, vt opus seruile tali tempore, & loco factum sit contra Religionem. Illa autem lex simpliciter statuta est pro omnibus, qui hoc die in hoc loco sic operari voluerint, & indifferenter ponitur pro omnibus ibi morãtibus, ergò etiam respectu aduenarum illud opus tunc est contra Religionem, & prudentiam, quatenus dictat de circumstantiis seruandis ad operandum sine offensione Religionis. Neque hoc excedit potestatem legislatoris, quia habet plenam potestatem in talem locum respectu omnium, qui in illo operari velint, vndecúmque illuc veniant. Sicut si pretium tritici taxatum est tali loco, aduena ibi vendens triticum suum, tenetur ex lege iustitiæ seruare legem, & taxam; quia ibi illud est medium iustitiæ non solum pro incolis, sed simpliciter pro omnibus operantibus in illo loco in illa materia iustitiæ; habet enim Princeps potestatem ita constituendi legem iustitiæ in illo loco; de quo nullus dubitat. Vnde sumi potest optima ratio, nam statutum loci potest in materia iustitiæ constituere medium, quod aduenæ ibi seruare teneantur, etiamsi peregrini sint, ergò potest etiam constituere medium in actu temperantiæ ibi exercendo, à quocunque exerceatur, ergo similiter in materia Religionis, ad quam spectat præceptum seruandi festum. Et hoc modo facilè intelligitur, aduenam fieri subditum ratione loci, quia posita illa lege pro tali loco, illud est medium virtutis in illo loco, & non alibi.

14. Tandem non est contemnenda illa ratio. Quòd isti sic existentes in alieno territorio, eo ipso excusantur ab obligatione seruandi festa peculiaria suæ patriæ, alias similes leges, ergò meritò obligantur ad obseruanda festa loci, in quo existũt: debet enim esse æqua conditio præsentiæ, & absentiæ, vt seruetur conueniens distributio, & ne homines illi fiant liberi, & exempti ab omnibus legibus municipalibus, seu Episcopalibus, sine vlla legitima causa. Et quia ratio iuris postulat, vt sentiat onus, qui sentit commodum cap. *Qui sensit* de Regul. in 6. Neque obstat euasio supra insinuata, quia, vt ostensum est, non deest hîc sufficiens subiectio ratione loci, pro quo materia in tali virtute constituta est, vt dixi.

Cap Qui sensit.

15. Ab incommodo probatur.

Potéstque ab incommodo non parum hoc confirmari. Nam inquiro, qui dicendum sit de illo aduena, quando idem festum in vtroque loco tum præsentiæ, & domicilij seruatur ex statutis; vel consuetudinibus particularibus, non ex lege vniuersali Ecclesiæ; peto inquam, an tunc teneatur aduena seruare festum in loco, vbi est præsens? Absurdum enim videtur dicere, possit etiam tunc festum illud non seruare, quia absentia à proprio territorio non videtur illum excusare, cum in loco, in quo inuenitur, eadem sit obseruantia. Et ita Sancius suprà supponit tanquã certum, in eo casu non excusari. At verò aut contrarium dicendum est, aut inde concluditur nostra sententia: nam ille tunc non tenetur seruare festum in loco, vbi est præsens, ex vi constitutionis, aut consuetudinis suæ patriæ, quia hæc non obligat extra territorium, vt in superiori puncto dictum est. Ergo si obligatur, ex vi consuetudinis, aut statuti illius loci, in quo inuenitur, obligatur, quia non obligatur ex lege generali Ecclesiæ, vt supponitur, & oportet, vt ex aliqua lege obligetur, ergò nihilominùs obligaretur, si etiam in terra sua non esset eadem consuetudo, vel lex, quia supposita absentia illa nihil confert ad hanc obligationem, ergo vel etiam in eo casu non obligatur,

Sancius.

tur, quod reputatur absurdum, vel semper obligatur. Et confirmatur; nam in eo casu habet locum ratio, quòd ille non est subditus Episcopi loci, vbi est præsens, & lex alterius non obligat illum, ergò è contrario si tunc obligatur à lege loci, ratione eiusdem loci est subditus, neque ad hoc refert, quod in loco domicilij sit, vel non sit similis lex.

16. Solvuntur argumenta opposita.

Neque contra hanc resolutionem obstant, quæ in principio obiecta sunt. Nam principale fundamentum de carentia iurisdictionis in vno, & subiectionis in alio satis expeditum, ac declaratum est. Leges autem, quæ afferuntur, non sunt ad rem. Nam prima siquid probaret, concluderet, esse necessarium domicilium, & perpetuam habitationem, quod planè improbabile est. In illa ergò lege *Debitor*, non est sermo de obligatione legis, neque de habitatione necessaria, vt quis obligetur legibus loci: sed casus legis erat, *quando in pignus datur prædium cum omnibus ibi importatis, inductis, natis, &c.* An intelligantur comprehensi serui, qui ad prædium colendum mittuntur; & respondetur, *eos dumtaxat comprehendi, qui hoc animo à Domino missi essent, vt ibi perpetuò essent*, exponit autem Glossa *Perpetuò*, id est, quandiu ibi essent necessarij. Inde autem nullum potest sumi argumentum, quia in illo casu serui non erant dati, vel promissi per se in pignus, sed ad summum poterant comprehendi tanquam res accessoriæ, & connexæ cum prædio, quia verba pacti postulabant illam connexionem, quæ respectu seruorum non poterat esse alia, nisi destinatio illorum ad insistendum prædio. At in præsenti lex fertur simpliciter ad totum territorium, seu locum, & ad sui obseruationem non requirit aliam connexionem, nisi actualem habitationem, & vnionem cum cæteris de populo, quæ ex actuali habitatione nascitur. Alia verò lex magis videtur pertinere ad casum sequentem. Dico tamen, illam loqui de illo, qui transeundo per locum emit ibi, aut vendidit, & pertransiit, posteà enim non potest conueniri in illo loco, & meritò; quia per vnam transeuntem actionem non acquiritur forum quasi permanens & dans ius in alium, etiam absentem. At nos loquimur de obligatione, quæ durat solùm quandiù durat præsentia, & ideò nulla est similitudo. Esset autem non nulla, si ageretur de conueniendo aduena in eodem loco, in quo contraxit, antequam inde discederet, & tunc sine dubio potest in eodem loco conueniri, si fraudem commisit, vel si est debitor, aut non vult stare conuentioni factæ, vel quid simile. Et ita potiùs fauet exemplum.

Leg. Debitor. *Glos.*

17. Qui solùm in transitu, alicubi sunt, non teneri probabile est.

Superest videndum, an hæc resolutio habeat eodem modo locum in his, qui solùm in transitu, & tanquam in hospitio, & ad horam alicubi inueniuntur solum ad refectionem sumendam, vel ad quietem nocturnam, & statim sunt discessuri. Aliqui enim non putant esse admittendā obligationem hanc cum tāto rigore, tum quia esset res nimis onerosa, & scrupulosa iter facientibus, tum etiam quia consuetudo non videtur cum tanto rigore introducta; tum denique quia in moralibus parum pro nihilo reputatur, & ideò esse in transitu tantum non reputatur præsentia. Nam in iure, quod breui tempore durat, quasi non esse censetur, iuxta cap. *Nam & ego*, de verb. sign. vbi ex Hieronymi sententia dicitur, vocari vnigenitum Salomonem, quia prior frater vterinus statim mortuus est, & ideò quasi non fuisse censetur. Et iuxta c. *Ad audientiam*, iuncta Glossa, Verb. *Statim*, de Regular. dicente, *non dicitur factum, quod non durat.* Tandem addi potest argumentum, quia Sacerdos Græcus transiens per latinam Ecclesiam, non tenetur ritus Ecclesiæ Latinæ seruare, præsertim quoad consecrandum in Azimo, & multò minùs Latinus transiens per Græciam tenetur consecrare in fermētato, vt in 3. to. dis. 44. sect. 3. diximus, allegando Epistolā Leonis Papę, ergò similiter in proposito. Quoad hanc ergò partē potest contraria opinio probabiliter sustineri, & qui in praxi illa vti voluerit, nō peccabit.

Cap. Nam & ego. Hieron.

Cap. Ad audientiam. Glos.

18. Contrarium tamen certius.

Nihilominùs si consequenter loquendum est, censeo idem esse sentiendum de his trāseuntibus pro eo tempore, pro quo in tali loco quiescunt, seruata proportione quoad tēpus habile (vt sic dicam) ad obligationem, & executionem præcepti. Probatur primò, quia citata iura, seu testimonia Aug. indifferenter loquuntur de peregrinis, seu venientibus ad aliquem locum, siue parùm, siue multùm ibi sint moraturi. Secundò, quia rationes sumptæ, vel ex necessitate ad communem pacem, & vnitatem, vel ex necessitate præscripta in materia, & circunstantiis virtutis pro tali loco, æquè applicari possūt ad hos peregrinos citò trāsituros. Et similiter vrget inductio facta de lege taxante pretium, seruare enim tenetur illam etiam qui ad horas tantùm ibi manet. Item de lege non ferendi arma tali hora noctis, & similibus. Tertiò quia si extraneus non habens domicilium, nec quasi domicilium in aliquo loco, obligatur legibus loci, non possumus per maiorem, vel minorem moram hanc obligationē limitare, aut discernere, quia neque vlla regula moralis, & certa potest assignari ad hanc discretionem faciendam, neque ratio. Quia maior, vel minor mora non videtur dare iurisdictionem vni, vel subiectionem alteri. Vnde argumentor quartò, quia si non obligaretur viator ad seruandum festum loci, ad quem hospitij gratia peruenit, maximè esset, quia non est subiectus, at respectu agendorum in tali loco, & cōcernentium locum, est subiectus, nam hoc modo subiectus est, qui per paucos dies ibi commoratur, vt ostensum est. Et differentia illa permanentiæ maioris, vel minoris, seu quò sit tanquam in termino, viæ, vel tanquam in via ipsa, seu termino medio, videtur, & valdè materialis, & nimis speculatiua potiùs quàm moralis, ergò in omnibus his casibus idem est dicendum cum proportione.

19. Quintò induco rationem illam, quia statim, ac aliquis exit ex terminis sui territorij, desinit obligari lege territorij ad seruandū proprium festum eius, nec ad hoc consideratur mora temporis, aut loci distātia, sed satis est, vt sit extra territorium, ergò eadem proportione, vt obligetur lege alterius territorij, satis est, vt intra illud versetur, nulla spectata temporis mora, nam debet esse proportio, & æqualitas in onere, & commodo, seu in suscipiendo vno iugo, & abiiciēdo alio. Atque hinc potest vlteriùs argumentū sumi de his, qui nullum fixum habēt domicilium, sed semper vagantur, & ideò vagi dicuntur, vt distinguantur, à peregrinis habētibus alicubi proprium domicilium: Illi ergo licet nunquam sistant per moram notabilem in vno, vel alio loco, sed semper hûc, illúcque discurrant, tenentur seruare festa locorum, in quibus inueniuntur. Idémque est de similibus statutis, vel consuetudinibus, ergò & alij peregrini ad hoc tenentur. Patet consequentia, quia quòd hi habeant domicilium alibi, nihil obstat huic obligationi, cum eo ipso, quòd extra domicilium sunt, non obligentur legibus eius, manent ergo æquè liberi, & expediti, vt statutis aliorum locorum conformari debeant. Item è contrario, quia si peregrini non subiiciuntur his statutis, quia nec sunt incolæ, nec veniūt illûc animo manendi per aliquod tempus notabile: etiam isti vagi non sunt incolæ, nec veniunt animo manendi vt supponitur, ergò est eadem ratio. Dices, isti vagi, quia nullibi domicilium habent, censentur illud acquirere quocumque veniunt, non sic alij. Respondeo, proprium domicilium re vera non acquirunt, nec illud habent,

cum nunquam habeant animum manendi, sed dicuntur acquirere domicilium quoad effectus necessarios ad bonam eorum gubernationem. Ita ergo peregrini licet alibi domicilium habeant, tamē dum peregrinantur, perinde se habent quoad statuta domicilij, ac si illud non haberent. Ergo quoad hunc effectum eadem est ratio de illis, ac de vagis.

20. Quòd autem isti vagi obligentur, probatur, primò, quia isti vagi non possunt aliter acquirere iura seu effectus domicilij, secūdò quia aliàs isti essent exempti ab omnibus statutis & consuetudinibus Episcopalibus. Dices nullum esse inconueniens, eum, qui nullum certum domicilium, nec durabilem habitationem habet, nullis cōsuetudinibus, aut statutis particularibus obligari. Sed re vera est contra bonos mores talium personarum, & non posset esse sine perturbatione reipublicæ, & ideò meritò possunt isti vagi coerceri à Præfectis vrbium, & à Pastoribus Ecclesiarum ad se conformandum loco, in quo sunt. Vnde tandem confirmatur, quia aliàs contingeret, istos tam vagos, quàm peregrinos per multos dies, & menses alicubi morari, & nunquam obligari ad seruanda festa occurrentia in tali loco, & similia statuta. Sequela patet, quia si aliquis horum perueniat ad locum cum animo statim transeundi, non statim obligatur iuxta contrariam sententiam, ergo licet per occasionē differat discessum per vnum, vel alium diem semper habens animum statim discedendi, nunquam obligabitur, quia semper est in transitu, vt enim dixit I. C. in l. *Nihil interest*, 25. ff. de Capti. & postlimin. reuer. *Oportet, vt ea mente venerit, vt non illo reuertatur. Neque enim satis est corpore quem domum reduxisse, si mente alienus est.* Habens ergo animum transeundi, nunquā manet, etiamsi diu corpore præsens sit, sed transit, ergo si præsentia in transeundo non satis est ad obligationem, nec mora longa sufficiet cum illo animo. Consequens autem est inconueniens morale, & contra pacem, & bonam gubernationem, & potest esse occasio multarum fraudum, & perturbationum. Ergò rectiùs, & securiùs dicitur, quamlibet præsentiam sufficere ad hanc obligationem, dummodo cum debita moderatione, & proportione explicetur. Quòd quidem si prudenter fiat, nec scrupulosa, nec nimis onerosa videri poterit hæc obligatio. Quomodo autem id fieri debeat, breuiter in nostro casu explicabo, & inde facilè poterit ad alias materias applicari.

Leg. *Nihil.*

21. Duo spectāt ad obseruationem festi. Distinguenda ergo sunt duo, quæ ad obseruationem festi pertinent, & differentia inter ea est constituenda. Vnum enim est positiuū, scilicet audire Missam; aliud negatiuum, scilicet abstinere ab operibus seruilibus. Vnde primū vno actu, & vna particula diei impleri potest. Secundum verò habet tractū successiuum per totum diem, & per modum negatiui præcepti obligat semper, & pro semper intra illum diē. Hinc ergo facilè intelligitur, hanc posteriorem obligationem posse cadere in eum, qui peruenit ad talem locum etiamsi post horam sit discessurus, quia tenebitur pro illa hora non vacare operibus seruilibus, statim enim ac transierit etiam eodem die ad locum, vbi tale festum non seruatur, ampliùs non tenebitur ad seruandum festum, vt per se clarum est. Et pro illa hora, vel paruo tēpore vix potest esse obligatio grauis, saltem propter materiæ leuitatem; si tamen esset totum tempus ante, vel post meridiem, vel magna eius pars, tunc censeri potest materia grauis. In quo etiam omninò cauendum est, ne saltem publicè talia opera fiant, quia re vera tunc maximè procedunt rationes factæ, & saltem scandali periculum vitari non potest, si quis tamen occultè, vel noctu aliquid simile faceret addictus primæ opinioni, nō damnarē illum.

Ad posterius negatiuum tenetur transiens.

22. De auditione autem Missæ, quia breui tempore impletur, dubitari potest, an eo ipso, quod aliquis est in loco aliquo per tempus sufficiens ad audiendam Missam, teneatur illam audire, si potest. Nam videtur teneri ex rationibus factis, quia tunc obligatur præcepto de seruando festo, & potest illud quoad hanc partem implere. Sed dico in primis, eum, qui agit iter per locum, vbi dies est festiuus, etiamsi illac transeat hora Missæ, non teneri ad permanendum ibi pro tempore illo, vt audiat Missam, nec cessare ab itinere, si aliàs non erat sibi opportunum, quia tunc nulla est ratio talis obligationis, vt est per se notum. Nec rationes suprà factæ tunc habent locum, quia ille re vera non est ibi, sed illac transit, nec obligatur ad ibi operandum aliquid, nec ad permanendum ibi aliquo tempore, quia præceptum de festo non obligat ad permanendum (vt suprà dicebam) sed suppositā permanentia obligat ad obseruationem, & ita procedunt rationes factæ. Et de his transeuntibus dixit in hoc sensu Nauar. *Solum transitum non ita obligare*, vt ex contextu est clarum. Deinde licet contingat, in illo loco quiescere, tempore opportuno ad Missam audiendam, si indiget illo tempore ad necessariam actionem pro itinere, nec potest audire Missam, nisi à suo itinere retardetur, non credo teneri: Nam procedit ferè ratio proximè facta.

An teneat ad primum, quod est positiuum.

Negatiua pars vera est.

Nauar.

23. Quid, si dormiat in loco, vbi sequens dies festiuus est, non obligari ad audiendam Missam, si statim peruenturus est ad loca, in quibus festum illud non seruatur, quia non potuit tam breuis, & transitoria mora inducere tantam obligationem cum incommodo itineris. Secus verò est, quando aliquis moratur toto tempore matutino in loco, vbi est dies festus, etiamsi alienigena sit, & à prandio sit discessurus, existimo enim teneri ad Missam audiendam, quia tunc habent locum Iura, & rationes adductæ pro secunda sententia qua hoc etiam affirmat. Idemque dicendum censeo, si aliquis discedat summo mane ab illo oppido, vbi seruatur festum, quod simili modo seruetur in toto illo territorio, per quod vsque ad meridiem acturus est iter, nam procedit eadem ratio.

24. Regula generalis discernendæ moræ. Vnde obiter colligi potest generalis regula pro discernenda mora necessaria ad hanc obligationem, nam si obligatio sit præcepti negatiui, hæc semper vrget pro rata temporis, quo durat præsentia in tali loco, quia præceptum æquali proportione obligat pro toto tempore, & pro qualibet parte eius. Si verò obligatio sit præcepti affirmatiui, necesse est, vt quis sit in loco saltem pro toto illo tempore, quod ad implendum actum præceptum per se conceditur, quia aliàs præceptum non obligat talem personam, quia nec ratione domicilij, quod ibi non habet, agimus enim de peregrino, seu transeunte, non de incola, nec etiam ratione præsentiæ, quia est in puro transitu, nec tunc habet locum ratio scandali, nec alia ratio boni communis.

25. Soluuntur argumenta. Neque contra hanc doctrinam obstant in contrarium adducta. Ad 1. enim dico, esse quidem hoc aliquod onus, sed rationabile, & leue, quod facilè, & sine scrupulis tolerari potest, si considerentur, quæ diximus. Ad 2. potiùs consuetudinem fauere huic sententiæ, quia re vera omnes timorati obseruant talia festa, & se sentiunt obligari. Ad 3. ex illo principio, quod parùm pro nihilo reputatur, respondeo, quando res ipsa aliunde habet consummationem suam, licet paruo tempore duret, non esse paruam, dummodo duret, quātum necessarium est ad actum. Vt consensus prauus mortale peccatum est, etiam si breuissimo tempore duret, & illa parua duratio non facit, vt res illa pro nihilo habeatur; & in præsenti materia, si quis discedat à suo oppido, statim ac exit

ac exit terminos eius, desinit obligari statuto eius ad festa seruanda, etiamsi noctu reuersurus sit, quia ad hoc non consideratur duratio, sed absentia: ita ergo est è contrario. Nec iura, quæ afferuntur, obstant; nam illa interpretatio vnigeniti à Hieronymo tradita, & relata in dicto cap. *Nam & ego*, non est sine aliqua metaphora, & improprietate, vt notat Abbas in dicto cap. *Nam & ego*, & ideò non potest ab illa sumi argumentum. Vnde fortè Salomon dictus est vnigenitus, quia solus, vel primus ex legitimo matrimonio natus est. Vel etiam, quia quando natus est, iam prior erat mortuus, & sic parua duratio fratris dicitur ad hoc contulisse, quia iam ille non erat, at licet paruo tempore vixerit, verè filius, & genitus fuit. Sicut Pontifex electus, licet per horam tantùm viuat, verus Pontifex est, & in numero Pontificum computandus, licet B secundum æstimationem, & metaphoram habeatur, ac si non fuisset. In præsenti autem ad iudicandum de obligatione habenda est ratio veritatis, & durationis necessariæ ad tales effectus. Vnde etiam dictum illud Glossæ in dicto capite *Ad nostram*, *Non dicitur factum, quod non durat*, in rigore non est verum, vt ex re ipsa constat, & exemplis adductis de consensu prauo citò transeunte, & Pontifice electo, & paulò post mortuo. Dictum ergo illud solùm metaphoricè quoad aliquam considerationem sustineri debet, & præsertim in ordine ad præsumptionem, de qua in illo textu agebatur, scilicet, de tacita professione à qua statim quis resilit, nam præsumitur non consensisse, si autem consensit, nihil refert breuitas durationis. Hic autem non de præsumptione agimus, sed de veritate, C ad quam spectanda est mora sufficiens ad actum, & ad debitam conformitatem cum populo in obseruatione festi, maior enim mora accidentaria est ad hunc effectum.

Abbas. *Glossa.*

26. Cur Græcus nõ teneatur ad Latinorũ ritus quãdo inter eos est.

Ad vltimum de consuetudine Græcorum, & Latinorum, respondeo in primis ibi interuenire specialem rationem, quia ipsa Ecclesia ita interpretata est illos ritus, & vult illo modo seruari propter specialem rationem, quam attigimus in dicta disputation. 44. tomo 3. Clarum est autem quòd si lex ipsa ita lata esset, vt explicaret, se velle obligare incolas terræ, & non alienigenas illuc venientes, tunc eos non obligari, hîc autem agimus de lege, quæ indifferenter ponitur pro tali loco. Deinde addo, legem illam, vel consuetudinem quoad ritus accidentarios in sacrificio D seruandos non esse vniuersaliter, & indifferenter propositam pro omnibus fidelibus, aut pro omnibus Sacerdotibus, sed Ecclesiam ipsam admittere in hoc magnam varietatem, sicut videmus in multis cæremoniis, aliter Monachos, aliter verò Clericos celebrare. Neque hi obligantur illorum cæremoniis vti, neque è conuerso, etiamsi in aliorum locis, vel Ecclesiis celebrent, quia ipsæ consuetudines non sunt locorum, sed (vt ita dicam) personarum, seu statuum, ac professionum; statuta verò, de quibus agimus, localia sunt, & de se ad omnes fideles cuiuscumque professionis pertinere possunt.

27. Quomodo hæc extendẽ da ad festa generalia Ecclesiæ.

Vltimò tandem extendenda sunt, quæ diximus in his duobus punctis, ad festa generalia Ecclesiæ, quando ex consuetudine in aliquo particulari loco ablata E est obligatio, vt in inuentione crucis vel in festo Innocentum, aut aliis minoribus festis accidere diximus. Nam in his habent locum duo principia; quæ ex dictis colliguntur. Vnum est, incolas illius loci, in quo præceptum illud derogatum est, si extra illum inueniantur, vbi præceptum suam vim retinet, non posse vti iudulgentia sui loci, sed teneri ad seruandum festũ siue ibi maneant, siue sint in transitu. Patet à fortiori, quia si in alio loco seruaretur festum illud ex particulari lege loci, tenerentur illi alienigenæ se illi conformare, vt diximus, ergo à fortiori, si ex lege generali Ecclesiæ ibi non derogata tale festum seruetur. Sic dixit Felin. in dicto ca. *Quod clericis*. de For. comp. cum Cardin. in Clem. *Dignum*, de celebr. Miss. quæst. 5. peccare Catalanum comedentem carnes Tolosæ die Sabbathi, etiamsi in sua patria sine peccato posset eas comedere, quia extra locum consuetudinis non potest illa vti, vbi lex generalis in contrarium viget. Idémque dixit Nauar. cap. 23. num. 120. de Castellano comedente extrema animalium in die Sabbathi dum per Lusitaniam, vel Nauarram vagatur, vbi mos Castellæ non est receptus. Imò multi ex auctoribus, qui in legibus particularibus non censent aduenam transeuntem obligari ad earum obseruationem: nihilominùs in generalibus id fatentur, etiamsi in patria hominis alienigenæ ex consuetudine non seruentur. Quia leges illæ de se, & per se omnes obligant & derogatio, quæ alicubi facta est per consuetudinem, est quasi affixa illi loco, nec extendenda est, cum sit odiosa. Neque se habet vt priuilegium personale, quod cum persona incedat, quia nec isto modo introductum est, nec est vlla ratio, cur sic explicetur. Maximè quia ordinariè solent tales consuetudines introduci ex peculiaribus rationibus locorum, vnde etiam pro solis talibus locis introducuntur, aut permittuntur.

Felin. *Cardin.* *Nauar.*

Vnde contraria sententia, quam Palati, & alij nonnulli moderni docere ausi sunt, mihi non videtur practicè secura, quia nulla auctoritate, nec ratione satis probabili, nedum firma nititur. Aiunt enim, licet illud videatur priuilegium, nihilominùs eo gaudere, qui ad breue tempus foras exeunt redituri, quia fictione iuris habentur pro præsentibus. At enim cur non habentur etiam pro præsentibus quoad obligationem seruandi statuta localia, vel consuetudines addentes obligationem? Contra rationem enim videtur, habere illos vt præsentes quoad consuetudines relaxantes ius commune, & non quoad honestas consuetudines addentes aliquid iuri communi. Dicent fortasse, illum esse fauorem, & ideò ampliandum, hoc verò esse onus, & quasi odium, & ideò esse restringendum. Ego verò potiùs relaxationem communis iuris cẽseo esse odiosam, ideoque non esse extendendam præsertim per solam fictionem iuris. Maximè quia fictio iuris non extenditur vltra casus in ipso Iure expressos vel eandem rationẽ habentes, quod de præsenti casu dici non potest. Denique contrarium est consuetudine receptum & oppositum valdè nouum, & scãdalosum apparet, si Mediolanensis v.g. qui Romam peregrinatur, velit ibi in quatuor primis feriis Quadragesimæ carnes comedere, quia (vt aiunt) Mediolani id ex consuetudine licet, & idem est in exemplis supra allatis: Quamobrem censeo, non esse contrariam sententiam introducendam.

28. In 4 d. 15. disput. 8. post. 6. conc sol. 126. §. *At verò.* *Euasio.* *Impugnatur*

Aliud verò principium huic correspondens est, incolam loci, in quo festum, vel aliud præceptum iuris communis suam vim, & obligationem retinet, si perueniat ad locum, in quo ex consuetudine non obligat, etiamsi transeundo tantùm illic sit, non teneri pro tunc ad seruandum festum illud, & idem est de ieiunio, &c. Quod etiã est communiter receptum, vt patet ex Nauar. Couar. & aliis supra citatis. Et colligitur planè ex sententiis Aug. suprà adductis, quòd potest quisq; se conformare consuetudini populi, in quo inuenitur, in his rebus, quæ per se malæ non sunt. Ratio etiam proximè facta hîc applicari potest, quia relaxatio illa iuris communis per consuetudinem facta in tali loco, introduxit ibi priuilegium, quasi locale, vt eo vtantur omnes, qui loco etiam vtuntur, & in eo præsentes sunt. Nec oportet ibi fingere absentiam, eo quòd ille habeat animum citò redeundi, quia hæc obli-

29. Non teneri peregrinũ ad festum generale, si fit, vbi non celebretur. Petr. Ledes. de Matrim. qu 45. art. 5. punct. 8. dub. vlt. *Nauar.* *Couar.* *Augustin.*

obligatio, vel excusatio non in fictione, sed in veritate fundanda est. Atque hoc etiam habet vsus, nam Lusitani per Castellam transeuntes sine scrupulo vescuntur extremitatibus arietum in diebus Sabbathi, & sic de aliis.

CAPVT XV.

An sit in Ecclesia præceptum de Missa in die festo audienda.

1. Proponitur quæstio.

DVas partes, vt suprà dicere cœpi, habet hæc obligatio seruandi festa, vna affirmatiua est, alia negatiua, in quibus substantia illius consistit, quæ iam à nobis explicanda est: hactenus enim ferè tantùm ostendimus, præceptum illud esse, & simul attigimus causas eius, & quas personas obliget. Hoc ergo ca. & sequenti explicabimus, ad quid obliget, seu quid agere præcipiat, posteà verò dicemus, quid prohibeat.

2. Præceptum hoc ad audiẽdam Missam obligat.

Dico ergo primò. Hoc præceptum obligat ad audiendam Missam integram in diebus festis, quæ sub præcepto obseruari præcipiuntur. Hanc conclusionem tractaui latè in 3. tom. 3. part. tota disput. vltima, & ideò hic breuissimè rem totam perstringam, ad illum enim locum lectorem remitto. Conclusio ergo certissima est ex communi consensu, & traditione Ecclesiæ: certum est enim, hoc præceptum non esse diuinum, sed Ecclesiasticum. Potest quidem probabiliter dici, ius ipsum diuinum legis nouæ obligare omnes Christianos, vt interdum diuino Sacrificio intersint, illudque per Sacerdotem, & cum Sacerdote offerant, quia lex cõlendi Deum per sacrificium quasi naturalis est, & hæc determinata est in lege gratiæ ad sacrificium Missæ, & ideò ex vi institutionis illius diuini sacrificij videtur sequi hæc obligatio, vel saltem quòd sit diuino iuri valdè consentanea, vt dicta disp. sect. 2. dixi. Nihilominùs quòd hæc actio exercenda sit in singulis diebus festis, audiendo integrum Missæ officium, de iure Ecclesiastico est, tum quoad aliquam institutionem, nimirum orationum & aliarum cæremoniarum, quæ in Missa fiunt, quæ sunt ex institutione Ecclesiæ, præter substantiam Sacrificij, tum quoad præceptum de tali actione, quia Christus nunquam hoc determinauit ad tales dies, nec ad determinatum tempus. Ecclesia ergo hoc determinauit.

Vtrum sit de iure diuino.

3. Vbi, & quando sit hæc obligatio imposita. Cap. *Missas.*

Sed quæres, Vbi, & quando? Quidam censent, non inueniri hoc præceptum in iure scripto: quia solum inuenitur in capite *Missas* de Consecration. distinction. 1. Et illud nec est Concilij vniuersalis sed prouincialis, nec loquitur de omnibus festis, sed de Dominica, nec ad omnes fideles, sed tantùm ad seculares. Non multùm autem refert, An hoc præceptum sit satis expressum in aliquo Canone scripto, cum de vniuersali traditione, & consensu Ecclesiæ constet. Dico verò, hanc ipsam consuetudinem esse optimam interpretem iuris scripti, & ita etiam contineri hoc præceptum scriptum in citato Decreto. *Conc. Agath.* Nam in primis licet illud sit Concilij Agathensis prouincialis, tamen illud vniuersa Ecclesia acceptauit. Addo etiam, sufficienter haberi in *Synod. 6.* 6. Synodo, cap 8. quod non est ex Trullanis Canonibus, sed ipsius Concilij generalis, ibi autem dicitur, esse licentiam iter agendi in die Dominico, *dummodo Missa non omittatur*, quam prius audiendam esse dixerat, docet ergò hoc esse sub obligatione. Deinde iam suprà dictum est, dies festos esse æquales quoad obligationem præcepti, vnde, quòd statuitur de Dominica, intelligitur esse statutum de omnibus festis, sed nominatur Dominica, quia est veluti generale festum in quo fit prima determinatio temporis deputati ad diuinum cultum secundùm se, vt suprà explicatum est. Vnde in eodem Concil. Agathensi, cap. 21. supponitur in omnibus festiuitatibus esse Missam audiẽdam, tamen in solemnioribus esse ad communem Parochiam accedendum c. *Siquis* ead. dist. 1. de Conse. idem in c. *Quando*, & in c. *Qui die solemni* ex Concil. Aurel. & Carthag. Sermo etiam est generalis, & de tempore diei solemnis, id est, festiui, in quo fideles debent ad Missas conuenire, & inde non discedere, donec à sacerdote benedictionem accipiant, & in eadem distinctione sunt alia decreta hoc explicantia, vt videbimus. Et in Conc. Tribur. ca. 35. expressè dicitur, in diebus Dominicis, Sanctorum festis omnes Christianos debere ad Missas conuenire. Quod ergò de Dominica præcipitur, ad omnes dies festos extenditur, qui autem sint hi dies festi, breuiter perstrinxi in dicta disp. sect. 4. multò verò distinctiùs in superioribus capitibus. Et ex vtroque loco constat, hanc obligationem non extendi ad dies profestos, quia nullum est de hoc præceptum Ecclesiasticum. Denique quòd in illo Decreto seculares exprimantur, non refert, quia non est factum ad limitandum, sed ad augendum, seu ad ostẽdendum generalitatem præcepti, ita vt subaudiendum sit, *Etiam seculares*; nam clarum est, Religiosos, & Ecclesiasticos magis ad hoc obligari, & hoc etiam interpretatur consuetudo, & alia iura, vt latè dixi in dicta disp. sect. 3. vbi de personis, in quas hoc præceptum quoad hanc partem cadit, tractaui.

Cap. *Siquis.* Ca. *Quando.* Cap *Qui die.* *Conci. Aurel.* *Conc. Cart.*

Concil. Trib.

4. Antiquitas audiẽdi Missam in festo.

Addo verò, propter alteram partem interrogationis, hoc præceptum antiquius esse, quam Agathense Concilium: hoc enim post quingentos ferè annos post Christi ortum coactum est, traditio autem agendi diem festum per Sacrificij Eucharistici communem oblationem, ad quam omnes Christiani conuenire debent, longè est antiquior, & à tempore Apostolorum incœpisse videtur. Nam in Can. 10. Apostolorum, & cap. *Omnes fideles* de Conse. dist. 1. supponitur hic mos, & præcipitur, vt fideles non discedant ab his sacris conuentibus ante communionem. Clariùs Clemens lib. 5. Const. cap. vlt. in fine, *Cunctis* (inquit) *Dominicis diebus conuentus Ecclesiasticos celebrantes, lætitia fruimur.* Et lib. 7. cap. 31. *Die Resurrectionis Domini, quem Dominicum dicimus, conuenite sine vlla conuentus intermissione ad agendum gratias Deo, &c. vt sic sacrificium vestrum reprehensione careat, sitq; Deo acceptum, & gratum, qui de Ecclesia sua œcumenica dixit, In omni loco offeretur mihi sacrificium mundum, &c.* Ex quibus locis Clementis intelligi potest, quoties antiqui Patres docent festa, & solemnitates Ecclesiasticas celebrandas esse à fidelibus, præcipuè loqui de celebratione per Missæ sacrificium, & in hoc ponere quasi substantiam huius celebritatis. Vnde Iust. in Apolog. 2. pro Christ. in fine, describit modum, quo antiqui fideles in diebus Dominicis ad Missas audiendas conuenire solebant. Quem morem tempore etiam Hieronymi fuisse satis ipse indicat in Epitaphio Paulæ Epist. 27. ad Eustoch. capit. 10. dum ait, Paulam cum Virginibus solitam fuisse diebus Dominicis ad Ecclesiam procedere vtique ad Missam audiendam: nam illo die solitam esse celebrari, idem tradit in Epist. 53. ad Ripar. contra errores Vigilantij cap. 4. vnde Augustinus serm. 215. de Tempore ad omnes fideles ait; *Omni die Dominico ad Ecclesiam conuenite, si enim infelices Iudæi tanta deuotione celebrant Sabbathum, quanto magis Christiani in die Dominico soli Deo vacare, & pro animæ suæ salute debent ad Ecclesiam conuenire?* Et serm. 251. in Dominica, & solemnitatibus festorum soli Deo vacandum esse dicit, & *Vesperi etiam esse orandum in die verò* (subiungit) *nullus se à sacra Missarum celebratione separet.* Itaque constat, traditionem hanc Ecclesiasticam longè anti-

Can. 10. Cap. *Omnes.* *Clemens.* *Iust.* *Hieron.* *August.*

antiquiorem esse Concilio Antiocheno, & ex modo, quo a Patribus commemoratur, non obscurè colligitur fuisse introductam vt necessariam ad festorum obseruationem, & debitum Deo cultum, licet fortè rigorosa oblatio præcepti non fuerit in principio tam clarè proposita, sicut fuit posteà, quod ad præsentem Ecclesiæ statum non multùm refert.

5. Præceptum Missæ sub mortali obligat.

Secundò ergo dicendum est, hoc præceptum obligare ex genere suo sub mortali culpa, eámque committi per voluntariam Missę omissionem in die festo, etiamsi non ex consuetudine, vel contemptu omittatur, sed semel tantùm, aut iterum nisi excusatio sufficiens interueniat. Cõclusionem hanc latè probaui in dicta disput. sect. 1. Vbi retuli nonnullos Auctores dicentes non esse peccatum mortale transgressionem huius præcepti, nisi ex contemptu fiat, per contemptum autem consuetudinem interpretantur. Sed assertio est omnino vera, & communis, vt patet ex Palud. 4. dist. 15. quæst. 5. art. 1. Anton. 2. p. tit. 2. cap. 10. §. 1. Siluest. Verb. *Missa*, 2. quæst. 1. vbi dicit penè omnes hanc sententiam tenere. Item Panormit. in cap. 1. de Vit. & honest. Cler. num. 8. Lapus allegat. 58. Nauar. c. 21. num. 2. Caiet. in Sum. Ver. *Festorum violatio*. Sot. in 4. d. 13. quæst. 2. art. 1. Abulens. Exod. 20. quæst. 13. Ratio à priori est, quia præceptum hoc pertinet ad virtutem Religionis, quæ ex suo genere grauissima est, & Missæ sacrificium est etiam materia satis grauis, vt dicto loco satis ostendi, & variis exemplis confirmaui. Nunc solùm addo, quòd si vna transgressio huius præcepti voluntaria non est peccatum mortale, nec ratione consuetudinis esset culpa mortalis, quia plura peccata venialia non efficiunt vnum mortale, nec sola consuetudo sufficit, vt quod ex illa fit, censeatur fieri ex contemptu; aliàs mentiri ex consuetudine esset mentiri ex comtemptu, & consequenter esset peccatum mortale, quia quodlibet peccatum, licet per se leue sit, si fiat ex contemptu, est mortale. Imò transgressio regulæ non obligantis ad culpam, vel omissio consilij, si ex contemptu fiat, censetur communiter esse mortale peccatum, de quo latiùs agitur in materia de Legibus, vbi explicatur, quid sit contemptus, quod nec facilè, nec breuiter fieri potest. Est tamen ab hoc proposito alienum, quia frustra hic postulatur contemptus ad grauitatem transgressionis; aliàs præceptum de Missa audienda in die festo non esset proprium, & rigorosum præceptum, quod dicere erroneum est. Sequela patet, tum quia peccare ex contemptu non accidit tantùm contra præcepta, sed etiam contra consilia, quia tunc actio, vel omissio non accipit suam malitiam ex transgressione regulæ, cui per se opponitur, sed ex contemptu, qui est per accidens. Tum etiam quia si est rigorosum præceptum, transgressio illius satis deliberata non potest esse venialis, nisi ex leuitate materiæ; materia autem tota huius præcepti non potest dici leuis sine magno errore.

Palud. Anton. Siluest. Panor. Nauar. Caiet. Soto. Abulens. Ratio.

6. Si leuis pars Missæ omittatur, est veniale tãtum

Propterea enim additum est in assertione *ex suo genere*: per quam particulam significari solet, si peccatum sit cõsummatum, & integrum in tali specie, esse mortale posse tamẽ esse veniale ex leuitate materiæ, quod etiam in præsenti verum est, nam licet non audiatur integra Missa, si pars, quæ omittitur, leuis est, peccatũ non erit mortale, sed veniale, sicut in aliis præceptis vulgare est. Quando autem pars Missæ omissa censenda sit leuis, in dict. disput. sect. 2. sufficienter explicui. Vbi etiam declaraui latè quænam Missa sit audienda, vt præceptum integrè impleatur. Et in sect. 3. addidi, quid sit audire illam, & qua attentione audienda sit, vt præceptum integrè, vel sufficienter seruetur. Denique addidi in assertione, *Nisi excusatio sufficiens interueniat*, quia omnia præcepta positiua hanc patiuntur exceptionem, & multò faciliùs quando humana sunt, quibus autem ex causis possit hæc excusatio prouenire, tractaui latè in dicta disp. sect. 6.

Vnum verò superest explicandum circa tempus, pro quo obligat hoc præceptum, nam quoad hanc partem affirmatiuum est, cuius natura est, vt licet obliget semper non pro semper; ergo cum proportione participat hoc præceptum hanc conditionem, nam obligat semper in die festo, donec impleatur: non tamen pro toto die, nec pro qualibet parte eius. Dubitari ergo potest, quomodo assignandum sit certum tempus, pro quo obliget. Cui dubitationi non satisfaciet qui dixerit, obligare pro toto tempore ante meridiem, quia in toto illo potest præceptum impleri, & non extra illud, quia solum illud est ad dicendum Missam deputatum. Non inquam, hoc satisfacit omnino, tum quia etiam illud tempus est indefinitum, & non pro toto illo obligat præceptum, sed pro quadam parte illius satis breui, & de illa quærimus, quomodo designanda sit. Tum etiam quia ad hoc præceptum est quasi per accidens, quod Missæ dicantur tantum in tempore Matutino. Nam si Missa vel ex occurrenti occasione, aut necessitate, vel ex consuetudine recepta, & approbata, vel ex priuilegio dici posset hora secunda, vel tertia pomeridiana, satisfaceret huic præcepto, qui vsque ad illud tempus auditionem Missæ differret. Igitur præceptum de se indifferenter obligat ad audiendum Missam in qualibet parte temporis illius diei, in quo inueniri possit. Vnde si in pluribus horis eiusdem diei festi Missæ copia possit haberi, liberum homini relinquitur, vt in quacumque hora velit, possit præceptum implere. Et tũc, quamuis horam anticipet, pro qua nondum præceptum vrget, sufficientissimè illud implet, neque oportet tunc assignare tempus illud, pro quo præceptum obliget, quia iam tempus illud quasi præuentum est; vt sic dicam. Si verò auditio Missæ dilata est vsque ad vltimam horam diei, in qua potest Missæ copia inueniri, pro illa hora vrget iam hoc præceptum, quia est quasi vltimus terminus obligationis, extra quem impleri non poterit; neque aliter potest certum aliquod tempus, pro quo obliget hoc præceptum, determinari. 7.

Vnde infertur, posse hoc præceptum impleri statim post mediam noctem, si tunc Missa dicatur, vt notat Siluest. Ver. *Missa* 2. quæst. 1. quia iam auditur Missa illo naturali die, & hoc tantum præcipitur. Et similiter è conuerso sequitur, quod vbicumque possit dici, & de facto dicenda sit in aliqua hora post meridiem, non teneatur quis audire Missam anteà, etiamsi possit, quia talis determinatio in ipso præcepto formaliter non continetur, neque ex vi, & forma præcepti affirmatiui colligi potest. Et eâdem ratione è conuerso si alicubi Missa tantùm dicenda sit hora 8. vel 7. vel alio antecedente matutina, ibi, & in tali die obligare præceptum pro tali hora, & non posse aliquem licitè, nec bona fide tunc scienter eludere præceptum, non audiendo Missam illa hora eo prætextu, quod præceptum non obligat pro tali hora, sed absolutè pro toto tempore matutino; & ideò posse illius executionem licitè differre vsque ad meridiem, quod si tunc Missa non inueniatur, esse per accidens, & inducere excusationem, est enim varius prætextus, quia præceptum non concedit positiuè, vt sic dicam, vt toto tempore antemeridiano possit differri Missa, sed simpliciter præcipitur, vt illo die audiatur, & consequenter virtute conceditur, vt possit differri, quandiu copia illius expectatur intra totum illum diem; quando verò iam futura non speratur, præceptum iam pro tunc obligat, & ideò non habet locum excusatio. Vnde etiam fit, vt teneatur homo præuenire, & audire Missam, quamprimũ potest in illo die, si probabiliter 8.

timet

timet superuenturum impedimentum, ratione cuius non possit post talem horam Missam audire, etiamsi alias defutura non sit, quia vt dixi, præceptum simpliciter obligat ad Missam audiendam in illo die, & tunc non potest aliter impleri, nisi audiendo Missam in illa hora, nam hic, & nunc, & in tali persona illa est quasi vltima hora diei apta ad implendũ præceptum in qua, & pro qua præceptum obligat. Et in hoc omnes doctores conueniunt, & consuetudo ita declarauit præceptum, neque esse potest vlla dubitandi ratio.

9. Atque hinc tandem fundari potest, quod suprà in fine cap. 13. hûc remisimus circa sententiam Nauarri dicẽtis, in festo locali alicuius oppidi, teneri incolam illius loci, quem dies festus ibi reperit, priusquam inde discedat, vel ad laborandum in vicino oppido, vbi festum illud non seruatur, vel ad iter agendum, audire B Missam, etiamsi post breuissimum tempus futurus sit extra territorium illius oppidi, pro quo solo obligat illud præceptum. Cuius rei rationem his breuissimis verbis reddit Nauarr. quia dies festus, vbi ipsum deprehendit, ad hoc ipsum obligauit. Posteriores verò Summistæ nullam rationem reddunt; nec in illis verbis explicatur, quid sit, cur ita obliget tunc præceptũ, quãdoquidem eius obligatio non durat pro toto die, quia non obligat nisi in illo territorio, & talis persona non est futura intra illud toto die, imò nec toto matutino tempore, & licitè, ac sine peccato discedit, quia præceptum non obligat ad permanendum ibi toto die, vt suprà dictum est. Vnde non desunt moderni scriptores qui probabilem censeant oppositam sententiam, scilicet posse in eo casu incolam discede- C re, non audita Missa, quia præceptum non obligat pro illa breui hora matutina, & posteà cessat omninò eius obligatio. Quòd si obiicias, præceptum obligare ad præueniendum, vt diximus; respondent, id esse verum quando obligatio præcepti duratura est eo tempore, quo superuenturum est impedimentum: nam tunc re vera homo obligatur præcepto, & licet possit excusari per superueniens impedimentum, illa tamen excusatio non habet locum, quando impedimentum fuit præuisum, & potuit præueniri per actum simpliciter præceptum illo die. At verò in altero casu non ita est, quia præceptum in re ipsa non obligat pro toto matutino tempore & ita postea non interuenit excusatio, sed totalis ablatio obligationis, qualem homo non tenetur præuenire. D

Sanches li. 3. de Matr. disput. 28. n. 21.

10. Sed hoc licet ingeniosè excogitatum sit, nihilominùs non videtur admittendum; tum quia in re practica, & morali non est facilè recedendum à communi sententia; tùm etiam quia hæc videtur esse consuetudo populorum, quæ pia est, & sancta, & non expedit, occasionem præbere oppidis ad minuendum suorum festorum cultum. Tum denique, quia ex dictis colligitur sufficiens ratio, nam hoc præceptum, quatenus affirmatiuum est, nec requirit, nec concedit aliquam certam temporis latitudinem, pro qua possit eius obseruantia differri, sed obligat, vt quam primùm possit, impleatur, si postea implendum non est, nam hæc est vis, & natura præcepti affirmatiui, si in illo aliud non exprimatur. In hoc autem præcepto audiendi Missam in die festo nihil aliud exprimitur, sed simpliciter im- E ponitur obligatio: postquã ergo hæc obligatio comprehendit personam, implenda est, quamprimùm possit, neque potest excuti, vt sic dicam, per solum voluntarium discessum, nisi priùs impleatur. Et in hoc, vt suprà dicebam, est magna differẽtia inter præceptum affirmatiuum, & negatiuum circa diem festum, quia negatiuum obligat pro toto tempore diei, & in singulis partibus eius pro illis tantùm impletur, & non pro aliis, & ideò potest seruari in oppido pro illo tempore, quo ibi permanetur, & pro altera parte eiusdẽ diei A extra territorium non seruari, præceptum autem affirmatiuum præcisè obligat ad vnũ actum, & per illum impleri debet, quam primum possit, si postea cessaturum est. Neque illa tunc est propriè præuentio, sed est solutio obligationis, quæ pro tunc vrget eo ipso, quòd ampliùs duratura non est. Et ita parum refert differẽtia assignata inter excusationem, & carentiam obligationis.

Posset tamen sententia Nauarri iuxta vim nostræ 11.
rationis non improbabiliter limitari, vt locum habeat, quando potest quis in eo casu hora matutina Missam audire, priusquam in aliud oppidum ad laborandum illo die discedat, nam tunc procedit maximè ratio facta, quam hoc modo etiam consuetudo confirmare videtur. At verò si toto illo tempore, Missa ibi non diceretur, quam posset homo audire, expectandum illi esset ibi vsque ad meridiem pro Missa audiẽda, at durum videtur hanc obligationem imponere, quia præceptum per se non obligat ad permanendum ibi, quia ratio præcepti negatiui ad hoc non obligat, vt omnes supponimus, ergo nec ratio præcepti affirmatiui, sed pro illo tempore, pro quo obligauit personam ibi existentem, per illam non stetit, quominùs illud impleret, vt in casu supponitur, ergo non apparet, vnde obligari possit ad expectãdum ibi vsque ad meridiem. Nec videtur hoc esse contra intentionem Nauarri, & aliorum, cum enim dicunt posse iri ad laborandum audita Missa, supponere videntur, hanc cõditionem debere esse ita possibilem, vt moraliter non destruat priorem partem, vt ferè destrueretur, si illa conditio cum maiori rigore esset exigenda. Accedit etiam quòd per modum excusationis potest hoc frequenter honestari, quia ordinariè casus hic solum habet locum in pauperibus, qui non videntur cum tanto grauamine obligãdi, vt labore suo, vel maiori parte ipsius priuentur, propter expectandam Missam, quando ad horam tantùm obligantur, & per illos non stat, quominus tunc audiãt. Sed nihilominùs in eo casu maximè cauendũ est scandalum, & consulenda, ac seruanda est consuetudo, & si circa hoc fuerit aliqua Episcopalis, seu Synodalis constitutio, obseruanda etiam est.

CAPVT XVI.

An die festo aliæ actiones sacræ sint in præcepto.

1. Hoc præceptum, quatenus affirmatiuum, nihil vltrà iubet.

REgula generalis est, hoc præceptum colendi Deũ in die festo, quatenus affirmatiuum est, non obligare ad exercendum intra illum diem alium actum diuini cultus, siue internum, siue externũ, præter Missam. Assertio est communis, præter paucos auctores in vno, vel alio pũcto, quod statim indicabo. Ratio autẽ vnica est, quia Ecclesia nihil aliud præcepit, quia nec scriptũ inuenitur tale præceptum, nec traditione, seu consuetudine habetur, & qui oppositũ senserit, oportet, vt alterutrum horum ostendat, meliùs autem hoc probabitur discurrendo per alias obligationes illius diei, quę vel ab aliis assertæ sunt, vel excogitari possũt.

2. An ad hoc spectet communicatio in die Paschatis. *Canon. Apost.*

Prima exceptio, & singularis est de die Paschatis, in qua obligamur ad communicandum, qui est actus Religionis, & ad cultum Dei spectans, Adde in Can. 10. Apostolorum dici, communione priuandos esse illos, qui in solemnitatibus sacris ab Ecclesia discedunt antequam Missa peragatur, & sanctam communionem percipiant. Sed hoc non est ad rem, quia illa obligatio non est ex vi præcepti obseruandi festum, sed ex vi alterius præcepti, cui accidentarium est, quod tempus illud, pro quo actus præcipitur, feriatum sit. Vnde qui non communicat illo die, si Missam audit,

audit, nullo modo peccat contra hoc præceptum, sed contra aliud. Adde, iam illud præceptum non esse determinatum ad diem festum; nam potest in diebus profestis antecedentis, sequentisq; hebdomadæ sufficienter impleri. Multò verò magis consuetudine sublatum est id, quod de communione videtur fuisse ordinatum, in illo Canone Apostolorum; si in hunc modum intelligatur, habere enim potest alios sensus, vt in 3. tom. 3. par. disp. 69. sect. 3. circa finem diligentiùs pertractaui.

3. Sitne præceptum orandi in festo. *Synod. 6.*

Secunda instantia esse potest de actibus orationis distinctis à Missa; nam in Iure distinctè hæc præcipiuntur in d. enim c. 8. sextæ Synodi dicitur, *Dei Dominici tanta debet esse obseruantia, vt præter orationes, & Missarum solemnia, & ea, quæ ad vescendum pertinent, nihil aliud fiat*, & infrà in necessitate datur licentia iter agendi; *ita dumtaxat, vt huius occasione Missæ, & orationes non prætermittantur.* Ergo orationes sub eâdem necessitate, qua Missa, constituuntur. Quòd autem illæ orationes à Missa distinctæ esse debeant, patet, tum ex accurata numeratione illarum, vt distinctarum; tum ex eo, quod Missa paruam diei partem occupat, orationes pro toto illo die imponûtur. Ad hoc etiam *Concil. Trib.* facit, quod id Concilio Tribur. sub Arnulpho ca. 35. dicitur, *Diebus Dominicis, & Sanctorum festis, vigiliis, & orationibus insistendū, & ad Missas cuilibet Christiano cum oblationibus est currendum.* Multaque similia leguntur in Concil. Matisc. on. 1. c. 1. Atque in hanc partem vi- *Conc. Mat, Abulens.* detur inclinare Abul. q. 13. in c. 20. Exod. nam reprehendit eos, qui dicunt hoc præceptum solùm obligare ad vacandum primatiuè à laboribus corporalibus, non verò ad vacandum positiuè Deo per orationes, &c. Inferiùs autem videtur id limitare dicens, *per orationes, vel Missæ auditionem.* Sed nec illa disiunctio est necessaria, quia præceptum definitè est de Missa audienda, & de oratione, quam intrinsecè includit, cum attentè auditur, & non de alio actu.

4. Pars negatiua approbatur. *Can. Omnes.*

Dicendum ergo est, hoc præceptum non obligare ad alias orationes fundendas in die festo præter eas, quæ in Missa dicûtur, assistendo, & attendendo ad illas. Hoc patet ex vsu Ecclesiæ, & ex d. Can. *Omnes fideles*, qui est decimus Apostolorum, per quem interpretandum est cap. 8. 6. Synodi, dicitur enim ibi, *Omnes fideles, qui conueniunt in solemnitatibus sacris ad Ecclesiam, & Scripturas Apostolorum, & Euangelium audiant, qui autem non perseuerant in oratione, vsque dum Missa peragatur*, &c. cōmunione priuari; ex quibus verbis constat, non præcipi alias orationes ex vi huius præcepti, præter illam, quæ in Missa fit, in qua iubentur fideles perseuerare, quia cum debita attentione debent illi assistere. Possuntque si velint alias orationes priuatas pro sua deuotione ibi dicere, vt in alio loco ostendi, non tamen tenentur, sed attendendo orationibus Sacerdotis, præcepto satisfaciunt. Extra tempus autem Missæ non tenentur aliis publicis orationibus Ecclesiæ, seu horis Canonicis assistere, vt infrà tractando de horis Canonicis videbimus. Nec etiam tenentur priuatas orationes domi, aut in Ecclesia dicere; quia, licet hoc optimum sit, & consulendum, non est positum sub obligatione præcepti. Cuius signum etiam est, quia præceptum positiuum de aliquo actu exercendo, semper datur de actu, & duratione determinata, Ecclesia verò nullum orationis tempus præscripsit fidelibus pro die Dominico, aut festo extra Missam, nec quid orare debeant, determinauit, nullum ergo est tale præceptum. Canones ergo, qui de orationibus loquuntur, vel intelliguntur de orationibus, quæ in ipsa Missa fiunt, vel si de aliis intelligantur, continent consilium, non præceptum, aut certè indicant tantùm finem præcepti, *Siluest.* vt dixit Siluest. ver. *Dominica*, q. 6. qui finis non cadit A semper sub præceptum, iuxta doctrinam communem D. Thom. 1. 2. q. 100. art. 9.

5. Obligentúrne fideles ad concionē in festo. *Conc. Carth. Cap. Sacerdote. Cap Omnes. Can. Apost. Augusti. Cap. Interrogo. Cap Inter. Conc. Later. Conc. Trid.*

Tertia instantia esse potest de auditione sacræ concionis. Videntur enim obligari fideles ad audiendam concionem in die festo, quando in publico Ecclesiæ conuentu fit: Dicitur enim in Concilio Carthag. 4. cap. 24. *Sacerdote verbum Dei in Ecclesia faciente, qui egressus de auditorio fuerit, excommunicetur*, cap. *Sacerdote*, de Consc. dist. 1. & in cap. *Omnes fideles*, ex dicto Can. 10. Apostolorum dicitur, debere fideles, qui ad Missas conueniunt, *Sanctas scripturas audire.* Accedit, quòd teste Augustin. lib. 50. Homil. homil. 26. non est minus verbum Dei, quàm corpus Christi; habetur in ca. *Interrogo*, 1. quæ. 1. Vnde ipse infert, non minus reum esse, qui verbum Dei negligenter audierit, quàm qui corpus Christi indignè tractauerit, ergo similiter non minus reus erit, qui concionem non audierit, quàm qui Missam omiserit. Præterea, pabulum verbi Dei maximè est fidelibus necessarium, vt dicitur in cap. *Inter cætera*, de Offic. ord. ex Concilio Lateran. sub Innocentio III. cap. 10. ergo non minùs, sed magis debet, quàm Missa præcipi. Propter quod aliqui Doctores dixerunt, in die festo præferendam esse sacram concionem Missæ, si vtraque simul audiri non possit. Denique in Concilio Trid. session. 24. cap. 4. de Refor. sic dicitur: *Moneat Episcopus populum diligenter, teneri vnumquemque Parochiæ suæ interesse, vbi commodè id fieri potest ad audiendum verbum Dei:* Est ergò hoc in præcepto.

6. Non esse in præcepto cōcionem.

Dico tamen, nullum esse præceptum, quod obliget in rigore, ac per se ad audiendam concionem in die festo. Ita supponunt vt clarum Doctores omnes, & constat ex communi vsu, & sensu fidelium. Item, quia nullibi extat hoc præceptum. Præterea est optimum argumentum, quia si fideles tenerentur audire cōcionem sacram, Pastores Ecclesiæ tenerentur prouidere, vt omnibus diebus Dominicis, & festis fieret concio in Ecclesia, Pastores autem ad hoc non tenentur, nec de facto ita fit, ergo. Dices, obligationem *Obiectio.* fidelium esse, vt concioni assistant, si fiat, quæ obligatio potest consistere, etiamsi concio nec semper, neque ex obligatione Parochorum fiat. Respōdeo, gra- *Soluitur.* tis affirmari illud primum, quia nullibi extat tale præceptum conditionatum, nec solet ab Ecclesia ita poni, & ratio declarat, quòd si oportuisset imponere populo obligationem audiendi concionem, cum fit, maiori ratione fuisset sacerdotibus imponenda obligatio illam faciendi, vel semper, vel pro aliquibus determinatis diebus.

7. Instantia. *Conc. Trid.*

Dices, ita esse impositam per Concilium Trident. sess. 5. c. 2. & sess. 24. c. 4. de Refor. Præcipit enim Episcopis & inferioribus Pastoribus, seu Parochis, vt saltem in omnibus Dominicis diebus, & solemnioribus festis populis suis per se, vel per alios prædicent verbum Dei. Respondeo, Pastores Ecclesiæ ex officio *Satisfit.* teneri ad prædicandum verbum Dei, & docendum, ac instruendum, & excitandum populum; hanc ergo obligationem ibi Concilium proponit, & quia de se non habet tempus definitum ex diuino iure, neque ex antiquis Canonibus, vt frequentiùs executioni mandetur, determinat, vt saltem diebus Dominicis, & solemnioribus festis hoc faciant. Non tamen videtur tam rigorosè, ac præcisè id præcipere, vt peccare grauiter censeantur, si interdum, vel sæpius illud omittant, quia non vtitur Concilium verbis tantam obligationem indicantibus, sed mandat, vt id faciant, illis diebus, & aliis per Quadragesimam, & Aduentum, *Si ita oportere duxerint*, vt ibi additur, *& aliàs quotiescunque id opportunè fieri posse iudicauerint.* Debent ergo Pastores hoc officium non negligere, & curare, vt diebus illis, quantum commodè fieri possit,

verbum Dei populo prædicetur; pro singulis tamen Dominicis & festis non est rigorosum præceptum, vt etiam consuetudo interpretatur. Et hoc satis est, vt ex parte fidelium non sit talis obligatio audiendi concionem singulis festiuitatibus. Imò sæpe teneri poterunt Pastores Ecclesiæ ad prædicandum, & nihilominùs ipsi fideles non tenentur ad audiendum ex generali præcepto positiuo; sed vnusquisque potest cõsulere conscientiæ, vt iuxta necessitatem suam se sentiat obligatũ, aut immunem. Obligatio enim Pastoris respicit totum populum, qui semper indiget verbo Dei, licet non singuli de populo èquè indigeant, obligatio autem fidelium ad audiendum est singularis, & personalis vniuscuiusque respectu sui ipsius, & ideò nec est ita generalis de se, nec habet tam certam temporis determinationem, sicut alia.

8. Explicantur capitis cuiusdam verba.

Ad illud ergo caput *Sacerdote*, respondetur, in primis non esse Concilij Generalis, sed Prouincialis; deinde cum non dicat, *Excommunicatus sit*, sed *excommunicetur*, videtur magis positum ad terrorem, & comminationem, quàm ad proprium præceptum, saltem quod sub mortali obliget. Præterea ibi non præcipitur fidelibus, vt audiant, sed, *vt sacerdote concionante, nemo egrediatur.* Si ergo antequàm incipere concionari quis egrederetur, non ageret contra illum Canonẽ, qui propter vitandam perturbationem, & scandalum, mandat, vt dum fit concio, nemo egrediatur. Et ita Angel. ver. *Feria*, n. 44 textum illum intelligit de eo, qui egreditur cum contemptu, vel scandalo. Denique licet in eo loco, vel tempore fortasse fuerit illud statutum necessarium propter vitãdam aliquam prauam consuetudinem, nunc de illa re nullum est peculiare præceptum, præter id, quod naturalis ratio de cauendo scandalo, & publico impedimento verbi Dei, dictat. Addo etiam, nunc posse Prælatũ monere cum qui aliquo modo in hoc perturbat Ecclesiam, vel est negligens in audiendo verbo Dei cum publico scandalo, & præcipere, vt audiat, & excommunicare, si sit contumax: Tamen hoc neque pertinet ad præceptum de seruandis festis, neque de facto est in præcepto iure ipso lato, licet per homines possit imponi. Aliud verò caput, *Omnes fideles*, non videtur loqui de concione, sed de lectione sacræ Scripturæ, id est, Epistolæ, & Euangelij, quæ in Missa recitari solet. Vnde in textu Gratiani additur, *Scripturas Apostolorũ, & Euangelium audiant*, quæ verba per paraphrasim aucta videntur; nam in originali non habentur illa duo verba *Apostolorum, & Euangelium.* Adde, ibi non præcipi, vt audiant, sed vt illi, qui audiunt lectionem sacram, non egrediantur, vel abeant, antequam sactum officium compleatur propter inquietudinem, & scandalum vitandum. Vnde sic concluditur, *Velut inquietudines Ecclesiæ commouentes, conuenit communione priuari*, vnde videtur Canon ille editus contra aliquos, qui ex aliqua perturbatione, aut falso ritu nolebant cum aliis in oratione, & sacris communicare, sed tantùm in scripturis audiendis, vt in dicto tomo 3. d. 69. sect. 3. circa finem dixi.

Angel.

9. Explicatur Augustin.

Ad Augustinum respondeo, non loqui de verbo Dei ratione sensibilis soni, sed ratione veritatis æternæ, & necessariæ ad salutem, quam proponit, vt rectè notauit Bellarm. lib. 2. de Euchar. ca. 24. circa finem: Et ita non posse inde inferri obligationem audiendi corporis aure verbum Dei, sed de obligatione corde recipiendi illud, quando fuerit ad salutem necessarium. Et ita dixit Augustin. curandum esse, vt verbum Dei, *De corde puro non pereat* Et licet inde possit colligi, interdum esse necessarium corpore audire verbum, vt mente possit veritas eius retineri, non tamen potest inferri, necessarium esse, vt id fiat diebus festis, nec quòd illa necessitas pertineat ad hoc præceptum

Bellarm.

de festorum obseruatione. Et hæc tantùm necessitas ex aliis iuribus probatur, & non alia, quæ oriatur ex speciali præcepto, qua hæc non est imposita. Nec habet eandem rationem cum Missa, quia cultus Dei per sacrificij oblationem èquè pertinet ad omnes, & ideò omnibus debuit imponi præceptum Missæ, necessitas autem audiendi verbum Dei non est æqualis in omnibus, nec est propter se, sed propter tollendam ignorantiam; & ideò non præcipitur omnibus generaliter, sed iudicatum est sufficere, vt ex parte Ecclesiæ, & Pastorum eius verbum Dei non desit, & vt inuitentur fideles ad illud audiendum, quia non debent omnia sub rigore præcepti constitui.

10. Non relinquẽda Missa propter cõcionem.

Quapropter probanda non est illa sententia, quæ præfert auditionem concionis auditioni Missæ in die festo; nam per se loquendo contrarium est omnino verum, & certum, vt dixi in dicto tom. 3. disp. vlt. sect. 1. in fine, quia præcepta præferri debent consiliis, vt ibi latius explicui. Denique ad Concilium Trident. respondeo, cum ipsummet addiderit, teneri, *vbi commodè id fieri potest*, satis declarasse, non loqui de rigorosa præcepti obligatione, vnde session. 22. ca. de obseruandis in Missa, ait: *Moneant Episcopi populum, vt frequenter ad suas Parochias saltem diebus Dominicis, & maioribus festis accedant:* quæ verba satis ostendunt, hoc non esse necessitatis, sed congruitatis. Dico præterea, fortasse Concilium non loqui de obligatione, quæ descendat ex præcepto Ecclesiæ, sed ex lege Charitatis, qua quis tenetur habere curam animæ suæ, non solùm adhibendo media simpliciter necessaria, sed etiam vtilia, quale sæpè est, concionem audire, & ita illa obligatio non pertinet ad hoc præceptũ. Et tunc monet Concilium, vt ad Parochiam accedant fideles, si commodè possunt, vel certè si in eis commodiùs instruendi sunt. Vnde etiam indicat Concilium obligationem iuris communis, qua tenentur fideles interesse Parochiis suis; additur autem: *Ad audiendum verbum Dei*, non quia hoc sit per se præceptum, sed quia hic etiam fuit finis Ecclesiæ, & quia est moraliter coniunctus cum auditione Missæ, si concio inter officium Missæ fiat, in rigore tamen non est ita præceptum, sicut Missa, neque nunc est in rigore præceptum Parochiis interesse, vt alibi dictum est.

11. An ad oblationes obligatio sit in festis.

Quarta instantia est de oblationibus factis, nam ad has etiam videntur obligari specialiter fideles in diebus Dominicis, & festis, nisi propter paupertatem excusentur. Ita enim declarari videtur in cap. *Omnis Christianus*, de Conse. d. 1. Et clarius in dicto Concil. Tribur. cap. 35. *Dominicis diebus, & sanctorum festis ad Missas omni Christianorum oblationibus est currendum.* Sed de hoc puncto videnda sunt, quæ supra lib. 1. cap. 2. tradidimus, vbi prius caput exposuimus; loquitur enim de oblationibus faciendis inter Missarum solemnia, non verò declarat in Dominicis, vel aliis festis diebus esse faciendas; & non habet verbum præceptiuum, sed solùm dicit, *Omnis Christianus procuret ad Missarum solemnia aliquid Deo offerre.* Quæ verba solum admonitionem, vel exhortationem quandam continere videntur; & ita potest etiam aliud Concilium intelligi, proponit enim non solùm substantiam actus audiendi Missam, sed etiam modum, & sæpè modus non cadit sub præceptũ, licet substantia cadat. Addo verò, licet ius oblationum possit consuetudine esse introductũ, obligationem verò, quæ inde nascitur, non pertinere ad hoc præceptum seruandi festa, sed ad aliud speciale, vel Religionis ratione alterius diuini cultus, vel iustitiæ ad ministros eius, quæ obligatio posset etiam extra diem festum impleri, vel per contrariam consuetudinem tolli, manente integro præcepto de obseruatione festi.

Cap. *Omnis. Consil. Trid.*

12. Quinta instantia esse potest de cultu merè interno per

Dilectio Dei est ex hoc præcepto exigenda. *Scot. Tabien.*

per dilectionem Dei super omnia, etiamsi homo sit in A statu gratiæ. Nam hoc affirmauit Scot. 3. distin. 27. a 1. Verb. *Quantum ad* 2. quem sequitur Tabiena ver. *Charitas*, num. 20. Non apparet autem, quo fundamento satis apparenti possit hæc opinio suaderi. Quia si respiciamus Decalogum, vel in illo non præcipitur specialiter amor Dei, vel si in aliquo præcepto includitur, magis in primo continetur, nec præcipitur pro determinato tempore, sed simpliciter. Si verò respiciamus Ecclesiasticum præceptum, nullum est, quod hanc imponat obligationem. Item hoc præceptum est de cultu Dei, atque adeò est virtutis Religionis, amor verò per se non pertinet ad cultum, nec ad Religionem, sed ad superiorem virtutem. Tertiò vt rectè

Caiet. argumentatur Caiet. 2. 2. q. 122. art. 4. tertium præ- B ceptum Decalogi non fuit de cultu interno, sed de externo, idémque est cum proportione de præcepto Ecclesiæ: amor autem etsi possit ex intentione cultus fieri, ad interiorem cultum pertinet, non ergo præcipitur hoc præcepto. Nec verò talis actus est necessarius homini iusto, vt possit dignè Missam audire, aut alium actum Religionis exercere, quia non est de necessitate actus honesti, quòd ab amore imperetur, nec etiam hoc pertinet ad particularia præcepta, ergo nullo titulo cadit sub obligationem talis actus pro omnibus festis.

13. Obiectio. Dices, Amoris præceptum non habet de se certum tempus, pro quo obliget, & ideò obligat pro temporibus opportunis, nullum autem videtur esse magis C

Diluitur. opportunum, quàm dies festus, ergo. Respódeo, non obligare pro omnibus temporibus opportunis, sed vel pro articulis necessitatis, vel quando ad vitam rectè instituendam necessarius moraliter est talis actus; non est autem sic necessarius in omnibus diebus festis, & in multis profestis potest esse magis necessarius. Adde eâdem ratione dicendum fore teneri hominem in die festo ad exercendum actum fidei, & spei, quia de se sunt in præcepto, & non habent determinatum tempus de se, & illud tempus diei festi est opportunum. Quapropter contraria sententia negans necessitatem huius actus in die festo, & vera, &

D. Thom. communis est; & sumitur ex D. Thom. 2. 2. q. 122. art. 4. quatenus ait, per præceptum de obseruatione Sab- D bathi non fuisse mandatum cultum internũ per orationem vel deuotionem internam; nam eadem ratio

Caiet. Nauar. Soto. est de amore, vt bene notat ibi Caiet. Nauar. in Manuali cap. 13. nu. 17. Sot. lib. 2. de Iust. qu. 4. art. 4. & in materia de Charitate cæteri communiter.

14. Sitne in festis act⁹ pœnitentiæ imperatus. *Angel.* Sexta instantia præcedenti similis est de cultu interno per actum pœnitentiæ, contritionis, vel attritionis, nam quòd hic sit necessarius ex vi huius præcepti, saltẽ homini existenti in peccato mortali, dixit Angel. ver. *Feria*, nu. 43. tanta exaggeratione, vt affirmarit, rem esse indubitatam. Fundatur autem solùm in hoc, quòd existens in peccato mortali, præcipuè si habeat memoriam illius, non potest vacare Deo per aliquod tempus diei festi, vt exigit hoc præceptum, E ergo. Potéstque hæc opinio confirmari ex eo, quòd in die Sabbathi præcipiebatur Iudæis: *Affligetis animas vestras*, Leuit. 16. & 23. quod significat pœnitentiam de peccatis, ergo idem nunc erit cum proportione. Sed de hoc puncto dixi in 4. tom. tractando de præcepto pœnitentiæ, & ostendi, hanc opinionem esse falsam. Et planè fundamentum Angeli nullius momenti est, quia licet homo sciat, se esse in mortali, potest audire Missam eo modo, quo exigit præceptum, vt à fortiori constat ex his, quæ de intentione, & attentione necessaria ad Missam audiendam, dixi in dicto 3. tom. disp. vlt. sect. 3. Ergo propter Missam non est necessaria contritio: at hoc præceptum non obligat ad vacandum Deo in die festo alio modo, seu

Leuit. 16. & 23. Pars negatiua certa est.

per alios actus, ergo propter vacandum Deo non est necessaria pœnitentia: nec etiam per se, & directè præcipitur, ergo non cadit sub hoc præceptum. Et ita sentiunt Caietan. Sot. Nauar. Armil. Rosel. & alij communiter, Siluester etiam verb. *Dominica*, q. 6. dicto 4. fatetur, non teneri peccatorem conteri in die festo ex vi præcepti de festo, tamen si recordetur sui status, teneri ex vi memoriæ. Sed hæc obligatio, si vera esset, communis esset aliis diebus, non est tamen vera, sed hoc pertinet ad materiam de Pœnit. vbi de hoc latiùs.

Caiet. Sot. Nauar. Armill. Rosel. Siluest.

Ad fundamentum ergo contrariæ sententiæ negatur assumptum, nam qui est in peccato mortali, potest orare, & Missam audire. Ad confirmationem primò dici potest, illam legem nunc non obligare; secundò dicitur, illud mandatum, *Affligetis animas vestras*, non pertinuisse ad diem Sabbathi, nec ad omnia festa Iudæorum, sed ad quoddam speciale, quod celebrabatur decimo die Septembris, & in eo distinctè præcipiebatur cessatio ab opere seruili. Vnde potiùs sumitur argumentum è contrario, quòd illa afflictio non pertineat ad festorum obseruationem, vt sic, neque ad obseruationem Dominicæ, quæ Sabbatho succesſit. Festum autem illud peculiare omninò iam cessauit & siquid illi succesſit in lege noua, fuit pœnitentia, quæ tempore confessionis annuæ agi præcipitur. Nam per illud festũ significabatur futura emundatio à peccatis Christiani populi, vt dixit D. Thom. 1. 2. q. 102. art. 4. ad 10. in q. verò 103. art. 3. ad 4. dicit, illi festo expiationis succedere in Ecclesia festa Martyrum, & Confessorum. De quo videri potest Cano. Relect. de Pœnitent. p. 4. in fin.

15. Destruitur fundamentũ oppositæ sẽtentiæ.

D. Thom.

Cano.

Sed obiiciet aliquis contra dicta; nam sequitur, non peccare contra hoc præceptum, qui in toto die festo nullum alium actum diuini cultus exercet, præter Missæ auditionem, etiamsi reliquum tempus ludendo, confabulando, &c. consumat, dummodo contra alteram partem præcepti prohibentem opera seruilia, & profana, nihil committat: consequens videtur esse absurdum; aliàs sine causa præciperetur hominibus vacatio ab aliis laboriosis operibus toto illo die, quia melius esset corporaliter laborare, quàm otiosè diem transigere. Sic enim dixit August. lib. de Decem chor. cap. 3. loquens de Iudæis in Sabbatho otiantibus; videtur autem esse eadem ratio proportionalis de Christianis. Respondeo nunc non tractari, an peccare in die festo sit contra hoc præceptum ex ea parte, qua prohibet certa quædam opera, de hoc enim statim dicemus, sed quæstionem esse solùm de omissione actuum diuini cultus. Et ex hac parte concedo nullum incurri peccatum omissionis cõtra hoc præceptum, etiamsi nullus alius actus Religionis in toto festo fiat, præter auditionem Missæ, quia nullum extat de hoc præceptum affirmatiuum, negatiuum autem prohibens opera seruilia non obligat ad aliquid agendum; ex negatione enim non bene sequitur affirmatio: neque propterea illud inutiliter præcipitur, quia propter cultum præcipitur, finis tamen præcepti vt sic, non cadit sub præceptum, medium autem ipsum de se vtile est, & ideò rectè præcipitur, licet finis non ita præcipiatur. Tandem posset hîc quæri, an saltem cum aliquis non potest audire Missam in die festo ex iusto impedimento, teneatur loco illius aliquid recitare, vel Religionis opus exercere: & similiter quando aliquis Missam omisit, an teneatur aliis precibus eodem die illam compensare, vel in sequenti die Missam audire. Dico tamen, non teneri, de quo videri possunt resoluta in d. disp. vlt. sect. 5. dub. vlt. & sect. 6. dub. penul. Et iuuare etiam possunt ea, quæ de omissione horarum Canonicarum in simili diximus.

16. Difficultas.

August.

CAPVT XVII.

Sola corporalia opera esse prohibita in die festo, non tamen omnia.

1. INcipimus de altera parte huius præcepti agere, quæ negatiua est, & longiorem disputationem requirit, quia in illo loco tertij tomi nihil de illa diximus. Ad illam ergo explicandam suppono primò: præcipi fidelibus vacationem quandam ab operibus in die festo. Hoc constat ex iure; nam in ca. 1. de Feriis dicitur esse abstinendum *ab opere illicito*, & in cap. *Licet ab omni opere seruili*, & in cap. *Conquestus*, & in aliis locis alia opera prohibentur, vt infrà videbimus. Præterea Clemens lib. 8. Constit. cap. 33. his verbis explicat hoc præceptum, *Omnes fideles Dominico die vacent in Ecclesia*, & infrà, *vacent serui*, indicans, vacationem debere esse ab opere seruili: in sexta etiam Synodo c. 8. prohibentur in diebus festis corporalia opera, præter ea, quæ necessaria sunt ad victum, vel similia, in Concilio Aurelhano 3. ea. 27. abstinendum dicitur *ab opere rurali*, in Concilio Antisi. cap. 16. dicitur. *Non licet in die Dominico boues iungere, aut alia opera facere*, vtique similia. Quod pluribus verbis explicatur in Concilio Matiscon. 2. cap. 1. Vbi non tantum seruilia opera numerantur, sed quædam alia, de quibus infrà, & similiter in Concilio Magunti, sub Carolo cap. 36. 37. dicitur esse prohibitum opus seruile, cuius aliqua exempla inde colliguntur, scilicet, arare, seminare, hortum, vel vineam colere, aut sepem circundare, deinde adduntur alia opera, quæ forensia possumus appellare, de quibus posteà. Denique communi traditione, & consuetudine Ecclesiæ hoc receptum est, & omnes Doctores in hoc conueniunt.

Cap. 1. Cap. *Licet.* Cap. *Conquestus.* *Clemens.* *Synod. 6.* *Concil. Aur.* *Concil. Antisi.* *Concil. Mat.* *Conc. Mag.*

2. Quam sit antiquum præceptū quoad hoc.

Sed dubitabit aliquis, quàm sit antiquum hoc præceptum quoad hanc partem, videtur enim ex dictis sequi, non esse admodum antiquum: nam iura, quæ habentur in Decretalibus recentiora sunt. Alia verò, quæ adduximus, non probant maiorem antiquitatem: nam quædam non habent sufficientem auctoritatem ad vim præcepti, vt libri Clementis. Alia verò fere omnia sunt Concilia Prouincialia, præter sextam Synodum, cuius decretum obscurum est, quia videtur plus prohibere, quàm prohibitum re vera sit, vel vnquàm fuerit, vt mox dicemus. Et ideò posset aliter quàm de proprio præcepto exponi, quia verba in rigore non omnino cogunt. Auget ergo præterea difficultatem modus loquendi Conc. Laodicen. cap. 29. Cum enim dixisset, *Non oportere Christianos Iudaizare* (quod mox exponemus) subdit. *Præferentes autem in veneratione Dominicum diem, si vacare voluerint, vt Christiani hoc faciant.*

Clemens. *Conc. Laod.*

3. Nihilominùs tamen certum est, ante sextam Synodum, & ante omnia dicta Concilia Prouincialia fuisse in Ecclesia hanc obseruantiam sub præcepto, vt colligitur ex dicto loco Clementis, & ex omnibus, quibus suprà probauimus translationem diei Sabbathi in diem Dominicum. Dicunt enim Patres factam esse translationem quoad quietem, & vacationem quandam ab operibus profanis, seu *à labore terreno*, vt dixit Gregorius lib. 11. epist. in 3. Constat autem ex ibi dictis, translationem illam esse antiquiorem synodo Laodicena. Item Hieronymus, & Augustinus huius traditionis testes sunt, & eiusdem ferè ætatis, id est, non multo tempore post Laodicenam synodum, & tamen loquuntur de illa consuetudine, vt antiqua, & vetusta suo seculo: Hieronymus epist. 22. ad Eustochium cap. 15. dicit, Monachos Ægypti solitos fuisse laborare per hebdomadam, vacare autem die Dominica, vtique propter Ecclesiæ præceptum, Augustinus verò serm. 215. *Si infelices Iudæi tanta deuotione celebrant Sabbathum, vt in eo nulla opera terrena*

Gregor. *Hier.* *August.*

A *exerceant, quanto magis Christiani in die Dominico soli Deo vacare, & pro animæ suæ salute debent ad Ecclesiam conuenire?* Expressiùs serm. 251. *Sciendum est* (ait) *quòd ideò à sanctis Patribus nostris constitutum est Christianis, & mandatum, vt in solemnitatibus sanctorum, & maximè in Dominicis diebus otium haberent, & à negotio terreno vacarent, vt paratiores, & promptiores essent ad diuinum cultum*, infrà verò, per *sanctos Patres* exponit *Apostolos, & Apostolicos viros.* Quomodo autem Concilium Laodicenum intelligendum sit, statim dicam. Hoc ergo præceptum nõ est de nouo latum quoad substantiam suam in illis iuribus, quæ habentur sub titulo de Feriis, sed ibi scriptum est, quòd traditione iam habebatur, & fortasse quoad aliquid, vel auctum, vel magis declaratum est.

B

4. Diuersa est cessatio ab opere in Christiano, atque in Iudæo. *D. Thom.* *Abulens.*

Secundò supponendum est, cessationem ab operibus, aliter Christianis præcipi in diebus festis, quàm præcipiebatur Iudæis; nam Christianis non fit tam arcta prohibitio operum in die Dominico, sicut Iudæis fiebat in Sabbatho, vt notat Abulens. Exod. 20. quæst. 13. & patet, tum quia multa opera nunc permittuntur Christianis in festis, quæ non permittebantur Iudæis in Sabbatho, de quibus infrà, tum etiam quia in lege noua facile conceditur licentia laborandi in festo, quæ in lege veteri non concedebatur. Ratio verò est, quia Iudæis omnia contingebant in figuram, quæ debet esse maximè conformis rei significatæ, & inuariata manere, vnde quia per Sabbathum repræsentabatur quies Dei ab operibus exercendis, ideo tam arctè præcipiebatur illud otium; item illa prohibitio erat iuris diuini, & ideò immobilior erat.

C

5. *Concil. Laod.*

Hinc sæpe Patres cauendum præcipiunt Christianis, ne more Iudæorum in die Dominico orientur; & hoc modo intelligi potest Concilium Laodicenum, nam sic habet, *Quòd non oporteat Christiano Iudaizare, & otiari in Sabbatho, sed ipses eodem die operari.* Quod autem subiungit. *Præferentes autem Dominicam*, dupliciter potest intelligi: Primò vt Dominicam præferant Sabbatho, otiantes nimirum illa ex præcepto. Et nihilominùs si etiã Sabbatho vacare voluerint, *Vt Christiani hoc faciant.* Secundò potest sic legi: *Vt si in die Dominico vacare voluerint, vt Christiani hoc faciant, si autem Iudaizare inueniantur, excommunicentur*, non verò ideo dictum est sub ea conditione, quia tunc non esset necessaria ex præcepto, sed voluntaria vacatio Christiana in Dominica, sed vel quia possunt vacare fideles plusquàm teneantur, & ab operibus non omnino prohibitis cessare, quod ait Concilium posse fieri licitè, dummodo Christiano spiritu, & modo, & non Iudaico fiat, vel fortè legendum est, *si valuerint*, nam alia versio habet, *Si modo possint.* Eandem doctrinam obseruauit Concilium Aurelianum 3. cap. 27. vbi refert quosdam *persuasisse populis die Dominico cum caballis, & bobus, & vehiculis itinerari non debere, nec vllam rem ad victum præparare, &c. quæ res* (ait) *ad Iudæam magis, quàm ad obseruantiam Christianam pertinere probatur.* Eundem errorem ex professo damnat Gregorius dicta Epist. 3. lib. 11. docens, contra fidem esse, otium Sabbathi ad literam custodire, non solùm quoad diem, sed etiam quoad modum otiandi, & specialiter damnat quosdam, qui dicebant, non licere die Dominico toto corpore lauari, etiam pro necessitate corporis.

D

Conc. Aurel. *Gregor.*

6. Hoc præcepto solũ corporalia prohibentur opera. *D. Thom.*

Tertiò statuendum est, opera, quæ hoc præcepto prohibentur esse tantùm externa, & corporalia. Ita sumitur ex D. Thom. supra dicta quæst. 122. artic. 4. & ex aliis Doctoribus statim referendis. Et probatur primò ratione generali, quæ comprehendat etiam legem diuinam datam Iudæis de obseruatione Sabbathi, quia illa lex tantùm data est de cultu exterio

exterioti Dei, ergo solùm præcipiebat vacationem ab operibus externis, & corporalibus, ergo opera prohibita tantùm corporalia sunt; secundò ratione speciali de lege Ecclesiæ, quia Ecclesia non præcipit, nec prohibet internos actus secundum se, sed per se versatur iuxta externos, de internis autem solùm disponit, quatenus cum externis connexi sunt, ergò dum præcipit vacare in diebus festis, externam, & corporalem cessationem ab operibus mandat, ergo dum prohibet seruilia opera, prohibet opera corporalia, & externa. Quod etiam nomen ipsum seruilium operum præ se fert, nam interna opera animæ non sunt seruilia, vt per se constat.

7. Non omnia corporalia opera prohibita.

Quartò suppono, non omnia corporalia opera esse prohibita Christianis in die festo. Hoc non indiget probatione, nam vsu ipso satis constat; & præterea etiam colligitur ex ipsa lege, non enim sine causa addita est illa particula *Seruile*, cum dictum est: *Omne opus seruile non facietis in eo*, sed ne omne opus corporale, & externum prohibitum putaretur. Præterea idem patet inductione, nam iter agere, scribere, loqui, & similia opera corporalia sunt, & tamē prohibita non sunt, vt constat. Sed obiici potest, quia Exod. 20. absolutè dictum est, *Non facies omne opus in eo*, & Leuit. 23. *Omne opus non facietis in eo*, ergo simpliciter omnia opera prohibentur in die festo; nam Ecclesia suum præceptum tulit ad imitationem illius. Ad hoc verò vno verbo responderi posset ex dictis; Præceptum Ecclesiæ sumptum esse ad imitationem, non verò ad æqualitatem præcepti antiqui.

Obiectio. *Exod.* 20. *Leuit.* 23. Enodatur.

8. Oportet autem vltrà considerare, in lege veteri non fuisse æqualem hanc prohibitionem pro Sabbatho, & omnibus festis; nam pro Sabbatho tam generalis erat prohibitio, vt nec cibos illo die præparare liceret, sed proximo præcedēti die præparari debebant, vnde parasceue vocabatur, (vt multi interpretantur) & in deserto non permittebantur manna colligere in Sabbatho, ideo enim eis non dabatur, sed feria sexta pro vtroque die colligebant illud. At verò in festiuitatibus ordinariè non prohibebantur præparare cibos, vt Exod. 12. expressè dicitur de die primo, & vlt. Azimorum, *Nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent.* Vnde in ipsis etiam Scripturæ verbis notari potest hæc differentia, interdum enim simpliciter dicitur, *Non facietis omne opus*, vt in citatis locis, interdum additur non facietis *Omne opus seruile*, vt de primo, & septimo die Azymorum dicitur Leuit. 23. Per hanc enim differentiam notatur, non fuisse æqualem prohibitionē, nam priora verba indicant, neque ignem incendi, nec cibos parari, nec aliud simile opus etiam necessarium ad vitam fieri potuisse illo die, quando anteà præueniri poterat, per alia autem verba notatur hæc opera non fuisse prohibita sed tātùm seruilia. Quam differentiam notauit noster Ribera lib. 5. de Templo, &c. cap. 5. cum Abulens. Exod. 20. quæst. 13. & Leuit. 27. quæst. 7.

Exod. 12. *Ribera.*

9. Quid prohibitum Iudæis in Sabbatho. *Leuit.* 16. *Leuit.* 23. *Num.* 29. *Abulens.*

Fatemur ergo in die Sabbathi prohibita fuisse Iudæis non tantùm opera seruilia, sed etiam alia, & in die festo expiationis die decimo Septembris æqualis censetur fuisse prohibitio, quia Leuit. 16. de festo illo specialiter dicitur. *Affligetis animas vestras, nihilque operis facietis in eo*, & ca. 23. dicitur. *Omnis anima, quæ operis quicquam fecerit delebo eam de populo meo, nihil ergo operis facietis in eo.* Verum est, paulò inferiùs ibi addi opus seruile, & Num. 29. tamen, vt dicti auctores notant, nec in Hebræo, nec in Græco est additio illa *seruile*, & Abulens. notat, illo die solitos fuisse Iudæos abstinere à cibo, & potu per totum diem, & ab vxoribus, à balneis, calceamentis, & ab omni occasione gaudij, vel delectationis. In aliis autem festiuitatibus non prohibebantur hæc, sed tantùm opera seruilia, Ecclesia ergo quoad hoc potiùs alia festa, quàm Sabbathum imitata est. Et ratio est, quam attigit D. Thom. dicta quæst. 122. art. 4. nam illa quies Sabbathi non erat moralis, sed cæremonialis, & significatiua, Ecclesia autem non amplectitur hanc vacationem, nisi quatenus moralis est, & ad diuinum cultum, & ad conuenientem gubernationem accommodata, & ideò non tam generaliter opera prohibet. Adde etiam in die Sabbathi non fuisse Iudæis prohibitas simpliciter omnes actiones corporales, & externas, nam poterant iter agere ad certam mensuram, & necessaria opera facere, quæ præueniri non possunt, vt ducere animalia ad adaquandum ea, vel extrahere illa de fouea, si in eam caderent, Matth. 12. Ioan. 7. & sumitur ex 1. Machab. 2. Christianis verò non solùm hæc, sed etiam illa opera, quæ præueniri possunt, si ad vsum communem corporis necessaria sint, permittuntur.

Cur Ecclesia non fuerit imitata Iudaici Sabbathi quietem.

Matth. 12. *Ioan.* 7. 1. *Math.* 2.

10. Quæ opera corporalia prohibita Christianis.

His positis difficultas tota circa hanc partem est in explicando, quæ opera corporalia, vel laboriosa in festis prohibita sint, & quæ permissa, & qua certa regula discerni possint. Ad hoc ergo explicandum suppono inter opera hominis, quædam esse seruilia, quædam non seruilia, quæ liberalia, vel spiritualia latè dici solent. Quam diuisionem posteà fusiùs explicaturi sumus: nunc satis sit, voces declarare. Seruilia enim opera dicūtur, quæ commoditatibus corporis inseruiunt, & ideò per seruos fieri solent, vt terram colere, artificia facere, & similia; ab his verò distinguuntur opera, quibus animus excolitur, vt loqui, legere, docere, &c. Nam quia humana seruitus secundum corpus attenditur, animus verò liber est, ideo priora opera dicuntur seruilia, posteriora verò libera. Sunt igitur in hac materia duæ generales regulæ obseruandæ. Prima est affirmatiua, & vniuersalis cum exceptione, videlicet in festis prohiberi omnia seruilia opera, nisi iure, vel consuetudine sint exempta. Secunda est negatiua, & vniuersalis cum exceptione scilicet: Nulla opera libera prohiberi in die festo, præter ea, quæ in iure specialiter prohibentur. Prima regula sufficienter probatur ex cap. *Licet*, de Feriis cum aliis in prima suppositione adductis, cap. præced. & illa prius tractanda est, nam de secunda posteà dicemus.

Duplex regula ad opus prohibitum agnoscendum. Cap. *Licet.*

11. Triplex opus seruile.

Vt autem declaremus, quid sub seruili comprehendatur, triplex seruile opus distinguere possumus ex mente. D. Thom. 2. 2. q. 122. art. 4. videlicet Religiosum, quod diuinum seruitium dici potest; peccaminosum, quo dicitur homo seruire peccato, aut Dæmoni: & indifferens, ac humanū, quo vnus homo solet alteri seruire. Nam opus seruile respectu alicuius dicitur, quia per opus seruile alicui seruitur; ille autem esse non potest, nisi aut Deus, cum quo numerantur Sancti cum ipso regnantes, vel Dæmones, seu peccata, vel mortales homines. Illa ergo opera, quibus colitur Deus, seruilia sunt Deo, quia Latria est quædam seruitus, est tamen Religiosa, & diuina seruitus, quia in Deum terminatur. Peccata verò dicuntur seruilia, quia, *Qui facit peccatum seruus est peccati*, vt dicitur Ioan. 8. Quia *vnusquisque est seruus eius, cui obedit siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam*, vt dicitur ad Rom. 6. & 2. Pet. 2. *A quo quis superatus est, eius & seruus est.* Opera verò, quibus vnus homo ministrat alteri in his, quæ ad corpus pertinent, indifferentia sunt, & ad seruitutem humanam pertinent. De actionibus ergo primi generis nulla ferè est quæstio; nam in illis actionibus consistit externus Dei cultus, & Sanctorum honor, ad quem cultum principaliter festiui dies ordinātur, non ergo prohibentur in festo opera seruitutis diuinæ, sed potiùs commendantur,

Ioan. 8. *Rom.* 6. 2. *Petr.* 2.

Quinimò nec talia opera seruilia dici debent, sed maximè liberalia, quia seruire Deo, regnare est, & quia licet per corpus exerceantur, principaliter ordinantur ad subiiciendam mentem Deo, & ad excitandum animum ad deuotionem, & internum Dei obsequium. Potest autem nonnullum dubium moueri circa hanc partem, quod infrà commodiori loco expediemus. Nunc de secundo membro dicendum est, vt illo etiam excluso, tertium, quod propriè ad hoc præceptum, & ad primam regulam positam pertinet, clariùs explicemus.

CAPVT XVIII.

An per quodcumque peccatum, præsertim mortale, festa violentur, & ideò specialiter censeantur prohibita in diebus festis.

1. Vtrùm peccatum mortale specialiter prohibeatur in festo.

PRima opinio affirmat, peccatum mortale esse specialiter prohibitum in die festo ex vi generalis prohibitionis operis seruilis, ac subinde omne peccatum in die festo commissum, præter malitiá, quam habet ex propria materia, & obiectio, habere malitiam sacrilegij contrariam huic præcepto, & ideò circunstantiam illam in confessione esse aperiendam.

Pars affirmatiua. *D. Thom.*

Hanc opinionem videtur docere D. Thom. dicto art. 4. ad 3. cum enim distinxisset triplex opus seruile, quo seruimus Deo, homini, & peccato, ait, primum non esse contra præceptum de obseruatione Sabbathi, secundum autem, & tertium esse contra illud. Item tenet Alens. 3. part. q. 32. membr. 3. art. 2. ad vlt. Anton. 2. p. tit. 9. cap. 7. §. 3. & 3. part. tit. 14. cap. 19. §. 7. & tit. 17. cap. 17. §. 4. in fine, & 5. circa medium, vbi refert in hanc sententiam Lyranum in capit. 20. Exod. vbi idem tenet Abulens. quæst. 11. & 12. item Med. Cod. de Orat. quæst. 10. & 19. Idem sentit Bonauent. 3. d. 37. circa expositionem literæ, dum ait, hoc præcepto præcipuè prohiberi opera carnalia, vt ebrietates, & iurgia, & similia, quæ maximè libertati spiritus repugnant. Idem ibi Gabriel quæst. vnica art. 1. not. 5. §. *Quorum distinctio*, in fine & Maior 4. d. 17. quæst. 4. Angel. ver. *Feriæ*, num. 36. & verb. *Interrogationes*, circa tertium præceptum, & verb. *Præceptum*, num. 5. Rosel. verb. *Confessio* 2. num. 7. Cather. lib. 5. contra Caiet. Denique latè, & alios referens Corduba in Quæst. lib. 1. quæst. 6. támque acriter illam defendit, vt audeat dicere, aliam non esse satis tutam. Faúétque huic opinioni Ambrosius Lucæ 13. prout illius verba retulit D. Th. dicto art. 4. arg. 1. dicens, *Lex in Sabbatho non hominem curare, sed seruilia opera facere, id est, peccatis grauari prohibet.* Hæc verò eadem verba ex Gloss. in Luc. retulit idem D. Thom 3. d. 37. art. 5. In Ambrosio autem ea formaliter non inuenio, sed illius sententia in illo loco est, Deum in Sabbatho prohibuisse opera secularia, non religiosa: *Sicut Deus* (ait) *quieuit ab operibus mundi, non ab operibus sanctis,* & subdit: *Hoc autem non intelligens Archisynagogus prohibebat quemquam curari Sabbatho, cum Sabbathum futurarum typus sit feriarum; & ideò non operis boni, sed mali feriæ sunt eóque præscriptum sit, vt nullam ferentes sarcinam delictorum, nec bonorum ieiuni operum, Sabbatha futura post mortem celebremus.*

Alens. Anton. *Lyran. Abulens. Medi. Bonauen.* *Gabriel. Maior. Angel.* *Rosel. Cather. Corduba.* *Ambros.*

2. *Augus.*

Præterea fauet Augustin. lib. de Decem chor. cap. 3. dicens, *Melius faceret Iudæus in agro suo aliquid vtile, quam si in theatro seditiosus existeret, & melius eorum fœminæ in Sabbatho lanam facerent, quàm quòd tota die in Neomeniis suis impudicè saltarẽt.* Quod enim ait *melius*, pro *minus malè* positum est, vt constat, vtrunque enim malum esset, censet autem August. maius malum esse peccare in festo, quàm laborare. Vtrumque ergo est prohibitum, & illud magis. Facit præterea idem August. lib. de ver. & fals. pœnit. cap. 14. & habetur in cap. *Considereret*, de Pœnit. d. 5. vbi prius ait, ad pœnitentiam considerandam esse circunstantiam temporis. Et posteà sic illam explicat: *Si in tempore orationi constituto, aut in festiuitate sanctorum, & in tempore ieiunij.* Denique fauet cap. 1. de Feriis, in quo dicitur, hoc præcepto prohiberi omne opus illicitum in die festo. Ratio verò pro hac opinione est, quia opus peccati est maximè seruile, & maximè contrarium diuino cultui, & impeditiuum illius, sed hæc sunt opera, quæ ibi maximè prohibentur, ergo.

Cap. *Consideret.* Cap. 1. Ratione probatur.

3. 2. Opinio negans peccatum specialiter prohiberi in festo.

Secunda opinio asserit, opus peccati ex eo tantùm, quòd peccatum sit, non contineri in materia huius præcepti, nec ex vi illius prohiberi, ac subinde peccatum etiam mortale in die festo commissum non habere ex illa temporis circunstantia specialem malitiam, quæ in confessione necessariò aperienda sit. Hæc opinio non habet auctores multum antiquos, vt verè notauit Corduba, habet tamen plures, & graues. Ex Theologis illam docuit Caiet. 22. quæst. 12. 2. art. 4. & 1. 2. quæst. 7. art. 1. & in Sum. ver. *Festorum violatio*, & tom. 1. Opusc. tract. 18. quæst. 3. Sot. in 4. distinct. 18. quæst. 2. art. 4. & lib. 2. de Iust. quæst. 4. art. 4. Vict. in Sum. de Sacr. tit. de confec. num. 195. Almayn. in 4. d. 17. quæ. 1. Ex Summistis Siluester verb. *Dominica*, quæst. 8. dicto 4. vbi se ipsum refert, ver. *Circunstantia*, §. 3. & ver. *Confessio*, 1. §. 10. & in Rosa aurea casu 63. vbi ait quosque viros doctissimos sui ordinis ita sentire. Et consentit Armilla. ver. *Feriæ*, num. 12. Tabiena eod. ver. num. 47. Angel. in Floribus Theolog. q. 9. Et ex iuris peritis latè Nauar. in cap. *Considereret*, de Pœnit. d. 5. in principio, num. 22. & seq. Couar. in cap. *Alma*, 1. p. §. 5. num. 3, & lib. 4. Var. cap. 19. in fine, Gutier. lib. 1. Canonic. quæst. cap. 13. Pro hac etiam sententia potest referri D. Thom. in 4. d. 32. art. 5. quæst. 2. quatenus ait, tempus diei festi non esse circunstantiam, quæ trahit actum in nouam speciem peccati, & in 3. d. 37. art. 5. quæst. 2. ad 2. quatenus dicit, peccata non dici opera seruilia, nisi mysticè, ad literam verò opera seruilia esse opera corporalia pertinentia ad mechanicas artes, quas serui exercere solent, & ab actibus liberalium artium condistinguuntur, significátque præceptum tertium decalogi prohibens opera seruilia, ad literam, & propriè intelligendum esse, non mysticè.

Soto. *Vict.* *Almayn.* *Silues.* *Armill.* *Tabien.* *Nauar.* *Couar.* *Gutier.* *D. Thom.*

4. Nauarri rationes aliquæ improbantur.

Rationes, ad hanc sententiam confirmandam afferuntur variæ, sed nõ omnes sunt solidæ. Nauar. enim inter alia argumentatur, quia sicut Laicis sunt deputati dies festi ad orandum, ita clericis omnes dies, sed clerici peccantes quolibet die, non peccant specialiter contra circunstantiam temporis sibi ad orandum deputati, ergo nec Laici peccantes in die festo, &c. Hæc verò ratio parum probat, quia prior opinio non dicit peccari specialiter contra diem festum peccando in illo, quia dies ille est orationi deputatus, sed quia toto die vacandũ est ab operibus cultui diuino contrariis, vel impedientibus illum. Licet enim non præcipiatur nobis toto die festo orare, vel exercere actus cultus diuini, prohibetur nihilominùs, ne per totum diem aliquid agamus seruile, & diuino cultui contrarium. Hoc autem non præcipitur Clericis omnibus diebus, etiamsi illis oratio aliqua singulis diebus præcipiatur. Alia ratio eiusdem Nauarri est, quia lex de festo seruando non obligat arctiùs in lege gratiæ, quàm in lege scripta, sed in scripta non obligabat ad non peccandũ in die festo, ergo. Patet Minor, tum quia non obligabat illos ad internem quietem cum Deo, nec ad internum cultum, sed solum ad externam quietem, cessando ab opere seruili; tum etiam quia aliàs lex illa tunc obligaret ad contritionem eum, qui esset in peccato. Sed hæc ratio non vrget

contra

contra priorem sententiam, quæ eodem modo loquitur de præcepto hoc, vt fuit datum à Deo, & ab Ecclesia. Negabitur ergo Minor. Ad probationem verò dicetur, quòd licet hæc lex non obliget directè ad internum cultum, obligat ad non impediendum illum, ideò enim præcipit vacationem ab operibus, vt homo possit Deo vacare, etiam mente, si velit, & ideò contra hanc vacationem censetur esse opus peccati, ac subinde contra præceptum, etiamsi ad internum cultum non obliget. Et ideò etiam non sequitur in rigore illud consequens de contritione; sunt enim hæ diuersæ quæstiones, neque oportet eas confundere; nam aliud est, non peccare, aliud non permanere in statu peccati priùs commissi. Qui ergo dixerit, hoc præceptum obligare ad non peccandum in die festo, non cogitur dicere, etiam obligare ad non permanendum illo die in peccato habituali, quia peccatum habituale non impedit cultum Dei, sicut peccatum actuale, vt constat.

5. Ratio fundamentalis.

Vnica ergo ratio huius sententiæ est quia præceptum de Sabbatho, seu festo seruando non obligat specialiter ad non peccandum in illo die, ergo peccare in illo die non est contra hoc præceptum, quatenus opera quædam prohibet, nec etiam est contra præceptũ Ecclesiæ, quatenus præcipit audire Missam, vt per se constat, quia potest quis in parte vna illius diei audire Missam, & in alia peccare, imò, vt alibi dixi, eodem tempore, quo Missam audit, peccare potest ex intentione praua, quæ veram Missæ auditionem non impediat. Quòd si contingat, aliquem peccare tali modo, vt inde impediatur à Missa audienda, tunc quidem peccatum illud erit contra hoc præceptum, non quia peccatũ est, sed quia impedit Missam; vnde etiamsi aliàs peccatum non esset, sed opus indifferens, & impediret Missam, inde fieret peccaminosum, in vtroque autẽ casu non haberet inde aliam malitiam, quàm omissionem Missæ, cuius est causa. Hoc ergo est per accidens, & hîc non consideratur.

6. Probatur assumptum. *Caiet.*

Probatur ergo assumptum duplici ratione facta à Caiet. & cæteris. Prima est, quia opus peccati, vt sic non est seruile. Dico autem *Vt sic*, id est, ex eo, quòd peccatum est; nam ex parte actus materialis potest aliquod peccatum esse opus seruile, vt si quis in die festo scindat ligna aliena, vt illa furetur, peccat quidem specialiter contra diem festum, non tamen quia illud opus erat contra iustitiam, sed quia seruile est, vnde quantum ad hoc præceptum idem peccaret, etiamsi ex loco publico, & communi ligna sine iniustitia scinderet. Peccatum ergo non est seruile ex eo quòd peccatum est, licet ex materia possit esse seruile, ergo peccare in die festo in materia non seruili, non est opus seruile, ergo non est prohibitum hoc præcepto. Antecedens probatur inductione, quia imperare actionem iustam in die festo ratione materiæ non est opus seruile, vt per se notum est. Item fœminam cognoscere non est opus seruile, aliàs etiam maritalis copula in die festo esset opus seruile, & directè prohibita hoc præcepto, quod improbabile est. Item ludere lusu prohibito, vel iniusto non est opus seruile, & sic de aliis, sunt enim infinita peccata, quæ non perpetrantur per actiones mechanicas, aut seruorum proprias, sed per actiones liberorum, ac dominorum, & principum. Imò ipsæmet actiones liberalium artium possunt peccaminosè fieri, vel contra prohibitionem humanam, vel ex iniqua intentione; vel contra iustitiam. Vt omittam, peccari etiam posse in die festo per omissionem retinendo alienum, & complacendo in illo, vel non curãdo infirmum, cum obligatio pro tunc occurrit. Illud ergo peccatũ non potest dici opus seruile ex parte materiæ, cum neque opus sit. Idémque argumentum sumitur de peccato merè interno; nam per illud præceptum solum opus externum prohibetur, vt sæpe cum D. Thom. dictum est. Hoc ergo argumentum efficaciter probat, non omne peccatum posse dici opus seruile ex parte ipsius operis, quia vel non est opus, vel non est externum, ergo eadem ratione quando opus (licet sit corporale) ex parte sua non est seruile, propter solam malitiam non fit seruile, ac proinde nec prohibetur hoc præcepto. *D. Thom.*

7. Quomodo peccator dicatur seruus. *Ioan. 8.*

Nec refert, quòd peccans dicatur fieri seruus vel Dæmonis, vel suæ concupiscentiæ, vel peccati, vt dicitur Ioan. 8. Tum quia illud tantum symbolicè dictum est, nam peccator re vera non est seruus propriè, est enim liber propria libertate, & rex, vel dominus suarum rerum, sicut anteà erat; sed metaphoricè dicitur seruus fieri, quia subiicitur Dæmoni, & suæ libidini, ac culpæ; ita ergo peccatum ipsum non est propriè, & ad literam opus seruile, licet metaphoricè ita vocari possit, quod nihil refert, quia præcepti verba propriè, & literaliter accipienda sunt, aliôqui nihil in eis esset certum, & firmum, ex illa ergo symbolica appellatione nullum argumentũ sumitur; nam vt aiunt Theologi, ex sensu symbolico per se non sumitur argumentum efficax. Tum etiam quia cum dicitur homo fieri seruus peccando, causaliter potiùs, quam formaliter intelligitur, quoniam non tam fit homo seruus peccando, quia ipsummet peccare seruire sit, quàm quia in pœnam peccati homo traditur in seruitutem, & captiuitatem Dæmonis, & quia peccando fouet concupiscentiam, quæ postea rationi dominatur, & quia peccatum commissum semel suo pondere in aliud trahit.

8. Euasio.

Hæc ratio iudicio meo efficaciter probat, peccatum vt sic non contineri formaliter in materia præcepti, seu sub opere per præceptum prohibito. Dici tamen potest contineri virtualiter, vel per æquiualentiam, quatenus prohibetur opus reddens hominẽ ineptum ad cultum Dei, quòd maximè facit peccatum. Contra hoc verò procedit altera ratio à Caiet. & aliis tradita, quia finis præcepti non cadit sub præceptum, ex D. Thom. 1.2.q.96.art.3.ad 2. & art.9.ad 2. Qui.2.2.q.44.art.1.ad 2. hac ratione ait, licet finis præcepti sit charitas 1.ad Tim. 1. nihilominùs non omnia præcepta aliarum virtutum dari de actu charitatis, quia aliud est, quod præcipitur, aliud propter quod præcipitur. De quo principio videri possunt, quæ adducit Couar. in dicto c. *Alma*, §.5. in principio. Iam verò in præsenti præcepto cultus Dei proprius non est materia præcepti, sed finis; materia verò est, vacare ab operibus seruilibus, ergò licet peccatum impediat illum finem, non est contra hoc præceptum, cum non contineatur sub materia eius, vt in priori ratione ostensum est. *Caiet.* *D. Thom.* *1. Tim. 1.* *Couar.*

9. Subterfugium.

Sed responderi potest, licet hac lege non directè præcipiatur positiuus cultus Dei, præcipi tamẽ, vt caueatur impedimentum eius, & quia peccatum maximè impedit cultum, maximè etiam prohiberi. Vnde licet finis præcepti non cadat sub præceptum, tamen mediũ ad finem sub præceptũ cadit; medium autem in præsenti est, non se reddere ineptum, & inhabilem ad cultum; sub quo medio comprehẽditur non peccare. Vnde hac ratione multi Theologi, & iuris Canonici interpretes dixerunt, licet per festũ non prohibeatur directè cõiugalis copula, nihilominùs virtute, & indirectè prohiberi, quia per illam copulã redditur persona inepta, & indispositа ad cultũ Dei, quę indispositio vitanda est ex vi præcepti de obseruatione festi. Sed contrà, quia sicut præceptũ de medio non obligat ad finem, quia non est de illo, ita præceptum de vno medio non est de omnibus, vt præceptũ de iustitia seruanda non est de misericordia, licet

Impugnatur.

vtrunque sit medium ad proximi dilectionem seruandam, sic ergo lex prohibens vnum impedimentum cultus, non prohibet omnia, sed illud tantùm, quod propriis verbis exprimit. Ergo hæc lex de obseruatione festi, licet prohibeat opus seruile propter cultum, vel quatenus est impedimentum cultus; non tamen prohibet omnia impedimenta, quæ possunt apponi, sed illa tantum, quæ exprimit, ergo licet peccatum impediat cultum, non propterea est prohibitum specialiter illo precepto, quia in verbis non continetur. Et declaratur, ac confirmatur. Nam interrogo, de quo impedimento cultus sermo sit? aut enim de illo, quod solùm impedit, quandiù durat, vel de illo, quod relinquit hominẽ ineptum ad cultum per reliquum diei tempus. Si de primo loquamur, euidens est, non omnia impedimenta cultus esse prohibita in die festo, aliàs dormire nimium, esset contra obseruationẽ festi, quia per somnum redditur homo inhabilis ad cultum, saltem pro tempore, quo durat: item, confabulari, ludere, studere, ac similia impediunt pro tunc cultum, & tamen constat, non esse peccata, ergo licet peccatum pro tempore, quo fit, impediat cultum, ex ea parte non est peccatum speciale. Aliàs etiam peccatum veniale fieret mortale ex eo tantùm, quòd in die festo fit, maximè si duret per tempus notabile, id autem absurdum est, quod nec Auctores primæ opinionis admittunt. Opus autem seruile est speciale peccatum, quia specialiter prohibitum est.

10. Si verò sit sermo de opere, quod relinquit hominem inhabilem, etiam postquàm transactum est. In primis hoc non habet quodlibet peccatum etiam mortale: nam licet quis in die Dominico labatur in aliquod peccatum in principio diei, potest postea Missam audire sine impedimento, quod obstet saltem substantiali obseruationi præcepti. Deinde, licet peccatum relinqueret hominem inhabilem per totum diem, vt obrietas si impediret etiam Missam, ex ea parte inuolueret malitiam omissionis eius, vt supra dixi, tamen, si committeretur post Missam, non esset ex hoc capite speciale peccatũ contra præceptum de festo, quia licet impediat cultum, non impedit cultum necessarium ex præcepto, & ideò nullam aliam omissionem peccaminosam, vel contrariam præcepto inuoluit. Reddere autem seipsum ineptum ad voluntarium cultum, non est speciale peccatum contra præceptum de diuino cultu, cum omittere id, quod voluntarium est, non sit peccatum. Secùs verò esset, si tale impedimentum poneretur, exercendo opus seruile, nam illud esse peccatum non propter omissionem, cuius est causa, sed per modum commissionis, quia est specialiter prohibitum tale opus.

11. Obiectio. Dices; ex ratione, propter quam prohibetur, colligi non minùs prohiberi æqualia, vel maiora impedimenta; nam lex extenditur per paritatem rationis, interdum etiamsi pœnalis sit, quòd recta ratio ad bonum commune, vel homines spectans id postulat, vt videtur esse in præsenti. Qui enim fieri potest, vt Deus, vel Ecclesia prohibeat bonam artem mechanicam exercere, vt homo sit expeditus ad cultum Dei, & non prohibeat peccatum? Respondeo, falsum esse assumptum; nam leges positiuæ, quæ pendent ex libera voluntate diuina, vel humana ferente legẽ, non extenduntur propter similitudinem rationis, præsertim quando lex est onerosa, vel pœnalis, vt ex propria materia suppono. Eò vel maximè, quòd licet in aliquo appareat similitudo, vel etiam excessus, nũquam est in omnibus, neque in eo, quod mouit specialiter legislatorem; vt in præsenti non fuit intentio huius præcepti prohibere opera aliàs illicita, nec peccata omnia, quia iam per se satis erant prohibita; sed specialiter prohibere voluit opera quædam alioquì licita, quia & sunt magis in vsu, & frequẽtius distrahunt homines, & auertunt à cultu Dei, & nisi specialiter prohiberentur, liceret in illis occupari. Et hoc ipsum indicatum est Exod. 20. (vt bene notarunt Nauar. & alij) dùm præmittitur: *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, septimo autem die Sabbathum Domini est, non facies omne opus in eo.* In priori enim parte de operibus licitis tantùm sermo est, nam illicita non conceduntur fieri, ergo etiam posterior pars per se prohibet similia opera, non verò alia, siue absque peccato fiant, siue cum illo. *Exod. 20. Nauar.*

12. Hoc ergo discursu efficaciter satis probatur hæc secunda sententia, quæ sine dubio est practicè securissima, & vera, quantùm ad præsens institutum spectat. Priùs verò, quàm argumentis respondeamus, oportet adnotare, in rigore, ac formaliter diuersas esse quæstiones, an scilicet peccare in die festo sit speciale peccatum directè, ac formaliter pugnans cum præcepto de die festo seruando, quatenus prohibet certa quædam opera; vel, an peccatum commissum in die festo habeat ex illa circunstantia temporis aliquam peculiarem malitiam. In priori ergo quæstione euidens mihi est pars negans, quam secunda defendit opinio; & hæc est quæstio, quæ huic loco inseruit, & ideò dixi pro presenti instituto discursum factum conuincere. Stante verò resolutione primæ quæstionis, adhuc est locus alteri quæstioni, quia secluſa illa speciali prohibitione, & supposita sanctificatione illius temporis festiui ex speciali dedicatione ad cultum Dei, insurgit inde generalis obligatio Sancta Sanctè tractandi, contra quam peccat, qui abutitur re sanctificata. Vt v. g. eo ipso, quod calix est sanctificatus ad cultum Dei, est indecens, & culpabile, vti illo in communi, & vulgari mensa, non propter specialem prohibitionem, sed propter generalem rationem, quæ oritur ex sanctitate rei, vt infra etiam dicemus circa locum Sanctum; sic ergo peccare in die festo videtur abusus quidam illius temporis, & violatio sanctificationis eius, & ita potest inde aggrauari, vel sumi malitia aliqua, etiam si in prohibitione de opere seruili illud opus non contineatur. 12. 1. Opinio vera est, & securissima. Duplex quæstio indicatur.

13. Declaratur secunda quæstio. Et declaratur optimè, quia hoc modo etiam peccare in Parasceue Domini, aut vigilia alicuius Sãcti, aut in die Rogationum censetur habere maiorem deformitatem, non propter specialem prohibitionem, quia illis diebus etiam seruilia opera prohibita non sunt; sed propter specialem sanctitatem illorum dierum, quam censentur habere per specialem deputationem ad honorem Dei, & ad communẽ orationem, vel commemorationẽ beneficiorum Dei. Denique hoc modo non tantùm opera, quæ sint peccata, sed etiam alia de se bona, vel indifferentia, si habeant aliquam indecentiã, quæ secundum rectam rationem videatur non congruere cum sanctitate illius temporis cẽsentur non benè, nec sine aliqua deformitate fieri in illis diebus. Quomodo dicunt graues Auctores copulam coniugalem non esse omni ex parte licitam in die festo, vt videre licet in D. Tho. in 4. d. 32. art. 5. & in multis aliis, quos refert Sancius to. 2. lib. 9. dis. 12. qui non ideo hoc affirmant, quia talis copula per prohibitionem operis seruilis formaliter prohibita sit, hoc enim verisimile non est, sed quia est opus indecens pro tali tempore, nam prudentia in omni operè requirit, præter alia, temporis congruitatem; nam vt Sapiens dixit, est tempus tacendi, & tempus loquendi, &c. Et similiter taurorum agitatio, seu cõgressio specialiter est prohibita à Pontificibus in diebus festis, & permissa in profectis, non quia sub prohibitione operum seruiliũ contineretur, sed quia habet *D. Thom. Sancius. Sapiens.*

habet peculiarem indecentiam pro diebus festis. Potest ergo dies festus esse circunstantia augens malitiam peccati, quod in ipso cõmittitur, vel etiam reddens actionem malam, quæ alio tempore non fuisset mala etiamsi tale peccatum, vel talis actio opus seruile non sit, nec per se, ac formaliter prohibita per legem de obseruatione festi.

14. Probabile est peccatũ in festo factum habere malitiam peculiarem.

Iuxta hæc ergo satis probabile censeo peccatum ex hoc, quòd in festo fiat, malitiam aliquam, seu malitiæ augmentum accipere, dũmodò hoc conuenienter intelligatur, & explicetur. Primò enim intelligi potest de augmento malitiæ intra eandem speciem, & non addendo malitiam sacrilegij. Et ita hoc expresse fatetur Nauar. suprà num. 33. ad 1. & Sot. dicto art. 4. ver. *Sed ais*, Vict. in Summa. 4. q. 195. Et res est facilis, quia maiorem quandam deformitatem habet B cum recta ratione actus in tali tempore factus, quàm in alio, nam prudentia, vt dixi, hæc omnia obseruat, & ponderat; & ideò est vna respectu omnium virtutum moralium, quia iudicat de singulis cum quadam connexione ad cæteras expendendo circunstantias omnes, etiam prout oriri possunt ex connexione ad alias virtutes. Atq; hoc modo potest iocosa locutio, vel otiosa, aut inutilis esse deformior in die festo. Imò etiam actio non mala potest fieri deformis ex hac circunstantia, vt de copula coniugali est probabile etiam intra latitudinem temperantiæ, & secluſa graui causa, vel necessitate honestante actum, & de malitia veniali, non mortali, sic enim grauiores Auctores loquuntur, de quo suo loco latiùs.

Nauar. *Soto.*

15. 2. Genus augmenti nouæ malitiæ.

Secundò potest hoc intelligi de augmento per ad- C ditionem nouæ malitiæ contra Religionem, nõ quia talis actus sit prohibitus per hoc præceptum; hoc enim iam improbatum est, sed quia eo ipso quod tale tempus est sanctificatum, & cultui diuino dicatum, quodammodo polluitur, & violatur, quodcũque peccatum præsertim mortale in illo cõmittendo. Quod in hunc modum declaratur: Nam eo ipso, quòd aliqua res consecratur, vel cultui diuino dicatur, ex ipso iure naturæ absque alio præcepto positiuo sequitur obligatio tractandi rem illam cum debita reuerentia, & non profanando illam, ergo cum dies festus sanctificatus sit Deo, vt Scriptura loquitur, eadem naturalis prohibitio in illo locũ habet vltra omnem positiuam, ergo ratione illius habebit omne peccatum in festo commissum specialem deformitatem D contra temporis sanctitatem, ac subinde contra Religionem. Confirmatur denique, quia idem peccatum publicè factum in die festo maius solet scandalum generare, quàm si in alio tempore fiat, ergo signum est iuxta communem æstimationem, quam omnes habent ductu quodam naturæ, habere peccatum ex illa circunstantia specialem deformitatem.

16. Ex hoc capite non habet peccatũ nouam malitiam mortalem.

Nihilominùs tamen dicendum est ex hoc capite non habere peccatum in die festo commissum nouam malitiam mortalem contra Religionem, nisi directè fiat ex comtemptu talis festi; tunc enim non est dubium, quin sit graue sacrilegium, declarandum specialiter in confessione; quia ex intentione formali opponitur diuino cultui, & contemnit illum; quod semper, & in omni materia graue crimen est, E

D. Thom.

vt omnes citati Auctores notant; & specialiter D. Thomas quæst. 2. de Malo artic. 6. ad 2. Secluso autem contemptu, non apparet in eo actu grauis deformitas contra Religionem; quia dies festus non est ita sanctificatus, vt teneamur omnes eius partes tanquam Deo consecratas, reuereri aliter, quàm non faciendo in illis opus specialiter prohibitum. An verò hoc sit speciale peccatum veniale contra Religionem, infrà videbimus tractando de Loco sacro, nam de his duabus circunstantiis cum proA portione loquendum videtur, vt constat ex vsu Philosophorum moralium, imò etiam iurisperitorum per textum in lege *Vinum*, ff. Si certum petatur. Quicquid verò in hoc teneatur, constat hanc circunstantiam non esse de necessitate confessionis, vt dixi in 4. tomo 3. p. quia sicut peccatum veniale non est de necessitate confessionis, ita nec circunstantia habens malitiam distinctæ speciei solùm venialem. Vnde Caiet. dicto art. 4. §. *His igitur expeditis*, & in Sum. ver. *Dies festus*, quem sequitur Armilla num. 23. docet illicitum esse, totum diem festum, vel magnam eius partem consumere ludendo, aut iocãdo, actionibus de se non peccaminosis; quia propter hoc multùm quis impeditur à vacatione diuinorum, & nihilominùs subdit, illam non esse malitiam mortalem & consequenter neque esse de necessitate confessionis, licet contra Religionem esse videatur. Sed hoc dictum Caiet. habet eandem dubitationem, quam, vt dixi, infrà expediemus.

L. Vinum.

17. Respondetur argumẽtis oppositæ partis.

Supereſt, vt ad motiua superioris sententiæ breuiter respondeamus. Ad Ambrosium ergo dico non explicare ibi sensum literalem præcepti de obseruatione Sabbathi, sed mysticum, & spiritualem. Et ita exponit D. Thom. 3. d. 37. art. 5. q. 2. ad 2. & ex formali sententia Ambrosij quam nos retulimus, satis constat. Ad Augustinum respondetur ipsum non dicere magis esse contra præceptum de obseruatione Sabbathi, lasciuè saltare in Sabbatho, quàm filare, vel seditionem efficere in Sabbatho, quàm arare: sed dicere illud esse peius: quod verũ esse potest, quia illa peccata contra iustitiam, vel castitatem, aut charitatem, possunt esse in se maiora, quàm sit violatio diei festi. D. Thom. autem in dicto art. 4. q. 122. videtur apertè exponere illa verba de maiori transgressione huius præcepti, & ita etiam sentire, sed exponendus ipse est, vt Caietan. vult, de oppositione, & contra- *Caietan.*

Ambros. *D. Thom.* *August.* *D. Thom.*

rietate ad hoc præceptum quoad finem eius, non verò quoad substantiam eius. Et ita magis videtur comparatio fieri inter opera secundùm se spectata, quàm vt sunt materia talis præcepti: nam hoc posteriori modo magis est contra substantiam huius præcepti opus per illud prohibitum, quàm aliud peccatum, & simul etiam est contra finem huius præcepti, & interdum esse poterit maius peccatum, & tunc erit etiam magis contra finem eiusdem præcepti. Quando verò aliud peccatum est maius, erit magis contra finem, licet non fit contra substantiam præcepti. Ad cap. *Consideret*, respondetur, multa ibi haberi de consilio, quæ non sunt de præcepto. Item dicitur temporis sacri circunstantiam posse interdum aggrauare notabiliter vel ratione scandali, vel ratione contemptus, vel certè, si opus ipsum, quo peccatur simul etiam seruile sit. Ad ca. 1. de Fer. respondetur, ibi non esse sermonem de opere illicito in genere, sed in tali materia, id est, de opere prohibito hoc præcepto, quod ibi non explicatur, quale sit. Ad rationem iam responsum est, peccatum, vt sic, non esse opus seruile in proprio, & literali sensu, nec esse ex his operibus impedientibus diuinum cultum, quæ illo præcepto prohibita sunt.

CAPVT XIX.

Vtrum omne opus mercenarium seruile sit, ac subinde sit specialiter prohibitum in die festo.

1. Quid sit opus mercenarium.

Dicitur mercenariũ opus, quod fit propter temporale lucrum, vel stipendium, quod interdum, ac sæpe contingit esse de se conditionis seruilis, & tunc non est locus quæstioni, vt per se patet, quia, si opus seruile propter mercedem fiat, non propterea desi

desinit esse seruile. Sed quæstio est, quando lucrum, vel merces, seu intentio eius additur operi de se non seruili, an eo ipso opus reddatur ita seruile, vt sub generali prohibitione, & regula suprà posita contineatur. In quo puncto, quod fundamentum est multorum casuum moralium, duo subdistinguenda sunt, vnum de lucro, aliud de mercede, seu stipendio, hæc enim diuersa sunt, vt statim declarabo.

2.
1. Opinio opus causa lucri esse seruile.

Prima ergo sententia in hac materia est opus sufficienter dici, & esse seruile ex solo respectu ad lucrum temporale, etiamsi ex nullo alio capite seruile sit; vnde si extrà hunc respectum habuerit opus conditionem seruilem, infra explicandam, pluribus modis erit seruile. Ita sentiunt multi Canonistæ in cap. 1. de Fer. vt videre licet in Anton. ibi Abb. num. 4. & in legistis in L. *Omnes iudices.* cap. de Fer. qui latè referuntur in Addit. ad Abbat. citato loco, & per Iacobum Abbarotium in Proœmio feudorum capite 1. eandem significant Angelus, & alij infrà citandi: dicunt enim ipsum studere, quod videtur opus maximè liberale, si spe, & intentione lucri principaliter fiat in die festo, esse festi transgressionem, & peccatum graue. Vnde necesse est, vt dicant illud opus esse seruile: quia, cum non sit specialiter prohibitum in Iure, nec per consuetudinem, vt constat; si est contra obseruationem festi, oportet vt sit prohibitum per illam generalem prohibitionem, *Opus seruile non facies*: ergo illa relatio sufficit ad constituendum opus seruile. Et ita expressè docent Richar. Siluest. Angel. & alij: qui propterea distinguunt triplex opus seruile, materialiter tantum, formaliter tantum, & materialiter, ac formaliter simul; & hoc tertium aiunt solùm prohiberi hoc præcepto. *Materialiter* autem intelligunt, id est, quod sit opus corporale, & externum; *Formaliter* autem, quod fiat propter lucrum, seu temporale commodum principali intentione. Vnde etiam indicant hanc intentionem esse necessariam ad opus seruile prohibitum hoc præcepto. Sed de hoc puncto, & de tota illa partitione in sequentibus dicam. Eandem ferè sententiam docet Abul. Exod. 12. quæst. 25. dist. duplex opus seruile; vnum, quod est opus potentiæ executiuæ laboriosum, & non necessarium, nec immediatè ordinatum ad conseruationem vitæ humanæ, quod ipse ibi latè explicat: aliud tantùm ex fine, quia ad lucrum ordinatur, quia seruus propter lucrum operatur. Vnde vniuersaliter concludi, omnes operationes exteriores, secundum se liberales, ex hoc fine fieri seruiles, & prohibitas. Fundamentum huius sententiæ, examinando, & impugnando illam declarabitur.

Anton. Abbas. L. Omnes. Abbarot. Angel.

Richard. Siluest. Angel.

Abulens.

3.
Refellitur. Caietan. Soto. Nauar.

Hanc ergo sententiam meritò reprobat Caiet. dicta quæst. 122. art. 4 dub. vlt. in 1. suppositi. quam facit, & eum sequuntur Sot. Nauar. & alij infrà referendi. Dicendum ergo est, solum respectum ad lucrum ex intentione operantis non esse satis, vt opus sit prohibitum, tanquam seruile. Hoc solum probat Caiet. vnico exemplo, quia negotiatio, seu mercatura fit maximè spe lucri temporalis, & tamen non fit inde opus seruile, quia non est prohibita ex vi illius primæ regulæ generalis, cuius signum est, quia ideo de illa negotiatione addita est in Iure specialis prohibitio, vt infra videbimus. Sed Auctores allegati negarent assumptum: nam si de studio id negant, maiori ratione idem negarent de negotiatione: cuius lucrum minus nobile, minusque liberale, magisque periculosum est: & consequenter dicerent, prohiberi specialem in Iure, non quia non contineatur sub regula generali, sed vel vt tolleretur omne dubium: vel certe, vt absolutè prohibeatur, siue fiat propter lucrum, siue propter alium finem magis pium, nam illo etiam modo non licet, vt infra dicam. Sed instat Caiet. quia negotiari est opus liberorum, qui sunt domini pecuniarum, & non seruorum, qui nihil habent. Respondebunt tamen consequenter, esto negotiari secundùm se non sit opus seruile, nihilominùs factum propter lucrum fieri opus seruile, sic enim de studio dicti Auctores dicunt. Vnde solùm illum respectum sufficere putant, vt opus aliàs liberale, si nobili intentione fiat, intuitu lucri factum sit seruile, quia proprium seruorum est operari propter lucrum.

4.

Atenim hæc ipsa ratio ostendit sine fundamento hoc dici: Quia operari spe lucri non est proprium seruorum, quod patet tum inductione, quia nobiles, & principes illa spe, & intentione sæpe operantur, & nulli se propterea seruire putant, tum etiam, quia nulli re vera seruiunt: quia nec ratione operis, cum non tendat de se ad commodum alterius: nec ratione intentionis, quia intendendo lucrum, potius quis operatur propter se. Præterea, ratio magis moralis est. Quia Ecclesia per hoc præceptum non prohibet operari hac, vel illa intentione, sed prohibet facere hoc, vel illud opus: ergo si opus secundùm se non est contra prohibitionem Ecclesiæ, neque factum ex intentione lucri est contra generalem Ecclesiæ prohibitionem de opere seruili, ergo signum est non fieri opus seruile propter solam intentionem. Et confirmatur, quia aliàs studere in die festo ex intentione consectãdi famam, & magnum nomen & honorem, esset opus seruile, & contra præceptum de obseruatione festi, quod ridiculum est. Sequela probatur, quia illud censetur maius lucrum, quàm sit pecunia, & licet sit nobilius, & altius, minusque seruile, quàm sit pecuniarum lucrum, nihilominùs moraliter, & mysticè loquendo; ambitio honoris non minùs est idolorum seruitus, quàm sit auaritia, neutra tamen est vera seruitus cum proprietate. Et tandem declarari rectè potest ex D. Tho. 2. 2. q. 118. art. 5. ad 4. vbi exponens illud ad Ephes. 5. *Auaritia est idolorum seruitus*, ait nõ propriè, sed per similitudinem dictum esse. Est autem similitudo in hoc; quod, sicut idololatra subiicitur idolo, ita auarus pecuniæ: differentia vero est, quod idololatra subiicitur idolo ad cultum, & ideò idololatria est propria seruitus, auarus non subiicitur pecuniæ ad cultum, sed ad vsum. Ergo intendens pecuniæ lucrum non seruit propriè; & consequenter nec opus factum ex illa intentione inde fit seruile, si aliàs non est. Et ex sequenti puncto hoc à fortiori confirmabitur.

D. Thom. Ephes.

5.
2. Opinio asserens omne opus mercenarium esse seruile.

Secunda opinio est, opus fieri seruile, si fiat intuitu mercedis stipendij, seu salarij, etiam si de se seruile non sit, sed liberum. Differt autem hæc sententia à præcedenti, quantum differt merces à lucro: videntur autem differre tanquam genus, & species, nam merces lucrum quoddam est, vt constat; non tamen omne lucrum est merces, nam lucrum, quod negotiatione comparatur, non est merces nec stipendium. Merces ergo dicitur, quando lucrum speratur ab aliquo, qui in recompensationem obsequij sibi facti tantum lucrum redditurus est, quantum tali obsequio debetur. Hinc ergo videtur intentio mercedis magis seruilis, quàm intentio lucri, quod non est merces, nec stipendium: quia qui ab alio mercedem sperat illi seruire conuincitur, non verò, qui sperat aliunde lucrum vt in præcedenti puncto declaratum est. Sic igitur ait hæc sententia opus mercenarium eo ipso esse seruile, ac subinde esse prohibitum per illa generalia verba, in die festo: Ita sentiunt à fortiori omnes Doctores citati in opinione præcedẽti, & præterea antiqui Summistæ Astens. li. 1. tit. 22. art. 4. & tit. 23. ar. 3. q. 5. Summa confes. lib. 1. tit. 12. q. 9. Angel. verb. *Feria* nu. 9. qui ex hoc principio multa infert num. 26. & sequentib. Et adducit Richard. pro hac opinione in 3. d. 37. artic. 2. quæstion. 4. & sequitur Siluest. ver. *Dominica* quæst.

In quo differant hæ duæ opiniones.

Astens. Angel.

Richard. Siluest.

quæst. 4. & 5. vbi de lucro in genere loquitur, & satis A lubricè, tamen in quæst. 5. concl. 3. planè affirmat esse peccatum mortale in Aduocato dare concilium in die festo, si principaliter intendat lucrum, (quod in eo est stipendium) etiam in eo casu, in quo non peccaret dando illud concilium sine lucro, vel non intendendo illud principaliter, sed tantum secundariò. Tenet etiam Tabiena verb. *Feriæ* nu. 39. Rosella n. 7. Fundamentum huius sententiæ iam declaratum est. Quia operari propter stipendium est seruilis modus operandi, & proprius seruientium, & ideò cõstituit opus seruile, quòd aliàs non esset. Et confirmari hoc potest inductione, nam piscari in die festo recreationis causa, non est seruile opus, nec contra obseruationem festi, & tamen factum propter stipendium, vel lucrum est seruile, & prohibitum, quia sine dispensatione B non licet cap. *Licet* de Fer. Item transcribere gratia doctrinæ non est seruile, transcribere autem propter mercedem est seruile, & prohibitum, vt multi volunt, & sic de aliis.

Tabien. Rosel. Fundamentum.

Cap. Licet.

6. Opus nõ fieri seruile ex mercede.

Dicendum nihilominùs censeo, nunquam opus fieri seruile, eò quòd fiat propter mercedem, & stipendium, si aliàs ingenuè factum non sit seruile, sed liberum. Imò etiam addo, quod licet opus ex se seruile sit, & mechanicum, ac per se prohibitum in die festo, si hîc, & nunc occurrat necessitas, vel causa iusta excusans à præcepto, non esse illicitum, nec contra præceptum illud facere propter mercedem, & non aliàs, ac subinde iam tunc non fieri specialiter illud opus seruile ex relatione ad mercedem. Præcipuus defensor huius sententiæ est Caiet. in dicto articulo 4. dub. vlt. C qui valdè ingeniosè, & acriter illam confirmat, & sequitur Sot. dicto art. 4. licet fortasse non in omnibus consequenter loquatur, tenet etiam Medina in sua instruct. confes. libr. 1. cap. 14. §. 8. Ludou. Lopez in suo Instr. 1. part. cap. 25. Nauar. in Man. cap. 13. num. 5. Armilla ver. *Feriæ* num. 22. Azor. 2. p. sum. lib. 1. cap. 28. quæst. 1. Et Moderni frequentiùs hoc sequuntur. Ratio moralis est, quia Ecclesia nullibi prohibuit operari in die festo propter mercedem, nisi in quantum prohibet ipsum opus, quotiescunque ergo ex vi festi non prohibet opus, non prohibet, nec curat, an fiat propter mercedem, vel gratis, hoc naturali iuri, & profectioni relinquit. Ergo opus de se non prohibitum, quia de se liberale est, & non seruile, non prohibetur in die festo, etiamsi propter mercedem D fiat. Et similiter licet opus aliàs sit seruile, & de se prohibitum, si hîc, & nunc permittatur ex causa, licet non fiat sine mercede, non propterea magis violatur festum, quàm si gratis fieret. Nam licet aliàs respectu aliarum virtutum ex hac conditione, vel intentione possit benè, vel malè, aut minùs benè, fieri, tamen respectu Religionis, & festi non magis violatur eò quòd ex mercede fiat, quàm si fiat gratis. Nisi in casu, in quo permissio sit per dispensationem sub illa conditione concessam, nam tunc est specialis ratio, quæ potiùs confirmat sententiam nostram, vt iam declarabo.

Caiet.

Sotus. Medi. Lopez. Nauar. Armil. Azor.

7. Cõfirmatur assertio.

Potest ergo assertio posita confirmari præsertim quoad posteriorem partem ex eo, quod interdum dispensatur cum operariis, vt possint in templo ædificando laborare, aut lapides, vel ligna ad Ecclesiam, vel hospitale deferre, dummodo gratis id faciant. Quæ dispensatio iusta est, quia inuoluit commutationem vacationis præceptæ in opus pietatis, ergo si absolutè daretur sine tali restrictione (vt dari licitè posset, si necessitas id postularet) tunc sine vlla transgressione, vel violatione festi possent fideles laborare propter mercedem. Quia in præcepto sunt simpliciter dispensari, & nullum est aliud, quo prohibeantur stipendium accipere, cum alioqui opus dignum E sit mercede, licet ex dispensatione tantum liceat. Item aliquando conceditur dispensatio piscandi ad lucrum sub hac conditione, vt pars lucri Ecclesiæ, aut pauperibus detur, vt patet ex cap. *Licet*, de Feriis iuxta verum eius intellectum. Non enim ibi datur facultas sub conditione soluendi Decimas Ecclesiis, vt Gloss. putauit, sed sub conditione faciendi aliquam eleemosynam ex lucro illo; tum quia textus apertè loquitur de pauperibus, & de Ecclesiis circumuicinis, quibus non solent deberi tales Decimæ, quæ personales sunt. Tum etiam quia cum solutio Decimarum per se debeatur, non oportebat illam in dispensatione declarare, vt bene notauit Panor. ibi. Neque illa concessio sic facta simoniaca est, quia non venditur dispensatio propter partem lucri, sed imponitur illud opus pietatis quasi in commutationem præcepti. Ergo habita illa dispensatione, non violatur festum, etiam si quis piscetur propter lucrum, quod ex piscatione sperat.

Cap. Licet.

Gloss.

Panorm.

8. Obiectio.

Dices, hoc esse verum, si intendat secundariò, & consequenter, non verò si intendat principaliter; nam potiùs debet intendere opus illud pietatis, vel eleemosynæ, aut publicam vtilitatem, propter quam dispensatio conceditur. Sed hoc gratis dicitur, tum quia, vt dixi, Ecclesia non præcipit, vel prohibet in his actionibus hac, vel illa intentione operari: tum etiam quia accidentarium est, illam dispensationem concedi sub conditione talis eleemosynæ, posset enim simpliciter concedi, & tunc non deberetur talis eleemosyna ex præcepto, sed ex consilio, vt etiam Angel. numer. 35. & Siluest. quæst. 5. concedunt, & tunc non peccabit quis, etiam si non intendat facere eleemosynam ex lucro. Similiter licet dispensas ordinariè intendat publicam vtilitatem, tamen vtens dispensatione non tenetur intendere communem vtilitatem, sed potest intendere proprium commodum, neque in hoc peccabit contra festum. Imò interdum posset esse hæc causa iustæ dispensationis, quoad vnam, vel aliam personam; propter indigentiam eius.

Infirmatur.

Angel. Siluest.

9. Instantiæ satisfit.

Sed dices tandem, hoc esse verum de intentione lucri, non verò de intentione mercedis. Sed re vera vnum sequitur ex alio; nam inquiro, cum piscatio illa fieri non possit sine multis cooperantibus, An omnes illi, qui adiuuant, teneantur gratis iuuare, vel esse debeant partiarij lucratores (vt sic dicam?) Certè neutrum dici potest; non primum, quia sic vana esset dispensatio, nulli enim vellent illa vti ad gratis seruiendum, non etiam secundum, tum quia moraliter id fieri non potest de omnibus quomodocunque iuuantibus, sed oportet, vt multi sint stipendiarij, & mercede conducti. Imò multi pauperes non aliter laborarent, quia volunt lucrum certum, & non dubium, quale est in partiariis. Vnde rectè aduertit Caiet. quòd nisi liceret mercedem accipere pro his operibus seruilibus, quæ ob necessitatem in festis permittuntur, rarò inuenirentur seruientes, nec subueniretur necessitatibus, quia pauci sunt, qui gratis velint intendere aliorum commodis. Eò vel maximè, quia licet opus sit necessarium ad remedium proximi, non est tamen necessarium, vt gratis fiat, quando proximus potest mercedem dare, ergo nullum peccatum est, illam postulare, imò iniustum videretur cogere ad seruiendum gratis ei, qui potest seruitium compensare, non est ergo contra obseruantiam festi talem mercedem exigere, ergo nec intendere illam, siue secundariò, siue principaliter, quantùm attinet ad obseruantiam festi, sed illa intentio aliunde discutienda est. Rectè ergo hinc concluditur etiam altera pars, quando opus non ex dispensatione, vel per excusationem licet, sed per se, quia seruile non est, nec aliàs

Caiet.

specia

specialiter prohibitum, tunc enim nulla malitia; vel circunstantia contraria obseruationi præcepti illi adiungitur, eò quòd fiat propter mercedem, quia hæc relatio non magis in hoc opere quam in quolibet alio est contra præceptum de obseruatione festi.

10. Opus nõ acquirit malitiam præcepto contrariam ex mercede.

Applico deinde cum proportione rationem factã, quia licet opus sit liberale, & de se non seruile, potest esse pretio æstimabile, vt constat ex communi sensu omnium, & exemplis statim declarabitur, ergò si non est contra obseruantiam festi tale opus gratis facere, neque erit contra eandem obseruantiam exigere pro illo iustam mercedem, maximè ab eo, qui commodè potest illam reddere, quia nemo cogitur suum opus alteri gratis impendere, quod pretio æstimabile est. Item, quia talia opera sæpè sunt necessaria in die festo ad conuenientem Reipublicæ, vel Ecclesiæ ornatum, vel ad aliquam publicam necessitatem & si gratis exhibenda sint, pauci, aut nulli ad illa præstanda inducẽtur. Cogere autem illos, vt gratis faciant, cum Reipublicæ hoc non interesit, videtur contra rationem iustitiæ, & sine vlla causa Religionis; hoc enim per se ad cultum Religionis nec necessarium est, nec ferè confert. Tandem hoc confirmatur euidenti inductione, nam cantare, & pulsare citharam, & similia, opera sunt non seruilia de se, & tamen videmus in ipsis Ecclesiis non fieri à ministris earum, nisi propter stipendium certum. Nec refert, dicere illud non esse intentum principaliter, sed secundariò; tùm quia incertum hoc est; multi enim, præsertim stipendiarij, & maximè Laici principaliter hoc intendunt, & siue in hoc aliàs peccent per simoniam, siue non, tamen ex illo capite non violant festum, quia, vt sæpè dixi, prohibitio operum in die festo non datur de intentione, sed de ipso opere; tum etiam quia satis est, quod non intendant sic seruientes gratis operari, sed ob mercedem, nec sine illa seruirent, si ergo tunc opus non est seruile, nec prohibitum, quantumcunque hoc sit præcipuè intentum, opus non erit seruile. Item in multis Academiis tenentur Lectores stipendiarij docere in aliquibus festis ratione stipendij, & ita propter illud docent, & non aliter, & tamen id non censetur illicitum, nec contra festum. Et similia exempla multa adducit Caietan. ex quibus rectè concludit, communem populi Christiani consensionem esse, non esse contra obseruantiam festi locare operas suas in illo die, quando aliàs tales operę non sunt in festo prohibitæ, vel ex causa permittuntur.

Caietan.

11. Diruitur fũdamentũ alterius sententiæ.

Ad fundamentum ergo contrariæ sententiæ negatur ex hac sola relatione fieri opus seruile, quod de se non est; hoc enim nulla efficaci ratione ab aduersariis probatur. Contrarium autem probat Caiet. tribus rationibus. Prima est, quia multa sunt opera seruilia, etiamsi absque intuitu mercedis fiant, vt infra videbimus. Hæc vero ratio solùm videtur probare habitudinem hanc, seu conditionem mercedis non esse de necessitate operis seruilis, quod verissimũ est, vt infrà tractabimus. Non tamen videtur immediatè, & efficaciter concludere respectum illum non sufficere ad reddendum opus seruile, quod de se tale non erat.

Prima ratio. *Caiet.*

12. 2. Ratio.

Addit ergo secundam rationem Caiet. quia aliud est operari seruiliter, aliud mercenariè; à diuersis autem non fit illatio, quando inter se connexionem necessariam non habent, quæ hîc nulla est. Quia operari seruiliter, est operari in commodum Domini, propter illum, operari autem mercenariè est operari propter se, & in commodum proprium. Vnde concludit, hæc non solum non esse connexa, verum etiam repugnare eidem operi, quia opus seruile est proprium seruorum, seruis autem non redditur merces, quia omnes operæ serui sunt Domini. Sed hoc posterius nimirum est, quia sine dubio non repugnat opus esse seruile, & esse propter mercedem, laborare enim in domo ædificanda, vel in vinea colenda, sine dubio est opus seruile, & tamen propter mercedem fit. Vnde cum opus seruile dicitur esse seruorum, non oportet intelligere *seruorum* nomine mancipia captiua, & libertate carentia, vt Caiet. indicat, nam hi serui sunt, qui nihil habent, & quì suas operas dominis debent, de quibus Caiet. vult, illud esse intelligendum. Ego verò non ita opinor, nam opera seruilia exercentur propriissimè, & satis seruiliter à famulis liberis qui seruire propriissimè dicuntur, licet stipendium accipiant. Sunt ergo opera seruilia seruorum, id est, seruientium, & de his non semper est verum, nihil habere proprium, aut omnia sua opera debere dominis, sed illa tantum, pro quibus mercedum accipiunt. Tunc clarum est non repugnare, opus esse seruile, & propter mercedem factum. Nec verò repugnat simul esse hæc duo, operari propter dominum, & propter se; nam duplex vtilitas ex opere resultat, vna tanquam immediatus effectus operis, & quasi intrinsecus terminus eius quasi Physicus; alia tanquam recompensatio operis, quæ dici potest mediatus effectus, moraliter potiùs, quam Physicè. Ille igitur, qui propter mercedem, v. g. fodit vineam, immediatè intendit terram præparare, & colere in commodum Patroni, & ita operatur immediatè propter illum, mediante autem hoc labore intendit comparare sibi mercedem, & ita proximè operatur propter dominum, & vltimatè, seu remotè propter se. Et hac ratione non repugnat ex hoc capite operari mercenariè, & seruiliter, seu idem opus esse seruile, & mercenarium.

13. Tertia Caietani ratio.

Sed instat Caiet. in ratione tertia, quia ex hoc, quod opus fiat propter commodum alterius, non fit seruiliter, quia potest fieri gratis, additio autem relationis ad mercedem non est vinculum seruile, quia hæc relatio operis mercenarij terminatur ad operantem, & non ad alium, quia operari propter mercedem vt sic, est operari propter se, & non propter alium. Sed in hac etiam ratione quandam repugnantiam inuenio; nam si operari propter mercedem, vt sic, non est vinculum seruitutis, vt re vera non est, & bene probatur discursu Caiet. Ergo operari gratis non tollit vinculum seruitutis, quia solum tollit vinculum mercenarij operis, ergo ex eò quòd opus factum in commodum alterius gratis fit, non rectè infert Caietan. non fieri seruiliter; alioqui repugnaret opus gratis fieri, & esse seruile, quod falsum est, vt dixi, & infra ostendam. Quod si forrasse quis dicat, & pro Caietano respondeat, opus gratis factum propter commodum alterius esse posse seruile, tunc autem non seruiliter fieri, quia liberaliter fit: consequenter fateri cogetur, opus factum in commodum alterius propter mercedem licet in se seruile non sit, illo tamen modo seruiliter fieri, quia non gratis fit.

14. Potest opus factũ immediatè in cõmodum operantis esse seruile.

Vt ergo consequenter loquamur, & ex toto hoc discursu rationem efficacem colligamus, dicendum in primis est, licet de ratione operis seruilis sit, vt fiat propter commodum alterius, non tamen hoc satis esse vt opus sit seruile, quia etiam opus liberale, quale est opus doctrinæ, vel artis liberalis potest fieri propter commodum alterius. Hæc ergo relatio, & modus operandi propter commodum alterius non facit opus seruile, sed abstrahit, & communis est operi liberali. Imò addo vlterius, non repugnare opus fieri immediatè in commodum operantis, & nihilominùs esse seruile, vt quando quis laborat in propria vinea, & propter suum commodum. Ex his ergo relationibus, vt esse possunt in operante, non discernitur opus seruile à non seruili, nec aliqua earum constituit opus seruile, licet neutra illi repugnet, & illa, quæ est ad commodum alterius, magis accedat ad seruitutem.

Et

Et idem ferè est de relatione ad mercedem additam operi de se non seruili; non enim constituit illud seruile, quia illa relatio vt sic, non respicit commodum alterius, sed ipsius operantis, vt bene Caietan. dixit, nec repugnat operi seruili, si in eo conditionem seruilem supponat, quam infrà explicabimus.

15. Relatio ad mercedem quod opus faciat.

Relatio ergò ad mercedem facit opus mercenarium, non seruile, cuius signum est, quia si pro mercede intendatur honor, aut gloria, nemo dicit inde fieri opus seruile, quamuis mercenarium re vera fiat. Item operari propter stipendium non est proprium seruientium, nam principes, & duces, & magistri, & lectores, & ministri Ecclesiæ operantur propter stipendium, & non propterea dicuntur seruiliter operari, sed mercenariè. Ac denique licet daremus illos operari modo seruili, non tamen dicere possemus facere opera seruilia, quod præcipuè intendimus. Quia Ecclesia non prohibuit modum operandi mercenarium, nec præcepit liberalem, id est, gratuitum, sed prohibuit opera seruilia. Et hoc est clarum, & morale fundamentum huius veritatis, quod modus ille operandi propter mercedem, siue vocetur mercenarius, siue seruilis (quod potest pertinere ad modum loquẽdi) non cadit sub Ecclesiæ prohibitionem, tùm quia nihil de hoc Ecclesia in suis decretis explicauit; tùm etiam quia ille modus est magis intentionalis, quàm realis: pendet enim ex intentione, & relatione extrinseca operantis, Ecclesia autem prohibet opus ipsum, non intentionem, nec opus ex tali intentione factum. Et hæc ratio maximè vrget contra eos, qui fatentur, non esse contra hoc præceptum operari propter mercedem, quando non est principaliter intenta, sed secundariò, quod fatentur Auctores ferè omnes contrariæ sententiæ. Sine causa verò addunt, esse contra præceptum, si sit principaliter intenta merces, quia Ecclesia, vel non disponit de intentione extrinseca operis, sed solùm de voluntate necessariò connexa cum opere, vel si interdum potest prohibere externum opus, vt natum ex tali intentione, & non ex alia, nunquam censetur id facere, nisi quando expressè id declarat, vt suppono ex materia de Legibus: hîc autem nihil de tali intentione Ecclesia declarauit, nec ex prohibitione operis seruilis se quitur prohibitio talis intentionis, vt satis declaratum est.

16. Scribere propter mercedem non est seruile.

Circa confirmationem pro illa sententia factam ex quadam inductione, occurrebat tractandum de aliquibus operibus in particulari, maximè de venatione, piscatione, scriptione, & transcriptione, an sint opera seruilia, nec ne, & consequenter an sint prohibita in die festo. Multi enim Doctores, & Summistæ in priori sententia citati, cum supponant, hæc opera, vel de se non esse seruilia, vel saltem non semper, sub distinctione quadam respõdent, si fiant propter mercedem; vel lucrum, seruilia esse, & prohibita; si verò fiant gratis, vel recreationis gratia, non esse seruilia, nec prohibita. Sot. etiam dicto artic. de actu scribendi agens in §. *Tertium genus*, ait, scribere quatenus est quædam locutio cum absente, non esse opus seruile, *Si tamen* (ait) *ad opus seruile vergat, vt stata mercede transcribere, aut alia ratione calamo mereri, id minimè fas est.* Vnde videtur dicere, rationem, cur aliquando non liceat, solùm esse, si stata mercede, aut ad merendum stipendium fiat. Si autem Soto hoc sentit, non est consequenter locutus, quia hoc repugnat cum superiori resolutione. Supponendum ergo est, scribere vt sic de se non esse opus seruile, quod omnes fatentur, præsertim verò declarat Caietan. dicto artic. 4. §. *Ad 2. dubium*, & Nauarr. in Manual. cap. 13. num. 14. & infrà probabitur; cum enim hactenus non explicuerimus, per quid constituatur opus in ratione seruilis, non possumus propriam rationem reddere, cur hoc opus excludatur à ratione operis seruilis; hoc verò supposito, consequenter dicitur, nunquam tale opus fieri seruile ex eo solùm, quòd propter stipendium, vel lucrum fiat, hoc enim planè sequitur ex resolutione data, & rationibus eius. An verò ex alio capite alius modus scribendi sit seruilis, vt etiam Caietanus, & multi volunt, infrà videbimus. Nunc solùm dico, si scribere aliquo modo seruile est, siue gratis, siue mercenariè fiat, seruile esse, & consequenter, si nulla scriptio gratis facta seruilis est, nullam etiam precio factam seruilem esse. Et idem dico de venatione, & quacunque alia actione, & ita respondeo ad confirmationem illam. An verò intra eandem speciem actionis, quædam possit esse seruilis, alia non seruilis, ex dicendis constabit.

Soto.

Caietan. Nauar.

17. Opus ex se est seruile, & non ex aliqua relatione.

Ex dictis ergò circa opinionem tractatam, & circa rationes Caietani rectè concluditur, non constitui opus sufficienter in ratione seruilis propter relationem ad lucrum, vel ad stipendium, sed necessarium esse, vt ipsum opus in se, & absolutè, & (vt sic dicam) materialiter spectatum habeat proprietatem & conditionem operis seruilis. Hoc enim probant omnia, quæ adduximus contra superiorem sententiam, & ita sentiunt omnes Auctores, quos pro nostra sententia retulimus. Vnde obiter constat, diuisionem illam Richardi, & Summistarum de triplici opere seruili materialiter tantùm, formaliter tantùm, & materialiter, ac formaliter simul, superfluam esse, & falsum supponere, saltem quoad secundum membrum, nullum enim est opus seruile ex sola formalitate intentionis (de hac enim illi loquuntur, & alia cogitari non potest) nisi materia ipsius operis, id est, opus ipsum materialiter sumptum seruile sit. Adde Siluestrum, Angelum, & alios non solùm vocare opus seruile formaliter tantùm opus ipsum externum de se non seruile factum ex intentione lucri, sed etiam cogitationem, vel internam meditationem, aut consultationem factam in die festo de opere mercenario, aut seruili faciendo postea in die profesto; vt si Aduocatus in die Dominica cogitet de his, quæ feria 2. proponere debet propter lucrum, aut mercator de contractu faciendo, aut colonus de cultura terræ ex mercede facienda. At verò licet hi Auctores fateantur, hoc opus non ita esse seruile; vt sit prohibitum ex vi præcepti obseruandi festum, sed tantùm de consilio, vt dicit Angel. dicto num. 9. & Siluest. quæst. 4. dicto 2. nihilominùs immeritò vocant illud opus seruile, quia neque opus est, nec sub diuiso illo continetur. Patet, quia illa cogitatio merè internus actus est (ita enim ipsi supponunt) opus autem seruile hîc diuidendum, est opus externum, quia hoc solum hoc præcepto prohibetur, vt suprà probatum est. Quòd si illa præparatio non sistat in cogitatione, & meditatione interna, sed in actionem externam prodeat, tunc eadem ratio de illa erit, quæ de aliis corporalibus actionibus ad lucrum, vel stipendium relatis. Quia nisi opus ipsum seruilem conditionem habeat, propter solam formalitatem ad mercedem non potest dici opus seruile formaliter tantùm, ita vt contineatur sub prohibitione ratione festi. Hoc enim est, quod ad rem spectat; nam siquis vocet seruile formaliter, & postea dicat, illam seruitutem non sufficere ad prohibitionem, nec ad peccandum contra præceptum, de nomine tantùm disputabit.

Richard.

Siluest. Angel.

An verò duo alia membra illius partitionis sint necessaria, ex sequentibus constabit.

CAPVT XX.

Quidnam sit de ratione operis seruilis hoc præcepto prohibiti.

1. Prima operis seruilis descriptio.

VArias descriptiones seruilis operis apud Auctores inuenio, tres tantùm attingam, quoniam ex illis satis colligi potest qualitas, & ratio operis seruilis, quatenus ad hoc præceptum explicandum necessaria est. Primò Abulens. in cap. 12. Exod. quæst. 24. sic opus seruile describit, *Est opus laboriosum organorum executiuorum, nulla vrgente causa, ad humanam vitam non immediatè sustentandam, aut fouendam.* Quam descriptionem latissimè explicat, summatim verò dicit, particulam *laboriosum* additam esse ad excludendum opus de se facile, vt comedere, & bibere. Per *Organa executiua*, exponit opera manus, linguæ, & potentiæ secundùm locum motiuæ, quia organa istarum actionum sunt propriè actiua, & voluntati obediunt quæ duo requiruntur ad propriam executiuam virtutem humanam, & ita excludit opera sensuum quæ per se non subsunt voluntati, & eadem ferè ratione excludit opera partis vegetatiuæ. Illam verò particulam *Nulla vrgente causa*, non declarat, licet satis obscura appareat; fortasse verò intelligit, hoc opus ita esse ab executiuo organo, vt ab intrinseco moueatur, & non per coactionem ab aliqua extrinseca causa, quæ vrgens causa, & quasi vim inferens dici potest. Denique in reliqua parte declarat, opus seruile debere esse ad sustinendam vitam humanam, non tamen immediatè, *per quod* (ait) *excludi præparationem ciborum à ratione seruilis operis*, quia non prohibetur in die festo.

Abulens.

2. Impugnatur.

Sed ex hac ipsa explicatione constat, descriptionē illam voluntariè compositam esse ad propriam opinionem postea ex illa inferendam; quod est contra rationem definitionis, quę ex communibus conceptionibus, & notionibus sumenda est. Præterea multa sunt opera non seruilia, quibus tota illa descriptio conuenit, nam scribere est opus laboriosum, &c. Similiter etiam cantare, ac pedibus ambulare, quæ tamen seruilia non sunt ex suo genere, quidquid ipse dicat. E' contrario verò paratio ciborum re vera est de se opus seruile, licet non prohibeatur, vt infrà videbimus, & vestem facere, vel barbam tondere, opus seruile est, cum tamen laboriosum propriè dici non possit. Nec propter excludendum opus comedendi, & bibendi erat necessaria illa particula, quia per vltimam sufficienter excludebatur multò magis, quàm operatio parandi cibos. Hanc ergo definitionem missam faciamus, & ex illa tantùm sumamus, opus seruile distingui posse ab opere naturali, quod immediatè ordinatum est à natura ad eandem naturam fouendam, vel propagandam, seruile autem dicitur, quod remotiùs naturæ inseruit. Et potest etiam hîc aduerti, operationem seruilem quodammodo dici posse operationem manus, quæ est organum organorum, quo ratio, & voluntas vtuntur ad iuuandam naturam, vnde vix vllum (vt opinor) opus de se seruile inuenietur, quod non sit à manu aliquo modo, licet non semper sit à sola illa, quod ex sequentibus planum fiet; non tamen per hoc sufficienter definitur opus seruile, quia non omne opus quod est à manu, seruile est, vt de scriptione postea dicturi sumus.

3. Secunda descriptio. *D. Thom.*

Secunda ergò descriptio sumi potest ex D. Thoma 2.2. quæst. 122. art. 4. vbi dicit; *Opus seruile esse aliquod corporale opus ex his, in quibus vnus homo alteri inseruire solet.* Quamuis eo loco non intendat exactè definire opus seruile, sed qualemcunque notitiam illius dare. Duo tamen sunt in illis verbis obseruanda: vnum est, non esse de necessitate operis seruilis, vt in seruitium, vel commodum alterius hominis exerceatur, nam etiam potest homo opera seruilia exercere in suum proprium seruitium, & commodum; tamen quia seruitus propriè dicta est ad alterum, ideò explicatur opus seruile per qualitatem, & conditionem illius operis; quod solet homo exercere in obsequiū, & seruitium alterius hominis: & ita dixit D. Thom. in 3. d. 37. art. 5. q. 2. ad 2. Opera seruilia propriè dici illa, *ad quorum exercitium seruos deputatos habemus*, non itaque tunc solùm seruilia sunt, quando per seruos exercentur, sed in se sunt talia à quocunque exerceātur, quia semper, quātùm est de se, apta sunt, fieri per seruos, & propter exercitium illorum solent serui deputari; nam, vt aiunt, verba in definitionibus, seu descriptionibus non dicunt actum, sed aptitudinem. Alterum aduertendum est, quod suprà obiter dixi, cum opus seruile à seruitute denominari dicitur, & describitur per habitudinem ad seruum, non oportere id intelligi de seruo rigorosè sumpto, vt mancipium captiuum, & non habens libertatem, (vt Caiet. intellexisse videtur) quia hoc non est necesse ad opus seruile, nec enim ad omnia opera, quæ propriissimè seruilia sunt iuxta intentionem huius præcepti, habemus ordinariè deputatos huiusmodi seruos, vt patet de omnibus operibus artium mechanicarum Reipublicæ, quæ seruilia reputantur, & non possunt dici esse talia, vt ad eorum exercitium habeamus deputatos huiusmodi seruos. Ergò seruitus ibi latè sumitur pro famulatu, & ministerio corporali, quo vnus homo iuuatur ab alio in his corporalibus & materialibus rebus, & qui sic ministrat, seruire dicitur, & si ad illud ministerium sit deputatus, vocatur seruus lato modo.

Caiet.

4. Declaratur magis præcedens descriptio.

Tertiò declarat ampliùs hanc descriptionem idem D. Thom. in 3. loco proximè citato, dicens: *Opera seruilia propriè esse illa, ad quorum exercitium seruos deputatos habemus, in quibus debent artes mechanicæ dirigere, quæ à liberalibus distinguuntur.* Itaque non omnia opera, quæ per corpus exercentur, licet per ea possit vnus homo alium iuuare, seruilia sunt, sed illa, quę per mechanicas artes dirigi possunt; nam in his operibus dicitur propriè vnus homo alteri seruire, quia circa corpus propriè versantur, secundùm quod attenditur seruitus vnius hominis ad alium. Hinc opus seruile à liberali distinguitur, & (vt suprà dixi) illud esse dicitur opus corporale, & materiale quasi per antonomasiam, hoc verò dicitur magis opus mentis, spirituale. Rectè autem aduertit Caiet. in dicto art. §. *Ad 1. horum*, vtrumque opus esse ab anima, & à mente tanquam à principio, & per corpus exerceri tanquam per organum, & priori ratione etiam opus mechanicum posse dici spirituale, quia mente, & ratione dirigitur; posteriori autem ratione etiam opus liberalis artis corporale esse, & non spirituale in sua substantia, sicut est loqui, scribere, &c. Idcóq; ex terminis, seu passionibus proximè intentis distinguenda esse hæc opera. Nam opus mechanicū ita est ab anima, & exercetur per corpus, vt pro fine habeat aliquod opus materiale, & corporeum, & in corporis vtilitatem proximè cedens, vt est calceos, vestes, domus, aut alia similia artefacta conficere, & omnia, quę ad culturam terræ ordinantur. Opus autem liberale licet corporeo organo fiat, quia homo non potest exponere aliis mentem suam; tamen immediatè non fit propter materialem passionem, sed ordinatur ad spiritualem, vt ad instruendum alium, ad illuminandum, vel excitandum animum, &c.

Caietan.

5. Sic ergo ratio operis seruilis in primis postulat, vt sit opus mechanicū, & corporale, non solùm ex parte instrumenti, sed etiam ex proximo effectu, ad quem natura sua, vel ex vi suæ institutionis ordinatur. Atque hoc modo excluditur à prohibitione huius præcepti omne

omne opus liberale, quantum est ex parte vniuersalis prohibitionis operis seruilis, nisi aliàs specialiter prohibitum sit. Ita ergò satis explicatum videtur, quid, vel quale sit opus seruile, quod in festo generatim prohibetur. Supereſt tamen exponere, quàm latè pateat hoc opus, & an possit dari opus interdum seruile, & interdũ liberale, & an in vniuersum prohibeatur, necne, quæ omnia tractando sequentia dubia, meliùs exponentur.

CAPVT XXI.

De operibus naturalibus, pietatis, seu Religionis in festo non prohibitis.

1. TRes difficultates occurrunt circa ea, quæ de opere seruili diximus, quæ in hoc capite explicandæ sunt. Prima est circa opera mechanica, quæ ordinariè, & quasi per se sunt necessaria corpori humano quotidie ad sui sustentationem, vt sunt comedere, & bibere, & multò magis parare ea, quæ ad cibum, vel potum quotidianum necessaria sunt; hæc enim iuxta descriptionem datam sunt seruilia, quia & corporalia sunt, & circa corporalem terminum versantur, & ibi quasi sistunt; vnde etiam per artes mechanicas dirigi possunt & de facto diriguntur, & ad illa seruos deputatos habere solemus, quamuis qui seruos habere non possunt, per se ipsos illa exerceant, hæc ergo opera seruilia sunt. Vnde Arist. 1. Polit. cap. 4. ciborum præparationem vocat *ancillarum ministeria*. Et tamen non sunt in hoc præcepto prohibita, vt constat, ergò non satis explicatum est opus seruile, quod est materia huius præcepti, in quo vniuersaliter omne opus seruile prohibetur.

Arist.

2. Enodatur difficultas.

Ad hoc respondeo in primis de actu comedendi, & bibendi non esse opus seruile, nec contineri propriè sub opere, quod in ea partitione diuiditur; nam opus, quod in seruile, & liberale diuiditur, est opus artificiale aliquo modo, quod per artem dirigi potest, vt D. Thomas indicauit, quódque veluti inuentum est ad iuuandam naturam in spiritualibus, vel corporalibus. Ab opere autem sic sumpto distingui potest opus naturale, & ideò propriè seruile non est, nec liberale, sed naturale. Tale ergo est comedere, & bibere, & ideò non cadit sub hoc præceptum. Tale etiam existimo esse generare, & ideò non cadere sub prohibitionem huius præcepti, siue turpiter fiat, vt per fornicationem, siue honestè, vt inter coniuges: de quo plura infrà tractando de operibus peccaminosis: tale item censeo opus lauandi non solùm manus, & faciem, sed etiam totum corpus, quod non prohiberi dixit Gregor. lib. 11. Epist 3. cap. *Peruenit*, de Consec. d. 3. Eadémque ratio est de aliis operibus necessariis, quæ corpus humanum, etiam in diebus festis, vitare non potest, vt sunt indui, spoliari, & alia viliora, quæ licet maximè seruilia videantur, si conditio earum attendatur, tamen non sunt propriè seruilia, sed naturalia.

D. Thom.

Gregor.

3. Quid sentiẽ dũ de actione præparãdi cibos.

De actione verò coquendi cibos, & aliis, quæ ad præparationem coquinæ, & mensæ ordinariè fiũt, respõderi potest, hæc quidem seruilia esse, & ex vi verborum præcepti contineri sub illo, saltem quoad ea omnia, quæ præcedenti die præueniri possent: tamen ex consuetudine populi Christiani exempta esse ab illa lege, & ita cessat difficultas, quia hæc exemptio in omni lege positiua locum habet, quia per consuetudinem derogari, aut limitari potest. Ita indicat Caietan. dicto art. 4. §. *In eodem articulo*, & §. *His igitur expositis*. Sed non est intelligendum, ex intentione, & vi Ecclesiastici præcepti, hæc esse prohibita, & per consuetudinem ablatam esse prohibitionem, nunquam enim Ecclesia has actiones prohibuit, nec fuit

Caiet.

A intentio eius, vt Christiani ab his actionibus abstinerent in Dominica, vel festis, sicut Iudæi abstinebant in Sabbatho, potiùs Ecclesia semper prohibuit seruare festa Iudaicè, id est, abstinendo etiam ab his operibus, vt patet ex his, quæ suprà adduximus. Vnde D. Thom. dicto art. 4. ad 4. apertè dicit, non prohibuisse Ecclesiam coquere cibos, quia non fecit tam arctam prohibitionem, sicut fiebat in die Sabbathi. Intelligendum ergò est, hanc exceptionem in ipso præcepto contineri, sicut declarata fuit, quoad festiuitates aliquas in lege veteri, Exod. 12. *Nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent.* Hanc ergò exceptionem addidit Ecclesia in suo præcepto. Tamen quia non inuenitur ita clarè scripta, dicitur haberi ex consuetudine populi Christiani, non per derogationem, sed per interpretationem, vel quia totum ipsum præceptum traditione incepit, & à principio ita incepit, & semper durauit.

D. Thom.

Exod. 12.

4. Ex consuetudine multa opera licere, quæ alioqui prohiberentur.

Addi etiam potest exceptionem hanc consuetudine auctam esse, nam plura fortasse ex consuetudine licent, quæ ex vi legis excipi necessarium non erat: nam ad ordinarium victum non erant necessarij pastilli, & alij cibi artificiosi, qui non sine magno labore fiunt, & tamen consuetudine permittuntur, & præparatio ciborum ad omnes has delitias ampliata est. Imò etiam interdum ampliatur ad actiones colligendi fructus eodem die, vt saniores, vel integriores, & meliores sint, vel ad actiones occidendi, vel ad excoriandi animalia, & similes, quæ maximè fieri solent, quando ratio aliqua necessitatis interuenit. Hæc verò, & similia extendenda non sunt, sed quoad fieri poterit coarctanda ad eas res, quæ conuenienter præcedenti die præparari non possunt, vel quia non commodè conseruantur, vel quia propter multitudinem populi non sufficiunt. Et ita regulariter non licet panem coquere in die festo, quia potest commodissimè præueniri, vbi autem id fieri non posset, vel propter populi multitudinẽ, vel quia dies festi continui plures sunt, tunc eodem die præparari posset, sicut alij cibi; & per hæc de similibus iudicandum est.

5. De opere eũ randi proximum.

Secunda difficultas est circa opera, quæ cum infirmis propter necessitatem exercentur, illa enim sæpe sunt satis seruilia, nam & corporalia sunt, & pro termino habent opus aliquod materiale artefactũ, quod corpori ad eius leuamen applicatur, vt emplastrum, potio, &c. Atque hùc spectant externa opera Chirurgorum, & minuentium sanguinem, seu venam scindentium, hæc enim opera, & similia mechanica sunt, ac subinde seruilia, & tamen prohibita non sunt, vt constat. Ad hæc, & similia responderi potest ex Caie. supra §. *In tertio casu*. Hæc opera, quæ secundùm se, & extra necessitatem sumpta sunt seruilia, tempore necessitatis desinere esse seruilia, & fieri communia, ideóque consequenter etiam fieri extra prohibitionem. Assumptũ declaratur, quia opus seruile dicitur, quod est seruorum proprium; at verò in casu necessitatis desinunt hæc opera esse seruorum propria, quia sunt communia, & per omnes tam seruos, quam liberos exerceri debent; desinunt ergò esse seruilia, quia exuunt seruitutem ratione necessitatis. Quam respõsionem colligit Caiet. ex D. Thom. ibi dicente. *Corporalia in Dei cultum non pertinentia in tantùm seruilia esse, in quantum propriè pertinent ad seruientes, in quantùm verò communia sunt seruis, & liberis, seruilia non dicuntur.* Vnde concludit, non violare Sabbathum, qui hæc opera propter necessitatem proximi facit in die festo, quia tam liber, quàm seruus tenetur proximo in necessitatibus subuenire.

Caiet.

D. Thom.

Sed quamuis certum sit in casu necessitatis proximi esse licitum hæc opera facere in eius obsequium, quia tunc lex non obligat, iusta excusatione interue-

6. In festo licitè fiunt, sed

nō desinunt esse seruilia hæc opera.

niente, vt dicemus infrà. Tamen quod per occasionem necessitatis desinat opus esse seruile, non videtur mihi propriè dictum, neque in rigore verum. Quia opus factum in obsequium, vel commodum proximi non est seruile ex eo, quòd extra casum necessitatis fiat, sed ex eo, quòd est corporale opus mechanicum, & habens pro fine, seu termino proximo aliquem corporalem effectum; quod autem fiat in necessitate, vel absque illa, valde extrinsecum est ad rationem operis seruilis. Item opus fieri ex Charitate & esse seruile, non repugnat; dicit enim Paulus ad Galat. 5. *Per Charitatem spiritus seruite inuicem*, quod & est præceptum tempore necessitatis, & consilium extra illam, in vtroque autem euentu est idem seruitium, & æquè proprium. Vnde quod dicitur, hæc opera esse communia seruis, & liberis tempore necessitatis, non est, cur ad illud tempus limitetur, nam etiam extra necessitatem possunt esse communia saltem ex consilio. Nam liber, & non indigens potest suis manibus laborare, vt habeat, vnde tribuat egenis, etiamsi ad hoc non obligetur, sicut Monachi, & pij viri, aut fœminæ sæpe faciunt, tunc sine dubio opus seruile faciunt, ideóque in diebus festis non faciunt, nec fieri potest, vt statim dicam. Ergò quod opus sit commune seruis, & liberis, mutata intentione, vel genere obligationis, non obstat, quominus opus aliquod seruile sit. Et ratio est, quia opus non habet, quod sit seruile ex intentione operantis, nec ex conditione, vel necessitate personæ, in cuius commodum fit opus, sed ex intrinseca conditione operis, & termini eius, vt explicatum est. Vnde nullum est opus seruile, quod de facto exerceri non possit à personis non seruis, nec ex officio seruientibus, nihilominùs tamen, quando illud faciunt, actu seruiunt, & seruile opus operantur, siue ex obligatione ob necessitatem proximi id faciant, siue ex libera Charitate, & amicitia. Sicut etiam è contrario nullum est opus adeò liberale, quod non possit à seruo fieri, potest enim seruus studere, docere, & tamen in his non se gerit, vt seruus, sed vt homo ratione vtens, in qua liber est.

Galat. 5.

7. Concedo igitur, in illis casibus, & similibus opera illa esse seruilia, & nihilominus licitum esse, illa facere in die festo, non obstante præcepto, vel quia non prohibentur, eò quòd sicut non prohibetur præparatio ciborum, licet seruilis sit, ita nec prohibentur remedia necessaria, vel conuenientia ad salutē humani corporis, & conseruationem eius, vt Gregorius satis indicauit in dicto c. *Peruenit*, vel certè quia licet præceptum de se hæc opera prohibeat, necessitas tamen excusat, vt in multis aliis casibus infra videbimus, vbi etiam explicabimus differētiam inter excusationem, vel non prohibitionem; nam licet in idem videantur reuolui, tamen in rigore distinguuntur, vt in sequenti puncto etiam attingam. Neque existimo, D. Thom. voluisse dicere hæc opera, cum ob necessitatem fiunt, non esse seruilia, sed solùm non esse illicita, nec vitari pro tunc, quia qui illa exhibet, ob necessitatem excusatur, & ita non se gerit, vt seruiens, sed vt necessitati subueniens.

Gregor. Ca. Peruenit.

8. Tertia difficultas est circa opera corporalia, & mechanica, quæ fiunt in cultum Dei, vel seruitium eius, quia hæc etiam videntur seruilia, cum sint opera corporalia, & mechanica, solúmque in intentione operantis videantur ab aliis differre, & nihilominùs talia opera non prohibentur in die festo. Ergò circa hoc distinctione vtendum est; nam quædam sunt ex his operibus, quæ immediatè non fiunt in vtilitatem alicuius hominis, sed in solius Dei obsequium, huiusmodi sunt templum scopis mundare, tapetis ornare, vel (si necesse sit pro ratione solemnitatis) tabulatum efficere, vel aliud artefactum, item campanas pulsare, onera aliqua deferre, & similia. Alia verò sunt opera, quæ immediatè versantur circa homines, vel in eorum commodum fiunt, referuntur tamen in cultum, & honorem Dei, vt qui laborat reficiendo vestes pauperis, aut religiosi ex affectu ad Deum, & in honorem eius.

9. Rursus priora opera distinguenda sunt: nam quædam sunt omninò intrinseca diuino cultui, quia ex illis quasi componitur, vel illis exhibetur cultus Dei. Et hæc quantumcunque grauia, vel onerosa corpori, aut mechanica videantur, licita sunt in die festo absque alia necessitate, sed solùm ad exercendū cultum Dei. Ita docet D. Thom. dicto art. 4. ad 3. Et ibi Caietan. Sot. & omnes. Et hac ratione dixit Christus Matth. 12. *An non legistis in lege, quia Sabbathis Sacerdotes in templo Sabbathum violant, & sine crimine sunt? Violant* (inquit) non quoad præceptum (alioqui non essent sine crimine) sed quoad quietem, & otium, & quoad vacuitatem operis, quam Sabbathi nomen significat, & tamen *sine crimine sunt*, quia opera illa diuini cultus non prohibentur illo præcepto de obseruatione Sabbathi. Sic etiam Ioan. 7. *Circumcisionem accipit homo in Sabbatho, vt non soluatur lex Moysi*: Licet enim actio illa materialis videri posset prohibita per legem Sabbathi, quia iuxta aliam legem ad cultum Dei pertinebat, non erat omittenda die Sabbathi. Quocirca in hoc casu non solùm interuenit excusatio à præcepto prohibente opera seruilia in die festo, sed etiam absoluta non prohibitio, quia talia opera seruilia nō sunt, nec tali præcepto prohibentur, vt rectè D. Thom. dixit. Et ratio constat ex dictis, quia per illas actiones non seruitur homini, sed Deo immediatè, ergò non sunt ex operibus seruilibus, quas hæc lex prohibet, imò sunt ex his, quæ præcipit, vel quibus maximè solet festum ipsum celebrari.

D. Thom. Caiet. Sot. Matth. 12. Ioan. 7. D. Thom.

10. Aliud genus operum magis remotū.

Alia verò sunt opera, quæ licet fiant tantùm propter cultum Religionis, non tamen continent ipsum cultum, sed remotè concurrunt ad illum, vel ornando locum templi, aut viarum, si futura sit processio, vel alia necessaria præparando, & in his Caietanus dicto art. 4. §. *Ad hoc dicitur*, & Sotus lib. 2. de Iust. quæst. 4. art. 4. tria genera distinguunt: nam quædam sunt ita propinqua cultui, vt in eodem die requirantur, vt pulsatio campanarum, & similia, de quibus eadem est ratio, ac de ipso cultu, quia accessorium sequitur principale, & quia ibi interuenit vera necessitas publica.

Caiet. Soto.

11. Alia sunt antecedentia, quæ licet pro tali festo requirantur, possunt antecedenti die præparari, vt mundatio altaris, ornatus, & similia: de quibus aiunt non esse reseruanda in diem festum, nisi vel plures dies festi continuè succedant, vel aliud impedimentum occurrat. Nō tamen declarant, an sint verè talia opera seruilia, neque an sit graue peccatum, illa reseruare in diem festum: magis verò indicant, non esse propriè seruilia, hoc enim solùm tribuunt operibus tertij gradus, & sanè est probabile, præsertim quando sunt valdè vicina cultui diuino, & ex modo suo determinata ad illum, vt ornare altaria ipsa, & vestes sacras extrahere, ac præparare. Vnde hæc non censeo esse prohibita, licet consulendum sit, vt ante festum fiant; tum propter turbationem vitandam, tum vt tempus, & locus maneant toto die magis expedita, & libera ad cultum Dei: si verò ex negligentia aliud fiat, non censeo esse peccatum præsertim graue, secluso scandalo. At verò actio mundandi scopis templum, & parietes vestiendi tapetis, & similes magis remotæ sunt à cultu, & ex se sunt seruiles, & communes ad alia loca, vel domos, & ideò reseruari non debent in diem festum. Neque id fiet sine

An liceat templum in die festo scopis mundare.

sine aliqua culpa, non credo tamen esse mortalem, secluso contemptu, vt bene indicat Caiet. dicto art. 4. & in Sum. Verb. *Festorum violatio*, quia materia de se non est grauis, & fit leuior ex coniunctione ad cultum Dei. Vnde si intercedat obliuio, vel inaduertentia præcedens, excusari poterit omnis culpa, & si contingat ex negligentia omitti opus, postea iam erit casus necessitatis, in quo sine nouo peccato fiet opus.

Caiet.

12. *Sotus.*

In tertio gradu ponit Sotus opera mechanica, quæ remotè cedunt in vtilitatem templi, vt arare, & colere agros templi gratis in Ecclesiæ subsidium, ligna, & lapides ad Ecclesiæ ædificium congerere, & è longinquo vehere, partem aliquam templi in festo ædificare, vel dealbare parietes, aut aliter perficere. Et de his ait esse verè opera seruilia; quod verum censeo, quia sunt merè materialia, & mechanica, & de se ordinata ad corporale seruitium hominum, licet ex relatione operantis extrinsecus referri possint, & referantur in cultum Dei. Quapropter sine dubio sunt per se prohibita, ne fiant in die festo, vt sentiunt Caietanus, Sotus, Nauarrus & alij. Dico autem per se, quia iusta necessitas excusare potest, & pietas sufficiet ad iustam dispensationem, vt infra dicturi sumus. Videntur autem contra hoc sentire Angel. Verb. *Feria* numero vigesimo octauo, & Siluester, & Antonius. Ad illos verò statim respondebimus.

Caiet. Soto. Nauar.

Angel. Siluest. Anton.

13. Quid de operibus misericordiæ iudicandũ.

Vnde à fortiori constat, quid dicendum sit de operibus misericordiæ corporalis, & de se seruilibus relatis ab operante in honorem Dei. Dico *de se seruilibus*, quia si non includant opus seruile, vt visitare infirmos, pascere esurientes, &c. clarum est, in die festo licere. Aliquando verò consistunt in opere seruili, vt est consuere vestem pauperis, vel ligna illi portare, &c. & tunc dicendum est, talia opera per se non licere, quantum est ex vi præcepti, & non interueniente necessitate, vt rectè docent Caiet. Sot. Nauar. & Armilla citatis locis. Et ratio est, quia sunt opera seruilia. At verò nonnulli Doctores indifferenter aiunt, hæc opera, si fiant in subsidium pauperum, non esse prohibita in die festo. Ita Siluest. ver. *Dominica* q. 4. ver. *Tertia* in fine, Angelus suprà num. 30. Anton. 2. part. tit. 9. c. 7. §. 5. Citant cap. *Conquestus* de Feri ibi, *Nisi necessitas vrgeat, vel pietas suadeat*, vbi Glossa ad verbum illud, *Pietas* rationem reddit, *quia in operibus misericordiæ dierum distinctio non est habenda*. & illam sequuntur Abbas & alij Doctores ibi. Sed hi Auctores non negant, illa esse seruilia, sed dicunt, facta illo modo non esse prohibita, quasi lex ista prohibens opera seruilia in die festo tacitam conditionem includat explicatam in dicto cap. *Conquestus*, nimirum nisi fiant tanquam opera pietatis, vel misericordiæ.

Caiet. Sot. Nauar. Armill.

Siluest. Angel. Anton.

Cap. Conquestus. Gloss.

Abb.

14. Impugnatur interpretatio.

Sed hæc interpretatio admitti non potest sine alia declaratione, aut limitatione. Alioqui omnes artifices Reipublicæ possent laborare in die festo, vt ex lucro facerent eleemosynam, & si voto hoc Deo offerrent, votum esset licitum, quod sine dubio falsum est, & contra communem vsum, & sensum Ecclesiæ. Debet ergo hoc necessariò limitari, & intelligi de operibus misericordiæ, quibus pauperes, vel infirmi actu indigent in die festo, vel quando ita indigent, vt licet ex parte necessitatis satis illis esset, quod in die profesto prouideretur, nihilominùs si in die festo id non fiat, sine remedio, vel subsidio relinquentur, quia nemo inuenietur, qui eis gratis subueniat in die profesto, & ipsi non valent stipendium soluere. Quando ergo pietas est huiusmodi, sine dubio est licita in die festo: neque hoc negant priores Auctores.

15. Posteriorem opinionem in duobus deficere ostenditur.

Præterea, illa opinio posterior in duobus non placet. Vnum est, quia parum, aut nihil distinguit inter hæc duo, scilicet, quod opus liceat propter excusationem, vel quia prohibitum non est, quæ tamen in rigore sunt distincta, vt infrà dicã. Vnde in proposito quando pauper, vel infirmus indiget actu pro ipsomet, die festo, opus seruile in subuentionem eius ita licet, vt nec prohibitum esse videatur, nec vlla consultatione, vel dispensatione opus sit, vt licitè fiat; quia ita se habent illa opera ad proximum, vt se habet ad vnumquemque victus quotidianus, vel ea, quę ad conseruationem vitæ, vel corporis sunt necessaria, vnde sicut præceptum non prohibet vnicuique hæc opera circa se ipsum, ita neque illa circa proximum. At verò quando necessitas non instat pro illo die, & tale opus posset sufficienter fieri sequenti die profesto, tunc solum licet opus misericordiæ, aut pietatis per modum excusationi: & ideò necessaria est ponderatio necessitatis, & causæ, & quando non fuerit per se clara, & magna, necessaria erit Pastoris licentia. Et hoc etiam confirmat vsus Ecclesiæ, quoties enim hæc opera publicè fiunt, Prælati facultas postulatur. Secundò non placet in illis Auctoribus, quod omninò requirunt, vt hoc opus pietatis, vel subuentionis proximi gratis fiat, & per modum eleemosynæ, quia necessarium non est, neque sufficit, si enim infirmus, verbi gratia, omninò indiget nunc in die festo opera artificis alicuius, verbi gratia, vt vena scindatur, vel aliquid simile, non indiget tamen, vt gratis fiat, quia potest stipendium reddere, non cogitur alius ex vi festi gratis hæc facere, quia hoc non spectat ad festi obseruationem, necessitas enim operis est, quæ excusat, non liberalitas, vel misericordia, vt talis est. Vnde è contrario si opus non esset necessarium, licet gratis fieret, & ex misericordia, quæ in alio die esset supererogationis, in eo non esset licitum sine dispensatione aliqua. Ad caput autem *Conquestus* dicam infrà.

CAPVT XXII.

An opera liberalia prohibeantur hoc præcepto, vel cur permittantur.

1. Ratio dubitandi.

VT ratio dubitandi intelligatur, suppono, non esse quæstionem de omni genere liberalium operum; nam sunt quædam, quę vel ipsum cultum Dei continent, vt oratio, vel ad illum proximè conferunt, vt lectio, doctrina, concio, & similia, quæ Caietan. dicto art. 4. §. *Ad primum*, vocat spiritualia ex spiritu gratiæ: de quibus ait non solùm non prohiberi, sed etiam commendari in die festo; de his ergò nulla quæstio est. Alia sunt opera liberalia ad cultum Dei per se non spectantia, sed ad alia obiecta, vt opera artium liberalium, & studium inferiorum scientiarum, vel etiam Theologiæ, si purè speculatiuum sit. De his ergo mouetur dubium, & illius ratio esse potest, quia si finem huius præcepti inspiciamus, non minùs videtur necessaria prohibitio horum operum, quàm seruilium scilicet, vt homo possit manere expeditus ad vacandum Deo: Quia non minus impediunt attentionem mentis ad Deum opera liberalia, quàm mechanica; imò plùs impedire videntur, quia de se plus occupant mentem, & si diù continuentur, ita fatigant corpus, vt orationi, aut aliis actibus diuini cultus vacare non valeat. Et præterea, quia nobiliora sunt, quàm mechanica, magis delectant, & in eis libentiùs, ac faciliùs homo occupatur; & ita magis à diuinis cogitationibus distrahitur, ad quas propter earum excellentiam, & spiritualem perfectionem cum difficultate attollitur, ergo magis debuerunt hæc opera liberalia prohiberi, quàm seruilia.

Caiet.

2. Opinio asserens, non licere in festo studere.

Hinc nonnulli Doctores Canonistæ dixerunt simpliciter, non esse licitum in festo studere. Ita tenuit Anton. de But. in c. 1. de Fer. Et licet videatur præci-

But.

puè loqui de studio propter lucrum, tamen etiam absolutè loquitur de omni studio, quod non est in materia spirituali, & rationem reddit, *quia dies deputata ad seruitium Altissimi deputatur ad seruitium actus mundani*; tale enim est studium, quod non est de materia spirituali. Item quia studere in materiis inferioribus abstrahit mentem à contemplatione, & cultu Dei, ergo non licet in die festo. Vnde fit consequens, hunc auctorem idem à fortiori sensisse de quocunque actu artis liberalis, qui ad cultum Dei per se non spectat, tum quia nullus est magis liberalis actus, quàm studium, tum etiam quia rationes factæ æquè in cæteris procedunt. Expressiùs, ac scrupulosiùs docuit hanc *Abulens.* sententiam Abulens. Exod. 12. q. 26. vbi ait, interdum opera nec in se seruilia, nec ex fine lucri esse prohibita in die festo, quia impediunt quietem diei festi, vt si quis toto die Dominico studeat, etiam Theologiæ, & causa pietatis, & non lucri, non caret culpa, quia tollitur quies festiuitatis, & quia est præferenda vacatio ad Deum studio, tanquam finis medio, vnde etiam infert, non licere docendo, aut legendo totum diem festum consumere, etiam causa pietatis, & multa alia consequenter infert satis scrupulosè, quæ ibi videri possunt.

3. Liberalia opera non prohiberi in festo

Dicendum verò est, opera liberalia, & non seruilia non esse prohibita in die festo, nec esse peccatum contra festi obseruationem in eis consumere totum diem, quacunque intentione fiant, dummodo ab audienda Missa homines non impediant. Prima pars est *D. Thom. Caiet. Soto. Nauar. Armil. Panor. Ancar. Barbat. Archid. Gloss. Angel. Siluest. Rosel.* expressa D. Thom. in dicto art. 4. Et ibi Caiet. Sot. Nauar. Armil. Et in ea præcisè sumpta consentiunt etiam Panor. Pet. de Ancar. Andr. Barbat. & alij in dicto c. 1. de Fer. loquentes in particulari de studio cuiuscunque rei. Idem Archid. in c. *Ieiunia*, de Consec. d. 3. Gloss. & Doctores in l. *Omnes iudices*, cap. de Fer. Et quoad hanc partem non dissentiunt Angel. Siluester, & Rosel. in locis sæpè allegatis. Ratio est, quia hæc opera non sunt seruilia, & lex ipsa expressè limitauit prohibitionem ad opera seruilia: vnde licet nos lateret ratio legis, parùm referret, quia verbis, ac dispositioni eius standum est. Nec refert, quòd hæc opera impediant vacationem ad Deum, quia finis præcepti non cadit sub præceptum (& in hoc videtur maximè deceptus Abulens.) vacatio autem ad Deum per positiuos actus contemplationis vltra Missam, non est materia huius præcepti, sed finis, & ideò ex hoc solo capite non fiunt contra hoc præceptum huiusmodi actiones, nisi tanta sit occupatio in illis, vt etiam Missam impediant.

4. Ostenditur secunda conclusionis pars quoad continuationem.

Hinc ergo manifesta est secunda pars assertionis de continuatione talium operum per totum diem, tùm quia eadē est ratio vnius operationis liberalis, & plurium per se loquendo, tùm etiam quia talis continuatio per se non est mala, nec prohibita, vnde non habet malitiam commissionis, nec etiam impedit actum præceptum, vt ostensum est; nam supponimus non impedire Missam, ergo nec malitiam omissionis habet, ergo nullam. Tertia verò pars de relatione ad lucrum, seu finem in superioribus latè probata est. Quòd si finis non sit acquisitio lucri, vel mercedis, sed alius finis humanus etiam prauus, poterit quidem actio esse mala contra alia præcepta, tamen inde non erit contraria huic præcepto, quia per illud non prohibentur specialiter omnes actiones prauæ, aut peccaminosę ex quocunque capite, vt etiam supra ostensum est. Denique vltima pars clara est ex dictis, quia actus, qui est causa omissionis alicuius præcepti, malus est, vt per se constat.

5. Studium nō prohiberi.

Ex hoc ergo principio concluditur, non peccare contra hoc præceptum, qui toto die Dominico studeret, suo tempore audiendo Missam, non solùm si studiis Thologiæ vacet, (quod est manifestum) sed etiam si Philosophiæ, aut Mathematicæ, aut Iuri Canonico, vel etiam ciuili incumbat, quia studiū quodcunque immediatè ordinatur ad perficiendam, & illuminandam mentē, vnde nullum studium est seruile de se. Dices ergo etiam mechanicas artes licebit addiscere in die festo, quia etiam illæ illuminant, & perficiunt intellectum, ergo etiam licebit earum vsus in die festo, quia est medium ad illas addiscendas, nam si finis licet, etiam media ad finem. Respondeo in artibus mechanicis duo esse, vnum est mentis conceptio, & instructio, alterum est praxis, & vsus ipsius artis. In festo ergo non licet vacare acquirendæ arti quoad facilitatem, & promptitudinem in ipso vsu, nam quoad hanc partem non acquiritur ars, nisi per exteriores actus eius, qui sunt opera mechanica, & seruilia: licet tamen addiscere artem in die festo quoad theoremata artis, & mentis instructionem, quia hoc seruile non est. *Instantia.* *Occurritur.*

6.

Vnde etiam constat, licitum esse die festo docere quancumque scientiam, & artem prout ad mentem pertinet, siue voce, siue scripto fiat, quia totum hoc liberale est. Imò licet ad Mathematicas docendas vel addiscendas necessarium sit, aliquas ducere figuras, id non erit contra hoc præceptum, non solùm quia leue est, sed etiam quia seruile non est. Nam illa delineatio non fit, vt homo vsu ipso addiscat figuras illas depingere, quod videri posset seruile, vt statim dicemus de actione pingendi, sed fiunt tantùm ad manuducendum intellectum, vt vim demonstrationum percipiat, & per hæc est iudicandum de similibus actibus, quos constat liberales esse, de quibusdam verò, qui possunt videri dubij, statim in particulari dicetur.

7. Diruitur fundamentum oppositæ partis.

Ad rationem ergo dubitandi respondetur in primis, etiamsi opera liberalia circa res creatas impediant, ne pro tunc mens vacet circa Deum, nihilominùs Deum non prohibuisse illa in omnibus festiuitatibus Iudæorum, quia ad finem à se intentum satis esse iudicauit, tollere impedimenta operum seruilium, quod Ecclesia imitata est. Et hæc ratio sufficiens fuit ad constituendum præceptum sub illa forma. Item non debuit tanta prohibitio fieri, vt omnis operatio tam liberalis, quam mechanica prohibita esset, sic enim nihil licitè agere possent homines, nisi quod diuinum esset, & ad cultum Dei pertineret, vel esset necessarium, quod planè fuisset, omnes ferè homines coniicere in euidens periculum transgrediendi tale præceptum, ergo oportuit non omnia opera prohibere. Prohibita ergo fuerunt potiùs seruilia, quàm liberalia, tum quia inferioris ordinis, tum quia magis communia sunt, quæ præcipuè solent occupare homines, & distrahere illos à rebus diuinis. Nam operationes liberales de se honestiores sunt, & quia non sunt adeo necessariæ vitæ humanæ, neque ita vtiles ad humana commoda ideò non solent ita homines abstrahere à rebus diuinis regulariter loquendo, leges autem attendunt ea, quæ frequentius accidunt. Denique siqua sunt opera non seruilia, quæ animum multum perturbant, & distrahunt, vel occupant in rebus temporalibus, illa specialiter prohibita sunt, vt videbimus, generaliter autem non oportuit liberalia prohibere, sicut seruilia.

CAPVT XXIII.

Dentúrne opera nec liberalia, nec seruilia, & quomodo ad hoc præceptum comparentur.

1. An dentur opera, quæ

IN hoc capite examinandum est, an dicta diuisio operum in seruilia, & liberalia sufficiens sit, vel sint

nec seruilia sint, nec liberalia.

sint aliqua opera tertij ordinis sub neutro illorum membrorum comprehensa, & quid de illis dicendũ sit, quod attinet ad obseruationem festi, & prohibitionem eorum. In quo dubio Caiet. suprà, quem multi sequuntur, supponit dari quædam opera nec liberalia, nec seruilia, quæ vocat communia, ac subinde diuisionem illam bimembrem pro hac materia non esse sufficientem, sed addendũ esse hoc tertium membrum. Ratio eius est, quia opera seruilia sunt ea, quæ sunt propria seruorum, liberalia verò, quæ sunt propria liberorũ, seu dominorũ; at sunt quædam vtriusque communia, vt etiam D. Thomas in illo art. 4 indicauit, ergo. Et confirmatur inductione; nam iter agere commune est seruis, & dominis; item venari, piscari, scribere, & omnes actiones similes, quæ ex suo genere non includunt seruitutẽ, quamuis neque illam excludant; rectè ergo communes, seu indifferentes appellantur. & tertium membrum operationum constituunt. Hinc dicunt consequenter hi Auctores, has actiones nec semper esse prohibitas, nec semper concessas in die festo; sed quatenus possunt induere modum seruilem, prohiberi; nam sub ea ratione seruiles sunt, & propriæ seruorum. Si verò à modo seruili abstrahantur, non esse prohibitas, quia seruiles non sunt. Quis autem sit ille modus, quo tales actiones efficiuntur seruiles, non satis à dictis Auctoribus explicatur, & à nobis statim inquiretur.

Caiet.

Ratio pro affirmatiua parte.

D. Thom.

2. Difficultas præcedentis opinonis ostenditur.

Hæc ergo opinio speculatiuè spectata mihi est difficilis, & ad expediendos casus morales veram rationem in eis reddendo, non videtur sufficiens. Primò enim in generali obiicio, quia inter hominem seruũ, & liberum non potest dari medium, ergo neque inter opus seruile, & liberum: patet consequentia à paritate rationis, ideò enim in homine non datur medium, quia illa membra, vel priuatiuè opponuntur, vel includunt immediatã contradictionem, nam qui relatione seruitutis caret, eo ipso liber est, quia liber esse dicitur sui iuris, in quo negatio indicatur, scilicet, non alterius, sicut cum dicitur Deus esse à se, negatio declaratur, id est, non ab alio; hæc autem ratio non minus probat in illis terminis ad opera applicatis, nam eo ipso quòd opus non habet conditionem, & relationem seruilem, liberum est.

3. Secundò non apparet, quomodo distingui possint opera propria seruorum, ac liberorum, ita vt aliqua vtriusque communia relinquantur. Aut enim agimus de personis seruis, & liberis absolutè, vel formaliter vt serui, vel vt liberi sunt. Priori modo nullũ est opus ita proprium serui, quod non possit à persona libera exerceri, vt supra dicebam; nam rex potest artem mechanicam exercere, in eo tamen non se geret vt rex, sed vt artifex, & si pedes suorum lauerit, vel mensis ministrauerit, seruilia profectò opera exercebit, & licet ipse sit liber, & dominus, in eis se geret vt seruus. Igitur quòd persona operãs libera sit, non tollit, quin opus sit simpliciter seruile, atque ita nullum est opus seruile propriũ seruorum materialiter, vt sic dicam, seu quoad statum, & conditionem personæ. Et similiter è conuerso nullum est opus ita ingenuum, quod non possit fieri ab eo, qui est seruus, quamuis in eo opere re vera non seruiat. Igitur isto modo non possunt distingui inadæquatè opera in seruilia, & libera, per relationem ad conditiones personarum operantium. Si autem illa distinctio sumatur in ordine ad personas operãtes formaliter spectatas, sic non videtur posse dari medium inter opus seruile, & liberum, nam illud, quod dicitur commune, si exerceatur à seruo, non fiet ab illo, vt seruus est, sed vt conuenit cum libero in ratione personæ rationalis, vel è conuerso, si eo ipso, quòd fit à seruo fiat ab illo, vt seruus est, profectò licet fiat à persona libera, in eo non se gerit vt liber, sed vt seruus, vel potiùs vt seruiens, quod satis est ad rationem operis seruilis.

4. Responsio.

Dici potest, opus seruile posse quidem esse in persona libera, non tamen tanquam in proprio subiecto, sed tanquam in alieno; & è conuerso de actione libera: atque ita opus seruile dici proprium serui, quia illum respicit (vt sic dicam) tanquam connaturale, & proportionatum subiectum, licet in alio esse possit quasi per accidens, & præternaturaliter. Sed contra, quia hoc dato, idem insurgit argumentum, quod non possit dari opus medium, quia eo ipso quod opus non postulat seruum tanquam proprium, & connaturale subiectum, est opus liberum; atque ita licet possit esse cómune quoad personas liberas, & seruas, quia in omnibus esse potest sine præternaturalitate (vt sic dicam) nihilominùs non est commune quoad abstrahendum à seruili, & libero, sed simpliciter liberum est. Nullum enim opus est adeò liberũ, quod non possit esse in seruo sine vlla præternaturalitate. Quod enim opus magis liberũ, quàm amare, & laudare Deum; & tamen hæc sunt in seruis non minùs connaturaliter, quàm in liberis, si alioqui iusti sunt. Ita ergo scire, & docere possunt cõuenire seruis tam cõnaturaliter, ac liberis, eo ipso quod rationales sunt.

Impugnatur.

Denique moraliter magis hoc inquirendo, si idem opus dicitur esse commune, quia nunc potest esse seruile, nunc non esse; inquiro per quid fiat seruile. Respondent multi, fieri seruile per relationem ad mercedẽ, vel temporale lucrum; sed hoc iam reprobatum est, & à Caiet. & aliis auctoribus, cum quibus disputamus, reprobatur. Et præterea, qui id affirmãt, non negant, illud opus per se spectatum esse liberale; imò dicunt, omne opus liberale fieri seruile illo respectu. Aliter responderi potest, dari quidem posse opus, quod secundùm suam speciem seruile non sit, nec positiuè liberum, quia vsque ad certam mensuram, vel corporalis laboris, vel durationis, vel alterius similis conditionis, aut modi liberum est; nam exerceri potest ab homine libero, vt liber est, id est, absque eo, quod sic operando censeatur seruire, aut aliqui agere minus decens hominem liberum, ac dominum: si autem idem opus crescat, & augeatur in labore, vel duratione, vel alia simili conditione, iam erit opus seruile contraria ratione. Exemplum esse potest in itineratione, & potest sumi ex lege veteri, in qua breue, & suauiter non censebatur seruile, imò nec contrarium Sabbatho; maius autẽ iter esset contrarium Sabbatho, cum tamen idem sit secundùm speciem. Idémque videtur nunc esse in venatione, prout sumitur recreationis causa, vel ex officio. Atque hoc videtur sensisse Abulens. in c. 12. Exod. q. 24. dum definit, opus seruile esse opus laboriosum organorum exequentium, &c. Vnde infert in fine illius quæstionis esse peccatum mortale ambulare vnam, vel duas leucas ad venationem, aut maiorem diei partem in ea immorari. Item ait, esse mortale ambulare itinerãdo pro negotio aliquo expediendo.

5. Aliter eadẽ difficultas ostenditur.

Abulens.

Sed hæc, & alia similia, quæ ibi scrupulosissimè colligit, sunt contra communem vsum Ecclesiæ, & iudicium omnium prudentũ, nullúmque habent sufficiens fundamentũ, vt mox videbimus. Et ideò difficile creditu est, quod opus eiusdem rationis, & in sua substãtia non seruile fiat seruile propter corporis laborem, aut defatigationẽ, aut propter temporis continuationem. Quia studium licet per multũ diei tempus continuetur, & licet in eo non parũ defatigetur corpus laborando etiam interdũ corporaliter in mouendis, aperiendis, & claudendis libris, non tamen propterea fit opus seruile, nec prohibitũ, idémque est in itineratione, aut venatione, & similibus. Et ratio est, quia hoc præcepto nõ prohibetur labor corporis,

6. Opus non seruile ex se, non fit seruile propter corporis laborem.

Ratio assertionis.

vel continuatio operis, sed opus seruile,continuatio autem non est seruilis, si opus, quod inchoatur, non est seruile. Idémque est de labore, nam auget opus intra suum ordinem & labor operis liberalis labor liberalis est, non seruilis:sic enim labor corporalis in cæremoniis,quibus colitur Deus,seruilis non est,sed Religiosus, vt sentit D.Thom.d.art.4.ergo etiam labor corporis in quibuscunque spiritualibus actibus (ita enim D.Thom.vocat omnes actus liberales)non est seruilis,sed spiritualis seu liberalis. Idémque est de intentione actionis, vel similibus conditionibus, ad quas rationes factæ applicari possunt, præter has autem non occurrunt aliæ, quibus possit discerni, quando idem opus ex non seruili transeat in seruile.

D Thom.

7. Non dari operamedia inter seruilia & liberalia.

Quamobrem generatim loquendo,probabile existimo, non oportere tertium illud membrum adiungere.Nam si opus corporale sit,& circa materiam,& effectum corporalem versetur, & non sit quasi connaturale opus ad conseruationem, propagationem, & vegetationem corporis ab ipsa natura datum, sed industria hominis, vel arte adiunctum,& ordinatum principaliter ad sensibilem, seu corporalem vsum, tale opus seruile est, vt ex dictis constat, vnde licet sit facile, & parum duret, erit quidem leue opus, intra genus tamen seruilis operis continebitur. Opus autem, quod non habuerit illam conditionem, non erit seruile, quomodocumque fiat, & consequenter non erit prohibitum ex vi generalis prohibitionis operis seruilis, nisi alia lege, vel consuetudine prohibitum sit, vel nisi ratione operum seruilium, quæ potest interdum habere adiuncta.

8. *D. Thom.*

Nec ego apud D. Thomam inuenio illud tertium membrum operis communis, quod à seruili, & non seruili abstrahat, vel quod secundùm diuersos gradus possit esse seruile,& non seruile. Sed solùm dixit in illo art. 4. *Corperalia ad spiritualem Dei cultum non pertinentia in tantum seruilia dici,in quantum propriè pertinent ad seruientes.* Vbi sub corporalibus operibus ad Dei cultum non pertinentibus, etiam opera liberalium artium comprehenduntur, quæ per corpus exercentur,& ad Dei cultum non spectant.Et de illis operibus generaliter ait, seruilia non dici; si sint communia seruis, & liberis,id est,si non sint propria seruientium, vt tales sunt: inde verò non sequitur, talia opera esse media inter seruilia, & non seruilia, sed potius sequitur, illa non esse seruilia, & consequenter,aut libera esse,aut naturalia. Sed hoc explicabitur ampliùs, & meliùs descendendo ad nonnullas particulares actiones,quæ maximè mouerunt alios Auctores, quia videntur interdum prohiberi, tanquam seruiles, interdum permitti, tanquam non seruiles;si autem constiterit,vel non esse necessarium hoc admittere in aliqua ex his actionibus,quæ ab aliis afferuntur, vel si in aliqua reperitur, oriri ex alio capite, constabit satis nostra sententia, erítque ad fundamentum alterius satis responsum.

CAPVT XXIIII.

Vtrùm actio scribendi aliquando seruilis sit, & prohibita in die festo.

1. Quid de actione scribendi sit dicendum.

DE hac actione apud omnes indubitatum est de se, & ordinariè esse opus liberale, & non seruile, quia est opus mentis, non solùm effectiuè, & directiuè,quod habet opus cuiuslibet artis,sed etiam terminatiuè,& quasi finaliter. Nam scriptio est quædam locutio permanens(vt Caiet.loquitur)ordinata ad exprimendos conceptus proprios, & gignendos similes in mente loquentis, & ita tota ordinatur ad animum, ideóque liberans, & non seruilis est, vt expressè docuit D.Tho. dicens: *Docere tam verbo,quam scripto spirituale opus esse.* Quod autem dicit de scripto doctrinæ, eandem rationem habet in scripto instructionis, consilij, petitionis, historiæ, & similibus, & tam in eo, quod fit propter gignendam notitiam in alio, quàm in eo, quod fit propter memoriam conseruandam, quia id fit excitando iterùm in nobis similes conceptus. Et in his concordant Caietan. Sot. Siluester, & omnes.

Caiet.

D. Thom.

Caiet. *Soto.* *Siluest.* 2.

Nihilominùs tamen quidam illorum dicunt,opus scribendi interdum esse seruile, non solùm si fiat transcribendo, sed etiam si fiat tantùm scribendo, & tunc aiunt, esse prohibitum in die festo ex vi prohibitionis generalis operis seruilis. Quod si interroges, quando scriptio talis sit; respondent, quando quis mercede conductus scribit. Nec enim possunt vel ex labore scribendi, vel ex temporis longitudine differentiam sumere, quia fatentur, si Doctor tanto tempore, & labore suos conceptus ad suam memoriam, vel ad docendum scribat, non facere opus seruile, nec peccare,& tamen in amanuensi,qui locauit operas suas dicunt esse opus seruile. Nec mirum est, quòd hoc dixerint Richard. Angel.Siluest. Abulens. & alij, qui ita in vniuersum censent de omni opere mercenario, quibus iam satis responsum est, & eorum sententia improbata. Sed mirum est, quòd hoc etiam doceant aliqui Doctores, aliàs nobiscum docentes,opus non fieri seruile,eo quòd propter stipendium fiat, inter quos videtur esse Soto dicta q.4.art. 4. Nam licet priùs de trãscriptione loquatur, postea generaliter subdit; *Aut alia ratione calamo mereri.* Et in eandem inclinat Azor dicto lib.c.27.q.4.ait enim, libenter fuisse assensurum contrariæ sententiæ, quæ mitior, & benignior est, si ratione satis firma,& efficaci probaretur, & ideò concludit, dictæ sententiæ adhærendum esse, quia tutior est, & communi Doctorum consensu recepta.

Richard. *Angel.* *Siluest.* *Abulens.*

Soto.

Azor.

Nihilominùs dico,actum scribendi nunquam esse prohibitum ex vi generalis prohibitionis operis seruilis, an verò interdum speciali lege prohibeatur, etiamsi liberalis sit, saltem vt pars actus iudicialis, vel mercaturæ,infra dicetur.Probatur assertio firma, & efficaci ratione, vel certè morali demonstratione, suppositio illo principio, quòd opus secundùm se liberale non transit in seruile, ex eo solùm, quòd fiat ob lucrum. Nam inter scriptionẽ factam ob lucrum vel sine lucro nulla alia differentia assignari potest, ergo si vna non est seruilis,nec alia erit. Respondent aliqui scribere propter lucrum, esse opus seruile,non quia opus liberale de se transeat in seruile ratione mercedis, sed quia sub genere scribendi sunt duæ species,vna operis liberalis,altera seruilis;nam scribere causa sciendi, docendi, aut addiscendi,liberale opus est,causa verò quæstus,seruile. At hæc plana est contradictio, aut verborum ludus. Interrogo enim, si scribere est genus ad seruile, & non seruile, per quid contrahatur ad seruile, vel in quo differat scribere non seruile à seruili.Certè scribere quod seruile dicitur, nihil addit nisi habitudinem ad mercedem, & quæstum; & aliud scribere non seruile existit per solam negationem illius quæstus, ergo per solam hanc habitudinem transfertur à non seruili in seruile, quod est contra hypothesin.

3. Actus scribendi non prohibetur ex prohibitione operis seruilis.

Præterea rem magis ita explico, quia tripliciter potest quis scribere;vno modo per sese proprios cõceptus exprimendo,alio modo vt discipulus,alterius dictata ab illo excipiendo, tertiò vt instrumentum alteri ministrans, & illi scribens,vt sic dicam. Vnde ipsa etiã scriptio aliquando esse potest in vtilitatem scri-

4. Explicatur amplius discrẽdo per varios scribendi modos.

scribentis tanquam disciplina eius, interdum in vsum & vtilitatem dictantis, aliquando verò in vtilitatem aliorum. Denique potest etiam esse in vtilitatem istorum omnium, loquor autem de vtilitate scripturæ, vt signum mentis est. Quando ergò aliquis, vel per sese scribit conceptus suos, vel ab alio recipit dictata in suam disciplinam, sine dubio non exercet opus seruile, vt omnes fatentur. Maximè quia, qui sic scribit sibi, (vt ita dicam) regulariter non scribit mercede conductus, vel propter stipendium. Posset tamen scribere intentione alterius lucri temporalis, quomodo fieri etiam potest studium, & lectio, aut locutio; & tunc euidens est, actionem scribendi non fieri seruilem, alioqui concionator scribens concionem in die festo spe lucri temporalis, violaret festum, & discipulus scribens lectionem, vt addiscat, & inde reportet temporalia lucra, quæ principaliter intendit, similiter peccator contra festum, quod ridiculum est.

5. Atque hinc vlteriùs facile persuadebitur, eum qui per se suos conceptus scribit, non operari seruiliter, etiamsi mercede conductus ita scribat, quia si mercedem ab alio accipit, certè in vtilitatem eius scribit, ergò illum scripto docet; at verò docere propter mercedem in die festo, non est seruile opus, vt supra ostensum est, ergò neque sic scribere. Idémque erit, licet scriptura non sit ad docendum propriè, sed ad narrandam historiam, vel nouos euentus, aut quid simile, vt si quis propter mercedem voce narret historiã, vel recitet versus, non propterea censetur seruile opus facere, ergò neque si id faciat scribendo. Denique idem erit, etiamsi ab alio dictata excipiat ratione stipendij, quando simul illa excipit ad suam disciplinam, vt si famulus scholaris, & condiscipulus sui domini in eadem facultate pro domino lectionem scribat in schola ratione stipendij, simul addiscens, & vtens illa scriptura ad suam instructionem, ille enim opus per se liberum facit, & intentio mercedis, vel vtilitas Domini intenta non potest transferre illud in opus seruile.

6. De eo, qui scribit, vt instrumentum alterius.

Venio ad eum, qui scribit, vt instrumentum alterius; in quo potest esse magis apparens dubitatio, quia ille non loquitur, sed quasi depingit. Et in primis si quis dicat, scriptionem huius propter stipendium esse seruile opus, profectò idem dicere debet, etiamsi gratis & ex charitate (non tamen vrgente necessitate) id faciat, at si gratis faciat, non censetur facere opus seruile, vt videntur aduersarij etiam supponere; ergò nec propter mercedem scribendo seruile opus facit. Maior patet, tum ex dictis, quia alioqui non potest assignari in illa scriptione, per quid transferatur in seruitutem, nisi per respectum ad mercedem, tum etiam, quia (consequenter loquendo) illud scribere ex eo seruile iudicatur, quòd scribens non ex propria mente id facit, sed tanquam organum alterius, ergò sic factum etiam gratis, erit seruile. Hoc autem esse falsum absolutè ostendo, quia ille scriptor non operatur, vt instrumentum inanime, sed mente concipiendo, & postea ex suo conceptu scribendo, at verò rem priùs visam, vel auditam, ex propria mente scribere, seruile opus non est, ergò nec erit seruile, rem simul audire, & eandem statim scribere. Item si hoc licet, & non est seruile, quando scribitur, quod ab alio dictatur in vtilitatem propriam scribentis, id est, vt scriptura in vsum eius cedat, cur erit seruile, quia fit in vtilitatem dictantis? quia hæc intentio extrinseca est, & non reddit opus seruile, quando opus illud, per quod hæc vtilitas alteri comparatur, in se seruile non est.

7. Quãdo scribens nõ percipit significationẽ verborum, quid dicendum.

Atque hæc omnia euidentiora sunt, quando scribens intelligit, quæ excipit; nam tunc, per se loquendo, illa scriptio est quædam locutio permanens, & immediatè dirigitur ad mentem eius, & aliæ intentiones, seu respectus extrinseci sunt, & ideò non reddunt opus seruile. Quando verò scriptor non intelligit significationem verborum; quæ scribit, tunc non videtur tam animi, quàm corporis opus facere, quia non percipit verba vt verba sunt, id est, vt sunt signa, sed tantùm, vt sunt quædam materiales figuræ; & ideò videri potest illa actio seruilis, sicut actio pingendi, vel imprimendi librum; quod fortasse in eo casu non esset omninò improbabile, consequenterque loquendo, affirmandum id esset, siue propter mercedem, siue gratis sic scribatur, vt patet ex rationibus factis. Veruntamen neque in illo modo scribendi id admitto, quia spectanda est natura actionis, non accidentalis conditio scribentis: Quòd ergo ille non intelligat idioma dictantis, accidentarium est, actio verò ipsa natura sua mentalis, & spiritualis est, sicut enim loqui, & proferre voce verba, quorum significata non percipis, sed eorum tantùm conceptus, non vltimos habes, non est opus seruile, sed spirituale, & mentale, licet imperfectum, ita calamo eosdem conceptus scribere seruile opus non est. Eò vel maximè, quod licet ego non intelligam, possum scribere, vt alij intelligant, & ita etiam illa scriptio ad mentem, non ad corpus per se, & natura sua ordinatur, non est ergò seruilis, ergò licet accedat stipendium, non est seruilis.

8. Tandem durum, & asperum videtur dicere, non posse Doctorem vti amanuensi in die festo ad scribenda ea, quæ sanctè, & vtiliter concipit pro se, vel pro aliis. Nec satis est respondere, hoc posse licere ratione necessitatis, quia si actio ipsa secundum se spectata est seruilis, & prohibita, ad minimum semper vel regulariter loquendo, esset necessaria dispensatio, quia in hac materia non occurrit regulariter tanta necessitas, vt per se sola sufficiat impedire obligationem præcepti. Consequens autem est durissimum & contra communem vsum omnium piorum, & timoratorum virorum, non ignorantium, sed doctissimorum. Quòd si hoc per se licet, ergò non est opus seruile scribere vt instrumentum alterius excipiendo, quæ ille dictat; ergo qui hoc potest facere gratis, potest etiam stipendium accipere sine violatione festi, quia ex hoc non violatur festum, vt supra ostensum est.

9. Hæc opinio non caret auctoribus. *Caiet. Nauar. Medi. Lopez.*

Habet ergo hæc sententia firmissimas rationes: nec est destituta Auctoribus: nam illam tenent Caietan. dicto artic. 4. Nauarr. dicto cap. 13. numer. 14. Med. & Ludo. Lopez locis supra citatis, & omnes, qui nobiscum sentiunt, ratione stipendij non fieri opus seruile, excepto Soto, qui non satis suam mentem explicuit, nec rem ex professo tractauit, sed obiter attigit. Vnde immeritò dici existimo, contrariam sententiam esse communi doctorum consensu probatam, nisi quis dicat, opinionem asserentem, opus mercenarium, aut propter lucrum temporale factum eo ipso esse seruile, communi sensu Doctorum esse probatam, quia de actu scribendi in particulari Doctores non loquuntur, nisi quatenus propter mercedem fit, vt patet ex Angel. nu. 31. & Siluest. num. 7. §. *Quinta*, & ita loquuntur alij. Quamuis autem sententia illa, quæ omne opus mercenarium eò ipso dicit esse seruile, ac prohibitum, olim fuerit communis, iam est antiquata, & communi calculo reiecta, & ideò ratione illius non potest nunc dici cõmunis eadem doctrina ad scripturam in particulari applicata. Quapropter nec verum est, illam sententiam esse tutiorem in ordine ad electionem opinionum, vel operationum, tunc enim dicitur aliqua pars tutior in ordine ad electionem, quando res est dubia ex vna parte, & certa ex alia, hîc autem non est dubium, sed

Angel. Siluest.

Cõtraria sententia non est dicenda tutior.

sed certum practicè in hac actione nullum esse peccatum, vbi enim veritas constat per rationem, & auctoritatem sufficientem, non est res dubia, vt constat ex materia de Conscientia in 1 2.q.19.& attigit Nauar. *Nauar.* in c. *Consid. rei*, de Pœnit. d.5. in principio, n.37. & aliis locis, & cum aliis Auctoribus, quos ibi refert. Eò vel maximè, quòd non semper id, quod iustius, & æquius est, ex multitudine Auctorum pensandum sit, cum vnius sententia, & ratio possit alios vincere, vt dixit Imperator in l.1. §. *Sed neque*, C. de Vetere Iure enucl.

CAPVT XXV.

An transcribere, sit opus seruile in die festo prohibitum.

1. *Siluest. Angel. Rosel.* DE transcriptione potest esse nonnulla maior ratio dubitandi. Quia Siluest. Angel. & Rosel. eodem modo, & cum eadem distinctione loquuntur de transcriptione, quia de scriptione, nimirum, si fiat propter pretium, esse opus seruile, si liberaliter, minimè. Et ferè idem sentit Soto; Caietanus verò simpliciter, *Sot. Caiet.* & nulla facta distinctione, nec mentione pretij, dicit, transcriptionem esse prohibitam, *Quia est opus seruile, & quia est opus manibus cum, & corporalis operis limen non exit, sicut pingere, vel statuam facere.* In quo fundamento magis consequenter loquitur, nam quòd transcriptio fiat gratis, vel mercede, nō refert, si alioqui opus in se non supponatur seruile. Idemque videtur sentire Nauar. dicto ca.13.num.14. licet enim loquatur de tran- *Nauar.* C scriptione facta ob mercedem, explicat tamen, non esse seruilem propter mercedem, sed quia ipsa in se est opus seruile. Vnde consequenter dicere debet, esse opus seruile, etiamsi gratis fiat. Potestque suaderi, quia transcribere non est opus mentis, neque artis liberalis, quia solùm est ita pingere characteres, sicut in originali leguntur. Et confirmatur, quia imprimere librum, mechanicum est sine vlla dubitatione, & tamen etiam est genus quoddam transcriptionis.

2. Transcribere, opus est liberale, nec prohibitur. Nihilominus contrariam sententiam docet Med. in instruct. lib.1, c.14. §.8. & Lud. Lop. in Instruct. ca. 52. Quam etiam recentiores Theologi frequentiùs sequuntur, & satis ipso vsu recepta videtur, eámque veram, & tutam esse existimo: oportet tamen illius rationem diligenter inspicere, vt possimus illam securè D opponere auctoritati Doctorum contrarium sentientium. Primò ergò statuo, transcribere non esse in vniuersum opus seruile, nec prohibitum in die festo. Hoc planè supponunt Summistę communiter, vt dixi, quia solùm damnant illud; quando fit pretio, idemque sentit Sot. & consentit Azor suprà quæst. 5. Et probatur, *Sot. Azor.* quia transcribere gratia addicendi, seruile non est, sed liberale opus, nec peccat scholaris, qui in die festo transcribit lectionem omissam, vel materiam aliquam vt illam tunc, vel postea addiscat, vel vt eam memoria retineat. Probatur, quia tunc illud opus est doctrinæ, vel disciplinæ, ergò non est seruile, sed spirituale. Item, est actus & à mente procedens, & ad mentem ordinatus, scilicet, vt illi significet, & illam instruat, & non fistit in commoditate corporis, ergò. Tertiò scri- E pto accipere lectionem in die festo à præceptore dictante illam voce, non est opus seruile, ergò accipere eandem lectionem ab eodem præceptore quasi docente illam per scriptum suum, non erit opus seruile. Probatur consequentia quia (vt Caietan. & omnes fatentur) perinde est loqui scripto, ac verbo, ergò perinde est scribere, quod verbo audio, vel quod vsu audio (vt sic dicam) ab eo, qui per scripturam mihi loquitur, ergò sicut non est seruile scribere, quæ magister voce dictat, ita nec scribere, quæ per suum scriptum dictat: & hoc est transcribere. Idemque erit, si transcriptio fiat ex quaternione condiscipuli, quia non accipitur, nisi vt signum magistri loquētis, & impertinens est, quod cartha ipsa scripta sit magistri, discipuli, at cuiuscunque alterius. Quartò qui studet in die festo per librum, licitè facit sententias eius in suo codice scribendo, ita vt memoriæ scriptio inseruiat, ergò non facit opus seruile, & illa est quædam transcriptio. Quid enim refert ex impresso codice vel manuscripto transcribere? Ergò sententia Caiet. quatenus absolutè, & sine vlla restrictione omnem transcriptionem damnare videtur, nulla probabili ratione defendi potest; & ita hæc assertio iam sine dubitatione recipitur.

3. *Angel. Siluest.* Transcribere propter mercedē nō est seruile, quando etiā transcribentis disciplinæ inseruit. Ex hac verò assertione infero contra Angel. Siluest. B & alios, & consentaneè ad superiùs dicta, si transcriptio fiat dicto modo, & gratia disciplinæ, etiamsi fiat propter mercedem, non esse actionem seruilem, nec prohibitam in die festo. Probatur, quia transcriptio huiusmodi sine mercede facta non est seruilis, vt ostēsum est, ergò nec cum mercede facta, quia nulla actio propter solam mercedis adiectionem transfertur ex non seruili in seruilem, vt ostensum est. Exemplis declaro: primum sit supra tactum de famulo scholari, & sui domini in eadem facultate audienda condiscipulo, qui pro stipendio, vel sustentatione, quam à domino recipit, lectionem illam transcribit, in ea transcriptione simul intendens suam doctrinam, & mentis vtilitatem, ad quam sperat illa eadem scriptura vti. Profectò illa transcriptio per se spectata & secluſa mercede, seruilis existimari non potest, quia per se, & natura sua, ac etiam de facto est opus propriæ disciplinæ ipsius transcribentis, quòd autem adiungatur vtilitas domini, vel quod cartha ipsa sit domini, & in eius possessione, ac dominio mansura sit scriptura, extrinsecum, & accidentarium est, nec mutat naturam operis. Vnde si gratis id fieret cum eadem intentione, non censeretur opus seruile, sed liberalis pietatis; at sola merces addita non facit seruile opus, ergò. Aliud exemplum est, si quis amanuensis docti viri, cui operas suas locauit, ab illo scripta describat, vt per illam transcriptionem in doctrina proficiat, & eisdem codicibus à se scriptis pro aliquo tempore ad suum spiritualem, seu mentalem profectum vtatur, profectò liberale opus facit, licet coniunctum habeat vsum alterius, & lucrum proprium etiam principaliter intentum, quia hæc intentio non facit opus seruile, nec refert aliquid ad præceptum de obseruatione festorum.

4. Non est seruile transcribere etiamsi ne proprio profectu. Vnde vlteriùs infero, quod licet aliquis transcribat etiam mercede conductus, & ad domini vsum sine propria vtilitate, vel profectu spirituali, non facit opus seruile, nec prohibitum in festo, ex vi generalis prohibitionis operis seruilis (quidquid accidere possit ex alia prohibitione speciali, de qua postea dicturi sumus.) Probatur primò, quia illa actio de se mētalis & spiritualis est, & per accidens ad illam est, quod hac vel illa intentione fiat ab operante, ergò inde non efficitur seruilis; neque verò fit seruilis ex lucro, vel mercede iuxta principium supra positum, ergo nullo modo est seruilis. Dicunt fieri seruilem eò ipso, quod non intenditur profectus mentis, quia deest finis liberalis in operante, sed dico in primis, hoc esse impertinens, quia opus liberale non attenditur ex fine operantis, sed ex obiecto operis. Deinde dico, intentionem mercedis non esse seruilem, sed mercenariam. Præterea etiam potest intendi proprius profectus mentalis, non minùs, quàm per scriptionem, vt dictum est, & quod non intendatur, est per accidens. Denique eò ipso quod quis intendit cooperari actioni liberali eius, qui per ipsum scribit, &

per

per actionem de se liberalem, habet sufficientem intentionem liberalem, etiamsi alias intentiones extrinsecas adiungat. Vnde argumentor secundò, quia in omnibus eadem est ratio de transcriptione, quæ est de scriptione, quæ fit alio dictante cum eadem intentione, & circunstantiis, sed ostensum est, scriptionem sic factam, etiam propter stipendium non esse opus seruile, ergo idem dicendum est de transcriptione. Probatur Maior, quia si quis dictet duobus amanuésibus simul, & cum eisdem circunstantiis, neuter eorum facit opus seruile, quia concomitantia alterius non facit opus esse seruile magis, quàm si quis solus scriberet, vt videtur per se notum, ergò licet vnus prius scribat, & alter transcribat, non magis facit opus seruile transcribens, quàm scribens: tum quia quod simul scribãt, vel successiuè non mutat naturam operis: tum etiam B quia vterque scribit dictante alio, vnus mediatè, alter immediatè, quod etiam impertinens videtur, vt opus sit, vel non sit seruile.

Vnde argumentor 3. quia perindè est loqui scripto, ac verbo, ergò perinde est scribere, quæ dictantur verbo, vel quæ dictantur calamo, sicut ergo non facit opus seruile, qui scripto recipit, quæ ego dicto voce, ita nec qui scribit, quæ ego calamo dicto, id est, qui transcribit, quæ ego scribo, nam scribendo illi dicto, & hoc argumentum est efficax ad hominem contra Caiet. qui fatetur, ita esse iudicandum de locutione permanente per scripturam, ac de vocali, & transeunte; similéque argumentum contra eum est, quia scribere per alium non est magis opus seruile, quam scribere per se, vt rectè idem Caiet. dixit, & ideò quando C ego per alium scribo, dictando illi, nec ego facio opus seruile, vt per se constat, nec ille, qui scribit. Tum quia veluti vnum mecum in illa actione reputatur, & quia in liberali opere mihi ministrat actione de se liberali; tum etiam quia aliàs si opus scriptoris esset seruile, mihi imputaretur. & ita nunquã mihi liceret per alium scribere, nec tale opus posset dici simpliciter non seruile, igitur quando ego per alium scribo, nec ego nec ille, per quem scribo, seruile opus facimus. At quando alius transcribit, quę ego dictaui, aut scripsi, etiam ego per illum secundò scribo, ergo. Præterea quando ego per me ipsum iterùm eandem rem scribo, non magis facio opus seruile, quàm cum primum scripsi, & quãdo eandem rem bis voce dicto, ille qui secundò scribit, non facit opus seruile, ergo nec etiam si dictem D illi per scripturam priorem, opus facit seruile, illam transcribendo. Denique si ego ipse transcribam, quæ priùs scripsi, non magis facio opus seruile, quàm si secundò scriberem sola memoria, quid enim refert, quod iuuer exemplari scripto ad memoriam? ergo transcriptio de se non est opus seruile, circunstantiæ verò, quæ adduntur, scilicet, quod sit transcriptio alieni scripti, vel in vtilitatem alterius, vel propter mercedem, non transferunt opus non seruile, in seruile, vt ostensum est, ergo.

6. Denique nulla sufficiens ratio differentiæ inter scriptionem, & transcriptionem assignatur, sed scriptio etiam cum illis circunstantijs non est opus seruile (vt ostendi; & Caiet. supponit) ergo nec transcriptio erit. Maior patet, quia transcriptio solùm differt E à scriptione in hoc, quod transcribens, si alienos conceptus scribat, oculis, & nó auribus percipit, quæ scribit, quod valde accidentarium est, si verò scribit conceptus proprios ex priori scripto, differt solùm, quia nunc iuuatur exemplari externo, quod prius non habuit, quod minus refert ad seruile opus quia vtroque modo actio est spiritualis; & ad mentem ordinata.

7. Respõdetur cõtrarię partis fundamẽto. Ad fundamentum ergo in contrarium negatur, transcribere esse opus seruile. Nego etiam transcribere vt sic, idem esse quod depingere characteres ad A imitationem eorum, qui sunt in exemplari, nam qui transcribit, per se non habet hunc finẽ sed sensa mentis, vel suæ, vel alienæ in signo sensibili ponere, quo possint ad aliorum mentes deuenire. Sicut enim hic est scriptionis finis per se, & intrinsecus, ita etiã transcriptionis, quantùm est ex vi operis, quidquid sit de intentione operãtis. Et huius signum esse potest, quod trãscribens non vtitur scripto exemplari ad imitandũ illud materialiter, sed formaliter, vt signum est, & ideò transcribens non imitatur formam, vel figuram literarum exemplaris, sed significationem, vnde sæpè fieri potest, vt simul transcribat, & in aliam linguam vertat, quod profectò simile non est.

8. Imprimere est opus seruile. Ad confirmationem autem de impressione respondeo sine dubio imprimere esse opus seruile, quia non fit per modum locutionis, & expressionis conceptuũ mentis, sicut fit scriptio, vel transcriptio. Duo enim sunt in impressione, vnum est compositio & ordinatio literarum, aliud est impressio earum, & ante hæc duo antecedit formatio singularum literarum quæ sine dubio fit per actionem mechanicam, & seruilem, scilicet, infusionem metalli liquefacti, &c. quæ per se terminatur in illo corporali artefacto perficiendo. Similiter literas compositas imprimere, & quasi fingere, planè est merè materiale, & corporale, nec illa actio ex intrinseco modo suo dirigitur, nisi ad imprimendam chartæ illam figuram, sicut imprimitur ceræ sigillum, vel imago, vel quiduis aliud, quod planè mechanicum est, & tali actioni accidentarium est, & remotum, quod figura ex illa compressione resultans sit mentale signum, néene; in ipsa verò ordinatione, & compositione literarum maior quędam artis, & mentis ratio videtur inueniri, tamen non transcendit ordinem actionis, mechanicæ, & de se seruilis, siue mercede fiat, siue gratis, quia solum est veluti præparatio quædam materiæ, seu instrumẽtorum ad aliam actionem imprimendi, quæ seruilis est. Vnde etiam terminus illius actionis est materialis illa compositio literarum, cui valdè extrinsecum, & accidentarium est, quòd inde resultent signa, quibus mentis conceptus exprimuntur. Denique illa compositio non fit de se per modum locutionis, & expressionis mentis, sicut fit scriptio & transcriptio, nec in ea formãtur literæ ipsę, sicut fit etiam in transcriptione, & ideò non tenet similitudo. Et hoc consonat communi sensui, & existimationi apud omnes, à quibus tota imprimendi ars mechanica reputatur, non sic autem ars scribendi qua vtimur, siue scribendo, siue transcribendo, & ideò vtroque modo actio est æquè liberalis.

CAPVT XXVI.

Actus pingendi sitne seruilis, & prohibitus in die festo.

1. DVbium hoc ex præcedenti sequitur, habetque magnam rationem dubitandi pro vtraque parte. Nam quod actus pingendi sit opus seruile, probari potest primò, quia ars pingendi mechanica est ex omnium sententia: ergò opus eius seruile est. Item est opus corporale terminatum ad extrinsecam materiam, & dirigibile per artem mechanicam, sed per has conditiones supra descripsimus opus seruile ex diuo Thoma in 3. d. 37. ergo. Tertiò alias sequeretur, posse D. Thom. licitè & sine transgressione huius præcepti hoc opus exerceri in die festo per totum diem etiam ex officio, & propter pretium, vel lucrum, dummodo Missa non omittatur, sicut de studio diximus. Consequens est falsum, & contra communem vsum; vnde videtur etiam esse contra pietatem, & bonos mores fidelium,

ergò

ergo. Sequela patet, quia si opus de se non est ser- A
uile, propter intentionem pretij, non fit seruile, nec
propter durationem, vel corporalem laborem, vel oc-
cupationem, vt dictum est. Quartò si depingere
imaginem non est opus seruile, nec sculpere imagi-
nem, vel conflare esset opus seruile, quod manifestè
falsum est, aliàs nec fabrilis artis opus esset seruile,
ergo. Sequela patet, quia non est maior ratio. Nam
quod hæ artes sculpendi, vel conflandi laboriosiores
sint quoad corpus, non satis est, vt opera earum di-
cantur seruilia, si ex fine proprio, & materia, seruí-
lia non sunt. Simile argumentum est, quia si depin-
gere penicillo non est opus seruile, ergo nec depin-
gere acuerit opus seruile; nam etiam id est opus in-
genij, & sine magno labore, aut motu corporis fit;
at constat id esse falsum, ergo. Propter hæc fortasse B
Caiet. Caiet. dicto art. 4. §. *Ad secundum*. pingere ponit inter opera per se seruilia, quæ non licent in die festo, siue gratis, siue mercede fiant, & æquiparat illa duo pingere, & statuam facere.

2. Suadetur a actionem pingendi non esse seruilē. In contrarium autem est primò, quia pingere non magis videtur seruile, quàm scribere, vel transcri-
bere, quia exteriùs solùm consistit in ferendis qui-
busdam lineis, & figuris, quod etiam in scriptura fit.
Interiùs autem est opus mentis, & ad mentis infor-
mationem ordinatur, vnde etiam pictura historiam
quodammodo narrat, & memoriam conseruat; est
ergo eadem ratio de pictura, quæ de scriptura. Se-
cundò quia opus pingendi non est opus seruorum
proprium, vnde licet mechanicum sit, quod negari
non potest, tamen est ita nobile, vt à quolibet libe- C
ro homine exerceri possit, quia solùm consistit, vt
dixi, in quadam veluti scriptione, non est ergo opus
seruile. Tertiò, si esset opus seruile, nunquam lice-
ret in die festo, etiam ob voluptatem, vel pietatem,
quia prohibitio est absoluta, & vniuersalis, & illi fi-
nes non possunt extrahere opus à ratione operis ser-
uilis, si natura sua tale est, licet ob necessitatem pos-
sit excusari opus, vel propter leuitatem materiæ, sal-
tem à mortali. Consequens autem est falsum, quia
omnes fatentur, esse licitum, pingere in festo tantum
voluptatis gratia, vel ad artem discendam occupari
in die festo, aliqua imagine pro exemplari proposita
illam imitando, & delineando, eam attentè intuen-
do, quæ certè non liceret, si pingere vt sic seruile esset.

3. *Medin. Lopez.* Hanc ergo partem absolutè tuentur Med. & Lud. D
Lop. supra: vnde consequenter concedunt, non esse
illicitum pingere in die festo gratia lucri, & mercē-
dis acquirendæ. Alij verò Auctores, qui dicunt pin-
gere ob lucrum esse prohibitum, non vero si absque
lucro aliis de causis fiat, planè sentiunt, opus ipsum
non esse seruile materialiter, vt ipsi loquuntur, sed
fieri seruile formaliter ex fine lucri. Denique idem
sentire debent, vt consequenter loquantur, qui di-
cunt, non peccare eos, qui ad artem pingendi addi-
scendam, *aliquid in festo depingunt, seu designant*, vt lo-
Angel. Siluest. quitur Angel. n. 31. Et clarius Siluest. verb. *Domini-
ca*, q. 5. §. *Quinta*: *Excusantur* (inquit) *pictores, qui in
diebus festis retrahunt in Ecclesijs pulchras figuras, quia
ad peritiam artis id faciunt*. Et Armil. ver. *Festum*, n.
Armil. 21. id declarat de his, qui figuras ab aliis factas pin- E
gunt, & extendit *ad puellas, quæ recamaturas faciunt*
(sic ipse loquitur) *vt addiscant*. Item ad eos, qui de-
signant in chartis, quæ phantasia fingunt, vt postea
Rosel. illa perficiant, vel fabricentur. Et similia habet Ro-
sella, & alij Summistæ.

4. Auctoris iudicium. Hæc controuersia videri potest de nomine, & mo-
do loquendi, si res speculatiuè consideretur, nihilo-
minùs ad definiendos casus morales, non est parui
momenti, & fateor, rem mihi videri dubiam. quia
hinc verendum est, ne nimia licentia his artificibus
tribuatur, aliunde verò non sunt scrupuli iniiciendi.
Neque etiam sine sufficienti ratione differentiæ vnū
opus approbandū est, & aliud simile improbandum.
Sentio igitur, hoc opus esse seruile ex genere suo,
moueórque primò quasi à posteriori. quia ad definiē-
dos casus morales, hęc pars videtur securior, & ratio-
nabilior. Secundò, quia rationes pro illa factæ sunt
satis probabiles, & non facilè expedientur. Aliæ verò
in contrarium factę non habent difficilē solutionem:
Nam inter picturam, & scripturam est magna diffe-
rentia. Primò, quia licet pictura procedat à mente, nō
tamen sicut scriptura, sed sicut quælibet alia ars fa-
bilis, nam scriptura procedit à mente ad exprimen-
dos mentis conceptus, ratiocinia, & iudicia, pictura
verò solum progreditur à mente tanquam quoddam
artefactū, quod conformatur idolo mentis, quod etiā B
habet domus, statua, &c. Secundò etiam differunt in
fine intrinseco, ad quem tendunt, nam scriptura per
se tendit ad mentem instruendam, sicut locutio, &
ideò per se opus est doctrinæ, & disciplinæ, opus ve-
rò pingendi natura sua solùm ordinatur ad assimilan-
dam imaginem arte factam rei veræ. Quòd verò inde
sequatur conseruatio, vel excitatio memoriæ, accidē-
tarium est ad illam actionem, consequitur enim ad
illam, sicut ad productionem cuiuscunque obiecti si-
milis sequitur, vt ducat in cognitionem similis, vel si-
cut ex generatione filij, qui est naturalis imago patris,
sequitur vt excitet memoriā, vel amorem eius. Atque
hinc fit, vt ars pingendi non sit ex his, quæ ad disci-
plinas, vel liberales artes pertinent, vnde nec per se per-
tinet ad eos, qui in Republica nobiles, & liberaliores C
reputantur, sed ad eam deputantur inferiores mini-
stri, & ita illa actio dici potest ex his, ad quas seruos
deputatos habemus. Quòd si interdum nobiles eam
exercent, est ad modicum, & ad quandam honestam,
vel iucundam occupationem, quomodo etiam alia-
rum artium opera interdum exercent. Atque ita pa-
tet responsio ad 2. rationem, ad 3. verò ex sequenti
puncto constabit.

5. Pingendi opus est in festo prohibitum. Ex dicta enim resolutione infero, pingendi opus
simpliciter esse prohibitum in die festo, siue pretio, si-
ue liberaliter fiat, quia hoc nō variat rationem operis
seruilis vt dixi. Imò etiam causa pietatis, vel religio-
nis per se non licet, nisi aliqua iusta excusatio interue-
niat. Vt si templi pars aliqua, vt parietes, aut tectum,
pictura sit ornanda, non licebit, id operis in festo fa-
cere, etiam si gratis, & ob reuerentiam templi fiat, nisi
necessitas Ecclesiæ, & dispensatio Prælati interueniat:
Et ita, habet vsus. Item licet quis depingat imaginem
animo illam donandi Ecclesiæ, non licet, in festo id
facere sine licentia Prælati, quia nō licet seruile opus
facere in festo, etiā causa pietatis, sine necessitate ex-
cusante, vt suprà dictū est. Quapropter multò minùs
licebit id facere voluptatis causa, sicut nō liceret, vas
argenteum, aut aureum facere, etiamsi quis in eo de-
lectetur, & ea ratione id faciat. Quod si fortasse id
permittitur ad modicum tempus, id erit ob materiæ
leuitatem, & excusari poterit à culpa veniali, vel ex
consuetudine, si talis est, vel ex benigna interpretatio-
ne Ecclesiæ, quæ modico tempore illam actionem li-
cet seruilem permittit, quia proximè accedit ad libe-
ralem, & supremum infimi attingit aliquo modo in-
fimum supremi: Vel etiam accusari potest ex quodam
colorato titulo moralis necessitatis, quia non potest
homo præsertim secularis, & ad id non assuetus, toto
die integro lectioni, vel orationi vacare, & ideò, ne sit
otiosus, vel actionibus minus honestis occupetur, in-
diget moraliter loquendo aliqua huiusmodi opera-
tione, & ideò potest illa operatio modica, vel alia
similis rationabiliter permitti, tanquam medium ad
subleuandam naturam sine culpabili otio.

Ar-

6. Nō licet in festo pingere ad artem addiscendā.

Atque eodem modo asſero, per ſe non licere, pingere in die feſto ad artem addiſcēdam quoad vſum, & facilitatem ipſius corporalis operis, quia hoc totum non tranſcendit ſeruilem conditionem, & intentionem, & quia ſuprà oſtenſum vniuerſaliter eſt, non licere hoc modo in die feſto occupari in vſu corporali artis mechanicæ propter illam addiſcendam, quamuis liceat theoremata eius, vel regulas addiſcere, & memoriæ mandare. Vnde illa; quæ ex Sūmiſtis retulimus, cum mica ſalis intelligenda ſunt: Non enim licet, in die feſto imaginem ab alio pictā, pingendo transferre, quia non minùs ſeruile eſt pingere ad imitationem ſenſibilis exemplaris propoſiti coram oculis, quàm ex propria mente, & imagine interna, imò hoc videtur minus ſeruile, quia magis mentale, & internum, ſicut magis liberale cenſetur ſcribere, quàm tranſcribere. Nec verò intentio addiſcendi honeſtat actionem, quia medium eſt ſeruile. Illa ergò actio delineandi tantùm imaginem attentè inſpectam, ad illam poſtea imitandam, & pingendam, ſi excuſanda eſt, ex paruitate materiæ in primis excuſari poteſt, & ex conſuetudine, & ex benigna interpretatione præcepti cum quodam colore neceſſitatis, vt de pictura voluptatis cauſa diximus. Vel etiam hîc addi poteſt, quod illud propriè non eſt pingere, ſed ſolùm memoriam, & mentem iuuare vt poſſit poſtea idolum talis imaginis perfectè formare; & hoc videtur ad diſciplinam liberalem accedere. Et iuxta hæc de aliis exemplis iudicandum eſt.

A B C

CAPVT XXVII.

An iter agere, ſaltare, & ſimilia, ſeruilia ſint, & in die feſto prohibita.

1. QVod ad itinerationem ſpectat, ſupponendum eſt, hîc conſiderari non quatenus poteſt impedire auditionem Miſſæ, nam illa eſt obligatio alterius rationis, de qua iam dictum eſt, & quomodo excuſari poſſit omiſſio ratione iuſti itineris, alibi diximus. Supponamus ergò non omitti Miſſam, ſed poſt auditionem eius reliquum diei tempus agendo iter conſumi. Videtur ergo opus hoc ſatis ſeruile, quia eſt corporale, laborioſum, & ſi propriis pedibus fiat, ſolet eſſe proprium ſeruorum, ſi verò fiat equitādo, habet ferè ſemper annexas actiones plures ſeruiles. Vnde Caiet. dict. art. 4 §. *In eodem articulo* ſentit hoc opus eſſe ſeruile, & per ſe prohibitum, licet conſuetudine populi Chriſtiani liceat, ſicut coquere cibos, & infrà §. *His igitur*, id ampliùs declarans dicit, itinerare longo itinere quaſi ſeruiliter fieri, ideóq; in lege veteri fuiſſe prohibitum, nunc autem conſuetudine licere. Vnde idem ait de nauigatione per flumen, quæ eſt itineratio quædam: & idem ſentit Soto dict. art. 4. §. *Tertium genus*, cum magna enim circumſpectione, & limitatione dicit, *Itinerari audita Miſſa, maximè illis, qui in itinere ſunt, mos quarundam prouinciarum admittit:* In quo loquendi modo ſignificat, per ſe non licere, etiam continuando iter, ſed tantùm ex conſuetudine, quam non dicit eſſe vniuerſalem, ſed quarundam prouinciarum. Idem ſentit Abul. Exod. 12. q. 25.

Caietan. *Soto.* *Abulenſ.*

2. Nō eſſe ſeruile, nec prohibitum. *Angel.* *Roſel.* *Nauar.*

Dico tamen, hoc opus non eſſe ſeruile, nec per ſe prohibitum in die feſto. Ita tenet Angel. n. 15. Roſel. num. 26. & in idem inclinat Nauar. cap. 13. num. 7. licet dicat, conſuetudinem etiam excuſare. Et non eſt dubium, quin conſuetudo ſit vniuerſalis, & per ſe ſufficiens ad derogandum legi quoad hanc partem, etiam ſi hoc prohibuiſſet. Quòd autē iter agere ex vi feſti prohibitum non ſit, probat Angelus; quia hoc opus non eſt tale, vt animum impediat, quominus poſſit vacare Deo: ergò, cum in particulari non prohibeatur; non eſt, cur in generali prohibitione contineri cenſeatur. Præterea, in lege veteri, cum eſſet ſtrictiſſima prohibitio, nihilominùs agere inter non omninò prohibebatur, ſed potiùs concedebatur intra certam menſuram, quæ dicitur iter Sabbathi Actor. 1. ergò ſignum eſt agere iter de ſe non eſſe opus ſeruile, nec omninò contrarium cultui diuino, aut quieti Sabbathi. Quod autē tunc longius iter prohiberetur, peculiare fuit illius præcepti, quod nunc non obligat, nec conſtat Eccleſiam illud in hoc fuiſſe imitatam. Imò mihi etiam non conſtat, quod illa prohibitio agendi longius iter extenderetur in lege veteri ad alias feſtiuitates eiuſdem legis, quia non inuenio extenſionem expreſsè factam; & aliàs ſcimus, non fuiſſe factam tam ſtrictam prohibitionem operum pro aliis feſtiuitatibus, ſicut pro Sabbatho. Præterea ſuprà dictum eſt, opus quod non eſt ſeruile in paruo tempore, vel paruo labore factum, non fieri ſeruile propter durationem, aut laborem, quia ſemper eſt eiuſdem rationis; ſed agere iter modicum, & ſuaui modo non eſt ſeruile opus, ergò; licet augeatur, & duret, per ſe non fiet ſeruile, ac ſubinde neque prohibitum ex generali prohibitione operis ſeruilis. Minor patet, tùm quia ob eam rem non prohibebatur olim in Sabbatho, tùm quia illud opus nec eſt propriè ſeruorum, nec eſt propriè mechanicum, ſed quaſi naturale ad corporis vegetationem, & conſeruationem, & ſituationem ordinatum, &, vt ita dicam, ad omnes actiones alicubi exercendas; vnde eſt quaſi præuium ad omnes, & non incluſum ſub opere, quod in ſeruile, vel liberale diuiditur. Nec refert, quòd ſi ſit nimium iter, vel cum celeritate, & fatigatione corporis, efficiat ne mens vacare poſſit Deo; quia, vt dixi, hic eſt finis præcepti, qui non cadit ſub præceptum: nec etiam omnia media illum impedientia prohibita ſunt, ſed illa, quæ ex vi verborum legis ſub ipſa comprehenduntur.

Actor. 1.

3. Quodnam iter faciendi genus prohibeatur.

Hæc verò intelligenda ſunt de Itineratione vt ſic, nam, ſi addantur circumſtantiæ, quæ includant, vel requirant opera ſeruilia, ex eo capite poterit tale opus eſſe prohibitum. Et hac ratione prohibitum eſt, per ſe loquendo, iter agere, deferendo beſtiam, aut currum onuſtum, ita vt interdum onera leuare, interdum imponere fit neceſſe; nam hoc de ſe ſeruile eſt, & ideò, niſi ex neceſſitate, vel paruitate materiæ excuſetur, non licet. Vnde in Concilio Matiſcon. 2. cap. 1. ſic legitur de die Dominico: *Nemo ſibi talem neceſſitatem exhibeat, quæ iugum ceruicibus iumentorum imponere cogat.* Quæ verba generalia ſunt de omni vſu ſeruili iumentorum, quamuis ſpecialiter de actione arandi terram poſſint intelligi. Diſtinguendum verò eſt inter inchoationem, vel continuationem itineris: nam ſi iter ante diem feſtum bona fide inchoatum eſt cum his oneribus, excuſatur continuatio vel propter publicam vtilitatem, ad quam neceſſarium ſæpè eſt, vt ſine mora, & grauamine hæc tranſportatio rerum, & mercium fiat, vel certè propter vitandum graue nocumentum, quod paterentur iter agentes, & præſertim hi agaſones, ſeu muliones, ſi cogerentur in omnibus diebus feſtis quieſcere, quocumque iter agendo peruenirent, & ideò conſuetudo etiam hanc excuſationem approbauit. De inchoatione verò non eſt facilè admittenda conſuetudo quoad hæc onera propter rationem factam, & ideò meritò Caietanus, quem Nauarrus, & alij ſequuntur, abuſum illam vocat: ſecus verò eſt quoad ſimplex iter. Vnde benè aduertit Caiet. ſi iſti muliones ducant mulos ſine oneribus, non eſſe illicitum ita progredi; vel ab vno loco in alium transferre animalia in die feſto, quia id ſolùm eſt iter agere, & non habet adiunctum opus ſeruile. Denique addit, quando homines in lectica, vel curru deferuntur, licitum eſſe,

Conc. Matiſ.

Caietan.

omnia opera necessaria facere ad illos iuuandos, vel ad imponendam mulis lectică, & similia, quia omnino ordinantur ad iter tantùm personarum. Et eadem ratione erit licitum, onera necessaria ad vsus itineris deferre, vt lectum v.g. necessaria ad mensas, & cibum etiam iumentorum; si opus sit: vel quia hæc omnia censentur accessoria itineri, vt sic, vel quia parua reputantur, vel certè, quia consuetudine recepta sunt.

4. Expendun-tur cantandi, saltandiq; actiones.

Simile dubium tractări solet de actibus corporalibus, vel musicæ, vocum, aut instrumentorum, vel etiam de illis agitationibus corporum, quæ in saltationibus, choreis, & tripudiis fiunt. Multi enim Summistæ variis distinctionibus vtuntur, quæ ad rem non faciunt, vt videre licet in Angelo, Siluest. & Rosel. easque latissimè prosequitur Abulens. in capit. 20. Exod. quæst. 25. 26. & sequentibus. Distinguunt enim, An hæc fiant propter lucrum nécne? Et, An propter certum stipendium in particulari taxatum, vel propter incertum, vel commune? Item an principalis intentio ad hoc habeatur, vel secundaria? Item, an fiant ex causa pia, & honesta, vel sinistra, aut vana intentione? nam priori modo non censent per hæc violari festum, vt per se notum est, posteriori autem modo putant violari. Vnde aliqui addunt, si totus dies festus, etiam audita Missa, in his actibus cõsumatur, grauiter peccari, quia festa Christiana ridiculo exponuntur, vt ait Armil. num. 25. qui Caiet. adducit: non intelligunt autem, esse mortale, sed veniale, vt diserte declarant.

Angel. Siluest. Rosel. Abulens.

Armill. Caiet.

5. Nõ esse seruiles has actiones resoluitur.

Sed dico in primis, hæc opera omnia non esse seruilia, tum quia Musica inter artes liberales computatur, ad quam hæ omnes actiones reducuntur, tum etiam, quia ista per se nõ sunt opera seruorum, neque ad seruiendum fiunt ex genere suo. Quòd autem interdum fiant mercenariè, id non mutat naturam operis. Tùm denique, quia quædam ordinantur solùm ad animi oblectamentum, vt cantus: & Musica de se excitat mentem, & ita est actus sermocinationis tali modo factus, vel instrumentis ornatus, & adiutus, quæ omnia liberalia sunt. Alia verò, quæ magis corporalia videntur, solùm consistunt in quadam agitatione, & motione corporis ad eius leuamen, & vt cooperetur exultationi, & gaudio animi, & ita etiam pertinent ad liberalem actionem.

6. Vnde vlteriùs infero per se, & ex vi generalis prohibitionis operum seruilium non esse prohibita. Ita sentiunt dicti Auctores, dum hæc non ponunt inter seruilia materialiter, sed tantùm formaliter ex fine, nos verò supponimus, ex solo fine non fieri opus seruile, & ita concludimus, simpliciter hæc opera non esse prohibita: quod etiam Caiet. Sot. Nauar. Medin. & alij sentiunt. Ex quo etiam constat, distinctiones illas esse impertinentes, quia intentio pretij non obstat, vt sæpè dictum est, nec etiam refert, quod intentio sit vana, vel turpis, vel principalis, &c. Quia inde poterit actus habere malitiam alterius generis, non tamen propterea pertinebit ad violationem huius præcepti, vt dictum est. Nec denique continuatio per totum diem faciet mortale peccatum, seclúso contemptu, vel scandalo, vt etiam in superioribus dictum est. Si verò actiones illa fiant cum excessu, & otio, erunt venialia in alio genere peccati, & non est improbabile, habere tũc ex circumstantia festi aliquam malitiam venialem, vt iam etiam tactum est.

Caiet. Sot. Nau.

CAPVT XXVIII.

De Venatione, Piscatione, & Militia.

1. Quid sentiẽdum de actu venandi, vel piscandi.

SOlet præterea dubitari de venatione, (eadémque ratio est de piscatione.) An sit actio seruilis prohibita? Habet enim hæc actio ferè easdem rationes dubitãdi, quia est quodammodo communis, seu media, conuenit enim hominibus liberis, dominis, & conuenit etiam seruis. Vnde quando fit ad delectationem, videtur actio libera: quando verò fit ex officio ad sustentationem vitæ, videtur seruilis: vnde à multis numeratur inter actiones communes seruis, & dominis. Præterea in cap. *Licet*, de Fer. supponitur, piscationem hoc posteriori modo factam esse prohibitam, nam ex dispensatione, & non sine commutatione in aliud opus pium, in peculiari casu ob necessitatem. & ex dispensatione conceditur. Et ita quam plures Auctores sentiunt, venationem ob animi delectationem licere, quæ verò fit quæstus gratia, esse seruilem, & illicitam. Ita Angel. num. 26. Siluest. Rosel. & idem sentit Soto. Et Angelus ex eo sumit argumentum, quòd venatio prohibetur in diebus ieiuniorum; ergo multò magis in die festo. Antecedens probatur ex Gloss. in cap. *Qui venatoribus*, d. 86. & videtur haberi in cap. *An putatis*, in eadem d. Ambr. in serm. 35. aliàs 41. in Dominicam 3. Quadrag.

Angel. Siluest. Rosel. Soto. Gloss. Cap. An putatis. Ambros.

2. Alij verò existimant venationem non esse opus seruile, nec prohibitam in die festo, etiamsi fiat quæstus gratia. Ita expresse Nauar. d. cap. 13. n. 11. §. *Sexto; quia non est* (ait) *seruile opus, nec finis quæstus facit illud seruile.* Idem Med. & Lud. Lopez suprà. Et sanè distinctio illa de venatione voluptatis, vel quæstus gratia facta, mihi probari non potest quoad hoc, vt vna dicatur seruilis, & non alia. Quia si differunt in solo fine, parùm id refert ad prohibitionem, vel ad rationẽ seruilis operis, vt rectè dicit Nauar. & sæpè probatum est. Et præterea, non magis honestus est finis voluptatis, quam finis acquirendi lucrum, imò hic posterior faciliùs potest honestari, quia ordinariè, qui illo fine venatur, indiget illo iuuamine ad suam sustentationem. Si verò differunt illæ venationes in aliqua intrinseca conditione, ratione cuius vna est seruilis, & non alia, inquiro, quænam illa sit? Non enim est continuatio temporis, nec corporalis labor maior, vel aliquid eiusmodi, tum quia re vera non intercedit talis differentia; non enim minùs laborãt per totum diem diuites, & nobiles in venatione, quam pauperes, qui ex officio ad se sustentandum venantur: ergo neq; ex hac parte dici potest vna venatio seruilis, & non alia.

Nauar. Medin. Lopez.

3. Venatio est opus seruile.

Mihi ergò videtur venationem, vt sic, & per se spectatã, opus seruile esse. Primò, quia venatoria ars inter mechanicas computatur, vt ex Dialectica constat. Secundò, quia est opus corporale, laboriosum, sistens omnino in materia, & effectu corporali; vnde quodammodo est commune homini cum bestiis, nam illæ etiam venationi insistunt. Solùm addit homo artem, & industriam, ac varia instrumenta venationũ; & vtitur etiam his animalibus brutis ad venandum aptis, vt eis in eo opere iuuetur: tota verò hæc industria in materia, & corpore sistit, & ideò non transcendit actionem seruilem. Tertiò addo argumentum à simili: nam scindere arbores, & ligna colligere seruile opus est sine controuersia; ergo laborare in occisione animalium, & illa mortua deferre, seruile opus est ex genere suo. Patet consequentia, nam hæc opera solùm differunt, quia in vno maior est fatigatio corporis, & minor industria, & voluptas, quàm in alio reperitur, quæ differentia ad rationem seruilis operis parùm referre videtur.

4. Quartò moueor, quia si non esset opus seruile, nullo modo factum esset prohibitum in die festo, vt benè argumentatur Nauar. quia nec specialiter prohibitum inuenitur, nec sub generali prohibitione operis seruilis continetur. Prior pars constat, quia in nullo Canone hæc specialis prohibitio continetur: argumentum verò Angeli nullius momenti est; tum quia argumentum à simili in his legibus non valet, tum etiam,

Nauar.

Angel.

etiam, quia assumptum est falsum, nam in diebus A Quadragesimæ, vel ieiuniorum non est per se prohibita venatio, nec Ambrosius potuit vniuersalem de hoc legem ferre. Vnde vel loquitur de venatione illicita saltem per accidens, quatenus vel in ea interueniunt alia peccata, vel propter eam omittuntur alia præcepta, vel reprehendit illam, vt indecentem pro illo tempore, non vt simpliciter prohibitam. Posterior pars satis probata est; quia sub illa generali prohibitione non continetur opus, quod de se seruile nō est, neque illud fit seruile ex fine, vel aliis circumstantiis. At verò tantam licentiam dare venatoribus in diebus festis, vt simpliciter, ac per se, & quocunque modo eis liceat, nimium mihi videtur. Et contra il-
Cap. Licet. lud non parum vrget dictum cap. *Licet*, de Feriis, vbi B piscatio sine dispensatione supponitur esse illicita, neque enim ibi de nouo prohibetur, nec ex alio capite illicita esse supponitur, nisi quia seruilis actio est,
Panor. vt ibi Panormitanus, & alij interpretes docent. Respondeti potest, ibi non esse sermonem de venatione, sed de piscatione. At hoc parum refert, quia hæc opera materialiter potiùs, quàm formaliter differunt; vnde eadem ratio operis seruilis, quæ in vno est, reperitur in alio. Dicunt aliqui, etiam piscationem non esse opus seruile, sed habere adiunctas actiones seruiles, propter quas censetur prohibita, vt sunt extendere retia, educere, lauare, item remigare, & similia, quæ non videntur in venatione interuenire. Sed profectò istæ actiones nō tantùm ex adiunctis, sed per se C etiam sunt seruiles, vt ostendi. Et præterea, etiam in venatione necessariæ sunt multæ actiones laboriosæ, & seruiles, vt exercitio ipso constat; licet fortasse plures cum piscatione coniungantur, præsertim in ea, quæ in mari fit.

5. Hæc opera sunt prohibita in festo per se.

Hinc ergò vlteriùs censeo, opus hoc per se prohibitum esse in die festo, quia sub generali prohibitione operis seruilis continetur: nam hoc apertè sequitur ex præcedentibus. Quapropter si aliqua venatio, recreationis gratia assumpta, excipienda est per modum excusationis eximenda est, non quia per se seruilis non sit, nec prohibita. Erit autem excusatio prima ob leuitatem materiæ, & ex quadam morali necessitate ad vitandum vel otium, vel peiora opera. Et D quidem, si venatio esset moderata, & solùm à prandio per duas, aut tres horas, mihi non displiceret excusatio, vt suprà in simili dixi: Tamen quia difficile est damnare illos omnes, qui maiorem sumunt licentiam, ideò potest addi alia excusatio ex consuetudine, quæ potest legem remittere, quæ videtur in hac
Quę liceant ex consuetudine. parte præualuisse, scientibus, & tolerantibus Pastoribus Ecclesiæ. Quamuis fortasse introducta fuerit ex apprehensione, & vulgi existimatione, quod venationem nobili modo exercitam non reputant opus seruile, neque inde scandalum sumunt, etiam si in die festo fiat.

6. Vnde etiam piscatio in fluminibus recreationis gratia facta ex eadem consuetudine licet; maximè E quando est moderata, & sine magno labore ministrantium in illa. Alia verò, quæ fit in mari, non est in consuetudine, nisi propter peculiarem necessitatem, & ideò non licet: de hac maximè loquitur dictum c. *Licet*, Iraq; in hoc differimus ab aliis Auctoribus, quòd non approbamus hanc actionem per se, & ad improbandam illam, tanquam aliquando seruilē, circunstantias extrinsecas quærimus, vt faciebat prima opinio, quia hoc non potest consequenti ratione fieri, vt secunda opinio rectè argumentatur: sed è contrariò per se dicimus prohiberi, in casu verò, vel tali modo factam permitti ex ratione speciali; vel consuetudine, quod in operibus lege humana prohibitis facillimum est.

7. Bellandi actus an seruilis.

Tandem dubitari potest de actu bellandi, an sit seruilis, & prohibitus in die festo, siue iustum sit bellum, siue iniustum, hoc enim non variat rationem prohibitionis, vt ex dictis constat. Videtur ergò hoc opus non esse seruile, quia non est opus seruorum, sed potiùs ingenuorum, & nobilium hominum, vt ex vsu constat, & hominum æstimatione, & Arist. 3. & hic cap. 6. & sumitur ex 2. Polit. cap. 7. quatenus ibi dicit *Arist.* Arist. vitam militarem continere multas virtutis partes. Secundò quia, vt Iuristæ dicunt Militia, & studiū in honore, & ingenuitate comparantur, at studium non est opus seruile, nec prohibitum in festo, vt dictum est, ergò nec militia. De qua ratione videri possunt iuris ciuilis interpretes in L. *Aduocati*, C. de Aduocat. diuers. iudic. & Panor. in c. 1. de Fer. n. 4. Tertiò *L. Aduocati. Panorm.* ex L. *Diuus* ff. de Fer. vbi dicitur, ea, quæ ad militarem disciplinam pertinent, etiam diebus feriatis esse peragenda, vbi Glossa id notat, & in L. *Omnes iudices*, C. de Fer. & vtraq; Glossa planè docere videtur non minùs esse licitam actionem Militiæ in die festo, quàm studium. Et confirmatur, quia si militare esset illicitum in festo, etiam priuatim rixare, & pugnare esset speciale peccatū in die festo, & multò magis in priuato duello congredi in die festo: consequens videtur falsum, quia non magis hoc peccatum habet specialem malitiam ex circunstantia temporis festi; quàm alia. *L. Diuus.*

8. Bellandi opus seruile esse.

Hoc verò dubium eodem modo, quo præcedens, expediendum videtur. Vnde assero in primis, opus actualis Militiæ, seu pugnæ de se seruile esse. Loquor de opere ipso quoad executionem, nam regere Militiam, & ordinare necessaria ad illā, liberale opus est, quia est potiùs opus mentis, quàm corporis, at ipse actualis pugnæ congressus opus seruile est. Primò, quia hoc modo etiam Militaris ars inter mechanicas computatur, & non est dubium, quin artifices, qui iuuenes docent ensium, & armorum vsum, mechanici censeantur. Vnde non dubito, quin de se sit seruile opus, per actualem vsum membrorum corporis, & instrumentorum pugnæ, exerceri in docenda, vel addiscenda huiusmodi arte: & ita vsu ipso constat, id non fieri, nec permitti in die festo. Secundò, quia si intendere occisioni ferarum opus seruile est, cur non magis intendere occisioni hominum? Vnde rationes factæ de venatione cum proportione ad militiam, quæ dici potest hominum venatio, applicari possunt: est enim hæc actio merè corporalis, & laboriosa, & circa effectus corporales omninò insistens. Simile argumentum est, quod vsus chirurgiæ censetur opus mechanicum, & de se seruile, ergò & militare.

9. Tertiò ad hoc opus, habet Respublica suos ministros deputatos, qui sub ea ratione serui reputantur. Neque refert, quòd ille actus nobilis videatur, & ideò ab ingenuis, & nobilibus indifferenter exerceatur: habet enim nobilitatem suam non ex fine proximo, ex quo attenditur ratio operis seruilis; quid enim magis seruile, quā homines occidere? sed habet illam nobilitatem tùm ex fine remoto, quia ad Reipublicæ defensionem, & ad famam, & nobilitatem captādam ordinatur; tùm etiam ex eo, quòd si iusta causa fiat, insignis actus virtutis fortitudinis est, & indicium præstantis animi, & fortis corporis, & magnarum virium. Et hoc solùm probat ratio prima in contrarium facta; & ideò non obstat, quominùs hoc opus ex se seruile sit, licet aliunde nobilitatem accipiat. Nec etiā obstat ratio secunda, quia illa æquiparatio studij, & militiæ non est accipienda in omnibus, & maximè in intrinsecis conditionibus ipsorum operum; sed in vtilitate, & necessitate eorum ad commune bonum Reipublicæ, & in aliquibus priuilegiis, quæ illis in Iure conceduntur: & ideò argumentum ab studio ad

militiam in præsenti nullius momenti est. De tertia verò ratione dicetur statim.

10. Bellandi actio per se est prohibita in festo. *Abb. Anton.* Cap. 1.

Secundò consequenter assero, actualem militiam per se esse prohibitam in die festo, licet per accidens, & ex causa interdum toleretur, & permittatur. Primum docuit Abbas ex Antonio in cap. 1. de Fer. dicens, licere militare in diebus feriatis iure Ciuili, non tamen Canonico, & allegat cap. 1. de Treuga, & pace, qui textus nihil probat, tùm quia nō est ibi sermo de festis, sed de Aduentu, Quadragesima, & aliis quibusdam diebus: tùm etiā, quia lex illa derogata est per contrariam consuetudinem. Melius videtur probari ex c. *Quod non licet*, de Reg. Iur. vbi inter ea, quæ non licent in die festo, nisi ob necessitatem, ponitur militare. Sed nec illud decretum cogit; quia ibi solùm generalis regula constituitur, quòd necessitas facit licitum, quod non erat: aliud verò de militia solùm adducitur in exemplum ex Machabæis, quorum tempore militia extrà necessitatem in Sabbatho erat prohibita. Potest autem quis dicere, illud fuisse, quia in lege Iudæorum non solùm prohibebatur seruile opus in Sabbatho, sed simpliciter opus. An verò illud exemplum etiam in lege noua verum habeat, ibi non declaratur. Ratione ergò probandum hoc est ex principio posito, quia illud opus de se seruile est, ergò per se continetur sub generali prohibitione.

Cap. *Quod non.*

11. *Anton. Abbas.* Cap *Si nulla. Gloss.*

Altera verò pars constat, quia duplex est bellum, aggressiuum, & defensiuum. Defensiuum ergò est licitum in die festo ratione necessitatis: & de hac militia loquitur lex ciuilis suprà citata, vt sensit cū Ant. Abb. in dict. c. 1. de Fer. Et sic concordat ius Canonicum cum Ciuili Gloss. per textum in c. *Si nulla* 23. q. 8. & notauit Gloss. in c. 1. de Treuga, & pace. Bellum autem aggressiuum ordinariè non licet in die festo: sed per epiikiam, & dispensationem dict. ca. *Licet*, de Fer. (cum proportione applicata) licebit in bello iusto, si se offerat bona occasio comparandi victoriam, quæ semel amissa, non facilè solet redire, & ita patet responsio ad tertiam rationem in principio obiectam.

Et ad confirmationem dicendum est, cum eadem proportione loquendum esse de priuato duello, aut rixa. Adde solere tēpore pacis fieri in die festo quasdam exercitationes, & demonstrationes militares, quæ in consuetudine sunt, & damnari non possunt, non solùm ratione consuetudinis, sed etiam ratione moralis necessitatis ad publicam custodiam ciuitatis, quia non possunt commodè aliis diebus fieri: ac denique quia illa, quæ tunc fiunt, aut parùm, aut nihil de seruilibus operibus habent: & ad memoriam potiùs exercendā, vel cognitionem personarum habendam, quàm ad exercendam militiam ordinantur, & si aliquid seruile miscetur, ex aliis causis honestatur.

CAPVT XXIX.

De operibus non seruilibus, seu liberis speciali iure prohibitis.

1. Quæ opera liberalia iure prohibeā tur.

HActenus explicuimus generalem regulam de prohibitione operum seruilium cum exceptionibus, quæ occurrerunt, & obiter ostensum est, opera non seruilia non esse comprehensa vnquam ex vi illius prohibitionis, quia per limitationē illam, *seruile*, excluduntur, & quia in nullo alio iure generalis prohibitio liberorum, seu spiritualium operum facta inuenitur. Quia verò nonnullæ actiones non seruiles in die festo specialiter prohibitæ inueniuntur, illas recensere, ac exponere ad huius doctrinæ complementum necessarium est. Sunt autem ha actiones prohibitæ nō plures, quàm quinque, vt constat ex cap. 1. de Fer. ibi enim prohibentur mercatus, placitum, iudiciū ad mortem, vel ad pœnam, & iuramentum. In aliis etiam Iuribus inueniuntur prohibita quædam ex his, vt in c. vlt. eiusdem tituli prohibentur omnia, quæ ad iudicium pertinēt, sub nomine *Strepitus iudicialis*, sub quo *Placitum*, & *Iudicium ad mortem, vel ad pœnam* cōprehenduntur. In Concilio item Matisc. 2. c. 1. solùm dicitur, *Nullus vestrū litium fomitibus vacet, nullas causarum actiones exerceat.* In Concil. Turon. ca. 40. solùm mercatus, & placitum prohibentur: Idēmq; fit in Cōcilio Maguntiaco ca. 37. & circa placitum additur limitatio, *Vbi aliquis ad mortem, vel ad pœnam iudicetur:* quæ nunc necessaria non est, nam generalis est prohibitio, maximè ex d. c. vlt. de Feriis. Itaq; duo genera actionum sunt principaliter prohibita, scilicet Mercaturæ, & Fori, seu Iudicij. In solo autem dict. c. 1. additur iuramentum, quod multi putant, sub iudicio includi, sed an hoc sit in vniuersum verum, infrà dicemus. Consonātq; hæc prohibitio iuri Ciuili, tum antiquo, tùm etiam nouiori: refert enim Cicero li. 2. de Legibus, & li. 1. de Diui. iuxta leges duodecim tabularum in feriis cessandum fuisse à iurgiis, & in leg. penult. ff. de Fer. dicitur, *Ferias dare vacationem à forensibus negotiis*, sub quibus omnes dictæ actiones possent comprehendi, quia omnes quodammodo in foro fiūt. Sed præcipuè intelligi solent, vt Glos. ibi notauit actiones iudiciales, quæ C. de Fer. latè prohibentur in festis in l. 1. 2. 3. & vlt. Constat autem has actiones de se seruiles non esse, quia nec sunt propriè seruorum, nec sunt mechanicæ, sed ad cognitionem, & conuictū humanum ordinantur, specialiter ergò prohibentur, licet liberales sint. Et magna quidem ratione propter iurgia, & dissensiones, & secularem distractionem, quam secum afferunt, vnde quietem, & vacationem in die festo intentā maximè impedirent. Hæc autem ratio in mercimoniis, & contractibus tēporalibus nō minorem vim habet, & propterea ius Canonicū has etiā actiones expressè addidit: & quia de se pertrahūt ad peccatū, vt notauit Panor. in ca. vlt. de Fer. Præter has autē actiones non inueniuntur aliæ liberales specialiter prohibitæ, neq; in aliis tam generaliter habēt locum rationes factæ. Ista ergò prohibitio ad prædictas actiones reuocatur, de quibus pauca notāda sunt.

Cap. 1. *Conc. Matis.* *Conc. Turon.* *Conc. Mag.* *Gloss.* *Panor.*

2. Quid sub Mercatus nomine prohibeatur. *Caiet. Sot.*

Circa mercatum ergò si vim Iuris attendamus, & propriam illius vocis significationem, per illam prohibentur in die festo omnes contractus emptionum, & venditionum, locationum, & permutationum, vt Doctores omnes ibi, & Summistæ, Caiet. Soto, & alij notant. Aduertit tamen Caiet. nunquam fuisse prohibitū, emere in die festo necessaria ad illius diei victum, & potum. Quod censeo verum de his, quæ ante illum diem commodè emi non possunt, aut vbicúmq; moralis necessitas occurrit: tamen, quæ facilè vitari possunt, vitanda sunt, nisi propter leuitatē materiæ, & communē vsum excusentur. Præcipuè verò prohibentur publicæ nundinæ, quæ cum magno concursu hominum in certis locis fieri solent, ad quæ variæ merces deportantur negotiationis causa, ad quas nundinas solent certi dies semel, aut bis in anno assignari, illi ergò dies ex vi huius Iuris festi esse non debent. Deinde idē est de nundinis magis priuatis, quæ in singulis hebdomadis certo quodam die fiunt, quæ iam vulgò Mercatus nomine appellari solent, si ergò in illum diem festum aliquod inciderit, cessandum est à Mercatu, & in alium diem transferendus est. Tertiò prohibentur etiam priuati contractus, præsertim si publicè, vel publica solemnitate fiant, quia in his etiam propriissimè Mercatus fit, qui absolutè, & sine restrictione prohibetur.

3. Obiectio.

Dices communem Ecclesiæ praxim contrariam esse huic legi. Nam publicæ nundinæ in diebus festis vbiq; fiunt neq; solùm, quando contingit, festiuitatē coniungi cum die ad nundinas designato, sed etiam ex di-

ex directa intentione festum designando; quia in eo celebriores sunt nundinæ, quàm si in profesto fiant. Deinde bona mortuorum publicè solent in diebus festis subhastari, & voce præconis publicè vendi. Item simili modo solent beneficia, aut Ecclesiarum prouentus, aut terræ publicè ad locandum proponi. Item solent operarij conduci in die festo à prandio, & mitti in villam. Item mercenarij artifices solent in die festo vendere merces, aut calceos, vel alia huiusmodi; & hæc omnia publicè tolerantur à Pastoribus Ecclesiæ: vnde in eis non videtur grauiter peccari. Circa hæc rigorosè loquuntur Hostiens. & Abbas in cap. 1. de Feriis, dum aiunt, nullam consuetudinem excusare posse, vt Mercatum in die festo facere liceat; quia est praua consuetudo, & irrationabilis. Quod probat Panormitanus, quia licet mercari non sit peccatum, est tamen ex actionibus, quæ ad peccandum pertrahunt, vix enim inter ementes, & vendentes non interuenit peccatum, c. *Qualitas*, de Pœnitentia distinct. 5. & propter hanc causam specialiter prohibetur mercatus in festis, & quia nimium distrahit animum à diuinis, ad quæ festa destinantur. Censent ergò hi Auctores, tales consuetudines esse iniquas, & ad summum excusare posse ab exteriori pœna, non tamen à culpa.

Hostiens. Abbas. *Panorm.* *Cap. Qualitas.*

Nihilominùs dicendum est, consuetudines has, quoad fieri possit, cauendas, vel moderandas esse, ita vt nec introducantur, vbi non sunt, nec extendantur, vbi sunt; nihilominùs tamen vbi receptæ fuerint, excusare à culpa. Ita sentiunt Caietanus dicto articulo 4. & in Sum. ver. *Festorum violatio*, Nauar. dicto c. 13. num. 8. Ratio clara est, quia tota hæc festorum obseruatio est de lege humana, cui potest per consuetudinem derogari. Nec refert, quòd hæc actio sit obnoxia periculis peccãdi; tùm quia hoc non obstat, quominùs tale opus licitè exerceatur aliis temporibus, ergò nec obstabit, quominùs in die festo licitè fiat, si in illo non sit specialiter prohibitum; vbi autem consuetudo præualuit, iam cessauit prohibitio. Tùm etiam, quia illa ratio pertinet ad motiuum legislatoris; non tamen facit materiam legis adeò necessariam, vt contra illam non possit præualere consuetudo. Denique consuetudo contraria posset omninò festi obligationem auferre; ergò & minuere. Adde in omnibus illis casibus interuenire rationes aliquas honestantes consuetudines ex aliqua publica necessitate. Solent enim nundinæ in festo fieri, interdum, vt rustici, & pauperes, qui nõ possunt in profestis operas suas deserere, illas possint adire. Aliquando fiunt, quia tali die solet multitudo populorum ad locum aliquem conuenire pietatis causa, &, ne cogantur iterùm illùc venire, vel nimium ibi detineri cum magno dispendio, & publico, nundinæ in eodem die constituuntur. Oportet tamen obseruare, nunquam istam consuetudinem ita introduci, vt Missa omitti possit licitè absque speciali necessitate.

Caiet. Nauar. 4. Respondetur. 5.

In mercatibus autem, qui in singulis ciuitatibus, vel oppidis semel in hebdomada fieri solent, non ita præualuisse videtur hæc consuetudo, quia facilè transferri possunt in alterum diem, & ita obseruandum est, quoad fieri possit, nisi consuetudo inueterata omninò resistat. Venditiones verò solent publicè fieri in festo, præsertim in paruis oppidis; quia aliàs pauci essent emptores, & res vilissimè venderentur: Et similes causæ cum proportione in aliis casibus reperiuntur. Interdum etiam venditio potest illo die fieri in gratiam emptoris, qui fortasse est rusticus agricola, aut peregrinus, quia alio die adesse ibi non potest, vel alia ratione tunc indiget tali re. Interdum verò in gratiam venditoris, qui alio die non posset vendere ex defectu ementium, &c. Quæ omnia generatim spectata ad publicam vtilitatem pertinent, & ideò aliquid participant de dispensatione c. *Licet*, de Feriis, quam inferiùs exponemus. His tamen non obstantibus lex ipsa Canonica per se suam vim retinet; & seruanda est, vbi non fuerit in aliquo casu particulari per consuetudinem derogata. *Cap. Licet.*

Circa aliam partem de placito, seu iudicio forensi certum est, prohibitum esse in diebus feriatis, vt vidimus; tamen quia in hoc iudicio plures interueniunt personæ, & actiones, nonnulla circa illas breuiter notãda sunt. Personæ sunt Iudex, & partes: Actor, scilicet, & Reus, Testes, Tabellio, Aduocatus, & siqui sunt alij horum ministri. Circa quas personas generatim solùm possumus dicere, omnes teneri ad seruandam hanc legem quoad actiones forenses ad singulas pertinentes, vt eleganter, & speciatim declaratur in l. vlt. C. de Fer. Et similiter singuli gaudent illa indulgentia, etiamsi aliis oneros am esse contingat; quia lex indifferenter, & generaliter loquitur. 6. Placitum prohiberi diebus festis. *Leg. Vlt.*

Dubitari autem solet, cuius personæ habenda sit ratio in hac cessatione ab strepitu iudicij, contingit enim, vt partes, & iudex in diuersis locis domicilia habeant; & festum, vel ferias in vno loco seruari, non in alio; cuius ergò loci consuetudo seruanda est, Iudicisne, an Rei, vel Actoris, vel omnium? Respondeo, spectandum semper esse locum illum, in quo iudex adest, & causa tractatur, & iudicium ordinatur. Tùm quia iudex est principalis persona, & quasi caput in hoc negotio; & ideò ratio postulat, vt cæteri illum sequantur. Tùm etiam, quia in modo ordinandi iudicium, attenditur consuetudo loci, in quo agitur causa; ergò etiam in tempore apto ad iudicium. Tùm denique quia iudex ipse tenetur, loci, in quo adest, & operatur, festa seruare, & consequenter ibi tenetur à forensibus actibus abstinere. Non verò tenetur etiam indulgere partibus, vt suorum locorum feriis, seu festiuitatibus vtantur; quia hæc esset nimia iudiciorum dilatio; & quia possunt, vel debent ad locum iudicij accedere, vbi iam non tenentur festa suorum locorum propria obseruare. In hoc conueniunt Canonistæ in capit. vltim. de Feriis, vt rectè ibi expendit Abb. num. 23. qui magis loquuntur de feriis temporalibus, seu rusticanis; tamen cum proportione eadem ratio est de solemnibus, seu festiuis. Addo verò, si aliquæ actiones pertinentes ad illam causam extrà locum iudicij transigendæ sint, posse optimè fieri in eo die, qui est festus in loco iudicij, & non in loco, vbi tales actiones sint. Vt v.g. si testes sint in alio loco examinandi ex commissione iudicis prius data, optimè poterit in illo die ab eis exigi iuramentum, & consequenter etiam examinari poterunt. Aduocatus item, si alibi resideat, & Tabellio, si alio in loco inquisitionem faciat, vel instrumentum, sua munera eodem die præstare possunt; quia obligatio seruandi tale festum, non se extendit ad alia loca, vt supponimus: Et ita ex hac parte talis actio non est contra festi obligationem. Aliunde verò non est contra vacationem concessam pro illo die in tali iudicio; quia illa vacatio solùm præcipitur, & conceditur pro tali loco; & ibi non fit progressio, sed in remotis dispositionibus, (vt sic dicam) seu præparationibus, quæ in aliis locis fieri possunt. 7. *Abbas.*

Secundò circa actionem iudicij dicendum est, sub illa comprehendi omnes actiones, quæ propriè forenses, & publicæ sunt, & pertinent quasi intrinsecè ad acta iudicij; & expressè, vel virtute in capit. 1. & vltim. de Feriis continentur. Hoc in primis constat generali ratione, quia hæc prohibitio nititur in lege Ecclesiastica; ergò tanta est, quantam legis verba exigunt. Verba autem Canonica legis in dicto cap. vltim. sunt, *Debet iudicialis strepitus diebus conquiescere feriatis,* 8. Cap. Vlt.

feriatis, quiob reuerentiam Dei noscuntur esse statuti. In fine verò hæc cessatio strepitus duobus verbis declaratur, scilicet, *vt nec habeantur processus, nec feratur sententia*; ergò ex vi illius iuris ea omnia, quæ pertinent ad formationem processus iudicialis, & ad prolationem sententiæ, prohibita sunt. In c. autem 1. eiusdem titu. his verbis declaratur hæc prohibitio, *His diebus nec Placitum fiat, neque aliquis ad mortem, vel ad pœnam iudicetur, nec Sacramenta* (id est, iuramenta) *præstentur:* In quibus, quid nomine *Placiti* significetur, ex vsu Canonum sumendum est, quia extrà illos non inuenio vocem illam in hac significatione, vt forensem causam, vel litem significet: propriè enim significare solet voluntatis electionem, & consensum. Vnde etiam obiectum voluntate approbatum placitum vocatur, Gen. 24. *A Domino egressus est sermo, non possumus extra placitum eius quicquam loqui.* Vnde etiam significat conuentionem, & pactum ex mutuo consensu definitum, vt Gen. 29. & 30. videre licet. Vel etiam significat mentis decretum, quomodo dicuntur esse Philosophorum, & Medicorum placita. Atque hoc modo quæ decreta, vel statuta sunt à Deo, vel Principibus, vel Senatu, placita vocantur, Prouer. 10. *Labia iusti considerant placita, & os impiorum peruersa.* Ac denique terminus definitus ad aliquid agendum placitum vocari solet, 2. Reg. 20. *Moratus est extra placitum, quòd ei constituerat rex.* Quia ergò in forensi iudicio iuxta voluntatem, & arbitrium iudicis legibus regulatum, vel termini constituuntur, vel decreta dantur, & sententiæ, ideò tota causa iudicialis, & forensis tractatio nomine Placiti in iure Canonico significatur, vt videre licet in dicto cap. 1. 15. q. 4. per totam. Iuxta hanc ergò interpretationem idem est prohiberi in die festo placitum, ac prohiberi strepitum iudicialem, vt in alio capite dicitur.

Cap. 1. — Qu'd Placitum. — Gen. 24. — Gen. 29. & 30. — Prouer. 10. — 2. Reg. 20. — C. 5. & 15.

9. Difficultas.

At enim dubitabit aliquis, si hoc ita est, quid necesse fuerit addere cætera verba in illo c. 1. quia, prohibito toto strepitu iudiciali, cætera prohibita erant, scilicet, Iudicium, ac Iuramentum, quæ per alia verba exprimuntur. Quòd si totum ipsum per partes explicari oportuit, debuissent omnes actiones forenses numerari: alioqui cogitare quis poterit, illas tantùm duas actiones esse prohibitas, & genus per species limitatum esse; quòd tamen falsum est. Et præsertim habent difficultatem illa verba, *Neque aliquis ad mortem, vel ad pœnam iudicetur*, quia videtur per ea limitari hæc prohibitio ad iudicium criminale; nam in illo tantum per se agitur de infligenda pœna; imò nec semper illud prohiberi videtur, sed solùm quando condemnandus est reus ad pœnam; si ergò absoluendus sit, non erit tale iudicium in festo prohibitum; quòd etiam falsum est. Hanc difficultatẽ quoad hanc tantùm posteriorem partem sensit Glossa in dicto c. 1 ver. *Ad mortem*, & ideò addidit, subintelligendum esse, *maximè quia nulla causa* (inquit) *tunc tractari debet*, maximè verò causa sanguinis. Panor. autem existimat nomine *Placiti*, solùm significari causam ciuilem, & citat c. *Placita*, 15. q. 4. sed ibi hoc non declaratur, nam obsolutè dicitur, *vt Placita secularia Dominicis diebus, vel aliis præcipuis festis non fiant*; at criminalia iudicia magis secularia sunt, quàm ciuilia. Et ideò dici posset cum Caiet. d. art. 4. §. *Sed ad hoc*, in fine, tempore illius Concilij à quo caput illud desumptũ est, non fuisse prohibita omnia iudicia in die festo: & sanè in Concilio Maguntiaco suprà citato hoc multùm indicatur. Verumtamen quia ex c. 1. & 2. 15. q. 4. quæ sunt antiquiora, contrarium colligitur, non videtur omninò deserenda Panor. sententia. Est enim probabilis illa vocis significatio; quia placitum magis significare solet decretum spectans ad ciuilem gubernationem, quàm ad punitionem. Suppositа ergò illa significatione, per primùm verbum omnes causæ ciuiles, per secundùm verò omnes criminales, prohibitæ sunt, & in singulis prohibitæ sunt omnes actiones iudiciales. Cur autem iuramentum specialiter expressum fuerit, paulò inferiùs dicam.

Satisfit. Gloss. — Panor. — Caiet. — Concil. Mag.

CAPVT XXX.

De actibus forensibus in particulari prohibitis, vel irritis in die festo.

1. QVoniam multa prohibentur, quæ, si fiant, facta tenent, quando per legem expressè non irritantur; ideò in his actionibus forensibus maximè necessarium est, vtrúmque explicare. Et vt doctrina moralis vtilior sit, ad particulares actiones descendere necessarium est. Primùm ergò ex dictis constat, prohibitas esse omnes partes iudicij, quæ ad tres reuocantur, Inchoatio causæ, quæ à citatione maximè incipere videtur; Processus formatio, & causæ cognitio; Ac terminus iudicij, seu sententiæ prolatio. Et ita docent omnes, quia in his consistit strepitus iudicialis. Adduntur verò in dicto c. vlt. de Fer. duo valdè notanda. Vnum est, tales actiones non solùm esse prohibitas in die festo, sed etiam esse ipso iure nullas; nam expressè dicitur, *Nec processus habitus teneat, nec sententia.* Quæ verba magis clara sunt, quàm illa, quæ habentur in iure ciuili, leg. *Vt in die*, C. de Feriis, in fine, *Quòd contra hoc factum fuerit, omnibus modis irritetur.* Nam ex vi verbi *irritetur*, dubitari poterat, An esset irritum ipso facto, vel solùm per iudicẽ irritandum? Ius autem Canonicum euidenter declarat, totum esse ipso facto nullum, quia non tenet. Existimóque eundẽ fuisse sensum Imperatoris, quia verba illa *omnibus modis* multùm ampliant verbum irritandi, irritari enim debet, non solùm factum tollendo, sed etiam declarando, validum non fuisse. Semper tamen est differentia, quia lex ciuilis poterit hoc facere in causis ciuilibus, non verò in Ecclesiasticis; lex autem Canonica in omnibus. Item lex illa Imperatoris in priuatis regnis potuit non seruari, lex autem Canonica vbique obligat. Aliud in dict. c. additum est, ita esse prohibitas has actiones in die festo, vt neque ex conuentione partium fieri possint; neque etiamsi fiant, factæ teneant, ita enim expressè in textu declaratur, vt Gloss. verb. *Quibus* notauit, quam omnes sequuntur.

Cap. Vlt. — Le. *Vt in die.* — Gloss.

2. Et in hoc constituitur in eodem textu differentia inter ferias festiuitatum, vel aliorum temporũ, quòd his posterioribus possunt partes renũciare, non verò prioribus. Et ratio clara est, quia hæ temporales feriæ in partium leuamen conceduntur, festiuales verò in honorem Dei, Sanctorum. In hoc tamen notari potest differentia, & conuenientia inter Mercatum, & Placitum, seu Iudicium, quòd neutrum licet in die festo, etiam ex conuentione partium, propter illam rationem, quòd vtrúmque est in honorem Dei prohibitum: & nihilominùs contractus ita factus in die festo validus est, & instrumentũ etiam extra iudiciũ factum ad illius confirmationem validum est; acta verò in iudicio non sunt valida. Ratio autẽ est, quia lex ipsa prohibens mercatũ non irritat illum, vt patet ex dict. c. 1. lex autem prohibens acta iudicij irritat illa. Ita sumitur ex Ioan. Andr. & Panor. in dict. cap. vlt. & notat Siluest. verb. *Dominica*, q. 3. in fine, qui allegat leg. *Actus*, C. de Feriis, sed ibi nihil dicitur, nisi quòd tales actus in diebus festis *Conquiescant.*

Cap. 1. Ioan. Andr. Panorm. Siluest. L. *Actus.*

3. An citatio in festo facta licita sit, & valida.

Specialiter verò dubitari solet quoad litis initiũ, An citatio facta in die festo licita sit, & valeat. In quo est breuiter aduertendum, aliud esse, citationem fieri pro die festo, aliud vsque ad diem festum, aliud verò esse,

esse, fieri in die festo. Primò modo facta citatio iniqua est, & inualida, quia sensus est, citari partem, vt in die festo respondeat: hoc enim indicat particula *pro*, vt constat. Continet ergò illa citatio præceptum iniquum, & iniustum, & ideò apertè est inualida pro illo die. Dices, saltem obligabit ad comparendum alio die habili proximè sequenti, quia in citatione duo præcepta continentur, vnum comparendi, aliud tali die comparendi, & primùm impleri potest, & est iustum. Respondetur ita sensisse Innocentium; Anton. & alios. Communior tamen sententia est, tale præceptum nullam omninò obligationem inducere, quia est irritum, & nullum ex vi d. cap. vlt. vt latè refert, & ostendit ibi Abb. num. 21. Et credo esse veram, quando directè, & formaliter (vt sic dicam) citatio facta est pro die festo, vt pro Dominica, vel pro sancti Ioannis festo, &c. quia tunc directè est contra præceptum de obseruatione festi, & ita est irrita, & nulla. At si expresè solùm fiat pro tali die mensis, vel hebdomadæ, & contingat, in illum diem festum incidere, tunc probabilis est opinio Innocentij. Et saltem quòd ad nos pertinet, tunc iudex non peccat: nec agit contra festum, vt patet ex vi talium verborum: nec præsumenda est praua intentio, vbi non ostenditur. Hinc autem sequitur, talem actum non esse contra legem, nec per illam esse irritum factum, sed obligare, prout potest, scilicet in diem proximè sequentem, & habilem.

Instantia.

Diluitur. Innocent. Anton.

Abbas.

Innocent.

4. Secundo verò modo facta citatio, in legitimo sensu, quem habere potest, & debet (nisi aliud exprimatur) iusta est, & valida, nam illa verba indicant prorogationem temporis, pro quo fit mandatum, vsque ad talem diem festum, v. g. vsque ad Dominicam, & sensus esse debet, vt totum illud tempus vsque ad Dominicam inclusiuè prorogetur, & intra illud non peccetur, non comparendo, die autem proximè sequenti respondendum sit. Qui sensus est satis vsitatus, & consentaneus verbis, & in illo præceptum nihil continet contra festi obseruationem, vt per se constat. Præterea, si alicui præcipiatur, vt intra octo dies compareat, licet intra illos dies vnus vel plures dies intermedij sint festiui, tenetur comparere intra terminum præfixum, si vltimus non est dies feriatus, quia non oportet, vt pro toto tempore octo dierum, & singulis partibus eius possit quis compelli ad comparendum. sed satis est, quòd intra illud tempus detur sufficiens mora, & terminus habilis ad comparendum, ergò licet vltimus dies præfixi termini sit festiuus, citatio erit valida, quia potest præueniri terminus vltimus, & intra totum illud tempus in die non feriato proximè præcedenti mandatum impleri, ergò multò magis erit licita, & valida in priori sensu implendi videlicet illam proximè post diem festum designatum pro termino. Et hæc etiam resolutio satis communis est, vt videre licet in Ioan. Andr. Abb. & aliis Doctoribus in dict. cap. vlt.

Citatio facta secundo modo valida est.

Ioan. Andr. Abbas.

5. De tertiò autem modo est magna disceptatio, & dissensio inter Canonistas, vt latè tractat Abbas ibidem n. 19. Breuiter tamen dico, citationem factam in die festo, etiamsi mandatum eius pro die profesto fiat, & intimetur, prohibitam esse ex vi cap. vlt. de Feriis, ac subinde irritam. Duo enim possunt in tali citatione considerari. Vnum est quasi actio ex parte iudicis, scilicet, emanatio præcepti ab illo, & decretum citationis, vt sic dicam. Aliud est quasi passio respectu eius, qui citatur, scilicet quòd ei intimetur præceptum, & contingere potest, vt vtrúmque fiat in die festo, vel alterum tantùm, & omnibus modis censeo esse nullum illum actum. Et primò actio iudicis continens citationis præceptum, in festo facta nulla est, etiamsi non in festo, sed in profesto die sit intimanda reo. Ratio est, quia illa pertinet ad iudicialem strepitum, qui totus prohibitus, & irritatus est. Item quia illud præceptum continere censetur interlocutoriam quandam sententiam, vt Abbas docet; omnis autem sententia in illo die prolata prohibita est, & nulla. Item quia illud præceptum non fit sine causæ cognitione, quæ omninò est prohibita illo die, & consequenter etiam vox, seu præceptum, quòd ab illa manat, vt sumitur ex l. vlt. C. de Feriis. Denique quia fauores ampliandi sunt, præsertim cum in hoc negotio simul religionem erga Deum, & pietatem erga reum hic fauor contineat. Atque hinc sequitur, quocúmque die tale præceptum intimetur, non obligare, quia à principio fuit nullum.

Leg. Vlt.

Abbas.

6. At verò si è contrario iudex protulit præceptum in die profesto, intimatio autem facta fuit in die festo, duobus modis id potest contingere. Vno ex vi ipsiúsmet citationis, quia nimirum per ipsam expresè præcipiebatur, vt ita fieret. Et sic etiam censeo præceptum fuisse iniquum, ac subinde nullum, propter dicta in priori puncto, quæ cum proportione hîc applicari possunt, quia illa intimatio nulla est, vt iam dicam. Alio modo potest intimatio præcepti fieri in die festo, vel per accidens ex ignorantia ministri, vel ex malitia eiusdem, aut etiam iudicis, qui priuatim, & extra iudicium id ordinauit, & talis intimatio, quocúmque ex his modis fiat, nulla est in die festo ex vi eiusdem c. vlt. & dictæ legis *Vt in die.* Nam ibi præcipitur quies à litibus, & ab strepitu iudicij, & irritatur, quicquid in contrarium fit, hæc autem intimatio est contra quietem, & est pars non modica iudicialis strepitus, ergò. Nihilominùs tamen præceptũ ipsum in se validum manet, quia in se non continuit illum errorem, & alioqui habili tempore latum est. Poterit ergò alio die profesto citatio fieri ex vi illius, quia non fuit extinctum propter indebitam applicationem eius, sed solùm tunc non habuit effectum. Et ita, nisi iterum intimetur, nullam inducet obligationem ex vi intimationis factæ in die festo, nec ex vi illius poterit processus formari, alioqui omnia erunt nulla, vt ex dictis constat.

Lc. Vt in die.

7. An in die festo possint testes examinari.

Secundò quoad processum, seu progressum litis, quæri solet, an in die festo possint testes examinari? Vnum est certum, scilicet non posse illo die exigi iuridicum iuramentum, id enim expresè, & specialiter prohibetur in dict. c. 1. de Feriis. Quæ prohibitio maximè intelligitur de solemni, ac iuridico iuramẽto, siue à testibus, siue à partibus postuletur. Cum ergò testes non possint dicere testimonium, nisi præuio iuramento, sicut iurare non possunt in die festo, ita neque examinari. Dices, posse iuramentum antecedere in die profesto, & tunc hæc ratio non obstabit, quominùs interrogationes, & responsa in die festo fiant. Ad hoc multi Canonistæ totum concedunt, dicentes puram examinationem testium non esse prohibitam in die festo, si antea præcessit iuramentum, & examinatio articulorum, & interrogationum, quę testibus proponendæ sunt; vt dixit Gloss. in Clem. vnic. dẽ Offic. de l. ver. *Iudices*, cum Specul. Ioan. Andr. & aliis, quos refert Abbas in dicto c. 1. Fundamentum est, primò quia illud examen retrotrahitur ad diem iuramenti. Secundò, quia non est actus iudicialis, sed extra iudicialis, nam per merum executorem fieri solet. Contrarium autem tenuit ibi Anton. dicens, totum illum actum esse prohibitum, & esse nullum. Panormitanus verò mediam sententiam amplectitur dicens, actum quidem esse validum, esse tamen illicitum, quia distrahit à diuinis. Quæ distinctio mihi non probatur; quia vel ille actus est prohibitus tanquam iudicialis, & pertinẽs ad strepitum iudicij; & sic erit nullus iuxta capit. vlt. Si verò non

Obiectio.

Gloss. Specul. Ioan Andr. Abb.

Anton.

Panor.

Cap. Vlt.

est prohibitus specialiter, de se non erit illicitus, quia non est opus seruile; & ita non est prohibitus generaliter; ergò nullo modo. Quòd autem distrahat, non satis est, vt sit peccatum, quia finis præcepti non cadit sub præceptum, vt sæpè dictum est. Aliàs etiam legere historias humanas, vel de nouis euentibus interrogare in festo, esset speciale peccatum.

7. Auctoris sententia.

Inter alias verò duas sententias opinio Antonij sicut magis pia, ita & probabilior mihi videtur. Primò enim illa retrotractio ficta est, nam re vera ille actus fit in die festo: non est autem admittenda fictio à Iure non introducta, nec probata; imò parum consentanea iuri, & obseruationi festi multùm derogãs. Eò vel maximè, quòd potiùs iuramentum præcedens solet quasi repeti, & confirmari in illo die, in quo testis examinatur; semper enim præmittitur, interrogationem esse faciendam sub præstito iuramento, quod ipse acceptat. Deinde non intelligo, cur actus ille non sit in præsenti materia existimandus iudicialis, nam sine dubio multum pertinet ad strepitum iudicij; quem totaliter prohibet, & annullat dictum capit. vltim. de Feriis, & l. *Vt in die*, Cod. eodem: vbi etiam præcipitur, vt lites quiescant, non quiescunt autem, sed progrediuntur, si examen fit testiũ. Item, tota illa actio pertinet ad formationem processus, & solet esse magna pars eius; at in dicto cap. vlt. dicitur absolutè, *Nec processus habitus teneat*; ergò neque etiam quoad illam partem tenet. Item, in leg. vlt. C. de Feriis prohibetur in illo die omnis executio, *vlla quemquam vrgeat admonitio*; & infrà, *sit ille dies à cognitionibus alienus*; quæ omnia planè violantur per testium depositionem. Item, testes non possunt tunc cogi ad respondendum, vt Panorm. fatetur, ergò non iuridicè interrogantur; ergò nec eorum depositio valida erit. Vel è contrariò, si iuridicè interrogentur, actus iudicialis est; & ita per legem Ecclesiasticam irritus factus. Denique sine dubio grauiter peccat Tabellio scribendo, & fidem dando, quia illa scriptio pertinet ad processum iudicialem conficiendum, quod prohibitum est, & consequenter irritum. Neque obstat, quòd hæc examinatio testium fieri possit per aliquem deputatum à iudice, qui non sit iudex, sed quasi merus executor, qui iurisdictionem non habet, quia nihilominùs illa actio fundatur in iurisdictione iudicis, & pertinet ad executionem eius in contentioso foro.

Cap. *Vlt.* Le. *Vt in die.*

Leg. *Vlt.*

Panor.

8. Vtrùm hoc liceat in causis spiritualibus.

Ab hac tamen generali regula excipiunt aliqui causas spirituales; nam in illis aiunt, licitum esse, & validum iuramentũ accipere, & consequenter etiam testes examinare, non verò in temporalibus, de quibus solis intelligunt prohibitionẽ iuramenti factam in dicto c. 1. Addúntque ideò esse specialiter factam, quia licet ex aliqua necessitate licitum sit, iudicium ferre, seu litem agere in causa tẽporali, nihilominùs exigere iuramentum, etiam tunc prohibitum est. Ita sentit Caiet. dicto art. 4. Et adducit D. Thom. 2.2.q. 89. art. 10. At D. Tho. ibi non allegat dict. c. 1. neque illud exponit, sed solùm de iuramento in communi loquens, siue solemni, & iuridico, siue priuato: ait, *Pro spiritualibus negotiis iuramenta possunt præstari in solemnibus diebus, quibus est spiritualibus rebus vacandum: non tamen tunc sunt iuramenta præstanda pro rebus temporalibus, nisi fortè ex magna necessitate.* Vbi etiam non dicit, hoc esse omninò prohibitum, sed non esse faciendum, quia non est consentaneum fini diei festi, qui est spiritualibus vacare: si tamen fiat, non dicit esse speciale peccatum contra aliquam iuris prohibitionem. Quapropter veriùs censeo prohibitionem factam in dicto c. 1. generalem esse ad omnia iudicia, & causas forenses, siue de temporalibus causis, siue de spiritualibus agatur, quia verba textus generalia sunt, nec talis limitatio in eo habet fundamentum. Nec etiam ratio D. Thom. hîc applicari potest, quia neutræ causæ tractandæ sunt in die festo. In casibus autem, in quibus propter necessitatem potest esse licitum iudicium in die festo, sicut exceptiones habent locum in causis spiritualibus, ita in temporalibus, si in eis vera necessitas occurrat. Nam duplex illa exceptio, quæ in eodem textu additur, *Nisi pro pace, vel alia necessitate*, indifferenter ponitur, & in iudicio etiam de causa temporali habere potest locum, vt infrà dicam. Si ergò in causa temporali talis occurrat necessitas, vel pietas, vt ratione illius licitum sit iudicium in festo, etiam erit licitum iuramentum exigere, & testes examinare, quia iam ibi occurrit necessitas. Si verò è contrario iudicium sit in causa, & negotio spirituali, & nõ occurrit necessitas; ob quam in die festo iudicium agere liceat, nec etiam tunc licebit iuramentum exigere, nec testes ad dicendum cogere, vel examinare, quia deest necessitas, quæ in dict. cap. 1. pro iuramento præstando postulatur.

Caiet. D. *Thom.*

9. Sitne omnis sententia prohibita in festo. *Caiet. Freder. Abbas. Anton.*

Tertiò dubitari potest quoad finem iudicij, An omnis sententia sit prohibita in die festo? Ad quòd Caiet. suprà respondet, non omnem esse prohibitam, quia sententia excommunicationis ibi non prohibetur, neque est nulla: quod est verum, quia non fit cum strepitu iudicij. Et idem tenent Freder. de Sen. Con. 11.12.&13. & Abbas in dict. c. vlt. de Fer. n. 16.17.& 18. vbi plures in eandem sententiam refert. Anton. verò ibi contrarium tenet, quia Lex dicit, vt omnis vox iudicis sileat in die festo. Sed dico, magis in hoc esse attendenda verba Canonum, quàm Legum. Item respondeo, intelligendum esse de voce pertinente ad strepitum iudicij, & ad processum iudicialem, excommunicare autem, vt Caiet. benè notauit, non tam est procedere, & iudicare, quàm veluti legem ferre, aut præceptum imponere. Vnde à fortiori constat, absolutionem ab excommunicatione non esse in die festo prohibitam, quia eadem de illa procedit ratio, & aliunde est fauorabilior, quia est spirituale bonum, & per eam subuenitur periculo animæ. Quanquam hæc ratio possit etiam suo modo applicari ad ipsam excommunicationem, quæ est medicinalis pœna, & ad bonum animæ ordinatur.

10. *Abbas. Hostiens. Ioan. Andr. Specul. L. Actus.*

Addunt præterea Abb. Host. Ioan. Andr. & Specul. actus etiam voluntariæ iurisdictionis non esse prohibitos in die festo, argumentũ sumentes ex lege *Actus*, C. de Fer. vbi emancipationes, & manumissiones in diebus festis fieri posse dicuntur, & super his acta fieri permittuntur. Efficaciùs verò id suadetur ex dicto c. vltim. eod. vbi solùm iudicialis strepitus prohibetur, & quæ ad illum pertinent: dicitur autem esse iudicialis strepitus, vbi causa est contentiosa, & litigiosa, ac denique, vbi *quæstiones, & iurgia* tractantur, vt ibidem significatur in ipso proœmio. At ea, quæ sunt iurisdictionis voluntariæ, non fiunt cum strepitu iudiciali, vt dispensationes, indulgentiæ, priuilegia, & huiusmodi, neque pertinent ad contentiosum iudicium, vt constat, ergò in eo capit. non prohibentur; sed neque in alio sunt prohibita, vt satis constat ex omnibus allegatis, ergò. Addit verò Panormitan. limitationem, dicens, hos actus esse validos, licet in die festo fiant, non tamen fieri sine culpa, si absque speciali necessitate fiant. Sed hoc iam suprà in simili reiectum est, quia, si hi actus valent, ideò est, quia in illo capit. non sunt prohibiti, vt ipse fatetur, sed neque in alio loco sunt specialiter prohibiti, vt dixi, nec etiam sunt, opera seruilia, vt constat: ergò manent in ordine actuum indifferentium (vt sic dicam) pro diebus festis: non ergò possunt magis damnari, quàm confabulationes, & ludi de se non mali, & similes res.

Panor.

Denique

11. Executionem sententiæ prohiberi in festo.

Denique ex his à fortiori concludunt dicti Auctores, omnes actus extra iudiciales, factos in die festo validos esse, & non esse prohibitos ex vi illius capit. vltim. Probatur, quia ibi solum prohibetur strepitus iudicialis, & formatio processus vsque ad sententiam. Vnde infert Panorm. in cap. vltim. de Iud. num. 22. executionem sententiæ latæ in die profesto, licet fiat in die festo, validam esse: quia non est actus iudicialis. Sed alij oppositum sentiunt, vt videri potest per Felinum in cap. vltim. de Iudi. num. 13. Ego verò censeo, executionem prohiberi in die festo in dicto cap. vltim. & consequenter etiam irritari, quantùm iuridicè potest. Probo primò, quia Panormitanus fatetur esse prohibitam in cap. 1. de Feriis, præsertim in causa criminali: vnde, licet textus ille solùm prohibeat, *Ne quis in festo ad pœnam iudicetur*, ipse intelligit, *etiam esse prohibitum adiudicari, & executioni mandari.* Ergo eadem ratione, vbicumque prohibetur sententia in die festo, magis (vt sic dicam) prohibetur executio eius. Item probatur ex leg. *Actus*, leg. *Vt in die* leg. vlt. C. de Fer. Quamuis enim hæc materia non videatur pertinere ad leges Ciuiles, tamen cum disponant immediatè de actibus Ciuilibus, & in fauorem Religionis, per eas rectè explicatur ius Canonicum. Ibi autem prohibentur omnes actus in die festo, qui sunt iudicij contentiosi, & irriti etiam declarantur in dicta leg. *Vt in die*, & in leg. vlt. expressè dicitur. *Vt à cunctis executionibus excusetur nulla quemquam vrgeat admonitio, taceat apparitio, præconis horrida vox fileseat*, &c. quæ omnia executionem sententiæ significant. Vnde tandem executio sententiæ non immeritò sub strepitu iudicij comprehendi videtur, vt apertè significatur in dicta lege, *Vt in die*, & in illa esse solet maior perturbatio partium, & populi, & maior distractio, quàm in sententiæ probatione: videtur ergò comprehensa in d. ca. vlt. de Fer. At ibidem irritantur omnes actiones, quæ prohibentur: ergò. Dico autem, quantùm possint: quia cum executio consistat in facto, aliquando est irreuocabilis, vt constat.

Panor.

Felin.

L. *Actus.* L. *Vt in die.* Leg. *vltim.*

12. Fierine possit appellatio in festo.

Tandem de appellatione dubitari potest, An liceat in die festo illam interponere? Et ratio dubij esse potest, quia non licet in die festo, seu feriato appellationem prosequi: ergò nec illam proponere. Antecedens commune est Doctorum, vt statim dicam, & sumitur ex leg. 1. C. de Fer. Consequentia verò probatur, quia sicut prosecutio appellationis pertinet ad strepitum iudicij, ita etiam propositio, loquimur enim de iudiciali appellatione; illa autem actus iudicialis est, & pars processus, ergò. Et confirmatur, quia non est necesse, appellationem in continenti fieri, nam Iura decem dies concedunt, & ordinariè melius, ac maturius est, non statim appellare: ergò nulla moralis necessitas esse potest appellandi in die festo: quia intra decem dies semper sunt aliqui profesti; & si vltimus sit festiuus, nullum incommodum est, præuenire: vel, si primus feriatus sit, postponere. Cur ergò dabitur hæc licentia pro die festo? Adde nullum Ius Canonium talem licentiam dare, Iura autem ciuilia vel etiam id non dicunt, vel, licet dicerent, non sufficeret. Multa enim opera fieri permittuntur in diebus feriatis Iure ciuili Digestorum, & Codicis in tit. de Fer. quæ in die festo non licent, nisi quatenus per Canones permittuntur, quia hæc materia Canonica est.

Leg. 1.

13. Quid in hoc censeant Iurisperiti. *Glos. Panor. Caietan.*

Nihilominùs Doctores Iuristæ communiter docent; appellationem posse in die festo interponi, licet eam prosequi tunc non liceat. Ita Glos. in dicto cap. vlt. de Fer. & ibi Panorm. num. 12. Glos. in leg. 1. de Feriis, & Caietanus dicto art. 4. §. *Sed ad hoc*, dicens, *prohiberi homines litigare in die festo, actu appellandi excepto, qui omni tempore licitus reputatur*, nullam verò probationem adiungit. Glossa autem dicta id colligit ex dicta lege 1. C. de Feriis adiunctis leg. 1. §. *Dies* ff. Quando appellandum sit, & Autenth. de appellatione, & intra quę tempora, Collat. 4. in principio. Sed in illis legibus nihil inuenio de hoc articulo tractatum: nam §. *Dies*, & in Auth. solùm agitur de numero dierum, intra quem appellandum est: & quòd illi dies sint vtiles, ita vt per iudicem non impediatur appellatio. In lege autem prima Cod. de Feriis, solùm dicitur, ita esse seruandas, quoad appellationem, ferias repentinas, sicut solemnes, *Sine vlla adiectione.* Vnde ex his Iuribus inter se collatis ad summum videtur posse colligi, licitum esse appellare in die festo, quando necessitas vrget vel præfinitus numerus dierum finitur, nisi ita fiat; ex quacúmque causa id accidat. Nam cum appellatio sit quædam naturalis defensio, meritò tunc conceditur; ne homo illa priuetur. Si verò commodissimè potest anteponi, vel postponi ad diem festum, nec ratio naturalis defensionis postulat, vt id fiat tali die; nec Iura citata id permittunt, nec si permitterent, extendenda viderentur ad festa Religiosa. Quare licet non audeam id damnare; nec videatur excessus grauis, quia sine magno strepitu fieri potest, & est res fauorabilis; nihilominùs consulerem, vt in die profesto fiat, quoties commodè possit.

Abb.

L. *Omnes dies* *Panor.*

14. Differentia inter duo capita iuris.

Aduertendum præterea est, cum dicitur, actus extraiudiciales validos esse, & licitos, intelligendum id esse ex vi illius Decreti, seu Legis, per quam processus, sententia, & strepitus iudicialis prohibentur; nam alio ex capite contingere potest, vt actus malus sit. Est item notanda differentia inter cap. 1. & vlt. de Fer. quòd in 1. non additur, irritatio, quæ additur in vltim. Et ideò omnia, quæ in primo c. prohibentur, si non prohibentur in vltimo, licet cum peccato fiant, valida sunt. Quæ autem in neutro c. prohibentur, & seruilia non sunt, illicita non sunt ex eo precisè, quòd in festo fiant, nisi aliunde habeant malitiam.

15. Enodantur duæ difficultates. *Caiet.*

Et ex hoc principio expediendũ est dubium, quod Caiet. proponit; An licet Aduocato informare iudicẽ in die festo? Dicendum est enim hoc in neutro capite esse prohibitum, quia est actus extraiudicialis, & non est seruilis, & ideò nullo Iure prohibitus est. Item ex eodem principio respondendum est interroganti, an iudicium arbitri sit in die festo prohibitum. Distinguendum enim est (cum Abbate, dicto c. vlt. n. 10.) de verò arbitro. & de internuncio, quem ipse *Arbitratorem*, seu *compositorem* vocat. Et de primò dicendum est, non licere coràm eo causam agere in die festo, nec ei sententiam ferre. Ita habetur expressè in l. *Omnes dies*, C. de Fer. vbi dicitur: *Nec apud ipsos arbitros, vel à iudicibus flagitatos, vel sponte electos, vlla sit cognitio iurgiorum.* Et ratio est, quia ille procedit iudiciali modo instar iudicis. De alio verò ait Panor. posse munus suum exercere in die festo, quia solùm est amicabilis fœderator, & conciliator pacis; fœdera autem, & similia pacta non sunt in die festo prohibita, vt ex eisdem Iuribus colligitur, & latiùs ipse probat.

16 Vtrùm sit licitum in festo iuramentum extraiudiciale.

Tandem circa tertium caput harum actionum quæri potest, An iuramentum extraiudiciale sit in die festo licitum, vel prohibitum? Nam de iudiciali iam suprà dictum est, per se vniuersaliter prohiberi in qualibet causa, non solùm ex vi illius specialis prohibitionis, sed etiam ex vi prohibitionis totius iudicij forensis. De aliis verò iuramentis extraiudicialibus Panormitan. in dicto capit. 1. de Fer. num. 8. & clariùs in capit. vltim. num. 18. sentit, etiam extrà iudicium esse prohibitum omne iuramentum in die festo. Potestque suaderi, tùm quia in dict. capit. 1. distinctè ponitur prohibitio iuramenti, & prohibitio Placiti, ac iudicij, tùm etiam, quia fuisset superflua illa prohibitio

Cap. 1.

hibitio iuramenti, si de solo iudiciali intelligeretur; A quia iam erat contenta in prohibitione iudicij, Tum denique, quia ibi excipitur iuramentum pro pace, quod extrà iudicium fieri solet in quocumque fœdere, vel conuentione. Nihilominus *Caiet.* Caietan. in dict. art. 4. §. *Secundum*, intelligit illud capit. 1. de Iuramento *Solemniter in iudicio præstando*. Et suaderi potest, tùm quia textus, iuxta subiectam materiam, videtur loqui de iudicialibus actionibus; tum maximè, quia aliàs omne iuramentum, alioqui licitum ex obiecto, fine, & aliis circumstantiis extra tempus, ex eo solùm, quòd in festo fiat, esset speciale peccatum; quòd videtur absurdum, & contra omnem vsum, & sensum Ecclesiæ; & contra rationem, quia nulla erat causa vel necessitas prohibendi hoc modo omnia iuramenta. Et similiter omne iuramen- B tum, aliàs illicitum, in festo prolatum, esset duplex peccatum, quod etiam est contra generalem regulam de aliis peccatis posita.

17. Auctoris iudicium.

Ego verò dicerem, nec omnia iuramenta, publica, & priuata, & quo modocumque facta esse prohibita in illo textu, propter secundam rationem pro Caiet. factam, & quia non oportet adeò extendere legem odiosam: Nec sola iuramenta, quæ in iudicio postulantur, esse ibi prohibita, sed omnia etiam, quibus pacta, & conuenta inter homines firmantur, & præsertim illa, quibus contractus ibi comprehensi sub nomine *Mercatus*, firmari solent. Moueor autem præcipuè illa exceptione, *Nisi pro pace*, nam iuramentum pacis non est iudiciale, & ne videatur comprehen- C sum, excipitur, ergò signum est, non prohiberi tantùm iudiciale iuramentum. Pertinet autem illa exceptio ad iuramenta conuentionum, & obligationum humanarum, ergò rectè coniectamus, illa esse prohibita, nisi in casibus exceptis. Consonat etiam ipse contextus, duo enim fuerant prohibita, scilicet contractus, & iudicium, additur ergò iuramentum, quo illa firmari solent. Itaque textum illum intelligo de iuramento solemniter facto in aliqua publica actione humana, siue illa pertineat ad iudicium, siue ad alia negotia publica, quæ inter homines geruntur, & præsertim illa, quæ fieri solent ad pacta firmanda, & nouas obligationes inducendas. Et propterea specialiter iuramentum pro pace permittitur, quia est valdè piũ, & quia pax est omni tempore procuranda. Sub pace autem intelliguntur omnia, quæ ad iurgia remouen- D da, & concordiam faciendam inter aliquos transiguntur, nam hæc in festis licent, & iuramento firmari possunt, vt sentit Gloss. in cap. vlt. de Fer. ver. *Quibus*, *Gloss.* in fine, & ibi Panorm. num. 14. Et simili modo; quo- *Panor.* tiescumque iudicium ob piam causam in die festo agi potest, iuramentum etiam postulari potest, vt iidem sentiunt, tum quia est eadem ratio, tum etiam quia concesso principali, conceduntur accessoria, maximè quæ necessaria sunt, iuramentum verò est moraliter necessarium in iudicio.

18. Explicatur limitatio quædam legis.

Atque ex his facilè est explicare limitationem, quæ huic prohibitioni adiungitur in dicto c. vlt. de Fer. his verbis: *Nisi necessitas vrgeat, vel pietas suadeat*; quacúmque enim ex his duabus causis interueniente, potest E licitè causa iudicialis tractari in die festo sine vlla dispensatione hominis, quia ipso facto cessat obligatio legis, quia lex ipsa expressè illam limitauit. Procedit autem dicta limitatio in qualibet causa, siue ciuile, siue criminali, vt omnes docét, ac subinde in causa tam temporali, quàm spirituali. Quia lex tam indefinitè, & generaliter excipit, ergò, sicut omne iudicium prohibuerat, ita omne concedit in illis duobus casibus. Cum autem distinctis verbis, & modo diuersoutrámque causam ponat, certum est, distinctas causas, & rationes per illa verba significari.

19. De necessitate.

Necessitatem ergò in primis omnes Doctores intelligunt esse, quando id ad effectum ipsius iudicij est necessarium, vt in festo fiat. Quòd his verbis declarauit Vlpianus in l. 1. §. *ed excipiuntur*, ff. de Feriis, *Si res tempore periura sit, hoc est, si dilatio actionem sui peremptura*: *Vlpian.* cui consonat cap. *Significauerunt*, vltimum de Iudic. Item *Res seruanda causa*, vt dicitur in l. 2. ff. eod. id est, vt Glossa exponit, *quando est debitor suspectus, ne dilapidet*: Idemque erit, ne fugiat, vel ne res pereat, aut notabiliter interim damnificetur. Vnde additur ibidem in l. 3. *Solere ius dici in feriis de rebus, quæ tempore, vel morte periturę sunt*, quarum varia exempla subiiciuntur. Et in fine additur. *Item in eum, qui quid nundinarum nomine aduersus communem vtilitatem accepit*. Vnde intelligimus, & proprium litigantium commodum, & publicam vtilitatem posse hanc necessitatem inducere. Vnde Host. & Abb. in dicto cap. vlt. rectè adnotarunt, non *Hostiens. Abb.* solùm periculum spiritualis nocumenti, sed etiam temporalis damni priuati, vel publici ad hanc necessitatem sufficere, nam de temporali loquuntur prædicta Iura ciuilia de spirituali, ratio à fortiori probat, quia spiritualia temporalibus præferenda sunt, vnde tunc necessitati etiam pietas coniungitur. Habet denique locum hæc necessitas non solùm in causis ciuilibus, sed etiam in criminalibus. Sic enim latro suspectus de fuga potest in die festo incarcerari & contra eum procedi, quantùm necesse fuerit iuxta Glossam *Gloss.* Bartolum, & alios in leg. vlt. Cod. de Fer. Item si atrox *Bartol.* delictum cum publico scandalo commissum sit in die festo, potest statim publicè iudicari, & puniri, si ad publicum exemplum ita expediat. Item hac ratione solent hæretici in diebus festis publicè iudicari; & supplicio affici, vt maior concursus populi fieri possit, quod ad populi terrorem, & instructionem valdè necessarium est. Et ob similem causam in paruis oppidis solent similia iudicia in festis permitti, quia in profestis non adsunt rusticani, & agrorum cultores. His ferè modis explicant verba illa, *Nisi necessitas vrgeat*, Gloss. Host. Panor. & alij in dicto cap. vlt. Glossa etiam vlt. in dicto cap. *Significauerunt*: Et Gloss. 1. 15. qu. 4. in principio; Glossa etiam, & Doctores in dicta l. 1. Et sequentibus ff. de Feriis.

20. Quid pietatis nomine intelligatur in hoc loco. *Caiet.*

Altera verò pars de causa pietatis rectè explicatur à Caiet. dicto art. 4. §. *Ad hoc dubium*, vbi distinguit pietatis nomen, nam interdum per Religione sumitur, interdum pro misericordia, interdum propriissimè pro virtute obseruantiæ ad patriam, parentes, & consanguineos; dicítque, ibi sumi pro misericordia pauperum, & indigentium personarum; nam hæc sola interdum sufficit, vt liceat iudicia in festis agere absque alia necessitate, præter eam, quam vera ratio misericordiæ includit. Et ita etiam sentiunt omnes Doctores citati, & exemplum ponunt in causis miserabilium personarum ad quas pertinent illa exempla, l. 2. ff. de Fer. *Vt tutores, & curatores dentur, alimenta* Leg. 2. *constituantur, &c.* Eadem ratione, si litigantes sint valdè pauperes, possunt in die festo expediri, ne grauentur expensis vltra id, quod possunt, & sic de aliis. Addo verò, non ita oportere restringere hanc pietatem ad misericordiam, vt non possit etiam pro Religione, & pro patria iudicium peragi in die festo; quia si similis ratio, & causa subsit in persona Religiosa, vel in aliqua Ecclesia, vel in causa ciuitatis, seu patriæ, poterit etiam in illa iudicium exerceri in die festo; quia titulus Religionis, vel propriæ pietatis adiunctus non minuit, sed auget rationem huius indulgentiæ. Neque hoc voluit negare Caietan. sed intelligit solùm finem, quasi extrinsecum, Religionis vel pietatis ad parentes, vel patriam, non sufficere, nisi aliqua ratio indulgentiæ, vel miseriæ in eis subleuandæ, concurrat. Quod verissimùm profectò est,

quia

quia oportet, pietatis causam talem esse, vt causam rationabilem tribuat non differendi iudicium in die festo; solus autem Religionis, vel cognationis, aut patriæ titulus non affert rationabilem causam, nisi ex parte ipsorum sit aliqua indigentia, ratione cuius illis celeriter subueniendum sit. Denique aduertit optimè Caiet. hanc exceptionem, quoad hanc partem, non esse extendendam ad opera seruilia, neque ad alia prohibita extra iudicialia; nam de solis actibus iudicialibus dictum cap. vltimum loquitur. Quia de illis tantum excipit, de quibus prohibitionem facit, vt per se constat; nam illa exceptio est pars eiusdem legis, & eodem contextu proponitur. Vnde, licet prior pars, quæ est de necessitate, in aliis operibus locum habeat, non est ex vi huius capitis, sed vel ex ipso iure naturæ, vel ex generali intentione legum positiuarum. Posterior autem pars de pietate est ex peculiari indulgentia huius legis, quæ noluit cum maiori rigore prohibere iudicia in die festo, & ideò extendenda non est ad alia opera seruilia, vt illa liceant in die festo, propter sodam misericordiam, non necessariam pro illo die: quia hoc non licet, vt suprà vidimus.

Caiet.

CAPVT XXXI.

Quanta sit obligatio huius prohibitionis, & quantùm duret.

1. Trãsgressionẽ huius præcepti esse mortalem.

DVo hæc supersunt explicanda circa obligationẽ huius præcepti, quæ ex dictis breuiter expediri possunt, & ideò simul illa proponimus. Primum est, quanta sit hæc obligatio, id est, an sit tanta, vt ex suo genere obliget sub reatu mortalis culpæ, vel tantum venialis? In quo Auctores, qui dixerunt præceptum hoc quoad partem affirmatiuam non obligare sub mortali, idem fortasse dicerent de hac parte negatiua, quia est eadem ferè ratio. Dicendum verò est, grauem esse obligationem huius præcepti, atque adeò transgressionem eius ex suo genere peccatum esse mortale, licet in individuo possit esse veniale ex leuitate materiæ, aut excusari ex conscientia erronea probabili ex consilio alicuius, qui reputatur doctus, ac fide dignus, vel ex aliqua simplici inaduertentia, & cogitatione. Hæc resolutio est clara ex superioribus: nam primò hoc præceptum est virtutis Religionis, & ex ea parte graue, ordinatur etiam ad grauissimum finem, qui est diuinus cultus; ergò cessatio, quam præcipit, spectata, vt cadit sub hoc præceptum, materia est satis grauis. Præterea Deus in lege veteri grauissimè puniebat hoc delictum; & Ecclesia interdum excommunicat fideles, propter transgressionem diei festi, ergò signum est, culpam esse de se grauem. Denique hic est communis sensus Ecclesiæ.

2. Posse esse venialem ex leuitate materiæ.

Nihilominùs ex leuitate materiæ, posse hoc esse veniale certissimum est ex generali regula operum humanorum; nulla enim ratio specialis occurrit excipiendi hoc præceptum ab illa regula. Confirmatur, nam ex communi sententia hac ratione excusantur à culpa mortali tondentes barbam, & capillos capitis in die festo; si enim per partem horæ paulò plùs, minúsve id faciant, non censetur materia grauis, vt est communis doctrina Siluestri, Angeli, Caietani, Soti, Nauarri in locis citatis, & aliorum communiter. Nam sicut exiguum opus censetur materia leuis, ita etiam opus breui tempore durans. Quantum verò sit hoc tempus, incertum est. Quidam dicunt, si non attingat, tertiam partem diei, non esse materiam grauem. Sed nimia est licentia, multúmque præiudicat præcepto, & nulla probabili ratione nititur. Alij dicunt, si attingat horam integram, iam esse materiam grauem. Sed nimia est, & rigorosa restrictio, quia respectu totius diei pars vigesima quarta nõ apparet nimia, nec multum impedire finem præcepti, qui est cultus Dei. Quare prudenti arbitrio hoc existimo relinquendum; nam considerare oportet qualitatem, & laborem operis. Atque hinc patet posse etiam hoc accidere ex iudicio conscientiæ, nam cum hoc pendeat ex arbitrio, facilè potest quis decipi inuincibiliter, putans esse leuem materiam, quæ in se grauis est, & tunc certum est, excusari à culpa mortali, licet non excusetur à veniali. Adde in his casibus, si cum materiæ leuitate simul cõcurrat aliqualis necessitas, licet magna non sit, facilè posse etiam venialem culpam excusari, vt ex his, quæ dicemus, constabit.

Silvest. Angel. Caiet. Soto. Nauar.

Circa secundum punctum dicendum in primis est, obligationem huius præcepti ordinariè durare pro toto tempore vnius diei naturalis, id est, viginti quatuor horarum, nisi in aliquo particulari præcepto pars tantùm diei designetur. Hoc totum satis explicatum est, agendo de temporis determinatione facta in tertio præcepto Decalogi. Ibi enim ostendimus, hoc tempus viginti quatuor horarum non esse determinatum iure naturali, (quod etiam per se est satis notum,) in lege autem veteri iure diuino tempus illud definitum esse pro celebratione Sabbathi, & ferè pro singulis festiuitatibus. Vnde intulimus, ridiculam esse opinionem asserentium, hanc determinationem esse nunc de iure diuino, vel esse immutabilem; quia ius diuinum antiquæ legis nunc non obligat, & oppositum sentire, esset hæreticum: ius autem diuinum naturale in hac re locum non habet, superest ergo, vt tota hæc determinatio sit nunc de iure Ecclesiastico. Vnde constat, posse in Ecclesia dari præceptum vacandi in festo aliquo pro dimidio tantum die naturali, vel etiam artificiali, vt ab ortu Solis vsque ad meridiem, quod suprà probatum est. Id tamen non fit in festiuitatibus tõti Ecclesiæ communibus, & hoc satis est, vt dicamus, ordinariè tempus hoc esse viginti quatuor horarum, quia ita determinatur in illis festiuitatibus generalibus, & frequentiùs etiam in particularibus, licet rarò in aliquibus aliud fiat. Et quidem quando pro minori tempore fit determinatio, statim in ipsa lege declaratur principium, & finis temporis designati, & ideò nihil de illo dicere oportet. At verò, quando tempus est diei naturalis, varij sunt modi assignandi principium, & finem eius. Nam potest computari ab occasu ad occasum Solis, quomodo computantur in lege veteri dies festiui ex præscripto eiusdem legis, *A vespera vsque in vesperam celebrabitis Sabbatha vestra.* Potest etiam computari ab ortu Solis vsque ad sequentem ortum, vel à meridie vsque ad meridiem, vel à media nocte in mediam noctem, vt videre licet in Glos. in l. *More Romano*, ff. de Fer. & latiùs in Alciato in l. 2. §. *Cuiusque diei*, ff. de Verbor. sign. Tiraquel. de vtroque retract. lib. 1. §. 1. Glos. 11.

3. Obligatio huius præcepti durat integro die naturali.

Glos. Alciat. Tiraquel.

Dico ergò secundò: Initium, & finis diei, pro quo toto vacandum est ratione festiuitatis, iuxta regularem vsum Ecclesiæ à media nocte in mediam noctem sumendum est: licet in variis prouinciis aliud possit consuetudine introduci, quod seruandum ibi est. Prior pars non est scripta in Iure Canonico, quin potiùs in cap. 1. de Fer. dicitur, Dominicam obseruandam esse à vespera vsque ad vesperam, & illo tempore abstinendum esse ab omni opere illicito, id est prohibito. Idemque habetur in c. 1. de Conse. d. 3. Nihilominùs prior pars certa est ex communi consuetudine, & traditione Ecclesiæ, de qua in Hispania, Italia, & Gallia satis nobis constat, & idem credimus esse in vniuersa Europa, nec de alia cõsuetudine nobis constat,

4. A media nocte in mediã noctem seruandus dies festus.

Cap. 1.

constat, non est autem dubium, quin hæc consuetudo ad præcepti determinationem sufficiat. Ratio autem fuisse videtur, vel quia hic modus computandi naturales dies, more Romano obseruatus fuit, vt dicitur in dicta leg. *More Romano*; & ita etiam Ecclesia Romana illum retinuit, & ab illa vt à capite ad alias manauit: vel certè, quia hic mos est facilior, & videtur maximè rationabilis, vt tota dies Dominica obseruetur, & eius obseruantia incipiat à tempore Resurrectionis Domini, vel proximè circa illud; & omninò distet ab obseruantia Sabbathi Iudaici. Potestque hoc explicari exemplo præcepti ieiunandi, nam ex vi illius à media nocte vsque ad mediam noctem à carnibus abstinendum est, ita ergò hîc ab operibus seruilibus. Et hæc est communis resolutio, vt videre licet in Couar. lib. 4. Var. cap. 19. n. 9. Nauar. cap. 13. num. 5. & 8. Soto, & aliis.

L. *More Romano.*

B

5. Est tamen notandum, aliud esse agere de principio, & fine diei festiuitatum in ordine ad officia Ecclesiastica: aliud in ordine ad obligationem seruandi festum. Nam priori modo incipiunt festiuitates à primis vesperis, & durant vsque ad secundas veseperas, vt voluit Gloss. in c. *Alma* §. *In festiuitatibus*, ver. *Assumptionis* de Sent. Excom. in 6. vel potius vsque ad completorium diei, iuxta Clem. 1. cum Gloss. ibi ver. *In primis* de Reliq. & Vener. Sanct. Quod est verum in ordine ad suspensionem interdicti de qua loquitur ca. *Alma*, vt latiùs dixi in 5. tom. disp. 34. sect. 3. nu. 20. & 21. Nam quoad officium Ecclesiasticum vsque ad mediam noctem protendi potest, vt infra de Horis Canonicis dicendum est; & videri potest Couar. infrà citandus. At C verò quoad obseruãtiam festi incipit à media nocte, vt dictum est. Vnde non est dubium (quicquid Rosella dicat, num. 5.) licitum esse artificibus laborare die Sabbathi post occasum solis, & vsque ad mediam noctem: quia prohibitio non incipit priùs obligare. Eadem autem ratione, certum est teneri ad cessandum ab operibus in die festo, etiam post occasum solis vsque ad mediam noctem, quia, vt dixi, per naturalem diem durat prohibitio, vbi expresè non limitatur.

Gloss. *Clemens. Gloss.* *Cap. Alma.* *Couar.* *Rosel.*

6. Ad c. ergo 1. de Conf. d. 3. facilè dici posset, non potuisse statuere legem generalẽ quia est Concilij Prouincialis, quod in hac parte neque approbatum, neq; receptum est. Et idem dicit posset ad c. 1. de Fer. Si solam originem eius spectemus: nam refertur ex Concilio apud Compendium, quod nec generale fuit, nec D extat. Tamen quia Greg. IX. pro lege illud statuit, non habet iam locum dicta responsio. Dici ergo potest consuetudine esse abrogatum. vt multi interpretes ibi respondent, & Panormitanus non abnuit. Occurrit verò difficultas, quia consuetudo hæc obseruandi festa hoc modo, antiquior esse videtur Gregor. IX. qui solus potuit auctoritatem legis vniuersalis dare illi capitulo, vt dixi; ergò verisimile non est, Gregor. IX. voluisse morem Romanum immutare. Vnde Glossa ibi exponit de celebratione festi quoad officium. Sed non videtur expositio posse accommodari, præsertim ad c. 1. de Feriis, cum in illo expresè explicetur de vacatione ab operibus prohibitis. Et ideò Panormitanus ibi per vesperam intelligit ortum solis. Hanc verò expositionem maximè refellit Couar. lib. E 4. Variar. cap. 19. num 9. & sine dubio per ortum solis non potest intelligi ascensus solaris corporis suprà nostrum Horizontem; tum quia non congrueret expositio cum communi obseruantia, vt Abbas intendit; tum etiam quia nemo tempus illud vocauit vesperam, sed potiùs lucem. Nihilominùs ortus solis interdum dicitur punctus medius noctis, quando sol incipit ad nos appropinquare, vt notaui in 2. tom. 3. p. d. 46. sect. 2. Clariùs verò diceretur, ibi vesperam sumi pro nocte, & non determinari punctum noctis, à quo A incipit festum; sed intelligendum esse iuxta communem consuetudinem.

Greg. 9. *Panor.* Difficultas elucidatur. *Gloss.* *Cap. 1.* *Panorm. Couar.* *Abbas.*

Ex his ergò infertur, eum qui intra tempus illud naturalis diei designati ad festiuitatem, seruilia opera exercuit, siue tunc peccauerit, siue aliquo iusto impedimento excusatus fuerit, non teneri alio die abstinere ab operibus, nec vacare cultui diuino, vt illum defectũ suppleat; quia illud fuit onus illius diei, quod cessat, transacto die. Sicut si non audiuit Missam intra illud tempus, non tenetur postea illam audire, nec in recompensationem aliquid aliud facere præter contritionem, & confessionem de peccato cum satisfactione pœnitentiæ iniunctæ; quia nihil aliud præceptum est, vt etiam notaui in 3. to. 3. p. disp. vlt. dub. vlt. Solùm est hîc aduertendum, sæpè accidere, vt festum, in diem impeditum cadens, in sequentem transferatur quoad Ecclesiasticum officium, nihilominùs tamen non transfertur quoad obligationem audiendi Missam, & vacandi ab operibus, vt constat ex vsu Ecclesiæ; & ideò semper festum in suo die seruandum est; alius verò dies, in quem transfertur officium, non cadit sub obligationem. 7.

CAPVT XXXII.

De causis, quæ excusare possunt à festi obseruatione.

1. Differimen inter non obligari, & excusari.

DE hac materia ex professo dixi in d. to. 3. disp. vlt. sect. vlt. Et omnia capita, quæ ibi numeraui, ex quibus quis potest excusari ab audienda Missa in die festo, applicari possunt ad hanc obligationem vacandi ab operibus seruilibus. Solùm ergò est aduertendum, aliud esse non obligari, aliud verò esse excusari. Non obligatur enim aliquis in die festo ad abstinendum ab aliquo opere, quando opus illud re vera non est materia illius præcepti, nec per illud prohibetur, vt diximus de opere liberali, vel de præparatione cibi necessarij in illum diem. Excusari verò dicitur quis, quando lex quidem prohibebat tale opus; tamen causa, vel necessitas occurrens suspendit pro tunc obligationem legis, vel aufert illam pro tali casu. Et ideò quando non est excusatio, sed absoluta non obligatio, non tenemur præuenire necessitatem operis, etiamsi possimus; sed absque vlla necessitate, vel dispensatione possumus tale opus in diem festum reseruare. Quando verò per excusationem permittitur opus, necesse est, vt necessitas præueniri non possit, vel vt intercedat dispensatio. De operibus ergò, quæ simpliciter non cadunt sub hanc prohibitionem, dictum est suprà, quia necessarium fuit ad explicanda opera, quæ per se prohibentur. De excusatione verò licet aliqua attigerimus de operibus liberalibus specialiter prohibitis, generalem tamen de operibus seruilibus tractationem in hunc locum reseruauimus. Supponimus ergò, posse interdum interuenire excusationem circa hanc prohibitionem; hoc enim ferè commune est omni præcepto positiuo, & maximè humano. Deinde hæc excusatio dupliciter accidere potest. Primò absque dispensatione, vel cum illa; & ad vtrumque modum necessaria est aliqua causa, saltem vt iustè fiat. Tamen in priori modo tam grauem oportet esse causam, vt per se faciat; obligationem cessare, eò quòd intelligatur, non fuisse mentem Ecclesiæ obligare pro tali casu: In posteriori autem modo causa non tollit per se obligationem, sed adiuncta voluntate, & licentia Prælati, quæ ex tali causa, iusta, & rationabilis redditur. Prior ergò propriè vocatur excusatio, & ita illam appellabimus, posterior verò propriùs dicitur dispensatio, de qua in cap. seq. dicetur.

Causa

2 Propria necessitas excusat in die festo.

Causa ergo generalis, inducens excusationem, est necessitas imminens, quæ præueniri non potuit, vel quia est repentina, vel quia multis diebus durat, vel quia vsus, & conditio humana aliud non patitur. In particulari verò primum caput huius excusationis est necessitas propriæ conseruationis, vel sustentationis propriæ vitæ, aut familiæ. Quia intentio Ecclesiæ non est obligare cum tanto grauamine, vt dixi in dicta disp. vlt. sect. vlt. & quæ ibi dixi in 3. & 4. ca. de excusationibus, ferè possunt cum proportione ad præsentem casum applicari. Et huius excusationis habemus

1. *Mach.* 2. exempla in scriptura, 1. Mach. 2. de Mechabæis pugnantibus in die Sabbathi propter periculũ, quod eis imminebat, nisi se defenderent. Et de Helia affert D.

D. Thom. Thom exemplum, quia vt fugeret persecutionem Iezabel, confecit iter in Sabbatho maius, quàm per legem liceret; quod nó inuenio expressum in Scriptura: Sumi autem potest ex 3. Reg. 19. quatenus ibi dicitur, quòd ambulauit quadraginta diebus, in quibus

3. *Reg.* 19. *Matth.* 12. Sabbatha cõtinebantur. Item adducit illud Matth. 12. *Quis erit ex vobis homo, qui habeat vnam ouem, & si ceciderit Sabbatho in foueã, nonne tenebit, & leuabit eam?* Item quod ibidem Christus excusat discipulos in Sabbatho vellentes spicas, propter necessitatem. Denique de hac excusatione habet regula iuris, *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.* Sumpta ex Beda,

Beda. Marc. 2. & habetur cap. *Quod non est*, extra de Reg. iur. vbi exemplum Machabæorum adducitur, & ibi Glossa alia refert.

Cap. Quod non. Gloss.

3. Ex hoc ergo capite possunt excusari veri pauperes, qui nisi laborent, non possunt sustentare se, vel familiam suam. Qui tamen obseruare debent in primis, vt sine scandalo id faciant, & secretò; secundò, vt certa sit, & euidens necessitas sufficiẽs, & quia regulariter ipsi non possunt per se hoc iudicare, tum propter periculum affectus, tum propter defectum doctrinæ, vt securè id faciant, consulere debent virum, vel confessarium pium, & doctum, cuius iudicio stare possint. Quòd si res fuerit dubia, petat dispensationem à suo Pastore; vel abstineant, quia eo ipso, quod causa est dubia, est insufficiens, vt per se sola obligationem auferat. Item, ex hoc capite excusantur agricolæ, qui ingruente pluuia laborant, vt segetes tueãtur, illas con-

D cinnando, vel operiendo; vel qui ob venti commoditatem purgant triticũ in area propter imminens periculum, quia fortasse commoditas venti deesse solet. Sed in his, & similibus casibus seruanda est regula data, vt scilicet necessitas sit certa; vel si sit dubia, licentia petatur. Et quãdo actiones sunt publicæ, optimũ consilium est, vt non fiant sine consensu Parochi.

4 *Caietan. Soto.* Item hinc excusat Caiet. coquentes lateres, tegulas, & calcem in festo: quod tamen Soto non probat, quia possunt vno, vel duobus diebus profestis decoqui, & in die festo potest cessari sine dispendio: secus verò est de vitro, & similibus. Sed hæc doctrina pendet ex facto, non ex iure: vnde regula est, quando in-

Regula cognoscendi, quando potest opus cõtinuari in festo. choatum opus non potest intermitti in die festo sine dispendio notabili personæ, vel communitatis, tunc

E potest opus in die festo continuari, secus quando non est hæc necessitas: quando verò in casu hoc cõtingat, necne, ad artifices spectat, & illis credendum est: Et ex hoc etiam capite excusant multi famulum, qui cogitur præcepto domini ad laborandum in die festo, nec potest illi nõ parere sine graui incommodo, quia vel priuaretur stipendio, vel alimento necessario, vel domo excluderetur, & famulatu priuaretur cũ graui iactura, quia non sperat aliud commodum facilè inuenire. In his ergo casibus, & similibus Doctores hos excusant, vt patet ex Caiet. supra Nauar. ca. 13. nu. 7. cum Siluest. Angel. Rosel. & aliis, Anton. 2. p. tit. 9. ca. 7. §. 5. Et ratio est, quia hìc non solùm excusat necessitas naturalis, vel quasi ab intrinseco, sed etiam necessitas per vim, & metum, quia eandem indigentiam, & causam inducit. Quamuis oppositum expressè doceat Abul. in cap. 12. Exod. q. 23. sed sine fundamento. Nisi intelligatur, quando vis infertur in iniuriam, vel contemptum festi, aut Religionis, quod etiam alij Doctores aduertunt: tunc enim propter nullum metum licet agere contra legem Ecclesiasticam, vt constat ex materia de Legibus.

Abulens.

Caietan. Nauar. Siluest. Angel. Rosel. Anton.

Secundum caput excusationis esse potest necessitas Reipublicæ, seu communitatis, quia non minùs, imò magis illi subueniendum est, quàm propriæ necessitati. Item, quia Ecclesia non vult obligare ad hoc otium cum publico incommodo Reipublicæ, vt satis declaratum est in cap. *Licet*, de Feriis. Item, statim dicemus, hoc licere propter priuatam necessitatẽ proximi ergo multò magis ob publicam. Et ex hoc principio excusantur multi opera seruilia, vel prohibita facientes ob publicam necessitatem. Vt excusantur milites bellum agentes in die festo ob defensionem Reipublicæ, & parantes tormenta bellica, & qui vallo circundant oppidum, vel fossam faciunt tempore necessitatis. Item reficientes pontes, & vias, vel fontes & alia quæ sunt publici vsus, & vtilitatis, quãdo sine magno incommodo publico non potest remedium differri. Item hac ratione licet laborare in prouidenda Republica de necessariis ad victum diei festi quoad eas res, quæ præueniri antea non possunt. Adde etiam excusari eos, qui pro causa publica, honesta, & conuenienti Reipublicæ, aliquod opus faciunt, licèt vtilitas non sit simpliciter necessaria, sed ad communem populi lætitiam, vel splendorem in occasione moraliter necessaria, vt in aduentu Regis, vel ortu Principis: tunc enim laborare solent artifices his diebus, vt vestes, vel publica artificia, & tabulata, & theatra vel perficiant, vel ornent, & similia: quæ ita sunt cõsuetudine recepta, vt ipsa sufficiat ad excusandum. Tamen in his casibus securius est licentiam à Pastoribus postulare, nam sine dubio similes causæ sufficientes sunt, vt iustè illam concedant, quando talia sunt opera, vt præueniri non possint, & fieri in diebus profestis, vel quando occasio talis est, vt breuitas temporis id non permiserit.

5. Necessitas Reip. etiam inducit excusationem. Cap. *Licet.*

Tertium caput est necessitas proximi, etiam priuata; nam *Deus plus misericordiam vult, quàm sacrificium*, Oseæ 6. ex quo loco argumentatur Christus contra Iudæos, Matth. 12. vnde infrà concludit, *Licet Sabbathis benefacere*, quando scilicet charitas, & necessitas proximi id postulat, quia tenemur proximos diligere, sicut nos ipsos. Vnde etiam gentilis Scæuola de hac re consultus respondit, *Inferius agere licitũ est, quod si intermitteretur, nobis, vel aliis noceret:* refert Macrob. lib. 1. Satur. cap. 16. Itaque si salus, aut vita proximi periclitatur, licet pro illa tuenda, & defendenda laborare in festo; & si domus proximi accenderetur, laborandum est ad extinguendum ignem; & sic de aliis. In quibus habet locum illud Bernardi, *Quæ pro charitate inducta sunt, non debent contra charitatem militare.* Neque in hoc potest certior regula tradi, sed in particulari est necessaria prudentia, & consilium in prima regula datum hìc etiam applicari potest. Ordinariè verò securiùs potest quis proprio iudicio duci in laborando in die festo ad subueniendum necessitati proximi, quàm propriæ, quia non tam facilè excedet in hoc ex affectu ad alium, sicut ad se ipsum; nihilominùs tamen tutum semper est vti consilio prudentis, quando necessitas non est patens, nam si sit euidens, tutiùs est excedere, quàm deficere, & si bona intentione fiat, nunquam in hoc committetur delictum. De quo videri possunt dicta in illa disp. vlt. sect. vlt. §. *Quartum caput.*

6. Proximi necessitas excusat in die festo. *Oseæ.* 6. *Matth.* 12. *Macrob.* *D. Bernar.*

7. Pietas similiter vel in Deū, vel in proximū.

Quartum caput est pietas in Deum, vel in proximum: hoc enim modo excusantur, qui in templo ornando,& parietibus insternendis aulæis, & tapetibus laborant. Sed de hoc puncto, iam suprà explicatum est, quando, & quomodo locum habeat hæc excusatio. Et ad hæc reducuntur omnes rationes, & causæ, quæ possunt ab his operibus exercendis excusare. Et omnes tanguntur in cap. vl. de Fer. in illis duobus verbis, *Nisi necessitas vrgeat, vel pietas suadeat.* Circa quem textum suprà dictum est, in eo nō esse sermonem de operibus seruilibus, sed de operibus liberalibus,seu de actionibus forensibus, quæ cum iudiciali strepitu fiunt. Vnde quia in illis actionibus specialiter fit exceptio expressa in ipsâmet lege prohibente illas actiones in die festo, dici non immeritò po- B test, actiones illas in casibus ibi expressis non solùm esse licitas per modum excusationis, sed etiam quia pro illis casibus prohibitæ non sunt. Quod fuit maximè conueniens in illis actibus, propter peculiarem causam, nimirum quia non solùm prohibentur, sed etiam irritantur, vt supra visum est, & ideò oportuit expressè excipi, ne fortasse de valore actus dubitari posset. Vnde quod non sola necessitas,sed etiam pietas sufficiat, videtur esse peculiaris concessio in illis actibus, vt suprà dictum est.

Cap. *vlt.*

CAPVT XXXIII.

De dispensatione in hoc præcepto.

1. Dispensatio ab hoc præcepto eximit.

DIspensatio,est quædam generalis ratio excusans, vel potiùs auferens obligationem præcepti in particulari: locum habet in omni lege positiua, & ideò non indiget diffusa tractatione, sed sola applicatione generalium regularū. Vt autem omnes excusationes comprehendamus, distingui potest hæc dispensatio in expressam,& tacitam, id est, in eam, quæ ab ipso superiore, verbo, aut scripto apertè conceditur,& eam,quæ vsu, & cōsuetudine, cognita, & tolerata à Prælato, inducta est. Et rursus prior subdistingui potest, nam vna est ab homine,alia à iure: prior frequens,& ordinaria est,posterior in vno,vel alio casu inuenitur. Ad dispensationem ergo ab homine,necessaria est potestas, & causa, & vt accedat voluntas. D

Quæ duplex est.

Prima necessaria.

2. Quæ potestas.

Potestatem ergo dandi hanc dispensationem habet in primis Papa,vt per se notum est. Deinde habet illam Episcopus non solùm in propriis festiuitatibus, sed etiam in generalibus totius Ecclesiæ, vt omnes docent. Quanquam enim Episcopi non possint generaliter in suo Episcopatu generalia festa tollere, quæ iure communi scripto, vel per traditionem generalem ab vniuersa Ecclesia obseruantur; quia nec potestatem habent de se, vt constat, nec hoc illis est concessum vel iure scripto, vel consuetudine: nihilominùs possunt cum particularibus personis, aut populis in obseruatione talium festorum, quoad aliquos actus, dispensare. Ita docent Anton.2.part.tit.9.cap.9. Caietan.dicto art.4.§. *In septimo casu*, Sot.Siluest. An- E gel.Nauar.locis citatis,& alij communiter. Et ex vsu satis constat.Ratio verò est,quia hæc potestas est moraliter necessaria ad ordinarium regimen animarum pro casibus repentinis, vel extraordinariè occurrentibus. Vnde rectè dicunt iidem Auctores, non solùm Episcopum posse hanc licentiam dare, sed etiam in absentia eius, pastorem illum, qui maiorem habet in populo auctoritatem. Vnde in paruis oppidis, quando non potest facilè recurri ad superiorem Prælatum, seu Episcopum, Parochus potest licentiam dare solùm ad tempus, & pro ratione occasionis actualis occurrentis. Nam si oporteret, diuturnam,& stabilem facultatem concedere, Episcopus consulendus esset; quia ad illum per se spectat hæc dispensatio.

Anton. Caiet. Sot. Siluest. Angel. Nauar.

Nomine autem Episcopi omnem Ordinarium intelligimus; qui Episcopalem habet, vel participat iurisdictionem,de quo,quis sit,aliis locis latè diximus. Et hæc de potestate. A

Circa causam oportet hîc applicare doctrinā, quæ in generali de Legibus dari solet,nimirum ad omnem dispensationem, vt iustè concedatur, necessariam esse rationabilem causam, diuerso tamen modo; nam quando Prælatus dispensat in lege propria, licet causa desit,dispensatio erit valida, quamuis malè concedatur,quando verò dispensat in lege superioris, si datur sine causa,& iniusta est,& nulla. Sic ergo quando Episcopus dispensat in festo proprio sui Episcopatus, valida est dispensatio,etiam si contingat, malè, & sine causa dari. Si verò dispenset sine causa in festis, quæ sunt de iure communi,dispensatio est nulla,quia est in lege superioris, & ita non potest, qui illam accipit,tuta conscientia illa vti.Si autem bona fide procedat, & non constet illi certò, causam esse nullam, vel insufficientem, præsumere potest pro facto superioris,& securè vti dispensatione sua. Dices,si neces- Obiectio. saria est causa, inutilis est dispensatio, quia causa per se excusabit. Respondeo, non omnem causam, sufficientem ad dispensationem iustam, & validam, sufficere ad tollendam per se obligationem. Quando ergo necessitas tanta est,vt constet clarè, tunc legē non obligare,nō erit necessaria dispensatio,per se loquendo,tamen quia sæpe necessitas non est tanta,vel nō est C tam clara, ideò tunc est vtilis dispensatio. Item licet causa sit certa,& sufficiens per se, tamen, si nō sit publica, nec euidens omnibus, opus autem seruile, vel prohibitum sit in festo publicè faciendum, tunc ad tollendam scandali occasionem, & ad publicā satisfactionem necessaria est dispensatio.Et hæc de causa.

Satisfit.

3. Quæ causa.

De voluntate nihil aliud dicere oportet, nisi per illam consummari dispensationem, & ideò necessarium esse, vt sufficienter manifestetur, & vt de illa satis constet iuxta occasionis exigentiam. Non tamen est per se necessarium, vt scripto concedatur,quia hoc nullo iure cauetur. Quæri autem potest,an interdum sufficiat voluntas præsumpta, seu ratihabitio? Dico tamen breuiter,per se non sufficere, quando causa est dubia,& potest superior consuli; quando tamen necessitas instat,& non est locus adeundi Prælatū, tunc Siluest. Siluest.ver. *Dominica*,q.4.§. *Quæ autem*, cum Veruecio ait, non fore peccatum operari dispensatoriè ex præsumpta voluntate Prælati,seu(quod idem est)tunc ratihabitionem habere locum. Sed hoc intelligo esse verum,quando causa occurrens vel est probabilis necessitas,licet dubia,vel est in iure ipso approbata, saltem æquiualenter iuxta prudēs iudicium.In his enim casibus formari potest practicum iudiciū probabile, ac subinde practicè certum; quod lex tunc non obligat,etiamsi deficiat dispensatio. At si casus est ita dubius, vt sine dispensatione hominis, non cesset obligatio legis, nec probabiliter id iudicari possit, tunc quantumcunq; ego credam, Prælatum,si adesset,fuisse dispensaturum, nō est mihi licitum, vti præsumpta voluntate,nec spe ratihabitionis,quia de facto hîc,& nunc vinculum legis non est sublatum, nec auferrur per meam præsumptionem, vel spem ratihabitionis. Et hæc de dispensatione ab homine.

4. Quæ voluntas.

5. Dispensatio duplex.

Quoad dispensationes iure ipso latas,duas tantùm inuenio, de quibus simpliciter affirmare possim, esse ipso iure concessas,& in superioribus tactæ sunt. Vna habetur in cap. *Licet*, de Fer. & datur in speciali casu, scilicet ad piscandum Alecia, quando occasio offertur; quia si amittatur, non facilè redit. Est enim Alec, seu Halec, vel potius Halex genus quoddam piscis, cuius captura copiosa est, quando apparet, & Reipublicæ vtilis: solet autē rarò, aut certis tēporibus aduenī

Cap. *Licet*.

Prima.

aduenire, & ideò tunc datur in illo textu facultas piscandi in diebus Dominicis, festisque non solemnioribus, ne publica vtilitas amittatur. Quæ autem sint festiuitates maiores, quæ ibi excipiuntur, in superioribus dictum est. Quidam hoc verò dicunt, hodie licere etiam in maioribus festiuitatibus: sed hoc sustineri non potest ex vi iuris, quia repugnat illi, secus ex vi consuetudinis, vbi de illa constiterit. Crediderim etiam Prælatum posse dispensare etiam pro maioribus festiuitatibus, vbi viderit expedire.

6. Ad similia applicatur. *Caiet.*

Est item aduertendum cum Caiet. suprà §. *In septimo casu*, licet dispensatio illa in particulari concessa videatur, non esse tamen casum materialiter sumendum pro sola captura illius piscis, qui Halex vocatur, nam etiamsi sit alterius speciei, si in eo eædam circunstantiæ concurrant, eandem dispensationem cõcessam esse intelligendum est, quia illa dispositio non materialiter, sed formaliter, tanquam generalis lex, accipienda est. Et idem sentiunt Canonistæ ibi, & ponunt exempla Sardinis, & Thynnis. Oportet autem, vt in his eædem circunstantiæ occurrant, & vt sit vera necessitas tali die piscandi, quia alioqui illud commodum vel amittetur, vel magna ex parte diminuetur, quia ex his insurgit vera causa, propriáque materia illius dispensationis. His autem concurrentibus, non est necessaria Prælati auctoritas, licet Silu. *Siluest.* ester oppositum indicet sine causa, quia illa dispensatio iure ipso concessa est: non enim dicitur ibi, vt Prælatus dispensare debeat, sed Pontifex ipse dicit, *Indulgemus*. Quæ concessio Iuri inserta habet vim legis, & ideò formaliter intelligitur, & regulam generalem constituit dispensationis concessæ pro omnibus similibus casibus, in quibus magna vtilitas, præsertim communis, & ad bonum commune pertinens impediretur ratione festi. Quod potest habere locum non solùm id piscatione, sed etiam in venatione, & in aliis acquisitionem generibus, licet in piscationibus frequentiùs id accidat.

7. Vtrobiq; tamen cum onere. *Caiet.*

Adnotauimus autem suprà dispensationem illam non fuisse absolutam, sed cum aliquo onere, & commutatione faciendi aliquam eleemosynam ex lucro, vt ibi declarauimus. Et ideò addit Caietan. omnes, qui in vi illius iuris in festo piscati fuerint, teneri ad sustinendum illud onus, quod verissimum credo, opinor enim, illud non esse consilium, (vt Siluest. sine fundamento dixit,) sed conditionem, seu limitationem dispensationis, vt planè declarant illa verba; *Ita quod post factam capturam, &c.* Et ideò, quicunque illâ dispensatione vtitur, quasi ex pacto tenetur ad conditionem: vel ex vi commutationis, per quam subrogatum induit eandem obligationem, & legem, sub qua erat opus, cuius loco subrogatum est, vt etiam Angel. sensit. Hoc autem intelligendum est, quando ex vi illius tantùm iuris quis vtitur dispensatione illa. At verò si accedat Episcopi dispensatio, ille poterit ex speciali causa eam absolutam concedere sine tali onere; & tunc cessabit hæc obligatio.

8. An ex vi illius iuris licitũ sit operari personæ priuatæ, ne occasionem lucri amittat. *Angel.*

Sed inquiri potest, an ex vi illius iuris liceat vnicuique priuatæ personæ laborare in die festo, vt non amittat occasionem alicuius vtilitatis, vel lucri notabilis, quod alio die acquirere nõ poterit. Nam Summistæ in hoc obscurè loquuntur, Angel. num. 34. ait, nõ solùm propter necessitatem vitandi damnum, sed etiam pro acquirendo aliquo vtili, quòd alio tempore acquiri non posset, licitum esse, vti facultate data in illo cap. *Licet*, *Et idem dic* (ait) *de quocunque simili*. Statim verò num. 35. subiungit, in illo casu necessariam esse dispensationem, si possit haberi commodè, vel ab Episcopo, vel à proprio Sacerdote, si Episcopus adiri non potest. Et idem ferè dicit Siluest. d. q. 4. citans Verueci. & Angel. Hæc verò non consequenter dicuntur. Nam si dispensatio cap. *Licet*, habet locum in hoc casu, non est necessaria dispensatio Prælati, vt ostensum est. Vndè è contrario, si Prælati dispensatio necessaria est, non procedit in eo casu dispensatio cap. *Licet*.

Siluest. Verue.

9. Resoluitur.

Dico ergo in primis, non esse dispensationem illam extendendã ad priuatam vtilitatem priuatæ personæ, sed inspiciendam esse præcipuè vtilitatem publicam, quam Pontifex in illo textu considerauit, vt ibi notant interpretes, præsertim Andr. Barb. in Scholio ad Abbatem. Et quamuis in textu non apertè declaretur, ex materia eius non obscurè colligitur: nam illa vtilitas, quæ prouenire solet ex huiusmodi piscationibus, communis est, & publica, & ideò necessitas reputatur, vt in eodem textu appellatur: & ob eandem causam generaliter illa facultas conceditur. Quapropter quando solùm cessat vtilitas priuatæ personæ, non existimo habere locum textum illum, sed tunc esse necessariam dispensationẽ Prælati proprij, quia illa non est necessitas: neque ibi agitur de vitando damno emergente, sed tantùm de acquirendo lucro, propter quod non solet cessare obligatio præcepti, nec debuit tam facilè ipso iure dispensari. Imò neque ordinariè videtur ex illo solo capite resultare sufficiens causa dispensationis, nisi vel persona sit aliàs indigẽs, ita vt illa vtilitas in aliquam necessitatem transeat: vel vtilitas, quæ cessat, tanti sit momenti, vt prudenti arbitrio æstimari possit eius amissio non mediocre nocumentum.

Barbat. Barbat. Ratio.

10. *Siluest.*

Quando autem casus talis est, vt solum ius non censeatur dispensare, licet homo dispenset ad quandam illius iuris imitationem tunc nõ tenetur dispensans apponere onus illud, quod in illo textu positum est, quia nullo iure ad hoc astringitur. Et tunc habebit locum, quod Siluest. ait, onus illud esse in consilio, non in præcepto. Nam etiamsi quis dispensatus ad laborandum in die festo, ne vtilitatem acquirendi amittat, magnum lucrum comparet, non tenetur ex illo eleemosynam facere in rigore præcepti, nisi sub hac conditione fuerit dispensatio concessa: quia ex alio capite, non est vnde oriatur obligatio ad faciendam eleemosynam ex illo lucro magis, quàm ex aliis bonis. Potest tamen Prælatus, si iudicet expedire, illud onus apponere, vt suprà dixi: quia nullo iure prohibetur, & est consentaneum iuri, & tunc inducet obligationem propter rationes superiùs factas.

11. Secunda dispensatio. Cap. *Conquestus.*

Secunda dispensatio iuris colligi potest ex capit. *Conquestus*, de Feriis, vbi ea, quæ ad iudicium forense spectant, & in die festo prohibita sunt, fieri concedũtur, *Si necessitas vrgeat, vel pietas suadeat.* Sed illa in rigore non est dispensatio in lege, sed exceptio in ipsamet lege contenta: quæ potiùs præuenit, ne lex in illis casibus obliget, quàm dispenset, cum dispensatio sit ablatio obligationis legis in particulari casu, in quo lex de se obligabat. Et de illa (quouis nomine appelletur) satis dictum est in cap. 30. & 31.

12. Dispensatio ex consuetudine.

Supereſt tantùm dicendum de dispensatione ratione consuetudinis, id est, quam ipsa consuetudo inuexit. De qua breuiter dicendum est, consuetudine fieri posse, vt aliquæ personæ licitè possint in die festo aliqua opera seruilia, vel aliter in festo prohibita, exercere. Vt autem hoc efficiat consuetudo, necessarius est Prælatorum consensus saltem tacitus, qui est, quando videndo, & tacendo tolerant: & hæc dici potest tacita dispensatio. Hæc assertio sumitur ex communi doctrina de Legibus, & de Consuetudine: eámque in particularibus casibus huius præcepti tradunt Anton. 2. p. tit. 9. c. 7. §. 1. Siluest. ver. *Dominica*, q. 1. §. vlt. Caiet. ver. *Festorum violatio*, & 2. 2. q. 122. art. 4. & ibi Sot. 2. de Iust. q. 4. art. 4. Tabien. ver. *Feria*, num. 14. Armil. ver. *Festum*, num. 8. Nauar.

Anton. Siluest. Caiet. Sot. Tabien. Armill. Nau.

cap. 13. n. 8. Ratio prioris partis est, quia consuetudo A potest derogare legi humanæ, vnde potest illam totaliter abrogare, ergo etiam in parte potest obligationem eius auferre; siue illam obligationem auferendo ab his personis, & non ab omnibus, vel in eisdem personis auferendo illam circa quasdam actiones, & non circa alias. Patet consequentia, quia in his omnibus eadem est ratio. Secundè verò partis ratio est, quia nemo potest tollere obligationem legis, nisi qui potest illam ferre, vel ab illo habet potestatem, sed consuetudo populi non potest introducere legem de festo aliquo seruando sine voluntate Episcopi saltem tacita; ergo nec potest festi obligationem tollere, vel minuere sine tacito consensu Prælati. Hinc verò facilis est tertia pars, quę ad modum loquendi solùm spectat, nã dispensatio est iuris relaxatio ex aliqua parte concessa ab habente potestatem; sed talis est exemptio, quæ consuetudine acquiritur; nam semper nititur tacita voluntate eius, qui potest dispensare, ergo. Neque est nouum; dispensationem tacitè concedi; nam omnes Doctores fatentur interdum facto concedi sine verbo, vt agentes de Censuris sæpe attigimus, & in tractatu de Legibus dicemus.

13. Obiectio. Satisfit.

Dices, Ad dispensationem requiritur causæ cognitio, quæ in his consuetudinibus non semper interuenit. Respondeo, primo non semper esse necessariam causæ cognitionem, saltẽ ad valorem dispensationis, præsertim quando aliquis dispensat in lege propria. Et fortasse, neque cum dispensat in lege superioris, nam licet requiratur, vt in re causa subsit, non videtur necessarium, vt dispensans illam cognoscat, sed valebit dispensatio, si in re causa subsit, licet dispensans illam non examinet, sed vel temerè dispenset, vel eam remittat conscientiæ dispensati, tunc enim est quasi cõditionata dispensatio, si habes causam, tecum dispenso; tu videris, an illam habeas. Deinde dico, quando de consuetudine constat Episcopo, illa videtur secum afferre sufficientem causam dispensationis, vel ad tollendum animarum periculum, quale esset, habere vinculum legis contra talem consuetudinem, tum quia præsumitur, ex aliqua necessitate communi illam cõsuetudinem introductam esse. Illa ergo consuetudo relaxat prohibitione huius, vel illius operis in die festo, in his, vel in illis personis, & ideò dicitur quædam tacita dispensatio.

14. Ex consuetudine excusari multa, alioqui prohibita.

Atque ex hoc principio definiuntur multi casus morales, & excusantur multa, quæ in Christiana Republica fieri videmus, ex quibus aliqua sunt tacta in superioribus. Nam quoad opera seruilia ex hoc principio excusantur interdum piscatores, & venatores, vel pictores: nõ omninò, sed quoad aliquos frequentiores actus, vel in quibusdam particularibus materiis, vt vidimus. Ex eodem excusantur tonsores, qui per aliquod tempus capillos tondent, & barbas radunt in die festo: nam licet excusentur interdũ propter necessitatem eorum, qui tondentur, vel propter materiæ leuitatem, tamen etiam possunt consuetudine excusari, si conditiones supra dictæ concurrant. Sic etiam excusantur aliqui artifices, qui in die festo ad vesperam materiam aliquo modo præparant pro labore diei sequentis: non proprium artis opus efficiendo, sed solùm applicando materiam ad certum locũ, vel instrumenta artis mundando, vel quidpiam simile. Quoad alia verò specialiter prohibita, iam suprà vidimus, quomodo multa, quæ ad mercatum pertinent, consuetudine liceant. Et ex eodem principio excusat Caietan. officiales vendentes in die festo rusticis venientibus de villis suis vestes, calceos, &c. Quamuis hi etiam titulo necessitatis excusari possint, sicut ex vtroque capite excusari possunt iudices, aut Prælati dicentes ius in die festo rusticis, vel agricolis, qui non possunt in diebus profestis comparere: hoc enim Caiet. etiam ex consuetudine defendit, habet tamen etiam causam necessitatis, & pietatis. Huiusmodi autem consuetudines ampliandæ non sunt, sed coarctandæ, tum quia dispensatio regulariter strictè accipienda est; tum eriam, quia consuetudo relaxans disciplinam odiosa est, & facilè crescit, nisi populi multitudo, diligentia, & solicitudine Prælatorum in officio contineatur.

Caiet.

INDEX CAPITVM LIBRI TERTII, DE LOCIS SACRIS.

Cap. 1. Quæ reuerentia locis sacris debeatur.
Cap. 2. De actibus locum sacrum polluentibus.
Cap. 3. De actibus, quibus sacra loca profanantur.
Cap. 4. De actibus solo iure humano in Ecclesia prohibitis.
Cap. 5. De actionibus furti in templo prohibitis Ecclesiast. iure.
Cap. 6. De aliis actionibus in templo prohibitis.
Cap. 7. Sintne aliqua opera in templo facta mala ex hac sola circunstantia.
Cap. 8. De immunitate Ecclesiarum quod delinquentes tuendos.
Cap. 9. Quæ Ecclesiæ propria gaudeant immunitate.
Cap. 10. De personis, quæ gaudent templorum immunitate.
Cap. 11. In quibus causis valeat templorum immunitas.
Cap. 12. De effectibus immunitatis Ecclesiarum.
Cap. 13. De culpa, & pœna immunitatem Ecclesiæ violantium.

LIBER

LIBER TERTIVS,
DE TEMPLORVM, AC LOCORVM SACRORVM RELIGIOSA OBSERVATIONE, ET præceptis ad illam ſpectantibus.

Explicata Religioſa obligatione pertinente ad tempora Deo dicata, dicendum ſupereſt de altera circunſtantia propoſita, ſcilicet de locis Deo conſecratis: nam vt ſuprà dixi, hæ duæ circunſtantiæ in ordine ad actus humanos, præſertim publicos, quandam inter ſe proportionem obſeruant. Supponit autem hæc diſputatio eſſe poſſe, ac debere, iuréque, ac merito eſſe etiam in lege gratiæ aliqua loca ſpecialiter deſtinata, ac ſacrata ad Deum in eis Religiosè colendum; quod multi hæretici, & præſertim his temporibus nouatores, & Sanctorum templorum euerſores pertinaciter negant. Contra quos longa hîc fuiſſet inſtituenda diſputatio, niſi illa, quæ noſtro inſtituto ſufficiunt, tradita à nobis fuiſſent in 3. tom. 3. partis diſputat. 81. ſect. 1. & 2. vbi ex diuina Scriptura, & Eccleſiæ definitione, ac traditione hanc veritatem oſtendimus. Quæ adeò etiam eſt rationi naturali conſentanea, vt vix ratio apparens occurrat, qua error contrarius fundari poſsit. Hoc igitur errore omiſſo, in præſenti tantùm à nobis ſunt declaranda præcepta, quæ vel debitum cultum talium locorum præſcribunt, vel eorum irreuerentias prohibent.

CAPVT PRIMVM.

An ex affirmatiuo præcepto aliqua reuerentia loco ſacro debeatur, vel ſolùm ex negatiuo.

1. Locus ſacer triplex.

VT conſtet, de quibus locis loquamur, ſupponendum eſt primò, locum ſacrum ac Religioſum in præſenti materia appellari, qui ad actiones diuini cultus exercendas peculiariter deputatus eſt, præſertim ad ſacrificia, & orationē. Primus. Hîc autem locus triplex diſtingui poteſt. Vnus eſt auctoritate Epiſcopi ædificatus, ac conſecratus, vel benedictus, & ad prædictum finem deſtinatus: qui B propriè Eccleſiæ nomine venire ſolet, cum de materiali Eccleſia ſermo eſt. Secundus. Alius eſt auctoritate quidem Epiſcopi erectus ad eundem finem, non tamen benedictus, de quo loco ait Siluester verb. *Eccleſia* 2. Siluest. non dici Eccleſiam, niſi æquiuocè, ſed vocari baſilicam, ſeu domum regiam. Et Gloſſa in capit. 1. de Gloſſ. Religioſ. domib. verb. *Dedicanda*, *Tunc*; ait, *accipit nomen Eccleſiæ, cum conſecratur, ſicut electus tunc accipit nomen Epiſcopi, cum conſecratur.* Verumtamen, ſi talis locus publicè ſit deſtinatus pro ordinario vſu fidelium ad Miſſas, & conciones audiendas, recipiendáque ſacramenta, ſimpliciter ſolet Eccleſia vocari. An verò ſemper, & quoad omnes iuris effectus comprehendatur in Iure nomine Eccleſiæ, infrà videbi- C mus. Vt tamen nulla ſit æquiuocatio, priora loca abſolutè appellabimus Eccleſiæ nomine, hæc verò poſteriora cum addito vocabimus Eccleſias non benedictas. Tertius. Tertium genus horum locorum eſt eorum, quæ non publica auctoritate, ſed priuata, deſtinantur ad ſacra munera, quæ non appellantur Eccleſiæ, niſi æquiuocè. Imò nec loca ſacra ſimpliter dici poſ- A ſunt, vt enim dixit etiam Iur. Conſ. in leg. *In tantum* Leg. *In tantum.* ff. de Rerum diuiſ. *Sacræ res ſunt, quæ publicè conſecratæ ſunt.* Vocantur ergo hæc vel oratoria, ſi ſunt in domibus priuatis, vel heremitoria, ſi ſint per ſe ſeparata, interdum vocantur capellæ. Quamuis nomen hoc multiplex ſit, interdum enim ſignificat locum aliquem intra Eccleſiam conſtitutum, ad diuina deputatum, benedictum, qui eſt pars eiuſdem Eccleſiæ, & vnum cum illa corpus efficiens; interdum verò ſignificat Eccleſiam integram, propriam, ac benedictam, non Parochialem, nec matricem, ſed ſimplicem, (vt ſic dicam;) aliquando verò indifferenter pro Eccleſia ſumitur, vt in titulo de Capellis monachorum. Hîc ergo præcipuè ſermo eſt de primo genere ſacrorum locorum, & de illis ſemper loquemur prius, deinde verò adnotabimus; quid de cæteris locis dicendum ſit.

2. Dei templum quo modo tractandum. D. Thom.

Deinde ſuppono, Dei templum, ſeu Eccleſiam debita reuerentia tractandam eſſe, hócque pertinere ad Religioſum cultum Deo debitum. Hæc aſſertio certiſſima eſt, ſumiturque ex D. Thom. 2. 2. q. 99. art. 1. & 3. vbi de hac re à Doctoribus diſputatur; & de illa videri poſſunt dicta in d. diſp. 81. 3. tom. ſect. 8. Et ratio eſt, quia rebus ſacris debetur Religioſus honor: ſed templum Deo dicatum inter res ſacras meritò computatur, ergo Maior continetur in generali definitione fidei tradita in ſeptima Synodo generali Synod. Nicena. 2. vbi dicitur, res ſacras, & cultui diuino dicatas debito honore afficiendas, & venerandas eſſe. Minor verò eſt per ſe euidens, quia non eſt minùs ſacrum templum, quàm veſtis, vel aliquid ſimile: & ex Decretis referendis cum aliis multis, quæ ex ſanctis Patribus in dicto loco adduximus, manifeſta etiam eſt. Vnde omnes Theologi inter ſpecies ſacrilegij numerant irreuerentiam, quæ templo fit, tanquam factam rei ſacræ,

3. Dupliciter explicatur reuerentia templis debita.

Vt autem hanc veritatem declaremus, præmittendum præterea est, quod in dicta sectione. 8. in principio animaduerti, duobus modis posse hanc reuerentiam Deo debitam explicari; vno modo per obligationem positiuam, seu affirmatiuam aliquid faciendi in honorem talis loci; alio modo per obligationem priuatiuam, seu prohibentem aliquid fieri, quod in iniuriam cedat talis loci; sicut etiam in superioribus diximus, obseruationem diei festi consistere partim in aliquo opere præstando, partim in aliquo vitando. Rursus circa priorem modum obligationis considerandum est, aliud esse obligari ad exhibendum Deo cultum in tali loco, aliud verò obligari ad colendum, vel honorandum locum ipsum. Quamuis enim locus, quantumuis consecratus, non sit capax honoris propter seipsum, quia res inanimis est; ideóque, si aliqua veneratio illi exhibeatur tota sit propter Deum, qui in eo speciali modo habitare censetur, & cuius cultui specialiter deputatus est, atque ita totus honor loco datus, ipsi Deo semper, ac principaliter dari videatur: nihilominùs aliud est, colere Deum ipsum in tali loco, aliud verò, locum ipsum venerari. Nam illud prius fit per actum directè terminatum ad Deum, vt obiectum, quod colitur propter se ipsum, id est, propter excellentiam propriam, quam in se habet, & quæ per talem actum adoratur, vt quod, seu vt ratio adorandi. At verò hoc posterius fit per actum proximè terminatum ad locum ipsum, vt ad obiectum, quod est veluti materia, circa quam versatur actus Reuerentiæ: attingit verò Deum, vt rationem colendi templum ipsum. An verò hæc duo possint interdum simul fieri per vnum, eundémque actum, nonnullam quæstionem, & difficultatem habet, quæ hîc necessaria non est, & generalis est ad omnes res sacras, imagines, reliquias, ideóque in materia de Adoratione est latè disputata. Nunc ergo satis est, modos illos secundum se distinctos esse posseque vnum cadere in obligationem sine alio. Sic enim in tempore sacro, seu die festo habemus præceptum affirmatiuum colendi Deum in eo tempore per sacrificij oblationem, seu Missæ auditionem, & non inuenitur aliud præceptum colendi aliter, aut venerandi sacrum illud tempus.

4. An sit speciale præceptum colendi Deum in Ecclesia.

Dico ergò primò: Nullum est præceptum speciale colendi Deum in tali loco, scilicet, in Ecclesia, vel templo, nisi quatenus actio aliqua diuini cultus legitimè exérceri non potest extra talem locum. Si hæc conclusio intelligatur, stando in naturali iure, est manifesta, quia ius naturæ non determinat certum modum cultus externi dandi Deo, vt suprà est ostensum, ergo nec circunstantiam loci determinat. Et hûc spectat illud Ioan. 4. *Spiritus est Deus, & in spiritu, & veritate debet adorari*, ideóque ex se non determinat locum, quia vbique est, omnia prospicit, licet ex parte nostra, id est, eius, qui colit, vel eorum, coram quibus colit, prudentem circunspectionem requirat, vt locus sit aptus, & sine impedimento, vt infrà tractando de Oratione vocali magis explicabimus. Si verò intelligatur conclusio de iure positiuo, vt præcipuè intelligenda est, sic declaratur primò in præcepto audiendi Missam, quod ferè est vnicum de cultu externo datum omnibus fidelibus. Illud ergo præceptum de se non obligat ad dandum illum cultum Deo in Ecclesia, seu templo, quia hoc non ponitur in verbis, & forma præcepti: iubemur enim audire Missam in Dominicis, & diebus festis, non verò in Ecclesiis, vel templis. Sed hoc aliunde necessarium est, nimirum quia Ecclesia aliàs præcipit Missas non dici extra Ecclesiam iuxta modum declaratum, & tractatum in dicta disput. 81. sect. 4. Vnde quacunque ratione cesset hæc necessitas, quia contingit inuenire Missam extra Ecclesiam, vt in priuato oratorio, vel in campo sub dio, vel tentorio, illam ibi audiendo impletur præceptum audiendi Missam, quamuis in Ecclesia non audiatur: signum ergò est, hoc præceptum per se non respicere locum.

Ioan. 4.

5. Verum est, sacris Canonibus antiquis interdum præcipi audire Missas in propriis Ecclesiis, saltem in quibusdam maioribus solemnitatibus, vt patet ex capit. *Si quis etiam*, de Consec. distinct. 21. & in capit. *Nulli*, de Consec. distinct. 3. Et suprà vidimus, olim fuisse consuetudinem audiendi Missas diebus Dominicis in propriis Parochiis: iam verò hoc non est simpliciter sub præcepto generatim loquendo. Ex vi ergo huius præcepti non est determinatus locus colendi Deum. Ratio verò assertionis est, quia licet Ecclesiarum ritus conuenientissimè sit institutus, vt fideles habeant publica, & sancta loca, in quibus commodiùs possint Deum colere, non fuit tamen necessarium illos arctare ad cultum exhibendum in illis locis, cùm in quolibet honesto loco possint Deum colere. Solùm ad cultum sacrificij propter sanctitatem eius, & solemnem, ac publicum ritum determinatum est, vt in tali loco fiat, & non in alio sine dispensatione; & ita ratione illius potest hæc obligatio ad eos redundare, qui tali sacrificio cooperari, vel interesse obligantur, vt explicatum est.

Cap. *Siquis etiam.* Cap. *Nulli.*

6. Explicatur id ipsum in præcepto orandi.

Simile quid considerare quis poterit in præcepto de Oratione: Nam diuinum, seu naturale præceptum orandi Deum, non est de se determinatum ad certum locum, sed vbique potest orari Deus, vt in tractatu. 4. videbimus. Nec etiam est in Ecclesia præceptum vniuersale omnibus fidelibus propositum, quod omnes, & singulos obliget ad orandum specialiter in Ecclesia. Solùm in Horis Canonicis, quatenus ab Ecclesiæ ministris publicè recitandæ, vel canendæ sunt, præscriptum est, vt in Ecclesiis fiat talis oratio publica. Hic autem non de oratione agimus, sed alio cultu, qui per alias actiones exhibetur, vt in principio notauimus. Instari item potest de oblationibus, quæ fieri in Ecclesia debent, interdum ex præcepto: sed illud præceptum generale non est, sed ad summum vbi fuerit consuetudine introductum. Et tunc etiam non respici personas, sed potiùs ipsum sacrificium, vel aliud diuinum officium. Fiunt enim tales oblationes tempore Missæ, & quia Missa fit in Ecclesia, ideò etiam oblationes in Ecclesia fieri debent. Si tamen quocunque casu contingeret, Missam illam solemnem, quæ pro totius populi congregatione canitur, extra Ecclesiam, seu templum fieri, ibi fieri posset oblatio, & satisfieret obligationi offerendi: illa ergo per se, & immediatè (vt sic dicam) non respicit talem locum.

7. Præceptum colendi loca sacra negatiuum esse.

Dico secundò: Nullum esse datum affirmatiuum præceptum absolutum de exercendo aliquo actu venerationis, seu cultus circa loca sacra templorum, seu Ecclesiarum: ac subinde præceptum hoc reuerenter tractandi loca sacra, licet formam affirmatiui præcepti habeat, in negatiuum resolui, & per cessationem ab omni opere, quod sit templo iniuriosum, aut contra reuerentiam eius, posse impleri. Hæc assertio sola declaratione sufficienter probabitur, eámque propono solùm, vt tota materia comprehendatur. Præceptum ergo affirmatiuum absolutum dicitur, quod ad opus aliquod interdum efficiendum absolutè obligat, vt est præceptum audiendi Missam. Hoc ergo modo nullum inuenimus in præsenti materia absolutum præceptum, quia si non occurrat

occurrat necessitas, vel obligatio directè exercendi in Ecclesia actus diuini, cultus, vt sunt sacrificium, oblatio, vel si quid est simile, propter aliam specialem loci venerationem non tenemur templum adire, vel alia signa venerationis ostendere, vt per se constat, quia nullum potest assignari tale præceptum, nec necessitas, vel vsus illius. Quando verò occurrit obligatio colendi Deum exteriùs publicè, & in Ecclesia; tunc satis impletur hæc obligatio exercendi actum ipsum cultus erga Deum immediatè, & directè, licet nullo modo ad locum ipsum terminetur, nec formaliter (vt aiunt) nec materialiter, nisi tantum per accidens, quatenus ille cultus Dei in tali loco fit. Sic ergò constat, nullum esse tale præceptum affirmatiuum absolutum, sed ex suppositione aliqua, quæ pendet ex voluntate operantis; vt attentio orationis dicitur esse in præcepto, etiam in spontanea oratione, non tamen est absolutum illud præceptum, sed quasi conditionatum, quia absolutè non obligatur quis attendere ad Deum, tamen suppositio, quod vult orare, obligatur ad præstandum attentionem. Simili itaque modo ego nunc non teneor absolutè circa imagines Sanctorum, quas apud me habeo, actionem aliquam exercere, tamen si aliquam exercere volo, illa esse debet reuerentiæ, & honorariæ adorationis (vt septima Synodus loquitur.) Ita ergo in præsenti dicere possumus, licet hîc non interueniat affirmatiuum præceptum absolutum, inueniri tamen conditionatum, seu hypoteticum (vt sic dicam,) quia si quis velit ad templum accedere, debet reuerenter accedere, & si velit signa æstimationis, quam de illo habet, exhibere, debet proferre signa reuerentiæ, & honorariæ adorationis. Quod est manifestum ex dicto Concilio Nicæno 2. & ex secunda suppositione. Atque hoc modo videtur loqui c. *Decet* de Immunit. Eccles. in 6. quod latè exponit Nauar. in Enchir. de Orat. c. 5. Verum est tamen, priorem partem illius capitis suasoriam magis esse, quàm præceptiuam, interim tamen, & quasi per occasionem declarat reuerentiam hoc modo Ecclesiæ debitam quasi naturali lege.

Synod. 7.

Concil. Nicæ. Cap. Decet. Nauar.

Atque ex his facilè patet vltima pars assertionis. Quæ in primis ex dictis de præcepto sanctificandi Sabbathum constat; habet enim affirmatiuam formam, impletur autem per cessationem ab omni opere seruili, seu prohibito in tali die, & ipsamet cessatio est de se signum quoddam reuerentiæ in Deum, si debito modo, & intentione obseruetur. Ita ergo cum dicimus, templa esse reuerenter tractanda, per negationem debet explicari, id est, non esse irreuerenter tractanda; nam omnis irreuerentia loci sacri tanquam sacrilega prohibita est, vt in dicta sect. 8. 3. tom. in principio latè ostensum est. Ergo absolutè loquendo, hoc præceptum sufficienter impletur, si homo se abstineat ab omni actu irreuerentiæ, vel iniuriæ loci sacri. Et ideò, vt dicebam, si homo velit actum aliquem exercere in templo, vel circa templum, qui sanctitatem eius attingat, tenetur ita se gerere, vt actum honorariæ adorationis exhibeat, quia aliàs contra sanctitatem loci ageret, & ita irreuerentiam illi faceret. Sic igitur tota hæc obligatio in negatiuam resoluitur, & per solam carentiam actus seruari potest, si homo nolit aliquid positiuè operari. Vnde licet in hoc libro de affirmatiuis præceptis directè tantum disseramus, hîc necessariò dicendum est de his actibus, qui in templo fieri prohibentur, tanquam continentibus irreuerentiam, seu iniuriam eius, sicut de operibus die festo prohibitis suprà tractauimus, quia non potest reuerentia loco sacro debita nisi per hanc negationē sufficienter explicari.

2. Quæ actiones in templo vitandæ.

Dico ergo tertiò: Ob reuerentiam loco sacro debitam tenemur vitare, non tantum omnem actionem directa, & formali intentione factam in contumeliam, seu irreuerentiam templi, sed etiam omnem exteriorem actum, qui in se continet irreuerentiam templi, quacunque intentione fiat. Declaratur, quia duobus modis constituitur actus aliquis in aliqua specie peccati, vno modo ex directa, & formali intentione operantis, vt cum aliquis ad vxorem alterius accedit, vt de marito vindictam sumat, vel eum inhonoret, ac infamet. Alio modo ex sola operis voluntate, vt cum quis adulterium committit, sola carnis concupiscentia ductus, & dolens, quòd cum illo actu coniuncta sit iniuria alterius, quod non obstat, quominus iniustus sit. His ergo duobus modis potest committi sacrilegium, & irreuerentia in locum sacrum. Primò ex directa, ac formali intentione, quæ vix potest cadere nisi in hæreticum animum. Sic enim peccant in Deum hæretici, qui templa infringunt, comburunt, & euertunt, directè enim id faciunt, in contemptum, & iniuriam templi. Posset etiam talis intentio cadere in hominem obduratum, desperatum, & odio habentem Deum, vt per se constat. Secundò potest hæc culpa committi, quasi materiali voluntate, vt sic dicam, id est, volendo facere aliquid in loco sacro, quod in se continet iniuriam talis loci, & licet illa directè intenta non sit, est consequenter volita cum ipso opere, quia per se loquimur, & sucluſa ignorantia, vel alia causa excusante. Vt cum quis inimicum occidit in loco sacro, quem nollet ibi occidere, sed id vult, quia aliter non posset occidere, nihilominùs sacrilegus est, quia ad malitiam voluntatis, & actionis culpabilis, satis est velle externum actum habentem talem conditionem non ignoratam, etiamsi illa non intendatur. De priori ergo modo irreuerentiæ clarum est, esse intrinsecè malam, ac subinde semper prohibitam, vt in prima parte assertionis dicitur. Imò tam praua est illa intentio, vt quamuis exterior actio, vel irreuerentia loci sacri leuissima esse videatur, semper mortalis, & grauissima culpa sit, quia procedit vel ex contemptu, vel ex odio ipsius Dei, aut sacrarum rerum ad ipsum pertinentium, vel ex animo hæretico, vel infideli, quæ omnia, & singula sufficiunt, vt peccatum mortale sit in omni materia etiã leuissima. Quin potius licet exterior actus ex se non esset iniuriosus, sed indifferens, vt confabulatio de rebus indifferentibus; si fieret ex contemptu loci sacri, & ad significandum non oportere differentiam facere inter illum locum, & communem, esset peccatum mortale; quia esset peccatum ex cõtemptu quod semper graue est. De hac ergo formali irreuerentia nihil aliud dicendum superest, quia cum species eius ex ipsa formali intentione sumatur; facilè cognoscitur. At verò in posteriori modo peccandi contra locum sacrum, difficile est discernere, quando actio ex se sit iniuriosa loco sacro, ita vt inde habeat actus specialem malitiam contra Religionem, etiamsi iniuria loci sacri intenta non sit, ideóque in sequenti capite accuratiùs tractandum hoc est.

CAPVT II.

De actibus in loco sacro prohibitis, qui illum polluunt.

1. Ad tria capita reducuntur, quæ fieri in Ecclesia sacrilegium est.

MVlta sunt iure prohibita fieri in loco sacro, seu in Ecclesia, quæ si fiant, sacrilegia esse censentur; quæ ad tria capita reuocat Siluester ver. *Sacrilegium, §. Quintum.* Primum est, effundere voluntariè humanum semen intra Ecclesiam; secundum effundere humanum sanguinem, sub quo necesse est, vt homicidium comprehendatur. Tertium est, iniustè

aliquid auferre de templo. Sed re vera sunt multa alia in hoc genere prohibita, quæ ad tertium illud caput reuocari non possunt, vt videbimus. Aliter ergo possumus tria capita numerare, & sub singulis varios actus recensere tanquam species sub genere subalterno. Primum est efficere actum in Ecclesia, quo ipsa Ecclesia polluitur. Secundum est, vti Ecclesia vt communi, & vulgari loco ad actum profanum in ea exercendum. Tertium est, violare immunitatē loci sacri. Discurrendo autem per hæc tria capita, & per omnia membra, quæ sub singulis continentur, constabit, diuisionem, & numerationem esse sufficientem simúlque declarabimus; an hæc omnia ex iure humano pendeant, vel aliqua etiam subsistant in iure naturali?

1. Quinque actus Ecclesiam polluentes.

Circa primum caput dicendum est, quinque actus esse prohibitos in Ecclesia, quibus ipsa polluitur, ideóque ad Religiosum Dei cultum pertinere, illos cauere, & in quocunque illorum malitiam sacrilegij inueniri. De hac conclusione disputaui latè in dicto 3. tom. 3. p. disp. 81. sect. 4. Et ideò breuiter illa commemorabo, & pauca adiungam. Primò ergo prohibitum est in Ecclesia homicidium; nam illo polluitur, vt constat ex cap. *Proposuisti*, de Conſ. Eccles. Dixi autem in citato loco hoc debere intelligi de homicidio voluntario, non de casuali, sed ibi hæ voces sumptæ sunt iuxta subiectam materiam, & generalem vsum Philosophorum moràlium, cum docent, peccatum debere esse voluntarium, non iuxta vsum Iurium loquentium de homicidio voluntario, vel casuali in ordine ad irregularitatem, vt in 5. tom. fusè explicauimus. In præsenti ergo excluditur illud homicidium casuale simpliciter, seu omninò, id est, quod nec directè, nec indirectè voluntarium est, & consequenter neque est culpabile, saltem moraliter: nam cum ille actus, quatenus mortē hominis infert, non sit actus humanus, nec sacrilegium esse potest, & consequenter neque Ecclesiam violat, vt ibi dixi. At verò si sit homicidium voluntarium, etiam indirectè sufficiet ad crimen sacrilegij, & ad effectum polluendi Ecclesiam, vt communiter Doctores sentiunt, quia ius simpliciter loquitur de homicidio contentioso, seu peccaminoso, tale autem est etiam homicidium casuale, si culpabile sit propter indirectam voluntatem. Et ita est intelligenda etiam Glossa in cap. vnic. de Consecration. Eccles. in 6. & Panor. in dicto capit. *Proposuisti*, qui eodem modo loquuntur.

Primus.

Cap. *Proposuisti.*

Gloss. Panor.

2. Secundus actus. Cap. *Vnic.*

Secundò prohibita est in Ecclesia humani sanguinis effusio, nam per eam etiam Ecclesia polluitur, vt habetur in c. vnic. de Consecration. Eccles. in 6. Quæ prohibitio in rigore distincta est à præcedenti, quia potest esse homicidium sine sanguinis effusione per suffocationem, & potest esse sanguinis effusio sine homicidio, vt constat. Et ita hæc distinctè explicui in dicta sect. 4. neque aliquid nunc addendum videtur. Tertiò prohibetur in Ecclesia humani seminis effusio, per quam etiam Ecclesia violatur, vt ibidem latè tractaui, & copiosiùs posteà explicuit noster Sanc. 2. tom. de Matrim. lib. 9. disp. 15. per totam, qui videri potest. Quartò similiter prohibitum est excommunicatum in Ecclesia sepelire, alioqui polluta etiā manet, iuxta c. *Consuluisti*. de Conſ. Eccles. quod nunc de excommunicato vitando intelligendum est iuxta decretum Concilij Constant. vt dicto loco notaui, & latiùs in 5. tom. disp. 12. sect. 4. Vnum autem dubium hic addendum occurrit, quod in fine capitis expediā. Quinta prohibitio huic similis est, ne Paganus, id est, non baptizatus intra Ecclesiam sepeliatur, quia per hoc etiam polluitur iuxta cap. *Ecclesiam*, 12. de Consecr. distinct. 1.

Tertius.

Sanchez. Quartas.

Cap. *Consuluisti. Concil. Constan.*

Quintus actus prohibitus. Cap. *Ecclesiam.*

Ex his ergo satis probata manet conclusio, nam alius casus in quo, vt notaui, solet Ecclesia pollui, sci-

4

licet, per incendium eius, quia non pertinet ad actiones prohibitas in Ecclesiæ, sed ad Ecclesiæ destructionem. Vnde ille casus non pendet ex culpa præcedente; nam licet incendium casu, & sine vlla culpa contingat, si habet effectum sufficientem ad execrandam Ecclesiam, id est, destruendam consecrationem eius, reconsecranda erit, vt Gloss. Abbas, & reliqui Doctores sentiunt in c. *Ligneis*, & c. *Proposuisti*, de Consec. Eccles. & in c. *Ecclesiis*, de Conſ. distinct. 1. & ex verbis absolutis illorum Iurium colligitur apertè. Et patet, nam ratio illius effectus est, quia tollitur fundamentum consecrationis, parùm autem refert, quod tollatur cum culpa, vel sine culpa. Vnde è contrario licet Ecclesia per summum sacrilegium incendatur, si cum effectu non comburuntur parietes, licet tectum, vel alia ædificia lignea comburantur, non manet Ecclesia execrata, vt dicitur in dicto cap. *Ligneis*. Vnde nec violata, seu polluta manet, quia nullum est, Ius, quod dicat propter tale crimen Ecclesiam pollui, aut indigere reconsecratione, aut expurgatione: non pertinet ergo ille casus ad eos, quos non tractamus. Imò in citato loco 3. tomi notaui, in eo casu non propriè pollui Ecclesiam, sed destrui saltem quoad eas partes, in quibus residet consecratio. Vnde nunc addo, licet in eo casu sit necessarium consecrationem iterare, vt talis Ecclesia verè consecrata maneat, tamē si benedicta simul erat, ac consecrata, non indigere noua consecratione, benedictione, aut expurgatione, vt in ea possint licitè diuina officia celebrari, quia illa Ecclesia per incendium, & combustionem parietum solùm amisit consecrationem, aliud verò impedimentum non contraxit, nec benedictionem amisit, quæ ipsi solo, & quasi pauimento adhæret, vt ibi notaui; & ideò si reficiatur, & commodè reparetur, statim apta, & expedita manet ad officia Diuina, non pertinet ergo hic casus ad eos, quibus annexa est Ecclesiæ violatio.

Additur sextus casus.

Gloss. Abbas.

Cap. *Ligneis.*

Secundò notanda est differentia inter duos casus vltimos ad tres primos comparatos. Nam in tribus primis Ecclesia polluitur per actionem quasi transeuntem, & ex vi illius Ecclesia relinquitur polluta, etiamsi actio omninò transierit, nullúmque effectum Physicum in Ecclesia reliquerit. In vltimis verò duobus casibus quodammodo polluitur Ecclesia per effectum in Ecclesia permanentem ex vi prioris actionis, id est, per corpus excommunicati hominis, vel infidelis in tali loco sepulti. Et hinc est, vt in prioribus casibus ad purgandam Ecclesiam necessariū non sit, aliquid ab illa abstrahere, sed solùm orationibus, & aspersionibus iuxta Ecclesiæ ritum illam reconciliare; at verò in quarto, & quinto casu ante omnia necesse est (per se loquendo) corpus ibi humatum extrahere, & extra Ecclesiam proiicere, & benedictionem, seu expurgationem adiungere, vt dicta Iura præscribunt: Vnde etiam fit (quod notare oportet) in primis tribus casibus non pollui Ecclesiam, nisi quando actio est voluntaria, & cum graui culpa fit, vt proponendo illos tres casus declarauimus, & latiùs ostendimus in dicto loco tertij tomi. At verò in duobus vltimis casibus licet contingeret corpus pagani in Ecclesia sepeliri sine culpa, vt quia putabatur baptizatus, & posteà publicè constat, fuisse paganum: nihilominùs Ecclesia maneret polluta ex vi corporis ibi sepulti, ita vt non possit in ea celebrari, nec fidelis sepeliri, donec inde auferatur corpus, & Ecclesia purificetur, quia Iura ita disponunt, nec attendunt, quo casu, aut scelere corpus tale in Ecclesia sepultum sit, sed tantùm quòd ibi sit, vt clarè sumitur ex c. *Sacris*, de Sepultur. tam ex verbis, quàm ex ratione eius, vt facile consideranti patebit: Sed licet hæc differentia inter prædictos casus vera sit, nihilominùs

5. Differentia inter duos vltimos casus & tres priores.

Cap. *Sacris.*

minus in hoc omnes conueniunt, quod per se loquendo, & ex genere suo graue peccatum sacrilegij est, aliquid agere in Ecclesia, quo ipsa Ecclesia polluitur, quia id non fit sine graui irreuerentia loci sacri.

6. An hi actus sint mali, quia per eos Ecclesia polluitur, vel è contra.

Quæri verò potest hoc loco, præsertim circa tres priores casus, An huiusmodi actus sit malus, quia per ipsum Ecclesia polluitur, vel è conuerso, quia talis actus est malus, & grauis irreuerentia loci sacri, ideò ex Ecclesiæ statuto in talis irreuerentiæ odium illa veluti irregularitas loci sacri addita sit. In hoc enim puncto obiter, & quasi aliud agens dixi in dicta sect. 4. 3. tomo §. *Tertio*, actionem non fieri peccaminosam, quia polluit Ecclesiam, sed potiùs quia ipsa est turpis, & repugnans Ecclesiæ sanctitati, ideò ex institutione Ecclesiæ illi adiunctam esse illam irregularitatem, seu interdictionem talis loci. Hanc verò sententiam aliqui improbant ex eo, quòd illi actus non continent malitiam sacrilegij, nisi quia prohibiti sunt ab Ecclesia, per se enim vel non essent mali, vt sepelire puerum non baptisatum in Ecclesia malum non esset, nisi esset prohibitum, vel si sint mali in alia specie, vt fornicatio in specie intemperantiæ, non sunt tamen sacrilegium facti in Ecclesia, nisi quia Ecclesia prohibet specialiter ibi fieri in reuerentiam loci sacri, vt supponitur. At Ecclesia non prohibet illos actus nisi quatenus statuit, vt per illos polluatur Ecclesia, vt videre licet in omnibus suribus citatis, non enim continent specialem prohibitionem; sed solùm dicunt illis modis pollui Ecclesiam, ergo in tantum prohibent, in quantum volunt, vt per illos polluatur Ecclesia, ergo ideò sunt sacrilegia, & peccata in tali specie, quia polluunt Ecclesiam, non è contrario.

7. Resolutio quæstionis.

Nihilominùs dicendum censeo, actum, verbi gratia, effundendi sanguinem in Ecclesia non sumere malitiam suam, quam in ratione sacrilegij habet, ex eo, quod per eum polluitur Ecclesia, sed potiùs è contrario ideò polluere Ecclesiam, quia hoc Ecclesia statuit, quasi in pœnam, & detestationem sacrilegij (idemque est de aliis actibus suprà numeratis.) Sunt autem hic duæ quæstiones distinguendæ: Vna est, an hic actus sit sacrilegium, sola prohibitione iuris positiui, alia est, an sit sacrilegium ex eo, quòd polluit Ecclesiam. Hîc enim non tractamus priorem, nam de illa inferiùs dicemus, sed tractamus tantùm posteriorem, quæ optimè locum habet etiamsi hoc sacrilegium sit de iure positiuo. Ratio (quam etiam in dicto loco insinuaui) est, quia effectus ille moralis polluendi Ecclesiam, per se, & vt sic, non est culpa, sed veluti pœna, & ad modum censuræ, actus autem prohibitus ab Ecclesia sub censura, vel irregularitate, non ideò est malis, quia per illum incurritur censura, sed ideò incurritur per illum censura, quia malus est, esto sit malus, quia prohibitus, ergo idem erit in præsenti. Minor declaratur: nam cum Ecclesia prohibet furtum sub excommunicatione, non est actus malus, quia per illam incurritur censura, sed potiùs quia malus est, ideò illi imponitur censura. Respondent, non esse simile, quia per illas prohibitiones non constituitur furtum in alia specie vitij præter iniustitiam, quam ex se habet. Sed contra; nam idem erit, si non omne furtum, sed illud tantùm, quod fit in loco sacro prohibeatur sub excommunicatione ob reuerentiam loci sacri. Quia tunc etiam non ideò committitur sacrilegium, quia incurritur excommunicatio, sed potiùs è contrario, quia illud est tale crimen, ideò imponitur excommunicatio, & tamen actus ille furandi in Ecclesia accipit specialem malitiam sacrilegij ratione prohibitionis. Idem esset, si ipso iure interdiceretur locus, in quo aliquod crimen fieret; non enim illud opus crimen esset, quia per illud interdiceretur Ecclesia, sed è conuerso, quia tam graue crimen esset, ideò tam graui pœna puniretur. Quod verum est, siue illud crimen sit tale, quia prohibitum ab Ecclesia, siue prohibeatur, quia de se malum est, & siue sit sacrilegium, siue quodlibet aliud vitium. Idem videre licet in omni irregularitate, quæ est pœna, semper enim supponit culpam, siue contra ius diuinum, siue contra Ecclesiasticum. Et optima ratio in omnibus aliis est, quia pœna supponit culpam, præsertim pœna spiritualis, & ideò præceptum Ecclesiæ prohibẽs sub censura, vel propria pœna spirituali, vel priùs supponit actum esse culpabilem; vel priùs facit illum esse culpabilem prohibendo illum, & tunc ratione illius fert censuram, aut pœnam. In præsenti autem licet hic effectus polluendi Ecclesiam, non videatur propria pœna, se habet ad modum pœnæ, & in odium talis sacrilegij, & ad exaggerandum illud ille moralis effectus ei adiungitur, ergo eodem proportionali modo intelligenda est prohibitio.

8. An ex eo solum quod actus polluat Ecclesiam, sit peccatum mortale.

Addo præterea, quod licet Ecclesia statuat, vt per talem actum polluatur Ecclesia, intrinsecè non sequitur actum illum esse peccatum mortale, nisi vel formaliter prohibeatur, vel aliàs de se malus sit in eo gradu; valdè námque dubium est, an propter solum effectum polluendi Ecclesiam, actus ille tam prauus fiat: declaratur per comparationem ad irregularitatem, si enim Ecclesia non prohibeat aliquem actum, sed tantùm statuat, vt qui illum fecerit, fiat irregularis, non sequitur, peccare tunc mortaliter, qui facit illum actum, vt constat in omnibus actibus criminalis iudicij, per quos incurritur irregularitas ex defectu lenitatis, quæ non facit illos actus esse peccaminosos in laicis. Imò multi existimant, quod nisi illis actus essent per se interdicti Clericis, non peccarent grauiter exercendo illos, propter solum periculum irregularitatis, quod magis incertum est, quia Clerici fortasse tenentur ratione sui muneris irregularitatem vitare. Ad hunc ergo modum cum hæc pollutio Ecclesiæ non sit vera macula in illa, sed solùm impedimentum quoddam morale per Ecclesiam positum, vt in tali Ecclesia non possint diuina officia celebrari, donec purificetur, efficere actum, per quem tale impedimentum introducitur, non esset fortasse mortale peccatum ratione huius impedimenti, & quasi nocumenti illati Ecclesiæ, si actus ipse in se non esset priùs ab Ecclesia prohibitus. Et ita supponit Angelus verbo. *Debitum coniugale*, num. 35. ait enim per maritalem copulam in Ecclesia habitam, etiam in casu neneſſitatis pollui Ecclesiam, & nihilominùs coniuges tunc non peccare mortaliter, quia eis tunc non prohibetur copula; licet enim illud falsum sit; tamen apertè sentit hic auctor; illa duo non esse repugnantia, & rationem culpæ sumendam esse non ex pollutione, sed ex prohibitione. Vnde licet fortasse talis culpa aggrauetur ratione talis quasi nocumenti moralis, propter maius scandalum, quod inde oritur, & propter incommodum fidelium, primaria nihilominùs ratio talis culpæ non inde sumitur, sed ex irreuerentia, quæ fit Ecclesiæ, vel ex natura talis actus, vel supposita Ecclesiæ prohibitione. Sicut quando furtum in Ecclesia prohibetur sub censura excommunicationis, aggrauatur quidem culpa ex eo, quod fit contra talem censuram propter maiorem contumaciam, scandalum, & nocumentum proprium, nihilominùs tamen substantialis culpa, (vt sic dicam) quæ ibi interuenit, non est ratione censuræ, sed ratione prohibitionis quam supponit censura.

Angel.

9. Iura, quæ de Ecclesiæ violatione

Neque obstat, quod Iura, quæ de Ecclesiæ violatione in his casibus loquuntur, non permittant expressam prohibitionem efficiendi talem actum in Ecclesia

loquuntur, supponunt prohibitionem.

cleſia, nam ſine dubio illam ſupponunt. Imò ſi quis attentè conſideret, neque ille effectus violationis Eccleſiæ per huiuſmodi actus ibi inſtituitur, ſed ſupponitur, & ex illius ſuppoſitione aliquid ordinatur, vt in

Ca. *Si motum*

cap. *Si motum*, de Conſe. d. 1. dicitur, *Si homicidio, vel adulterio Eccleſia violata fuerit, diligentiſſimè expurgetur, & denuò conſecretur.* Vbi non inſtituit, ſed ſupponitur violatio, & de remedio prouidetur, & in cap. *Sequenti*,

Ca. *Sequenti.*

ſimiliter dicitur, Eccleſias conſecratas non eſſe iterùm conſecrandas, niſi exuſtę, vel ſanguinis, aut ſeminis effuſione pollutæ fuerint, eodemque modo loquuntur

Ca *Propoſuiſti.* Cap. *Aqua.* Ca. *Si Eccleſia.* Cap. *Vnic. Concil. Nican. Gratian. Canon. Eccleſiis.*

capit. *Propoſuiſti*, cap. *Aqua*, cap. *Si Eccleſia*, extra de Conſecr. Eccleſ. &c. & capite vnic. eod. titul. in 6. Vnde nō eſt dubium, quin tam prohibitio hæc, quàm inſtitutio antiquior ſit, quàm hæc iura Decretalium, nam tempore Concilij Nicæni iam erat in vſu, Gratianus enim Concil. Nicæno tribuit dictum Canonem, *Eccleſiis*, quanquam nunc inter Canones omnes Concilij Nicæni non habeatur. Antiquior verò eſt Canon, *Si motum*, quem ex Hyginio Gratianus refert, & ille etiam loqui videtur de hac violatione per talia crimina, vt de re antiquiori. Igitur verba Canonum nón obſtant, quin intelligamus, à principio, quando hæc inſtitutio incepit, prohibitas fuiſſe has actiones in Eccleſia ſub eo grauamine, & quaſi cenſura, vt ſi fierent, Eccleſia pollura maneret. Nec denique obſtat, quòd Auctores interdum ex effectu polluendi Eccleſias colligant prauitatem actionis, & malitiam ſacrilegij, tum quia non eſt profeſſo has rationes diſtinguunt, & conſiderant, ſed moraliter per modum vnius de illis loquuntur; tum etiam quia argumẽtantur potiùs à ſigno, ſeu à poſteriori, quàm à priori ex cauſa. Adde, multos illorum ponere primam radicem huius malitiæ ſacrilegij in prohibitione Eccleſiæ eodem modo, quo in furto facto in Eccleſia, vt ſtatim referemus. Alij verò priùs ponunt rationem talis culpæ in irreuerentia, quæ fit loco, & deinde coniungunt effectum polluendi Eccleſiam, vt patet in Supplem. Ga-

Gabr.

brielis in 4. d. 32. qu. vnic. concl. 11. vbi ait, *in Eccleſia abſtinendum eſſe à coitu propter loci reuerentiam*, ecce rationem primariam, ſimpliciter neceſſariam, *& ne ſeminis emiſſione polluatur*, ecce rationem ſecundariam, & planè non neceſſariam ad talem malitiam; ſufficeret enim Eccleſiæ prohibitio, licet effectus violationis non eſſet adiunctus, ſicut ſufficit in furto ſacrilego, & aliis, de quibus infrà dicemus.

10. An hi actus ſint ſacrilegi ſolū quia prohibentur ab Eccleſia.

Iam verò occurrebat tractanda altera quæſtio, videlicet, an hi actus ſint ſacrilegi ſolum quia ab Eccleſia ſunt prohibiti, vel de ſe, & natura rei habeant adiunctam ſacrilegij malitiam, eo ipſo quod in Eccleſia fiunt? In qua nonnulla ſunt clara, quæ hic poſſunt breuiter expediri, alia verò coniuncta ſunt cum dicendis in capite ſequent. & illùc remittuntur. Primò ergo certum videtur duos vltimos caſus de ſepultura excommunicati, & Pagani in Eccleſia, fundari proximè in Eccleſiaſtica prohibitione. Prior enim magis pertinet ad effectus cenſuræ excommunicationis, quam ad peculiarem reuerentiam, vel immunitatem Eccleſiæ, vt conſtat ex dicto loco quinti tomi. Effectus autem cenſuræ ex inſtitutione Eccleſiæ tantùm ſunt, vt in eodem tomo in principio oſtendimus. Nec dici poteſt, cenſuram eſſe de Iure Eccleſiaſtico, illa autem poſita, de Iure naturali eſſe, vt excommunicatus non ſepeliatur in ſacro: Nam cenſura non habet determinatum eſſe, (vt ſic dicam) nec definitam amplitudinem natura ſua, ſed tantum ex inſtitutione. Vnde potuiſſet Eccleſia priuare excommunicatum vi cenſuræ ab omni communicatione Eccleſiaſtica, dum viuit; non priuando illum ſepultura poſt mortem ex vi cenſuræ, (hoc enim nullam repugnantiam, nec inordinationem inuoluit.) Hoc autem poſito, ex vi talis cenſuræ non eſſet malum, excommunicatum in loco ſacro ſepelire, nam cenſura, vt ſic, non facit indignum ſepultura Chriſtiana, niſi ipſa id formaliter prohibeat, vt patet de ſuſpenſione, & eſt etiam probabile de interdicto generali perſonali. Quòd ergo nunc excommunicatus non ſit in Eccleſia ſepeliendus, prouenit ex immediata prohibitione Eccleſiæ, nam tota cenſura eſt quædam Eccleſiaſtica prohibitio, ſeu collectio prohibitionum, (vt ſic dicam,) latiúſque declaraui in principio materiæ de Cenſur. Ergo hæc prohibitio immediatè eſt de Iure poſitiuo; ad naturale autem non pertinet, niſi remotè, quatenus ius naturæ dictat, poſitiuas leges eſſe ſeruandas, vt in eodem loco dixi. Et ſignum huius manifeſtum eſt, quia nunc poteſt ſepeliri in Eccleſia excõmunicatus occultus, ſeu non vitandus ſolùm quia Eccleſia quoad hoc abſtulit prohibitionem ſuam, ergo hæc prohibitio non aliter oritur ex cenſura, niſi quatenus ipſamet prohibitio formaliter includitur in cenſura.

11. Ex ſepultura excõmunicati vitãdi non pulluitur Eccleſia ex natura rei.

Addo etiam, ex hac prohibitione ſepeliendi excommunicatum vitandum in Eccleſia, non ſequi ex natura rei per ſepulturam eius pollui Eccleſiam, ſed ad hunc effectum neceſſariam fuiſſe nouam legem inducentem illum effectum, quatenus prohibet in tali Eccleſia celebrari diuina, donec corpus excommunicati extrahatur, & Eccleſia reconcilietur: Niſi enim Eccleſia hoc ſpecialiter ſtatuiſſet in dicto capit. *Conſuluiſti*, ex vi prohibitionis non ſequebatur, cum non habeat intrinſecam connexionem, nec enim ex quacunque tranſgreſſione graui Eccleſiæ præcepti circa Eccleſiæ immunitatem ſequitur Eccleſiæ pollutio, vt patet de vi illata Eccleſiæ infringendo ſeras, & ſpoliando illam, & ſimilibus: Neque in cadauere hominis excommunicati eſt tanta malitia, vel alia praua affectio, vt per ſe, & natura ſua reddat illum locum ineptum ad celebrationem diuinorum. Fecit ergo hoc rigor Eccleſiaſticæ diſciplinæ in aggrauationem illius cenſuræ, & odium contumaciæ, propter quam fertur. Et in hoc caſu conſtat euidenter, quod diximus, non ideò eſſe malum, ſepelire excommunicatum in Eccleſia, quia illam polluit, ſed potiùs quia illud malum eſt, ideò Eccleſia alteram prohibitionem addidit, ratione cuius Eccleſia pollui dicitur. Vnde ſepultura excommunicati non denunciati nunc polluit Eccleſiam, quia per Eccleſiam nō prohibetur. Et idem argumentum ſumi poteſt à ſepultura hominis perſonaliter interdicti, prohibita enim eſt in Iure, tamen per illam non polluitur Eccleſia, quia hoc inſtitutum non eſt.

Cap. *Conſuluiſti.*

12. Vtrum polluatur Eccleſia per ſepulturã hominis perſonaliter interdicti.

Quanquam de hoc puncto noua poſſit moueri quæſtio, videlicet an per ſepulturam hominis perſonaliter, & nominatim interdicti polluatur Eccleſia? quam appello nouam, quia non inuenio illam motam à Doctoribus, quos conſulere potui in dicto cap. *Conſuluiſti*, nec à Summiſtis verbo *Conſecratio*, vbi de hac materia tractant, nec à Nauar. in Manuali, cap. 27. nu. 256. vbi hos caſus explicat, nec mihi occurrit, vel in 3. tomo. cum illos exponerem, vel in 5. agenti de hoc effectu interdicti diſp. 35. ſect. 3. Quanquam ex quibuſdam verbis, quæ in fine illius ſect. habentur, colligere quis poteſt, etiam in illo caſu Eccleſiam pollui. Verba autem ſunt. *An verò ſi talis perſona* (id eſt nominatim interdicta) *de facto ſepeliatur, exhumanda ſit, donec abſoluatur, idem dicendum cenſeo, quod de perſona excommunicata, quia quoad hunc effectum æquiparantur in Iure.* Igitur licet de interdicto id non exprimatur, per æquiparationem cum excommunicato idem de illo dicendum videtur. Nam hæc paria iudicantur, iuxta Gloſſam in capit. 1. verb. *Obſeruari*, de Sent. excomm. in 6. per illum textum, & alia, quæ allegat. Item facit, quod Turrecr. in cap. *Nullus*, 12. q. 1. numerans quin-

Gloſſ.

Turrec.

decim

decim casus, in quibus aliquis prohibetur sepeliri in Ecclesia, subiungit, in illis omnibus cadauer exhumandum esse, iuxta dictum c. *Consuluisti.*

15. Auctoris iudicium.

Nihilominùs probabilius censeo, in eo casu non pollui Ecclesiam. Quod videntur mihi supponere Doctores, & ideò nullam mentionem de interdicto feciſſe, nam certè valdè verisimile est, aliquem eorum fuisse in traditurum, vel insinuaturum, si ita sensisset. Ratio verò est, quia in Iure non exprimitur, nec pœnæ sunt extendendæ, nec æquiparatio habet locum in materia pœnali; maximè quia excommunicatio multò grauior censura est, quàm interdictum: Item quia excommunicatio magis priuat omni communicatione, quàm interdictum. Nec in dictis verbis oppositum insinuauimus. Nam verum quidem est, cadauer hominis interdicti in Ecclesia sepultum exhumandum esse, quia expresè priuatur sepultura Ecclesiastica; & ideò si per vim, vel alio modo illam habuit, non est permittendum, illam retinere. Item quia capit. *Sacris*, de Sepulturis, non de excommunicatis tantùm, sed, *De præcisis ab Ecclesia*, loquitur, cum dicit exhumanda esse talia corpora; at interdicti etiam sunt ab Ecclesia præcisi, vt ibi Panorm. num. 1. in fine notauit. Et ideò dixi in citatis verbis quoad hunc effectum æquiparari in Iure. Ex quibus verbis potest per argumentum à contrario intelligi quoad alium effectum polluendi Ecclesiam, non esse faciendam æquiparationem, quia Iure non fit. Quapropter si contingat, tale corpus interdicti non exhumari, non erit prohibitum celebrare in tali Ecclesia, quia nullibi inuenitur talis prohibitio, & quando postea exhumatum fuerit, non erit necessaria noua consecratio, aut expurgatio Ecclesiæ, quia nullibi etiam postulatur. Nec æquiparatio inter illas censuras in omnibus facienda est, aliàs non essent distinctæ, sed in his, quæ generaliter censuræ, vt sic conueniunt, vel in Iure exprimuntur, vt patet ex cap. 1. & cap. *Is cui*, de Sentent. excomm. in 6. Ex quibus potest sumi argumentum ab speciali, non esse æquiparationem indifferenter, & in omnibus inter hæc faciendam, vnde ad dictum Turrecr. suprà respondeo, multò minus probabilem videri æquiparationem illam, seu illationem ab excommunicato sepulto in Ecclesia ad omnem illum prohibitum ibi sepeliri, propter alia peccata, quæ non habent excommunicationem annexam; vt propter vsuras, & similia. Contra hanc enim illationem multò fortiùs procedunt rationes factæ, & ipsa nullo Iure, vel ratione fundatur. De quo nonnulla addam in sequenti casu.

Cap. Sacris.

Panor.

Cap. 1. Cap. *Is, cui.*

14. De sepultura hominis pagani.

Alter enim casus de sepultura hominis Pagani planè fundatur in Iure merè positiuo prohibente, huiusmodi corpora sepeliri in locis sacris, seu Ecclesiis: Nam licet dici possit eò ipso, quòd Ecclesiæ & earum cœmeteria destinantur pro sepulchris fidelium, illicitum esse, infideles ibi sepelire; hoc erit verum, si intelligatur illa dedicatio esse exclusiuè pro solis fidelibus sepeliendis, & sic in idem redit, quia illa institutio voluntaria fuit Ecclesiæ, & consequenter humana, & in ea inuoluitur satis expresè, ac formaliter dicta prohibitio. Accedit, quòd nomine infidelis ibi intelligitur omnis nō baptizatus, vt Doctores exponūt, vnde comprehenditur filius infans Christianorum, qui mortuus fuit, priusquam posset baptizari; at hoc perfectò non potest ex natura rei prouenire, quia videri poterat puer ille habere ibi ius sepulturæ ratione patris, nec in eo esset intrinseca templi irreuerentia, cum corpus illud non fuerit propriis peccatis maculatum, nec sit ignibus inferni tradendum, esto, non sit glorificandum; est ergo ex sola prohibitione Ecclesiæ. Item comprehenditur ibi etiam catechumenus fidelis, si enim antè baptismum re ipsa susceptum moriatur, non est in Ecclesia sepeliendus propter illa iura, & per illam generalem regulam, quòd quibus non communicamus viuis, neque etiam communicamus defunctis; catechumeni verò non sunt capaces Sacramentorum ante baptismum, nec in sacrificiis, & suffragiis communibus cum fidelibus communicant, & ideò nec defuncti in Ecclesia esse debēt. Tota verò hæc est institutio Ecclesiastica fundata in ratione congrua, per se autem, & intrinsecè id non esse malum cum illi iusti esse possint, ergo illa prohibitio simpliciter humana est.

15. Obiectio.

Dices, saltem esse per se, & intrinsecè malum ibi sepelire infidelem adultum, quem constat esse damnatum. Respondeo, idem argumentum fieri posse de quolibet publico peccatore, vel desperato fideli, etiā si excommunicatus non sit; nam etiam constat, hunc esse damnatum. Hæc verò ratio prohibitionis non pertinet ad casus, de quibus nunc tractamus, id est, ad eos quibus Ecclesia polluitur, quia ex eo quòd publicus peccator mortuus impœnitens sepeliatur in Ecclesia, non polluitur Ecclesia, cum in Iure hoc non sit expressum; quamuis ergo ex illo capite id esset per se malum, non esset ratione infidelitatis vt sic, quod nunc agimus, sed ratione magis vniuersali, quia est corpus hominis damnati ad gehennam. Addo verò, etiam illam prohibitionem non esse de Iure diuino, seu naturali, considerando præcisè sanctitatem loci sacri, & reuerentiam eo titulo illi debitam, sed ex alia Ecclesiastica institutione pendere. Primum patet, quia licet aliquis in peccato mortali moriatur, potest aliquis humanus honor eius corpori deferri propter alios titulos dignitatis Ecclesiasticæ, vel ciuilis; aut propter honorem quendam, ac decentiam ipsorum viuentium; aut denique propter aliquam humanitatis demonstrationem cum illo ostendendam ob aliquam coniunctionem; ergo secluſa Ecclesiæ prohibitione, non videtur per se, & intrinsecè malum, illud cadauer in Ecclesia sepelire propter hanc humanitatem, vel honorem humanum, si Ecclesia non prohibuisset. Quia illa intentio mala non est, & actio non ita est contra reuerentiam Ecclesiæ de se, & intrinsecè, vt sit illi iniuriosa, quia licet corpus defuncti non possit iuuari ad spiritualia bona ratione loci sacri, in quo sepelitur, tamen non deformat, nec inhonorat locum sacrum, nisi aliunde id prohibeatur. Altera verò pars declaratur, quia Ecclesia ideò vult fideles in loco sacro sepeliri, vt ibi iuuentur suffragiis, & orationibus viuentium, & vt ibi tanquam sacrum depositum collocentur, donec ad vitam beatum resurgant: & ex hac intentione, & institutione Ecclesiæ orta est prohibitio, vt nullus in peccato mortali defunctus, ita vt de peccato, & impœnitentia publicè, ac moraliter, vel ex præsumptione iuris constet, in loco sacro sepeliatur: Quæ prohibitio hoc modo colligitur ex c. *Quibus*, & quatuor sequentibus, ca. *Quæsitum*, ca. *Fures*, 13. q. 2. Et pertinere censetur ad Ecclesiæ immunitatem, quam ex institutione Ecclesiæ habet, vnde contraria transgressio ad illas maximè pertinet, quæ contra Ecclesiæ immunitatem committuntur, de quibus infrà dicturi sumus.

Satisfit.

Ca. *Quibus.* Ca. *Quæsitū.* Ca. *Fures.*

16.

De aliis verò tribus casibus, in quibus Ecclesia polluitur, cum clarum sit, effectum illum polluendi Ecclesiam, consistere tantum in vi prohibitionis iuris Ecclesiastici, dubitari potest, an illæ actiones, quibus ille effectus annexus est, sint iure diuino in Ecclesia prohibitæ, vel etiam solo humano Iure. Sed de his actionibus simul cum aliis dicemus in capit. sequent. Nam eadem est ratio dubitandi in omnibus. Tandem inquiri hîc potest, quid nomine Ecclesiæ, vel loci sacri in hoc puncto intelligendum sit. Sed hoc, quantùm pro materiæ necessitate mihi sufficere visum est,

dixi

dixi in dicto 3.to.disp. 81. sec.4. Et specialiter illa explicui, aliqua, addendo pro quarto casu de excommunicato in Ecclesia sepulto (eademque ratio est de infideli) in 5.tomo.disp. 12.sect.4.num.6.& 7. Qui verò plura desiderat, videat Sanchem dicto lib.9.de Matr. disp.15 quæst.3.

CAPVT III.

An omne opus profanum in templo factum, sit contra loci sanctitatem.

1. CONstat ex proprietate vocis, profanum Religioso opponi; illud enim profanum appellamus, quod Religiosum non est, Vnde est illud, Ezechiel.22. *Inter sanctum, & profanum non habuerunt distantiam.* Potest autem hæc oppositio intelligi vel negatiuè tantùm, vel positiuè, & contrariè. Priori modo dicetur profanus omnis actus, qui ad Religionem, & cultum Dei non spectat. Et hæc significatio non deseruit præsenti instituto; nam vt certum supponimus, non omnes actus, qui in Ecclesia fiunt, & ad Religionem, vel cultum Dei non spectant, eo ipso sacrilegos esse, vel sanctitati loci contrarios. Probatur primò, quia possunt esse actus boni aliarum virtutum, & non Religionis, nec ex imperio eius, vt actus eleemosynę, actus patientiæ & similes. Hi autē nec propriè profani dici possunt, nec mali fiunt ex illa circunstantia, quia nullum est præceptum diuinum, vel humanum prohibens in Ecclesia omnes actus, qui non sunt virtutis Religionis, etiam si honesti sint; vel præcipiens, vt ibi fiant ex imperio, & relatione Religionis, & non aliter: Non enim sunt talia præcepta gratis, & sine maiori fundamento confingenda. Secundò quia possunt esse actus indifferentes, qui si fiant propter honestum finem, & cum aliis circunstantiis debitis, iam erunt honesti in indiuiduo, & sic erit eadem ratio de illis, quæ de aliis honestis; si verò fiant propter malum finem, erunt peccata, & ita dubitari non potest, an non tantùm negatiuè, sed etiam aliquo modo contrariè opponantur sanctitati loci, ideóque pro alio membro de oppositione positiua relinquendi sunt: si verò (iuxta probabilem opinionem) in indiuiduo maneant indifferentes ex parte finis, & ex aliis circunstantiis, non est verisimile, ex hoc solùm quod actus in Ecclesia factus caret honestate specifica Religionis, & in vniuersum omni honestate, esse iniuriosum loco sacro, aut inde accipere malitiam aliquam sacrilegij, etiam leuissimam. Probatur eodem ferè discursu, quia nulla lex positiua prohibet, omnes actus tales fieri in templo, nullibi enim extat, nec traditione habetur: nec etiam ex solis principiis naturæ potest talis prohibitio colligi, etiam supposita sanctitate loci, quia ratio naturalis non dictat, esse debitum sanctitati loci, vt in eo nihil omninò fiat, nisi opus, vel Religionis, vel saltem alicuius virtutis: ex quo enim principio naturali, potest hæc obligatio colligi? Item ratio naturalis solùm dictat, nihil esse faciendum in Ecclesia contra reuerentiam ei debitam, at facere actum indifferentem non est contra reuerentiam debitam tali loco, ergò.

Dupliciter potest actus esse profanus.

Prior modus.

2. Obiectio. Dices, nonnullam esse irreuerentiam loci sacri, eo vti vt loco communi, & non sacro, sic autem illo vtitur, qui actus non bonos in illo operatur, etiamsi mali non sint. Respondeo negando Maiorem, si in eo vsu nihil speciale includatur sanctitati loci contrarium, nam locus sacer generalem rationem loci retinet, possumus ergo illo vti, vt locus tantùm est, & vt habet generales commoditates loci, videlicet quod defendit, tegit, recreat, &c. non vtendo illo, vt sanctus est; dummodo nequid contra illius sanctitatem faciamus.

Occurritur.

Neque verò hinc sequitur, omnem actum de se indifferentem in Ecclesia factum, esse etiam licitum, vel non esse irreligiosum, quia nec de omni actu aliàs honesto id admittimus: solùm ergò dicimus, ex eo, quod est indifferens, non sequi, esse irreligiosum factum in Ecclesia, an verò aliūdè possit aliquis actus indifferēs, vel etiam honestus habere specialem repugnantiam, vel indecentiam in loco sacro, statim videbimus.

3. De actibus profanis posteriori modo sumptis. 1. Sententia, *Caiet.*

Supereſt ergò quæstio de actibus profanis posteriori modo, id est, aliquomodo positiuè repugnantibus loco sacro, vt sacer est: Et de his actibus sunt inter Doctores variæ sentētiæ. Prima docet, nullum actum esse hoc modo contrarium loco sacro natura sua, & secluſa formali intentione operantis, sed tantùm ex positiua lege Ecclesiæ prohibentis, ne talis actus in tali loco fiat in illius loci reuerentiam. Ita sentit Caiet. 2.2.quæst. 99. ad 5.dubium, quod erat, in quo consistat directè agere contra sanctitatem loci, vt propriè sit sacrilegium. Respondet enim, consistere in hoc, quod est, incurrere voluntariè in illud, ad cuius contrarium inest sanctitas loco, vt verbi gratia, ad hoc vt non possit inde aliquis extrahi violenter, vel aliquid huiusmodi. & in to.1.Opusc.tract.31.qui est 17. Responsionum in 12.dub. 2. addit propositionem exclusiuam, tunc circunstantiam loci sacri esse circunstantiam necessariò confitendam alicuius actus, quando ille est prædicto modo contra sanctitatem loci sacri, & non aliter, scilicet, quando agitur contra id, ad quod locus consecratur, vel sanctificatur. Sanctificari autem ad hunc, vel illum effectum, solùm est ex lege positiua statuente, vt hoc, vel illud non fiat in tali loco in irreuerentiam eius, quia hoc ex sola rei natura denifiniri non potest, etiam supposita talis loci benedictione, vt constat exemplis, quæ vtroque loco adducit, & ideò in priori loco statim subiungit, posse Ecclesiam sua prohibitione facere, vt sit sacrilegium, quod de se tale non erat, sentiens per huiusmodi prohibitionem id fieri, & non aliter. Idem significauerit, licet non tam clarè idem Caiet.1.2.quæst.7.vbi addit, omne peccatum aggrauari ex circunstantia loci sacri per accidens, id est, in sua malitia specifica, non verò nouam speciem malitiæ contrahendo. Hanc etiam opinionem apertè tenet Sot. libr.2.de Iust.q.4.art.4.§. *Sed ais*, vbi dicit, Sacrilegium in loco sacro esse ratione Ecclesiastici statuti, vt si sanguis, vel semen in loco sacro effundatur; Imò addit, *Locum sacrum non contaminari, nisi duobus dictis modis, nam etsi in Ecclesia* (inquit) *peieres, vel blasphemes, non est sacrilegium.* In quibus verbis illa exclusiua incredibilis mihi est, sed paulatim est in sequentibus impugnanda. Idem videtur sentire Vict. in Sum.4.q.196.quatenus negat, locum sacrum esse circunstantiam necessariò confitendam nisi in casibus prædictis. Item Angles. in Flori.qu. 9.in diffic. An locus sacer in quolibet peccato speciem mutet, & Nauar. in Manuali, c.6.n.11.§. *Sexto*, clariùs, & latiùs in cap. *Considerent*, de Pœnit.d. 5.in principio.n. 19. 20. 21.& 39.quem Gutier. sequitur lib.1.Canon. q.ca.31. n.35. Idem opinatur Sanches lib.9. de Matr. disp.15. n.5.vbi alios modernos refert.

Soto. Victor. Angl. Nauar. Gutier. Sanches.

4. Probatur hæc opinio.

Hæc sententia suaderi potest, quia non omnia peccata facta in loco sacro sunt sacrilegia, ergo quòd aliqua sint sacrilegia, & non alia, non potest aliundè discerni, quàm ex Ecclesiæ prohibitione, secluſa intentione formali directa, & sacrilega operantis, vt excludi supponimus. Antecedens supponitur ferè à dictis Auctoribus vt manifestum, quia aliàs illa circunstantia esset semper in confessione aperienda, quod est durum, & inusitatum. Et ratio à priori esse debet, quia non omne peccatum ex eo, quòd in Ecclesia fit, habet ex natura rei specialem repugnantiam cum ratione, si quis enim in Ecclesia temerè de proximo

ximo iudicat, aut epistolam scribit cõtinentem mortalem culpam, nihil agit habens specialem repugnantiam cum ratione recta ratione talis loci. Hæc autem regula discernendi circunstitias addentes specialem malitiam traditur à D.Thom.4.d. 16.qu.3.art. 2. quæst. 3. ergò. Et confirmatur, qũia hac ratione non omne peccatum commissum à persona sacra, vel contra personam sacram est sacrilegium, vt docet S. Thom.2.2.quæ. 99. art.3. ad 3. Ergò idem à fortiori de loco sacro dicendum est. Prima consequentia probatur: Quia nulla ratio reddi potest, cur furtum in Ecclesia factum sit sacrilegium, non verò mentiri decipiendo alium, vel etiam falsum iurando, nisi quia vnum est ab Ecclesia specialiter prohibitum, & non aliud. Item, dare alapas alteri in Ecclesia, non est speciale sacrilegium, vulnerare autem, & sanguinem effundere est speciale sacrilegium. Item pollui in Ecclesia, vel fornicari est speciale sacrilegium, habere autem in Ecclesia tactus impudicos, &c. non est speciale sacrilegium, secluso morali periculo pollutionis. In his autem, & similibus non potest ex sola rei natura assignari ratio, vel differentia, ergò tantùm prouenit ex lege positiua Ecclesiæ id prohibente, & quasi constituente in his, & non in aliis, loci sanctitatem.

D.Thom.

5. Simile argumentum fieri potest de actibus non malis; nam quidam actus de se non mali, vel etiam boni, si in Ecclesia fiant, sunt sacrilegia, alij verò minimè, ergò hæc differentia non potest reuocari, nisi in Ecclesiæ prohibitionem. Antecedens quoad posteriorem partem satis est in principio huius dubij declaratum: Quoad priorem verò patet exemplis. Nam matrimonialis copula de se non est actus malus, imò bonus, & tamẽ in Ecclesia factus extra casum necessitatis est sacrilegiũ. Item iudicare per se non est malum, nec vendere, aut emere, & tamen si in Ecclesia fiant, nunc sunt sacrilegia, ergò tota ratio huius sacrilegij in prohibitionem Ecclesiæ reducẽda est. Vnde confirmatur generaliter prior pars: nam circunstantia, quæ per se non potest trãsferre actum de non malo in malum, nisi interueniat specialis prohibitio, non potest addere actui aliàs malo nouam speciem malitiæ, nisi ratione specialis prohibitionis. At circunstantia loci sacri non potest transferre actum de non malo in malum, nisi interueniat specialis prohibitio, vt patet de iudicio, mercatura, &c. Ergò neque quando actus est aliunde malus, fit sacrilegium ratione loci, nisi ratione Ecclesiasticæ prohibitionis.

6. Secunda sententia superiori ferè omninò contraria in primis affirmat, omne peccatum in Ecclesia factũ esse sacrilegium ex ipsa rei natura, & secluso Ecclesiæ statuto. Deinde affirmat, ex aliis actibus, qui extra Ecclesiam peccata non sunt, aliquos esse sacrilegia, si in Ecclesia fiant, sæpe quidem ex prohibitione speciali Ecclesiæ, interdum verò etiam ex natura rei. Hanc sententiam, præsertim quoad priorem partem tenent multi Auctores. Vt autem eos sine æquiuocatione referamus, supponamus abstractè nos loqui de malitia diuersæ speciei, seu cõtra Religionem, siue illa sit mortalis in illa specie, siue venialis: Hoc enim pendebit ex circunstantiis, vt infra videbimus. Sic ergò tenet illam opinionem Siluest. verb. *Confessio.* 1. qu. 10. fatetur enim omne peccatum factum in loco sacro habere specialem malitiam sacrilegij saltem venialem: indicat verò nunquam esse mortalem, nisi in tribus casibus ab Ecclesia prohibitis suprà numeratis in principio huius capitis, hoc tamẽ magis declarat in aliis locis statim referendis. Eandem sententiã tenet, magisque illam declarat Cordub. in Sum. q. 190. ait enim, omne peccatum mortale in Ecclesia factũ esse mortale sacrilegiũ, si verò sit veniale, etiam in ratione sacrilegij esse tantùm veniale; & licet in principio loquatur de peccatis luxuriæ, in fine extendit sermonem ad omnia peccata mortalia. Allegátq; Siluest. in Rosaur. q. 63. quæ est in tract. 3. inter impertinentes, ibi tamen nõ constituit tam generalem regulam. Tamen ita videtur exponere ver. *Sacrilegium §. Quintum*, & clariùs ver. *Immunitas*, 1. num. 5. ibi enim fatetur, actum de se malum, vel notabiliter deformem in Ecclesia factum esse graue sacrilegium etiam in casibus ab Ecclesia non prohibitis. Eandem opinionem tenet Med. Cod. de Confes. q. de Circunstantia loci sacri. Referri etiam potest pro hac sententia Anton. 3. par. tit. 14. cap. 19. §. 7. Vbi ex sententia diui Thomæ ait, circunstantiam trahere peccatum in aliud genus, quãdo habet specialem repugnantiam ad aliud præceptum diuinæ legis. Sicut furtum, ait, ratione loci sacri habet specialem malitiam sacrilegij: *quia repugnat præcepto, quod est de veneratione sacrorum*, quod præceptum non est Ecclesiæ, sed naturalis, ac diuinæ legis. Præterea ex vltima parte assertionis videtur necessariò inferri prima. Nam si aliqui actus, qui non sunt peccata, facti in loco sacro sunt sacrilegia propter irreuerentiam loci sacri, quam ex natura sua secum ferunt, secluso prohibitione Ecclesiæ, profectò multò magis erũt sacrilegia omnia peccata commissa in Ecclesia, quia magis sunt contra reuerentiam debitam loco sacro.

Medin. Anton.

Vltimam ergo partem docet clarè D. Tho. 1. Corinth. 11. lect. 4. exponens illa verba: *Nunquid domos non habetis ad manducandum? Non enim* (inquit) *est licitum domum Dei, quæ deputata est profacris vsibus, communibus vsibus applicare. Vnde & Dominus*, Ioan. 2. *Eiecit vendentes, & ementes de templo, dicens, Domus mea domus orationis vocabitur, &c.* Addítque subinde D. Tho. in necessitate licitum esse, *vti Ecclesia ad comedendum, & bibendum, & ad alios* (inquit) *vsus licitos*, sentiens extra necessitatem etiam ad licitos vsus harum rerum communium non licere; ad illicitos verò nunquam. Sentítque hanc obligationem oriri ex natura rei ex ipsa Ecclesiæ sanctitate, & consequenter oppositum esse contra Religionem, & sacrilegium. Ad hoc etiam videtur alludere Chrysost. in eum locum, Homil. 27. *Quarta* (inquit) *accusatio est, quia non solùm pauperes, sed etiam Ecclesia afficitur contumelia, sicut enim Dominicam cœnam facis priuatam, etiam rursus locum, vtens Ecclesia tanquam domo.* Et idem significat ibi Ambrof. dicens, *Domi hæc esse agenda, non in Ecclesia, vbi vnitatis, & mysterij causa conuenitur, non dissentionis, & ventris.* Quæ verba etiam vsurpauit Anselm. & subiungit, *Ecclesiam Dei ad orationem, & ad percipienda Sacramenta consecratam, contemni, dum in ea irreuerenter carnales cibi sumuntur.* Et in commentariis Hieronymo attributis, ad illa verba, *Aut Ecclesiam Dei contemnitis?* rectè additur, *Facientes eam trielinium epularum.* Sic etiam Basil. in Reg. breui. regul. 310. ex verbis Pauli colligit, communes epulas non esse in Ecclesia manducandas. Sentiunt ergo hi Patres ex natura rei, & ex fine, ac consecratione Ecclesiæ illicitum esse, in ea huiusmodi actiones communes efficere, etiamsi alioqui peccata non sint, multò ergo magis hoc dicent de omnibus peccatis. Quod eandem confirmari potest ex verbis Hieronymi contra Vigilant. *Ego consilior timorem meum, ne forte de superstitione descendat, quando iratus furo, & aliquid malè in meo animo cogitauero, & me nefarium phantasma deluserit, basilicas Martyrum iumare non audeo, ne mens & animo, & corpore pertremisco.* Quid ergo sentirent Hieronymus de audacia committendi peccatum intra Ecclesiam?

D.Thom. *Ioan.2.* *Chrysost.* *Ambros.* *Ansil.* *Hier.* *Basil.* *Hier.*

Hæc quidem posterior sententia magis ad veritatem accedere videtur, aliqua tamen indiget explica-

7. Iudicium Auctoris.

tione. Vt ergò distinctè, & in particulari declaretur, quid in hoc prohibitum sit specialiter, & quo iure, & consequenter quando operatio illicita in Ecclesia sit propriè sacrilegium mortale, aut veniale, multa in particulari dicere necesse est, & ideò in sequentibus capitulis paulatim exponetur.

CAPVT IIII.

De Actionibus forensibus in templis prohibitis, ob eorum reuerentiam.

1. ANte omnia supponendum est, Ecclesiam habere potestatē ita prohibendi actiones aliquas in locis sacris fieri, vt eo ipso sacrilegæ sint cōtra huiusmodi prohibitionem factæ, etiam si de se tales non sint. Hæc est certa, & communis sententia omnium Doctorum, quos retuli cap. præced. & in sequentibus referam. Declaratúrque ex illa doctrina de legislatore humano, qui habet potestatem constituendi actum præceptum in certa specie virtutis, iuxta materiæ capaciratem, & similiter actum prohibitum in certa specie vitij. Dices, legislatorem non posse facere, vt actus per suam legem fiat illius virtutis, cuius antea non erat, sed posse tantùm facere, vt actus virtutis, qui non erat necessarius intra illam virtutem, posita lege, sit necessarius ad seruandum medium illius virtutis: vt quando præcipitur ieiunium, non fit per præceptum, vt ieiunium sit actus temperantiæ, nec videtur hoc fieri posse per legem; tùm quia hoc pendet ex materia quasi intrinseca actui, quam lex nec dare potest, nec auferre, tum quia lex, vt præcipiat, videtur supponere rationē virtutis in actu, quia supponit honestatem; solùm ergò facit illa lex, vt actus ieiunij, qui de se est actus virtutis temperantiæ, non tamen necessarius, fiat necessarius ratione legis; ergò in præsenti si actus de se non est Religionis; non potest per legem Ecclesiæ fieri Religionis. Et consequenter nec contrarius actus poterit fieri sacrilegium propter prohibitionem.

2. Satisfit. Respondeo in primis non esse eandem rationem de actu virtutis, & vitij, nam ex vi legis humanæ prohibentis actum, incipit esse vitium, quod antea non erat, & simpliciter, & in tali specie, vt comedere carnes in die Veneris est intemperantia posita prohibitione Ecclesiæ, cum antea non esset: & idem videri potest in iniustitia, & aliis. Et ratio est, quia lex potest præscribere medium virtutis in materia eius, quo medio existente, incipit esse vitiosus in eadem materia recessus ab illo, cum antea non esset vitiosus, quia illud non erat medium, & ita non erat recessus à medio. Item quia malitia est carentia bonitatis debitæ in esse: Vnde eandem carentia, quæ antea erat pura negatio, & ideò non erat mala, incipit ratione præcepti esse priuatio, quia iam est debita contraria bonitas. Vnde respondendo ab obiectionem fateor, legem supponere materiam aptam, vt in ea constituatur medium talis virtutis, & hac ratione posse (regulariter loquendo) in tali materia actum talis virtutis exerceri absque lege, si ratio per se possit medium sufficiens ad talem honestatem ibi inuenire, licet seclusa lege non iudicet esse necessarium, lex autem facit, vt illud medium sit necessarium, & (vt ita dicam) vnicum. Hoc autem totum in præsenti materia spectare licet. Nam abstinere à deambulatione, verbi gratia, in Ecclesia propter reuerentiam eius, etiam seclusa lege, est bonum, & ad materiam Religionis spectans; si ergò addatur lex id præcipiens intuitu reuerentiæ templi, faciet, illud esse necessarium intra illam virtutem, & consequenter faciet contrarium actum esse sacrilegium: Idem est de actu vendendi, & emendi, iudicandi, & similibus, nam cessatio ab his operibus in loco sacro ob sanctitatem eius de se est materia apta ad honestatem Religionis, & ad actum eius, etiam secluso præcepto, ideóque lex potest intra illam virtutem facere illum actum necessarium, & contrarium irreligiosum. Idem videre licet in præcepto abstinendi ab opere seruili in die festo, nam ante præceptum illud non erat necessarium ad virtutem Religionis, erat tamen mataria apta, vt posset intuitu Religionis obseruari. Vnde etiam secluso præcepto potuisset aliquis id velle actu honesto, & religioso, vt siquis velit intra hebdomadam vno die vacare ab illis operibus, vt se totum tribuat cultui Dei, etiam secluso præcepto, honestè, ac religiosè id facere poterit. Præceptum ergò Ecclesiæ, quod illo intuitu materiam illam prohibet, intra virtutem Religionis legem constituit, & ideò commissio contraria sacrilegium est solùm contra legem humanam.

3. Duplicitèr posse actum fieri sacrilegum.

Secundò suppono, duobus modis posse fieri sacrilegium aliquem actum ratione legis positiuæ, qui absque illa talis non esset. Vno modo tantùm antecedenter, seu præsuppositiuè: alio modo formaliter, per proprium, & directam prohitionem, vt verb. grat. quòd res aliqua sanctificetur hoc, vel illo modo, & ad talem finem, pendet ex positiua lege vel Christi, vel Ecclesiæ; & tamen postquam res consecrata est iuxta illam legem, sine noua prohibitione erit sacrilegium aliquid facere circa illam rem, quod, si fieret circa illam rem non sanctificatam, sacrilegium non fuisset. Vt verbi gratia sanctificatio Chrismatis, vel olei infirmorum ex lege Ecclesiastica pendet, tamen illa posita, sacrilegium est, oleum illud contemnere, vel irreuerenter tractare, etiamsi hoc non esset formaliter ab Ecclesia prohibitum; tunc ergò dicimus sacrilegium pendere ex lege positiua præsuppositiuè, seu antecedenter. Formaliter autem pendet, quando præsuppositа rei sanctificatione talis actus circa illam non esset sacrilegium, nisi per se, ac separatim esset prohibitus, vt in dicto exemplo, etiam suppositа sanctificatione Chrismatis, non esset peccatum, illud seruare in domo particulari, & propria: si autem accedat præceptum Ecclesiæ, vt in templo tantùm seruetur, & inde non extrahatur, incipiet oppositum esse sacrilegium ex formali Ecclesiæ prohibitione. In hac ergò assertione loquimur de sacrilegio circa locum sacrum, quod ratione formalis prohibitionis tale est, & sine illa non esset, etiam suppositа consecratione Ecclesiæ, & dedicatione eius ad talem finem; nam aliud genus sacrilegij, quod dicitur ex præsuppositione tantum legis positiuæ, re vera potius est ex vi legis naturalis dictantis sancta sanctè tractanda esse, quamuis rei sanctitas ex humana sit institutione: sicut peccatum contra votum, peccatum est, contra legem naturalem, quamuis pendeat præsuppositiuè ex voluntate humana voluntariè prommittentis: Si ergò respectu loci sacri est aliquod sacrilegium huiusmodi, illud ex natura rei esse dicemus, & in sequenti assertione de illo agemus.

4. Tertiò aduertò ex superioribus, actiones forenses duplices esse, quasdam pertinentes ad Placitum, seu strepitum iudicij, alias ad mercatum, seu negotiationem. De vtrisque ergò in hoc capite tractamus, de aliis verò postea dicemus.

5. Dico ergò primò. Placitum ex Ecclesiæ prohibitione in templis fieri non potest, vnde si fiat, sacrilegium committitur, quamuis absque prohibitione Ecclesiæ non semper esse sacrilegium, etiam suppositа institutione templorum, & illorum sanctificatione. Hæc vltima pars per se clara est, & pro nunc supponitur, quia actus iudicij per se non est malus, vt con-

vt constat, nec videtur adeò indecens, vt semper includat intrinsecam irreuerẽtiam contra locũ sacrum, de quo in sequenti puncto plura dicã. Prior ergo pars probatur primò ex c. *Cum Ecclesia*, de Immunit. Eccl. Circa quod aduertendum in primis est, ibi non prohiberi simpliciter omne placitum, sed solùm, *in causis, vbi de sanguinis effusione, & corporali pœna agitur*. Hæc enim sunt formalia verba textus. Ex vi ergo illius textus non potest illa prohibitio vlteriùs extẽdi; vnde pro ratione additur. *Absurdum enim est, & crudele, vbi iudicium sanguinis exerceri, vbi est tutela refugij constituta*. Quæ ratio in causis ciuilibus locum non habet, ergo nec prohibitio ex vi illius textus, de alio enim statim videbimus. Secundò ex parte loci extenditur illa prohibitio ad Ecclesias, & cœmeteria; credidẽrim tamẽ id additum esse maioris explicationis gratia; nam facta prohibitione pro Ecclesia, censetur esse facta pro cœmeterio, quia sub illa comprehenditur, tanquam accessorium sub principali, licet non conuertatur, arg. cap. vnic. de Cõsec. Eccles. in 6. quod loquitur de pollutione cœmeterij, eadem autem ratio procedit in præsenti, vt constat.

Cap. *cum Ecclesia.*

A

B

6. Denique additur in illa prohibitione, *sub interminatione anathematis*, quod certum est, intelligendum esse de censura ferenda, nõ ipso iure lata, vt ex vi verborum constat, & Glossa ibi communiter recepta notat. Item talis pœna nõ extenditur extra causam sanguinis, quia pœna non debet extendi vltra formalia verba legis. Et fortasse ideò Lucius III. in illo textu de solis causis criminalibus locutus est, quia in illis tantùm voluit pœnam addere. Quamuis autem ipse non prohibuerit placitum in Ecclesia circa alias causas, tamen si antea facta erat prohibito, illam non abstulit. Atque ita Glossa ibi ad verbum *Sanguinis effusione*, addit, *maximè*, quia etiam causæ ciuiles seculares (inquit) *prohibita sunt*. Videríque potest illa prohibitio ante Lucium III. inueniri in cap. 1. eod. tit. de Immunit. Eccles. vbi dicitur, nõ posse iudices domos Ecclesiarum ad placitum faciendum vendicare. Vnde Glossa, & omnes Doctores à fortiori colligunt idem intelligi de ipsis Ecclesiis. Et sanè meritò, tum quia maiori ratione immunitate hac gaudẽt Ecclesię, quàm earũ domus, nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis, tum etiam quia ipsa Ecclesia est quædam domus, quæ (vt ita dicam) magis est sua, seu iuris sui, quàm domus eius sint sub ipsius iure.

Gloss.

Luc. 3.

C

D

7. An Episcopi cõcessione possit placitum in Ecclesia fieri.

Aduerto tamen, quòd licet ex illo textu tanta colligatur prohibitio in Ecclesia, quanta in domibus Ecclesiæ, non tamen maior, quantum est ex vi illius legis, quia formaliter solùm loquitur de domibus Ecclesiæ, & per vim rationis extenditur ad Ecclesias, ergò eadem ad summum potest colligi prohibitio. Quamuis autem inde habeamus prohibitionem, ne iudices seculares agant Placita in Ecclesiis, quasi iure suo, aut præscriptione vtentes, vel consuetudine, non tamen videtur haberi absoluta prohibitio, ita vt etiam consentientibus Prælatis Ecclesiæ; non possint ibi Placita exerceri, vel ipsis Prælatis prohibitum ibi sit; ne talem licentiam præbeãt. Probatur, quia (vt dixi) tanta est ibi prohibitio de domibus Ecclesiæ, quãta de Ecclesiis; at non obstante illo textu, possunt iudices seculares Placita facere in domibus Ecclesiarum ex concessione Ecclesiæ, vt expressè ibi notat. Abbas, dicens: *Intelligo, quòd in domo Ecclesiæ non debet secularis ius reddere, quando propria auctoritate, quasi ex iure publico electi sibi mansionem in domo Ecclesiæ*. Quod probat ex illo verbo textus, *Quasi pro consuetudine. Secus autem puto*, (ait) *vbi haberet domum illam conductam ab Ecclesia, vel gratis concessam*. Ergò idem dici poterit respectu Ecclesiæ. Potest etiam hoc confirmari alia æquiparatione; nam ibi æquè, & eisdem verbis prohibetur his secularibus ministris hospitium, ac Placitum in domibus Ecclesiarum, at hospitium non simpliciter prohibetur, sed ne illud iure suo vendicent, nam ex liberalitate Ecclesiæ, vel alio voluntario pacto id prohibitum non est, vt etiam Glossa notauit, ergò idem dici poterit de Placito.

E

Abb.

Confirmatur aliter.

Gloss.

8. Videtur ergò prohibitio illa alterius rationis, & immunitatis ab ea, de qua nunc tractamus. Ibi enim non consideratur specialis sanctitas Ecclesiæ, & proprius finis eius quatenus est domus orationis, & diuini cultus, vt ea ratione prohibeatur simpliciter Placitum in illa, sed consideratur libertas Ecclesiæ in se, & in bonis suis, ratione cuius non possunt laici ea sibi subiicere ad aliquam veluti seruitutem, & onus temporale: & ideò non videtur ibi prohibitio simpliciter, sed tantum, ne possint iudices seculares quasi iure suo vtentes ibi Placita facere. Tandem potest hoc declarari ex alia differentia notanda inter prohibitionem illius textus, & de qua nunc agimus. Nam illa extenditur nõ solùm ad actus inuoluntariæ iurisdictionis, sed etiam voluntariæ, quia ad nullos potest iudex secularis ius sibi vsurpare in domibus Ecclesiæ, at verò prohibitio, de qua nunc tractamus, nõ extenditur ad actus iurisdictionis voluntariæ, vt mox dicemus. Vnde difficile reperietur (vt opinor) in antiquiori Iure tam absoluta prohibitio.

9. At in Iure nouiore satis expressè facta, vel declarata est per Gregor. 10. cum Concilio Lugd. in c. *Decet*, de Immunit. Eccles. in 6. *Omnis* (inquit) *in Ecclesiis secularium iudiciorum strepitus conquiescat, nulla inibi causa per laicos, criminalis maximè agitetur, sint loca eadem à laicorum cognitionibus aliena*. Quod autem hæc prohibitio facta sit intuitu tantùm Religionis, & sanctitatis ipsius loci, constat ex principio textus, *Decet domum Domini sanctitudo, decet, vt cuius in pace factus est locus, eius cultus sit cum debita veneratione pacificus, &c.* Vnde iuxta hanc prohibitionem, & rationem eius nullo modo, aut titulo permitti potest hic actus in Ecclesia, etiam ex consensu Clericorum, quia est absoluta prohibitio, & ratio eius est generalis, & independens à voluntate, seu concessione Prælatorum; illa enim non obstante, semper talis actus est cõtra quietem, & pacem, quæ in illo loco postulatur.

Gregor. 10. Conc. Lugd. Cap. Decet.

10. Obiectio.

Dices, hac ratione probaretur, etiam ipsos Clericos iudices non posse sua Placita Ecclesiastica in Ecclesiis exercere, quia etiam illa sunt contra pacem, & quietẽ in Ecclesia, & domo orationis necessariã. Respondeo ita sensisse Decium in ca. *Qua fronte*, de Appellat. nu. 1. & ad id ponderat, quòd in dicto cap. *Decet* dicitur, *Cessent cuiuscunque fori tumultus*. Sed hæc verba non sunt ad rem, quia non intelliguntur de foro iudiciali, sed de foro (vt sic dicam) locali, seu materiali, vt bene intellexit Nauar. suprà num. 46. Et constat ex contextu, & quia aliàs repugnarent illa verba sequentibus, in quibus expressa adhibetur limitatio. Respondeo igitur negando sequelam, quia non potest lex contra sua verba extendi propter rationem suam, quia potest legislator vti sua ratione, quantùm, & quomodo velit; in illa autem prohibitione bis fit expressè limitatio prohibitionis ad laicos iudices, & ad secularium iudiciorum strepitus. Et alioqui sacri Canones non solùm permittunt, sed etiam monent, vt Ecclesiasticæ causæ in Ecclesia fiant, in cap. vltim. 2. quæst. 2. vbi Turrecr. intelligit esse præceptum. Sed Glossa in dicto capit. *Cum Ecclesia* rectè dicit, non esse de necessitate, sed de quadam honestate, arg. capit. *Qua fronte* ibi, *Prout est Canonicum, & honestum*. Atque ita fuisse semper limitanda, & intelligenda antiqua Iura, docuerunt cum Glossa Panormitanus, & alij Doctores ibi, & in dicto cap. 1. de Immunit. Eccles.

Respõdent. *Decius.* Cap. *Decet.*

Nauar.

Cap. *vlt.*

Turrecr. *Gloss.*

Cap. *Qua fronte.*

Panor.

11. Proponuntur duæ difficultates.

Sed vrgebit quis interrogando, cur prohibitio A non fuerit vniuersalis, cum ratio generalis videatur? Item cum in die festo prohibeantur etiam Placita Ecclesiastica, cur non in loco sacro? Ad hoc tacitè respondent Glossa & Panormitan. suprà dicentes, voluisse Ecclesiam iudicia sua in Ecclesiis fieri, *Vt propter loci reuerentiam magis caueant à periuriis, & mendaciis.* At enim ob hanc rationem etiam secularia iudicia deberent ibi permitti. Respondeo, potuit Ecclesia in hoc habere maiorem rationem suorum iudiciorum, & causarum, quàm secularium. Item potuit consulere honestati suorum Clericorum, sicut in cap. *Testimonium*, 11. quæst. 1. dicitur, Clericum, vt testimonium dicat, in Ecclesia esse examinandum. Denique meritò præsumit Ecclesia, Ecclesiastica iudicia cum minori strepitu esse transigenda, & breuiori tempore; ac denique iudicem ipsum Ecclesiasticum maiorem curam habiturum, vt sine indecentia loci fiant. Alia verò ratio est de die festo; quia minùs debent occupari illo tempore in his forensibus actionibus personæ Ecclesiasticæ, quàm seculares. Sed licet hæc vera sint, nihilominùs negari non potest, quin satis conueniens sit, vt etiam Placita Ecclesiastica extra Ecclesiam fiant in Episcopali palatio, vel in alio loco commodo, vt habet vsus, & significatur in dicto capit. *Qua fronte.* Hinc autem intelligi facilè poterit, hanc prohibitionem esse Ecclesiasticã, & de iure positiuo, saltem magna ex parte; pendet enim ex arbitrio, & coniecturis humanis, neque in opposito actu intrinseca malitia semper inuenitur; An verò aliquando inueniatur, infrà dicam.

Instantia. Expeditur.

Cap. *Testimonium.*

Explicatur altera difficultas.

Cap. *Qua fronte.*

12. Hęc prohibitio sub mortali obligat.

Dicõ secundò, illa prohibitio ex suo genere sub mortali culpa obligat, quia materia est satis grauis, & necessaria ad communem pacem & spiritualem Ecclesiæ vtilitatem. Item pertinet ad virtutem Religionis, vt declaratũ est, ergo ex suo genere sub mortali obligat. Item quoad causas sanguinis hoc prohibetur sub anathematis vinculo; vnde nullum potest de his esse dubium. De aliis verò negare videtur Siluester num. 5. Sed veriùs credo de omnibus, quia materia omnium est satis grauis, & non est dubium, quin prohibitio de se sit rigorosa: Nam ibi præcipitur Ordinariis, vt ibi *interdicta*, obseruari faciant, vbi expendenda est vox *interdicta*, quæ rigorosum præceptum dicit, vnde ibi distinguũtur *interdicta*, ab aliis, quæ ibi tantum suadentur. Et de prioribus additur, vt ordinarij ad illa cauenda seculares compescant, vbi Gloss. addit *per censuras, vel alias pœnas.* Ergo signum est, hanc esse obligationem grauem, & necessitatem inducentem.

Silvest.

Gloss.

13. Placita in Ecclesia facta annullari.

Deinde in eodem §. non solùm prohibentur huiusmodi Placita, sed etiam annullatur quicquid in eis actum fuerit intra Ecclesiam, nam de *Processu, & sententia* dicitur, *omni careant robore firmitatis.* Quod eodem modo exponendum est, quo similem irritationẽ de actis in die festo declarauimus. Aduertit autem, & B benè Panor. in dicto cap 1. de Immunit. Eccles. hanc irritationem non extendi ad Placita, quæ in domibus Ecclesiæ, extra Ecclesiam fiunt, quia in dicto cap. *Decet* de solis Ecclesiis sermo est, & irritatio, cum sit odiosa, non debet extendi. Quod sequitur Siluester ver. *Immunitas*, 1. quæst. 1. Limitant item Panorm. in dicto ca. *Cum Ecclesia*, & Siluester suprà, irritationem ad acta iurisdictionis inuoluntariæ, ita vt acta voluntariæ iurisdictionis licet secularia sint, & in Ecclesia fiant, sint valida. Vnde consequenter dicere debent, illa non esse prohibita, tùm quia ibi sola illa acta irritantur quæ prohibentur; tum etiam quia est eadem ratio quoad verborum proprietatem. Ratio ergo esse debet; quia sub strepitu iudiciali non solent in Iure comprehendi acta iurisdictionis voluntariæ. Item quia actiones voluntariæ iurisdictionis, vt dispensationes, & similia in die festo validè fiunt, vt suprà dictum est, ergo & in loco sacro, nam in Iure eisdem ferè verbis prohibentur, & irritantur. Denique isti actus fauorabiles sunt.

Placita, quæ fiunt in domibus Ecclesiæ, non irritari. *Panorm.* Cap. *Decet. Silvest.*

Acta iurisdictionis voluntariæ neque irritantur, neque prohibẽtur. *Panor. Silvest.*

Addit nihilominùs Abbas, quod si huiusmodi actus concernant pietatem, non solùm validè, sed etiã licitè fiunt in Ecclesia, si verò pietatem non concernant, licet validi sint, non tamen licitè fiunt intra Ecclesiam; nam idem censuit suprà de diebus festis. Dico tamen ex vi iuris positiui nõ magis prohiberi hos, quàm illos, quia in dicto ca. *Decet*, non prohibentur, vt ratio facta clarè probat, si consequenter loquendum est, & in cap. 1. extra, Eod. non est absoluta prohibitio, vt suprà ostendi, neque in alio Canone reperitur. At verò ex natura rei etiam non est per se prohibitio talis in Ecclesia, vt suprà dixi. Interdum verò, si impediant Ecclesiæ quietem, vel officia, non fient honestè in Ecclesia, etiam si actus iurisdictionis voluntariæ sint: ex ratione generali infra tractanda, hoc autem potest contingere in actu pio, vt in subuentione pupilli, quando necessitas non vrget, vt in Ecclesia fiat, & potest æquè commodè extrà fieri.

14. *Abbas.*

Ex quibus obiter constat, quid dicendum sit de quibusdam actibus publicis, qui cum Placito habent quandam similitudinem. Vnus est collatio gradus Doctoratus. De quo certum est, non esse prohibitum, C vt in Ecclesia fiat, quia re vera non est Placitum; neque actus iurisdictionis contentiosæ, neque sub alia generali ratione, neque in propria specie inuenitur prohibitus. Et consuetudo idem declarat; nam ita fit in grauissimis Academiis; & ita docent Ioan. And. Panorm. & alij in dicto cap. *Cum Ecclesia*, & Silvest. suprà. At ex natura rei interdum potest esse indecens, vel illicitum, si fiat tempore incommodo, & cum perturbatione diuinorum officiorum, vel alia circunstantia indecente pro illo loco. De quo latiùs Naua. in cap. 5. de Orat. num. 37. §. *Quarto sequitur*, & sequentibus.

15. Quid dicendum de collatione gradus doctoralis.

Ioan. Andr. Panor. Silvest.

Nauar.

Alius actus est conferre, vel Concilium seculare facere in Ecclesia de rebus temporalibus, & politica D gubernatione. Hæc enim non censentur prohibita sub nomine Placiti; vnde nec in festo sunt simpliciter prohibita. Et ita dicendum est ex vi illius specificæ prohibitionis (vt sic dicam) non prohiberi, nihilominùs per alia verba interdici in dicto cap. *Decet: Cessent in locis illis Vniuersitatum, & societatum quarumlibet Concilia, Conciones, & publica Parlamenta.* Quod omninò videtur intelligendum, quando materia talium actuum est merè temporalis, ac secularis: nam, si sit de re Ecclesiastica, vel pertinente ad pietatem, non est prohibita, vt benè Ioannes Andreas ibi, & Panormitanus notarunt.

16. Concilium seculare an prohibitum in Ecclesia.

Ioan. And. Panor.

Deniq; ex eisdem Iuribus colligunt Doctores, Ecclesiã non debere ad vsus belli conuerti, vt in illa, munitio, vel quasi arx constituatur. Quod maximè colligunt ex dicto cap. *Cum Ecclesia.* Nam si causæ sanguinis in Ecclesia nõ sunt tractandæ, multò minus est in ea constituendus locus ad sanguinem effundendum, & homicidia facienda deputatus. Ita ferè Innocent. & Panormitanus ibi, Silvest. *Immunitas*, 1. quæst. 1. §. *Quarto*, Angelus num. 4. sed hoc intelligendum est extra casum necessitatis occurrentis in bello defensiuo, tunc enim licere, iidem Auctores notant. Estque manifestum, quia licet Ius esset expressum, cessaret ob necessitatem, multò ergo magis cum in hoc casu expressum non sit, sed per illationem. Et optimè hoc confirmari potest ex capit. *Relinqui*, de Custod. Eucharist. Addítque Siluester ex Hostiens. debere id fieri de licentia Episcopi per se loquendo, quod

17. Ecclesia non debet conuerti ad vsus belli extra casum necessitatis. *Cap. Cum Ecclesia. Innocent. Panor. Silvest. Angel.*

Ca. *Relinqui Silvest. Hostiens.*

Cap. 1. quod rationi valde conſentaneum eſt, & cap. 1. de Immunit. Eccleſ.

18. Mercatus non poteſt fieri in templo. Cap. Decet, Synod. 6.

Dico ſecundò, Mercatus eſt etiam actus iure Eccleſiaſtico prohibitus in templis fieri. Habetur hæc prohibitio in d.cap. *Decet*, his verbis; *Ceſſent in Eccleſiis, earúmque cæmeterijs negotiationes, & præcipuè nundinarij, ac fori cuiuſcunque tumultus.* Idem probatur ex 6. Syno. & in 3. tom. diſputatione 81. ſect. 8. §. *Secundo ex hoc*, ſufficienter tractaui, quantum ad materiam moralem ſpectat, neque aliquid hîc addere neceſſarium videtur. Addi verò hîc poſſunt, quæ ſuprà in ſimili puncto de Mercato in feſtis prohibito dixi; nam eiſdem fere verbis fit in iure vtraque prohibitio: & ita ſenſit Gloſſa in dicto cap. *Decet*, ver. *Proceſſus*; Vbi aduertit, quòd licet peccent, qui faciunt contractus mercium in Eccleſia per illum textum, nihilominùs contractus validi ſunt, quia in iure non irritantur, nec comprehenduntur ſub irritatione Placiti, quia illa, cum ſit odioſa, non eſt extendenda; & in vtroque conſentit Panorm. in dicto cap. *Cum Eccleſia*, num. 6. & 7. & Silueſt. ver. *Immunitas* 1. num. 3. & 4. Et conſtat etiam ex dictis de contractu facto in die feſto. Et videri etiam poteſt Nauarr. dicto cap. 5. de Orat. num. 32. 35. & 36. atque 37. Vbi hanc prohibitionem latiùs explicat.

Gloſſ. B

Panor. Cap. Cum Eccleſia. Silueſt. Nauarr.

19. An hęc prohibitio ſit de iure Eccleſiaſtico. Ioan. 2. Matth. 21. Alex. Papa. Ca. Ex multis.

Dubitare autem poteſt aliquis, cur hunc actum hîc numeremus, quia hæc prohibitio nō videtur eſſe Eccleſiaſtici iuris, ſed diuini, ac naturalis. Nam Chriſtus Dominus in veteri templo hoc reprehendit tāquam C graue crimen Ioan. 2. & Matth. 21. Imò aduertit Alexand. Papa in cap. *Ex multis*, 1. q. 3. *Et ſollicitè cōſiderandum* dicit, *quod per totum textum ſancti Euangelij nuſquā reperitur, Dominum tanta ſeueritate, támque diſtricta cenſura iuſſiſſe, peccantes corripuiſſe, &c. Sicut illos vendentes, & ementes in templo.* Et licet idem Pontifex illud ſtatim transferat ad ſenſum myſticum per illos vendentes, & ementes ſimoniacos intelligens, quod etiam Gregor. Bedá & alij tradiderunt, ibidem relati in capitulis ſequentibus, nihilominùs certum eſt, ad literam reprehendiſſe Chriſtum, & corripuiſſe irreuerentiam, quæ per illas negotiationes templo fiebat, vt ſatis declarant illa eius verba, *Auferte iſta hinc*, & D *nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Nihil ergo aliud Chriſtus in illo actu culpauit, niſi iniuriam templi, quia in loco ſacro, & orationis actibus deputato, profanæ negotiationi, ac lucro intendebatur; culpauit autem Chriſtus actum illum, non quia poſitiuo præcepto legis talis negotiatio in templo ſpecialiter eſſet prohibita, quia nec tale præceptum inuenitur, nec Chriſtus illud allegauit, ſed ſola veluti naturali ratione ſumpta ex templi ſanctitate, & fine vſus eſt: ergo multò magis nunc eſt hoc per ſe malum ex ipſo diuino, ac naturali iure.

Gregor. Beda.

20. Enodatur. Nauarr.

Respondeo valde probabile hoc eſſe, ideóq; ſimpliciter aſſerui, in citato loco tom. 3. hoc prohiberi, E quia malum, quod etiam de aliis actibus dixi, & Nauar. in cap. *Qualitas* de Pœnit. d. 5. num. 23. fatetur, eos quos Dominus eiecit de templo, malè feciſſe ratione circunſtātiæ loci, & ideò fuiſſe à Domino correptos.

Cap. Decet. Et ita etiam interpretatur dictum cap. *Decet* de Immunit. in 6. dicens, multa ibi reprobari, quia ob circunſtātiam loci mala ſunt. Hæc verò ita intelligenda ſunt, vt non de omnibus, & ſingulis actibus in indiuiduo accipiantur, ſed de actibus his à toto genere, vel etiam regulariter. Dupliciter enim de negotiatione loqui poſſumus. Vno modo generatim, & ſecundùm intrinſecam rationem ſuam, & ſic dicere non poſſumus eſſe ex natura rei intrinſecè malum omnem actum negotiationis, ſeu mercaturæ intra Eccleſiam factum; quia in indiuiduo poteſt actus in ſe eſſe honeſtus ex obiecto, nempe iuſtitiæ, & ex fine aliquo honeſto, & poteſt fieri tali modo, vt ſine perturbatione Eccleſiæ, vel alio incommodo fiat, ergò tunc non haberet de ſe malitiam ſacrilegij ratione loci. Interdum verò poſſet aliquam habere tantummodo venialem, & leuem, ſi in modo contendendi, vel vociferandi, aut alio ſimili eſſet aliquis exceſſus.

Dupliciter poſſe ſpectari negotiationem. Primus modus.

Aliquis actus negotiationis in tēplo fieri poteſt.

21. 2. Modus. Negotiatio ex ſuo genere ratione naturali prohibetur in templo fieri.

Aliter tamen loqui poſſumus de negotiatione, & mercatura ex ſuo genere; & ſic dici meritò poteſt, rationem naturalem dictare mercaturam non eſſe in templo exercendam, quia ex ſe habet magnam improportionem cum tali loco; eſtque actio multis periculis peccatorum expoſita, vt non immeritò Chriſtus Dominus dixerit, facere Eccleſiam locum negotiationis nihil aliud eſſe, quàm facere illam ſpeluncam latronum. Quia in negotiatione ſecundùm ſe, & moraliter ſpectata nunquam deſunt furta, fraudes, periuria, & ſimilia, quæ templi ſanctitati valde repugnant. Vnde in Imperfecto Chryſoſt in Matth. Homil. 38. & habetur in cap. *Euciens*, d. 88. dicitur: *Euciens Dominus vendentes, & ementes de templo, ſignificauit, quia homo mercator vix, aut nunquam poteſt Deo placere.* Sic etiam dixit Leo Papa epiſt. 90. alias 92. & habetur in cap. *Qualitas*, de Pœnit. d. 5. *Difficile eſt inter ementis, vendentiſque commercium non intervenire peccatum.* Sic ergo talem actum exercere in loco ſacro, malum ex ſuo genere dici poteſt, maximè ſi frequenter fiat, & faciendo Eccleſiam domum negotiationis, licet neceſſe non ſit, omnes, & ſingulos actus eſſe malos; Id autem ſatis eſt, vt actus ſimpliciter prohibeatur per legem poſitiuam, quia licèt non ita habeat intrinſecè malitiam, vt ex natura rei inſeparabilis ab ipſo ſit in omni indiuiduo, habet tamen vt plurimum; leges autem morales attendunt id, quod ſæpius accidit, & periculis, ac incommodis moralibus occurrunt, & multa in indiuiduo prohibent, quæ ſecundùm ſe mala non eſſent. Atque ita hæc prohibitio abſoluta de iure Eccleſiaſtico dici poteſt, quia illa poſita, iam non tantum ex genere, ſed in indiuiduo omnis talis actus prohibitus eſt, & malus, quamuis ſemper talis prohibitio magnum fundamentum habeat in naturali lege. Et eodem modo cum proportione intelligenda ſunt, quæ de aliis actibus dicemus.

Chryſoſt. Ca. Euciens.

Leo Papa. Cap. Qualitas.

CAPVT V.

De *actionibus furti in templo prohibitis Eccleſiaſtico iure.*

1. Furtum in Eccleſia prohibetur iure Eccleſiaſtico.

HOc eſt tertium genus operum, quæ ob templorum reuerentiam in eis fieri Eccleſia peculiariter prohibuit, quam prohibitionem Ioannes Papa in cap. *Quiſquis*. 17. q. 4. his verbis declarauit. *Sacrilegium cōmittitur auferendo ſacrū de ſacro, vel non ſacrum de ſacro, aut ſacrum de non ſacro.* Ex quibus tribus membris, tertium non ſpectat ad præſentem materiam, dicitur enim quis furari ſacrum de non ſacro, quando calicem ver. gra. vel alia bona Eccleſiæ, quæ ſacra cenſentur, rapit non de templo, ſed in alio loco non ſacro inuenta, & ita furtum illud non habet rationem ſacrilegij ex circunſtantia loci, de qua ſola nunc tractamus, ſed ex conditione rei, ſeu materiæ, circa quam furtum verſatur; de quo genere ſacrilegij diximus in alio opere de Immunitate bonorum, & perſonarum Eccleſiaſt: carum: Et videri poteſt Iacob. Menoch. lib. 2. de Arbit. Iud. Centu. 4. caſu 289. Vnde etiam primum membrum, quatenus hoc caput includit, cum tertio coincidit, quoad alteram verò partem cum ſecundo conuenit, & ex illius declaratione conſtabit, an illud primum furtum ex duplici capite ſacrilegium ſit.

Menoch.

De illo ergò ſecundo membro aliter ius Ciuile,

Aliter ius Canonicũ, aliter Ciuile videtur disponere in furto rei nõ sacræ de tẽplo. *Bartol. Iul. Clar.*

quàm Canonicum disponit; nam in l. *Diui*, ff. Ad leg. Iul. Peculatus, *Res priuatorum, si in eadem sacram deposita, surrepta: fuerint furti actionem, non sacrilegij esse.* Vbi Glossa simpliciter ait, in eo casu non committi sacrilegium, imò nec in tertio, quando sacrum de non sacro surripitur, sed tantùm quando vtrunque concurrit; & idem tenet Bartol. ibi. Et communiter legis periti, vt refert Iul. Clar. lib. 5. §. *Sacrilegium*, num. 1. Et ita ipse distinguit, secundùm ius Ciuile tantum in primo casu censeri sacrilegium, quando sacrum de sacro aufertur: Secundùm verò ius Canonicum quodlibet sufficere. Veruntamen ius Ciuile non statuit de peccato, an tale sit, necne: sed solùm de actione, quæ in criminali foro contra huiusmodi furem datur, de hac enim apertè loquitur dicta lex, quæ potuit habere apparentem rationem, etiamsi tale peccatum non sit immune à malitia sacrilegij: quia directè, & quasi per se, iniuria, & nocumentum fit Domino rei furto sublatæ, & ideò illi datur actio, non loco, cui indirectè, & quasi per accidens iniuria fit; Domino autem rei non competit actio sacrilegij, sed furti. Quòd verò furtum illud in se adiunctam habeat malitiam sacrilegij, non videtur contrarium iuri Ciuili: Nam in l. *Aut facta*, ff. de Pœnis, dicitur: *Locus facit, vt idem, vel furtum, vel sacrilegium sit*, id est, vel tantùm furtum, vel etiam sacrilegium. Et licet dici posset hoc procedere quando res est sacra; tamen vix afferri potest ratio, cur locus habeat hanc vim circa rem sacram, & non circa alias, vt nimirum furtum rei sacræ, quod aliàs non esset sacrilegium, fiat sacrilegium adiuncta circunstantia loci, & non ita fit in furto rei non sacræ.

Ius Ciuile cum Canonico conciliatur.

Leg. *Aut facta.*

3. Circa hoc dissensio est etiam inter Theologos.

Sed omisso iure Ciuili, ad quod non spectat propriàs rationes vitiorum, & peccatorum in ordine ad conscientiam discernere, sed solùm in ordine ad politicam gubernationem, aut vindictam: etiam inter Theologos videtur esse in illo secundo membro opinionum diuersitas. Quidam enim simpliciter negant esse sacrilegium furari rem laicam de Ecclesia: Cuius opinionis videntur fuisse Victoria, & Soto locis citatis cap. 3. in 1. opinione. Nam generaliter excludunt alios casus sacrilegij, ratione loci sacri, præter effusionem sanguinis, & seminis; vnde idem Soto lib. 5. de Iust. quæst. 3. art. 1. §. *Hinc ineptè*, explicando, quando furtum sit sacrilegium, ait, *Si quod furto rapitur, res est sacra: sacrilegium dicitur.* Vnde significat, si de loco sacro surripiatur, nunc etiam solùm esse sacrilegium ratione rei acceptæ, & conditionis eius, non ratione loci. Et hoc fortasse modo defenderet Soto generalem exclusiuam, quam in alio loco posuit, scilicet quia licet alia sacrilegia fiant in loco sacro præter effusionem sanguinis, & seminis, non tamen propter solam contaminationem, vel irreuerentiam loci, sed ex aliis titulis, vt hîc, propter rem sacram inde sublatam. Atque ita in 4. distinct. 18. quæst. 2. art. 4. §. *De die*, ait, non esse necessarium confiteri circunstantiam loci sacri, nisi quando illic effunditur vel semen, vel sanguis, *vel surripiuur res Ecclesiæ.* Non enim casu, sed consultò, non dixit *In Ecclesia*, sed *Ecclesiæ*, sicut de effusione seminis, & sanguinis dixerat, & paulò superiùs idem dixerat de homicidio, quod in aliis locis sub sanguinis effusione comprehendit. Fundamentum huius opinionis esse oportet, quòd huiusmodi furtum non est ex natura rei iniuria loci sacri magis, quàm alia peccata, neque etiam est speciali iure prohibitum sub tali ratione.

Victoria. Sot.

Fundamentum huius opinionis.

4. Impugnatur præcedens opinio. C. *Quisquis.*

Sed contra hanc sententiam, & eius fundamentum, obstat dictum cap. *Quisquis*, cum enim ibi dicatur esse sacrilegium furari rem non sacram de loco sacro: vel supponitur ex natura rei tale esse, vel ibi A virtute fertur prohibitio: Nec ego video quid possit ad textum illum responderi. Et ita propter illum fatentur ibi Glossa, Archid. Turrecrem. & alij, hoc esse verum sacrilegium, & idem dicit Iul. Clar. suprà, & alij statim referendi. Aliqui verò hanc sententiam communem limitãtes, & primam declarantes, distinguunt duos modos, quibus potest res non sacra in Ecclesia esse. Primò, quia est quasi sub iure, & potestate Ecclesiæ, quia scilicet vel illi ad custodiendum tradita est, vel in pignus data, vel alio simili modo in Ecclesia deposita. Secundò potest res aliqua merè temporalis per accidens, & casu, esse in Ecclesia: vel quia ibi est persona, quæ illam secum defert: vel quia casu ibi relicta est.

Gloss. Archid. Turrec. Iul. Clar.

Limitatio cõmunis sententiæ.

B In priori casu affirmant, sacrilegium esse, furari bona in Ecclesia: in posteriori autem negant. Et prior pars suaderi potest primò, quia saltem id est necessarium, vt partitio sacrilegij posita in dicto cap. *Quisquis*, in omnibus suis membris verificari possit. Secundò potest confirmari ex lib. 2. Machab. 3. vbi refertur historia præclara de Heliodoro diuina virtute flagellato, eò quod pecuniam in templo depositam regia auctoritate contra illius templi immunitatem, & sanctitatem, & in eius contemptum (vt ibidem dicitur) rapere tentaret. Tertiò est optima ratio, quia quod hoc modo est in templo, est sub speciali patrocinio, ac custodia diuina. est enim templum speciali modo, ac titulo sub dominio Dei, & C ideò quod ibi deponitur, & per Dei ministros acceptatur, censetur veluti sub Dei fide, & defensione recipi; & ideò tale furtum specialem malitiam habet contra reuerentiam Deo, & templo eius debitam. Atque hæc pars mihi etiam videtur certa, existimóque etiam in solo diuino, ac naturali iure veram esse, vt probant exemplum Heliodori, & ratio facta; magis verò indubitata est, addito iure Canonico in dicto cap. *Quisquis.*

5. Probatur prior pars in limitatione posita. Cap. *Quisquis.* 2. *Mach.* 3.

Veram esse hanc partem resoluitur.

Alteram verò partem probabilem censent aliqui moderni Theologi. Quia cum res ibi non esset sub speciali custodia templi, sed quasi per accidens ibi esset, non videtur per illud furtum, grauis iniuria templo irrogari. Et alioqui tale furtum non est specialiter interdictum ab Ecclesia in honorem templi, ergo non est vnde habeat mortiferam malitiam sacrilegij. Atque ita iuxta hos Auctores non erit hæc circunstantia furti de necessitate confessionis.

6. Probatur secunda pars.

Ego verò censeo, communem sententiam esse omninò veram, quæ sine vlla distinctione affirmat, furtum in loco sacro sacrilegium esse, ac subinde esse mortale ex suo genere, id est, nisi ex leuitate materiæ excusetur. Ita tenent communiter Canonistæ cum Gloss. in dicto capit. *Quisquis*, & in capit. *Sacrilegium*, 17. quæst. 4. vbi Turrecrem. quæst. 5. & communiter etiam Summistæ ver. *Sacrilegium*, Siluest. §. *Secundum*, Angel. num. 1. declarans, esse proprièsacrilegium, Caietan. in Sum. ver. eod. & Armilla num. 1. qui declarat, esse hanc circunstantiam de necessitate confessionis: Idem Nauarr. in Manuali cap. 6. num. 4. Fundamentum præcipuum huius sententiæ esse debet, quia in dicto cap. *Quisquis*, simpliciter, & sine limitatione ponitur species sacrilegij furari non sacrum de sacro: vbi autem lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. leg. *De pretio*, ff. de Publician. nisi vel alia lex obliget, vel ratio cogat. quando aliàs sequeretur absurdum; hîc autem nihil horum interuenit. Imò distinctio, seu limitatio illa quodammodo destruit decisionem, & partitionem illius textus: Nam res, quæ secundùm se non sunt sacræ, quatenus constitutæ sunt sub patrocinio Ecclesiæ, quæ in depositum, vel custodiam illas recepit, iam sunt aliquo modo sacræ, sicut alia bona Eccle-

7. Communis sentẽtia approbatur, & sine vlla limitatione dicitur furtum in tẽplo esse sacrilegium. *Gloss.* Cap. *Quisquis.* Cap. *Sacrilegium. Turrecr. Siluest. Angel. Caiet. Armil. Nauar.* Cap. *De pretio.*

Ecclesiæ, vel sicut promissio iurata, licet secundùm se temporalis sit, vt est sub testimonio diuino, est sacra, & pertinet ad forum Ecclesiæ; sic ergo res depositæ in Ecclesia ad forum, & defensionem Ecclesiæ pertinent, ideóque illas furari, potiùs est furari sacrum de sacro, quàm non sacrum: ergo in rigore necesse est: aliud membrum de aliis rebus intelligere eò vel maximè, quod licèt hæc lex videatur odiosa latronibus, tamen simpliciter fauorabilis est, quia fauet Ecclesiæ, & Religioni: ergò amplianda est potiùs, quàm restringenda, vel (quod nobis satis est) secundùm integrum, & absolutum significatum verborum accipienda. Præterea priùs in illo textu ponit Pontifex pœnas sacrilegij, postea varia sacrilegia enumerat, & inter ea ponit illa tria membra, & infrà loquès de Ecclesiis, monasteriis, ait, *Vel siqui depositæ, vel alia quælibet exinde abstrahunt, velut sacrilegi Canonicæ sententiæ subiaceant.* Ergo non potest ad illum textum alia restrictio accommodari. Denique in eo capite apertè intendit Pontifex Immunitatem Ecclesiæ defendere, magna autem, & valdè rationabilis Ecclesiæ Immunitas est, vt res in ea existentes quandam securitatem ab omni iniuriosa acceptione participent: & ideò, qui illas inde furatur, contra immunitatem Ecclesiæ agit, ac subinde contra reuerentiam illi debitam sacrilegium committit, iuxta ea, quæ dicemus cap. sequent.

8. Hæc immunitas Ecclesiæ est naturali rationi cõsentanea. An sit sacrilegium furtum in templo factum stando in solo iure diuino.

Est autem hæc Immunitas satis cõsentanea naturali rationi, quia sine dubio dictat, totam hanc reuerentiam esse debitam Deo, qui in templo peculiariter habitat: vel tẽplo, quatenus Deo specialiter sanctificatum est, quod in idem redit. Sed nihilominùs stando in iure diuino solo, fortasse malitia sacrilegij in tali furto vel nulla esset, si iniuria templi non esset intenta, vel certè non esset adeò grauis, vt mortifera iudicari posset, quia non videtur habere tantam rationem iniuriæ, vt de aliis peccatis posteà dicemus. At verò adiuncta immunitate concessa Ecclesiæ per ius Canonicum, est formalior (vt ita dicam) iniuria, & in illa specie longè grauior, quia ex institutione Canonica habet Ecclesia peculiare ius, vt sit veluti inuiolabilis custodia rerum, quæ intra illam existunt. Et quoad hoc est maior ratio in furto, quam in aliis peccatis, quæ in Ecclesia fiunt, & non ita sunt contra ius, & immunitatem, & quasi contra munus, & officium loci, sicut est furtum, vt attigi in 4. tomo dis. 22. sect. 4. num. 20. Et confirmari hoc tandem potest ex dictis circa præcedentem actum: nam si negotiatio in templo prohibetur, quia de se est iniustitiis, & rapinis obnoxia, quomodo non maiori ratione prohibebitur specialiter furtum in Ecclesia?

9. Hoc furtum in ratione sacrilegij est mortale peccatum.

Ex his ergo concluditur tale peccatum in ratione sacrilegij ex genere suo mortale peccatum esse: Hoc enim sentiunt Auctores citati, & probant rationes factæ. Et declaratur, quia intra latitudinem illius materiæ, aut modi furandi esse potest mortale vt, verbi gratia, latrones, qui in Ecclesia crumenas occultè suffurantur, vel abscindunt, profectò grauissimum sacrilegium committunt, & communi Christiani populi æstimatione tale reputatur: & tamen illi solùm peccant auferendo non sacrum de sacro. Propter quæ omnia attentè spectata, censeo non esse iudicandam practicè probabilem, ac securam sententiã, quæ absolutè negat circunstantiã loci sacri in furto de re non sacra non esse de necessitate confessionis, quia est paucorum Doctorum, contra torrentẽ aliorum, sine textu, & sine firma ratione, vel quæ probabiliter suadeat. Non est tamen negãdum, quin in hoc sacrilegium possit esse veniale ex leuitate materiæ, nam etiam furtum rei sacræ potest etiam hoc modo esse leue peccatum. Et probabile est quoties furtum in ratione iniustitiæ est veniale, etiam in loco sacro factum esse veniale in ratione sacrilegij. An verò è contrario dicendum etiam sit, quotiescũque est mortale in ratione iniustitiæ, esse etiã mortale in ratione sacrilegij, non omninò definio, sed prudentibus considerandum relinquo. Quia cùm furtum sit magis per se, ac directè volitum, quàm iniuria loci sacri: non videtur repugnare, vt aliqua materia, & modus furandi sufficiat ad iniustitiam mortiferam coinmittendam, quæ in ratione irreuerentiæ loci sacri, vel violationis immunitatis eius non sit ita grauis offensio. Sed quia difficile est hæc distinguere, & prudenter ponderare, securiùs existimo pro generali regula statuere, quotiescunque peccatum furti mortale est, & in loco sacro sit, circunstantiam loci esse in confessione aperiendam, vt mortiferè aggrauantem in alia specie.

Ex leuitate materiæ potest esse veniale sacrilegium.

CAPVT VI.

De aliis actionibus, quæ ob templorum reuerentiam in eis fieri Ecclesia prohibuit.

1. Ca. *Relinquit.* *Innoc.* 3.

IN hoc capite breuiter comprehendemus actiones alias in templis prohibitas, quę minùs graues communiter censentur. Vna est in c. *Relinqui*, de Custod. Euchar. vbi Innocentius III. ait, *Firmiter prohibemus, ne huiusmodi suppellectilia,* (id est, tàm clericorũ, quàm aliorum) *in Ecclesiis admittantur, nisi propter hostiles incursus, aut incendia repentina, seu alias necessitates vrgentes, ad eas oporteat habere refugium, &c.* Quæ verba ex forma, & vi eorum, præceptum præ se ferunt, vt ex initio illorum satis constat. Illud tamen non dirigitur ad eos, qui sua suppellectilia deferunt ad Ecclesiam: sed ad eos, ad quorum munus spectat illa admittere, vel repudiare, vt constat ex verbo *Admittantur.* Vnde si extra casum necessitatis hoc fiat, peccatũ magis erit amittentis, quàm inferentis, non tamen excusabitur hic à culpa, tum quia per consequentiam prohibitio etiam ad illum spectat, tum etiam quia inducendo alium ad id, quod licitè facere non potest, cum illo peccat. Tantoque erit grauior culpa, quantò fuerit instantior petitio, quod si vim faciat, erit maxima. Si autem bona fide petat putans esse casum necessitatis, vel saltem dubitans, licet admittens fortasse peccet, poterit sæpe alius excusari. Hoc autem peccatum, quantum est ex forma prohibitionis, graue est, vt notauit Angel. ver. *Immunitas*, num. 5. tamen ex parte materiæ, regulariter non videtur esse graue, nisi tantus sit excessus, vt notabiliter impediatur Ecclesia, vel fœdetur, aut contemni videatur. Denique strictè hoc intelligendum est de loco Ecclesiæ, non de Sacristia, nec aliis locis adiunctis Ecclesiæ, vt constat ex proprietate verborum, & ex ratione textus, & ex vsu. Cœmeterium autem comprehendi solet tanquam Ecclesiæ annexum; & ita censet Angelus supra. At iuxta subiectam materiam vix potest accommodari, quia in Cœmeterio non solent supellectilia poni, vt custodiantur, neque ibi posita inducerent ea incommoda, quæ in Ecclesia, & ideò probabile existimo ibi de sola Ecclesia esse sermonem.

Angel.

Particularia suppellectilia intra Ecclesiam non admittenda.

2. Capi *Decet.* *Nauar.* De aliis rebus prohibitis in. Cap. *Decet.* Nauarri sententia.

Alia multa sunt prohibita in dicto capit. *Decet*, de Immunit. Eccles. in 6. quæ fusè satis, & piè tractat Nauar. in Enchir. de Orat. cap. 5. Post singulorum autem explicationem addit in nu. 42. transgressiones contra textum non esse peccata mortalia, sed venialia, nisi per contemptum fiant, vel cum notabili impedimento diuinorum officiorum, secutus in hoc Angelum ver. *Immunitas*, num. 5. vbi ait, ea omnia, quæ in dicta cap. *Decet*, prohibentur, non esse peccata, nisi per se sint mala, vel fiant ex contemptu. Idem sequitur ibi Tabien. & Silvest. quæst. 2. num. 5. licet

Angel.

Tabien.

ille aliam addat limitationem, *Nisi res ex se magnam* A *contineat irreuerentiam.* Ponit tamen exempla in his, quæ alibi, & non ibi prohibentur, vt in furto, effusione seminis, etiam licita &c. Sumunt autem hi Summistę argumentum ex eo, quod in §. *Ordinarij* subiungitur, vt ordinarij suadenda suadeant, & interdicta compescant, ex quibus verbis videntur colligere, ordinariis præcipi, vt hæc compescant, respectu verò subditorum ibi non dari præcepta, sed suasiones, & consilia.

3. Auctoris sententia circa idem caput.

Aliter verò intelligo textum illum: Duæ enim partes in illo sunt distinguendæ: vna docens, & suadens, quod in Ecclesia agendum est, alia vetans, quod agendum non est. Prior continetur à principio textus vsque ad versiculum: *Nullus in locis eisdem*; exclusiuè. B Posterior durat ab illa clausula vsque ad finem textus extra paragraphum. Prior igitur pars tota suasoria tantum est, & præcepta non continet, & de illa intelliguntur illa verba, *Suadenda suadeant*, vt expressè declarauit Glossa ver. *Suadenda*, & ex contextu ipso satis constat. In posteriori autem parte forma est præceptiua. Vnde opinor quantum est ex vi legis, inducere obligationem quam potest iuxta materiæ capacitatem; & ex illa spectandum esse, an peccatum contra illam legem sit mortale, aut veniale, quia ex parte legis nihil deest ad vtranque obligationē. Hoc patet primò, quia per verbum prohibendi, imperatiuo modo lex illa loquitur. Secundò, quia de illis sic prohibitis dicit inferiùs, *Interdicta huius Canonis auctoritate* C *compescat.* Vtique per pœnam, & censuram, vt Glossa exposuit. Quomodo autē possent Episcopi hoc modo compellere auctoritate illius Canonis, si totus esset suasorius tantùm, & non præceptiuus. Tertiò, vox illa, *Interdicta*, vt suprà ponderabam, in rigore significat prohibitionem obligantem. Quartò, materia illius legis magna ex parte est grauissima, & postulans prohibitionem, vt de strepitu iudiciali ostensum est, & idem est de mercatu, nundinis, & similibus. Lex ergo illa de se in omni proprietate, ac rigore legis prohibet. Ad discernendam autem qualitatem transgressionis materia consideranda est.

Gloss.

Gloss.

4. Seditiò prohibetur in templo sub mortali.

Prohibet ergò in primis, *seditionem* fieri in Ecclesia, in qua parte sine dubio obligat sub mortali, quia D seditio de se grauissimum crimen est contra communem pacem, & iustitiā: vnde in Ecclesia facta magna est irreuerentia. Adduntur verò ibi duo verba, *Nullus conclamationem moueat, impetúmve committat.* Quæ duo videntur prohiberi vt coniuncta seditioni, &, vt sic, clarum est grauissimam materiam prohibitionis continere. Nauar. autem suprà num. 25. ex illis verbis collegit ibi prohiberi in Ecclesiis omnes ludos clamorosos, & tripudia, quæ cum profano tumultu fieri solent, ex quo multa infert contra ludos, qui fieri solent cum nimia perturbatione, & tumultu, præsertim in quibusdam festis, & supplicationibus solemnibus. Sed de his existimo iudicandum esse secundùm prudentem rationem, attento fine, & fructu, vel impedimento talium ludorum, nam illa lex per illa verba, nihil de his disponit. Magis ad hunc articulum pertinet prohibitio cap. *Cum decorem*, extrà de Vit. & honest. Cler. Vbi prohibentur fieri in Ecclesia, *Ludi theatrales, & spectacula, in quibus introducuntur monstra laruarum, &c.* Quam prohibitionem omnes intelligunt de turpibus ludis; nam ludi honesti, & repræsentationes, quæ possunt ad pietatem mouere, non sunt prohibitæ, vt ibi notant Glossa, & Panorm. num. 1. Siluest. verb. *Immunitas*, 1.

Nauar.

Ca. Cum decorem.

Gloss. Panorm. Siluest.

5. Quo pacto secularia cō cilia in tem pla prohibeantur.

Additur præterea in dicto cap. *Decet*, prohibitio *Secularium Conciliorum, & parlamentorum in Ecclesia*, de qua iam diximus. Et quoad hanc partem probabile existimo, regulariter non esse hanc materiam peccati mortalis, secluso scandalo, violentia, contemptu, & graui turbatione diuinorum officiorum. Item oportet, vt concilia non sint de rebus iniquis contra iustitiam, vel pacem, aut aliquid huiusmodi; nam tunc magnam irreuerentiam continerent. At verò si sint purè politica, & sine necessitate ibi fiant sine prædictis circunstantiis, sed propter aliquam humanam commoditatem, non videtur esse materia grauis peccati, quia irreuerentia modica esse videtur.

6. Quid de cō fabulatione in Ecclesia dicendum.

Additur vlteriùs in eodem c. *Cessent vana, & multò fortiùs fœda, & profana colloquia, cessent confabulationes quælibet.* In quibus vltimis verbis dubitari potest, An etiam colloquia aliàs honesta ad cultū Dei, vel ad finem pro quo Ecclesia deputata est, nihil pertinentia prohibeantur, ita vt non sine culpa fiant, saltem veniali. Respondeo, non ita prohiberi, nisi habeantur illo tempore, quo Diuinis officiis attendendū est, vel quo alij ad hoc ibi assistunt, qui nostris confabulationibus impedirentur. At verò extra hæc tempora, si colloquia sint honesta, non erunt cōtraria loco sacro, & ideò ex natura rei non erunt culpabilia, etiāsi non pertineant ad finem diuini cultus: Quia non tenemur semper esse in templo, & vti illo, vt templum est, (vt sic dicam) hæc enim est obligatio quasi affirmatiua, quæ non obligat pro semper, & ideò satis est nunquā agere contra illam. Vnde etiam non est verisimile, hoc esse absolutè prohibitum per illa verba, sed quatenus colloquia vel otiosa omninò sunt, vel aliàs mala. Vnde statim subditur. *Sint quæcumque alia, quæ diuinum possunt turbare officium, aut oculos diuinæ Maiestatis offendere, ab ipsis prorsus extranea.* De his ergò colloquiis si tantùm otiosa sint, credo solùm etiam habere malitiam venialem, vt sunt contra hoc præceptum; idemque fortasse erit, licèt aliam malitiā habeant alterius vitij, in quo etiam mortalem grauitatem non attingant. At si sint aliàs mortifera, credo non excusari à noua malitia graui contra hanc prohibitionem, & præsertim si sint fœda, turpia & inhonesta, nam hæc ibi cum exaggeratione prohibentur. Adduntur verò etiam profana, quod intelligo de profanis contrariè ad religionē, vt erunt detractiones graues, verba, quæ iurgia, & odia fouent, & similia. Denique prohibentur ibi Mercatus, & Placita, de quibus iam dictum est.

Tandem ad hunc locum pertinet, quod in cap. *Non oportet* 2. d. 42. dicitur: *Non oportere agapes*, id est, conuiuia, *facere in Ecclesiis, & intus manducare, vel accubitus sternere*; & in cap. *Nulli*, statim subiungitur, vt Episcopi, & Clerici non conuiuentur in Ecclesiis, *Nisi forte* (ait) *transeuntes hospitiorum necessitate illic reficiantur*, & additur, *Populi etiam ab huiusmodi conuiuiis, quantùm fieri potest, prohibeantur.* Quæ iura de propria prohibitione exponit Nauar. supra num. 30. Sed vix aliquid continent præter id, quod decentia loci ex natura rei postulat. Nam in priori non ponitur verbum præceptiuum, sed tantùm dicitur, *Non oportet.* In posteriori verò pro communi populo nulla prohibitio fit, sed dicitur, vt prohibeantur, & cum limitatione, *Quantùm fieri potest.* Quoad clericos verò videtur fieri aliqualis prohibitio, sed cum tali exceptione, quæ extendi potest ad omnem casum, vbi prudentia dictauerit esse aliqualem necessitatem. Et ita in hoc non censeo esse specialem culpam contra ius positiuum, sed solùm quantùm ratio naturalis dictauerit pertinere ad reuerentiam loci sacri, de quo statim. Quod verò additur in cap. penul. & vlt. dictæ dist. 42. vt in oratorio penitùs nihil agatur, præter orationem, & psalmodiam, vel quod diuinis ministeriis conueniat, non est lex Ecclesiastica, sed regula sancti Augustini, & sancti Benedicti: Quæ etiam de se consilium continet, non præceptum.

7. Ca. Non oportet. Ca. Nulli.

Conuiuia in Ecclesia prohibita.

Nauar.

CAPVT

CAPVT VII.

Sintne aliqua opera facta in templo mala ex tali circunstantia, & ex naturali lege sine interuentu Ecclesiasticæ prohibitionis.

1. Aliqua ipso naturæ Iure in templo fieri prohibentur, licet de se mala non sint.

ALiqui Theologi, quos sup. indicaui, nunquam putant posse ex 3. sola circunstantia loci sacri opus fieri malũ, nisi Ecclesiæ prohibitio interueniat. Nihilominùs contrarium existimo verum, asseroque multa esse opera, quæ, licet de se mala non sint ex natura rei, & aliqua prohibitione Ecclesiæ, malè, & inordinatè in templis fiunt. Quod vt ostendam, suppono ex dictis sermonem esse de Iure naturali, quod sup- B ponat aliquam institutionem humanam; multa enim sunt de humana institutione, ex quibus sic institutis oriuntur multæ obligationes naturales, vt esse Doctorem, est ex institutione hominum, illa verò posita, debentur Doctori sua iura debito naturali, & calicis consecratio est de Iure humano, facta verò consecratione ex naturali Iure debetur illi, vt cum maiori reuerentia tractetur, quàm vasa communia. Sic ergo dicimus, licet dedicatio, cõsecratio, & benedictio templi sit de Iure Ecclesiastico; hoc tamen posito, ex Iure naturæ prohiberi aliqua fieri in templo, etiamsi peculiari præcepto Ecclesiæ distincto ab ipsa templi sanctificatione non prohibeantur. Probari autem potest, primò ratione generali, quia in aliis materiis, & rebus consecratis hoc genus naturalis obligationis inueni- C tur, cur ergo non ita etiam erit respectu templorum? Certè id nulla ratione fundari potest; cur enim, sicut datur in hac materia sacrilegium, quia prohibitum, non poterit etiam dari sacrilegium prohibitum, quia de se, & secundùm rectam rationem tale est?

2. Probatur assertio.

Sed præterea probatur assertio inductione, nam actus copulæ coniugalis de se malus non est, & sine vlla culpa fieri potest in loco conuenienti, & tamen in Ecclesia indecentissimè fit, præsertim si nulla vrgẽte necessitate fiat. Vnde multi Auctores dicunt, quòd licet Ecclesia id non prohibuisset, non sine peccato mortali ibi fieret: Quod sentit Siluester verb. *Immunitas*, 1. num 5. quatenus inter ea, quæ ex se continent maximam irreuerentiam loci sacri, ponit pollutionem licitam aliàs, quæ non potest esse nisi actus matrimonialis. Et ita intellexit, & secutus est Nauar. dicto cap. 5. de Orat. num. 42. Et idem planè tenet Alensis 2. p. q. 147. memb. 9. & ad idem alludit, licet obscuriùs quæst. 168. memb. 3. §. *Quæritur, si vir*, ait enim matrimonialem copulam semper esse peccatum in Ecclesia, etiamsi probabile sit per eam non pollui Ecclesiam, quia ratio peccati fundatur in contemptu loci sacri, pollutio verò pendet ex Iure humano. Et idem videtur sentire Salzedo in Pract. crim. ad ca. 39. litera B, prius enim approbat opinionem dicẽtem non pollui Ecclesiam per copulam maritalem, quam dicit, posse procedere, quando coniuges longo tempore in Ecclesiæ habitãt, & nihilominùs subdit, eos in eo casu non excusari à culpa mortali, ergo sentit, hoc nõ prouenire ex prohibitione Ecclesiæ, nam hæc cessat in il- E lo casu, si in eo Ecclesia non polluitur. Et certè Auctores, qui tenent, numquam licere coniugibus coire in Ecclesia, etiamsi longo tempore ibi morentur, & pugnam carnis habeant, videntur in hoc maximè fundari, quia ille actus, licèt aliàs malus non sit, tamen propter fœditatem, & turpitudinem suam habet intrinsecam deordinationem, si in loco sacro fiat. Nam si ex sola prohibitione Ecclesiæ crederent esse malum, non putarent Ecclesiæ præceptum cum tanto rigore obligare. Tenent autẽ illam sententiam Palud. 4. d. 18. q. 8. A ar. 4. & d. 31. qu. 3. ar. 2. Ant. 3. p. tit. 1. c. 20. §. 3. Caiet. in Sum. verb. *Matrimonium*, c. vlt. Armil. verb. *Debitum*, n. 6. Nauar. in Manuali, c. 16. n. 32. & alij multi, quamuis ipsi (vt verùm fatear) non satis explicent, vtrum hac ratione moueantur. *Anton. Caiet. Armil. Nauar.*

Dices: iuxta contrariam opinionem, quæ verior est, posse argumentum in contrarium retorqueri, quia in eo casu cessat malitia actus propter necessitatem, ergo signum est, esse ex sola prohibitione Ecclesiæ, quia si esset ex natura rei, non cessaret. Respondeo, negando consequentiam & probationem eius. Optimè enim sequitur, quòd si malitia est ex sola prohibitione Ecclesiæ, cesset in illo casu, quia Ecclesiastica prohibitio nõ fit cum tanto rigore, vt latè prosequitur Sanches citato loco à nu. 12. quia supponit totam malitiam illius actus in Ecclesia facti oriri ex prohibitione Ecclesiæ: Nihilominùs illud fundamentum necessarium non est, nec è contrario sequitur, etiam in necessitate actũ illum esse peccaminosum, si extra necessitatem est deformis ex natura rei, & non tantùm ex prohibitione Ecclesiæ, quia etiam interdum ob necessitatem cessat obligatio naturalis legis, quando ex circũstantiis materia ipsa moraliter mutatur. Ita verò est in præsenti; nam hæc copula sine vrgente necessitate facta in loco sacro continet virtualem contemptum eius, & ideò tunc non fit sine irreuerentia loci sacri, at verò interueniente necessitate, iam cessat contemptus, & irreuerentia, quia quod ex necessitate fit ad subueniendum animæ periculo, non cẽsetur moraliter fieri cum irreuerentia loci sacri: & ideò tunc cessat naturalis deformitas. Sicut Dauidi licuit comedere panes sanctos propter necessitatem, quod sine illa non liceret; etiam ex natura rei, supposita tali sanctificatione panum. Atque ita patet ratio assertionis, quoad hoc particulare exemplũ, quia eligere locum sacrum ad illum actum sine morali necessitate cogente, ex natura rei habet quandam deformitatem, quæ statim ipsi naturali rationi repugnat, quæ repugnantia non fundatur solùm in morali malitia, quam interdum habet ille actus, licet inde augeri possit, sed etiam fundatur in fœditate quadam, & impuritate illius actus quoad materialem actionem eius. Sicut exonerare ventrem in templo ex voluntate, & sine necessitate planè repugnat cum ratione naturali, nec potest excusari à culpa sacrilegij, eò quod licèt actus de se non sit malus, nec sit specialiter prohibitus in illo loco Iure positiuo, nihilominùs de se, & ratione talis materialis actionis illa est magna irreuerentia, & vilipendium illius loci (quod potest esse aliud exemplum ad confirmandam conclusionem) ergò eadem, vel maiori ratione coitus cũ fœmina etiam aliàs licitus, est iniuriosus loco sacro, si sola voluntate absque cogente necessitate ibi fiat. D

3. Obiectio. Satisfit. Ex necessitate aliquando cessat obligatio naturalis

Vnde valdè displicet opinio eorum, qui dicunt, fornicationem simplicem in Ecclesia factam occultè, non esse sacrilegium, nec habere circunstantiam necessariò in confessione aperiendam, etiam nunc supposito toto Iure Ecclesiastico. Fundãtur enim in hoc, quod fornicatio non est sacrilegium, nisi in quantum ex Iure positiuo polluit, & violat Ecclesiam, & fornicatio occulta iuxta veram sententiam non polluit Ecclesiam, ergo illa fornicatio non opponitur Ecclesiæ præcepto, & consequenter non est sacrilegium. Cui opinioni videtur fauere Sot. 4. d. 32. artic. 3. Conc. 3. quatenus simili distinctione vtitur in maritali copula, nam si sit occulta, censet non esse culpabilem, publicam verò esse culpabilem. Quam distinctionem aliqui moderni Summistæ secuti sunt, illi tamen semper loquuntur de copula aliàs licita, & occulta, de fornicatione autem, vel illicita pollutione occulta id censuit probabile Vaz. 12. d. 98. num. 6. Mihi verò (vt dixi) omninò displicet: Primò, quia, vt iam dixi, non ex sola

4. Fornicatio simplex in Ecclesia occultè facta est sacrilegium. *Sot.*

Siluest. *Nauar.* *Alens.* *Salzed.* *Palud.*

ex sola prohibitione Ecclesiæ, sed ex se habet copula carnalis intrinsecam irreuerentiam loci sacri, quæ maior est in fornicatione, quàm in copula de se licita, quia illa turpior est, & magis voluntaria, nulla enim necessitate honestari potest, aut excusari. Secundò, quia licet ex prohibitione Ecclesiæ tantùm oriretur illa specialis malitia, satis est prohibita per Ecclesiam omnis fornicatio, & illicita seminis effusio in Ecclesia. Quamquàm enim fornicatio nonviolet Ecclesiam actu, (vt sic dicam) & in foro Ecclesiæ, quandiu occulta est, tamen Ecclesia suo præcepto non prohibet tantùm publicam seminationem illicitam in Ecclesia, sed simpliciter seminis emissionem voluntariam, & maximè illicitam: Et hinc est, vt licet in principio, quando talis actus est occultus non polluat Ecclesiam: nihilominùs si postea fiat publicus per publicam partis confessionem, vel sufficientem famam, incipit Ecclesia esse polluta, iuxta cap. *Significasti*, de Adult. ergò à principio actus ille fuit culpabilis cõtra Ecclesiæ prohibitionem, quia culpa non pendet ex futuro euentu, nimirùm an fornicatio illa sit aliquando futura publica nécne, & actus ipse de se polluit sufficienter, & ideò est contra specialem prohibitionem Ecclesiæ. Eò vel maximè quòd suprà ostendi, non esse actum illum culpabilem, quia polluit Ecclesiam per actualem obligationem abstinendi à celebratione in illa, sed potiùs è contrario, quia talem malitiam habet, siue contra legem naturalem, siue contra Ecclesiasticam, talem effectum, & quasi censuram inducere. Et ideò licet ad hunc effectum sit necessaria conditio, quòd delictum sit publicum; nihilominùs priùs committitur peccatum, quàm talis effectus fiat, vel sequatur ex defectu notitiæ. Quamobrem Nauar. suprà omninò reprobat illam distinctionem Soti in actu matrimonialis copulæ, quod maiori ratione faceret in fornicatione, & in quacunque alia illicita seminis effusione. Et idem optimè dixit Sanches suprà num. 11. plures allegans. Quid verò dicendum sit de aliis turpibus actibus, dicam infrà.

Nauar.

Sanches.

Præterea potest assertio ostendi ex his, quæ in confirmationem secundæ senten. adduximus, cap. 3. Quia non solùm Patres ibi citati, sed etiam Paulus 1. Cor. 11. significat esse irreuerentiam Ecclesiæ in illa manducare, & bibere communi, & ordinario modo, nihil discernendo inter illam, & profanum locum: Est ergò hoc irreligiosum ex natura rei sine prohibitione Ecclesiæ. Et confirmatur, quia vsus Calicis sacri in mensa vulgari ex natura rei est sacrilegus contra reuerentiam debitam rei sacræ. Vnde Hieron. Dan. 5. circa factum Balthasaris Regis, qui iussit vasa templi afferri ad vtendum illis in conuiuio, inquit, *Quandiu vasa fuerunt in idolio Babylonis, non est iratus Dominus, (videbantur enim rem Dei, secundùm prauam quidem opinionem, tamen diuino cultui consecrasse) postquàm autem humanis vsibus diuinam cõtaminant statim pœna sequitur post sacrilegium.* Fuit ergo opus illud sacrilegum ex natura rei, ergo etiam in communi vsu loci sacri, potest dari sacrilegium ex natura rei. Hoc ipsum confirmat Christi factum eiicientis ementes, & vendentes de templo, nam sine dubio illud factum eo modo, quo tunc fiebat, reputauit sacrilegum, & contrarium templi sanctitati, vt omnes Patres, & expositores ibi intelligunt, & suprà tactum est; illa autem malitia non erat ratione positiuæ prohibitionis, sed ex vi naturalis rationis suppositæ sanctitate illius loci, ergò idem multò maiori ratione de nostris Ecclesiis fatendum est. Præterea, canere in Ecclesia, lasciua, aut vana, vel pulsare in cythara, aut organo sonos profanos, sacrilegiũ est, *quia loco sacro iniuria fit, dum indicato ad Dei laudem loco profana hæc fiunt, vnde ad illam sacrilegij speciem spectat, quo loco sacro iniuria fit*, vt dixit Caiet. 2. 2. qu. 91. art. 1. *§. Inter hæc*, circa fin. Ergò eâdem ratione omnes actiones, quæ ex natura rei, vel diuina officia de se impediunt, vel habent indecentiam in illo loco, habent specialem malitiam sacrilegij, si in illo fiant. Non dicimus autem illam malitiam esse semper mortalem, sed potiùs frequenter esse venialem, nisi specialis prohibitio Ecclesiæ interueniat, vel tam fœda, & turpis sit actio, vt prudenti iudicio grauem iniuriam loci sacri continere censeatur.

5. Cõfirmatur aliqua ex natura rei esse prohibita in templo. 1. Cor. 11.

Hieron.

Caiet.

Ex his infero, & dico secundò: Omne peccatum saltem externum in Ecclesia factum habere inde aliquam malitiam sacrilegij saltem venialem, rarò autem mortalem, nisi vbi prohibitio Ecclesiæ interuenerit, vel notabilis irreuerentia in ipso actu apparuerit. Hanc assertionem docent Auctores citati cap. 3. in secunda opinione; & ferè ex dictis probata est, explicatur autem per partes. Nam in primis quòd peccatum aggrauetur aliquo modo ex hac circunstantia, omnes ferè Auctores etiam primæ opinionis fatentur, vt Caietan. Nauarr. &c. Quia sine dubio magis repugnat cum recta ratione, quòd peccatum fiat in illo loco, quàm in alio. Quòd verò hæc grauitas sit in specie sacrilegij, præsertim quando actus exterior peccati in Ecclesia exercetur, vel in Ecclesia fieri proponitur, probatur. Primò quia quando actus de se non malus tamen improportionatus loco sacro, in eò fit, habet ab illo specialem malitiam sacrilegij, (optimum enim signum ad cognoscendum, quando circunstantia addit malitiam in propria specie, est, quãdo transfert actum de non malo in malum, vt est commune in materia de Pœnitent. & ratio id conuincit, quia tunc non habet aliam speciem,) ergo idem dicendum est de omni actu, qui aliunde habet malitiam, quando ex loco sacro malitiam accipit, quòd illa sit distinctæ speciei, siue illa mortalis sit, siue venialis. Patet consequentia, tum quia illa circunstantia non minùs potest dare suam propriam malitiam actui de se malo, quàm indifferenti, nec enim prior malitia impedit, cum possit idem actus habere duas malitias; tum etiam quia prior actus ideò accipit malitiam sacrilegij, quia est iniurioſus loco sacro, sed non minùs iniurioſus est posterior, ergò. Atque hinc confirmatur hæc pars, quia multi actus de se non mali, sed indifferentes, vel interdum boni, efficiuntur sacrilegia, ex hoc solùm, quòd in loco sacro fiunt, ergò multò magis peccata, licèt de se non sint sacrilegia, efficiuntur sacrilegia ex eo, quòd in templo fiunt, quia magis repugnat sanctitati loci peccatum, quàm actus indifferens. Quæ ratio apud me euidenter probat, comparando illa duo ex genere suo, ac subinde probat, multa peccata posse accipere nouam sacrilegij speciem ex circunstantia loci sacri. Quòd autem omnia illam accipiant, vel quòd omnia ibi sint specialiter prohibita ex natura rei ex vi sanctitatis loci, non videtur tam euidenter conuinci. Quia, vt suprà dicebam actus potest repugnare sanctitati loci non tantùm ratione malitiæ, sed etiam ex modo, & conditione ipsius actus materialis; & fieri potest, vt maior repugnantia ex hoc posteriori capite, quàm ex priori nascatur. Sed responsio ad hanc difficultatem ex aliarum partium declaratione constabit.

6. Omne peccatũ in Ecclesia factũ habet aliquam malitiam sacrilegij.

Caiet. Nauar.

Limitaui ergo assertionem ad exteriora peccata, quia probabile videtur, peccata merè interna in Ecclesia facta non accipere specialem malitiam sacrilegij ab illo loco, vt est locus, in quo persona illa peccat. Vt enim notaui in 4. tom. disp. 22. sect. 4. locus facer dupliciter comparari potest ad actum internum; vno modo vt circunstantia, seu pars obiecti voliti, alio modo vt circunstantia ipsius personę operantis. Priori modo contingit, quando quis desiderat furari in Ecclesia, vel ex Ecclesia, vel in ea fornicari, aut

7. Probabile est peccata interna in templo facta non habere malitiã sacrilegij.

aut quid simile, & tunc siue persona sit in Ecclesia, siue extra illam, quando illud desiderium habet, clarum est committere sacrilegium mentale, & internum, quia internus actus accipit ab obiecto malitiam eius, & consequenter etiam à circunstantia obiecti cum illo concupita accipit malitiam illi proportionatam: Et in hoc omnes conueniunt. De hoc ergo genere peccati nunc non loquimur. Alio igitur modo peccat quis in Ecclesia existens per desideria mala, non tamen appetendo illa implere intra Ecclesiam, sed vel expresè desiderando peccare extra Ecclesiam, vel nihil de circunstantia volendo, sed solùm desiderando quasi abstractè talem actum. Et hoc modo hîc consideramus locum sacrum respectu peccati merè interni, & mentalis, & dicimus non accipere specialem malitiam à loco sacro, quia nec est specialiter prohibitum per Ecclesiam, quæ non iudicat de occultis, nec actus interior infert specialem iniuriam loco sacro, quia cum non sit actus sensibilis, non fit per se in loco sensibili, nec irreuerentiam contra illum continet. Et hoc maxime docent Siluest. Nauar. & alij citati in 1. opin. Et Cano. Relect. de Pœnit. part. 5. §. *Multa hic*, &c. Ludo. Lopez 1. part. Instruct. ca. 33. & Cord. dicta q. 190. agens de exterioribus peccatis, de interioribus subticuit.

Siluest. Nauar. Can. Lug. Lopez. Cord.

8. *Contraria opinio proponitur.*

At verò Siluester ver. *Confessio*, 1. quæst. 10. oppositum sentit: nam priùs de turpi cogitatione, & desiderio in Ecclesia habito censet esse sacrilegium mortiferum, *Maximè* (inquit) *quando sunt etiam de scelere perpetrando in Ecclesia*, dicens enim, *maximè*, sentit etiamsi sint de scelere perpetrando extra Ecclesiam, habere similem malitiam, tamen ratio eius non hoc probat, sed tantùm primum, scilicet quòd cogitationes, & operationes ad eandem speciem pertinent, est enim hoc verum tantùm, quando operationes sunt obiecta cogitationum. Addit etiam cogitationes superbiæ in Ecclesia habitas habere malitiam sacrilegij, licet venialem, idemque sentit de omni alia cogitatione mala extra materiam veneream, in qua censet malitiam esse maiorem. Et potest hoc suaderi argumento suprà facto, quia talis circunstantia auget malitiam cogitationis, habet enim maiorem deformitatem cum ratione, ergò auget per additionem malitiæ nouæ speciei, licet venialis. Sed nihilominùs contrarium videtur verius, quia vel illud augmentum nullum est, cum non fiat iniuria loco sacro, vel solùm est ex parte operantis, quatenùs se continere deberet saltem ob circunstantiam loci à talibus cogitationibus, & non facit, sed prona quadam concupiscentia se ferre sinit. Et hoc tenuit idem Siluest. Ros. aur. casu. 63. Vbi ait cogitationes prauas in Ecclesia esse grauiores, sed non in noua specie malitiæ. Quod extendit etiam ad verba, *Quia sistunt* (inquit) *in aëre, & non attingunt structuras mis per accidens.* Quæ ratio non multùm ponderis habet.

Siluest. Lessius, Cord.

9. *Malitia peccati in templo facti cõmuniter est venialis.*

De externis ergò peccatis alia ratio esse videtur, quia per se, & natura sua dicunt ordinem ad sensibilem locum, & ideò quando sunt actus praui aliquam irreuerentiam sacri loci continent. Addidi verò alteram limitationem nimirùm, hanc irreuerentiam, & malitiam regulariter esse venialem, quia ordinaria peccata regulariter non continent grauem irreuerentiam secundùm prudens iudicium, nec sunt specialiter prohibita per Ecclesiam. Et hanc partem cum eadem limitatione tenet præter Siluest. Leonardus Lessius d. li. 2. c. 45. dub. 3. Cordub. verò d. qu. 190. solùm excipit peccata venialia facta in Ecclesia. nam de mortalibus in vniuersum ait esse etiam mortifera sacrilegia, si in Ecclesia fiant. Ad id nec iure constat, nec ratione efficaci probari potest, quia licèt respectu Dei malitia reddat actum magis detestabilem, magisque iniuriosum Deo, non tamen semper respectu loci sacri. Vt licèt secundùm se peior actus sit detractio, quàm furtum, non ita repugnat immunitati loci, & reuerentiæ illi debitæ detractio sicut furtum, etiam ex natura rei loquendo, quia actus furti magis directè repugnat loco, quatenus per illum actum videtur priuari locus re, quam specialiter continet; sic etiam copula etiam licita magis repugnat puritati debitæ tali loco, quàm verbum iocosum, vel falsum. Non possumus ergo cum sufficiente fundamento dicere omnia peccata mortalia in Ecclesia facta esse etiam sacrilegia mortalia. Si verò accedat Ecclesiæ prohibitio, omnes fatentur, tunc esse sacrilegium mortiferum; nam prohibitio Ecclesiæ potest etiam efficere, vt sit mortale sacrilegium, quod sine illa nullum peccatum esset, vt ostendi, ergo multò magis id faciet, quando cadit in actum, qui de se peccatum mortale erat in alia specie. Vnde licet verum sit, non obstante prohibitione Ecclesiæ, posse transgressionem esse venialem ex leuitate materiæ, tamen quando actus prohibitus est alioqui peccatum mortale, semper censeri debet grauis materia respectu Ecclesiasticæ prohibitionis, vt per se notum videtur. Et ideò si ad malitiam actus grauem in sua specie accedat prohibitio Ecclesię, malitia etiam sacrilegij, quæ additur grauis, & mortifera est. Dices, Quomodo lex humana potentior est ad hanc malitiæ grauitatem, quàm naturalis lex? Respõdeo quia lex humana potest nouam obligationẽ imponere proportionatã materiæ, & additam legi naturali. Imò ad hoc data est hominibus hæc potestas, vt possint adiungere obligationem, determinando, quod lex naturalis per se non ita determinabat. Denique quando non est lex directè prohibens, irreuerentia loci est solùm indirecta, & ex generali principio, ideoque potest esse leuis, quando verò addita est prohibitio, iam est directa irreuerentia, quia lex humana determinat abstinentiam à tali actu in loco sacro in cultum eius, & in signum reuerentiæ illi debitæ.

Dubium.

Soluitur.

Ex hoc autem inferunt nonnulli Auctores suprà allagati, sacrilegium ex circunstantia loci numquam esse peccatum mortale, nisi interueniat Ecclesiæ prohibitio, vel (quod idem est) nunquàm actum prohiberi in loco sacro sub reatu mortifero ex vi legis naturæ solius, sine interuentu Ecclesiasticæ prohibitionis. Sed hoc mihi probari non potest ita vniuersaliter sumptũ, tum quia nullam rationem hactenus vidi, quæ hanc generalem regulam persuadeat, tum etiam quia hoc repugnat cum dictis in c. 7. Si enim actus non malus moraliter potest isto modo prohiberi in loco sacro ex vi legis naturæ, cur non magis actus malus? Nam malitia non obstat. Et aliunde ex parte actus materialis potest esse non minor improportio. Ideò ergo addidi in vltima parte assertionis, licèt illa regula frequenter vera sit, tàm turpem posse esse actionem peccaminosam, vt ex natura rei pertineat ad reuerentiam debitã loco sacro illam ibi cauere, & consequenter vt illam exercere graue sit sacrilegium. Exemplum huius suprà posuimus in fornicatione, vel pollutione occulta.

10. *Sacrilegium ex circunstãtia loci nunquã esse peccatum mortale. malè quiã dicũt.*

Nunc addimus, idem videri probabilius de tactibus impudicis præsertim grauioribus, & in partibus inhonestis. Quod præter Cordu. & Siluest. & Lud. Lopez in loci proximè citatis affirmat etiam Emanuel. 1. to. Sum. c. 207. n. 1. & idem sentit Petr. Ledesma in Sum. Sacrament. c. 19. circa loci circunstantiam, ait enim etiam verba inhonesta altiori voce in Ecclesia prolata esse sacrilegium. Hi autem Auctores non possunt fundari in Ecclesiastica prohibitione, nã hæc prohibitio facta non est nisi de seminis emissione in Ecclesia, & ideò nullus tactus impudicus in Ecclesia, secluſa seminis emissione, & morali periculo

11. *Tactus impudici grauiores, sunt mortalia sacrilegia. Cord. Siluest. Lopez. Ledes. Emanuel.*

cius

eius (quod perinde ac actus moraliter reputatur) est specialiter ab Ecclesia prohibitus, nullibi enim inuenitur, nec continetur in illis Iuribus, in quibus dicitur, Ecclesias pollui per effusionem seminis. Nam illa intelliguntur de actu completo, & consummato in illa ratione, & ideò si non peruenitur ad seminis effusionem, non polluitur Ecclesia, quantumuis præcedant actus turpes eiusdem malitiæ inchoatiuè. Illi ergo non prohibentur specialiter ex vi præcepti Ecclesiastici, si ergo sunt sacrilegia grauia id habent ex vi legis naturalis auersantis illos actus in loco sacro; tanquam indecentissimos sanctitati eius. In quo genere actus illi reputantur prudenter materia grauis, & sufficiens ad grauem irreuerentiam loci sacri. Fortasse tamen non erit idem de turpi aspectu, aut nutu, aut leui verbo, maximè quando in transitu, & sine notabili mora, & scandalo fiunt, quia non videntur materia ita grauis. De quo non potest ferri certa regula, sed id prudenti iudicio relinquendum est. Vnum autem ex signis non contemnendis est, quando graue generat scandalum, quia licet malitia scandali videatur diuersa, & per accidens, tamen indicat propriam malitiam, quando sub illa mouet actus ad scandalum, ita verò est in præsenti, quia, qui hæc operantur in templo, non solùm apprehenduntur, vt luxurioſi, ac leues, sed etiam vt irreligioſi, & in locum sacrum injurioſi, & sub ea ratione grauiter offendunt populum, ergo signum est, sub ea etiam ratione grauiter offendere Deum, & templum eius.

Ad fundamenta prioris sententiæ relatæ in capit. 3. quatenùs aliqua ex parte doctrinæ datæ repugnant, respondendum est, omnia peccata externa habere aliquo modo repugnantiam cum sanctitate loci, si in Ecclesia fiant, & ideò omnia participare aliquam malitiam sacrilegij, hanc verò non esse semper mortiferam, sed aliquando. Regula autem ad discernendum, quando sit grauis, vel leuis materia talis culpæ, non esse solam Ecclesiasticam legem, sed etiam prudentem rationem iudicantem per legem naturalem, vt in aliis peccatis contingit. Quocirca cum Caietanus. ait illum actum esse contra sanctitatem loci, qui impedit vsum loci, ad quem est institutus, si intelligatur de vsu, ad quem destinatur ex vi consecrationis, aut benedictionis, aut in quantum templum est, est apertè falsum, quia templum per se non instituitur, vt sit locus securus rerum in eo existentium, neque vt sit velut asylum confugientium ad ipsum, sed hæc habet per specialia priuilegia, vt de furto tactum est, & de aliis dicemus capit. sequent. Si verò sub vsu, ad quem locus sanctificatur, comprehendantur omnia priuilegia specialia iure humano concessa Ecclesiis, sic est impropria locutio, quia non omnia illa pertinent ad proprium finem Ecclesiæ, sed ad priuilegia illi cõcessa, vel immunitatem, & petitur principium, seu assumitur, quod probãdum erat: supponitur enim ex vi solius sanctificationis Ecclesiæ, prout destinatur, & consecratur ad vsum sacrificij, orationis, & diuini cultus nullum actum in illa prohiberi, nisi alio speciali iure prohibeatur, & fiat repugnans sanctitatis, & fini eius, vel quod perinde est, nisi abstinentia à tali actu iure humano speciali adiungatur aliquo modo sanctificationi ipsius Ecclesiæ. Hoc autem non credimus esse verum, nec à Caiet. aut aliis Auctoribus probatum: vnde dicimus, aliquid quidem esse posse contrarium sanctitati Ecclesiæ isto modo, aliquid verò ex natura rei repugnare cũ sanctitate eius, quatenus illam vilescere facit, quantum est de se, & ideò virtualem eius contemptum concludit, sic enim omnis vsus, & contrectatio similis rei sacræ iure naturæ prohibita est. Atque hæc omnia patebunt magis ex his tract. 3. lib. 3. quæ dicemus de sacrilegio, vbi etiam expediemus quæstionem suprà huc remissam. An eodem modo sentiendum sit de tempore, & loco sacro? nam ex ibi dicendis pendet.

Caiet.

Satisfit fundamentis prioris sententiæ.

CAPVT VIII.

De multiplici Immunitate Ecclesiarum, & præsertim quoad tuitionem delinquentium, & quo iure introducta sit.

1. *Duplex est.*

IMmunitas Ecclesiæ (vt in principio alterius operis de Immunitate Ecclesiastica diximus, & est frequẽs apud Auctores) nihil aliud est, quàm exemptio Ecclesiæ ab oneribus, vel operibus, aut vsibus eius sanctitati, & libertati repugnantibus. Sicut autem nomen, *Ecclesia*, interdum significat Ecclesiam viuentem, seu congregationem fidelium, vel totam; vel præcipuam eius partem, quæ est Ecclesiasticarum personarum, interdum verò significat materiale templum, ita etiã Immunitas Ecclesiæ, alia est personarum, vel in se ipsis, vel in bonis suis, & de hac diximus in prædicto opere. Alia est Immunitas templorũ, quam ad hunc locum remisimus, & in tribus præcedentibus capitulis inchoata est, in hoc verò est consummanda præsertim quoad priuilegium, quod habent Christiana templa, vt sint loca refugij ad se confugientium, quæ iam quasi per antonomasiam retinuit nomen Immunitatis Ecclesiæ materialis, & ita in sequentibus nomine Immunitatis propriè hanc intelligimus.

2. *Templi, & bonorum illius.*

Vlterius considerandum est, in huiusmodi Ecclesia distingui posse, & templum ipsum, & bona ad illud pertinentia, habere enim debet dotem suam, quæ ad onera eius sustentanda sufficiat, & sine illa consecrari non debet capit. *Placuit*, & cap. *Nemo*, de Consecration. distin. 1. Quæ dos interdum mansus Ecclesiæ in iure appellatur cap. 1. de Eccles. ædific. & c. 1. de Censib. vbi id notat Panormitanus, & Glossa, vbi Archid. & alij in capit. *Secundùm Canonicam*, 23. q. 8. Et solet præterea Ecclesia habere prædia, & reditus pro ministris, fabrica, & pauperibus. Quoad hæc ergo bona etiam Ecclesia gaudet sua Immunitate, quia libera est à tributis, & exactionibus, & collectis, cap. *Quanto*, de Censib. cum similibus. Sed hæc Immunitas communis est Ecclesiasticis bonis, vt talia sunt, imò propriè non pertinet ad Ecclesiam, vt materiale templum est, sed ad clerum illius, quia templum non est capax dominij, aut iuris, sed clerus, vel communitas ratione templi, seu in ordine ad templum, ideóque de hac Immunitate, vel de prohibitione violationis eius hîc dicendum non est, quia comprehẽditur sub Immunitate Ecclesiasticorum bonorum, de qua in dicto loco dictum est.

Ca. Placuit. Ca. Nemo. Cap. 1. Panor. Gloss. Archid.

Ca. Quanto.

3. *Vt sint illæsa.*

Vnde ad hanc etiam Immunitatem pertinet ius, quod templum ipsum censetur habere, (intelligendũ autem est dicto modo) vt integrum, & illæsum conseruetur. Sic enim contra Ecclesiæ Immunitatem esse censetur, Ecclesiam infringere, aut suis bonis spoliare, c. *Sacrilegium*, c. *Quisquis*, c. *Qui rapit*, cum aliis, 17. q. 4. & c. *Cõqueſti*, de Sent. excom. Vbi etiã censura fertur in eos, qui tale sacrilegium contra Ecclesias cõmittunt. Quando autem, & quomodo illa incurratur, latè à nobis explicatum est in 5. tom. disp. 22. sect. 2. à nu. 4. Circa hæc vero iura aduertendum est, non solùm in eis prohiberi, ne quis Ecclesiam infringat, aut spoliet, verùm etiam statui, vt eius confinia, & domus, quæ in illis sunt, eadem securitate, & Immunitate gaudeant. Ita habetur in cap. *Sicut antiquitus* 17. quæstione 4. Et declaratur, hæc confinia in Ecclesia maiori extendi per circuitum quadraginta passuum, in maioribus verò Ecclesiis per triginta.

Ca. Sacrilegium. Ca. Quisquis. Ca. Qui rapit. Ca. Conqueſti. Ca. Sicut antiquitus.

In dicto

In dicto autem cap. *Quisquis* simpliciter dicitur *per* A *triginta passus* : Et excipiuntur Ecclesiæ, quæ sunt intra ambitum murorum castellorum, in quibus propter locorum angustiam non potest hoc obseruari. Eorúmque confinia. Sed inter ipsam Ecclesiã, & ea, quæ sunt in confiniis Ecclesiæ magnum est discrimen: nam respectu Ecclesiæ prohibitio est hæc iuris diuini, & naturalis, quia vnicuique est iure naturæ debitum, vt nulla vis, nullúmve nocumentum ei fiat, & hoc ius omnibus est naturale, conuenit ergò etiam Ecclesiæ ex ipso iure naturæ, quia vt dixi, in hoc consideratur Ecclesia, tãquam persona quædam capax sui iuris, & dominij, siue hoc pertineat ad Deum ipsum immediatè, siue ad clerum, siue ad fidelem populum. Violatio ergò huius iuris ex se & iniustitia est, & sacrilegium sup- B posita Ecclesiæ sanctificatione; & ideò prohibitum est, quia malum; non malum, quia prohibitum. At verò extensio huius Immunitatis ad confinia per 40. aut 30. vel plures, aut pauciores passus, non sequitur ex natura rei ex vi consecrationis, aut dedicationis Ecclesiæ, vt per se notum videtur, sed fuit veluti priuilegium quoddam à Pontificibus Ecclesiæ concessum ad maiorem loci sacri venerationem. Quo priuilegio stante, sine dubio peccatum mortale est, illud violare, vt bene notarunt Ang. ver. *Immunitas*, 1. n. 10. *Angel. Siluest.* & Siluest. eod. ver. q. 2. §. *Sextò*. Estq; tale peccatum sacrilegium contra ius positiuum; quia Ecclesia dando illud priuilegium, reposuit illam materiam in virtute Religionis, voluitq; abstinentiam ab omni violentia C intra illa confinia esse signum honoris, & cultus ex necessitate tribuendi ipsi Ecclesiæ. An verò priuilegium hoc quoad totam illam distantiam passuum nunc integrum sit, nécne, existimo standum esse consuetudini, quæ videtur habere, vt Ecclesia cum suo Cœmeterio, cuiuscúnque magnitudinis sit, de hoc priuilegio gaudeat. An etiam hoc intelligendum sit de violentia de se iniusta vel etiam de illa, quæ in alio loco iusta esse posset, dicemus infrà tractando de Securitate confugientium ad Ecclesiam.

4. Et domus. Præterea ad hanc Immunitatem, seu ius Ecclesiæ spectant multa alia secularia onera, à quibus secundùm iura Canonica libera esse debet Ecclesia. Nam Quoad iudicium. in primis ad hoc genus Immunitatis propriè perti- D net, quòd in c. 1. de Immun. Eccles. statuitur, vt Cap. 1. in domibus Ecclesiarum seculares ministri placitum Et hospitiũ. non faciant, neque hospitium sibi vendicent, quasi pro consuetudine, quod ad Ecclesias extenditur secundùm omnes, vt suprà retuli. Nam, vt ibidem notaui, ibi non simpliciter prohibentur hi actus, sed vsurpatio eorum, quasi proprio iure, grauamen Ecclesiis in se, vel in domibus suis imponendo. Atque ita hoc ius pertinet ad Immunitatem bonorum Ecclesiasticorum, & ita spectat ad Ecclesiam, non tàm consideratam, vt habet rationem loci sacri, quàm vt habet ratione personæ habentis ius proprium in se, & in bona sua. Cuius signũ est, quia illud ius ad domos Ecclesiarum extẽditur, quæ domus propriè loca sacra non sunt, licèt sint res sacræ eò modo quo cætera Ecclesiastica bona, & ea ratione violatio illius iuris sa- E crilega est, iuxta c. *Sacrilegium*, & c. *Quisquis*, 17. q. 4. Cap. *Sacrilegium*. Et potest dici tale sacrilegium fundatũ in iniuria cõ- Ca. *Quisquis*. tra naturalem legem: nam talis est illa vsurpatio, supposito Ecclesiarum iure. Vnde quoad hæc, eadem ratio est de omni vsu Ecclesiæ, vel domorum eius, violento, & sine concessione Prælatorum Ecclesiæ.

5. Diruta non possunt ad vsus profanos assumi. Vltra hoc verò prohibitum est, vt non solùm quãdiù integra est, & suum vsum loci sacri habet, verum etiam postquàm diruta est, ad seculares vsus, vel profanos non conuertatur. Ita statuit Hyginius Papa de *Hygin. Papa.* Consecration. distin. in cap. *Ligna Ecclesiæ dedicatæ non debent ad aliud opus iungi, nisi ad aliam Ecclesiam, vel igni sunt comburenda, vel ad profectum in Monasterio fratribus, in laicorum vero vsum non debent admitti*, idem in cap. *Ad hæc*, de Religiosis domi- Cap. *Ad hæc*. bus. Quæ prohibitio purè Ecclesiastica est, vt constat, sed ad Religionis virtutem pertinet, ratione iam sæpè declarata. Tamen siquis rectè consideret, hoc priuilegium, non spectat ad vsum Ecclesiæ, vt locus quidam est priuilegiatus, sed spectat ad illam, vel quamcúmque partem eius, vt est quædam res sacra, seu aliquomodo sacrata, de qua generalis regula est, *Quæ semel consecrata sunt, non debere ad profanos vsus con-* *Reg. semel.* *uerti*, vt videri potest in regula *Semel*, de Reg. iur. in 6. *Glos.* cum Glossa ibi, & cap. *Quæ semel*, 19. q. 3. cap, *Altaris*, Cap. *Quæ semel.* cum sequentibus de Conse. dist. 1. Et de hoc genere Cap. *Altaris.* Immunitatis nonnulla diximus in 3. tom. 3. p. disp. 81. *Siluest.* sect. 8. sub §. *Quarò addendum*, & videri etiam pos- *Angel.* sunt Siluest, & Angel. locis suprà citatis, & Panorm. *Panor.* in d. cap. *Ad hæc*, num. 5. Ex cuius doctrina colligere aliquis potest, quòd sicut ligna Ecclesiæ dirutæ non possunt conuerti ad profanus vsus, ita nec ligna profanæ domus destructæ possunt ad Ecclesiam construendam applicari. Nam dicet, quòd sicut ex vestibus sacris scissis non potest fieri vestis profana, ita nec ex veste alicuius fœminæ potest fieri vestis sacra, iuxta Gloss. in cap. *Ad nuptiarum*, de Consec. dist. 1. *Gloss.* Sed re vera vtrúmque falsum est, quia licèt iura prohibeant res sacras conuerti ad vsus profanos, non tamen prohibent, res antea profanas conuerti, & dedicari ad vsum sacrum, dummodo sub debita forma, & modo applicentur, & posteà suum statum retineãt: Imò potiùs hoc modo non solum bona, sed etiam personæ ex profanis fiunt sacræ. De quo videri possunt, quæ Auctores notant in cap. *Mancipia*, de Rerum permut.

6. Quoad officiũ, & vsum loci. Vltra hæc omnia habet Ecclesia suam peculiarem Immunitatem, vt officium, vel vsum loci exercet. Ad quam Immunitatem generaliter loquendo pertinent ferè omnia, quæ in præcedentibus capitibus attigimus. Est enim Ecclesia locus specialiter deputatus, & consecratus ad sacrificium Deo offerendum, & ad orationem, & alios actus diuini cultus, & ex hac parte debitum illi est, vt sit immunis ab omni immunditia, & pollutione. Deinde est Eccelesia deputata, ad Ad sepultu- sepulturam fidelium, & ex hac parte debetur illi, vt ram. nec infideles in ea sepeliantur, quia *Nulla participatio* *2. Cor. 6.* *fidelis, cum infideli*, 2. ad Corint. 6. neque excommunicati maiori excommunicatione, quamuis, vt suprà dixi, magis fortasse id pertineat ad vim censuræ, quàm ad Ecclesiæ Immunitatem. Id verò aliqui extendunt *Archid.* ad excommunicationem minorem, vt Archid. in cap. *Sanè*, 24. q. 2. quòd, saltem quando excommunicatio minor est publica, admittit Turrecremata cum Gu- *Turrecr.* lielmo in cap. *Nullus* 13. q. 2. Sed loquitur sine textu, *Guill.* & consequenter sine ratione, quæ in hac materia sumi debet ex iure positiuo, & ideò improbabilis mihi videtur illa extensio, quia inter effectus excommunicationis minoris iste communiter non computatur, vt constat ex dictis in 5. tom. disp. 24. sect. 2.

7. Alij verò sunt casus, in quibus iura prohibent, ali- Cap. *Quia.* quos propter specialia delicta sepeliri in loco sacro, Cap. *Placuit.* vt propter vsuras in c. *Quia in omnibus*, de Vsuris, vel propter desperationem occidendo se cap. *Placuit*, 23. q. 5. & ob alia, quæ in Turrecr. suprà videri possunt, pertinéntque, vt dixi, ad rigorem Ecclesiasticæ disciplinæ. Ad Immunitatem autem Ecclesiæ sub quadam generali ratione spectare possunt, nimirum quatenus ad sanctitatem illius loci spectat, vt non nisi fideles, & qui in fide viua decessisse præsumuntur, ibi sepeliantur, vt suprà tactum est. Et ita potest intelligi cap. *Nullus*, 13. q. 2. cùm Gloss. Præcipitur enim ibi, *Vt nul-* *Gloss.* *lus mortuus in Ecclesia sepeliatur, nisi Episcopi, aut Abbates,*

aut aliqui Præsbyteri, vel fideles laici. Multi verò restringunt illam particulam *Fideles*, ad laicos insignis sanctitatis, vel qui etiam fidē miraculorum assecuti sunt, vt videre licet in Turr. ibi, & Siluest. ver. *Immunitas*, 1. n. 7. & Ang. nu. 6. Vnde inter Immunitates Ecclesiæ ponunt, vt laici, & fideles, regulariter non sint intra Ecclesiam sepeliendi, sed in atrio, seu cœmeterio. Quod quidem licet in eo textu fundari satis non possit, sumitur ex cap. *Præcipimus*, 13. q. 2. Vbi simpliciter prohibetur, ne sepulturæ concedantur intra Ecclesiam, & additur, *Secundùm instituta maiorum*, quo significatur prohibitionem esse antiquam, & generalē, & in Conc. Trib. c. 7. habetur eadem prohibitio. Videtur ergò in rigore iuris ita fuisse seruandum ad maiorem Ecclesiarum reuerentiam, & munditiam. Iam verò consuetudine receptum est, vt omnes fideles, qui in gratia decessisse præsumuntur, intra Ecclesiam sepeliantur. Et potuit etiam ex pietate introduci absq; templorum violatione, vel irreuerentia; & ita sine peccato fieri potest, vbi talis fuerit consuetudo.

Turrecr. Siluest. Angel. — *Cap. Præcipimus.* — *Concil. Trib.*

8. Non vsum profanum.

Præterea debetur Ecclesiæ, & loco sacro, quatenus talis est, vt sit separatus ab omni vsu profano, quia hoc postulat talis loci sanctitas, atque ita procedunt omnia dicta in capitibus præcedentibus. Ex quibus etiam constat, hanc Immunitatem partim connaturalem esse Ecclesiæ, vt sacer locus est, id est, iure naturæ debitam, suppositā sanctitate loci, partim iure Ecclesiastico esse auctam, vt vidimus. Præterea hæc verò, quia ad locum spectat continere, & conseruare res quæ in eo locantur, ideò ad dignitatem talis loci pertinet, vt in hoc habeat quasi peculiarem virtutem, vel eminentiam, & ideò omne furtum in Ecclesia specialiter prohibitum est, vt suprà vidimus. Atq; ad hanc prærogatiuam pertinet speciale priuilegium, quòd habet Ecclesia, vt sit tanquàm asylum ad se confugientium.

9. Delinquentes.

Dicendum ergò est, concessam esse Ecclesiis Christianorum hanc Immunitatem, vt delinquentes, qui ad illas confugiunt, per vim extrahi non possint. Ita habetur 17. q. 4. cap. *Definiuit*, c. *Miror*, cum tribus sequentibus, cap. *Nullus*, & c. *Id constituimus*. Item in ca. *Inter alia*, de Immunit. Eccles. De hac verò Immunitate in primis dubitari potest, An sit de iure diuino, vel tantùm de humano. Aliqui enim Iuristæ, sicut censent Immunitatem personarum, vel bonorum Ecclesiasticorum esse de iure diuino, ita idem significant de hoc genere Immunitatis templorum. Pro qua sententia refert Couar. lib. 2. Var. cap. 20. num. 2. in fine Ioannem Igneum in lege prima in principio, ff. Ad Syllanian. num. 26. Et nonnulli argumentum sumunt ex eo, quòd in lege veteri templum gaudebat hac Immunitate ex diuino iure. Hanc verò sententiam sic relatam latè impugnat Abulens. in cap. 20. Iosue, quæst. 7. Breuitérque dicendum est hanc Immunitatem non esse de iure diuino. Hoc patet, quia vel esset de Iure diuino naturali, vel positiuo; neutrum dici potest, ergò. Probatur prior pars Minoris, quia non est per se, & intrinsecè malum, malefactores de templo extrahere per vim; quia, cum hoc non fiat formali, & directa intentione in contemptum, vel irreuerentiam templi, vt supponendum est, ex vi solius operis, & secluſa prohibitione positiua, non est irreuerentia, aut iniuria templi, vnde infrà videbimus, in casibus non prohibitis hoc fieri posse sine irreuerentia templi. Atque hoc est signum, in casibus prohibitis id esse malum, quia prohibitum est, & non è conuerso, ideò esse prohibitum, quia per se est malum. Ratio autem à priori est, quia actio illa per se iusta est, & non est indecens in tali loco, præsertim quando est necessaria. Nec etiam ipse locus ex vi consecrationis suæ habet peculiare ius ad tuendum confugientes ad se, nisi ei ab aliquo habente potestatem concedatur; ex solo autem iure naturæ non inuenitur principium ex quo constet, illi esse concessum. Ad summum ergò dictat ratio naturalis, esse consentaneum dignitati illius loci, vt hoc ei priuilegium concedatur. Dices; Saltem, postquam est priuilegium concessum, erit contra naturalem iustitiam, & Religionem illud infringere. Respondetur, concedendo sequelam; tamen quia illud priuilegium est ex voluntate humana, ideò prohibitio hæc non est de iure naturali, sed proximè fundatur in iure positiuo.

C. Definiuit. — *Cap. Miror* — *Cap. Nullus.* — *Cap. Id constituimus.* — *Cap. Inter alia.* — *Ioan. Igneus.* — *Abulens.* — Hoc nō esse de iure diuino naturali.

Obiectio. — Soluitur.

10. Nec eodem positiuo.

Quod autem hoc ius positiuum diuinum non sit propriè, & in rigore, probatur, quia vel est diuinum legis antiquæ, vel legis gratiæ. Primum dici non potest: Primo quidem quia, esto, fuisset cōcessum à Deo, antiquo Tabernaculo, aut templo, illud ius non extenderetur ad templa Christiana: tùm, quia sunt diuersarum rationum, & priuilegium vni concessum non transfertur ad alia: tùm maximè, quia illud ius pertinuisset ad cæremonialia legis veteris, quæ in noua non habent vim. Vnde ex hoc capite erroneum esset dicere, templa nostra gaudere nunc hoc priuilegio in virtute, & efficacia legis veteris, quia hinc sequeretur, legem illam non esse mortuam quoad cæremonialia, cum tamen etiam mortifera sit. Addit præterea Abul. suprà, antiquum templum nō habuisse hoc priuilegium à Deo, tum, quia nullibi legitur in Scriptura hæc concessio, imò 3. Reg. 2. legimus, Ioab iussu Salomonis occisum fuisse in Sanctuario eo tempore, quo Salomon creditur Deo placuisse, scilicet in principio regni sui: Vnde factum illud nullibi reprehenditur. Tum etiam, quia in illo populo assignatæ fuerunt à Deo aliæ ciuitates refugij, quæ sufficientes erant ad tutelam confugientium. Tum denique; quia, cum templum illud tantùm esset vnum, non poterat esse sufficiens pro refugio illius populi totiùs: neque oportuit illud addere vltra omnes ciuitates refugij, quia, cum omnes ad templum concurrerent gratia sacrificiorum, non oportebat illud grauari concursu delinquentium confugiētium ad ipsum, quos in eo diu morari oportuisset, & ita non possent non pollugre templum illud, præsertim iuxta ritus illius legis. Quæ sententia probabilis est. Alij verò existimant, templum Iudæorum non caruisse hac Immunitate; nam quod Exod. 21. dicitur. *Constituam tibi locum, in quem fugere debeat*, ratione tēpli dictum esse putant: nam statim subditur, *Siquis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo euelles eum, vt moriatur.* Quæ videtur esse exceptio à regula generali, nimirum vt, qui non per insidias, sed per occasionem hominem occideret, & ad templum confugeret, ibi esset securus. Idémque seruatum fuisse in aliis casibus, colligi potest ex 3. Reg. 1. vbi Adonias timens Salomonem, in templum confugit, tanquam ad locum securum. Quod verò statim cap. 2. de Ioab refertur, ideò non fuit contra Immunitatem, quia Ioab homicidia per insidias commiserat. Atque ita res videtur incerta, quamuis non videatur improbabilis opinio Abulensis, quia, si talis Immunitas fuisset templo concessa, expressiùs fuisset in lege declarata.

Exod. 21. — *3. Reg. 1.* — *Abulens.* — *3. Reg. 2.*

11. In lege gratiæ.

Altera verò pars de iure diuino positiuo legis gratiæ facilè probatur, Primò, quia tale ius neque scriptum est, neque ab Apostolis traditum, nec enim talis traditio est Patribus, aut alia probabili via ostendi potest. Secundò illo principio generali, quod Christus nullas leges cæremoniales Ecclesiæ suæ tribuit, præter substantiales ritus sacrificij, & Sacramentorum; reliqua enim, quæ ad cæremonias, & sacra pertinent, per suos vicarios disponenda reliquit: inter

hæc

hæc autem computari potest hæc Immunitas. Vnde A ipsamet templorum benedictio, & consecratio ab Ecclesia est instituta, modus etiam huius Immunitatis, determinatio eius quoad loca, personas, delicta, effectus, & alia huiusmodi, tota est de Ecclesiastico iure, vt videbimus; ergò ipsa etiam Immunitas propriè, & immediatè solùm est de iure eodem. Dico autem, *propriè, & immediatè*, tùm, quia ius Canonicum solet interdum vocari diuinum à Iurisperitis: hæc autem Immunitas propriè est de iure Canonico, & ad illud spectat illam præcipere, & instituere, quia res spiritualis est, & ad Religionem spectans: tum etiam quia mediatè, & remotè potest dici hæc Immunitas manare à iure diuino, quia potestas ad illam instituendam ab ipso Christo data est, & ipsamet Im- B munitas est valdè consentanea generali voluntati ipsiusmet Christi, qua voluit, omnia in Ecclesia sua ordinatè disponi, & sancta sanctè tractari. Atque his fortasse modis locuti sunt de iure diuino illi Iuristæ, quos Abulens. allegat, dicit tamen illos præcipuè fuisse fundatos in Immunitate sanctuarij, & ideò fortasse vocarunt diuinum hoc ius per quandam imitationem, quod etiam in iure non est inusitatum. Tamen simpliciter etiam ipsi Iuristæ fatentur, hanc Immunitatem esse de iure Ecclesiastico, vt constat ex Abbate, & aliis in dict. cap. *In alia*. Et eandem sententiam optimè declarat Couar. suprà toto nu. 2. vbi eruditè hanc institutionem congruam esse ostendit, tàm exemplis Scripturæ sacræ, quàm multis aliis ex humana histo- C ria desumptis.

Abulens. Abb. Couar.

12. Quando incœperit.

Secundo verò interrgari potest, quàm sit antiqua in Ecclesia hæc Immunitas. Respondeo breuiter, nihil de hoc certò constare; vnde probabile est, cũ ipsa templorum solemni dedicatione incœpisse, hoc est, à temporibus Constantini, ab eo enim tempore Ecclesiæ Christianæ publicè ædificatæ sunt. Et tamen Nazian. & Amb. illius ferè ætatis Episcopi illam significasse videntur; ille orat. 20. hic Epist. 33. aliàs lib. 2. Epist. 14. Constat etiam tempore Chrysost. iam fuisse latam legem pro hac Ecclesiarum Immunitate: nam Eutropius contra hanc Immunitatem fecit, ab Imperatore Arcadio legem statui, contra quam legem extat oratio apud Chrys. to. 5. Illa verò lex non D præualuit, sed statim extincta est, vt referunt Niceph. lib. 13. c. 4. Socrat. lib. 6. c. 5. & Prosper de Prædictionibus, & promissionibus Dei, 3. p. ca. 38. Eandem legem consuetudine obseruatam supponit Aug. Epist. 187. ad Bonifacium. Decreta etiam, quæ allegauimus satis antiqua sunt, nimirum Gelasij I. ante mille centum annos, & Concil. Ilerdensis cap. 8. ferè eiusdem antiquitatis. Item Concil. Aurel. primum in ca. 3. 4. & 5. hanc Immunitatem latè declarat, & inter alia inquit; *De homicidio, adulteris, & furibus, si ad Ecclesiam confugerint, id constituimus obseruandum, quod Ecclesiastici Canones decreuerunt, & lex Romana constituit, vt ab Ecclesiæ atriis, vel domo Episcopi reos abstrahere omnino non liceat*. Ex quibus verbis satis constat, hanc Immu- E nitatem antiquiorem esse illo Concilio, cum tamen illud etiam fuerit tempore Hormisdæ Papæ ante mille centum annos celebratum.

Nazian. Ambros. Chrysost. *Niceph. Socrat. Prosper. August.* *Gelas. Pap. Conc. Ilerd. Conc. Aurel.* *Hormis. Pap.*

13. Constat etiam ex eisdem verbis non solùm iure Canonico, sed etiam Ciuili hanc Immunitatem fuisse confirmatam. Quod etiam constat ex toto titulo C. de His, qui ad Ecclesiam confugiunt. Nam licet solùm ius Canonicum potuerit hoc ius introducere, & in rigore non indigeat ad illud introducendum Imperatoria, vel regia potestate, nihilominùs, & Principes ipsi seculares potuerunt pro sua pietate hoc priuilegio Ecclesiam (vt sic dicam) præuenire, & condecorare, & ipsi Pontifices, & Concilia ad maiorem suæ legis obseruantiam voluerunt etiam Principum auctoritate iuuari. Et ideò Concil. Tolet. 12. cap. 10. sic dixit, *Pro his, qui quolibet metu, vel terrore Ecclesiam appetunt, consentiente pariter gloriosissimo Domino nostro Eringio Rege, hoc sanctum Concilium definiuit, vt nullus audeat confugientes ad Ecclesiam, vel residentes inde vi abstrahere*. Et Innocent. III. in dicto ca. *Inter alia, statuta Canonum, & traditiones Regum allegat*.

Cod. *Concil. Tolet.*

Vnde verisimile est, quod, sicut aliæ Immunitates 14. Ecclesiasticæ, quamuis auctoritate Pontificum fuerint principaliter introductæ, non sine consensu Imperatorum fuerunt generaliter stabilitæ non quidem ex necessitate, sed ex suaui Ecclesiæ prouidentia; vt alibi diximus; ita hæc Immunitas Ecclesiarum, de qua tractamus, eodem modo simul à iure Canonico statuente, & adiuuante Ciuili, initium sumpsit. Et ita leges Ciuiles, & Canonicæ, quæ hanc Immunitatem concedunt, ferè eiusdem antiquitatis sunt: quamuis inter eas, quas inuenimus scriptas, Ciuiles paulò antiquiores videantur. Vtcumque tamen sit, certum est, ius Canonicum in hoc pũcto maiorem habere auctoritatem; imò propriam, & (vt sic dicam) intrinsecam potestatem, quia materia hæc (vt dixi) Ecclesiastica propriè est, & Canonica, vt rectè tradiderunt Glossa in dicto cap. *Sicut antiquitus*, 17. q. 4. & Glossa in dicto cap. *Inter alia*, & ibi Abbas num. 24. & alij multi, quos refert, & sequitur Couar. suprà num. 3.

Gloss. Abbas. Couar.

CAPVT IX.

Quænam Ecclesiæ propria Immunitate gaudeant.

1. Quæ Ecclesiæ hac Immunitate gaudeant. Sacrata.

CIrca hoc, primò dicendum est, Ecclesiam auctoritate Episcopi fundatam, & consecratam, seu benedictam primo, & principaliter gaudere hac Immunitate. Hoc manifestum est ex dictis iuribus, & tradunt omnes Doctores citandi, & à fortiori constabit ex dicendis. Solùm quæri potest circa hanc assertionem, si in huiusmodi Ecclesia nondum sunt celebrata diuina mysteria; An gaudeat hac Immunitate? sed hæc quæstio in Ecclesia propriè consecrata vix locum habet, cum consecratio sine Missa esse non debeat c. 2. & c. *De fabrica*, de Consec. d. 1. Nihilominùs tamen interdum posset contingere sine Missa consecrari, quia Missa non est de substantia consecrationis, vt cum Hostiensi, & aliis docet Siluest. verb. *Consecratio* 2. Tunc ergò dicendum est, talem Ecclesiam gaudere priuilegio Immunitatis. Imò etiam, si propriè consecrata non sit, sed tantùm benedicta, iam est Religiosus locus, & perpetuò Deo dicatus. Item, est simpliciter Ecclesia in propria, & vsitata significatione, ergò iura, quæ hanc Immunitatem concedunt Ecclesiis, illam comprehendunt: maximè cum fauores Ecclesiarum extendendi sint. Denique id colligitur ex cap. penult. de Immunit. Eccles. vt statim videbimus: nam quæ in sequenti puncto dicemus, hoc à fortiori confirmabunt.

Cap. 2. Ca. *De fabrica.* *Hostiens. Siluest.* Benedicta.

2. Etiam non benedicta.

Secundò ergò dicendum est, etiam Ecclesiam non consecratam, nec benedictam, si obsequiis diuinis dedicata sit, & in ea diuina mysteria celebrentur, eodem priuilegio Immunitatis frui. Ita declarat Gregor. 9. in ca. *Ecclesiæ*, de Immunit. Eccles. quamuis expresse solùm loquatur de Ecclesia non consectata: Et ideò dubitari possit, An comprehendat Ecclesiam non benedictam. Aliqui enim sentiunt non gaudere, quia simpliciter Ecclesia non est, vt Abbas in Rubr. de Consecrat. Ecclesiæ, & Angel. & Siluest. verb. *Ecclesiæ*. Item, quia Ecclesia non benedicta non censetur locus sacer: Cuius signum est, quia non polluitur, neque indiget reconciliatione. Sed nihilominùs dicendum est, decisionem illius textus extendendam esse

Gregor. 9. *Abb. Angel. Siluest.*

etiam ad Ecclesiam non benedictam, si habeat aliàs conditiones in illo textu requisitas. Ita sentit Abbas in d.ca. *Ecclesiæ*: Et clariùs in cap.vlt. de Censib.num. 4.vbi dicit, Oratoria, si sint auctoritate Episcopi constructa, gaudere hac Immunitate: Idem in cap. *Petentibus*, de Priuilegiis num. 3. Ang.ver. *Immunitas*, n. 26. Siluest.verb. *Immunitas* 5. q. 1. in fine, & verbo, *Loca Religiosa*, q.2.&.Greg.Lopez in L.4.tit.11.p.1.Couar. cum aliis infrà citandis. Colligitúrque primò ex ratione textus in d.cap.penult. seu *Ecclesiæ*, scilicet, *quia Ecclesia obsequiis diuinis dedicata, nullis est temerariis ausibus profananda*: Sed potest esse Ecclesia sufficienter dedicata diuinis officiis, etiamsi benedicta non sit; ergò gaudebit hoc priuilegio. Minor patet, si Ecclesia sit auctoritate Episcopi primùm lapidem ponentis dedicata: quia talis Ecclesia hoc ipso manet perpetuò dicata diuino obsequio, nec potest ad profanos vsus conuerti; ergò iuxta rationem Gregor. IX. hoc satis est, vt Immunitate gaudeat.

Abb. *Angel.* *Silvest.* *Lopez.* *Couar.* *Greg.9.*

3. Et ita confirmatur optimè hæc sententia ex cap. *Adhæc* de Religiosis domibus, vbi de hospitali, & consequenter de omni loco, *Auctoritate Pontificis* (id est, Episcopi) *ad sacrum vsum distinato*, dicitur ita esse Religiosum, vt non possit ad profanos vsus conuerti; ergò & Ecclesia sic dedicata est locus Religiosus, qui profanari non debet; ergò gaudet dicto priuilegio. Præterea talis Ecclesia, si fuerit sanguinis, vel seminis effusione polluta, purificanda est, vt constat ex c. vlt.de Consc. Eccles. vnde mitum est, quomodo aliqui moderni oppositum dixerint. Vnde ibi Gloss. verb. *Non consecrata*, aduertit, Ecclesiam non consecratam gaudere eodem priuilegio, quo consecrata, *Et si aliquis* (inquit) *illuc confugerit, debet ab Ecclesia defendi, & hoc ideò, quia locus auctoritate Episcopi dedicatus est diuino cultui, & quod semel Deo dedicatum est, ad profanos vsus redire non debet.* Denique talis Ecclesia simpliciter venit appellatione Ecclesiæ, vt probant dicta iura: & licet Panor, dict. cap. *Ecclesiæ*, nu.2. dicat, hoc procedere *largo sumpto vocabulo*, tamen hoc intelligo intra propriam significationem, cum iura ita loquantur. Et ideò id nihil obstat, quominùs hæc Immunitas Ecclesiis concessa ad has extendatur, quia, vt dixi, hæc priuilegia in fauorem Ecclesiarum extendenda potiùs sunt, quam limitanda.

Ca. Adhac. *Cap.vlt.* *Gloss.* *Panor.*

4. Et in qua diuina officia non sint adhuc celebrata

Atque hinc vlteriùs hoc ampliatur, vt procedat, etiamsi in huiusmodi Ecclesia diuina officio nondũ cœperint celebrari. Ita docet Panormitanus cum Hostiensi, & Cardinal. in dicto cap. *Ecclesiæ*: sequitur etiã Couarruuias suprà num. 4. dicítque esse frequentiori Interpretum sententia probatum. Idem Silvest. verb. *Immunitas*, 1.quæst.1. Colligitúrque ex dicto cap. *Adhæc*. de Religiosis domib. quatenus statuit locum auctoritate deputatum ad hospitalitatem esse locum Religiosum, & ad profanos vsus non ampliùs conuertendum. Ex quo colligunt Doctores, vt infrà dicemus, gaudere hac Immunitate, cum tamen in illo necessarium non sit diuina officia celebrari, ergò à fortiori idem dicendum est de Ecclesia auctoritate Episcopi deputata, etiamsi nondum sit in ea oblatum sacrificium, vel celebratum aliud diuinum officium. Præterea talis Ecclesia iam est simpliciter Ecclesia, quia non incipit esse Ecclesia propter sacrificium in ea celebratum, sed potiùs ideò iam potest in illo loco legitimè, & quasi iure ordinario celebrari, quia est vera Ecclesia; & quoad hoc dedicatio facta auctoritate Episcopi æquiparatur benedictioni: ergò iura concedentia Ecclesiis hoc priuilegium, hanc cõprehendunt; & procedunt aliæ rationes suprà factæ. Tandem fauet ratio textus in dicto cap. penult. de Immunitate Eccles. *Quia diuinis officiis dedicata, nullis est temerariis ausibus profananda*, Quæ ratio idem apertè probat de huiusmodi Ecclesia.

Panor. *Hostien.* *Cardin.* *Silvest.* Cap. *Adhac.*

Obiici tamen potest, quia in principio loquitur ille textus de Ecclesia, in qua diuina officia, & mysteria celebrantur: Propter quæ verba Glossa ibi contrarium sentit dicens, Ecclesiam, in qua mysteria nõdum celebrata sunt, nondum plenè dedicatam videri diuinis obsequiis. Respondetur in primis ad textum, per illa verba non statui, vel postulari illam cõditionem, sed solùm ab illa nominari, quia ita frequentiùs accidit, tamen sub illa voce comprehendi Ecclesiam proximè aptam, & sufficientem, vt in ea diuina mysteria celebrentur: & hæc fuit intentio Pontificis, vt ratione sua declarauit. Neque est nouum vt nomen, significans actum, vsurpetur ad significandam aptitudinem, neque etiam est inusitatum, vt aliud significet nomen, præter id, vnde impositum fuit ad significandum. Quod autem dicit Gloss. dedicationem non esse consummatam ante celebrationem mysteriorum, falsum est in rigore loquendo, quandoquidem talis Ecclesia non potest ampliùs ad humanos vsus conuerti. Vnde etiam est falsum, quod ibidem subdit, ibi non dici committi sacrilegium; quia ille locus est sacer, & Religiosus, ergò ex parte sua sufficit ad sacrilegium. Denique repugnare sibi videtur, cum subdit, talem locum, si semine, vel sanguine polluatur, expiandum esse priùsquam in eo celebretur, ergò signum est, ibi committi sacrilegium; ergò etiam est signum, locum illum gaudere Immunitate, Nam licet multa loca gaudeãt hac Immunitate, quæ non polluuntur, quia non sunt Ecclesiæ, nihilominùs, si ille locus, de quo tractamus, polluitur, signum est, esse veram Ecclesiam, & magis Religiosum locum, quàm alia, quæ gaudent illo priuilegio, licèt non sint Ecclesiæ. Ergò gaudet hac Immunitate Ecclesiis concessa.

1. Obiectio. *Gloss.* Satisfit.

6. Interdicta, vel polluta.

Prætereà extenditur hæc Immunitas ad quamcúmque ex dictis Ecclesiis, etiamsi interdicta sit, vel etiam, si fuerit polluta, & nondum sit reconciliata. Ita docent Hostiens. Panor. & communiter Doctores in dicto cap. *Ecclesiæ*, præsertim quoad priorem partem, & Siluester verb. *Immunitas*, 1.q. 1. Et ratio est, quia inter effectus interdicti non ponitur, vt priuet Ecclesiam sua Immunitate pro eo tempore, quo interdicta est: nullo enim iure hoc habetur, vt constat ex his, quæ de Interdicto suo loco tractauimus in 5.tom. disput. 33. & sequentibus. Interdictum autem non plus operatur, quam iure statutum sit: Neque extendendum est, cum sit pœnale, quod omnibus censuris commune est: Et præsertim non est facienda extensio in maius grauamen Ecclesiæ. Atque hæc ratio eadem efficacitate procedit in Ecclesia polluta, quamuis illa non sit propriè interdicta, nec de illa in particulari Doctores citati loquantur. Conuenit enim in hoc pollutio Ecclesiæ cum interdicto, quòd iure Ecclesiastico introducta est, sicut interdictum, & ideò illos habet effectus, quos ius statuit, & non plures. Statuit autem ius, vt Ecclesia polluta sit impedita quoad diuina officia, & sepulturam, non verò, quòd priuetur sua Immunitate. Et ratio optima est, quia Ecclesia non peccauit, neque in se fuit polluta, id est, priuata, & diminuta sua sanctitate, imò semper manet ad celebranda diuina mysteria immutabiliter dedicata. Solùm ergò ex institutione iuris, dicitur esse polluta in ordine ad publica officia diuina, & funera fidelium, ad terrorem fidelium, & vt maiorem reuerentiam circa talem locum concipiant: propter hoc ergò non debuit ipsa priuari suo iure, ac Immunitate. Confirmari hoc potest, primò ratione sæpè facta, quod Ecclesia, licèt sit ita polluta, simpliciter est Ecclesia. Secundò, quia Clericus excommunicatus, vel interdictus non priuatur Immunitate.

Host. *Panor.* *Silvest.* Ratio affectionis.

Tertiò,

Tertiò, quia talis Ecclesia non priuatur aliis Immunitatibus, v. g. vt sit libera à placito, & à mercatu, & ab omni alia contaminatione, tributo, &c. Ergò idem est de præsenti Immunitate. Neque circa hoc difficultas occurrit.

7. Immunitas hæc quoad totam Ecclesiæ fabricam.

Ampliatur prætereà hæc Immunitas, vt non solùm Ecclesia quoad internum ambitum suum, sed etiam quoad totam suam fabricam, seu habitationem, aut capacitatem, & quoad externum cœmeterium hoc gaudeat priuilegio. Vtráque pars communi consensu Doctorum recepta est: Nam quoad priorem, omnes constituunt differentiam inter Ecclesiã, prout pollui potest, vel prout gaudet hac Immunitate. Quia non polluitur per actus, qui fiunt, vel suprà tectum, vel in turri, vel in alio simili loco cum illa coniuncto, & extrà illam existente, & ad sacros vsus non deputato: At verò quoad hanc Immunitatem nomine Ecclesiæ omnia ista comprehenduntur. Cuius ratio esse videtur, quia nomine Ecclesiæ lata significatione, & in communi modo loquendi vsitata, tota hæc fabrica comprehenditur, & fauores ampliandi sunt maximè in causa Religionis. Prætereà consuetudo, quæ est optima legum interpres, ita hoc exposuit. Multùm

Cap. Id constituimus. prætereà fauet cap. *Id constituimus* 17. q. 4. dicens, *Obseruandum esse, quòd Ecclesiastici Canones decreuerunt, & lex Romana constituit, vt ab Ecclesiæ atriis, vel domo Episcopi reos abstrahere omninò non liceat*: Ergò multò minùs licet abstrahere de habitaculis, seu locis ipsiúsmet

Cap. Siquis. Ecclesiæ. Expressiùs verò id habetur in cap. *Siquis contumax*, eadem causa, & quæst. ibi *De atrio Ecclesiæ; vel de porticibus quolibet modo Ecclesiæ adhærentibus*: Vbi Glossa in confirmationem adducit quod etiam iuxta, Ciuile ius, *Quæ Religiosis adhærent Religiosa sunt*, L. *Quæ Religiosis*, ff. de Rei vindica.

8. Et cœmeterium.

Atque ex his iuribus, & ex capit. vlt. de Immunit. Eccles. satis probata relinquitur altera pars de cœmeterio, quod secundùm ius antiquum (vt suprà notauimus) extenditur ad ambitum quadraginta passuum pro maioribus Ecclesiis, & triginta pro minoribus, in illarum circuitu, ex cap. *Sicut antiquitus*, & cap. *Offiniuit*, cum aliis 7. q. 4. Sed, vt dixi, in hoc standum est consuetudini, & in vnaquaque Ecclesia illud spatium pro cœmeterio habendum est, quod vel est benedictum, vel pro loco sacro ab Episcopo deputatum. De quo videri potest Panor. dicto cap. *Ecclesiæ* n. 10. & latiùs Couar. dicto c. 20. n. 5. Vnde colligunt Doctores,

Couar. eum, qui confugiendo ad Ecclesiam, portæ clausæ adhæret, & vectem manu tenet, seu ansam, quia ingredi nõ potest, gaudere hac Immunitate. Ita Couar. dicto cap. 20. num. 18. cum Ioan. Igneo in leg. 1. ff. ad Syllan. num. 57. Ratio reddi potest, quia, licèt ille non sit intrà Ecclesiam, est in illa magis, quàm si esset in cœmeterio, & ordinariè est intrà concauum ipsius parietis Ecclesiæ, & ita est intrà spatium eius non minùs, quàm si esset in superiori cubiculo. Sed quid, siquis suprà tectum Ecclesiæ sit, & super tegulas? Hoc non inuenio in specie interrogatum à Doctoribus: videri autem potest non gaudere, quia non est in Ecclesia, tanquam in loco, ne• muris eius vllo modo continetur, sed est in aëre. Nihilominùs probabiliùs est gaudere: Tùm quia priuilegia Ecclesiæ ampliandа sunt; tùm etiam quia ille re vera est in Ecclesia, quia ibi dicitur aliquis esse propriè, vbi pedes habet, licèt à tali corpore non circundetur: sicut corpora Sanctorum erunt in cœlo, quia pedibus calcabunt superficiem conuexam cœli, licèt à corpore cœlesti non circumdentur. Tùm prætereà, quia etiam illæ tegulæ Religiosæ sunt iuxta illam regulam: Quæ Religiosis adhærent, Religiosa sunt; & ideò, qui adhæret illis tegulis, non potest ab illis Religiosè euelli. Tùm denique, quia, licèt ille homo tunc non sit intrà Ecclesiam, est intrà situm Ecclesiæ, & adhæret illi; gaudet ergò Immunitate; non minùs, quàm qui est in camera superiori: Ille enim non tàm videtur gaudere propter muros, quibus circumdatur, vel propter tectum, quo tegitur, quam quia est suprà ipsam Ecclesiam, & intrà situm eius.

9. Hospitale.

Denique extenditur hæc Immunitas ad alia loca, quæ in iure Religiosa censentur, vt est hospitale auctoritate Episcopi dedicatum, iuxta cap. *Ad hæc* de Religiosis domibus, éstque communiter receptum per Innocent. Panorm. & alios in dicto cap. *Ecclesiæ*: & plures refert Couar. suprà num. 4. Idem est de Monasteriis Religiosorum quoad totum claustrum Monasterium, seu habitationem eorum, quia totus ille locus Religiosus, & sacer est, vt constat ex toto titulo de Religiosis domibus: Et optimè probatur ex c. *Ligna*, de Conse. dist. 1. Atque hoc etiam consuetudo confirmat. Denique addunt Doctores, etiam domum Episcopi hac gaudere Immunitate, quod expressè habetur in dicto cap. *Id constituimus*. Nonnulli tamen voluerunt illud restringere, vt intelligatur, quando domus Episcopi intrà quadraginta passus Ecclesiæ suæ sita est. Sed hoc iuxta antiquum ius nullum fuisset priuilegium Episcopi, illud autem Decretum aliquid speciale illi concedere voluit. Item non est, cur fauorem limitemus sine fundamento, in textu: Igitur vbicúmque situm sit palatium Episcopi, hoc gaudet priuilegio. Et ita sensit Glossa ibi, & Abbas suprà numer. 9. Couar. verò dicto num. 5. §. *Quintò* dicit priorem limitationem esse forensi consuetudine receptam; quod si ita est, illi standum erit, quia talis consuetudo non est expressè contra ius Canonicum.

Innocent. Panor. Couar. — Cap. *Ad hæc.* — *Innocent.* — Cap. *Ligna.* Palatium Episcopi. — Cap. *Id constituimus.* — *Gloss. Abb. Couar.*

10. Non quoad oratoria priuata.

Vltimò addendum est in hoc puncto, oratoria priuata non gaudere hac Immunitate. Ita docent Innocent. in cap. *Inter dilectos*, de Donationibus, & Abbas in cap. vltim. de Censib. num. 4. Siluester locis citatis, & verb. *Interdictum*, 6. quæst. 5. Armilla verb. *Immunitas*, num. 19. & Iulius Clar. lib. 5. vlt. quæst. 30. num. 7. Et ratio est, quia huiusmodi oratorium non est Ecclesia, simpliciter loquendo iuxta modum iuris. Imò neque est locus Religiosus. Nam priuata auctoritate erectus est, & eâdem potest ad profanos vsus conuerti: vtrúmque autem repugnat loco Religioso, & sacro strictè, ac propriè sumpto. Dicitur autem Oratorium priuatum, quod auctoritate Episcopi dicatum non est, vt omnes colligunt ex cap. *Ad hæc*, de Relig. domib. Gloss. in Clem. *Quia contingit*, de Relig. domib. Neque sufficit, vt de licentia Episcopi possit in eo sacrum celebrari, quia per hoc non manet locus ille immutabiliter deputatus ad sacra ministeria. Quomodo autem constare debeat, oratorium, seu capellam esse publicam, & auctoritate Episcopi dicatam, vt hac gaudeat immunitate, tractant Doctores in cap. *Patentibus*, de Priuilegiis, & Summistæ in verb. *Ecclesia*, & verb. *Loca sacra*, qui videri possunt, nam res est facilis, & magis pertinens ad externum forum, quàm ad nos, multúmque ex consuetudine pendet. Tandem non omittam adnotare, Hostiensem extendere hanc Immunitatem ad Sacerdotem Eucharistiam deferentem per plateas, & ad thronum, seu Tabernaculum, in quo idem corpus Domini defertur, ita vt si reus fugiens illud amplexetur, capi non possit. Quod sequitur Turrecrem. in c. *Quæsitum*, 13. quæst. 2. & Siluest. num. 1. in fine, & multi alij, quos refert Couar. num. 6. qui non iure, sed pia quadam consideratione fundantur, & ideò ipse dubius est. Glossa verò in dicto cap. *Quæsitum*, 13. quæst. 2. oppositum tenet, quia priuilegia non debent trahi per consequentiam. Sed certè consequentia, quæ hîc fit, valdè probabilis est, quia Corpus

Innocent. Abbas. Siluest. Armill. Iulius Clar. — *Hostiens.* — *Turrecr. Siluest. Couar.* — *Gloss.*

Christi est fundamentum huius Immunitatis. Præterquam quòd videtur hoc pertinere ad reuerentiam iure diuino debitam corpori Christi. Denique nomen Ecclesiæ non absurdè extenditur ad locum illum, in quo actu est (quamuis in transitu) corpus Christi, & ideò communem sententiam seruandam in praxi censeo.

CAPVT X.

Quæ personæ gaudeant propria Ecclesiarum Immunitate.

1. DIximus de amplitudine huius priuilegij ex parte locorum sacrorum, dicendum consequenter est de illius extensione, seu latitudine ex parte personarum. Primò ergò certum est, omnes fideles baptizatos gaudere hoc priuilegio. Ita docent omnes; & sumitur ex citatis iuribus, quæ indefinitè, & sine limitatione loquuntur. At verò indefinita locutio in lege prolata æquiualet vniuersali, quia non licet nobis excipere, vel distinguere sine auctoritate, vel ratione cogente, vbi lex indistinctè loquitur. Eò vel maximè quòd cum hæc lex prohibitionem contineat, includit negationem, quæ distribuit, & vniuersalem reddit sermonem. Hinc ergò fit, vt hac Immunitate gaudeant, non solùm homines liberi, sed etiam serui, si fideles, & baptizati sint, exceptis casibus, in quibus illa negatur, de quibus infrà dicemus. Atque ita colligitur ex dicto cap. *Si quis contumax*, 17.q.4. & ex cap. *Inter alia*.

Cap. *Siquis.* Cap. *Inter alia.*

2. Quid si seruus dominũ timens ad Ecclesiam fugiat?

Additur verò ibi specialiter de seruo confugiente ad Ecclesiam ex timore Domini, compellendum esse redire ad Dominum, postquam Dominus de serui impunitate clericis iuramentum præstiterit: In quo puncto considero, seruo non solùm concedi Immunitatem respectu iudicis, si delictum commisit, propter quod possit publicè puniri, sed etiam respectu domini, si solùm ita deliquit, vt priuatim ab eo puniri possit. Quoad primam ergò Immunitatē nulla ibi fit distinctio inter liberum, & seruum, & ita æqualiter illa gaudent, vt ibi benè notauit Panor. num. 23. in fine. *Quia*, vt ait, *non est acceptio personarum apud Deum:* Seruus autem respectu iudicis tanquam liber comparatur, & conditio serui accidentaria omninò est. Secùs verò respectu domini, quia dominiũ illius habet, & ius ad opera illius, vt notatur in l. vlt. circa finem, C. de His, qui ad Ecclesiam confugiunt. Vnde sumitur etiam argumentum ab speciali, nam cum ille textus solùm respectu domini addat dictam limitationem, in aliis nullam admittit. Circa limitationem verò ipsam addit aliam Panormitanus cum Cyno, nisi seruus fugiat propter magnam atrocitatem domini, quia non est exponendus tunc tam graui periculo; & idem fortasse est, quoties prudenter timetur morale periculum de graui nocumẽto serui, non obstante iuramento. Tunc enim aut cogendus est dominus maiorem cautionem adhibere, vel certè seruũ vendere, vt Panor. ait. Additur verò in leg. *Si seruus*, C. de His, qui ad Ecclesiam confugiunt, si seruus armatus in Ecclesiam irruat, statim extrahendum esse, vel domino liberam concedi facultatem illum extrahendi. Verumtamen Angelus verb. *Immunitas*, num. 12. hoc etiam intelligit cum cautione iuris Canonici, scilicet, promissa impunitate. Quod intelligo esse verum ex vi talis conditionis personæ, scilicet quòd sit seruus; secùs verò erit ratione delicti; si ita irruat armatus in Ecclesiam, vt in ipsa delinquat; quòd aliis etiam commune est, vt infrà videbimus.

Panor. *L. vlt.* *L. Si seruus.* *Angel.*

3. Fidelis excõmunicatus hoc habet

Secundò colligitur ex dictis, fidelem gaudere hoc priuilegio, etiamsi excommunicatus sit. Ita docet Couar. dicto cap. 20. num. 11. in principio, cum Host. in Summ. tit. de Immunitate, & aliis pluribus, quos refert dicens, esse communem sententiam: Et ratio eius est, quia hæc Immunitas Ecclesiis, non delinquentibus concessa est; vnde tacitè infert, non esse vim inferendam Ecclesiæ, etiamsi delinquens excommunicatus sit. Oportet verò addere, esse concessam Ecclesiæ hanc Immmunitatem cum generali prohibitione, quæ comprehendit etiam excommunicatos, cùm non excipiantur. Item hîc habet locum ratio suprà tacta, quòd excommunicatio non habet alios effectus, nisi quos ius declarauit, nullo autem iure statutum est, vt excommunicatus non possit habere tutelam in Ecclesia, ergò non obstante excommunicatione inde extrahi non potest. Vnde sequitur, idem à fortiori dicendum esse de interdicto, quia grauior est censura excommunicationis, & magis priuat participatione diuinorum: Item quia nullibi ponitur hic effectus inter effectus interdicti: Item quia Ecclesia interdicta gaudet sua Immunitate, ergò Ecclesia non interdicta gaudebit illa respectu personæ interdictæ.

priuilegiũ. *Couar.* *Hostiens.*

Idem dicendum de interdicto.

Huius verò contrarium docuit Felin. in capit. *A nobis*, de Exceptionibus, num. 5. Loquitur tamen specialiter de illo, qui interdictus est ab ingressu Ecclesiæ, & adducit cap. *Quia frustra*, de Vsur. vbi dicitur, *Frustra legis auxilium inuocare, qui committit in legem.* Interdictus autem ab ingressu Ecclesiæ in eam delinquit ingrediendo, ergò non potest illa protegi, ac defendi. Item quia interdictus ab ingressu Ecclesiæ, non potest in ea sepeliri, cap. *Is cui*, de Sent. excom. in 6. Et pro hac sententia citat Couar. Summam confessorum titulo de Immunitate Ecclesiæ, q. 5. Ipse verò horum Auctorum sententiam reprobat; vnde sentit, etiam personale interdictum prohibens expressè ingressum Ecclesiæ non excludere effectum huius Immunitatis. Quod mihi etiam placet propter rationes factas, & quia ille tunc fugiens ad Ecclesiam necessitate compulsus non censetur facere contra suum interdictum, non enim contemnit Ecclesiam, nec prohibitio illa videtur obligare cum tanto rigore. Præsertim cum non ingrediatur Ecclesiam in ordine ad actus Religionis, vel cultus, quo sensu videtur maximè prohiberi ille ingressus. Et ideò non censetur violare tale interdictum, qui per Ecclesiam transit, neque etiam qui in eam se recipit, vt à pluuia v.g. & ab iniuriis temporum se defendat, maximè si alibi non possit. Et ita cessant rationes Felini.

4. *Felin.* Cap. *Quia frustra.* Cap. *Is cui.* *Couar.*

Dixi autem in assertione, Laicos frui hoc beneficio, quia de Clericis est controuersia; aliqui enim existimant, eis valere Immunitatem; Ita Innocent. in d. cap. *Inter alia*, & ibi Cardin. quæst. 6. Romanus, & alij apud Couar. Et sanè ratio à nobis pro assertione facta hoc etiam probare videtur, quia iura, quæ de hac Immunitate loquuntur, non de solis Laicis, sed generaliter de omnibus tractant, scilicet de liberi, & seruis, d. cap. *Inter alia*. Clerici autem maximè liberi sunt, item de reis in d. cap. *Id constituimus*, vel de confugientibus ad Ecclesiam, cap. *Diffiniuit*. Maximè verò videtur vrgere cap. *Nullus Clericorum*, 17. quæst. 4. vbi dicitur: *Nullus clericorum seruum, aut discipulum suum fugientem ad Ecclesiam extrahere audeat, vel flagellare præsumat*, ergò multò minùs potest clericus inde extrahi, vt puniatur.

5. An clerici hoc gaudeãt beneficio. *Innocent.* *Cardin.* *Roman.* *Couar.* Cap. *Inter alia.* Cap. *Id constituimus.* C. *Diffiniuit.* Cap. *Nullus.*

Nihilominùs contrariam sententiam tenet Panor. in dicto cap. *Inter alia*, num. 13. quamuis fateatur, se non reperisse textum, vbi hoc prouideatur; allegat tamen Glossam in dicto cap. *Nullus*, quæ sentire videtur Prælatum Ecclesiasticum non peccare extrahendo clericum ab Ecclesia, si id non faciat ex odio, sed zelo disciplinæ. Et hanc opinionem sequitur Angelus num. 14. & Siluest. q. 3. § *Tertium*, & Couar. d. c. 20. n. 16. & Remig. de Gonny tract. de Immun. Fallentia

6. Pars negatiua approbatur. *Panor.* *Gloss.* *Angel.* *Siluest.* *Couar.* *Remig.*

21. &

Nauar. Iul. Clar. 21. & Nauar. in Man. cap. 25. num. 21. & 22. Iulius Clar. dicto §. finali. q. 30. & alij moderni. Quia etiam referunt, ita esse vsu receptum. Ratione etiam declaratur ab incommodo ex Siluestro suprà; nam aliàs Religiosi nunquam possent incarcerari, quia semper sunt in Monasterio, quod totum est locus Immunitatis, vt suprà dictum est: Consequens autem est planè absurdum, vt per se constat: Item maior est Immunitas personalis clerici, vt sic dicam, quæ illi conceditur ratione suæ consecrationis, quàm illa, quæ prouenire potest ex circumstantia loci, sed prior non impedit, quominùs à suo Prælato possit Clericus incarcerari, & corporaliter puniri intrà Ecclesiasticos limites, cap. *Vniuersitatis*, de Sent. excom. ergò nec locus sacer impediet. Item Ecclesiasticum iudicium censetur magis medicinale, quàm vindicatiuum, & spirituale potiùs, quàm temporale, & ideò tale iudicium intrà Ecclesiam fieri non prohibetur, ergò nec prohibebitur fieri circa personam clerici, extrahendo illum ab Ecclesia.

Cap. Vniuersitatis.

7. Limitatur superior cõclusio. *Nauar.* Hæc ergò sententia probanda est, limitanda verò (vt benè dicit Nauar.) vt procedat de clerico respectu Ecclesiastici iudicis. Nam in eo casu, in quo secularis iudex potest manus iniicere in clericum v. g. minorem non beneficiatum, neque tonsuram, & habitum gestantem, (iuxta Trident. sess. 23. cap. 6.) non potest illum ab Ecclesia extrahere, quia tunc reputatur vt Laicus, & non debet esse peioris conditionis, quàm ille. Aliam præterea limitationem addit Bernardus Diaz in Practica capit. 115. aliàs 123. Nisi delictum clerici dignum sit depositione, & traditione curiæ seculari, quia tunc, inquit, iudex Ecclesiasticus, vel non debet illum extrahere, vel si extrahat, non debet illum brachio seculari tradere. Couar. autem considerat, limitationem non esse necessariã, quia quando delictum est tam atrox, Ecclesia non defendit delinquentem, vt mox videbimus; tunc ergò neque Ecclesia defendet clericum, quominùs à suo iudice tradi possit brachio seculari. Et hoc mihi placet, quandocúmque delictum huiusmodi fuerit. Si verò detur delictum, quod non excipitur ab Ecclesiæ tuitione, & nihilominùs propter illud, vel propter incorrigibilitatem in illo, potest clericus tradi brachio seculari, tunc meritò habere debet locum limitatio Bernardi, quia non debet esse peioris conditionis clericus, quàm Laicus. An verò dari possit huiusmodi delictum, in sequentibus attingemus, quamuis hoc magis ad iurisperitos pertineat.

Concil. Trid. *Bern. Diaz.* *Couar.*

8. Respondetur fundamento oppositæ sententiæ. *Panor. Cap. Inter alia.* Ad fundamentum autem contrariæ sententiæ dicendum est, licet Canones expresè non limitent ad Laicos, tamen consuetudinem ipsam ita illos declarasse, est enim optima legum interpres. Addit Panor. ex ipsis iuribus posse colligi, loquì de iudicibus secularibus; nam in d. cap. *Inter alia*, statim additur, *Nec inde debet damnari ad mortem, vel ad pœnam, sed rectores Ecclesiarum sibi obtinere debent membra, & vitam.* Vbi cum rectores Ecclesiarum distinguantur à iudicibus, & illis committatur defensio personæ, non iudicij, indicari videtur Immunitatem concedi aduersus iudices seculares, & eorum punitionem. Vnde obiter colligo, etiam Laicas personas in his, in quibus possunt ab Ecclesiasticis iudicibus corripi, non posse tueri aduersus illos protectione Ecclesiæ, quia hæc Immunitas Ecclesiæ non conceditur aduersus ipsam Ecclesiam, seu potestatem eius.

9. An infideles hac gaudeãt Immunitate. *Gloss. Hostiens. Ioan. Andr. Tiraquel.* Denique dixi, *Laicum fidelem*, &c. quia de infidelibus etiam est controuersia. Quod enim etiam illis valeat hæc Immunitas, docuit Glossa in dicto c. *Inter alia*, verb. *Extrahendus*, addit enim, *etiam Iudæus*, quam ibi sequuntur Hostiens. Ioan. Andr. & Tiraquel. tract. de Primog. q. 66. num. 8. & plures alij per eum relati, & per Couarruuiam suprà num. 11. Potestque confirmari ratione suprà facta, quia iura generalem regulam constituunt, & non nominãt fideles, vel Christianos, sed simpliciter omnes reos, vel ad Ecclesiam confugientes, ergò non est limitandus fauor, præsertim quia non fit ipsis reis, vel infidelibus, sed Ecclesiæ. Item quia Ecclesia humanitatem exercet, etiam cum infidelibus in his, quæ pertinent ad vitæ conseruationem, vel defensionem, quando illa indigent. Nihilominùs contrariam sententiam tenet Glossa in leg. 1. Cod. de His, qui ad Ecclesias confugiunt, quam veriorem existimauit Abbas dicto c. *Inter alia*, num. 6. & plures alij, quos refert, & sequitur, Couar. dicto num. 11. qui solùm hoc probat, quia non est par, ab Ecclesia defendi eum, qui eius gremio, tutelæ, & fidei committere se ipsum recusat: Quæ ratio profectò non multum conuincit, si quæ diximus pro contraria sententia expendantur, præsertim quia etiam dicere quis posset non esse par, vt Ecclesia defendat iniquũ, & homicidam. Sicut ergò de illo dicimus, hîc non tam considerari beneficium personæ, quàm loci sanctitatem, neque Ecclesiam defendere iniquitatem hominis, sed vitam, ita etiam dici potest de infideli. Et præterea cum hoc pendeat ex iure positiuo, illa opinio præferenda videtur, cui verba legis magis fauent.

Couar. *Leg. 1. Abbas.* *Couar.*

10. In iure ergò Canonico nihil inuenio, quo possit hæc posterior opinio probari: nam verba Canonum generaliter, & indifferenter loquuntur, & in hoc magis fauent priori sententiæ. Potest autem aliquis dicere, Canones loqui iuxta subiectam materiam de hominibus, & personis, quæ sunt sub Ecclesiæ iurisdictione: *Nam de his, quæ foris sunt, nihil ad nos*, & ideò ex materia subiecta verba limitari ad fideles, etiamsi in ipsis verbis limitatio non addatur, quæ ratio probabilis est, rem tamen relinquit satis dubiam. Et ideò vlteriùs considero, circa hanc Immunitatem leges ciuiles, quæ Canonicis non repugnant, vim, & efficaciam habere; nam in dicto cap. *Inter alia* apertè dicitur, *Iuxta statuta Canonum, & traditiones legum Ciuilium, &c.* Si ergò ius Ciuile aliquid in hoc statuit, obseruandum est. At verò in l. 1. C. de His, qui ad Ecclesiam confugiunt, de Iudæis, qui simulant se Christianæ legi velle coniungi, dicitur, vt ad Ecclesiam fugientes non defendantur, quod à paritate rationis de Pagano, vel Sarraceno similiter procedit. Vnde sumitur argumentum à contrario, quòd si non simulato animo, sed ex corde baptizari petat, ab Ecclesia defendendus est. Non enim sine causa addita est illa restrictio, *qui simulant se, &c.* Quia verò simulatio, aut veritas non potest iudicibus clarè constare, ad præsumptionem necessariò recurrendum est.

Leg. 1.

11. Sententia Auctoris. *Angel. Siluest. Innocent 3.* Aut ergò infidelis confugiens ad Ecclesiam petit baptismum, vel non; si non petit, credo, non gaudere, vt supponit secunda opinio, & expresè notat Angel. num. 13. quicquid Siluest. contradicat, solùm quia iura Canonica sine restrictione loquuntur. Sed cum Innocentius III. adiungat legem ciuilem, optimè possumus in hac parte ius Canonicum per Ciuile interpretari (præter aliam coniecturam, & responsionem superius datam) in dicta autem lege euidenter supponitur, infidelem non petentem baptismum non gaudere hoc beneficio. Nam si is, qui simulatè petit, non gaudet, vt ibi statuitur, multò minùs qui non petit. De illo autem, qui petit, vlteriùs distinguo; nam vel ante commissum delictum, & conceptum iudicis timorem voluntatem ostenderat conuersionis suæ, vel solùm post fugam ad Ecclesiam, baptismum petit, vt defendatur. In priori casu profectò probabilior est prima opinio; quia nulla ratio tunc est præsumendi simulationem, & ita multum fauet dicta lex.

Neque tunc habet locum responsio Glossæ, scilicet, verba illa solùm denotare frequentiam, quia etiam verum non est, in huiusmodi hominibus frequentiùs reperiri simulationem. Accedit, quòd ille tunc aliquomodò erat fidelis ante delictum, quia erat quasi cathecumenus, & animo iam fidem conceperat: Item tunc cessat coniectura alterius sententiæ, maximè enim par est, vt Ecclesia huiusmodi hominem defendat. Et huiusmodi casus contingere potest frequenter in captiuis seruis, vel aliis infidelibus, qui inter nos versantur.

12. At verò quando infidelis solùm post delictum, & fugam ad Ecclesiam, incipit ostendere voluntatem fidei, magna est præsumptio, quòd simulatè petit; nam, vt Panor. ait, est præsumptio iuris, & de iure, contra quam non admittitur probatio; quòd autem illa præsumptio sit non tantùm iuris, sed etiam de iure, solùm probat ex illa lege, quia ratione huius præsumptionis statuit, vt isti infideles non defendantur ab Ecclesia, donec debita soluant, vel innocentiam probent. Verumtamen si attentè consideretur lex illa, non dicit, vt non defendantur, sed vt non suscipiantur, scilicet ad baptismum, donec, &c. Nam post solutionem debitorum vel probatam innocentiam parum indigerent Ecclesiæ Immunitate: Vnde quoad illam partem lex illa nullius momenti est, quia disponit in materia aliena, hoc enim iudicium pertinet ad Ecclesiam. Prius tamen dicit, vt isti arceantur, vtique ab Ecclesia; sed hoc non generaliter statuit, sed cum illa limitatione, *Qui simulant se, &c.* Et ideò non videtur ita statuere, vt inducat præsumptionem de iure. Ideóque probabiliorem existimo priorem opinionem, quam etiam sequuntur Angelus, & Siluester, cum communi Canonistarum. Potest enim Ecclesia huiusmodi ad se confugientem, & petentem baptismum, protegere donec examinet an verè, vel simulatè petat; atque ita admittere probationem contra præsumptionem. Quòd si Ecclesia iudicauerit, illam non esse simulationem, sed veram voluntatem ea occasione à Deo inspiratam, vt sæpè accidit, sicut potest illum hominem baptizare, ita & vel declarare, vel efficere, vt Immunitate gaudeat. Si verò præsumptio purgari non potest, tunc procedet secunda opinio iuxta prædictam legem.

Angel. Siluest.

13. Quid de Hæreticis dicendum.

Sed quid de Hæreticis? illi enim licet sint infideles, sunt tamen baptizati, & ex hac parte videtur melioris conditionis, quàm alij infideles. Aliunde verò non inuenitur propter hæresim illis imposita hæc pœna, vt hac Immunitate Ecclesiæ non gaudeant. In contrarium verò est, quia omninò sunt indigni tali fauore. Propter quod Couar. suprà nu. 11. §. *Decimo quarto*, negat, hæreticum gaudere hoc beneficio; citat Villarieg. tract. de Hæret. q. 11. n. 15. & alios, Siluest. autem *Immunitas*, 3. q. 3. §. *Secundum*, dicit etiam hæreticum gaudere hac Immunitate, quantùm ad alia maleficia ab hæresi. Itaque certum est pro ipsa hæresi non gaudere, tum propter atrocitatem criminis, vt infrà dicemus, tum quia illa causa est Ecclesiastica: suprà autem diximus, Immunitatem hanc contra Ecclesiasticum iudicem non valere. De aliis verò criminibus probabilis videtur Siluestri opinio, quia non habemus fundamentum ad excipiendam personam, vbi crimen non est exceptum.

CAPVT XI.

In quibus causis valeat templorum Immunitas.

1. In quibus causis prosit confugere ad Ecclesiã.

PRimùm distinguenda est duplex causa, Ciuilis, & Criminalis. De Ciuili est res minùs certa; multi enim negarunt, gaudere beneficio Immunitatis eum, qui propter debita ad Ecclesiam confugit. Ita sensit Iason in l. *Vnum*, ff. Si certum petatur, num. 5. ductus planè argumento leui, scilicet, quod in die festo potest capi debitor, ergò & in loco sacro, quia à tempore ad locum valet argumentum, sicut etiam è conuerso. Sed certè non valet in omnibus, præsertim in his, quæ à iure positiuo pendent. Estque euidens in eadem materia, nam etiam malefactor capi potest, & incarcerari in die festo, non autem in loco sacro. Meliùs argumentum sumitur ex verbis iurium: Nam in cap. *Id constituimus*, dicitur Canones, & Leges statuisse, *Vt non liceat ab Ecclesiis reos abstrahere*, debitores autem non sunt propriè rei. Et infrà de seruo dicitur: *Si confugerit pro quolibet culpa*, non ergò pro debito. Deinde dictum cap. *Inter alia*, sic inquit: *Si liber quantumcúmque grauia maleficia perpetrauerit, &c.* Loquitur ergò tantùm in causis criminalibus. Congruentia etiam addi potest, quia iura solùm intendunt, hominem defendere à pœna, vt ex eodem c. *Inter alia*, colligitur, non ergò intendunt priuare creditorem iure suo. Nam hac ratione statuunt, vt seruus reddatur domino, præmissa cautione de impunitate, quæ in debitore non est necessaria, quia clarum est, non posse creditorem illum punire.

Iason. Cap. *Id constituimus.* Cap. *Inter alia.*

2. Propter quam rationem alij distinctione vtuntur, scilicet Ecclesiam valere confugienti ad illam propter debita, in ordine ad iudicem, scilicet, vt extrahi non possit, vt incarceretur, vel aliter in persona sua cogatur ad solutionem, concessa tamen in hoc securitate, posse cogi, vt exeat ad soluendum eo modo, quo possit, scilicet, tradendo creditori bona, quæ habet, vel quæ secum ad Ecclesiam detulerat, vel certè suis operibus seruiendo, aut lucrando creditori, vt aliquorum regnorum iura disponunt. Ita tenuit Oldrandus cons. 54. & approbat Panor. dict. cap. *Inter alia*, num. 22. Et plures alios pro hac sententia refert Couar. suprà num. 14. Et fundamentum est, quia Ecclesia non vult per hanc Immunitatem iuri alteriùs derogare, sed solùm confugientem à pœna, vi, & coactione defendere.

Oldran. Panorm. Couar.

3. Hanc immunitatem habere locum in causis ciuilibus. Couar.

Nihilominùs alij simpliciter affirmant, Immunitatem hanc habere locum in causis Ciuilibus, ita vt qui propter debita ad Ecclesiam confugit, tutus omninò esse debeat. Ita tenet Couar. dicto num. 14. §. *Sed profectò*, cum aliis, quos refert; & videtur apertè probari ex lege 1. Cod. de His, qui ad Ecclesiam confugiunt; ibi, *Vt ad Ecclesiam confugientes euitare possint crimina, vel pondera debitorum.* Et in l. vltim. §. *Cum autem*, ibi, *in publico priuatóve contractu actione Ciuili, &c.* Quæ latè prosequitur Imperator, declarando modum, quo causa illius tractanda est, qui propter debita ad Ecclesiam confugit. Cum ergò lex Canonica in hoc non repugnet, iuxta legem Ciuilem, quam ipsa allegat, & approbat, erit interpretanda. Vnde cum in cap. *Id constituimus*, 17. q. 4. dicitur, obseruandum esse, *quod Ecclesiastici Canones decreuerunt, & lex Romana constituit, vt ab Ecclesia reos abstrahere non liceat*; non oportet hoc limitare ad reos de Criminibus, sed latè intelligere, prout reus in iudicio appellatur, qui prouocatur, & postulatur ad causam, siue ciuiliter, siue criminaliter agatur. Et ita etiam fauent alij Canones, qui vniuersaliter loquuntur de confugientibus ad Ecclesiam, vt suprà visum est. Aliqui verò hoc limitant, nisi quis sit obnoxius publicis tributis, propter Authenticam, de Mandatis Principum, §. *Publicorum*. Verumtamen non est admittenda exceptio, quia præiudicat Immunitati Ecclesiæ per Canones concessæ, vt dixit Abbas suprà n. 24. quem sequuntur Siluester dicta qu. 1. §. 3. *Sextum*, & Couar. suprà qui alios refert. Aliæ præterea limitationes adhibentur, quæ

Cap. *Id constituimus.* Authent. Abbas. Siluest. Couar.

quæ nobis non videntur neceſſariæ, ſed de illis legi poteſt Couar. ſuprà.

4. Regula in cauſis criminalibus.

De criminalibus cauſis regula generalis eſt, propter nullum crimen poſſe reum ab Eccleſia violenter extrahi, niſi tantum in caſibus in Iure exceptis, vel æquiualenti conſuetudine. Ita docent Doctores omnes, & eſt manifeſtum ex iuribus citatis: Nam & generalem regulam conſtituunt, & exceptionem addunt, quæ vim etiam habet firmandi regulam in contrarium. Igitur in dicto cap. *Inter alia*, additur exceptio, *Niſi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum*, &c. Atque ita de his duobus delictis nulla eſt difficultas. Addit verò Couar. conſuetudine receptum eſſe, vt fures etiam ſimplices non gaudeant templorum Immunitate, & hanc conſuetudinem introductam eſſe, videntibus, & conſentientibus clericis, & Paſtoribus Eccleſiæ: Quod ſi ita eſt (vt planè eſſe videtur) dicendum eſt, exceptionem hanc auctam eſſe per talem conſuetudinem, neque dici poſſe illam eſſe contra Immunitatem Eccleſiæ, quia non cenſetur introducta, niſi ex beneplacito ipſius Eccleſiæ, & in odium delicti, non in diminutionem reuerentiæ Eccleſiæ debitæ.

C *Inter alia*

Couar.

Fures non habent hoc priuilegium.

B

5. Illatio aliquotum improbatur.

Ex hac verò exceptione inferunt aliqui, excipiendum eſſe quodcumque crimen æquè graue latrocinio publico, vel nocturnæ depopulationi. Sed hoc improbabile eſt, vt omnes Doctores ſtatim citandi annotant, quia d.c. *Inter alia*, priùs dicit, *Quantumcúmque grauia maleficia perpetrauerint*; Et deinde addit in particulari duas illas exceptiones, ergò non licet ad alia omnia crimina æquè grauia illas extendere; aliàs non eſſet exceptio, ſed deſtructio regulæ. Item in cap. vlt. de Immun. Eccleſ. ſpecialiter excipitur homicidiũ factum in Eccleſia, ergò ſupponitur, ſi extrà Eccleſiam fiat, poſſe homicidam in Eccleſia defendi, cum tamen homicidium ex ſe grauius ſit, quàm latrocinium. Denique in huiuſmodi rebus non licet extendere iura propter ſolam ſimilitudinem, non enim ſine cauſa in particulari loquuntur. Vnde licet alia crimina ſint grauiora furto, tamen propter maiorem frequentiam huius delicti, & maiorem pacis, & ſecuritatis publicæ perturbationem potuerunt meritò hæc crimina excipi potiùs, quam alia.

C

Cap. *Vlt.*

6. Excipitur crimẽ in Eccleſia admiſſum.

Quæri autem poteſt, An præter has ſint aliæ exceptiones admittendæ? De quo multa legi poſſunt in Panorm. Silueſt. & Couar. ſuprà. Breuiterque dicendum eſt, nonnullas aliàs exceptiones præter dictas admittendas eſſe. Prima eſt, ſi delictum in ipſa Eccleſia committatur. Ita habetur in d. cap. vlt. de Imm. Eccleſ. Qui textus loquitur in particulari de committentibus homicidia, vel mutilationes membrorum in Eccleſia: Et ideò meritò dubitari poteſt, an ad alia delicta extendatur. Mihi tamen videtur, intentionem Pontificis fuiſſe excipere omnia grauia delicta in Eccleſia commiſſa: Quod tenuit ibi Panorm. num. 9. & Couar. num. 15. & idem ſentit Nauar. cap. 25. num. 20. dicens, eſſe opinionem communem, quam etiam latè tractat Remig. de Gonny in tractatu de Immun. Fundari autem poteſt in ipſo textu: Nam in principio ſic incipit: *Nonnulli impunitatem ſuorum exceſſuum per defenſionem Eccleſiæ obtinere ſperantes, &c.* De his ergò exceſſibus generaliter loquitur; de homicidio autem, & mutilatione mentionem facit quaſi gratia exempli. Deinde in deciſione etiam eſt vniuerſalis ſermo, & rationes etiam eius generales ſunt, videlicet; *Cum in eo, in quo deliquit, puniri quis debeat, & fruſtra legis auxilium inuocet, qui committit in legem, mandamus*, &c. Solet etiã dubitari; An hic caſus abſolutè excipiatur, vel ſolùm quando in Eccleſia quis delinquit ſpe Immunitatis, nam in textu fit mentio huius ſpei. Nihilominùs allegati Doctores communiter aſſerunt, indiſtinctè hoc

D

Panor. Couar. Nauar. Remig.

E

intelligendum eſſe de delinquente in Eccleſia, ſiue ſpe Immunitatis, ſiue alia ratione delinquat, quia Pontifex in deciſione ſua non fundatur in ſpe, ſed in qualitate delicti, & iniuria Eccleſiæ; atque ita vſus etiam legem illam exponit.

7. Si non in Eccleſia omninò committatur. *Silueſt.*

Sed quid ſi delictum non omninò fuerit in Eccleſia commiſſum? Poteſt autem hoc contingere multis modis: Primò ſi exiſtens in Eccleſia feriat extra Eccleſiam exiſtentem; & tunc exiſtimo non gaudere Immunitate cum Silueſtro, & aliis, quia licet effectus delicti extrà Eccleſiam conſummetur, ille abſolutè delinquit grauiter in Eccleſia, quia ibi exercet actionem ſuam, quæ graue peccatum eſt: Item quia rationes textus tunc habent ſuam vim. Et ex eodem fundamento cenſeo, idem eſſe dicendum, ſiquis in Eccleſia mandet miniſtro, aut famulo, vt alium extra Eccleſiam occidat, quod etiam ſentit Silueſter, nam ille etiam peccat grauiter in Eccleſia, & de illo dici poteſt debere puniri in eo, in quo deliquit: Item quia ſi ſpe Immunitatis confugiſſet ad Eccleſiam ad tale mandatum ibi dandum, ſine dubio indignus eſſet, quem Eccleſia defenderet; dictum eſt autem in hac materia non referre, quòd delictum fiat ſpe Immunitatis, vel abſque illa, ergò. Idem cenſeo eſſe dicendum, ſi delictum fuit extra Eccleſiam inchoatum, & intra illam conſummatum, vt ſi quis extra Eccleſiam exiſtentes, ſagitta, vel alio inſtrumento exiſtentem in Eccleſia percutiat, vel per ſeruum ad hoc miſſum, quia ille re vera in Eccleſia delinquit, etiamſi in Eccleſia non ſit. Nam ipſum delictum in Eccleſia committitur, & fit ab illo, qui extra Eccleſiam eſt, ſicut Sol illuminat hîc, licet non ſit hîc. Item quia in delicto ſic commiſſo locum habent rationes dicti cap. vlt. & verba eius in omni proprietate comprehendunt illud delictum. Et ita tenet Cou. ſuprà num. 15. *§. Vigeſimo ſeptimo.*

Couar.

8. Obiectio.

Poſſet tamen obiici, quia leges punientes delicta, non extenduntur ad delicta inchoata, vel imperfecta, ſed coarctantur ad conſummata, & perfecta, vt in materia de Cenſuris ſæpè dictum eſt. Reſpondetur, illud eſſe verum, ſecundùm exigentiam verborum legis, & ita in præſenti, hæc pœna, vel quaſi pœna non incurretur, donec delictum in Eccleſia factum ſit, tunc verò illam incurrunt omnes, qui illud committunt, ſeu ad illud cooperantur, quia verba, & rationes dicti capituli non plus requirunt. Alia item obiectio fieri poteſt, quia ſequitur, eum, qui furatus eſt extra Eccleſiam, ſi intra illam, rem furto ſublatam iniuſtè contrectet, ea vtendo, vel illam occultando, eo ipſo cenſeri in Eccleſia peccare, quia illa contrectatio peccatum eſt, & interdum nouum, & diſtinctum, ac ſubinde ea ratione non gaudere Immunitate. De hoc puncto latè tractat Couar. num. 15. *§. Vigeſimo octauo*, & refert opinionem Angeli ſentientis in illo caſu amitti priuilegium Immunitatis, ipſe verò Couar. contrarium ſentit. Ego verò in primis aſſero iuxta ſuperiùs dicta, tolli fundamentum huius dubitationis, quia fur, licet extra Eccleſiam furetur, iam non gaudet Immunitate. Vnde nec incipiet priuari illa, eò quòd rem ſublatam intra Eccleſiam retineat, vt eſt per ſe notum. Si autem ponamus, alicubi valere Eccleſiam pro furto ſimplici dicendum videtur, ſi fur velit abuti Eccleſia ad occultandam rem ſublatam, quantum ad illud delictum, non gaudere Immunitate, quia deciſio, & ratio dicti cap. vlt. tunc planè locum habet, ſecùs verò erit, ſi caſu accidat, eſſe in Eccleſia ſecum deferendo, vel vtendo illa re, quia tunc moraliter non cenſetur peccare in Eccleſia, neque in Eccleſiam, illi iniuriam inferendo.

Diluitur.

9. *Couar.*

Prætereà Couar. ſuprà §. 26. hanc exceptionem extendit ad eum, qui deliquit propè Eccleſiam ſpe confugiendi ad illam, quando de tali ſpe per coniectu-

ras

ras constare potest, vult enim illum non gaudere Immunitate Ecclesiastica, refertque Ancharanum, & alios, & affert coniecturam à simili de illo, qui committit peccatum reseruatum spe Bullæ, aut Iubilæi. Verùm hæc omnia non videntur mihi sufficere ad extendendam legem odiosam, & quodammodo coarctantem Immunitatem Ecclesiasticam. Præsertim quia textus ille distinctè loquitur de Ecclesia, & cœmeterio eius, ergò in virtute ponit Exclusiuam, vt tantùm de illis locis loqui intelligatur. Item qui propè Ecclesiam peccat absque spe Immunitatis, non priuatur illa, vt apertè Couar. supponit, sed peccare cum spe, vel sine illa non varias in præsenti effectum illius legis, vt ipse etiam fatetur, ergò neque in præsenti refert. Item si coniecturæ, & exempla, quibus vtitur, valerent, eodem modo probarent de eo, qui longè ab Ecclesia peccat cum spe confugiendi: nam etiam ille abutitur beneficio, &c. Non est ergò extensio facienda; nam lex illa solùm voluit præcauere, ne Immunitas daret occasionem peccandi in Ecclesia. Et in hanc partem censeo veriorem, quam tenet apertè Angel. verb. *Immunitas* num. 7.

Anchar. *Angel.*

10. Altera exceptio fieri solet de homicida per insidias ex cap. 1. de Homicidio, quòd ita habet; *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo euelles eum, vt moriatur.* Circa quem textum aduertendum est, plures non intelligere illum de Laicis homicidis, sed de Clericis, & consequenter dicere ibi non agi de Immunitate Ecclesiæ deneganda his homicidis, sed de pœna imponenda Clerico occidenti alium per insidias, nimirum quòd *Ab altari sit euellendus*, id est, deponendus, & degradandus, *Vt moriatur*, id est, brachio seculari tradatur. Ita Panorm. & multi alij. Sed expositio mihi valdè displicet. Primò, quia sine fundamento in textu limitant illum ad clericos, cum textus absolutè dicat, *Si quis*. Secundò, quia metaphoricè interpretatur verba textus, quod non licet, maximè in lege morali, & pœnali. Vnde illámet assertio, quòd clericus propter tale delictum sine alia speciali atrocitate, vel incorrigibilitate, statim degradari possit, & tradi brachio seculari incerta est, vel fortasse falsa, vt Couar. cum multis aliis censet, & intelligi potest ex his, quæ in materia de Degradatione diximus in 5.to. disputation. 30. sect. 2. Et mihi saltem certum est, ex illo textu non probari. Tertiò, quia textus ille non est alicuius Concilij, vel Pontificis ante Gregor. I X. Sed sunt verba sumpta ex Exod. 21. quæ Gregor. I X. inseruit iuri Canonico, & ita ex illis fecit Canonicam legem, ergò in sensu literali, & proprio illa vsurpauit, & transtulit ad idem cum proportione significandum, sed in Exodo erat sermo de quocumque occidente per insidias, & statuebatur, quod in templo defendi non posset, ergò idem significant verba illa in illo textu, vt benè intellexit Glossa ibi communiter probata, fauetque. Nec refert, quod Concil. Trid. sect. 4. c. 7. de Reform. illa verba inducit ad statuendum, vt omnis voluntarius homicida semper sit irregularis, & inhabilis ad ordines, & beneficia: nam argumentatur à simili, seu à fortiori, & in hoc nobis fauet, quod non solùm de clericis, sed etiam de Laicis loquitur.

Qui per insidias aliũ interficit, an potiatur hac Immunitate Cap. 1. *Couar.* *Exod. 21.* *Greg. 9.* *Gloss.* *Concil Trid.*

11. Hoc ergò verò sensu supposito, optimè ex illo probatur dicta exceptio, iuxta quam dicendum est, eum qui per industriam, & insidias alterum occidi, siue in Ecclesia, siue extra Ecclesiam, siue clericum, siue Laicum, & siue ipse Clericus sit, siue Laicus, violenter extrahi posse ab Ecclesia à suo iudice: ita enim ex dicta expositione apertè colligitur; & certè tale delictum dignum est hac Ecclesiæ seueritate, & meritò in hoc lex Canonica imitata est legem diuinam veterem. Neque obstat cap. *Inter alia*, quod Panorm. obiicit, nam licet Innocentius I I I. ibi hanc exceptionem non fecerit, potuit postea fieri à Gregor. I X. Atque ita sentiunt Felin. in dict. cap. 1. & Franciscus Aretinus in cap. *Cum non ab homine*, de Iudiciis, & sequitur Couar. suprà num. 7. referens plures alios; & Abul. quæst. 16. & 21. in cap. 21. Exod. vbi ait legem illam Exodi fuisse canonizatam in dicto cap.

Cap. Inter alia. Panor. *Innocent.* *Gregor. 9.* *Felin.* *Aretin.* *Couar.* *Abulens.*

12. Sunt autem in illo textu notanda duo verb. scilicet *Per industriam* & *per insidias*, quæ non sunt synonyma, nec conuertuntur, omnis enim, qui occidit per insidias, occidit per industriam, vt per se clarum est, non tamen è conuerso. Dicitur enim per insidias occidere, qui à tergo alium occidit, vel quocumque alio, modo interficit hominem, nihil tale præcauentem, maximè cum nulla esset præcauendi causa, seu qui dolosè circumuenit alium, & calidè seducit, vt eum occidat iuxta Gloss. in capit. Clericus 1. 46. d. Exemplum optimum est in Absalone, quando fratrem Adoniam occidit 2. Reg. 13. & ita Bartol. in l. *Respiciendum*. §. *Delinquunt*, ff. de Pœnis, exemplum ponit in occidente sedentem in mensa; idémque est de occidente socium itineris secum securè incedentem vt fecit Ioab ad Abner, 2. Reg. 3. vel qui dato signo pacis, & securitatis alium occidit, vt cum Amasa fecit idem Ioab. 2. Reg. 20. Item de propinante venenum, & similibus; in omnibus ergò his casibus planum est non valere Immunitatem, quia & industria & insidiæ interueniunt.

Explicantur verba c. 1. de Hom. *Gloss.* *2. Reg. 13.* *Bart.* *2. Reg. 3.* *2. Reg. 20.*

13. At verò siquis ex proposito, & vtendo tota sua industria alterum occidat, non tamen incautum, nec per dolum, sed prouocando illum vel ita aggrediendo, vt possit conari vel ad fugiendum, vel ad se defendendum, ille per industriam quidem occidit, non tamen per insidias. Et ideò dubitari potest, an ille etiam priuetur Immunitate; nam textus copulatiuè loquitur *Per industriam, & per insidias*, copulatiua autem in singulis membris vera esse debet, & ita intellexit locum Exod. Abulens. ibi, nihilominùs probabiliùs est, illud homicidium non comprehendi sub hac exceptione, nam duæ illæ voces coniunctim sumendæ sunt, ita vt posterior sit determinatio prioris. Quod sensisse videtur Couar. dicto num. 7. §. *Tandem*, dicens, *per industriam, & insidias, id est, per industriam insidiosam*, quam expositionem confirmat ex Gloss. & Bartol. in l. 1. ff. de Pactis. Et potest confirmari, quia illa lex est odiosa, & ideò restringenda, quòd illo modo fit. Item quia, qui occidit alterum de industria, non semper occidit incautum, vt Abulens. supponere videtur, vis enim vocis non hoc significat, sed solùm, vt opus data opera fiat; at verò non omne homicidium data opera intentum intelligitur ibi exceptum iuxta communem sententiam, & consuetudinem, debet ergò esse industria insidiosa. Dices, ergò superfluè ponitur illa particula per industriam. Respondeo, eodem modo posse retorqueri argumentum, nam si omne homicidium per industriam exciperetur, non oportuisset addere, *Et per insidias*, coniuncta ergò sunt illa duo, vt vnum per alterum explicetur, & alterum per alterum limitetur. Ex his ergò concluditur, nullum homicidium non insidiosum, Hispanè, *No hecho à traicion*, esse exceptum per hoc caput, siue casuale culpabile, siue sit voluntarium repentè factum, siue sit voluntarium præmeditatum cum industria, & sine dolo. Quia qui sic delinquit, non est homicida per insidias, & ita tradit Couar. in dicto num. 7. §. *In his, & §. Nono*, quamuis de præmeditato homicidio dicat sæpè fieri contrarium propter plurium Doctorum auctoritatem, qui oppositum senserunt, sed re vera sine fundamento iuris.

Abul. *Couar.* *Gloss.* *Bart.*

Si homicidiũ insidiosum non sit, hoc loco nõ excipitur. Couar.

14. E' contrario verò dubitari potest, an aggrediens per insidias ad occidendum aliquem, si effectum non est

eſt conſecutus, priuetur fauore Immunitatis, propter ſolam vulnerationem inſidioſam, vel propter culpabilem, & punibilem iaculationem, etiamſi manus aberret: Aliqui enim affirmant, vel Ioannes Igneus in leg. 1. §. *Si Dominus*. ff. Ad Syllanianum n. 7. & 20. Sed contrarium videtur probabilius in rigore iuris: Quod tenuit Rebuff. tractatu de Immunitate, articulo primo, quæſt. 5. Ratio eſt, quia hæc lex expreſsè loquitur de illo, qui occidit, vndè ex vi verborum requirit actũ conſummatum cum effectu ſubſecuto; non enim dicitur occidiſſe quantùm ad homines, & quantùm ad factum ipſum, qui tentauit occidere, ſed fruſtra, licet quoad Deum, & quoad culpam æquè peccauerit; leges autem humanæ loquuntur etiam humano modo, & reſtringendæ ſunt ad proprietatem verborum, præcipuè quando odioſæ ſunt. Solùm poſſet prior ſententia defendi, quando conſuetudo illam extenſionem fecerit.

Igneus. *Rebuff.*

15. De Aſſinis quid dicendum.

Prætereà ex dictis etiam expeditur caſus de Aſſaſinis, quem latè tractat Couar. ſuprà n. 10. ſumitur enim illa vox dupliciter, vt etiam notaui in 5. tom. diſp. 23. ſect. 4. n. 46. Primò pro illis, qui pecunia accepta, alios incautos accidunt, vel pro publicis deprædatoribus viarum, & in hoc ſenſu conſtat, hos comprehendi in ſuperioribus exceptionibus. Alio tamen ſpeciali modo Aſſaſini dicuntur quidam infideles patrio nomine ita vocati, quorum opera vti ſolebant nonnulli ex Chriſtianis ad alios etiam Chriſtianos inſidioſè occidendos. Et in hoc ſenſu conſtant, hanc legem non eſſe neceſſariam pro talibus Aſſaſinis exequentibus homicidia, quia illi cum infideles ſint, nullo modo gaudent immunitate, tanten ſi opus eſſet (propter opiniones) à fortiori comprehenderentur, vt conſtat.

16. Dubitari prætereà poteſt demandante alterum inſidioſè occidi, An comprehendatur in hac exceptione ſaltem poſt ſubſecutum effectum, nam ſi non ſequatur, iam dictum eſt, non habere locum hanc legem, verumtamen etiam ſi ſequatur, non videtur mandans verè occidere, & lex pœnalis, vt dixi, non eſt extendenda. Nihilominùs exiſtimo, mandantem etiam comprehendi in hac exceptione, quia *Qui facit per alium, eſt perinde, ac ſi per ſe ipſum faceret*, vt habet regula iuris 72. in 6. Vnde hæc non eſt extenſio legis pœnalis, ſed interpretatio ab ipſo Iure facta, & ſanè tale delictum dignum eſt huiuſmodi pœna, & maiori; loquendo etiã in particulari de mandante occidere per homines Aſſaſinæ gentis: Valdè probabile eſt, etiam effectu non ſecuto, non gaudere Immunitate, ſaltem ex vi cap. 1. de Homicidio in 6. Vbi licet in ſpeciali hoc non declaretur, tamen in pœnis ibi latis videtur hæc à fortiori comprehendi.

Reg. 72. *Cap. 1.*

17. Raptores virginũ an hac gaudeant immunitate. *Authent. C. Raptoribus* *Gloſſa. Panor.* *Angel. Silueſt. Anchar. Hipol. Couar.* *Conc. Aurel.*

Tertia exceptio eſſe poteſt de raptoribus Virginum: de qua eſt controuerſia; nam Iure Ciuili excipitur etiam hoc crimen in Authen. de Mandatis Principum §. *Neque autem*, ver. *Quodſi delinquentes*, & §. *Sed neque* ver. *Neque autem*, Iure autem Canonico ſtatuitur contrarium in cap. *De raptoribus* 36. quæ. 1. & ideò inter Iuriſtas eſt diſſenſio: nam ſeruandum eſſe ius Canonicum cenſent Gloſſa Panormitan. & frequentiùs Doctores in dict. cap. *Inter alia*, quia materia hæc Canonica eſt, & ideò illa Authentica per iura Canonica quoad hanc partem derogata eſt, & hoc ſequitur Angel. num. 17. & Silueſt. verb. *Immunitas*, 3. q. 2. Contrarium verò tenuit Ancharranus in dict. ca. *Inter alia*, & Hippolitus in leg. vnic. Cod. de Raptoribus, quos ſequitur Couarruuias ſuprà numer. 8. qui credit iura Canonica antiqua eſſe in hac parte derogata, & ita reſpondet ad dictum cap. *De raptoribus*. Faciliùs tamen reſpondere poſſet, decretum illud non eſſe Pontificium, neque vniuerſalis Concilij, ſed Aurel. 1. Prouincialis, & ideò facilè potuiſſe non vniuerſaliter re-

A cipi; nam de alia derogatione per ius nouum non cõſtat, cum ius ciuile illam facere non potuerit. Indicat tamen Couarr. factam eſſe per noua iura Canonica, quatenus non ita indiſtinctè concedunt Eccleſiæ hanc Immunitatem, ſicut antiquiora decreta, ſed aliqua grauia crimina excipiunt; quæ Reipublicæ maximè nocent. Vnde quia raptus Virginum nec minùs graue crimen eſt, nec minùs Reipublicæ nociuum, ideò putat, cum aliis eſſe exceptum. Verumtamen hic diſcurſus facilè poteſt in contrarium retorqueri, nam exceptio firmat regulam in contrarium, vnde cum antiqua iura Canonica vniuerſalem regulam conſtituant, & noua quaſdam exceptiones addant, confirmant regulam quoad omnia crimina non excepta. Neque licet extendere exceptionem propter ſolam ſimilitudinem rationis, alioqui eſſet etiam excipiendum adulterium, quod in dicta etiam Authentica excipitur, & Ancharranus cõſequenter fatetur, ſed reprobatur ab omnibus, imò multa etiam alia vitia eſſent excipienda, quod ſuprà oſtendimus, admitti non poſſe. Quapropter ex vi iuris videtur probabilior prior ſententia, ex conſuetudine autem fortaſſe poſſe hæc exceptio admitti, quando videntibus, & conſentientibus Prælatis Eccleſiæ introducta eſſet. Vel certè raptus Virginum poſſet aliquomodo reuocari ad vitia excepta in cap. *Inter alia*, quia rapina in genere latrocinium quoddam eſt; raptus autem virginis quædam rapina eſſe videtur ex D. Thom. 2. 2. quæſt. 66. artic. 4. ad 3. Et ideò licet habeat aliam malitiam luxuriæ adiunctam, non incongruè poteſt intelligi hoc vitium comprehenſum ſub latrocinio, nam re vera habet malitiam iniuſtitiæ grauiorem, & ferè eiuſdem rationis: Ob hanc ergò cauſam non eſt improbabilis hęc exceptio, præſertim accedente conſuetudine.

B

C

Auctoris iudicium. *C. Inter alia.* *D. Thom.*

Vltima exceptio eſſe poteſt fuga è carcere, in quo malefactor iam comprehenſus erat, & præſertim ſi carcerem infringat, & inde ad Eccleſiam confugiat. Ratio eſſe poteſt vel propter publicum nocumentum illius delicti contra publicam cuſtodiam, vel quia ille non confugit ad Eccleſiam, cum eſſet liber, ſed iam in vinculis conſtitutus, iura autem tantùm fauent illis, qui in ſua libertate exiſtentes ad Eccleſiam confugiunt. Vnde hac ratione dicunt multi Doctores ſi miniſtri iuſtitiæ delinquentem captum ferentes per Eccleſiam tranſeant, poſſe eadem vi, qua illum introducunt, abducere, quia iam captus in Eccleſia ingreſſus eſt, vt dixit Archid. in c. *Sicut antiquitus*, 17. q. 4. quẽ Couar. num. 13. cum aliis, quos refert, ſecutus eſt. Et ſimili ratione quamuis criminoſus in ſua libertate exiſtens confugiens ad Sacerdotem deferentem Euchariſtiam per viam, ibi ſit ſecurus, iuxta opinionem Hoſt. ſuprà relatam, nihilominùs, ſi corpus Domini deferatur ad communicandum hominem in carcere detentum, non poteſt inde prætendere Immunitatem, quia non liber, ſed in vinculis iam conſtitutus eſt, vt idem Hoſt. Silueſt. & alij reſpondent, ergò ſimiliter in præſenti caſu.

18. Vtrùm fuga ex Carcere excipiatur. *Archid. Couar.* *Hoſt.* *Silueſt.*

Nihilominùs illa exceptio admittenda non eſt, quia nullo Iure nititur, neque firma, aut probabili ratione fundatur. Nam in primis illud delictum (ſi tamen delictum eſt, quod nunc non diſputo) nõ eſt graue, ſed valdè excuſabile, propter naturalẽ hominis inclinationem ad fugiendam pœnam, & ad viam, ac libertatem conſeruandã, ergò hoc titulo non poteſt admitti hæc exceptio; præſertim cum dictum ſit, non eſſe extendendas exceptiones in Iure poſitas ſine aliquo fundamento in ipſo Iure. Neque etiam ex alio capite ſumitur probabile fundamentum, quia qui è carcere fugit, eò ipſo conſtituitur extra vincula, & in ſua libertate, & ex illa ſe committit protectioni Eccleſiæ.

19. Pars negatiua ſtabilitur.

Et

Et ideò non sunt similia exempla, quæ adducuntur: Nam in primo supponitur homo captus, & coactus deferri,& ita non intrat Ecclesiam tanquam in locum refugij, sed per illam ducitur tanquam per aliam viã, licet casus non videatur moralis,nisi accidat, nullam aliam esse viam, quod vix potest contingere. In altero verò exemplo res est clara. Atque ita in nostro principali casu docuit Archid. in dicto cap. *Sicut antiquitus*, num.116. quem alij communiter sequuntur. Vnde à fortiori constat,gaudere etiam hac Immunitate eum, qui cum iam esset captus à ministris iustitiæ, ab eorum manibus elapsus fugit ad Ecclesiam,quod maiori ratione dicendum est de illo,quem actu iudex insequebatur, & priùs ad Ecclesiam peruenit, quam iudex,in quo nullam rationem dubitandi esse posse video, quicquid aliqui Iuristæ dixerint, quos meritò Couar.suprà num.12.reprehendit.

Couar. 10. Difficultas.

Dubitari autem hîc solet, si huiusmodi reus iam captus sub iuramento eundi recta ad carcerem, liber dimittatur; vel iam incarceratus sub iuramento redeundi,permittatur exire, contra iuramentum ad Ecclesiam confugiat, an gaudeat immunitate; illi enim videtur obstare graue crimen sacrilegij,seu periurij,& infidelitatis. Nihilominùs communiter Doctores docent, Ecclesiam ius suum retinere ad tuendum illum, siue ipse peccauerit,siue non. Quòd tenet Angel.n.19. Silues.q.3.§. *Quintum*,& Abb.d.c. *Inter alia*.in fin.qui referunt Ioan. Andr. in Additionibus ad Speculatorem tit.de Iureiurando, & plures refert Couar. sup.n. 3.§. *Decimo Octauo*,quos ipse sequitur. Addunt tamen omnes, si iniustè captus fuerat, nullo modo esse tradendum iudici, sed relaxationem iuramenti procurandam; si tamen iustè fuerat captus, licet non possit inuita Ecclesia extrahi,tamen Pastorem Ecclesiæ posse dare facultatem extrahendi illum, habita cautione de impunitate pœnæ corporalis,non verò cum morali periculo talis pœnæ.

Enucleatur.

Angel. Silues. Abbas Ioan. Andr. Couar.

A ibi detineret, posset illis spoliari per eum, qui ad hoc haberet potestatem.Sicut in cap. *De raptoribus* 36. q.1. de raptore dicitur, quòd si secum deferat raptam ad Ecclesiam fœminam, subtrahenda est, licet ipse non sit per vim abducendus.Atque ad hunc modum dixit Couar.suprà num.vlt.§. *Trigesimo sextò*, eum, qui fugit ad Ecclesiam cum armis prohibitis, posse ibi ex spoliari armis per iudicem, quia habere ibi huiusmodi arma,contra legem est, quòd Ecclesia defendere non intendit: vnde illa non est propriè pœna, sed subtractio materiæ culpæ,Eò vel maximè quòd illud ipsum quoddam peccatum est, quòd in Ecclesia committitur,vel continuatur,& ideò quoad illud cessat Immunitas, licet persona ob eam causam extrahenda nõ sit.

C. *De raptoribus.*

Quartum effectum addit Couar.nu.16.§. *Trigesimo primo* cum ait, non posse Ecclesiam obsideri propter B eum, qui ad Ecclesiam confugit. Sed hoc intelligendum est cum limitatione ab eo addita, videlicet, hoc non licere ad impediendum, ne alimenta, & vestitus, & alia necessaria ad vitam,&ad humanas actiones recluso in Ecclesia deferantur,quia esset manifesta coactio, quæ tanta esse posset, vt reus vel se tradere, vel exire,vel mori cogeretur. Et hoc apertè cautum est in leg. *Præsenti* in verbis citatis,vt notant Host.& Panor. in dicto cap. *Inter alia*. Si verò Ecclesia obsideatur à iudice solùm ad præcauendum, ne reus liberè fugiat, vel certè vt,si extrà fines Ecclesiæ exeat,capiatur,illud non erit contra Immunitatem, quia nulla vis fit existenti in loco sacro, sed solum locus non sacer obseruatur, vt si voluntate sua illùc exeat delinquens, ibi C teneatur,vbi Iure capi potest.In hoc tamen obseruandum est, quod Panormitan. 13. reprehendit iudices, *Quia si fugiens ad Ecclesiam* (inquit) *ponit pedem extra Ecclesiam, statim eum capi faciunt.* Sic etiam Silues. Couar.cum Ioan.Andr.& aliis,docent contra Immunitatem esse illum, qui est intra Ecclesiam in vltimo termino eius,& clamidem vestis habet extra terminos Ecclesiæ apprehensa extremitate vestis violenter trahere, & ab Ecclesia abducere, nam dum persona est intra Ecclesiam, gaudet Immunitate, etiam si vestis extra Ecclesiam extendatur, qui potest etiam numerari inter effectus huius fauoris. Et ratio reddi potest, tùm quia illa vis non infertur vesti,sed personæ, quæ gaudet Immunitate, cum sit intra Ecclesiam, tùm etiam quia accessorium sequitur principale,vestis autem adhæret personæ tanquam accessorium principali, & ideò dum persona est ibi, gaudet Immunitate, consequẽter etiam vestis, maximè cum semper maior pars vestis sit intra Ecclesiam. Vnde idem credo esse dicendum, etiam si manum, vel pedem extra terminum Ecclesiæ extendat,dummodo caput,& præcipuæ partes corporis intra Ecclesiam maneant,propter easdem rationes.

4. 4. Effectus.

L. Præsenti. Hostiens. Panor.

Silues. Couar. Ioan. Andr.

Vltimò pertinet ad hos effectus, vt huiusmodi reus quandiù in Ecclesia perseuerat, non possit ad mortem, vel corporalem pœnam damnari. Ita notat Abbas suprà num.3.8.& sequentibus:& colligitur ex dicto ca. *Inter alia* nam priùs dicit, *Non est violenter ab Ecclesia extrahendus*,& statim addit. *Neque indè damnari debeo ad mortem, vel ad pœnam.* Est ergò hic effectus distinctus à primò, & sensus apertus est, quòd licet intra Ecclesiam existens iudicari possit,non tamen ad illas pœnas damnari. Vnde Panorm. per pœnam ibi intelligit *Pœnam corporis afflictiuam*, quam dicit esse strictam pœnæ appellationem. At verò Glossa ibi de omni genere pœnarum vocem intelligit, allegans ca. *Id constituimus*,17.quæst.4.vbi dicitur, *De morte, & debilitate, & omni pœnarum genere sint securi.* Vera tamen videtur sententia Panorm. nam in eodem c. *Inter alia*, statim subiungitur: *Super hoc tamen,quòd iniquè fecit, est aliàs legitimè puniendus:*nõ potest autẽ puniri nisi aliqua pœna,

5. Vltimus effectus. *Abbas.* C. *Inter alia.*

Panor.

Gloss.

Ca. *Id constituimus.*

CAPVT XII.

De effectibus, quos habet Immunitas templi in eos, qui ad illud confugiunt.

1. Varij effectꝰ huius Immunitatis.

SVpponimus primum,ac præcipuum effectum huius Immunitatis esse,quem hactenus explicuimus, D videlicet vt reus non possit indè,& inuita Ecclesia abduci; de quo iam satis dictum est. Quærimus autem, An præter hunc habeat alios?

2.

In quo in primis dici potest, alium effectum esse,vt etiam intra ipsam Ecclesiam non possit ei aliqua violentia fieri,qualis esset ibi ligari, vel in vinculis poni, nam hoc esset ex Ecclesia carcerem facere, quòd eius Immunitati magis repugnat.Vnde in Conc.Toler.12. c.10.definitur,vt *Nullus audeat,confugientes ad Ecclesiã, vel residentes indè abstrahere, aut quodcumque nocibilitatis, vel damni inferre.* Et ibidem subditur, permittendum esse huiusmodi delinquentibus,vt extrà Ecclesiam per triginta passus securè exire valeant.Supponit ergò nõ esse ligandos,&c. Et expressè id cauetur in Leg. *Præsenti* C.de his,qui ad Ecclesiam confugiunt, ibi, *Nec* E *in ipsis Ecclesiis ita quémquam detineri,atque constringi, vt ei aliquid victualium rerum, aut vestis negetur, aut requies.* Atque ita docuit Couar.cum aliis suprà num.12.

Concil. Tolet.

L. Præsenti.

Couar.

3. 3 Effectus. Ca. *Definiuit.*

Tertius effectus est,vt in Ecclesia non spolietur rebus,aut bonis,quæ secum tulerit.Ita colligitur ex eisdem iuribus:nam in cap. *Definiuit* 17.quæst.4. dicitur, *Aut quodcunque nocibilitatis, vel damni, seu spoliis, &c.* Priuatio autem bonorum damnum, seu spolium est. Hoc autem intelligo de bonis, quæ sine alicuius iniuria secum defert, vel ibi retinet: nam si debita aliena

pœna, non ergo omnis pœna prohibetur, ergo tantum ſtricta pœna corporis afflictiua. Tamẽ quia pœnæ etiam corporis multiplices eſſe poſſunt, ideò de illis etiam poſſunt intelligi verba illa alterius textus, *& omni pœnarum genere*, ſcilicet, *corporalium*. Dixi autem, *quandiu in Eccleſia perſeuerat*, quia ſi inde exeat, & capiatur, corporaliter damnari poterit: Quamuis Sylueſt. q. 4 in fine contrarium ſentiat dicens, quod licèt exeat de Eccleſia, ex quo ſemel confugit ad eam, iam non poteſt de illo maleficio corporaliter damnari, iuxta Gloſſam, & Archid. in cap. *Reum*, 17. q. 4. ſed Gloſ. loquitur, quando exit fide data, & iurata à iudice de impunitate eius, tunc enim iam Eccleſia illi obtinuit remiſſionem pœnæ corporalis; nos autem loquimur, quando ille exit nulla compoſitione facta, & ſic res eſt clara, quia ceſſauit immunitas, & res manet integra ſicut antea, & ita colligitur ex dicto cap. *Id conſtituimus*.

Sylueſt. *Gloſſ. Archi.*

6 Quæ pœna poſſit imponi cõfugiẽti ad Eccleſiã. *Panorm. Sylueſt. Gloſſ.*

Hinc verò naſcitur quæſtio, quænam ſit hæc pœna, quæ imponi poteſt, & quomodo. Ad priorem partem reſpondet Panorm. eſſe pœnam pecuniariam, ſequitur Sylueſt. dicta q. 4. & ſumitur ex Gloſſa dicto cap. *Reum* & videtur neceſſarium, maximè loquendo de pœna criminaliter imponenda, quia ſeclusa pœna corporali, hæc videtur ferè neceſſaria, vel ſaltem facilior, & frequentior. Addit præterea Gloſſa in dicto cap. *Reum*, quod ſi reus non habet pecuniam, poteſt damnari, vt ſeruiat perpetuò ei, cui iniuriam intulit, ſicut de raptore dicitur 36. qu. 1. cap. *De raptoribus*, Ego verò hoc non admitterem, etiam ſi Archid. & Panormit. conſentiant, quia illa pœna eſt grauiſſima, & maior, quàm multæ corporales, ſicut non poſſet condemnari ad triremes, etiam ſi ibi verberandus nõ eſſet, ſolùm propter duram, & laboriosam ſeruitutem. Neque etiam exiſtimo poſſe condemnari ad exilium, quia hæc etiam eſſet grauis pœna, & inter corporales computatur, ergo neque ad ſeruitutem cogi poteſt. Vnde diſpoſitionem illam in raptu virginum ſpecialem eſſe exiſtimo, propter illius delicti atrocitatem, & in illo etiam crimine non definitè ponitur illa pœna, ſed ſub diſiunctione, *Aut ſeruiendi conditioni ſubiectus ſit, aut redimendi ſe liberam habeat facultatem*. Vnde ſi pecunia poſſit ſatisfacere pro delicto, clarum eſt teneri, & poſſe etiam ad hoc condemnari: ſi tamen eſſet impotens ad ſoluendum, in illo caſu, & ex vi illius decreti, vbi eſſet receptum, poſſet obligari ad ſeruiendum: exiſtimo tamen, non eſſe in vſu, etiam in illo caſu, neque Canon ille, vt ſupra notaui, per ſe poſſet vniuerſam Eccleſiam obligare. Cætera autem de ordine ſeruando in huiuſmodi pœna imponenda legi poſſunt in Panor. & aliis in dicta cap. *Inter alia*. Qui etiam aduertunt, poſſe huiuſmodi peccatorem, etiam ſi ad Eccleſiam confugerit, cogi à Paſtoribus Eccleſiæ ad agendam aliquam pœnitentiam pro ſalute animæ, quia hoc non eſt contra Immunitatem, cum poſſit pœnitentiam illam intra Eccleſiam agere, & Immunitas non ſit cõceſſa contra ſalutem animæ. Vnde hoc præcipuè intelligitur de pœnitentia medicinali, vel quando peccatum eſt publicum, & ad tollendum ſcandalum neceſſaria iudicatur.

Cap. De raptoribus. Archid. Panor.

CAPVT XIII.

Quale crimen committant, & quam pœnam incurrant Iudices reos ab Eccleſiis extrahentes.

1. Quomodo Iudex contra hanc immunitatem delinquit.

CIrca hoc in primis ſtatuendum eſt in caſibus à Iure exceptis nullum eſſe peccatum extrahere per vim confugientem ad Eccleſiam abſque vlla facultate Paſtorum Eccleſiæ. Patet, quia tunc non agitur contra Immunitatem: Item Ius ipſum dat talem facultatem, ergo ad euitandam culpam non eſt neceſſarium, illam ab homine obtinere, ergo neque etiam petere, per ſe loquendo, quia hoc nullo Iure cauetur. Atque ita docet Couarru. ſuprà num. 18. §. *Trigeſimo quarto*, cum Guidone Papa, & Gulielmo Benedicto, quamuis referat, aliàs tenuiſſe contrarium ex Authẽt. *Siquis ei*. C. Ad legem Iuliam de adulteriis. Sed inde nihil probatur, vt bene Couar. aduertit.

Couar. Guid. Guli. Auth. Siquis ei.

Secundò certum eſt, ſi iudex vim non inferat, ſed blanditiis, & promiſſionibus roget reum, vt ſecum exeat, & ipſe voluntariè, & ſine vlla coactione cõſentiat, & egrediatur, nullum eſſe peccatum, etiam ſi fortaſsè Clerici non conſentiant. Quia tunc non fit contra immunitatem, quia non fit violentia, & hæc ſola eſt, quæ ex vi immunitatis prohibetur: nam expreſsè dicitur in dicto cap. *Inter alia; non eſt violenter extrahendus*: & eodem modo loquuntur alia Iura. Et ratio eſt, quia beneficiũ non conceditur inuito, vnde neq; ipſi reo fit iniuria, cum non ſit inuoluntarius, neque Eccleſiæ, quia re vera reus non extrahitur, ſed ipſe egreditur, poteſt autẽ egredi ſine culpa, etiã Clericis inuitis, quod notauit Nauar. in Manuali c. 15. n. 21. citans Hoſtien. & communem in ca. vlt. de immunit. Eccleſ.

2

Cap. Inter alia. *Nauar. Hoſtienſ.*

Tertiò, ſi ex iuſta licentia Paſtorum Eccleſiæ, reum etiam inuitũ iudex extrahat, nõ peccat contra immunitatem. Probatur, quia licèt tũc faciat vim perſonæ, non facit vim Eccleſiæ: hoc autẽ priuilegiũ Eccleſiæ directè conceſſum eſt, non delinquentibus. Dices, Quomodo poſſunt Rectores Eccleſiæ hanc licentiam dare in caſibus ab ipſo Iure non exceptis? Reſpondeo poſſe illam dare habita priùs ſecuritate de delinquentis impunitate quo ad vitam, & membra, & omnem corporalem indemnitatem. Ita docet Sylueſt. ver. *Immunitas*, 3. q. 4. & colligitur ex cap. *Id conſtituimus*, 17. q. 4. ibi, *Reos abſtrahere non liceat, ſed neque alteri conſignare, niſi ad Euangelia datis ſacramentis, de morte, debilitate, & omni pœnarum genere ſint ſecuri*. Ergo, ſi hæc ſecuritas habeatur, poteſt dari hæc facultas à Rectoribus Eccleſiæ; ergo illa habita non peccat iudex extrahendo reum: neque Eccleſia tenetur rei cõſenſum expectare ad hanc facultatem dandam, quando iudicauerit expedire, & prudenter cenſuerit inde nullam iniuriam parari, aut timeri poſſe reo. Tunc autem tenetur iudex ſtare promiſſis, alioqui grauiſſimè peccat, & tenebitur ad reſtituendũ reum, & cogi poterit per Eccleſiam, vt à fortiori patebit ex dicendis.

3. Obiectio.

Satisfit.

Sylueſt. Ca. Id conſtituimus.

Quartò igitur dicendum eſt, iudicem, qui reum extrahit ab Eccleſia per vim, & contra Eccleſiæ immunitatem, graue ſacrilegium committere. Hoc certiſſimum eſt, quia violatio immunitatis Eccleſiaſticæ ſacrilegium eſt, vt conſtat ex cap. *Sacrilegium*, cum multis aliis, 17. q. 4. & ſpecialiter de hac violatione id tradit D. Thom. 2. 2. q. 92. art. 2. ad 3. Idem conſtat ex verbis Canonum, & ex pœnis, quas imponunt, vt ſtatim videbimus. Vnde fit primò, poſſe Eccleſiam per vim reſiſtere iudici volenti reum ab Eccleſia extrahere in caſu non conceſſo, quia licitum eſt vim vi expellere, & Eccleſiaſticam immunitatem tueri. Hæc autem vis ex parte Eccleſiæ præcipuè debet eſſe ſpiritualis, cenſuris cogendo iudicem, vt à tali violentia deſiſtat, vt latè ſcribit Remigius de immunit. Eccleſ. quæ. 12. & conſentit Couarru. ſupra verſ. vlti. & ita habet Eccleſiæ vſus. Poteſt etiam Eccleſia reſiſtere, fores claudendo, & omnibus aliis mediis externis vti ad impediendam vim: ſeu effectum eius abſque aggreſſione, ſeu bello actiuo, (vt ſic dicam) quod etiam conſtat ex vſu, & quia in hoc nulla eſt indecentia, nec prohibitio.

4. Iudex ab Eccleſia reum extrahẽs ſacrilegium committit. *Ca Sacrilegium. D. Thom.*

Renig. Couar.

An verò liceat Clericis, vel Eccleſiaſticis perſonis ſumere arma, & vti (vt ſic dicam) bello actiuo ad defendendũ confugientem ad Eccleſiã, dubitari poteſt,

5. An liceat Clericis arma capere contra iudicem, reum extrahentẽ.

quia interdum ita fit, & videtur Ecclesia vti iure suo ex illo principio, quod vim vi repellere licet. Verum tamen Couar. suprà cum aliis negat, id fieri debere, non verò declarat, an possit. Dicendum tamen videtur, ipsis personis Ecclesiasticis per se hoc non licere, quia Clericis prohibitū est sumere arma sine speciali dispensatione, quæ in hoc casu non conceditur, nec regulariter necessaria est. Possent tamen interdū Pastores Ecclesiæ vti auxilio Laicorum ad Ecclesiā defendendam: Sed hoc rarissimè expediet, quia sequi possunt magna scandala, quæ maioris momenti sunt, & magis vitanda, quā vnius Ecclesiæ violatio. Quando autem magna esset necessitas, & graue, vel commune damnū Ecclesiæ timeretur, tunc id fieri posset interueniente præcipuè Summi Pontif. auctoritate. B

6. Tenetur Iudex restituere Ecclesiæ reum. *Siluest.* *Angel.* *Panor.* *Bartol.* *Oldrad.* Ca. *Miror.*

Secundò sequitur ex dictis, teneri secularem iudicem ad restituendum Ecclesiæ eum, quem vi, & contra immunitatem extraxit. Ita docent Syluester suprà quæst. 7. & Angelus num. 20. cum Panor. dicto cap. *Inter alia*, num. 26. & Bartol. in leg. *Præsenti*, Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt, & Oldrado consil. 53. & colligitur apertè ex cap. *Miror*, 17. q. 4. quod est Aug. Epist. 187. ad Bonifacium, quem reprehēdit, quod hominem de Ecclesia rapuerat, & subdit, *Ecclesiæ igitur illæsum reuocat, quem vt irreligiosissimus rapuisti.* Et infrà, illum communione priuat, donec resipiscat. Et ratio clara est, tum quia Ecclesia passa est iniuriā, & ideò debet resarciri, tum etiā quia aliàs iudex iniquus quodammodo ex sua iniquitate commodū reportaret, si personam retinere posset, quam sacrilegè extraxit, & parui esset fructus beneficium huius immunitatis, si semel violatum reparari non posset. Vnde addunt prædicti Doctores, quòd licet iudex postquam extraxit reum, velit cautionem de impunitate dare, & ea conditione reum retinere, non satisfacit Ecclesiæ, nec conscientiæ suæ, sed debet priùs restituere, quod abstulit, & postea de alia compositione cum Ecclesia tractare. Vnde si iudex nolit hoc modo satisfacere Ecclesiæ, potest per censuras Ecclesiasticas ad id compelli, quia est pertinax contra Ecclesiam in re valdè graui, quod etiam docent Auctores omnes, & vsus comprobat.

7. An Iudex propter hoc sacrilegium incurrat pœnam. Leg. 2. L. *Præsenti.* Cap. *Quisquis.* *Siluest.* *Turrecr.*

Sed quæret aliquis; An iudex propter hoc sacrilegium incurrat aliquam pœnam. In quo est aduertendum, cum ille violet ius ciuile, & Ecclesiasticum, de vtriusque pœna posse dubitari. Nam leges etiam ciuiles grauissimam pœnā imponunt, vt patet ex leg. 2. & leg. *Præsenti*, Cod. de his, qui ad Ecclesiam, &c. Vbi dicitur, Maiestatis crimine teneri, qui in hoc delinquit, & capitali, & vltimi supplicij animaduersione esse plectendum, sed hæc pœna non videtur esse in vsu, neque ad nos pertinet. De iure autem Canonico imponitur pœna excommunicationis propter hoc crimen, vt significatur in cap. *Quisquis*, 17. quæ. 4. ibi, *Donec in conuentu admonitus legitimè satisfaciat, sciens se communione priuatum*: Quæ verba videntur continere censuram ipso facto incurrēdam. Verumtamen E si quis attentè legat textum illum, illa verba non cadunt super hoc delictum, sed super aliud rapiendi ex Ecclesia bona illius, & fortassè etiam respectu illius delicti non continent propriam censuram ipso iure latam, vt latiùs tractaui in 5. to. disput. 22. sect. 2. nu. 9. Nulla ergo censura inuenitur in iure lata ipso facto propter hoc crimen. Ait autem Sylvest. suprà q. 8. iudicem sic delinquentem debere excommunicari. Sed intelligendum est non absolutè, sed sub conditione, nisi Ecclesiæ satisfaciat, & reum restituat, vt ipse etiā declarare videtur. Et idem sentit Turrecr. in cap. *Miror*, 17. quæ. 4. Et ratio est, quia pro delicto commisso non fertur excommunicatio, nisi quatenus pendet in futurum, seu habet tractum successiuū quoad emendationem. Præter hoc verò imponitur iure Canonico pœna pecuniaria propter hoc delictum, vt patet ex cap. *Siquis contumax*, & cap. *Quisquis*: de qua legi potest D. Thom. 2. 2. quæst. 99. artic. 4. Cap *Siquis.* Ca. *Quisquis.* *D. Thom.*

8. An Iudex peccet non solum cōtra Ecclesiā, sed etiam cōtra reum quem extrahit.

Vltimò superest hoc loco graue dubium; An iudex extrahens violenter aliquem ab Ecclesia, non solùm contra Ecclesiam, sed etiam contra ipsum hominem, cui vim infert, delinquat? & consequenter, An inferat illi iniuriam contra iustitiam commutatiuam, ac subinde teneatur ad restituēdum illi omnia damna inde subsecuta. Et ratio dubitandi esse potest primò quia ius Canonicum tantùm dicit, committere peccatum sacrilegij, qui hoc facit, vt patet ex dicto cap. *Quisquis*, & cap. *Siquis contumax*. Vnde in dicto cap. *Miror*, ait Augustinus. *Ecclesiæ illæsum reuocat, quem vt irreligiosissimus rapuisti*, vbi non dicitur iniustus, sed irreligiosus. Et auget difficultatem D. Tho. nam in 2. 2. q. 99. art. 2. ad 3. ait, quando iudex capit aliquem de loco sacro, quē in aliis locis licitè capere posset, actum illum non habere aliam malitiam, nisi sacrilegij, *Quia non habet* (inquit) *aliam deformitatem, nisi quia res sacra violatur*. Ergo non habet deformitatem iniustitiæ respectu personæ ab Ecclesia extractæ. Ratione item hoc confirmatur: Quia immunitas hæc non est priuilegium personæ delinquentis, sed solius Ecclesiæ, ergo illa persona semper est sub iurisdictione iudicis, ergò iudex extrahendo illā, & vim ei inferendo, non facit ei iniuriam, etiamsi contra Ecclesiā peccet, quia C respectu personæ exercet verum actum iurisdictionis. Atque hinc sequitur, iudicem non teneri ad restituendum aliquid illi personæ, etiamsi magna detrimenta ob eam causam passa fuerit, quia vbi non est iniuria contra iustitiam commutatiuam, non nascitur obligatio ad restituendum. Sequitur etiam, quod si talis iudex contra hominem sic captum iuridicè in reliquis procedat vsque ad condemnationē, & mortem, non tenetur reus homicidij, & consequenter nihil ob eam causam debere satisfacere, aut restituere. Probatur, quia licèt malè egerit, actum suæ iurisdictionis exercuit, ergo factum tenuit, ergo quicquid postea consequenter ad factum illud ex eadem iurisdictione facit, & exequitur, validè fit, & sine iniustitia respectu talis personæ, licèt respectu Ecclesiæ semper addat offensionem, ergo. D

Ca. *Quisquis.* Ca. *Siquis.* Ca. *Miror.* *Augustin.* *D. Thom.*

9. Pars affirmatiua præfertur. *Turrecr.*

Nihilominùs contrariam sententiam existimo probabiliorem, pro qua referunt aliqui Turrecrematam in cap. *Sacrilegium*, 17. q. 4. ille verò nouem ibi habet quæstiones, & in octo primis nihil de hoc puncto disputat, sed solam malitiam sacrilegij in hoc crimine declarat; tamen in quæst. 9. in genere loquens de pœna pecuniaria sacrilegij, dicit soluendam esse ei, cui facta est iniuria, & infrà ait, *Pœna, quæ pro rei damno debetur, persoluenda est ei, cuius res est, vel fuit, qui damnum passus est*, nunquam verò declarat in hoc peculiari crimini aliquid esse restituendum ei, qui ab Ecclesia extrahitur, hic autem de restitutione agimus, non de pœna. Restitutio enim non est propriè pœna, sed potiùs est quædam vitatio culpæ, seu continuationis eius, & ideò est per se necessaria, etiam si lex nullam pœnam imponat, nec iudex; pœna autem solùm imponitur ratione legis, & ordinariè requirit actionē iudicis. Addo etiam in præsenti non constare, pecuniariam pœnam, quæ solet imponi iudici seculari committenti hoc delictum, applicandam esse ei, qui ab Ecclesia abductus est, nullo enim Iure hoc habetur, nec Turrecremata id affirmat, sed potiùs ait pœnam, quæ pro immunitate Ecclesiæ violata imponitur Ecclesiæ, cui illata est vis, præstandam esse iuxta cap. *Siquis in atrio*, & cap. *Sicut deinceps*, 17. quæ. 4. quæ licet in diuersis casibus loquātur, tamen à fortiori hoc probare videtur. Præterea referūtur pro hac sententia Hostien- Cap. *Siquis.*

Hostiens. Victor. Couar. Remig. Syluest. Angel. Panor. Valent.

Hostiensis,& Victoria,quos inuenire non potui: Alij verò auctores, qui de hac immunitate tractarũt, huius quæstionis non meminerunt, vt patet in Couarr. Remigio, Syluestro, Angelo, & aliis Summistis, Panormita. & aliis expositoribus in prædicto cap. *Inter alia:* Moderni verò Theologi, qui eam attigerunt, in hanc partẽ magis inclinant,vt videre licet in Valentia 3.tom.Summæ disputat.6.quæst. 15.puncto 1.

10. Rationis probatione.

Ratione igitur probatur primò iudicem extrahentem aliquem de Ecclesia, iniuriam illi facere contra iustitiam commutatiuam, quia ibi non habet in eum iurisdictionem, ergo non exercet in eum iurisdictionis actum, ergo exercet tyrannidem, & meram violentiam, ergo facit iniuriam contra iustitiã commutatiuam. Consequentiæ omnes sunt per se euidentes: B Antecedens autem probatur ex illo principio Iuris: *Extra territorium ius dicenti impunè non paretur*, cap. 2. de Constitutionibus, in 6. leg. vlt. ff. de iurisdictione omnium iudicum,vbi Glossa aduertit, illud esse verũ tam inter non subditos, quã inter subditos extra territorium. Et ex citato capite habetur expressè: nam ibi agitur de obligatione subditi extra territorium existentis ad seruandam legem sui Prælati, & dicitur, non obligari illa,quia iurisdictio extra territoriũ non extenditur,sed in casu, de quo agimus, iurisdictio tẽporalis iudicis non extenditur ad Ecclesiam, quoad hunc actum comprehendendi delinquentem in illa legitimè receptum,est enim quoad hoc Ecclesia locus exemptus, locus autem exemptus extra territoriũ esse C censetur,& iurisdictio intra territorium limitata, ad illum non extenditur,vt colligitur ex c.*Cum Episcopus*, de Officio ordinarij in 6.& ex c.*Luminoso*, 18.q.2.Item ex c.1.de priuilegiis in 6.ibi, *Dummodo sit in loco exempto commissum delictum, vel contractus initus, aut res litigiosa*, quia nimirum quando contingit, hæc esse, aut fieri in loco exempto, non censentur esse in territorio, quia non sunt in loco iurisdictionis. Idem colligitur ex Clement. vlt. de Priuilegiis, quatenus in ea dicitur, Prælatos non posse exercere actus iurisdictionis in locis exemptis præter eos actus, qui eis specialiter conceduntur.Cum ergo Ecclesia sit locus exemptus à iurisdictione temporali quoad actum inferendi manus in eum,qui ad Ecclesiam confugit,quando iudex D secularis per vim ibi exercet talem actum non est iurisdictionis,sed tyrannidis.

Cap. 2. Leg. vlt. Gloss.

Cap. *Cum Episcopus.* Cap.*Luminoso.* Cap.1.

Clem. vlt.

11. Cõfirmatur conclusio.

Et cõfirmatur primò,nam iudex secularis, qui manus infert in personam Ecclesiasticam,non solùm sacrilegus est, sed etiam iniustus respectu talis personæ, quia non exercet verè iurisdictionem in illam, cum eam non habeat, ergo similiter in præsenti. Nec refert,quod ibi persona est exempta hic autem non,sed locus:nam ex hac differentia solùm sequitur, in priori casu personam vbique esse exemptam, quia immediatè,& rationes personalis status exempta est,in posteriori autem casu,licet non interueniat tanta exemptio,nam locus est,qui directè eximitur,tamen ratione illius redundat in personam, vt contentam in tali loco,& ideò,vt sic, exempta etiam est, atque ita cum proportione procedit ratio. Et consequenter cessat E ratio contrariæ sententiæ, nam licet hic fauor principaliter,& per se concedatur Ecclesiæ, quia verò conceditur illi,quatenus continet, ac tuetur confugientes ad se,consequẽter redundat in eos,quatenus ibi sunt. Item eo ipso quòd talis locus per illum fauorem eximitur à iurisdictione seculari, consequenter etiam persona, quæ ibi est,eximitur ab eadem iurisdictione quoad talem actum ibi exercendum,licet aliàs subdita sit. Sicut eo ipso quod regnum Galliæ V. G. est extra iurisdictionem iudicum Hispaniæ,si Hispanus aliquis delinquens se transferat intra terminos regni Galliæ, exemptus fit à iurisdictione iudicum Hispaniæ quoad actum exercendum in illo territorio, non quidem ratione sui,sed ratione loci,& hoc exemplum confirmat etiam assertionem positam. Quæ tandem confirmatur; nam ille, qui est in Ecclesia potest sine culpa resistere, & se defendere, ne comprehendatur: ergo signum est, eum, qui illum aggreditur, non facere actum iurisdictionis,sed iniuriæ,quia non potest dari bellum iustum ex vtraque parte.

12. Actus ille extrahendi est nullus.

Et ex hoc fundamento sequitur, actum illum capiendi, seu extrahendi reum, & incarcerandi illum, iuridicè nullum esse. Dico *iuridicè*, quia de facto ille re vera extrahitur, & incarceratur, tamen non propterea iudex acquirit ius, & potestatem in ipsum, & hoc modo dicimus,actum esse iuridicè nullum. Sicut qui accipit rem alienam, vel aliquid vltra sortem in mutuo,de facto accipit rem, tamen quia non acquiri dominium illius, dicimus actum esse ipso iure nullũ: Ita ergo est in præsẽti. Quoad apertè probatur ex fundamento posito, quia ille non est actus iurisdictionis, sed violentiæ, & iniustæ rapinæ, (vt sic dicam) ergo per illum non potest acquiri noua potestas, aut ius in talem personam. Item iudex non potest reum sic captum sub sua custodia detinere,sed tenetur illum statim restituere Ecclesiæ vt ostensum est ex c.*Sicut antiquitus*, 17.q.4.cum aliis: Vnde quasi continuè peccat, dum voluntariè illud retinet, ergo signum est, actum fuisse nullum, & per illum nullum ius,vel potestatem in reum acquisiuisse.

Cap. *Sicut.*

13. Cap.*Decet.*

Potest etiam hoc confirmari ex alio principio tradito in cap. *Decet*,de immunit.Eccles. in 6.quod omnis processus iudicum secularium in Ecclesia factus est irritus, & inanis. Nam si cæteri actus istius iurisdictionis inuoluntariè in Ecclesia facti irriti sunt; cur non magis actus comprehensionis, magísque Ecclesiæ iniurioſus; Video responderi, & instari posse,quia processus iudicialis in die festo, etiam est irritus, & tamen actus comprehendendi malefactorem in die festo,validus est,& ratio est, quia comprehensio,licèt sit actus iurisdictionis, non est tamen actus iudicialis, sed extraiudicialis;eadem autem ratio videtur habere locum in præsenti,quia in illo cap. *Decet:* non irritantur,nisi actus iudiciales. Dico tamen, non esse parem rationem,quia comprehensio delinquentium non est prohibita in die festo, vnde non est iniusta, est autem prohibita in loco sacro, & locus ipse est exemptus ab vsu talis iurisdictionis in ipso. Et ideò licet ex vi formalium verborum non videatur conuincere dictum capit. *Decet*, tamen ex subiecta materia valdè probabiliter extenduntur illa verba ad omnes hos actus. Vel saltem à pari, vel fortiori ratione sumitur inde argumentum, quod cum Ecclesia sit magis immunis à violenta incursione, quàm ab strepitu iudicij, si actus iudicialis strepitus irritantur, multò magis actus violentæ extractionis. Vnde quamuis hæc irritatio non esset expressa in Iure, ex ipsa immunitate, & exemptione talis loci necessario sequitur. Verumtamen etiam est in Iure satis expressa, quatenus non minùs prohibet retentionem personæ sic comprehensæ,quàm capturam eius.

14. Omnes actus iudiciales postea factos esse nullos.

Et hinc sequitur secundo, omnes actus iudiciales postea facto circa huiusmodi reum, esse ipso iure nullos, & non esse actus iurisdictionis, sed violentiæ. Probatur, quia si fundamentum est nullum, necesse est,omnia,quæ in illo fundantur, frustranea esse: sed omnes illi subsequentes actus fundantur in captura, & quasi possessione in reaum ipsum; ergo cum hæc nulla sit, cætera omnia etiam sunt irrita. Itaque si iudex postea reum sic captum interroget, & examinet,non iuridicè interrogat,quia non habet iurisdictionem in eum vt sic captum.Cuius signum euidens est, quia ille reus non tenetur respondere veritatem,

quod omnes pro indubitato habent, quia illi reo datur actio contra talem iudicem, vt se eximat de manibus eius, ergo donec audiatur, non potest cogi ab respondendum illi. Item quia in Ecclesia interrogatus non teneretur respondere, ergo propter violentiam sibi illatam non amisit hoc ius, sed quamtùm est in se, potest iustè in omnibus ita se gerere, ac si esset intra Ecclesiam, si autem reus non tenetur respondere, profecto iudex non iuridicè interrogat, quia non datur bellum iustum ex vtraque parte, cum hic non interueniat ignorantia, neque aliqua iusta ratio coactionis. Vnde si vlterius iudex procedat, vel ad torquendum, vel ab condemnandum, vel ad exequēdam pœnam, semper iniurias multiplicat, & nullum actum veræ iurisdictionis exercet, quia semper procedit per actus nullos, vt declaratum est.

15. Iudex tenetur ad damnum reo secutum.

Tertiò hinc concluditur, teneri huiusmodi iudicem ad restituendum reo omnia nocumēta, & damna illi secuta ex huiusmodi actionibus. Probatur, quia ex actione iniuriosa contra cummutatiuam iustitiam oritur obligatio restituendi omnia nocumenta, quæ restitui possunt, vt est per se notum. Dices, Nullus iudex talem restitutionem facit, difficilè autem creditu est, hanc tam communem praxim continere tam grauem errorem. Respondetur in primis nos hic non tractare, quid fiat, sed quid fieri debeat, nulla enim consuetudo prævalere potest contra hoc ius, quod naturale est, supposita Ecclesiæ Immunitate, cui etiam iudices per sua facta violenta derogare non possunt: ille igitur abusus, si re vera est, ex inconsideratione rationis huius obligationis procedit. Addo vlteriùs, si iudex à culpa excusetur per ignorantiam inuincibilem vel facti, vel iuris ex aliqua opinione, vel auctoritate probabili, ex qua credidit talem esse casum, vt in eo non gaudeat reus Ecclesiastica Immunitate, tunc consequenter excusari à restitutione damnorum, quia hæc restitutio (vt supponimus) non nascitur ex re accepta, sed ex iniusta damnificatione, & ideò interueniente excusatione quoad iniustitiam, cessat obligatio restituendi. Et hinc fortè nascitur, vt pauci restituant, quia pauci sibi persuadent se iniustè agere, sed credunt se probabili ratione duci. Cauere tamen debent, ne in hoc sint præcipites, quia sæpe ducuntur nimio affectu, & sine sufficienti ratione, aut motiuo sibi persuadent non iniustè agere, quod coràm Deo non reddit securos, quia est ignorantia vel affectata, vel nimium crassa. Oportet etiam considerare, aliud esse loqui de ipsa iniuria, quæ per actionem violentam extrahendi ab Ecclesia fit, vel contra corpus ipsum, quod multum interdum pati solet in huiusmodi actibus, vel contra honorem, aut famam, quibus etiam non parùm derogatur: aliud verò esse loqui de nocumentis, quæ fiunt in bonis fortunæ, vt expensis rebus, aut pecunia sublatis, vestibus dilaceratis, & similibus: Hìc ergo principaliter loquimur de restitutione horum bonorum, quæ in individuo, vel in specie, vel in pecunia solui possunt. De restitutione autem honoris, famæ, aut damni corporalis generales regulæ obseruandæ sunt, & hìc applicandæ.

Obiectio.

Diluitur.

Ad rationem dubitandi in principio positam iam responsum est, illationes verò, quæ ex illa fiebant, ex posito principio corruunt. Quia ostensum est, quomodo iudex in illis actionibus nullam veram iurisdictionem exerceat. Ad Iura verò ibi citata respondetur, Iura Canonica solùm agere de hoc peccato, quatenus ipsis contrarium est, & ideò semper de illo tanquam de sacrilegio loqui: non excludunt autem aliam malitiam, si ad priorem consequitur. Ad diuum Thomam quidam: respondent solùm loqui de actu extrahendi ab Ecclesia, & de illo fatentur esse actum sacrilegij, & non iniustitiæ, si tamen postea iudex vlteriùs procedat contra talem reum, dicunt, iam peccare peccato iniustitiæ. Sed in primis à nobis ostensum est, etiam ipsam extractionem esse iniustam; deinde non consequenter loquuntur, quia non est magis iniusta retentio, quàm extractio, si ergo reus non iniustè extrahitur, profectò nec retinetur, ergò contra sic retentum non iniustè proceditur, etiamsi semper contra Religionem agatur. Alij dicunt, si iudex extrahat reum sine alio damno, vel expensis, saltem tunc non peccare contra iustitiam, & hoc satis esse ad saluandum dictum diui Thomæ. Sed illud falsum est, nam illamet violentia sine vera iurisdictione facta iniuriosa est: sicut fieret à priuato homine, etiam si non inferret aliud peculiare damnum. Aliter responderi potest D. Thom. solùm gratia exempli illud posuisse, exemplorum autem non semper requiri veritatem, sed posse intelligi, quasi in sensu hypothetico, scilicet, illum actum esse sacrilegium, etiamsi non haberet adiunctam iniustitiam. Et fortasse D. Thom. considerauit primam malitiam illius actionis esse sacrilegium, quod verum est, & sufficiens ad intentionem diui Thom. iniustitia verò consequitur ibi per quandam redundantiam, vt declaratum est, quod fortè D. Thomas non negasset.

16. Solumtur rationes oppositæ partis.

D. Thom.

17. Quid, si reus à priuato homine per fraudem extractus nō pendeat à iudice.

Sed quid, si huiusmodi reus à priuato homine per vim, vel deceptionem extra Ecclesiam traheretur & ibi à iudice inueniretur, nunquid peccaret iudex illum capiendo? Respondent aliqui etiam tunc peccare contra Religionem, & iustitiam, quia etiam tunc est obligatio restituendi illum Ecclesiæ, & quia non potest ratio differentiæ reddi. Alij simpliciter negant iudicem peccare, quia non agit contra immunitatem, quod in rigore est verum, si non fuit particeps prioris violentiæ. Distinguendum ergo est, nam si iudex misit alterum, qui tanquam priuatus amicus falsus illum deciperet, vel inimicus vim inferret, tunc sine dubio non potest capere illum, quia actio principaliter est iudicis, & ideò ipse tenetur reum Ecclesiæ restituere. Si verò ipse nihil cogitando de priori iniuria reum iuuenit extra Ecclesiam, potest sine dubio illum capere, & contra illum procedere, quia extra locum sacrum illum inuenit, & ibi incipit exercere iurisdictionem suam, & ideò non violat immunitatem, neque ipse tenetur hominem restituere Ecclesiæ. Alter verò, qui illum extraxit, tenebitur restituere, quod si iam non potest, est per accidens, & satisfaciet restituendo expensas, & damna, prout potuerit.

Finis libri Tertij.

TRA-

TRACTATVS TERTIVS, DE VITIIS RELIGIONI CONTRARIIS, ET NEGATIVIS PRÆCEPTIS, QVIBVS ILLA PROHIBENTVR.

ENTER disputandum de præceptis affirmatiuis Religionis, obiter diximus de nonnullis prohibitionibus, quæ in eisdem præceptis affirmatiuis virtute continentur, vel tantam cum eis connexionem habent, vt vnum sine altero explicari non potuerit: præter illa verò sunt alia præcepta, quæ directè, & per se tantùm sunt negatiua, prohibéntque omnem deformitatem contrariam diuino cultui, siue per excessum, siue per defectum, de quibus in hoc tractatu dicendum est. Hoc autem optimè fiet, explicando vitia diuino cultui contraria, illa enim sunt, quæ per propria præcepta negatiua prohibentur. De his autem vitiis disputauit D. Thom. 2. 2. à quæst. 92. vsque ad 100. quia priùs de virtute ipsa, & de omnibus actibus eius tractauit. Nos autem in primo tractatu solùm de virtute secundùm se, & de diuino cultu diximus, & quosdam actus, qui præter cultum peculiares quasdam rationes habent, scilicet, Orationem, Iuramentum, & Votum ad proprios tractatus reseruauimus: & ideò hîc non dicemus de vitiis, quæ his actibus propriè opponuntur, vt sunt periurium, infidelitas in promissis diuinis, & defectus, qui committi possunt in oratione ad Deum, quamuis quæ de aliis vitiis dicemus, non poterunt non pertinere aliquo modo ad illos actus, quatenus illi participant rationem cultus.

Præterea circa hæc vitia generaliter aduerto, posse in eis tria distingui: Primò materialem, & realem actionem, quæ in omni peccato commissionis interuenire solet, & solet dici materiale peccati, seu vitij. Secundò deformitatem, quam talis actio solet habere frequenter, in alio genere, seu contra aliam virtutem à Religione distinctam: solétque esse fundamentum, vel occasio malitiæ contra Religionem. Tertiò spectare possumus malitiam ipsam formaliter Religioni contrariam. De his ergo vitiis, vt formaliter constituuntur per hanc vltimam malitiam, hîc consideramus, tamen ad ipsam malitiam explicandam, & vt ipsa vitia comprehendantur, sæpe necessarium erit, ipsas materiales actiones priùs exponere, & si quam aliam inuoluunt, aut præ se habent malitiam aperire, quantùm necesse fuerit ad declarandum, quomodo in eis malitia contra Religionem fundetur. Diuidimus autem hunc tractatum in tres libros, vnum de Irreligiositate, alterum de Superstitione, & tertium de Sacrilegio, cuius partitionis ratio ex primo capite libri sequentis constabit.

INDEX CAPITVM LIBRI PRIMI DE IRRELIGIOSITATE.

Cap. 1. Quid sit Irreligiositas, & quot modis dicatur, &c.
Cap. 2. De tentatione Dei formali.
Cap. 3. De tentatione Dei interpretatiua.
Cap. 4. Quid sit blasphemia.
Cap. 5. Quotuplex sit blasphemia.
Cap. 6. Qualis sit malitia blasphemiæ.
Cap. 7 Quæ sit blasphemiæ pœna.

LIBER PRIMVS, DE IRRELIGIOSITATE, EIVSQVE SPECIEBVS.

CAPVT PRIMVM.

Irreligiositas quid sit, & quot modis dicatur, & quomodo vitia Religioni contraria generatim distinguenda sint.

1. Omnia vitia Religioni contraria posse vno conceptu concipi, & vna voce significari.

SICVT virtus Religionis vna est, ita vitium illi contrarium sub ratione vnius concipi, & significari potest. De conceptu patet, tum quia oppositorũ eadem est ratio cum proportione loquendo, tum etiam quia omnia vitia contraria Religioni in hoc conueniunt, quòd medium, & B honestatem Religionis destruunt, ergo ab illis omnibus abstrahi potest conceptus communis vitij Religioni contrarij. Id autem, quod vno conceptu concipitur, potest etiam vna voce significari. Hoc ergo potest esse primum significatum huius vocis, *Irreligiositas*, illam scholasticè accommodando; licet apud Latinos admodum frequens non videatur, illa tamen vsus est D. Thomas in hac materia, licet in significatione magis restricta, vt statim dicam. Nulla etenim vox videtur esse magis accommodata ad illum generalissimum conceptum huius vitij exprimendũ. Posset tamen etiam appellari Irreuerentia, quæ magis Latina vox est, verumtamen ex se latiùs patet, quia non tantùm diuinam, sed etiam humanam irreuerentiam significat, Irreligiositas autem propriè indicat irreuerentiam Deo, ac Religioni contrariam. Confirmari hoc potest exemplis aliarum virtutum: nam vitium in communi oppositum iustitiæ Iniustitiam appellamus, & similiter intemperantiam temperantiæ opponimus, ergo & Irreligiositatem Religioni. Hoc igitur modo & idololatria, & sacrilegium imò & periurium, & omne simile vitium Irreligiositas est.

Statim verò occurrit inquirendum, An vitium hoc sic conceptum, & significatum sit vnum in specie vltima, vel quam habeat vnitatem? Quidam enim distinguunt de hoc vitio materialiter sumpto, vel formaliter quoad malitiam Religioni oppositam. Priori modo dicunt non habere vnitatem specificam, sed valdè genericam, vel analogam, quod est manifestum, siue considerentur materiales actiones, quibus in hoc genere peccatur, interdum enim sunt corporales, interdum spirituales; aliquando sunt voces, aliquando corporis gestus, sæpe vero actiones circa exteriorem materiam, &c. Siue considerentur malitiæ contra alias virtutes, quas in huiusmodi actionibus ante malitiam Religionis inesse contingit, nam aliquando est malitia infidelitatis, aliquando mendacij, vel furti, homicidij, aut similes. De toto ergo

2. An Irreligiositas sit species infima?

A hoc materiali nulla est controuersia. In formali autem malitia dicunt esse vnum vitium in specie vltima, quod variis nominibus significatur, & ita in plura vitia distinguitur ratione materiæ, & non ratione formæ. Fundamentum est illud vulgare, quòd malitia moralis consistit in priuatione honestatis, honestas autem Religionis vna est in specie (supponimus enim ex supradictis Religionem esse vnam virtutem) ergo & malitia est vna, quia priuatio ex habitu opposito sumit speciem suam.

Hæc verò sententia probari nullo modo potest. Primò quia incredibile est, idololatriam, & periurium, verbi gratia, non habere malitias formaliter distinctas, quatenus sunt vitia Religioni opposita, quia statim recta ratio in eis inuenit deformitates valde diuersarum rationum, & longè diuerso modo destruentium honestatẽ Religionis. Secundò, quia aliàs non oporteret, has varietates vitiorũ Irreligiositatis distinctè explicare in confessione per se loquendo, & vbi ad alias malitias explicandas non esset necessariũ, maximè iuxta opinionem asserentem, non esse necessarium in confessione explicare circunstantias, nisi mutantes speciem malitiæ: Consequens autem in omnium sententia absurdum est. Tertiò, quia in aliis virtutibus commune est, habere multa vitia opposita specie diuersa, non tantùm materialiter, sed etiam formaliter, sicut opponuntur liberalitati auaritia, & prodigalitas: nemo enim dixit, in his vitiis esse malitias eiusdem rationis; neque est verisimile, cum habeant modos destruẽdi medium liberalitatis extremè contrarios. Habet ergo Irreligiositas vnitatem communem, & valdè genericam. Dico autem *valdè*, quia sub illo genere non descenditur immediatè ad species infimas, sed ad subalternas, seu ad genera media, quæ sub se habent alias species, vel vltimas, vel interdum etiam subalternas magis contractas, vt videbimus, & nunc breuiter vno, vel alio exemplo declarari potest. Nam sub Irreligiositate dicto modo accepta continetur, superstitio, & similiter sacrilegium, hæc autem inter se distinguuntur, & sub se continent varias species formales, & in genere talis malitiæ, quod argumento facto de confessione sufficienter ostendi potest à posteriori: non enim quis sufficienter confitetur, dicens se commisisse vnum sacrilegium, nisi speciem eius aperiat, & idem est de superstitione. Vnde communis consensus omnium est, in his vitiis reperiri specificas diuersitates formales, & in genere malitiæ. Atque hæc est clara doctrina diui Thomæ in discursu prædictarum quæstionum, & signatim in q. 92. art. 2. ad 1. & q. 99. art. 3. ad 1. quibus locis Caietanus id notat, & tanquam manifestum supponit, & vterque respondet fundamento contrariæ sententiæ.

3. Pars affirmatiua impugnatur.

D. Thom.

Caiet.

Ad

4. Respondetur fundamento contrariæ opinionis.

Ad vulgare igitur argumentum facilè respondent, qui negant, malitiam moralem consistere in priuatione, sed in positiua habitudine contraria; sic enim vnum potest habere multa contraria, licet non omninò, & extremè opposita; sed illud fundamentum falsum esse existimo; illud tamen in Primam secundæ remitto. Respondeo ergo primò, licet virtus Religionis quoad habitum vna sit specie, habere tamen actus specie differentes, vt in primo lib. dixi, & secundùm hanc varietatē actuum posse dari vitia specie distincta Religioni opposita. Quia formalis malitia vitij in actu spectatur potiùs quā in habitu; nam actus non generat habitum per malitiam, sed per positiuam entitatem. Secundò dicitur cum diuo Thoma, & Caietano suprà, bonitatem consurgere ex integra causa, malitiam autem ex quocunque defectu, & ideò licet bonitas Religionis sit vna, destrui posse multis modis, seu per varios defectus diuersarū circunstantiarum, & inde posse resultare malitias specie distinctas. Vnde ad argumentum, cum dicitur, priuationem specificari ex habitu, seu ex forma positiua, quam destruit, respondetur id esse verum, tamen illam speciem non esse vltimā, nisi priuatio sit totalis (vt sic dicam) id est, nisi priuet tota forma, & totaliter, ac omni modo. At verò quando priuatio est quasi partialis, non oportet, vt priuationes eidem formæ oppositæ sint eiusdem speciei. Ita verò comparantur varia vitia Irreligiositatum respectu Religionis: nam licèt singula totam honestatem Religionis expellant à suo actu, non tamē singula destruunt totaliter ipsam Religionem: nam sacrilegium, verbi gratia, non introducit cultum falsi Dei, & non omninò excludit cultum veri Dei, & sic de aliis. Et ex hac responsione intelligitur ratio à priori huius veritatis, quā in hunc locum propterea reseruaui; genus enim Irreligiositatis complectitur totam materiam Religionis, & omnem modum destruendi in illa honestatem Religionis: vitia autem particularia sub Irreligiositate contenta: non ita destruunt honestatem Religionis in tota materia, & omni modo, & ideò sub illo genere plures species, & genera malitiarū contineri possunt.

5. Declaratur diuisio Irreligiositatis. *D. Thom.*

Irreligiositas autem sic accepta diuidi potest in Irreligiositatem magis propriam, & sacrilegium, hæc enim mihi diuisio non displicet, quamuis alij Doctores illa non vtantur. Quod vt declarem, aduerto D. Tho. in princip. q. 92. cum nihil dixisset de communi genere, seu vitio Religioni opposito, statim illud distinxisse in superstitionem, & Irreligiositatem, quæ duo membra distingui dicit, quia superstitio opponitur Religioni per excessum, Irreligiositas per defectum. Nam superstitio conuenit quasi materialiter cum Religione in hoc, quod exhibet cultum, differt autem, & opponitur illi, quia in cultu exhibendo excedit, & erat, sicut prodigalitas conuenit cum liberalitate in largiendo, sed excedit. Irreligiositas autem differt à Religione, quia despicit cultum, & ita opponitur Religioni per defectum, sicut auaritia opponitur liberalitati, quia retrahit à largiendo. Sub his autem duobus membris plura D. Tho. subdistinguit, & ita discurrit, & procedit explicando singula vitia. Quam rationem distinguendi non improbo, sed vtor alia, quæ mihi est aptior ad distinctionem singulorū vitiorum explicandam. Possunt enim hæc vitia, & in vniuersum habitus, & actus habere inter se varias conuenientias, & differentias propter varias habitudines, quas continent, & secundum illas possunt variis modis distingui, sine falsitate, vel oppositione. Diuus Thom. ergò in toto suo discursu solùm vtitur voce Irreligiositatis ad significandum quoddam genus subalternum vitij Irreligionis, (vt sic dicam) nam communi generi nullum nomen imposuit, vt notaui, & nullam speciem vltimam huius vitij illo nomine appellauit. Nos autem sumemus etiam illam vocem pro genere subalterno, sed diuerso modo, imò etiam necessarium erit ad aliquam speciem vltimam illud nomen accommodare, vt videbimus.

6.

Vt ergo priorem diuisionem à nobis positam explicemus, aduerto, ex dictis in 1. lib. Religionem duplices habere actus, quidam primarij sunt, quibus Deus ipse in se colitur, vt sunt adoratio, sacrificium; & similes, alij sunt secundarij, quibus res omnes Deo dicatæ, & ad eius cultum sacratæ cum debita veneratione, ac reuerentia tractantur. Iuxta has ergo duas rationes duo generalia vitia Religioni opposita distinguimus. Vnum, quod Deo ipsi irreuerentiam exhibet, seu cultum ipsiusmet Dei incongruè tractat: Aliud, quod in irreuerentia debita rebus Deo dicatis deficit: & primum quidem aptè retinet nomen Irreligiositatis, quia Religio Deum ipsum respicit tanquam proprium obiectum, & ideò Irreligiositas dicitur vitium oppositum Religioni quoad primarium obiectum eius. Aliud autem vitium iam communi vsu sacrilegij nomen obtinuit, de cuius vocis etymologia infrà suo loco dicemus. Satis ergo probabili ratione, vt apparet, diuiditur primò illud generale vitium in hæc duo membra, datur enim illa diuisio per obiecta, per quæ solent habitus, & actus distingui illa etiam obiectorum distinctio prima omnium esse videtur, quæ in obiecto Religionis considerari potest, siue materiale, siue formale obiectum spectemus: nam ex parte materiæ Deus, qui per se colitur maximè distinguitur ab omni re creata, quæ ad ipsius cultum consecrata est, excellentia etiam Diuina, quæ est ratio formalis huius obiecti lōgè aliter & in Deo ipso, quam in aliis rebus sacris: nam in Deo est per essentiam, in aliis per quandam participationem, seu in Deo est formaliter, & intrinsecè, in aliis per quandam habitudinem, seu denominationem. Vnde longè alterius rationis est irreuerentia Dei in se ipso, vel in rebus sacris ordinatis ad ipsum, ergo conuenienter diuiditur vitium Religioni contrarium irreuerentiam ipsiusmet Dei in se, quam vocauimus Irreligiositatem minus latè sumptam, & sacrilegium, seu irreuerentiam rei sacræ. Atque ita constat distinctio horum membrorum, & propria vniuscuiúsque ratio, & adæquatio eorum cum diuiso. Nam in obiecto adorabili aliquomodo per virtutem Religionis non potest intellgi, nisi aut obiectum per se adorabile, vel propter aliud, quia hæ duæ differentiæ immediatè, & contradictoriè opponuntur, ergo neque in vitiis contrariis inueniri potest aliud, quod sub aliquo illorum membrorum non contineatur.

7. Subdiuiditur vlteriùs Irreligiositas. *D. Thom.*

Omisso autem pro nunc sacrilegio, de quo dicemus in tertio libro huius tractatus, Irreligiositas subdistingui vlteriùs potest in Diuinam Irreuerentiam, seu Irreligiositatem tertio modo strictiori sumptam, & superstitionem; ita vt ad hæc duo membra speciaLiter accommodetur, quod D. Tho. dixit de vitiis Religioni oppositis per defectum, vel excessum, nam hæc duo inueniri possunt in cultu ipsiusmet Dei secundum se, vt D. Thom. fatetur partim q. 92. partim in 97 in capitibus quæstionum, licèt in secundo loco addat alia vitia opposita Religioni per defectum, de quibus dicemus agentes de sacrilegio. Superstitio ergo dicitur opponi Religioni per excessum, & varias habet species, de quibus postea dicturi sumus. Irreligiositas verò, seu Irreuerentia Dei contrarietatem cum Religione habere dicitur per defectum, quia tunc peccari dicitur hoc modo contra Religionem, quando in ipsomet actu, qui deberet esse cultus, defectus aliquis cōmittitur, ratione cuius cedit potius in irreuerentiam Dei. Sub hoc autem membro duas

tantùm ſpecies D. Thom. poſuit in dicta quæſt. 97. ſpectantes nimirum ad Irreuerentiam Dei ſecundùm ſe, ſcilicet, tentationem Dei, & periurium, quarum ſufficientiam non declarat, neque aliam rationem diuiſionis aſſignat. Ex illis autem duabus ſpeciebus, periurij conſideratio, vt dixi, differenda à nobis, eſt donec de peculiari actu iuramenti tractemus, & ita ex illis ſpeciebus, quas ſub hoc genere D. Thom. poſuit, ſola diuina tentatio ſupereſt nobis explicanda. Poſſétque non immeritò poſt materiam de Oratione tractari, quia re vera potiſſimùm orationi opponitur, vt videbimus, tamẽ quia in rigore generalius vitium eſt, & in aliis factis inueniri poteſt, ideò in cap. ſequenti hoc vitium, & præcepta, quæ ad illud pertinent, explicabimus.

8. Numerantur quædam vitia ad Irreligioſitatem pertinentia. *D. Thom.* Blaſphemia.

Non video autem cur blaſphemia Religioni non opponatur, & ad hoc genus vitij Irreligioſitatis non pertineat, nam re vera continet magnam Irreuerentiam Dei in ſe, & opponitur cultui eius, non per exceſſum cultus, vt conſtat, ſed per ſummum defectum, & contemptum diuinæ reuerentiæ, per quem contemptum D. Thom. hanc Irreligioſitatem declarauit. Non videtur etiam hoc vitium in hac materia prætermittendum, quamuis de illo tractauit D. Thom. 2. 2. q. 13. & q. 14 eò quòd fidei confeſſioni opponi videatur, ſed profectò etiam Diuina tentatio ſuo modo opponitur confeſſioni fidei, imò & idololatria, & multa alia ſimilia vitia, quæ cum infidelitate magnã habent coniunctionem. Sicut ergo hoc non obſtat, quominùs cætera Religioni propriè opponantur, ita etiam non obſtat, quominùs blaſphemia ſit vitium Religioni contrarium, de illo ergo in hoc libro etiã dicemus. Sunt præterea alia vitia Religioni contraria per defectum, quæ ſub hoc etiam membro collocari poſſent. Vnum eſt perfidia, ſeu infidelitas ad Deum in promiſſis, quod conſtat, magnum vitium eſſe, & directè ad Irreuerentiam Dei pertinere, non minùs quàm periurium; opponitur autem Religioni, mediante voto, & ideò de illo ſimul dicemus tractando de voto; à D. Thom. autem prætermiſſum videtur, quia magis opponitur Religioni, ſeu voto per modum omiſſionis, quàm per modum commiſſionis, nam directè opponitur præcepto affirmatiuo, *Vota tua Domino reddes*, vt ſuo loco latius tractabimus.

Infidelitas ad Deum in promiſſis.

9. Ingratitudo ad Deum.

Aliud vitium eſſe poteſt ingratitudo ad Deum, ſicut enim gratiarum actio ad Deum actus eſt Religionis, vt ſuprà vidimus, ita ingratitudo, quæ illi contraria eſt, Religioni etiam opponitur, non quidem per exceſſum, vt conſtat, ergo per defectum; continetur ergo ſub prædicta Irreligioſitate. De hoc autem vitio nonnulla diximus, tractando de Pœnitentia, vbi oſtendimus, ordinariè non eſſe ſpeciale vitium, ſed in omni peccato materialiter, ſeu generaliter includi. Quando autem ſpecialem malitiam habet, magis videtur in omiſſione, quàm in commiſſione conſiſtere, & ad defectus Orationis pertinet, vt patebit ex his, quæ de Oratione dicemus. Poteſt autem hoc vitium formaliter committi per contemptũ diuini beneficij, vt dixit D. Thom. 2. 2. q. 107. art. 2. ad 1. & conſequenter etiam exteriùs oſtendi poteſt per quemcunque actum procedentẽ ab huiuſmodi contemptu, ad ſignificandum illum. Hic autem modus peccandi contra Deum vix ſeparatur à blaſphemia, éſtque rariſſimus & cum proportione ita eſt explicandus, ſicut ingratitudo ad homines, & ideò D. Tho. nihil de hac ingratitudine ad Deum, dixit in 2. 2. præter ea, quæ generaliter tractat in illa quæſt. 107. ad quam pro nunc lectorem remittimus. Denique omnes defectus, qui in oratione contingunt, & reddunt ipſum actum orationis Irreligioſum, ad hoc membrum Irreligioſitatis pertinent, quamuis ſub alia ratione poſſint ſacrilegia reputari, vt ſuo loco declarabimus. Omnes verò illi defectus, vel in omiſſione conſiſtunt, vel ex illa originem ducunt, & orationi proximè opponuntur, ideóque explicando conditiones ad benè orandum neceſſarias, totum hoc genus vitij declaratum manebit.

D. Thom.

Ex quibus ſatis conſtat, Irreligioſitatem hoc etiam tertio modo ſumptam non eſſe infimam ſpeciem alicuius vitij, ſed quaſi genus proximum plures ſpecies infimas ſub ſe continens, quales ſunt tentatio Dei, periurium, blaſphemia, infidelitas in promiſſis ad Deum, ingratitudo ad Deum, & incongrua oratio, vel ſi quod aliud eſt huiuſmodi innominatum vitium, nobis enim de alio non conſtat, neque aliam rationem huius ſufficientis numerationis reddere poſſumus, niſi quia non inueniuntur alia officia Religionis, quatenus directè Deum colit, præter ea, quæ numerauimus: & ideò etiam non inuenitur alius modus deficiendi in Religionis officio erga Deum, præter ſupra dictos. Eſt ergo, vt ſummatim quæſtionem reſoluamus, triplex acceptio Irreligioſitatis: In prima eſt genus quaſi generaliſſimum in hac materia, ſub ſe continens omnia vitia contraria Religioni: In ſecunda eſt genus medium, quod ſuperſtitionem ſub ſe complectitur, & à ſacrilegio diſtinguitur, in tertia eſt genus infimum à ſuperſtitione diſtinctum, & prædictas ſub ſe continens ſpecies.

10. Irreligioſitas tertio modo ſumpta adhuc eſt genus.

Vna tantùm hìc difficultas occurrebat de malitia Diuinæ iniuriæ, quæ in omni peccato includitur, & ad auerſionem Dei pertinere dicitur. Illa enim, cum ſit quædam iniuria Dei ſpeciale vitium conſtituere videtur, & virtuti Religionis opponi, ad quam ſpectat, Deo debitum ius reddere: hoc autem vitium ſub tota enumeratione facta minimè comprehenditur. Sed non eſt hic locus diſputandi de illa malitia, quam non omnes in peccato agnoſcunt tanquam ſpecialem, & ab aliis diſtinctam; illa autem poſita, conſequenter fatendum eſt, illam vel opponi Religioni, vel reduci ad aliquod ſpeciale vitium Deo contrarium. Credimus autem, illam per ſe opponi illi virtute iuſtitiæ ad Deum, quam vocamus Pœnitentiam, vt in 4. tom. 3. p. diximus. Hìc autem vel ſupponimus, Religionem re ipſa eſſe diſtinctam virtutem ab illa iuſtitia, & pœnitentia, vel certè de illa diſputamus ſub hoc præciſo conceptu, quo à Pœnitentia diſtinguitur ſaltem formaliter, ſeu ratione cum fundamento in re, ideóque vitium illud, qualecunque illud ſit, non pertinet ad ea, quæ Religioni opponuntur: & ideò de præceptis, vel prohibentibus tale vitium, vel præcipientibus contrariam æquitatem, & iuſtitiam ad Deum, in materia de Pœnitentia ſatis dictum eſt.

11. An malitia, quæ in omni peccato includitur, ſpectet ad Irreligioſitatẽ.

CAPVT II.

De tentatione Dei formali, & expreſſa.

1. Duplex tentatio. *Auguſt.*

TEntatio duplex in Scripturis inuenitur: vna probationis, ſeu experimenti, altera inductionis, ſeu ſeductionis, vt notauit Aug. Epiſt. 146. ad Conſentium, & q. 58. in Exod. Et vtraque poteſt aliqui attribui vel actiuè, vel paſſiuè: Nam paſſiuè dicitur tentari homo, quando examinatur, vt ſcientiam ſuam, vel virtutem oſtendat, vel cum ad prauum aliquid agendum inducitur: actiuè autem tentare dicitur, qui alterum examinat, vel inducit ad malum: & frequentiùs ſumitur hoc ſecundo modo, nam ſecundũ communem vſum, tentatio illa, quæ eſt inductionis, in malam partem ſumitur, & ideò vocata eſt ab Aug. *tentatio ſeductionis*. Et hac ratione dicit Iacobus, *Deum, neminem tentare*, ſcilicet, tentatione inductionis, quia neminem ad malum inducit. Aliis verò locis dicitur Deus

Deus tentare hominem, vt Abraham, Tobiam, Iob, & populum suum tentatione examinis, ac probationis. Vnde dicitur, Deuteronom. 13. *Tentat vos Deus, vt palàm fiat, vtrùm diligatis eum*, Vbi obiter notanda est illa particula, *Vt palàm fiat*, non enim Deus tentat hoc modo hominem, vt ipse cognoscat, sed vt alios cognoscere faciat, sicut exponitur cõmuniter illud Gen. 22. *Nunc cognoui, &c.* id est, feci, vt omnibus notum sit. Verumtamen hoc loco non agimus de tentatione, vt Deo potest actiuè tribui, sed passiuè, & quoniam omni passioni respondet actio, hæc ipsa tentatio est actiuè ab homine, qui Deum tentare dicitur.

Deut. 13.

2. Homo variis modis Deum tẽtat.

Potest autem homo variis modis tentare Deum, & in primis accommodari possunt ad Deum aliquo modo illi duo modi tentationis ad inductionem, vel ad probationem. Prior tentatio non ita habet locum in Deo, sicut in homine, quia nec Deus seduci potest, sicut homo, neque ad peccãdum prouocari. Quis enim tam stolidus esse potest, qui tentet, aut Deum seducere, aut ad malum inducere? Nihilominùs tamen duplici ratione potest membrum illud ad Diuinam tentationem accommodari: Primo, vt tentare Deum, sit illum ad iram prouocare: nam per hoc, quantum est ex parte hominis, quasi affligitur Deus, & ad malum pœnæ inferendum inducitur; qui modus loquendi non est inusitatus in Scriptura, vt notauit Iansen. Psal. 77. circa versic. 21. sic enim quod ibi dicitur versic. 40. *Quoties exacerbauerunt eum in deserto, in iram concitauerunt eum in inaquoso?* statim exponitur in vers. 46. *Et conuersi sunt, & tentauerunt Deum, & sanctum Israel exacerbauerunt*, & vers. 56. *& tentauerunt, & exacerbauerunt Deum.* Et eodem modo potest intelligi satis accommodatè illud Ecclesiast. 18. *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse, quasi homo, qui tentat Deum*, id est, ne tibi contingat, vt loco placandi Deum per orationem, illum ad iram prouoces. Quamuis hic locus possit etiam de probationis tentatione exponi, vt voluit D. Thom. 2. 2. quæst. 97. art. 3. ad 2. Tentatio verò Dei hoc modo, licèt sic ex peccato, quia Deus non prouocatur ad iram, nisi ex peccatis nostris non tamen habet specialem malitiam contra Religionem, sed communis est omnibus peccatis. Alio item modo potest hæc tentatio inductionis fieri ab homine erga Deum, quando ab illo postulat auxilium ad aliquid prauum perpetrandum, vt ad interficiendum inimicum vel ad seducendam fœminam, & ad turpem amorem inducendam: in his enim, & similibus casibus videtur homo velle Deum ad malum inducere, quamuis reuera homo non intendat Deum inducere ad peccandum, quia si Deus faceret id, quod ab ipso postulatur, vt ab ipso factum, iam non esset peccatum. Nihilominùs tamen illa actio (quocunque nomine appelletur) iniuriosa Deo est, & Religioni contraria: eius autem malitia aduersatur propriè orationi ex parte materiæ, circa quam debet oratio versari, & ideò non solet hæc vocari tentatio Dei, sed prava oratio, cuius malitia constabit infra in tract. de Orat. Quocirca cum agimus de tentatione Dei, non agimus de tentatione inductionis, sed probationis, seu experimenti, vt notauit D. Tho. dicta quæst. 97. art. 1. & omnes scribentes in hac materia.

Iansen. Psalm. 77.

Eccles. 18.

D. Thom.

3. Tentat Deũ qui de eo ex perimentum vult sumere. D. Thom.

Dicitur ergo tentare Deum, qui ad sumendum experimentum de Deo, aliquid petit, aut facit, & in hoc etiam genere tentationis Dei, duplicem modum distinguit D. Thom. suprà; potest enim modo tentare Deum, aut formaliter, aut interpretatiuè: Hic posterior modus obscurior est, & ideò postea de illo separatim dicemus. Tentatio ergo formalis Dei est, quando homo expressa, & formali intentione aliquid facit, vt exploret, & cognoscat aliquid de Deo. Hæc autem tentatio non est in omni materia æquè decordinata; & ideò subdistinguenda est. Nam in Deo considerari possunt aut perfectiones intrinsecæ, quæ omninò pertinent, ac necessariæ sunt ad esse veri Dei, aut possunt considerari operationes, affectus, & locutiones Dei ad extra, quæ pendent ex libera determinatione Dei. Inter hæc autem duo est differentia, nam dubitare de prioribus perfectionibus Dei per se loquendo intrinsecè malum est, quia est contra debitam fidem, & existimationem, quam homo debet de Deo habere. Exemplum est, siquis aliquid cupiat, aut petat, vt exploret, An Deus sit omnipotens, bonus, aut sapiens: nam iste dubitat de his, quæ de Deo cognoscere, ac certo credere debet, quia illa attributa, & similia sunt de veritate ipsius Dei. At verò dubitare de posterioribus actibus non est ita per se malum, quia non tenetur homo, nec potest in omnibus scire voluntatem Dei liberam, nec de omni effectu potest statim cognoscere, quomodo à Deo sit, & ideò in explorandis his actibus non statim apparet malitia, sed circunstantiæ spectandæ sunt, vt dicemus. Prior ergo tentatio Dei videtur esse maximè propria, & ideò breuitatis gratia ita illam simpliciter vocabimus, alteram verò appellabimus tentationem voluntatis; seu actionum Dei.

4. Tentare Deũ per se malũ esse, & cõtra Religionem D. Thom. Psalm. 77.

Primò ergo dicendum est, tentare Deum ex formali intentione, per se malum esse, & Religioni contrarium, reduci tamen ad defectum quendam in modo orandi ex parte materiæ orationi debitæ. Prima pars huius assertionis est D. Thomæ, & omnium: & colligitur ex dicto Psal. 77. *Tentauerunt Deum in cordibus suis, vt peterent escas animabus suis, & malè locuti sunt de Deo, & dixerunt: Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt, nunquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? ideò audiuit Dominus, & distulit, &c.* Ex quibus verbis constat, tentationem illam maximè displicuisse Deo, eò quòd ex dubitatione de potentia, & bonitate eius nasceretur, & ideò tanquam grauissimum peccatum ibi damnari. Sic etiam Exod. 17. dicitur: *Tentauerunt Dominum dicentes, éstne Dominus in nobis, an non?* Quoties ergo simili modo tẽtatur Deus, graue peccatum committitur, & ratio clara est, quia talis tentatio procedit ex quadam infidelitate, procedit enim ex dubio in materia fidei, & fouet illud, dubius autem in fide, infidelis est. quia re vera non credit, cum fides in assensu certo, & firmo consistat. Atque ita constat hoc peccatum, & mortale esse. & nunquam esse posse veniale ex parte materiæ, quia quodlibet dubium deliberatum in materia fidei peccatum mortale est, ex subreptione verò potest esse veniale, & per ignorantiam inuincibilem potest aliquando excusari, vt infra dicam.

Exod. 17.

5. Obiectio cõtra secũdam partem conclusionis.

Hinc verò nascitur dubium circa secundam partem assertionis: Nam sequitur, hoc peccatum non esse contra Religionem, sed contra fidem, vel fidei confessionem, nam actus imperatus habet eandem malitiam cum imperante, imò ab illo denominatur, sed huiusmodi tentatio est actus imperatus ab infidelitate mentis, & inde habet totam malitiam suam, ergo habet malitiam infidelitatis, non irreligiositatis. Ad hoc verò optimè respondet D. Thomas dicta qu. 97. art. 3. ad 1. Sicut ex certitudine fidei aliquis exhibet Deo reuerentiam, ita ex incertitudine fidei, vel ex falsa fide posse actum irreuerentiæ erga Deum facere, vnde sicut reuerentia, licèt sit ex fide, ad Religionem formaliter pertinet, vt constat de actu adorationis, ita irreuerentia, licèt procedat ex infidelitate, est vitium irreligionis, sicut in idololatria manifestum est. Hinc ergo probatur illa secunda pars assertionis, nam tentatio hæc Dei est magna irreuerentia Dei, nam est petere ab ipso probationem (vt sic dicam) suæ excellentiæ,

Solutio.

cellentiæ,potentiæ,vel sapientiæ, quod est contra reuerentiam Deo debitam.

6. Difficultas. Dices,hac ratione non satis probari,in hoc actu esse formaliter specificam malitiam cõtra Religionem, sed solum materialiter,eo modo,quo plures alij actus, qui indebito modo circa Deum versantur,possunt reputari contra reuerentiam Deo debitam. Nam ipsemet actus dubitandi de omnipotentia Dei,est contra reuerentiam illi debitam,& multò magis credere aliquid repugnans excellentiæ Dei est iniuriosum illi,& contra reuerentiam illi debitam,idemque est de odio Dei,& similibus actibus, qui tamen non pertinent ad irreligiositatem, sed ad vitia contraria vel fidei, vel charitati, &c. ergo idem erit de tentatione Dei. Hoc verò expedietur facilè explicando, & probando tertiam partem propositam in assertione: Nam vt D.Th. *D.Thom.* inquit in dicto artic. 1. tunc aliquis hoc modo tentat Deum, quando ea intentione aliquid à Deo postulat, vt exploret eius scientiam, aut potentiam, & similia, id est,vt experimento cognoscat,an Deus verè aliquid sciat,aut possit,&c.Ergo hæc tentatio dicit actum distinctum ab actu dubitandi de huiusmodi attributis Dei,& ab actu quo posset exteriùs exprimi illa dubitatio.Nam potest quis exterius profiteri, & dicere, se dubitare de hac, vel illa veritate fidei, & in hoc consummare malitiam confessionis contrariæ fidei,& tamen per illum actum præcisè sumptum nondum tentare Deum. Si autem vlteriùs homo procedat, & à Deo ipso petat nouum, & extraordinarium modum ostendendi illam veritatem,vt illam exploret,nouum genus peccati committit, quod iam non spectat ad speciem infidelitatis, ex parte obiecti sui, sed ex illo habet nouam inordinationem, quæ consistit in hoc, quòd aliquid à Deo in materia indebita postulatur, in quo fit contra reuerentiam Deo debitam,hoc ergo modo illa malitia est contra Religionem,quatenus in materia orationis versatur.

7. Enodatur difficultas. Et ita cessant obiectiones;nam qui elicit, vel profert hæresim, peccat contra fidem, & confessionem eius tantùm,si non vltra progreditur: si tamen petat à Deo miraculum in confirmationem suæ hæresis, iam contra Religionem peccat.Et similiter si per illam falsam doctrinam intenderet honorare Deum, ex alio capite contra Religionem peccaret per superstitionẽ, vt infra videbimus.Idemque est de odio Dei,ac similibus actibus; nam si in propriis rationibus eorum sistatur, habet vnusquisque malitiam tantum contra suam virtutem; si autem assumantur vt materia cultus,vel vt eorum occasione aliquid indebitum à Deo petatur, iam priori malitiæ adiungitur altera contra Religionem.Nequeverum est,quod dicebatur,actum imperatum non habere malitiam, nisi ab actu imperante, nam sæpe habet malitiam ex proprio obiecto, vt ex 1.2.constat.Sic ergo hæc tẽtatio Dei ex obiectõ suo habet malitiam contra Religionem,quia per eam petitur aliquid à Deo contra reuerentiã illi debitam.

8. Instantia. Dices præter hunc modum tentandi Deum expressè per verba Orationis esse alium modum tentandi factis,quando homo per ea,quæ facit, intendit experimentum sumere Diuinæ scientiæ, seu potestatis, vt *D.Thom.* dixit D. Thom. dicto artic. 1. Ergo hæc malitia non tantùm inuenitur in oratione,sed etiam in opere. Occurritur. Respondeo,nunquam tale opus habere rationem expressæ tentationis Dei, nisi quatenus habet coniunctum desiderium explendi per tale factum, An Deus talis sit,vel an hoc sciat,aut possit. Illud autem desiderium tali opere declaratum,est quædam virtualis, seu tacita oratio.Imò tunc videtur homo habere propositum non credendi id, de quo dubitat, nisi Deus tali opere ostendat veritatem,quam scire desiderat, & ita virtute postulat à Deo extraordinarium modum confirmandi veritatem ad nutum suæ voluntatis,& non diuinæ,quod maximè Irreuerentiæ est.

9. Explicatur dubium. Sed occurrit duplex dubium circa conclusionem positam. Nam contingere potest, vt aliquis non peccet,dubitando de aliqua perfectione, vel proprietate Dei. Nam si sit supernaturalis veritas, fieri potest, vt non sit illi satis proposita eius reuelatio, vel etiam si sit veritas naturaliter cognoscibilis,potest homo simplex, & qui Philosophari non nouit, sine peccato de illa dubitare, quandiu in ordine ad fidem non sufficienter proponitur.Ergo tunc non erit malum ex tali dubitatione petere à Deo signum aliquod, vel opus miraculosum ad explorandam illam veritatem, ergo non semper tentatio Dei ad probationem veritatis illicita est. Vnde de Gedeone legimus Iudic. 6. cum ei *Iudic.6.* apparuisse Dominus, & mitteret illum ad liberandum Israel,suumque auxilium ei promitteret,respondisse, *Si inueni gratiam coràm te, da mihi signum,quòd tu sis,qui loqueris ad me.* In quo non reprehenditur, sed prudenter egisse creditur, vt ex Glossa ibi notauit *Gloss. Caiet. August.* Caiet.dicta quæst.97.ar.2.& August.lib.2.de consensu Euangelistarum exponens verba illa Matth.22. *Matth.22.* *Interrogauit eum vnus ex eis legis doctor tentãs eum, Magister quod est mandatum magnum in lege,* &c, Inquit, fieri potuisse, vt illa tentatio non fuerit in malam partem, *Tanquam volentis* (inquit) *decipere inimicum,sed cauta potiùs,tanquam experiri amplius volentis ignotum:neque enim frustrà scriptum est, qui facilè credit, leuis est corde.* Igitur non semper tentatio hæc mala est, sed tunc solùm quando dubitatio mala est.

10. Proponitur alia difficultas. Aliud dubium est circa eandem assertionem, quia supponit hanc tentationem procedere semper ex dubitatione,quod non est vniuersaliter verum. Nam licet aliquis sit certus, potest sine peccato desiderare, vel certior fieri ex parte sua ad excludendam omnem humanam tentationem, vel amplius illuminari in illa veritate, de qua certus est, vel propter se, vel saltem propter alios;ergo si tunc à Deo petat speciale signum ad hunc finem, non peccabit, etiamsi ipsum tentare videatur. De qua re multa occurrunt in Scriptura exempla; sic enim Elias 3. Reg. 18. conditionem sa- *3.Reg.18.* crificij consumendi per ignem de cœlo missum populo proposuit, & concluſit, *Deus, qui exaudierit per ignem,ipse sit Deus.* Quod factum, videtur fuisse quædam Dei tentatio;nam fuit ordinatum ad sumendum experimentum de vero Deo,tamen quia non processit ex dubitatione,sed recta fide, intentione,ac necessitate,honestissimum fuit.Similiter Abraham Gen.15. *Gen. 15.* ad Deum sibi loquentem dixit:*Vnde hoc sciam?* vel *secundùm quid sciam?* vt legit August. quod verbum vi- *August.* detur fuisse tentantis Deum, & petentis signum extraordinarium ad explorandam veritatem eius, & tamen non reprehenditur Abraham, quia non id dixit dubitans de veritate Dei;nam de illo iam ibi scriptum erat,*Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam,* à qua fide non defecit,quando alia verba subiunxit,*Sed aliquam similitudinem petiit,qua eius rei,quam crediderat, modus agnosceretur*: teste August. 17. de Ciuit. cap.24.Vbi etiam affert exemplum beatissimæ Virginis,quando dixit;*Quomodo fiet istud: Nam ita* (inquit) *Abraham rem credidit, modum autem scire optauit*; & in *Chrys.* eundem sensum Chrysost. Homil. 37. in Genes. ita exponit verba Abrahæ: *Non vt incredulus hoc interrogo, sed quia iterum mihi hæreditatem nominas, volebam & clarius signum accidere, quod possit infirmas meas cogitationes solidare.* Sic etiam Gedeon.Iudic. 6. post sufficientem *Iudic.6.* reuelationem Dei,cui ipse iam crediderat,& ex illa fide multa operatus fuerat, duplex signum velleris à *D.Thom.* Deo petiit. Quamuis enim D. Thom. dicta quæst. 97. artic. 2. ad 3. illum non excuset, nihilominus excusari facilè potest, maximè cum Deus illum non reprehen-

prehenderit, & signa postulata concesserit, quibus A
Augu. Christi mysteria præfigurata sunt, vt docuit Aug. 12. contra Faustum, cap. 32. Vnde verisimile est, id fecisse ex speciali instinctu Dei, sicut de Abraham idem S. Thom. docuit. Atque etiam id facere potuit sine vlla dubitatione in fide, vel ad se magis confirmandum, & excitandum, vel certè propter populum, vt faciliùs crederet, se esse à Deo missum. In hoc ergo modo tentandi Deum, non inuenitur vlla deformitas, quia nec petere à Deo tale signum, per se malum est; nec modus est malus, cum non sit defectuosus in fide. Et ideò Deus sæpè inspirat talem petitionem, vt Isaiæ 7. legi-
Isai 7. mus dixisse ad Achaz: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo*, & non laudatur, sed potiùs reprehenditur Achaz eò quòd non petierit.

11. Soluuntur dubia. Ad hæc duo dubia potest vno verbo responderi, B verum esse in his casibus licitè posse fieri huiusmodi petitionem à Deo. in eis tamen propriè tẽtari Deum, quia tentare Deum in Scriptura, in malam partem accipitur, & ita etiam nunc de illa loquimur. Et ne videamur in solo vsu vocis fundari, explicare id possumus ex re ipsa. Nam in casu posito in prima difficultate, cum non supponatur in homine sufficiens potestas ad cognoscendam veritatem, de qua dubitat, neque homo peccat dubitando, vel suspendendo assensum, donec veritas sufficienter proponatur, nec explorat aliquid de perfectione Dei, sed explorat, An
Caietan. ille, qui loquitur, sit Deus, & ideò non tentat Deum. Vnde rectè Caietan. dicto artic. 2. dixit, tentare Deum inuoluere ignorantiam, vel dubitationem malam, *Et ideò* (ait) *siquid est, quod licet dubitare de Deo, hoc* C *extra tentationem Dei est, si cum debitis circunstantiis fiat.* Quia nimirum, qui in eo casu petit signum, non explorat Deum propriè loquendo, sed postulat instrui ab eo, & ideò neque peccat, neque tentat Deum. Idemque in posteriori casu clariùs constat, quia in eo, qui petit signum, non explorat veritatem, de qua iam certus est, sed vel maiorem instructionem pro se postulat, vel pro aliis maiorem, magisque publicam confirmationem.

12. *Caiet. D. Thom.* Rectè autem admonet Caiet. oportere, vt hoc debitis circunstantiis fiat, & sumitur ex D. Thom. ibidem dicente: *Cum subsit iusta necessitas, seu pia vtilitas, & alia, quæ ad hoc concurrere debent.* Igitur ex defectu talium circunstantiarum poterit committi tẽtatio Dei, etiam in illis casibus. Circunstantiæ autem necessariè D
Quæ circũstantiæ necessariæ sint vt hoc licitè fiat. sunt, prima, vt occurrat necessitas, tum ex parte finis, tum etiam ex parte medij. Ex parte finis, vt nimirum talis veritas sit necessaria ad salutem, vel propriam, vel aliorum, vel ad voluntatem Dei implendam, vel saltem vt sit valdè conueniens ad aliquod commune bonum: Ex parte verò medij, vt non omittantur ordinaria media à Deo præstituta ad veritatem agnoscendam; nam si prætermissis illis, extraordinarium signũ
August. à Deo petatur, irrationabilis est petitio, & ad tentationem Dei spectans, etiamsi non videatur ex infideli dubitatione procedere. Nam si homo non adhibeat media, quæ prudenter adhibere potest, tunc magis tentat Deum, quàm sperat in eo, vt dixit Aug. 16. de Ciuit. cap. 19. & lib. 22. contra Faustum, cap. 36. vbi variis exemplis hoc ostendit, & lib. de opere Mona- E
D. Thom. Glossa. chorum, ca. 27. illa repetit, ex quibus concludit; cum possumus ordinaria media adhibere, non oportere tentare Deum. Et D. Thom. dicta q. 97 art. 1. refert ex Glossa, Deut. 6. *Illum tentare Deum, qui habens, quod faciat, sine causa petit extraordinarium opus à Deo.* Deinde
Caiet. etiam posita necessitate, oportet modum seruare in huiusmodi petitione, quod Caiet. his verbis declarauit; *Decimum est humiliter petere signum pro opportuna instructione*, nam in particula *Humiliter*, totum hunc modum comprehendisse videtur.

Ad hanc ergo summissionem animi, spectat, vt 13. Fides non determinanda ad signũ particulare. homo non ita determinet fidem suam ad signum aliquod particulare, quod à Deo postulat, vt nisi illud concedatur, non sit crediturus, nam hic modus petendi de se est planè temerarius, & cõtra fidem, & subordinationem Deo debitam. Quando ergo homo petit huiusmodi extraordinariam instructionem à Deo, ordinariè non debet determinatum signum, vel modum petere, sed solùm, vt Deus prouideat iuxta dispositionem sapientiæ suæ, vel si aliquid in particulari petit, non debet id facere cum animo obstinato non parẽdi, vel non credendi, nisi id fiat, sed cum debita subordinatione ad voluntatem Dei, qualem habebant tres
Dan. 2. pueri apud Daniel. ca. 2. quando Regi responderunt: *Ecce Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare, quod si noluerit, notum sit tibi ô Rex, quia Deos tuos non colimus*: Ita enim sperabant miraculosam protectionem Dei, vt parati essent ad credendum, etiamsi illam non daret.
August. Et hoc ipsum significauit August. cum in dicto lib. de opere Monach. cap. 27. dixit: Quod si Christi discipuli persecutores fugientes interrogarentur, cur non starẽt potius, & inuocarent Deum, vt per eius mirabilia eruerentur, *Responderent* (inquit) *non se oportuisse tentare Deũ, sed tunc eum talia si vellet, esse facturum; cum ipsi quid facerent, non haberent*, expendo enim illam particulam, *Si vellet*, quia semper talis petitio debet habere hanc conditionẽ virtute coniunctã, alioqui tentat Deũ, qui ab illo petit signum, quale ipse petens vult, & illud præscribit tanquam vnicum medium explorandi veritatem. Quòd si aliquando Sancti hoc fecisse videntur, credendum est, id non fecisse sine speciali Spiritus
D. Thom. sancti impulsu, vt de Abraham dixit D. Tho. & de Helia videtur mihi esse indubitatum. Et idem credo, quoties lego alios viros sanctos petiisse à Deo signum aliquod publicum ad confundendum aliquem hæreticum, aut veritatem fidei confirmandam, est enim tam excellens, & supernaturalis hęc petitio, vt sine speciali Dei motione fieri rectè non possit. Et hæc videntur sufficere de propria, & formali tentatione Dei de his, quæ necessariò illi conueniunt.

14. Malum est tentare Deũ explorando eius voluntatẽ de euentu futuro. Secundò dicendum est; tentare Deum ad explorandam eius voluntatem, vel determinationem de aliquo futuro euentu, per se etiam malum esse, licèt sit minus graue peccatum ex genere suo, quàm sit altera tentatio Dei. Hæc assertio erit clara, si auferatur quæstio de nomine quoad verbum *Tentandi*: Nam petere à Deo opportunam instructionem, etiam extraordinariam, & miraculosam ad cognoscendum aliquid huiusmodi, non semper malũ est, vt rectè dixit Caiet. *Caiet. D. Thom.* dicto art. 2. & sumitur ex D. Thom. ibidem, & artic. 1. Talis autem petitio debito modo facta non censetur esse tentatio Dei, quia re vera non fit animo explorandi, aut sumendi experimentum de Deo, sed ad cõparandam necessariam instructionem à Deo. Talis ergo tentatio contingit, quando homo indebitè, & irrationabiliter vult nosse in aliquo voluntatem Dei, & ad illam explorandam aliquid à Deo petit, loquimur enim nunc de formali, & expressa tentatione in tali materia, quæ non sit sine tali intentione: Constat ergo talem tentationem prauam esse, & irreligiosam, tum quia contra reuerentiam Deo debitam est, secretam eius voluntatem indebito modo, & contra eandem voluntatem velle nosse, tum etiam, quia multo maior audacia est, propter hanc finem à Deo postulare aliquod signum, vel extraordinarium opus, vt per se cõstat. Quod autem in huiusmodi materia sit minus peccatum, patet, quia non procedit per se loquendo, ex dubitatione in fide, neque ex ignorantia culpabili, seu de re, quam homo scire teneatur: non enim tenetur scire homo, quid Deus facturus sit, aut quid velit

velit in his, quæ non reuelauit, ergo dubitare de voluntate Dei in illis non est peccatum, ergo neque explorare talem Dei voluntatem ex hoc capite malum est, sed ex eo solùm quòd aliũde est indebitus modus, & inordinatus appetitus, est ergo hæc tentatio ex vi suæ materiæ minùs graue peccatum, quàm prior. Locuti autem sumus de voluntate quam Deus non reuelauit: nam si Deus iam sufficienter manifestauit & proposuit determinationem aliquam suæ voluntatis, vel effectum quem facturus est, dubitare de illo non tantùm esset dubitare de voluntate, sed etiam de veritate, & fidelitate Dei, ideóque tentatio Dei in illa materia ad priorem modum pertineret.

15. An huiusmodi tentatio Dei sit peccatum mortale.

Sed quæret aliquis, An tentatio Dei, etiam expressa, & formalis in huiusmodi materia, quæ non requirit dubitationem in fide, sit peccatum mortale per se, & ex vi sui obiecti? Dico autem *Per se, & vi sui obiecti* quia ex aliis capitibus sæpè potest esse mortale, præsertim ex duobus. Primò ex fine, si lethale malum sit, vt est generale, etiam in operibus indifferentibus. Secundò ex periculo alicuius grauis nocumenti, vel scandali, vt si quis temerè offerat, & petat publicum miraculum ad cognoscẽdam Dei voluntatem in aliquo negotio: aut si te in puteum proiicias, vt Deus te protegẽdo, ostendat beneuolẽtiam erga te, sicut de quodam Monacho legitur apud Cassian. Collat. 5. ca. 5. Loquendo autem per se, & ex vi obiecti, videri potest hoc peccatum nõ esse mortale, quia solùm videtur esse nimia quædam curiositas cognoscendi cõsilium, vel voluntatem Dei in his, quæ neque homini necessaria sunt, neque ad ipsum pertinent, ex quo fine, nõ habet talis actus grauem malitiam; neque etiam ex materia, quia, vt supponitur, res, quæ postulatur, non est mala, nec denique ex modo, seu ex medio, quod est postulare à Deo tale signum, quia per hoc non videtur irrogari Deo grauis iniuria. Et ita sentiunt aliqui moderni, imò putant illam non esse propriè tentationem Dei, quia non procedit ex dubitatione de perfectione Dei, sed solùm de libera determinatione voluntatis Dei, & videtur fauere D. Tho. dicta qu. 97 art. 2. Nam totam rationem peccati, & propriæ tentationis Dei in hoc ponit, quod procedat ex dubitatione de perfectione Dei.

D. Thom.

16. Resolutio quæstionis. Caiet. Tolet.

Nihilominùs dicendum est, hoc peccatum ex genere suo esse mortale. Ita tenet Caiet. in Summa ver. *Tentatio Dei*; & sequitur Tolet. li. 4. Instructio. c. 19. & alij. Ratio est, quia illa est notabilis irreuerentia Dei, quia non solùm vult, qui sic petit, vt Deus foueat, & cooperetur ad vanam curiositatem, sed etiam vult, vt Deus sua potentia aliquid mirabile, & extraordinariũ operetur solùm ad illum vanum finem, quod est valde alienum à sapientia, & prudẽtia Dei, petit ergo à Deo aliquam rem, quæ non decet illius Maiestatem, vultque habere Deum tanquam ministrum rerum ipsi inutilium, idque per ostensionem potentiæ suæ, quod indecentissimum est. Ideóque hoc peccatum multùm derogat Religioni erga Deum, siue vocetur propria tentatio Dei, siue alia grauis irreligiositas, quod pertinet ad quæstionem de nomine. Non video tamen, cur non sit propria tentatio, cum sit exploratio quædam Diuinæ voluntatis expressè intenta, per tale medium. Neque oportet, vt omnis tentatio sit ex dubitatione de perfectione diuina, quamuis illa sit grauissima, & pessima inter omnes tentationes Dei. Nam inter homines, qui aliquid petit ab aliquo, vt exploret eius amorem, vel propositum, propriè dicitur tentare illum, non oportet ergo verbum hoc respectu Dei, limitare ad explorationem alicuius perfectionis necessariò conuenientis Deo. Et sanè cum Deuter. 6. & Matth. 4. prohibetur tentatio Dei, de hoc modo tentandi Deũ videtur esse sermo. Quando enim diabolus à Christo petiit, *Mitte te deorsum*, non videtur petiisse, vt probaret diuinam potentiam, sed affectum erga ipsum, & ideò adiunxit: *Angelis enim suis mandauit de te, &c.* & tamen illi Christus respondit: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Et hæc ipsa prohibitio ostendit grauitatem huius delicti; est ergo peccatum mortale ex suo genere; imò vix potest esse veniale, nisi fortasse ex ignorantia, & simplicitate non omninò crassa, qua quis id faciat ex quadam inepta specie pietatis.

Deut 6. Matth. 4.

CAPVT III.

De tentatione Dei interpretatiua.

1. DIcendum supereſt de alio modo tentandi Deum interpretatiuè, & implicitè, quẽ omnes Doctores cum D. Tho. suprà ponunt; dicuntque esse, quando aliquis opere ipso, Dei potentiam, vel amorem explorat, quamuis hoc non intendat formaliter. Sic D. Tho. inquit, illum tentare Deum interpretatiuè, *Qui etsi non intendit experimentum de Deo sumere, aliquid tamen petit, vel facit, quod ad nihil aliud est vtile, nisi ad probãdam Dei potestatem, vel bonitatem.* Exempla cõmunia sunt, siquis continuos quadraginta dies velit abstinere ab omni cibo, & potu, vt Christum imitetur: Item si quis aperto vitæ periculo se exponat sine necessitate, vel nolit vti mediis ordinariis, vel à Deo institutis, vel ad salutem tuendam in graui morbo, vel ad actionem aliquam conuenienter exercendam. Sic Nauarr. in Manuali c. 11. n. 40. dicit peccare mortaliter eum, qui voluntariè omissa præuia meditatione, concionatur, vel qui in graui morbo solùm prouidentiæ diuinæ se cõmittit, nullo vtens remedio absque necessitate. Similiter erit graue peccatum ad probationem alicuius veritatis miraculoso experimento vti velle, vt apud multos fuit aliquando in vsu, vt paulò post attingemus. In his ergo, & similibus casibus censetur tentari Deus interpretatiuè propter rationem contentam in verbis D. Tho. suprà relatis. Qui etiam exemplum adiungit. Nam cùm quis equum currere facit, vt euadat hostem, non sumit de equo experimentum, si verò absque vlla necessitate, vel vtilitate equum currere faciat, nihil aliud facere censetur, quàm experiri equi velocitatem: ita ergo dicit esse in præsenti.

Nauarr.

D. Thom.

2. Sitne in tentatione interpretatiua specialis malitia contra Religionem

In hoc verò tentationis genere, licèt regulariter facilè sit, deformitatem, & malitiam inuenire contra alias virtutes à Religione distinctas, vt contra iustitiam, si actio fiat cum periculo vitæ proximi, vel alterius iniusti nocumenti, vel contra charitatem, si fiat cum periculo proprio, vel contra temperantiam, aut aliam similem virtutem, si imprudenter eius medium, & necessarius actus omittatur, vt patebit facilè, hoc applicando cum proportione ad exempla adducta: nihilominùs non est facile in hoc opere declarare specialem malitiam contra Religionem, si non interueniat expressa, & formalis intentio probandi Deum, si autem hæc intentio interueniat, iam non erit interpretatiua tentatio, sed expressa: Ergo loquendo de vitio contrario Religioni, nulla est interpretatiua tentatio sed illa, quæ sic appellatur, vel dicetur tentatio præsumptione quadam, & non verè, vel solùm materialiter, quia illa actio talis est, vt de se sit apta ad tentandum Deum. Antecedens declaratur in illo exemplo, quando aliquis ingreditur ignem ad probandam innocentiam suam, aut enim id fit sine vllo intuitu Religionis respectu Dei ex temeritate quadam, & tunc ibi nulla ratio irreligiositatis inuenitur, sed solùm temeritatis, & periculi propriæ mortis, & publici scandali, sæpè enim continget illo modo, & innocentem comburi, & vulgarem populum decipi, dum putat illo modo probatum esse delictum, cum re vera non sit, vt rectè dixit Iuo epist. 74. Si verò illud

Iuo.

illud fiat intuitu Dei, id etiam esse potest duobus modis: Vnus est, existimando ad diuinam prouidentiam pertinere, non permittere, in eo casu innocentem cremari, etiamsi necesse sit, miraculosè actionem ignis suspendere, & hinc concipiendo certam, & indubitatam fiduciam non patiendi ab igne detrimentum, cum is, qui ingreditur, certus de sua innocentia sit. Alius modus esse potest, quando aliquis non habens hanc existimationem, & spem certam, vult suo periculo experiri, an Deus innocentiam hoc etiam modo tueatur, & defendat. Si ergo hoc posteriori modo fiat, erit quidem tentatio Dei, non tamen interpretatiua, sed satis expressa, & formalis, vt ex ipsa declaratione satis constat. Non tamen solet ita fieri regulariter, sed priori modo: & de illo videntur loqui Auctores, quando hanc vocant tentationem Dei interpretatiuam. At verò tum nihil minùs esse videtur, quam tentatio Dei: Nam tentatio Dei debet esse ex dubitatione, vel de perfectione Dei, vel saltem de eius voluntate, vt suprà visum est, & diuus Thomas docet; ergo vt sit interpretatiua tentatio, oportet, vt sit etiam saltem interpretatiua dubitatio: ibi autem neutra inuenitur, sed potiùs nimia certitudo, vel potiùs pertinacia circa credulitatem de tali futuro euentu ex speciali prouidentia Dei.

D. Thom.

3. Vnde confirmatur primò, quia illud potiùs videtur esse vitium præsumptionis Spei oppositum per excessum, & procedens etiam quadam fide nimia, & voluntaria, & ideò videtur extremè distans à tentatione Dei, quæ est ex defectu fidei, vel confidentiæ in Deo. Confirmatur secundò, quia per huiusmodi operationem non explorat homo aliquid de Deo, nec quoad attributa, nec quoad actus eius, sed explorat aliquid de homine, verbi gratia, an fecerit hoc delictum, nécne, vel an in hoc verum dicat, aut aliquid huiusmodi: ergo illa non est tentatio Dei, sed potiùs hominis. Vnde tandem cessare videtur ratio D. Tho. & in contrarium reuolui; dicit enim tunc esse tentationem interpretatiuam, quando actio non est ad aliud vtilis, nisi ad experimentum sumendum de Deo; at in præsenti, actio putatur vtilis ad alios fines, vt ad probandam propriam innocentiam, vel ostendendam singularem sanctitatem, etiamsi fortasse ostentatio vana sit, vel certè ad confirmandam veritatem, etiam fidei, ex zelo indiscreto, & temerario: ergo.

4. Ad tentationē interpretatiuā necesse est, vt opus fiat cū aliquo respectu ad Deū. *Caiet.*

In hoc puncto in primis dicendum est, ad hanc tentationem Dei interpretatiuam necessariam esse, vt opus fiat cum aliquo respectu ad Deum etiam ex intentione operantis. Hoc rectè probat discursus factus. Declaratur præterea ex eo, quod Caietanus in dicto art. 1. ait, formale huius tentationis Dei interpretatiuæ consistere in hoc, quod sine vtilitate, vel necessitate respuat homo causas secundas, nam hoc non est intelligendum merè negatiuè, quia non sufficit hoc ad tentandum Deum, debet ergo intelligi positiuè, scilicet quòd homo cōtentus sola causalitate causæ primæ respuat secundas, ergo saltem hic respectus ad Deum necessarius est ad hanc tentationem. Antecedens declaratur, nam si quis ingrediatur ignem, non vt liber euadat, sed vt comburatur, non censetur tentare Deum, sed se occidere, vel per desperationem, vel per specialem instinctum Spiritus sancti, vt Tecla. Item qui aliquem grauem dolorem, vel vlcus patitur, & respuit causas secundas, nullam adhibendo medicinam, non vt sine his causis sanetur per solam virtutem causæ primæ, sed quia non vult sanari, sed potiùs illam infirmitatem continuè pati, ille non tentat Deū, quia nec formaliter, nec virtute aliquid de illo explorat. Vnde si imprudenter id agat, peccat quidem, non tamen contra Religionem, nec contra Dei honorem, sed contra suam salutem. Si verò ex bono fine, & prudenti discretione id faciat, vt de viris spiritualibus, & sanctis dicit Caiet. in illo art. 1. faciet quidem opus virtutis, tamen ex obiecto non facit opus Religionis, sed patientia, humilitatis, aut aliquid huiusmodi, ergo ad tentationem interpretatiuam Dei, non satis est respuere causas secundas, nolendo effectum, sed oportet velle effectum sine causis secundis: nemo autem est ita stolidus, vt possit velle effectum sine vlla causa tam secunda, quàm prima, ergo qui tentat Deum etiam interpretatiuè, vult effectum à causa prima sine secunda, ergo tentatio Dei sit semper saltem cum hoc respectu ad Deum. Et in hoc conuenit hæc tentatio Dei cum formali, & expressa.

Addendum præterea est, in hoc modo operandi peccatum committi, non solùm contra alias virtutes iuxta materię capacitatem, sed etiam contra Religionem. Probatur, quia in eo opere interuenit, vel formalis, vel saltem virtualis imploratio diuini auxilij, sed illa est indebita, & contra rationem, & in materia, quæ non pertinet ad honorem Dei, ergo est irreuerentia contra Religionem Deo debitam; nam siue expressè, & formaliter, siue interpretatiuè, & (vt ita dicam) in actu exercito aliquis imploret diuinum auxilium debet id facere prudenter, & iuxta beneplacitum eius. Quòd autem in illo operandi modo intercedat imploratio diuini auxilij, manifestum est, quia eius intuitu homo aggreditur tale opus, etiam sæpe cum periculo vitæ. Vnde ordinariè adiungi solet etiam expressa inuocatio diuini auxilij, vt constat ex multis historiis, quas eruditè congerit Martinus del Rio lib. 4. Disquisit. magic. c. 4. q. 4. & sequentibus; & moraliter vix poterit homo aliter tale opus aggredi; nam licèt voce fortè non oret, corde tamen implorabit Deum, in quo ita confidit; vel certè quamuis nec interiùs loquatur orando, ipso desiderio, & intentione obtinendi à Deo talem protectionem, vel cooperationem, virtualiter implorat extraordinarium auxilium ad talem effectum necessarium. Quòd autem ille modus inuocandi Deum, sit indebitus, & contra honorem ipsius Dei, probatur, quia est contra ordinem prouidentiæ eius. Item hoc probant omnia adducta in cap. præcedenti respōdendo ad vltimam difficultatem in fine propositam.

5. In tentatione interpretatiua committitur peccatum cōtra religionem.

Del rio.

Præterea, concedendum est, hunc modum peccati longè diuersum esse à formali, & expressa tentatione Dei, quod satis probant obiectiones factæ; nam formalis tentatio procedit ex aliqua dubitatione, hæc verò culpa, de qua nunc agimus, procedit ex nimia confidentia. Item, illa est exploratio Diuinæ perfectionis, aut voluntatis ex intentione operantis, & ex ipsa actione, in hoc autem opere nihil exploratur de Deo, sed solùm imploratur, quod non oportet, saltem ex intentione operantis. His ergo stantibus, quæstio satis speculatiua est, an hæc malitia, quam nunc explicuimus, sit specie distincta à malitia formalis tentationis Dei: Tamen argumenta facta videntur mihi satis persuadere esse distinctam, quia longè diuersa ratione pertinet ad Irreuerentiam Dei, & quia procedit ex principiis, & causis moralibus longè diuersis. Et quòd ad mores spectat, clarum est, necessarium esse in cōfessione aperire, an tentatio Dei fuerit expressa, vel tantùm interpretatiua, quia saltem necessarium est, aperire intētionem, qua factum est opus, quo tentari Deus dicitur.

6. Hoc genus peccati diuersam est à formali tentatione Dei.

Vtrum specie differant inter se.

Hinc verò nascitur alia quæstio, quę in eisdem obiectionibus tangitur, an rectè vocetur hoc peccatum tentatio Dei, etiam interpretatiua, cum nihil videatur habere commune cum propria tentatione Dei. Sed hæc quæstio tantùm ad modum loquendi spectat, in quo non est recedendum à communi vsu: Omnes autem Theologi hoc peccatum vocant tētationem Dei,

7. An hoc peccatum congruè vocetur tentatio Dei.

saltem cum illo addito, *interpretatiuam*, ita etiam lo- A
August. quitur Aug. in dicto lib. de Opere Monach. ca. 27. & lib. 22. contra Faustum, c. 36. vbi regulam statuit, hominem tentare Deum, quando non vult vti debita industria. Imò etiam iura Canonica ita loquuntur, quæ statim referemus. Ratio verò reddi potest, quia malitia huius peccati, licet ex præsumptione procedat, non est præsumptio, sed Irreligiositas: Sicut suprà dicebamus, expressam tentationem Dei, licet procedat ex infidelitate, non esse infidelitatem. Hæc autem Irreligiositas conuenit cum formali tentatione Dei, tum quia est formalis, vel virtualis petitio diuini auxilij contra ordinem prouidentiæ diuinæ, tum quia fit per opus de se exploratiuum, vt sic dicam, diuinæ
August. sapientiæ, aut potentiæ. Et ita dixit Augu. 16. de Ci- B uit. c. 19. quod *si Abraham periculum, quantum caueri poterat, non caueret, magis tentare Deum, quam sperare in Deo.* Hæc ergo sufficiunt ad rationem vocis, maximè cum hæc censeatur esse tentatio Dei non simpliciter, sed cum illo addito *interpretatiua:* Quia in eo opere Deus tentari videtur, vt dicitur in cap. vlt. de Purgat. vulg. & fortasse ita etiam potest commodè exponi il-
Eccles. 18. lud Ecclesiast. 18. *Nolite esse quasi homo, qui tentat Deum,* quod de interpretatiua tentatione exponit D. Thom. quia ille, qui imperatus ad orationem accedit, vult fructum, seu effectum orationis sine mediis ordinatis à Deo, quod est interpretatiuè tentare ipsum, vt declarauimus, & tamen ille non dicitur simpliciter tentans Deum, sed *quasi tentans*, vt ponderat ibi Ca- C
iet. dicens, *Non nisi extenso vocabulo irreuerentiæ hæc tentatio Dei est.*

8. Probationes vulgares merito prohiberi.

Atque ex his infertur, meritò prohiberi per sacros Canones probationes illas, quæ purgationes vulgares appellantur, vt patet ex cap. *Mennam*, 2. q. 5. & cap. *Consuluisti*, & c. *Monomachiam:* Item ca. 1. & 3. de Purgatione vulgari, & cap. *Ex tuarum*, de Purgat. Canonica, in quibus prohibentur purgatio, vel probatio per experimentum ferri cadentis, & aquæ feruentis, & idem est de quibuscunque operibus, vel signis, in quibus miraculosa diuinæ virtutis ostensio expectatur, vel postulatur ad veritatis occultæ probationem. Et eâdem ratione prohibetur Monomachia in eun-
Conc. Trid. dem finem facta, vt patet ex eisdem Iuribus, & ex Cō- D cilio Tridentino sess. 25. c. 19. de Refor. vbi generaliter duellum prohibetur, & consequenter etiam hic casus continetur. Nam licet duellum potissimè prohibeatur propter periculum & propriæ mortis, & homicidij alterius, tamen quando fit in ostentionem veritatis, etiam prohibetur ratione Diuinæ Irreuerētiæ, quia ibi virtualiter postulatur à Deo peculiare auxilium, vt ille, cui veritas fauet, victor euadat, alioqui nulla esset probatio veritatis in illo opere; illud autem à Deo postulare, magna Irreuerentia est. Quocirca si ea, quæ diximus, considerētur, facilè intelligetur, hæc prohiberi, quia mala sunt, & non tantùm esse mala, quia prohibita: nam ipsa Iura dicunt, hæc prohiberi, quia in eis tentatur Deus; tentatio autem Dei etiam interpretatiua per se mala est, secluſa humana prohibitione. Et ideò nihil refert, quòd Iura in vna, vel al- E
tera particulari actione loquantur, quia nihilominùs prohibitio ratione materiæ æquiualet vniuersali, vt
D. Thom. Alens. Abb. Anchar. Turrecr. rectè sensit D. Thom. 2. 2. q. 95. art. 8. ad 3. & 3. p. q. 80. art. 6. ad 3. & Alex. Alens. 3. p. quæ. 45. memb. 3. Abbas, Ancharanus, & alij in dicto cap. 3. de Purgat. vulgari, Turrecr. in dicto ca. *Consuluisti*, 2. qu. 5.

9. Obiectio. Del Rio. *Num. 5.*

Sed obiici potest, quia Deus similem delicti purgationem sæpe per miracula confirmauit, vt variis exēplis ostendit del Rio suprà sect. 3. & sequentibus ergo signum est, non esse per se malam. Adde, quod Num. 5. quoddam simile purgationis genus præcepit Deus in muliere suspecta de adulterio. Item in Cōcilio Vvor-
macienſi cap. 15. & habetur in cap. *Sæpe* 2. quæst. 5. præcipitur, vt si furtum in Monasterio committatur, fratres purgentur hoc modo, vt fratres omnes in fine Missæ de manu Abbatis communicent in hæc verba: *Corpus Domini sit mihi ad probationem hodie.* Et in cap. 10. Similem purgationem postulat ab Episcopo vel presbytero suspectus de graui crimine, & habetur ca. vlt. 2. q. 5.

Respondetur ad primam partem de miraculis, vel 10.
ea accidisse in aliquibus casibus, in quibus ex speciali Satisfit.
inspiratione diuina id fieri potuit, vel certe quia Deus voluit innocentiæ fauere, etiamsi homines ineptè id postularent ex ignorantia, vel inuincibili, vel etiam crassa, bona tamen intentione agendo. Ad 2. licet
Alens. Alens. suprà sentiat illam fuisse permissionem tantùm, non legem Dei, verius videtur placuisse tunc Deo vti cum illo populo tali genere miraculosæ probationis & ideò tunc fuisse licitam, quia iam non erat tentatio Dei, nam erat medium ordinarium ab ipsomet constitutum. Et eâdem ratione non est tentatio Dei, quoties fit ex speciali reuelatione, aut æquiualente inspiratione Dei, quia tunc iam est medium, proportionatum, & Deus ipse vult tale miraculum à se po-
D. Thom. stulari. Ad 3. D. Thom. idem censet de illa purgatione per sumptionem corporis Domini, quod de aliis purgationibus vulgaribus, esse scilicet per se malam; & interpretatiuam tentationem Dei, iuxta cuius sententiam consequenter dicendum est, erasse illum Concil.
Valent. Prouinciale quod planè fatetur Valentia 3. tom. disput. 6. q. 14. p. 1. in fine, vbi censet, illa decreta fuisse reuocata per noua Iura. Alij verò censent, illam probationem non esse illicitam, si auctoritate publica iudicis Ecclesiastici fiat, de quo videri potest Martin. del Rio dicto lib. 4. c. 4. q. 3. Et ego nullibi illā inuenio specialiter prohibitam, sed solum in generali, in quantum peregrina iudicia inhibita esse dicuntur in dicto
Cap. Ex tuarum. cap. *Ex tuarum*, neque etiam videtur esse intrinsecè tentatio Dei, quia non fit ad aliquam ostensionē miraculosam, sed solùm quasi in testimonium, & iramentum innocentiæ. Nihilominùs non censeo esse conuenientem propter periculum animæ, & magis propter Irreuerentiam Sacramenti.

CAPVT IIII.

De Blasphemia quid sit.

1. Quid sit Blasphemia.

IN definienda Blasphemia non conueniunt Auctores, nam Diuus Thomas 2. 2. quæst. 13. artic. 1. di-
D. Thom. cit, Blasphemiam importare quandam derogationem
Ioeda. alicuius excellentis bonitatis, præcipuè diuinæ; Budæus autem dixit, Blasphemiam esse execrationem, & maledictionem, seu conuitium; vocat etiam nocens dictum, & sacrilegam infamationem: vnde constat, Blasphemiam ex vi suæ significationis, non solùm circa Deum, sed etiam circa creaturas versari posse, sicut maledictionem. Iam verò vsu receptum est, vt Blasphemia ad derogationem diuini honoris,
August. ac bonitatis applicata sit, vt notauit August. lib. 2. de moribus Manichæorum, ca. 11. dicens, *Est autem Blasphemia, cum aliqua mala dicuntur de bonis, itaque iam vulgò Blasphemia non accipitur, nisi mala verba de Deo dicere.* Et subiungit optimam rationem accommodationis vocis. *Quia de hominibus dubitari potest, Deus*
Athan. *autem sine controuersia bonus est.* Diuus Athanasius Orat. de Blasphemia in filium hominis, & in Spiritum sanctum dixit, *Qui blasphemat contra ipsam Deitatem, impiè agit,* & Hugo de Sancto Vict. lib. de Fru-
Hug. ctu carnis, & spiritus, cap. 6. dixit, *Blasphemiam esse cum quadam probrosa Irreligiositate, & diminutione honoris diuini vituperium, ac conuitium.* Idem sumitur ex cap.

Cap. 2. Gloss.

ex cap. 2. de Maledicis, vbi Glossa, Doctores notant, Blasphemiam esse vitium linguæ diuino honori contrarium. Ex his ergo breuiter sic potest Blasphemia definiri; *Est verbum maledictionis, conuitij, seu contumeliæ in Deum*: Quam definitionem per partes explicando, multa, quæ ad hoc vitium pertinent facilè declarabuntur.

2. Blasphemia in locutione committitur.

Dicitur ergo hoc vitium esse *verbum*, ad denotandum esse peccatum, quod locutione committitur. Sicut enim Religio honorat Deum, non tantùm factis, sed etiam lingua, laudando ipsum, & eius excellentiã recognoscendo, ita potest etiam malitia hominis verbis inhonorare Deum; hoc ergo verbum dicitur Blasphemia. Est autem duplex verbum; mentale, & externum, seu sensibile, vtroque ergo potest blasphemari Deus, sicut potest etiam mente, & ore laudari. Et ita in prædicta definitione verbum abstractè accipitur: vnde obiter diuidi potest Blasphemia in internam, & externã. Interna dicitur, quæ fit locutione purè mentali. Externa, quæ fit per sensibile verbum. Circa priorem aduertere oportet, illam non esse in voluntate, sed in intellectu, nam locutio mentalis actus intellectus est. Et ideò distinguere necesse est inter affectum Blasphemiæ, & Blasphemiam ipsam internam. Affectus enim Blasphemiæ propriè non est Blasphemia in re, vt sic dicam, sed in voto, & appetitu, & ideò licet tota malitia formalis Blasphemiæ sit in illo affectu, ideóque talis affectus dici possit Blasphemia mentalis, sicut desiderium occidendi hominem vocatur homicidium mentale: nihilominùs non est verè, & realiter Blasphemia, sicut desiderium occidendi non est realiter homicidium, sed morali quadam imputatione. Blasphemia autem interior est propria Blasphemia in vsu, & executione, vt sic dicam, & comparatur ad affectum, vt obiectum eius, & respectu voluntatis dici potest actus externus, licèt respectu corporis sit internus. Quod declarari potest his, quæ suprà diximus de Adoratione, distinximus enim affectum adorandi ab adoratione etiam interna, est enim adoratio obiectum affectus, & actus externus comparatione illius, consistítque in exhibitione signi submissionis: Sic ergo è conuerso Blasphemia consistit in locutione verbi maledicentiæ contra Deum, quæ interior dicitur, quando sola mente fit locutio, exterior verò quando fit corpore, & tunc censetur esse consummata Blasphemia.

Blasphemia diuiditur in externam, & internam.

3. An signa omnia externa conceptus explicantia comprehendantur definitione blasphemiæ. D. *Thom.*

Dubitari autem potest, quando Blasphemia dicitur esse verbum, An intelligatur propriè de verbo oris, vel extendi etiam possit ad omnia signa, quibus mentem nostram significamus, etiamsi in factis sæpè consistant. Et ratio dubitandi esse potest, quia interdum loquimur factis, & signis; sic enim peccatorum confessio, quamuis ordinariè per verbum proprium fieri debeat, potest aliquando fieri per alia signa. Item D. Thomas ait, Blasphemiam opponi confessioni fidei, at confessio fidei non tantùm verbo, sed etiam opere, vt in Martyribus constat; ergo etiam blasphemia potest vtroque modo fieri. Sicut enim Catholici, qui versantur inter hæreticos, deferendo publicè rosarium, crucem, & aliud simile signum, fidem confitentur, ita è contrario, qui inter infideles, cærémonias eorum exerceret, vel aliis signis Religiosis propriis alicuius secta vteretur, diffiteretur fidem, ergo etiam potest quis blasphemare non tantùm verbis propriis, sed etiam aliis signis. Tandem confirmatur, quia de facto potest esse aliquod vitium huiusmodi contra Religionem, scilicet quo factis, & signis inhonoretur Deus, verbi gratia, siquis in cœlum expueret in signum diuini contemptus, vel puluerem versus cœlum iaceret, vel alio simili signo ex impositione vteretur, profectò grauissimum peccatum contra Religionem committeret, & tamen non est aliud vitium, ad quod pertinere possit, nisi ad Blasphemiam, quia esset Irreligiositas directè contra Deum, & non per excessum superstitionis, vt constat, sed per defectum cultus, imò per contrarietatem ad cultum, positiuè inhonorando Deum, ergo necesse est, ad Blasphemiam pertinere. Quia solùm materialiter differt in modo signi, formalis autem ratio Irreuerentiæ, ac iniuriæ eadem esse videtur; modus etiam loquendi Scripturæ fauet, nam 2. Esdræ cap. 9. de Iudæis, *Cum fecissent sibi vitulum conflatilem, & dixissent: Iste est Deus tuus* subditur: *fecerúntque blasphemias magnas*: Et iterum inferiùs: *Quia recesserunt à Deo, & proiecerunt legem post terga sua, & Prophetas occiderunt*, & additur: *Fecerúntque blasphemias grandes*. Item quando Iudæi imposuerunt Christo chlamydem coccineam, coronam, & arundinem, & genua flectebant ante eum, illudendo, & dicendo: *Aue Rex Iudæorum*, non solùm blasphemabant, proferendo hæc, & similia verba, sed etiam exhibendo illa signa: vnde inferiùs ait Matth. cap. 27. *Blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes, vah, &c.* Vtroque ergo signo blasphemabant. Similiter non tantùm erat Blasphemia in Christum, vocare illum malefactoré, sed etiam cum latronibus eum crucifigere, quia *per hoc inter iniquos reputatus est*. Item sicut est Blasphemia verbo dicere, Eucharistiam esse communem panem, ita etiam facto id significare, ponendo illam in mensa cõmuni, vel brutis animalibus illam præbendo, quia in re est iniuria eiusdẽ rationis.

2. Esdr. 9. Matth. 27.

4. D. Thom. Alens. Nauar.

Nihilominùs dicendum est, verbum in illa definitione propriè sumi pro verbo expressè significante ex impositione: ita sentit D. Thom. suprà, & clarius Alens. 3. p. q. 13. membr. 6. Nauar. in Manual. c. 12. n. 81. & constat ex communi vsu, ex quo sumenda est vocum significatio: Blasphemia enim vitium linguæ apud omnes significat, vt patet ex omnibus, quos in principio huius capitis citauimus. Declarari etiam potest à contrario, nam laus diuina tantùm proprio verbo fit, quamuis enim Deus aliis gestibus, & actibus corporis adorari possit, tamen propria laus actus est oris, iuxta illud Psalm. 33. *Semper laus eius in ore meo.* Vnde D. Thomas 2. 2. quæst. 103. art. 1. ad 3. differentiam constituit inter laudem, & honorem, quod laus consistit in solis signis verborũ, honor autem in quibuscúnque externis signis: sic ergo Blasphemia propriè dicta, quæ laudi Dei opponitur, tantùm verbis exprimitur, item Blasphemia non tantùm inhonorationem continet, sed etiam infamationem, dicitur enim esse sacrilega infamia, infamatio autẽ non fit sine verbo, ergo & Blasphemia propriũ verbum requirit. Denique aliàs idololatria, & omnia similia vitia possent dici Blasphemia, quod cõstat, non ita esse propriè loquendo, quamuis per metaphoram interdum fortasse ita appellentur. Cum autem dicimus Blasphemiam exteriorem consistere in proprio verbo, non solùm de verbo prolato, sed etiã de verbo scripto intelligendũ est, quia verbum scriptum tam expressam significationẽ habet, sicut prolatum & loco illius substituitur, & ita de vtroque verbo dicitur Sennacherib. 2. Paralip. 32. *Alia multa locuti sunt serui eius contra Dominum Deum, epistolas quoque scripsit plenas Blasphemiæ in Dominum Deum Israel, & locutus est aduersus eum.*

5. Soluuntur argumenta oppositæ partis.

Ad primam autem rationem dubitandi respondetur, ad Blasphemiam non quamcunque significationem, sed expressam requiri, & licèt in aliis confessionibus interdum sufficiant signa minùs expressa, tamẽ in Blasphemia ex peculiari ratione sua semper requiritur expressum signum, sicut de laude Dei dictum est. Vnde propria ratio Blasphemiæ non consistit in quacunque confessione alicuius erroris, sed in maledictione, & conuitio Dei, & ideò dicemus infrà, formaliter

maliter, ac per se non opponi confessioni fidei, sed diuinæ laudi,& benedictioni,&ideò nō omnis actio, vel signum externum contrarium confessioni fidei est Blasphemia, sed esse poterit infidelitas, vel idololatria,aut quidpiam simile. Ad alteram confirmationem respondetur, de facto non esse inter homines vsum talis signi separati à verbo Blasphemiæ, & ideò simpliciter Blasphemiam dici consistere in verbo. Si tamen fingeretur aliquod tale signum, vsus illius sine dubio reduceretur ad Blasphemiam, vt argumentum rectè probat; tamen non habetur ratio illius, quia (vt dixi) non est in vsu, & licèt esset quasi nihil reputaretur respectu verborum, quia, vt dixit August. lib. 2.de doctr.Christiana,cap.3. *Omnia signa verbis comparata pauciſſima sunt*:Quæ verba in simili puncto adduxit D.Tho.2.2.q.72.art.1.& ex illis concludit,contumeliam inter homines, propriè loquendo, in verbis consistere, quia verba inter homines habent principalem vim significandi,quamuis extēso nomine,possit etiam factis fieri. Sic ergo potest dici de Blasphemia,loquendo,(vt ita dicā)de possibili;nam de facto, vt dixi, nullus videtur esse vsus talium signorum,quæ sine verbis habeant huiusmodi impositionem. Vnde etiam in Scriptura quoties alicui peccato, quod videtur in facto consistere, tribuitur nomen *Blasphemiæ* semper est ratione alicuius verbi adiuncti, vt Iudæi dicuntur blasphemasse, quando fecerunt vitulū conflatilem, quia simul dixerunt: *Hi sunt Dij tui Israel,qui te eduxerūt de terra Ægypti*,Exod.32.Et similiter quando illudebant Christo, semper adiungebant verba contumeliæ, vt est illud, *Aue Rex Iudæorum*,& illud, *Vah, qui destruis templum Dei, &c.* Aliæ verò iniuriæ, quas Christo fecerunt, & quæ de Eucharistia in vltimo argumento proponuntur,non consistūt in factis, vt signa sunt, sed vt facta sunt;& ideò non habent rationem Blasphemiæ, etiam extenso vocabulo, sed insignis cuiusdam sacrilegij, seu iniuriæ,quæ ad sacrilegium reducenda est,quatenus proximè versatur circa rem, vel corpus creatum, quamuis prout est contra personam diuinam maior quædam irreligiositas esse videatur, vt dicemus infrà tractando de sacrilegio.

August. *D.Thom.* *Exod. 32.*

6. Aliquorum opinio proponitur.

Secundo loco dictum est in definitione Blasphemiam esse *Verbum conuitij, contumeliæ, aut maledictionis in Deum*.Circa quam partem aduertendum est,quosdam sensisse,veram Blasphemiā tantùm esse in verbo, quo diuinæ Maiestati, potestati, aut bonitati aliquid detrahitur; vt fit, quando negatur aliquid de Deo, quod ei conueniat, aut affirmatur, quod ei non conueniat,aut quando id,quod pertinet ad propriam excellentiam Dei, alteri tribuitur, conuitium autem, maledictionem,aut contumeliam contra Deum,non nisi impropriè dici Blasphemiam. Ita videtur sentire D.Thom.2.2.q.13.art.1.Nam ibi in corpore,& ad 3. solùm illo priori modo explicat verba Blasphemiæ; videturque in hoc fundari, quòd Blasphemia opponitur confessioni fidei; fidei autem confessioni non opponuntur cōuitia,& maledictiones,sed falsæ assertiones. Et in hanc sententiam propensus est Couar. licèt tandē in ea non perstat,in c. *Quamuis*.de Past. 1.p.§.7.n.8. Et potest tandem suaderi,quia falsitas est de ratione Blasphemiæ, sed falsitas non inuenitur propriè, nisi in proportione, qua affirmatur aliquid, vel negatur, non verò in simplici conuitio, vel maledictione per verbum optandi,aut imprecandi,ergo.

D.Thom. *Couar.*

7. Reiicitur præcedens opinio.

Nihilominùs rectè dictum est, Blasphemiam esse verbum maledictionis,conuitij,aut contumeliæ,nam quodlibet huiusmodi verbum in Deum prolatum est verè, ac propriè Blasphemia, & è conuerso omnis Blasphemia in aliquo ex illis verbis continetur. Prior pars patet primo ex cap.2. de Maledicis,vbi absolutè dicitur,Blasphemiam proferri,quando lingua contra Deum, vel Sanctos relaxatur; idem apertiùs tradunt Augustin. & Hugo Victo. in principio citati,D.Thom. etiam in dicto art.1.arg.1.dicit,Blasphemare esse contumeliam,vel aliquod conuitium inferre in iniuriam Creatoris. Idem sentiunt ibi apertè Caietanus, & alij expositores: Et iuris interpretes, quorum plures refert Couarruuias suprà,& ipse tandem dicit,omnē hanc esse veram Blasphemiam, & debere maximè habere nomen Blasphemiæ, & eodem iure, eisdémque constitutionibus adæquandum fore.Ratio denique est, quia in his omnibus est malitia Irreligiositatis directè contra Deum, & per verbum inhonoratiuum Dei (vt sic dicam) ergo in omnibus illis est vera malitia Blasphemiæ.

Augustin. *Hugo.* *D.Thom.* *Caiet.*

8. Confirmatur secunda pars conclusionis.

Altera verò pars probatur, explicando varios modos,quibus Blasphemia proferri potest,qui in genere in duos distingui possunt,vnus est,quando per verba indicatiui modi, derogatur Diuinæ excellentiæ, aut potentiæ: Alius est, quando per verba execrationis, ignominiæ, aut contumeliæ diuino honori iniuria infertur. Prior modus subdiuiditur in illos tres à D. Thoma positos,scilicet,quando affirmatur aliquid de Deo, quod illi non conuenit, aut negatur,quod conuenit, aut creaturæ tribuitur,quod est proprium Dei, nam per hoc etiam derogatur excellentiæ Diuinæ, dum æquatur creaturæ, & talis fuit Blasphemia eorum, qui dixerunt: *Isti sunt Dij tui*. Similiter quoties Christus videbatur sibi vsurpare, quæ sunt propria Dei,vt remittere peccata,sedere à dextris Dei,&c.de Blasphemia à Iudæis accusabatur, vt Matth. 9. & 26. Omnes autem hi tres modi ad maledictionem pertinent, non enim sumitur maledictio tantum pro imprecatione alicuius mali, sed in vniuersum pro locutione cuiuscunque mali. Iuxta illud Psal. 77. *Et malè locuti sunt de Deo,dixerunt; Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? &c.* Ex quibus verbis etiam constat, ad hoc genus blasphemiæ pertinere, non solùm falsum aliquid de Deo proferre, sed etiam in dubium reuocare, quæ pertinent ad perfectionem eius, vt ad omnipotentiam,sapientiam, iustitiam, &c. Posterior modus blasphemandi de Deo interdum fit per verba optandi, aut desiderādi, aut imprecandi Deo malum aliquod, vel carentiam alicuius boni, vt cum aliquis Deo ipsi maledicit, aut æquiualentia verba execrationis in eum profert,quorum aliqua specialia exempla infrà adhibebimus: Aliquando verò Blasphemia committitur ignominiosè nominando ea, quæ Deo conueniunt, præsertim secundùm humanitatem, & secundùm inferiores,& obscuriores partes eius:Omnia enim hæc verba cedunt in contumeliam Creatoris, & ideò propriissimè Blasphema sunt.

D.Thom. *Matth. 9. & 26.* *Psalm.77.*

9. Obiectio.

Dices: Blasphemia tantùm est, quando aliquid falsum contra diuinum honorem, & excellentiam profertur, vnde falsitas censetur esse de ratione Blasphemiæ, vt Caietan. notauit dicta quæst. 13. artic. 1. ex D. Thom. ibi in corpore, & ad 1.& 3. Vnde definiri solet Blasphemia, vt sit ratio, per quam de Deo falsa dicuntur, vt videre licet in Alex. Alens. quæst. 131. m. 1. At verò falsum non profertur, nisi per verbum indicatiui modi, non optando, aut desiderando. Et similiter nominando vera membra corporis Christi, non significatur falsum, etiamsi irreuerenter significentur, ergo his modis non committitur Blasphemia. Ad hoc respondet Caiet. in omni verbo Blasphemiæ inueniri falsitatem, sed non eodem modo, propriè enim, ac formaliter inuenitur in Blasphemia enunciatiua, vt per se constat, in aliis autem dicit esse virtualiter, seu in actu exercito. Vt in Blasphemia optatiua, seu imperatiua, non quidem enunciatur aliquid falsum, tamen appetitur id, quod esse non potest, aut non decet, vt

Caiet. *Alens.*

Solutio. *Caiet.*

Prima pars conclusionis probatur.

v. g.

v. g. Deum non esse beatum, aut habere malum aliquod, aut ignominia affici, vel quid simile. Et similiter qui vera Christi membra ignominiosè nominat in actu exercito dicit, ea esse vituperabilia, & contumelia digna, quod falsum est, licèt sit verum in Christo esse talia membra. Hæc Caietani responsio sustineri quidem potest: est tamen nimis metaphorica, & generalis, nam hoc modo etiam qui odit Deum, in actu exercito falsum significat, nam virtute dicit, Deum esse odio dignum, quo modo in vniuersum dictum est, *Errant, qui operantur malum*. Prouer. 14. Nec enim in illis Blasphemiis alius error, nisi purè practicus reperitur: Nam qui ex ira, vel odio in Deum profert verba optantis malum illi, non sentit, illud esse possibile, aut decens, sed appetit, licet sit impossibile, & indecens, vt satisfaciat furori suo. Et similiter qui verenda Christi membra contumeliosè nominat, non dicit etiam in actu exercito illa membra esse vituperabilia, id est, digna vituperio, sed facto tantùm vituperari posse ad explendum inordinatum affectũ. Error ergo, qui ibi interuenit, est merè practicus, qui omnibus vitiis inordinati affectus communis est. Ideóque simpliciùs responderi potest, negando falsitatem aliquam esse de speciali, & propria ratione Blasphemiæ vt sic. Nulla enim ratione hæc necessitas probatur, & argumentum factum oppositum sufficienter persuadet: Et in hanc partem magis inclinat Alensis suprà, & tenet apertè Azor tom. 1. lib. 9. cap. 28. q. 1. & 2. & ex dicendis amplius constabit.

Prou. 14.

Accommodatior solutio.

Alens. Azor.

10. Blasphemia solùm cadit in Deum.

Tertiò additum est in definitione, Blasphemiam esse verbum contumeliæ *in Deum*, vt per hanc vltimam particulam determinaretur hoc peccatum ad speciem vitij Religioni contrarij: Sicut enim Religio habet Deum pro obiecto *Cui*, & sicut laus non quælibet, sed Dei est actus Religionis, ita Blasphemia, de qua tractamus *in Deum* est. Quamuis enim nomen Blasphemiæ interdum latiùs sumi soleat; nihilominùs vt suprà ex August. notaui, iam est applicata illa vox ad maledictionem de Deo, qui solus summè bonus est. Ac per hoc distinguitur Blasphemia à maledictione, conuitio, aut contumelia in hominem prolatis; nam illa sunt peccata contra iustitiam, vel charitatem proximi, non contra Religionem Dei.

CAPVT V.

Quotuplex sit Blasphemia.

1. VAriæ solent huius vitij tradi partitiones, quæ obiter fere tactæ sunt eius definitionẽ explicando; duæ tamen indigent peculiari declaratione, quas hic breuiter attingimus. Primò itaque diuidi potest Blasphemia in eam, quæ est contra Deum, & contra Sanctos. Hæc diuisio colligi potest tum ex c. 2. de Maledicis: *Siquis* (ait) *contra Deum, vel aliquem Sanctorum suorum, & maximè Beatam Virginem linguam in Blasphemiam publicè relaxare præsumpserit*. Tum ex Glossa in id ad Ephes. 4. *Blasphemia auferatur à vobis*, quæ addit, *in Deum, & in Sanctos*; tum denique ex D. Thom. dicta q. 13. art. 1. ad 2. vbi Caiet. non solum dicit esse Blasphemiã in Sanctos, sed etiã dicit esse eiusdem speciei.

Cap. 1.

Gloss. Ephes. 4.

D. Thom. Caiet.

2. Sed occurrit difficultas, quia hæc diuisio videtur contraria definitioni. Diximus enim in definitione, Blasphemiam esse contra Deũ; in hac autem diuisione dicimus etiam esse contra Sanctos, aut ergo hoc falsum est, aut definitio non conuertitur cum definito. Propter hoc aliqui addunt in definitione: *Contra Deũ, vel Sanctos*, vt videre licèt in Nauar. d. n. 81. Verumtamen non est necessarium, dicimus enim verbum maledictionis, vel contumeliæ in Sanctos, non esse propriam blasphemiã, nisi quatenus est aliquo modo in Deum prolata: Quia nimirum in Sanctis suis maledicitur Deus: Ita respondet Alens. dicto membr. 1. & idem fere habet D. Thom. dicta solut. ad 2. Ait enim, quòd *sicut Deus in Sanctis suis laudantur, in quantũ laudatur opera, quæ Deus in Sanctis efficit, ita & Blasphemia, quæ fit in Sanctos, ex consequenti in Deum redundat*. Et simili modo dixit idem Sanctus 2. 2. q. 76. art. 2. *Maledicere rebus irrationalibus, in quantum sunt creaturæ Dei, esse peccatum Blasphemiæ*. Et idem dicit de detractione creaturæ ibidem art. 4. ad 1. quia talis maledictio, aut detractio creaturæ, vt est opus Dei, redundat in Deũ, *Et sic habet* (inquit) *rationem Blasphemiæ*. Iuxta hanc ergo doctrinam etiamsi maledictum in Sanctos Blasphemia sit, nihilominùs non est diminuta definitio, nam etiam illa Blasphemia est in Deum, imò sub ea tantum consideratione habet propriam rationẽ Blasphemiæ. Erit ergo illa particula intelligenda, quòd Blasphemia sit in Deum, vel in se, vel in Sanctis, & creaturis suis.

3. Instantia. Sed nondum est euacuata tota difficultas, quia adoratio Sanctorum simpliciter distinguitur ab adoratione Dei, licèt possit Deus in Sanctis adorari; ergo similiter Blasphemia Sanctorum est distincta à Blasphemia Dei, etiamsi possit Deus in Sanctis blasphemari, nam contrariorum eadem est ratio. Quæ difficultas petit, an verba contumeliæ, vel iniuriæ in Sanctum simpliciter prolata ex se, seu ex vi talis obiecti contineant veram malitiam Blasphemiæ contra Deũ, aut tunc solum quando sic loquens formaliter intendit Deum ipsum inhonorare in Sancto suo, constat enim vtrumque modum operandi esse possibilem, & inter se multùm differre, cum intentio moraliter distinguat operationes: Quando ergo homo operatur ex formali intentione blasphemandi Deum in Sanctis, optimè procedit responsio & doctrina data, quia nemo dubitat, quin tunc iniuria principaliter fiat Deo, & consequenter illa sit propriissima Blasphemia Religioni Dei contraria.

4. Difficultas ergo est, quando simpliciter conuitium profertur in Sanctum, nihil aliud intendendo nisi contumeliam talis personæ. Videtur enim tunc actio illa solum esse contra virtutem illam, qua honoramus Sanctos, quæ non est Religio, sed Dulia. Quia sicut cultus Sanctorum absolutè illis datus non est cultus Dei, nec virtutis Religionis, ita nec Blasphemia prolata in Sanctum illo modo est verè, & propriè Blasphemia Dei, nec contra Religionem eius. Quod ex verbis D. Thom. suprà citatis confirmari potest, æquiparat enim Blasphemiam laudi. At verò laus alicuius Sancti nisi expressis verbis, vel saltem ex formali intentione operantis extendatur ad Deum, non est propria laus Dei, neque habet aliam honestatem, nisi Duliæ, ergo similiter Blasphemia in Sanctum ex vi obiecti, & secluſa speciali intentione operantis non habet propriam malitiam Blasphemiæ, quæ est contra Deum, sed tantum in obseruantiæ contra Sanctos. Denique maledictio creaturæ irrationalis secundum se, & absolutè facta non est Blasphemia, sed est vana, & illicita actio, vt dixit D. Thom. dicta q. 76. art. 2. Vnde vt sit Blasphemia necessarium est, vt sit maledictio creaturæ, vt creatura Dei est. Non videtur autem posse creatura maledici sub hac ratione, nisi ex praua intentione maledicentis. Et fortasse ideo addidit D. Thomas dicta q. 76. art. 4. ad 1. talem maledictionem per accidens habere rationem Blasphemiæ, id est, ex intentione, & relatione, operantis, non ex vi operis, seu obiecti, ergo simili modo contumelia, aut maledictio in Sanctum prolata per se, & ex vi obiecti non est propriè Blasphemia, sed tantùm ex intentione, & relatione operantis.

D. Thom.

5. Vide Valentiam 3. tom. disp. 1. In hoc puncto aliqui moderni Auctores fatentur, conuitium prolatum in Sanctum simpliciter, & absolutè spectatum vt in sanctitatem excellentem non

q. 13. punct. 2. Vaz quez lib. de Ador. disput. 6. c 4.

habere propriam malitiam Blasphemiæ Religioni contrariam propter rationem factam: & ideò vt contumelia irrogata Sanctis habeat rationem Blasphemiæ in Deum necessarium esse existimant, vt versetur circa Sanctos, quatenus habent aliquem respectum ad Deum, non tamen postulant formalem intentionem inferendi Deo iniuriam, sed satis esse putant si Sancti apprehendantur cum aliquo respectu ad Deum. Alij verò Auctores simpliciter, & sine distinctione afferunt, contumelias Sanctorum, præsertim defunctorum, & cum Christo regnantium esse veras, & proprias blasphemias in Deum, quacunque intentione fiant, dummodo sufficienti aduertentia, & libertate proferantur. Ita loquuntur Alensis D. Thom. Caiet. supra, & in Sum. verb. *Blasphemia*, & ibidem Armilla, Siluest. & alij Summistæ, & Nauar. dicto c. 12. Et Couar. dicto §. 7. n. 9. & fauet ius in dicto c. 2. de Maledicis, nam absolutè eodem modo loquitur. Et quamuis possit dici, non omnem Blasphemiam iuridicam esse propriè, & in rigore blasphemiã, vt Siluest. indicat, nihilominùs verisimilius est, ius ipsum considerasse præcipuè iniuriam, quæ in Deum ipsum redundat per huiusmodi contumeliam in Sanctum, & ideò illam vt propriam blasphemiam damnasse. Probabiliter ergo defendi potest hæc sententia. Et declarari potest ex generali regula, quod ad contrahendam malitiam non est necessaria formalis intentio, sed sufficit interpretatiua, quando in obiecto ipso est sufficiens fundamentum, ita enim est in præsenti, nam Sancti ex vi sui status habent quasi intrinsecã habitudinem ad Deum, & ideò si contumelia afficiantur, iniuria transit in Deum ipsum, etiamsi hoc formaliter non intendatur, vel licet illa habitudo expresse non consideretur, sicut considerari posset, & deberet.

Quid recentiores aliqui in hoc sentiant.

Alens. D. Thom. Caiet. Armill. Silues. Nauar. Couar.

A

B

6. Tripliciter contumeliam proferri posse in Sanctos.

Itaque in tribus modis potest contumelia in Sanctum proferri. Primò expressè cogitando simul de Deo, & intendendo honori eius detrahere in Sancto suo, & tunc est formalissima Blasphemia Dei, vt per se constat, quia non ex sono verborum, sed ex significatione, & animi intentione malitiam suam desumit. Hic tamen modus blasphemandi Sanctos, rarissimus est, & ideò non possumus ad illum tantum modum limitare hanc Blasphemiam Dei in Sanctis suis. Secundò potest quis cogitare de Sancto cum aliqua expressa habitudine ad Deum, scilicet peculiaris amici, aut ministri eius, vel quid simile, & nihilominùs voluntariè in Sanctum proferre verba contumeliæ, & tunc etiam censetur iniuria transire in Deum, & ideò habet propriam malitiam blasphemiæ, quia ratione illius vinculi, quod inter hanc personam, & Deum consideratur, in Deũ cadit opprobrium, etiamsi hoc formaliter non intendatur. In quo minus requiritur ad iniuriam, quam ad cultum, & honorationem, quia bonum est ex integra causa, & ideò requirit intentionem magis formalem. Tertiò igitur fieri potest, vt cogitatio de Sancto non sit expressè respectiua, in ordine ad Deum, sed solùm de illa excellentia sanctitatis, in qua talis respectus fundatur, & tunc licet imperfectior sit blasphemia in Deum, tamen indirectè participare videtur eandem malitiam, quia ad hanc sufficit voluntas talis obiecti, quod de se cedit in opprobrium Dei. Item quia si formalis intẽtio inhonorandi Deum, non est necessaria, etiam expressa cogitatio illius habitudinis non erit necessaria ad incurrendam malitiam Blasphemiæ, quia ad voluntarium indirectum satis est, quòd potuerit, & debuerit cogitari. Ratio autem in contrarium facta solùm suadet, esse in illo actu malitiam contra Duliam, quod fatemur; addimus verò, etiam esse in illo malitiam contra Religionem, neque enim hæc duo repugnant: Qualis autem sit illa malitia, explicabimus amplius cap. seq.

C

D

E

7. Secunda Blasphemiæ diuisio.

Altera diuisio Blasphemiæ est in hæreticalem, & simplicem, seu non hæreticalem; Quæ diuisio est maximè necessaria ad explicanda iura, quæ ferunt pœnas contra Blasphemos, vt paulò post videbimus. Dicitur autem Blasphemia hæreticalis, quæ hæresim, seu falsitatẽ contra fidem formaliter, aut virtualiter continet, & significat. Huiusmodi est omnis Blasphemia enunciatiua, siue affirmando, siue negando aliquid de Deo quod fides docet: vel etiam tribuendo creaturæ id, quod secundùm fidẽ soli Deo conuenit; vel de his etiam dubitationẽ ostendendo. Item ad Blasphemiam hæreticalem pertinẽt nomina quædam conuitij Deo attributa, vt siquis eum nominet iniustum, ignorantem, vel quid simile: nam licèt expressè id non affirmetur enunciando, & componendo, sed simpliciter ita nominando, nihilominùs virtute satis affirmatur, quod ita profertur. In hoc etiam ordine ponũtur illæ Blasphemiæ grauissimæ, quæ his verbis solent proferri, *Non credo in Deum, discredo, abnego*, vulgo, *reniego*, & omnes æquiualentes, quia omnia hæc formam infidelitatis habent, vt bene notauit Soto lib. 8. de Iust. q. 2. art. 3. Blasphemia autem non hæreticalis dicitur omnis illa, quæ nec formaliter, nec virtute continet falsitatem, quasi speculatiuam contra fidei veritatem, vt sunt omnes Blasphemiæ, quæ proferuntur per modos optandi, imperandi, aut imprecandi; Item quæ fiunt, nominando aliquid, quod in Deo verè reperitur, tamen per modum contumeliæ, & irrisionis. Nam in his omnibus solùm est quædam falsitas practica, quæ non opponitur fidei, & ideò non sunt ita hæreticales Blasphemiæ, sicut priores.

Soto.

8. Aliquæ vulgares Blasphemiæ expenduntur.

Et ad hunc ordinem pertinent multa vulgaria verba Blasphemiæ, vt, *displiceat Deo. Ad despectum Dei, Per vitam Dei*, & similia, quia per hæc non indicatur infidelitas, sed contemptus quidam Dei, nam verbum illud quod sermone vulgari dicitur, *Pesse*, &c. Non tam est affirmantis, quàm imprecantis; per aliud autem verbum vulgo, *A despecho*, &c. non significatur aliquid fieri posse contra efficacem Dei voluntatem, sed vel significatur voluntas faciendi, etiamsi Deo displiceat eo modo, quo displicere potest per antecedentem voluntatem, aut signi, quæ nihilominùs est magna irreuerentia, & magnus contemptus; vel certè profertur etiam per modum imprecationis, optando Deo displicentiam, vel tædium tali re, vt Soto etiam indicat: Illud autem verbum vulgare, *Poruida*, eatenus Blasphemiam continet, quatenus execratorium verbum est, quasi subiiciendo vitam Dei defectioni, & morti, nisi ita sit, aut eueniat, quod affirmatur: Et ita in his non est propriè falsitas speculatiua, quæ ad infidelitatem spectat, sed grauissima iniuria, & contumelia Dei, & ideò hæreticales non sunt, vt censuit etiam Salzedo ad Practicam Bernardi cap. 110. §. *Et quia*. Multa etiam de his Blasphemiis in particulari legi possunt in Couar. dicto §. 7. num. 9. Ex dictis verò à nobis sufficienter patet ratio, & distinctio vtriusque membri, quæ magis ex sequenti capite patebit.

CAPVT VI.

Qualis, & quanta sit malitia Blasphemiæ.

1. Blasphemia ex suo genere mortale peccatũ est. *D. Thom. Alens.*

IN primis certum est, hoc peccatum mortale esse, & ex suo genere grauissimum. Ita docet D. Tho. dicta q. 13. art. 2. & 3. p. q. 80. art. 5. Alex. Alens. dicta q. 131. membr. 3. & 5. vbi Blasphemiam & homicid. & periurio præfert ex genere suo: Et idem sentiunt communiter Theologi, & Summistæ. Est autem aduertendum ad propriam malitiam Blasphemiæ necessarium esse, vt verba Blasphemiæ formaliter, seu significatiuè, & seriò proferantur: Nam siquis materialiter referat verba Blasphemiæ, constat de se nullum

lum esse peccatum. Quòd si ex leuitate animi loco illa proferat, esse quidem poterit peccatum leuitatis, & alicuius irreuerentiæ assumendo nomen Dei in vanum, non tamen est propria Blasphemia, de cuius ratione est, vt formaliter proferatur per modum conuitij, aut maledictionis in Deum, & ideò si humano modo fiat, semper est grauissimum peccatum.

2. Blasphamia non potest esse venialis ex sola leuitate materiæ.

Et quidem quod attinet ad grauitatem absolutam, manifestum est, illam esse mortalem, nec posse esse venialem ex sola leuitate materiæ, nisi accedat etiam surreptio, & indeliberata voluntas. Nam ex hoc capite clarum est, hoc peccatum posse esse veniale, & ita fatentur omnes: Contingit autem id duobus modis. Primo quando quis ex subita passione, aut motione prius protulit verbum, quàm aduerteret sensum, vel significationem eius, secundum quam Blasphemiam continet, tunc enim non profert voluntariè, ac formaliter Blasphemiam, sed tantum materialiter verbum de se Blasphemum, & ideò excusatur à culpa graui, vt notauit Caiet. ver. *Blasphemia*. Secundo solet hoc accidere ex quadam praua consuetudine, quæ licèt de se non excuset, præsertim quandiu voluntaria est, nihilominùs si in ipso actu re vera tollat aduertentiam rationis, ita vt homo priùs loquatur, quàm aduertere possit, quid loquitur, tunc in actu non est noua malitia præsertim mortalis, sicut si per vehementem passionem perturbantem, & impedientem plenum rationis vsum similia verba quis proferret. Extra casum autem, vel casus huiusmodi inadC uertentiæ semper tale peccatum mortale est, vt benè Caiet. supra dixit.

Caiet.

3. Non est grauius peccatum Blasphemię, omni alio.

De grauitate autem comparatiua huius peccati, cum grauissimum esse dicitur, non est existimandum, esse simpliciter grauius omni alio peccato, nam simpliciter grauius est odium Dei, & peccatum hæresis etiam est maius, vt statim dicam: imò etiam desperatio grauius peccatum est ex genere suo, quia sicut virtutes Theologales excellentiores sunt virtute Religionis, ita peccata illis contraria ex genere etiam suo deteriora sunt, quam Blasphemia quæ Religioni opponitur, vt iam videbimus. Inter peccata autem Religioni opposita hoc videtur esse maximum ex suo genere, quia directè opponitur diuinitati, & excelD lentiæ eius secundum se, eique non solùm negat debitum cultum, sed etiam summam irreuerentiam, & iniuriam infert, quantũ potest, & quasi aperto Marte, vt sic dicam, bellum Deo indicit. Cùm enim homo non possit Deo in se malum aliquod inferre, exacuit linguam contra Deum per Blasphemiam, vnde Hieron. Isaiæ 18. *Nihil* (inquit) *horribilius Blasphemia, quæ ponit in Excelsum os suum, omne quippe peccatum comparatum Blasphemiæ leuius est.* Et ideò Deus in Scriptura maximè hoc vitium detestatur, & illud grauissimè punit, vt patet Leuit. 24. vbi lapidibus obrui præcipitur Blasphemus, & Isai. 37. 4. Reg. 19. & 2. Mach. 15. & sæpe alias leguntur grauissimæ, & extraordinariæ vindictæ, quas propter hoc vitium Deus de hoE minibus sumpsit.

Hieron.

Leuit. 24. Isai. 37. 4. Reg. 19. 2. Mac. 15.

4. Quomodo Blasphemia distinguatur ab infidelitate. Ratio dubitandi. D. Thom.

Vt autem propria malitia huius vitij magis explicetur, nonnulla dubia explicanda sunt. Primum ac præcipuum est, quomodo Blasphemia ab infidelitate distinguatur: Et ratio dubitandi est, quia D. Thomas 22. q. 13. hoc vitium ponit vt contrarium confessioni fidei, confessio autem fidei non est actus Religionis, sed est actus fidei exterior, ergo malitia Blasphemiæ est contraria fidei, saltem quoad exteriorem actum. Vnde idem D. Thom. eadem q. art. 3. ex eo, quòd Blasphemia opponitur confessioni fidei, concludit, habere in se grauitatem infidelitatis, & aggrauari ex eo, quod prorumpit in verba contumeliæ, & maximè, si accedat detestatio voluntatis. *Sicut à contrario* (inquit)

A *laus fidei augetur, si accedat Dei amor, & prorumpat in laudem Dei.* Et augetur difficultas: nam idem D. Thom. in dicto art. 1. ait per blasphemiam derogari Diuinæ bonitati, affirmando de illa, quod ei non conuenit, vel negando, quod conuenit. *Quod* (inquit) *potest contingere dupliciter, vno modo secundum solam opinionem intellectus, alio modo coniuncta quadam affectus detestatione,* & subiungit: *Huiusmodi ergo derogatio Diuinæ bonitatis vel est secundum intellectum tantum, vel etiam secundum affectum; si consistat tantum in corde, est cordis Blasphemia, si autem exterius prodeat per locutionem, est oris Blasphemia, & secundum hoc Blasphemia confessioni opponitur.* Ergo iuxta hanc doctrinam Blasphemia interior non differt ab hæresi, seu infidelitate: & blasB phemia exterior non differt ab externa negatione fidei, hæc enim propriè opponitur contrariæ confessioni fidei.

Hæc difficultas non tam in re ipsa consistit, quàm in doctrina, & verbis D. Thomæ: In quibus explicandis multa dicit Caiet. Nos autem primò explicabimus rem ipsam, & inde constabit, quid ad D. Thomam dicendum sit. Primò ergo loquendo de blasphemia secundum totam latitudinem suam, manifestum est, Blasphemiam, vt sic, nec esse infidelitatem propriam, neque illam præsupponere, neque etiam esse semper contrariam confessioni fidei. Primum patet, quia propria infidelitas consistit in sentiendo aliquid falsum de Deo, quod per se spectat ad mentem, & intellectum: Manifestum autem est, Blasphemiam non consistere in falsa opinione de Deo; nam Catholicus potest esse Blasphemus, & *Dæmones credunt, & contremiscunt*, & nihilominùs maximè sunt Blasphemi, vt D. Thom. supra art. 4. docet. Dices, licèt non omnis Blasphemia sit infidelitas, tamen è conuerso infidelitas ipsa Blasphemia quædam est, saltem mentalis, si infidelitas in mente tantùm sit. Respondetur falsum hoc esse, vt etiam Caiet. dicto art. 1. notauit, quia sentire falsum de Deo est infidelitas, non Blasphemia; Nam Blasphemia, vt diximus, consistit in locutione contumelioſa Dei, non in ipso sensu, vel opinione falsa de Deo. Et declaratur; nam in fide duo sunt, scilicet, assensus intellectus, & voluntas assentiendi, quæ voluntas distinctæ honestatis est à voluntate honorandi, vel colendi Deum. Hæc ergo duo cum proportione inueniuntur in infidelitate, seu hæresi, scilicet error intellectus contrarius veritati assensus fidei, & voluntas ita sentiendi de Deo, contraria voluntati credendi, ergo voluntas hæc sentiendi aliquid de Deo, quod falsum est, formaliter loquendo, non est voluntas Blasphemandi Deum, aut iniuriam illi inferendi, sic ergo infidelitas interior non est Blasphemia.

5. *Caiet.*

Blasphemia neque est infidelitas, neque illam supponit. Probatur primum.

D. Thom. Obiectio.

Respondetur. *Caiet.*

Quod verò neque ad Blasphemiam necessario supponatur; eodem argumento conuincitur, quia in credentibus inuenitur Blasphemia. Et hoc euidentiùs constat in Blasphemia non hæreticali, quia per illam non profertur aliquid falsum de Deo, vt cap. præced. visum est, ergo non est, cur talis Blasphemia necessariò supponat in mente errorem contra fidem; nam error practicus, qui in tali Blasphemia inuoluitur, non est fidei contrarius. Vnde in aliis etiam peccatis inueniri potest, vt suprà declaratũ est. Imò hinc etiam constat, saltem ratione huius Blasphemiæ verè dictum esse, Blasphemiam non semper esse contrariam confessioni fidei, quia vbi nihil falsum profertur contra fidem, non negatur fides etiam ore, ergo nec peccatur contra fidei confessionem, sed per hanc Blasphemiam non profertur aliquid falsum, quo fides negari videatur, ergo illa non est contraria confessioni fidei. Minor patet, quia qui dicit aliquid verum de Deo, tamen per irrisionem, & contume-

6. Probatur secunda pars assertionis.

liam, vel qui malum aliquod Deo imprecatur, non confitetur exterius aliquid contra fidem, sed solùm ostendit prauum suum affectum erga Deum. Neque obstat, quod huiusmodi Blasphemus in actu exercito se gerat erga Deum tanquam contemptibilem, vel mali capacem, quia per hoc non confitetur, Deum esse contemptibilem, seu capacem mali; igitur malitia Blasphemiæ non hæreticalis per se, ac formaliter non opponitur confessioni fidei, sed Religioni, & laudi Dei. Et ideò Tolet. lib. 4. instruct. c. 12. apertè fatetur, se in hac parte à D. Thom. dissentire. Alij verò illum interpretantur; vt loquatur latè de confessione fidei, prout oratio, & laus Dei potest dici quædam fidei confessio. Ità Bannez dicta q. 13. Et ferè idem habet Valent. suprà puncto 2. Alij autem putant D. Thom. non in vniuersum de Blasphemia locutum fuisse, sed de Blasphemia hæreticali, quod probabile est, & tenet Azor lib. 9. cap. 28. quæst. 1.

Tolet.

Bannez. Valent.

Azor.

7. Blasphemia hæreticalis habet malitiam Religioni contrariam distinctam ab infidelitate.

Sed de Blasphemia etiam hæreticali dicendum est, habere propriam malitiam Religioni contrariam, & distinctam ab ea, quæ est in infidelitate interna, vel externa, licèt sæpius cum illa coniuncta sit. Probatur, quia etiam hæc Blasphemia non semper procedit ab interiori infidelitate, vt omnes fatentur; nam potest quis ira, vel alio animi dolore Deum vocare iniustum, aut improuidum, non quia ita de illo sentiat, sed solum vt, vel illo mendacio, vindictam de illo sumat quatenus potest. Quod exemplo humano apertè declaratur, interdum enim vt vnus homo alteri contumeliam faciat, eum vocat stultum, vel Iudæum, etiamsi talem opinionem de illo non habeat, imò etiamsi sciat, esse mendacium, quia de hoc nihil curat, dummodo illi iniuriam faciat. Ita ergo se habet huiusmodi Blasphemus erga Deum, & ita etiam Dæmones blasphemant Deum, &, vt credibile est, eum vocant iniustum, inuidum, licèt re vera hæc de ipso non credant, sic ergo manifestè distinguitur, & separatur Blasphemia hæreticalis ab infidelitate, & hæresi. Semper tamen videtur hæc Blasphemia contraria confessioni fidei, quia semper continet negationem fidei saltem exteriorem, qui autem exterius negat fidem, non negando interius, licèt infidelis, aut hæreticus non sit, peccat tamen contra fidei confessionem, quia ex intrinseca fidei obligatione tenemur non negare fidem, etiam exteriùs.

8. Hoc tamen non obstat, quominus in illomet actu præter malitiam contrariam confessioni fidei, sit etiam malitia contraria laudi, & honori debito Deo, quæ propriam Blasphemiam constituit, & Religioni opponitur. Sicut fidelis, qui metu mortis sacrificat Idolo tantùm exteriùs sine interiori infidelitate, deficit quidem in confessione fidei, & hoc titulo grauiter peccat, nihilominùs tamen simul committit peccatum Idololatriæ Religioni contrarium, quia honorem soli Deo debitum alteri defert. Et simili modo infidelis, vel hæreticus, qui ex falsa opinione, quam habet de Deo, falsum de illo loquitur, vel aliquid dicit, quod in contumeliam Dei cedat, simul & hæreticus est, & Blasphemus, quia & contra fidem, & confessionem fidei peccat, & contra diuinum honorem loquitur, etiamsi fortasse id formaliter non intendat: Nam, vt sæpè dixi, ad peccati malitiam contrahendam sufficit voluntas faciendi actum de se inhonoratiuum alicuius, licèt honoris detractio per se non intendatur. Hac ergo ratione omnis abnegatio fidei blasphemiam continet: Et sic dixit D. Thom. quodlib. 9. art. 14. Petrum negando Christum non solùm defecisse in confessione fidei, sed etiam blasphemasse: Atque ita etiam de hac Blasphemia hæreticali intelligi potest, quod D. Thomas in alio loco citato dixit, Blasphemiam includere infidelitatem, vtique exteriorem saltem, & aggrauare illam, habendo Irreligiositatem, & præsertim si accedat detestatio voluntatis, seu intentio detrahendi bonitati Dei, & eius honori. Et ita etiam videtur intellexisse Soto lib. 8. de Iust. quæst. 2. art. 3. in principio, & Caiet. in re idem sentit.

D. Thom.

Soto. Caiet.

9. Quomodo blasphemia distinguatur ab odio Dei, & desperatione.

Atque hinc etiam obiter intelligi potest quomodo Blasphemia distinguatur ab odio Dei, & ad desperatione. Constat enim in primis Blasphemiam posse proferri sine odio Dei, quia potest proferri sine voluntate directa, & formali inhonorandi Deum, vt Diuus Thomas, & Caietanus docent, & experientia constat; quoties enim aliquis verba Blasphemiæ vsurpat ad significandam animi sui indignationem cum sufficienti aduertentia ad verba, quæ profert, verè Blasphemat, & saltem indirectè voluntatem habet derogandi diuino honori. Secundò fieri potest, vt aliquis blasphemet ex directa intentione infamandi Deum, vel detrahendi eius honori, & non ex proprio odio, sed ex quadam acerba ira, vel superbia, & elatione animi, quod maximè contingit quando Blasphemia procedit ex infidelitate, vt videre licèt in facto Sennacherib. 4. Reg. 19. & Nicanoris 2. Machab. 15. Et quoad hoc perfectior, & formalior solet esse Blasphemia in infideli, quàm in fideli, etiamsi contrarium indicet Caiet. dicta quæst. 13. artic. 3. Nam licèt infidelis non credat in Deum, quem Blasphemat, nihilominùs directè, & formaliter intendit detrahere vero Deo, quem fideles colunt, quæ intentio blasphemandi Deum, non solet regulariter inueniri in fidelibus, quamuis possint interdum tam peruersam habere voluntatem, vt illo etiam modo blasphement Deum. Tertiò potest Blasphemia ex odio Dei prouenire, sicut ex odio hominis prouenit maledictio, & conuitium, quomodo maximè blasphemant damnati, vt D. Thomas dixit artic. 4. Et nihilominùs odium ipsum non est Blasphemia, quia licèt in re ipsa sit iniuriosum Deo, formaliter tamen non est contra honorem, sed contra amorem Deo debitum, nec consistit in verbo, sed in prauo affectu. At verò siquis velit hoc ipsum odium verbo ostendere, vel profiteri, iam illud erit verbum Blasphemiæ imperatum ab odio. Atque eodem modo censendum est de desperatione, formaliter enim non est blasphemia, sed alius prauus affectus, proferre tamen verba desperationis erit Blasphemia, quia per talia verba semper detrahitur diuinæ bonitati, veritati, aut potentiæ. Est etiam desperatio radix quædam Blasphemiæ, & quia & excludit timorem iniuriam inferendi Deo, vt D. Thom. notauit art. 4. & quasi ex natura rei auertit animum ab effectu Dei, de quo aliquis desperat, & ita facilè ad blasphemandum de illo prouocatur.

4. Reg. 19. 2. Mac. 15. Caiet.

D. Thom.

10. Malitia blasphemiæ distinguitur à iuramento.

Secundò principaliter comparari potest malitia Blasphemiæ ad alia vitia contra virtutem Religionis. Et primò conferri potest cum periurio, seu iniquo iuramento: multi enim existimant Blasphemiam ad temeraria, seu irreligiosa iuramenta pertinere, vt referunt Couar. suprà n. 8. & Azor. d. c. 28 q. 1. Et Soto dicta q. 2. artic. 3. conclus. 1. Blasphemiam dicit esse *scelestissimam periuriorum speciem*. Et iuramentum per falsos Deos etiamsi aliàs verum sit, dicit esse Blasphemiam, idemque ait de iuramento per creaturam, vt talis est. Nihilominùs certum est, malitiam Blasphemiæ vt sic esse distinctam à malitia Irreligiosi iuramenti. Ita fatentur dicti auctores, nec negat Soto, & sumitur apertè ex D. Tho. 2. 2. q. 13. iuncta q. 98. Et patet, quia malitia Blasphemiæ potest omninò separari à iuramento, ac subindè ab omni malitia iniqui iuramenti. Vt cum quis profert verbum con-

Couar. Azor. Soto.

D. Thom.

uitij contra Deum, nihil iurat,& tamen blasphemat.

Ratio à priori.

Ratio denique à priori est , quia malitia iuramenti non interuenit, nisi vbi adducitur Deus in testem, sæpe autem quis blasphemat, non afferendo Deum in testem, vt per se notum est.

11. Malitia blasphemiæ sæpe est coniuncta cum malitia iuramenti.

Addendum verò est, malitiam Blasphemiæ sæpe esse coniunctam cum malitia iuramenti: Hoc patet, primò in illis iuramentis,quæ fiunt cum quadã exaggeratione, quæ redundat in Blasphemiam, & contumeliam Dei, vt suprà dicebamus de illa execratione, *Per vitam Dei*, nam per modum iuramenti fieri solet, non est autem idem de visiato verbo, *viuit Deus*, quia in illo non fit comparatio, vel execratio , sed solum viuens Deus testis adducitur. Item iuramenta, illa, quæ fiunt nominando Deum modo contemptibili, aut ignominioso exprimendo aliquas inferiores partes corporis Christi,& iniqua iuramenta sunt,& Blasphemiæ, vt apertè supponit Pius Papa in c. *Siquis* 22. q. 1. dicens, *Siquis per capitulum Dei,vel caput iurauerit, vel alio modo Blasphemia contra Deum vsus fuerit , &c.* Idem sumitur ex Authentica, *Vt non luxurientur homines*,&c. collat. 6. tit. 5. Idémque censet Soto suprà de iuramento per corpus,& sanguinem Domini.Caiet. verò ver. *Blasphemia*, quem ibi Armilla sequitur,non putat esse Blasphemiam , *dicere ad sanguinem , vel ad corpus Dei siue inuocando per modum iniuriantis, siue resonando in rixa,aut turbatione contra aliquem*. Vnde à fortiori idem dicturus esset, quando per modum iuramenti illa proferuntur præsertim cum pro ratione afferat, *quia ex quo verbum caro factum est, Deus carnem, & sanguinem habet*. Nam si hæc ratio bona est , etiam in illo modo iurandi locum habet : & ita sequitur,& ampliat illam sententiam Nauar. dicto cap. 12. num. 85.Re tamen vera ratio non est formalis : nam etiam Deus caro factus habet caput capillos , iecur , & alia pudentiora membra: & nihilominùs per hæc iurare, vel ea contumeliosè nominare Blasphemia est. Quia non satis est esse verùm , quod dicitur , si contumeliosè dicitur, nam vt suprà dixi , huiusmodi Blasphemia non consistit in falsitate,sed in contumelia. Quocirca quando absque forma iuramenti per modum iniuriæ, & indignationis aliquis dicit. *Ad corpus Domini*, vulgò : *Cuerpo de Dios*, mihi videtur in rigore blasphemia grauis, nisi per inaduertentiam excusetur , quia est verbum contumeliæ, & contemptus in Deum. Aliqui verò excusant huiusmodi locutionem, prout frequenter profertur in rixa , & perturbatione cum alio , quia non solet proferri ex indignatione contra Deum sed contra illum, cum quo fit rixa. Sed certè si verba ipsa de se blasphema sunt , illa non erit sufficiens excusatio , alioqui etiamsi aliquis ex simili indigatione ad hominem cum quo contendit , prorumperet in verba maledictionis , vel abnegationis Dei non blasphemaret , quod dici non potest : Ad blasphemiam ergo non est necessaria formalis indignatio in Deum, seu in actu signato, vt sic dicam,sed satis est , quòd in actu exercito ex indignatione cum homine prorumpat aliquis voluntariè in verba contumeliæ contra Deum , quod per illa verba fit , non minus quàm per alia , quantum est ex vi significationis illorum , sæpe enim proferuntur quasi materialiter , & omninò ignorando , quid significent, & tunc sic loquentes excusari possunt à culpa graui blasphemiæ. At verò quando quis iurando nominat corpus, & sanguinem Domini , faciliùs potest à blasphemia excusari, si cum debito modo & reuerentia id faciat, sicut sine blasphemia potest iurari per sacramentum Eucharistiæ,quod nomine corporis,& sanguinis Domini significare solemus: & ita iuxta communem vsum non videntur illæ partes cum cõitio, & contumelia distinctè nominari,quia & distinctè consecratur , & sicut in singulis totum continetur , ita etiam nominatur, & illa distinctio fieri solet non ad despectum , sed ad maiorem iuramenti contestationem, commemorato illo mysterio , seu passione Domini, quæ per illud significatur; sicut solent aliqui iurare per Christum crucifixum,in quo non est blasphemia, quicquid sit de nimio excessu in modo iurandi , de quo aliàs. Vide Couar. in dicto cap. *Quamuis pactum*, p. 1. §. 1. num. 6.

Pius Papa. Cap. Siquis.

Auth. Vt non. Set.

Caiet. Armil.

Nauar.

Couar. Cap. Quamuis pactum.

12. Alius blasphemandi modus cum veritas humana æquiparatur diuinæ.

Alius præterea modus blasphemandi coniunctus cum iuramento esse solet,quando Diuina veritas humanæ æquiparatur , vt cum aliquis infirmat tam verum esse quod dicit, quàm est verum, Deum esse,vel quam est verum, Christum natum esse ex Virgine,vel quàm est verum Euangelium , & similia. Ita sentit Soto supra , quamuis solùm dicat , hanc formam iurandi non longè distare à blasphemia , sed certè illa comparatio multum videtur derogare Diuinæ bonitati , & veritati ; nam per illam tribuitur veritati humanæ tanta infallibilitas,& certitudo,quãta est in diuina, & ita tribuitur creaturæ id , quod est proprium creatoris , quod ad blasphemiam pertinet. Posset tamen excusari , dicendo, non fieri æquiparationem in certitudine,& infallibilitate,sed solũ in veritate,quæ in indiuisibili,& totali adæquatione consistit, & ideò non videtur esse maior in vna veritate, quam in alia. Veruntamen non est sufficiens excusatio, quia comparatio illa fit ad confirmandam certitudinem veritatis , & firmandum intellectum in assensu eius, ideo enim assumitur comparatio ad veritatem diuinam, & non ad alias. Quapropter in rigore verborum videtur illa magna irreuerentia, & contumelia Diuinæ veritatis , ac subinde ad blasphemiam pertinere. Fateor tamen , hoc multùm pendere ex intentione loquentium, qui sæpe loquuntur per exaggerationem, & non intendunt facere omnimodam æquiparationem. Et ita excusari poterunt à malitia blasphemiæ, vel quia non aduertunt , quid verba illa significent, vel quia verba illa capacia sunt alterius significationis, quam ipsi intendunt.

Soto.

Excusatio.

Reiicitur.

13. Iurare per falsos Deos est blasphemia.

Præterea verum esse videtur, quod Soto docet,iurare per falsos Deos, blasphemiam esse,sicut etiam iurare per creaturam, vt creatura est,quia per tale iramentum tribuitur creaturæ vel idolo , quod est proprium veri Dei,hoc autem,est blasphemia. Item quia illud iuramentum est contrarium confessioni fidei; nam per illud in actu exercito confitetur , qui iurat, aliquid aliud esse primam veritatem in testificando præter verum Deum; ergo est Blasphemia. Dices, ergo erit grauius peccatũ iurare verum per falsos Deos, quam iurare falsum per verum Deum, quia blasphemia maius peccatum est , quam periurium , vt sentit D. Thom. dicta q. 13. art. 2. & docet expressè art. 3: ad 2. afferens Glossam super ad Ephes. 4. estque aperta sententia Aug. lib. contra Mendacium c. 19. dicens: *Ideo peius est blasphemare , quàm peierare ; quoniam peierando falsæ rei adhibetur testis Deus, blasphemando autem de ipso , falsa dicuntur Deo.* Consequens autem falsum est ; Nam idem August. Epist. 154. ad Publicol.& habetur in cap. *Mouet*. 22. quæst. 1. dicit, *Sine vlla dubitatione minus malum est , per Deos falsos veraciter iurare, quàm per Deum verum fallaciter. Quantò enim per quod iuratur , magis est Sanctum , tantò magis est pœnale periurium.* Ergo signum est , iuramentum per falsos Deos non esse Blasphemiam.

Obiectio.

D. Thom. Ephes. 4. Aug.

Cap. Mouet. Soto.

14. Responsio Soti reiicitur.

Ad hoc respondet Soto,iuramentũ per falsos Deos minus malum esse in ratione periurij, quam periuriũ per Deum verum,& in hoc sensu fuisse locutum August. *Qui tamen* (inquit) *non negasset, quin idololatria, quam includit iuramentum per falsos Deos , sit grauius peccatum , quam periurium per verum Deum.* Sed difficile est ac-

Soto.

Ad blasphemiam non est necessaria formalis indignatio in Deum.

Si quis iurando nominet corpus, & sanguinem Domini non blasphemat.

est accommodate solutionem, nam iurare verum per falsos Deos non est periurium, ergo sub ea ratione non potest comparari, neque ita comparatur ab Aug. Sed quatenus habet rationem mali, vnde comparatio esse videtur inter testificationé veri per falsum Deum, aut falsitatis per verũ Deum. Aliter respondent Alex. Alens. 3. p. q. 31. membr. 3. art 2. §. 2. Bonauent. in 3. d. 39. dub. 4. circa litteram, & Turrecr. in dicto capit. *Mouet.* q. 4. Qui dicunt, in iuramento esse duo, scilicet quod asseritur, & per quem asseritur: & in primo aiunt, minus peccare iurantem verum per falsum Deum; & in secundo autem magis peccare. Sed habet responsio eandem difficultatem, quia qui verum iurat per falsos Deos, nihil peccat in re asserta, sed solùm in testificatione eius; comparatur autem cum altero, quatenus peccat. Item ratio Augustini hoc ostendit, nam ex maiori sanctitate veri Dei concludit, maius esse peccatum peierare per illum, quàm abducere in testem falsum Deum, siue ad verum, siue ad falsum confirmandum.

Alens. Bonauent. Turrec.

Aliorum responsio refellitur.

15 *Vera solutio.*

Dici ergo potest, iurantem verum per falsos Deos, simpliciter, & intensiuè (vt sic dicam) grauius peccare, iurantem autem falsum per verum Deum, peccare grauiùs secundùm quid, & extensiuè. Nam prior vno tantùm modo peccat, posterior autem duobus, quia & mentitur, & contra humanam iustitiam peccat, ad quam pertinet fides in pactis humanis, de quo iuramento ibi loquitur August. Et præterea peccat contra Deum, illum adducendo in testem falsitatis, pluribus ergo modis peccat, & hoc vocamus *extensiuè* grauius. Comparando autem priorem malitiam idololatriæ, seu Blasphemiæ cum periurio, vt est contra Deum verũ, sine dubio prior est grauior malitia, vt bene sentiunt omnes dicti auctores. Quod satis est ad respondendum obiectioni. An verò apud Deum, seu in diuino iudicio illa vnica malitia iuramẽti veri per falsum Deum, sit digna maiori pœna, quam omnes simul malitiæ, quæ in periurio per verum Deum, inueniuntur, incertum est, pendétque ex modo peccandi, & circunstantiis: nam generatim loquendo fieri potest, vt multitudo malitiarum inferioris rationis moraliter æquiualeat, vel excedat grauitaté vnius malitiæ superioris rationis. Addo etiam iuramentum mendax per falsum Deum præter malitiam Blasphemiæ habere rationem periurij, saltem ex conscientia erronea iurantis, sub hac autem ratione grauius esse periurium per verum Deum, quàm per falsum, quod etiam videtur comprehendisse August. & probat ratio eius, quia maior est sanctitas veri Dei, quàm falsi, etiam prout cogitatur, vel reputatur ab eo, qui per illum iurat: ratio autem blasphemiæ semper est maior, quia illa consistit in iniuria illata vero Deo, non tantùm vt testificanti, vt fit in periurio, sed vt existenti (vt sic dicam,) & habenti supremam excellentiam, cui per talem Blasphemiam derogatur.

Incertum est quis à Deo sit magis puniendus, An iurans falsũ per verum Deũ, An iurans verum per Idolum.

Aug.

16. *In eodem actu duplex malitia distincta potest esse, periurij scilicet, & blasphemiæ.*

Ex quibus omnibus intelligi potest, quamuis contingat, Blasphemiam, & periurium in eodem actu coniungi: nihilominùs semper manere distinctas malitias, ideóque ita esse actum in confessione aperiendum, vt vtraque illius malitia explicetur. Vnde etiam è conuerso sequitur, licèt iuramentum ratione modi iurandi Blasphemiam contineat, si tamen non cadat supra mendacium, non habere specialem malitiam mortalem periurij, sed tantum Blasphemiæ, quia, vt supponitur, iuramentũ est per verum Deum, & non est periurium, quia non est ad confirmandum falsum, ergo non habet malitiam mortalem sub præcisa ratione iuramenti, sed solùm sub ratione contumeliæ, & conuitij in Deum. At verò è conuerso, qui per Deum verum falsum iurat, si nullam aliam circunstantiam prauam misceat, licèt sit periurus, non est Blasphemus, vt docuit D. Thomas suprà art. 3. ad 2. Quia licèt afferat Deum in testem falsitatis, non tamen affirmat, eum esse mendacẽ: neque sperat, Deum testificaturum illud mendacium, sed solum sub Dei auctoritate vult alium decipere, & potiùs sperat (vt D. Thomas ait) *quòd Deus super illud non testificetur per aliquod euidens signum.* Atque ita constat, malitias periurij, & blasphemiæ adeò esse distinctas, vt sæpè possint mutuò ad inuicem separari, licèt interdum possint coniungi.

D. Thom.

Et iuxta hæc potest fieri discursus circa alios actus Religionis, & vitia, quæ contra illos committuntur: nam cum illis potest sæpe coniungi Blasphemia, præsertim si cum sufficienti aduertentia, & multò magis si cum directa intentione fiant, vt si quis Deo promittat peccatum aliquod in honorem eius facere, non solum est iniquus in malè promittendo, sed etiã est blasphemus, quia illud magis est verbum conuitij, quàm honoris, potiúsque videtur esse cõminatio, quàm promissio. Similiter qui ad laudandum Deum profana, aut turpia verba assumit, si per ea verba Deum laudare intendat, Blasphemiam in ipsum committere videtur, quia in actu exercito significat, Deũ gaudere similibus laudibus, & ita facit Deum contemptibilem potiùs, quàm laudabilem; & ita videtur sentire Nauar. dicto cap. 12. num. 87. Verum est, quod si huiusmodi cantilenæ non proferantur, nec referantur ad laudem Dei, sed misceantur aliis veris laudibus Dei, non erit propriè Blasphemia, licèt non careant alia malitia Irreligiositatis, vel sacrilegij, vt infrà dicemus de Oration. tractando. Similiter aliqui inter Blasphemias numerant abusum verborũ sacræ Scripturæ ad conficiendos profanos libellos, vel ad actiones lubricas, & similia. Hoc tamen vitium regulariter potiùs sacrilegium est, quàm Blasphemia: Si tamen tantus esset abusus, vt veritati, & auctoritati illorum verborum derogari videretur, profectò contumelia transiret in auctorem eorum, & malitiam Blasphemiæ participaret, & ideò Concil. Trident. sess. 4. in fine hoc vitium reprehendens, & prohibens, à nomine sacrilegij, vel Blasphemiæ abstinet, vocátque *temeritatem, irreuerentiam,* & *contemptum.*

17. *Qui promittit peccatum in honorem Dei se facturum, est blasphemus.*

Et qui ad laudandum Deum turpi vtitur verbo.

Nauarr.

Blasphemia item est abusi verbis scripturę, nõ tamen semper.

Concil. Triden.

Tertio loco fieri potest comparatio inter ipsas diuersarum Blasphemiarũ malitias inquirendo, an omnes sint eiusdem speciei, seu (quod idem est) eiusdem grauitatis essentialis, nam quod in indiuiduo, seu accidentaliter vna possit esse grauior alia, dubium non est. In quo Caiet. d. quæst. 13. art. 1. & in Sum. ver. *Blasphemia*, absolutè docet, omnem Blasphemiam esse eiusdem speciei; quem multi moderni sequuntur, nullam tamen probationem adducunt, nisi quòd omnes Blasphemiæ sunt contrariæ Religioni, quatenus cultum latriæ debet Deo, vnde inferunt, quod sicut Religio, & Latria vna est, ita Blasphemia; quæ tamen ratio non conuincit, quia faciliùs vitia multiplicãtur, quàm virtutes, vt suprà dictum est. Potest tamen illa sententia confirmari, quia omnia periuria sunt eiusdem speciei, & omnes hæreses, ergo & omnes Blasphemiæ. Nihilominùs contrariam sententiam censeo esse valde probabilem: nam Blasphemiæ hæreticales videntur specie distingui à non hæreticalibus, quia continent deformitatem, & iniuriam longè diuersæ rationis. De hæreticalibus autem inter se comparatis D. Thom. d. q. 13. art. 1. ad 3. sentit non differre specie formaliter in ratione Blasphemiæ, quia omnes reducuntur ad enuntiationem falsàm de Deo. Et similiter Blasphemiæ non hæreticales solùm videntur distingui secundùm magis, & minùs in ratione contumeliæ, aut conuitij.

18. *Vtrùm blasphemię omnes sint eiusdem speciei.*

Caietan. Pars affirmatiua.

Negatiua pars valde probabilis iudicatur.

D. Thom. Blasphemiæ hæreticales non differũt specie.

19. Possunt autem in hoc ordine distingui species in ratione Blasphemiæ, maledicta, aut contumeliæ in Deum,

Vtrùm blasphemia in Deũ prolata distinguatur specie ad ea, quæ profertur in Sanctos.

Deum, vel in Sanctos immediatè prolata, quia adoratio Sãctorum etiam respectiuè, & in ordine ad Deum A est diuersæ rationis ab adoratione debita ipsi Deo propter se. Sed licèt in Blasphemia contra Sanctum prolata inueniatur aliqua malitia specie distincta à propria malitia Blasphemiæ, quæ est contra Deum, nihilominus, facilè sustineri potest malitiam Blasphemiæ, quæ est in illo actu, quatenus in Sancto maledicitur Deus, eiusdem speciei esse cum Blasphemia immediatè in Deum prolata. Parùm verò hoc refert, dũmodo intelligamus in conuitio contra sanctum prolato duas ad minus esse malitias, vnum contra illam personam, quæ contumelia afficitur, cum sit per se digna honore, quæ malitia propriè est contra Duliam, B & consequenter est distincta specie à propria malitia Blasphmiæ. Altera malitia est, quatenus illa contumelia redundat in Deum ipsum, & illi censetur principaliter fieri, & per hanc constituitur propriè ille actus in ratione Blasphemiæ. Hæc tamen distinctio sufficit, vt ratione alterius malitiæ coniunctæ hæc circunstantia explicanda sit in confessione, & ita in ordine ad illam, talis differentia quasi specifica censenda est, quod est obseruandum pro omnibus Blasphemiis, quæ habent adiunctas in ipsis materialibus actibus malitias aliarum rationum. Et hæc sufficiãt de malitia Blasphemiæ.

CAPVT VII.

De pœnis Blasphemiæ in foro diuino, canonico, & ciuili.

1. Nulla est blasphemia irremissibilis.

MAteriam hanc breuissimè, ac remissiuè expediã, quia quæ ad dogmata fidei, vel ad cõscientiam spectant, alibi à nobis tractata sunt, quæ verò ad externum iudicium pertinent, nostra non sunt. Primò ergo respondet Blasphemiæ grauissima pœna in foro Dei, quæ erit æterna, nisi in hac vita remissio talis culpæ obtineatur: vbi statim occurrebat quæstio. An aliqua Blasphemia sit apud Deum irremissibilis, ita vt hæc sit quasi pœna tali Blasphemiæ specialiter impo- D sita in foro diuino? quod tractare solent Theologi de Blasphemia in Spiritum Sanctum. Sed de hac re dixi disp. 8. de Pœnit. sect. 1. vbi explicui nullam esse Blasphemiam irremissibilem simpliciter, sed aliquam ita appellari, quia directè opponitur dispositioni necessariæ ad peccati remissionem, & ideò reddit illius remissionem valde difficilem.

Secundò considerari potest Blasphemia in ordine ad Sacramentale iudicium confessionis. Et sic potest in primis de illa dubitari, an Blasphemia habeat censuram aliquam ipso iure annexam, vel reseruationem, nam hæc etiam esse solet quasi quædam pœna. Breuiter tamen dicendum est, nullam incurri cẽsuram ipso facto propter tale peccatum, quia in Iure nulla legitur, solùm enim in cap. *Si quis*, 22. quæst. 1. imponitur pœna depositionis Clerico Blasphemanti; veruntamen nec imponitur ipso facto, sed imponi præcipitur, nec etiam illo modo pœna illa est in vsu, vt Doctores statim citandi fatentur. Quapropter nec reseruationem habet hoc peccatum ipso iure annexam, quia nec talis reseruatio facta est Papæ, quia hæc non solet fieri sine annexa censura, nec etiam facta est Episcopo ex vi communis iuris, quia nullibi legitur, nam in cap. *Statuimus*, de Maledicis, quod citari solet, non est sermo de reseruatione in foro Pœnitentiæ, sed de pœna in foro contentioso, vt notaui disp. 28. de Pœnit. sect. 3. num. 10. vbi hoc latiùs tractaui, & specialiter aduerti, Concil. Lateran. sub Leone X. sess. 9. supponere, ordinarios confessores posse absoluere ab hoc peccato, præcipere tamen, vt id non faciant, nisi imposita grauissima pœnitentia. Sed in hac etiam restrictione, vt ait Armilla ver. *Blasphemia* num. 5. lex illa non est in vsu recepta; atque ita communi, seu diuino iuri in hoc standum est.

2. Nulla censura incurritur propter blasphemia ipso facto.

Cap. *Si quis.*

C. *Statuimus*

Concil. Later.

Armil.

Tertiò decernitur propter hoc delictum pœna in exteriori iudicio humano imponenda, tam per legem canonicam antiquam, & communem, vt pro Clericis in dicto cap. *Si quis* 22. quæst. 1. pro Laicis verò in dicto cap. 2. de Maled. quam per nouas constitutiones dicti Concil. Later. & Iulij III. in quodam motu proprio, qui incipit *In multis deprauatis*, & in alio Pij V. qui incipit. *Cum primum Apostolatus officium.* Hæ verò nouæ constitutiones vsu receptæ non sunt. Punitur etiam hoc delictum per leges ciuiles in Authentico, *Vt non luxurientur*, &c. supra citato. De quibus pœnis legi possunt Glossa, & Doctores eisdem locis, & Bernardus Diaz cum scholio Salzedi dicto capit. 110. Practicæ, & Couarruuias dicto §. 7. à numer. 10. & Iul. Clar. libr. 5. §. *Blasphemia*, & Simancas in Catholicis institutionibus titul. 8. Castro. lib. 1. de Iusta hær. punit. capit. 12. & Azor. dicto lib. 9. cap. 28. quæst. 5. & sequentibus, qui referunt alios, & latè tractant quomodo peccatum hoc sit misti fori, & quomodo Blasphemia hæreticalis ad Inquisitores hæreticæ prauitatis pertineat, & alia, quæ ad forense negotium magis spectant.

3. Propter hoc crimẽ decernitur pœna in iudicio humano imponenda.

Cap. *Si quis.*
Cap. 2.
Concil. Later.
Iulius. 3.
Pius. 5.
Auth. *Vt non.*
Gloss.
Bernard.
Diaz.
Salzed.
Couar.
Iul. Clar.
Simancas.

Finis libri primi.

INDEX

INDEX CAPITVM LIBRI SECVNDI DE SVPERSTITIONE.

Cap. 1. *Quid sit superstitio, & quomodo committi possit.*

Cap. 2. *De modis, & grauitate superstitionis in cultu veri Dei.*

Cap. 3. *Quid sit Idololatria, & quod eius obiectum.*

Cap. 4. *Quomodo adoratio diuina tribui possit idolo.*

Cap. 5. *Quænam fuerit Idololatriæ origo.*

Cap. 6. *Quam grauis culpa sit Idololatria, & eius pœna.*

Cap. 7. *Quid sit Diuinatio, & vnde habeat malitiam.*

Cap. 8. *De malitia Diuinationis expressè à Dæmone postulatæ.*

Cap. 9 *De superstitiosa Diuinatione per implicitum pactum.*

Cap. 10. *Soluuntur difficultates circa prædictas species Diuinationum.*

Cap. 11. *De prohibitione iudicandi occulta per astra.*

Cap. 12. *An sortes semper sint superstitiosæ, ac prohibitæ.*

Cap. 13. *Quæ Diuinatio per somnia superstitiosa sit.*

Cap. 14. *An in operibus Magiæ pactum cum Dæmone detur.*

Cap. 15. *Quæ sunt species Magiæ.*

Cap. 16. *An opera Magiæ præstigiosa sint, an vera.*

Cap. 17. *Quæ media liceant ad tollenda maleficia.*

Cap. 18. *An liceat vti maleficio ad tollendum aliud.*

LIBER

LIBER SECVNDVS,

DE SVPERSTITIONE.

SVPERSTITIO *ex communi sententia vitium est Religioni Dei contrarium, vt in superioribus tactum est, & mox latius videbimus. Non est autem vna tantum species vitij, sed quasi genus quoddam proximum multas sub se continens species, nam quædam superstitio est circa Deum verum, alia circa Deos falsos vel expresè, vel tacitè, de quibus omnibus in discursu huius libri dicendum est.*

CAPVT I.

Quomodo superstitio circa Deum verum esse possit, & quid illa sit.

1. PRIMVM omnium obseruandum est, quod superstitio excessum quendam importat, quia iuxta communem vsum, nimium Dei cultum significat, vt constat ex vsu tam Latinorum, quàm Theologorum cum Diuo Thoma 2. 2. qu. 93. *D. Thom.* Vnde Aulus Gellius lib. 10. Noct. Atticar. dixit, *Aul. Gel.* superstitionem esse *importunam, & ineptam Religionem*, & idem fere habet Cicero lib. 2. de Nat. Deor. *Cicer.* Circa etymologiam autem huius vocis variè loquuntur auctores: nam Cicero suprà putat deriuatum esse nomen illud à voce *Superstо*, seu à nomine *Superstes*, nam *qui totos* (inquit) *dies immolabant, vt eorum liberi superstites essent, superstiosi sunt vocati.* Isidorus verò lib. 8. etymol. cap. 3. ex eadem voce, *Superstes*, aliam deriuationem refert; *Alij* (inquit) *à sembus, quia multis annis superstites per ætatem delirant, & errant superstitione quadam nescientes, quæ vetera colunt, aut quæ veterum ignari adsciscant, superstitionem dictam putant.* Deinde refert ex Lucretio superstitionem dictam esse *à superstando*, quasi superstitio sit cultus superstantium rerum, seu rerum, quæ suprà nos sunt, id est, cœlestium, ac diuinarum. Quam etymologiam ipse reprobat, quia cultus talium rerum non est superstitio, sed maximè legitimus. Vnde ipse potiùs sentit superstitionem dictam esse *à superstatuo*, vel *superinstituo*. Nam superstitio est superflua obseruantia in cultu super statuta, seu instituta Maiorum. Quæ descriptio ad significationem vocis declarandam apta est, ad vocis autem deriuationem non videtur satis vocibus ipsis accommodata. Et ideò alij è contrario existimant etymologiam Lucretij cum vocibus quadrare, licèt ille in re explicanda errauerit. Fuit enim Epicureus, qui omnem Dei Religionem contempsit, quia non putauit Deum habere prouidentiam humanarum rerum, & ideò omnem Dei cultum superstitiosum esse credidit, quia procedit ex timore Dei super nos stantis, quem timorem in vniuersum vanum esse putauit: in quo turpiter errauit. Potest autem hic timor esse nimius, & irrationabilis, & inde potuit nimius Dei cultus superstitio vocari, quasi procedat ex nimio timore Dei super nos stantis. Parùm tamen ad nos refert, vnde vox deriuata sit, dummodo constet, quid significet.

Nominis Etymologia. Isidor.

Lucret.

Est autem aduertendum secundò, ad legitimum cultum Religiosum duo requiri; vnum est, vt cultus sit legitimus ex parte rei cultæ: aliud est, vt in modo etiam colendi prudens, & moderatus sit. Vnde è contrario quia malum contingit ex quocunque defectu dupliciter potest cultus esse superstitiosus, scilicet vel ex parte rei cultæ, si non sit cultus, veri Dei, sed falsi, vel ex parte modi obseruandi etiam in adoratione veri Dei. Posset etiam quis addere tertium membrum, scilicet, cultum deficientem in vtroque; nam Cicero suprà etiam in cultu falsi Dei significat posse esse superstitionem in modo, sed nobis non est hoc tertium membrum necessarium, Gentilis enim, qui putabat cultum exhibitum suo idolo iuxta suas leges, & mores esse legitimum, vocauit superstitionem cultum eiusdem idoli vltrà instituta suorum maiorum, nos tamen totum cultum talis Dei, qualiscunque cultus sit, vt superstitiosum omninò abijcimus, & ideò in tali cultu non curamus de modo eius, vt superstitiosum appellemus. Sic ergo apud Theologos, & alios Doctores duplex distinguitur superstitio: vna est in cultu veri Dei, alia in cultu falsi Dei: & hæc posterior, generaliter vocari potest falsus cultus, seu superstitio idololatriæ. Prior verò vocatur indebitus, vel nimius cultus veri Dei. Ita docet D. Thomas communiter receptus in 2. 2. quæst. 92. art. 2. Vbi superstitionem ex parte rei cultæ, quam nos generatim idololatriam vocauimus, in tres distinguit species, scilicet in idololatriam expressam, seu strictè sumptam, & diuinationem, & vanam obseruantiam; quæ idololatriæ tacitæ dici possunt, de quibus postea dicemus. Alteram verò superstitionem in cultu veri Dei in duo membra distinguit, scilicet, in superstitionem perniciosam, & superfluam, de quibus in præsenti tractabimus.

2 Dupliciter fit cultus superstitiosus, vel ex parte rei cultæ, vel ex parte modo, quo colitur.

D. Thom. Multiplex superstitionis diuisio.

Antequam verò vlteriùs progrediamur, oportet circa diuisionem datam lectorem aduertere cuiusdam erroris nouorum hæreticorum, qui nihil distinguunt inter idololatriam, & superstitiosum cultum veri Dei, sed omnem superstitiosum cultum, etiamsi circa Deum verum versetur, idololatriam vocant. Quod solum faciunt, vt Catholicos calumnientur, eósque idololatriæ falsò coarguant. Ad quod concludendum aliud adiungunt errorem, fingentes superstitionem, vbi non est, vt paulò post videbimus; non tamen suo furori

3. Error hæreticorum, qui nihil distinguunt inter idololatriã, & superstitionem.

satisfaciunt, Catholicam Ecclesiam, vt superstitiosam A reprehendentes, nisi etiam idololatram illam faciant, & ideò superstitionem etiam illam, quæ est circa verum Deum, idololatriam vocant. Hunc errorem copiosè, & doctè refutauit Greg. de Valen. in suo 3. tom. disp. 6. q. 11. punct. 1. & postea Leonardus Lessius lib. 2. de Iust. capit. 43. dub. 4. & ideò nobis necesse non est in hoc errore confutando immorari. Nam si vocem ipsam attendamus, nihil aliud est idololatria, quam idoli latria, seu suprema adoratio; Deus autem verus idolum non est, ergo contra vocem ipsam est, aliquem cultum veri Dei idololatriam vocare, quod etiam confirmat, & conuincit frequentissimus Scripturæ sacræ, Sanctorum Patrum vsus, vt dicti Auctores latè prosequuntur. Si autem rem ipsam spe- B ctemus, euidentissimum est, deformitatem, & malitiam longè diuersæ rationis esse in adoratione falsorum Deorum, quàm sit in adoratione veri Dei, quantumuis superstitiosa, vt ex terminis ipsis videtur per se notum, & ex rebus humanis declarari potest; nam longè maiorem iniuriam facit Regi, qui alium Regem in eodem Regno præter legitimum recognoscit, quàm qui ipsummet verum Regem indebito modo reueretur. Vnde nemo est, qui Iudæos nunc idololatras vocet, quia Deum verum colunt, etiam si malè colant, & idem esse potest de Paganis cognoscentibus vnum verum Deum, vt mox dicemus, & à fortiori idem erit de Christianis, etiam malè colentibus Deum. Benè ergo generalis illa partitio data est secundum illa duo genera malitiarum per excessum in cultu. Benè etiam nomina singulis membris adaptata sunt, quæ immutare non licet, præsertim contra vsum Scripturæ, & Sanctorum. Nam ex verbis inordinatè prolatis hæresis incurritur. Quàm verò stultè isti hæretici calumnientur Ecclesiam de idololatria, eo quod sanctos cum Christo regnantes colat, in 1. tom. 3. par. ostensum est.

Valent. Lessius.

4. Vtrũ in cultu veri Dei possit esse superstitio.

Sed adhuc supereſt nobis disputatio qua per contrarium extremum cum Lactantio lib. 4. Instit. capit. 28. Vbi reprehendit Ciceronem, eo quod dixerit superstitionem esse posse in vera Religione, nam vera Religio tantùm est in cultu veri Dei, quem ipse Lactantius non putat posse esse superstitiosum: *Nam superstitio* (inquit) *solùm est in cultu nouorum, & falsorum Deorum qui superstitio appellatus est, eo quòd homines, relicto antiquo, & vero Deo superstitem suorum Deorum memoriam colere cœperint.* Suaderique potest hæc sententia, quia in cultu veri Dei non potest esse excessus. Probatur, quia in veri Dei amore excessus esse non potest, ergo nec in cultu, & Religione. Patet consequentia, quia sicut Deus super omnia amandus est, ita etiam colendus, ergo sicut amor Dei non potest esse nimius, ita neque cultus. Item vel hic excessus accidere potest in cultu interno, vel in externo: Non quidem in interno, quia interna de Deo æstimatio, si sit vera, non potest esse nimia, sed quantò maior æstimatur, tantò veriùs cogitatur, si autem non sit vera E æstimatio, iam cultus, qui ex illa nascitur, non pertinebit ad cultum Dei. Nec etiam potest esse nimius, sed oportet; vt sit verus, & commensuratus: nam ex vero, & moderato actu interno non potest oriri excessus in exteriori actu, si autem externus cultus non nascatur ex vero, ac legitimo cultu interno, iam non erit veri Dei cultus.

5. Posse dari resoluitur.

D. Thom.

Sed dubitari non potest, quin in colendo vero Deo possit superstitio committi, id est, peccatum per excessum in modo colendi verum Deum: Ita enim docent Theologi omnes cum D. Thoma dicta quæstion. 98. articul. 2. Declaratur autem in primis ratione, hoc vitium esse possibile, & quomodo intelligendum sit, deinde exemplis, & testimoniis confirmabimus tale esse. Primum autem facilè intelligetur, distinguendo illa duo, quæ suprà in cultu, & adoratione distinximus. Vnum est vera existimatio de excellentia personæ, quam colere intendimus: Aliud est signum illud, quo vtimur ad recognoscẽdam illius excellentiam, nósque illi submittendum, in cuius signi exhibitione cultus ipse, & adoratio consistit. In cultu ergo veri Dei, etiamsi superstitiosus sit, non potest omninò deesse primum ex his, quæ posuimus, & hoc probat ratio dubitandi proposita, quia si existimatio vera Dei omninò deesset, iam non esset cultus veri Dei, id enim adoramus, quod nobis in mente, & intentione adorandum proponimus, per falsam autem existimationem Dei, nemo sibi proponit verum Deum adorandum, sed falsum, & à se fictũ, ergo adoratio, quæ inde oritur, non est adoratio veri Dei, ergo nec est superstitio, de qua nunc agimus. Obiectio. Dices, Iudæus, vel Sarracenus falsam de Deo habet existimationem, quando illum apprehendit, & iudicat, esse vnum, & non trinum, & nihilominùs verum Deum colit. Respondeo, in aliquo quidem decipi, Soluitur. quatenus Trinitatem personarum in Deo negat: in aliquo verò non errat, sed verum Deum secundùm essentiam cognoscit, ipse autem non adorat Deum, quantum ad id, quod de illo negat, sed quantum ad id, quod affirmat, seu de illo cognoscit, & ita veram de Deo existimationem habet, verũmque Deum colit; quamuis (vt ita dicam) in eo non colat, quicquid C reuera colendum est. Atque ita cum dicimus ad cultum veri Dei siue legitimum, siue superstitiosum necessariam esse veram de Deo existimationem, non est sensus oportere ita esse veram, vt nullam habeat admistam falsitatem, alioqui nulli infideles, vel hæretici adorarent verum Deum, quod falsum est, dicente Paulo de Gentibus, *Cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt*, ad Roman. 2. & de Iudæis capi. *Rom. 2.* 10. *Testimonium perhibeo illis, quod æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam.* Sensus ergo est, necessariam esse de vero Deo existimationem saltem quoad substantiam, & essentiam, ac existentiam eius confusè conceptam, etiam si alia de illo ignorentur, vel falsò existimentur.

6. In signo quo Deus colitur potest dari error.

At verò, licèt hæc existimatio veri Dei supponatur, in materia cultus, siue in illo signo, quo vtimur ad Deum adorandum, potest esse error, & superstitio: Quia hæc duo valdè diuersa sunt scilicet, Deum esse dignum honore propter talem excellentiam, quam habet, & hanc rem, vel illam esse aptam ad exhibendum Deo debitum honorem, ergo licèt in primo non erretur, potest in secundo error contingere. Quando ergo aliquis intendens colere verum Deum illis rebus vtitur ad illi exhibendum honorem, quæ ad illud officium aptæ non sunt, neque illis verè Deus honoratur, tunc superstitio committitur, & cultus ille superstitiosus dicitur. Vnde fit, vt hoc genus culpæ maximè contingat in exteriori adoratione, quamuis non in sola. Primum significat diuus Tho- *D. Thom.* mas quæstione 93. articulo 2. ad 2. quia signum, quo in tali adoratione vtimur, non est natura sua impositum ad significandam vel Dei excellentiam, vel nostram submissionem ad illam, & ideò facilè potest in tali adoratione contingere error circa vsum signi, vel materiæ quæ ad Deum colendum assumitur. Quod in humana adoratione facilè perspicitur, contingit enim, rusticum hominem ineptis verbis, aut gestibus vti ad regem adorandum, qui non errat in persona regis, quam adorat, sed in modo, & actibus quibus illum adorat. Vnde mirum est, quomodo La- *Lactan.* ctantius, alioqui eruditus, dixerit, *Omnino quid colas, interest, non quemadmodum colas.* Est enim hic manifestus error moralis, & practicus, & valdè generalis; nam hone-

honestas actionum multùm pendet ex modo; & ex defectu modi sæpe tota bonitas actus destruitur, quia bonitas integram causam requirit; vt in moralibus notum est, ergo non tantùm interest, quid colas, sed multum etiam, quomodo colas. In defectu ergo huiusmodi superstitio hæc, de qua tractamus, consistit. Vnde etiam constat altera pars, scilicet posse hanc superstitionem interuenire in interiori cultu; nam zelus, seu æmulatio pro Deo, actus interior est, & potest quis illum concipere ex intentione colendi Deum, & tamen si zelus indiscretus sit, vt esse potest (teste Paulo citato loco ad Rom. 10.) erit superstitio, non Religio.

Rom. 10.

Et idem in timore, & similibus actibus internis aptis ex suo genere ad colendum Deum, cõtingere potest, si in particulari imprudenter exerceantur, quia talibus B actibus re vera non honoratur Deus, neque sunt apti, vt ad illum finem ordinentur.

7. Inductione declaratur in Iudæis, & Gẽtilibus.

Iam verò ex vsu ipso, & quasi inductione hoc genus vitij declaratur, habet enim locum tam in infidelibus, qui verum Deum aliquo modo agnoscunt, quã in Catholicis, qui perfectè, & absque errore illum cognoscunt. Nam in primis Iudæi nunc circuncidentes filios suos, sabbatha seruantes, superstitiosi sunt, quia verum quidem Deum colere illis cæremoniis intendunt, sed tamen illis iam Deum non honorant, sed potiùs offendunt. Sic dixit Amb. in Psal. 118. Enarrat. in Octon. 5. circa illa verba: *Statue seruo tuo eloquium tuum in timore tuo. Iudæi habent zelum Dei, sed quia non habent secundùm scientiam in ipso zelo, & timore, maiorem* C *contrahunt Diuinitatis offensam.* Et postea de circuncisione, & sabbathis adhibet exempla. Gentilis etiam, si quis nunc esset verum Deum agnoscens, & Christianam fidem non acceptans, si offerat Deo sacrificium vituli, superstitiosus est, quia licèt Deum verum colere intendat, illi offert, quod re vera sacrificium non est, nec verus Dei cultus. Nam licèt olim illud esse potuerit sacrificium, nunc re vera non est: nam vt rectè dixit Augustinus Epist. 49. quæ. 3. *Cum hæc exhibentur Deo secundum veram inspirationem, atque doctrinam, vera Religio est.* Illud autem sacrificium non offertur secundùm Dei veram inspirationem, atque doctrinam, ergo non est actus veræ Religionis, est ergo superstitio. Nec refert, quod illud sacrificium videatur legi naturali D conforme, est enim conforme negatiuè, id est, non habens ex sola lege naturæ indecentiam, tamen postquam à Deo reprobatum est, & in melius commutatum, iam rationem cultus non habet, sed superstitio est. Quod si fortasse continget, Philosophum Gentilem sic offerentem habere ignorantiam inuincibilem fidei, & ductu naturæ duci, ille quidem excusaretur à culpa propter ignorantiam, tamen actio ipsa in se superstitiosa esset, quia re vera non est sacrificiũ, nam ex vi Diuinæ institutionis, vnius incruenti sacrificij oblatione omne aliud sacrificium irritum factum est, & nullum: etiam si per ignorantiam excusaretur, qui illud intentat. Adde, multis aliis modis posse contingere superstitionem in huiusmodi Gentili si Deum verum variis obseruationibus colere intendat, vt alij circa falsos Deos faciebant. E

Ambros. Psal. 118.

Augustin.

8. Ostenditur posse reperiri in hæretico & Catholico.

Præterea hæretici multis modis superstitiosi esse solent, vel in sacrificio Eucharistiæ aliquid admiscendo, quod Christus non obtulit, vel in Baptismo, aut aliorum Sacramentorum vsu. Multi etiam in ritibus orandi, ieiunandi, aut aliis operibus, quibus Deum colere solemus, infinitas superstitiones miscuerunt, qui tamen omnes verum Deum colebant. Denique etiam Catholicus potest interdum in hoc vitium labi: sic enim Cælestinus Papa Epist. 2. ad Episcop. Galliæ capit. 1. quosdam sacerdotes reprehendit, qui ambulabant *amicti pallio, & lumbo præcincti*, vt viderentur ad litteram obseruare Christi verba Luc.

Cæst. p.

A 12 *Sint lumbi vestri præcincti*, & de illis dicit: *superstitioso potiùs cultui inseruire, quàm mentis, vel fidei puritati.* Sic etiam dixit Alex. Papa Epist. 1. cap. 4. *Repulsis opinionibus superstitionum, panis tantum, & vinum aqua permistum in sacrificium offerantur.*

Luc. 12.

Alex. Papa.

9. Hæreticorũ error asserẽtium omnẽ cultum humano discursu introductum prohiberi.

Oportet tamen in hoc puncto cauere alium hæreticorum huius temporis errorem, dicunt enim, omnem cæremoniam, & omnem cultum à Deo ipso non præceptum, seu in Euangelio non contentum superstitiosum esse, imò & idololatriam vocant, vt paulò anteà notaui. Fundantúrque præcipuè in illo Deuter. 12. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, neque addas quicquam, nec minuas.* Vnde colligunt, omnem cultum non præceptum eo ipso prohibitum esse, & ideò Paulum ad Colossens. 2. dixisse, *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum.* Et infrà: *Nemo vos seducat, volens in humilitate, & Religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, frustrà inflatus sensu carnis suæ.* Vnde colligunt, omnem cultum voluntarium, & ex humano discursu introductum esse illicitum, & à Deo prohibitum. Verumtamen hæc sententia hæretica est, quia non solùm est contra vniuersalem consuetudinem & perpetuam traditionem Ecclesiæ, sed etiam contra Scripturam, & contra rationem naturalem, vt ostendi in 3. tom. 3. part. disputat. 15. section. 2. Et patet breuiter, quia Scriptura ipsa præcipit obseruare vota, quæ tamen voluntariè, & non ex præcepto promittuntur. Et ratio naturalis dictat, non solùm esse facienda bona præcepta, sed etiam esse vtile plura bona, & honesta facere, quàm præcepta sint. Item vix possunt homines non vti determinatione aliqua humana in actionibus diuini cultus, quia lex diuina, vel naturalis non omnia determinauit, vt sæpe in superioribus ostensum est. Vnde etiam hæretici ipsi suos peculiares modos, & ritus introducunt in modo colendi Deum, qui non sunt in Euangelio, vel diuina lege præcepti, imò nec ipsi inter se in huiusmodi ritibus conueniunt, ergo planè ignorant, quid loquantur, & se ipsos tanquam superstitiosos, & idololatras condemnant. Non est ergo superstitiosum quicquid præceptum non est, sed quicquid contra præceptum est, siue sit contra diuinam institutionem siue contra Ecclesiasticam, siue contra rationem naturalem ostendentem in aliquo ritu vel inutilitatem, vel superfluitatem, vel aliquid huiusmodi.

Deut. 12.

Colos. 2.

10. Explicatur locus Deuteronomij.

Et ita intelligitur locus ille Deuter. Ibi enim specialiter prohibebat Deus Hebræis vti cæremoniis Gentium, vt ex verbis proximè præcedentibus constat: & in hoc sensu concluditur ibi nihil fuisse addendum, vel minuendum, vtique legi sibi traditæ contrarium. Non verò prohibebantur omnia, quæ non erant præcepta, dummodo non essent præceptis contraria, sed potiùs eis consentanea, vt in ipsamet lege explicatur Leuit. 23. vbi post præcepta festiuitatum, oblationum, & sacrificiorum additur, *Exceptis sabbathis Domini, donisque vestris, & quæ offeretis ex voto, vel quæ sponte tribuetis Domino.* Quæ lex non est derogata per prohibitionem in Deuteronomio factam, vt constat. Vnde postea iuxta legem Leuitici instituerunt Iudæi aliquas festiuitates in lege non præceptas; & Christus Dominus vsus est multis cæremoniis in lege non præceptis, vt in dicto loco ostendi. Vnde nec Paulus ad Colossens. 2. omnem voluntarium cultum damnat, cum ipsemet. 1. ad Corint. 7. virginitatem, & abstinentiam ab opere coniugij propter orationem consulat, etiam quando præcepta non est: in dicto ergo loco ad Colossens. 2. agit præcipuè de vitanda superstitione legalium cæremoniarum, & cauendis deceptoribus, qui illam sub specie

Leuit. 23.

Colos. 2.

1. Corin. 7.

humilitatis,& Religionis Angelicæ, seu per Angelos traditæ introducere volebant,vt D. Thomas exponit. Quamuis extendi possit Doctrina illa ad omnem superstitiosum cultum non fundatum in recta ratione, sed in hypocrisi, & irrationabili voluntate, vt Caiet. & alij declarant, in hoc enim sensu rectè dici potest superstitio Religio ita voluntaria,vt nec lege,nec iusta ratione fundata sit, quæ superstitio etiam in cultu veri Dei locum habet,vt dixi.

D. Thom.

Caiet.

11. Lactantij Fundamento respondetur.

Ad fundamentum ergo Lactantij non est difficile ex dictis respondere, fatemur enim, ex parte Dei non posse esse excessum in cultu, si alias cultus sit rationi consentaneus, & in eodem sensu rectè etiam dicitur, non posse esse excessum in quantitate veri cultus,quia nullus potest adæquare excellentiam Dei nedum excedere, vnde Eccles. 43. dicitur, *Glorificantes Dominum, quantumcumque potueritis, superexaltabit adhuc,& admirabilis magnificentia eius.Benedicentes Dominum exaltate eum quantum potestis, maior enim est omni laude. Quis magnificabit eum, sicut est?* Nihilominùs tamen ex circunstãtiis,& modo,seu qualitate cultus potest hic interuenire excessus, vt bene declarat Diuus Thomas dicta quæst. 92. art. 1. & in idem redit, quod quæstion. 93. artic. 2. ait, in cultu Dei nihil esse posse superfluum, seu excedens secundùm quantitatem absolutam, quæ videlicet supponat verum cultum, tamen secundùm quantitatem proportionatam posse esse superfluum,quatenus id offertur in cultum, quod aptum non est.

Eccles. 43.

D. Thom.

12. 1. Obiectio.

Sed occurrunt nonnullæ obiectiones. Prima, quia hinc sequitur, hoc non esse vitium per excessum, sed potius per defectum: Patet, quia qui colit Deum actu improportionato, ipsum re vera non colit, ergo non excedit, sed deficit in cultu Dei, sicut qui daret pauperi fictam pecuniam, & non veram, non peccaret per excessum contra misericordiam, sed potius per defectum. Secunda, quia si in quantitate proportionali potest esse excessus, etiam in absoluta: Nam qui bis in die communicat, excedit, addendo quantitatem absolutam in vero cultu: nam secunda communio tam vera communio est, quàm prima. Tertia quia etiam è conuerso potest illa quantitas minui, vt siquis offerat in sacrificio corpus, & non sanguinem, erit illud peccatum non per excessum, sed per defectum, & tamen superstitio est iuxta sententiam Gelasij in capit. *Comperimus*, de Consd. 2. qui de illis, qui ita offerebant, ait: *Nescio, qua superstitione docentur astringi.*

2. Obiectio.

3. Obiectio.

Gelas. Cap. Comperimus.

13. Respõdetur ad obiectiones.

Respondeo, omnia procedere ex quadam æquiuocatione : Nam excessus non debet considerari in formali cultu, vt sic dicam, sed in materiali; Nam si cultus semper sit verus, & legitimus,nunquam potest esse excessus in colendo Deo, vt dictum est. Quando verò aut ex materia actionis, aut ex circunstantiis contingit, vt cultus transeat in superstitionem, iam quidem desinit esse cultus, & ita verum est, non esse excessum in cultu formaliter sumpto. Est tamen excessus in multiplicandis, vel faciendis actionibus pro cultu, quæ ad illum non deseruiunt, & hoc modo vocatur hoc vitium per excessum. Quod potest non incommodè declarari per ordinem ad affectum colentis : habet enim superstitiosum affectum colendi,vel saltem illum ostendit, quantũ est ex parte operis,& excedere existimatur in eo affectu, quandoquidem opportunè,& importunè (vt sic dicam) colere vult, & quicquid occurrit in cultum offert, siue sit aptum, siue non sit. Ad 1. ergo respondeo, negando sequelam. Ad probationem dico verum esse, illum non excedere, verè colendo, & honorando, excedere tamen operando ad cultum modo, aut tempore, aut loco repugnantibus vero cultui. Ad 2. respondeo ibi etiam non esse excessum in cultu formali, qui solùm pertinere hic dicitur ad quantitatem absolutam, sed in materiali, quia licèt communio de se sit materia veri cultus, si tamen indebito modo fiat, desinit esse verus cultus, & ita illa secunda communio hic, & nunc non continet verum cultum, neque honorat Deum, etiam si sit tam vera communio, sicut prior, quia non fit tam debito modo. Ad 3. similiter respondeo, ibi quidem peccari per defectum quoad integritatem sacrificij, operari tamen per excessum in materia cultus, quatenus pro sacrificio offertur, quod re vera sacrificium non est, vnde, quoad hoc interuenit ibi superstitio, an verò quoad alium defectum de mutilatione sacrificij ibi adsit sacrilegij genus contra reuerentiam rei sacræ debitam, infra dicetur.

CAPVT II.

Quot modis, & quàm grauiter peccari possit in cultu veri Dei, per superstitiosum cultum.

1. Superstitio in cultu veri Dei vitiosa est.

EX dictis in præcedenti cap. manifestè colligitur, superstitionem in cultu veri Dei vitiosam esse, & moraliter malam, ac subinde esse prohibitam. Primum patet, quia vitium est quicquid declinat à medio virtutis : ostensum est autem superstitionem hanc non seruare medium Religionis, quia vel non assumit materiam aptam ad cultum, vel non quando, & quomodo oportet, ergo est vitium morale, ac subinde moraliter mala, quia malum ex quocunque defectu. Vnde etiam concluditur, talem cultum prohibitum esse, quia omne malum morale prohibitum est,siue sit malum, quia prohibitum, siue prohibitum, quia malum. Videndum ergo superest, quale sit hoc malum, ac subinde quibus modis committi possit hæc superstitio,simúlque constabit,quam graue peccatum sit.

2. *D. Thom.* Superstitionũ aliæ pernicioſæ,aliæ superfluæ sunt. *Augusti. D. Thom.*

Diuus Thomas ergo dicta quæstion. 93. hanc superstitionem diuidit in pernicioſam, & superfluam. Pernicioſam declarat esse illam,quæ falsa est,& mendacium continet, nam eo ipso tale mendacium pernicioſum est,iuxta doctrinam Augustini lib. de Mendacio, cap. 14. quia est in rebus ad Religionem Dei pertinentibus: Additque Diuus Thomas, hoc mendacium posse contingere dupliciter, scilicet vel ex parte rei significatæ, à qua discordat significatio cultus, vel ex parte personæ colentis, quando ille est minister Ecclesiæ colens Deum in persona Ecclesiæ, & tamen in colendo non seruat modum ab Ecclesia præscriptum: nam tunc etiam falsarius censetur, quia aliquid proponit ex parte Ecclesiæ, quod ipsa non præscripsit. Superfluam superstitionem appellat diuus Thomas illam, quæ offert Deo pro cultu id, quod nec ad gloriam Dei spectat, nec mentem, vel corpus hominis Deo subiicit, prout debet, ac lege, vel consuetudine impositum est: Tunc enim superfluè talis actus in cultum, Deo offertur, cum Deus illo non honoretur. Atque hanc diuisionem optimè Caietan. exponit in dicta quæstion. 93. ex illo Ioan. 4. *In spiritu,& veritate:* nam falsitas veritati opponitur; superfluitas autem spiritui, qui enim colit Deum eo modo, qui spiritui non seruit, superfluum cultum exhibere dicitur, ille autem in spiritu non adorat, quia in exterioribus totus insistens ad interiorem cultum nihil proficit, vt diuus Thomas significat.

Caiet. Ioan.4.

D. Thom.

3. Proponũtur difficultates circa hanc doctrinam.

Circa hanc verò doctrinam, vt tota varietas huius vitij explicetur, nonnullæ difficultates proponendæ sunt. Prima est, quia omnis superstitio falsitatem conti-

continet, saltem ex parte colentis, nam significat se colere Deum, re tamen vera non colit, ergo falsum significat, ergo non rectè diuiditur superstitio per falsum cultum, & alium, quia oporteret illum alium falsum non esse, talis autem non inuenitur. Vnde Lactantius lib. 4. Instit. cap. 28. dixit: *Religio veri cultus, est superstitio falsi*, id est, falsi cultus; ideò enim Religio non est, quia verum cultum non offert, vero autem falsum opponitur, ergo omnis superstitiosus cultus falsus cultus est. Secunda è contrario est, quia omnis superstitio continet superfluum cultum, ergo non rectè per illum diuiditur. Patet antecedens ex Isidoro lib. 8. Etymol. cap. 3. vbi ait: *Superstitionem dictam esse, eo quòd sit superflua, aut superstatuta obseruatio.* Et Seruius dixit, superstitionem esse *inanem, & superfluum timorem.* Et ratione probatur, quia dictum est, superstitionem esse vitium per excessum secundum aliquam circunstantiam, quæ inanem, imò & iniuriosum Deo talem cultum reddit, ergo semper talis cultus superfluus est. Quid enim magis superfluum, quàm quod fini est improportionatum, seu quod omninò inutile est; talis autem est omnis superstitio.

Lactant.

Isidor.

4. Tertiò augetur vtraque difficultas, quia ex D. Thomæ doctrina planè sequitur, eosdem superstitionis actus sub vtroque membro collocari. Nam in primis sub cultu superfluo ponit omnem illum, qui ad Dei gloriam non pertinet, at nullum mendacium ad gloriam Dei pertinet, erit ergo superfluus cultus. Vt, verbi gratia, qui ad cultum Dei supponeret falsas reliquias, & mendax esset, & superfluus in cultu Dei, quia non indiget mendaciis, quibus honoretur. Sicut qui ad confirmandam fidem falsa miracula confingeret, & vanus, ac superfluus esset, & falsus. Item ait D. Thomas in dicto art. 2. id, quod est præter Dei institutionem, vel consuetudinem communem, superfluum esse in Dei cultu. Vnde fit, vt ministrare Sacramentum, vel offerre sacrificium contra modum diuina auctoritate constitutum, & in Ecclesia consuetum, sit cultus superfluus, quia est præter institutionem, & consuetudinem: at D. Thomas in art. 1. hunc vocat cultum pernicioſum, seu falsum secundo modo, ergo confunduntur illa membra. Quartò potest obiici, quia ex dicta doctrina D. Thomæ in illo art. 1. sequitur omnem cultum falsum, etiam si solùm sit falsus ex parte operantis, mendacium pernicioſum continere, ac subinde omnem superstitioſum cultum peccatum mortale esse, quod difficile creditu est. Sequela verò patet, quia omnis superstitioſus cultus, est falsus cultus, vt ostendi, ergo est mendacium pernicioſum, at omne mendacium pernicioſum est peccatum mortale, ergo.

D. Thom.

D. Thom.

5. Quintò aliunde apparet illis duobus membris addendum fuisse tertium, sicut enim potest Deus superstitiosè coli mendaciis, & vanis actibus, seu inutilibus ad virtutem, ita potest coli superstitioſissimè, & pernicioſissimè aliis peccatis, & turpibus actibus. Vt, verbi gratia, si quis occidat homines in sacrificium Dei, non solùm superfluus, sed etiam pernicioſus dici potest, secluso mendacio significationis; nam etiam illud in ratione vitij moralis contra Religionem videtur habere peculiarem deformitatem, sicut longè alterius malitiæ est vouere Deo actum indifferentè, vel inutilem, vt deambulare, aut ludere, vel vouere rem intrinsecè malam, vt mentiri. Ergo vel distinguendum fuit hoc genus pernicioſi cultus à falso, & superfluo, vel non erat cur illa distinguerentur. Sextò potest obiici, quia aliquis videtur esse superstitioſus cultus, qui dici potest defectuoſus potiùs, quam superfluus; vt Missam dicere sine vestibus sacris, & similes.

D. Thom.

A Vt his obiectionibus respondeamus & occasione illarum, varietatem harum superstitionum explicemus, recolendum est, quod suprà notaui, licèt in hac materia, formaliter consideremus vitia, quatenus continèt malitias contrarias Religioni, nihilominùs illarum varietatem sæpe pendere ex materialibus actionibus, quibus veluti adhærent, & ex malitiis, quæ in eis præsupponi solent, etiamsi alterius rationis sint. Sic ergo in præsenti interdum vtitur quis mendacio in ipsomet cultu Dei, interdum verò absque proprio mendacio superstitioſus est ex aliis capitibus: priorem ergo vocauit D. Thomas cultum pernicioſum, posteriorem autem superfluum cultum. Et ita diuisio est adæquata, quia membra contradi- B ctionem proximè includunt. Distinguuntur autem primò, & quasi radicaliter ex parte cuiusdam malitiæ, scilicet mendacij, & falsitatis, quæ in vno membro supponitur, & non in alio. Vnde falsitas illa, ratione cuius aliquis superstitioſus cultus pernicioſus dicitur, non est falsitas cultus: nam hæc communis est omni superstitioni, vt rectè obiectio prima ostendit, sed est peculiaris falsitas, quæ in ipso facto supponitur, non solùm quatenus significat cultum, vel excellentiam Dei, sed quatenus aliquam aliam rem significare supponitur, vt, verbi gratia, circuncisio nunc est superstitio quædam, quia est signum gratiæ futuræ, & nondum exhibitæ, teste August. lib. 6. contra Iul. cap. 3. illa autem significatio falsitatem continet C distinctam à falsitate, seu à nullitate cultus eiúsque fundamentum existit, ideò enim cæremonia illa nunc superstitioſa est, & inutilis ad cultum, quia falsam significationem habet ex vi suæ primæuæ institutionis. Itaque cultus superstitioſus in genere dici potest falsus, non falsitate, quæ vocatur in dicendo, seu significando, sed falsitate in essendo, vt Metaphysica loquitur. Specialiter autem cultus pernicioſus dicitur, qui in aliqua falsitate in significando fundatus est. Vnde etiam expeditur facilè secunda obiectio: fatemur enim, omnem cultum superstitioſum posse dici superfluum, vt ibi adducta probant: nihilominùs tamen illa vox accommodata est ad specialem cultum significandum, illum videlicet, qui inanis est, non D propter mendacium, sed propter quemcunque alium defectum. Pernicioſus enim cultus dicitur, qui non solùm inanis est, sed etiam mendax, superfluus autem vocatur qui nimius est, & inanis absque speciali mendacio. Et eodem ferè modo expedienda est tertia difficultas; nam ex dictis constat, non posse eundem cultum superstitioſum sub vtroque membro contineri; aut enim continet mendacium, & sic non spectat ad secundum membrum, etiamsi ad gloriam Dei non pertineat: nam illa doctrina D. Thom. & quasi descriptio superflui cultus intelligenda semper est cum exclusione, id est, vt tantùm ad Dei gloriam, & verum honorem non pertineat, quamuis a- E liam falsitatem non includat.

6. Varietas in superstitionibus sæpe ex actionibus materialibus pendet.

Cultus alius pernicioſus, alius superfluus.

August.

Circa illam verò tertiam obiectionem explicanda est illa subdiuisio pernicioſæ superstitionis in eam, quæ falsitatem continet ex parte rei significatæ, vel ex parte colentis. Prius enim membrum optimè explicatur per ritus Iudaicos, quorum vsus nunc continet falsitatem in significatione ipsarum actionum, vt diuus Thomas dixit. Quia non solùm verba, sed etiam facta imponuntur ad significandum, & ideò in factis ipsis esse potest falsa significatio, quatenus rem iam factam significant vt nondum factam, sed futuram. Interrogare autem quis potest circa hoc membrum, an ad cultum pernicioſum hoc modo sufficiat, actionem illam fuisse olim impositam ad significandam rem futuram; vt futura est, vel necessaria etiam sit intentio exercentis illam actionem ad idem

Qui cultus pernicioſus dicatur.

7. Superstitio pernicioſa alia falsitatem habet ex parte rei significatæ, alia ex parte colentis.

D. Thom.

Duplex intentio potest reperiri in circuncisione à Iudæis modò facta. *Caiet.*

significandum? In quo est distinguenda duplex intentio; vna est formalis intentio mentiendi, alia est intentio significandi per illud factum id, quod à principio ex Dei impositione significauit. De priori motuit dubium Caiet. dicta q 93. art. 1. quia Iudæi modò non habent illam, licèt posteriorem habeant: sed sine dubio illa intentio non est necessaria ad committendam hanc superstitionem pernicioſam, quia sufficit intentio exhibendi signum falsum, quia in facto ipso continetur mendacium, à quo non excusatur operans propter ignorantiam, cum illa culpabilis sit.

8. Difficultas circa secundam intentionem.

Hic verò egò dubito de posteriori intentione, quam sine dubio habent Iudæi: quærimus autem, an necessaria sit? Et ratio dubitandi est, quia si dicamus non esse necessariam, damnabimus omnem vsum circuncisionis post Christi mortem, etiam quando lex vetus nondum erat mortifera, quod dici non potest. Si autem dicamus, necessariam esse, sequetur, nunc non esse superstitiosum vsum circuncisionis, si non fiat animo significandi futura, nec ex obligatione, aut ritu legis veteris, sed solùm propter quandam cum Christo conformitatem, vt Æthiopes facere dicuntur. Respondeo vt talis cæremonia dici possit pernicioſa, necessarium esse, vt qui illam exercet, ea vtatur vt signo habente talem impositionem, aliàs non loquetur per illud, nec falsum dicet: & hoc optimè probat exemplum Pauli circuncidentis Timotheum, & similia. Neque hinc sequitur, vsum illius actionis per modum cæremoniæ sacræ nunc non esse superstitiosum alia intentione factum; tum quia esto, tunc non sit pernicioſus cultus, erit saltem superfluus, quia est prorsus inutilis ad cultum Dei, finita iam, & abolita impositione Dei. Et illa intentio assimilationis ad Christũ in hoc vulnere, seu cicatrice, est prorsus vana, nihilque pertinens ad gloriam Dei. Tum etiam quia licèt vsus talis cæremoniæ ex tali intentione non appareat intrinsecè malus, & consequenter nec prohibitus, quia malus; nihilominùs ex communi consensu, & consuetudine Ecclesiæ prohibitus est, & ideò etiam est malus, ac superstitiosus: & fortasse etiam est pernicioſus propter falsitatem materialem, quam ex vi operis cõtinet, licèt non sit formale mendacium ex intentione operantis. Nam qui profert propositionem, quæ in communi, & vsitata significatione terminorum falsa est, non intendens id significare, sed aliud, quod ipse sibi fingit, seu imponit, licet à formali mendacio excusetur, nihilominùs simpliciter falsum profert, & perniciosè alios decipit, & ex hac parte à malitia mendacij saltem indirecta non excusatur. Ita ergo intelligi potest in præsenti: nam ex communi sensu Ecclesiæ circuncisio, verbi gratia, facta vt cæremonia sacra, illam significationem habet, & ideò non excusatur à superstitione pernicioſa, qui illa vtitur, etiamsi priuata intentione aliud intendat.

9. An quælibet falsitas in cultu reddat illum pernicioſum. *August.*

Rursus verò interrogari potest circa idem membrum, An quælibet falsitas huiusmodi cultus reddat illum pernicioſum, vel solùm illa, quæ fuerit in materia Religionis, aut in materia fidei? Nam Aug. in citato loco de Mendacio non dixit, omne mendacium in materia Religionis Christianæ esse pernicioſum, sed dixit, omne mendacium *in doctrina Religionis esse capitale*, quod longè diuersum est. Nam mendacium in doctrina Religionis pertinet ad errorem, & hæresim; mendacium autem in materia Religionis non semper continet hæresim, sed aliquam irreuerentiam, vt si quis in confessione falsum dicat, cõfitendo quod non fecit ob indiscretã humilitatem; illud ergo non videtur pernicioſum mendacium, quia nec alicui nocet, nec est contra doctrinam Religionis, ergo licèt ille cultus sit superstitiosus, vt superfluus, non tamen vt pernicioſus.

Resoluitur.

Nihilominùs tamen D. Th. omnem superstitionẽ, quæ in re significata falsitatem continet, pernicioſam appellat. Et ita videtur absolutè loquendũ, quia omne tale mendacium, in quacunque materia sit, vsurpatum ad colendũ Deum per illud, est iniuriosum Deo peculiari modo, & ideò pernicioſum mendacium est: Omne enim mendacium, quod in alterius iniuriã cedit, pernicioſum est, ergo si in diuinã iniuriam cedat, maximè erit mendacium pernicioſum: Cedit autem in diuinam iniuriã, quoties in eius cultum adhibetur. Quamuis autem pernicioſum mendacium ex suo genere mortifera culpa sit, nõ est necesse, vt sit semper, & in omni indiuiduo peccatum mortale; nam potest esse mendacium pernicioſum, quod in aliqua materia peccatum veniale sit, vt patet de falso testimonio in materia leui. Sic igitur licet hæc superstitio pernicioſa dicatur, non semper in indiuiduo est peccatum mortale: nam si falsitas sit contra doctrinam Religionis, tunc semper peccatum est mortale, seu capitale, vt Aug. dixit, quia talis materia semper esset grauissima, vt per se constat; si autem non sit contra doctrinam Catholicam, sed solùm consistat in facto aliquo, tunc interdum esse poterit venialis culpa ex leuitate materiæ, licèt sæpe sit mortalis: Et ita in exemplo adducto de falsitate in confessione si mendacium sit vel in materia necessaria, vel in tota materia Sacramenti, grauis est culpa, quia est contra substantiam Sacramenti, si verò sit in materia partiali, & non necessaria censetur culpa venialis ex leuitate materiæ, iuxta ea, quæ in 4. tom. d. 22. sect. 10. diximus.

10. Pars affirmatiua vera resoluitur. *D. Thom.*

Superstitio pernicioſa non semper est mortale peccatum.

August.

Aliud membrum illius diuisionis de falsitate in cultu ex parte colẽtis, obscurius est: quia non videtur excedere gradum, & rationem superflui cultus, vt probat obiectio facta, quia hæc falsitas solũ in hoc consistere dicitur, quòd aliquis exhibet cultum aliter, quàm à Christo sit institutum, vel ab Ecclesia ordinatum, seu consuetum, quod habet omnis superfluus cultus. Dicendum verò est, falsitatem hanc in hoc consistere, quòd offerens, seu colens Deum nomine Christi, aut Ecclesiæ, id offert in cultum, quod nec Christus, nec Ecclesia suo nomine offerri voluit. Nam eo ipso sic colens, falsarius inuenitur, quia virtute, seu in actu exercito affirmat, alium, cuius nomine colit, id offerre in cultum, quod ipse offert, quod tamen falsum est: Hoc modo videtur mentiri, qui se fingit Sacerdotem, cum non sit, & sacrificium se offerre simulat. Quanquam in illo videantur simul concurrere duo modi falsitatis; nam & falsus est in re, quam significat per verba, quæ profert, nam re vera non sunt corpus, & sanguis Christi, quæ esse affirmat: & falsus etiam est, gerendo se vt Christi ministrum ab illo missum, & constitutum, vt nomine Christi offerat, cum re vera talis non sit. Hæc autem posterior falsitas sine priori inueniri videtur in Sacerdote vero ab Ecclesia præciso vel depositio, qui se nihilominùs ingerit sacris, & nomine Ecclesiæ sacrificiũ offert, & in eo publicè orat; nã in eo falsarius est, quia Ecclesia re vera illi non commisit talem legationem ad Deum pro se. Item falsitatem hoc modo committit, qui nomine Ecclesiæ petit, quod ipsa non ordinauit peti.

11. Explicatur alia pars diuisionis de falsitate ex parte colentis.

Sacerdos depositus, si sacrificium offerat, falsarius cur sit?

Vnde intelligitur, duobus modis posse aliquem in hoc publico, & communi cultu Dei agere contra institutionem Christi, vel Ecclesiæ: Vno modo exercendo, vel offerẽdo nomine alterius, quod re vera illi commissum non est, qui potest dici defectus in substantia cultus, seu fictio in legatione, quam exercet nomine alterius, à quo cõstitutus non est, vt in exemplis positis. Et optimũ est in Saule, 1. Reg. 13. qui holocaustum obtulit, cum Sacerdos non esset, & ideò multum Deo displicuit. At hoc item genus mendacij redu-

12.

1. Reg. 13.

Caiet. reducit Caiet. abusus cæremoniarum Ecclesiæ, vel rerum sacratum, transferēdo illas ad profanas significationes, contra earum institutionem, de quibus in c. *Quicumque*, 26. q. 5. Addit item Caiet. etiā huc spectare peccatum concionatorū, aut Doctorum, qui falsis testimoniis, aut miraculis fidē confirmant, sed illa actio non videtur ad cultum pertinere, sed ad doctrinam, & fidei cōfessionem, ac persuasionem, & ideò magis videtur peccatum illud esse vel contra ipsam fidem, seu fidei confessionem, vel contra charitatem. Præterquā quòd illud mendacium non tam est ex parte colentis, quàm ex parte ipsius rei significatæ, quia res ipsa, quæ profertur, non ita se habet, sicut per verba, vel scripta significatur. Et similiter alij abusus rerum sacrarum magis spectant ad falsitatem ex parte rei significatæ, quia re vera illa signa non significant id, ad quod assumuntur, & ideò illæ actiones magis ad sacrilegium, quàm ad superstitionem pertinere videntur, vt constabit attentè legenti dictū c. *Quicumque*. Alio modo potest esse defectus in modo tantùm, vt si Sacerdos offerat calicem non mistum aqua, sed in puro vino cōsecratum, vel si absque vestibus sacris offerat, & similia. Primus ergo modus pertinet ad falsitatem, & superstitionem pernicioſam, secundus verò spectat ad aliud genus sacrilegij, vel ad superstitionem cultus superflui, quia in illo cultu non est falsitas etiam ex parte colentis, nam re vera offert in persona Christi, & Ecclesiæ, licèt in modo malè se gerat, non est ergo falsarius, sed sacrilegus, & dici potest superfluus in cultu quia licèt deficiat potiùs, quàm excedat in modo colendi, inde tamen fit, vt totus ille cultus sit superfluus, quia melius esset non colore, quàm sic colere. Quando ergo dicitur, illum esse falsarium hoc modo, quia agit contra Christi, vel Ecclesiæ institutionem, intelligendum est, quādo defectus est in substantia institutionis ipsius cultus vel secundùm se, vel prout offerendus est nomine alterius, si verò defectus sit in modo accidentali, etiam si quis agat contra Ecclesiæ ordinationem, non erit falsarius, sed alio modo sacrilegus, vel superstitiosus, & ita conciliantur ea, quæ in illa tertia difficultate attinguntur.

Cap. Quicumque.

23. Aliter verò ea conciliat Caiet. dicta q. 93. accuratè obseruans verba D. Thomæ. Qui agens de superstitione falsa ex parte colentis, dixit esse contra modum ab Ecclesia institutum, agens verò de superfluo cultu dicit esse præter Dei, & Ecclesiæ institutionem. Ponderat ergo Caiet. differentiam poni in esse contra, vel præter Ecclesiam. At enim, etiam superfluus cultus potest esse contra Ecclesiam, id est, contra consuetudinem, vel constitutionem Ecclesiæ, vt ipse Caiet cum D. Thom. fatetur. Oportet ergo explicare, quo alio speciali modo falsus cultus ex parte colentis sit cōtra Ecclesiam. Certè non apparet alius, nisi quia est contra voluntatem Ecclesiæ nolentis talem ministrum offerre nomine suo, vel prohibentis, ne talis oratio, vel aliquid huiusmodi nomine suo offeratur, quod non inuenitur in superfluo cultu.

D. Thom.

24. An superstitio perniciosa ex parte colentis sit solùm in cultu communi, vel etiam in priuato.

Hinc verò nascitur dubiū tactum à Caiet. in dicta q. 93. an hic modus perniciosæ superstitionis ex parte colentis inueniatur tantùm in cultu communi in quo minister proximus exercet cultū in nomine Christi, vel Ecclesiæ, vel etiam in priuato cultu: Nam ex his quæ diximus, videtur sequi tantū reperiri in communi cultu, quia falsitas illa tota consistit in hoc, quòd cultor proximus, vt sic dicam, nomine alterius offert, quod ille non vult. In contrarium verò est, quia D. Thom. dicit, hanc falsitatem *præcipuè inueniri in cultu communi*, dicendo autem *præcipuè*, insinuauit reperiri etiam in cultu priuato. Propter quod Caiet. ibi hoc simpliciter affirmat, affertque exempla sequentia. Primum est, si quis ieiunet in Dominica die contra

D. Thom.

Caiet.

A Ecclesiæ prohibitionē, nam illud ieiunium tunc non prohibetur tanquam actus intemperātiæ, nec lex illa respicit ieiunium, vt habet materiam temperantiæ, sed vt materiam Religionis, quia illa prohibitio fit in detestationem errorum Manichæorum, Priscillianistarum, & aliorum hæreticorum, qui superstitiosè illo die ieiunabant, ne Christi Resurrectionem venerari, & de illa lætari viderentur: Nam sicut non credebant, illum fuisse verum hominem, ita neque verè mortuum esse, ac resurrexisse, vt Leo Papa Epist. c. 3. c. 4. notauit: Et sumitur ex Malchiade in c. *Ieiunia*, de Cons. d. 3. & ex Conc. Cæsar Aug. c. 2. in c. *Ne quis*, ead. d. Secundum exemplum Caietani est, si quis Dominicam orationem omninò priuata intentione re-

Leo Papa. Melchi. Conc. Cæs. Augus.

B citet, omnem Ecclesiam ab illius participatione excludens, nam fingit se non omnium nomine, sed priuato illam offerre contra Christi institutionem. Tertium exemplū esse potest de illo, qui falsas reliquias vt veras proponit in cultum Dei, vel Sanctorum.

15. Difficile inueniri falsitatem hanc in cultu priuato.

At enim difficile est intelligere, in quo consistat hæc falsitas ex parte colentis in cultu priuato, quia qui priuatè colit in sua propria persona cultum exercet, & in hoc non mentitur, quia re vera suo nomine offert, & non alterius: hoc est enim de ratione priuati cultus: nec Caiet. exponit, quis alius modus falsitatis possit esse ex parte operantis in cultu priuato. Nec illius exempla hoc declarant; nam ieiunium in die Dominica, si ex superstitione fiat, continet potiùs fal[illegible]tatem ex parte rei significatæ, quàm ex parte ope-

C rantis: nam qui sic ieiunat, non in persona Ecclesiæ se ieiunare simulat, sed priuatum ieiunium exercet, vt Caiet. supponit, in hoc ergo non mentitur, quia verò ieiunat, vt illa cæremonia profiteatur, non esse credendam, vel colendam Christi resurrectionem, mendax est, quia falsum significat per illud factum, hæc autem est falsitas ex parte rei significatæ non ex parte colentis, vt constat.

Caiet. exempla hoc non ostendere.

16. Aliud est orare in persona Ecclesiæ, aliud orare pro Ecclesia.

In secundo verò exemplo aduertendum est (quod in materia de Oratione latiùs dicam) aliud esse orare in persona Ecclesiæ, aliud orare pro tota Ecclesia. Nam primum fit per orationem per se publicam; secundum autem fieri potest per priuatam. Oratio ergo

D Dominica non est à Christo instituta, vt in persona Ecclesiæ tantùm dicatur: nam omnibus, & singulis dixit; *Vos autem sic orabitis*, sed data est, vt pro omnibus, seu pro tota Ecclesia fiat, vt verba eius ostendunt. Qui ergo illam orationem proferret intendens nullo modo orare pro Ecclesia, non esset mendax ex parte orantis, quia in sua persona propria, & priuata orans, & non in persona Ecclesiæ, nihil falsum profitetur, quia re vera ita orat, imò & orare potest licitè, si in alio non deficiat, ergo vel nulla falsitas ibi interuenit, nec superstitio, sed peccatum contra Charitatem excludendo alios à participatione orationis, quæ debet esse communis ex parte eorum, pro quibus oratur, vel si aliqua est falsitas, tantùm est ex parte rei significatæ, quia verba data ad significandam orationem pro omnibus, transferuntur ad aliam significationem omninò priuatam, quam re vera non habent. Denique licèt quis teneretur dicere illam orationem

E in persona Ecclesiæ, vt sacerdos in Missa, & nihilominùs intenderet non prodesse omnibus per illam; sed sibi tantùm, non esset mendax in cultu externo, quia re vera potest oratio totius Ecclesiæ pro vno priuato fieri: esset ergo prauus in intentione contra Charitatem communem, & contra fidelitatem sui muneris. Nullo ergo modo inuenitur in illo actu falsitas ex parte operantis.

17. Qui falsas reliquias.

Neque etiam in tertio exemplo: nam qui falsas reliquias proponit, non facit actum illum in persona Ecclesiæ, sed propria, vt constat, ideò enim cultus pri-

ſupponit, non in perſona Eccleſiæ, ſed propria hoc facit. *Tolet.*

uatus dicitur, in eo ergo non mentitur, ſed quia ſignum eſt falſum, & rei non exiſtentis, ideò mentitur, falſitas autem illa non eſt ex parte operantis, ſed rei ſignificatæ, vt benè notauit Tolet. in Sum. lib. 4. c. 14. Concludo igitur illud genus falſitatis ſolùm in communi cultu inueniri, quia in priuato vnus non colit Deum nomine alterius, vt in hoc poſſit falſitatem miſcere, ſed vnuſquiſque in propria perſona colit: ſolùm ergo poteſt falſum cultum exercere vtendo falſo ſigno, ſignificando id, quod non ita eſt D. Thomas autem addendo *præcipuè*, non oportet, vt in eo rigore illo termino vſus fuerit, ſed largiùs, vt idem ſignificat, quod maximè, ſeu principaliter.

D. Thom.

18. Hoc genus falſitatis ita graue peccatum eſt, vt vix fieri poſſit leue.

Atque hinc ſequitur hoc genus falſitatis, & mendacij pernicioſum valdè eſſe, & ex ſuo genere mortale peccatum ita vt vix fieri poſſit leue ex materiæ paruitate, quia fit Deo iniuria, & Chriſto, vel Eccleſiæ, ſicut qui apud vnum Regem ſe fingeret legatum alterius, vel aliquam legationem vni proponeret quam alter non commiſit, vtrique faceret grauem iniuriam, ita multò magis in præſenti. At verò quando defectus eſſet in modo accidentali, licèt ex ſuo genere etiam ſit culpa grauis, cum ſit contra Religionem, nihilominùs eſſe poterit venialis ex parte materiæ leuis. Exempla ſatis inſinuata ſunt in cultu ſacrificij, & ſimilia facilè peti poſſunt ex adminiſtratione ſacramentorum, nam abſoluens aliquem v. g. ſine iuriſdictione, falſarius eſt, non ſolùm in re ſignificata, ſed etiam quia ſe gerit vt miniſtrum Chriſti, & Eccleſiæ, vbi conſtitutus non eſt, & ideò grauiſſimè ſemper peccat: Si autem abſoluat eum ſufficienti poteſtate, & valore Sacramenti cum aliquo defectu in modo, non erit falſarius, licèt poſſit eſſe ſuperſtitioſus grauiùs, aut leuiùs pro materiæ qualitate. Tale cenſeri poteſt peccatum eius, qui in Miſſa, vel officio diuino accidentales ritus non ſeruat, vel pro ſua deuotione alios adiungit, ideóque regulariter non cenſetur mortaliter peccare, ſed venialiter (ſecluſo contemptu) niſi graue aliquod Eccleſiæ præceptum violet, vt bene cenſuit Nauar in Manual. num. 11. c. 24. cum Caiet. ver. *Superſtitio*, & dicta quæſt. 93. art. 2.

Nauar. Caietan.

19. Soluitur quarta difficultas.

Et ita relinquitur obiter expedita quarta difficultas; committitur enim in ea æquiuocatio de falſo cultu; nam, vt dixi, licèt omnis ſuperſtitioſus cultus dici poſſit falſus in eſſendo, non tamen in ſignificando. Et ideò loquendo primo modo de falſo cultu, vt illa obiectio in ſua probatione procedere videtur, non ſequitur omnem ſuperſtitioſum cultum eſſe ſemper peccatum mortale, quia licèt falſus ſit, id eſt, nullus, & inutilis, non tamen ſemper falſum ſignificat, nec ſemper aliunde continet grauem iniuriam. At verò ſi ſermo ſit de cultu falſo ex parte operantis, id eſt, falſitatem continente reſpectu eius, in cuius perſona ſit, ſic concedo, illum ſemper eſſe peccatum mortale, moraliter loquendo, quia vix cogitari poteſt materia leuis talis delicti, licèt fortaſſe in aliquo caſu non repugnet, vt ſi quis in oratione publica, quæ fit nomine Eccleſiæ, miſceat aliquid profanum, quod Eccleſia non permittit ſuo nomine proferri in laudibus Dei: Nam vt infrà ſuo loco dicetur illud ex ſe graue peccatum eſt, tam leue autem verbum eſſe poſſet, aut tam indifferens, vt ex leuitate materiæ poſſet à mortali culpa excuſari.

20. Superſtitionem ſuperflui cultus poſſe diuidi in turpem, & leuem.

In quinta obiectione petitur, an ſuperſtitio, quæ dicitur eſſe ſuperflui cultus, diuidi poſſit in turpem, & leuem, ſeu vanum cultum. Ad quod breuiter reſpondeo, nihil impedire, quò minùs ſic diuidatur, nam re vera inueniuntur illi duo modi ſuperſtitionis ſub illa generali ſpecie, etiam prout diſtinguitur à ſuperſtitione falſi cultus, & in ordine ad malitiam moralem, eſt magna differentia inter illos duos modos ſuperſtitionem. Turpem ergo cultum appello, quando Deus coli intenditur illiſmet actibus, qui aliàs praui, & turpes ſint, etiamſi non ſint mendacia: Exemplum poſitum eſt de ſacrificio per immolationem hominis, quæ intrinſecè mala eſt, vbi de præcepto, & auctoritate Dei non fit: Idem eſt, ſi quis ex iniuſtè acquiſitis Deo offerat in cultum, quæ oblatio *maculata* vocatur, Eccleſ. 34. rectè ergo hic cultus non ſolùm ſuperfluus, ſed etiam turpis appellatur. Imò etiam poſſet aliquis dicere talem cultum etiam inuoluere mendacium iniurioſum Deo, ac ſubinde pernicioſum; nam qui huiuſmodi actione Deum colit: profitetur illam actionem placere Deo, quod falſum eſt, & pernicioſum mendacium. Sed hæc collectio valdè remota eſt, quia non eſt ex propria ſignificatione ipſius actionis, ſed per quandam argumentationem ex intentione operantis, quæ ſupponit in illo talem exiſtimationem, quamuis facto ſuo illam non exprimat, & ideò propriè mendacium non eſt, nec falſitas in ſignificando, ſed tantùm in eſſendo. Turpis autem meritò dicitur talis cultus, quia turpitudinem, & malitiam inuoluit in ipſamet actione colendi.

Eccleſ. 34.

21. De alio cultu ſuperſtitioſo, ſine turpitudine.

Poteſt autem eſſe alius cultus ſuperſtitioſus, & ſuperfluus ſine turpitudine, ſed ex alia ineptitudine actionis ad effectum colendi, vel ex defectu aliarum circunſtantiarum. Et inter hæc duo membra hæc poteſt conſiderari moralis differentia, quòd turpis cultus ſemper eſt peccatum mortale, vt exemplum de voto actionis praue rectè probat, & infrà ſuo loco declarabitur; Et ad hoc valet illa collectio, quam paulò antea faciebamus, quia is, qui tali actu Deum colit, ipſo vſu profitetur, eſſe Deo gratam talem actionem, quod grauem iniuriam Dei continet. At verò alius cultus purè ſuperfluus (vt ſic dicam) ordinariè poteſt eſſe venialis culpa, niſi contemptus interueniat, vel ſit contra expreſſum Eccleſiæ præceptum in materia notabili, & maximè ſi ſit ex intentione introducendi in Eccleſia talem ritum. Et ita ſunt intelligendi, qui abſolutè hoc affirmant de ſuperſtitione ſuperflua, vt Caiet. Nauar. & Toletus ſuprà.

Caiet. Nauarr. Tolet.

22. Dupliciter actus veri cultus exercetur ſine debita circunſtantia.

Tandem circa ſextam obiectionem aduertendum eſt, quando aliquis actus veri cultus exercetur ſine debita circunſtantia, dupliciter id fieri poſſe; vno modo ex quadam negligentia, vel temeritate culpabili; alio intentione introducendi ritum contra communem legem vel conſuetudinem, ſeu (quod idem eſt) omittendo ſtatutas circunſtantias, ſeu cæremonias propter inutiles, vel ſuperſtitioſas. Prior modus vel ad ſuperſtitionem non pertinet, ſed ad alium modum Irreligioſitatis, aut ſacrilegij, vel ſi ad ſuperſtitionem reducitur, eſt indirecto modo participando culpam, quæ propriè in altero modo reperitur. Poſterior ergo modus eſt propriè ſuperſtitioſus, nam introducit nouum ritum in cultu Dei contra communem legem, vel conſuetudinem. Nec refert, quòd talis cultus fortaſſe ſit per modum priuationis, quia illamet priuatio exigitur, vt pars ritus, tam ſuperſtitioſum enim eſt ſacrificare in ſolo pane, introducendo id tanquam ritum neceſſarium, vel conuenientem, vel ſufficientem in illo ſacrificio, quam eſſet ſuperſtitionem addere vltrà panem & vinum, aliam materiam. Et tunc illa ſuperſtitio ad ſuperfluum cultum pertinet, etiamſi ritus ille ſit quaſi priuatiuus, quia ille etiam ſuperfluus eſt, & reddit totum cultum vanum, & inutilem ad internum cultum, in quo conſiſtit ratio ſuperflui cultus.

23. Sub genere ſuperſtitio.

Ex quibus omnibus conſtare ſufficienter poteſt in hoc genere peccati ſuperſtitionis, non tantùm duas, ſed plures ſpecies malitiæ reperiri adeò formaliter diuerſas, vt in confeſſione videantur explicandæ:

nis plures species malitiæ sunt in cõfessionem declarandæ.

dæ: nam superstitio pernicioſa malitiam habet longè alio modo iniurioſam Deo, & à ratione exorbitantem, quàm ſuperſtitio, quę tantùm eſt ſuperflui cultus. Et inter pernicioſas longè aliud peccatum videtur circuncidere puerum more Iudaico, vel ſine ordine ſacro fingere ſacrum, vel cum ordine ſacro ab Eccleſia præciſum, vel ſuſpenſum miniſtrare. Item in alio genere ſuperflui cultus longè, grauior deformitas etiam in ſua ſpecie videtur eſſe in cultu per actum turpem, & bonitati Dei contrarium, quàm in cultu excedente tantùm in cæremonia impertinente. Et in materia Sacramentorum alia ſuperſtitio eſt, quæ ſubſtantiam Sacramentorum immutat, & euertit; alia, quæ ſolùm in accidentalibus ritibus ſuperflua eſt. In quibus omnibus poſſemus etiam ſpeculatiuè varias rationes malitiarum conſiderare, ſed quia id magis contentioſum eſt, minuſque vtile, conſtanter ſtatuendum videtur hanc variationem malitiarum tantam eſſe, vt neceſſarium ſit in confeſſione modum ſuperſtitionis aperire; ſiue id ſit, quia nonnullæ ex his ſupponunt hæreſim in mente, quam oportet explicare, aliæ verò illam nõ ſupponant, ſiue quia in alio genere peccati includunt malitiam ſpecie diuerſam, vt in genere mendacij pernicioſi, vel alterius turpitudinis, vel ſpecialis ſacrilegij & iniuriæ rerum ſacrarum, ſiue quia non poſſunt aliter à confeſſore curari, imò nec ſecundum ſuam neceſſariam grauitatem intelligi, niſi ſecundum ſuum modum peculiarem explicentur. Siue quia in genere moralis malitiæ formaliter differunt, quod profectò ſatis probabile apparet ex omnibus, quæ diximus.

CAPVT III.

De Idololatria quid ſit, & quod obiectum habeat.

1. Idololatria aliquãdo metaphoricè accipitur pro variis rebus. *Epheſ. 5. Philip. 3.*

VOx *Idololatria* interdum accipitur metaphoricè, vt patet ex Paulo ad Epheſ. 5. vbi auaritiam vocat *Idolorum ſeruitutem*, nam auarus totum ſuum affectum in pecuniis habet, & ideò videtur pecunias tanquam Deos colere. Sic etiam idem Paulus ad Philippenſ. 3. de hominibus ventri deditis dixi: *Quorum Deus venter eſt*, & eadem ferè ratione omnis qui mortaliter peccat, poteſt per metaphoram Idololatria vocari, quia creaturam, propter quam peccat, pro Deo habere cenſetur, quatenus illam ſuper omnia amat. Atque ita Hieronymus Amos 2. tractans illa verba: *Super tribus ſceleribus Iuda, &c.* ait, *Vnumquemque peccatorem Chriſtianum adorare vitia ſua, eúmque incipere habere Deum, à quo victus eſt, dicente Petro, à quo quis ſuperatur, eius & ſeruus eſt.* Et Iſai. 44. circa illa verba: *Hæc dicit Dominus, &c.* Similiter, inquit hæreticos eſſe Idololatras, vtique per metaphoram, *Qui ſimulachra dogmatum ſuorum, atque mendacij, artificiſ corde componunt, & venerantur ea, quæ ſciunt à ſe ſimulata.* Quibus ſimilia habet Auguſt. lib. de vera Rel. cap. 18. Sed Idololatria hoc modo ſumpta non ſignificat aliquod ſpeciale vitium Religioni oppoſitum, ſed vt dixi, vniuerſis peccatis mortalibus attribui poteſt, & præſertim aliquibus, in quibus maior inordinatio affectus erga creaturam cognoſcitur, & ideò hæc ſignificatio præſenti inſtituto non ſeruit. Quamuis neceſſarium fuerit adnotare illam, tum ne vitia confundantur, tum vt Scripturæ intelligantur, tum denique quia ex metaphorica ſignificatione intelligi poteſt eſſe aliam propriam, à qua tranſlatio facta eſt.

Hieron. *Auguſt.*

2. Quid propriè ſit Idololatria.

Idololatria ergo propriè dicta idem ſignificat, quod voces ſimpliciter, ex quibus illa componitur, præ ſe ferunt, nimirum Idolorum latriam, vnde explicando, quid in præſenti ſit Idolum, & quid latria, explicatum relinquetur, quid ſit Idololatria, & quomodo committatur. Idolum ergò iuxta primariam ſignificationem, ſtatuam, vel imaginem ſignificat, vt ex Sapient. 13. colligitur, vbi latè deſcribitur Idoli fabricatio per artem ſculpendi, & pingendi, & de Idolo concluditur; *Imago enim eſt, & opus eſt illi adiutorio*, & c. 14. *Per manus* (dicitur) *quod fit Idolum, maledictum eſt & ipſum, & qui fecit illud.* Et infrà: *Acerbo enim luctu dolens pater citò ſibi rapti filij fecit imaginem.* Et infrà: *Imaginem Regis, quem honorare volebant, fecerunt.* Idolum ergo iuxta primæuam ſignificationem, imaginem ſignificat. Non tamen quælibet imago Idolum dici poteſt, vt mox dicemus. Dicunt tamen aliqui, tunc ſolùm imaginem Idolum poſſe appellari, quando rem non ſubſiſtentem nec poſſibilem ſignificat, ſed fictam, vt chimæram, vel quid ſimile. Ita ſentit Origen. Hom. 8. in Exod. ſic exponens, quod Paulus ait, 1. ad Corint. 8. *Scimus, quia nihil Idolum eſt in mundo.* Quod ſequitur Theod. quæſt. 38. in Exod. & Oecum. in 1. ad Cor. & multi alij. Veruntamen licèt verum ſit, multa talia fuiſſe Idola Gentium: vt ſumi poteſt ex Athanaſ. Orat. contra Idola. Nihilominùs negari non poteſt, quin Idolum potuerit etiam eſſe imago alicuius rei veræ, & aliquando ſubſiſtentis, quod ex citatis locis Sap. apertè colligitur. Nam in eis dicitur Idololatriam cœpiſſe, fabricando, & depingendo imagines hominum, vel aliquorum animalium, quæ res veræ, ac ſubſiſtentes ſunt. Et Cyp. lib. de Idolorum vanit. latè oſtendit, Deos Gentiũ maiori ex parte fuiſſe homines. Et Aug. lib. 8. de Ciuitate c. 26. Vnde li. 20. contra Fauſtum c. 5. latè probant Idola, & Deos Gentium aliquas res veras eſſe, ſeu corpora vera, ad ſalutem autem nihil eſſe, neque etiam ad cultum diuinum promerendum.

Sap. 13. & 14.

Solũ imaginẽ rei fictæ vocari Idolũ qui dicant.

Origen. *1. Cor. 8.* *Theod.* *Oecum.* *Athan.*

Contrarium eſt verum.

Cypri. *Auguſt.*

Quia propter alij exiſtimant, rationem Idoli non compleri per hoc, quod ſit imago rei falſæ, vel fictæ, ſed per hoc, quod ſit imago ad indebitum cultum alicui tribuendum deſtinata. Nam etiam imago chimæræ, vel rei fictæ, ſi non ad cultum, ſed ad delectationẽ, aut memoriam, vel exercitium artis fabricetur vocari non poteſt Idolum. Atque ita Sapien. d. c. 13. deſcribẽs conſtitutionem Idoli præter ſculpturam, & picturam adiungit; *Et fecit ei dignam habitationem, &c.* Et cap. 14. cum dixiſſet, patrem rapti filij feciſſe imaginem, ſubdit, *Et illum, qui tunc quaſi homo mortuus fuerat nunc tanquam Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſeruos ſuos ſacra, & ſacrificia*, & infrà vocat Idola *figmenta*, quæ iniqua conſuetudine, aut lege ex deceptione, aut inordinato affectu colebantur; *Incõmunicabile* (inquit) *nomen lignis, & lapidibus tribuerunt*, Sentit ergo, Idolum vocari effigiem ad cultum indebitum inſtitutam. Dico autem *Indebitum cultum*, quia ſi imago ſit alicuius rei veræ, & dignæ ſecundum rectam rationem aliquo vero honore, & cultu & ſolùm erigatur talis imago ad rem illam debito honore, colendam, non poteſt illa imago Idolum appellari. Et hac ratione ſeptima Synodus act. 7. definit imagines Chriſtianorum, & prout Eccleſia Catholica eas recipit, & approbat, Idola dici non poſſe, vt latè tractaui in 1. tom. de Incar. diſp. 54. ſect. 7. Et hoc ſenſiſſe videtur Tertul. lib. de Idolol. cap. 4. dicens, imagines earum rerum, quas colit humanus error, Idola appellari.

3. Idolum eſſe imaginẽ deſtinatam ad indebitũ cultum alicui tribuendum. *Sap. 13. & 14.*

Synod. 7. *Tertul.*

Et Iſidor. li. 8. etymol. dixit, *Idolum eſſe ſimulachrum, quod humana effigie factum, & conſecratum eſt.* Quæ deſcriptio quoad priorem partem nimium reſtricta eſt, non eſt enim de ratione Idoli, vt ſit ad humanam effigiem, expreſsè enim dicitur in d. cap. 13. Sap. *Et aſſimilat illud imagini hominis, aut alicui ex animalibus illud comparat.* Et ex capit. 32. Exod. conſtat, Hebræos imitantes Ægyptios Idolum feciſſe in vituli effigie, latiúſque explicauit Paulus ad Rom. 1. dicens: *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis,*

4. *Iſidor.* *Sap. 13.* *Exod. 32.*

ptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentum. Imò etiam potest figurari Idolum, quod non sit alicuius rei veræ, vel speciei effigies sed fictæ, vt diximus. Quoad posteriorem verò partem videtur illa descriptio diminuta, quia vt humana imago sit Idolum, non satis est, quod sit consecrata, id est, ad cultum dicata, debet ergo restringi ad consecrationem indebitam, seu excedentem humanæ naturæ capacitatem.

August. Et ideò optimè August. lib. 7. Q. in lib. Iud. Idolum declarat, id est, *Cuiusdam Dei falsi simulachrum*, & in hoc

Originis doctrina commodè explicatur. sensu accommodari potest Originis sententia. Nam licèt Idolum possit esse imago veri hominis, si tamen destinetur ad colendum illum hominem vt Deum, iam erit imago falsi Dei, & sub ea ratione erit imago rei non existentis. Imò fortassis eadem, vel proportionali ratione si quis iniquum hominem, & in peccatis B mortuum sibi depingeret ad cultum, quamuis non vt Deum, sed vt sanctum hominem illum colere vellet, talis imago rationem Idoli participaret, vt sensit Sanderus lib. 1. de Imaginibus, quia licèt talis imago repræsentaret verum hominem, simul referret falsum Sanctum. Et in hoc sensu rectè dicitur, Idolum inuoluere falsitatem in sua repræsentatione, ac subinde imaginem falsam. Sic enim scriptura de Idolis loquitur, vt notauit Bellar. lib. 2. de Imaginibus c. 5. Et propterea fortasse Zach. 11. de iniquo pastore, qui officium pastoris non exercet, dicitur, *O Pastor & Idolum*, quia non est verus pastor, sed fictus, & nomine potiùs quàm re, sicut Idolum vocatur Deus, cum non sit, vel certè, vt ibi ait Hieron. sceleratus pastor vocatur Idolum, dum se appellat Deum, & vult ab hominibus C adorari. Et ita etiam potest intelligi Paul. 1. Cor. 10. cum dicit, Idolum nihil esse, scilicet in ratione, qua Deum, vel personam summo honore dignam repræsentat. Vnde post illa verba: *Scimus, quia nihil est Idolum in mundo*, subiungit, *& quod nullus est Deus, nisi vnus.* Et ita etiam dicuntur Idola non esse, Esth. 14. vt exposuit Hieron. Osee 7.

Sande. *Bellarm.* *Zach. 11.* *Hieron.* *1. Cor. 10.* *Esth. 14.* *Hieron.*

5. Quæuis creatura, quæ tãquam Deus colitur dicitur Idolum.

Ex hac verò primæua significatione extensum est nomen Idoli ad significandam quamcumque creaturam quæ tanquam Deus colitur, seu colenda proponitur supremo cultu vero Deo debito, etiam si talis res non sit imago, neque vt imagò alicuius falsi Dei adoretur, sed vt ipsemet falsus Deus, nam in hac significatione videtur profectò sumi in ipsomet nomine *Idololatria*. Nam omnis adoratio creaturæ; per quã D vt Deus colitur, Idololatria est, ergo omnis creatura sic adorata Idolum est, etiam si non in aliqua imagine, sed in se, & propter se immediatè adoretur. Et similiter omnes, qui creaturam, vt creatorem adorant, in eis computantur, qui à Paulo vocantur *Idolis seruientes*. 1. ad Corint. 5. & 6. siue creaturæ adoratæ sint statuæ, siue ignis, aut aqua, & similia, quæ Sap. 13. numerantur, & rectores terrarum, ac Deos putatos esse à Gentibus refertur, & qui eos adorabant, inter Idolatras numerantur. Vnde Paulus 1. ad Corinth. 10. cum dixisset, *Fugite ab idolorum cultura*, subiungit: *Quæ immolant gentes, Dæmoniis immolant.* Et sic etiam August. lib. 5. Locutionum de Deut. in fine, Idololatras, inquit, appellari qui Idolis seruiunt, & Idololatriam esse Idolorum seruitutem: vbi nomine Idolorum intelli- E gere videtur omnes Deos Gentium, atque adeò quicquid creatum tanquam diuinum numen ab eis colebatur. Atque eodem modo loquitur Athan. Orat. contra Idola aliquantulum à principio. Et Tertul. lib. de Idololatr. capit. 3. hac ratione dixi Idololatriam agi posse sine Idolo, id est, sine simulachro, & aliquando factam esse *sine isto nomine, licèt non sine isto opere.* Vnde significat nomen Idoli, & Idololatriæ non fuisse, donec simulachra pro Diis adoranda introducta sunt, rem autem ipsam, id est, Idololatriæ vitium sine simu-

1. Cor. 5. & 6. *Sapient. 13.* *1. Cor. 10.* *August.* *Athan.* *Tertul.*

A lachris sensibilibus exerceri potuisse. Vnde fit, vt simili modo nomen Idoli, licèt ab statuis pro Diis adorandis sumptum sit, nihilominùs quatenus significat adæquatum obiectum Idololatriæ, omnem rem creatam, quæ tanquam verus Deus adoranda proponitur, comprehendat. Ex his ergo satis constare potest, & quid nomine Idoli in voce Idololatriæ significetur, & quod sit huius vitij obiectum, quamuis eiusdem obiecti ratio, & modus magis in sequentibus elucidanda sint.

8. Latria est adoratio soli Deo debita. *August.* *Sapient. 15.* *Rom. 1.*

Altera verò pars illius vocis est *Latria*, quæ cum omni proprietate, ac rigore intelligenda est de adoratione, ac seruitute soli Deo debita, vt exposuit August. dicto lib. 5. Locutionum de Deut. & lib. 1. Quæstion. in Genesim, quæst. 61. & lib. 1. de Trinit. ca. 6. Et satis declaratur à Sapiente dicto cap. 13. vbi hanc latriam declarat per votum, orationem, & petitionem de omnium rerum euentu & ca. 14. idem declarat per cultum sacrorum, & sacrificiorum, imò addit etiam appellationem, & æstimationem Dei, *Et incommunicabile*, inquit, *nomen lapidibus, & lignis imposuerunt.* Et hoc idem est quod Paulus ad Rom. 1. dixit. *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentum.*

7. Latriam cõstare & internis & externis actibus.

Vt autem explicetur, quomodo latria potuerit Idolis tribui, ac subinde committi vitium Idololatriæ, aduertendum est ex suprà dictis, latriam & internis, & externis actibus fieri posse. Et quidem internis, vt sit vera, non ficta adoratio primo requirit actum intellectus, quo res adorabilis, seu quæ adoranda proponitur, æstimetur, seu habeatur pro Deo: Deinde in voluntate requiritur voluntas, & intentio adorandi, id est, exhibendi aliquod signum submissionis, & recognitionis excellentiæ diuinæ in tali re. Vltimò consummatur adoratio in exhibitione talis signi, vel interioris, si adoratio sit merè interna vel exterioris, si externa sit. Hæc ergo tria debent in Idololatria concurrere circa Idolum, vt omninò vera, & consummata sit in suo genere, scilicet, opinio aliqua diuinitatis de Idolo, seu re, quæ adoratur, affectus adorationis, & adoratio ipsa, seu exhibitio signi submissionis, & recognitionis alicuius excellentiæ diuinæ in re sic adorata: quæ tria breuiter à nobis explicanda sunt, vt ratio Idololatriæ exactè cognoscatur, & simul explicabitur multiplex modus eius.

CAPVT IIII.

Quomodo adoratio diuina tribui possit Idolo, & consequenter quotuplex sit Idololatria.

1. Quomodo actus latriæ concurrere possint in adoratione Idolorum.

RAtio dubitandi oritur ex actibus numeratis in fine precedẽtis capitis, qui sunt opinio intellectus, affectus voluntatis, & exhibitio signi diuinæ excellentiæ, non enim apparet, quomodo hi omnes in Idolorum cultu concurrere possint. Et Primò circa existimationem intellectus dubitari potest: Quomodo sit possibilis talis existimatio diuinitatis de Idolo manibus facto, cùm sit per se euidens, illud non habere vitam, neque excellentiam vllam, præter eam figurę pulchritudinẽ, quam ab artifice habet. Et confirmatur: nã eo ipso, quòd Idololatriæ cultus multis Diis dabatur, nulli dari poterat ex opinione, seu æstimatione verę diuinitatis: Quia excellẽtia diuinitatis in eius singularitate, & eminentia super res alias cõsistit & ita destruitur, quãdo inter multos diuiditur, ergo fieri nõ potest, vt adoratio diuisa inter multos procedat ex opinione verę diuinitatis in singulis. Secundò, Esto, sit possibilis

1. Dubium.

2. Dubium.

illa

illa existimatio, non tamen videtur necessaria ad propriam Idololatriam: Quia latria, quam Idololatria inuoluit, non est vera latria, sed mendax, ergo non est necesse, vt procedat ex existimatione veræ diuinitatis. Et confirmatur, quia multi Philosophi agnoscentes tantum vnum summum Deum Idololatræ fuerunt, adorando Angelos bonos, & malos, vel animas cœlorum, iuxta illorum opinionem, vel animas hominum mortuorum, quas pro ratione meritorum in numerum inferorum Deorum ascribi putabant, vt colligitur ex Augustin. libr. 8. de Ciuit. cap. 12. *Augustin.*

2. Tertiò circa affectum colendi, seu honorandi Idolum dubitari potest, quia etiam hic actus non videtur necessarius ad committendam Idololatriam; nam potest quis exterius exhibere alicui honorem sine intentione honorandi illum, ergo potest etiam hoc modo exhiberi honor diuinus Idolo, sine affectu honorandi illud, & tamen illa externa adoratio erit vera Idololatria, quia ad nullum aliud vitium pertinet, ergo ille affectus non est de ratione Idololatriæ. Accedit, quod sine opinione veræ Diuinitatis in Idolo, non potest esse affectus exhibendi illi diuinum honorem: ostensum est autem, non posse haberi illam opinionem de Idolo creato, ergo nec potest circa cultum eius talis affectus haberi. Quartò circa ipsum actum externum cultus, similis oritur difficultas quia nullus actus exterior continet adorationem Latriæ, nisi in intentione operantis, vt suprà li. 1. visum est, sed talis intentio vel haberi non potest, vel certè sæpe non inuenitur in Idololatria, vt dictum est, ergo. Confirmatur, quia si aliquid externum de se cõtinet veram latriam, & proprium Dei cultum, maximè sacrificium, sed hoc potest offerri creaturæ sine Idololatria, sic enim per Missæ sacrificium etiam sanctos colimus, & templa eis dicamus, eosdemque suffitibus incensi, thymiamatis, & aliarum rerum similium veneramur, illud autem genus sacrificij quoddam est quod Deo offerri solet, vt ex Scriptura constat, ergo. *3. Dubium.* *4. Dubium.*

3. Hæ difficultates expedientur facilè, præmittendo Idololatriæ necessariam partitionem. Est enim quædam Idololatria vera, alia ficta. Circa quæ membra est considerandum, duobus, seu tribus modis posse adorationem aliquam dici veram, scilicet, vel ex parte adorantis, vel ex parte personæ adoratę, vel ex vtroque capite. Cum enim adoratio consistat in recognitione, & confessione excellentiæ per signum aliquod protestatiuum talis excellentiæ, vt existentis in tali persona, interdum talis significatio falsa est, quia res ipsa non ita est, sicut significatur, neque in tali persona talis excellentia reperitur, & tunc dicitur adoratio falsa ex parte personæ adoratæ, etiamsi ex intentione adorantis, non sit ficta sed vera intendit talem rem adorare. At verò si adorans non intendat interiùs ita adorare, sicut exteriùs significat, tunc adoratio dicitur falsa ex parte personæ adorantis, etiamsi fortasse sit in re ipsa ex parte personæ adoratæ, quia nimirum in ea inuenitur verè illa excellentia, quam signa exteriora indicant, licèt adorans illam non recognoscat, aut confiteri nolit. Et potest claritatis gratia talis adoratio dici ficta potiùs, quàm falsa. Si autem signum adorationis & in se falsum sit, & ab orante ficto animo exhibeatur, tunc adoratio & ficta simul, & falsa dici poterit. Applicando igitur diuisionem hanc ad idololatriam dicẽdum est, omnem idololatriam esse falsam adorationem ex parte rei adoratæ, quia in ea significat excellentiam, quæ in illa non est. Vnde in hoc sensu omnis idololatria potest dici falsa latria: Latria enim significat adorationem significatiuam Diuinæ excellentiæ in eo, cui exhibetur, & ideò tunc est simpliciter, & vera latria, quando verè significat talem excellentiam in re adorata, quando autem falsò illam significat, est falsa latria; quæ Idololatria dicitur.

3. Idololatria alia vera, alia ficta est.

Omnis Idololatria est falsa adoratio ex parte rei adoratæ.

At verò hæc ipsa Idololatria potest interdum esse vera Idololatria ex parte adorantis, interdum verò ficta. Veram appello, quia non ex animo ficto procedit, sed ex intentione adorandi, licèt alias falsum significet, sicut qui falsam propositionem affirmat, putans esse veram, & ex intentione dicendi verum, formaliter non mentitur, licèt materialiter falsum dicat. Sic ergo potest esse aliqua vera, id est, non ficta Idololatria, licèt in se sit falsa latria: aliqua verò Idololatria, potest esse ficta, seu falsa etiam ex parte adorantis, qui non ex animo talem cultum exhibet. Quæ fictio interdum potest esse ex parte intellectus, vt cum quis non opinatur esse in re sic adorata diuinam excellentiam, tamen propter extrinsecas causas vult illam externo signo confiteri: aliquando è contrario potest esse fictio in solo affectu, vt esse patet in dæmone, qui velit, nolit, credit esse in Christo diuinam excellentiam, & cogitur interdum illam confiteri, eique genu flectere, & nihilominùs non habet affectum honorandi Christum, sed solùm exhibendi hoc, vel illud signum, quia cogitur: Sæpe verò potest esse fictio ex vtroque capite, vt contingit in fideli, qui à tyranno cogitur thus offerre Idolo, in quo nec credit esse Diuinam excellentiam neque habet animum actum illum faciendi in honorem Idoli, sed solùm exterius faciendi talem actum, & aliquando poterit interiore affectu in verum Deum significationem illam referre. *4. Idololatria aliquãdo vera, aliquando falsa est ex parte adorantis.*

Ex his ergo concludimus, ad Idololatriam omnino veram ex parte colentis necessariam esse opinionem diuinitatis, seu alicuius diuinæ excellentiæ in Idolo, seu in re adorata, vt satis ex dictis declaratum est. Neque est impossibilis talis Idololatriæ modus, vt in prima difficultate obiicitur, quia post originale peccatum ita fuit corrupta natura, vt in summam cęcitatem vsque ad veri Dei ignorationem peruenerit. Qua ignoratione existente, facilè fuit, in opinionem plurium Deorum deuenire. Quam opinionem in triplicem Theologiam iuxta Augustin. lib. 6. de Ciuit. cap. 5. & Euseb. lib. 1. 2. & 3. de Præpar. Euang. distinxerunt Philosophi, præsertim Varro, in Physicam, ciuilem, & fabulosam: Ad primum membrum pertinent opiniones, quas de vno, vel pluribus Diis Philosophi in suis scholis, & libris docebant, nam verisimile est, vnumquemque secundum opinionem suam Deos plures coluisse, etiamsi illos populis non proponerent publico, & communi ritu colendos, vt ibidem Augustinus indicat. Has verò Philosophorum opiniones ad duas reducit D. Thom. dicta quæstion. 94. artic. 1. Prima fuit eorum; qui totum mundum animari ab ipso Deo, dicebant, & ideò sensibilem mundum, vel præcipuas partes eius adorabant, tanquam Diuinitate plenas, prout Varro etiam sentit apud Augustin. lib. 7. de Ciuit. capit. 5. & 6. qui latius hæc prosequitur capit. 16. & sequentibus. Et in eadem sententia dicuntur fuisse Pythagorici, & alij Philosophi, qui non supremum Deum, sed inferiores putabant animare mundum, fortasse enim non vnum, & eundem Deum existimabant animare totum mundum, & singulas partes eius; sed varia numina esse in Sole, Luna, elementis, &c. Sic enim videtur intelligendum, quod Sapien. 13. dicitur hos Philosophos, *Aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut Solem, & Lunam rectores orbis terrarum Deos putasse.* Nam in prima parte illius capit. apertè loquitur Sapiens de Philosophis, quos asserit Deum inquisiuisse, & in operibus illius conuersatos *5. Ad idololatriam veram ex parte colentis quid requiratur.* *Augustin. Euseb. Varro tripli cem distinxi Theologiam, Physicam nempe, ciuilem, & fabulosam.* *D. Thom. Quidam mũdum à Deo animari dicebãt, & ideò illam, vt Deũ adorabant. Varro.* *Sapien. 13.*

fatos fuisse, ad illius tamen cognitionem non peruenisse, & ideò huius mundi partes tanquam Deos, & rectores orbis terrarum coluisse. Non declaratur autem ibi, an coluerint hæc sensibilia corpora propter se ipsa, vel propter eorum animas, quas putabant esse numina quædam his corporibus coniuncta. Veruntamen ex ipsorum Philosophorum dictis & ex Augustini, & Thomæ sententiis hoc posterius eos opinatos fuisse colligitur: estque per severisimilius, quia non est credibile, homines non solùm ratione vtentes, sed etiam aliquo modo sapientes sibi persuasisse, corpora inanimata ex se habere Diuinitatem aliquam, aut esse per se digna supremo cultu. A

6. *D. Thom. August.* Plato vnum summũ Deũ & alios minores Deos colebat.

Altera opinio Philosophorum, quam D. Thom. refert, est Platonis, & aliorum, qui vt testatur August. 7. de Ciuit. capit. 12. cum agnoscerent, esse vnum summum Deum cæterarum rerum conditorem, nihilominùs plures minores Deos colebant, quos intelligentias, aut Dæmones vocabant, inter quos etiam ponebant quorundam mortuorum hominum animas diuinitatis participes effectas, sed fortasse hi Philosophi, licèt confiterentur vnum summum Deum, non in omnibus perfectionibus suis summum, & vnicum illum existimarunt: quia licèt crederent, cæteros Deos esse inferiores in perfectione, nihilominùs non credebant, pendere ab illo in omni operatione & efficacia sua, sed habere supremam efficaciam, & virtutem in aliquo genere, ideóque etiam illos esse ab hominibus colendos vt Deos, id est, supremo quodam cultu illis propter se debito, arbitrabantur: vel certè licèt speculatiuè non errarent in ferendo iudicio de perfectione, & dependent a illorum minorum Deorum à primo, errabant practicè in iudicio de cultu illis tribuendo, nullam in hoc constituente differentiam inter summum Deum, & cæteros: sicut inter homines licèt Reges terræ inæquales sint in potestate, & dominatu, omnes tamen volunt, eisdem titulis honoris, & excellentiæ coli. B C

7. Substantias separatas nõ fuisse ab alio factas aliqui credebant.

Addo præterea, multos Philosophos existimasse substantias separatas, quas Angelos vocamus, non fuisse factos ab alio, & ita in hoc æquiparabant illas Deo, idque satis erat, vt eis diuinum cultum tribuerent, siue aliàs diuerent esse inæquales, siue æquales in absoluta perfectione. Eo vel maximè, quod Gentiles cultum Deorum referebant ad propriam vtilitatem: Vnde quantum putabant posse à Diis iuuari, aut commodum aliquod accipere, vel ab incommodis seruari, tantùm adorationis, & cultus illis tribuebant: Existimare autem poterant, inferiores Deos non minùs sibi esse posse vel benefícos, vel maleficos, quàm summum Deum, maximè si circa diuinam prouidentiam errabant, & huiusmodi administrationem intelligentiis inferioribus tribuebant. Atque ita fieri potuit, vt eos adorandos crediderint vt Deos, id est, supremo cultu soli Deo debito. D

8. Cur Theologiæ pars quædam dicta fuerit ciuilis.

Secunda Theologia circa Deorum, seu Idolorum cultum, ciuilis vocata est, quia veluti communi ciuium vsu, & consensu introducta erat, & Pontifices, ac Populi in cultu plurium Deorum frequentiùs illa vtebantur. Et licèt difficile sit explicare, quomodo Varro hanc Theologiam à naturali, & fabulosa distingueret, vt latè prosequitur August. lib. 6. de Ciuit. cap. 6. & sequentibus. Verisimile tamen est: hanc Theologiam positam fuisse in opinionem diuinitatis, quæ simulachris ab hominibus factis inesse putabatur. Quam opinionem idem August. lib. 8. de Ciuit. cap. 23. Hermeti Trismegisto tribuere videtur, dum ait: *Ille alios Deos dicit à Summo Deo factos, alios ab hominibus.* Nam priores Dij videntur ad Theologiam Physicam pertinere, posteriores verò ad ciuilem: E

August.

Nam hi Dij ab hominibus facti videntur esse Idola, & simulachra, *Quæ opera sunt manuum hominum*; vt ibidem August. subiungit. Addit verò: *At ille* (id est, Trismegistus) *Visibilia, & contrectabilia simulachra, velut corpora Deorum esse asserit. Ineſſe autem his quosdam spiritus inuitatos, qui valeant aliquid, siue ad nocendum, siue ad desideria eorum nonnulla complenda, quibus eis Diuini honores, & cultus obsequia deferuntur.* Hanc autem opinionem, & ciuilem Theologiam introductam esse ait per artem quandam copulandi visibilibus imaginibus, & statuis spiritus inuisibiles, itavt simulachra essent quasi animata corpora illis spiritibus dicata, & subdita. *Et hoc* (dicebat Trismegistus) *Esse Deos facere, eámque magnam, & mirabilem Deos faciendi accepisse homines potestatem*, vt August. ait. Non erat tamen magna potestas, sed mirabilis fraus Dæmonum, qui se statuis immiscebant, & per ea ita loquebantur, & responsa dabant, vt viuere existimarentur. *Trismeg.* *August.*

9. Quod discrimen sit inter Theologiam ciuilẽ & naturalem.

Inter hanc ergo Theologiam ciuilem, & naturalem hæc in primis potest differentia constitui, quòd naturalis sine sensibilibus imaginibus haberi, & exerceri poterat, hæc verò ciuilis in simulachris præcipuè fundata erat: Item prior creaturam à Deo factam; posterior verò statuam ab hominibus fabricatam vt Deum colebat: Item illa in discursu aliquo Philosophico, licèt sophistico fundabatur; hæc verò in sola deceptione Dæmonum per experientias aliquas, & apparentia signa. Quod si fortasse aliqui Philosophi vtebantur imaginibus Solis, aut Lunæ, aut aliarum partium mundi, non illas colebant vt habentes diuinitatem aliquam, sed solùm vt repræsentantes falsos Deos, quod etiam ad Idololatriam pertinebat, longè tamen diuersa ratione, quàm simulachra, quæ per Theologiam ciuilem adorabantur, vt habentia in se diuinitatem, saltem per aliquam vnionem inuisibilium spirituum. Atque de hoc genere Idololatriæ videtur loqui Sapiens cap. 13. vbi postquam vanam Philosophorum Theologiam reprehenderat, subiun[illegible] *Infelices autem sunt, & inter mortuos spes illorum est, qui appellauerunt Deos opera manuum hominum, aurum, & argentum, artis inuentionem, & similitudines animalium, &c.* Et ad prædicta duo genera falsæ Theologiæ applicari potest, quod Paul. ad Colos. 2. dicit: *Videte, ne quis vos seducat per Philosophiam, aut inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum.* Ac denique ad hanc politicam, seu ciuilem Theologiam pertinere maximè videtur, quod Dauid ait Psalm. 95. *Omnes Dij Gentium Dæmonia*; Loquitur enim de Diis, quos in Idolis suis publico ritu Gentes colebant, qui (vt diximus) erant Dæmones, qui in statuis, & idolis se insinuabant, vt ab hominibus deceptis colerentur, & ideò aiebat Paul. 1. Corinth. 10. *Quæ immolant gentes, Dæmoniis immolant*, vt notauit August. dicto lib. 8. de Ciuit. cap. 24. & Euseb. lib. 4. de Præp. Euang. cap. 6. & Lactant. lib. 2. Diuin. Instit. cap. 16. *Sapient. 13.* *Colos. 2.* *Psal. 95.* *1. Cor. 10.* *August.* *Euseb.* *Lactan.*

10. Qualis fuerit Theologia fabulosa: *August.*

Tertia denique Theologia gentium ab eodem Varrone fabularis seu fabulosa appellata est, referente August. lib. 6. de Ciuit. cap. 5. & 6. Ad eam enim spectabat adoratio quorundam hominum mortuorum, quos gentes vt Deos colebant ex falsa deceptione, & traditione. Et quamuis priores Theologiæ non minùs falsæ essent, quàm hæc, nihilominùs hæc veluti per Antonomasiam fabulosa dicta est, quia nec vanis ratiocinationibus, nec solis præstigiis Dæmonum, sed vanis hominum inuentionibus, & poëtarum figmentis fuit introducta. Vtebantur autem Gentiles Idolis, & simulachris etiam in hoc Idololatriæ genere, sed vt ait D. Thomas in dicta quæst. 95. artic. 1. non adorabant ipsas imagines vt Deos, sed homines quosdam, qui *D. Thom.*

qui per illas repræſentabantur, quos appellabant Iouem, Appollinem, &c. De quibus hominibus innumeras fabulas confinxerunt, & de illis (quod mirabilius eſt) innumera ſcelera & turpiſſima flagitia narrabāt, & credebant, & nihilominùs eos Deos eſſe exiſtimabant, & vt tales illos colebant. Quid autem nomine Dei, aut Deorum illi Gentiles intelligerent, vix explicari poteſt, quia non poterant ſub illo nomine concipere aliquid perfectiſſimum, vt quod ſit à ſe, & non ab alio, vel quod ſit rerum principium, vel quidpiam ſimile. Quomodo enim de illis, quos credebant fuiſſe homines, & tales homines, aliquid huiuſmodi opinari, aut concipere potuiſſent? Videntur ergo cogitaſſe diuinitatem, eſſe aliquam excellentiam, quæ ab hominibus comparari poteſt, non ſolùm virtute, ſed etiam induſtria, potentia, vel alio ſimili modo, etiamſi cum vitiis coniuncta ſit. Et maximè videntur Gentiles exiſtimaſſe, tales homines poſt mortem poſſe ſibi eſſe noxios, vel vtiles ad obtinendas in hac vita res neceſſarias ad aliquos humanos vſus; & ea ratione illos coluiſſe, vt noxia auerterent, & vtilia conferrent. Et ita iuxta innumeras hominum neceſſitates innumeros Deos multiplicauerunt, vt latè tractat Auguſtin. citatis locis. Denique huius etiam falſæ Theologiæ, ac ſuperſtitionis ſpecialiter videtur loqui Sapiens, Sap. 14. vt paulò poſt videbimus.

Auguſt.

Sap. 14.

11. Explicatur prima difficultas.

Ex his ergo ſatis explicata manet prima difficultas, in qua petebatur, Quomodo cultus idolorum procedere potuerit ex opinione diuinitatis exiſtentis in ipſis ſtatuis: nam explicatum eſt, non ſtatuas nudas adoratas fuiſſe, ſed aut ratione numinis ſuperioris, quod illis coniungebatur, vel ratione hominum, qui per ipſas repræſentabantur, & vt Dij colebantur. Ad confirmationem autem ex eo ſumptam, quòd vera dignitas, & excellentia non poteſt in plures perſonas, ſeu res adoratas diuidi, reſpondeo breuiter, verè quidem non poſſe; exiſtimatione autem falſa poſſe. Nam potentia creandi tantùm poteſt eſſe vna, tamen per deceptionem exiſtimari poteſt Angelos habere eam poteſtatem, & ideò eſſe dignos ſuprema quadam adoratione. Et ſimiliter licèt re vera vna tantùm ſit ſuprema rerum omnium prouidentia, nihilominùs per errorem exiſtimare potuerunt Gentes, diuiſam eſſe curam, & gubernationem rerum vniuerſi, & alium Deum eſſe, qui curam habeat ſegetum, alium vinearum, alium aliorum fructuum, aut aquarum, & elementorum, ac cælorum vel metallorum, &c. vt latè proſequitur Auguſt. lib. 4. de Ciuitate, cap. 8. & ſeq.

Quomodo exiſtimari poſſit dari plura numina.

Auguſt.

12. Obiectio.

Dices, eſto crederent plures eſſe rerum vniuerſi rectores, ſeu moderatores, nihilominùs non potuiſſe exiſtimare omnes eſſe ſupremos dominos earum rerum, quibus præſident, & independentes ab omni alio, quia hoc apertè repugnat conuenienti regimini vniuerſi. Vnde Auguſt. ſuprà refert agnouiſſe Gentiles maiores & minores Deos, & inter omnes vnum ſupremum, quem Iouem appellabant, ergo licet alios colerent, quatenus illis indigere ſe credebant, non eſt neceſſe, vt proprium diuinitatis cultum eis tribuerēt.

Satisfit.

Reſpondeo de facto ipſo ſatis conſtare, Gentes erraſſe ſacrificando pluribus diis, ac ſubinde vnumquemque ex illis diis tanquam verum Deum, ſeu (quod idem eſt) ſub aliqua ratione ſupremæ excellentiæ colendo. Vnde veriſimile eſt credidiſſe, vnumquemque Deum in aliquo munere, ſeu præſidentia, & efficacia circa res aliquas habere ſupremam vim, & poteſtatem, etiamſi alij dicerentur maiores, alij minores iuxta dignitatem rerum, quibus præſidebant. Vel certè multi Gentilium, præſertim commune vulgus cæca quadam ignorantia, & falſa traditione, ac fide ducebantur, putantes ſingulis rebus vim quandam inuiſibilem, ac ſupremā præſidere, ideóque ſupremo cultu eſſe colendam, ſine vlla relatione ad vnum ſupremum creatorem & gubernatorem omnium, nec diſcurrebant, quomodo id fieri poſſet, aut quomodo ſine vno ſupremo numine, ac progenitore mundus poſſet ſubſiſtere.

13. Explicatur 2. difficultas aſſeritúrque ad fictā idololatriā non eſſe neceſſariam opinionem Deitatis in idolo.

Ad ſecundam difficultatem iam reſponſum eſt, ad fictam, ſeu apparentem idololatriam non eſſe neceſſariam opinionem diuinitatis in idolo, ſeu re adorata; ad veram tamen idololatriam neceſſariam eſſe talem opinionem, quia ſine tali opinione non poteſt eſſe affectus, & intentio ſignificandi verè, & ex animo ſupremam excellentiam in tali re ſic adorata; ſine hoc autem affectu, & intentione non eſt vera idololatria, vt declaratum eſt, quia, vt diximus, aliud eſt, eſſe veram latriam, aliud eſſe veram idololatriam: Et licèt non ſit de ratione veræ idololatriæ, vt contineat latriam re ipſa veram, oportet tamen, vt contineat illam veram, ſaltem ex intentione operantis. Ad confirmationem autem de Philoſophis agnoſcentibus vnum ſupremum Deum, & ſub illo alios: Reſpondetur 1. multos ex illis, licet inæqualitatem aliquam agnoſcerent, non tamen veram ſubordinationem, & dependentiam omnium ab vno, & ita illos feciſſe æquales ſaltem in aliqua independentia, & eminentia alicuius perfectionis vel poteſtatis. Et hac ratione plures coluiſſe vt ſupremos, & ſine vlla relatione ad ſupremum cultum vnius veri Dei, & hoc fuiſſe ſatis ad veram idololatriam. Secundò dicitur, multos fortaſſe ex illis, licet cognoſcerent vnum Deum, cui ſoli ſupremus cultus deberetur tanquā ſupremo principio, & fini omnium aliorum, nihilominùs exteriori cultu plures Deos æqualiter coluiſſe, vel adoratione omninò ficta, vt populo condeſcenderent, vt de aliquibus Auguſt. ſignificat; vel certè quia decipiebantur à dæmonibus, qui affectantes diuinos honores, illis perſuadebant ſibi etiā eſſe debitos propter inſignem excellentiam, & poteſtatem. Et vtroque modo poteſt intelligi, quod Paulus ad Rom. 1. dicit de Gentilibus Philoſophis, *Cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum illum gloriſicaſſe, & mutaſſe gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum & ſerpentium, &c. Et coluerunt* (concludit) *& ſeruierunt creaturæ potiùs, quàm creatori.*

Auguſt.

Rom. 1.

14. 3. Dubium enodatur.

Tertia præterea difficultas ex dictis expedita relinquitur. Fatemur enim poſſe externam honorem exhiberi ſine affectu honorandi, illam tamen non eſſe veram idololatriam, ſed omninò fictam; cuius deformitas, licèt contra religionem ſit, & ad idololatriam reducatur, tamen in illo genere actus imperfectus eſt, vt cap. ſeq. dicemus; & præter illam deformitatē habet etiam malitiam mendacij pernicioſi, & iniurioſi veræ religioni. Quod autem ibi additur, non poſſe haberi affectum colendi aliquem, vt Deum ſine opinione diuinitatis in illo, non eſt in vniuerſum verum. Nam ſicut duobus modis poteſt quis verbo proferre mendacium, ſcilicet vel putans ſe dicere verum, vel volendo loqui contra mentem, ita duobus modis poteſt quis velle exhibere diuinum honorem ei, qui non eſt verus Deus: Primò deceptus falſa opinione diuinitatis in illo cogitatæ: ſecundò ſine tali opinione per adulationem, vel diabolicum timorem volens adorare, & ſignum falſum excellentiæ exhibere; & vtraque eſt idololatria, licèt prior ſit magis propria, & omninò vera, nam poſterior falſitatem formaliter includit, etiam ex parte colentis, vt ſuprà declaratum eſt.

Dupliciter poteſt aliquis dare Dei honorē ei, qui non eſt Deus.

15. 4. Obiectio ſoluitur, declaratúrque quomodo ſint iam determinata ſigna ad colendum Deum.

Ad 4. difficultatem reſpondetur, licèt ex natura ſua nullum ſignum externum habeat ſignificationem determinatam ad excellentiam diuinitatis, nihilominus ex communi vel impoſitione, vel conſuetudine omnium populorum, ſacrificium, & quæ illud concernunt, vt templum, ſacerdotium, & ſimilia eſſe determinata ad diuinum cultum; & ideò quacunque inten-

De aliis signis indifferentibus.

intentione hæc tribuantur creaturæ, vt rei principaliter adoratæ, idololatriam committi aut veram, aut saltem affectatam, vel fictam. Vnde secundò dicitur, alia etiam externa signa adorationis, quæ de se indifferentia sunt ad latriam,& alios cultus,vt genuflexio, capitis inclinatio, & suo modo oratio, vel promissio, per intentionem colentium posse determinari ad cultum latriæ, & sic attributa creaturis propter se ipsas continere idololatriam. Si verò debita intentione referantur ad creaturam,non esse idololatriam, vt latiùs in 1.tom. tractando de adoratione Sanctorum, Reliquiarum, & imaginum declaratum est; per quæ ibi satisfactum est calumniis hæreticorum, qui Ecclesiæ crimen idololatriæ impudenter attribuunt, quæ hoc loco repetere necessarium non est. Vnde ad confirmationem negamus, Ecclesiam offerre sacrificium aliquibus creaturis, seu sanctis hominibus, vel dicare illis templa,sed vni tantũ verò Deo, licèt concomitanter, & secundariò intendatur peculiaris honor, & memoria alicuius Sancti in alicuius templi dedicatione, vel sacrificij oblatione Deo ipsi facta, quod non pertinet ad cultum latriæ,sed Duliæ, vt citato loco declarauimus. Incensi autem, vel aliorum suffituum cultus, aut suauium odorum concrematio, vel vsus candelarum ardentium, & similia, nec sunt sacrificia,sed sacramentalia quædam,seu accidentales cæremoniæ, nec continent latriæ cultum de se, vel ex impositione, sed per intentionem colentium determinantur. Et ita fiunt interdum, vel in honorem Sanctorum ad significandam eorum sanctitatem, vel ad excitandos animos fidelium ad deuotionem vnicuique rei congruentem.

CAPVT V.

De origine Idololatriæ,quænam fuerit.

1.

Quæ causa idololatriæ, & quo tempore inceperit.

HÆc quæstio non difficilè potest ex dictis in præcedenti capite definiri. Potest autem intelligi vel de origine causali,vt sic dicam, id est, de causis & occasionibus idololatriæ, vel de temporaria origine, id est, de initio temporis; in quo introduci cœpit idololatria: Et vtramque partem attingit D. Thom. dist.q.94.artic. 4. priorem in corpore articuli, posteriorem in solutionibus argumentorum. Quod ergo ad priorem sensum attinet, docet D.Thom.idololatriam partim ex ignorantia veri Dei, partim ex praua hominum dispositione quoad effectum, partim ex deceptione dæmonum originem duxisse. Alij verò ex Sap. 14.simpliciter asserunt, originem idololatriæ fuisse ex erectione statuarum, & imaginum in memoriam mortuorum, accedente potẽtia,& tyrannide hominum potentium, & nimium diligentium mortuos suos, eorúmque honorem affectantium. Distinguendum autem videtur de duplici idololatria: Nam quædam committi potuit, & inchoari sine imaginibus,vt significat D.Thom.dicta q. 94. art. 1. ad 4. alia cum imaginibus, & idolis sensibilibus, & prior modus facilè contingere potuit in idololatria,quæ in physica Theologia nitebatur, posterior verò in ciuili, & fabulosa Theologia maximè locum habet.

D.Thom.

Sap.14.

Idololatria quædã sine imaginibus fiebat, alia cum illis.

2

Vnde prima fuerit orta.

Dico ergo, priorem idololatriam abstrahentem ab idolis sensibilibus ortam fuisse ex ignorantia veri Dei,& imbecillitate humani discursus, adiuncta hominum negligentia, & dæmonum industria, ac deceptione. Hoc ferè totum colligitur ex cap. 13. Sap. quod ita incipit: *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, nec operibus attendentes agnouerunt, quis esset artifex.* Et subiungit, hanc ignorantiam fuisse culpabilem, & ex illa ortum fuisse errorem colendi partes vniuersi vt Deos, quæ idolatria per se imagines non requirit. Ratio etiam hoc ostendit,quia Theologia naturalis, seu Physica non est orta ex ciuili vel fabulosa:nam potiùs philosophi,qui in suis scholis illam tradebant,in suis etiam libris popularem, & fabulosam idololatriam irridebant, licèt fortasse in vsu illius,consuetudine quadam, & humano timore ducerentur,vt in Varrone,& aliis Augustinus reprehendit,ergo error illius Theologiæ,Physicæ non est ortus ex imaginibus,sed potiùs si in illo genere idololatriæ vsus idolorum, seu inanium imaginum adiunctus est, ille ortus est ex falso errore plurium Deorum præsidentium diuersis mundi partibus, aut rebus corporeis, ad quarum similitudinem imagines formabantur. Ita enim bouem,vitulum,serpentem,& species similes in suis imaginibus adorabant,quia putabant, diuersa numina inuisibilia his rebus præsidere,quæ in illis imaginibus colebant: Et eâdem mente alij colebant Solem,Lunã,ignem,&c. tanquam mundi partes in se diuinum aliquid continentes, quibus postea imagines dicarent, vt eas magis præsentes haberent, vt apertè sentit D.Tho.in dicto art.1.

Aug.

D.Thom.

3.

Idololatria cum imaginum cultu ex nimio affectu mortuorum orta est.

Secundò verò dicendum est, idololatriam cum cultu, & veneratione sensibilium simulachrorũ sculptilium, & falsarum imaginum originem, vel occasionem habuisse ex nimio affectu ad aliquos homines mortuos, & desiderio præsentiæ illorum, accedente tyrannide,vel nimia Principum assentatione, & adulatione,quæ prauam consuetudinem induxit, & paulatim errorem auxit,cooperante dæmone suis præstigiis,ac deceptionibus. Hæc etiam assertio sumitur ex Sap. 14. vbi priùs dicitur, idolorum vsum non fuisse ab initio,sed ab hominibus otiosis,& vanis inuentum esse; modum autem inuentionis describit Sapiens dicens: *Acerbo luctu dolens pater,citò sibi rapti filij fecit imaginem, & illum, qui tunc tanquam homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & constituit inter seruos suos sacra,& sacrificia. Deinde interueniente tempore,conualescente iniqua consuetudine,hic error tanquam lex custoditus est, & tyrannorum imperio colebantur figmenta.* Et posteà subiungit,ideò fecisse homines imagines eorum,quos honorare volebant, *Vt illum, qui aberat, tanquam præsentem colerent. Et hæc* (concludit Sapiens) *fecit vitæ humanæ deceptio, quoniam aut affectui, aut regibus deseruientes homines,incommunicabile nomen lapidibus, & lignis imposuerunt.*

Sap.14.

4.

Obiectio.

Obiici autem potest,idololatriam hanc potiùs duxisse originẽ ex affectu filij erga parentem mortuum, quàm ex affectu patris ad filium, vt Sapiens dicit. Assumptum patet ex multorum Patrum sententia asserentium, mortuo Belo primo Assyriorum Rege, Ninum filium eius, in solatium doloris imaginem illius erexisse, cui tantam reuerentiam exhibebat, vt reis omnibus ad eam confugientibus pepercerit, & ideò homines imaginem illam diuinis honoribus colere incepisse. Ita refert Abul.cap.4.Genes.q.13. in fine,& cap.quæst. 34. in fine ex Euseb. Ioseph; sed Ioseph locum inuenire non potui, neque Eusebij. Quamuis enim hic in Chronic. in principio dicat, Ninum Beli filium fundasse ciuitatem Niniue, nihil dicit de imagine Beli à Nino erecta. Isidorus autem libr. 8. Etymol. cap. vlt. magis hoc indicat, dum ait, Bel fecisse idolum Babylonicum, & subiungit. *Fuit autem Bel pater Nini primi Assyriorum Regis.* Idem sentit Hieronym. Oseæ 2. circa illa verba: *Et erit in die illa:* dum ait, *Ninum in tantam peruenisse gloriam, vt patrem suum Belum referret in Deum.* Et subdit inferiùs. *Didicimus exordium dæmonis, imò hominis in dæmonem consecrati.* Ambrosius etiam idem affirmat,si eius sunt commentaria in Paulum, quæ sub illius nomine circumferuntur in id ad Rom. 1. *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei,&c.*

Abulens. Isidor. Euseb. Ioseph.

Hier.

Ambros.

Rom.1.

Accedit

5. Accedit quò multi existimant, idololatriam per A vsus simulachrorum incepisse à tempore Enos filij Seth, & nepotis Adæ, non quod credendum sit, ipsum fuisse idololatram, id enim verisimile non est, nec in Scriptura indicatur, imò potiùs contrarium; sed quod ipse cœperit Dei imaginem ritu Catholico erigere iuxta illud Gen. 13. *Iste cœpit inuocare nomen Domini:* Et inde alij sumpserint occasionem idola condendi, & depingendi Deum sub forma sensibili tanquam propria Dei, quod ad idololatriam pertinet. Ita sentit Dionysius Carthu. sequens scholasticam historiam, quam refert Genes. 4. Et sumitur ex Hebræorum lectione & interpretatione, quam ibi Lipomanus in Catena refert ex Hieron. in q. Hebr. super illum locum. Nec dissentiunt Hugo Card. Oleaster, & Hon- B cala ibidem. Si autem hoc verum est, longè diuersum initium habuit idololatria per imagines falsas, quàm Sapiens describit. Denique licèt daremus idololatriã fabulosam habuisse illud initium, quod profert Sapiens, nihilominùs ciuilis idololatria, quæ etiam est per imagines, potuit esse antiquior: non enim orta est ex amore parentum, aut filiorum mortuorum, sed ex dæmonum industria, ac deceptione. Vnde verisimile est, illud idololatriæ genus esse antiquissimum, quia dæmon semper fuit valdè sollicitus in deceptione hominum, maximè affectando sibi diuinos honores.

Genes. 13.

Dionys. Carth. Lipom. Hieronym. Hugo. Oleast. Honcala.

6. Respondent aliqui, Sapientem loqui de priuato cultu, historiam autem de Nino intelligi de publico: quia Ninus fuit primus, qui occa- C sionem dedit publicæ idololatriæ, imaginem patris publicè erigendo & proponendo, vt à populis coleretur: nihilominùs tamen fieri potuisse, vt ante illum acciderit, quod Sapiens narrat, vt homo aliquis potès ex amore filij præmaturè mortui, eius imaginem depingi fecerit, & priuatim illam coluerit. Sed profectò etiam Sapiens loquitur de publico cultu per ritum sacrorum & sacrificiorum, & per inductionem subditorum ad illum ritum seruandum, vt ex contextu constat. Meliùs dici posset, Sapientem non facere vim in hoc, quod occasio huius idololatriæ fuerit amor parentis ad filium mortuum, vel amor filij ad parentem mortuum, sed in hoc, quod ex affectu ad præsentiam, & reuerentiam mortuorum hominum illa oc- D casio sumpta sit: & ita sentiunt, ac loquuntur Doctores citati, præsertim Hieronymus & Ambrosius, & optimè Cyprianus lib. de Idolorum vanitat. Vnde reliqua, quæ in particulari dicuntur, videntur poni gratia exempli, nam fieri quidem potuit, vt & filius ex amore patris, & pater ex affectu ad filium, & subditi ex affectu ad Regem, & amicus ex affectu ad amicum illi consuetudini initium dederit. Sapiens autem vnum, vel aliud exemplum indicat, non verò excludi alia, nec dicit illud exemplum de amore patentis ad filium fuisse omnium primum. Potuit ergo aliud de Nino præcedere.

Respõsio aliquorum.

Impugnatur.

Vera solutio.

Hieron. Ambros. Cyprian.

7. Addo verò, illud etiam satis incertum esse, vt ex allatis Auctoribus constat: Ideóque verisimile esse E credo, Sapientem attingere historiam de aliquo parente, qui filij emortui fecit imaginem, & illi consuetudini initium, seu primam occasionem dedit. Quam historiam multi profani Auctores fortasse ignorauerunt, & ideò dixerunt, Ninum fuisse primum, qui vsum illum inchoauit. Non tamen desunt etiam inter profanos Auctores, qui illius historiæ mentionem fecerint: Nam diuus Fulgentius (si eius est opus) in lib. 1. Mytholog. §. *Vnde idolum dicatur*, in hunc modũ scribit: *Diophanes Lacedæmonum auctor libros scribit antiquitatum viginti quatuor, in quibus ait Syrophanem Ægyptium familia, substantiáque locupletem filium genuisse, quem velut enormis substantiæ successorem, ineffabili vltrà quàm paternitas exigebat affectu erga filium deduum. Vsque dum aduersis fortunæ incursibus raperetur, patri geminæ orbitatis crudele dereliquit elogium, &c.* Et infrà. *Denique doloris angustia, quæ semper inquirit necessitatis solatium, filij sibi simulachrum in ædibus instituit.* Et infrà. *Denique idolum dictum est Idodynin, quod nos Latini speciem doloris dicimus. Námque vniuersa familia in domini adulationem, aut coronas plectere, aut flores inferre: aut odoramenta simulachro succendere consueuerat: nonnulli etiam seruorum culpabiles, domini furiam euitantes, & ad simulachrum profugi veniam merebantur, & quasi salutis certissimo collatori florum, aut thuris offerebant munuscula, timoris potiùs effectu, quàm amoris affectu.*

Solúitur aliter argumẽtum.

Ad secundam partem, quæ posteriorem sensum quæstionis suprà positum attingit, respondeo verisimile esse, quod D. Thom. dicto art. 4. ad 2. docet, in prima mundi ætate non fuisse vsum idololatriæ, quod etiam sequitur Abul. locis citatis. Quia cognitiovnius veri Dei ab Adamo tradita tam erat recens, viuente adhuc ipso Adamo, vt nec cogitatio plurium Deorum, nec idololatria videatur potuisse tam citò introduci. Quæ ratio licèt non conuincat de toto tempore illius primæ ætatis vsque ad diluuium, neque de tota multitudine hominum in varias congregationes, & populos iam diuisa; in quibus ferè omnibus innumera vitia percrebuerãt, quibus ratio, & traditio obscurari, & obliuioni mandari potuit; persuadet nihilominùs non incepisse à temporibus Enos, nec occasione illius. Et certè in Scriptura hoc nullum habet fundamentum, maximè iuxta vulgatam lectionem, quæ à nobis retinenda est, in qua solùm dicitur Enos cœpisse *inuocare nomen Domini*; quod non oportet intelligi de ritu imaginum, sed de aliquo quocunque solenni ritu per publicas deprecationes, vel templa, aut sacra, vel certa sacrificia communia, vt alij multi exponunt, & videri potest in Mendoza quodlib. q. 7. positiua. Et licèt daremus Enos incepisse Dei imagines instituere ad instructionem, & memoriam: per metaphoricam aliquam repræsentationem, non per propriam similitudinem id fecisse credendum esset. Quòd verò inde sumpserint alij occasionem idola fingendi, Scriptura non docet, nec est fundamentum ad id asserendum.

8. In prima mundi ætate nõ fuisse idolatriam. *D. Thom. Abulens.*

Idololatria non incepit occasione Enos.

Mendo.

9. Alij verò dicunt, Enos fuisse tam pium & sanctum, vt cœperint illum inuocare, eíque tanquam Deo imaginem dicare; quod significat Theodoretus quæst. 47. in Genes. Et Anastasius Nicænus in quæst. Eccles. Et alij citati in Catena Lipom. Genes. 4. Sed neque hoc fundamentum habet in Scriptura, vt ex dictis constat, quia Scriptura non dicit passiuè, *incepit inuocari*, sed actiuè, *incepit inuocare*; & licèt passiuè loqueretur, iuxta illam lectionem non diceretur, ipsum Enos incepisse inuocari, sed tunc, id est, eo tempore cœpisse inuocari Deum, vel speciali ritu publico, vt dixi, vel speciali nomine Iehoua, vt Caieta. ait. Nullum ergo habemus fundamentum, vt dicamus tunc incepisse idololatriam, præsertim per imagines, & figuras hominum. Quando autem inceperit, incertum mihi est: nam auctores varia referunt, & nullam certam, vel satis probabilem historiam produnt. De qua re videri possunt Lactant. lib. 1. cap. 22. & lib. 6. c. 11. & sequen. Euseb. lib. 10. de præpar. Euangel. & in Chron. anno mundi ter millesimo sexcentesimo quinquagesimo, August. lib. 4. de Ciuit. & sequentibus vsque ad 8. Isidor. lib. Etymol. cap. 11. & Cæl. Rhodig. lib. 8. Lect. antiq. cap. 36. & Polyd. Virgil. de rerum inuent. c. 3.

Quidam dicunt ita pũ fuisse Enos, vt tanquam Deus coleretur ab hominibus. *Theod. Anastas. Nican. Lipom.*

Impugnatur. *Caietan.*

Euseb. August. Isidor. Cal. Rhod. Polyd. Virgil.

10. Ad tertiam partem concedo, Sapientem præcipuè loqui de fabulosa idololatria, à qua vel non distinguit ciuilem, vel de illa specialiter non loquitur. Vnde licèt fortè acciderit, idololatriam ciuilem alicubi introductam esse industria dæmonum sine illa speciali occasione, quam Sapiens assignat, illud non re-

Priùs fuerũt ab hominibus imagines institutæ, quam dæmones se illis insinuassent.

pugnaret assertioni Sapientis, sed esset res diuersa, A de qua Sapiens non loquitur, neque illam excludit. Addo tamen, verisimilius esse, priùs fuisse ab hominibus inchoatas, & in æstimatione habitas imagines hominum, & posteà dæmones sese insinuasse, & cœpisse per illas imagines aliqua responsa dare, vel alia prodigiosa facere, vt homines deciperent, & in eis aliquid diuinum esse persuaderent. Atque ita concluditur, priùs fuisse imagines, vt imagines repræsentantes homines, quàm vt idola deificata putatiuè (vt sic dicam) per immissionem, seu coniunctionem inuisibilium spiritum. Est autem valdè consentaneum & testimonio Sapientis, & humanæ coniecturæ, imagines hominum cœpisse depingi occasione mortuorum hominum, vel absentium, & ex affectu B nimio ad illos, cœpisse etiam in veneratione haberi. Vnde tandem concluditur, primam occasionem totius idololatriæ siue fabulosæ, siue ciuilis per imagines ex dicto affectu faciendi præsentes homines mortuos incepisse, prout Sapiens significat.

11. An priùs fuerit idololatria sine imaginibus, an cum illis.

Sed quæri potest, comparando inter se idololatriam sine imaginibus & cum imaginibus, quænam illarum antiquior fuerit, & priùs inceperit, ac subinde quodnam fuerit primum totius idololatriæ initium. Videri enim potest verisimile; idololatriam cũ imaginibus fuisse omnium primam, & maximè illam, quæ per adorationem hominum mortuorũ inchoata est. Hoc suadet in primis locus Sapient. 14. suprà *Sap.14.* C tractatus. Deinde quia munus philosophandi, & inquirendi Deum ex creaturis, non videtur tam antiquus sicut idololatriæ imaginũ. Nam tempore Abrahæ iam erant idola, quæ progenitores eius adorabant, *Iosue. 14.* vt ex Iosue 14. constat, vbi sic habetur. *Trans fluuium habitauerunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham, & Nachor, seruierúntque Diis alienis.* Quicquid enim sit de illa quæstione, An Abraham etiam fuerit idolatra, (quæ nunc nobis necessaria non est, & de illa videri potest Mendoza suprà) certum ex illo loco est, partem, & auum eius fuisse idololatras, & incertum est, An etiam proauus, vel alij progenitores eius magis remoti, idololatræ fuerint, vel quando cœperit post diluuium vsus idololatriæ in illa progenie. Certum item est, cultum illum falsorum deorũ fuisse D per sensibilia idola, tum quia hoc solet intelligi in Scriptura nomine falsorum deorum; tum etiam quia Laban pater Rachel huiusmodi habebat idola, quæ *Genes.31.* Rachel furata est. Genes. 31. quæ quasi iure hæreditario, & patrio more in illa familia retinebantur. At philosophorum sectæ, & opiniones recentiores sunt, vt latè tractat Euseb. lib. de præpar. Euang.

Euseb. 12. *Euseb.* Idololatriã sine imaginibus priùs fuisse in vsu testatur Eusebius.

His verò non obstantibus, idem Eusebius Cæsar. lib. 1. de præparatio. Euangel. sentit idololatriam sine imaginibus priùs fuisse in vsu, quàm cum illis. Nam colere Solem & Lunam, & alias partes mundi tanquam Deos, idololatria est; refert autem Eusebius. *Ægyptios primos omnium Solem & Lunam Deos putasse: Quibus non sanguinem, aut nidorem offerebant, sed fruges* E *terræ, quam etiam ipsam vt Deum adorabant.* Quæ ibi, & alia multa ex Porphyrio refert, & ex Platone in Cratylo. Addit verò, eo tempore homines tunc non fuisse vsos simulachris, aut templis, *quia neque pingere, neque fingere, aut cælare, sed nec ædificare adhuc sciebant.* Vnde infrà concludit: *Quibus omnibus apertissimè liquet non fuisse apud Græcos, vel Barbaros simulachrorum dedicationem, &c.* Itaque pro comperto habet, idololatriam creaturarum cælestium sine idolis ab hominibus fabricatis antiquiorem fuisse, non tam ex propria Philosophorum inuentione, quàm ex quadam admiratione cælestium corporum, & siderum, & præsertim Solis & Lunæ.

Porph. Plato.

13. Sed licèt hoc probabile sit quoad priuatum cultum, quem vnusquisque sibi eligebat iuxta proprium errorem, vel opinionem, tamen loquendo de publico cultu per dedicationem templorum & sacrificiorum, dicendum est incepisse cum idolis, & ab illis initium accepisse. Quia Sapient. 14. expressè dicitur. *Initium fornicationis, idolorum inuentio.* Loquitur autem ibi Sapiens de propriis idolis arte factis, & fornicationem vocat, iuxta communem phrasim Scripturæ, superstitionem colendi creaturas diuinis honoribus; ergo necesse est, vt dicamus saltem communem, & quasi generalem corruptionem hominum in hac parte, ab idolorum, & vanarum imaginum fabricatione, & dedicatione initium sumpsisse. Vnde etiam verisimile fit, originem illam, quam ibi ponit Sapiens de nimio affectu ad homines mortuos, & exemplo, ac coactione tyrannorum, fuisse primam occasionem huius corruptelæ, quæ posteà aucta fuit, præsertim ex propensione hominis ad præsentiam sensibilem rerum, quas colit, partim ex industria dæmonum, vt suprà declaratum est.

Probabile illud esse de cultu priuato, seu de publico dicendum. *Sap.14.*

CAPVT VI.

Quàm sit grauis culpa idololatriæ, & quæ pœna illi imposita sit.

1. Idololatria est peccatũ grauissimũ ex suo genere. *D. Thom.* Primus modus idololatriæ.

QVod ad culpam attinet, constat, hoc esse gratissimum peccatum ex genere suo. Hoc de fide certum est, & euidens lumine naturali, vt omnes Theologi sentiunt cum diuo Thoma dicta qu. 94. art. 2. & 3. Ad explicandam verò hanc malitiam, & varios eius gradus, distinguendi sunt tres modi suprà insinuati, quibus committi potest hoc peccatum. Primus est, quando ex infidelitate mentis procedit, & ex errore circa Deorum multitudinem, & tunc manifesta est huius peccati grauitas: Tum quia ita sentire de Deo, grauissimum peccatum est, ergo errorem illum exterius profiteri, etiam est grauissimum peccatum: sed illa idololatria tunc est quædam professio falsæ fidei, & existimationis de Deo, ergo. Tum etiam quia tale peccatum est directè, & formaliter contra honorem Deo debitum, nam sicut diuina excellentia singularis est, ita etiam postulat singularem cultum, & honorem, ergo contra illius honorem directè fit, quoties incommunicabile nomen Dei, & consequenter incommunicabilis honor alteri, quàm vero Deo communicatur.

2. An possit interuenire ignorãtia inuincibilis circa multitudinẽ Deorum. *D. Thom.*

Sed quæres, An in huiusmodi errore possit inuincibilis ignorantia interuenire? Aliqui enim simpliciter negant, quia tale crimen tam apertè repugnat lumini naturæ, vt nulla possit esse excusatio sufficiens talis erroris. Alij absolutè affirmant, quia de tota fide, atque adeò de Deo ipso vero, & vno potest dari inuincibilis ignorantia, vt sumitur ex diuo Thoma 2. 2. qu. 10. artic. 1. quia licèt Deus possit euidenter cognosci lumine naturæ, non tamen adeò facilè, quin vel doctrina, vel inquisitio sufficiens necessaria sit: potest autem vtraque deesse absque hominis culpa, ergo tũc poterit esse ignorantia inuincibilis. Verumtamen hæc quæstio ad materiam de fide spectat. Et ideò breuiter dico si quis habeat aliquam cognitionem vnius Dei, & erret putando esse alios Deos, quibus diuinus cultus tribuendus sit, nullo modo posse per ignorantiam inuincibilem excusari. Sic enim dicit Apost. ad Rom. 1. fuisse inexcusabiles Philosophos, *quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, &c.* Quia ipsamet existimatio vnius veri Dei erat sufficiens ad illam ignorantiam, & deceptionem expellendam, si vellent aduertere. Nam qui credit, & recognoscit esse in Repub. vnum supremum Regem, quomodo ignorare potest peculiarem honorem illi debitum

Resoluitur quæstio.

Rom.1.

non

non esse alteri tribuendum? At verò si quis omninò ignoret Deum verum, & vnitatem eius, excellentiámque supremi numinis, pro ratione talis ignorantiæ, excusabitur vel à culpa, vel à tanta culpa colendi plures Deos. Hoc constat, quia si illa ignorantia culpabilis sit, non excusabit quidem culpam, tamen quatenus ignorantia est, aliquo modo minuet illam; si verò contingat, ignorantiam esse inuincibilem, excusabit omninò culpam, vt constat. An verò id possit contingere, in materia de fide dicitur ex professo. Nunc dico, vel illam nunquam dari, vel saltem esse rarissimã, & non posse inueniri, nisi in homine adeò rudi, vt vix censeatur habere plenum vsum rationis, præsertim in his superioribus rebus. Vt contingere potest in aliquo Gentili, qui & nullam rectam instructionem habet, neque per se philosophari valet, vt multi nunc inueniuntur in Æthiopia, Brasilia, & aliis similibus regionibus.

3. Secundus modus peccandi per idololatriã.

Secundus modus peccandi per idololatriam esse potest sine propria mentis infidelitate, cum effectu tamen tribuẽdi diuinum honorem alteri, quam Deo vero. Vt si quis credens, Dæmonem non esse Deum, velit illi exhibere sacrificium aut aliquid simile, animo honorandi ipsum, vt eum sibi habeat propitium. *D. Thom.* Et circa hunc modum refert D. Thom. dicto art. 2, veterum sententiam, asserentium hoc non esse malum, quia idem honor præsertim externus, qui creatori tribuitur tanquam debitus, potest sine culpa simul tribui creaturæ propter aliquam insignem excellentiam eius, vel propter aliquod commodũ. Sed hoc non solùm est hæreticum, sed etiam contra rationem naturalem, quia cùm adoratio debeatur ratione excellentiæ, vbi est propria, & incommunicabilis ratio excellentiæ, etiam debet esse incommunicabilis adoratio; excellentia autem, & ratio adorandi Deum vnica est, & incõmunicabilis puræ creaturæ, ergo & adoratio, quam latriam vocamus. Quæ ratio non solum probat de interna adoratione, sed etiam de externa, quæ ad Deum specialiter determinata est, vt illius singularem excellentiam, & dominium significat, qualis est sacrificium: & ideò sacrificium offerre creaturæ tam intrinsecè malũ est, sicut *Augusti.* verbis confiteri illam esse verum Deum, vt ait Aug. lib. 10. de Ciuit. cap. 19. Vnde sicut esset crimen læsæ Maiestatis humanæ, in vno regno alium vt Regem recognoscere præter verũ Regem saltem exterioribus signis regum honorem ei deferendo, ita est crimen læsæ Maiestatis diuinæ, diuinum honorem creaturæ tribuere præsertim animo, & affectu honorandi illã.

4. Prior idololatriæ modus comparatur cum hoc secundo in grauitate.

Quin potiùs si hunc secundum idololatriæ modum cum primo comparemus, videtur hic esse damnabilior, quia est cum certa scientia, & cognitione Dei; & ideo maiorem contemptum, & formalius mendacium pernicioſum inuoluit: Vnde licèt prior peccandi modus sit deterior quantũ ad id, quod supponit, scilicet infidelitatem, & errorem; nihilominùs quoad id, quod formaliter ponit, id est, quoad propriã culpam Religioni contrariam, peior est ratione modi *D. Thom.* hic posterior modus peccandi, quàm prior. Sicut D. Thom. 22. q. 10. art. 6. dixit simpliciter grauiorem infidelitatem commiti per hæresim, quam per Paganis- *Augusti.* mum, quia illa est cum maiori cognitione veritatis, & repugnantia eiusdem fidei, vt declarauit Aug. lib. 21. de Ciuit. c. 25. ita in præsenti ex genere suo grauius est peccatum idololatriæ hoc secundo modo commissum, quàm primo. Accedit, quòd vix potest aliquis sciens, aut credens soli vero Deo esse latriam tribuendam, velle illam ex animo tribuere creaturæ, nisi ex Dei odio, & ad vindictam sumendam de illo, sicut operantur Dæmones, & damnati. Qui modus operandi & supponit summam peruersionem voluntatis, & illam participat. Dices posse interdũ id fieri sine tali odio, aut intentione vindictæ ex adulatione quadam vel ex concupiscentia, aut timore inordinato, sicut posset accidere in simili crimine læsæ Maiestatis humanæ. Respondetur hoc esse verum de tertio modo idololatrandi ficto animo, de quo statim dicetur; nam ille satis est ad fines prædictos, nec inter homines plus inuenitur: At verò hîc loquimur de adoratione ex intentione, & affectu, quæ ad solam adulationem, vel ad satisfaciendum affectui alterius necessaria non est, & ideò regulariter quando talis adoratio fit ex animo, & contra veritatem cognitam, maximè videtur procedere ex odio Dei, vel ex formali contemptu illius; licèt non repugnet etiam fieri ex indiscreta, & voluntaria adulatione, assentatione, vel alio simili affectu.

Obiectio.

Responsio.

5. Tertius idololatriæ modus, quando exhibitur externum signum sine errore intellectus, & sine affectu colendi. *Augusti. Lact.*

Tertius modus committendi idololatriæ peccatum est sine errore intellectus, & sine affectu colendi creaturam vt Deum, sed solùm exhibendi signum externum adorationis soli Deo debitæ cum exteriori significatione adorandi creaturam sine intentione cultus. Sicut de Seneca refert August. lib. de Ciuit. c. 6. & de Platonicis lib. 10. c. 1. & de Cicerone Lactan. lib. 2. de Orig. error. c. 3. Qui philosophi, & multi alij in hoc etiam videntur errasse, quod non putarunt hunc modum idololatriæ prauum esse, quando fit ob ciuilem causam, vel saltem (vt alij voluerunt) quando fit necessitate vrgente ad vitandum grauissimum malum mortis, vel aliud æquiualens. In quem errorem lapsi sunt etiam antiqui philosophi, vt testis est Aug. lib. de vera Relig. c. 5. & lib. 6. de Ciuit. c. 10. Et idem secuti sunt antiqui hæretici, vt testatur D. Tho. dicto *D. Thom.* art. 2. Sed hic error ex professo impugnatur in materia de Fide, vbi ostenditur, non solam fidem esse de necessitate salutis, sed etiam fidei confessionẽ, iuxta illud ad Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem* *Rom. 10.* *confessio fit ad salutem.* Illa autem idololatria externa, licèt ficta, est contra fidei confessionem, nam est confessio alterius Dei, & consequenter continet negationem veri Dei, nam duo simul esse non possunt. Vnde etiam illa fictio, est Religioni contraria, tum quia continet pernicioſum mendacium contra Dei honorem, scilicet quod alter sit Deus, vt D. Thom. rectè dixit; tum etiam, quia qui sic colit falsos Deos, decipit alios perniciosè, quia veraciter cum agere existimant, vt August. suprà dixit, vnde grauissimum *August.* scandalum in eis generat. Et ideò Eleazarus sanctissimè respondet 2. Machab. 6. præmitti se potiùs velle *2. Mach. 6.* in sepulchrum, quàm tale peccatum committere; *Non enim ætati nostræ dignum est* (inquit) *fingere, vt multi adolescentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, & per hoc maculam, atque execrationem meæ senectuti conquirã.* Est igitur sine vlla dubitatione grauissimum hoc peccatum, & diuino honori, ac Religioni valde contrarium. Vnde Christus Dominus Matth. 10. aiebat: *Matth. 10.* *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est, qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.*

6. Probatur externam idololatriã esse malum.

Denique ratio est manifesta, quia huiusmodi actus externæ idololatriæ est intrinsecè malus, nã est mendacium pernicioſum Deo iniurioſum, & hominibus valdè scandaloſum, ergo quocunque respectu timoris, vel amoris humani factum, semper malum est, & Religioni contrarium. Dices; Quomodo potest actio exterioris adorationis ad peccandum sufficere, si voluntas desit, cum ratio peccati in voluntate sit? Item illa non est vera idololatria tria, sed ficta, ergo nec est verum peccatum, sed apparens. Item aliàs esset ido-

Dubia aliquot proponuntur.

Enodantur.

lolatra Tragœdus, qui in theatro exteriùs exhibet diuinum honorem alteri repræsentanti personam Iouis, quod constat esse falsum. Sequela verò patet, quia ibi exhibetur actio externa honoris absque voluntate. Respondetur ad 1. hoc peccatum non committi sine voluntate, quia illa actio exterior voluntariè exhibetur, licet fiat sine intentione honorandi. Vnde ad 2. dicitur, illud esse verum peccatum externæ idololatriæ, licèt desit interior, respectu cuius illa exterior actio dicitur ficta idololatria, quia falsam significationem habet, non quia veram malitiam non habeat. Ad 3. verò negatur sequela, quia Tragœdus etiam exteriùs non seriò exhibet honorem, sed solùm repræsentat, qualiter exhiberi solet; de ratione autem huius fictæ idololatriæ est, vt exteriùs seriò exhibeatur, profitendo exteriùs verè, & ex animo exhiberi, etiamsi falsò, & cum mendacio id fiat.

7. Vtrum hic tertius modus excedat præcedentes in grauitate.

Hîc verò inquiri potest, comparando hunc modum idololatriæ ad præcedentes, in quo illorum grauior malitia reperiatur. Videri enim potest hoc vltimum genus peccati esse grauissimũ inter dictos idolatriæ modos. Nam in primis includit totam malitiam superstitionis, & idololatriæ, deinde fit ex certa scientia, & non ex ignorantia, in quo excedit primum peccandi modum, ac denique addit pernicioſum mendacium, in quo excedit secundum modum peccandi. Vnde Augustinus lib. de Ciuit. c. 10. dicit Senecam eo damnabiliùs coluisse idola, quò id mendaciter agebat. Nihilominùs certum est hunc postremum peccandi modum non esse tam grauem, quam secundũ. Probatur, quia secunda, est vera idololatria, hæc tertia, est tantùm simulata. Item illa, est formaliter in ipsomet affectu, à quo grauitas malitiæ maximè dependet, hæc verò est tantùm in voluntaria exhibitione externi signi honoris, sine affectu honorandi. Item in vtroque illo modo idololatriæ inuenitur mendacium, non solùm materiale, sed etiam formale, quia vtroque modo attribuitur exteriùs diuina excellentia illi, in quo non existit. Quod si aliqua maior ratio mendacij in tertio modo inuenitur, non auget malitiam, sed potiùs minuit, quia minus malum est, falsò ostendere affectum honorandi idolum, quàm talem affectum habere, & opere ostendere. Denique ratio scandali respectu aliorum non minùs in secundo modo, quàm in tertio reperitur, vt constat.

Augustinus.

August.

Resoluitur quæstio.

Vnde Augustinus in citato loco non loquitur de sola ficta adoratione idolorum tertio modo facta, sed de quacunque mendaci adoratione falsi Dei, etiamsi absque existimatione diuinitatis in re sic adorata fiat: Nam verisimile est, Senecam, de quo ibi Aug. loquitur, ex animo adorasse idola Gentium, quamuis certò sciret, Deos non esse. Vel certè mens Aug. fuit dicere, peccatum Senecæ in particulari grauius fuisse, quàm peccatum communis populi adorantis eadem idola, ob circunstantiam grauiorem scandali, quod ex actu talis personæ sequebatur, & non ex aliis. Hoc autem accidentarium est, nos verò loquimur per se, & comparatione facta ad easdem personas, ac cæteris paribus. Comparando autem inter se primum, & tertium modum colendi idola, videntur se habere, sicut excedens, & excessus: Nam primus excedit, tum quia supponit infidelitatem in tali persona, tum etiam quia includit affectum verum adorandi falsum Deum. Tertius autem modus excedit, quia est peccatum ex certa scientia, & non est ignorantia, sicut primus: & consequenter quia regulatiter, & ordinariè fit cum maiori scandalo propter circunstantiam personæ. Vnde dicendum videtur per se, & intra grauitatem superstitionis, in primo modo esse maiorem malitiã, per accidens verò, & propter nocumentum proximi posse tertio modo grauiùs peccari contra charitatem; & ratio vtriusque partis facilè constat ex dictis.

9. Vtrum idololatria sit grauius peccatum omnibus aliis.

Vlteriùs verò fieri potest comparatio inter idololatriæ peccatum in tota latitudine sua spectatum in supremo gradu malitiæ, quem intra suum genus habere potest, ad omnia alia peccata aliis virtutibus etiã Theologicis contraria. Vnde potest secundò inquiri, An idololatria sit grauius peccatum, quàm cætera omnia aliis virtutibus, vel ipsi Religioni opposita. Et quidem inter peccata Religioni cõtraria omnes Doctores communiter fatentur, hoc esse maximum, quia est crimen læsæ Maiestatis diuinæ, maximè contrariũ singulari eius excellentiæ, & honori. Vnde non est etiam difficile creditu, quòd sit ex suo genere grauius, quàm cætera peccata virtutibus moralibus opposita, vt ex dicendis magis patebit. Sed difficultas est, comparatione facta ad peccata oppositа Theologicis virtutibus. Aliqui enim Thomistæ id etiam contendũt. eo quòd D. Th. dicta q. 94. art. 3. in corpore simpliciter dixerit, idololatriæ peccatum secundùm se, & ex parte ipsius peccati, id est, ex vi suæ speciei, grauissimũ esse inter omnia peccata, quæ contra Deum cõmittuntur, quia idololatria, quantum est in se, facit alium Deum in mundo, minuens diuinum principatum. & in solut. ad 1. defendere conatur non solùm veram idololatriã, sed etiam fictam excedere infidelitatem in malitiæ grauitate, & idem sentit de desperatione, & odio Dei, nam de illis omnibus argumentum procedebat. Et ita exponit, & sentit Caiet. dicens, idololatriam esse grauius peccatum, quam odium Dei, & infidelitatem, quia vtrumque includit, *quoniã vtriusque protestatio est: Colens namque idola,* (inquit) *quantum in se est, tollit à Deo suam singularem excellentiam, qua solus Deus est, hæc est autem sua Deitas, quod ad odium Dei spectat; & negat huiusmodi singularitatem, quod ad infidelitatem spectat.*

Comparatur cum peccatum Theologicis virtutibus oppositis. *D. Thom.*

Caiet.

August.

10. Displicet Caiet. opinio.

Veruntamen hæc sententia mihi non probatur: Quia vel Caiet. loquitur de proprio, ac formali odio Dei, propriaque infidelitate, vel loquitur de interpretatiuo odio, & infidelitate. In vtroque autẽ sensu vel ratio assumit falsum, vel malè infert, vel vtrumque defectũ committit, ergo. Probatur minor quoad priorem partem, tum quia, vt ex dictis facilè intelligi potest, primus idololatriæ modus procedit quidem ex infidelitate, non ex odio Dei, nam vel idololatra ignorat omninò verum Deum, & ita nõ potest illum propriè, ac formaliter odio habere, quia voluntas non fertur in incognitum, vel cognoscit aliquo modo Deum supremum, errat tamen, credẽdo cum illo esse aliquos Deos dignos diuino honore, & tunc licèt non repugnet odisse supremum Deum, id tamen necessarium non est, vt colat inferiores Deos, vt per se notum videtur, & de Platone, ac aliis Philosophis August. refert. E' contrario verò in secundo modo idololatriæ non præcedit infidelitas, nec speculatiuus error intellectus: odium autem Dei, licet præcedere possit, & regulariter fortasse ita sit, non est tamen in rigore necessarium. Nam pro suo arbitrio potest quis velle tribuere diuinum honorem ei, quem scit non esse verum Deum, propter alia inferiora mortua humana, sine formali odio veri Dei, vt paulò antèà declaraui. Accedit, quod ratio Caietani non probat idololatriam includere formaliter odium Dei, sed tantùm interpretatiuè, vt consideranti facilè patebit.

11. Solutio Caietan.

Impugnatur.

Respondeti autem potest ex eodem Caiet. licèt idololatria ex genere tantùm spectata, non includat formale odium Dei, idololatriam tamen summam, id est summè peruersã procedere ex summo, & formali odio, & idem esse de infidelitate, & desperatione: vnde concludit, comparando summum ad summum, grauius peccatum esse idololatriæ, quia includit reliqua, & addit aliquid. Sed hoc modo apertè committitur defectus in illatione: Nam licèt peccatũ aliquod

fiat

fiat ex odio Dei, non ideò est maius, quàm odium, vt licèt furtũ fiat propter mœchiam, non ideò est maius peccatum, quàm intentio mœchiæ, vt est per se notũ. Est autem eadem ratio in præsenti, quia licet idololatria procedat ex odio Dei, semper manent peccata formaliter, & specie distincta: inde enim solùm fit, vt vnum sit causa alterius per modum actus imperantis, & imperati, vel per modum intentionis & electionis; odium enim imperat irreuerentiam, & tunc odium habet vim intentionis mouentis ad electionẽ idololatriæ, ad satisfaciendũ odio. Hæc autem emanatio vnius ab alio non tollit distinctionem actuum inter se, nec confundit malitias, quas ex propriis materiis aliàs habent vt in exemplo allato de mœchia, & furto manifestum est. Nam furtum propter mœchiam factum veram malitiam furti habet specie distinctam à malitia mœchiæ, quãuis etiam illam participet per quandam denominationẽ. Idem ergo cum proportione est de idololatria procedente ex odio.

12. Odium Dei est omnium peccatorum grauissimũ.

At verò odium Dei ex suo genere est grauissimum inter omnia peccata, quia est affectus summè inordinatus, & contrarius directè excellentissimæ virtuti charitatis vt testatur etiam D. Thom. 2.2.q.34.art.2. ergo etiam quando ex tali odio imperatur idololatria, odium manet grauius peccatum, quàm sit idololatria. Et hæc ratio probat eodem modo de idololatria procedente ex infidelitate, maximè quia tunc infidelitas solùm se habet ad idololatriam dispositiuè, & tanquam remouens prohibens potiùs, quàm imperatiuè. Vnde licèt idololatria addat nouum peccatum vltra peccatũ infidelitatis, nihilominùs ambo manent distincta in rationibus suis, & suam specificã grauitatem retinent. Constat autem infidelitatem ex suo genere maius peccatũ esse, quàm sit idololatria, quia opponitur altiori virtuti, & quia maior iniuria Dei est, non adhibere illi fidem quàm honorem illi debitum alteri communicare, vt etiam ex D. Thom. sumitur 2.2.q.10.art.3.& q.20.art.3. ergo.

13. Idololatria non includit formaliter infidelitatem, neque odium Dei.

Ex quibus intelligi potest, semper esse falsum dicere, idololatriam includere formaliter infidelitatem, vel odium Dei, nam licèt contingat idololatram præhabere infidelitatẽ, vel odium Dei, & inde procedere ipsius idololatriam, nihilominùs ipsa idololatria non includit in se formaliter alia peccata, vnde hac ratione non potest dici superare illa tanquam includens illa. Quòd si comparatio fiat inter peccatũ odij præcisè sumptum, & ipsummet adiunctum peccato idololatriæ, sic inanis, ne dicam puerilis, est comparatio; sic enim etiam blasphemia, quatenus ex odio, vel infidelitate potest procedere, dici potest grauior illis: nullus autem ita loquitur. Deinde inde etiam non concluditur maior grauitas culpæ, sed multiplicatio culparum, quæ dici solet augmentum extensiuum, de quo nulla poterat esse quæstio. Ac denique comparatio illo modo facta non tam ex parte peccati, quàm peccatoris, qui grauiùs extensiuè peccat plura peccata committendo, quàm vnum tantùm: at hîc comparantur ipsa peccata, vt differtè D. Thom. distinguit. Quòd si tandem altera pars eligatur, & dicatur idololatria includere odium non formaliter, sed participatiuè, seu interpretatiuè: sic nihil valet illatio, quia omne peccatum mortale includit hoc modo odium Dei, quatenus includit auersionem à Deo, & vltimum finem ponit in creatura. Vnde D. Thom. dicta quæst. 34.art.2. ex hoc ipso principio concludit formale odium Dei esse grauius peccatum ex suo genere, quolibet alio peccato mortali, quia illud est quasi per se, ac formaliter mortale peccatum, aliaverò per participationem eius.

D. Thom.

15. Idololatria non excedit

Dico ergo, peccatum idololatriæ non esse ex suo genere tam graue peccatum sicut peccata formaliter A contraria virtutibus Theologicis, vt D. Thomas in aliis locis citatis apertissimè docet, & probat, & ex dictis satis patet: Dicitur autem esse grauissimũ peccatorum inter peccata opposita moralibus virtutibus. Et in hoc sensu forte locutus est D. Thom. dicto art. 3. Nam cum in prioribus locis feciſſet comparationem inter vitia contraria virtutibus Theologicis, & moralibus, eam hîc supponere videtur, & solùm cum vitiis moralibus collationem facere. Atenim dicet aliquis, verba diui Thomæ difficilè illum sensum admittere, quia in corpore dicit, hoc peccatum esse grauissimũ inter omnia, quæ sunt contra Deum. Sed potest exponi de peccatis, per quæ fit irreuerentia Deo, vel quæ sunt contra Deum, quatenus attingi B potest per virtutes morales, non verò attingitur per virtutes Theologicas.

peccata opposita virtutibus Theologicis excedit verò opposita virtutibus moralibus.

Obiectio.

Soluitur.

Sed vrgeri vlteriùs possunt, quæ dicit in solutione argumentorum, præsertim ad 1.& 4. sed fortè in illis solutionibus non tam intendit D. Thomas explicare intensiuam grauitatem peccati Idololatriæ, quàm extensiuam, quam censetur habere ex coniunctione, & consortio aliorum vitiorum: Vnde addi potest, hoc peccatum idololatriæ secundum quandam rationem esse grauissimum, vel potiùs maximè periculosum. Primum quia ordinariè pessimam habet originem, qualis est infidelitas aut odium Dei, vt supra explicatum est. Loquimur enim de Idololatria vera, & ex animo, nam ficta non habet tantam grauitatem, vt C dixi, quamuis ratione scandali soleat esse grauissima, & præterea etiam sit grauissimo periculo exposita. Nam qui exterius infidelitatem profitetur, in magno periculo versatur amittendi etiam internam fidem & Religionem. Solet esse præterea idololatria origo, & radix ferè omnium vitiorum partim industria Dæmonum, & id permittente Deo in vindictam huius grauissimè iniuriæ suæ, vt latè prosequitur Paulus ad Roman. 1. partim ex natura talis vitij, quod ad alia incitat, vel per modum finis, vel per modum occasionis, vt diuus Thomas dixit dicta quæstion. 94. art. 4. ad 1. Et ob hanc causam dicitur Sapient. 14. *Initium fornicationis est exquisitio idolorum, & adinuentio illorum corruptio vitæ est.* Quam corruptionem Sapiens inferiùs explicat dicens. *Et non sufficerat, errasse eos circa Dei scientiam, sed & in magno viuentes inscitiæ bello tot, & tam magna mala pacem appellant. Aut enim filios suos sacrificantes, aut obscura sacrificia facientes, aut insaniæ plenas vigilias habentes, neque vitam neque nuptias mundas iam custodiunt, sed alius alium per inuidiam occidit, aut adulterans contristat, & omnia commista sunt, sanguis, homicidium furtum,* & cætera, quæ prosequitur, & concludit, *Infandorum enim idolorum cultura omnis mali causa est, & initium, & finis.* Non quòd idololatria sit adæquata causa huiusmodi vitiorum, sæpe enim aliunde oriuntur, & ante ipsam idololatriam præcedunt, & illi occasionem præbent, sed quòd omnia soleant ex idololatria oriri & maximam occasionem in illa habeant.

Rom. 1.

D. Thom.

Sap. 14.

16. Grauitas extensiua idololatriæ maxima est.

Tertiò inquiri potest, an præter tres modos supra enumeratos, sint alij modi committendi hoc idololatriæ peccatum. Ad quod breuiter respondeo, omnem propriam, & formalem idololatriam in illis tribus modis contineri, causaliter tamen, seu cooperando aliqualiter ad idololatriam posse aliis modis malitiam eius participari. Declaratur vtraque pars, quia idololatra proprie vocatur, qui alteri, quàm vero Deo, diuinum honorem exhibet; formalis ergo, & propria idololatria posita est in exhibitione talis honoris, hæc autem exhibitio honoris esse non potest, nisi vel merè externa, vel etiam interna, & hæc vel concurrente simul intellectu, & voluntate, vel sola voluntate sine errore intellectus: ergo præter illos tres

17. An sint alij modi idololatriæ præter tres suprà numeratos.

modos formalis idololatriæ nullus alius excogitari potest. Quòd autem illa malitia possit aliis modis participari, constat ex generali principio, quod dans causam, vel cooperationem alicui peccato particeps est illius. Sic ergo Dæmon ipse, cum sibi affectat, & procurat diuinum honorem, idololatriæ vitium participat, licèt propriè ipse idololatra non sit, nec formalem idololatriam ipse exerceat: Idémque est de Tyranno, qui seipsum vt Deum adorare facit: Nam licèt alium falsum Deum ipse non adoret, nec etiam seipsum, tamen quia alios ad idololatriam inducit, & quia ipse affectat diuinos honores, idololatriæ maculam incurrit, idémque crimen læsæ Maiestatis diuinæ committit, imò grauiùs in eo genere delinquit, quàm ipsi, qui eum adorant, tùm quia maiori superbia contra Deum eleuatur, tùm etiam qui in virtute, & radice complectitur vniuersa aliorum peccata.

18. Simili proportione iudicandum est de illo qui alteri consulit idololatriam, etiamsi ipse idolum non colat, nec ex errore consulat, sed ex odio, vel deceptione nam præter alia vitia, quæ in illo actu interuenire possunt, incurrit etiam prauitatē idololatriæ, idémque est de quocumque cooperante, & moralem occasionem præbente alteri, vt idolum colat, nam hoc generale est omnibus peccatis, vt ex 1.2. supponitur, Atque de hoc genere peccati loquitur D. Thom. 2.2.q.169.art.2.ad 4. cum ait, peccare artificem fabricantem idola, vel aliqua ad cultum idololatriæ pertinentia. Hic verò sese offerebat occasio tractandi, quando in huiusmodi actionibus sit propria cooperatio, quando verò sit tantùm permissio, item tractari poterat, quando scandalum quod in his operibus interuenire potest, sit actiuum, quando verò passiuum: & an malitia illa scandali in hac materia data ad idolatriam pertineat, vel solùm contra charitatem sit. Verumtamen hæc, & similia in præsenti omitto, quia generalia sunt de singulis ferè vitiis tractari possunt, vt constat ex citato loco D. Thomæ, & quæ ibi tractat Caiet. Vnde generaliter quæstio hæc pertinet ad materiam de Scandalo, 2.2.q.43. & tractari etiam solet in 1.2.q.6.art.3. & q.73.art.8.

D. Thom.

Caiet.

19. De pœnis à Deo inflictis pro idololatria. Vltimò superest dicendum de pœna, quæ ratione huius peccati incurritur; quòd breuissimè expediri potest, quia hîc non agimus de pœnis quibus Deus huiusmodi peccatum punit vel in hac vita, vel in futura; nam hoc ad humanam scientiam, vel iudicium non spectat. Tantùm ergo dicere possumus, solere Deum in hac vita punire hoc peccatum subtractione gratiæ suæ, & permittendo homines labi in alia quam plurima peccata, vt ex Paulo retulimus ad Rom. 1. Item constat, Deum aliquando immittere grauissimas pœnas temporales, seu corporales huius vitæ propter huiusmodi scelus, vt patet Exod. 32. & aliis similibus locis veteris testamenti. Non constat autem de huiusmodi pœna certam aliquam legem esse à Deo latam, sed pro arbitrio suo interdum punire hoc peccatum in hac vita, interdum conniuere. Pro futura autem vita, si in hac per pœnitentiam non deleatur, certum est, iuxta grauitatem eius respondere illi grauissimam inferni pœnam, quam Deus ipse statuit. Omisso ergo iudicio diuino, & tractando de humano, aduertendum est peccatū idololatriæ committi posse ab infidelibus non rebaptizatis & à baptizatis hominibus. Pro prioribus certum est, nullam esse pœnam ab Ecclesia latam, imò nec ferri posse per se loquendo, quia Ecclesia non iudicat de his, quæ foris sunt. Posset autem hic tractari, an Ecclesia possit punire hoc peccatum in idololatris non baptizatis, vel sibi temporaliter subiectis, vel etiam non subiectis, & an tales infideles aliàs liberi, & nullo modo subiecti Principibus Christianis, possint per eos compelli ad relinquendam idololatriam, & vnum verum Deum colendum. Sed hæ, & similes quæstiones pertinent ad materiam de Fide, & infidelitate, & tractari etiam solent in materia de Bello, & ideò in propria loca illas remitto.

Rom. 1.

Exod. 32.

Infidelibus non potest statui pœna ab Ecclesia pro Idololatria.

20. Quæ pœnæ homini baptizato statuantur, quā do ex infidelitate interna idololatriam committit. Loquendo autem de hominibus baptizatis, qui Ecclesiæ iurisdictioni per Baptismum subdūtur, aduertendum est, duobus modis posse hoc peccatum ab eis committi, vno modo apostatando à fide, & ex interna infidelitate, animo, & mente concepta, & credita: alio modo absque infidelitate interiori, siue ex adulatione aliqua, & ambitione humana, siue ex contemptu, & odio Dei, siue tantùm fictè ex timore humano. Quando priori modo committitur peccatum illud idololatriæ, est etiam apostasia à fide, & professio exterior internæ infidelitatis, & ideò non est dubium, quin ille sic delinquens incurrat censuras omnes, & pœnas latas per Ecclesiam in Apostatas, & hæreticos, de quibus agitur in 2.2.q.11. & 12. Vltra illas verò nulla est pœna specialiter imposita propter talē idololatriam, seu, quod idem est, propter apostasiam à fide tali modo, id est, per actum externū idololatriæ protestatam, & declaratam, nulla enim talis pœna in iure aliquo reperitur. Et ideò de illis pœnis non est hîc aliquid addendum. Vnde quando tale crimen solùm committitur exteriùs sine interiori infidelitate, certum est propter illud nullam specialem imponi pœnam ratione idololatriæ peculiariter latam, quia, vt dixi, nulla est talis pœna lata pro vera, & consummata idololatria, ergo multò minùs pro ficta.

Quando solùm externus committitur idololatria non imponi specialem pœnam.

21. An propter tale peccatum incurrantur censuræ latæ contra hæreticos. *Caiet.* Pars affirmatiua proponitur. Dubitari autem solet, an propter tale peccatum incurrantur censuræ, & pœnæ latæ contra hæreticos, & apostatas: Nam Caiet. dicta q.94.art.1. simpliciter affirmat. Ratio eius est, quia tale peccatum habet veram malitiam infidelitatis, & Apostasiæ exterioris, sed censuræ, & pœnæ sunt latæ pro huiusmodi culpa, ergo. Confirmat exemplo, nam si excommunicatio esset lata contra furem, qui ex metu solùm furaretur contra voluntatem suam, & habens odio ipsum furtum, nihilominùs excommunicationem incurreret, quia re vera furtum committeret, ergo similiter, &c. Confirmari item potest, quia Ecclesia punit actus externos non internos, de quibus illi constare non potest, sed ille actus externus verè est peccaminosus in tali specie prohibita, ergo. Contraria verò sententia, sicut communis ita etiam verissima est, sicut tradidimus in 3. tom. disp. 4 sec. 3.num.15. cum Nauar. in Manual. cap.11.num.27. & aliis, quos ipse refert. Et expressè tenet idem Sylvest. verb. *Apostasia* 1.q.1. & ver. *Hæresis* 1.q.5. & 6. Qui refert Alens. 2.p. Ille verò q.163. membr.2. solùm dicit, non esse verè Apostatam, qui exteriùs ex metu Paganorum ritus obseruat absque interiori infidelitate, de excommunicatione autem nihil expressè dicit. Vtrumque verò expressit Angel. verb. *Apostata* q.9. Tabien. ver. *Apostasia*, q.3. Rosel. num.1. Armil. ver. *Hæresis* n.4. Simancas etiam de Cathol. Inst. tit.17.num.35. optimè dicit, hanc esse differentiam inter hæresim, & alia crimina, quòd alia metu commissa nihilominùs perfecta esse possunt, non verò hæresis, nisi mens etiam accedat, vnde infert n.36. qui metu lapsus est exteriùs, non verò corde discessit à fide, non esse puniendum hæreticorum pœnis: Et in eam sententiam citat Alens. & Albertinum in Rub. de Hæret. lib.6.q.13.num.67. & Brunum lib. de Hæret. c.4. & idem habet Direct. Inquisit. p.1.q.9. comment. 24. Denique sententiam hanc sequuntur communiter moderni Scriptores.

Angel. Tabien. Rosel. Armil. Simanc. Alens. Albertin. Brun. Direct. Inquisit.

22. Ratione probatur. Ratio autem ex dictis manifesta est, quia leges pœnales restringēdæ sunt, quantùm rigor verborum permiserit, at hæ pœnæ non feruntur, nisi in infideles hæreticos, vel Apostatas, quales non sunt illi, qui animo non

mo non consentiunt infidelitati, licèt opere externo illam simulent, ergo non extenduntur ad illos talium legum pœnæ. Vnde facilè respondetur fundamento Caiet. Falsum est enim tale peccatum habere veram malitiam infidelitatis, licèt habeat aliquam veram malitiam externæ Idololatriæ, vel pernicioſi mendacij contra fidei confessionem. Ad 1. verò confirmationem iam est assignata differentia inter furtum & hæresim, nam furtum est perfectum in sua specie, etiamsi ex metu fiat, non verò Idololatria, si deest falsa existimatio. Ad 2. verò confirmationem respondetur, licèt Ecclesia non puniat actum merè internum, interdum verò non punire externum, nisi vt procedentem ab interno, vt latiùs in dicto loco tomi 5. explicuimus.

CAPVT VII.

De Superstitione diuinatiua quid sit, & vnde habeat malitiam, seu deformitatem.

1. Diuiditur superstitio in diuinatiuam, & vanam obseruantiam.

POstquam de aperta, & expressa Idololatria dictum est, sequitur, vt de tacita, seu implicita dicamus, nam hæc etiam inter superstitionis species Religioni contrarias à D. Thom. & omnibus Doctoribus numeratur. Hæc autem superstitio in duas species subdiuiditur: Vna cognitionis dici potest, altera operis: communiter verò prior appellatur diuinatiua, posterior verò vanæ obseruantiæ dicitur, vt patet ex D. Tho. & interpretibus 2.2.q.95.& 96. Vt autem communis ratio huius superstitionis, & sufficientia dictæ diuisionis intelligatur, aduertendum est ex doctrina D. Tho. 2.2.q.92.art.2.& q.95.art.2. diuinum cultum non solum ordinari ad reuerentiam Deo exhibendam, quasi recognoscendo solùm excellentiam Diuinitatis, & Maiestatis eius, sed etiam referri ad aliquid ab eo obtinendum, quod solus ipse præstare potest. Superstitio ergo Idololatriæ expressæ opponitur reuerentiæ debitæ priori modo, hæc autem superstitio tacitæ Idololatriæ opponitur cultui soli Deo debito posteriori modo. Duo autem sunt, quæ homo potest à Deo velle singulariter obtinere, vnum est mentis instructio in cognitione rerum occultarum, quas per suæ naturæ vires consequi nō potest; aliud est effectio alicuius operationis, seu effectus superantis vim causarum naturalium, quas homo suis naturalibus viribus applicare potest, siue effectus ille sit externus, & sensibilis, siue internus, qualis est affectus voluntatis. Quando ergo homo aliquid ex his duobus intendit cōsequi ab alio, quàm à Deo, & aliquid facit eo fine, superstitionem continentem Idololatriam tacitam censetur committere, quæ si ordinetur ad cognitionem occultorum obtinendam, diuinatio dicitur, si ad præter naturalem effectionem dicitur vana obseruantia, nos Magiam appellabimus. Quæ omnia in discursu sequentium capitum declarabuntur & probabuntur. Dicemus autem priùs de diuinatione, posteà de vana Obseruantia, seu Magia.

2. Quid sit diuinatio.

Primò igitur ex dictis intelligi potest, quomodo diuinatio in præsenti sumatur, & quid sit: Si enim vim vocis attendamus, diuinatio idem videtur esse, atque diuina notio, id est, participatio quædam illius cognitionis rerum futurarum, seu occultarum, quæ diuinitatis est propria. Vnde iuxta hanc latam etymologiam diuinatio & bona, & mala esse potest, vnde Cicero li. 1. de diuinatione dicit, diuinationem esse à diuis sumptā, quia est præstantissimæ rei nomen, significat enim scientiam, seu præsensionem futurorum: Et in lib. 2. addit: Diuinationem etiam significare vim quandam interpretandi diuina oracula, & responsa. Verumtamen quia tota hæc cognitio in Gentibus proueniebat ex virtute dęmonis, ideo vsu Scripturæ, & Ecclesiasticorum Doctorum diuinatio ferè semper in malam partem accipitur. Nam si cognitio occultorum ex Dei dono, seu reuelatione accipiatur, bona, & sancta existit, & dicitur Prophetia, vel scientia aliqua infusa. Diuinatio autem dicitur, quando cognotio, seu prænotio rerum futurarum, seu occultarum, quæ vi naturæ ab homine cognosci non possunt, per media indebita comparatur seu procuratur. Sic docet D. Tho. q. 95. art. 1. ex Hieron. in c. 3. Michææ circa finem dicente in Scripturis semper in malam partem sumi iuxta illud Num. 5. *Non est augurium in Iacob, nec diuinatio in Israel.* Quod in laudem illius populi dictum est, in quo erat Prophetia, non diuinatio. Vnde in eodem cap. 3. Michææ de falsis Prophetis, qui pretio diuinabant, dicitur: *Nox vobis pro visione erit, & tenebræ pro diuinatione.* Vnde Origen. homil. 16. in Numeros, Diuinationē putat per antiphrasim ex contrario nomen accepisse, *Quasi quæ per homines dæmonibus repletos fiat.* Isidor. autem lib. 8. Etymol. ca. 9. dicit, istos superstitiosos diuinatores dictos esse *Diuinos, quia diuinitate se plenos simulant, & astutia quadam fraudulentiæ hominibus futura coniectant.* Diuinatio ergo est vsurpatio indebita prænotionis, seu prædictionis rerum futurarum, seu occultarū, quæ diuinitatis est propria, & ideò qui à Deo ipso hanc cognitionem per reuelationem suscipit, nō dicitur propriè diuinare, quia non vsurpat Dei cognitionem, vel (vt D. Thom. ait) non facit, quod diuinum est, sed suscipit.

D. Thom. *Hieron.* *Num. 5.* *Mich. 3.* *Orig.* *Isidor.* *D. Thom.*

Secūdò dicendum est, Diuinationem hanc prauam esse, & peccaminosam actionem. Hoc de fide certum est: Primò quia in Scriptura sancta prohibetur & reprehenditur: Deuter. 18. *Non inueniatur in te, qui ariolos scisciturnec qui pythones cōsulat, nec qui diuinos, &c. Omnia enim hæc abominatur Dominus.* Et infrà: *Gentes istæ, quarum possidebis terram augures, & diuinos audiūt; tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es.* Et Leuit. 19. *Non declinetis ad malos, nec ab ariolis aliquid scisciteminī, &c.* Item Leuit. 20. *Vir siue mulier, in quibus pythonicus siue diuinationis fuerit species, morte moriatur.* Vnde Eccles. 24. *Vana spes, & mendacium vero insipienti, &c.* Et infrà: *Diuinatio erroris, & augurium mendacia, & somnia malefactientium, vanitas est.* Secundò quia hæc prohibitio non fuit tantùm in lege veteri, sed etiam nunc durat, & in sacris Canonibus continetur 26. qu. 5. per multa capita, & in aliis Pontificiis decretis, quæ in sequentibus exponemus, & habetur etiam in Iure ciuili Cod. de maleficiis. Non fuit autem hæc prohibitio de solo Iure positiuo diuino in lege veteri, vel humano in lege noua; sed fuit semper de Iure diuino naturali, quod illis positiuis legibus declaratur, & additis pœnis roboratur: Nam hoc vitium non ideò malum est, quia prohibitum, sed ideo prohibitum, quia malum.

3. Diuinatio est peccaminosa actio.

Deut. 18. *Leuit. 19. & 20.* *Eccles. 24.*

Ad intelligendum autem rationem, & modum huius malitiæ, & deordinationis, duo in hac diuinatione distinguenda sunt: Vnum habet rationem finis, aliud rationem mediorum. Primum ergo interuenit in hoc negotio per modum intentionis finis appetitus, & desiderium sciendi occulta; nam licèt hæc ipsa cognitio possit appeti vt medium ad alios fines, vt ad vanos honores, & famam comparandam, vel ad lucrum, vel ad vitanda pericula, & similia, tamen isti fines sunt per accidens ad malitiam diuinationis, quam inquirimus: nam ipsa cognitio occultorum est per se appetibilis, & sæpe desideratur ex sola quadam nimia curiositate sciendi, & ita in proposito solùm cōsideratur vt finis, propter quem illa media eliguntur, quæ ad talem cognitionem obtinendam deseruire possunt. Secundò ergo interuenit in hoc opere medium, seu modus, & via acquirendi talem cognitionem, & in hoc consistit propria deformitas huius actionis,

4. In diuinatione & finis, & media distinguenda sunt.

Non in fine, sed in mediis cōsistere diuinationis deformitatē.

actionis, prout nunc à nobis consideratur. Si enim tantùm spectetur secundum se illa intentio, seu desiderium talis cognitionis, videtur esse ex obiecto indifferens, vt expresse docuit Origenes homil. 16. in Numeros. Non enim est intrinsecè malum cupere scire occulta, & abdita sapientiæ diuinæ, tum quia hoc videtur conforme appetitui naturæ, quo omnis homo naturaliter scire desiderat; tum etiam quia interdum potest esse honestus ille appetitus, si ex bono fine, & cum debita mensura habeatur. Vnde quando habet malitiam, id est, vel quia propter malum finem concipitur, vel saltem quia sine honesto fine habetur solùm ex vana quadam curiositate. Vel certè quia in modo appetèdi talem cognitionem, exceditur, amando illam nimium, & per modum vltimi finis, quod tunc maximè cognoscitur, quando talis cognitio per B iniqua mediâ inquiritur. Igitur in mediis, seu modis inquirendi talem cognitionem potissima malitia huius actionis existit, vt breuiter attigit D. Thom. dist. quæst. 95. art. 2 ad 1.

Orig.

D. Thom.

5. Hanc deformitatem in eò consistere, quod per doctrinam dæmonum occulta cognitio inquiratur.

Tertiò dicèdum est, Diuinationis malitiam in hoc consistere, quod futurorum contingentiam, seu rerum occultarum cognitio per instructionem, & doctrinam dæmonum inquiritur, vel comparatur. Hanc assertionem declarauit D. Thom. in dicta q ar. 1. & 2. Nam in primo dicit, tunc diuinationem committi, quando prænunciatio futurorum occultorum vsurpatur indebito modo. Ibi autem non explicat, qualis sit ille indebitus modus, nec etiam dicit, omnem indebitum modum esse superstitionem diuinatiuam, nec reuera ita est: Nam potest quis curiosè, vel superfluè appetere C cognitionem aliquorum occultorum, eámque à vero Deo indebitè postulare, & tunc non erit superstitiosus, nec diuinus, sed erit tentans Deum, aut indiscretè deprecans Deum. Tales erant discipuli, quando à Christo interrogabant: *Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Quibus ille respondit; *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Reiiciens interrogationem illam tanquam ineptam, & appetitum illum vt curiosum, vt ibi Auctores omnes aduertunt, maximè Chrysost. & Augustinus epist. 78. & 80. Imò cum multorum sententia sit (vt testis est Iustin. quæst. 112.) in ea interrogatione errasse discipulos cogitantes, regnum Christi forè terrenum, Christus ibi hunc errorem dissimulauit & non reprehendit, quia fortè excusabantur ignorantia, (vt non- D nulli moderni expositores volunt) quam noluit Christus remouere vsque ad Spiritus sancti aduentum, reprehendit autem curiosam interrogationem de re futura, & soli diuinæ ordinationi, ac præscientiæ reseruata.

6. *Matth. 24.*

Sic etiam Matth. 24. Christus interrogatus à discipulis: *Dic nobis, quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui*, respondit: *De die illa nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque filius* (vt addit Marcus) *sed solus Pater.* Vbi adnotant Catholici Doctores, licèt Christus diem iudicij non ignoraret simpliciter, & absolutè, sed solùm certa quadam ratione, quia non à se, nec ex humanitate sciebat, voluisse tamen nihilominùs cum illa exaggeratione loqui ad retundendam curiosam interrogationem, & nimiam auiditatem discipulorum sciendi E futura, quæ ex Dei voluntate pendent. Excesserunt ergo discipuli in illo appatitu, interrogatione ac petitione; non possunt tamen dici fuisse superstitiosi, nec diuini, aut diuinationis affectatores, quia non ab alio, quam à vero Deo cognitionem futurorum inquirebant, & licèt indebito modo eam quærerent, quia intempestiuè, ac sine causa, non tamen talis erat ille modus indebitus, vt ad superstitionem pertineret. Igitur non omnis indebitus modus in hac materia sufficit ad superstitionem diuinatiuam, nec per illa sola vera A ba explicatur specifica ratio superstitionis, sed ad summum generica.

7. Qualis sit modus indebitus superstitionis.

Proprius ergo modus indebitus diuinationis futurorum, quo hæc superstitio completur, est, quod talis cognitio non à vero Deo, sed aliunde inquiritur, ac postulatur, nimirum, à dæmonibus, nam secluso vero Deo, non superest recursus, nisi ad dæmones. Vnde ab Ecclesia, & Patribus hoc nomine maximè damnatur hæc ars diuinatoria; & superstitiosa censetur, quod à dæmonibus cognitionem rerum occultarum procuret. Et ideò in Concil. Anquirensi cap. 1. prout refertur in cap. *Episcopi*, 26. quæst. 5. de his diuinatoribus dicitur, quod *Relicto creatore, diaboli suffragia quærunt.* Idem testatur Augustin. lib. 2. de doctrina Christian. cap. 22. in fine, & 23. in principio dicens: *Istæ opiniones quibusdam rerum signis humana præsumptione institutis ad eadem illa, quasi quædam cum dæmonibus pacta, & conuenta referendæ sunt. Hinc enim fit, vt occulto quodam iudicio diuino, cupidi malarum rerum homines tradantur illudendi, & decipiendi pro meritis voluptatum suarum, illudentibus, ac decipientibus eos Angelis.* Vtique malis, & infrà: *Omnes igitur artes istæ, vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum, & dæmonum quasi pacta infidelis, & dolosæ amicitiæ constituta, penitus sunt repudianda, & fugienda Christiano.* De qua re videri etiam potest lib. de diuin. dæmon. à cap. 3. vsque ad 6.

Conci. Anqui. C. Episcopus.

August.

Similiter Cypria. lib. de Idolor. vanit. *Nequissimi* (inquit) *spiritus afflatu suo vatum pectora inspirant, extorum fibras animant, auium volatus gubernant, sortes regunt oracula efficiunt, falsa veris semper inuoluunt, nam & falluntur, & fallunt.* Et Origenes homil. 16. in Numer. *Est* (inquit) *quædam in ministerio prescientiæ operatio dæmonum, quæ artibus quibusdam ab his, qui se dæmonibus manciparunt, colligitur.* Idem ostendit Euseb. lib. de præpar. Euang. cap. 7. testimoniis Gentilium id confirmans, qui Diis suis artes tribuebant. quos dæmones esse constat testimonio Dauid dicentis: *Omnes Dij gentium dæmonia.* Ratione præterea declarari potest: quia homo duplicem tantùm habet viam acquirendi cognitionem: vna est per inuentionem, alia est per disciplinam, res autem occultæ, quæ per diuinatoriam artem cognoscuntur, tales sunt, vt per solam inuentionem, & naturalem facultatem ingenij humani cognosci non possint ea certitudine, ac modo, quo per talem superstitionem expetuntur, ergo necesse est, vt per disciplinam ab aliquo eas agnoscente discantur, ergo talis disciplina, seu instructio à dæmone postulatur, secluso vero Deo.

8. *Cypri.*

Origen.

Euseb.

Ratione probatur.

Maior certissima est, & ex vsu ipso supponitur, ideo enim homines curiosi his superstitionibus vtuntur, quia non possunt per se talium rerum cognitionem comparare. Patet etiam ex materia subiecta; nam hæc cognitio in primis est de actibus liberis, & futuris contingentibus, quæ ab illis pendent, de quibus non potest esse humana cognitio: & licèt esse possit aliqua coniectura, homo tamen per hanc superstitionem certiorem quærit cognitionem, imò certissimam & infallibilem, quæ propria est Dei, vel reuelationis eius, iuxta illud Isaiæ 41. *Annunciate nobis futura, & dicemus, quia Dij estis vos.* Deinde si inquiritur hæc cognitio de rebus, quæ in præsenti tempore fiunt, hæ aut sunt cogitationes, & spirituales affectiones mentis humanæ nullo externo signo manifestatæ, quas solus Deus nouit, vt dicitur 2. Paral. 6. Vel si sunt exteriores effectus, fiunt in locis ita absentibus & distantibus, vel aliter occultis, vt sub humanum sensum, vel cognitionem tali tempore cadere non possint, quando earum cognitio postulatur. Rursus peti potest hæc cognitio de rebus præteritis eodem modo occultis, & remotis à sensibus humanis, & cum certitudine superante

9. Cõfirmatur ratio facta à rebus, quæ per diuinationem acquiruntur.

Isai. 41.

2. Paral. 6.

superante omnem humanam, & naturalem coniectu- A ram. Postulari etiam potest de rebus pertinentibus ad ordinem diuinæ prædestinationis, aut singularis prouidentiæ, vel certè de aliquibus rebus naturalibus ita occultis hominibus, vt nullis effectibus, vel signis sensibilibus indicentur, vt sunt plures herbarum proprietates, vel lapidum, aut mineralium, & similia. Vel denique licèt talia sint, vt humana industria, ac diligentia comparari aliquo modo possint, per hanc verò superstitionem sciri desiderantur sine humano labore, aut inquisitione, & breuiori tempore, faciliori modo, maioríque certitudine, quam per vires humanas possit. Constat igitur hanc cognitionem non posse obtineri per inuentionem humanam, quod in antecedenti sumebatur.

10. A quibus diuinatio procuretur.

Procuratur ergo hæc cognitio ab aliquo alio, qui B eam possit docere, & tradere, vnde necesse est, illum esse intellectualem personam: Quia res inferiores siue inanimes, siue animatæ irrationales non possunt homines docere propria doctrina, vt per se notum est. Nam licèt cœli dicantur loqui, & bruta animalia, vt formicæ, interdum dicantur docere hominem, non tamen propriè, sed metaphoricè, quatenus ex illorum actibus, vel operibus excitari potest homo, vt per discursum suum aliqua intelligat, quod ad inuentionem pertinet, propriam autem disciplinam non accipit homo, nisi per illuminationem, & locutionem aliquam propriam naturæ intellectualis. Diuinatiua ergò cognitio ab aliquo intelligente postulatur: Non petitur autem à verò Deo, vt supponitur ergo à dæmone. Probatur hæc vltima consequentia; quia inter Deum, & C dæmones tantum sunt vel sancti Angeli, vel alij homines: sancti autem Angeli, cum sint Dei ministri, & ab illius voluntate discrepare non possint, nihil homines docent, nisi quæ à Deo accipiunt, vt de illis homines instruant, vnde quicquid à sanctis Angelis in hoc genere petitur, ad Deum reuocatur. Idémque est de animabus sanctis cum Deo regnantibus; nam vel ab eis solùm postulari potest, vt à Deo nobis impetrent aliquarum rerum cognitionem, quando nobis expedit, vel si ab ipsis animabus instructio, aut reuelatio aliqua postulari posset, solùm esset per communicationem illius cognitionis, quam à Deo participant, & cũ subordinatione ad voluntatem eius; & ita tota illa petitio ad orationem Deo fusam reducitur, vt in tractatu de orat. latiùs dicemus: ideóque cognitio illo modo D habita non esset propria diuinatio de qua loquimur, sed ad Prophetiam seu sacram reuelationem reduceretur. Homines verò per vim naturæ, seu per inuentionem non possunt hæc occulta cognoscere, vt diximus, & ideò sub ea ratione non potest vnus homo ab alio discere, aut petere talium rerum cognitionem. Quod si ab alio homine petatur, oportet, vt ille supponatur habere hanc cognitionem, vel à Deo, vel à dæmone; si à Deo, iam illa non erit diuinatio, & hoc modo requirere scientiam ab homine, idem est, quod à Deo illam expectare mediatè, quia expectatur ab homine, vt organo, per quod Deus loquitur. Et pari ratione quando petitur ab homine, & non vt ministro veri Dei, à dæmone inquiritur. Sic ergo tota hæc superstitiosa diuinatio per dæmonum instructionem, E seu disciplinam inuestigatur.

11. Diuinatio intrinsecè est mala, & nõ quia prohibetur.

Hinc ergo rectè concluditur huiusmodi diuinationem per se, intrinsecè, ac semper prauam esse, ac detestabilem natura sua, & non solùm propter positiuam prohibitionem. Probatur primò, quia diuinatio hæc est studium præsciendi futura, seu cognoscendi occulta per medium omnino impropportionatum, & inordinatum, hoc autem est rationi, & voluntati Dei contrarium, ergo. Probatur minor, quia medium illud inuoluit societatem, & communicationem familiarem cum dæmone, dicit autem Paulus 1. Corint. 10. 1. Cor. 10. *Nolo vos fieri socios dæmoniorum.* Vnde Orige. homil. 16. in Num. *Non vult Deus* (inquit) *auditores, nos fieri, & discipulos dæmonij, neque vult, vt si quid volumus discere, discamus à dæmonibus: melius est enim ignorare, quam à dæmonibus discere.* Cuius prohibitionis ratio sufficiens est quando alia deesset, quia omnis societas cum dæmonibus noxia est, & periculis plena. Sed hoc latiùs declarabimus c. seq. ostendendo, qualis sit malitia huius vanæ diuinationis. Non omittam egregiam rationem, quam indicauit Origenes dicta homil. 16. in Numer. *Origen.* *Nam si expedit nobis scire futura, dicentur à Deo per spiritum suum; si verò non dicuntur, neque denunciantur, scito, quia non nobis expedit futura prænoscere. Quod si idcirco non dicuntur nobis, quia ea scire nobis non expedit; qui diuersis artibus, & dæmonum inuocationibus gestiunt futura prænoscere, nihil aliud faciunt, nisi ea cupiunt scire, quæ sibi scire non expedit.* Quæ ratio aliis iungenda est, vt grauem malitiam ostendat, namvt suprà dixi, hæc malitia magis ex medio sumenda est, quàm ex fine. Qualis autem, & quàm grauis sit, magis in seq. c. declarabitur, & si quid difficultatis hic occurrere poterat, ibi expedietur.

CAPVT VIII.

Qualis, & quanta sit superstitiosæ Diuinationis malitia, quando expressè postulatur à Dæmone, & quomodo Religioni opponatur.

SVpponendum primò est duobus modis posse hanc superstitionem committi. Primò per expressam cũ dæmone communicationem: Secundò per tacitam & implicitam. De hoc posteriori dicemus in capitibus sequentibus, hîc priorem explicabimus: est enim facilior ad intelligendum. Tum etiam committitur talis superstitio, quando expressè à dæmone cognitio rerũ occultarum postulatur. Quod variis modis accidere potest, primò simpliciter petẽdo à dæmone, vt aliquid doceat petentem sine vlla promissione, vel pacto ex parte petentis, sicut enim homo pius interdum simpliciter postulat à Deo scientiam, ita impius eam postulare potest à dæmone. Aliquando verò id fit cum expresso pacto, quo petens se obligat ad obsequium dæmonis, vel ad perpetuam societatem, vel subiectionẽ, si res occultas eum doceat. Et similiter è contrario ex parte dæmonis esse potest interdum expressa responsio simplex, & sine pacto, aliquando verò solet etiam acceptare pactum, & ipse simul obligari ad docendum, & instruendum hominem de his occultis, ipso homine inuicem se obligante. Modus etiam ex parte petentis varius est, interdum enim ad petitionem adiungũtur sacrificia, suffitus, & aliæ cæremoniæ in honorem dæmonis factę. Aliquando adiunguntur adiurationes, figuræ, vnctiones, & similia iuxta pactum cum illo factum. Vnde aliquando solo imperio inuocatur dæmõ, & quasi cogitur respondere in vi pacti, & regulariter non deest ipse promissis, nisi à Deo impediatur, non propter vim fidelitatis, mendax enim est, sed propter odium hominis, & auiditatem nocendi illi; nam etiam antequam inuocetur, hominem inducit, & tentat, vt ipsum inuocet. Aliquando verò fieri potest, vt licèt homo postulet à dæmone talem cognitionem etiam oblata aliqua conditione ipse non doceat illum, neq; vllum præbeat responsum, vel quia Deus non permittit, vel propter alias rationes nobis occultas. Tunc autem propria culpa diuinationis, quam infrà explicabo, iam commissa est ab homine etiamsi effectus desideratus non fuerit subsecutus.

1. Varij modi petendi aliquid à dæmone per expressam cũmunicationem.

Solet etiam hic effectus instruendi homines variis modis ab Angelis fieri. Primò per expressam locutionem

2. Primus. Varij modi, quibus dæ-

mones homines instruunt per locutionem.

nem sine ostensione alicuius loquentis sub specie hominis, vel alia figura visibili, sed per nudam tantùm auditionem, vt non ante multos annos publicè comprobatum est in quodam falso Propheta. Secundò loquuntur dæmones immediatè sub specie personæ humanæ, in qua apparent. Hanc enim speciem posse Angelos formare virtute naturali non impedita, sed habente potius paratum generalem primæ causæ concursum, certum est, vt traditur à Theologis in materia de Angelis. Tunc autem licèt id quod apparet, non sit verum corpus humanum, & consequenter nec corpus viuum, ac subinde neque illa sit vera locutio vitalis, est nihilominùs verus, & realis sonus, qui per aures percipitur, & consequenter est sufficiens ad docendum, vel illuminandum, vel potiùs decipiendum hominem modo humano non minùs quàm vnus homo alium doceat. Dixi autem hoc procedere, quando dæmon immediatè docet hominem sub tali specie, nam quando docet mediatè vnum hominum per alium viuentem, immediatè profertur diuinatio per verum hominem, & veram vocem humanam. Tunc autem solet pactum cum eo tantum interuenire, qui à dæmone edoctus fuit, non repugnat autem, vt cum vtroque interceserit expressum pactum tali, vel tali modo factum. Vnde ad hunc etiam modum pertinet, quod interdum solet dæmon futura prædicere per verum hominem viuentem intrando in illum & per eum futura prædicendo. Qui homo sic arreptus solet pythonicus, vel pythonissa appellari. Et per huiusmodi pythones solent alij homines dæmonem consulere, & ipse per eos dat responsa, vt ex Deut. 18. 1. Reg. 28. Isai. 8. & aliis locis colligitur.

Deuter. 18. *1. Reg.* 28. *Isai.* 8.

3. Tertius modus.

Tertiò etiam solet dæmon homines docere per corpus mortuum, in illud intrans, & per illud loquens, ac si esset viuum, solétque hoc fieri adhibitis quibusdam vanis cæremoniis, vel incantationibus, quas vt dixi, necesse est ab ipso dæmone traditas esse, & in pacto inito fuisse adiunctas. Nam, vt rectè dixit Euseb. lib. 5. de præpar. Euang. cap. 7. *Vnde homines, quibus dæmones cogantur, quam ab ipsis dæmonibus discere potuissent?* Quod in omnibus aliis modis sequentibus eadem ratione locum habet. Atque ad hunc modum pertinet, quod interdum fingunt dæmones suscitare hominem mortuum, vel spiritum eius adducere, qui loquatur in corpore assumpto, sicut de Samuele legitur 1. Reg. 28. (de qua apparitione magna est controuersia, qualis fuerit quę infrà habebit commodiorem locum) & hic modus diuinationis *Necromantia* vocatur, licèt hæc vox sæpe latius sumatur.

Euseb.

1. Reg. 28.

Quartus.

Quartò potest dæmon, & solet hoc modo decipere homines, loquendo per alia animalia, aut vera, & viua, vel tantùm apparentia, sicut locutus est Eua in forma serpentis, siue ille fuerit verus serpens, siue non, quod modò non refert.

Quintus.

Quintò potest dæmon hoc facere per imagines, seu statuas inanimes; & humana arte confectas, sicut olim dabat responsa per Idola, quæ oracula dicebantur, quibus occulta, & præsertim futura prædicebat; nam id facere facillimè poterat per realem, & sensibilem sonum voci similem; siue vteretur, vt instrumento partibus Idoli, & figura ad illum sonum formandum; siue, quod verisimilius est, in contiguo aëre inuisibili modo ita sonum efficeret, vt Idolum ipsum loqui videretur, ideóque à miseris hominibus viuum putaretur.

4. Alij modi instruendi per signa sensibilia.

In his autem modis omnibus interuenit instructio per auditum realiter, & verè immutatum; aliis verò modis solet hæc dæmonis illusio fieri sine reali sono, vel auditione sensibili per exhibitionem alicuius signi sensibilis; ad quod necesse est vt tale signum id habeat ex impositione ab ipsomet dæmone facta, & homini manifestata, vel certè ab ipso homine desi-

A gnata, & postulata, & ab ipso dæmone acceptata, denique ex vtriusque cõuentione determinata. Sunt autem hæc signa multiplicia, & secundum illa varia nomina diuinationum imposita sunt. Primum est *Aruspicium*, in quo diabolus respondet per signa ostensa in extis animalium, quæ illi sacrificantur. Secundum est *Insomnium*, faciet enim dæmon hominem somniare, quæ vult ab ipso credi. Tertium dicitur *Præstigium*, vel etiam *Delusio*. Quamuis enim interdum multi ex illis modis, quos diximus fieri per realem somnum auditus, soleant præstigia, & illusiones vocari, propriè verò hæ voces ad sensum visus, vel phantasiam referuntur; & ita præstigium fit per aliquam speciem oculis impressam, vel imaginationi. Quamuis enim Angelus (vt creditur) non possit virtute naturali has species sensibiles per se efficere, quia non potest per se transmutare materiam, aut corpora ad formas aliquas, vel qualitates: potest tamen applicando actiua passiuis medio motu locali facere, vt mediis corporibus sensibilibus tales species imprimantur. Quod interdum facere potest obiecto vero corpore sensibus externis, interdum vero formato exterius apparenti corpore, quod licèt reuera sensibile sit, non tamen sit illud, quod apparet. Aliquando verò, id facit commouendo humores, & spiritus animales, & deferendo illos vsque ad sensus externos: sæpe verò decipiendo sensus internos, & phantasiam illudendo, vt latiùs prosequitur Caietan. dicta quæst. 95. art. 3. & tractant Alens. 2. p. quæst. 43. membr. 3. art. 1. & Gabr. in 2. dist. 8. quæst. 2. art. 3. & in materia de Angelis copiosiùs tractatur.

1. Signum.

Secundum.

Tertium.

Caiet. *Alens.* *Gabr.*

Quartò respondet dæmon per sortes, quarum euẽtui fidem adhiberi vult, & vocatur *Sortilegium*. Quintò vtitur variis figuris factis in elementis, vel aliis corporibus inanimatis, & varia habent nomina: Nã si fiat in terra, vel re terrestri, dicitur *Geomantia*, si in aqua dicitur *Hydromantia*. si in aëre, *Æromantia*, si in igne *Pyromantia*: Et sub his varij alij modi distingui solent, quos referre inutile est. Sextò potest hoc fieri per volatus aliquarum auiũ, vel per garritus, aut alios sonos animalium, quod vocatur *Augurium, omen, auspicium*. Nam licèt hæc, & alia soleant inter pacta implicita cũ dæmonibus recenseri, tamen si contingat, dari ab ipso dæmone tanquam signa euentus, vt infallibiliter credantur, per expressum pactum, & impositionem, ad hanc primam speciem pertinebunt. Hanc enim speciem totam vt vnam tractamus, quia prædictæ differentiæ omnes nobis videntur materiales, & Physicæ potius, quam morales, quia genus vitij formaliter non distinguunt, vt infrà videbimus.

5. Quartum. Quintum.

Sextum.

Secundò principaliter suppono, dæmonem aliquid ignorare de his occultis, de quibus fit diuinatio, aliquid verò posse cognoscere. Nam diuinatio generaliter, vt de illa nunc loquimur, esse potest (vt dixi) & de futuris contingentibus liberis, & de animi cogitationibus merè internis, ac mentalibus, & de supernaturalibus mysteriis. Præter hæc verò potest etiam diuinatio esse de rebus iam factis per se quidem sensibilibus, ex accidenti verò hominibus occultis: Item de rebus, quæ actu fiunt, in locis tamen abditis, aut remotissimis. Futura ergo contingentia, quæ ab aliena voluntate libera pendent, siue diuina, siue humana, siue Angelica, non possunt certò, & infallibiliter cognosci virtute naturali ab Angelis, vt est sententia Catholica ab omnibus Theologis recepta, quam paulò inferiùs confirmabimus. Dixi autem *Quæ à libera voluntate pendent*, nam illa futura contingentia, quæ à solis causis naturalibus prouenire solent, etiam rarò, & per accidens, propter concursus oppositarum causarum, cognosci possunt à dæmone virtute naturali, non in vna, vel altera causa per se spectata, sed in omnibus

6. Dæmon aliqua cognoscit, & alia ignorat ex his, de quibus fit diuinatio.

omnibus ſimul ſumptis exactè cognitis,& inter ſe collatis,quod facilè poteſt Angelus facere, comprehendit enim omnes naturales cauſas vniuerſi tam ſuperiores,& cæleſtes,quam inferiores,& elementares ſeu terreſtres,& tam efficientes,quam materiales,& futurum concurſum omnium, niſi à cauſa libera impediantur, vel tranſmutentur. Et ita poteſt etiam Dæmon ſua virtute naturali hæc prædicere, quia tamen hæc omnia ſunt ſubiecta diuinæ prouidentiæ,ac liberæ diſpoſitioni, ideò etiam de his non poteſt habere Dæmon omnimodam certitudinem, quia non poteſt diſpoſitionem Dei cognoſcere, habet tamen cognitionem certam ſaltem naturali certitudine.

7. Propriam ſuam voluntatem futuram cognoſcit Dæmon, & poteſt prædicere. *Auguſt.*

Dixi etiam *à libera voluntate aliena*, quia quæ pendent à propria voluntate,cognoſcere poteſt Dæmon, & prædicere,quia habet propoſitum illa faciendi: ſic enim ait Auguſtin.lib.de Diui. Dæmon. c. 5. & lib. 2. Gen.ad lit.c.17. Dæmones multa prædicere, quæ ipſi facturi ſunt. Verumtamen hæc ipſa cognitio, & prædictio non eſt omnino certa,& infallibilis:Nam quia volũtas Angeli abſolutè eſt mutabilis,ideò licèt nunc habeat propoſitum faciendi aliquid, poſtea illud mutare poteſt, etiamſi futurum prædixerit, maximè cum mendax ſit, & falſum dicere non erubeſcat. Aliunde etiam habet incertitudinem illa prædictio, quia licèt Dæmon aliquid ſtatuat facere,& ideò illud futurum eſſe prædicat, poteſt à Deo, & miniſtris ſanctis eius impediri,ne id faciat,& conſequenter fiet, vt falſa fuerit diuinatio. Habet ergo illa prædictio duplicem conditionem adiuncta, vnam, vt intelligi debeat ſecundum præſentem diſpoſitionem cauſæ, niſi mutetur;alia erit,ſi à ſuperiori cauſa libera non impediatur. Dixi præterea non poſſe hæc futura *certò*, *& infallibiliter cognoſci*, quia per coniecturas, & probabiliter aliquo modo præſentari poſſunt etiam ab homine, multò verò magis ab Angelo etiam malo, vt Aug. ſuprà latè declarat, tum quia Dæmon hominis complexionem cognoſcit exactè, & naturæ vniuſcuiuſque propenſionem, & ita magna cum probab litate coniectat, quid homo faciet in tali, vel tali euentu, & talium obiectorum concurſu. Tum etiam quia maximè iuuatur diuturna experientia, qua cognoſcit, quibus modis maximè moueri ſoleat voluntas humana,& ad volendum induci:Dixi denique, *Virtute naturali*, quia interdum poteſt Dæmon cognoſcere voluntatem Dei ipſo reuelante,vel in Scripturis quas Dæmon intelligere valet,vt Damaſc.tradit lib. 2. de Fide c. 4. vel ex Dei locutione in aliquo facto particulari, vt in calamitatibus Iob illi innotuit. quod Deus eas ſibi facere permiſiſſet, neque eſſet illum impediturus, quia cognitione poteſt interdum abuti Dæmon ad decipiendos homines, ac ſi ipſe ſua virtute poſſet cognoſcere futura.

Damaſc.

8. Cogitationes internæ, & actus liberi nõ cognoſcuntur a Dæmone. *2. Paral. 6.* *Hier 17. Eccle. dogmat.*

Eodémque ferè modo philoſophandum eſt de internis cogitationibus, & actibus liberis mentis humanæ:nam hæc etiam non poteſt Dæmon ſua virtute cognoſcere certò, & infallibiliter, niſi quatenus per ſigna,vel effectus externos manifeſtantur.Vt eſt communi ſententia Theologorum receptum, & in Scriptura ſatis ſignificatur,2.Para.6. *Tu ſolus noſti corda filiorum hominum.* Loquitur autem Salomon de cordibus,vt ſunt in actuali cognitione, & affectu,quas vocat vias hominis, dum ait: *Redde vnicuique ſecundum vias ſuas,quas noſti, cum habere in corde ſuo.* Et hac ratione dicitur eſſe propriũ Dei ſcrutari corda hominum, Hier.17.Vnde in lib.de Eccleſ. dogmat.c.81. dicitur, *Internas animæ cogitationes Diabolum non videre certi ſumus.* Additur verò ibidem, *ſed moribus eas corporis ab illo, & affectionum indiciis colligi, experimento didicimus:* Habet ergo de his Dæmon coniecturalem cognitionem, non certam. At de aliis effectibus iam factis, vt de furto,de locutione humana, & ſimilibus, etiamſi fiant in loco remotiſſimo,& occultiſſimo,habere poteſt Dæmon notitiam certiſſimam, & intuitiuam, ſi velit attẽdere,vt per ſe clarum eſt.Et ita ex re præſenti, etiam facta in vno loco poteſt prædicere ſimilem futuram in alio loco,quia ex fluxu alterius euẽtura eſt naturaliter, ipſe autem Dæmon celeritate naturæ, & cognitionis præuenit effectũ,& manifeſtat illũ priùs, quam fiat. De quo multa legi poſſunt in Athanaſio ex Antonio in vita eius,aliquantulum à principio. Quia vero non ſemper actu omnia cognoſcit,& conſiderat, quando effectus eſt iam omnino præteritus,nullúmq; illius veſtigiũ actu durat, poteſt ita ignorare illum, vt non poſſit certò dicere,aut reuelare,an factum fuerit, poteſt tamen vti coniecturis, & ex indiciis colligere, vel à quo factũ ſit,maiori multò probabilitate, quàm poſſit homo: propter rationem factam de maiori rerum comprehenſione, & experientia, quibus eſt præditus. Vt ergo breues habeamus terminos,quibus loquamur, res illas, quæ ſoli diuinæ cognitioni reſeruatæ ſunt,vocabimus per ſe occultas,aliæ verò dicentur per accidens occultæ, iuxta modum etiam loquendi Theologorum in aliis materiis.

9. Diuinationem præcedit appetitus ſciendi res abditas, & alij plures actus.

Tertiò ſupponendum eſt, plures actus in hoc genere vitij interuenire poſſe, qui nec eandem habent malitiam, nec ſemper contrariam Religioni, & ideò diſtinctè tractandi ſunt.Primò ergo ex parte hominis antecedere ſolet appetitus ſciendi occulta per actum non ſolùm elicitum, ſed etiam per deliberatum conſenſum, qui in hoc negotio ſe habet tanquam intentio finis, vt ſupra tetigi capit. præced. vbi etiam explicaui malitiam huius actus:neque de illo hic aliquid addendum occurrit, quia per ſe non habet grauem malitiam,nec Religioni contrariam, niſi quatenus ex ſequentibus actibus illam participat, vel ex intentione alterius finis praui, propter quem talis cognitio quæratur,vt ſuprà etiam tactum eſt.Et præſertim ſolet eſſe hic finis vana oſtentatio ſanctitatis, quæ grauem ſacrilegij malitiam continet, & pernicioſæ hypocriſis: vnde ex hoc capite eſſe poteſt talis intentio mortale peccatum ex ſuo obiecto ante omnem malitiam Diuinationis. Secundò additur petitio, ſeu voluntas expreſſa conſequendi hanc ſcientiam per induſtriam Dæmonis.Tertiò addi poteſt pactum expreſſum cum Dæmone, quod poteſt eſſe magis, vel minùs graue iuxta modum ſubiectionis vel obligationis, quã homo de ſe ipſo, vel de ſuis rebus Dæmoni facit. Vnde hic adiungi poſſunt ſacrificia,& alia ſigna honoris & cultus, quæ homo Dæmoni exhibeat, vt ab eo, quod deſiderat, obtineat. Quartò maximè conſiderare oportet, quid homo à Dæmone in hoc negotio petat, an videlicet petat certam, & indubitatam cognitionem internorum actuum cordis humani,ac liberorũ, ſiue præſentiũ in corde latentium, ſiue futurorum cũ effectibus,qui ab illis pendent;vel ſolùm petat cognitionem aliorum effectuum occultorum ſolùm ratione abſentiæ,vel diſtãtiæ tẽporis præteriti, aut loci,aut certè de aliis futuris,& per ſe occultis ſolũ petat illam maximam coniecturam, quam Dæmon de illis facere poteſt:nam longè grauior malitia in priori petitione reperitur, quàm in poſteriori, vt ex dicendis conſtabit. Quintò poſt datum à Dæmone reſponſum ſequi poteſt,& ſolet ex parte hominis fides quam dicti eius adhibet. Sextò ad hanc conſequitur exterior Diuinatio, & prædictio talium effectuum, vel vt omnino certa,& infallibilis,vel ſaltem vt cognita altiori modo & maiori certitudine,quam humano modo comparari poſſit,& inde etiam ſubſequi poſſunt alia opera ex vitalis credulitatis facta, de quibus eadem ratio eſt,quod ad præſens pertinet.

His poſitis dico primò: Prima diuinationis malitia 10.

Præcipua Divinationis malitia consistit in petitione rerum per se occultarum à Dæmone. *D. Thom. Caiet. Augustin.*

grauissima, & ratione cuius est superstitio contra Religionem, est, quando à Dæmonio per se postulatur cognitio certa rerum per se occultarum. Assertio est certa, & communis, vt patet ex D. Thom. suprà, Caietan. & aliis: omnes enim ponunt Diuinationem aliquam inter species superstitionis falsum cultum continentis iuxta doctrinam Augustini, 2. lib. de Doctrin. Christ. cap. 20. Ergo maximè hoc competit prædictæ Diuinationi, nam ex omni capite includit malitiam, quæ ad hanc speciem spectare potest, scilicet ex consortio, vel societate cum Dæmone, ex parte materiæ cognoscendæ, & ex modo cognitionis. Ratio verò propria est, quia cognitio certa rerum per se occultarum est propria Dei, vnde illam à Dæmone petere est, ipsi attribuere id, quod est proprium Dei, quod est recognoscere in Dæmone excellentiam quandam Diuinitatis, sed hoc spectat ad superstitionem falsi cultus, & tacitam idololatriam in se continet, ergo. Maior de fide certa est: Nam Scriptura ponit vt signum Diuinitatis certam cognitionem futurorum liberorum, Isai. 21. & 41. Et similiter ponit, vt signum diuinæ reuelationis, ac fidei, prædictionem certam futurorum contingentium, & mysteriorum per se occultorum, vt ex Esai. 46. planè colligitur, & ibi notat Hieronymus circa illa verba: *Ego Deus, & non est vltra me Deus, nec similis mei annuncians ab exordio nouissima, & ab initio, quæ nondum facta sunt. Quasi dicat*, inquit Hieronym. *Considerate, quod præter me nullus sit, qui potuerit scire ventura, nisi ego, qui per Prophetas nuncio.* Et Dan. 2. *Confitentur* (inquit) *Magi, & confitentur arioli, & omnis scientia secularis literaturæ præscientiam futurorum non esse hominum, sed Dei, ex quo probatur Prophetas spiritu Dei locutos.*

Fundamentum. *Isai. 21. & 41.* *Esai. 46.* *Hieron.* *Dan. 2.*

11. *Orig.*

Similiter Orig. lib. 6. contra Celsum, ait, certam prædictionem futurorum esse characterem proprium diuini sermonis, & ex euentibus iudicari: Et hinc lib. 7. contra eundem, à principio probat oracula Gentium non fuisse Dei, sed Dæmonum, prophetias autem Iudæorum fuisse diuinas. Et Iusti. Respond. ad quæst. 146. *A Deo* (inquit) *rerum futurarum & prædictio, & euentus proficiscitur: Dij autem gentium, sicut absunt à vera diuinitate, sic etiam à prænotione rerum futurarum.* Idem habet Chrysost. hom. 18. in Ioan. *Certa* (inquit) *prædictio futurorum immortalis dumtaxat Dei opus est*: Damasc. lib. 2. de Fide, ca. 4. & alij Patres communiter. Qui eodem modo loquuntur de cognitione cogitationum cordium, maximè Hieronymus epist. 40. & Augustin. Tract. 32. in Ioan. & Chrysost. Homil. 30. in Matth. & Cyril. lib. 2. in Ioan. cap. 19. *Nulli* (inquit) *alij, sed diuinæ tantummodo naturæ Prophetæ illud attribuit: scrutans corda, & renes Deus.* Colligitur etiam optimè ex illo 1. Cor. 14. *Si omnes Prophetent, intret autem quis idiota, vel infidelis, conuincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus: occulta enim cordis eius manifesta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuncians, quòd verè Deus in vobis sit.* Cum ergo talis cognitio sit propria Dei, qui illam à Dæmone postulat, in primis supponit, Dæmonem illam habere, quia nemo potest docere, quæ ignorat, ergo attribuit Dæmoni propriam quandam excellentiam Dei. Deinde supponit, posse Dæmonem sua virtute hæc prædicere, quod etiam est contra singularem Dei prærogatiuam, ergo talis deprecatio, & consortium cum Dæmone includit recognitionem diuinæ excellentiæ in illo, ac subinde tacitam idololatriam, ac falsam superstitionem contra cultum veri Dei.

Iustin. *Chrys.* *Damasc.* *Hieron.* *August.* *Chrysost.* *Cyril.* *1. Cor. 14.*

12. Obiectio.

Dices, fieri optimè posse, vt qui hanc cognitionem à Dæmone procurat, ignoret esse propriam Dei taliũ rerũ scientiã, & consequenter vt petendo non tribuat Dæmoni diuinam excellentiã formaliter, quod solùm posset ad superstitionẽ, vel tacitam idololatriam pertinere. Item licet aliquis credat, Dæmonem hæc certò cognoscere, potest existimare, non ita illa cognoscere, vt Deus cognoscit, sed inferiori modo, licèt certò, & dependenter à Deo, vel ex aliquo dono Dei, ergo ex vi illius petitionis non tribuitur Dæmoni diuina excellentia. Denique licèt aliquis hanc cognitionem à Dæmone petat, potest non intendere illũ colere vllo cultu, nedum diuino; sicut quando vnus homo ab alio interrogat, quid in curia Regis, vel Pontificis fiat, non intendit illum honorare, aut ei reuerentiam exhibere, neque ex vi talis operis id facit, si id non intendit, ergo similiter respectu Dæmonis consulere illum etiam de his rebus per se occultis, & ab illo petere certam prædictionem earum non est colere illum; non est ergo hæc superstitio, esto sit aliud peccati genus.

13. Respõdetur.

Respondeo ad priorem partem, hic non considerari id, quod est per accidens ex parte operantis, quale est, quòd per ignorantiam operetur, & ideò interdum excusetur; sed cõsiderari, quòd per se conuenit actioni ex vi sui obiecti, & materiæ. Illa ergo operatio superstitiosa est, & de se contraria diuino honori: nam contra honorẽ Dei est alteri attribuere, quod est proprium eius, quod per illam actionem fit, licèt operans excusari possit. Dicẽdum verò vlteriùs est, in illo modo consulendi Dæmonem, adiungi aliud genus peccati de se grauis, nimirum pernicioſum errorem, quo creditur Dæmon esse omniscius, vel aliquid simile; quod credere de se hæreticum est, & vix potest per ignorantiam à graui culpa excusari. Si tamen contingeret, (quod non videtur repugnare) aliquem per inuincibilem ignorantiam credere Dæmonium posse hæc futura certò cognoscere, tunc verum est operantẽ excusari ab hac peculiari malitia, quam modò tractamus, licèt aliis modis peccet, vt in sequenti puncto tractabimus; nam quoad hoc eadem est ratio. Regulariter verò illa ignorantia est culpabilis, & crassa, maximè in Christianis, & tunc non excusatur operans à malitia superstitionis, & tacitæ idololatriæ, quia actus redit in naturam suæ formæ ratione talis ignorantiæ, id est, ad eandẽ culpam imputatur, quam de se habet, & quam aliquis committeret, si scienter illum faceret. Vnde ad secundam partem eadem ferè responsio applicanda est. Nam si Dæmoni tribuatur hæc scientia vt connaturalis, eo ipso datur illi diuina excellentia, quia non solum est proprium Dei habere talem sciẽtiam in tali gradu perfectionis, vel independentiæ, sed simpliciter habere illam ab intrinseco ex vi suæ naturæ, vt testimonia supra adducta probant. Ex dono autem Dei per se loquẽdo, vel regulariter nõ potest hæc scientia Dæmoni tribui, cũ sit hostis Dei, neque hoc intenditur in hoc Diuinationis genere, vt per se notũ est. Quòd si interdum in his intercedat aliqua ignorantia, est per accidens, & de illa iudicandum est iuxta doctrinam, & distinctionem datam.

14. Ad falsum cultũ ex parte rei adoratæ non semper requiri formalẽ intentionẽ colendi.

Ad vltimam denique partem dicitur, ad falsum cultum ex parte rei adoratæ non semper esse necessariam formalẽ intentionem colendi, vt actio habeat malitiã talis cultus, sed satis esse, vt actio de se pertineat ad cultum, & honorem eius, cui exhibetur; sicut adorationem homicidij, & malitiam eius non semper est necessaria formalis intentio occidendi, satis est voluntaria effectio talis operis. Et ratio generalis est, quia ad malitiam actionis multò minùs sufficit, quàm ad honestatem, quia malum ex quocunque defectu, & ideò licèt ad actum studiosum Religionis necessaria sit intentio colendi, ad prauum cultum necessaria non est. Addo verò vlteriùs illam actionem postulandi à Dæmone, vt doceat ea, quæ solus Deus docere potest, de se continere magnum cultum, & honorem Dæmoni impensum, sicut oratio ad Deũ ritè facta de se con-

ſe continet religioſum cultum Dei; vnde talis deprecatio ad Dæmonium videtur opponi Religioni ſecundum debitum actum orationis; nam ſicut oratio reſpectu veri Dei poteſt continere verum cultum latriæ, ita illa deprecatio reſpectu Dæmonis continet tacitam idololatriam, ſiue fiat cum formali intentione cultus, ſiue non, vt in priori reſponſione dictum eſt. Neque eſt ſimile exemplum humanum allatum, quia cognoſcere humano modo externa facta hominum, vel in præſentia viſa, vel ab aliis relata, non pertinet ad ſingularem excellentiam, vel perfectionem hominis, vnde illa interrogare de ſe non eſt nota ſummiſſionis, aut cultus, at certò cognoſcere futura per ſe occulta, ſummæ excellentiæ eſt, & Dæmon non alia ratione illam affectat, niſi vt ſi aliquo modo, vel habeatur, ſicut Deus, & ideò talis deprecatio de ſe includit huiuſmodi cultum, & idololatriam ſaltem tacitam.

15. An fiat ſuperſtitio, quando ſolum à Dæmone petitur cognitio rerum eo modo, quo ille cognoſcit.

Maiorem difficultatem ingerere poteſt hæc vltima obiectio, quando in hoc facto, vel conſortio cum Dæmone nihil aliud poſtulatur, niſi vt reuelet, & patefaciat occulta eo modo, quo illa cognoſcere poteſt, nimirum vt ſi ſint per ſe occulta, ſummam diligentiam ſibi poſſibilem adhibeat ad coniecturam faciendam, & proferat id, quod in cauſis, & ſignis veriſimiliùs continetur. Si verò res, de quibus interrogetur, tantùm ſunt per accidens occultæ, certam de illis cognitionem tradat, quàm naturaliter habere poteſt. In hoc enim peccati genere aliqui exiſtimant non committi ſuperſtitionem & conſequenter nec tacitam idololatriam. Ratio eſt, quia tunc non poſtulatur à Dæmone aliquid proprium Dei, neque aliqua diuinitatis excellentia: Et hoc maximè confirmat adductam exemplum de ſimili interrogatione inter homines. Et præterea licèt dicamus, eſſe aliquod genus honoris, & cultus, quando in rebus difficilioribus, quæ altiorem vim intelligendi, aut perfectionem requirunt, petimus ab alio edoceri, quia illi nos ſubiicimus profitentes eius excellentiam, totus hic honor non eſt contrarius Dei Religioni, nec eſt ſuperſtitioſus, etiamſi in Dæmonem fiat, quia reuera etiam Dæmon habet illam perfectionem naturalem, in qua nos ſuperat, & verè illam recognoſcimus. Nec videtur eſſe contra Dei honorem, quod homo profiteatur ſe indigere Dæmone ad talem cognitionem, & hac ratione aliquo modo illi ſubiici, ſicut diſcipulus ſubiicitur magiſtro, & profitetur ſe illius ope indigere ſine iniuria Dei. Vnde etiam non eſt dubium, quin Dæmon licèt non poſſit homini infundere ſcientiam, poſſit nihilominùs illum iuuare virtute ſuæ naturæ ad illam acquirendam, vel obiecta præſentando, vel tollendo impedimenta, vel docendo modo humano, ergo hoc poſtulare à Dæmone non eſt idololatria.

16. Pars affirmatiua vera iudicatur. D. Thom.

Nihilominùs dico ſecundo: Etiam in hoc genere ſocietatis cum Dæmone inueniri malitiam ſuperſtitionis, & irreuerentiæ diuinæ Religioni contrariæ. Hæc aſſertio ſumitur ex D. Thoma dicta quæſtione 95. art. 2. Nam vniuerſaliter ait, *Ad ſuperſtitionem pertinere, cum aliquis aſſumit auxilium Dæmonis ad aliquid faciendum, vel cognoſcendum.* Vbi nihil diſtinguit inter cognitionem propriam Dei, vel non propriam, ſed ſimpliciter de auxilio ad cognoſcendum loquitur. Affertque ad id confirmandum Auguſt. lib. 2. Doctri. Chriſt. vniuerſaliter dicentem, *quicquid ſpectat ad conſultationes, & pacta quædam ſignificationum cum Dæmonibus placita, atque fœderata* ad ſuperſtitionem pertinere. Et hoc etiam apertè ſentit Caietan. in fine dicti artic. 2. & inſinuat peculiarem rationem in verbis, quibus reſpondet ad obiectionem, quam fecerat: quod ſcilicet vti pacto Dæmonis abſolutè videatur ad ſocietatem, & non ad cultum ſpectare, & per hoc diuinationem non eſſe ſuperſtitionis ſpeciem, (quæ obiectio in materia huius aſſertionis maximè locum habet) reſpondétque ſine vlla diſtinctione, aut limitatione, quòd *ratione affectatæ excellentiæ diuinæ à Dæmone, implorare illius auxilium, vel conſilium ſuperſtitionis eſt.* Quamuis ergo non conſulatur Dæmon, neque fiat pactum cum illo ad obtinendam ab eo altiorem rerum occultarum cognitionem, quàm ipſe poſſit conſequi, & communicare virtute naturali, quia tamen per hanc ipſam ſocietatem Dæmon intendit vſurpare aliquid de excellentia Dei, & de honore illi ab homine debito, in hoc ſaltem quod homo, relicto Deo, ad ipſum recurrat, & ipſi ſe ſubiiciat, tanquam indigens auxilio eius, & in eo confidēs, etiam inuito Deo, vt ſic dicam, ideò homo conſulens Dæmonem prædicto modo planè conſentit, & cooperatur Dæmoni vſurpare conanti diuinam excellentiam, & ideò contra Religionem Deo debitam ſuperſtitioſè operatur.

17. 4. Reg. 1.

Et confirmari hoc poteſt ex illo 4. Reg. 1. *Numquid non eſt Deus in Iſrael, vt eatis ad conſulendum Beelzebub Deum Accaron?* Quamuis enim Ochozias fortè erraret, aliquid diuinum cogitans in illo idolo, non tamen de hoc ſpecialiter reprehenditur, ſed abſolutè, quia contempto vero Deo, Dæmonem conſulebat, quod erat contra honorem veri Dei, vt ibi Abulenſ. indicauit quæſt. 7. *Peccaſſe Ochoziam,* Abulenſ. inter alia, *quia conſulendo Beelzebub, contemnebat Deum, ac ſi nullus eſſet.* Et in quæſt. 8. loquens de illo, qui petit aliquid à Dæmone; vel idolo humiliando ſe illi, ait. *Et iſtæ veneraciones conſtituunt idololatriam.* Vnde poteſt conſiderari alia ratio, quia iuxta communem quaſi impoſitionem, & hominum æſtimationem huiuſmodi conſultatio de futuris, quæ humanam cognitionem excedunt, habetur tanquam ſignum recognitionis, & confeſſionis alicuius Diuinitatis in eo, qui conſulitur, maximè quando conſulitur, vt per ſe reſponſurus ſine coniunctione ad alium. Cum ergo Dæmon non habeat talem coniunctionem cum Deo, vt per relationem ad eum conſulatur, conſultatio, quę ad illum fit, eo ipſo ſuperſtitionem idololatriæ participat.

18. Declaratur magis ratio.

Præterea poteſt alio modo ratio ſuperſtitionis in tali diuinatione declarari magis explicando rationem Caiet. Nam Dæmon licèt in principio conſulatur nō tanquam infallibilis veritas, vel tanquam certò ſciens omnia, etiam per ſe occulta; tamen quatenus eſt in ſe, intendit deducere hominem in eam exiſtimationem, vel ſaltem vt eam profiteatur, & ſignis oſtendat, & ideò qui quocumque modo Dæmonem conſulit, ſocietatem, vel quodcumque pactum cum illo cōtrahendo, in magno periculo verſatur incidendi in illud barathrum apoſtatandi à Deo. Nam effectus Dæmonis inordinatiſſimus eſt per ſummam ſuperbiam, & odium; & artes ad decipiendum, & induſtria, ac experientia ſunt ei maximæ. Idemque, ſi Deus permittat, facilè decipiet quoſcumque, qui ſocietatem cum illo ineunt, qui merentur etiam à Deo deſtitui, & labi permittit propter ſummam audaciam, & ingratitudinem. Igitur qui talem inchoat ſocietatem, ſtatim incipit declinare à vera Religione, & ſuperſtitioſus eſſe, quia moraliter eiuſdem vitij eſt committere aliquid, & morali periculo, & occaſioni committendi illud, ſe exponere. Sicut qui vanam ſocietatem contraheret cū muliere infami, & fornicationibus, vel adulteriis debita, & maximè ſi de illa conſtaret, mentē, & vſum eius eſſe, amicos ſuos ad libidinem turpiſſimā inducere eo ipſo, & ex vi talis ſocietatis cenſeretur iam malitiam libidinis contraxiſſe, etiamſi nōdū actu ipſo formali in eā lapſus eſſet: ita ergo eſt in præſenti.

Valen. diſp. 6. q. 12. p. 3.

Pars negatiua.

Aug.

Caiet.

19. Explicatur aliter culpa hæc.

Denique potest aliter explicari hæc culpa, quia Dæmon est publicus hostis Dei, & hominum, & in omnibus intendit obscurare gloriam Dei, & ideò qui vni Deo tanquam supremo Regi, & principi adhærent, eo ipso renunciant omni societati cum Dæmone, vt Christiani faciũt in Baptismo, quia sub vero Deo militando bellum contra Dæmonem profitentur. Propter quod aiebat Paulus; *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes, & Potestates tenebrarum*; ad Ephes. 6. Vnde Aug. Psalm. 54. in principio dixit contra Dæmones indictam nobis esse luctam, & bellum. Qui ergo societatem cum Dæmone init, eique se tradit docendũ, & instruendum quomodocumque, eo ipso crimen læsæ diuinæ Maiestatis committit. Ac subinde grauissimam Deo iniuriam facit contra honorem eius, & contra fidelitatem ei debitam, non ex vi voti, sed ex vi subiectionis, & seruitutis debitæ Deo. Sicut si vassallus vnius Regis transiret ad Tyrannum, & publicum hostem, qui Regem à suo throno deturbare conatur, & cum illo amicitiam contraheret, & ab eo auxilium peteret, planè ageret contra fidelitatem, & obseruantiam debitam suo principi, & honorem illi debitum censeretur in hostem transferre: Ita ergo est in præsenti. Et ideò in præsenti causa omnis societas cum Dæmone, & consultatio, vel obsecratio ad sciendas res occultas quocumque modo est irreligiosa Dæmonis veneratio, ac subinde superstitio.

Ephes. 6. Augus.

20. Cũ vtroque modo cõsulendi Dæmonẽ coniunctas esse alias malitias.

Dico tertio: Cum vtroque modo consulendi Dæmonem de occultis siue per se siue per accidens, sunt coniunctæ aliæ malitiæ interdum contrariæ aliis modis ipsi Religioni, & interdum aliis virtutibus. Hæc assertio patebit facilè discurrendo per alios actus, & circunstantias, quas in tertia suppositione numerauimus. Primò ergo in omni huiusmodi consultatione Dæmonis inuenitur morale periculum deceptionis pernicioſæ vel consulenti, vel aliis, & ex hac parte habet sæpe hoc crimen specialem malitiam, vel contra charitatem propriam, vel proximi, vel etiam contra iustitiam. Primum certissimum est, & traditur frequenter à Patribus, quia Dæmon ab initio mendax est, & pater mendacij, & nullam viam nocendi deserit, sed circuit quærens, quem deuoret. Vnde Augu. li. 4. de Trinit. c. 17. *Potestates*, inquit, *aereæ superbæ, atque fallaces, etiamsi quædam vera per suos vates de societate, & ciuitate sanctorum, & vero mediatores dixisse reperiuntur, id egerunt, vt per hæc aliena vera etiam fideles Dei, si possent, ad sua falsa traducerent*: Et li. 2. Genes. ad lit c. 17. *Fatendum est* (inquit) *quando ab istis*: (id est ab astrologis iudiciariis rerum humanarum) *vera dicuntur, instinctu quodam occultissimo dici, quod, cum ad decipiendos homines sit, spirituum seductorum operatio est.* Vnde in fine capitis concludit: *Quapropter bono Christiano diuinantes impiè, etiam dicentes vera cauendi sunt, ne consortio Dæmoniorum animas deceptas pacto societatis irretiant.* Multaque similia in Patribus suprà citatis reperientur. Cum ergo hæc sit Dæmonis intentio, & astutia, constat summum esse periculum grauiter errandi in omni cognitione, ac doctrina ab ipso accepta, & in societate cum illo ad illam comparandam: hominem autem huic periculo se voluntariè exponere planè inordinatissimum est.

Augus.

21. Hæc malitia est proportionata materiæ, & intentioni operantis.

Erit autem hæc malitia proportionata materiæ, & intentioni operantis: Nam si materia talis cognitionis sit purè philosophica, seu naturalis, & humana, omninóque speculatiua, id est, non ordinata ad aliquid agendum, sed solùm ad curiositatem, vel vanam ostentationem, non erit periculum deceptionis cõtra iustitiam, vel charitatem in re graui, sed solum contra prudentiam, & studiositatem, quia tenetur homo periculum deceptionis vitare in quacunq; materia, hæc A autem per se spectata non est grauis. Atve rò si materia cognitionis practica sit, & accipiatur vt regula operãdi aliquid, tunc peccatum esse poterit vel contra iustitiam, si aliquo modo periculum grauis nocumenti aliis inde proueniat, vel contra charitatem propriam, si periculum vergere possit in proprium damnum spirituale, vel corporale: poterit etiam esse contra fidem, si sit periculum errandi in materia eius.

21. Quãdo idolatria committatur in Diuinatione.

Præterea solet coniungi cum hac diuinatione expressus cultus Dæmonum, quiquidem si sit per sacrificia, vel alias cæremonias determinatas ad diuinum cultum, tunc præter malitiam diuinationis, est in tali actu expressa idololatria, vt est per se manifestum, & notat Abul. suprà, & omnes. Si verò sit cultus per actiones communes, quibus solent Sancti honorari per se, & propter suam sanctitatem creatam, & desit intentio formalis colendi Dæmonem vt Deum, sed solùm sit intentio honorandi illum propter excellentiam suæ naturæ, & scientiæ, & ad habendum illum propitium, sic non erit expressa idololatria, sed dici poterit idolodulia, quia directè est opposita virtuti Duliæ, licèt indirectè sit etiam contraria Religioni, & tacitè participet superstitionis malitiam, vt in secunda assertione explicatum est. Rursus quando consultationi, & societati Dæmonum adiunguntur iniqua verba, seu promissiones cum aliquo expresso pacto, præter malitiam falsi cultus iam explicatam, tunc pro ratione promissionis poterit esse noua blasphemia, vel alia similis iniquitas, vt si promittat renunciare Christo, vel nunquam in illius amicitiam redire, nec eius sacramentis vti, vel si animam suam, aut perpetuam obedientiam Dæmoni promittat. Hæc enim, & similia solent Dæmones à miseris hominibus postulare, de quibus omnibus constat habere peculiares malitias nunc Religioni, nunc charitati Dei, nunc charitati propriæ oppositas, iuxta diuersas materias, quæ attendendæ sunt ad iudicium ferendum de tali crimine.

Abulens.

Quando fiat idolodulia.

23. In fide Dæmoni adhibita idololatria, & hæresis cõtinetur.

Vltra hæc verò omnia accedere solet fides, & credulitas, quam tales homines præbent Dæmoni aliquid sibi dicenti, in quo actu duo spectanda sunt, scilicet modus credendi, & res credita. Ex parte modi erit noua malitia grauis, si Dæmonis responsum tanquam certum, & infallibile credatur, nam in tali fide, & implicita idololatria, & hæresis continetur. Nam qui sic credit, Dæmonem apprehendit vt numen infallibile, in cuius obsequium intellectum captiuat, vel submittit, quod ad idololatriam spectat. Item qui sic credit Dæmoni, planè supponitur credere, Dæmonem non esse malum, nec fallacem, nec etiam esse talem, qui falli possit: Vtrumque autem contra fidem est. At verò si nõ hoc modo credatur assertio Dæmonis, sed solum fide quadam humana, vel (vt ita dicam) angelica tanquam res valde probabilis, & magnæ auctoritatis, licèt fallibilis, tunc non incurretur hæc specialis malitia. Erit autem consideranda materia diabolici oraculi, nam potest continere errorem contra fidem Catholicam, & tunc committetur expressum peccatum hæresis, vt per se constat. Tandem si ex hac fide sequatur exterior diuinatio, & prædictio talium rerum, & inductio aliorum ad illas credendas, vel ad aliquid agendum ratione illius cognitionis, tunc adiungitur malitia scandali, & iuxta materiæ proportionem censeri poterit talis diuinator, vel hæresiarcha, vel seductor in materia iustitiæ, vel in aliis materiis morum, vel hypocrita, vel fur, & latro, si hæc, & similia intendat, vel ex eius praua operatione sequantur, nam ita sunt cum hoc vitio moraliter coniuncta, vt excusari non possint regulariter loquendo.

Materia diabolici oraculi considerãda.

24. In ordine ad scientiam

Ex his ergo satis cõstat, qualis sit Diuinationis culpa, & quotuplex, quando committitur cum expressa socie-

considerat. id, quod est per se in actu.

societate cum Dæmone. Solùm est aduertendum, in ordine ad scientiam, & doctrinam considerari id, quod est per se, & primariò in actu, & ideò tale peccatum simpliciter poni sub specie superstitionis, falsi cultus, & Religioni contrarij, nam reliquæ malitiæ, quæ adiunguntur, vel sunt accidentariæ, & variabiles quia ex adiunctis sumuntur, vel sunt minùs graues, & secundariæ, vt explicatum est. At in ordine ad praxim, & ad iudicium ferendum de tali crimine, vel in confessione sacramentali, vel in forensi iudicio omnia dicta spectanda sunt, & ponderanda, vt condigna sententia ferri possit.

CAPVT IX.

Vtrùm interdum committatur superstitiosa Diuinatio per implicitum pactum cum Dæmone, & quomodo, ac quibus modis id fiat.

1. Diuinatio superstitiosa committitur sine expresso pacto cum Dæmone. *D. Thom. Caiet. August.*

COmmunis, & vera sententia est posse hoc peccatum superstitiosæ diuinationis committi absque expresso pacto, vel negotiatione cum Dæmone. Ita docet D. Thom. dicta q. 95. art. 2. vbi latè Caiet. & omnes: & sumitur ex D. Aug. lib. 2. de Doct. Christ. cap. 20. & sequentibus: & ex aliis statim referendis. Hinc ergo concludunt etiam omnes cum D. Thom. ad hoc peccatum sufficere pactum implicitum cum Dæmone. Nam hoc peccatum non committitur sine aliquo pacto cum Dæmone, vt ex adductis in præcedenti cap. constare potest: Nam ad superstitionem falsi cultus necessarium est, vt aliquis cultus diuinus in aliquam personam, vel rem creatam transferatur: Diuinatio autem, præcisè spectata, vt est vana inquisitio cognitionis rerum occultarum, vel voluntaria, & temeraria credulitas earum, non est cultus alicuius rei creatæ, nec potest illam rationem induere, nisi quatenus includit pactū cum Dæmone, quia ex nullo alio capite, nec respectu alterius rei, vel personæ potest ibi falsus cultus admisceri, ergo necesse est vt intercedat pactum saltem implicitum, & quod illud sufficiat; quandoquidem expressum non est semper necessarium. Duo ergo explicanda supersunt: vnum est, quid requiratur ad hoc pactum implicitum: aliud est, quid sufficiat.

2. Quid requiratur ad hoc pactum implicitum. *D. Thom. Caiet.*

Quoad primum dicendum est, vt in huiusmodi cognitione interueniat pactum implicitum cum Dæmone, necessarium esse, vt quæratur absque ope Diuina, & per vanam inquisitionem, seu per medium ineptum, & de se inutile, vt talis cognitio acquiratur. Ita docet D. Thom. dicto art 2. Caiet. & alij. Et ratio quoad priorem partem est clara: Quia si veritatis inquisitio cum fundamento nitatur in diuina auctoritate, vel auxilio, clarum est per se malam non esse, cum Deus sit fons omnis cognitionis, & veritatis. Cur autem hæc conditio ponatur, paulò inferiùs explicatur. Deinde additur necessarium esse vt inquisitio vana sit, quia si illa non sit vana, nō est, cur cognitio per illam comparata implicito pacto cum Dæmone tribuatur; aliàs omnis humana inquisitio ex effectibus, & signis naturalibus, Dæmoni esset tribuenda, quo temerarium iudicium est, & iniurioſum naturæ, & Catholicæ veritati contrarium. Vt autem humana inquisitio ad cognitionem tendens, vana non sit, duo requiruntur, & sufficiunt: Primum est, vt medium cognitionis si obiectum aliquod proportionatum humanæ cognitioni, quæ per sensus acquiritur, id est, vt sit obiectum sensibile ab homine: Secundum est, vt tale medium sit etiam proportionatum veritati, quæ per illud inquiritur, vel ab illo accipitur; id est, vt habeat naturalem aliquam connexionem cum illa, ratione cuius optimè possit hęc ex illo colligi, ita vt mediū illud aliquo modo in se contineat illam veritatē.

Quale debeat esse medium cognitionis, vt inquisitio non sit vana.

3. Quid habere debeat medium, vt proportionatum sit veritati quæsitæ.

Hoc autem duobus modis tantùm contingere potest, scilicet, vel vt medium contineat conclusionem tanquam causa effectum, vel tanquam effectus causam. Inter quos duos modos est notanda differentia, quia causa licèt virtute contineat effectum, & ideò in illa, vel per illam cognosci possit effectus, vt possibilis, non tamen semper est determinata ad effectum, quia potest esse causa libera, & indifferens, vel si naturalis sit, potest esse causa impedibilis per occursum alteriùs. Quia ergo scientia occultorum; de qua tractamus, non est de effectibus possibilibus, sed de rebus existentibus, seu futuris certo aliquo tempore, ideo vt inquisitio illorum non sit vana, non satis est, vt medium sit causa effectus, sed oportet, vt sit causa determinata ad effectum, non impedienda, vel vt sumatur cum circunstantiis, in quibus hæc determinatio, & expeditio ad operandum vt existens, vel futura contineatur. At verò effectus supponitur iam actu existens, & ideò in se includit determinationem, & expeditionem suæ causæ, determinationem inquam, actualem, sine qua effectus non fit, siue illa fuerit necessaria, siue ex propria libertate.

4. Non esse addendum tertium mediū quando scilicet signatum continetur in signo.

Neque oportet addere membrum, quo signatum continetur in signo, & per illud cognoscitur, quia vt tale signum naturali cognitioni, & humanæ inquisitioni deseruiat, necesse est, vt sit naturale signum; omne autem naturale signum ad effectum, vel causam reuocatur, quia res nō sunt factæ per se ad significandum, sed in tantum ex natura rei significant, in quantū habent connexionē cum suis causis, vel effectibus siue mediatam, siue immediatam. Potest enim hæc significatio esse vel per immediatam habitudinem effectus ad causam, aut causæ ad effectum, vel per connexionem duorum effectuū in vna causa, à qua vterque procedit. Tunc enim vnus effectus per alium significatur, vt serenitas per iridis arcum, non quia vnus effectus sit causa alterius, vel è conuerso, sed quia vterque sequitur ex eadem causa, & ita mediante causa vnus effectus indicat alium, nam cum causa facit vnum effectum, ex illo colligimus alium esse futurum. Solùm posset instari de speciebus intentionalibus, vel notitiis, quæ repræsentant obiecta, licèt non sint effectus eorum: At illa repræsentatio non est per inquisitionem ex medio cognito, de qua nunc tractamus, sed est effectiua, vel formalis repræsentatio tanquā medium incognitum, vt vocatur, quæ præsenti instituto non seruit. Atque ita tandem concluditur, tunc inquisitionem naturalem non esse vanam, quando est per causam, vel effectum, ac subinde tunc esse vanam inquisitionem quando fit per medium inutile, id est, quod non habet sufficientem connexionem causæ vel effectus cum re, quæ inuestigatur. Hęc est ergo prima, & præcipua conditio necessaria, vt in cognitione alicuius effectus occulti pactū implicitum interueniat.

5. Species diuinationis iuxta varia media vana distinguūtur.

Atque hinc fit, vt iuxta varia media inutilia, & vana, quæ solent esse in vsu diuinorum ad res futuras, & incertas, vel aliter occultas prædicendas, variæ etiam distinguantur species huius diuinationis per pactum implicitum, quæ quidem materialiter diuersæ sint, & inde varia nomina accipiunt: In ratione autē pacti impliciti, atque adeo in ratione superstitionis eandem rationem formalem habere videntur. Vnde è contrario multæ ex his speciebus in materia conueniunt cum speciebus diuinationum, quæ fiunt per pactum expressum, quia eadem signa possunt vtrique pactioni deseruire. Solent autē diuidi quasi duæ species subalternæ sub illo genere, vna vocari solet *Augurium* in lata significatione sumptum: alia *Sortilegium*. Prior fit per inspectionem aliquarum rerum, vel figura-

Numeratur variæ Diuinationum species.

gurarum, aut effectuum naturalium, ex illis colligendo, & prædicendo effectus alios, cum quibus non habent connexionem. In quo genere primo numeratur *Iudiciaria Astrologia*, qua Genethliaci vtuntur: Item. *Insomnium*, *Auspicium*, *Omen*, & *Augurium* strictè sumptum. Quæ quidem ferè nomina etiam in capite præced. explicuimus, quia illa signa, & similia accipi possunt ex conuentione cum Dæmone, & pacto expresso, quādo verò sine tali pacto accipiuntur, vt media cognitionis, ad vanam inquisitionem spectant, & pactum implicitum indicāt. Adduntur etiam hîc *Chiromantia*, quæ est Diuinatio futuri euentus ex inspectione lineamentorum manus: *Mecoposcopia*, quæ diuinat in fronte: *Spatulamantia*, seu *Hotomantia*, quæ in dorso, seu scapulis fit, *Phisiognomia*, quæ fit in figura, & signis totius humani corporis, & præsertim totius faciei. Altera species huius diuinationis fieri dicitur per obseruationem aliquarum humanarum actionum, ex quarum euentu, vel inspectione aliquid diuinatur, inquiritur, aut creditur, quod nullā habet cum altero effectu, vel euentu connexionem naturalem; sub quo genere varij modi referūtur, sed omnes continentur sub *Sortibus vanis*, quocumque modo constituantur, vt ex D. Thom. dicta q. 95. art. 3. & 8. intelligere licet, & infra in particulari explicabimus.

D. Thom.

6. Quādo prædictę species reperiantur in rerum cognitione.

Sed circa omnia ista genera, vel nomina diuinationum aduertendum est ex supradictis, accipienda esse, vel quantum ad illos effectus, qui ex talibus signis nullo modo deduci possunt, vel saltem quoad eum modum cognitionis, qui ex vi talium mediorum comparari non potest; nam hoc necessarium est ad vanam inquisitionem, vt declaratum est. Vnde si ex signo sensibili, vel effectu viso per certam deductionem fundatam in aliqua ex habitidinibus supra explicatis, cognoscatur aliquis effectus, & solus ille inquiratur, cessat omnis ratio illicitæ diuinationis. Sic ex Eclipsi v. g. prædicere alios effectus futuros, non est superstitiosa diuinatio, quia non sumitur Eclipsis in ratione puri signi nullam habentis naturalem connexionē cum talibus effectibus, sed vt effectus ortus ex tali causa astrorum, ac cœlorum concursu, & ex quo alij etiam effectus sequi solent. Sic enim diximus vnum effectum alicuius causæ posse indicare alium effectū eiusdem causæ. Simili modo si ex aliqua causa possit coniectari probabiliter aliquis effectus, non tamen possit certò cognosci, & per tale medium solum inquiratur secundum illum gradum cognitionis, non est illicita diuinatio, vt si quis obseruet fugā, vel cantum auium, vt inde coniectet, an pluuia sit futura, non est diuinatio, vt docuit D. Th. dicta q. 95. art. 7 ad 2. ex illo Hierem. 8. *Miluus in cœlo cognouit tempus suum, &c.* Idem enim est in similibus. Tales etiam sunt diuinationes & coniecturæ medicorū ex signis, quæ in corporibus obseruant: Idémque est de aliis, quorum ratio constat ex dictis. Voces ergo illæ, quibus significantur vanæ artes seu obseruantiæ huius diuinationis, in malam partē accipiuntur, quatenus vitium significant, & in hoc omnes conueniunt: Quod spectant effectū aliquem, vel obiectū sensibile sub pura ratione signi alterius effectus, quā inquirunt sine vlla considerātione alterius cōnexionis vel habitudinis causæ, & effectus inter se, vel plurium effectuū ad eandem causam. Et hoc est quasi formale constitutiuū huius vanæ inquisitionis, quando in diuina reuelatione non fundatur.

7. Vt obseruatio sit vana, necesse est, vt tale signū non habeat impositionē à Deo.

Vlterius enim addere oportet alteram conditionem, quasi negatiuam, necessariam ad vanam obseruationem alicuius signi ad aliquid cognoscendum, nimirum quòd illud signum non habeat impositionem à Deo. Nam si illam habeat, clarum est, non esse vanum, tale signum obseruare ad cognitionē acquirendam, quia potest per illud signum occulta veritas agnosci, sicut per scripturam. Deus enim auctoritatem habet ad imponendum aliquid ad significandum placitum suum, vt per se constat. Significat ergo aliquid esse futurum, si à Deo impositum est, sed talis significatio non potest non esse vera, si à Deo imponitur, quia Deus non potest mentiri; & tunc imponendo illud signum per illud loquitur, & affirmat talem effectum esse futurum, vel esse in tali loco, ergo. Sicque non superstitiosè, sed sanctè diuinat, qui viso arcu cœli, credit, non esse tantam futuram pluuiam, vt diffipet terram, quia Deus illum pro signo posuit Genes. 9. Et id satis est, siue illa significatio etiam fundetur in naturali aliqua connexione illorum effectuum in causa, siue non, sufficit enim solum verbum Dei.

Genes. 9.

8. Hanc diuinā significationē variè fieri posse.

Vnde hæc significatio, quam diuinam possumus appellare, interdum esse potest per expressam reuelationem publicam, & canonicam; sicut est illa, quæ fit in scriptura, vt in exemplo dato, & in signis aduentus Spiritus sancti in die Pentecostes, quæ verè, sufficientérque significabāt effectum naturaliter occultum, suppositā præcedenti Christi promissione, & prædictione. Aliquando verò potest talis impositio cognosci per priuatam reuelationem expressam, & sæpè per internum Spiritus sancti instinctum. Sed in his casibus oportet examinare spiritus an à Deo sint. Non desunt tamen in Scriptura huiusmodi signorum exempla, quæ inferius tractando de aliquibus ex prædictis diuinationibus, afferemus. Et hoc modo nonnunquam Sancti viri ex vno verbo obiter audito, aut lecto signum diuinæ voluntatis, aut specialis prouidentiæ ad dirigendas suas actiones accipiunt, non per vanam ominationem, sed per instinctum Diuinum, vel prudentem, & probabilem coniecturam, vt legi potest apud August. lib. 8. Confession. cap. 12. & Gregor. Turo. lib. 2. Histor. Franc. cap. 37. Quando ergo vel certa inspiratione, vel probabili, & prudenti coniectura creditur signum prouenire ex diuina prouidentia, vel admonitione, cessat vanitas obseruationis. E contrario verò vbi nulla est ratio præsumendi significationem diuinam, & medium cognitionis de se inutile est, & vt signum tantùm accipitur, vana est inquisitio.

August. *Gregor. Turo.*

9. An inquisitio hoc modo vana cōtineat pactū Dæmonis implicitum.

Iam verò superest explicandum. An eo ipso, quòd inquisitio est vana modo explicato, interueniat pactum implicitum Dæmonis, &, An hæc sit sola præsumptio, vel re vera tale pactum existat, & in quo consistat. Ratio dubitandi esse potest, quia licèt aliquis inquirat cognitionem veritatis occultæ in re, vel ex medio, vnde cognosci non potest, potest id facere ex quadam stultitia, aut vanitate; ergo non est, cur statim præsumatur rationabiliter, ac prudenter pactum implicitum cum Dæmone & licèt de facto præsumatur, non oportet vt ita sit. Præterea pactum implicitum supponit explicitum, quomodo enim intelligi potest, aliquem operari ex pacto implicito, nisi operetur in virtute alicuius pacti expliciti, quòd præcessit? Quid enim est pactum illud implicitum, si non sit veluti moralis virtus relicta ex pacto explicito? Certè explicari non potest. At supponimus, eum hominem, qui sic operatur, non habuisse vnquā pactum explicitum cum Dæmone, ergo non est possibile, nedum necessarium, vt operetur ex pacto implicito. In contrarium verò est, quia talis vsus diuinationis, inquirendo veritatem occultam, vnde sciri non potest, & credendo illam ex puris signis sine vlla connexione medij cum re credita absque reuelatione, vel speciali instinctu Dei, damnatur ab Ecclesia, & à D. Thom. & Doct. vt superstitio falsi cultus Religioni contraria, ergo per illam transfertur diuinus cultus ad Dæmonem, quia non potest in alio consistere

D. Thom.

stere falsitas illius cultus, vt ex dictis constat. Vt autem cultus Dei tribuatur Dæmoni, necessaria est aliqua socitas, vel pactum cum illo, & illud non est explicitum, vt supponitur, ergo oportet, vt sit saltem implicitum.

10. Resoluitur quæstio.

Dicendum ergo est, hoc pactum interuenire, quoties homo seriò vtitur his signis ad veritatem occultam per illa significatam inquirendam, & illam credit, quando iuxta regulas alicuius artis diuinatoriæ per illa media significatur, vel accedit cum animo adhibendi fidem talibus signis, quando illa obseruat. Hoc satis probat quasi à posteriori ratio moralis facta: nam actio illa, seu illud studium, prout à nobis explicatum est, graue, ac pernicioſum crimen est, damnatum in pluribus locis veteris Testamenti su-

Caietan. prà adductis. Addítque Caiet. dicto art. 2. etiam prohiberi à Paulo in nouo Testamento, & alludit, vt paulò inferiùs declarat, ad locum Pauli ad

Galat. 4. Galat. 4. *Dies obseruatis, & menses & tempora, & annos timeo vos ne forte sine causa laborauerim in vobis*: Hæc enim verba intelliguntur à multis de obseruatione harum rerum, vt

Gratian. sunt signa futurorum. Quos secutus est Gratianus 26. quæst. 2. §. *Vnde*, post cap. 1. Et inde colligit Caiet. hæc omnia esse per se mala, & ideò prohiberi, & non è conuerso ideò esse mala, quia prohibita. Sed esto, hoc ita sit, tamen ex testimonio Pauli non colligitur: nam verba illa commodè intelliguntur de obseruatione cæremoniarum legalium, vt etiam Caiet. ipse

Caietan. D. Thom. in Paulum intellexit: & D Thomas ibi Lect. 4. dicit quod licèt prior expositio sustineri possit, quia veram doctrinam continet, non tamen est secundum mentem Apostoli. Nihilominùs Patres illas obseruationes damnant vt superstitiosas, & continentes tacitam idololatriam, vnde sine dubio sentiunt ibi interuenire pactum implicitum, vt expressè declarauit D. Thomas dicto art. 2. & dicta Lect. 4. Testimonia autem Patrum legi possunt in

Decret. 26. Decret. 26. quæst. 1. & 2. cum sequentibus.

11. In quo consistit hoc pactum implicitum.

Modus autem pacti in hoc solùm videtur poni à D. Thom. dicto art. 2. & 3. adiuncta expositione Caiet. quod ille, qui his vanis inquisitionibus vtitur, ita se gerit, vt virtute velit Dæmonem illis obseruantiis immiscери. At enim ad summum habetur, talem hominem se exponere periculo societatis cum Dæmone, non verò quod iam vtatur pacto implicito. Vt ergo declaretur hoc pactum, in primis supponendum est, hominem exercentem hanc artem, vel obseruantem talia signa, vti illis, vt vtilibus ad cognoscendam rem occultam, & spe adinueniēdi illam per hoc medium; & hoc vocamus in assertione, *Seriò hæc attendere, & cum animo adhibendi fidem.* Nam siquis aliquid huiusmodi faciat, non quia putet esse vtile, nec quia sperat per illud medium scire veritatem, sed solum otiose quærendo, quid casu accidat, vel quid designet tale signum iuxta regulas talis artis, licet falsas, & nullius momenti eas esse credat: Tunc constat, non operari ex pacto implicito Dæmonis, nec esse Ariolum, aut Diuinum, sed materialiter facere id, quod isti solent formaliter facere. Vnde in eo modo operandi hæc, non est peccatum superstitionis, sed otiosæ actionis, ideóque per se loquendo, & secluso scandalo, vel periculo per illa ioca perueniendi ad seria, illud non est peccatum mortale, sed veniale, vt recte Caiet. suprà notauit, & est communis sententia.

Vti his signis, non cũ animo adhibendi illis fidem, solùm est veniale. *Caietan.*

12. Semper fundantur isti superstitiosi in doctrina Dæmonis.

Deinde supponimus eum, qui sic operatur, non ponere spem suam, aut fidem suam in Diuina reuelatione, quia re vera nulla est, vt supponitur. Neque isti illam somniat, neque in illa fundatur. Cuius signum est, quia vtuntur regulis suæ artis, vel aliquibus traditionibus humanis. Hinc ergo apertè concluditur, eos tacitè fundari in disciplina, & instructione Dæmonis, & hoc est operari ex pacto implicito cum Dæmone. Probatur hæc vltima illatio, quia non potest acquiri cognitio alicuius rei occultæ per aliquod signum, quod illam ex rei natura non significat, nisi quia significare creditur ex impositione alicuius habentis auctoritatem, sed in præsenti hæc signa non sunt naturalia, vt supponitur, & ostensum est, ergo qui illis vtitur, vt vtilibus, credit esse imposita ad significandum ab aliquo habente auctoritatem, cui credendum sit, sed non sunt imposita à Deo, & consequenter nec à Sanctis Angelis, vt constat ergo à Dæmone, ergo vti illis signis in virtute est à Dæmone discere, & illi credere, & hæc est societas, aut pactum implicitum cum illo.

13. Duplex modus vtendi his mediis.

Et declaratur ampliùs: nam dupliciter potest quis vti rebus, & mediis, vno modo supponendo, & credendo, in eis esse vtilitatem, & veram significationē, alio modo non supponendo vtilitatem ex impositione iam facta, sed sperando habere illam ex superiori aliquo, & occulto instinctu, vtroque autem modo intercedit pactum implicitum, ergo. Minor patet quia in priori modo, qui magis vitatus est, procedit discursus factus, quod illa impositio non potest esse, nisi à Dæmone. In posteriori autem modo, cum non possit illa reuelatio sperari à Deo, necesse est, vt speretur à Dæmone, imò si expressè ita fiat, magis videbitur esse pactum explicitum, quam implicitum, quia licèt tale pactum in eo casu non præcedat, speratur tamen & intuitu illius fit illa inquisitio, seu vana obseruatio. Vocamus autem hic pactum, non tantum quasi stabilem coniunctionem per mutuam promissionem, & obligationem, sed quamcunque societatē, & deprecationem, seu petitionem auxilij ad aliquid cognoscendum, nam vtrumque horum sufficit ad superstitionem falsi cultus, vt suprà declaratum est. Constat autem in illo casu esse saltem tacitam deprecationē, & postulationem auxilij à Dæmone, quandoquidem sub illa spe fit vana inquisitio. Neque est necesse, vt expressè speretur à Dæmone, iam enim esset expressa inuocatio, vt dixi, sed satis est, quod homo his vanis inquisitionibus intendat, spe cognoscendi futura, quia, vt D. Thomas ait, statim Dæmon se ingerit, vnde virtualiter hoc est, quod homo affectat. *D. Thom.*

14. Declaratur amplius hoc pactum implicitum.

Tandem potest hoc pactum implicitum declarari, quia non potest homo his vanis inquisitionibus intendere animo, & spe cognoscendi futura via inuentionis, sed via disciplinæ, magister autem illius disciplinæ non potest esse, nisi Dæmon, ergo conuincitur homo, quòd tacitè intēdat doceri à Dæmone, & hoc est pactum implicitum. Maior declaratur, quia illud medium, quod vt signum veritatis occultæ seu futuri euentus assumitur neque est causa determinata ad illum effectum, vt supponitur, neque est effectus, à quo possit incipere cognitio, nam potiùs intenditur vt terminus eius; vnde non est medium, sed conclusio scienda; nec est effectus habens in causa necessariam connexionen cum alio effectu, quia nulla talis connexio inter signum, & veritatem inquisitam inuenitur, vt in Auguriis, & aliis similibus artibus in particulari demonstratur; ergo assumitur illud medium vt purum signum. At huiusmodi signum inutile est ad acquirendam cognitionem in inuentionis, quia non est signum naturale, sed ad placitum, vt suprà declaratum est: omnis autem acquisitio cognitionis per signa ad placitum pertinet ad disciplinā potiùs, quàm ad inuentionem. Docetur enim homo ab illo, qui talia signa scripsit, vel primo imposuit ad talem significationem. Argumentum denique euidens est, quia cognitio acquisita per talia signa, tota reducitur ad auctoritatem eius, qui signa præbuit, & dixit esse ve-

ra, & hoc, vel illud significare, nam in vi solius discursus, & luminis intellectualis ex rebus ipsis id colligi non potest.

15. Solum Dæmonem esse auctorem illorum signorum.

Iam ergo probatur minor, quod solus Dæmon conuincatur esse auctor illorum signorum, seu falsæ impositionis, seu fictionis eorum, quia non est Deus, vt constat, nec homo creditur potens per se ad talem doctrinam tradendam, est ergo Dæmon. Vnde si doctrina illa per modum alicuius artis, & certis regulis contenta in aliquibus libris scripta continetur, à Dæmone per aliquem ministrum suum scripta est, & qui nunc illam addiscunt, à Dæmone docentur, sicut qui studet libris Augustini, ab Augustino docetur, & qui Scripturam legit, & credit, à Deo docetur. Atque hoc modo interuenit ibi pactum implicitum, & reducitur ad explicitum, quod cum aliquo primo enunciatore illius doctrinæ præcessit. Et ita responsum monet ad præcipuam rationem dubitandi.

16. 1. Obiectio.

Sed dicet aliquis primò, posse aliquem velle vti his vanis inquisitionibus, expressè intendendo non habere pactum cum Dæmone, sed solùm propter experientias aliquas, quæ ostendunt, futura ita euenire, sicut signa illa (quæ à nobis vana censentur) indicant, iuxta regulas talis artis, vel iuxta traditionem peritorum in illa. Neque iste sic illa vtens addendi, vel curat, quomodo fuerint nota hominibus talia signa, sed ad hoc abstrahit, & ab omni pacto cum Dæmone per expressam voluntatem suam, vt supponitur, ergo non potest sic operanti attribui pactum implicitum. Secundò fieri potest, vt sic operans opinetur, talia signa non fuisse demonstrata à Dæmone; sed vel à Deo

2. Obiectio.

Orig.

fuisse sic instituta ad significandum, sicut Origenes existimauit de signis cœlestibus, vel casu esse inuenta, & postea vsu compertum esse vera significare, & habere illam significationem permanentem, ergò qui sic illis vtitur, non profitetur pactum implicitú cum Dæmone. Denique, qui non probatur malus, bonus præsumitur iuxta regulam iuris, ergo si aliquis re vera nesciat, talia signa esse ex traditione, & societate Dæmonum, & ideò velit illis vti, quia non probatur habere malam originem, sed occultã, ille talis non profitetur pactum implicitum cum Dæmone. Hoc autem modo videntur illis vti omnes homines qui non habent expressum pactum cum Dæmone: Ac subinde falsum est dicere eo ipso quod aliquis vtitur his signis, & inquisitionibus, nesciens esse à Deo, profiteri pactum implicitum cum Dæmone.

17. Respondetur ad primam obiectionem.

Ad primum respondetur, interdum per crassam ignorantiam, vel incogitantiam velle aliquem contraria, vnum in se, ac formaliter, aliud virtute, & in alio. Sic ergo accidit in illo casu, nam licèt is, qui voluntariè vtitur talibus inquisitionibus vanis, explicitè dicat, se nolle pactum cum Dæmone, implicitè vult illud: & licèt nolit expressum pactum, de facto vult tacitum, quia vult vti illis mediis, vt vtilibus, cum tamen vtilitatem habere non possint, nisi interuentu Dæmonum. Nec refert, quod credat, illa esse vtilia propter experientiam, nam hoc ipsum est credere ex consortio cum Dæmonibus habere vtilitatem, quia illamet experiẽtiæ ab ipso Dæmone procuratæ sunt, vt homines ab eo decepti credant illa esse vtilia; vt

Augusti.

enim supra ex Aug. notaui, Dæmones aliquando vera enunciant, vt auctoritatem sibi concilient cum hominibus. & ita securius illos decipiant. Vide Aug. d. lib. de Diuinat. Dæmon. à c. 3. & lib. 2. Genes. ad lit. c. 17. & lib. 5. de Ciuit. Addo præterea illam experientiam valdè fallacem esse, quia re vera multò frequentiùs inueniuntur falsæ illæ prænunciationes, quam veræ, nam veræ notantur, & numerantur, quia paucæ sunt, falsæ verò innumerabiles sunt. Quod etiam

Gelli.

Phauorinus agnouit apud Aulum Gellium lib. 14. Noct. cap. 1. & Cic. lib. 2. de Diuinitat. Et rursus ex illis, quæ vera eueniunt, multa sunt casu, & quasi sorte, vt ait Aug. 7. lib. d. Confession. cap. 6. Regulariter autem iste casus est in paucioribus, vt dixi, & ad summum ad vtrumlibet ex vitalium signorum; & ideò siquid ampliùs ex illis signis docetur, & creditur (vt vera creditur ab Ariolis) totum id fundatum est in tacito pacto, & operatione Dæmonis. Neque excusantur isti, dicendo se non curare, vnde talis doctrina originem traxerit: tenentur enim hoc curare, & eo ipso quod non curant, & nullam probabilitatem habent, quod sit à Deo, voluntariè ignorare se fingunt, quod à Dæmone sit, & virtute volunt illa vti, etiamsi à Dæmone sit.

Cic.

Augusti.

18. Satisfit secundæ.

Ad secundum iam suprà dixi, considerandum esse, quid per se conueniat actioni, non quid possit excusare ignorantia. Qui ergo crediderit, talia signa esse à Deo creata, & instituta ad significandum naturaliter, etiam sine vlla connexione causæ, vel effectus in re ipsa valdè decipietur, & materialiter saltem id faciet, quod de se includit tacitum pactum cum Dæmone: ipse verò excusari poterit vel à toto, vel à tanto iuxta gradum ignorantiæ: Non enim videtur impossibile, aliquando esse inuincibilem, licèt regulariter valde crassa videatur: id tamen ex generalibus regulis de ignorantia discernendum est, vt rectè dixit Caiet. suprà: quia non potest particularis regula certior dari. At verò qui non putat illa signa esse à Deo, & ducitur propter vsum, & consuetudinem, & experimentum verorum euentuum, non excusatur, vt dixi: quia totum id ad experientiam reducitur, quæ ex industria, & societate Dæmonum prouenit, vt declaraui.

Caiet.

19. Soluitur. 3.

Ad tertium nego, non probari has artes habere malam originem, quia non solum negatiuè nescitur, vnde sint, sed etiam positiuè scitur, esse à Dæmone, hoc enim probant discursus suprà facti, quod non continent scientiam inuentionis per discursum, sed traditionis per disciplinam, quæ fidem præbet docenti, & eius tantùm auctoritate fundatur. Similiter dico in his artibus non solùm nesciri, An sint à Deo, seu non sciri, quòd sint à Deo, sed etiam sciri, quòd non sint à Deo, non solùm quia Deus id docet, & profitetur in Scriptura, detestãs tales artes, sed etiam quia frequentiùs illa signa fallunt, & continent mendacium, & quia nihil pietati deseruiunt, sed potiùs occasionem præbent committendi multa flagitia. Vnde talia signa nec viris Sanctis reuelata sunt, nec probi illius vtuntur, sed flagitiosi homines, incantatores, & similes. Notat etiam Aug. lib. 2. de Doct. Christ. c. 24. talia esse hæc signa Dæmonum, vt non significent, *nisi consensus obseruantis accedat.* Ideo enim (inquit) augures *id agunt, ne videant volatus, aut audiant voces auium*, ne scilicet sibi aliquid mali significent esse. Vnde non obscurè constat, totum hoc ex pacto cum Dæmone. Igitur non possunt tales artes præsumi bonæ, vel indifferentes, nec alterius doctrinam continere, nisi Dæmonis. De quo vide plura apud Augustin. suprà, & 5. de Ciuit. cap. 17. Orig. lib. 6. & 7. contra Celsum, Euseb. lib. 5. 6. & 10. de Præpar.

Augusti.

Orig. Euseb.

CAPVT X.

Expediuntur nonnullæ difficultates circa superiores diuinationum species.

1. An Diuinatio per pactum explicitum differat specie ab ea, quæ fit per implicitum.

PRima dubitatio est, an hæc diuinatio per pactum implicitum in ratione superstitionis differat specie ab illa, quæ est per actum expressum. Aliqui absolutè affirmant, differre specie in genere vitij, & mali moralis: Quod significat Diuus Thom. art. 3. in corpore & ad 1. Difficilè verò est, hanc sententiam persuade

D. Thom.

perſuadere, quia tacita, vel expreſſa voluntas, aut pactum implicitum non ſolent morales actus diſtinguere in ſpecie morali: ſicut profeſſio tacita, & expreſſa eiuſdem ſpeciei ſunt, & ſic de aliis. Deinde in illis ſuperſtitionibus eſt eadem participatio Idololatriæ, & priuatio eiuſdem honeſtatis Religionis: Cur ergo diſtinguentur morali ſpecie? Quare in rigore loquendo, probabile eſt, nō diſtingui, ſed ſolùm vt actus perfectus, & imperfectus, completus, vel incompletus intra eandem ſpeciem: Nihilominùs tamen in ordine ad praxim, præſertim in ordine ad confeſſionem, & ad pœnas, ſeu cenſuras, & ad præſumptionem de hæreſi, & alios ſimiles effectus, non dubito, quin perinde ſit de illis cenſendum, ac ſi eſſent diſtincti ſpecie. Quia certiſſimum iudico, vbi pactum expreſſum cum Dæmone interceſſit, explicandum eſſe in confeſſione, B quia longè diuerſum iudicium faciendum eſt de illo peccato à confeſſore, quam de alio, & ſic de aliis: Et quoad hoc veriſſimum eſt, quod D. Thom. ait d. art. 3. ad 1. *Multò grauius eſſe, Dæmones inuocare, quàm aliqua facere, quibus dignum ſit, vt ſe Dæmones ingerant.* Hoc enim declarat bene maiorem grauitatem notabilem in confeſſione explicandam, ſed non ſpecificam diuerſitatem in rigore: tum quia committere peccatum aliquod, verbi gratia, fornicationem, & exponere ſe morali, ac proximo periculo illius, eiuſdem ſpeciei ſunt, & ita poſſunt eſſe in præſenti: tum quia in pacto implicito etiam eſt inuocatio Dæmonis, vel vſus, & credulitas doctrinæ eius, quod perinde eſt.

2. An diſtinguenda ſint ſub his mēbris plura vitia ſpecie diſtincta.

Simile dubium eſt, An ſub aliquo ex dictis membris diſtinguenda ſint plura vitia ſuperſtitionum ſpecie diſtinctarum. Aliqui enim cenſent, in his vanis obſeruantiis, quæ continent implicitum pactum, ſpecie diſtingui ea, quæ obſeruant ſigna, quæ in rebus ipſis ſine induſtria hominis præexiſtunt, vt ſunt Aſtrologia iudiciaria, Augurium, & ſimiles; ab his, quæ ytuntur vanis actionibus humanis vt ad ſortes pertinentibus. *D. Thom.* Nam D. Thomas etiam dicto art. 3. hæc ponit vt genera diſtincta ſuperſtitionum. Sed certè D. Thom. ſicut diſtinxit hæc genera, ita etiam diſtinxit ſub vnoquoque illorum plures ſpecies quaſi vltimas. Quòd ſi hæ non ſunt veræ ſpecies morales, diſtinctæ in genere vitij, & mali moralis, certè non eſt, cur inter illa duo ſuperiora capita diſtinctio propria & eſſentialis quaſi ſpecierum ſubalternarum intercedere credatur. D Deinde ſub genere ſuperſtitionis huius, quæ fit cum pacto expreſſo, non diſtinguuntur plures ſpecies formaliter diuerſæ, ſed tantùm materialiter, ergo nec ſub altero de pacto implicito: nulla enim apparet ſufficiēs ratio differentiæ. Denique non minus vnum & ſimile eſt medium ad cognoſcendam veritatem occultam, quod aſſumitur in Augurio, quam quod aſſumitur in ſortibus, & è conuerſo, nec in ordine ad iniuriam Dei multùm videtur referre, quod credatur Dæmoni loquenti per ſignum factum ab homine, vel datum in diſpoſitione aliarum rerum: ergo hæc materialis diuerſitas ſignorum non magis videtur ſufficere ad ſpecificam diuerſitatem malitiarum, quàm multiplex alia varietas, quæ in hoc genere Diuinationum reperitur. E

3. Obiectio.

Sed obiici poteſt ex D. Thom. quia hæc ſigna aſſumuntur vt principia cognoſcendi: diuerſitas autem principiorum diuerſam ſignificat ſpeciem etiam in ſcientiis demonſtratiuis ergo & hîc. At hæc ratio non minùs probat de omnibus ſpeciebus horum ſignorum in particulari: quam de illis duabus generalibus Auguriorum, & Sortium. Deinde, in neutris oſtendit diuerſitatem formalem in genere vitij moralis, ſed ad ſummum in genere cognitionis. Et Preterea etiam in cognitione licèt oſtendat diuerſitatem quoad apA prehenſionem, non verò quoad iudicium de re ſignificata, ſi detur. Vt licèt Deus reuelet veritatem occultam per varia ſigna verborum, ſcripturarum vel rerū, vel actionum humanarum, qualia in Prophetis inueniuntur; nihilominùs aſſenſus, qui eius teſtimonio datur, eiuſdem ſpeciei eſt: ita ergo credere Dæmoni dāti ſignum, eiuſdem rationis eſt, licèt ſignum ſit materialiter diuerſum. Et ob eandem cauſam vti ſigno in Dæmonis auctoritate fundato, tanquam vtili ad cognoſcendam veritatem, pactum implicitum cōtinet eiuſdem rationis, etiamſi ſigna ſint materialiter diuerſa. Vnde Aug. lib. 2. de Doct. Chriſt. c. 23. & 24. poſtquam *Auguſt.* omnia dicta ſigna numerauit, concludit, *Quæ omnia tantùm valent, quàtum præſumptione animorum, quaſi communi quadam lingua, cum Dæmonibus fœderata ſunt.* Omnia ergo habent linguam eiuſdem rationis in ratione mali, & in fallacia loquentis per illa, licèt materialiter varia ſint.

4. Vtrum ſufficienter diuidatur Diuinatio in Augurium, & ſortilegium.

Tertium dubium eſſe poteſt circa hanc eandem diuiſionem bimembrem diuinationis cum tacito pacto, in Augurium, & ſortilegium, An ſit ſufficiens? Ratio autem dubitandi eſt, quia præter illos modos inuenitur alius præſagiendi futura ex ſignis aliquibus occurrentibus, qui vanus eſt, & ſuperſtitioſus ſine expreſſo pacto, & ad neutrum illorum pertinet. Aſſumptum patet in illa, quæ dicitur vana obſeruantia euētuum ad actiones proprias moderandas, vel timēdos, vel ſperandos futuros ſucceſſus, ad quos tales euentus nihil conducunt. Huius vanitatis multa exempla ponit Auguſt. lib. 2. de Doct. Chriſt. cap. 20. *Si mem-* C *brum* (inquit) *aliquod ſalierit, ſi iunctim ambulantibus amicis, lapis, aut canis, aut puer medius interuenerit.* Et infrà, *limen calcare, cum ante domum ſuam tranſit; redire ad lectum, ſi quis dum ſe calciat ſternutauerit: redire domum, ſi procedens offenderit.* In omnibus enim his inuenitur quidam modus opinandi de futuris ex ſignis inutilibus, qui pertinet formaliter ad generalem rationem Diuinationis, vt ex eius declarationibus cōſtat. Quòd autem ſub illis duobus membris non comprehendatur, patet quia non fit per inſpectionem effectuum prouenientium ex diſpoſitione rerum naturalium, nec ex humanis actionibus ad eum finem factis. Poteſt verò aliquis reſpondere, illa omnia non pertinere ad Diuinationem, quia Diuinatio fit quaſi ex inſtituto, dum homo quærit ſigna, vnde diuinet, quod in illis obſeruantiis non fit, ſed caſu ſigna eueniunt. Et præterea Diuinatio ordinatur ad cognitionem, illæ autem obſeruantiæ potius ad dirigendas operationes referuntur. Vnde D. Thom. in tota quæſt. 95. illarum non meminit, ſed eis peculiarem locum tribuit in qu. *D. Thom.* 96. art. 3.

Ratio dubij.

5. Cōmemoratas obſeruationum vanitates reduci ad Diuinationem. *D. Thom.*

Nihilominùs aſſero, illas omnes vanitates ad Diuinationem reduci. Ita ſenſit D. Thomas in dicto art. Et optimam reddit rationem; quia illi euentus ſolùm obſeruantur vt ſigna, cùm tamen neque ex natura rei, neque ex Diuina impoſitione ſignificent, ergo ex Dæmonis induſtria, ergo omnis credulitas, quæ illis datur, accipitur vt Diuinatio Dæmonis. Et ideò nihil refert, quod talia ſigna nō ſint quæſita, & caſu oblata; tum quia ſatis eſt, quod voluntariè acceptētur, & credantur; tum etiam quia licèt præſens euētus caſu accidat, tamen ars Diuinandi ex illo ex inſtituto quæſita, & comparata ſupponitur. Neque item refert, quod talis obſeruatio ordinetur ad dirigendas actiones, tum quia inde ſolum fit, vt cognitio illa ſit practica, non tamen quod non ſit cognitio, quod ſatis eſt ad Diuinationem, ſi per vana fiat de occultis: tum etiam quia illa ordinatio ſolùm eſt ex parte ſcientis, ſeu addiſcentis, hoc autem modo vix eſt vlla Diuinatio, quæ non ordinetur ad actionem. Addit verò D. Thom. ſuprà, hanc Diuinationem reduci ad illam, quæ fit per aſtra,

astra, quod maximè verùm est de omni vna obseruatione dierum hebdomadæ, mensis, aut anni reputando quosdam fastos dies, alios infastos ad aliquas actiones sine vllo fundamento, quia ex astris sumitur varietas dierum. At verò alia omnia, in quibus obseruantur fortuiti euentus, sub Omine continentur. Vnde Chrys. homil. 21. ad Populum circa finem: *Et quid tandem* (inquit) *sunt omnia? sæpè domum quis suam egressus hominem vidit vnoculum, vel claudicantem, & ominatus est.* Et infrà: *Si virgini occurreris, sterilis dies erit; si verò meretrici, dextera, & bona, & multa mercatione plena.* Vnde etiam potest hæc Diuinatio vocari Augurium lato modo, quia ex motu situ, aut aspectu alterius rei occurrentis fit: & quòd casu occurrat, vel ex industria quæratur, est impertinens ad rationem signi ex consortio Dæmonis habentis authoritatem, vt dixi. B

6. In iis obseruationibus idem genus peccati est. *Caiet.*

Est ergo in hac vana obseruantia idem genus peccati, ac subinde ex suo genere eandem habet grauitatem, licèt ex ignorantia possit esse veniale. Imò Caiet. d. art. 3. & in sum. verb. *Superstitio obseruationum*, censet, ordinariè esse veniale, quia ex quadam simplicitate fit absque præsumptione mali, aut pacti cum Dæmone. Imò addit posse fieri sine vllo peccato, quando ex præsenti occursu concipitur suspicio alterius mali euentus ex causa vtrique communi. Sed hoc posterius tunc habet locum, quando illa coniunctio in communi causa potest in aliqua probabili ratione fundari iuxta doctrinam superiùs datam, alioqui nulla est ratio excusationis. Deinde fieri potest, vt aliquis non præbeat definitum assensum de futuro effectu ominato, sed solùm quòd ex vano quodam timore concepto, vel alia simili leui voluntate; cesset ab actione vel aliam inchoet, &c. Et tunc facilè potest credi, solùm committi culpam venialem per se loquendo, & seclusa scandalo, aliisque circunstantiis. At si quis definitè credat, futurum tristem euentum, quem præsagit solùm propter vanam obseruationem, non possumus peccatum illud à malitia graui excusare, nisi maxima sit ignorantia, & ruditas personæ.

Veniale peccatum solum in his sæpè datur.

7. An hæc omnes species sine prohibitione etiam sint malæ intrinsecè. Ratio dubitandi. *Gen. 24.*

Vltimò verò dubitari potest, an omnes species numeratæ in hoc genere Diuinationis, quæ sine pacto expresso sit, sint ita intrinsecè malæ, vt secluso etiam positiua prohibitione Dei, vel Ecclesiæ, honestari non possint. Et ratio dubitandi esse potest, quia in Scriptura videntur sæpè nonnullæ istarum Diuinationum approbatæ, vt cum seruus Abrahæ, Genes. 24. dixit. D *Puella, cui ego dixero, inclina hydriam tuam, vt bibam, & illa responderit, Bibe Domine, quin & camelis tuis potum tribuam, ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac.* Planè ominatus est, vnde inferiùs subditur: *Ipse autem contemplabatur eam tacitus, scire volens vtrùm prosperum fecisset Dominus iter suum, an non.* Ecce obseruationem ad Omen, vel Augurium pertinentem, & tamen non fuit mala, sed potius à Deo per ipsum effectum approbata.

1. Reg. 14. Similiter Ionathas, 1. Reg. 14. pergens contra inimicos cum armigero suo conditionem posuit, *Si dixerint, Manete, &c. stemus*, si autem dixerint, *Ascendite, ascendamus, quia tradidit illos Dominus in manibus nostris.* Quæ verba planè sunt ominatiua. Similiaque sunt,

1. Reg. 20. quæ dixit Dauid ad Ionatham, 1. Reg. 20. *Si dixerit, Bene, pax erit seruo tuo; si autem fuerit ita atus, scito, quia completa est malitia eius.* Ecce prædictionem occulti effectus E ex signo valdè incerto, in quo nulla connexio, vel ratio causæ, vel effectus reperitur. Præterea, est manifestum exemplum,

1. Reg. 6. 1. Reg. 6. Vbi sacerdotes, & Diuini Philistinorum dederunt signum de Arca Domini: *Si per viam finium suorum ascenderit contra Bathsames, ipse fecit nobis hoc malum grãde; sin autem minimè sciemus, quia nequaquam, &c.* Quod signum ex se nullius momenti videri poterat, & tamẽ Diuina prouidentia illud probasse videtur. Præterea, Ioseph erat vir sanctus, & tamen auguriis, & augurandi scientia vsum fuisse, testantur ipse, & dispensantor eius, Genes. 44. Denique aliqui vtuntur loco Iob. 37. *Qui in manu omnium hominum signat, vt singuli nouerint opera sua.* Referúntque illa verba ad lineamenta manuum, vt inde suadeant, non esse per se malum, ex lineis, & signis manuum futura diuinare. Est autem eadem ratio de similibus. *Gen. 44.* *Iob. 37.*

Circa hoc notari potest quidam error Rabbi Dauid Kimhi, quem refert Abul. 1. Reg. 14. q. 4. Qui dixit, auguria, quæ obseruantur in animalibus, & aliis similibus, esse semper illicita: omnia verò, quæ sumuntur ex verbis humanis, non semper esse illicita: Mouebaturque ex nonnullis testimoniis adductis, rationem verò differentię non assignabat. Sed hęc sententia falsa, & erronea est, vt ibi latè Abulens. ostendit. Quia in vniuersum damnantur, & prohibentur omnia talia omina in Scriptura; nec est vlla probabilis ratio illa excipiendi. Item quia in eis est eadem ratio malitiæ, quia non minùs sunt signa incerta, & vana: & ita equè damnantur à Patribus tanquam pertinentia ad reliquias Idololatrię. Quocirca generaliter dicendum est hoc genus Diuinationis intrinsecè malum esse, nunquamque honestari posse, si rationem Diuinationis à nobis explicatam retineat. Hæc sententia sumitur ex D. Tho. dicta quæst. 95. art. 2. & 3. Quam fusiùs, quam cæteri, explicuit Caiet. in art. 2. docens hoc vitium esse prohibitum, quia malum, & non è conuerso, quem omnes sequuntur; & rationibus suprà factis, quibus malitia huius vitij explicata est, hoc satis conuincitur. C Et consequenter idem probant testimonia Patrum relata 26. qu. 1. & sequentibus. Si ergo hoc vitium prohibetur, quia malum, apertè sequitur, esse intrinsecè malum, quia non aliunde quam ex propria materia, & conditione deformitatem habet. Quapropter quotiescumque aliqua actio materialiter similis (vt ita dicam) videtur concessa, seu approbata, signum est, non fuisse vsurpatam cum conditionibus requisitis ad propriam diuinationem, ac subinde nullum pactum implicitum cum Dæmone incluisse. Duas autem conditiones necessarias suprà posuimus. Prima erat, vt nõ obseruetur effectus, vel causa, vt re vera talis est, sed tantùm sub ratione signi. Secunda, vt non obseruetur tanquam signum à Deo acceptum, seu inspiratum. Vbi ergo ista duo concurrunt, semper reprehenditur Diuinatio: è conuerso autem vbi approbari videtur, aliqua illarum conditionum deest.

8. Error Rabbi Kimhi. *Abulens.*

Diuinationes has omnes esse intrinsecè malas. *D. Thom. Caiet.*

In prima igitur quasi diuinatione, & verbis serui Abrahæ vtraque conditio deesse potuit. Nam in primis verisimile est, illa verba protulisse peculiari instinctu Spiritus sancti, à quo in illo negotio gubernabatur, & non videtur dubium, quin ex magna fiducia in Deum illa verba protulerit, sperans peculiare patrocinium eius ad eligendam sponsam futuram Isaac. Et hoc significauit D. Tho. dicta quęst. 95. art. 7. ad 3. dum dixit, *Eliezer attendisse verba puellæ, oratione præmissa ad Deum.* De qua oratione bis fit expressa mentio in dicto c. 24. Genes. Et idem sensit August. lib. 1. Quæst. in Genes. qu. 63. dicens, aliud esse, mirum aliquid petere, quod ipso miraculo signum sit, aliud hæc obseruare, quæ ita fiunt: *Vt mira non sint, sed à coniectionibus superstitiosa vanitate interpretentur.* Hoc ergo posterius ait pertinere ad auguria; primum verò minimè, & tale dicit fuisse factum Eliezer. De quo subiungit, magis posse dubitari, an reprehendi potuerit, quia tentaret Deũ, quam quòd augurari videretur, ait tamen nec tẽtationem Dei illam fuisse, sed consultationem, & sanctam petitionem ex instinctu ipsius Dei, qui idcirco orationem acceptauit, & omnia compleuit, sicut seruus petierat, vt ait Chrysost. Hom. 49. in Gen. Qui etiã significat, potuisse Eliezer accipere signum illud vt coniecturam

9. Soluitur exemplũ serui Abrahæ. *D. Thom.* *Gen. 24.* *August.* *Chrysost.*

Curam probabilem candoris, & probitatis animæ illius Virginis: *Quia sciuit* (inquit) *Patriarchæ hospitalitatem, & quia Virginem inde ducendam congruebat ijsdem esse moribus præditam, quibus iustus nullam aliam coniecturam inquirit, sed characterem virginitatis animi hospitalitate colligere vult, & inquit, Cui dixero, &c. Non solum faciet, quod petiui, sed & candorem, ac liberalitatem mentis suæ declarabit, morum suorum mititatem satis ex aquæ præbitione ostendendo.* Erat ergo signum illud per se etiam aptum ad prudentem faciendam ex illo coniecturam tanquam ex effectu optimæ indolis, & virtutis non vulgaris.

Abulens. Possumus verò vtrumque coniungere ex Abulensi ibi, nam Eliezer & à Deo inspiratus hoc signum petiuit, & tale signum petiit, in quo magna bonitas ostenderetur: *Ad quam nulla Virgo inclinaretur, nisi eam Deus specialiter inclinasset.*

10. Enodatur secundum de conditione posita à Ionatha. *Abulens.*

Ad 2. de conditione posita à Ionatha cum armigero suo latè respondet Abulensis suprà dicta quæst. 4. Et in summa dicit primò affirmandum non esse, nec credendum, Ionatham in eo facto peccasse; tum quia nec in Scriptura, nec à Patribus reprehenditur, tum quia Deus approbasse videtur intentionem & actum eius, victoriam illi præbendo etiam miraculoso modo. Secundò sentit, eodem modo esse excusandum factum illud, quo proximè tractatum de Eliezer. Et sanè quòd Ionathas non commiserit omen, vel augurium superstitiosum contra Deum, constat, quia non à Dæmone sed à Deo expectabat victoriam, vt patet ex illis verbis: *Non est Domino difficile saluare vel in multis, vel in paucis.* Ab eodem igitur sperabat instrui mediante illo signo, sic enim concludit: *Ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris, hoc erit nobis signum.* Si ergo excessus aliquis potuit esse in Ionatha, magis pertinebit ad tentationem Dei, quam ad superstitionem. Ab hac autem etiam excusatur, quia credendum est, id fecisse Diuino instinctu, & inspiratione, & præmissa oratione ad Deum, quamuis hoc expresè in Scriptura non referatur.

11. Explicatur tertium de verbis Dauid, & quartũ de signo dato à Sacerdotibus. Philistin. *Abul.*

Idem dici posset de verbis Dauid, tamen ex alio capite intelligimus, illud non fuisse omen, sed humanam coniecturam prudentem & probabilem; quia ex vultu, & verbis alicuius coniectari potest affectus odij, aut praui animi: tale autem fuit signum à Dauid datũ, vt bene ibi exponit Abulensis quæst. 13. De signo autem dato à sacerdotibus Philistinorum Abul. 1. Reg. 6. 18. ait, eos non peccasse in eo facto, tentando Deum, quia non agnoscebant Deum Israel esse verum Deũ, non tamen explicat, an peccauerint ominando, & vtendo quodam signo de se incertissimo, cuius nullam probabilem rationẽ habere potuerunt. Maximè quia potuit Deus nulla speciali prouidentia dirigere vaccas, & casu accidere, vt per aliam viam irent, & falsum tunc esset signum, item quia nulla erat connexio inter signum illud, & rem, ad quam significandam assumebatur, possent enim ire vaccæ per viam Bethsames, etiamsi per impossibile Deus non fecisset illis nocumentum illud. Nihil ergo obstat, quin dicamus Sacerdotes illos in eo peccasse, & ductos fuisse sua consuetudine augurandi, & consultandi etiam Dæmones; Deum autem vsum fuisse malitia eorum, & speciali prouidentia voluisse, vt vaccæ irent recta via, ad confusionem infidelium, & honorem, ac reuerentiam suæ Arcæ conciliandum etiam ab hostibus. Nec etiam est, cur excusentur à peccato tentandi Deum, nam licèt non crederent, in hoc ipso peccabant, & habebant alia media, quibus sufficienter agnoscere poterant, virtutem Diuinam ibi interessisse; vnde sine dubio peccabant, nouum signum quærendo.

12. Ioseph nunquam vsus fuit hac arte.

Circa verba Ioseph, & serui eius, omnes expositores pro certo supponunt, Iosephum nunquam fuisse vsum huiusmodi arte, quia iniqua, & intrinsecè mala est, & quia ipse cum interpretabatur somnia, spiritu diuino id faciebat, idque suis verbis profitebatur Genes. 40. *Nunquid non Dei est interpretatio?* & c. 41. *Absque me Deus respondebit prospera Pharaoni.* Quocirca si verbum augurandi in proprio sensu intelligatur pro iniqua arte, tres sunt expositiones. Prima est, Iosephũ iocò fuisse locutum, ita August. lib. quæst. in Genes. quæst. 145. quem secutus est D. Thom. dicta quæst. 95. art. 7. ad 1. & Magister Histor. in Gen. Secunda est, Iosephum quidem seriò id de se affirmasse, & falsum dixisse, vt fratres cogeret ad veritatem dicendum, vel vt timorem incuteret; ideoque à peccato mendacij non excusari; illud tamen officiosum fuisse, non noxium, & ideò excusari à mortali. Quia licèt videretur se grauiter infamare, tamen fratres nõ illum agnoscebant, & putabant esse Idololatram quendam Principem, & ita nihil illi nocebat, quòd etiam putarent esse augurem. Ita Abul. ibi. Tertia expositio est, non fuisse mentitum Ioseph, sed amphibologia vsum esse, interrogando: *An ignoratis, quod non sit similis mei in augurandi scientia?* In quibus verbis multiplex est amphibologia: vna quia interrogans non enunciat, nec affirmat aliquid; nam licèt audientes possint illum sensum cõcipere, potest loquens illum non intendere, sed suo iure vti ambiguè loquendo, quicquid Abul. contra Ioannem Gallensem obiiciat. Altera amphibologia esse potuit in pronomine *Mei*, quia non, id, quod erat, sed id, quod gerebat exterius, & esse putabatur, significare voluit, vnde non affirmauit, se esse augurem, sed eum, qui in illo gradu honoris, & principatus esset collocatus, timendum fuisse, vt augurem. Ita fere Theod. q. 104. in Gen. Denique in illo verbo, *sit*, potuit esse amphibologia: nam secundùm veritatem, vel secundùm vulgi opinionem accipi potuit, vt sensus à Ioseph intentus fuerit: *An ignoratis, quòd nullus reputatur, & æstimatur similis mei, &c.* Et hoc etiam significauit D. Thom. in prædicta solut. dicens: *Referens fortè hoc ad illud, quod vulgus de eo opinabatur.*

Gen. 40. & 41. *August.* *D. Thom.* *Magi. Hist.* *Abul.* *Abul. Ioan. Gal.* *Theod.* *D. Thom.*

13. Commodior expositio.

Denique etiam in verbo *Augurandi*, potuit esse amphibologia, quæ mihi maximè placet, & stabit sententia, etiamsi affirmanter, & seriò accipiatur. Nam verbum Augurandi latè sumi solet, vt conuertitur cum verbo Diuinandi, vt indifferens est ad præcognitionem futurorum, vel occultorum, siue prauam, siue honestam, vt ex Cicerone, Plinio, & Aristotele ostendit Perer. Genes. 44. disp. 1. Potuit ergo Ioseph in hac significatione illo verbo vti, etiamsi sciret à fratribus in alio esse accipiẽdum, permittendo in hoc falli absque suo mendacio. Ita Rupert. ibi, quem Caiet. sequitur, & Pererius ibi disp. 2. Qui rectè aduertit, non dixisse Ioseph se habuisse scientiã augurandi in scypho, sic enim falsum dixisset, vel illud additum contraheret significationem verbi ad praua auguria, nam Diuina non fiebant in scypho. Quare seruus, qui ita locutus est, non potest hoc vltimo modo excusari, sed vel iuxta Augustini expositionem, vel concedendo illum fuisse mentitum.

Cicer. *Plin.* *Aristot.* *Perer.* *Rupert.* *Caietan.* *Perer.*

14. Chyromantiam quandã naturalem, & bonam, aliam vanam.

Ad vltimam obiectionem ex loco Iob 37. possumus in primis respondere, duplicem esse Chyromantiam, vnam naturalem, quæ par est Physiognomiæ, aliam Astronomicam, & vanam. Prior non omnino reprobanda est, si intra debitos limites se contineat, vtendo signis, quæ sunt in manu, tanquam effectibus: ex quibus aliquo modo colligi potest corporis dispositio, & temperamentum, cui solent animi inclinationes accommodari. Altera omnino vana, & superstitiosa est, quia nullum habet fundamentum in natura, sed in figmentis iudiciariæ Astrologiæ, vt latè ostendit Valles cap. 32. Sacræ Philosophiæ, & Martinus Del Rio. lib. 4. Disquisit. Magic. cap. 3. quæst. 5. Igitur licèt quispiam contentiosè velit verba Iob intelligere de

Valles. *Del Rio.*

lineis,

lineis,& dispositione manuũ,de naturali Chyromantia id exponere poterit, nam ad alteram verba illa applicare,& vanum est,&sine fundamento,ac planè impium, nam est doctrinam vanam, & superstitiosam Spiritui sancto attribuere. Atque hoc in Summa latè tradit Valles suprà, & in fine addit mysticam expositionem non contemnendam,nimirum,per ipsam manum,& figuram manus significatum esse homini natũ esse ad laborandum,& ad Deum adorandum,&c.

15. Manum pro facultate, operandi sumi in Scriptura.

Nihil verò est, quod nos cogat ad locum illum intelligendum de propria manu materiali, sed de potestate operandi,nam quia manus est organum organorum, pro facultate operandi solet in Scriptura sumi, iuxta illud, *In manu Domini omnes fines terræ*,& illud,*Opera manuum eius annunciat firmamentum*;& similia. Soletque sæpè significare liberam agendi potestatem,sicut paulò antea cap. 36. in eodem libro de Deo dicitur:*In manibus abscondit lucem,& præcipit ei,vt rursus adueniat*,id est,in sua libera potestate. De hac ergo exponuntur dicta verba in Comment. Hiero. attributis in eodem loco, ita vt sensus sit. *Qui in manu hominum signat*,id est,qui signum & characterem posuit in libera hominis potestate ad agendum,*Vt nouerint singuli opera sua*,id est,vt vnusquisque attentè iudicet, & discernat,quid sibi agendum sit.Vel vt alia litera habet, *Vt nouerit homo infirmitatem suam*;qua vsum etiam est Cõcil.Mileuit.cap.7. huic fauens expositioni. Quæ certè plausibilis est,& si cum antecedentibus, & sequentibus cohæreret,non esset contemnenda. Verumtamen ibi loquebatur Eliu de mirabilibus operibus Dei, in temporum varietate,& in tonitruis,variisque tempestatibus,quæ in orbe fiunt;& tandem dixerat:*Qui præcipit niui;vt descendat in terram, & hyemis pluuius,& imbri fortitudinis suæ*,Et statim adiungit. *Qui in manu omnium hominum signat*:id est,qui per has temporum varietates & iniurias, homines sæpe impedit, & quasi claudit manus eorum, ne laborare possint, *Vt nouerint singuli opera sua*;id est,vt curam habeant suorum operum,nec opportunum tempus laborãdi amittant cum tam facilè,mutata cœli dispositione impediri possint.Et huic sensui consonant sequentia verba,*Ingredietur bestia latibulum*,vtiq; coacta eadem cœli intemperie: *Et in antro suo morabitur*,quasi ibi signata, & clausa, ne cibum quærere, nedum operari possit. Hoc ergo ipsum cum proportione est,quod de hominibus dixerat,& verbũ *Signare*,non sumitur,vt idem,quod signo indicare,sed vt est idem,quod obsignare,& claudere, vt est vsitatũ in scriptura,prout latè ostendit Pineda suprà,qui eruditè locum hunc in hanc sententiam explicat, quam expositionem etiam Martin. del Rio cum Olympiodoro,& Philippo presbytero amplexus est.

Hier.

Conc. Mileu.

Pineda.

Del Rio. Olympiod. Philip.

CAPVT XI.

Quousque se extendat prohibitio ferendi iudicium de rebus occultis, vel futuris per astrorum constellationes.

1. DIximus in præcedẽtibus capitulis,diuinationem tunc esse superstitiosam,& prohibitam,quando nec Diuinæ auctoritati,nec naturali connexione effectuum cum suis causis, vel causarum cum suis effectibus est fundata;vel quando in hac ipsa inuestigatione modum excedit.Iam verò ad maiorem huius materiæ cognitionem possemus per singula signa huius diuinationis discurrere, & expendere, quantam habeant connexionem cum effectibus,qui ex illis prædicuntur vt ita clarius constaret,quando diuinatio ex vnoquoque signo perniciosa sit. Sed ad rem moralem sufficere nobis visum est,de tribus in particulari dicere,scilicet de astris,sortibus,& insomniis, quia de his specialiter tractauit D.Thom.dicta q 96.ar.5.7.& 8.& quia magis pertinent ad materiam moralem,& Theologicam,nam eorum occasione nonnulla iura humana,& testimonia Scripturæ explicanda sunt. De cæteris verò signis sufficiunt, quæ obiter tacta sunt, explicando generalem doctrinam,&qui plura desiderauerit,legere poterit Martinum del Rio dicto lib.4. ca. 2.præsertim q.6.tota,& qu. 7.sect.1.& 2.& c.3.q.2.3.4.& 5.& quos ipse allegat.Igitur de prædictionibus ex astris in hoc capite dicendum est,& explicandum,quando illicitæ sint,& quo gradu,& genere peccati.Supponimus enim, non omnem prædictionem sumptam ex obseruationibus siderum esse illicitum;nam iura etiam Ecclesiastica aliquam permittunt. Et ratio ipsa docet,cũ cœli,& astra naturales causæ sint inferiorum effectuũ, ab illis,vt tales sunt,aliquorum effectuum, cognitionem desumi posse. Quia verò illæ causæ & non sunt per se causæ omnium effectuum, qui in hoc orbe inferiori fiunt,& eorum,quorum sunt causæ, non semper sunt solæ,sed indigent aliarum cooperatione, neque etiam semper sunt efficaces, quia impediri possunt, ideo etiam est elatum, multos ex his effectibus, non posse per astra cognosci, vel non cum certitudine.Eo vel maximè quod licèt astrorum virtus multùm valere possit ad hos effectus,tamen est à nostris sensibus remotissima,& maiori ex parte occulta,& ex hoc etiam capite necesse est, vt multi ex his effectibus non lateant.

D. Thom.

Non omnis prædictio ex astris est illicita.

Hinc duplex Astrologia distinguenda est,vna dicitur naturalis, altera iudiciaria, quam diuisionem de Astronomia tradidit Chrys.orat.9.ex Nouiter additis in 5.to.Sed prior Astrologia naturalis nomen Astronomiæ obtinuit,posterior Astrologię nomen retinuit, quamuis de se generalius esse videatur. De Astronomia ergo nulla est quæstio, constat enim esse licitam, sicut est Philosophia,cuius illa est pars.In hac verò Astronomia duo munia distinguere possumus,vnum est cognoscendi naturam, proprietatesque astrorum ex effectus eorum diu obseruatis. Ad hoc etiam officium spectat inuestigare numerum astrorum,magnitudinẽ, velocitatem,vel tarditatem motus, stationem, retrogradationem, aspectus, & similia omnia, quæ non in futurum prædicuntur, sed in ipsis astris facta conspiciuntur,aut coniectantur.Aliud munus est, ex his, quæ per priorem inuestigationẽ de ipsis astris,& proprietatibus,ac moribus eorum inuenta sunt inuestigare, ac prænoscere aliquos effectus, qui in ipsis cœlis euẽturi sunt.Et huc spectant eclypsium prædictiones, aspectus,coniunctiones,& oppositiones variæ futuræ in ipsis astris post plures etiam annorũ reuolutiones, & in his omnibus per se nullum est vitium morale; imò est inquisitio per se honesta,& vtilis,quia ex principiis naturalibus procedit, & perficit mentem circa obiectum satis nobile, & ad dirigendas exteriores actiones corporales per humanam prouidentiam potest esse vtilis illa præcognitio.

2.

Chrysost.

Astronomiã licitam esse.

3. In Astronomia facilè contingit error.

Potest tamen in ea contingere vitium artis,seu cognitionis,quod est error,ac deceptior.Nam hæc inuestigatio quoad priorem sui muneris partem sine dubio est valdè incerta in multis rebus. Nam certè paucorum astrorum virtutes proprias cognoscere potest ingenium humanum naturali inuestigatione,quia nõ habet medium proportionatum,& sufficiens ad illam cognitionem acquirendam.Solùm enim possumus ex affectibus discurrere ad has virtutes astrorum inuestigandas: effectus autem, & pauci sunt respectu tantæ multitudinis stellarum, & ordinariè possunt à variis sideribus prouenire, neque homo potest facilè inuenire,an sint à Saturno, vel ab alio planeta. Potest tamen fieri in his probabilis coniectura post multam experien-

experientiam, & obseruationem, non tamen certum iudicium, nisi in paucis, & in his maximè, quæ à Sole, vel à Luna fiunt, quia horum duorum planetarũ influentia notior nobis est. Ex hoc ergo capite potest interdum contingere falsitas in hac inuestigatione, non tamen perniciosa, sed humana. Siquis tamẽ interdum excedat pro certis iudicãdo, quæ vix probabiliter cognoscit, id non pertinet ad superstitionem, sed ad imprudentiam, & temeritatem virtuti studiositatis contrariam. In altera verò sui muneris parte, quãdo prædictiones nituntur in solis motibus cœli, solet esse hęc inuestigatio, & cognitio certissima, quia & motus illi vniformes sunt; & si aliquando videntur habere aliquam difformitatem, in illamet seruãt vniformitatem, & faciliùs cognosci potest; & ita potest cum certitudine supputari concursus, vel similis euentus futurus ex progressionibus talium motuum, neq; in his continget deceptio, nisi fortasse in supputatione error cõmittatur. At verò quando prædictiones sunt de aliis effectibus futuris ex efficientia astrorum, maior est incertitudo propter rationem tactam: Sed hoc iam spectat ad iudiciariam doctrinã in generali sumptam, quam Astrologiam vocauimus: ideóque de Astronomia hæc sufficiant præsenti instituto.

4. Distinguuntur varij effectus, circa quos versatur Astrologia.

Circa prædictiones ergo Astrologicas ad discernendum, an licitæ sint, vel illicitæ natura sua, considerare oportet, quales sint effectus, qui per eas prædicũtur. Possunt enim esse aut naturales, ac necessarij, saltem Physicè, id est, vt plurimum, vel frequentiùs: aut possunt esse merè contingentes, & casuales, etiam ex vi causarum naturalium, aut possunt etiam esse liberi, seu contingentes ex interuentu alicuius causæ liberæ, à qua effectus immediatè, vel mediatè pendet. Rursus possunt hi effectus prædici vel in vniuersali tantum, vel in particulari; & in hoc ipso potest esse magna varietas secũdum maiorem, vel minorem determinationem circunstantiarum prædictorum effectuum. Nam interdum potest esse tam generalis prædictio, vt à certis personis, & locis abstrahatur, aliquãdo possunt designari loca, & non personæ; interdum è conuerso prædici potest effectus de persona in particulari, non verò pro determinato loco, vel tempore. Vnde in his omnibus modis (si quis rectè consideret) tanta potest esse abstractio, & vniuersalitas, vt effectus non sit contingens, sed naturalis, & necessarius; nam si prędicas, Petrum esse moriturum, non effectũ contingentem, sed necessarium prædices. Vt ergo prædictio sit accommodata materiæ, de qua tractamus, oportet, vt sit determinatè, & in particulari de aliquibus circunstantiis, quę re vera efficiant effectum contingentem simpliciter, id est, liberum, vel omnino casualem.

5. Nõ esse malum coniectare ex astris effectus naturales.

Dico ergo primò: Neq; est per se malum, nec prohibitum, cõiectare ex astris, effectus naturales, qui per se proueniunt ex influentiis cælestibus, & ex ortu, & occasu, & concursu planetarum, vel aliorum astrorũ, corúmq; aspectibus, neque in hoc committitur diuinationis culpa, potest tamen aliter peccari per excessum in hoc genere inquisitionis, aut credulitatis, aut in vsu eius. Prior pars huius assertionis est D. Tho. & communis: Sumitúrq; ex Sixto V. in Motu proprio 21. *Cæli, & terræ creator Deus*, qui est contra iudiciariam Astrologiam: ibi enim circa principium, dum damnat artes inuentas ad prænoscendos futuros, & fortuitos euentus, limitationem interponit dicens: *Exceptis duntaxat futuris euentibus ex naturalibus causis necessariò, vel frequenter prouenientibus, quæ ad diuinationem non pertinẽt.* Nam, vt suprà diximus, diuinatio in malã partem sumitur, & proprie tantum est de contingentibus, ac per se occultis. Et infrà ferẽdo legẽ contra iudiciarios, addit; *Præterquam circà agriculturam, nauigationem, & rem medicam.* Quia nimirũ hæ artes vtuntur obseruationibus horum effectuum futurorũ, ac naturaliũ, vt sunt æstus, frigus, serenitas, tempestas, & similes. Et ideò fortasse Hieronymus in Epist. 130. ad Paulinum (& in Bibliis habetur loco præfationis) circa medium, aliàs ca. 6. inter artes vtilissimas generi humano ponit non solùm Astronomiam, sed etiam Astrologiam, hanc scilicet, naturalem. Ratio verò est clara, quia hi effectus non sunt per se occulti, sed verè indicari possunt per suas causas, sed huiusmodi causę sunt cæli, vt supponitur, ergo nec est per se malum, illos per tales causas inuestigare, nec est, cur hoc prohibeatur, cùm ad vsus vitæ humanæ admodum vtile esse possit. *Hieron.*

6. Cognitio per astra est valde incerta hominibus.

Altera verò pars assertionis declaratur supponẽdo hanc ipsam cognitionẽ taliũ effectuũ licèt in se possibilis sit per astra, hominibus esse valde incertã, ac difficilẽ, tunc quia, vt dicebam, pauca homo assequitur & pauciora potest naturaliter certò cognoscere de virtutibus, ac proprietatibus stellarum. Tũ quia effectus non pendent ex vna tantum, vel duabus stellis, sed ex multis, & sæpe stellæ fixæ possunt impedire actiones planetarum, & è conuerso; & licèt concursus planetarũ inter se faciliùs cognoscatur, non tamen concursus eorum cum stellis fixis, qui semper variùs est propter motus octauæ, & nonæ sphęræ. Tum præterea quia effectus hi non solum pendent à causis cælestibus, sed etiam ab inferioribus, nec solùm à causis efficientibus, sed etiam à materialibus, vt à dispositione aëris, aquæ, ac terræ, non solùm prout se habent in vno loco, sed etiam in diuersis, quia sæpe excitantur ventorũ motus in vno loco, qui in alio impediunt naturales effectus, quos ibi astra indicare videbantur. His ergo omnibus prudenter consideratis, statim apparet, quam certa, & incerta possit esse cognitio: Quod etiam experientia confirmat; nam multæ ac variæ prædictiones, quæ quotannis de his effectibus fiunt, ac peruulgantur, magna ex parte inter se inueniuntur contrariæ, quod est signũ magnæ incertitudinis, & multò maius est, quod singulæ inueniuntur maiori ex parte deficere, & falsum prædicere; vt sæpè obseruauimus, & à viris in illa scientia doctissimis obseruatum est. Quocirca vt prædictio talium effectuum prudenter fieret, non deberet esse omnino absoluta, sed cum limitatione, vt v. gratia, Influentiæ celestes indicant serenitatem, aut pluuiam; vel sub hac forma; Sterilitas, aut pestis imminet, aut valdè timeri potest. Interdum verò solet experiẽtia constare, frequentiùs euenire tales effectus ex talibus causis, rarò autem impediri; & tunc magis possunt absolutè prædici, nam illa verba semper patiuntur philosophicum sensum: Idque maximè contingit quando non solùm cõstellationes cælestes, sed etiam aliqua proxima signa in elementis, vel aliis effectibus naturalibus considerantur, & tales solent esse prædictiones nauticæ, & medicæ, ac similes. Vide Ioan. Picum Mirand. lib. 2. cõtra Astrologos c. 9.

7. In prædictione horum euentuum temeraria assertio esse potest, hoc tamen nõ pertinet ad superst.

Hinc ergo constat secunda pars assertionis: nam in hoc genere peccari potest aut verbis nimiùm absolutis, aut nimia certitudine hæc prædicendo, aut credendo: Est enim tunc temeraria assertio, vel imprudens. Non videtur autem hoc peccatum, per se loquendo, ad superstitionem pertinere, quia nullum pactum implicitum ibi interuenit, sed leuitas, & inconsiderario, firmiter adhibendo fidem indicationis vnius causæ, non considerando, nec rationem habendo impedimentorum, quæ occurrere possunt, vt frequenter contingit, ipsa etiam experientia teste. Dices, quod ergo peccati genus hoc est, vel contra quam virtutem est illa malitia? Respondeo, in primis esse contra puram, & sinceram veritatem, nam illud quoddam genus mendacij est; affirmare enim incerta pro certis, vel futura sub conditione, tanquam absolutè futura, mendacium est. Tamen ex hoc capite tantùm erit peccatum veniale ex genere, nisi nocumentum ali- Hoc peccatũ est contra veritatem.

quod publicũ, vel alias graue inde timeatur, iam enim esset pernicios um mendacium. Adiungi etiam solet in huiusmodi actu arrogantia, & ambitio, vel etiam immodicus lucri appetitus, sed hęc extrinseca sunt. Hinc verò consequenter fit, vt etiam peccari possit in vsu talis prædictionis, aut credulitatis. Et hinc reprehenduntur medici, qui grauitatem, aut periculum morbi, aut vulneris ex solis astris, vel signis Zodiaci metiuntur, spectando, sub quo aspectu ægritudo incæpit, &c. De qua re videri potest Martin. del Rio lib. 4. c. 3. q. 1. ad finem: Vbi rectè ostendit, nec esse tantam vim in stellis, vt ex illis sumi possit iudicium de his particularibus effectibus, & conditionibus eorum, nec sine aliarum causarum consideratione, præsertim complexionis, & dispositionis talis corporis, aëris, ac terræ posse probabile iudiciũ ferri. Peccatum autem, quod in hoc committi potest, vltra suprà dicta, sæpe potest esse contra charitatem, si vsus ille sit noxius alicui, vel etiam esse poterit contra iustitiam pro ratione nocumenti illati, & obligationis vitandi illud.

8 Posse inclinationem futuram naturis pueri prædici, non tamẽ certò.

Dico secundò: Non est per se malum, nec vniuersaliter prohibitum ex stellarum constellatione, obseruata pueri natiuitate, coniectare temperamentum eius, & ex illo naturalem inclinationem futuram, & propensionem ad iram, vel mansuetudinem, & ad hæc, vel illa studia, & similia: hæc verò etiam in vniuersali tanquam certa, vel nimiùm probabilia prædicere, stultum est, & sine aliqua culpa non fit. Hanc etiam assertionem docet D. Thomas suprà, quem alij sequuntur. Probatur prima pars de malitia per se, quia hic effectus merè naturalis est, temperamentum enim corporis humani à causis naturalibus procedit, ergo verisimilè credi potest, magnam vim in eo habere cælestes influentias, ergo ex illis coniectare huiusmodi effectum, non est per se malum; quia nec pactum implicitum continet, nec fundatur in astris, vt in puris signis, sed vt in causis, nec etiam est de se alicui noxium, vt constat, ergo non est, cur per se malum sit: Nec etiam aliquo iure positiuo damnatum inuenitur. Hinc etiam facilè persuadetur secunda pars assertionis, quæ est de inclinatione, & propensione naturali hominis ad hos, vel illos effectus, & consequenter ad hæc, vel illa studia; nã hæc inclinatio magna ex parte fundatur in naturali corporis temperamento, & complexione; ergo sicut coniectari potest temperamentum, ita & hæc inclinatio.

D. Thom.

9. Prædictionẽ hanc incertissimã esse.

Nihilominùs verò addimus, (confirmando tertiam conclusionis partem) totam hanc inuestigationem incertissimam esse, & vix peruenire ad suspicionem quandam, non verò ad coniecturam, vel cognitionem omninò probabilem, nedum ad certam. Ita sentiunt communiter Patres, & Theologi, & ex peritis in Astrologia, qui prudentiores sunt. Et probatur à fortiori ex dictis in præcedenti assertione, nã tota incertitudo, quam ostendimus esse in cognitione naturalium effectuum, inuenitur in hac inuestigatione humanarum complexionum ex conceptionum, vel natiuitatum obseruationibus: & augetur mirum in modum ex alijs capitibus. Primò quia qualitates, & conditiones rei generãdæ magis pendent ex dispositionibus materiæ, ex qua producenda est, & ex efficacia proximæ virtutis actiuæ, quàm ex influentia cælorum: ergo ex solo aspectu syderum, qui hora natiuitatis, concurrit, non potest satis colligi futura complexio temperies, aut inclinatio prolis genitæ. Antecedens est per se euidens, quia istæ causæ intrinsecæ, vel propinquiores, sunt magis propriæ & determinant influxus vniuersales. Consequentia verò etiam per se euidens est. Totum autem argumentum exemplo, & experientia declaratur. Nam si duæ terræ diuersæ virtutis, qualitatis, & dispositionis simul eodémque tempore germinare incipiant, & producere triticum: nihilominùs meliorem, & vberiorem fructum producet bona terra, quam mala, cæteris paribus: quòd si terra bona meliùs etiam triticum recipit, multò etiam meliùs illud reddet, quòd si vltra qualitatem terræ, & seminis, accedat melior cultura, crescet magis perfectio effectus, etiamsi influentia syderum ex se æqualis sit. Ita ergo est in generationibus hominum: nam licèt duo infantes sub eadem constellatione nascantur, si mater alterius melioris complexionis sit, meliorémque materiam cõceptioni filij ministret, multùm conferet ad meliorem fœtus complexionem: si verò accedat paterna virtus fortior, calidior, &c. sine dubio multùm efficiet ad meliorum filij complexionem: Et augeri tandem poterit, multúmque mutari ex sanitate, temperantia, alimentis, & aliis exercitiis matris, dum prolem gestat in vtero: ergo cum hæc omnia nec considerentur, nec considerari possint ab his diuinatoribus, non potest non esse eorum suspicio valde infirma. Atque hunc discursum insinuauit Augustinus libr. 5. de Ciuitate capit. 2.

Augustin.

10. Non minùs confert ad temperamentum infantis conceptio quàm natiuitas.

Præterea, non minùs, imò multò magis conferre potest ad temperamentum prolis conceptio, quàm natiuitas, quia in conceptione formatur corpus humanum, & tunc perficitur eius organizatio, & consequenter etiam complexio, & temperamentum tunc principaliter perficitur, quod non facilè postea mutatur: in natiuitate autem non accipit fœtus nouas qualitates, vel alterationes intrinsecas, sed solùm separatur à matre, secum autem fert illud temperamentum, quod in cõceptione accepit cum eo modo, perfectione, aut imperfectione; quam per nouem mensium educationem in vtero consecutus est. Ergo si cæli aspectus obseruandus est ad præiudicandum de pueri cõplexione, ac temperamento, potiùs aspectus syderum in conceptione, quàm in natiuitate occurrens obseruandus esset: Non enim minùs influunt sydera tempore conceptionis, formationis, & educationis, prolis in vtero, quàm tempore natiuitati. Quod enim Aristoteles dixit: *Sol, & homo generant hominem*, non minùs, imò magis de formatione ipsa, & generatione in vtero, quàm ex vtero verum est. Nec enim prolis occultatio (vt sic dicam) in ventre matris impedire potest cælorum influentiam, quæ in visceribus terræ suã efficaciam habet, & totum ipsum maternum vterum conseruat, & fouet. At Mathematici nihil de conceptione curant, sed tantùm de tempore natiuitatis ex vtero, non possunt ergo cum firmo fundamento loqui, sed ad summum tenuissimã coniectura.

Aristot.

11. Probatur cõiecturã Mathematicorum esse debilem.

Sed fortasse ideò non considerant aspectum conceptionis; quia punctum, & hora conceptionis non potest ita cognosci, sicut tempus natiuitatis. At hinc fortiùs dupliciter redarguuntur: Primò quia hinc conuincitur, obseruationem illam natiuitatis esse mancam, ac diminutam, quia pendet tota ex dispositione, quam proles accipit in conceptione, & ex modo, quo illa dispositio aucta, & consummata fuit toto tempore nutritionis in vtero, ergo cùm totum hoc non consideretur, infirma est coniectura. Secundò quia ferè tam incertum est punctum natiuitatis, sicut & conceptionis: Quamuis enim confuso modo magis constare possit de tempore, die, & hora natiuitatis, quàm conceptionis; tamen de proprio puncto natiuitatis exactè constare non potest. Dicunt autem Mathematici vt Gregor. contra illos argumentatur, vim constellationis consistere in puncto; & illo, vel minimùm, variato, vim constellationis multùm variari, propter magnam velocitatem motuum cælestium, ex qua prouenit, vt breuissimo momento astrorum aspectus tam inter se, quàm respectu prolis multùm varientur, & præser-

Greg.

præsertim quoad stellas fixas propter maximam celeritatem octauæ sphæræ, vt ex Astronomia constat. Ergo ex sola obseruatione natiuitatis nonnisi tenuissima coniectura fieri potest. Et huc accedit argumentum de geminis, qui sæpissimè temperamenta sortiuntur valdè distincta; quod argumentum vrget Gregorius Homil. 10. in Euang. & latiùs Augustinus 5. de Ciuit. per septem prima capita, occurrendo vanis omnibus Mathematicorum euasionibus, quas propterea omitto.

Gregor. August.

12. Non caret culpa qui ex solis astris inclinationem pueri, vt certam nunciat.

Ex his ergo facilè ostendi potest postrema pars assertionis, videlicet de huiusmodi temperamentis, & inclinationibus hominum, & de aljis corporum proprietatibus, quæ naturalia esse videntur, ex solis astris, vel signis Zodiaci, & obseruatione horoscopi certam cognitionem inuestigare, aut promittere, non cauere culpa, & peccato interdum graui, nisi per ignorantiam ex parte excusetur. Hanc enim partem à fortiori probant, quæ in simili diximus in priori assertione, quia hîc maius imminet periculum falsitatis. Potest etiam in hoc genere diuinationis interuenire maius periculum introducendi superstitionem aliquam, quæ se extendat ad prædictionem actuum humanorum, & ideò regulariter maior culpa in hoc genere iudiciorum committi potest. Addo etiam videri posse hoc genus præiudicij esse à Sixto V. prohibitum, dum solùm excipit iudicia, quæ ad nauigationem, agriculturam, aut rem medicam pertinent, nam hoc præiudicium de temperamentis, & inclinationibus infantum ad nullum illorum membrorum pertinere videtur. Sed in rigore non videtur omninò prohibitum quoad id, quod per se malum non est, quia statim subijciuntur hæc verba: *Aut facientes iudicia & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus, successibus, &c. aliquid affirmare audent, etiamsi non certò se id affirmare asserant, aut protestentur.* Itaque nisi prædicantur futura in se, ac determinatè, non habet locum illa prohibitio. Qui autem solum coniectat temperamentum, & inclinationem, & nihil aliud prædicit, non præiudicat futura contingentia, neq; casus fortuitos, non ergo agit propriè contra hanc prohibitionem. Aget autem contra prudentiam, & veritatem, si certitudinem promittat, vel definitum iudicium ferat absolutum, sed ad summum suspicionem, vel limitatum iudicium, videlicet, horoscopum hunc promittere, vel quidpiam simile.

Sixtus V. non prohibuit omnino hoc iudicium.

13. Prædicere futura, quæ pendent ex libertate, est peccatum omni iure prohibitum.

Dico tertiò: Prædicere futura contingentia, quæ ex libertate dependent, ex signis cæli, & astrorum, superstitionis peccatum est omni iure grauissimè prohibitum. Assertio est certa, & communis, D. Thom. dicta q. 95. art. 5. & ibi Caietan. & alij, Anton. 2. p. tit. 12. c. 1. §. 6. Alens. Bonauent. & aliis locis suprà citatis, Summist. verb. *Astrologia*, & verb. *Superstitio* Et Canonistæ in cap. 2. de Sortileg. vbi Ioannes And. & Panor. Deci. in cap. *Nouit* de Iudic. Not. 1. plures refert Martin. del Rio lib. 4. c. 3. qu. 1. Probatur 1. ex veteri testamento Esai. 47. *Stent, & saluent te augures cœli, qui contemplabantur sidera, vt ex eis annunciarent uentura tibi.* Vbi Septuaginta vertunt *Astrologi cœli*, & Hieronymus addit: *Qui vulgò appellantur Mathematici, & ex astrorum cursu, lapsuque siderum res humanas regi arbitrantur.* Et ex hoc loco intelligimus, quoties scriptum augures detestatur, ac prohibet, hos etiam Astrologos, & Mathematicos comprehendere: Nam, vt ait Isidor. li. 8. Origen. c. 9. *Astrologi dicti sunt, eo quòd in astris auguranturs* intelligit verò de iudiciariis, quia nomen Astrologi, aut Mathematici generalius est, & honestã artem significare etiam solet. Facit etiã illud Hier. 10. *Iuxta vias gentium nolite discere, & a signis cœli nolite metuere, quæ timent Gentes, quia leges populorum vanæ sunt:* Vbi simul coniungit idololatrias, quas vias Gentium

Sixtus V.
Isidor.
Hierem. 10.

A vocat, & diuinationem per astra, quæ signa cœli appellat, & omnia dicit esse vana. Ex nouo Testamento adduci potest illud ad Gala. 4. *Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos, timeo vos, ne forte frustra laborauerim in vobis:* Nam licèt, vt suprà dixi, hoc testimonium alium possit habere sensum, tamen in hoc illud vrget contra Iudiciarios Sixtus V. in dicto motu proprio dicens: *Vt illos meritò Apostolus arguat, atq; increpet illis verbis, Dies obseruatis, & mẽses, & tempora, & annos, timeo vos.* Item de his maximè videtur intelligendum, quod dicitur Act. 19. *Eos, qui fuerunt curiosa sectati, tulisse libros, & coram omnibus combussisse.*

Galat. 4.
Sixt. 5.
Act. 19.

Secundo in capit. *Illos* 26. quæst. 2. dicitur, *Planetarios, quos Mathematicos vocant, Christiana, & vera pietas repellit, & damnat.* Sumptaque est hæc sententia ex Augustino libr. 4. Confessor. capit. 3. & in ea significatur opus hoc per se esse malum, ac detestabile, & non solùm, quia prohibitum; & capit. *Sed & illud*, inter alias superstitiones ponitur, *Requirere stellarum cursus, & ex his euentus futurorum rimari.* Ex Orig. Homil. 5. in Iosue, & in capit. *Non liceat*, 26. quæst. 5. prohibentur Christiani *obseruare lunæ, & stellarum cursus, aut inanem signorum fallaciem pro domo facienda, &c.* Sumptumque est caput illud ex Canonibus Martini Bracarensis capit. 72 Intelligitur autem iuxta subiectam materiam de obseruatione Lunæ, aut stellarum inani, ac superstitiosa, & iuxta *Gentilium traditionem*, vt ibidem dicitur, qui putabant lunam, & stellas esse rectores orbis terrarum (vt dicitur Sapient. 13.) ex quorum influxu necessariò cætera eueniunt, & ideò in Concilio Tolet. 1. in assertione fidei dicitur: *Siquis Astrologiæ, vel Mathesi existimas esse credendum, anathema sit.* In quo modo definiendi significatur, hoc non fieri sine hæresi, de quo statim dicam. Præterea etiam iure Ciuili damnatur hoc vitium, vt patet in leg. 2. 5. & 7. Cod. de Maledic. & Mathem. & leg. *Mathematicos* Codice de Episcop. audient.

14. Cap. *Illos.*
Augusti.
Cap. *Sed & illud.*
Orig.
Cap. *Non liceat.*
Martin. Brac.
Sap. 13.
Concil. Tolet.
Leg. 2. 5. & 7.
Leg. *Mathematicos.*

Præterea contra huiusmodi Diuinationem ex astris scripserunt in primis sancti Patres, præsertim August. dicto lib. 5. de Ciuit. & 2. lib. de Doct. Christ. Euseb. lib. 6. de Præparat. Euang. in principio refert insaniam Porphyrij, qui dicebat, Deos Gentium ex stellis cognoscere omnia futura, etiam hominum facta, & ideò potuisse illa prædicere; vnde conijcere licet hanc Astrologiam, eiusque deceptionem fuisse originem totius operis superstitionis diuinatiuæ. Illum verò errorem confutat Euseb. per totum illum librum, ostendens stellas non posse liberas actiones impedire: & capit. 8. refert optimam disputationem Bardesanis Syri de hac re, & capit. 9. aliam Origenis, de qua infrà pauca dicemus. Libro etiam 14. capit. 4. refert, Socratem distinxisse Astronomiam: & ex verbis eius colligo Socratem sensisse, quandam esse vtilem, quæ ad rectè cognoscenda tempora deseruit: aliã nimiũ curiosam, & parùm vtilẽ, non tamẽ pernicioſam, nẽpe illam, quæ nimia solicitudine distantias astrorũ, magnitudines, & similia speculatur; aliam verò esse pernicioſam Astrologiam, quæ videlicet futura inquirit: ideo enim aiebat: *Omnino non esse curandum homini, vt per cælestia corpora, futurorum, quæ in potestate Diuini sunt, cognitionem perquirat. Nec enim posse homines illa cognoscere, nec Diis gratum esse, si quæ illi occultarunt, ea tu diligenter inquiras.* Anast. Nicæn. Quæst. 18. in Scriptur. Vbi ex Greg. Nazian. aliqua refert Basil. optimè Homil. 6. Hexamer. exponens illud Genes. 1. *Vt sint in signa, & tempora:* Nam quia his verbis abutebantur Genethliaci, ideò contra illos vehementer inuehitur, Eumq; imitatus est Ambrosius lib. 4. Hexamer. cap. 4. Breuiùs Anastas. Sinai lib. 4. in Hexamer. circa eadem verba, inquit: *Non ea dicit Deus volens Astrologiam docere homines, neque in sola luna, & astris habere spem gubernatio*

15. Patres scripserunt contra hanc Diuinationem ex astris.
Bardesa.
Origen.
Socrat.
Anast.
Nicen.
Gregor. Nazian.
Basil.
Ambrof.
Anastas. Sinai.

nationis, vt desipientium Astrologorum videtur vanitati, &c. Olympiodor. in Ecclesiast. 7. ita legit illa verba: *Olymp.* *Quis nouit quid sit homini bonum, aut quid futurum est sibi? Quis homini nunciabit, quid post eum futurum sub sole sint? Præsens* (inquit) *hæc auctoritas nostris Ecclesiastæ omnem funditus euertit Diuinandi superstitionem, vanásque Astrologorum nugas de hominum genituris. Nullus enim mortalium certam futurorum scientiam consequi potest.*

16. Præterea Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. §. De statu hominis, confirmãs arbitrij libertatem, addit: *Neque enim ex generationis natura peccas; neque propter animam fornicaris; neque (vt nonnulli fingunt) astrorum inclinationes ad amplectendam impietatem te cogunt. Cur tua ipsius mala confiteri detrectas? cur innocuis astris culpam ascribis? Non ergo deinceps attendas Astrologis, &c.* Et in fine dicit, æquè esse vitandos Astrologos, sicut alios augures, ac diuinatores. Et ideò Lactant. lib. 2. c. 17. æque dicit, Astrologiam esse à Dæmonibus inuentam, ac reliquas magicas disciplinas. Chrysost. item Homil. 6. in Matth. breuiter, sed efficaciter confutat errores eorũ, qui ex sidere, quod Christo nato, Magis apparuit, colligebãt, veras esse Astrologiæ prædictiones: *Nam si Christus* (inquit) *secundum leges natus est Astrorum, quomodo Astrologiam soluit, fatúmque destruxit, omnémque artis huius obruit officinam?* Quod latiùs prosequitur Auctor Imperfecti Homil. 2. Neq; omittam aduertere, Albinum Flaccum lib. de Diuin. offi. c. 5. illam quidem Astrologiæ partem inter magicas artes, & superstitiones damnatas recensere, subiungere verò, *Illius artis scientiam vsque ad Euangelium fuisse concessam, vt Christo edito, nemo exinde natiuitatem alicuius è cœlo interpretaretur.* Quæ verba vel impropria sunt, vel errori fauent eorum, qui dixerunt hoc genus diuinationis ante Christi aduentũ, licitum fuisse vsque ad tempus, in quo Christus fuit à Magis adoratus, ex tunc verò fuisse prohibitum, quem errorem Del Rio suprà refert ex Salisberiense lib. 1. c. 11. Quamuis ille auctor non dicat simpliciter, sed *aliquatenus* illam artem tunc licuisse. Certum autem est, per se non licuisse, quia errorem, & malitiam continet contra rationem naturalem. Vnde Albinus fortasse solùm dicere voluit, eo tempore fuisse à Deo magis permissam, & quasi toleratam illam artem, sicut etiam erat permissa idololatria, non ita vt liceret, sed ita, vt non puniretur, sed videretur eam dissimulare Deus. Sicut autem per Euangelium idololatria destructa est, ita etiam huius artis malitia magis patefacta, & reprobata est. Quamuis etiam ipsi Ethnici olim illam reprobauerint, vt constat ex Cicer. in libris de Diuinat. & in disputat. Phauorini apud Aulum Gel. lib. 14. Noct. Atticar. c. 1.

Cyril. *Lactan.* *Chrysost.* *Auct. Imp.* *Albin.* *Del Rio. Salisb.* *Cicer.* *Phauor.* *Gel.*

17. Tandem est ratio à priori, quia vel prædictio morum humanorum, & aliorum futurorum contingentium liberorum fundatur in cõstellationibus, & astris tanquam in causis, & sic fundatur in hæresi, ideoque non solùm superstitiosa est, sed etiam hæresis confessionem virtute continet vel fundatur in astris, vt in puris signis, & sic continet diabolicam superstitionem eodem modo, quo alia auguria, & diuinationes, necesse est autem, vt in altero horum fundetur, ergo non potest non continere grauissimam, ac perniciosam doctrinam, & culpam. Illatio cum minori nota sunt ex generali doctrina suprà data. Maior verò quoad priorem partem constat, quia vt prædictio illa possit esse certa, necesse est, vt ex constellatione siderum ex necessitate ineuitabili sequantur talia futura: & ita ferè supponebant Gentiles antiqui, putabant enim omnia fato euenire, & inde huiusmodi diuinationem, & artem commendabant, vt ex Origene, Augustino, & aliis suprà citatis constat, & ex Cicerone lib. de Diuinat. Ergo vtendo hac arte isto modo, tollitur humana libertas, & voluntates nostræ influxibus cælestibus ex necessitate subijciuntur, vitiáque omnia & peccata non homini, sed cœlo, eiusque auctori erunt attribuenda. Denique supponitur in illo errore animas humanas, & facultates earum intellectum, & voluntatem, materiales esse, & corporeas, quando quidem necessitati, & influxui corporalium causarum subijciuntur. Quæ omnia sunt hæretica dogmata: & illationes sunt euidentes, & ita illis potissimè vtuntur Patres in locis citatis.

Probatur ratione esse illicitam hanc artem. *Orig. Aug. Cicer.*

18. Obiectio. Posset verò aliquis dicere, vt talis cognitio certa ex astris habeatur satis esse, vt cœli tanquam causæ vniuersales determinent causas secundas, etiam voluntates humanas, ad vnum infallibiliter operandũ, nam ad certitudinem prædictionis satis est, quod effectus sit infallibiliter futurus, & vt talis cognoscatur, etiamsi nõ ex necessitate eueniat, sed libere; ergo ex illa positione non sequitur, aut libertatem tolli, aut nõstras voluntates necessitati ex influxu cœlorum. Aliud enim est, effectum esse futurum infallibiliter, aliud esse euenturum necessariò, seu ex necessitate: nam infallibilitas non infert necessitatem, nec tollit libertatem, vt in Diuina scientia constat. Similiter aliud est, voluntatem determinari à superiori causa, aliud necessitari; quia (vt aliqui credunt) Deus determinat illam, & non necessitat. Ergo si quis de cœlo idem respondeat, non cogetur illos errores fateri. Atque eadem ratione non sequetur cœlum, vel Deum auctorem naturæ esse causam peccati, nisi quoad materiale, quod admittere non recusant illi Catholici, qui dicunt Deum determinare voluntates hominum ad materialia peccatorum. Denique poterit negare vltima illatio, quia licèt anima humana non fit corporea, est corpori coniuncta, & ideò pendet à corpore in suis actionibus nõ intellectualibus, & hoc satis esse dicent, vt mediante cælesti influxu in corpus, & sensus externos, & internos, determinetur ad vnum, etiam si non satis sit, vt necessitetur.

19. Respõdetur. Respondemus tamen ex doctrina sanctorum Patrum, & ex euidenti ratione non minùs falsum esse, dicere voluntates hominum determinari ad vnum per influxum astrorum, quam necessitari; quia stellæ naturaliter influunt, ac necessariò quantùm possunt, ergo si possent nostras voluntates ad vnum determinare, illa determinatio esset merè naturalis physica, & necessaria, & præueniens vsum humanæ libertatis; non enim esset in nostra potestate, illam impedire neque in potestate cęlorum illam suspendere, aut moderari, ergo talis determinatio infert necessitatem, vel potiùs est idem cum illa, & quasi descriptio illius: quia necessitari nihil aliud est, quam determinari ad vnum per actionem necessariam, quæ non sit in potestate illius, qui determinari dicitur. Sic ergo infallibilitas futuri effectus, quæ ex tali determinatione prouenit optimè infert libertatis euersionem, & inductionem necessitatis simpliciter, quia est necessitas antecedens, ac merè naturalis, non consequens. Et ideò non est simile de scientia, nam infallibilitas eius nõ est antecedens, sed consequens, nec est in causa prædeterminata ad vnum, sed in effectu liberè futuro, & obiectiuè præsenti in æternitate. Quod autem dicebatur de Deo determinante nostram voluntatem antecedente aliquo influxu ab ipso solo procedente, falsum quidem est, sed non in eodem gradu certitudinis, quo ille error, quem nunc improbamus. Quia possent nonnullæ differentiæ inter Deum, & cœlum assignari: nam Deus mouet liberè cœlum naturaliter, Deus suaui modo & sapientia, ac libertate sua moderando, & accommodando motionem: cœlum verò operatur merè naturaliter, & quantùm potest: Deus denique mouet spiritualiter: cœlũ merè materialiter. Fateor tamen

men has differentias adeò esse materiales (vt sic dicam) vt negari non posse videatur, quin ex prædicta æquiparatione, & ex doctrina Patrum in præsenti materia magnum sumatur argumentum contra illam sententiam in illo sensu intellectam. Sed nunc de illo puncto non tractamus.

20. Posito influxu illo cœlesti in nostram voluntatem sequitur nulla esse peccata.

Ad illud verò de causa peccati respondeo, posito illo genere influentiæ cælestis in nostram voluntatem, potius sequi, nulla esse peccata, quia sine libertate non peccatur, tunc autem nulla esset libertas. Essent tamen conuersiones ad obiecta turpia, & praua, quæ, si liberè fierent, essent peccata. Et ita euidenter sequitur ex illa positione ea, quæ nũc sunt peccata, & nobis tribuuntur, quia liberè fiunt à nobis, posita illa hypothesi, Deo fuisse tribuenda quoad illam turpitudinem, quam tunc ex necessitate haberent, hæreticum autem est, dicere, primam causam, & radicem omnium actionum, quæ ab homine turpiter fiunt in Deum esse referendam. Neque hoc admittent Theologi, qui aliàs tribuunt illam determinationem Deo, qui cum illa conantur componere libertatem, ratione cuius saluari putant, quòd malitia in hominem, & non in Deum refundatur. An verò nondum satis expediant, lector attentè consideret, nos enim de hac re alibi copiosè disputauimus. Ad vltimum denique respondetur, non minùs euidens esse corporalem causam non posse determinare ad vnum spiritualem voluntatem de se liberam, ac non posse illam necessitare, tum quia ostensum est hæc duo idem esse maximè respectu causæ naturaliter agentis, tum etiam quia neutrum fieri potest, nisi per influxum directum, & immediatum in ipsam voluntatem. Nam sensus, & sensibilia obiecta non habent vim determinandi ad vnum voluntatem, quacunque ratione, aut modo proponantur, nisi ita perturbentur, vt rationis vsus impediatur, quod non fit in actionibus humanis de quibus loquimur, & quæ futura contingentia vocantur, de quibus fiunt Astrologicæ prædictiones, quas improbamus.

21. Has prædictiones esse superstitiosas, si ab astris fiant, vt pura sunt signa.

Venio ad aliud membrum propositionis assumptæ, videlicet si hæ prædictions fiant ex astris, vt pura signa sunt, non vt sunt causæ superstitiosas esse. Tunc enim procedit generalis doctrina supraposita; nam talia signa non sunt signa naturalia, quia nec sunt causæ determinatæ rerum futurarum, vt supponitur; nec sunt effectus earum, vt per se notum est; neque habent cum illis communem causam, in cuius influxu necessariò connectantur. Ergo sunt signa ad placitum significantia, & ex illis quæritur cognitio non in vi inuentionis, sed in vi alicuius disciplinæ. Hæc autem non potest esse nisi Dæmoniaca, vt in superioribus generaliter ostensum est, ergo in tali disciplina intercenit consortium, & pactum tacitum cum Dæmone, & consequenter omnis superstitio, quæ in illo continetur, prout suprà satis explicatum est. Quin potiùs omnis alia superstitio diuinatoria in hoc fundata esse creditur: nam omnia fere alia signa vana diuinationum in elementis, aut circulis, aut figuris confictis, vel aliis huiusmodi, fiunt obseruando certam aliquã siderum dispositionem, quasi inde omnia pendeant.

22. Obiectio.

Sed aiunt istius artis amatores, suis regulis, & experimentis inuenire, vera esse, quæ prædicuntur per talis artis peritiam, se autem solam veritatem quærere, quæ vbicumque inuenta fuerit, amabilis est, & iustè arripi potest, etiamsi ibi ab ipso Dæmone reposita fuerit. Sicut esset licitum thesaurum absconditum in visceribus terræ, etiamsi ab ipso Dæmone ibi fuisset absconditus, extrahere. Respondemus in primis, veritatem occultam à Dæmone discere, vel inquirere semper esse malum; & hoc sensu falsum est, licitum esse arripere veritatem à Dæmone. Eodémque modo

Fit satis.

A si ad effodiendum thesaurum occultum oporteret, à Dæmone discere, vbi esset, non liceret, id quærere ab illo, quia iam iniretur societas cum illo. Secùs verò esset, si alias patefactum esset, vbi fuisset absconditus thesaurus, nam tunc licèt opera Dæmonis ibi esset repositus, licitum esset, illum effodere, quia hoc nullũ esset pactum cum Dæmone. Atque eadem proportione siquis ope Dæmonis didicisset veram philosophiam, quæ semel acquisito iam non penderet ex testimonio Dæmonis, sed ex suis principiis certis, tunc licitum esset, inde discere naturalem veritatem, quia tunc iam nullum esse cum Dæmone commercium. Non est autem sic in præsenti, sed credulitas prædictionis semper nititur in Dæmonis auctoritate, qui B signum imposuit, seu (quod idem est) hominibus persuasit, talia astra esse signa talium futurorum, & vera significare. Vnde vlteriùs dicimus falsò supponi, in tali prædictione, vel inquisitione inueniri veritatem. Imò qui hoc supponit, iam fidem Dæmoni adhibet, & cum illo pactum init. Nec refert, quòd interdum eueniant, quæ sic prædicuntur, quia vt suprà dixi cum Aug. de Diuin. Dæmon. c. 5. & 2. de Doctr. Christ. c. 24. hoc & est rarum, & casuale, & sæpe ab ipso Dæmone procuratum ad decipiendos homines. Vnde fit, vt per talem artem quasi obligentur Dæmones ad procurandum, vt eueniant ea, quæ per astra iuxta suas institutiones prædicuntur, & consequenter vt homines illis vtendo tacitè implorent auxilium Dæmo- C num ad hoc, vt eueniant ea, quæ ipsi prædixerunt.

Cur non possit quis vti hac arte à Dæmone docta, posset verò vti philosophia.

August.

23. Aliqui dicunt astra esse signa à Deo imposita ad significandum. *Genes. 1.*

Solent verò aliter Mathematici respondere, negando illationem illam; Astra obseruantur, vt pura signa, ergo vt Dæmoniaca signa. Dicunt enim potiùs esse signa Diuina: Quia Deus (inquiunt) in cœlo mediis astris scripsit futura omnia, quantumuis contingentia, & libera: ita interpretantes illud Genes. 1. *Et sint in signa, & tempora, & dies, & annos.* Astrologia ergo docens significationem hanc astrorum, non est Dæmoniaca, sed Diuina scientia. Solétque huiusce- *Orig.* modi sententia tribui Origeni apud Euseb. lib. 6. de *Euseb.* Præpar. c. vlt. vbi postquam probauit latè, stellas non esse causas nostrarum actionum, significat, non esse D inconueniens, esse signa à Deo instituta, quia significatio non ita repugnat libertati nostræ, sicut efficientia. Dei enim præscientia non præiudicat libertati, ergo nec signa per eam data, vt constat de prædictionibus in Scriptura contentis: *Sic enim* (ait) *fieri potuit cœlum tanquam liber Deo conscriptus ad futura significanda.* Adducítque orationem quandam Ioseph, in qua dicit, *Legi in tabulis cœli quæcumque contingent vobis, & filiis vestris*, & illud Isai. 34. *Complicabuntur* *Isai. 34.* *cœli vt liber*, quia nimirum eius significata adimpleta iam erunt. Eadémque opinio tribuitur Alberto Ma- *Albert.* gno in Speculo. Et ita sensit Pet. Aliaco lib. de Legi- *Mag.* bus, & sectis, & q. 30. in Gen. Denique Aug. lib. 5. de *Pet. Aliac.* Ciuit. cap. 1. hanc attingens euasionem ait, *Non enim* *August.* E *hominum mediocriter doctiorum fuit ista sententia.*

24. Erroneum est dicere futura contingentia posse certò cognosci ex astris. *Ierem. 10.* *Orig.*

Respondeo, quocumque modo asseratur, futura contingentia posse certò cognosci ex sideribus, erroneum esse, & vti tali arte esse superstitiosum. Absolutè enim, & sine vlla distinctione damnatur ab Ecclesia & Hier. 10. qua ad irridendam illam euasionem dicitur: *A signis cæli nolite metuere, quæ timent Gentes, quia leges populorum vanæ sunt.* Siue ergo timeantur vt causæ, siue vt signa, vanum est. Vnde Orig. supra hoc ipsum testimonium adducens non videtur persistere in priori sententia, sed concludit: *Ieremias autem vt homines ad se ipsum conuertat, & vt formidinem, quæ à signis impendet, auferat; ac vt omnem forsan huiusmodi opinionem ab hominum animis deijciat, A signis, inquit, cæli non timeatis.* Sentit ergo radicitus esse tollendam talem de signis cœli opinionem, quia quomodocum-

que ex illis possent præsciri certò futura, eadem soli- A citudo, anxietas, & pernicioſa curioſitas in animis hominum remaneret. Et præterea etiam isto modo non excluderetur pactum tacitũ cum Dæmone. Esto enim haberent astra à Deo talem significationem, vnde, quæso, esset hominibus nota; Certe Deus illam non reuelauit: vbi enim est talis reuelatio? Numquid in regulis Mathematicorũ? At illæ incertissimæ sunt, & sæpissime deficiunt, ac mentiuntur, quod est Dæmonis proprium: ergo oportet, vt illa significatio quæratur à Dæmone, tanquam ab eo, qui illam cognoscit, & per eam præscit futura & sic eadem superstitio committitur. Addimus denique falsum omninò esse, astra esse imposita ad huiusmodi significa-
Augusti. tionem, quod Aug. suprà demonstrat argumento fa- B cto de geminis, & variis illorum moribus; nam sicut indirectè infertur, eos nõ necessitari à cœlo, ita conuincitur, non significari. Quia stellæ significantes, & concursus, seu aspectus earum idem est, vt supponitur: ergo nõ potest de vno gemino significare, quod erit malus, & de alio, quod erit bonus, quia vnum signum in se vniforme, & eodem modo se habens non potest in duobus natis sub eodem signo contraria significare, vel si in vtroque significat bonitatẽ, vel malitiam, in altero falsum est signũ, & non est à Deo. Quòd si dicantur esse veluti æquiuoca signa ad plura significandũ imposita, tunc incerta, & æquiuoca redditur tota significatio, nec potest certis regulis comprehendi, quas Mathematici tradunt, sed oporteret C singulas significationes, seu impositiones antea præsciri, per reuelationem eius, qui talia signa imposuit; vnde esset superflua (quia reuelatio per se sufficit) & ad saluãdas Astrologorũ vanitates est prorsus inutilis.

25. Explicantur testimonia Scripturæ in contrarium allata.

Testimonia verò Scripturæ, quæ pro illa significatione suadenda afferuntur, nullius momenti sunt. Nam verba Genes. 1. ab omnibus Patribus intelliguntur de signis datis à Deo ad numerandos annos, diuidendos dies, & cognoscenda tempora, apta ad vsum huius vitæ, vt ad nauigandum, seminandum, & alios vsus vitæ necessarios. Duplex ergo est expositio; vna, vt per illa duo verba idem significetur, & vnum explicet aliud: cum enim dictum esset, *Vt sint in signa*, additum est, *& tempora*, id est, in signa temporum D
Augusti. quæ tempora sunt dies, & anni. Ita ferè Aug. in imperfection. Genes. cap. 13. Alia est, vt sint signa æstatis & hyemis, ita vt tempus seminandi indicent, alia metendi, alia nauigãdi. *Ita vt* (ait Cyril. Hier. Catheh.
Cyril. Hier. 6.) *homo in naui sedens & interris fluctibus nauigans, in stellam aspiciens dirigat nauem.* Et infrà dicit per solem contulisse pulchritudinem diei, per lunam noctis tenebras consolatum esse. Et hæc est expositio etiam
Basil. Ambros. Augusti. Bened. Perei. Basil. Ambros. & aliorum ibi, quam Augustinus dicto cap. 13. complectitur. Alter locus Isaiæ varias habet expositiones, quæ in Benedicto Pereira legi possunt tom. 1. in Genesim lib. 2. cap. 3. contra diuinationem ex astris. Sed cùm constet, locutionem illam esse metaphoricam, nullum ex ea potest firmum E argumentum sumi. Vt enim demus, metaphoram in hoc consistere, quòd sicut liber inuolutus legi non potest, ita nec in cœlis post iudicij diem legi poterit; nihilominùs non inde sequitur, nunc omnia futura posse in eo legi, neque enim in quolibet libro res omnes leguntur. Cœli ergo iam tunc non significabunt id, quod significare naturaliter possunt, nimirum, serenitatem, & pluuiam, ver, & hyemem, tempus nauigandi, vel seminandi, &c. hæc enim, & similia sine motu cœli non significantur, sicut neque fiunt: quia ergo tunc motus cessabit cœlorum, ideo complicabuntur, sicut liber. Vel generaliùs, quia vsus libri est ad legendum, tunc solet complicari, quando iam non est vsui; cœli ergo complicari dicuntur, quia vsus eorum, influentiæ, & ministeria varia cessabunt. Vel denique exponi potest ille locus per alium Apocal. 6. *Et cœlum recessit, sicut liber inuolutus.* Quod dictum est de tribulatione futura tempore Antichristi: de qua dixit Christus Matth. 24. *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum.* Sic ergo recedet cœlum, non motu locali, sed ab oculis hominum, sicut recedere solet liber inuolutus, quia litteræ eius videri non possunt. Oratio autem illa Ioseph, quam citat Origenes, non solùm Canonica non est, verùm neque vllam habet auctoritatem, eámque reiicit Athan. in Synopsi, vt notauit Perer. Genes. 49. in principio.

Apoc. 6.

Matth. 24.

Athan. Perer.

26. Ex astris non possunt prædici futura, quæ ex sola Dei voluntate pendent.

Atque ex hac assertione à fortiori colligitur, non posse ex astris prædici futura, quæ ex sola Dei voluntate pendent. Nam liberior est voluntas Dei, multóque cœlis superior, quam voluntas humana, & ideò longè grauius peccatum est, velle ex astris prædicere, quid Deus sua libera voluntate facturus sit, quam quid homo. Est etiam longè impossibilius, quia de homine aliqua saltem coniectura fortè sumi potest propter actiõnem cœli in corpus, cuius inclinationẽ solet sequi anima. At Dei voluntas omnibus modis altior est, & neque directè, neque indirectè, neque per se, neque per accidens eam potest inclinare cœlum, sed ipsa regit, & gubernat cœlum, prout vult. Vnde fit, vt etiam ipsi naturales effectus futuri ex necessaria influctia cœli, prædici non possint ex astris cum tanta certitudine, vt non sint subiecta mutationi, & defectui, si Deus voluerit effectus impedire. Et ita est in-
Gloss. Cap. Non licet. Abbas. telligenda Gloss. in c. *Non licet* 26. q. 5. quam sequitur Abb. in c. 2. de Sortileg. n. 7. cum dicit, posse hos effectus prædici ab Astrologis, sed non vt habẽtes necessitatem. Ratio autem, quam isti Auctores subdunt; scilicet quia corpora cœlestia sunt signa rerum, & nõ causæ, non est ad rem, nec veritati Theologicæ consentanea, vt ex dictis patet. Ratio ergo est, quia non sunt prima causa, sed illius prouidẽtiæ subiecta. Valde ergo errarunt, qui somniarunt, effectus etiã externos, & corporales factos in vniuerso ex peculiari prouidẽtia, vel voluntate Dei, potuisse in astris præcognosci, vt sunt Diluuium, Christi Natiuitas, & similes. In quo
Aliac. Picus Mirandul. errore dicitur fuisse Petrus de Aliaco; quem in Italia nonnulli imitati sunt contra quos legi potest Ioannes Picus Mirandulanus lib. 2. & 3. contra Astrologos.

27. Præterita etiam, vel præsentia hominibus occulta ex astris non agnoscuntur.

Secundò ampliatur posita assertio, vt non solùm in futuris, sed etiam in rebus iam factis, vel quæ actu fiunt, si ita sunt occultæ, vt humano modo sciri non possint, locum habeat. Ita docent omnes Auctores citati, & specialiter Alex. Alens. 2. part. q. 164. membr. 6. 3. & Turrecr. in c. *Illos*, 26. q. 2. art. 4. vbi docent, hac ratione graue crimen esse inuestigare de rebus clam furto sublatis per iudicia astrorum, & inspectionem astrolabij, vbi sint, aut à quo sublatę sint. De quo extat c. in iure. *Ex tuarum*, de Sortilegiis: vbi sacerdos, qui cum quodam infami ad priuatum locum accessit, vt per inspectionem astrolabij furtum Ecclesiæ posset recuperare, licèt sine pacto expresso cum Dæmone, sed ex zelo, & simplicitate id feciſſet, grauissimè peccasse dicitur. Quem textum expendit bene Caiet. dicta q. 95. art. 2. Et ex eo colligit, ignorantiam rarò ex-
Caiet. Cap. 1. cusare grauitatem huius delicti. Præterea in c. 1. eod. tit. generaliter dicitur, esse prohibitum de furtis inquirere per diuinationẽ: vnum autem genus diuinandi est per astra. Ratio autem est, quia ex astris nõ possunt cognosci ab homine hæc occulta, & ideò illa inquisitio pactum implicitum inuoluit, quia vel supponit artem aliquam à Dæmone traditam, vel eo tendit, vt Dæmon se immiscеat & quod desideratur, ostendat. Antecedens notum est, quia vel præteritæ actiones inuestigantur nunc ex dispositione, & aspectu, quem nunc astra habent; & sic minùs possunt ex

Alens. Turrecr.

Cap. Ex tuarum.

illis

illis cognoſci,quam actiones futuræ, quia multò minus pendent iam ex cauſalitate cœli,quam futura, vt rectè notauit Origenes apud Euſeb.ſupra. Si verò inueſtigentur præterita ex præteritis conſtellationibus, habent ad illa eandem habitudinem cauſarum inſufficientium,& non imponentium neceſſitatem. Denique eodem modo comparantur ad illa, ſicut præſens conſtellatio comparatur ad futurum euentũ,ergo illa inueſtigatio prꝛteritorum contingentium habet eandem malitiam,quæ futurorum. Quòd ſi loquamur de actionibus, quæ eodem tempore fiunt, vel illæ ſunt occultæ, quia ſunt actus liberi merè interni: & ſic conſtat non poſſe cognoſci in aſtris, quia non ſunt cauſæ per ſe illorum,nec in illis ponunt neceſſitatem: vel ſunt actiones, aut res externæ, ſed occultæ propter diſtantiam loci, vel remotionem eius à ſenſibus hominũ: & ſic etiam non poteſt talis effectus in præſenti per aſtra cognoſci, quia per aſtra non poteſt haberi notitia intuitiua talis effectus,vt conſtat,nec abſtractiua, quia etiam ad hoc non impoſuerunt aſtra neceſſitatem, vt res in tali loco reconderetur; vel vt Romæ nunc hoc,vel illud fieret ab hominibus.Ergo in his omnibus diuinationibus eſt idem genus ſuperſtitionis, & malitiæ.

Orig. Euſeb.

28. Idem etiam dicendum de effectibus caſualibus.

Tertiò extenditur aſſertio etiam ad effectus caſuales, qui licèt à cauſa libera non eueniant,ex accidentario concurſu, & impedimento cauſarum naturaliũ rarò contingunt. Iſta enim, vt talia ſunt, non habent certam cauſam in aſtris, & ideò ex illis ea inueſtigarẽ,idem vitium eſt ſuperſtitioſæ Diuinationis, vt expreſsè docuit D. Thom. in dicta q.95.art.5.& alij ſuprà citati. Ratio verò eſt, quia huiuſmodi caſualis effectus, vt talis eſt, non habet cauſam per ſe,vt dixit Ariſt. in 6. Met. vtique infra Deum, qui ſua infinita ſcientia,& prouidentia omnia cõprehendit,& ipſum etiam concurſum,ſeu occurſum contrariarum cauſarum, aut intendit, aut ex certa ſcientia permittit. In cœlo autem nihil tale cõiectari poteſt, quòd ſit cauſa illius concurſus cauſarum, à quibus proximè caſualis effectus euenturus eſt, ergo nullo modo poteſt ex aſtris prædici. Dices;Per Aſtrologiam non inſpici tantùm vnam,vel aliam ſtellam,ſed concurſum,& aſpectum futurum in omnibus, ergo in collectione omnium poterit cognoſci effectus caſualis futurus. Reſpondeo, negando conſequentiam; tum quia homo non poteſt omnium ſtellarum,etiam fixarum concurſum, & vim exactè cognoſcere;quod neceſſariũ eſſet ad talium effectuum certam cognitionẽ;tum maximè quia caſualis effectus non ſolùm pendet ex aſtris, ſed etiã ex cauſis inferioribus, & ex materiæ diſpoſitionibus,quæ in aſtris cognoſci non poſſunt,& hominibus notæ non ſunt, neque per illas artes conſiderantur. Vnde neque Angeli ipſi poſſunt naturali virtute hos caſuales effectus in ſolis aſtris cognoſcere;ſed indigent comprehenſione omnium aliarum cauſarum tam efficientium, quàm materialium, quæ in tali puncto cõcurrere poſſunt,vt ex propria materia conſtat;hominesautem non poſſunt hæc omnia comprehendere, ergo ex aſtrorũ obſeruatione talis cognitio haberi non poteſt, ergo cum inde quæritur,ſuperſtitioſum eſt, & diſciplina Dæmonũ tacitè deſideratur.

D. Thom.

Ariſtot.

Obiectio.

Soluitur.

29. Aſſeritur non ſolum non poſſe hæc prædici, vt certò euentura, ſed etiam nec vt probabiliter futura.

Quartò ampliatur aſſertio, vt non ſolùm locũ habeat,quando hæc prædicuntur,vt certò euentura,ſed etiã quando ſimpliciter, & in particulari aſſerũtur,& credenda proponuntur etiam,ſecundum moralem,& probabilem coniecturam. Hoc non eſt ita certum,ſicut cætera: aliqui enim Auctores Catholici ſignificant hoc non eſſe peccatum, quia nec per ſe malum eſſe videtur,nec inuenitur prohibitum.Prior pars cõſtat, quia coniecturalis cognitio haberi poteſt ex his cauſis, nec ex illa ſequuntur incommoda ſuprà illata, quia nec tollitur liberum arbitrium,nec inducitur fatum, &c. Altera verò pars probatur,quia nullum inuenitur ius humanum,in quo aliquid ampliùs in hoc genere prohibeatur,quàm quod per ſe malum ſit.Alij verò etiam hoc genus probabilis prædictionis damnant:quod in particulari inuenio in quodam ſcholio ad Panormit.in cap.2. de Sortileg. verb. *Sed meo,&c.* Quod probat ex c. *Illos planetarios* 26.q.2.vbi Auguſtinus ait, Chriſtianam pietatem repellere,damnareque omnem conſultationem horum Aſtrologorum; at ſi poſſet expectari ſaltem probabilis cognitio ſine peccato,non eſſet damnãda talis conſultatio,quia in hominibus probabilis cognitio ad multa eſſe poteſt vtilis, ideoque ſine peccato ex naturalibus cauſis inquiritur.Eſt ergo prohibitum rimari futura ex aſtris,ſiue ad certam cognitionem eorum habendam, ſiue ad coniecturalem.

Panor. Cap. Illos. Auguſt.

30. Qui verbis prædicit hęc futura,damnatur & punitur iure vt Diuinus.

Sed in hoc puncto loqui poſſumus vel in ordine ad iudicium externum; quod in præſumptione ſæpè fundatur,vel in ordine ad conſcientiam,& adDeum, qui iudicat de culpa actionis, prout in ſe eſt. Vnde etiam ſermo eſſe poteſt vel de exteriori prædictione; vel de interiori intentione,& credulitate.Primò ergo quod ſpectat ad externum forum, ac iudicium; Qui ſimpliciter,& abſolutis verbis prædicit hæc futura in particulari, vt hunc futurum eſſe Epiſcopum, vel ducem,vel ſimilia; vel reuelat particularia facta omninò occulta, iure Eccleſiaſtico damnatur, & punitur vt Diuinus, licet poſtea explicet intellexiſſe ſuam prædictionem, vt probabilem. Hoc euidenter probatur ex verbis Sixti V. ſtatim referendis. Et ratio eſt, quia vnuſquiſque iudicandus eſt apud homines iuxta planum verborum ſenſum: nam ſi illi euaſioni daretur locus, nullus poſſet conuinci, quia ipſi nunquam dicunt hoc infallibiliter eſſe euenturum, imò fatentur in generali interdum ſua principia deficere. Quare in tali prædictione abſoluta non deeſt grauis culpa ſaltem propter ſcandalum, & propter ſpeciem mali cum præſumptione iuris, & de iure. Vnde vlteriùs addimus, quòd licèt in his prædictionibus expreſsè addant, ſe non affirmare id tanquam certum, nihilominùs coram Eccleſia non excuſantur, ſed puniendi ſunt. Hoc declarauit expreſsè Sixtus V. in dicto Motu dicens: *Statuimus, vt contra facientes iudicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus, ſucceſſibus, fortuitiſque caſibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid euenturum affirmare audent, etiamſi id ſe non certò affirmare aſſerant, aut proteſtentur, &c. Inquirant, & procedant, & in eos ſeueriùs Canonicis, pœnis, & aliis eorum arbitrio animaduertant.* Vel ergo Pontifex ſupponit, hoc eſſe iure Eccleſiaſtico prohibitum, vel tacitè id prohibet, ſeu prohibitionem auget, aliàs non iuberet,eos puniri,non obſtante prædicta declaratione, & proteſtatione ipſorum. Ratio autem eſſe poteſt, vel quia etiam ille modus prænunciandi futura, eſt perniciosus Reipub. quia eadem incommoda, & vanæ inueſtigationes ex illo ſequuntur;vel quia ſemper præſumitur,ea verba proferri ad occultandam malitam,& diuinationem; vel certè quia etiam illa eſt vera Diuinatio,vt iam dicam. In tota ergo hac exteriori prædictione inuenitur culpa, ſaltem ratione ſcandali, & prohibitionis Eccleſiæ.

Sixt. V.

Sixt. V.

31. Etiamſi non vt certa hæc prædicantur neque prædicens interiùs aliud habeat ſuperſtitioſè tamen agit.

Dico vero vlteriùs, etiamſi quis interiùs non plùs intendat, quam verbis profert,& declarat,cum dicit, ſe id nõ affirmare vt certum, ſed vt probabile,ſuperſtitioſè agere, & aliquam culpam grauem ſuperſtitioſæ Diuinationis committere.Ratio eſt,quia ex ſolis aſtris comparari non poteſt cognitio talium futurorum, vel occultorum ita probabilis, vt ad definitũ iudicium ferẽdum ſufficiat, ſcilicet, ita eſſe futurum

qui autem ita illa prædicit, vel ea intentione illa inuestigat, saltem hanc determinatam cognitionem humanam talium futurorum inquirit, ergo tacitè vult ex disciplina Dæmonis talem cognitionem comparare. Minor, & consequentia nota est. Maior autem patet ex superiùs dictis, quia sola astra sunt remotissimæ causæ, & illæmet sunt maiori ex parte hominibus ignotæ, & quia plures omninò ignorantur, & paucæ illæ, quæ cognoscuntur, imperfectissimè cognoscuntur quoad earum virtutem, & influentiam. Et confirmatur: quia hæc Diuinatio etiam sub specie probabilitatis solùm fundatur, vt supponimus, in regulis artis iudiciariæ: at illæ regulæ non possunt habere etiam probabilitatem ex solis astris, & ideò damnantur, vt industria Dæmonum introductæ, ergo illa inuestigatio, vel credulitas, etiamsi sit cum formidine, superstititiosa est. Et hoc tandē bene confirmant verba Dei per Ieremiam: *A signis cœli nolite metuere*; non enim irrationabiliter timerentur, si iudicium probabile, & cognitionem humanam conferre possent. Si ergo timenda non sunt profectò nec sub illa specie inquirenda, aut consulenda sunt. Secus autem esset, quando non ex astris solis, sed ex aliis circunstātiis, & causis particularibus sumeretur coniectura, vt ex temperamento personæ, ex aliis actibus eius, & similibus circunstantiis: nam talis obseruatio non est diuinatio, sed prouidentia; vnde si inter alias coniecturas consideretur etiam aspectus astrorum, quatenus aliquid conducere potest, id non pertinet ad superstitionem, sed ad naturalem Astrologiam, quæ non est damnata, vt diximus.

Ierem.

CAPVT XII.

An sortium vsus semper sit superstitiosus, & prohibitus.

1. An sortes semper superstitiosæ sint, & prohibitæ. *Deut. 1. Actor 9. 1. Reg 10. Luc. 1.*

RAtio dubitandi est, quia sortium mos & tempore legis scriptæ, & in lege gratiæ inuenitur à Sanctis Patribus vsitatus, ergo de se non est malus, sed potest licitè fieri. Antecedens patet; nam terra promissionis per sortem diuisa est, Deut. 1. Act. 17. Saul per sortem electus est, 1. Reg. 10. Ministeria etiam sacerdotalia sorte diuidebātur, iuxta illud Luc. 1. *Sorte exiit, vt incensum poneret, &c.* Imò in ipsis diuinis sactificiis sorte eligebatur, quid esset offerendum Deo Leuit. 16. Præterea Iosue ad cognoscendum malefactorem occultum sortem misit; Iosue 7. Et Ionathas sorte cognitus est, 1. Reg. 14. Ionas etiam sorte agnitus est Ionæ 1. Ac denique Matthias sorte electus est, Act. 1. Vnde August. Conc. 2. in Psalm. 30. circa illa verba, *In manibus tuis sortes meæ*, colligit, sortes non aliquid mali esse, *sed res est* (ait) *in dubitatione humana posita diuinam indicans voluntatem.* In contrarium verò est, quia sortilegia, id est sortium vsus, vel per sortes electio iure damnata est, toto titulo de Sortilegiis, & 26. quæst. 1. 2. & sequentibus, vbi multa ex Patribus referuntur.

Leuit. 16. Ios. 7. 1. Reg. 14. Ion. 1. Actor. 1. August. Psal 30.

2. Sortes vel diuisoriæ, vel consultatoriæ, vel diuinatoriæ sunt.

Resolutio verò clara est, adhibita sortium diuisione, quæ trimembris dari solet ex D. Thom. dicta quæstion. 95. art. 8. Nam quædam sortes dicuntur diuisoriæ, quædam consultatoriæ, quædam diuinatoriæ: sed huius partitionis sensus, & ratio intelligetur meliùs, ad duo membra vsum sortium reuocando. Ad duos enim fines mitti possunt sortes, scilicet vel ad aliquem effectum faciendum, vel ad aliquid occultum cognoscendum, seu reuelandum. Quando priori modo mittuntur, dicuntur generaliter sortes diuisoriæ, & dici potest contractus sortium seu sortes, quæ mittuntur in vi alicuius contractus: nam ille effectus, qui per sortes intendi potest, non est effectus physicus, quia per sortes non applicatur aliqua physica causa ad operandum, sed est effectus moralis, qui ex conuentione hominum fieri potest, vt est translatio dominij eius rei, quæ in sortem mittitur, vel collatio officij aut beneficij, aut alterius potestatis, quæ per electionem, vel sortem conferatur. Quoties autem sortes ad aliquem huiusmodi effectum faciendum, mittuntur, necesse est, vt in vi alicuius pacti & conuentionis præuiæ inter eos, quorum consensu ille effectus fieri potest, mittantur, aliàs non essent operaturæ: accedente verò illo pacto, in virtute illius operantur. Nam pactum includit voluntatem quasi conditionatam eius, qui potestatem habet ad talem effectum faciendum, quæ voluntas transit in absolutam, impleta per sortem conditione: nam licèt illa conditio casu impleatur, non refert, quia non aliter posita erat in pacto. Et ita pro diuersitate huius pacti variæ possunt esse istæ sortes: aliæ enim sunt lusoriæ, vt sunt in omni ludo, cuius euentus pendet ex pura fortuna; aliæ sunt electoriæ, seu quæ ad electionem faciendam ordinantur, At verò quando sortes solùm mittuntur ad cognoscendum occultum aliquid, tunc generali nomine dici possunt & consultatoriæ, & diuinatoriæ, quia omnis inquisitio veritatis occultæ quædam consultatio est, & omnis prædictio, vel præcognitio illius potest dici Diuinatio generatim loquendo. Tamen quia Diuinatio in malam partem sumitur, vt supra diximus; sortes illæ, quibus tacitè, vel expresè consulitur Dæmon, Diuinatoriæ dicuntur, si verò consulatur Deus dicuntur consultatoriæ vel vocis etiam appropriationem.

Ad duo membra hæc tria reuocantur.

3. Sortes diuisoriæ per se malæ non sunt.

Dico ergo primò: Sortes diuisoriæ, seu quæ fiunt in vi contractus per se, & natura sua malæ non sunt, aliquæ verò sunt humano iure prohibitæ, aliæ verò indifferentes adhuc manent, Conclusio est communis, & clara. Prima enim pars constat, quia in illis sortibus nulla superstitio inuenitur, quia nec ad cognitionem rei incertæ ordinantur, sed immediatè ad operationem; nec etiam continent expresè, aut tacitè aliquam Dæmonis inuocationem; quia nec ad docendum, nec ad operandum aliquid imploratur eius auxilium, cùm per eas sortes nihil intendatur, quod superet efficaciam voluntatis humanæ, vel diuinæ, si iussu, vel nutu illius sortes mittantur, vt dicemus. Per se autem non requiritur in tali sortium vsu aliquis Dæmonis consensus, vel cooperatio. Materialiter autem potest contingere, vt aliquis habens aliquam cum Dæmone societatem, pactum cum illo faciat, mittendo sortes pro determinanda obligatione ad hanc, vel illam actionem; veruntamen ibi ratio superstitionis non consistit propriè in sortibus, sed in paciscendo cum Dæmone. Abstrahendo ergo ab hac speciali malitia, in vsu sortium ex contractu ad aliquid diuidendum, vel conferendum, per se, & natura sua malitia superstitionis non est; nec etiam habet talis vsus malitiam iniustitiæ, nisi aliunde ex materia, vel aliqua deceptione, vel ex modo sortium illi adiungatur; id enim interdum accidere posse infrà videbimus; est autem quid singulare, & quasi accidentarium. Per se autem sortes non inuoluunt iniustitiam, quia in eis est voluntaria pactio, & potest esse cum æqualitate vtriusque partis. Nec denique est ibi per se coniuncta malitia contra alias virtutes, quæ probabili ratione cogitari possit. Sortes ergo hæ non sunt intrinsecè malæ.

4. Sortes generaliter non prohiberi. *L. Si duobus.*

Neque etiam inueniuntur sortes generaliter prohibitæ: nullibi enim ostendi poterit talis lex vel Ciuilis, vel Canonica. Quia potius iure Ciuili in multis casibus approbantur, vt patet ex leg. *Si duobus* Cod. Communia de legatis; vbi in variis casibus, in quibus hæredes, vel legatarij, quibus æqua data est potestas eligendi

eligendi seruum, vel rem aliam, inter se de electione contendunt, omnibus dicitur ibi: *Sancimus in huiusmodi casibus rei iudicem fortunam esse, & sortem inter altercãtes adhibendam, vt quem sors prætulerit, is quidem habeat potestatem eligendi.* Et Glossa ibi verb. *Fortuna*, aliam legem Digestorum refert. Nec talis lex iudicari potest iniqua, tunc quia quod priuati homines possunt licitè facere ex communi consensu ad tollendas controuersias, potest per legem statui, vt ita fiat, tum etiam quia illud est in talibus casibus optimum medium ad dirimendas lites, & nulli parti est iniuriosum, cum in omnibus sit æquale ius; quod vt supponitur, nec diuidi potest, nec omnibus æqualiter applicari, & ideò incertitudo etiam sortium æqualis est. Nec ius Canonicum leges illas pro similibus casibus reprobauit. Et statim afferemus casus alios, & regulam generalem constituemus ad discernendum, quando huiusmodi sortes liceant aut non liceant.

Glossa.

A

B

5. Ius Canonicũ prohibet sortes in electionibus Ecclesiasticis. Cap. *Ecclesia.*

Tertia ergo pars assertionis declaratur, quia in iure Canonico prohibentur sortes in electionibus Ecclesiasticis faciendis. Hoc patet ex cap. *Ecclesia* extra de Sortilegiis, vbi prius dicitur, *Multa reprehensione dignum, quod sors in talibus interueniat.* Et postea concluditur: *Sortis vsum in electionibus perpetua prohibitione damnantes.* Ex quibus verbis colligitur primò, prohibitionem illam extendi ad omnem Ecclesiasticam electionem, quia absolutè, & sine restrictione fit: & in talibus locutionibus indefinita locutio æquiualet vniuersali, quia generales regulæ per eas constituuntur, sicut in doctrinalibus. Quod maximè est necessarium in lege prohibente, quia prohibitio includit virtualem negationem, quæ vim habet distribuendi. Imò ex discursu illius textus constat, non tantum esse prohibitam sortem in ipsa dignitate Ecclesiastica, officio, aut beneficio cõferendo, sed etiam in eligendis, vel nominandis compromissariis ad electionem faciendam. Ibi enim dicitur fuisse reprehensione dignum, quòd potestas nominandi, seu eligendi compromissarios, vni per sortem delata fuerit. Et ratio est, vel quia etiam tunc prouisio Ecclesiæ immediatè reducitur in sortem, vel quia eadem incommoda in illa sortitione inueniũtur, nã fieri potest, vt ille, qui per sortem assumitur ad compromissarios nominandos indignus sit, & ineptus ad illud munus, ex quo tota electio Episcopi, aut alterius similis postea pendet. Et hac ratione (vltra vim verborum) extenditur illa prohibitio ad omnem electionem Ecclesiasticam, per quam vel iurisdictio, etiam ad vnum actum, vel ius eligendi, aut nominandi, vel Ecclesiastica dignitas, aut officium vel beneficium, vel administratio Ecclesiastica confertur: & in hoc conueniunt expositores ibi cum Glossa, & Theologi cum D. Thom. dicto art. 8. & Summistæ.

C

D

Gloss. D. Thom.

6. An sortes liceat inter duos mittere quando suffragia sunt paria.

Sed quæri potest circa hoc primò, An saltem in eo casu, in quo suffragia paria sunt & duo habuerunt in electione semel, bis, aut sæpius facta paria suffragia, An inquam liceat inter illos duos sortem mittere. Videri enim potest licitum: tum quia vix superest tunc aliud remedium, tum quia vterque illorum sufficienter iudicatur idoneus per suffragiorum multitudinem; & ita cessat periculum, in quo solo ratio legis fundatur: tum denique quia tunc non videtur sors fieri in electione simpliciter, quod est prohibitum: iam enim electi sunt illi duo præ aliis, & inter se vt æquales, & quasi disiunctim, vt alter illorum dignitatem, aut officium habeat, & solùm mittitur sors, vt electio facta habeat effectum in vna illarum personarum potiùs, quàm in alia. Accedit, quòd in multis congregationibus est in vsu, vt in electione Pastoris, vel Rectoris plures eligantur, non vt omnes officium habeant, sed vt postea inter eos solos sors mittatur, per quam vnus ex eis tandem officium consequitur. Hæc ergo sortitio non est prohibita, alioqui non ita esset tolerata, & recepta. Eadem autem ratio est de hac, & præcedenti: ideo enim hic modus eligendi cum sortibus videtur licere, quia per electionem illorum plurium ablatum est periculum eligendi indignum, quia omnes illi per electiones suas propositi sunt vt digni; & ita sortitio non est simpliciter ad electionem, sed ad quandam electionis factæ determinationem, seu executionem. Atque hoc confirmari potest ex facto Apostolorum Act. 1. talis enim fuisse videtur electio Matthiæ? nam prius Apostoli constituerunt duos quasi ab ipsis electos, & approbatos vt idoneos ad Apostolatum, & postea inter duos tantùm illos miserunt sortem. Sed de hoc facto latiùs infrà.

Act. 1.

7. Pars negatiua eligitur nõ posse scilicet mitti sortes inter duos illos.

Nihilominùs censeo, ex vi iuris communis non esse licitum in priori casu per sortitionem, terminare illam electionem, seu diuisionem suffragiorum componere. Ratio est, quia illa esset vera electio per sortem, quæ in vniuersum, & sine limitatione prohibita est. Falsumque est tunc non superesse aliud remedium: nam superest remedium compromissariorum, quod in Iure approbatum est in cap. *Quia propter* de Electione. Aliud autem remedium sortium non inuenitur approbatum; imò in dicto cap. *Quia propter*, omnis electio facta aliter, quam per omnes electores, vel per compromissarios, reprobatur. Neque etiam est verum, vtrumque illorum æqualia suffragia habentium fuisse sufficienter iudicatum idoneum, quia Capitulum eligentium de neutro hoc iudicauit, quia non censetur esse iudicium totius Capituli, nisi saltem maior pars electorum in illo conueniat. Ideoque in neutrum illorum facta est electio ad aliquid, nec approbatio sufficiens personæ eius, & ideò si sortes postea mittantur, re vera tota electio est per sortes, quod reprobatum est. Et hæc videtur expressa sententia Glossæ in capit. *Duobus* de Rescript. in 6. verb. *Tentãtur*. Vbi expresse quærit, quid erit, si electores pari numero discordant in eligendo inter duos, respondetque, superiorem posse eos compellere, vt concordent, & eligant intra certum tempus, aliàs ad eum deuolui electionem; vnde supponit, non posse per sortem electionem terminari, & ita etiam sentit Felinus in cap *Capitulum* de Rescript. cum Cardinali in capit. *Licet causam* de Probat. in fin. vbi generalem regulam statuit, in beneficialibus non esse locum sorti.

Cap. Quia propter.

Gloss. Cap. Duobus.

Felin. C. Capitulil.

8. Non posse plures eligi, vt postea per sortes vnus accipiat munus Ecclesiasticum.

Vnde ad secundum casum respondemus primò, in illo aliquam maiorem rationem inueniri non reprobandi sortes, quia iam singuli illorum, qui mittentur in sortem, sunt re vera electi ad maiorem numerum suffragiorum ad tale officium, vel dignitatem, non vt illam determinatè habeant ex vi solius electionis, sed vt illam habere possint, & ita singuli sunt approbati à Capitulo ad munus illud. Nihilominùs tamen addo secundò, etiam illum modum electionis non licere in propriis electionibus Ecclesiasticis propter generalem prohibitionem, à qua non licèt casum excipere sine fundamento iuris, vel euidenti necessitate. Nec admitto, dari talem consuetudinem in electionibus Ecclesiasticis, sed in quibusdam congregationibus, quæ potiùs Ciuiles, seu laicæ sunt, quàm Ecclesiasticæ. Et officia, ad quæ tales electiones fiunt, nec iurisdictionem, nec administrationem propriam, & Ecclesiasticam habent. Quòd si in aliqua communitate, & electione Ecclesiastica talis fuerit eligendi modus, erit ex vi alicuius constitutionis approbatæ per Papam, per quam aliquo modo derogatur iuri communi quo sublato, ille modus electionis per se malus nõ est. Et hoc modo posset defendi electio

di electio Matthiæ per sortem, quia tunc nulla erat prohibitio positiua diuina, vel humana de tali vsu sortium, neque ex natura rei in illa erat periculum prauæ electionis, quia solùm mittebantur sortes inter duos selectos, & iudicatos idoneos, & dignos: & fortasse Apostolis nõ innotescebat, quis esset dignior, & ideò miserunt sortem. Sed in illo particulari facto aliquid ampliùs necessariò dicendum est, quia non fuit tantùm sortitio electiua, (vt sic dicam) sed fuit etiam consultiua, & ideò specialem Dei instinctum interuenisse necesse est, vt infrà dicam.

9. An electio talis per sortes non solũ sit prohibita, sed etiã nulla.

Secundò inquiri potest circa hanc partem, An talis electio per sortes non solùm sit iure prohibita, sed etiam sit nulla. Quod enim non sit nulla videtur colligi ex dicto cap. *Ecclesia*, vbi licèt dicatur reprehensibilis electio facta per sortes, non dicitur esse nulla, imò supponitur fuisse valida, cum Pontifex illam confirmet, non enim illam innouat, & denuò confert, sed tantum confirmat, confirmatio autem supponit valorem actus. Et idem sentit Gloss. ibi ver. *Ad gratiam* dicens, ideo confirmationem illam ad gratiam computari, *Quia de Iure debuit cassari*: ergo non fuit irrita, sed ad summum irritanda ac subinde valida. Denique postea in prohibitione nullum est verbum annullans, sed tantùm prohibens vsum sortium in electionibus, lex autem prohibens non irritat, nisi addat verbum declarans nullitatem actus, vt in materia de Legibus tractamus. Nihilominùs Panorm. ibi num. 5. ait, censendam esse electionem illam nullam, quando sors in illa interuenit. Primò quia est facta contra dispositionem Legis. Secundò quia est contra formam eligendi data in cap. *Quia propter* de Elect. Sed primum motiuum apud me non concludit, quia, vt argumentabar, actio contra prohibitionem legis, quæ non habet verba irritantia, non est irrita ipso facto, sed ad summum irritari potest, & ideòex vi illius cap. *Ecclesia*, non credo, esse talem electionem nullam ipso facto. At verò in dicto cap. *Quia propter* expressè dicitur, *Aliter electio facta non valeat*, ideo ex vi illius textus verum esse existimo irritam esse electionem ad aliquam Ecclesiam quæ per sortes fit, quia in ea seruari non potest forma præscripta in dicto c. *Quia propter* & consequenter de illa verificantur illa verba. *Aliter electio facta non valeat*, nam aliter facta est.

Ca. *Ecclesia.* Panor. Cap. *Quia propter.* Ca. *Ecclesia.*

10. Ca. *Ecclesia.* Cap. *Quia.* *Innocent. 3.* *Honor.* Electio commissariorum per sortes nõ facit irritam electionẽ ad Ecclesiã per eos factam.

Dices, Ergo in casu cap. *Ecclesia*, electio de qua ibi tractabatur, nulla fuerat ipso facto ex vi cap. *Quia propter*, nam ius illud antiquius erat: conditum enim est ab Innoc. III. qui Honor. III. præcessit, à quo aliud ius manauit. Quomodo ergo Honorius non censuit illam electionem irritam, sed validam, quandoquidem illam confirmauit? Respondendum videtur, rationem esse, quia in illo casu dicti cap. *Ecclesia*, non est electio ad Ecclesiam facta per sortes, sed per suffragia, & lectionem commissariorum, & ita potuit in ea seruari forma cap. *Quia propter*, iuxta illa verba. *Vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium Ecclesiæ viduatæ prouideant de Pastore.* Quod totum in dicto cap. *Ecclesia* seruatum est, solùm fuit erratum in modo committendi eligendi potestatem commissariis, interuentu sortium. De hoc autem modo committendi potestatem eligendi aliis, nihil dispositum erat in cap. *Quia propter*, neque circa hoc ibi est forma præscripta ad committendam talem potestatem. Potuit ergo commissio esse valida licèt per sortes fuerit facta, si autem commissio fuit valida, etiã electio à commissariis valida esse potuit, quia in ea, vt dixi seruari potuit forma cap. *Quia propter*. Et ideò restrictè dixi, electionem ad Ecclesiam sortibus factã esse nullam, & non simpliciter omnem actionem ordinatam ad electionem, neque omnem prouisionem beneficij per sortes factam esse nullam, quia in dicto cap. *Quia propter* de sola propria electione ad Ecclesiam facienda, forma præscribitur, & sola illa aliter facta annullatur. In aliis verò casibus, vbi necesse non est illam formam seruare, etiam si vsus sortium sit prohibitus, non inuenitur ius actionem, vel collationem irritans; & ideò quoad hoc, censeo procedere priorem sententiam Glossæ per textum ibi in dicto c. *Ecclesia*.

Gloss.

11. Vtrùm licitum sit litigantibus de aliquo beneficio mittere inter se sortes.

Tertiò quæri potest, An ex vi illius cap. *Ecclesia* prohibitum sit, vti sortibus ad terminandas, vel tollendas lites Ecclesiasticas, præsertim in causis beneficialibus. Aliqui simpliciter negant factam esse talem prohibitionem, ac subinde licitum esse inter litigantes de aliquo beneficio, mittere sortes, & ita componere litem. Quia in dicto cap. *Ecclesia* solum prohibentur sortes in electionibus, quæ lex cum odiosa sit, restringenda est ad proprietatem verborum: non est ergo ampliandaad reliquas conuentiones, quę electiones non sunt: at qui componunt litem per sortes, non eligunt, ergo non prohibentur id facere illo Iure. Nam ille, cui sors fauit, non accipit beneficium ex vi sortis, sed ex vi tituli, aut iuris, quo pro se litem prętendebat; & per sortem solum fuit ablatum impedimentum: ergo hoc nec de se malum est, nec prohibitum, erit ergo licitum. Vnde à fortiori idem dicendum erit de quocumque alio negotio Ecclesiastico, quòd nec electio sit, nec ad electionem ita proximè ordinetur, vt sub illa contineri videatur. Atque ita sensisse nonnullos iurisperitos, refert Felin. in dicto cap. *Capitulum* num. 21. At verò Abbas in dicto cap. *Ecclesia* solùm dicit, in illo c. non esse prohibitum inter Clericos vsus sortium in causis, & litibus temporalibus, quod certè manifestum est, & satis conuincitur discursu facto. Per illum autem limitatum loquendi modum insinuat Abbas, in causis, & litibus beneficialibus non esse licitum, vti sortibus ad componendas illas. Expressiùs verò id docuit Cardinalis in dicto cap. *Licet causam* de Probat. in fine dicens, *In beneficialibus causis non esse locum sorti*; & hoc sequitur Felinus suprà, addens limitationem in Papatu ad tollendum Schisma, de quo alibi. Ratio verò dictæ regulæ (omissa pro nunc exceptione) est, quia per huiusmodi sortem incurritur periculum obtinendi beneficium sine iusto titulo, contra regulam primam de Reg. Iur. in 6. dicentem, *Beneficium Ecclesiasticum non posse licitè sine institutione canonica obtineri*, & contra ca. vnic. de Eo, qui mittitur in possess. lib. 8. Vbi dicitur, in his litibus beneficialibus cauendum esse, ne aliquid fiat, *Per quod ad beneficium vitiosus pateat ingressus*. At per sortem incurritur periculum vitiosi ingressus, ergo non habet locum in componendis causis beneficialibus.

Gloss. *Felin.* C. *Capitulũ.* *Abbas.* *Cardi.* *Reg. Iur.*

12. Resolutio quæstionis.

In hoc puncto dicendum censeo primò, non esse prohibitum ex vi dicti cap. *Ecclesia*, vti sortibus ad cõponendas lites Ecclesiasticas, etiam in beneficialibus. Hoc mihi probat ratio primæ sententiæ. Et videtur esse opinio Gloss. in dicto cap. *Licèt causam* de Probat. ver. *Vti possidetis*, vbi loquens de litigantibus super beneficio; ait, *Vbi nullus, vel vterque ostendit titulum, & omninò sunt æquales probationes, nec apparet, quis ad iudicium prouocauit sorte dirimatur*. Et allegat iura Ciuilia, & cap. *Sors* 26. q. 2. quatenus dicit, sortem de se non esse malam, vnde supponit, in tali materia etiam non esse prohibitam. Et hanc opinionem esse vsu receptam, & iustam dicit ibi Hostien. nu. 20. nec dissentit Abbas nu. 37. Licèt adhibeat limitationem, quæ ad rem nostram non pertinet, scilicet, vt sortes mitti possint, consentientibus partibus, non verò repugnante altera, vel vtrâque. Nam illud prius sufficit, vt intelligamus hoc non esse prohibitum, quicquid sit de posteriori parte, quæ alibi examinanda est.

Gloss. Cap. *Sors.* *Host.* *Abbas.*

13. Secundò dico, hunc modum componendi litem benefi-

Lis beneficialis nõ potest cõponi per sortes auctoritate priuata litigantium.

beneficialem per sortes, non posse fieri per auctoritatem priuatam ipsorum litigantium. Ita intelligendam puto secũdam opinionem suprà positam. Et hoc probat bene ratio, quam pro illa adduximus, quia fieri posset, vt per talem sortem beneficium obtineret, qui non habet titulum. Et quoad hoc potest hic applicari sententia multorum Canonistarum asserentium in dicto cap. *Licèt causam* sortem non habere locum in dubio facti, sed iuris. Nam illud dictum applicatum ad præsentem materiam habet verum, quando voluntates partium, etiamsi inter se paciscantur, non sufficiũt ad tollẽdum dubium facti: tunc etiam incurritur periculum vitiosi ingressus, quod periculum per huiusmodi sortes non vitatur. Ita verò est in proposito, quia si litigator non habebat iustum titulum, etiamsi maximè conueniat cum alia parte in sortibus mittendis, & super illum cadat sors non sufficit consensus partis aduersæ ad dandum ei titulũ; hac ergo ratione non licẽt huiusmodi sortes. Secus verò est in causis temporalibus in quibus res, de qua litigatur, potest per priuatum pactum litigantium alteri adiudicari. Vnde iuuari potest hæc assertio ex generali regula, quod super beneficium, de quo litigatur, non licet pactum facere priuata voluntate sine auctoritate iudicis, imò tale pactum simoniacum censetur: sed hæ sortes non fiunt sine pacto, vt supra ostensum est, ergo non licent. Hinc verò obiter colligitur, peccatum ibi commissum non esse superstitionem, de qua nunc tractamus, sed ad sacrilegium, vel simoniam pertinere, vt constat.

Cap. Licet.

Peccatũ cõmissum in his sortibus non est superstitio.

14.

Deinde concludimus & dicimus, tertiò, auctoritate iudicis posse fieri huiusmodi sortes. Ita sentiunt Gloss. & Doctores allegati & patet à sufficienti partiũ enumeratione: nam hoc licet aliquo modo, & non auctoritate priuata, ergo saltem auctoritate iudicis. Itẽ patet ex contraria regula de simonia: nam si super beneficio litigioso partes paciscantur in manibus iudicis, & ipse admittat, & iuxta pactum sententiam proferat, tenet, & nulla sit simonia nec sacrilegium, ergo idem erit, si pactum sit de sortibus. Nam sicut in tali dubio, vel litigio pactum operatur, vt accedente auctoritate iudicis, eiusque sententia, caueatur periculum vitiosi ingressus, quia ille, cui per talem sententiam fuerit adiudicatum tale beneficium, verè illud consequetur, & ille censetur sufficiens titulus; quando fine fraude, aut vi, vel clara iniustitia, bona fide processum est; ergo eadem ratione tolletur illud periculum, etiam si pactũ sit sortium, nam illud quasi materiale est, & tota ratio in iudicis auctoritate consistit.

Gloss.

15.

An prædicta prohibitio extẽdatur ad secularem electionem.

Quartò dubitari potest. An prohibitio cap. *Ecclesia* extendatur ad electionem ciuilem, seu secularem. Videtur enim extendi, tum quia textus absolutè loquitur de electionibus, & non limitat prohibitionem ad beneficialia: tum etiã quia illa prohibitio fundata est in illa ratione naturali, quòd per sortem committitur electio fortunæ, vt possit cadere sors super indignum, vel minùs dignum, quod de se est contra iustitiam, etiam in ciuilibus magistratibus, &c. In contrarium verò est consuetudo, quæ est optima legum interpres, quia non obstante illo iure vsus sortium frequens est in Ciuilibus electionibus. Ratio etiam addi potest, quia ius Canonicum non disponit nisi in propria materia: vnde in eodem textu dicitur, reprehensione dignum esse, quod sors *In talibus* interueniat id est, in his, quæ ad beneficia pertinent; ergo de his tantùm subiecta est sequens prohibitio. Respondeo breuiter, prohibitionem illam, vt positiui iuris, non extendi ad Ciuiles magistratus, & officia, vt rectè probatum est: estque omnium sine dissensione sententia. Nec refert quod in vltimis verbis, in quibus prohibitio fertur absolutè dicatur *In electionibus*, quia semper intelligi-

Resolvitur quæstio.

A tur iuxta subiectam materiam, & iuxta præcedentia verba, & discursũ textus, vt adnotauimus. Ratio verò in priori parte facta rectè probat, interdum esse posse iniquam sortitionem illam in publicis officiis ciuilibus contra legem naturalem, etiamsi nulla sit prohibitio humana, illa verò iniquitas non consistit in superstitione, nec est contra Religionem, sed erit contra iustitiam distributiuam, cui repugnat, vt id, quod secundum merita conferendum est, per sortem detur, & contra commutatiuam, ac legalem, quia id repugnat debitæ administrationi Reip. eiusque communi bono. Vt ergo huiusmodi sortes in electionibus interdum liceant, oportet aliquo modo præuenire, vt solùm mittantur inter eos, qui ita sunt digni officio, vt vix possit inter eos manifestus excessus iudicari, sic enim vitatur illud periculum, & non alio modo. Et quia difficile est, hanc cautionem adhibere, ideo fortasse dixit Panor. d. ca. *Ecclesia* num. 3. ibi quidem non prohiberi electiones seculares per sortes, *Et ita* (inquit) *in multis locis faciunt Laici. Multùm tamen puto abstinendum, quia militant rationes allegatæ.*

Panor.

16.

Atque hinc tandem nota est vltima pars assertionis, nimirum diuisorias sortes esse indifferentes, & de se posse honestè fieri. Hoc enim intendit Augustinus in dicto c. *Sors*, seu Con. 2 in Psal. 30. Et hoc probat vsus veteris testamenti in principio adductus; nam licèt nonnulla ex illis tunc fierent speciali Dei mandato, illud tamen non est semper necessarium, cum actio de se mala non sit. Dico autem *de se*, quia variis modis potest hic misceri peccatum. Primò si ex praua intentione, vel existimatione erronea fiat. Potest autem hæc intentio esse multiplex. Primò siquis putet, actus humanos sortiri effectus iuxta dispositionem stellarum, & ideò mittat sortes, quia putat constellationem sibi fore propriam ad sortitionem dirigẽdam. Tunc enim actus est in genere superstitionis tractatæ cap. præcedenti. Secundò erit praua intentio, siquis sortiatur confisus de adiutorio Dæmonis, vel aliqua illius promissione, vel prædictione, tunc enim etiam est superstitio, non verò est propriè diuinatoria, sed magica, & malefica, de qua infrà dicturi sumus, quomodo à diuinatione distinguitur, quia tunc non tam expectatur à Dæmone reuelatio rei futuræ, quàm effectio & motio manus extrahentis sortem, quã sine dubio potest ipse efficere, si permittatur. Tertiò mitti potest sors ea intentione, vt euentus ex fortuna eueniat. Et tunc (ait D. Thom. art. 8.) *Non videtur habere vitium, nisi sorte vanitatis.* Intelligendum autem hoc est, nisi quis ita fortunæ se committat, vt prouidentiam Dei non agnoscat; tunc enim esset Gentilicus error: semper enim verum est illud Prou. 16. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.* Si autem quis ita se fortunæ committat, vt non excludat Diuinam prouidentiam, vel dirigentem, vel permittentem, tunc ex parte huius intentionis non est actus malus, sed erit actus otiosus, si absque necessitate, vtilitate, vel honesta causa fiat, & tunc potest vanitas vocari: si autem fiat ex iusta causa, vel necessitate, nullum erit peccatum, imò licèt fiat ludi, vel lucri causa, non erit semper malum: nam hæc motiua indifferentia sunt, & possunt honestari ex aliis finibus. Secundò potest in his sortibus interuenire peccatum ex parte materiæ, vel contra iustitiam distributiuam, vt paulò ante explicatum est in electionibus ad officia, vel contra commutatiuam, vt si ad puniendum delictum commissum, per sortes eligatur persona, nam præter diuinationem (de qua infrà) est euidens periculum, vt puniatur innocens, & noxa relinquatur impunitus, vt latè declarat Abulens. 1. Reg. 14. quæstio. 27. & 28. vel etiam potest misceri malitia sacrilegij ex parte materiæ, vt suprà explicatum est, & ita potest fortasse de aliis contingere.

Tertiò

Secundus.

Tertius.

D. Thom.

Prou. 16.

Abulens.

Concluditur diuisoria sortes posse honestè fieri. *August.*

Variis modis possunt hic misceri peccata.

1. Modus.

De peccato quod in sortibus interuenire potest ex parte mãteriæ.

Tertiò potest in his sortibus intervenire malitia, si per eas intendatur effectus; qui non potest per voluntatem, vel consensum sortientium fieri, vt si sortiantur de re aliena, seu de re, quam non possunt suis voluntatibus dividere, aut applicare. Tunc enim est clara iniustitia, & potest esse impietas, seu sacrilegium pro materiæ qualitate, vt constat. Quod si in tali casu expectetur à Deo effectus per aliquod signum, tunc iam illæ sortes sunt potiùs consultatoriæ, de quibus posteà. Quartò potest hic esse peccatum ex modo, vt si quis fraudibus vtatur in sortibus, sicut in ludo: tunc enim esset iniustitia. Item poterit esse irreuerentia, seu irreligiositas, si quis vteretur libro Euangeliorum, vel Diuinis oraculis ad sortiendum præsertim in rebus terrenis iuxta Augustin. epist. 119. cap. 20. Quamuis ibi potiùs de consultatoriis sortibus loqui videatur, vt infrà dicam. Quintò possunt sortes esse malæ solùm quia prohibitæ; vt in casu suprà tractato. Constat autem hæc omnia extra rationem sortium esse, & ideò rectè dici tales sortes de se indifferentes.

Augustin.

17. Exemplis monstratur non esse sortes de se malas.

Potestque hoc variis exemplis monstrari, vt de forte addandam eleemosynam huic potius, quam illi, apud Aug. 1. de doctrina Christiana cap. 28. De sorte ad eligendum inter duos Dei ministros tempore persecutionis, aut pestis, quis permansurus sit, vel recessurus, apud eundem Augustin. Epist. 180. Et idem dici posset, si sortirentur (stante qualitate) quis esset ad Indos iturus, vel inter eos mansurus: sic enim leguntur Apostoli diuisisse inter se missiones suas per orbem quod indicat Cyril. lib. 5. in Isai. cap. 81. Turrian. in lib. 8. Const. Clemen. cap. 5. Item de sorte, quæ mittitur ad tollenda iurgia, iuxta illud Prouerb. 18. *Contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoque diiudicat*: & sic de aliis. Vnde tandem infero, non recte dixisse Baldum in Leg. *Meminimus* Codice Quando, & quibus quarta pars debeatur, sortè non licere, nisi in casibus à Iure permissis, & in aliis omnibus peccatum continere. Contrario enim modo dicere debuisset, sortem non continere peccatum, nisi vel ex circunstantia accidentaria, & extrinseca, vel in casibus in Iure expressis, extra illos verò per se loquendo licere, vel saltem esse rem indifferentem. Et hoc sensit Glossa vlt. in dicto c. *Ecclesia*, & Felin. dicto cap. *Capitulum* de Rescrip. num. 21. & dicto cap. *Licèt causam* de Probat. num. 44. circa finem, vbi alios allegat. Et ratio satis constat ex dictis, nam in illis etiam casibus, quæ iura ciuilia expressè permittunt non ideò licitæ sunt sortes quia iura illas permittunt, nam sola permissio non faceret illas licitas, si ipsæ de se malæ essent, quia verò malæ non sunt, ideò iustè permittuntur interdũ, non solùm ad vitandum maius malum, sed propter aliquam vtilitatem, vel commoditatem vt dictum est.

Cyril. Turri. Clemens. Prou. 18.

Baldi.

Glossæ. Felin.

18. Vsus sortiũ ad cognoscẽdam occultã veritatem illicitus est, nisi Dei inspiratione fiat.

Secundò ac principaliter dicendum est. Vsus sortium ad cognoscendam veritatem occultam, nisi fiat ex Diuina inspiratione expectando ab ipso Deo veritatis cognitionem, illicitus est, & ex suo genere grauem malitiam continet. Sub hac assertione sortes diuinatorias & consultorias comprehendo: ambę enim ad hoc tendunt, vt veritas occulta per indicium sortium cognoscatur: sed differunt, vt diximus, quia per consultationem intelligitur Diuina, & est, quoties per indicium sortis à Deo postulatur, & expectatur cognitio rei desideratæ: Diuinatio autem intercedit in sortibus, quoties à Deo non expectatur cognitio. Rursus mittere sortes, expectando à Deo indicium veritatis, dupliciter fieri potest, scilicet prudenter, & temere. Si prudenter fiat, non erit vitium, quia vitium non fit prudenter, si autem fiat temerè, vitium erit. Quod autem possit hoc interdum prudenter fieri, probat in primis vsus Sanctorum in veteri testamento, quem in principio adduximus in testimoniis secũdo loco citatis. Nam sortitio facta à Iosue fuit quidem ad reuelãdum malefactorem occultum, per Dei tamen expressum mandatum, vnde non tam erat consultatoria, quàm executiua Diuini mandati; vnde & fuit prudentissima, & cum spe certa, quòd sors esset ita à Deo dirigenda, vt veritatem indicaret.

19. De sortibus à Saule missis.

De sorte autem missa à Saul ad similem finem Abul. ibi putat, etiam Saulem id fecisse ex Diuino præcepto, quod leuibus coniecturis suadet: & qui voluerit, potest id credere, quia non habet incommodum, licèt non probetur. Non est tamen nobis necessarium defendere; bene, & prudenter fecisse Saulem, quia nec erat sanctus nec spiritu Dei in actionibus suis ordinariè regebatur, neque de illa habuit expressum mandatum Dei, nec in scriptura refertur aliqua circunstantia vnde colligatur id fuisse ex Diuina inspiratione. Nam licèt verisimile sit Deum postea temperasse sortem, eámque ita direxisse, vt verè indicaret personam inquisitam; nihilominùs potuit esse sors illicitè intentata, vt indicauit idem Abul. 1. Reg. 14. quæst. 20. nam illa directio sortium est quasi quædam gratia gratis data, quam Deus dat, quibus vult etiam si peccent vtendo sortibus, quia Deus bene vtendo eorum praua actione, assequitur alium finem, quem ipse intendit. Sicut in facto Ionæ est manifestum: nam ibi non est dubium, quin nautæ ineptè egerint, sortem mittendo, & tamen Deus dixerit illam, vt per eam veritas indicaretur, & Ionas mitteretur in mare, & sequerentur alia mirabilia, quæ ipse intendebat, vt indicauit etiam Abul. 1. Reg. 14. q. 37. Vnde quod Prouerb. 16. dicitur: *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperãtur*, etiam si de materialibus sortibus ad literam intelligatur, nó est necesse limitari ad sortes sine culpa missa omnes enim à Domino temperãtur, licèt non omnes eodem modo: nam quando mittuntur ex suo mandato, vel speciali instinctu, ita diriguntur, vt infallibiliter ostẽdant veritatem: quando verò mera humana voluntate fiunt, à Domino temperantur vel per specialem, vel per generalem prouidentiam, interdum directiuam, interdum permissiuam semper tamẽ eueniunt ex eius prouidentia, & hoc est tẽperari ab ipso. Illa verò prouidentia potest esse specialis, & specialissima in directione sortis, vt veritatem attingat, etiam si fortè non sine peccato, & temeritate fuerit missa.

Abulens. Vide suprà locum Chrysost. *Prou. 16.*

20. De sorte missa ad Matthiæ electionem.

At verò de sorte ab Apostolis missa ad Matthiam eligendum, variè loquuntur Patres. Cùm enim omnes conueniant nullum ibi interuenisse peccatum, quod est certissimum, quia licèt nondum essent Apostoli tunc confirmati in gratia, magnam tamen lucem, & gratiam ab Spiritu sancto acceperant, vnde nec ignorare poterant, quid in eo facto liceret nec sine causa committere quicquam, quod peccatum esset. Maximè cùm omnium concilio vel consensu electio facta fuerit, & præmissa oratione communi, post grauissimam Petri admonitionem. Cùm hoc ergo certum sit, nonnulli ex Patribus hoc attribuunt alicui imperfectioni, vel potiùs minori perfectioni Apostolorũ. Hoc enim significat illud Bedæ Act. 1. *Sorte quæritur quia nondum erat plenitudo Spiritus Sancti in Ecclesia effusa. Septem autem diaconi postea non sorte, sed electione discipulorum sunt ordinati.* Quod refert, & approbare videtur D. Thom. dicto art. 8. & idem sensisse videtur Chrysost. homil. 3. in Acta cùm dixit: *Quoniam non erat spiritus sorte rem peragunt.*

Qui tribuãt hanc sortem imperfectioni Apostolorum. *Beda. D. Thom. Chrysost.*

21. Explicatur præcedẽs Patrũ assertio.

Sed hæc sententia non est intelligenda de imperfectione morum in illo facto, sed ad summum de defectu alicuius cognitionis, vel instructionis, quam nondum Petrus, & Apostoli habebant; vel certè de imperfectione status Ecclesiæ in illo tempore. Nam quod ad mores attinet, nec peccatum; nec imperfectio vlla in illo facto notari potest. Si enim sortes illas rãtùm vt diuisorias

diuisorias spectemus, & in Apostolis supponamus potestatem ad prouidendum de successore loco Iudæ, & quod electio modo humano facienda fuisset; nulla moralis imperfectio in illa electione notari posset, etiamsi facta fuisset sine extraordinaria inspiratione, aut motione diuina, sed ordinaria prout nunc fit electio Pontificis. Nam si ex communi consensu, vel ad plura suffragia vnus tantùm electus fuisset, quia ille reputatus esset dignior, nulla fuisset imperfectio. Ergo si contigit (vt credendum est) quod illi duo Matthias, & Barsabas reputati fuerunt digniores cæteris, & inter eos iudicari humano modo non potuit, quis esset dignior nulla imperfectio fuit, ambos priùs eligere, vt alia via postea fieret electio inter ipsos. Sic enim etiam nunc in quacunque electione fieri posset B secluſa prohibitione positiua, etiam in electione ad Papatum, vt eligentes priùs inter se conuenirent si fieri posset, vt inter duos, vel tres electio fieret, maximè si publicè constaret, illos esse dignissimos. Rursus facta illa prima electione, cùm non supereſſet via humana ad cognoscendum, quis illorum esset dignior, aut cuius electio magis futura esset iuxta beneplacitum Dei, profecto electio per sortem honestissima erat, nullaque imperfectio in ea notari posset. Quia in primis supponebatur, vtramque personam esse dignã, & ferendo arbitrium humano modo, quamcunque illarum potuisse iustè eligi determinatè. Qua suppositione stante, per sortem eligere nec malum, nec imperfectum erat ex natura rei. Et alioqui nulla erat C tunc prohibitio humana, & licet fuisset Petrus, & Apostoli potuissent in illa dispensare. Deinde nulla erat superstitio, aut tentatio Dei, vt per se notum est, & statim ampliùs explicabitur. Denique nullus perfectior modus excogitari potest, si enim aliquis esse posset, maximè quod Petrus, vel congregatio illa vnum ex illis duobus definitè eligeret, at fortasse nullam habuerunt humanam rationem ad id faciendum, ergo meliùs fecerunt id committendo prouidentiæ diuinæ, vt planè fecerunt, præmissa oratione & mittendo sortem. Fuit etiam illud medium tunc aptius ad tollendam omnem offensionem, & contentionem, & ad ostendendam sinceritatem intentionis, & desiderij procedendi sine vlla priuata affectione. Itaque con- D siderando illam electionem tantùm vt humano modo factam sine vlla exteriori ostensione diuinæ voluntatis per sensibile signum, non inuenitur in ea morum imperfectio, nec aliquid singulare propter quod sit necessarium recurrere ad specialem instinctum Spiritus sancti.

22. Prædicta sors non solùm diuisoria, sed etiã consultatoria fuit.

Addimus verò illam non solùm fuisse sortem diuisoriam, sed etiam consultatoriam, voluerunt enim Apostoli per illam intelligere diuinam voluntatem circa electionem inter illos duos. Et hoc supponebat in illis aliquam imperfectionem, non ad mores, sed ad cognitionem pertinentem, vel, vt ita dicam, spectantem ad ordinem gratiæ gratis datæ, non gratum facientis. Cùm enim Apostolatus esset dignitas E personalis (vt sic dicam) quæ non erat in Ecclesia perpetuò duratura, dubitare potuerunt Apostoli, An esset nouus Apostolus loco Iudæ eligendus. In hoc verò per intelligentiam prophetiæ Dauid illuminatus fuit Petrus à Spiritu sancto, vt doceret alias, Episcopatum Iudæ alteri fuisse dandum, & nouum testem Resurrectionis Christi fuisse ex tota illa congregatione creandum. Tamen quia Apostolatus erat dignitas, quam solus Christus immediatè contulerat, dubitare vlteriùs potuerunt, an oporteret cælesti signo demonstrari electionem à Christo factam, vt firma, & indubitabilis permaneret. Et ita supponitur in Apostolis hæc imperfectio, quia nondum sciebant, quomodo esset illa dignitas conferenda. Vel certè si A fortasse intelligebant se posse designare personam, quamuis Christus immediatè daturus esset potestatem, vt satis verisimile est, nam sicut designarunt duas, potuissent vnam tantum designare, si expedire iudicarent, vel si certi essent de maiori eius idoneitate: nihilominùs propter imperfectum statum, quem tum habebat Ecclesia, & quia non erat tota satis instructa de his mysteriis. & vt maiori reuerentia, & fide susciperet electum, & quia fortè ignorabant, quis illorum duorum esse dignior, opportunum iudicarunt, à Deo ipso electionem inter illos duos expectare. Sic ergo consultatio illa ad Deum imperfectionem aliquam supponebat, non tamen cum morali imperfectione facta est. Vnde probabilius credo cum Apostoli orarunt: *Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris.* Act. 1. Ostensionem publicam per aliquod signum visibile petiisse, vt verba ipsa sonant: neque id fuit tẽtare Deum, quia non sine morali necessitate, & publica vtilitate, nec sine diuino instinctu, (vt credendum est, & oratio ipsa ostendit) id fecerunt.

Vnde cùm posteà dicitur, *Et dederunt sortes eis, & cecidit sors super Matthiam*, probabile est, indicium aliquod diuinum fuisse datum, quo omnibus constitit, Deum elegisse Matthiam. Quæ fuit sententia Dionysij cap. 5. de Eccles. Hierar. Vbi etiam ait, ob reuerentiam tantæ dignitatis, Apostolos Deo ipsi electionem commisisse, vt non ab hominibus, neque per homines, sed à Deo ipso immediatè tribueretur, & ideò Deum, exhibito aliquo mirabili signo sensibili, quem eligeret, declarasse. Et ita intellexerunt etiam Maximus, & Carthus. in Dionys. Turrecr. in scholi. ad lib. Const. Clem. lib. 8. cap. 5. Qui ait, nullas sortes materiales (vt sic dicam) fuisse datas Matthiæ, & Barsabæ, sed dare sortes nihil aliud fuisse, quam eos proponere; vt super quem caderet certum aliquod de cœlo signum, electus haberetur. Quod est probabile, & consentaneum Dionysio: sed magis literale est, quòd fuerunt eis datæ propriæ sortes, & extractæ, & quòd ceciderit super Matthiam, vt communiter expositores Act. 1. sentiunt, & Hieronymus Ionæ 1. & diuus Thomas supra videtur supponere, & esse communem sententiam dicit Anton. 1. part. Histor. cap. 1. in principio, & cap. 15.

23. Probabile est fuisse datum signum aliquod diuinum in electione Matthiæ. *Dionys.* *Maxim.* *Carthus.* *Turrecr.* *Clemens.* *Hier.* *D. Thom.* *Anton.*

Nihilque vetat, quod simul signo aliquo visibili ostensum fuerit, sortes illas euenisse ex singulari Dei directione, qui Matthiam eligebat, & Apostolũ creabat. Nam hoc videntur postulasse Apostoli, cùm dixerunt: *Ostende, quem elegeris.* Et præterea illi tempori, & loco videbatur conuenientissimum ad maiorem consolationem, & satisfactionem illius Ecclesiæ, quæ nondum erat per Spiritus sancti aduentum confirmata, vt certo omnibus constaret, Deum fuisse, qui Apostolicam dignitatem Matthiæ tribuisset. Item vt Apostoli, qui Dominum per sortes illas consulere voluerunt, ab ipso haberent responsum, aliquo peculiari signo manifestatum. Nam si nihil aliud ibi contigisset, præter id, quod in omnibus sortibus humanis accidit, nimirum, vt sors pro Matthia educeretur; nihil singulare ex parte Dei habuisset illa electio, nec magis ibi ostendisset suam voluntatem, quam in aliis sortibus humanis, quod non videtur verisimile, nec intentioni, & orationi Apostolorum consentaneum. Et hoc certè sensit Hieronymus Ionæ 1. dicens illam sortem factam esse ex speciali priuilegio, nullum autem fuisset, nisi aliquod signum diuinum intercessisset. Et hoc ipsum significauit. Orig. homil. 13. in Iosue, dicens: *Præcedente námque oratione, non iam casu, sed prouidentia, sors diuinum iudicium deferebat.* Idémque significat Aug. dicta Concione 2. in Psal. 30. cùm ait: *Electi sunt duo iudicio humano, & electus de duobus vnus iudicio diuino.* Et enim si sortes illæ nihil amplius

24. *Act. 1.* *Hieronym.* *Origen.* *Auguſt.*

habuissent, quàm aliæ materiales sortes, non magis constasset fuisse à Deo electionem vnius ex duobus, quàm ipsorum duorum electionem, quia vtrumque factum est ex prouidentia, & directione diuina. Cùm ergo subdit Augustinus. *De duobus consultus est Deus, quemnam ipsorum esse vellet, & cecidit sors super Matthiam:* Intelligit ita cecidisse, vt cælesti aliquo signo ostendere Deus suam voluntatem & responsum daret consultationi Apostolorum. Quale autem fuerit illud signum, à Luca declaratum non est, quia nobis id scire necessarium non erat: fortasse tamen fuit aliquis cælestis radius; vel (sicut Num. 17. legimus de Aaron) potuit virga florere in manu Matthiæ, & non Barsabæ, vel aliquid simile diuinitus fieri.

Num. 17.

25. *Orig.*

Rectè igitur ab Origine in d. homil. 13. dictum est sortes consultatorias de se sanctas, & bonas esse, vtique si debito modo fiant, id est, propter honestum, & grauem finem, & necessitate exigente, & cum debita reuerentia, nec sine speciali instinctu Dei. Hæc enim omnia, in sortitione Matthię seruata esse, satis ex dictis constat. Vnde fit illam sortitionem fuisse consultatoriam, nam licèt ordinaretur ad aliquid faciendum, quod pertinet ad sortes diuisorias, præsertim ordinabatur ad cognoscendam Dei voluntatem, & vt constaret omnibus, quis esset dignus tanta dignitate, & Deum esse qui illam conferebat, quæ omnia ad consultationem spectant. At verò si aliter hæc diuina consultatio temerè, & imprudenter fiat, erit graue peccatum. Est autem in hoc aduertendum primò, quando tale peccatum interuenit, non esse superstitionem diuinatiuam, de qua tractamus, sed esse, aut tentationem Dei, aut sacrilegium. Si enim talis modus consultationis fiat sine necessitate, & prætermissis ordinariis mediis diuinæ prouidentiæ, est tentatio Dei, vt constat ex supra dictis de hoc vitio. Et ita docuit diuus Thomas dicto, artic. 8. Si verò fiat indebito modo, erit aliquod genus sacrilegij, ad quod videntur spectare duo alij peccandi modi in hoc genere, quos D. Thomas ponit. Vnus est, si quis nulla oratione præmissa, vel sine debita reuerentia, & humilitate accedat ad Deum hoc modo consulendum. Alius est, si medio improportionato vtatur, vt si sortes sint de temporalibus rebus, & diuina oracula ad hoc conuertantur, id est, Euangelia, vel aliquid huiusmodi, vt Caiet. exponit, & supra dictum est in sortibus diuisoriis.

Sortem Matthiæ fuisse consultatoriam.

Si hæc consultatio temerè fiat, est graue peccatum.

D. Thom.

Caiet.

26. Duplici intentione potest fieri hæc Dei consultatio.

Deinde est considerandum, duobus modis, seu duplici intentione posse fieri hanc Dei consultationem. Primò intendendo, & expresè, vel tacitè petendo à Deo, vt signo aliquo diuino, & extraordinario ostendat, quid in tali negotio agere expediat, vel quis sit dignus tali dignitate, vel quis sit futurus vtilior Ecclesiæ, si illam suscipiat, vel similia. Ad quem modum diximus, Apostolos cōsuluisse Dominum in electione Matthiæ. Et hic modus consulendi adeò est extra ordinarius, vt non solùm necessitatem, vel vtilitatem requirat, sed etiam motionem diuinam valde specialem ad id postulandum, & extraordinarium instinctum, alioqui non vitabitur tentatio Dei, vt in superiori libro diximus. Et talem motionem credendum est, habuisse aliquos Sanctos vtentes fortuita apertione libri sacri ad vtilitatem Dei, vel futurum aliquem euentum cognoscendum, vt de Tetrico Episcopo sancto refert Gregor. Turon. lib. 4. Historiæ Francorum cap. 16. Secundò potest quis intendere solùm impetrare à Deo occultam directionem sortium per specialem prouidentiam, quæ licet miraculosa dici non possit, pertineat tamen ad specialem gratiam, & beneficentiam Dei, illaque tanta fiducia postuletur, vt secum homo statuat id, quod sors tulerit, amplecti tanquam ex diuina voluntate, & ordinatione, & non tantùm ex permissione profectum.

1. Intentio.

Greg. Tur.

2. Intentio.

A Quomodo videntur intellexisse orationem Apostolorum in electione Matthiæ, qui non putant signum aliquod cæleste, & visibile fuisse in ea ostensum. Estque hic modus facilior, & non requirit extraordinarium instinctum Spiritus sancti, vt absque temeritate fiat, sed satis est prudens ratio ex coniectura humana sumpta ex necessitate, & honestate causæ, & ex dubitatione occurrente, quia non inuenitur melior modus ad faciendam determinationem, & ex modo, quo fit, præmissa oratione, & recta intentione, & in tali materia, in qua ex successu sortium non sit periculum iniustitiæ, aut alteriùs mali, tunc enim sine temeritate, aut tentatione Dei credi potest, Deum sua prouidentia affuturum. Et si quis rectè consideret tunc magis videntur illæ sortes diuisoriæ, quàm consultatoriæ, quia non tam intenditur cognitio per sortem, quàm determinatio ad aliquid faciendum, solúmque concipitur probabilis spes, Deum illo modo tacitè approbaturum determinationem, quæ spes nec superstitiosa, nec vana est, sed probabilis, vt declaraui. Sed dices, Quid necesse est, tunc sortibus vti, cùm oratio sufficiat ad impetrandam à Deo necessariam cognitionem, & illi sit promissa exauditio, non sortibus. Respondeo, per has sortes non excludi orationem; sed cùm homo timeat postulare apertam reuelationem, & non suppetat (vt supponitur) aliud medium humanam ad tollendam ambiguitatem, & anticipitem dubitationem, vtitur eo medio, quo potest, inuocato diuino auxilio quod illud dirigat. Superque supponendum est, in neutra parte earum, quæ in sortibus mittuntur, etiamsi fiat, seu eligatur, esse aliquid contra iustitiam, vel rectam rationem. Quando ergo hæc omnia concurrunt; non est in tali genere consultationis aliqua malitia.

Obiectio.

Superest tandem, vt alteram partem de diuinatoriis sortibus explicemus, & concludamus, sequitur enim veluti à sufficienti partium enumeratione. Nam eo ipso, quod sortes mittuntur ad occultam veritatem cognoscendam, & non nituntur in Deo, eiúsque prouidentia, superstitiosæ sunt, ac subinde illicitę, & contra Religionem. Duobus autem modis supra positis possunt hanc malitiam participare. Primò per expressam societatem cum dæmone, vel ab illo apertè petendo, vt sortes dirigat, & fidem illi adhibendo; vel pactum aliquod cum illo contrahendo, & signum sortium ab illo accipiendo, & illo tanquam regula actionum vtendo. Et quando hoc modo delinquitur, clara est malitia superstitionis, & eiusdem rationis cū aliis diuinationibus diabolicis cum pacto expresso, solúmque in signo materiali differt. Alio modo potest hic etiam peccari ex pacto tacito, quod interuenire censetur, quoties manifestatio veritatis non à Deo expectatur. Nam tunc procedit generalis ratio supra facta de signis vanis, & inutilibus; nam hoc etiā medium sortium de se vanum signum est, quia nec ex natura sua, nec ex aliqua legitima impositione habet talem significationem. Non natura sua, quia non est causa, nec effectus illius rei, cuius cognitio inquiritur, neque cum illa habet connexionem naturalem in aliqua causa, vt per se notum est. Non etiam ex impositione legitima, quia nec à Deo data est, nec ab hominibus cum fundamento dari potuit; ergo necesse est, vt vel à dæmone manauerit, vel ab illo tacitè expectetur; vel certè, vt ipse se ingerat ad decipiendum hominem, qui in eo ipso peccat, quod tali periculo moraliter se exponit, vt de aliis dictum est.

27.

Sortes diuinatoriæ dupliciter participant malitiam superstitionis.

Et ob hanc causam prohibita est Ecclesiastico iure talis diuinatio; sic enim intelligenda sunt iura, quæ de tali diuinatione loquuntur. Vt sunt cap. *Non liceat*, 25. q. 5. vbi sortilegi cum diuinatoribus, & maleficis æquè damnātur ex Canone 72. Martini Brachar. Episcopi.

28. De hac diuinatione sunt iura intelligenda.

Cap. Non liceat. Conc. Brac.

Conc. Tolet. Cap. Si quis. Cap. Peruenit. Cap. Contra. Greg. Ixo. Cap. Si quis clericus. Conc. Aurel. Cap. Aliquanti. Conc. Agat.

scopi. Idem ex Conc. Tolet. 4. c. 28. in cap. *Si quis Episcopus* ibidem, & cap. *Peruenit* ex Greg. lib. 9. Epist. 47. & in cap. *Contra idolorum* ex eodem Greg. lib. 7. Epist. 66. Similiter Ixo Papa ad Episcopos Brit. c. 4. sortes tanquam diuinationes, & maleficia dicit esse damnandas. Præterea in ca. *Si quis clericus* ex Conc. Aurelia. c. 32. & latiùs in c. *Aliquanti* ex Conc. Agathens. c. 42. damnantur, *qui sub nomine fictæ religionis per eas, quas Sanctorum sortes vocant, diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque Scripturarum inspectione futurorum scientiam promittunt.* In quo videtur alludi ad eos, *qui de paginis Euangelicis sortes legunt*: de quibus Aug. Epist. 119. c. 20. Quos solum damnat, *quia ad vitæ huius vmbratem diuina oracula volunt conuertere*: & significat minùs peccare, *quam qui ad dæmonia consulenda concurrunt.* Sed ni- B hilominùs si illo genere sortium vtuntur, vt puris signis, ac sortibus sine speciali recursu ad Deum, vel ex motione eius saltem probabiliter credita ex aliquibus coniecturis, superstitio clara est; licet sit minus peccatum, quàm expressa consultatio dæmonis, non immunis à tacita consultatione. Et ideò in cap. *Episcopi* eadem causa, & quæst. ex quodam Concil. Anqui. ars sortilega tanquam à dæmone inuenta damnatur.

Aug.

Cap. Episcopi. Conc. Anqui.

29. Harum sortium quædã ordinantur solùm ad cognitionem, aliæ ad operationem.

Vt verò malitia huius peccati magis declaretur, aduerto, has sortes diuinatorias interdum esse quasi speculatiuas (vt sic dicam) id est, ordinatas ad cognoscenda futura, seu occulta solùm propter cognitionem in illa sistendo, vt cùm per sortes inquiritur quis C obtinebit cathedram, aut victoriam, & similia: non ad aliquid operandum, sed solùm ad voluptatem, & satietatem curiosi appetitus, & affectus: aliquando verò esse practicas, quia ordinantur ad aliquid agendum ex tali cognitione; vt quando per sortem inquiritur, quis fuerit malefactor occultus ad puniendum illum, vel quid simile. Quando fiunt priori modo sunt purè consultatoriæ dæmonis, & ideò tantùm habent malitiam superstitionis, sicut intentio futurorum per astra, vel auguria, &c. de qua nihil supereſt addendũ. Quando verò fiunt posteriori modo, non sunt sortes purè consultatoriæ dæmonis, sed ordinariè participant aliquid de diuisoriis, nam ad illas pertinet distributio honoris, vel pœnæ per sortes. Et ideò præter malitiam D superstitionis interuenire solet malitia iniustitiæ, infamando v. g. proximum, vel innocentem, si sors in ipsum cadat, vt potest, & sæpe accidit, vel nocentem occultũ publicando, quod etiam est iniustũ. Item eodem modo peccatur exponendo innocentẽ periculo pœnæ, quã non meretur, si sors super illum cadat. Et licèt cadat in eũ, qui reuera fecit delictum, grauissima iniustitia est, illũ punire non probatum nocentẽ. Nam per sortes reuera non probatur nocens, nisi testimonium dæmonis recipiatur, quia sortes per se nullam probabilitatem faciunt, cùm sint merè casuales: & in vtrumque, nocentẽ scilicet, & innocentẽ, possit æquè cadere sors. Deferre autem fidem dæmoni, non solùm sacrilegium est, sed etiam in eo casu est iniustum, quia E mendax est, & magis appetit malum inferre innocentibus, quã malefactoribus. Et ita ad hoc genus sortiũ pertinet duellũ ad veritatem occultã manifestãdam, nam præter malitiã sortium continet iniustitiã respectu proximi, & peccatũ contra charitatẽ respectu sui. De quo latè Caier. d. art. 8. & Mart. del Rio lib. 4. c. 4. q. 3. & seq. Vbi de superstitiosis purgationibus etiam differit, de quibus supra diximus, quia pertinere etiã possunt ad tentationem Dei. Denique eadem ratio est de omnibus sortibus, quæ ad aliquid agendum ordinantur, in quo inest periculum grauis nocumenti vel sui, vel proximi in fama, honore, fortunis, aut vita.

Caietan. Delrio.

30. Impia aliquorum excusatio.

Nec verò, qui his vtuntur excusari possunt dicendo se expectare à Deo dirigendas esse sortes, quia ipse A est, qui temperat illas, Prouerb. 16. falsa enim est, & vana excusatio, quia Deus non semper temperat dirigendo, sed sæpius permittendo, nec talem directionem promisit, nec ordinarij euentus aliud ostendunt. Dixerunt verò quidam, in anima humana esse sufficientem potestatem ad sortes dirigendas, obseruata cæli constellatione, quod referri solet ex Agrippa lib. 2. Philosophic. c. 4. Sed illa philosophia non solùm vana, sed diabolica, & superstitiosa est, quia & inuoluit superstitionem iudiciariæ Astrologiæ, & addit nouam sortilegiorum. Vnde etiam potest anima humana talem potestatem sibi arrogare, nisi ex dæmonis suggestione, ac deceptione? Est ergo eadem ratio de hoc diuinationis genere, quæ de auguriis, & similibus.

Agrip.

CAPVT XIII.

Quando Diuinatio per somnia, superstitiosa sit.

1. Quid sit somnium.

PRincipio supponendum est, somnium appellari imaginariam visionem, seu apprehensionem, quæ in sensu interiori fit tempore somni, quando exteriores sensus sopiti sunt, vt videre licet apud Arist. lib. de somniis. Soletque variis nominibus appellari, dicitur enim somnium, & insomnium, visum, phantasma, & interdum etiam oraculũ, quas voces accuratè distinguit Auctor lib. de Spir. & anima cap. 25. inter opera August. tom. 3. Tamen reuera idem sunt præter nomẽ oraculũ, quod ad diuina insomnia magis applicatur, imò de se omnem diuinam propheriam etiam extra somnum factam solet significare. Hic ergo iuxta subiectam materiam priores quatuor voces pro eadem accipimus. Non pertinet autem ad præsens institutũ philosophicam materiam de somniis tractare, sed solùm quæ necessaria fuerint ad explicandũ, quale peccatum misceri possit in adhibenda fide insomniis. Agimus ergo de somniis, quatenus nobis significare possunt aliquid esse futurum, vel factum esse, vel fieri in distãti, vel occulto loco, vel quolibet alio occulto modo. Tripliciter autem intelligi potest per somniũ aliquid huiusmodi significari, scilicet vel tanquam per causam, vel tanquam per effectum, vel tanquam per signum, & quasi per locutionem quandam.

Arist.

Tripliciter aliquid potest intelligi per somnium significari.

Primus modus significandi, aut colligendi ex somnio tanquam ex causa, vix potest habere locum, aut esse alicuius momenti, nec esse in vsu, nisi adiunctis aliis superstitionibus, vel coniecturis. Quia somnium, vel quod in eo cogitatur, aut apprehenditur, præter speciem, & memoriã sui, quam relinquit, non potest in homine habere aliquem effectũ, qui ex illo postea sit ex necessitate euenturus, sed ad summũ, mediante apprehensione illius, seu recordatione, quæ in vigilia fit, potest esse occasio, vel ratio operãdi aliquid, quod ab homine non necessario, sed liberè fit, si rationis vsum habet, vt constat. Et hoc satis indicauit D. Tho. dicta q. 95. art. 6. dicens, *somnia quandoque esse futurorum euentuum causam, cùm mens alicuius solicita ex his, quæ videt insomnijs, inducitur ad aliquid faciendum, vel vitandum.* Constat ergo, talem effectum non posse cognosci in somnio tanquã in causa, nec ab illo, qui passus est somnium, nec ab alio, qui de illo notitiam habuit. Quia talis causa nec est efficax ad talem effectum, nec determinat hominem, seu voluntatem eius ad illum. Imò ille idem effectus non sequitur, nisi mediante aliqua alia credulitate de re significata per somnium, quæ credulitas voluntaria est, & non necessaria; & adhuc illa posita dispositio de aliquo alio faciendo, vel vitandò libera est, & rarò euenit. Ergo ex somniis tanquam ex causa non solùm accipi non potest certa cognitio futuri effectus, verumetiam nec probabilis coniectura.

2. 1. Modus colligendi ex somnio tanquam ex causa impugnatur.

D. Thom.

Nec potest aliquis in hoc peccare, aut errare saltem 3.

quoad iudicium certum ferendum de futuro euentu, nisi vel reducendo illum ad aliquam constellationem cælestem, vel ad aliquam occultam significationem; & sic iam non est cognitio in somnio tanquã in causa, sed tanquam in effectu, vel tanquam in signo, & inuoluit, vel errorem Astrologiæ iudiciariæ, vel dæmoniacæ superstitionis, vt ex dicendis constabit. At verò si solùm fieret coniectura, non esset tantus error, tamen si ex solo somnio fieret, satis vana, & ridicula esset coniectatio, vt ex dictis patet, si tamen vltra somnium considerentur dispositio, & complexio personę, & fortis eius apprehensio, & facilitas in credendo, vel timendo, aut deliberando, posset fieri probabiliter, & sine peccato talis coniectura, præsertim si fieret ad præueniendum, ne talis effectus homini nociuus consequeretur. Neque de hac prima consideratione somniorum aliquid amplius aut D. Thom. aut Doctores docuerunt, nec videtur necessarium.

4. Secunda cõsideratio somnij prout effectus est, & significat causam. *Gregor. Isidor.*

Secundò potest insomnium considerari, vt effectus, qui solet esse signum suæ causæ, quæ significatio naturalis est, & de se bona. Sciendum autem est, varias esse somniorum causas. Nam Greg. lib. 4. Dialog. c. 48. lib. 8. Moral. c. 13. aliàs 18. sex enumerat, eúmque imitatur Isidor. lib. 3. Sentent. ca. 6. Illæ autem causæ sunt ventris repletio, vel inanitas, cogitatio præcedens, dæmonis illusio sola, vel illusio cum cogitatione permista, seu ex illa occasionem sumens, diuina reuelatio sola, vel cum cogitatione mista. At Greg. Nysse. lib. de hominis opific. cap. 13. primas tantùm duas causas somniorum ponit, quas latè, & optimè declarat; de dæmone verò nihil dicit, diuinas autem visiones, quæ inter dormiendum fiunt, non tamvult vocari somnia; quàm visa diuina in somno. D. Tho. autem dicto art. 6. aliter has causas enumerat, sed ferè in idem redit, licet aliquas addere videatur. Primùm enim has causas distinguit in internas & externas, & internas dicit esse duas, scilicet animalem & corporalem, quæ coincidunt cum duabus primis à Greg, positis, nam animalis dicitur esse cogitatio præcedens, corporalis dispositio aliqua, vel temperamentum corporis, quod significauit Gregor. nomine impletionis & inanitionis, quia frequentiùs ex actuali dispositione, qua corpus afficitur per cibum & potum, & ex actione illorum, & ex vaporibus, qui ad caput inde ascendunt, solent somnia ex parte corporis excitari. Sub causis extrinsecis videtur D. Tho. quatuor causas numerare, duas spirituales, scilicet Deum, & dæmonem, quas sub nomine reuelationis, & illusionis Greg. posuit, & duas corporales, scilicet elementa, ea præsertim, quæ nos circunstant, & cælum, quas D. Gregorius omisit, quia fortasse hæ causæ nonnisi media corporis humani alteratione, & immutando temperamentum, vel dispositionem eius causæ sunt somniorum, & ita sub prima causa repletionis, & inanitatis corporis videtur Gregorius has omnes causas comprehendisse, eásque optimè discernit, & variis exemplis declarat D. Tho verò è conuerso causas illas mistas, quas Gregor. posuit, omisit, quia sub simplicibus virtute continentur, & multis aliis modis possunt causæ illæ misceri ad somnia generãda, & ita plura alia membra numerari possent, quod nunc necessarium non est.

Greg. Nyss. *D. Thom.* *Gregor.*

5. Varia somniorum nomina ab eorum causis desumpta.

Solùm est ad vsum vocum vlteriùs obseruandum, somnia illa, quæ proueniunt ex intrinseca causa corporis, vel etiam ab extrinseca corporali solere, naturalia vocari, quia omnes illæ causæ naturales sunt, & naturaliter operantur, illa verò quæ sunt ex præcedenti cogitatione, vocari animalia, vel moralia, quia in moribus, & cognitionis actibus habent fundamẽtum; alia verò dicuntur diuina, seu oracula, quæ à Deo immittuntur, alia verò, quæ sunt à dæmone, dæmoniaca dicuntur. Cùm autem hæ denominationes à causis sumantur, sicut idem somnium potest à pluribus causis prouenire, ita potest simul esse, & naturale, & animale, &c. Denique animaduertendum est, somnium, vt est effectus quidam, comparari posse vel ad suam causam præcisè, quatenus illam indicat, vel ad alium effectum futurum ab eadem causa ipsiusmet insomnij; nulla enim alia habitudo vtilis ad cognitionem ex tali effectu interuenire hic potest. Nam vt supra dixi, ex effectu tantùm cognosci potest vel causa eius, vel alius effectus futurus ab eadem causa, quando in illa habet sufficientem connexiõnem cum priori effectu.

6. Nõ est malũ per somnia inuestigare eorum causas. *D. Thom. Caiet. Anton.*

Primò igitur certum est, per se non esse malum ex somniis inuestigare causam, vel causas eorum, imò potest esse bonum, & vtile, & interdum necessarium. Ita docent D. Thom. Caiet. & omnes de hac matetiã scribentes in 2.2. & Anton. 2. p. tit. 12. c. 1. Estque manifestum. Primò quia ex effectu, & conditionibus eius per se malum non est, causam inuestigare, nisi ex intentione operantis, vel aliunde malitia adiungatur, quod est per accidens. Secundò quia somnia ipsa varia sunt, quam varietatem sine dubio à suis causis accipiunt, ergo ad reddendam rationem illius varietatis, necessarium est, causam vnicuique somnio proportionatam inquirere, quod est per effectum quærere causam: quærere autem huiusmodi rationem, bonũ est per se loquendo, & interdum necessariũ, vel vtile ad vitam humanam, vt videbimus, ergo. Tertiò hoc ostendit vsus medicorum: illi enim ex qualitatibus somniorum coniectare solent de humoribus corporis, de prædominio, vel abundãtia alicuius, & de qualitate temperamenti, vt constat ex Arist. lib. de Diuin. per somnia, Hippocrate lib. 6. Epidemiorum, & lib. de Insomniis, & Galeno lib. de Præsagio ex insomniis, & lib. 3. de locis malè effectis cap. 4. Idem etiam ostendit vsus Patrum, & Theologorum, nam quia insomnium potest esse à Deo vel à Dæmone, docent ex conditionibus somnij inuestigare & coniectare, à qua ex illis causis fuerit profectũ, vel an à neutra earum, sed fortasse ex aliqua præterita cogitatione, vel si non ab illa, an à causa naturali, & quænam illa sit. Itaque tota hæc coniectatio de se licita est.

Arist. Hippocr. Galen.

7. Ex somniis difficile est cognoscere eorum causam. *Gregor. Isidor.*

Dico verò secundò, hanc coniectationem ex somniis adeò esse tenuem, & difficilem, vt vix possit probabilis cognitio causæ propriæ ex tali effectu comparari, nisi adiunctis multis aliis circunstantiis, vel naturalibus, vel moralibus, vel supernaturalibus. Hãc veritatem affirmãt, & probant optimè Greg. & Isido. suprà. *Sed nimirum* (inquit Gregor.) *cùm somnia tot rerum qualitatibus alternent, tantò eis credi difficilius debet, quantò, & ex quo impulsu veniant, facilius non eluceat.* Isidor. verò ait. *Facilè credi somniis non opus est, quia diuersis imaginationum qualitatibus oriuntur, & vnde veniant, rarò consideratur.* Ratio itaque assertionis est, quia causæ somniorũ variæ sunt, vt vidimus, & nullũ est somnium, quod ab vna causa proficiscatur, quod illam necessario requirat; nam (vt Caiet. bene notauit) saltem dæmon potest se ingerere, & applicando actiua passiuis facere, vt excitẽtur somnia, quæ ab humoribus, vel aliũde possunt prouenire. Et licèt Deus possit in somnio in intellectum immittere aliquam cogitationem immediatè, quod non potest facere dæmon, tamen si illa cogitatio sit per modum somnij, id est, cum conuersione ad phantasmata, nunquam ex solo somnio cognosci poterit sufficienter, Deũ fuisse causam eius, quia similia phantasmata possent virtute dæmonis applicari & excitari. Solùm ergo somniũ nunquam est sufficiens signũ suæ causæ determinatæ.

Caiet.

8. Ostenditur prædicta difficultas discurrẽdo per causas.

Denique hoc clariùs constabit, discurrendo breuiter per singulas causas supra enumeratas. Et quidẽ prima causa, quæ est dispositio corporis, & temperamentum,

mentum, ac humores redundantes, &c. negari non po teſt, quin ſaltem in ſuo genere multum conferat, vt medici, & philoſophi docent, & experientia indicat. Et ratio eſt quia motus phantaſiæ inter dormiendum, aliquam mutationem obiectiuam præſupponunt, quæ ab humoribus mediis ſpiritibus animalibus fit, & ideò veriſimile eſt, eſſe proportionatam diſpoſitioni corporis, & humorum. Sic ergo è conuerſo poteſt talis cauſa ex qualitate ſomnij coniectari, vt medici faciunt: *Quia ſecundum morborum diſcrimina* (ait Nyſſen. ſuprà) *ſomniorum etiam ſpecies diuerſas ægris accidere affirmant. Alias nimirum his, qui ſtomachi vitio laborant, alias, quibus cerebri membranæ ſunt læſæ, alias febri correptis, alias iis, in quibus nimius humor fit bilis; alias, quibus pituita fit moleſta, &c.* Et ita læta ſomnia indicant abundantiam ſanguinis triſtia melancholiæ: oneroſa, & timida, pituitæ: bellicoſa, bilis. Sic etiam ait Nyſſen. *qui ſitiunt, ad fontes ſe eſſe ſomniant, qui eſuriunt in conuiuiis, adoleſcens per ætatem laſciuiens, concentanea libidini ſuæ imaginantur.* Conſtat igitur has cauſas naturales eſſe accommodatas his effectibus, & per illos non improbabiliter ſignificari. Tamen incertum ſemper eſt indicium, quia ſimilia ſomnia poſſunt prouenire ex aliqua præcedenti cogitatione vel affectione, etiamſi corpus illis humoribus non abundet, vt qui flores, roſas, muſicam, &c. in vigilia deſiderat, facilè de his ſomniat, etiamſi non multo ſanguine abundet. Item licet aliquis atra bili non abundet, ſomniat triſtia, ſi per occaſionem triſtis in vigilia fuit. Vltra hoc dæm poteſt ſimilia ſomnia procurare abſque ſimilibus materialibus cauſis intrinſecis, aliunde applicando vapores, & alia corpora, quæ ſimilia phantaſmata faciant vel moueant. Ac denique ex actione corporis ambientis, vel influentia cœli poteſt ſomnium variari, ſtante eadem intrinſeca corporis diſpoſitione, nimirum ſi actio ambientis, vel cœli diuerſa ſit. Oportet ergo ad coniectandam diſpoſitionem corporis ex qualitate ſomnij, noſſe, & conſiderare affectus ſomniantis, & conſuetudinem, & præcedentes cogitationes, & cœleſtem conſtellationẽ: ac denique quoad fieri poſſit ex aliis coniecturis obſeruare, an dæmonis induſtria, vel etiam Dei ſpecialis actio interuenerit, de quibus coniecturis paulò poſt dicemus. Cùm autem hæc omnia ſint valdè interna, vel aliàs occulta, & ſæpè ignota, non poteſt ex omnium collatione certa cognitio haberi. Erit autem coniectura probabilis, ſi omnia ritè ſpectentur & conferantur: ex ſolo autem ſomnio tenuiſſima erit coniectura, vt ex ratione facta patet.

Nyſſen.

9. Expenditur 2. cauſa ſomniorum. *Eccleſ. 2.*

Secunda cauſa erat præcedens cogitatio, ſub qua etiam affectio, & frequens conſuetudo comprehenditur. Et de hac etiam non eſt dubium, quin poſſit eſſe ſufficiens cauſa, iuxta illud Eccleſ. 2. *Multas curas ſequuntur ſomnia.* Et ratio eſt, quia cogitatio præcedens relinquit phantaſmata, quæ facilè in ſomno commouentur maximè ſi proximè præceſſit cogitatio; & ſi fuit valdè intenta, vel ſæpius repetita. Vnde rectè dixit Claudi. *Omnia quæ ſenſu voluuntur vota diurno, Tempore nocturno reddit amica quies.* Et Nyſſen. ſuprà in fine; *Quibus* (inquit) *qui aſſueuit diurno ſtudio, eorum in ſomniis etiam, ſimulacra fingit*: Et ad hanc cauſam videtur reducendum illud ſomniorum genus, *quod* (vt ait Nyſſen. ſuprà) *vnicuique pro morum varietate formatur, nam aliæ ſunt hominis fortis, aliæ timidi imaginationes nocturnæ; aliæ temperantis, aliæ intemperantis ſomnia, alia homini auaritia inexplebili, alia liberali per ſomnium obiiciuntur.* Hæc enim omnia media cogitatione prouenire videntur: nam quia homo vigilans cogitationes habet ſuis affectibus accommodatas, ideo ſimilia etiam patitur ſomnia. Si quis autem attentè conſideret, vix ex huiuſmodi ſomniis cognoſcet ſe habuiſſe in vigilia tales cogitationes: nam ſæpè illa ſomniat, quæ non cogitauit vnquam: vel non tam vicino tempore, vt veriſimile ſit, inde fuiſſe excitata in ſomno phantaſmata. Potiùs ergo ſolet in tali coniectura ſupponi aliunde cognitio cauſæ, & tunc per comparationem vtriuſque fit probabilis coniectura, quod tale ſomnium ex tali cauſa proceſſerit. Vt verbi gratia ſomniat quis ſe occidere inimicum, & ſimul recordatur ſe de inimico, vel vindicta in die cogitaſſe, tunc ſanè probabiliter colligit ex tali cognitione manaſſe ſomnium. Et idem eſt de aliis ſimilibus affectionibus.

Refert Lorin Eccleſ. 2. *Claudi. Nyſſen.*

10. Expenditur quinta cauſa, quæ comprehendit vicina elementa.

Tertia cauſa erat Deus, de qua iam dictum eſt, & plura ſtatim dicemus, & de quarta etiam, ſcilicet dæmone. Quinta ergo eſt aër continens, aut aliud ſimile vicinum elementum, de quo clarum eſt, tunc non afficere phantaſiam, quia neque immediatè poteſt, vt per ſe conſtat, neque tunc mouet ſenſus externos, quia ſupponuntur per ſomnum impediri. Solùm ergo poteſt tunc corpus alterare, & ita non niſi remotè, & quaſi per accidens cauſare ſomnia: quapropter ex ſomnij qualitate ad ſummum poterit coniectari, an corpus fuerit calidum, frigidum, humidum, &c. Quòd verò illa diſpoſitio corporis ex circunſtante, vel propinquo elemento euenerit, non poteſt ex ſomnio cum probabilitate colligi, niſi fortè aliunde conſtet, corpus de ſe non fuiſſe ita affectum, nam tunc poteſt cum probabilitate credi à medio, ſeu aëre circunſtante originem duxiſſe.

11. Vltima cauſa, quæ eſt cœlum.

Sexta, & vltima cauſa eſt cœlum, creditur enim influere in phantaſiam, quæ corporea eſt, & organis corporeis immerſa, ac ſubinde poſſe in eam producere varias ſpecies imaginarias, etiam quando ſenſus exteriores ligati ſunt ſomno, & ita poſſe eſſe cauſam ſomniorum. Sed non eſt intelligendum poſſe cœlum directè, & per ſe influere in phantaſiam varias imaginarias ſpecies, ſicut in materia corporali varias formas producit. Quia fieri non poteſt, vt ad phantaſiã ingrediantur nouæ ſpecies imaginariæ, ſeu noua phãtaſmata, niſi per ſenſus externos, quia hæc eſt vnica, & naturalis via acquirendi ſpecies ſenſibiles in ſenſibus internis, ſcilicet per externos. Et ideò impoſſibile eſt, vt virtute cœli imprimatur phantaſiæ ſpecies lucis, aut coloris, quando ſenſus externus nunquam illas percepit ſicut dixit D. Thomas in ſimili 1. p. q. 111. art. 3. in corpore, & ad 2. Vnde (ſecluſa diuina actione poſſibili) inſomnia fieri non poſſunt, niſi excitando phantaſmata præcedentia, quæ in memoria conſeruantur, & poſteà in ſomno mouentur, vel ad ſimplices actiones, vel ad varias, & quaſi compoſitas apprehenſiones, & quibus varia ſomnia, & monſtra interdum conſurgunt. Illa autem motio fit partim per alterationem organi phantaſiæ, per quam alterationem magis diſponitur ad vſum talis phantaſmatis, quàm alterius; partim & potiſſimùm per agitationem ſpirituum animaliũ, in quibus imagines earundem rerum ſenſatarum deferuntur, & applicantur phantaſiæ, eámque ad operandum per ſimilia phantaſmata excitant. Quæ omnia ex philoſophia conſtãt. Cœlum ergo non poteſt eſſe cauſa ſomniorũ imprimendo imagines, vel phantaſmata interno ſenſui, ſed ad ſummum alterãdo per influentiam ſuam hoc, vel illo modo humores corporis, & ipſoſmet ſpiritus animales, (corporei enim ſunt, & influentiæ cœleſti ſubiacent,) & ipſum cerebrum, ac organum phantaſiæ. Atque hinc fit, vt nec ex ſolo aſpectu cœli, & ſiderum colligi poſſit, quale fuerit ſomnium, neque ex ſola qualitate ſomnij cognoſci poſſit, à qua cœli influentia proceſſerit. Et ratio vtriuſque eſt, quia cœlum non eſt immediata cauſa ſomnij, vnde nõ per ſe neceſſitat

phantasiam ad hanc, vel illam apprehensionem, sed solùm mediis: humoribus corporis, & potentiis, & organis, quæ alterat, & mouet. Hæc autem alteratio non est semper ab eodem aspectu cœli, sed accommodatur materiæ, & dispositioni eius; & ita varia est iuxta varietatem humorum, & temperamenti: ergo ad coniectandam causam cœlestem somnij ex ipsomet somnio, oportet præcognoscere corporis somniantis dispositionem, qualitatem humorum, & copiam, & alia, quæ difficillimè cognoscuntur à nobis: ergo coniectatio huius causæ est tenuissima, & vix ad probabilitatem peruenit. Præsertim quia ipsa virtus stellarum occulta nobis est; nam licet de vna, vel altera obseruatum sit an bilem flauam, vel atram generet, aut sanguinem; tamen quælibet potest ab aliis occurrentibus impediri, & ita valde incerta redditur influentia, vt supra cap. 11. dictum est latiùs. Ita ergo hæc coniectatio causarum somniorum ex ipsismet somniis tantùm, vt ex effectibus, incertissima est.

12. Non posse ex somnio tanquam ex effectu cognoscere alium effectum futurum. *Caietan.*

Hinc dico tertiò, impossibile esse homini, ex somnio tanquam ex puro effectu cognoscere alium effectum futurum, vel naturalem cum certitudine, vel contingentem ad vtrumlibet, vel liberum vllo modo. Hanc assertionem sumo ex Caiet. art. 6. quam multis verbis, satisque obscuris ibi proponit. Declaratur autem prima pars; nam si ex somnio vt ex effectu posset cognosci alius effectus futurus, solùm esset, quia haberent connexionem in vna causa communi, vt D. Thomas ibi dixit, nam alius modus cogitari non potest, vt sæpe dictum est, at illud medium valde incertum est, quia ipsa cognitio causæ per talem effectum, scilicet somnium incerta valde est, vt ostendimus, ergo multò magis incerta erit coniectatio alterius effectus in tali causa communi. Declaratur præterea, quia hoc genus coniectationis non habet propriè locum in somnio animali, nec in diuino, vel dæmoniaco. Nam in somnio animali causa est præcedens cogitatio, vel affectio, quæ causa, & incerta est respectu ipsiusmet somni, & de se non habet alium determinatum effectum futurum, qui ex illa, vel necessariò, vel vt in plurimum nascatur. Quid enim cogitari potest? Præsertim cùm præterita cogitatio possit, vel non habere ordinem ad sequentem operationem, vel effectum, vel esse adeò leuis, & transiens, vt vix ad effectum alium incitet, nedum cogat. De diuino autem somnio, & dæmoniaco id clarius est; quia causæ illorum sunt liberæ; vnde licèt somnium effectiue, non est necesse, vt sint determinatæ ad aliquos alios effectus faciendos. Et quamuis essent, non posset id colligi ex solo somnio, vt effectus est: nam vt signum nunc non consideratur. Solùm ergo supersunt causæ naturales somnij, ex quibus illa, quæ intrinseca est, habere facilè potest aliquem naturalem effectum communem cum somnio, vt verbi gratia si somnium indicat atram bilem, ex illo coniectari potest, talem personam passuram esse tristem apprehensionem, si verò persona est infirma, & somnium indicat repletionem humorum, coniectari inde potest ægritudinem fore grauem, vel indigere inedia, aut alia euacuatione, & similia. Et istæ naturales indicationes, & præsagia sine dubio sunt licita, & de his maximè videtur loqui D. Thomas. *D. Thom.* Quam verò sint incerta, à fortiori patet ex dictis in præcedenti conclusione, quia additur coniectatio alterius effectus ex tali causa, quæ habet suam peculiarem incertitudinem, & obscuritatem, vt constat. Aliæ verò causæ naturales sunt extrinsecæ, scilicet elementaris, & cœlestis. De priori nihil est, quod dicamus, quia vix potest cogitari effectus, quem habeat commune cum somnio præter similem alterationem, qualem diximus potuisse dare occasionem, vel materiam somniandi, hoc vel illud, cognoscere autè illum effectũ, nihil noui est.

D. Thom.

In cœlesti ergo causa fieri solet maior vis, & propter illam præcipuè hoc disputatur, vt Caietanus etiam in suo commentario art. 6. supponere videtur: nam totam doctrinam ad hanc causam dirigit. Hi enim, qui nimiùm de influentia astrorum, & de arte iudiciaria confidunt, mediante illa putant posse multa futura cognosci ex indicio somniorum, quia somnium indicat constellationem, & influentiam cœlestem, qualis sit, & per illam putant posse cognosci, quid futurum sit. Verumtamen hæc cognitio etiam in ordine ad effectus naturales incertissima est, vixque potest gradũ probabilitatis attingere. Tum quia ex vi somnij solius constellatio cœlestis, tenuissimè, & obscurissimè indicatur. Tum etiam quia licèt aliquo modo indicetur, non tamen plenè, neque cum concursu omnium astrorum quæ esse possunt. Contingere enim potest, vt occurrant aliqua, quæ licet non impediãt effectum somnij propter materiæ qualitatem, impediant alium propter alias circunstantias. Tum præterea quia, licèt tempore somnij fuerit talis constellatio, nescitur quantum duratura sit, imò certum est, statim variari, & mutari astrorum aspectum, & distantiam, iam inter se, quàm à tali, vel tali loco terræ, præterquam quòd statim oriuntur nouæ stellæ, quæ possunt effectum impedire, vel alium inducere. Tum denique quia suprà ostensum est, quàm sit tenuis, & incerta influentiarum cœlestium cognitio, etiam directè obseruata, & inquisita, qualis ergo erit adumbrata solùm per indicia somniorum? Vnde tandem fit, quòd si talis coniectatio sit de effectibus liberis, aut merè casualibus, vel aliàs omninò occultis, non solùm sit incerta, sed etiam prorsus vana, & inutilis, quia propter omnia dicta habet indeterminationem, & occultationem à causis proximis, & præterea tales sunt hi effectus, vt ad illos influentia per se non attingat.

13. *Gratian.* Quidam putant posse futura cognosci ex sõnio, quòd somnium indicat influẽtiam cœli.

Ex somnio constellatio cœli obscurè cognoscitur.

Atque his tandem vltimò concluditur, in hoc genere diuinationis naturalis (ita enim illam voco, quia ex naturali effectu, vt talis est, ad inuestigandum naturalem effectum procedit) per se loquendo non esse peccatum superstitionis, si intra discursum, & inquisitionem ex effectu semper contineatur, vt D. Thom. & omnes docent. Quia in hoc genere inuestigationis nec pactum cum dæmone inuenitur, nec moralis occasio eius; & ita nulla fit irreuerentia Dei; neque aliunde habet talis actio aliquid contra Religionem: imò neque contra aliam virtutem inordinationem continet per se loquendo, quia non excedit limites philosophiæ naturalis. Quòd si quis in hoc genere nimiùm credat suis discursibus, & diuinationibus philosophicis, aut medicis, & nimis constanter, ac confidenter affirmet, credat, & prædicet, quod coniectat fundatus solùm in discursu ex effectu, peccare quidem poterit contra prouidentiam, & studiositatem, ac modestiam, & interdum etiam contra charitatem, iustitiam, aut similem virtutem, si talem cognitionem temerè ad aliquid operandum applicat cum graui periculo alicuius nocumenti proprij, vel proximi. Tamen ex vi illius excessus non peccabit contra Religionem, quia totum illud negotium non versatur in materia Religionis. At verò si diuinatio transgrediatur terminos naturalium effectuũ, & transeat ad liberos, eos cum certitudine, vel nimis absolutè prædicendo, iam cõmittitur superstitio, quæ ordinariè videtur esse eiusdẽ rationis cum diuinatione ex astris, nisi aliud pactum expressum cum dæmonibus intercedat; vt ex dictis satis patere potest, applicando discursus, & rationes in superioribus factas.

14. In hac diuinatione non datur peccatum superstitionis, si solùm tendat ad effectus naturales. *D. Thom.*

Datur tamen si effectus liberos inquirat.

Tertio loco dicendum est de vsu somniorum, non vt effectus tantùm, sed vt signa, & quasi voces interdum

15.

Expenditur vsus somniorum, prout signa sunt.

dum sunt. Non est enim dubium, quin apprehendantur in somniis aliqua, quæ aliquos effectus futuros, vel occultos significant, non vt effectus, quia nec sunt, nec creduntur esse causæ talium effectuum, nec habent cum illis aliquam connexionē in causa communi, sed apprehenduntur, vel formantur tantùm vt signa imposita; vel data ad tale quid significandum. Solent autem hæc signa dari interdum per modum expressæ locutionis per conceptus aliquarum vocum, quæ ita formantur in phantasia dormientis, ac si ea per auditum corporis audiret, qui modus videtur esse

Num. 12. *Matth.* 1. frequens in diuinis somniis, iuxta illud Num. 12. *Si fuerit Propheta inter vos, per somnium loquar ad eum.* Et hoc modo videtur facta locutio ad Ioseph, & Magos dormientes Matth. 1. & 2. Dæmon etiam potest hoc modo loqui in somniis, quia sicut potest applicare phantasmata rerum, ita etiam vocum, concitando spiritus, & humores, & applicando illos modo accommodato ad illum effectum.

16. De somniis quæ fiunt per imagines rerum significatarum. *Genes.* 31.

Aliquando verò immittuntur hæc somnia significantia per apprehensiones visionum quarundam, quæ sint veluti imagines rerum per eas significatarum. Et hæ imagines possunt etiam esse in duplici differentia. Quædam enim sunt veluti imagines propriæ, & formales rerum, quas significant, vt Genes. 31. vidit in somniis Iacob *ascendentes mares super oues fœminas, varios, & maculosos, & diuersorum colorum.* Quæ visio significabat id ipsum, quod euenturum erat Iacob, vt oues parerent varios fœtus, quibus ipse ditaretur, sicut Angelus in eodem somno illi apertè declarauit.

Duplex imaginum genus.

Actor. 16. Simile fuisse videtur somnium Pauli Act. 16. quando noctu vidit hominem Macedonem deprecantem illum, vt in Macedoniam transiret. Simile fuisse creditur somnium Theodosij, quando præuidit, coronam imperij sibi imponi à Meletio Antiochiæ Episcopo,

Theodor. vt refert Theod. lib. 5. Histor. cap. 6. & 7. Aliæ verò sunt imagines in somno ostensæ, quæ tantùm metaphoricè, seu per analogiam quandam, & tropum significant: & hæc insomnia sunt frequentia in Scriptura, vt Genes. 28. de Iacob qui scalam vidit in somno, & cap. 37. de somniis Ioseph Manipulorum, &

Genes. 28. & 37. Solis, Lunæ, ac Stellarum, & cap. 40. de somno pincernæ, & magistri pistorum Pharaonis, quorum alter somniauit, se vuas exprimere, & dare poculum Pharaoni, alter vidit in somnio tria canistra, &c. & c. 41. de somniis Pharaonis, de septem bobus, & de septem spicis. Et de statua Nabuchodonosor. Daniel. 2. & de arbore magna, &c. Daniel. 4. & de quatuor ventis, &

Daniel. 2. & 4. *Daniel.* 7. bestiis quatuor, eiusdem Daniel. cap. 7. Tale etiam videtur fuisse somnium Polycarpi, de quo refert Eusebius lib. 4. histor. c. 14. triduo ante martyrium suum in somniis vidisse cervical flāma accendi, atque consumi. Vterque autem modus somniorum huiusmodi potest facilè per naturalem virtutem Angeli immitti, quia illa omnia repræsentātur per phantasmata priùs sensibus perceptā, & spiritibus animalibus inhærentia, quæ per motum localem applicari possunt, & ita componi, vt huiusmodi faciāt repræsentationes tam proprias, quàm symbolicas, vt constat ex doctrina

D. Thom. August. D. Thom. 1. p. q. 111. art. 3. Et ex Aug. 12. Genes. ad lit. cap. 13. & 14. Solet autem esse discrimen inter hæc duo vltima somniorum genera, quòd quando somnium est per imagines proprias, facilè intelligitur significatio eius, in quo conuenit cum somnio, quòd per apertam locutionem percipitur; & sic Theodosius facilè intellexit somnium supra narratum. At verò quando somnium est per tropum, & figuram, sæpè non intelligitur à somniante, vt de Pharaone & aliis constat: nisi etiam tam similis sit analogia, & cum talibus circunstantiis, vt facillimè percipiatur, sicut in casu Polycarpi videre licet.

Assignatur discrimen inter hæc duo genera somniorum.

A Deinde statuendum est, hæc somnia nec animalia esse, nec naturalia esse posse. Prior pars constat, quia licèt somnium proueniat à præcedenti cognitione, vel affectu non potest inde participare aliam significationem, præter eam naturalem, quam habet, vt effectus quidam est, non potest autem inde habere specialem habitudinem, vel quasi impositionem ad aliquid aliud significandum, vt per se notum videtur. Et eadem ferè ratione potest probari altera pars, quia naturales causæ, siue intrinsecæ, siue extrinsecæ, siue elementa, siue cœlum, & astra non habent vim ad tale signum imprimendum, vt signum peculiare, & ad placitum significans, hoc enim est proprium alicuius motoris intellectualis, qui per talia signa in-

B dicare velit mentem suam, vel aliquid aliud. Quocirca manifestè errarunt Prothagoras, & alij Stoici, qui dixerunt, nulla esse somnia, quæ non aliquid significent, & ideò nulla esse negligenda, vel contemnenda. Nam illud prius falsum apertè est in somniis merè naturalibus, vel animalibus. Hoc autem posterius non est etiam in vniuersum verum, vt dicemus. Somnia ergo hæc, quæ vt signa quædam immittuntur necesse est, vt ab aliqua superiori mente, & intelligentia proueniant: sunt enim veluti locutiones quædam mentales, seu imaginariæ, quæ ab ipsomet somniante fieri non possunt, tum quia non vtitur tunc ratione, tum quia ordinariè sunt de rebus sibi ignotis, &

C occultis. Nec etiam possunt fieri ab alio homine, vt per se patet, ergo oportet, vt proueniant ab aliquo extrinseco spiritu.

17. Hæc somnia nec animalia, nec naturalia esse possunt.

Explicandum verò superest, à quo spiritu sint: Nam in hoc errarunt Epicurei, qui (vt refert Tertul. lib. de Anima, cap. 46.) nulla somnia immitti à vero Deo affirmabant, quia prouidentiam Dei negabant. Nec videtur ab hac sententia alienus Arist. in lib. de diuinat. per somnium, negat enim, Deum esse causam somniorum. Aliqui verò eum exponunt, quòd non dixerit, nulla somnia esse à Deo, sed non omnia esse illi tribuenda. Vnde Tertul. supra sic de Arist. scribit: *Aristoteles maiore sententiam mendacio recusans agnoscit & verum*, id est, cùm priùs videatur generali sententia mendacium profiteri negando esse à Deo somnia, postea veritatem agnoscit: fatetur enim, aliqua

D somnia habere superiorem, & occultam causam, vel, vt Pamelius illa verba exponit, licèt Aristoteles senserit, somnia maiori ex parte esse mendacia, tamen in aliquibus veritatem agnoscit. Et hinc colligit ipse Pamelius, sensisse Aristotelem, non omnia somnia esse à Deo, non verò dixisse, nulla esse à Deo. Sed profectò Aristoteles absolutam posuit negationem. Et licèt postea dicat, aliqua somnia esse vera, addit tamen, id esse vel à casu, vel à dæmone. Plato etiam in Sympos. nō agnoscit somnia diuina, sed dæmoniaca; è conuerso verò Hippocrates lib. de insomniis, præter naturalia somnia, ponit diuina; de dæmoniacis autem nihil dixit. Veritas autem Catholica est, hæc

E somnia & à Deo, & à dæmone immitti posse. Sub Deo autem ministros eius Angelos bonos comprehendimus. Et ita diuiduntur ada quarè hæc somnia in diuina & dæmoniaca. De diuinis plenæ sunt Scripturæ, ex quibus iam multa exempla desumpsimus, quæ hanc probant veritatem. Item ex historiis Sanctorum similia somnia diuina referuntur frequenter à Patribus, præsertim à Gregor. in Dialogis. Denique Numer. 12. promisit Deus se locuturum prophetis in somniis. Et Iob 33. de Deo dicitur, *Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines.* Vnde sentit etiam Tertul. supra sæpè huiusmodi somnia vera Ethnicis communicata fuisse à Deo, ex liberali beneficentia propter illorum, vel aliorum commodum. De dæmone verò, quòd possit

18. *Tertul.* Epicureorum error. Quid Arist. in hoc senserit.

Tertul.

Pamel.

Hæc somnia & a Deo & a dæmone possunt immitti.

Greg. *Num.* 12. *Iob.* 33.

Tertul.

talia somnia in dormientibus facere, iam probatum est, & nemo dubitat. Quòd autem multa somnia huiusmodi sint, satis indicauit Sapiens, cùm dixit: *Multos errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in eis.* Eccles. 34. Quod de somniis dæmoniacis, & vanis intelligendum est. Et de eis videtur accipiendum illud Eccles. 1. *Vbi multa sunt somnia, plurima sunt vanitates.* Et illud Ierem. 29. *Ne attendatis, ad somnia vestra, quæ vos somniatis, &c.* Hæc enim dicuntur propter somnia, quæ opera dæmonis credenda proponũtur, vt constat, quæ in Gentilibus fuisse frequentissima, confirmat Tertul. lib. de anima c. 46. & 47. Et hæc distinctio est frequentissima in aliis Patribus. Legi potest August. lib. 12. Genes. ad lit. ferè per totum: & Gregorius Nyssenus lib. de Opificio hominis, Cap. 33. & 34. Et attingit Lactantius lib. de Opificio Dei, cap. 18. Vbi etiam ex Virgilio illam refert eisdem ferè verbis, quibus ex Homero eandem Tertullia. retulit, Videri etiam potest Philo. lib. de insomniis.

Eccles. 34. Eccles. 1. Ierem. 29. Tertul. August. Greg. Nyss. Lactan. Virgil. Philo.

19. Diuinis somniis fides habenda.

Ex hac ergo distinctione, ac doctrina duę sequuntur indubitatæ regulæ. Vna est diuinis somniis fidem adhibere non modo vanum non est, verùm potiùs Sanctum, & necessarium, si de origine somnij satis moraliter constet. Hoc constat exemplis Scripturæ, de Gedeone Iudic. 7. de Daniele locis citatis; & de Sancto Ioseph, & Magis, Matth. 1. & 2. Ratio verò est, quia Deo loquenti fides adhibenda est, parúmque refert, quòd hoc, vel illo modo loquatur, dummodo constet ipsum loqui, sed huiusmodi somnium à Deo immissum, est quædam locutio Dei, iuxta illud: *Per somnium loquar ad eum*, ergo talis credulitas tam necessaria est, sicut fides, quando alia necessaria concurrunt. Duo autem sunt maximè necessaria, vt his somniis fides adhibeatur: vnum est, vt sufficienter constet, illorum auctorem esse Deum, vel bonum Angelum ministrũ eius; quia sicut non creditur prudenter, nisi quod sufficienter proponitur vt reuelatũ à Deo; ita nec somnio fides prudenter datur, nisi aliquo sufficienti modo constet, Deum esse somnij auctorem. Aliud requisitum est, vt significatio somnij patens, & clara sit, vt solet maximè esse in somniis, quæ per expressam locutionem fiunt, vel saltem vt ex circunstantiis, & coniecturis sufficienter innotescat. Aliàs enim si interpretatio somnij ignoratur, (quod maximè locum habet in somniis ænigmaticis) non potest illi adhiberi fides, nimirum vt particulare aliquid significat, sed ad summum in generali credi poterit hoc signum esse verum, & id, quod per illud significatur, re vera esse futurum. Hìc verò interrogari potest, an liceat futurorum, vel occultorum cognitionem desiderare, vel petere per huiusmodi somnia à Deo immissa. Verumtamen hæc interrogatio de quacunque diuina reuelatione fieri potest. Nunc ergo breuiter dicimus per se, ac ordinariè hoc non licere, nisi vrgens necessitas, & honestissima ratio occurrat: vel nisi ex speciali Spiritus sancti instinctu id fiat. Quando autem in hoc peccatur per excessum, magis pertinet tale peccatum ad tentationem Dei profectã ex ambitiosa, ac superba curiositate sciendi occulta diuinæ Sapientiæ, quàm ad superstitionem, de qua nunc tractamus. Poterit tamen tale peccatum ad præsentem speciem reduci, si homo ex tali immoderato affectu se exponat morali periculo, vt dæmon sese ingerat, & transfiguret in Angelum lucis, & ita eum in suam societatem adducat.

Iudic. 7. Matth. 2. & 3.

20. Dæmoniacis somniis fidem adhibere superstitio est. D. Thom.

Secunda regula est: dæmoniacis somniis fidem dare peccatum esse superstitionis, contrarium religioni eo modo, quo aliæ superstitiosæ diuinationes. Ita diuus Thomas, & omnes. Et colligitur ex testimoniis Scripturæ citatis, in quibus huiusmodi somnia damnantur, & credulitas, vel fiducia in eis prohibetur. Idémque sumitur ex cap. *Episcopi* 26. q. 5. Et latè, ac optimè tractat Augustinus suprà, & lib. 8. de ciuitate, c. 16. & sequentibus; & alij Patres suprà allegati. Est autem hoc peccatum manifestum, quando præcedit expressum pactum dæmonis, qui per somnia respondere promisit; vel etiamsi postquam quis somnium vidit, & non intellexit, & ad dæmonem recurrit pro eius interpretatione, sicut faciebat Nabuchodonosor Daniel. 2. & 4. Et ad hoc expressum pactum spectat, vti peculiaribus cæremoniis, vel ante somnum, vel in modo ipso dormiendi, vt sibi per somnia reuelentur occulta: hæc enim spectant ad gentilicos mores, atque adeò ad pacta, & instructionem dæmonum, de quibus legi potest Cælius Rhodig. lib. 27. Lection. antiq. c. 14. Idem denique vitium est, si pactum tacitum intercedat, vt in aliis dictum est; intercedit autem hoc pactum, quoties quis nihil de Deo cogitans, nec rationem habens ad credendũ esse à Deo, illis fidem adhibet. Ratio est superiùs tradita, quia somnia vt talia signa sunt, non sunt signa naturalia, sed ad placitum, vel ex generali impositione, si verba sint, vel ex intentione, aut auctoritate loquentis, si sint alia signa voluntariè assumpta, seu imposita ad aliquid in particulari significandum: ergo cognitio, quæ ex illis accipitur, non est per modum inuentionis, seu naturalis inquisitionis ex effectibus, ergo per modum disciplinæ, in qua discipulus fidem adhibet magistro testificanti, ergo qui sic credit talibus somniis, vult dæmonem habere magistrum, & illi fidem adhibet, & societatem cum eo tacitè profitetur. Probatur hæc vltima consequentia, quia non fundatur in Deo, vel auctoritate eius, vt ostensum est, quia nullum habet indicium eius. Dices; Etiam non habet indicium, quòd sit à dæmone. Respondeo; Eo ipso, quòd non constat, somnium esse à Deo, vel existimandum est, esse merè naturale; quod rationem signi ex impositione significãtis induere non potest, quia vel nullam habet, vel si contingat aliquam habere, erit merè casualis, nullamque potest per se habere auctoritatem, vt ei credatur: vel certè, si accipitur vt signum datum ab aliquo alio intelligente, & superiori, necesse est, vt vel expresè, vel tacitè dæmoniacum sit.

Cap. Episcopi. August. Daniel. 2. & 4. Rhodig. Obiectioni respondetur.

Tota verò huius negotij obscuritas, & difficultas est in discernendo, & diiudicando, An somnium sit à Deo, nécne? In quo in primis admonent omnes Patres citati, non satis esse ad credendum talia somnia esse à Deo, quòd experimento aliquo sit cognitum, sæpe fuisse vera, seu habuisse euentum significationi conformem: quia (vt suprà dicebamus) consuetudo dæmonis est, sæpius vera dicere, vt semel fallat, & in re aliqua maioris momenti decipiat. Et similiter non satis est, quòd somnia esse videantur de rebus vtilibus, vel ad humanam vitam, vel ad vitandũ aliquod malum imminens, quia hoc modo solet dæmon homines attrahere, & beneuolentiam eorum captare, vt benè obseruat D. Thom. 2. 2. q. 172. art. 6. Et sumitur ex Chrysost. homil. 19. Imperf. & Augustino lib. 2. de doctrina Christia. cap. 19. & sequent. Vbi adducit illud Deuter. cap. 13. *Etiamsi dixerint vobis, & ita euenerit, non credatis eis.* Imò nec satis est, quòd somnia sint de bonis actibus, & honestis, ita vt ad illos inclinare, & inducere videantur, quia hoc etiam modo solet Sathanas transfigurare se in Angelum lucis. Quare non est etiam sufficiens signum diuini somnij, quod futura contingentia verè significet, vel internas cogitationes, vel aliqua mysteria fidei. Nam vt in aliis signis suprà diximus, ferè hæc omnia potest aliquo modo interdum docere dæmon, scilicet futura contingentia ex coniecturis, vel quia ipse ad illa cooperatur, & inde euenit, vt possit sæpè verũ dicere, licet non semper. Atque eodem modo cogitationes alterius,

21. Difficile est discernere, vtrùm somnium sit à Deo. D. Thom. Chrysost. August. Deut. 13.

alterius, vel effectus indicat. At mysteria fidei per intelligentiam Scripturæ cognoscere potest, vel per reuelationem bonorum Angelorum vt ait D. Thom. 2. 2. quæst. 172. art. 6. ad 1. cum August. 12. Genes. ad lit. cap. 19. Tunc ergo dæmon interdum vera docet hominem in vno mysterio, vt in altero fallat, & ita in errorem, vel hæresim illum inducat. Hæc ergo signa, licèt iuuare possint, tamen ambigua sunt, nisi aliqua addantur.

D. Thom. August.

22. *Quædam in somnio obseruanda, vt cognoscatur à quo sit.*

Possunt ergo ad hanc differentiam coniectandam obseruari in primis, quæ in ipso somnio inter dormiendum accidunt, & tunc quando illa sunt turpia, obscœna & inhonesta, signum est, non esse somnium à Deo; potest autem interdum esse naturale, vel animale, iuxta somniantis aut temperamentum, aut mores. Si tamen eorum de rata personæ conditione, veri B similius apparet, non habuisse somnium in tali homine huiusmodi causas, signum ferè euidens est, esse à dæmone, vt sensit Iustin. Martyr in Respons. ad qu. 21, & Theonas apud Cassianum collat. 22. cap. 6. Sed hoc indicium magis spectat ad somnia moralia, vt sic dicam, quàm ad diuinatiua, de quibus nunc agimus. Sic etiam ex contrariis effectibus coniectare licet. Nam si somnium sit suaue, & de re speciali, & animum relinquat deuotum, seu bene dispositum ad deuotionem, indicium est, esse à bono Angelo, vel Spiritu sancto præparante animam ad officium virtutis per illuminationem aliquam, & bonam affectionem & spiritualem suauitatem, & humilem, atque deuotam, quam post se relinquit, vt tractat Greg. suprà & attigit Aug. 6. confes. Secundò obseruari debet materia somnij; C nam si inducit ad aliquid malum, clarum signum est, non esse à Deo: idemque est, si nihil aliud, quàm vanam curiositatem, vel elationem, & affectum æstimationis apud alios fouere videatur, quia Deus non est auctor harum vanitatum, nec sine magna causa, & ratione homines modo extraordinario docet, & illuminat. At verò è contrario quando materia non apparet Deo improportionata, & indicatio per somnium potest habere vtilitatem honestam, vel publicam, vel priuatam, tunc aliquod indicium est, esse à Deo, non tamen est per se sufficiens, vt ex dictis constat & notant expresè Tertul. Greg. & Isidor. supra.

Greg. August.

Iust. Theonas. Cassian.

Materia somnij obseruanda est.

Tertull. Gregor. Isidor.

23. *Circunstantiæ somnij considerandæ sunt.*

Tertiò considerandi sunt alij effectus, & circunstantiæ, non solùm quę in ipso somnio acciderunt, sed quę postea etiã relinquuntur. Est enim aduertendum, licet reuelatio in somniis quoad apprehensionẽ percipiatur durante somno, iudicium nihilominùs de qualitate somnij, & de veritate per illud præcepta, nõ fieri in ipso somno, sed postea in vigilia. Quod intelligo de proprio somnio, quod fit in phantasia, nam si inter dormiendũ Deus eleuet mentem ad intelligendum, & perfecta ratione vtendum sine dependentia à phantasmatibus, vt facilè potest; tunc in ipso somno fiet perfectum iudiciũ, & modus ipse percipiendi reuelationem, est sufficiens signum Dei loquentis, quia non potest dæmon ita illabi in animam, nec ita eleuare dormientem ad intelligendum. Tunc autem maximè locum habet, quod Nyssenus dixit, talem reuelationem non rectè inter somnia computari, nisi velimus omnes diuinas apparitiones somnia appellare. E Est ergo, Ecstasis, vt dicemus infrà lib. 2. de Orat. vel prophetica reuelatio altioris ordinis non somnium. Quando ergo est proprium somnium, non iudicatur de illo in somno, sed postea in vigilia iuxta doctrinam D. Tho. 1. p. q. 84. art. 8. & q. 94. art. 4. & 12. de verit. art. 2. ad 1. & 2. & qu. 28. art. 3. ad 6. Atque ita Iacob, cum inter dormiendum vidisset scalam Gen. 28. cum euigilasset de somno dixit: *Verè Deus est in loco isto, & ego nesciebam.* Et de Petro dicitur Act. 12. quod *ad se reuersus dixit: Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, &c.* Videtur enim prius non perfectè euigilasse. Itaque iudicium de qualitate, veritate, & origine somnij in vigilia ferri debet.

Nyssen.

De somnio nõ rectè iudicatur, in somnio. D. Thom. Gen. 28.

Act. 12.

24. *Duplex modus ferendi iudicium de somnio.*

Duobus autem modis ferri potest iudicium de somnio, quòd à Deo sit; vno modo assensu firmo, & certo, qualis est assensus fidei. Et ad hoc necessaria est specialis gratia Spiritus sancti, quę pertinet ad discretionem spirituum: consistitque in quadam interna illustratione mentis, & suaui, honesta, & efficaci inclinatione affectus, qua mens certa redditur, Deum esse, qui loquitur, vt benè tractat Grego. locis supra citatis. Quando verò non datur hæc peculiaris instructio Spiritus sancti (nec enim necesse est, semper dari, etiamsi significatio somnij fuerit à Deo, vel bono Angelo) tunc cõiectare licet. Nam si ex occasione, materia, effectibus *Greg.* constet, somnium ordinari ad aliquod opus pietatis, & doctrinæ fidei, ac honestati morum esse consentaneũ, vt ad præparandam animam ad martyrium, vel ad aliquam superuenientem tribulationem patienter ferẽdam (vt in somnio Polycarpi) facilè coniectari potest esse à Deo. Et ad hoc etiam conferre possunt aliæ coniecturæ sumptæ ex internis effectibus spiritualibus, vt sunt susceptio visionis cum humilitate, deuotione, & reuerentia ad Deum, & similibus. Tunc autem licet non perueniatur ad certitudine fidei, sufficit coniectura probabilis, quæ ad prudens iudicium satis sit, vt homo credat, tale somnium esse à Deo, & secundum illud aliquid operetur, vel prouideat. Est autem in hoc euentu consilium optimum, iudicio, & consuetudine sapientum vti, qui & doctrina, & pietate polleant, & experientia spiritualium rerum non omninò careant.

25. *Non excusatur a graui culpa, qui temerè credit somniis.*

At verò quando quis sine prudenti discretione, & iudicio facilè credit huiusmodi somniis, non ex cusatur, per se loquendo, à graui culpa, etiamsi temerè dicat, se credere illa esse à Deo, quia euidenti periculo dæmoniacæ deceptionis se exponit, & quantum est ex se, vult illa credese, etiamsi à dæmone sint, nec vult discernere inter diuina, & dęmoniaca somnia. Maiórque erit culpa, si iam aliàs quis expertus est in similibus casibus se esse deceptum, taliaque somnia falsa inuenisse, illud enim est maximum signum illusionis dæmonis, vt D. Tho. not. 2. 2. q. 172. ar. 5. ad 3. ex Chry sost. homil. 19. Imperfe. & ex illo Deuter. 18. *Quod in nomine Domini Propheta prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non locutus.* Notant autem Caietanus in Sum. D Verb. *Somniorum obseruatio.* & Nauar. in Manuali, c. 11. n. 33. posse hoc peccatum excusari à grauitate mortali, quando homo non omnino credit rem in somnio ostensam esse veram, seu futuram, & nihilominùs aliquid operatur ratione talis somnij, quod aliàs malum non est, nec contra præcepta Dei, vel Ecclesiæ, (& ita non potest obesse, potest autem prodesse) vt euitet aliquod malum, quod somnium minatur, vel quid simile. Tunc enim licet sit aliqua leuitas, vel simplicitas, aut nimia timiditas, non apparet grauis malitia, quia (siquis rectè consideret) ille non tam credit illud esse à Deo, vel esse verum, quàm posse esse, in quo multò minus erroris est, licet multùm sit vanitatis. At verò si quis ita sit obseruator somniorum, vt ordinariè per illas indicationes, & diuinationes in agendis gubernetur, non potest excusari à graui culpa, & superstitione, nam hæc obseruatio auguriis comparatur Leuit. 19. *Non augurabimini, neque obseruabitis somnia.* Et similia habentur Deuter. 18. & 2. Paralip. 33. Sicut ergo auguriis fidem dare, & per illa proprias actiones dirigere, grauis superstitio est, ita & somnia obseruare. Plura de diuinis insomniis dicemus Deo dante in materia de prophetia: & de illis videri potest Perer. lib. 1. in Daniel. in fine, vbi de hac materia egregiam habet disputationem, & Martinus del Rio lib. 4. cap. 3. q. 6.

D. Thom. Chrys. Deut. 18. Caiet. Nauar.

Leuit. 19. Deut. 18. 2. Paral. 33.

Perer. Delrius.

CAPVT

CAPVT XIV.

An in operibus Magiæ pactum cum Dæmone, & superstitio interueniat.

1. Magia sumitur pro Philosophia naturali.

PRincipio necesse est, significationem vocis declarare, quia Magorum nomen (vt est vulgare) æquiuocum est; olim enim apud Græcos significabat sapientes, & eos præcipuè, qui in Philosophia erant eruditissimi. Et quia inter naturales scientias illa videbatur altior & admirabilior, quæ cœlorum, & astrorum motus considerat, & assequitur, ideo illi maximè solebant Magi appellari, qui in illa scientia eminebant, semperque in siderum obseruationibus versabantur. Sic enim tres illos viros primos Christi ex Gentibus adoratores vocatos esse Magos Matth. 2. satis significauit Leo Papa sermone 4. de Epiphan. dum illos vocat *Gentem, quæ spectandorum siderum arte pollebat.* Et ideò serm. 3. eos appellat *viros ad hæc* (id est, sidera) *sectanda non inscios.* Cum ergo Magi à Magia denominantur, Magia in hoc sensu idem est, quod philosophia naturalis, vel magis strictè, idem quod Astrologia, vel Astronomia. Posteà verò translata est hæc vox ad significandam artem, quæ docet facere aliqua opera insolita, & quæ mira hominibus apparent, quia rara sunt, & occultas habent causas.

Matth. 2.
Leo Papa.

2. Diuisio Magiæ in superstitiosam, & naturalem.

Secundò aduerto Magiam diuidi vlteriùs solere in naturalem, & superstitiosam. Hanc diuisionem insinuauit Hieronymus, Daniel. 2. in principio, declarans differentiam inter Magos, & maleficos. Latius, & apertiùs Gulielm. Paris. in secunda parte principali de vniuerso, parte secunda illius cap. 21. Optimè Victoria Relect. de Magia nu. 7. vbi ad explicandam hanc Magiam naturalem multa congerit exempla, quæ mirabilia videntur, quia per virtutem naturalem occultam fiunt ex Augustino 12. de Ciuit. cap. 4. & 5. Aristot. Plinio, & aliis, & plura habet Gulielm. suprà. Igitur sicut duplicem Astrologiam supra distinximus, ita hic duplicem Magiam: est enim eadem, seu proportionalis ratio. Sicut enim Astrologia interdum intra naturæ limites continetur, & tunc naturalis dicitur, aliquando verò conatur ex astris diuinare, quod per illa naturaliter significari non potest, & tunc in superstitionem transit: ita ars factiua aliquorum operum verorum, aut apparentium, quæ hominibus mira videntur, aliquando non transcendit virtutem causarum naturalium, sed applicando actiua passiuis cum exacta cognitione virtutum, & dispositionum agentium, & patientium, naturaliter resultant, aliis verò mira videntur, vel quia virtutes rerum ignorant, vel etiam quia ipsamet applicatio fit cum tanta industria in seruanda proportione, & cum tanta velocitate, & artificio, vt omninò causa occultetur, & ita effectus mirabilior fit, vel appareat. Quando ergo tota hæc applicatio intra hanc moderationem continetur, vt & applicentur causæ aptæ ad effectus, & applicatio fiat modo hominibus possibili, vocatur Magia naturalis. Quando verò exceditur, & vel applicatio fit peculiari aliquo modo humanas vires superante, vel ad facienda opera huiusmodi applicantur ea, quæ virtutem naturalem non habent ad aliquid faciendum; illa est Magia superstitiosa, quæ ad præsentem locum solum spectat. Nam Magia naturalis per se non est mala, vt constat, quia in sola cognitione, & industria naturali nititur. Solet tamen esse nimis curiosa, & vana ex defectu vtilitatis, & præterea esse etiam solet periculosa, ideóque cauenda, quia est nimis propinqua Magiæ superstitiosæ, & paulatim ad illam inuirat & excitat: Dæmónque non dormit, sed quamprimùm potest, se immiscet, addendo aliquid, quod humanam industriam, & cognitionem excedat, vt sic homines ad Magiam superstitiosam transferat, quæ non per causas naturales, sed ope dæmonis aliquid intentat. Et ab hac dicti sunt Magi malefici, & incantatores, sicut fuit Simon Magus Act. 8. & Elymas Act. 13. Et in hoc consensu prohibetur consultatio Magorum, Leuit. 19. & 20.

Augustin.
Aristot.
Plin.

Act. 8. & 13.
Leuit. 19. & 20.

3. Magiâ latè sumptâ cõprehẽdere superstitiosam diuinationẽ & eius species.

Omissa ergo naturali Magia, circa superstitiosam notandum est tertiò, interdum largè sumi, interdum strictè & strictissimè. Largè Magia comprehendere solet diuinationem superstitiosam, omnesque eius species, vt Pyromantiam, Chiromantiam, &c. vt constat ex Plinio lib. 30. cap. 2. Et hoc modo in Scriptura arioli, diuini, augures, incantatores, & similes Magi appellantur: sic enim Magi appellari solent, qui & futura prænunciant, & mira opera faciunt, vt Simon Magus, & similes. Et in Iure tam canonico, quàm ciuili sæpè hoc modo sumitur Magiæ nomen, vt infrà videbimus. Fundamentúmque habuisse videtur hic vsus in prima huius vocis significatione, nam Magia nomen est sapientiæ, illorum autem sapientiam homines maximè admirantur, qui futura prænoscere possunt, & occulta: & ideò non minùs diuinos, quam mirabilium operum effectores, Magos appellarunt. Deinde vtrumque munus eandem habet originem, & eiusdem dæmonis societati innititur: ac denique inter se sunt coniuncta, vt sæpè ad prædicendum futura, fiat aliquod mirum opus, quale est suscitatio mortui, vel quid simile; & ideò vtrumque munus potuit optimè eodem Magiæ nomine significari.

Plin.

4. Discrimen inter Magia, & diuinationem.

Nihilominùs alio modo potest accipi nomen, Magia, magis strictè, prout distinguitur à diuinatione, nam hæc ars, quæ ordinatur ad aliquid faciendum vltra humanas vires, & non virtute Dei, sed dæmonis, per se, & ex obiecto, ac fine diuersa est ab alia, quæ ad cognoscendum ordinatur, licet mutuò iuuare se possint in suis prauis actionibus: Ergo rectè possunt diuersis nominibus significari. Si enim intra genus diuinationis diuersæ sunt voces varias veluti species significantes, quia plurimis modis fit diuinatio: cur non magis tota superstitio operandi mira, distincta voce nominabitur ab arte tota cognoscendi occulta? Nullum autem aliud nomen inuenio vsitatum, quod huiusmodi artem peculiariter significare possit, & soleat, præter vocem Magiæ. Imò non incommodè intelligi hinc potest prohibitio illa Leuit. 19. *Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid scisciteminí*, Et cap. 20. *Anima, quæ declinauerit ad Magos, & Ariolos, &c. interficiam illam, &c.* Arioli enim diuinatores propriè dicuntur: Magi ergo ab illis videntur distingui tanquam præstigiatores in operibus faciendis, vel tanquam malefici, ita ergo Magia distinguitur à diuinatione. Vlteriùs verò Magia sic etiam sumpta in duas veluti generales species diuidi potest (ex Suida, quem refert Perer. in cap. 7. Exod. disput. 2.) scilicet in magiam strictissimè sumptam, & maleficium propriè etiam dictum. Tota enim hæc ars, quatenus malè operatiua est, scilicet ope dæmonis, maleficium dici potest: interdum verò non solum malo modo facit, sed etiam malum, & tunc dicitur propriè maleficium, vel Græcè Pharmacia: aliquando verò bonum operatur, licèt malo modo, & tunc retinet nomen Magiæ strictissimè sumptum. Sunt & alij multi vsus harum vocum: sed ad rem, quam intendimus, declarandam hæc sufficiunt. Hîc enim Magiam sumimus illo medio modo, nam quia de diuinatione iam diximus, hîc de Magia tractamus, quæ ars est faciendi aliquid virtute Dæmonis, siue illud sit hominibus proficuum, siue nociuum, quod propriè maleficium dicitur.

Leuit. 19.

Suida.
Perer.

Magia operatur mira, diuinatiorè cognoscit occulta.

Igitur

5. An re vera detur Magia

Igitur de Magia ſic ſumpta quæri poteſt, An re vera aliqua talis ſit? Aliqui enim hoc negarunt, qui in fundamento diuiſi ſunt. Quidam enim negarunt eſſe dæmones, & conſequenter eſſe magiam, quæ illorum efficacitate vtatur. Hunc errorem quoad maleficos, & maleficia refert D. Thom. in 4. diſt. 34. quæſt. 1. art. 3. & ibi Bonauent. quæſt. 2. Eámque fuiſſe vanam aliquorum medicorum opinionem refert Origenes tract. 4. in Matth. circa illa verba cap. 17. *Miſerere filio meo, quia lunaticus eſt.* Verumtamen fundamentum huius erroris euertit magna ex parte noſtræ fidei doctrinam, & hiſtoriam. Nam ſi non ſunt dæmones, falſum eſt, quod de tentatione primæ mulieris, & de Chriſti tentatione, & Iob perſecutione Scriptura refert. Et quod Paulus ait ad Epheſ. 6. de certamine hominum cum principibus tenebrarum. Sed hoc in propria materia latius tractandum eſt, nunc tanquam de fide certum ſuppono, eſſe dæmones, id eſt, angelos malos, Dei, & hominum hoſtes.

Refertur quoddã fundamentũ falſum eorum, qui eam negant.

D. Thom.

Bonauent.

Orig.

Epheſ 6.

6. 1. Fundamẽtum eorum, qui negant poſſe dari pactũ inter homines, & dæmones.

Alij ergo dixerunt, nullam eſſe Magiam, quia nullum re vera intercedit, vel intercedere poteſt pactum inter dæmones, & homines. Ita refert Petrus Binsfel. Tract. de confeſ. malef. Prælud. 6. illúdque latè impugnat. Verumtamen non eſt etiam, quod in hoc immoremur, nam eſt ſententia erronea. Aut enim negat poſſe hoc pactum intercedere, aut negat factum. Primum eſt contra omnem rationem, & fidem: nam Matth. 4. legimus, dæmonium obtuliſſe pactum Chriſto: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Cur ergo non poterit ſimile pactum offerre Mago, Faciam hoc, vel illud, ſi me colueris, vel quid ſimile. Item dæmoni non deeſt poteſtas loquendi cum homine, nec poteſtas ad faciendum multa, quæ homines mirentur, & affectent, & quibus decipiantur. Cur ergo non poterit tale pactum cum homine facere? Atque eiſdem modis conuincitur ſecundum, ſcilicet, non poſſe negari, quin cum effectu ſæpe hoc fiat. Nam hoc ſupponunt Scripturæ, & omnia humana iura, & Patres ſtatim referendi. Item, ex ſupra dictis de diuinatione conſtat, ex appetitu cognoſcendi futura, ſæpè homines paciſci hoc modo cum dæmonibus, & è conuerſo dæmones ſeſe offerre, & immiſcere ad decipiendos homines per falſas, & ſacrilegas diuinationes. Cur ergo dubitandum eſt, quin etiam in ordine ad miras, & apparentes operationes ſimili pacto vtantur ad decipiendos homines, & ad extorquendum ab illis adorationem, & cultum? Præterea contraria ſententia ſolùm fundatur in hoc, quòd putat omnia, quę de operibus Magorum narrantur, eſſe meras nugas, & fictiones hominum mentientium ſe hoc, vel illud efficere cum re vera nihil faciant, quod per induſtriam, & malitiam humanam fieri non poſſit. At hoc fundamentum eſt vanum, & falſum, & contra Scripturam, & infinita teſtimonia humana: ergo temerè, & ſine fundamento id dicitur. Aſſumptum conſtabit latius ex dicendis. Non defuere tamen qui admittendo hos effectus dicerent non dæmoni, ſed Deo eſſe tribuendos, vel ſanctis Angelis. At hoc blaſphemum eſt, cum in his nihil honeſtatis, vel vtilitatis reperiatur, & cum hæc Deus abominetur, vt oſtendemus. Et contra hunc errorem videri poteſt Martinus Del Rio lib. 1. quæſt. 1.

Delrius.

7. Dari Magiã certum eſt.

Dicendum ergo ſine dubitatione eſt, dari Magiam, quæ docet mira aliqua facere, quæ virtute humana, & per cauſas naturales, prout ab homine cognoſci, & applicari poſſunt, fieri non valent: ac ſubinde talem Magiam ſuperſtitioſam eſſe, quia ſine pacto dæmonis non fit. Hæc aſſertio eſt tam certa, vt ſine errore in fide negari non poſſit; nam ſatis expreſsè habetur in Scriptura. Primò quia in ea narrantur ſimilia opera facta eſſe à Magis, vt patet Exod. 7. & 8. de

Exod. 7. & 8.

A ſignis factis in Ægypto per Magos Pharaonis, & 1. Reg. 28. de Pythoniſſa, quæ vocauit Samuelem. Circa quæ facta eſt conſiderandum, non eſſe de fide res illas, quæ exteriùs fiebant, vel apparebant, re vera fuiſſe tales, quales apparebant: eſt tamen de fide tales apparuiſſe, & viſas eſſe, vel ſi loqui videbantur, eſſe ſenſu auditus perceptas: nam hoc expreſsè docet Scriptura. Et hoc ſatis eſt, vt dicamus neceſſariò ibi interueniſſe operationem dæmonis: quia illa, quæ exteriùs apparebant, qualiacumque eſſent, non poterant fieri per veram fraudem, aut inuentionem humanam, quia non poteſt homo tanta velocitate applicare corpora, vt illæ res, vel imagines rerum fiant; nam etiam tales imagines fieri non poſſunt ſine magna rerum mutatione, tam ſubita, vt humanam induſtriam ſuperent. Atque hoc planè ſupponit Chriſtus Matt. 24. cùm dicit: *Surgent Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ & faciunt ſigna, & prodigia.* Qualia videntur illa Simonis Magi, de quo Act. 8. dicitur, *Quod multo tempore Magis ſuis dementaſſet eos.* Supponimus autem ſemper in his illationibus fidei veritatem, quæ non agnoſcit alios Angelos præter ſanctos, & dæmones. Nec diſputamus contra antiquos Gentiles, qui medios quoſdam dæmones ponebant diſtinctos à cæleſtibus Angelis, & non hoſtes hominum, ſed potiùs beneficos; quibus hos vtiles effectus Magiæ tribuebant, vt videre licet in Auguſt. lib. 8. de Ciuit. à cap. 13. & clariùs lib. 10. à cap. 9. Sed error ille repugnat Scripturis, & communi ſenſui, & traditioni Eccleſiæ, vt in materia de Angelis ex profeſſo tractandum eſt. Cum ergo hæc opera Magiæ, vtpote vana, curioſas, & ad deceptionem hominum ordinata, non poſſint ſanctis Angelis attribui, neceſſe eſt, vt ex pacto dæmonum proficiſcantur. Alij verò ea retulerunt in animas hominum mortuorum. Sed hoc etiam fidei repugnat, quia illæ animæ non verſantur inter nos, ſed vel in cœlis, vel in inferno commorantur, vt latè proſequitur Chryſoſt. Homil. 29. in Matth. & alio in loco proprio docetur. Imò probabile eſt, animas ſeparatas ſua virtute naturali nihil poſſe circa corpora operari. Ac denique etiam animæ ipſæ aut ſanctæ ſunt, aut damnatæ, & priores non magis poſſent Magiæ cooperari, quam ſancti Angeli: de damnatis autem, etiamſi aliquid facere poſſent, eadem ratio quoad malitiam eſſet, quæ de dæmonibus.

1. Reg. 28.

Matth. 24.

Act. 8.

Chryſoſt.

8. Probatur aſſertio principaliter.

Secundò principaliter probatur aſſertio, quia propter hanc cauſam mutabantur Magi iuſſu Dei, Exod. 22. Deut. 18. Leuit. 19. & 20. & 21. & refertur in cap. *Illud* 26. quæſt. 5. ex Iſidor. lib. 8. Origen. cap. 9. Idem teſtatur, & latè tractat Auguſtinus in multis aliis locis præſertim lib. 15. de Ciuit. cap. 23. vbi ſpecialiter de dæmonibus incubis dicit, tam conſtantem eſſe famam, & experientiam, vt id negare impudentiæ videatur. Et lib. 18. cap. 17. & 18. & lib. 3. de Trinit. c. 7. & ſequentibus, præſertim 10. & 11. & lib. 12. Geneſ. ad lit. cap. 13. & 14. & Epiſt. 5. ad Marcelli. ſub finem, & optimè lib. Octoginta trium quæſtionũ quæſt. 79. Et in libro Cypriano attributo de Dupli. Martyr. nu. 12. ſic habetur: *Qui Magicis artibus vtuntur tacitè Chriſtum abnegant, dum cum dæmonibus habent fœdus.* Sic etiã Tertullianus lib. de Anim. cap. 57. Magiam vocat *Secundam Idololatriam, & fallaciam: ſed ratio fallaciæ* (inquit) *ſolos non fugit Chriſtianos, qui ſpiritualia nequitiæ non quidem ſocia conſcientia, ſed inimica ſcientia nouimus.* Et in Apolog. cap. 23. ait, Magi ad ſua opera habent dæmonum ſibi aſſiſtentem poteſtatem. Idem Lactant. lib. 2. de Origin. error. cap. 17. Euſeb. lib. 5. de præpar. cap. 7. & lib. 6. cap. 3.

Auguſt.

Cypri.

Tertul.

Lactan.

Euſeb.

9. D. Thom. Bonauent.

Tertiò probari poteſt aſſertio communi ſententia Theologorum, D. Thom. 2. 2. quæſt. 95. & 96. & in 4. diſtinct. 34. quæſt. 1. artic. 3. vbi etiam Bonauent. Scot.

Scot. Anton. Guliel. Scot.& alij.Gabr.2.dist.8.quæst.2.art.4. Anton.2.par. tit.12.Guliel.Paris,latissimè lib. de Legibus versus finem,præsertim §. *His autem ita positis*, & §. *Procedamus igitur*. *Victor. Perer. Delrius.* Victoria Relect. de Mag.quæst.1. Benedict. Perer. Exod. 7. disput. 2. Et copiosissimè Martinus del Rio in suis disquisitionibus Magicis. Denique ipsi etiam Gentiles non ignorarunt Magiam esse dæmoniacam fraudem,& ideò tandem illam detestati sunt, *Plin.* vt constat ex Plinio lib. 30. cap. 1. & 11. Et ex gestis Martyrum constat,miracula,quæ in eis fiebant, attribuisse tyrannos arti Magicæ, supponentes esse superstitiosam artem quæ aliquid operatur virtute dæmonum.Nec oportet rationeveritatem hanc comprobare,quia est res facti, quæ magis pendet ex testimonio, quàm ex ratione: satis enim est, quòd ratio ostendat esse possibilem, vt iam satis ostensum est. Tamen ex B effectibus potest hæc veritas etiam conuinci, de quibus pauca dicemus inferius.Solùm oporteret hîc euasiones plæcludere quibus istarum artium cultores excusare se affectant,ne cum dæmonibus pactum habere iudicentur. Sed illæ planè sunt friuolæ, & nugatoriæ,vt latè, & eruditè ostendit noster Martinus lib. 1. *Delrius.* suarum Disquisit.c.3.per quatuor quæstiones; & cap. 4.per alias quatuor.Nos verò in sequentibus breuissimè pauca attingemus.

10 Magiæ, & Diuinationis peccata solùm materialiter differunt. Ex his ergo principiis primò conuincitur,ac declaratur,quale sit Magiæ crimen: Est enim superstitio,& tacita Idololatria Religioni contraria. Imò si quis recte consideret, Diuinatio,& Magia peccata sunt eiusdem rationis, solúmque materialiter differunt. Nam per diuinationem comparatur ope dæmonis occul- C torum cognitio,per Magiam obtinetur ab eodem aliquorum operum effectio. Ratio autem malitiæ in vtroque vitio formaliter consistit in contrahenda cum dæmone societate, & in tacito cultu, & veneratione illius;ad quam malitiam parum refert,& materialiter se habet, quod hæc societas ordinetur ad aliquid cognoscendum. vel faciendum. Et ideò in Scriptura hæ omnes artes ferè semper simul, & sub eadem pœna prohibentur.Idémque est in iure canonico, & ciuili, & simili modo de eis loquuntur Patres, vt præcipuè *August.* intelligi potest ex Augustino locis citatis.Vnde etiam intelligitur, sicut diuinatio dupliciter committitur, scilicet cum expresso pacto cum dæmone, & cum solo tacito: ita etiam Magiam posse vtroque modo fieri, nam est eadem ratio; & ita quoad hoc, ferè D *D. Thom.* eandem doctrinam habent, vt ex D. Thoma, & cæteris Auctoribus constat. Quando ergo Magia fit per pactum explicatum, manifestum habet malitiam, eámque grauissimam, etiamsi in minima materia versari videatur; quia inuocatio dæmonis grauissima iniuria Dei est, etiamsi ad rem minimam inuocetur.Nec etiam in hoc potest admitti ignorantia, inter fideles præcipuè, neque inaduertentia;cum ad expressam inuocationem,& dæmonis cognitio,& satis plena aduertentia necessaria sit. Item sicut de diuinatione dixi,ita etiam hîc,quòd dæmon inuocetur ad hunc vel illum effectum, licet grauitatem criminis augere possit, tamen intra rationem superstitionis non mutat speciem peccati. Quia in ordine ad Religionem totum illud materiale est. Et confirmatur à fortiori, E nam dictum est,ipsam diuinationem,& Magiam non differre specie inter se in ratione vitij oppositi Religioni; multò ergo minus distinguentur duo opera Magiæ, vel dæmonum inuocationes ad diuersos effectus.

11. Ex circunstantiis quo modo Magia varietur. Dixi autem *Intra rationem superstitionis* quia sæpè ex circunstantiis variatur hoc vitium multipliciter, addendo superstitioni varias malitias contra eandem Religionem, vel contra alias virtutes. Nam contra Religionem sæpè additur sacrilegium, vt quando re- A bus sacris, aut Euangelicis verbis ad sua maleficia Magi abutuntur.Item quando pactum est expressum, addi etiam solet expressa Idololatria per sacrificium, aut alium similem cultum dæmoni exhibitum,sicut in diuinatione explicatum est. Frequenter etiam admiscentur turpissima vitia contra castitatem, vsque ad nefariam cum dæmone commistionem, vt suprà tactum est.Imò in hæresim sæpe inciditur, quia qui hoc modo dæmoni mancipantur, vel non credunt ipsum esse Deo subiectum, & ab ipso in suis operibus pendere,vel non credunt illum esse damnatum: vel certè nihil firmiter, credunt, & tanquam Athei sunt. Sæpe etiam directam Apostasiam committunt à Religione Christiana, nam Christo renunciant, & eius sacramentis;contra quæ alia sacrilegia committunt, dum aliquibus cæremoniis etiam characterem à se abraderet,si possent.vel certè in eo etiam hæretici sunt,quod putant illum deleri posse. Vnde fit etiam, vt plures blasphemias proferant;quæ omnia latiùs prosequuntur,qui de his rebus fusiùs scripserunt,hæc verò instituto nostro sufficiunt.

12. In his maleficiis grauissimæ iniustitiæ committuntur. Solùm addimus, in his maleficiis committi solere grauissimam iniustitiam contra salutem, & vitam hominum,& alia temporalia damna eis faciendo, vel occidendo animalia, segetes destruendo, & similia. Quæ cum fiunt, certum est, etiam opera dæmonis fiant,ipsos maleficos ad restitutionem obligari.Ratio est clara,quia qui causam damni dat, damnum fecisse censetur:isti autem malefici, seu venefici sunt causa horum nocumentorum,etsi opera dæmonis tanquam ministri vtantur: tenentur ergo restituere. Sicut qui per Assasinos alium occidit, vel eius res dilapidat, ad restitutionem tenetur.Accedit, quòd isti malefici aliquomodo proximè cooperantur, moraliter loquendo,ad hæc damna quia adhibent signa, quibus positis, dæmon nocumentum infert, aliàs non illaturus. Vnde licet dæmon possit dici quasi minister hominis,qui illum ad maleficium faciendum veluti conduxit, mediante pacto cum illo inito, tamen ipse homo est veluti instrumentum dæmonis ad illud damnum perpetrandum;quia est veluti causa moralis exhibens signum, sine quo dæmon non operaretur: ergo sine vlla dubitatione ad restitutionem omnium damnorum tenetur. Vnde rectè intulit Petr. Binsfeldi. dicto *Binsf. Natar.* libr. Prælud. 13. iuxta quandam doctrinam Nauarri in Man.cap.15. num. 25. hanc obligationem non extingui, etiamsi maleficus corporaliter puniatur, nam per illam pœnam satisfit Reipublicæ,& iustitiæ legali,non parti læsæ,nec iustitiæ commutatiuæ.Et ideò si talis maleficus bona reliquit, quæ ad hæredes transierunt,illi tenentur ad restitutionem, iuxta cap. *Inliteris* de Raptoribus,&c. & cap.vlt.de sepult.Si verò ad fiscum peruenerunt, fiscus tenetur priùs damna illata restituere, iuxta leg. *Non possum*, & leg. *In summa*, ff. de iur. fiscus, Vbi optima ratio redditur,quia quæ æri alieno obnoxia sunt, in bonis defuncti non computantur. Sed hæc aliis debitis communia sunt solùm hîc adnotamus, nihil esse in hoc delicto speciale, quod hos maleficos, vel bona eorum ab hoc debito excuset. *Cap. Inliteris.* *Cap. Vlt.* *Leg. Non possunt.* *Leg. In summa.*

13. Prædicta crimina communia sunt superstitioni, siue committatur per pactum tacitum, siue per expres. Atque hæc omnia ferè communia sunt huic superstitioni, siue per expressum pactum, siue per tacitum committatur:quamuis multò clariora sunt, quãdo pactum est explicitum. Nam si solùm sit implicitum, non possunt formaliter committi illa delicta, seu circunstantiæ, quæ directè, & formaliter respiciunt ipsam personam dæmonis, vt sunt, vota ei offerre,vel oblationes,vel obsequia, & similia. Nihilominùs hæc aliquo modo participantur, saltem propter morale periculum perueniendi ad illa, & ita pro ratione periculi, maior, vel minor erit participatio talium

talium deformitatum. Substantialis autem malitia, (vt sic dicam) quæ est superstitionis, formaliter semper inest, quia ad illam sufficit pactum implicitum, vt supra in Diuinatione declaratum est: & iuxta ibi dicta explicandum hîc est hoc pactum implicitum, nam est eadem omnino ratio, seruata proportione: Sicut enim ibi dicebamus, cum aliquis intendit, vel conatur quærere cognitionem per signa de se inutilia, vel credit illam posse consequi per talia media sine Deo, eo ipso censeri pactum implicitum cum Dæmone habere, vel (quod perinde est) illud intendere, & procurare: ita in præsenti eo ipso quod quis applicat medium de se inutile ad efficiendum aliquem effectum, vt ille effectus fiat, tacitè vult effectum ex operatione Dæmonis; (supponimus enim non expectare illum à Deo miraculosè) quia re vera nonvtitur illo medio, vt causa, quæ naturaliter possit habere illum effectum, cum sit prorsus inutile, sed vt signo, ad cuius præsentiam Dæmon operaturus est. Sed hæc ratio, & tota malitia huius taciti pacti melius intelligetur, explicando species eius, & signa, quibus fieri solet, & virtutes, vel inutilitates eorum; quod breuiter præstabimus attingendo solùm ea, quæ ad perfectam notitiam huius superstitionis necessaria videbuntur.

CAPVT XV.

Quæ sint species, seu modi Magicæ superstitionis.

1. Quando pactum est expressum parum refert, quòd effectus per Magiam editus sit mirabilis, aut non sit.

POSSVNT hæ species distingui vel ex parte effectuum, qui sunt veluti fines proximi, ad quos tendunt opera huius artis, vel ex parte signorum, quæ ad tales effectus efficiendos applicantur. Supponimus autem, sermonem esse de distinctione materiali specierum, non de formali in ratione malitiæ, iam enim sæpe diximus, hanc non esse necessariam, nec inueniri sufficiens fundamentum illius, sicut de Diuinatione etiam dictum est. Præterea, est notandum hîc discrimen inter Magiam cum expresso pacto, vel cum implicito: nam quando pactum est expressum, necessarium non est, quòd effectus intentus, vel modus externus illius sit aliquo modo mirabilis, vel superans vires humanas: nam licèt sit merè naturalis, vel talis, vt posset à famulo fieri, vel ab alio agente ordinario: quacumque ratione aliquis ad illum vtatur opera Dæmonis, expresè postulando, vel acceptando illam, etiam ad ferendam epistolam modo ordinario, vel ad dirigendum in via, vel aliquid simile; illa est superstitio contraria fidelitati, & cultui Deo debitis, & pertinet ad speciem Magiæ; quia continet expressam inuocationem adiutorij Dæmonis, & quia semper talis effectus habet aliquid mirabile ex parte occultæ causæ, saltem in hoc quod à Dæmone fit. At verò ad tacitum pactum Magiæ, necessarium est, vt vel opus in se excedat virtutem naturalium agentium, vel certè in modo, quo fit; & maximè vt id, quod applicatur ad illud efficiendum, sit vanum, & inefficax ad obtinendum effectum. Et ideò ad intelligendam bene hanc tacitam superstitionem necessarium est, species, & modos illius declarare.

2. Species Magiæ ex parte effectus ad tria capita reducuntur.

Igitur ex parte effectus ad tria capita possunt hæ species reduci, scilicet ad artem effectricem scientiæ, seu cognitionis, sanitatum, & maleficiorum. Potest enim à Dæmone expectari auxilium vel ad effectus animæ, vel corporis. Effectus igitur animæ comprehendimus sub nomine scientiæ, vel cognitionis, ad has enim potest iuuare Dæmon; nam ad virtutem non iuuat, sed potius ad malum, & ad peccandum, quod hîc non consideratur, quia non est proprium artis Magicæ, sed ad generale officium Dæmonis spectat, quod est homines tentare. Quòd si in hoc aliquid speciale operatur in arte Magica, sub aliquo ex illis tribus effectibus continetur. Effectus autem corporis possunt esse vel proficui corpori, vel rebus humanis, & hos comprehendimus sub sanitate: vel possunt esse nociui, qui ad maleficia pertinent. Possent autem his addi quidam effectus, qui videntur à Dæmonibus fieri circa cadauera, & animas mortuorum: sed hi vel Diuinationi tantum deseruiunt, & ideò sub Necromantia comprehenduntur; vel certè, quatenus coniunctam habent aliquam operationem, ad maleficia illos reuocamus.

3. Assignatur discrimen inter primam speciem Magiæ, & Diuinationem.

Circa primam ergo speciem primum aduerto, esse discrimen inter hanc artem, & Diuinationem: nam hanc ponimus partem Magiæ, & consequenter à Diuinatione illam distinguimus in hoc, quòd Diuinatio est de rebus, quæ naturaliter cognosci non possunt: vnde earum veritas, fides, & qualiscumque cognitio tota resoluitur in Dæmonis testimonium, & auctoritatem. At verò in hac arte Magiæ, non talis quæritur scientia, vel cognitio, sed talis, qualis vel per ordinarium studium, vel per infusionem Diuinam haberi potest, ita vt per eam manifestetur veritas per propria media, vel principia, à quibus potest naturaliter, seu necessariò deduci, sicut in Philosophia, vel alia simili scientia fit. Inquiritur tamen hæc ipsa scientia per artem Magicam modo extraordinario, & præternaturali, vnde si non inquiratur à Deo, necesse est, vt à Dæmone quæratur, & ita hæc ars pertinet ad operationem Dæmonis, non ad Diuinationem. Nam qui hoc modo docetur Philosophiam vel Mathematicas opera Dæmonis, etiamsi repente euadat philosophus, vel mathematicus, non dicetur Diuinus, vel Diuinare, quia non futura prædicit, nec occulta pandit, sed demonstratione, vel ratiocinatione vtitur ad veritates necessarias, & philosophis notas demonstrandas.

4. *D. Thom.* An Notoria ars ad hanc Magiæ speciem pertineat.

Obseruandũ præterea est ex diuo Thoma 2.2. quæstione 96. articulo 1. quandam esse ab hominibus inuentam artem, quam Notoriam vocant (cur autem ita vocetur, Auctores non dicunt) quæ per quasdam obseruantias, & per quædam ieiunia, & orationes ad Deum, & figurarum inspectiones, & prolationes ignotorum verborum (vt diuus Thomas ibi dicit in primo argument. & in corp.) subitam, seu extraordinariam scientiæ acquisitionem promittit. Quam esse vanam, ac pernicioſam diuus Thomas supra docet. An verò ad hoc genus superstitionis, quod nunc tractamus, pertineat, non declarat. Imò in fine corporis dicit, in arte Notoria non quæri scientiam per magisterium Dæmonis loquentis cum homine, ad eum modum, quod vnus homo docet alium. Et in solut. ad 3. ait, *In arte Notoria non interuenire societatem initam cum dæmone.* Addit etiam ibidem diuus Thomas, artem illam esse inefficacem. Vbi Caietanus aduertit, ideo dici inefficacem, quia finis eius est consequi scientiam per infusionem; ergo à Deo quærit scientiam, vt in primo etiam argument. diuus Thomas obijcit, & in solutione non negat, sed dicit, quærere illam modo indebito, & in hoc consistere malitiam eius. Videtur ergo malitia hæc non pertinere ad superstitionem, sed vel ad tentationem Dei, quia ab eo petitur miraculum, seu opus supernaturale sine causa, vel necessitate; vel etiam ad cultum indiscretum, & vanum, non tamen falsum, quia re vera ibi non colitur alius Deus, sed verus indebito modo. Quia licet aliquæ ex obseruantiis, quibus ars illa vti dicitur, non sint superstitiosæ, vt ieiunia, & orationes, tamen coniunctæ cum aliis vanis obseruantiis, facient totum cultum superstitiosum, non tamen

Caietan.

falsum, quia semper intenditur acquisitio scientiæ à vero Deo.

5. Pars affirmatiua vera est. D. Thom.

Dicendum nihilominùs est, artem Notoriam sub hac parte, & specie Magiæ comprehendi, & pactum implicitum cum Dæmone continere. Ita sumitur ex D. Thoma dicto artic. 1. in 1. part. corpor. ait enim artem illam vti ad scientiam obtinendam quibusdam vanis obseruantiis, non vt causis, sed vt signis superuacuis. *Et per consequens* (ait) *sunt signa pertinentia ad pacta quædam significationum cum Dæmonibus placita, atque fœderata. Et ideò ars Notoria penitus est fugienda Christiano, sicut aliæ artes nugatoriæ, vel noxiæ superstitiones.* Perindè ergo iudicat de hac arte, sicut de tota Magia, vel Diuinatione quoad superstitionem, & pactum cum Dæmone. Cum ergo dicit in fine corporis, per B arte Notoriam non quæri scientiam à Dæmone docente, non intendit excludere omnem modum acquirendi scientiam opera Dæmonis, sed solùm illum modum addiscendi à Dæmone loquente, & docente, more humano, non enim ita inquiritur scientia per artem Notoriam, sed alia via breuiori, & faciliori, sine vllo hominis studio, per solam vanarum obseruantiarum exhibitionem. Et ideò vehementer suspicor in solut. ad 3. vbi negatiuè legitur: *Quæ societas cum Dæmone inita in proposito locum non habet*, mendum irrepsisse, & delendam esse negationem, affirmatiuéque legendum, *locum habet*. Aliàs diuus Thomas non soluisset argumentum, sed confirmasset. Obiecerat enim, in hac arte non esse illam superstitionem, quæ est in Di- C uinatione, quia ibi inquiruntur à Dæmone futura, quæ ipse cognoscere non potest, hîc autem procuratur scientia, quam ille optime nouit. Respondet autem, in Diuinatione non tantum esse peccatum, quia procuratur à Dæmone cognitio veritatum, quas ipse non cognoscit, sed simpliciter propter societatem cum eo initam. Ergo necesse est, vt concludat, hanc posteriorem inordinationem etiam habere locum in arte Notoria; aliàs si hoc etiam concederet, non habere locum in hac arte; plane concessisset totum, quod argumentum probare nitebatur. Atque ita videtur legisse Caietanus cum ex hac solutione notat, ad peccatum mortale sufficere pactum initum cum Dæmone, *quod constat* (inquit) *in obseruantiis artis Notoriæ committi.* D

D. Tho. locus mendosus corrigitur.

Caiet.

6. Caietan.

Cum ergo idem Caietanus ait, *per illam artem intendi scientiam per infusionem*, non est intelligendus à Deo, sed à Dæmone, vel expressè, si expressum pactum præcessit, vel tacitè, & interpretatiuè, ac moraliter, etiamsi expressè non intendatur. Et ratio huius intentionis est, quia qui his obseruantiis vtitur, vult obtinere scientiam sine studio, & labore, sic autem obtineri non potest, nisi per infusionem, ergo virtualiter intendit illam habere, per infusionem: non potest autem fieri illo modo, aut per astra, aut per verba, vel per obseruantias, quæ adhibentur, vt per se euidès est, neque à Deo procuratur, quia nullis mediis ad hoc proportionatis ars illa vtitur, nec Deus promisit infusionem scientiarum per ieiunia, vel orationes, nedũ per ignota verba, vel inspectiones figurarum. Ergo velit, nolit, qui sic operatur, conuincitur se velle à Dæmone habere scientiam infusam, & consequenter se habere societatem cum Dæmone, vel saltem dare illi moralem occasionem, vt se interserat qui illam non omittet. Vnde qui sic operatur, in virtute attribuit Dæmoni virtutem infundendi scientiam, quod solius Dei proprium est. Quamuis autem hæc vera sint de illa arte, siquis tamen ex ignorantia, & simplici intentione vellet, à Deo ipsam scientiam infusam impetrare, & ad hoc non adhiberet vanas obseruationes illius artis, sed media ordinaria, quibus Religiosè vti solemus ad aliquid à Deo impetrandum, vt sunt A orationes, ieiunia, & alia bona opera, vel corporis afflictiones, non committeret idololatriæ superstitionem, sed tentaret Deum, vel improbè coleret, si id faceret sine speciali instinctu Dei, & sine causa, & non adhibendo industriam, & diligentiam, quam ex parte sua posset apponere. Et ratione periculi (si esset aliquo modo præuisum) posset participare malitiam superstitionis, & hoc tantum probat obiectio facta.

7. Omnis ars addiscendi scientiam ope Dęmonis ad Magiam spectat.

Vltimò verò addendum hîc est, ad hanc speciem Magiæ, quam modò tractamus, non pertinere solum propriam artem Notoriam, vt à diuo Thoma explicatur, sed etiam omnem artem addiscendi scientiam ope Dæmonis, quocumque modo intendatur. Vt si- quis studendo, & faciendo, quod in se est, ad scientiam acquirendam, simul vteretur vanis obseruantiis, quibus speraret, vel vim memoriæ acquirere, vel facilitatem, & acumen ingenij, vel organa sensuum melius dispositа, vel similia, quæ virtute naturali talium obseruantiarum fieri non possunt; fieri autem aliquo modo possunt virtute Dæmonis, vt latè exponit Del- *Delrius.* rius lib. 2. quæ. 24. sine dubio hoc genus superstitionis committeret. Itémq; ille, qui vellet à Dæmone edoceri eo modo, quo docetur ab homine loquente, siue intendat, vt Dæmon sibi loquatur ad aures corporis in corpore visibili assumpto, siue solùm in imaginatione formando eadem verba, quod etiam facere potest. Quacumque enim ratione ineatur societas cum Dæmone, etiam si nihil petatur expressè, vel tacitè, quod virtutem eius naturalem superet, superstitiosum est, & ad hanc partem artis Magicæ pertinet. Et multa ex his, quæ diximus, sine societate expressa fieri non possunt, vt consideranti facilè patebit, erit autem saltem implicita, quando ad effectum intentum obtinendum vanæ obseruantiæ adhibentur, quæ non possunt esse causæ, & ideò non sunt nisi magica, & diabolica signa.

8. Quæ spectẽt ad alterã speciem Magiæ quæ sanitatum dicitur. *D. Thom.*

Ad alteram speciem, quam sanitatum appellauimus, pertinent ea, quæ Diuus Thomas tract. 2. 2. quæ. 96. artic. 2. vbi rectè declarat, sub nomine sanitatum comprehendi omnes immutationes corporum similes, & maximè illas, quæ ad hominum commodum & vtilitatem, seu beneficium fiunt, siue immediatè fiant circa ipsa corpora humana; siue circa animalia, siue circa arbores, & similia. Item hûc spectant effectus alij, qui per hanc artem hominibus promittũtur, verbi gratia, vt non possint lædi ab hostibus, nec subesse casibus fortuitis, & similes. In hoc autem genere effectuum, vt pactum implicitum intelligatur, præcipuè oportet considerare, an effectus ipsi secundùm se spectati tales sint, vt per causas naturales, vel creatas fieri possint, necne. Aliquando enim sunt naturales, vt sanitas, quæ recuperari potest medicamentis adhibitis, & valetudo quæ potest conseruari naturalibus remediis, & virtutibus herbarum, vel obseruata qualitate ciborum. Multa etiam fieri possunt per solum motum localem, vt inuentio, vel transportatio thesauri, congregatio nubium, vt conuenienti tempore pluat, & sic fructus sint vberiores; fugatio, vel alia. Aliquando verò possunt esse effectus suprà virtutem omnium causarum naturalium corporalium, vt maximè ille, quòd homo non sit expositus effectibus, seu casibus contingentibus; quia nulla est causa naturalis, quæ hos impedire possit, nec prouidentia humana, quæ præuenire illos in vniuersum valeat.

9. Quando effectus sunt suprà vires causarũ creatarũ talis ars est diabolica.

Quando ergo effectus, qui per hanc artem promittitur, suprà vires est creatarum causarum, certum est, talem artem esse diabolicam, & magicam deceptionem. Probatur, quia media, quæ ad tales effectus adhibentur, non possunt esse causæ, ex se habẽtes virtutem ad illos, quia illa media sunt actiones humanæ, vel applicationes rerum naturalium, effectus autẽ

sunt

sunt longè superiores; ergo adhibentur vt signa, ad quorum præsentiam aliquis alius operetur; sed ille non est Deus, nec sanctus Angelus, tum quia Deus nunquam talia signa instituit; tum quia in eis nihil est, quod Deum deceat, nec quod pietatem promoueat. Est ergo Dæmon, à quo non verè, sed per præstigia fit talis effectus, vt postea dicemus. Exempla sunt in illo effectu immunitatis (vt sic dicam) ab omnibus effectibus contingentibus aduersis. Quæ enim causa, vel dispositio naturalis potest hoc præcauere? Similis est effectus ille præseruandi corpus; seu reddendi illud immune à læsionibus hominum, quia hic effectus per se pendet ex libero vsu vtriusque hominis, & percutientis, & percussi; circa quem vsum nihil possunt per se naturales causæ, & præterea sæpe B per accidens pendent ex casuali occursu, vel occasione. Quod si intelligatur immunitas esse ex parte corporis percussi, vt scilicet taliter sit affectum, quod licet vulneretur vel fortiter pungatur, lædi non possit etiam si nulla arma defensiua habeat præter gestationem v. g. amuleti, vel alterius similis inuolucri, vel certæ scripturæ, &c. Tunc etiam euidens est nec in his rebus, nec in vlla causa naturali posse esse virtutem ad talem immunitatem corpori præstandam. Et ideò in his, & similibus ex natura effectus licet pactum colligere, vt dictum est.

10. Etiamsi res, aut verba sint sacra, potest in vsu committi superstitio.

Vbi obiter adnotari potest, quod D. Tho. docet in dicta quæst. 96. art. 4. etiam si res, aut verba sacra sint, C posse superstitionem in eorum vsu committi, si aliquid adiungatur, quòd vanum sit, & inutile, ad diuinam reuerentiam, vel ad diuinum auxilium impetrandum. Vt quòd tali modo, aut talibus impertinentibus signis res deferatur, aut à verbum scribatur, vel proferatur. Quia iam quoad illam partem signum est dæmoniacum & superstitioni adiungitur sacrilegium. Addo præterea quòd, licet secluſa omnia huiusmodi superstitione, sanctum, & religiosum sit, Reliquias sanctorum ad collum suspensas deferre, vel Euangelium, V. G. initium Ioannis in pectore scriptum portare, & similia, bona fide sperando per modum impetrationis peculiarem Dei protectionem, & Sanctorum intercessionem, nihilominùs id tanquam omnino certum sperare, non minùs, quàm si esset à Deo D promissum, non caret superstitione, si non falsi cultus, saltem superflui. Et præterea interuenire ibi potest tentatio Dei, si ob eam confidentiam nimiam temerè se homo periculis exponat, aut in periculis omittit ordinaria media, quibus se tueatur. Quia postulare à Deo miraculosam defensionem, aut protectionem sine causa, vel speciali instinctu est tẽtare ipsum: vnde oratio, vel alius cultus, qui propter hunc finem illi offertur, superfluus, vanus est, quia re vera per talem actionem ipse non honoratur. Et præterea illa nimia confidentia de consequendo illo effectu ab ipso Deo, cum non sit fundata, in promissione eius, vel est vana, & purè voluntaria, vel etiam est nimia confidentia sui, & suorum meritorum; & ex hac parte po- E test continere pernicioſam superbiam. Denique modus ille quærendi commoda hæc temporalia per vsum Reliquiarum, vel aliarum rerum sacrarum cum tanto affectu, & credulitate infallibiliter obtinendi illa, non caret periculo, quòd Dæmon se ingerat, & in aliam maiorem superstitionem hominem inducat. Oportet ergo cum debita reuerentia, & spe in Deum, & in Sanctorum patrocinium, quod vtique non deerit homini, quando, & quomodo illi fuerit expediens, precationes dirigere. Et cum proportione idem sentiendum est de vsu Sacramentalium, vt sunt Agnus Dei, & Aqua benedicta. De quibus est ratio peculiaris propter virtutem spiritualem impetrandi, quam habent nomine Ecclesiæ, ex eius institutione, & benedictione, vt in tomo 1. de Sacramentis tractauimus.

A

11. De effectibus qui non sunt ex se simpliciter miraculosi.

Omissis verò supernaturalibus effectibus, sunt alij, qui ex se non sunt simpliciter miraculosi, quia licet superent aliquo modo virtutem humanam, non tamen angelicam, neque omnem efficaciam causarum creatarum. In his ergo oportet modum considerare. Hic autem modus duplex esse potest: vnus ex parte rei seu instrumenti, aut medij quod ad talem effectum applicatur. Alius est ex parte temporis, seu celeritatis, qua fit effectus. In priori modo est infinita varietas superstitionum, quas hîc ex professo docere aut numerare, necessarium non est, nec ad præsentem doctrinam pertinet. Satis ergo est scire, hæc media interdũ consistere in actionibus transeuntibus, interdum in permanentibus signis, aliquando in vtriusque simul. Deinde transeuntia aliquando sunt verba, aliquando verò sunt actiones aliquę vel manuum, vt benedictiones cum certo modo, & figura, vel oris, per aliquam insufflationem, aut halitum, vel totius corporis per alios ritus, & cæremonias. De verbis generalis regula sumitur ex D. Tho. dicta q. 96. art. 4. si aliquid contra fidem, vel clarè falsum contineant, superstitiosa esse; item si in lingua peregrina, quæ non intelligitur; nec est in vsu in communi consuetudine Ecclesiæ: nam est præsumptio, ibi latere aliquid falsum, vel superstitiosum, maximè quando necessarium putatur, vt in tali lingua proferantur. Item si verba sunt prorsus inutilia, quia non continent precationem, nec inuocationem, aut laudem Dei, vana signa, & dæmoniaca esse conuincuntur. Et hûc spectant incantationes veneficorum, de quibus dicitur Psalm. 57. *Non exaudiet voces incantantium, & venefici incantantis sapienter.* At verò (vt ex D. Thoma colligitur) si verba nullam falsitatem contineant, nec Dæmonis claram inuocationem, & alioqui sint verba sacra, & apta ad orandum, vel colendum Deum per eorum prolationem, vt est Oratio Dominica, vel Angelica, nomen Iesu, & similia, ex hac parte non poterit iudicari superstitio: esse tamen poterit ex intentione, si illud verbum adhibeatur vt signum infallibile talis effectus. Quia cum tale signum non sit à Deo institutum, à Dæmone datum esse conuincitur, qui sub specie bonorum verborum vult homines decipere, & simul vult profanare verba sacra, & eis ad Magiam vti. Et præterea, quando in verbis ipsis non statim apparet superstitio, aliæ obseruantiæ, quæ simul adhibentur, & necessariæ reputantur, considerandæ sunt. Videri de his verbis potest Delrius, lib. 1. cap. 4. qu. 3.

In his duplex modus considerãdus alius ex parte medij, alius ex parte temporis.

Verba quædam, vt media adhibentur. D. *Thom.*

Psalm. 57. D. *Thom.*

Delrius.

Præter verba, vel etiam sine verbis, adhiberi solent aliquæ actiones per modum signorum, aut cæremoniarum. Et in his fere generalis regula est, quicquid sit præter signum crucis, ordinariè, ac generaliter esse superstitiosum, & frequenter continere expressam idololatriam. Quia per huiusmodi ritus solent Dæmones affectare diuinos honores, vt docet Augustinus libr. 10. de Ciuitat. capit. 9. & 10. Sed hoc magis videtur spectare ad Magiam, quæ fit cum expresso pacto. Secluso verò expresso cultu Dæmonis in his actionibus semper inuenitur inutilitas in ratione causæ, quia nullam vim naturalem habere possunt ad effectum intentum. Quia solùm sunt cæremoniæ quædam, quæ per leues motus manuum, aut aliorũ membrorum corporis fiunt, quæ per se non sunt actiuæ circa alios, ad quorum commodum ordinariè fiunt, nec in ipsomet, qui mouetur, si in eo effectus intendatur, possunt per se causare, nisi hoc, vel illud vbi, & per accidens calorem aliquem, si motus sit ad illum sufficiens: sed in præsenti nec solet esse talis, nec ob eam causam fit. Omnis ergo iste ritus adhibetur solum in ratione signi, quia secluſa ratione causæ, nulla alia ra-

12. Aliæ actiones, quæ adhiberi solent communiter sunt superstitiosæ. *August.*

tio supereſt, vt ſæpe dictum eſt. Tale autem ſignum, cum non ſit à Deo traditum, ſolùm ex pacto Dæmonis haberi poteſt, nec ipſe moueretur ſignis ab alio traditis, vt de ſignis Diuinationum diximus cum Euſeb. *Euſeb.* 5. de Præpar. cap. 7.

13. Quo pacto iudicandum ſit de rebus permanentibus, quæ adhibentur.

Præterea, eadem fere regula ſeruanda eſt in rebus permanentibus, quæ pro remedio adhibentur: nam in primis ſi in ratione naturalis cauſæ ſunt prorſus impertinentes, quia nullam virtutem naturalem habent, & ſufficienter hoc de illis conſtat, procedit generalis regula, quòd adhibentur, vt ſigna dæmoniaca. Quia non ſunt inſtrumenta Dei, qui poteſt lutum ſuper oculos imponendo, viſum reſtituere: nihil enim tale promiſit Deus ſe facturum per huiuſmodi res inutiles ad operandam ſanitatem applicatas. Eſt ergo B mera ſuperſtitio. Si verò res, quæ applicatur, talis eſt, vt poſſit habere naturalem aliquam virtutem vt eſt herba aliqua, oleum, vel quid ſimile: tunc in primis conſideranda eſt alia circunſtãtia ſuprà poſita ex parte modi, An ſcilicet effectus tanta celeritate fiat, vel fieri credatur, & ſperetur, vt naturalem vim talium agentium naturalium ſuperet; & tunc in idem redit, nam ad illum modum operandi tale medium eſt naturaliter improportionatum, vnde eſt ſignum aliunde prouenire proportionem, & virtutem. Et præterea, hac ratione ſolent circa res tales fieri aliquæ cæremoniæ vanæ ex his, quæ in primo, & ſecundo membro poſitæ ſunt, quaſi ad ſupplendam virtutem, quæ rei permanenti deeſt, cum tamen omnes illæ cæremoniæ C inutiles ſint ad illam conferendam, & ita in eandem ſuperſtitionem reuoluitur, quæ expreſsè damnatur in capit. *Non licet*, 26. q. 5. Vbi ſit prohibitio, ne in collectionibus herbarum, etiam medicinalium, aliquas obſeruationes, vel incantationes liceat attendere. Aliquando verò alicui rei permanenti ex materia prorsùs inutili ad talem effectum, adduntur alia ſigna permanentia, vt figuræ, lineæ & ſimilia, vt per ea virtus ſuppleatur, vel compleatur, cum tamen ipſæmet figuræ de ſe inutiliores ſint ad tales effectus, & ita in idem vitium reditur, quia tota illa res talibus characteribus, aut numeris depicta in ratione cauſæ, tam inutilis eſt, ſicut antea; ergo ſolum relinquitur in ratione pernicioſi ſigni. Et ideò Auguſtinus libro 2. de Doctrina D Chriſtiana capit. 20. & ſequentibus dicit hæc omnia *ad molimina Magicarum artium pertinere.* *Cap. Non licet.* *Auguſt.*

14. Quid ſentiendum ſit de alio modo qui in his effectibus eſt ex parte temporis.

Atque ex his facile conſtat, quid dicendum ſit de altera parte ſuprà poſita ratione cuius poteſt talis effectus ſuperare cauſas naturales, ſcilicet ex modo actionis in facilitate, & velocitate, vt ſi homo repente, ac ſubito ſanetur ſine miraculo, vel interuentu virtutis diuinæ, vel cum actio habet effectum in diſtantem locum, vt ſi faciendo hîc imaginem Petri Romæ exiſtentis, ibi ille doleat, vel cum ad prolationem aliquorum verborum res magni ponderis eleuatur, & ab vno loco in alium transfertur, vel cum perſona, adhibita v. g. certa vnctione, breuiſſimo tempore in locum diſtantiſſimum ducitur, & ſimilia. Dicendum enim eſt, totum hunc effectum reduci ad eam radicem ſuperſtitioſæ Magiæ, quia nimirum mediæ, quæ E ad talem modum actionis applicantur, re vera de ſe non ſufficiunt ad illum, nec poſſunt habere talem virtutem naturalem, & ideò manifeſtum eſt adhiberi non vt cauſas, ſed vt ſigna, ac ſubinde adhiberi ex pacto cum Dæmone, quandoquidem non poſſunt Deo attribui. Aduertere autem oportet, ſæpe talem eſſe modum harum actionum, vt non ſuperet omnem virtutem creatam; ad colligendum autem ſuperſtitionem, & pactum ſatis eſſe, vt penſatis omnibus circunſtantiis concurrentibus in modo talis effectus, conſtet ſuperare naturalem virtutem agentium corporalium, neceſſariúmque eſſe, vt aliquod inuiſibile, & *Aduertendũ.*

A incorporeum agens ibi interueniat, nam hoc ſatis eſt, vt de pacto cum Dæmone conſtet. Quia ſupponimus, virtutem illam ſuperiorem, & incorpoream ibi interuenientem non eſſe diuinam, nec miniſtrum eius, & ideò rectè concluditur eſſe Dæmonem, vt cap. præcedenti ſatis declaratum eſt.

15. Præcluditur ſubterfugium recurrentium ad virtutẽ ab anima, imaginatione, vel effectus his ſignis impreſſam.

Duo autem ſubterfugia Magorum hîc breuiter reijcienda ſunt. Vnum eſt eorum, qui dixerunt, hæc ſigna, quæ adhibentur, vt verba vel alia ſimilia, licet de ſe inefficacia videantur, accipere virtutem ad prædictos effectus, etiam quoad extraordinarium operandi modum, ab efficacitate animæ, vel imaginationis, aut affectus ipſius hominis operantis hæc mira opera. Dicunt enim eſſe in anima vim ad imprimendam virtutem his ſignis, quæ adhibentur, quando illa ſigna talia ſunt, vt proportionem aliquam ſeruent ad effectum, qua poſſint excitare affectum, & imaginationem operantis: vt ſi ſint verba ſignificantia ſanitatem, vel aliquid ſimile. Sed hoc ſubterfugium tam vanum eſt, vt in illius impugnatione immorari ſuperuacaneum videatur. Primò quia id nulla probabili, aut veriſimili ratione fundatur: Secundò quia imaginatio hominis non habet vim mouendi externa corpora, ſed ad ſummum commouendi internos ſpiritus, & humores hominis, cum quibus habet naturalem ordinem, vnionem, ac ſympathiam. Et eadem ratio eſt de interno affectu, & deſiderio, nam per ſe, & immediatè non operatur aliquid in alium, vel in verba, ſed ad ſummum poteſt aut membra ipſiuſmet hominis patientis illos affectus localiter mouere, aut humores eius concitare, in alio verò nihil poteſt efficere, niſi vel aliquid, quod per motum localem fieri poſſit, vel aliquam alterationem, vel obiectiuã motionem, quæ ex humoribus concitatis, vel ex halitu, aut ſpiritibus prouenire poſſit, hæc verò motio, vel alteratio non eſt productiua illius mirabilis virtutis: *Nec enim poteſt capillum vnum album facere nigrum*, vt dicitur Matth. 5. *Matth. 5.* Quomodo ergo poterit illam virtutem efficere, aut vnde in ea eſt tanta efficacia? Eſt ergo id vanum, & contra rationem, & ſenſum omnium. Tertiò conſtat experientia, eos, qui applicant hæc ſigna ad huiuſmodi opera, non moueri illa vehementi imaginatione, & affectu, ſed perinde illa verba proferre, & tangere manu, vel applicare oleum, aut pannum cum certis ceremoniis, ſicut ſolent vel medici, vel alij artifices ſua opera facere. Ergo figmentum eſt, illam excuſationem prætendere. Vnde etiam vanum eſt, ſignificationi verborum, vel cæremoniarum aliqua ex parte hanc efficacitatem attribuere. cum ſignificatio illa ſolùm ſit ex impoſitione vel publica, vt eſt in verbis ad ſignificandum: vel priuata, & voluntaria, vt ſolet eſſe in aliis ritibus, quibus iſti vtuntur; quod totum vel eſt ens rationis, vel denominatio extrinſeca, nihilque proinde poteſt ad recipiendam virtutem deſeruire. Denique maius miraculum eſſet, in tranſitorio verbo, quod vix per momentum durat, per ſolum affectum, deſiderium, aut imaginationem producere tam mirabilem virtutem, quæ ſubito ſanitatem efficiat, vel ingens pondus à terra eleuet, & ſimilia; quam facere ipſum effectum ſola imaginatione, vel deſiderio ad præſentiam talis ſigni: Sicut ergo hoc dicere inſanum eſſet, ita etiam illud. Plura, ſi libet, lege in Delrio, libro 1. capit. 3. quæſt. 2. & 3. & capit. 4. quæſt. 3. *Delrius.*

16. 2. Subterfugium recurrentium ad cœleſtes influentias impugnatur.

Aliud effugium Magorum eſt ad influentias cœleſtes, quod ex parte receperant aliqui viri aliàs prudentes, & docti: & ideò attentiùs conſiderandum eſt. Et in primis vix ſolet vſurpari in ſignis tranſitoriis, vt ſunt verba, & ſigna manuum, & ſimilia, tum quia ipſimet Magi in his ſignis faciendis nullam conſtellationem obſeruare ſolent, tum

tum maximè quia per se est incredibile, quod in re tam debili, & incapaci, vt est sonus verborum, aut motus manuum tam subitò, & in continenti tam magna virtus imprimatur à cœlo. Tum præterea quia nec de tali virtute cœli constat, nec humano modo constare potest. Solet ergo peculiariter hoc dici de signis permanentibus ex auro, argento, vel simili materia factis, vel in forma annuli cum certis figuris, vel in forma imaginis alicuius astri, vt sunt illæ, quæ imagines astronomicæ dicuntur. De his ergo dicunt aliqui, quòd licet ex materia sola, seu forma naturali non habeant hanc virtutem, si fabricentur peculiari modo per artem cum talibus figuris, seu characteribus, & sub tali constellatione cœlesti, inde accipere possunt virtutē intrinsecam ad tales effectus, ideóque B non posse inde colligi pactum cum Dæmone. Quam euasionem approbat Caietan. dicta quæstion. 69. art. 2. defendendo imagines astronomicas, quando sine aliis characteribus, vel numeris, aut certis punctis fiunt, sed solùm cum imagine alicuius signi cœlestis, vt Leonis, Virginis, & in certa constellatione, & solùm dicitur talis imago esse vtilis contra aliquem morbum, vt contra dolores renum, vel contra melancholiam, vel ad alium effectum similem.

Caietan.

17. Caiet. Ratio, qua approbat imagines astronomicas.

Ratio Caiet. est, quia ille effectus non est supernaturalis, sed fieri potest per artem medicinæ, & herbas medicinales, ergo non est superstitiosum credere, imaginem auream, vel argenteam verbi gratia fabricatam in tali constellatione, & cum illa forma C signi Leonis habere talem virtutem medicinalem ex impressione cœlesti, quam aurum, vel argentum sine illa imagine non haberet, quia illa figura per conformitatem ad astra, potest esse dispositio ad recipiendam ab astris talem influentiam, & virtutem, quam aliàs non reciperet. Nam figura secundum se potest aliquo modo ad actionem conferre, vt patet in instrumentis artis, & in rotis, & organis Mathematicis, & in motu grauium, in quibus figura iuuat naturam; & in viuentibus figura est magna pars organizationis: ac denique conformitas ad astrum in tali figura potest etiam conferre ad suscipiendam influentiam eius. Cum ergo influentiæ cœlestes sint nobis occultæ, non videntur tales imagines astronomicæ, si simplices sint damnandæ. Secùs autem (inquit) est si addantur alij characteres, quia illi sunt impertinentes, & nihil conferre possunt ad actionē. Et ideò solùm possunt adhiberi vt signa indicantia pactum cum Dæmone. Et hanc doctrinam confirmat Caietanus ex D. Thoma 3. contra Gent. cap. 105. nec putat illam retractasse in dicto art. 2.

18. Impugnantur hæ figuræ.

Verumtamen nullo modo admittenda est à viro Theologo hæc euasio, quia re vera est superstitiosa, & nulla probabili ratione fundata; & vt omittam alias imagines, quæ cum superstitiosis cæremoniis, & characteribus variis modis formantur (de quibus legi potest Deltrius lib. primo cap. 4. quæst. 1.) etiam in simplicibus nullam mihi videtur habere probabilitatem opinio Caietani. Et primò illam simpliciter condemnat D. Thomas dicto art. 2. ad 2. Qui optima vtitur ratione, quia forma artificialis non potest habere virtutem agendi, ab artifice quia solùm procedit ab idea mentis, quæ non est actiua (actione scilicet, & alteratione naturali) nec etiam ex natura sua talem vim habet, quia solùm cōsurgit ex compositione, ordine, & figura, quæ nec sunt principia agendi, nec disponunt ad recipiendam virtutem agendi ex influentia cœlesti. Additque D. Thomas auctoritatem Augustini lib. 10. de Ciuitat. cap. 9. & 11. vbi cum ex Porphyrio retulisset, fieri solere in terra ab hominibus herbas, lapides, &c. certis quibusdam figurationibus, atque figmentis, quibusdam etiam ob-

Deltrius.

D. Thom.

August. Porph.

A seruatis in cœli conuersionibus motibus syderum, quæ virtutem idoneam habeant aliquibus exequendis; addit August. *Totum hoc ad Dæmonis pertinere ludificationes, &c.* Verum est Augustinum ibi indistinctè loqui de figuris, & aliis vanis cæremoniis, & obseruantiis, nihilominùs tamen satis huic sententię fauet, & contra easdem imagines astronomicas optimè scribit Chrysostomus Homil. 8. in Epist. ad Colost.

Præterea, rationes Caiet. nullius momenti sunt; primò quia figura nunquam est actiua, nec proprium principium agendi, solúmque ad motum localem confert, & ad actionem instrumentorum, vel agentium, quæ per motum localem applicantur ad agendum. Et tunc etiam figura solùm disponit, vt agens, B vel instrumentum possit faciliùs, vel commodiùs applicari huic, vel illi loco, prout ad actionem intentam expedit. Et quoad hoc meritò est vtilis, quia per motum localem tenditur ad vbi, ipsa autem figura seruat proportionem cum Vbi, & illi naturaliter accommodatur, & ideò ad localem applicationem deseruit. At verò ad alterationem, vel ad naturales effectus, & virtutes, qui per alterationem fiunt, per se nihil confert. Nec potest intelligi, quid figura solis in metallo, lapide, aut ligno descripta ad hanc, vel illam cœli influentiam recipiendam conducat: nec enim lignum melius comburitur, eo quòd sit huius figuræ, vel illius, nisi illa deseruiat, vt melius applicetur: superstitiosum autem esset, imaginem ignis in C lapide depingere, vt actionem ignis melius reciperet. Distinctio autem illa Caiet. de figura, vt figura est, vel vt est forma artificialis, planè friuola est. nam illa denominatio formæ nihil prorsus addit, nisi vel habitudinem ad artem, vel ad subiectum, quod informat, vel certè (vt in Metaphysica dixi) forma illa physicè spectata potest includere alias qualitates, quæ ordinariè actiuæ non sunt; sed colores aliqui, qui ad recipiendam virtutem agendi non disponunt, nec in his imaginibus astronomicis solent considerari.

19. Caiet. rationes nullius momenti esse ostēditur.

Disp. 41. sect. 3. in fin.

Præterea, consonantia illa, quæ à Caietano spectatur inter imaginem, & astrum, seu signum cœli, cum sit tantum quædam relatio, vel extrinseca denoD minatio, quid conferre potest ad influentiam? Eo vel maxime quod hæc conformitas non est vera, & naturalis: nec enim in cœlo est vera facies Leonis, aut externa forma scorpionis, & similia: sed ex variis dispositionibus astrorum, variæ figuræ, vel imagines sunt ab Astrologis excogitatæ, & accommodatæ ad distinguendas partes Zodiaci, vel explicandas virtutes, & numerum stellarum, quarum habet maiorem obseruationem. Potuissent autem aliis figuris, & modis illas depingere, vel explicare. Quid ergo talis pictura, quæ ex sola humana accommodatione, & inuentione pendet, potest ad influentiam deseruire? Hinc ergo concluditur, non posse certam virtutem ratione illius imaginis tali rei quasi infundi, quia per illam E figuram non repræsentatur vnum simplex astrum, sed congeries multorum, ex quibus videtur in cœlo consurgere talis figura, & licet inter illa astra fortasse aliquod sit præcipuum, tamen alia simul influunt, & habent diuersas, vel contrarias virtutes; imò etiam aliæ vicinæ stellæ, vel planetæ tunc occurrentes influere possunt, & suam virtutem dare, ergo vanum est putare certam aliquam influentiam, & virtutem vnius astri peculiariter imprimi. Et præterea, esto, posset hoc fieri, non potest ab hominibus cognosci; sunt enim occultissimæ huiusmodi influentiæ, nam præter impressionem lucis, & quatuor simplicium qualitatum, vix aliæ influentiæ singularium virtutum cognosci possunt, præter eas, quæ ad formas substantiales per naturalem generationem consequuntur, quas melius recipiunt herbæ, lapides, & metalla,

20. Consonantia inter imaginem, & astrum reiicitur.

quàm imagines artefactæ. Ac denique licet aliquid astra influerent in tales imagines, incredibile est, ita immobiliter imprimi vt postea semper duret. Est ergo vsus talium imaginum superstitiosus, quia non possunt re vera exhiberi vt causæ, sed vt mera signa.

21. Ostenditur hanc esse D. Thom. sententiam.

Nec D Thomas 3. contra Gentes cap. 105. oppositum sentit, quin potius ibi etiam ex professo probat veritatem hanc: solùm in fine capitis, postquam rationes multas contra hoc magicum signum fecerat, subiungit hanc euasionem, quasi dari posset ab aliis, scilicet, formam artificialem, vt talis est, posse esse rationem specialis influentiæ, & consequenter specialis virtutis. Et ad illam non respondet ex proposito, sed ait solùm, in characteribus aliis, & numeris, quæ adduntur in his imaginibus, non habere locum. Et ita videtur tacitè illam responsionem approbare. Ad hoc verò dupliciter respondet ibi Ferrar. Primò artificialem formam non ratione sui, sed ratione mutationis, quæ fit in materia, quando illa imprimitur, posse disponere ad aliquam influentiam. Sed hoc neque potest accommodari ad D. Thomam, neque ad rem, de qua tractamus. Primum patet, quia eadem responsio dari posset de omnibus characteribus, qui in his imaginibus imprimuntur, nam etiam in illis sculpendis, vel imprimendis necesse est, aliquam mutationem in materia fieri. Quòd si instetur, quia per quoscunque characteres fieri posset similis mutatio in materia, illi autem characteres, vt tales, vel in tali numero, adhibentur vt necessarij. Eâdem proportione vrgere possumus de imaginibus, quia mutatio materiæ eadem fieret, imprimendo aliam imaginem, & tamen hæc censetur necessaria. Est ergo eadem ratio, & ita redargutio D. Thomæ fuisset inefficax.

22. Atque hinc probatur secundum, & refutatur doctrina in illa euasione contenta. Primò ratione insinuata, quia talis forma adhibetur vt necessaria in tali conformitate, & similitudine ad astrum, ergo signum est, adhiberi vt artificialem formam per se, & non tantum ob aliam alterationem, quæ fit in materia, quando illa imprimitur: nam hæc fieri posset per aliã formam, vel sine vlla, comprimendo illam materiam, vel densando, vel cauando, vel liquefaciendo illam priùs, & posteà infundendo, nec enim in tali materia fieri solent alterationes aliæ, & hæ possent in illa fieri sine impressione alicuius imaginis vt constat. Secundò quia nec ex parte huius mutationis potest consurgere in tali materia dispositio sufficiens: tum quia potest illa mutatio esse tantum localis, diuidendo, & separando aliquas particulas illius materiæ ab aliis, per quam separationem non applicatur illa materia cœlo melius ad recipiendum calorem, vel lumen, sicut in terra motio eius solet conferre ad influentias cœli melius recipiendas. vel vt calor magis penetret, vel vt humiditas aquæ melius illam disponat, quod in proposito non habet locum; tum etiam quia licet fæpè, dum imprimitur figura fiat aliqua alteratio caloris, statim transit vnde non potest esse dispositio ad perseuerantem influentiam, nec potest esse sola illa dispositio sufficiens in corpore tam denso, & terso, & natura sua alieno à tali virtute. Tota ergo superstitio ponitur in imagine, & interdum fortasse tantùm requirent imaginem depictam, quæ sine alteratione materiæ fieri potest. Alia ergò responsio melior est. D. Thomam ibi non curasse de explodenda ex professo illa euasione, tum quia per rationes factas priùs in eodem capite expugnanda erat, tum etiam quia ex integro ritu talium imaginum satis conuincebatur esse superstitiosas. Plura de his imaginibus lege in Delrio lib. 4. quæst. 1. Vbi alios Auctores refert.

Exponitur D. Thom.

Delrius. Chrysost.

23. Obiectio, in

Vna verò superest obiectio partim ab experientia, partim ab auctoritate sumpta, præsertim in actionibus ordinatis ad conferendam sanitatem, morbosque pellendos. Videmus enim passim, ab aliquibus multa fieri cum corporum vtilitate, ac fructu, & per media de se inefficacia, vt sunt verba quædam, vel sola, vel cum aliqua vnctione olei, vel solum adhibendo frustrum panniculi linei, vel alterius materiæ ab eisdem artificibus benedictum. Quibus remediis suo modo adhibitis sanant vulnera, quæ à Medicis creduntur incurabilia, & interdum subitò, vel tam breui tempore, vt vix credibile sit naturali aliqua virtute id fieri posse. Idémque est de his, qui in Hispania salutatores vocantur, qui sanitatem conferunt suo tactu, vel benedictione, aut aliis obseruantiis, non quidem clarè superstitiosis, de se tamen inefficacibus, & præsertim valere solent contra rabiem canum, seu morsus eorum. Accedit, quod ibi publicè faciunt hæc, & interdum examinantur ab Episcopis, & Inquisitoribus, & facere non prohibentur. Ergo vel signum datum ad cognoscendum pactum implicitum Dæmonis sufficiens non est, vel non semper est damnandus vsus rerum, quæ vim habuerint ex tali pacto, quando ille, qui eis vtitur, id ignorat, & bona fide operatur, & in verbis, aut factis, quibus vtitur, nihil fidei contrarium, neque falsum, nec contra Ecclesiæ cæremonias, neque aliter pernicioſum appareat. Vnde etiam Caiet. 2. 2. q. 96 art. 4. excusat eos, qui vtuntur quibusdam annuis confectis ex nummis oblatis crucifixo in die Parasceue, cum adoratur, vt eis iuuentur contra morbum contractionis neruorum; & in vniuersum eos, qui similia faciunt ex simplicitate, & deuotione, credentes Diuina virtute illa fieri, solùm quia ita acceperunt ab aliis, & ita experti sunt. Hac ergo ratione poterunt omnes excusari.

Caiet.

24. Explicatur obiectio, in quantum comprehendit eos, qui herbis medicis vtuntur.

Ad hoc non potest vna generalis responsio dari, quæ omnes istos homines comprehendat. Quidam enim vtuntur aliquibus herbis medicinalibus habentibus re vera virtutem ad illos effectus, ad quos applicantur, & adeò sunt efficaces, vt citissimè, & regulariter operentur, multùm autem occultæ, & inusitatæ; & inde prouenit, vt curationes illæ vulgo existimentur mirabiles. Et tunc clarum est, non interuenire peccatum per se loquendo, quia illa curatio non pertinet ad superstitiosam Magiam, sed ad naturalem. Solent autem interdum hi homines tam occultè, & artificiosè vti his remediis naturalibus, vt sine illis operari appareant, vt hoc modo in maiori æstimatione, & admiratione habeantur; & tunc quidem potest esse peccatum vanitatis, vel etiam auaritiæ, non tamen erit mortale, nisi vel iniustitiam transeat, vel scandalum graue inde generetur, inducendo homines, vt iudicent, illud fieri opera Dæmonis, vel sub illa specie maiora promittendo, quæ supra virtutem sint naturalium causarum, & parando viam ad introducenda opera superstitiosæ Magiæ. Et quia in his hominibus semper est morale periculum, ideò non sunt publicè permittendi, nisi clarè ostendant saltem Magistratibus Reipub. quibus herbis vtantur, & probabili aliqua via ostendant, tales herbas talem habere virtutem. Potest autem contingere, vt virtus talis herbæ casu cognita sit, vel traditione accepta à peritissimis Medicis, vel certe aliquando etiam potest esse à Dæmone manifestata, non quidem illi, qui nunc ea vtitur, sed aliis, qui præcesserunt, & postea experimento cognitum sit, Dæmonem verum dixisse. Et tunc nullum erit peccatum tali herba vti, quia ille vsus iam non fundatur in societate Dæmonis, sed in virtute à Deo data, iámque experimento cognita. Quod autem illa cognitio occasionem, vel originem sumpserit ex doctrina Dæmonis, per accidens est. Ita rectè notauit Victor. dicta Relect. num. 15. Aliqui etiam credunt, interdum has virtutes reuelatas esse

qua de iis agitur, qui per verba, & lintei applicationem vulnera sanant.

Diui-

Vide Plin. li. 3. c. 1. & lib. 24. c. 17. & lib. 30. c. 1.

Diuinitus, vel apertè, vel per insomnia, vt ex Plinio 2. lib. 25. Natur. Histor. refert Nicol. Leonicus in proœmio ad lib. Arist. de Præsensione per somnium. Vndecumque ergo talis cognitio originem traxerit, vsus virtutis cognitæ per se licitus est, & non pertinet ad Magiam, de qua agimus.

15. Quid dicendum de modo, quo salutatores curant. *Victor.*

Alij sunt, qui conferunt sanitatem aliquorum morborum, vel vulnerum sine remediis naturalibus, vel propriè artificialibus, sed solis verbis deprecatoriis ad Deum cum signo Crucis, vel alio simili non superstitioso. Et hoc modo dicuntur operari hi, qui salutatores appellantur. De quibus dubius est Victoria supra num. 16. præsertim quia solent esse homines vitiosi, & quæstuosi; sed non audet illos condemnare, quia gratiæ gratis datæ interdum communicantur peccatoribus; vnde præsumi de his potest, quòd habeant à Deo gratiam sanitatum, quia vnusquisque præsumitur bonus in aliqua actione, si in ea non appareat malus. Vnde communiter ab Ecclesia videntur hi homines tolerari, & ideò non sunt à nobis facilè damnandi. Addit etiam Victoria, posse in his hominibus esse virtutem aliquam naturalem contra morbum certum, verbi gratia morsum canis rabiem patientis, &c. non per sola verba, vt verba sunt, sed vt halitum, & spiritum secum deferunt, in quibus potest esse ex tali complexione aliqua bona virtus, sicut in fascisnatione dicitur esse mala, vel sicut dicitur fuisse in Psylis contra morsus serpentum. Quapropter in his multùm considerandum est, an vtantur certis quibusdam verbis, vel signis, quæ ab aliis didicerunt, & quibus putant inesse virtutem, ità vt à quacumque persona fiant, eundem habeant effectum: nam quando ita sit, est apertum signum non esse gratiam gratis datam, quia hæc non adhæret verbis, aut signis, sed communicatur personæ. Et non est in potestate recipientis illam, aliis eam communicare, sed gratis dat illam Deus, cui vult. Et eodem signo ostenditur, tunc non esse virtutem naturalem, quia quando talis est, est quasi individualis ex tali complexione, & temperamento, & ideò non adhæret verbis, à quocumque proferantur, nec est in potestate vnius transfundere illam complexionē in alium. At verò quando virtus est personalis, & non habuit malum initium, de quo constet, sed persona illa, vel casu, vel ex fide bona, & simpliciter incœpit operari, & postea experta est effectum, & à Deo illum sperat, & non ab alio, non videtur damnanda. Præsertim quando is, qui illam exercet, piè viuit, & illa gratia honestè vtitur, alioqui suspectus esse debet. Nam licet Deus interdum conferat aliquam gratiam gratis datam homini peccatori, non tamen permanenter, & habitualiter, & quasi ad arbitrium eius, sed solùm ad aliquem actum, per occasionem, & propter aliquam fidei vtilitatem, vt ex D. Thoma notauit Victor. supra num. 14. At isti profitentur se habere hanc virtutem priori modo, & ideò suspecti sunt.

D. Thom. Victor.

16. Quid dicendum de aliis qui per verba, & panniculi applicationem alios sanant.

Alij denique vtuntur ad huiusmodi effectus præstandos quibusdam remediis externis, certis, ac definitis, de quibus euidens est, non posse esse causas naturales talium effectuum, ac subinde esse signa. Et dicuntur esse talia, vt à quocumque addiscantur, & proferantur talia verba, & applicetur pannus cum tali benedictione, & similia, effectus infallibiliter fiat. Et hoc potissimùm modo dicuntur nunc aliqui similes curationes efficere, & publicè tolerari, & ita de illis maximè procedit difficultas proposita. Ad quam, quòd ad conscientiam attinet simpliciter censeo, non esse ita tolerandos, vt Confessores illam licentiam eis concedant, eósque absoluant. Nam licet pro aliquo tēpore excusari aliqua ex parte per ignorantiam potuerint, quia nimirum per solam aliorum traditionem id acceperant, quia ita experti fuerant sine aliquo consortio cum Dæmone, & ipsi etiam postea experti sunt sine suspicione mali: nihilominùs in re ipsa, & secundum se non erat id licitum, ita vt vix potuerit ignorantia fuisse omninò inculpabilis: quia illi non habent probabilem rationem ad præsumendum diuinam virtutem esse infallibiliter assistentem illis verbis, & actionibus, vt sæpe dictum est. Quia hoc est proprium verborum Sacramentalium, & aliquid simile introducere sine Ecclesiæ auctoritate superstitiosum est, & in fide periculosum. Quid enim si quis crederet, se habere propria quædam verba, quibus infallibiliter sanctificetur anima ex promissione diuina? nonne hæreticus reputaretur? ergo perinde ferè reiiciendus est, qui simile quidpiam dixerit de quocumque supernaturali effectu. Relinquitur ergo, vt qui hoc modo illis verbis, vel vanis obseruantiis vtuntur, velint, nolint, tacita societate Dæmonis vtantur. & in illa confidant, vel saltem morali periculo illius se exponant.

17. *Caiet.* Non posse præsumi Deum alicui Sancto hanc gratiam concessisse.

Nec sufficiens reputanda est excusatio à Caiet. data, quòd isti possunt præsumere Deum alicui Sancto gratiam illam concessisse, quia Deus non consueuit conferre has gratias quasi permanentes, & affixas ipsis verbis, (vt sic dicam) à quocumque proferantur. Neque id fuisset consentaneum diuinæ sapientiæ, & prouidētiæ, quia per se non confert ad salutem æternam, & alioqui esset occasio multarum illusionum, & deceptionum Dæmonum: hoc enim colore possunt infinitæ fraudes Magorum occultari. Ac denique nulla est verisimilis ratio ad id præsumendum. Quanquam fortasse, quando opus aliquod per se redolet pietatem, & fouet illam, nihilque falsum, aut malum præ se fert, nihil noceat credere, alicui Sancto factam esse talem gratiam propter tale opus, neque etiam oberit imitari illum in tali opere, aut deuotione, si forte Deus simile beneficium concedere dignetur? non quia credatur infallibiliter futurum ex promissione, id enim superstitiosum est, sed quia impetratio à Deo per opera pietatis semper potest sperari. Isti autem largitores sanitatum non hoc modo operantur; sed cum certitudine effectus, & consequenter ex aliquo pacto superstitioso, & nihil faciunt, quod redoleat pietatem, nec ipsi hoc spiritu operantur, imò ad decipiendum, & lucrandū sæpè fraudes, & mendacia adiungunt, & ideò non est aperienda hæc ianua propter desiderium temporalium beneficiorum. Ideóque non arbitror, posse hoc in foro conscientiæ dissimulari. In foro autem exteriori fortasse interdum conniuetur, quia non probantur sufficientia indicia ad pactum tacitum præsumendum.

18. De Maleficio.

Supereſt dicendum de tertia ſpecie huius Magiæ, quam maleficium appellauimus: circa quam hoc loco non immorabimur; tùm quia omnia, quæ de secunda ſpecie diximus ad hanc possunt cum proportione applicari: tum etiam quia in hac certiora, & euidentiora sunt indicia pacti cum Dæmone, quia cum tota hæc actio malefica ad deceptiones, impuritates, & iniurias ordinetur, præ se fert diabolicum adiutorium, vnde in signis ipsis nihil conspicitur, quod non ostendat vanitatem, irreligiositatem, & sæpissimè apertam idololatriam. Tùm denique quia omnia, quæ duobus capitibus dicenda supersunt, ad actiones huius tertiæ speciei maximè pertinent: & ita ex illis sufficienter declarabuntur omnia, quæ ad doctrinam moralem huius speciei desiderari possunt.

CAPVT XVI.

Vtrùm omnia opera Magiæ præstigiosa sint, vel solida, & vera.

1. HIc iam non inquirimus, an omnia ista opera fiant ab hominibus per meram impostu-ram, ac deceptionem. Supponimus enim ex suprà dictis sæpissimè talia esse, vt nulla virtus ac subtilitas humana ad illa sufficiat. Vnde distinguendo omnes actiones Dæmonis ab his finitionibus hominum, dicere possumus: omnia opera Magiæ verè, & realiter esse opera dæmonum. Sicut dici verissimè potest, columbam, quæ in baptismo Christi apparuit actione vera, & propria Angelorum bonorum formatam fuisse, quia siue illa fuerit vera columba quoad substantiam talis animalis, siue tantùm imago eius, vtroque modo debuit industria, & monitione sanctorum Angelorum formari. Ita ergo in præsenti supponimus, hos corporeos effectus, vel motus, qui per Magiam fiunt, per realem, ac veram operationem Dæmonum fieri. Inquirimus autem de substantia ipsorum effectuũ, qualis sit, id est, An sint veræ res, quales apparét, vel solùm appareant per effectionem aliquarum veluti imaginum, specierum, aut phantasmatum, quæ omnia generali vocabulo præstigias vocamus? Videri autem potest hæc quæstio speculatiua potiùs, quã practica, & pertinere magis ad factum, quàm ad ius, & ad historiam magis, quàm ad mores. Sed nihilominùs prætermitti omninò non potuit, quia ad explicandum ius, & malitiæ grauitatem, & obligationes, quæ inde nascuntur, factum ipsum intelligere necesse est; breuissimè tamen ex doctrina speculatiua sola illa resumemus, quæ præsenti instituto necessaria fuerint.

Corporeos effectus à Magia editos actione Dæmonum fieri.

An res quæ apparent, veræ sint.

2. Quoniam autem hi effectus, qui à Magis fiunt, à Dæmone, seu virtute eius fiunt, ideò ad declarandum, quales sint ipsi effectus, necessarium est de potestate Dæmonis ad operandũ circa homines, & has res sublunares pauca præmittere. Quæ res ex professo tractanda est à nobis in materia de Angelis; & ideò satis huic loco erit, principalia principia, & fundamenta proponere, ac breuiter corroborare. Primò ergò supponimus, omnem virtutem, & potestatem operandi ad extra, seu actione transeunte, & corporali, quæ Angelis est naturalis: in Dæmonibus post peccatum integram mansisse, quia per peccatum non fuerunt in Angelis naturalia diminuta, nedum amissa, vt est axioma Theologorum cum D. Thom. 1. p. q. 64. art. 4. sumptúmque est ex Dionysio c. 4. de diuinis nominibus. Solùm est aduertendum, quòd licèt virtus ipsa in se non fuerit diminuta, nihilominùs subiectio, & subordinatio illius aliquo modo immutata est propter ordinem gratiæ, & supplicium culpæ. Naturaliter enim Angelus in naturali perfectione superior cogere potest inferiorem, aut ei resistere, ne sua virtute exteriùs operatiua vtatur, quia sicut est natura superior, ita etiam actiuitate. Qui ordo non est mutatus in Dæmonibus inter se, vt Theologi tradunt, tamen respectu sanctorum Angelorum immutatus est, quia licet Angelus bonus sæpe sit inferior in natura, nihilominùs minimus sanctus Angelus potest cogere supremũ Dæmonem, eique efficaciter præcipere ita vt minimus Angelus custos possit potentiæ totius Inferni resistere. Et ratio est, quia tunc non operatur sanctus Angelus sola virtute naturali, sed vt minister Dei sine cuius nutu, & voluntate nihil intentat.

De potestate, quæ est in Dæmone operandi circa res sublunares.

D. Thom. Dionys. Virtus naturalis non est in Dæmone imminuta per peccatũ, subordinatio tamen illius est immutata.

3. Secundò statuendum est, Dæmones virtute naturali multa posse facere, & operari circa corpora, & res inferiores. Hoc in primis ex historia canonica colligitur: nã in Scriptura legimus, Dæmones multa operari circa homines, vel alia corpora; sed non operantur illa virtute gratuita, aut supernaturali, ergo. Minor euidens est, quia Dæmones sunt hostes Dei, qui publicum bellum contra eum gerunt, cur ergo Deus supernaturalem virtutem eis tribueret: Item Dæmon non vtitur hac virtute, nisi ad malefaciendum ac decipiendum, ergo non est specialiter infusa à Deo, aliàs videretur infusa propter illum finem, quod à diuina bonitate alienum est. Data ergo fuit à principio cum ipsa natura, & propter optimum finem, propter quem data est natura; mansit verò postea in natura per peccatum lapsa, quia Deus noluit propter peccatum naturalia auferre, sed gratuita. Maior autem propositio constat, nam Tobiæ 3. legimus, Dæmonium nomine Asmodæum occidisse septem viros Saræ. Et Iob. 1. & sequentibus multa mala narrantur, quæ Sathan in tentatione Iob operatus est; & c. 41. dicitur. *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei.* Et Petrus de Dæmone, seu de Diabolo, qui idem est dicit quod *circuit quærens, quem deuoret.* 1. Petri 5. Quod nonnisi operando, & aliquid agendo circa corpora, & ipsos homines, exequitur. Et Paul. ad Ephes. 6. vocat Dæmones *mundirectores tenebrarum harum*, qui nobis insidiantur, & ideò aduersus illos colluctari debemus. Non possent nobis insidias parare, nisi aliquid circa nos, vel res exteriores, aut interiores, quæ nos mouent operando. Nec nobis cutandum esset de illorum bello, si nihil erga nos agere possent, & similia sunt sexcenta in Scriptura. Certum ergo de fide sit, Dæmones habere aliquam vim agendi in homines, & in corpora, hæc præsertim sublunaria. Ratio reddi potest ex perfectione Angelicæ naturæ, quia non est verisimile esse expertem omnis actionis, & virtutis actiuæ in corpora: vt omittamus rationes physicas ex motibus cœlorum & similes.

Tob. 3. *Iob. 1. & 41.* *1. Petr. 5.* *Ephes. 6.*

4. Hinc tertiò pro certo habent Theologi statim referendi cum Augustino, posse Dæmones corpora loco mouere, & ita facere, vt distent, quæ propinqua erant, & vt incipiant esse propinqua, quæ erant distantia. Quod etiam euidenter probatur ex Matth. 4. Vbi dicitur: *Tunc assumpsit eum Diabolus in sanctam Ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum Templi. Et iterùm assumpsit eum in montem excelsum, & ostendit ei omnia regna, &c.* Quæ verba euidenter significant motum localem à Dæmone factum in corpore Christi, & ostensionem illam omnium regnorum per aliquã ex parte obiectorum mutationem, vel repræsentationem factam esse multi non improbabiliter arbitrantur, quæ mutatio (siue ad sensum corporis, siue ad phantasiam facta fuerit repræsentatio) sine aliqua corporum mutatione intelligi non potest. Certum etiam est, Dæmonem locutum fuisse ad Christum sensibiliter ad aures corporis, & probabile est, locutum fuisse in forma visibili, quæ omnia sine monitione locali corporum fieri non possunt. Ex libro etiam Iob clarè constat Dæmonem excitasse ventum validũ, & alia multa fecisse, quæ sine motu corporis fieri non possunt. Ratio denique naturalis reddi potest, quia motus localis facit in mobili minimam transmutationem inter omnes motus, ergo cum Dæmon possit immutare corpora saltem localem motum poterit in eis efficere. Quin potius alios motus non potest immediatè efficere in corporibus, vt in sequenti puncto dicemus, ergo necesse est, dicere saltem mutationem localem efficere posse. Dices, ergo poterit Dæmon inuertere totum ordinem vniuersi, vel hunc montem in alium locum transferre. Respondeo primùm licèt possit mouere corpora localiter, non ideò hoc posse sine vlla mensura, quia virtus eius finita est, & ideò fortasse nõ potest mouere violenter corpus cuiuscũque magnitudinis, nec potest quanta voluerit velocitate corpus quodlibet mouere. Vnde non est improbabile

4. Dæmones possunt corpora mouere loco.

Iob.

Obiectio.

Respondetur.

habile, plures Dæmones simul plus posse efficere vel maius corpus, aut velocius mouere, quam vnum solum. Secundò dicitur etiam intra mensuram, quam potest, non semper permitti agere, quantùm potest, vt constat ex lib. Iob, & Tobiæ, & Matth. 8. & sæpe alibi in Scriptura. Nam hoc spectat, ad diuinam prouidentiam, & dependentiam omnis virtutis creatæ ab ipso Deo. Hac ergo ratione non potest Dæmon inuertere ordinem vniuersi, neque alia multa satis minora facere, quæ sine dubio faceret, si permitteretur. Vide D. Thom. 3. contra Gent. cap. 108.

Matth. 8.

D. Thom.

5.

Dæmones solum applicando actiua passiuis inducunt formas, & qualitates in corpora.

August.
D. Thom.
Alens.
Bonauent.

Quartò statuendum est, non posse Dæmonem immediatè, ac per se transmutare corpora ad formas, vel qualitates, sed solùm posse ad has transmutationes operari applicando actiua passiuis per motum localem. Vnde fit, vt præter hunc modum nihil possit in corporibus, vel potentiis hominum, vel aliorum efficere, nisi virtute alicuius agentis naturalis hoc, vel illo modo applicati fieri possit. Ita docet Aug. lib. 83. Quæst. q. 79. & lib. 3. de Trinit. cap. 7. & seq. D. Thom. 1. p. q. 65. art. 4. Et quæst. 110. art. 2. 3. & 3. contra Gent. cap. 130. Alens. 2. quæst. 43. Bonauent. & alij in 2. d. 7. Hinc ergo fit primò, vt transmutationes & formationes rerum, quæ per aliqua agentia naturalia fieri non possunt, non possint verè per virtutem Dæmonum fieri, sed ad summum apparenter. Patet, quia Dæmones nihil possunt agere immediatè nisi motum localem, reliqua verò solùm applicando naturalia agentia, ergo si naturalia agentia ex se non habent virtutem ad effectus aliquos, quantumuis ad illos applicentur, illos non efficiunt. Sic non potest Dæmon homines resuscitare, quia licet possit fortasse animam separatam localiter mouere, & intra corpus mortuum præsentialiter constituere (si permittatur) non tamen potest illam iterum corpori vnire, nec in corpore restituere organizationem ad hoc necessariam, quia naturalia agentia extrinseca non possunt illam efficere. Et eadem ratione non potest hominem generare per solam applicationem extrinsecorum agentium, quia organizatio corporis humani tam perfecta est, vt fieri non possit naturaliter, nisi ex humano semine, & in matrice fœminæ per naturalem calorem, & alias virtutes animæ ad illud munus deputatas. Potest tamen Dæmon coeundo in corpore assumpto, nunc cum viro tanquam succubus, postea cum fœmina vt incubus, facere; vt illa concipiat verum hominem, tamen ibi genitor illius hominis re vera est vir ille, à quo priùs Dæmon semen accipit; quia ille virtutem seminariam confecit, & emisit, quamuis ad vterum fœminæ nonnisi mediante industria, & mutatione locali Dæmonis peruenerit, quæ differentia accidentaria est. De qua re legi potest Aug. 5. de Ciuit. c. 23. & quæ tradit Isidor. lib. 8. Originum c. 11. in fine, & communiter Scholastici cum Magistro 2. distin. 8. & alij multi, quos refert, & sequitur Petrus Binsfeldius libr. de Confessionibus Malefic. post prælud. Conc. 5.

August.
Isidor.

Magist.
Binsf.

6.

Arte Dæmonũ fieri non posse animalia perfecta.

Secundò eadem ratione non possunt industria, & arte Dæmonis fieri animalia perfecta, quæ ad suam generationem multam, & perfectam organizationem requirunt, & ideò nec ex putrefactione, vel per alia quasi casuali, vel accidentario concursu particularium agentium, & patientium fieri possunt; sed solùm per viam à natura institutam, sicut de humano corpore dictum est: nam quoad hoc est eadem ratio. Hinc etiã rectè colligitur, omnes transmutationes hominum in bestias, quæ fieri dicuntur virtute Dæmonis non esse veras, sed apparentes, nam vt essent veræ, oporteret, animam hominis, qui mutari dicitur, à corpore separari, & illi vniri veram animam bouis, aut asini, &c. vtrumque autem falsum esse constat. Primùm quidem, quia si anima talis hominis semel à corpore separetur, non posset idem homo postea redire virtute eiusdem Dæmonis, quia non posset resurgere, contrarium autem fit in his trãsmutationibus, nam idem homo postea redit, sicut antea erat. Secundum etiam est falsum, quia nõ potest Dæmon per applicationem agentium naturalium, ita hominem interficere, vt materiam eius disponat, & organizet sufficienter ad introductionem animæ bouis, aut asini, vel similis bruti perfecti maximè immediatè, & subitò, vt istæ apparitiones fiunt, sunt ergo illusiones sensuum, & Dæmonum præstigiæ, vt docuit August. 18. de Ciuit. c. 17. & 18. Chrysost. homil. 29. Matth. Isidor. li. 8. Origen. c. 9. Rabban. lib. de Magorum præstig. & habetur in c. *Non mirum* 26. q. 5. Idem D. Thom. q. 6. de Potentia art. 5. ad 6. Et 1. p. qu. 114. art. 4. ad 2. Bonauent. 2. distin. 7. art. 2. q 2. Victor. Relection. de Magia, Castrus lib. 1 de Iusta hæreticorum punitione, cap. 14. Paulus Grillan. lib. 2. de Sortilegiis q. 7. Petrus Binsfeldius lib. de Confessionibus Malefic. circa conclusionem 3. vbi plures alios refert.

Transmutationem hominis in bestiam à Dæmone non verè sed solùm apparenter.

August.
Chrysost.
Isidor.
Oriz.
Rabban.
D. Thom.
Bonauent.
Victor.
Castro.
Grillan.
Binsfel.

Ex eodem autem principio sequitur, posse Dæmones verè, & non tantum apparenter efficere aliquos effectus, qui per celerem motum localem, & applicationem elementorum naturaliter agentium, & patientium, consurgere possunt, vt sunt ranæ, mures, muscæ, & similia, vt Auctores citati docent, & alij Theologi cum Mag. 2. d. 7. & D. Th. d. q. 110. & 114. & Alens. 2. p. q. 43. memb. 2. ex Aug. 3. de Trinit. c. 7. & sequentibus. Et ratio est clara, quia Dæmon potest naturaliter mouere hæc corpora magna cum celeritate, ergo etiam potest ita illa applicare, vt ex eis resultent illi effectus, qui ex putrefactione vel ex casuali occursu talium rerum solent casu consurgere, iuxta doctrinam Arist. 7. Metaph. textu 23. Accedit, quod ad has generationes multùm conferunt astra, & inflexus eorum: vnde cum Dæmon optimè cognoscat astrorum dispositiones, & virtutes potest etiam ita applicare inferiorem materiam, & agentia, vt aptissima sint ad tales generationes faciendas. Et ideò id, quod legimus Exod. 8. & 9. de Sapientibus, & maleficis Ægyptiis, quod fecerunt ranas, serpentes, &c. verè factum esse, & non tantùm apparenter sentit Aug. suprà, & lib. 20. de Ciuit. c. 18. Et facilè credi potest. Quod autem ciniphes facere non potuerint, diuino consilio factum est, vt constaret, eos non Dei virtute operatos fuisse, sed ope Dæmonis, qui non semper permittitur facere totum id, quod potest, vt deceptiones eius detegãtur.

7.

Verè Dæmones efficiunt animalia imperfecta.

Magist.
D. Thom.
Alens.
August.

Exod. 8. & 9.

August.

Similiter dubium non est, quin possit Dæmon mulieres has, quæ sagæ, seu striges vocantur (*Bruxas*) verè, & realiter deferre in loca distantissima breuissimo tempore, quia hic effectus non excedit virtutem naturalem Dæmonis, vt constat. Vnde etiam constat, posse Dæmones has fœminas verè introducere in domos vsque ad interiores partes earum, etiamsi clausæ sint: nõ quia possit per ianuam, vel fenestram clausam hominem introducere (id enim virtute nullius agentis naturalis, aut creati fieri potest.) Sed quia potest portas subitò, & sine strepitu aperire, & iterum claudere: nam hæc, & similia per solum motum localem fieri possunt. Qua propter etiam non possunt humanum corpus intromittere in aliquem locum per foramen adeò paruum, vt capere corpus integrum nõ possit, nisi nimiùm densetur, vel comprimatur, quod sine graui læsione, & dolore corporis, & interdum sine interitu hominis fieri non possit. Potest tamen Dæmon celerrimè dilatare viam, & foramen, & statim ad priorem statum restituere, quia hæc omnia per solum motum localem fieri possunt; itaque hæc, & similia facere possunt. Quamuis autem hæc mira hominibus videantur, quia insolita, & quia supra vires humanas sunt, non sunt tamen vera miracula, vt notauit

8.

Striges verè deferũtur in loca distantissima breui tempore, & intra domos.

D. Thom. Alens. Isidor. Iustin.

tauit D.Thom.1.p.q.110 art.4.Alens.2.p.q.42. & 43. A Et reliqui Theologi 2.d.7.Et attigit Isidor.lib.8.Orig. c.9.Iustin.Martyr.qu.24.& 26.vbi distinguit vera miracula ab omnibus Magiæ operibus. Ratio verò est,

Quid sit miraculum.

quia miraculum propriè illud est,quod simpliciter fit vltra totam virtutem causarum naturalium, & rarum est, & insolitum: hæc autem opera Dæmonum nunquam esse possunt supra totam virtutem causarum naturalium,vt declaratum est, & ideò non sunt vera miracula,etiamsi rara,& extraordinaria videantur.

9.

His positis de potestate Dæmonum,quæstio superest de facto,quales sint effectus, quos per Magos operantur.Nam esse possunt veri, aut apparentes, & sine dubio vtroque modo generatim loquendo,ab eis fieri possunt;ambiguum autem est, quomodo fiant. Sub qua quæstione generali,multæ particulares continentur, vt an ranæ factæ à Magis in Ægypto fuerint veræ; an Samuel verè apparuerit ad vocem Pythonissæ, vel an lamiæ, vulgò *Bruxas*, realiter transferantur ad loca distantia,vel solùm phantasia; quæ omnia prosequi longum esset;attingemus autem necessaria, & reliqua ad alios auctores remittemus. Prima ergo opi-

1. Opinio asserens omnia hæc opera esse solum apparentia. *Plin.*

nio fuit, hæc omnia fieri tantùm per præstigias & illusiones phantasiæ, non verè.Ita videtur sensisse Plin. lib.30.cap.1.Sed ille re vera magis sentit errorum suprà impugnatũ, quòd ista opera nullo modo sint per actionem Dæmonis,sed per industriam,& ludum, ac deceptionem hominum.Ex his autem, qui opera hu-

Vide Vict. Relect. de Magia, c. 1. & 2. Martinum lib.2.q. 6.& sequen. Ca. *Episcopi.*

ius artis talia esse confitentur, sine ope Dæmonis fieri non possit,non inuenio, fuisse auctorem, qui in vniuersum negauerit,aliquem verum effectum fieri à Magis. Nihilominùs potest hoc suaderi ex cap. *Episcopi*, 26. qu. 5. vbi post narrationem quarundam similium actionum,vel mutationum,quæ à strigibus fieri dicebantur, dicitur, quòd Sacerdotes per suas Ecclesias omni instantiam prædicare debent,falsa esse,& à maligno spiritu per phantasiam,& seductionẽ fingi.Vnde videtur ibi apertè doceri vniuersè, & sine restrictione vlla hæc Magorum opera solùm per illusionem, & phantasiam fieri, nunquam per veritatem. Coniectura adiungi potest, quia vel Dæmon ipse,qui pater est mendacij,nihil verè operari vult, volens potiùs omnibus modis homines decipere, & illudere, vel fortè quia non permittitur à Deo aliquod mirum opus verè facere,ne homines ignorantes credant, æqualia esse talia opera à Dæmonibus facta, & à Deo per miraculum,vel per gratiam gratis datam. Alioqui non possumus ex operibus discernere, quid à bono, quid verò à malo spiritu fiat;atque ita multa supernaturalia opera vim suam amitterent ad testificandam, seu confirmandam diuinam virtutem, & veritatem. Ac denique certissimum est, multas ex his rebus,quæ per Magiam fiunt apparentes esse, est autem eadem ratio de omnibus,vel saltem nihil aliud iudicare possumus,quia non possumus inter illas discernere.

10.

2. Opinio extremè contrar.2.

Alia sententia esse potest extremè contraria; omnes hos effectus verè,& in re ipsa tales esse,quales apparent,& à Magis fieri dicuntur.Quod fortasse crediderunt aliqui Gentiles,vel homines simplices,aut valdè idiotæ; nullum tamen auctorem legi, aut relatum inueni, qui id asseruerit. Potest tamen conuertendo argumentum proximè factum suaderi: Quia certum est,multos effectus Magicos veros esse,vt videbimus; cur ergo non idem credetur de omnibus? cùm nulla sit nobis ratio ad hoc potiùs credendum de quibusdam,quàm de aliis,vel assignandus erit modus discernendi inter hos effectus, quod difficillimum apparet. Accedit; quòd Scriptura eodem modo loquitur de his effectibus,sicut de veris. Nam de Magis Ægyptiis dicit: *Et fecerunt similiter*,vtique sicut fecerat Aaron.Et de Pseudoprophetis Antichristi ait Christus Matt.24. quòd *dabunt signa magna & prodigia*,solæ autem phantasticæ illusiones non possunt dici magna signa.

Exod 7. *Matth.24.*

11. Non semper veros esse hos effectus neque semper falsos. *D.Thom.*

Nihilominùs vera,& communis sententia est,non semper hos effectus esse veros, nec semper falsos, sed interdum vno modo, interdum alio fieri à Dæmone. Ita docent Theologi omnes 2.d.7.& 4.d.34. D. Thomas 2.p. quæst. 114. artic. 4. ad argum. & 3. contra Gent. cap. 104. & sequentibus, & quæst. 6. de Potent.artic.5. ad 8.& quæst.16.de Malo,artic.9.ad 10. & 2. ad Thessal. 2.lection. 2.in fine, Alens. 2. part. quæst. 43. per totam; Victoria dicta Relect. capit. 7. Abulens. in capit. 4. Matth. quæst. 47. Martin. libr. 2. quæst. 6. Estque sententia Augustini lib.3. de Trinit. cap. 7. & sequentibus; & aliis locis sæpè citatis. Idemque sumitur ex Iustino, Tertullian. Origen. aliisque Patribus, qui interdum docent aliquos effectus horum Magorum esse veros, interdum tantùm phantasticos. Ratio autem huius varietatis partim ex impotentia Dæmonis, partim ex malitia reddenda est. Difficultas verò est in vtraque parte huius rationis explicanda, & in assignando modo ad hos effectus discernendos.

Alens. *Victor.* *Abul.* *Delrius.* *August.* *Iustin.* *Tertull.* *Orig.*

12. Regula assignatur ad cognoscendos effectus falsos.

Dico ergo.Quoties effectus omnem vim causarum naturalium,& corporearum superat, & requirit formalem aliquam mutationem quoad substantialem formam,vel qualitates, talis effectus non fit verè per Magiam,sed tantùm phantasticè,vel per aliquem motum localem, qui ita ab ipsomet Dæmonem fit, vt ab alio fieri appareat. Hæc assertio sequitur apertè ex principiis suprà positis. Nam Dæmon non habet virtutem ad efficiendos verè huiusmodi effectus, ergo quando illos promittit,aut exhibet,mendaciis,ac præstigiis vtitur.Tunc ergo falsitas est ex defectu potestatis.Possumusque hoc breuiter exemplis declarare, discurrendo per tres species horum effectuum suprà positas. Nam in prima non potest Dæmon scientiam infundere subitò, quia hoc non potest fieri per causam naturalem,quando ergo tale aliquid facere videtur,præstigio vtitur.Vt interdum facit Dæmon, vt is, qui prorsus diuinam Scripturam ignorabat, repente facto aliquo signo,vel sumpto aliquo cibo, totam illam memoria tenere,& intelligere videatur. Sic enim de Anabaptistis refertur,quòd sumpto bolo illius panis,quem ipsi pro Eucharistia sumũt,repente de Scripturis disputant, & illas se nosse gloriantur illam scientiam, sed Dæmon ipse præoccupans hominem, eius linguam mouet,vt loquatur,& phantasmata eius ita excitat, vt putet se illa scire. Quòd autem illa sit actio Dæmonis probatur ratione sumpta ex eius impotentia ad infundendos habitus, vel species, & ad applicandum tam subito omnia phantasmata, & faciendum omnes actus internos necessarios ad illam scientiam acquirendam.Tum etiam experientia;nam si talis homo Dæmonem deserat, & conuertatur ad fidem, abstineátque ab illa hæretica cœna; inuenitur tam rudis, sicut antea erat, quia Dæmon etiam illum deserit,quòd etiam referunt,qui illud experiri potuerunt.

Non potest Dæmõ scientiam infundere.

13. Mortuos nõ verè suscitat Dæmon.

In secunda verò specie Magiæ intelliget esse clara impostura Dæmonis quando per Magiam promittit hominis mortui resuscitationem, quam efficere non potest,sed vt sibi fidem conciliet,illam fingit, vel fingendo hominem mortuum, vel occisum, seu decollatum, qui re vera non est:quia potest eludere sensus,& facere, vt appareat caput abscissum, & sanguis fluẽs,cum re vera nihil tale fiat.Vel si homo verè supponitur mortuus, ipse ingreditur cadauer eius, vel aliud omnino simile apparens format ex aere,& in eo ita loquitur, vt viuere reputetur. Quod interdũ facit, vt credatur potens ad resuscitandos homines, vel vt animas hominum post mortem Dæmones fieri suadeat,

D. Thom. August. Chrysost.

deat, vt ait D. Thom. 1. quæst. 117. art. 4. ad 2. ex August. lib. 10. de Ciuit. capit. 11. & Chrysost. Homil. 29. in Matth. Idem manifestum est in his amuletis, & periammatis, quando ars magica homini promittit fore per illa impassibilem, vel non posse vllo casu contingente lædi, si talem artificiosam imaginem portet, vel quid simile. Tunc enim re vera non fit corpus impassibile, vel immune ab his nocumentis, sed tam subest illis, sicut antea, & quoad hoc dicimus effectum esse præstigiosum, & falsum. Nihilominùs tamen accidere poterit, vt alius effectus re vera consequatur, nimirum vt talis homo ense punctus non feriatur, & vt lapis rectà cadens obliquè cadat ne illi noceat. Nam hæc operatur Dæmon ipse, quia inuisibiliter potest interponere aliquid, quod resistat, vel ensis motum continere, aut impedire valeat, nec vltra progrediatur, vel lapidem aliò mouere. Et ita hic effectus est quasi mistus ex veritate, & apparentia: nam quoad carentiam læsionis est verus, vt experientia ipsa cognosci potest; quoad modum verò, est fictus, attribuitur enim virtuti amuleti, & re vera fit à Dæmone, ille enim potest per motum localem hoc facere: amuletum autem nec potest talem motum efficere, nec illi resistere, seu illum impedire. Ita etiam contingit, quando Magia promittit hoc, vel illud facienti habiturum se statim vel equos ad iter agendum velocissimè, vel copiam auri repente inuentam in arca, vel copias armentorum, aut quid simile. Ordinariè enim hæc omnia vana sunt, & per illusionem phantasiæ fiunt, quia Dæmon non potest talia animalia verè producere applicando actiua passiuis, imò fortasse neque aurum, præsertim tam repentina actione. Vnde etiam ferunt solere tale aurum paulò post in carbones conuerti: vnde est illud Hispanum prouerbium, quod Victoria adducit, *Bienes del trafgo.* Et licet possit Dæmon huiusmodi res, & diuitias veras breuissimo tempore aliunde afferre inuisibiliter, tamen vel non permittitur semper id facere, quia esset nimia occasio decipiendi homines, vel certè ipse etiam non vult hoc commodum familiaribus suis conferre, sed tantùm eos illudere.

Victor.

14. Homines in bestias apparenter solũ transmutat; eodem modo mortuorum animas euocat ad corpora. 1. Reg. 28.

In tertia specie maleficiorum collocantur omnes transmutationes hominum in bestias, quas Dæmon verè facere non potest, vt diximus. Item hùc etiam spectat animarum hominum mortuorum euocatio ad corpora, vt in eis, & per ea loquantur, & occulta aliqua narrent, & futura prædicant: cuius exemplum habemus 1. Reg. 28. Est enim ibi præter deceptionem diuinationis, illusio in fingenda præsentia, & actione animæ hominis mortui. Nam licet Dæmon naturali virtute possit animam separatam loco mouere, etiam coactam: tamen secundùm legem à Deo statutam hoc ei non permittitur. Quia in animas sanctas nullam habet potestatem, quod de cœlestibus est clarum: idem verò est certum de animabus Purgatorij, quia lex diuina est, vt inde non exeant, donec soluant, & tunc rectà tendant in cœlum. Nec Dæmones habent in illas animas potestatem vllam. Quòd si fortè aliquando aliqua illarum inde permittitur exire, solùm est ex speciali dispensatione Diuina, pertinetque ad eius gratiam, vel liberalitatem, non ad Magiam. Animæ verò inferni ita sunt ex lege Dei alligatæ loco, & igni Inferni, vt nec sua, nec Dæmonum omnium voluntate inde exire valeant. Vnde diues ille existens in inferno Luc. 16. non potuit inde exire, licet maximè cuperet. Nec Dæmoni hæc licentia datur, quia illæ damnatæ sunt ad perpetuum carcerem, ibique possunt à Dæmonibus torqueri, non tamen inde extrahi etiam per momentum; quia neque ipsi possunt legem Dei violare, nec est, cur eis talis licentia detur.

Luc. 16.

Hic verò statim occurrebat difficultas de anima Samuelis. An verè apparuerit, cum à Pythonissa fuit euocata? Quæ res satis vulgaris est, & dubia; illamque in vtramque partem versat Augustinus lib 2. Simpli, quæst. 3. & tandem concludit faciliorem intellectum, & expeditiorem exitum esse dicere eum, qui tunc apparuit, non fuisse Samuelem, nec quoad animam, nec quoad corpus, sed spectrum, & imaginem eius. Nam solent (inquit) Augustinus imagines rerum in Scriptura nominibus rerum appellari, idemque respondit ad Dulcit. lib. 8. Quæst. ad illum quæst. 9. In li. verò 2. de Mira. spec. August. attributo cap. 11. hæc sententia constantiùs affirmatur: imò in li. Quæst. veteris testamenti quæst. 27. sub nomine eiusdem Sancti sic dicitur: *Indignum facinus æstimo, si secundum verba historiæ commendatur assensus, id est, quod verus Samuel apparuerit.* Sed est nimia censura, & aliena à mente Augustini in aliis eius locis certis, & indubitatis. Tertull. tamen lib. de Anima capit. 57. cum exaggeratione dicit: *Absit, vt anima cuiuslibet Sancti, nedum prophetæ à Dæmonio credamus exactam, edocti, quod ipse Sathan transfiguretur in Angelum lucis.* Eandem sententiam habet Iustinus, si ipse est auctor Quæst. ad Gent. quæst. 52. Sequitur etiam Cyril. li. de Adora. in spir. Guil. Paris. li. de Vniuers. 1. p. 2. p. princip. circa finem. Et Turr. in ca. *Nec mirum 26.* quæst. 5. At verò Iustin. Dialog. cum Tryphone versus finem planè docet contrariam sententiam. Probat enim animam manere post mortem ex eo, *quòd Samuelis animus ab ea, quæ Pythone afflata erat, Saulis rogatu reuocatus est*, Imò sentit habuisse Dæmonem potestatem ad id faciendum quasi generali lege illius temporis: *Videntur enim* (inquit) *omnes etiam animi eorum, qui ita iusti sunt, & prophetæ ita venisse in potestatem talium virtutum, qualem fuisse in illa Pythonissa res ipsa declarat.* Et infrà subdit debere nos petere, *ne in tale dominium animæ nostræ incidant.* Et sequuntur Lyra. & Caiet. in 1. Reg. & latè ibi Abul. quæst. 18. Et constantissimè Bened. Perer. in cap 7. Exod. 18. Et fauet non parùm August. lib. 2. de Cur. pro mortuis agend. cap. 12. Denique D. Thom. dicta quæst. 95. art. 4. ad 2. & 2. 2 quæst. 174. art. 5 ad 4. & 1. p. q. 89. art. 8. ad 2. vtramque sententiam, vt probabilem, videtur relinquere, & Caiet. ait, adhuc sub iudice litem esse, quod etiam asserit Pamelius in Scholiis ad Turtul. supra. Idem ferè habet Sot. lib. 8. de Iustitia, quæst. 3. art. 2. Castr. lib. 2. de Iusta hæreticorum punitione cap. 14.

15. An Samuelis anima verè apparuerit? *August.*

Tertul.

Iust. *Cyril.* *Guilie.*

Turrec.

Lyran. *Caiet.* *Abulens.* *Perer.* *August.* *D. Thom.*

Pamel. *Soto.* *Castr.*

16. Soluũtur rationes asserentiũ fuisse veram animam.

Igitur qui negant, fuisse veram Samuelis animam, præcipuè id conantur colligere ex ipso loco Regum, vt late expenditur nomine Augustini dicto lib. de Mirab. & Quæst. veter. testam. Nam in primis ibi nunquam affirmatur, illum fuisse verum Samuelem, sed de Pythonissa dicitur: *Cùm vidisset Samuelem*, quod rectè intelligitur iuxta mentem eius, quia putauit se videre: & similiter de Saule subiũgitur: *Intellexitque Saul quòd Samuel esset*; intellexit ergo ille, non tamen inde sequitur, ita fuisse, neque id ibi affirmatur. Rursus verò subditur: *Dixit autem Samuel ad Saul, Quare inquietasti me, vt suscitarer.* At verò etiam dicitur loqui Samuel, id est, qui putabatur esse Samuel à Saule, & Pythonissa. Frequens enim est in Scriptura, vt iuxta hominum opinionem vocibus vtatur. Præterquam quòd (vt Augustinus ait) sæpè imagines solent vocari nominibus rerum, quas repræsentant, & qui personam agit alterius, nomen eius suscipit, sicut Angelus loquens nomine Dei solet in Scriptura Deus appellari. Quòd autem Samuel dixit, *Quare suscitasti me*, & potest esse dictum iuxta mentem Saulis, & potest intelligi fuisse mendacium à Dæmone prolatũ; Dæmon enim erat, qui ibi loquebatur, & mentitus est, dicens se esse Samuelem resuscitatum, vt etiam Saulé, & Pythonissam magis deciperet. Quòd autem Dæmon loquens ad Saulem

August.

ad Saulem nomine Samuelis futura omnia verè prophetauerit. Dei permissio,& ordinatio fuit in pœnam & afflictionem Saul. Vnde etiam illud,quod Dæmon inter alia dixit ad Saul. *Tu, & filij tui cras mecum eritis*, verum fuit,vt dictum à Dæmone,quia Saul non cum Samuele in loco piorum,sed cum Dæmone in Inferno futurus erat.

17. *Eccles.46.* Obiicitur locus Ecclesiastici.

Maiorem difficultatem habet hic locus ex alio Ecclesiast 46. Vbi de vero Samuele videtur hæc apparitio exponi, sic enim de Samuele dicitur: *Post hæc dormiuit, & notum fecit regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltauit vocem eius de terra in prophetia delere impietatem gentis.* Quæ verba adeò clara videntur, vt Aug. dicto li.de Cura pro mort.agend. & D. Tho. in citato loco 1.p. significent, si liber Ecclesiastici inter Canonicos recipiatur,non posse negari, quin vera Samuelis ani- B ma apparuerit,at nunc de fide iam certum est,librum illum esse Canonicum. Nihilominus Iansenius ibi illum locum in priori sensu interpretatur dicens,Spiritum sanctum in vtroque loco tenuisse eundem modum loquendi circa phantasticum Samuelem,vocando simpliciter Samuelem,qualem Saul,& Pythonissa decepti esse putarunt. Dices;Quomodo ergo in posteriori loco in laudem Samuelis ponitur, quòd etiam post mortem prophetauerit.Si enim non ipse fuit,sed Dæmon sub imagine eius,nulla illius laus existit.Respondebunt tantam fuisse apud Deum Samuelis auctoritatem,vt non permiserit, mentiri etiam Dæmonem, qui nomine eius loquebatur: & ideò prophetia illa,etiamsi à Dæmone proximè dicta, Samueli attribuitur,quia propter illum,& propter bonum nomen C eius concessa est.Et addi potest, Dæmonium non potuisse certò scire,quod prædixit, nisi à Deo per aliquē ministrum suum edoctum;fieri autem potuit,vt Deus ordinauerit,quod Dæmon instrueretur à Samuele de his,quæ dicturus erat, & ita non fuerit locutus nisi ex reuelatione, & permissione sibi facta per Samuelem, ideoque tam prophetiam, quam laudem eius Samueli attribui. Ita ergo hæc pars defenditur.

Augusti. D. Thom.

Explicatur locus. *Iansenius.*

Obiectio.

Soluitur.

18. Præfertur opinio asserens fuisse veram animā Samuelis.

Quoniam verò oppositæ sententia sinceriùs verba Scripturæ interpretatur, & sine incommodo possunt ita subsistere præferenda videtur. Illa verò supposita, addendum est; si Samuel verè apparuit, non in vi artis Magicæ apparuisse,sed ex peculiari ordinatione diuina ad maiorem terrorem, & confusionem Saul. Vnde aliqui censent, Samuelem præueniisse incanta- D tionem Pythonissæ,quod non repugnat Scripturæ licèt ex ipsa non satis colligatur. Quocirca si Samuel venit,non ex potestate Dæmonis venit,sed ex voluntate Dei.Nec enim probandum censeo,quod Iustinus sentit, Dæmonem habuisse potestatem in Samuelis animam,vt eam suo nutu, ac voluntate posset ad vocem Pythonissæ à Limbo educere, & ad terram deferre.Incredibile enim est, Dæmonem habuisse potestatem ordinariam talem super sanctorum Patrum animas, vt per se notum est; nec est magis credibile, Deum illam ei ex dispensatione concessisse super animam Samuelis. Quamquam enim hoc non sit ita absurdum, quin fieri poterit vt Augustinus ad Simplicianum,dicit,tamen nec necessariam est ad historiam etiam cum omni proprietate,& rigore verborum in- E tellectam,neque habet decentiam vllam,vel congruitatem. Nam cognita Dei voluntate, anima Samuelis poterat per se venire, & loqui virtute diuina. Præterea esto, anima ipsa venerit,non est necesse proprium, & verum corpus Samuelis apparuisse, quia poterat anima Samuelis facilius apparere in corpore assumpto, & formato ad similitudinem sui corporis, sicut Angeli facere solent. Quamuis enim anima separata fortasse non possit virtute naturali corpus assumere; tamen potest Deus hanc virtutem illi conferre. Eo vel maximè quòd licet verum corpus Samuelis ibi apparuisset,non est verisimile,propriam,& veram resurrectionem eius ibi esse factam,quia fieri non poterat,nisi virtute diuina, & ad effectum ibi intentum,& narratum, necesse non erat, tantum miraculum tunc operari:ergo qualecunque fuerit illud corpus, si vera anima Samuelis ibi aduenit, solùm erat in illo tanquam motor in mobili, & ita per illud loquebatur,vt notauit Castro loco citato.

Augusti.

Castro.

Secundò principaliter dicendum est; Quamuis effectus qui per Magiam fiunt,sæpè sint ex his,qui possunt verè fieri virtute Dæmonum,modo superiùs dicto, nihilominùs non semper verè fiunt, nec semper phantasticè, sed interdum vno,interdum alio modo. Hæc est communis sententia. Potest autem probari inductione in tribus speciebus, seu generibus effectuum suprà numeratis, nam ratio à priori hîc reddi non potest, cùm non pendeat ex potestate, sed ex libertate seu voluntate Dæmonis.Cur autem aliquando velit sic operari,id est verè,aliquando autem fictè, nobis satis constare non potest: sed interdum fortè non ampliùs permittitur; aliquando verò ad suos prauos fines censet vnum modum esse vtiliorem,aliquando verò alium.

19. Nō semper esse veros effectus Magiæ,licet Dæmon illos verè possit efficere.

Quod verò vtroque modo operetur in primo genere effectuum ad scientiam, & cognitionem pertinentium, probatur, quia suprà ostensum est Dæmonem in suis diuinationibus interdum vera dicere, & sæpiùs falsa, non solùm casu, sed etiam ex instituto: quid ergo mirum est,quod in alicuius scientiæ acquisitione interdum hominem verè adiuuet, interdum verò tantum fictè? Item graues auctores sentiunt, & inter eos Tertul. lib.de Habitu mulierum, cap.2. aliquas virtutes occultas lapidum, aut herbarum innotuisse hominibus per doctrinam Dæmonum,tunc ergo verum effectum habuit Dæmonum instructio. Item Dæmones possunt interdum priuare homines vsu rationis, & re vera facere amentes, quia possunt phantasiam notabiliter lædere, & non videtur dubium,quia interdum id faciunt permittente Deo, ergo pari ratione vt postea decipiant homines sæpe ministrabunt prius illis ad scientias addiscendas, vel confortando phantasiam,vel applicando obiecta, vel docendo, vt suprà dictum est. Potestque hic effectus non difficile cognosci ab eo,qui illum recipit,ex facilitate cognoscendi superante vires naturales, quas in se expertus est, & ex permanentia effectus, & modo cognoscendi per veram demonstrationem, vel per effectuum experientiam, &c. Quòd autem multa huiusmodi etiam contingant per illusionem, de se credibilius est propter Dæmonis malitiam, & decipiendi affectum.Vnde huc spectat, quòd sæpè etiam appareat Dæmon in forma visibili verè se ipsum profitendo,& manifestando, aut verbis ipsis, specie tetra, & deformi,vel alicuius animalis venenosi,ac nociui, vt serpentis,canis, &c. Sæpiùs verò se alium fingit, & apparet sub alterius specie mentiendo, ac illudendo,ita vt etiam ipsum Christum interdum se fingat, sæpiùs verò transfiguret se in Angelum lucis, & tunc ad discernendum, & cognoscendum illum magna discretione spiritus opus est. Potest quidem ex dictis, vel factis, vel aliis signis sæpe discerni, vt si aliquid contra sanam doctrinam loquitur, vel in vniuersum falsum dicere deprehenditur, vel aliquid sacrilegum facere,vel odium in Christum aut Sanctos ostendere, si excitat hominem ad superbiam, vel alium similem affectum.Sæpe tamen difficillimum homini est per se se iudicium ferre,& ideò oratione,& consilio prudēti opus habet. Quòd si ipsemet Dæmon persuadere conatur,ne quis consilium capiat,sed se occultet, aut ne ad virum probū,& sanctum, sed ad alios accedat,

20. Probatur assertio in primo genere effectuum, quos Dæmō edit.

Tertull.

hoc

hoc ipso se satis manifestat, quòd malus Angelus sit, & non bonus. Videri potest de hac re S. Anton. apud Athanas. in Vita eius ante medium, vbi tanquam expertus, & à Deo illuminatus optimè loquitur. Aliqua etiam habet Macar. Homil. 7. Interrog. 2. Videri etiam potest Tertul. in Apolog. cap. 22. & 23. vbi proprios, & varios Dæmonis effectus recenset, & quibus dignosci possit.

S. Anton. Macar. Tertull.

21. Probatur in 2.

De secundo etiam genere effectuum non videtur dubium, quin aliquando verè, interdum fictè fiant. Aliquando enim per artem magicam subitò homines ditantur pecuniis, quæ paulo post in vilem aliquam materiam resoluuntur, seu potiùs apparent. Aliquando veram monetam non ab eis factam, sed aliunde sublatam Dæmones conferunt suis maleficis, vt expe- B rientiis constitisse referunt: De quo videri potest Petr. Binsfel. d. lib. de Confes. Malef. prælud. 6. Similiter facilè credi potest, quod sæpe sanitas comparata opera Magiæ sit vera sanitas, aut vulneris curatio, id enim ex operationibus hominum, & ex diuturnitate effectus benè cognosci potest. Et in similibus effectibus eadem est ratio. Vnde quod D. Thom. in 3. d. 22. quæst. 2. artic. 4. ad 4. dixit, *Illa quæ fiunt per artem Dæmonis præter viam naturæ non sunt diuturna.* Intelligendum est de his, quæ ita fiunt præter viam naturæ, quoad ipsas causas naturales, id est, quæ talia sunt, vt per naturales causas fieri non possint. Illa enim vt diximus, fucata sunt non vera, & ideò non diù consistunt. At verò si solùm fiant præter viam na- C turæ, quoad applicationem causarum (nam illa applicatio longè alio modo potest fieri à Dæmone, quàm ab homine, vel ab aliis causis naturalibus) sic facta possunt esse diuturna, si talia sint, vt à causis naturalibus conuenienter applicatis fieri possint; nam tunc ad veritatem, vel durationem effectus nihil refert, quòd hoc, vel illo modo facta fuerit applicatio. Vnde è conuerso, & à posteriori si effectus est diuturnus, magnum indicium est, quòd sit verus: præsertim si cum hac proprietate alia etiam signa concurrant, vt quòd res sic facta habeat eandem virtutem operandi, & similia.

Binsf. D. Thom.

22. Expenditur tertiũ genus effectuum.

Denique longè certius est in tertio genere maleficiorum effectus esse plusquam veros (vt sic dicam) D est enim magis proprium Dæmonis nocere, quàm benefacere, imò nunquam benefacit, nisi vt occasionem nocendi captet, & ideò frequentiùs in effectibus maleficiorum veritas inuenitur, quam in aliis, & propter hanc causam tam seuerè prohibetur hæc ars maleficiorum, & ipsa maleficia puniuntur, vt suprà ex iure canonico, & ciuili allegatum est, quia re vera nocent valdè, & non apparenter tantùm, & ita vltra Religionis perniciem, etiam contra iustitiam sunt valdè nociua Reip. Quod euidenter ostendit maleficium illud, quod impotentem reddit hominem ad generandum, & veluti per Antonomasiam nomen maleficij obtinuit: nam impotentia illa tam vera est, vt iure canonico censeatur illud suf- E ficiens impedimentum ad irritandum matrimonium postea contractum. Vt patet ex capit. vltim. de Frigid. & malefic. & capit. vltim. 33. quæst. 1. & ex consensu omnium Doctorum ibi, & Theologorum 4. d. 24. & aliorum. De qua re, & experientiis illius vide Delrium libr. 3. part. 1. quæstion. 4. sect. 8. Solùm hic obseruo, cum dicimus hunc effectum esse verum, non semper intelligi quantùm intrinsecam impotentiam, sed solùm quoad actum ipsum, qui semper impeditur, siue id contingat propter impedimentum per se, vt ita dicam, id est, propter infrigidationem, desiccationem, vel aliquid simile, per quod ipsa virtus generandi intrinsecè debilitatur; siue per obstaculum aliud interpositum, etiamsi

Cap. Vlt. Delrius.

A virtus integra sit: vtroque enim modo accidere potest, vt in dicta distinct. 34. latè docent Theologi, præsertim Palud. quæst. 2. artic. 3. Quomodo autem hoc non obstante maleficium possit censeri perpetuum, maximè quando virtus ipsa generandi in se non est immutata, cum semper pendeat à voluntate Dæmonis, tractatur latè in 4. vbi suprà, & benè Thomas Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 94. Ad rem verò præsentem non refert, nobis enim sufficit, vt effectus ipse re vera fiat virtute Dæmonis, quacunque ratione fiat.

Sanchez.

23. An striges verè locum mutent, pars negatiua proponitur.

Alius vulgaris effectus maleficiorum est mutatio locorum superans omnes vires humanas, omnémque actiuitatem corporum naturalium. In quo maximè solet dubitari de lamiis, seu strigibus, quæ dicuntur ferri per aëra ad loca distantissima in breuissimo tempore, An hoc verè illis contingat, aut solùm per phantasiæ illusionem: Nam quidam hoc posterius affirmant, præsertim Canonistæ, quibus hanc opinionem tribuit Victoria in dicta Relect. Et videtur in eam inclinare Turrecrem. in cap. *Episcopi*, 26. quæ. 5. art. 2. præsertim ad 5. Et fundatur in illo cap. *Episcopus*, propter quod dixit Nauarrus in Man. num. 11. cap. 38. esse peccatum mortale credere striges corporaliter per aëra ferri ad diuersa loca, nisi aliquando, & rarò Deo permittente. Et huic opinioni fauent aliquæ experientiæ, quæ referuntur, quales sunt illæ, quas Abulens. in capit. 13. Genes. quæ. 354. & Caiet. 2. 2. quæst. 95. artic. 3. refert de quibusdam fœminis maleficis, quæ dicebant media quadam vnctione ferri ad loca distantissima, in quibus aliarum similium consortio, & omni voluptate perfruebantur. Et tamen ad sumendam experientiam sese coràm aliis vnxerunt, & statim graui sopore correptæ in eodem loco iacuerunt, donec ad se redierunt: & tamen narrabant se ad illa loca, & conuiuia fuisse perductas. Vnde conuictæ sunt, non re ipsa, sed sola illusione phantasiæ illa omnia eis accidisse.

Victor. Turrecr. Ca. Episcopus. Nauar. Abul. Caietan.

24. Pars affirmatiua.

Nihilominùs tamen alij docent, omninò deferri has fagas corporaliter, ac verè ad loca distantia, & ibi cum aliis congregari ex variis, ac distantibus locis, multaque turpia, & sacrilega in illis locis cum aliis similibus, & cum ipsis Dæmonibus, fortasse in forma visibili, & humana committere. Hæc est sententia communis Theologorum, & Iuristarum, vt ait Pegna in Direct. Comment. 68. Eámque ita affirmat Abulens. quæstion. 47. in capit. 4. Matth. vt dicat non posse hoc sine impudentia negari, cum mille testes occurrant, qui harum rerum conscij sunt. Idem latè prosequitur Iacob. Sprengerus in Malleo Maleficorum, & Castr. lib. 1. de Iusta hæreticorum punitione cap. 16. & Paulus Grillanus de fortilegis quæstion. 7. & alij, quos refert, & sequitur Delrius lib. 2. quæst. 10. & lib. 5. sect. 16. num. 4. & 5. Vbi etiam Patres antiquos refert, qui loquuntur de potestate Dæmonis ad hos motus efficiendos, in quibus etiam varia occurrunt exempla, vt de Simone Mago ducto in aëra virtute Dæmonum apud Clementem libr. 6. Constit. cap. 9. & de cellula sancti Equitij loco mota à Dæmone apud Gregorium 1. Dialog. capite 4. De his item lamiis dicitur experimento cognitum esse, sæpe accidisse in illis congregationibus, & locis, ad quæ deferuntur, vt nonnullæ aliqua occasione deterritæ, vel nomen IESV proferant, vel signo Crucis se benedicant, & statim congregatio dissoluatur, & omnes dispareant, ac Dæmones fugiant, & solæ maneant, quæ signum sacrum fecerunt, & in eodem loco, in quo esse putabant, se inueniant, & pedibus, & non sine magno labore domum redire cogantur: & interdum

Pegna. Abul. Sprenge. Castr. Grillan. Delrius. Clemens. Gregor.

priùs à Dæmone propter non seruatam nequissimam A disciplinam, & scandalum aliis datum vehementer cædantur. De qua re varia exempla referuntur in dicto libr. de Confessionibus Maleficiorum Prælud. 10. versus finem. Denique ratio vnica, & prudentialis potiùs, quàm speculatiua est, quia potestas non deest Dæmoni, vt hoc verè faciat, vt iam constat, nec est, cur Deus id non permittat, vt etiam est per se notum, cum permiserit Dæmonem transferre ipsum Christi corpus ab vno loco in alium: voluntas item Dæmonis promptissima est ad has mutationes & congregationes prauas verè, & realiter efficiendas, si videat illo modo posse ad maiora peccata illas mulieres inducere, vel magis id sibi præstare, vt ab eis *maiorem cultum, & adorationem consequatur.* Vnde infi- B nita sunt testimonia, & confessiones ipsarum sagarum, quæ ita sibi hoc accidisse narrant, ideóque multi prudentes iudices illis fidem adhibent, & iuxta grauitatem delicti, quæ inde resultat, illas puniunt. *Abul.* Rectè ergo dixit Abul. non posse hoc prudenter negari.

25. Resolutio quæstionis. Quare in hoc effectu optimè locum habet conclusio posita, & ex illo vtraque pars eius comprobatur. Nam interdum totum hoc fit per illusionem phantasiæ, vt probant experientiæ prioris opinionis. Sæpiùs autem verè & realiter fiunt saltem quantum ad translationem localem, & similem actionem. Et hoc videtur esse regulare, aliud autem veluti per exceptionem. Quam fortasse ideò Dæmon interdum facit, vt putetur semper ita fieri, & non verè. C Quando autem vno modo, vel alio fiant, ex confessionibus ipsarum personarum, attentis circunstantiis, quas ipsæ narrant, prudenter pensandum erit. In dubio autem, & quandiù aliud satis non probatur, præsumendum videtur, quòd verè factum sit, & ita esse puniendum. Quamuis etiam si res per illusionem interdum fiat, tunc etiam grauissimum peccatum committatur, & eodem fere supplicio dignum propter pactum cum Dæmone, & conatum ad totum illud delictum verè, & realiter præstandum.

26. Explicatur argumentum pertium à Cap. *Episc.* Circa capit. *Episcopus*, quod negotium facere solet contra communem sententiam duo solent dubitari. Primum est de Auctore, secundum de sen- D su. De 1. dubium est, quia Gratianus illud refert ex Concilio Anquireusi, quod sub hoc nomine extat, & si fortè legendum est Ancyrano, in illo etiam non habetur, sed in appendice illius sumpta ex quodam libello sexdecim librorum partialium lib. 6. cap. 7. vt in 1. tom. Concil. quod non videtur certæ auctoritatis. Adde magnam partem illius capitis inueniri nomine Augustini lib. de Spirit. & Anim. capit. *August.* 28. Nihilominus omnes recipiunt caput illud vt autenticum. *Damasc. Baron.* Et quidam putant fuisse Damasi in quodam Concilio Romano: quod sentit Baron. tomo quarto. An. 381. num. 20. & 22. & in Decret. Gregor. annotatur, in quodam peruetusto codice Romano de Vitis Sanctorum in vita Damasi fieri men- E tionem cuiusdam Concilij Romani sub illo Pontifice, in quo fit mentio istarum mulierum illusarum à Dæmonibus. Alij verò adscribendum illud putant Concilio Ancyrano, quia traditione antiqua hoc receptum videtur, à qua non videtur facilè recedendum. Maximè quia quod ex Concilio Romano sub Damaso affertur, non est contrarium. Ibi enim solùm fit mentio dictarum mulierum, & præcipiuntur excommunicari: quod potuit rectè fieri, etiamsi in Ancyrano Concilio (quod censetur antiquius) Canon ille editus fuisset. Vnde etiam potiùs videtur Auctor libri de Spirit. & anima ex illo capite partem quandam transcripsisse, quam è contrario.

Hac ergo parte supposita, circa alteram de sensu breuiter dicendum est, quæ in illo capite dicuntur, non esse generaliter accipienda, sed applicata ad casum & materiam, de qua ibi erat sermo, scilicet, de quibusdam mulieribus, quæ credebant dari aliquam Deam Dianam quæ, veram potestatem, & dominatum haberet, cuius virtute interdum per aëra equitando ferrentur, & ad illius obsequium, & seruitium vocarentur, cui etiam obediendum esse credebant, & fortasse etiam putabant illam Deam posse veros equos formare, & per aëra mittere, & similia, quæ ex verbis, & discursu capitis satis constant. Item quod de Herodiade illa cogitabant, incredibile erat, in re ipsa verum esse, cum illa damnata sit, & non sit in potestate Dæmonis illam ab Inferno educere, multóque minùs poterat illi verum corpus restituere, vt cum lamiis equitando per aëra discurreret. Sic ergo in illa narratione multi errores includuntur, vt constat: & de illis, ac similibus intelligenda sunt verba, quæ ibi subiunguntur: *Quia talia, & similia credunt, fidem amittentes.* Et ita huiusmodi credulitas in illa materia ibi magis damnatur, quàm opus faciendi maleficia ex pacto cum Dæmonibus, quamuis hoc etiam valdè damnabile sit. Nos autem loquimur de solo effectu mutandi locum, & faciendi aliquas actiones corporeas, quæ sine dubio virtute Dæmonum fieri possunt. Vnde addere possumus, semper in his maleficiis interuenire aliqua, quæ non verè, sed apparenter fiunt, vt quòd dicuntur istæ sagæ deferri in hircis, præstigiæ sunt, stultúmque esset credere illos esse veros hircos; sunt enim ipsi Dæmones sub tali specie, & sic possunt aliæ illusiones contingere, & nihilominùs mutationes, & actiones locales veræ esse. Atque sic intelligunt textum illum Doctores communiter, præsertim verò Turrecrem. ibi articul. 3. *Turrec. Abulens. Siluest. Delrius.* & Abulens. supra ad 1. & satis latè Syluester verb. *Hæresis* 3. latiùs verò Delrius libr. 5. sect. 16. versus finem.

27.

CAPVT XVII.

Quibus mediis vti liceat ad tollenda maleficia.

1. Quæ bona per Magiam acquisita retineri possint.

HÆc quæstio de maleficiis proponitur, quia quando vsus Magiæ ad bonum aliquod siue fortunæ, siue corporis, siue intellectus, sibi, aut alteri acquirendum, ordinatus est, etiamsi contingat, effectum illum esse comparatum, necessarium non est contra talem effectum iam factum, seu possessum remedium aliquod adhibere; sed solùm contra peccatum, quod in tali effectu procurando commissum est, & ne iterùm in posterum fiat. Ratio est, quia per talem effectum nulli facta est iniuria, & ita nulla est obligatio resarciendi damnum, vel restituendi aliquid. Aliunde verò bonum illud, quod factum est, secluso ordine ad talem causam, nullam habet malitiam, nec in illo effectu habendo, vel retinendo est aliqua inordinatio moralis, per se loquendo, vt supponitur, & est per se clarum. Nam si talis effectus per media naturalia, & generalem Dei prouidentiam, & proprio, ac honesto labore humano esset comparatus, nulla esset inordinatio illud retinere, & conseruare, ergo quamuis effectus eiusdem rationis per iniquam superstitionem comparatus sit, non tenetur quis illum destruere, sed potest honestè retinere, ac illo vti humano modo, quia respectus ad talem causam iam cessauit, & culpa per pœniten-

nitentiam potuit moraliter omninò deleri. Sicut lucrum acquisitum v. g. à meretrice sine iniuria alicuius, licèt turpiter acquisitum fuerit, honestè postea retinetur, maximè mutando vitam, & honestè postea illo vtendo. Ita ergo in præsenti fieri potest seruata proportione.

1. Ea retineri possunt, quæ in conseruatione nō pēdent à Dæmone.

Duo autem seruare necesse est. Vnum est, vt conseruatio talis boni ab opera Dæmonis omninò iam non pendeat, alioqui non cessaret malitia, quæritur ex ordine ad talem causam, & ideò semper esset illicitum ita retinere, & conseruare tale bonum. Vt v. g. si alicui esset per Magiam sanitas restituta non absolutè, & simpliciter, sed cum onere conseruandi illam tali, vel tali remedio superstitioso, vt quotidie vtendo tali cæremonia vana, vel deferendo tale amuletum dæmoniacum, tunc non licebit tale bonum ita retinere, sed oportebit potiùs salutem perdere, quàm tali medio illam conseruare. Si autem sanitas semel esset comparata absolutè sine tali dependentia, licèt per superstitiosum remedium, & cum pacto Dæmonis etiam expresso obtenta esset, clarum est non esse propterea abiiciendam, neque aliud remedium esse necessarium contra talem effectum, sed solùm contra peccatum. Optimumque consilium est recognoscere illum effectum vt à Deo collatum, ipse enim est per se, ac principalis causa eius, & permittendo mala, interdum confert beneficia, quæ ab illo semper recognoscenda sunt. Et quod dicimus de sanitate, habet locum in scientia naturali, seu cognitione alicuius virtutis herbarum, vel similibus. Quia, vt suprà diceba m, licèt hæc malè comparata sint, si omninò cessaret postea pactum cum Dæmone, & recursus ad illum, licitum est illa retinere, & honestè tali cognitione vti. Ac denique idem erit de pecunia, & aliis bonis fortunæ, si constet, esse vera, & non tantùm ficta, & apparentia.

3. Et hoc est alterum obseruandum pro his externis bonis, nam frequentiùs in illis contingit elusio, & ideò nisi res sit satis probata, & euidens, cauendum est ab vsu talis pecuniæ, vel alterius rei similis, quia in eo vsu potest facilè iniustitia committi, & consequenter graue scandalum generari. In his etiam bonis contingere potest, vt per rapinam alteri sublata sint, non ab ipso, qui Magiam exercuit, & à Dæmone illa recepit, sed ab ipso Dæmone. Nam cum ille non possit verum aurum efficere, sæpè vt det vni veram pecuniam, ab alio surripit. Si ergo hoc constaret possidenti talem pecuniam, profectò obligandus esset ad illam domino reddendam; quia saltem ratione rei acceptæ videtur ad hoc teneri.

Obiectio. Dices: Eo ipso quòd Dæmon illam subtraxit ab alio, permittente Deo, videtur alius dominum talis rei amisisse, quia potens est Dæmon ad auferendum illud: ergo ex re ipsa non nascitur talis obligatio, ergo si alioqui illa non fuit iniusta acceptio ex parte Magi, non videtur ad restituendum teneri.

Responsio. Respondeo negando, alterum amisisse talis rei dominium propter solam Dæmonis rapinam, quia Dæmon per se licèt possit rem auferre, quæ localiter mutari potest, non potest tamen eradicare (vt sic dicam) illius rei dominium, quod personæ ipsi quasi adhæret, nec Deus, permittendo ablationem rei, concedit licentiam auferendi dominium, nec est, cur Dæmon quasi iure suo tantam habeat potestatem. Hoc tamen vix potest ad praxim reduci, quia constare non potest, vnde talem pecuniam Dæmon tulerit, potuit enim ex thesauro in terris recondito, vel in maris profundo existente, illam citissimè portare, vel alio modo illam donare sine detrimento tertij: & ideò vbi certis indiciis de domino non constiterit, retineri potest. De remediis ergo circa hos effectus nihil amplius necesse est.

4. Remedium Magi adhibendum.

Vnum tamen per occasionem dicere non prætermittam, quod maleficis etiam commune esse potest. Solent enim hi Magi, quando expressum pactum cum Dæmone ineunt, Christo, & Sanctis eius, suæque spirituali saluti, & Sacramentis omnibus renunciare, séq; totos Dæmoni in obsequium tradere, dato etiam chirographo, suo interdum sanguine consignato. His ergo hominibus, vt resipiscant, primum omnium remedium contra desperationem, & hæresim adhibendum est; solent enim miseri existimare, nullum sibi remedium ad æternam salutem superesse, eo quòd iam illi renunciarunt, & ad perpetuam societatem, & subiectionem Dæmoni se obligarunt. At verò definito iudicio hoc credere hæreticum est, & secundùm illam existimationem, vel apprehensionem operari, desperationis peccatum est. Tenentur ergo isti firmiter credere in primis non solùm licitè posse, sed etiam teneri, pactum rescindere, & Dæmoni abrenunciare, & quantùm in se est, omnia signa perrumpere, & omninò à prioribus maleficiis, seu Magiis abstinere. Deinde tenentur credere etiam hoc peccatum per pœnitentiam posse deleri, ad quam subinde excitandi sunt, nam hoc remedio omninò rescinditur prius pactum siue Dæmonium chirographum reddere cogatur, sicut de Sanctis aliquibus legitur, siue non: illud enim nihil in fine vitæ coram Deo nocebit, si per pœnitemtiam sufficienter deletum sit. Quæ doctrina hîc ex professo non probatur, quia prior pars per se nota est, nam cum pactum illud sit iniquissimum & Deo iniuriosum, clarum est esse inualidum, ac subinde seruari non posse, sed omninò debere rescindi. Altera verò pars ex materia de Pœnit. & Gratia Dei, manifesta est, & ex generalibus Dei promissionibus Ezechiel. 18. & 33. & sæpè aliàs sine tali exceptione. Denique Sanctorum exempla in hoc nota sunt, vt de sancto Cypriano in vita eius, & de Theuda Damascen. in Historia Barlam. capite 32. vbi hanc veritatem egregiè confirmat. Et de alio ab Augustino relato post enarrationem Plasmi 61. vbi hanc etiam veritatem confirmat. Et de B. Ægidio Lusitano Ordinis Prædicatorum in Historia eiusdem Ordinis Ferdinan. Castelli part. 1. lib. 2. capit. 72. & in vitis Sanctorum similia facilè reperientur, in quibus veluti experimento cognitum est, quod *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Roman. 5.

Ezech. 18. & 33.
Cyprian.
Damasc.
August.
Castel.
Rom. 5.

5. Venio ad proprios effectus maleficij, de quibus sciendum est, in duplici statu posse considerari primò quando ita sunt facti, vt à maleficio ampliùs non pendeant, vt si quis per maleficium vulnus accepit, aut stolidus factus est, vel aliquid simile passus; quod durat quoad corporale detrimentum absque dependentia quasi conseruatiua per maleficium. Secundò affectus maleficij potest ab arte ipsa Magiæ, & ab opera Dæmonis in futurum pendere, & solent interdum Magi signa quædam externa conficere, quibus durantibus, durat effectus maleficij, & illis destructis cessat. Pro vtrisque ergo effectibus curandis, possunt triplicia remedia adhiberi, scilicet supernaturalia, physica, seu humana, superstitiosa; hîc non agimus de superstitiosis, sed de licitis; nam de aliis dicemus capite sequenti.

Triplicia remedia possunt adhiberi ad curandos Magiæ effectus.

6. Supernaturalia ergo remedia contra effectus

Quæ remedia superna turalia ad hoc sint vtilia.

triusque generis vtilia sunt, præsertim verò oratio cum firma fide,& spe,ac conscientia pura ad quam puritatem vsus sacramentorũ maximè necessarius est: Item ad eundem finem plurimùm conferunt bona opera,præsertim misericordiæ,ieiunij,humilitatis,& similia: Præcipuè verò sactificium Missæ, quod magnam vim habet impetrandi. Sed hæc, & similia remedia vtilissima sunt,& moraliter necessaria, sunt tamen generalia pro omni tribulatione, tentatione, ac necessitate, & ideò nihil amplius de illis hoc loco dicere est necessarium. Solum possumus addere, quando effectus talis est, vt pendeat semper ex artificio, & opera Dæmonis; tunc non solum prodesse remedia spiritualia priuata (vt sic dicam)sed etiam publica.Priuata voco,quæ à quolibet adhiberi possunt,& vim habent impetrandi à Deo, quasi ex opere operantis. Inter hæc tamen quædam sunt, quæ ratione significationis suæ peculiarem vim habent contra Dæmonem,vt est vsus nominis IESV, & signi crucis, & humiliatio cordis ad Deum, & similia, quæ Dæmon maximè detestatur,& fugit propter superbiam suam,&odium in Christum. Publica autem remedia voco exorcismos,qui ex Ecclesiæ institutione fiunt,& in persona eius, & inde peculiarem vim habent impetrandi,quod etiam de vsu aquæ benedictæ dici potest, de quibus sacramentalibus in 1. & 4. tom. 3. partis plura diximus. Et de his remediis spiritualibus latè scripsit Delrius lib. 6. cap. quæst. 3. sect. 3. Breuiter verò, & vtiliter Leonardus Lessius lib. 2. de Iustit.cap.44.dubit.5.

Delrius. *Lessius.*

7. De remediis naturalibus.

De remediis etiam naturalibus, seu physicis pauca hoc loco dicenda sunt, quia vel effectus maleficij iam à Magia non pendet, licet per illam fuerit effectus,& tunc de illo perinde iudicandum est, ac si ex aliqua causa naturali esset factus, ideóque si sit ægritudo, aut læsio capitis, vel intrinseca impotentia generandi, vel aliquid huiusmodi, ad Medicos spectabit iudicare, an talis effectus physicè sit incurabilis,vel si curari possit, quæ remedia poterunt esse accommodata. Si verò non sit maleficium in ipsomet corpore, sed in rebus externis,vt fuit in Iob, occisio boum,ouium,& aliorum animalium,ac seruorum vsque ad filios, & solet esse combustio segetum, & destructio arborum, & similia detrimenta, quæ per hanc artem fieri dicuntur, contra hæc nulla suppetunt naturalia remedia, sed præcipua sunt moralia, vt est patientia eius, qui passus est damnum, & iustitia ex parte illius, qui auctor eius fuit. Nam si potest aliqua ex parte illud resarcire, tenetur, vt suprà diximus. Denique si effectus pendet semper ab arte mala, & à Dæmone, parum proderunt naturalia remedia, vel medicinæ, quia, si permittatur à Deo, Dæmon potest facilè impedire talium remediorum efficacitatem,vel adhibendo contraria resistentia, vel corrumpendo ipsa medicamenta vel vias obstruendo, aliterve impediendo, ne applicentur. De his verò remediis legi potest Delrius suprà sect.2.

Delrius.

8. An liceat destruere signa quibus positis fiunt maleficia.

Solùm de quodam humano remedio, quale est destruere signa maleficij quando per propriam hominis actionem, vel potestatem destrui possunt, quæri solet, an sit licitum, vt v. g. an liceat capillos ligatos dissoluere aut comburere, an nuluin taliter confectum frangere,eruere à terra rem aliquam ibi defossam. His enim, & similibus signis solent veluti firmari pacta inter maleficum, & Dæmonem, vt quandiu signum permanet, teneatur Dæmõ malefacere ex vi pacti,destructo autẽ signo,vel cesset obligatio, vel etiam teneatur Dæmon à malefaciendo cessare. Hinc ergo oritur ratio dubitandi, quia ablatio talis rei impertinens est, vt cesset effectus maleficij in ratione causæ, vt constat, ergo qui illã efficit, solùm vtitur illa vt signo, quo moueatur Dæmon ad cessandum malefacere,ergo est ibi quidam vsus Magiæ, & societas cum Dæmone, à quo in vi prioris pacti postulatur, vt desinat malefacere.Secundò si hoc esset licitum,pari ratione liceret, apponere contrarium signum ad eundem effectum nimirum vt pactum rescindatur, & consequenter cesset maleficium, & maleficiatus sanitatem recuperet. Sequela declaratur, & probatur. Fingamus enim signum Dæmonis fuisse priuatiuum tantùm, vt quandiù Petrus maleficiatus annulum in tali digito non posuerit, vel quandiù non percusserit sagam.Vel certè possit esse signum simul priuatiuum, & positiuum,vt quandiù ex tali loco non fuerit eruta olla,v. g.ibi defossa,& loco illius fuerit posita res alia. In his (inquam)& similibus casibus licebit contrarium signum apponere: Consequens est falsum, quia per illud signum positiuè quis concurreret ad petendum à Dæmone, vt cesset quod non licet, vt suprà dictum est, ergo. Tertiò, interdum pactum est tale, vt obligetur Dæmon, oblato signo, non solùm ad cessandum, sed etiam ad restituendum subitò hominem in pristinam sanitatem, qui ergo auferret signum, peteret à Dæmone restitutionem salutis, at hoc nunquam licet, ergo. Quartò affertur testimonium Hieronymi in vita Hilarionis, vbi refert, cum virgo à Dæmone obsessa ad Hilarionem liberanda delata esset, respondisse Dæmonem, *Exire me cogis,& ligatus subter limen teneor,non exeo,nisi me adolescens,qui tenet dimiserit.* (vtique ablatis signis maleficij)Addit verò Hieronymus. *Noluit autem sanctus antequam purgaret virginem,vel adolescentem, signa iubere perquiri ne aut solitis incantationibus recessisse Dæmon videretur, aut ipse sermoni eius accommodasse fidem.* Vbi Hieronymus duo mala significat esse in auferendis istis signis,vnum, quia pertinet ad vsum incantationum, aliud, quia datur fides Dæmoni.

Hieron.

9. Licere signa hæc destruere ostenditur.

Nihilominùs communis sententia est, licere simpliciter hæc signa destruere si, vbi sint, deprehendãtur, vel ad manus deueniant. Quod ita docuit Scot.4.d. 34. quæst. vnic. vt quæstionem hanc *Trufaticam* appellauerit,*quia non solum* (inquit) *licet, sed meritorium est destruere opera Diaboli.* Quem imitatur Gabriel 2.d.8.q.2.ar.4.dub.2.Henricus autem lib.5.q.33. dixit: *Catholicum est destruere opus superstitiosum Dæmonis, & in hoc ei contrariari.* Idem. Caiet. Sot.Castr.Syluest.Nauar.Petr.Binsfel & omnes suprà citati,& alij,quos Delrius,& Sanchez referunt. Ratio à priori est, quia destruere hæc maleficia, non est positiuo iure prohibitum, nec est per se, & ex natura rei intrinsecè malum, & fieri potest bona intentione,ac fine;ergo,per se loquendo,licitum est. Prima pars Maioris ab omnibus supponitur tanquam indubitata, quia nullibi extat talis positiua lex, neque in iure Canonico, neque in Scriptura. Atque hinc probatur in primis secunda pars, nam in Scriptura sæpe prohibetur quicquid in vsu harum prauarum artium malum est ex natura rei. Nam (vt suprà dixi) prohibitiones quæ in veteri testamento de hoc habentur, non sunt de Iure positiuo legis veteris, sed explicant naturale ius: cum ergo ibi numquam prohibeatur destructio talium signorum, profecto magnum argumentum est,non esse per se malum.Adde quòd potius Scriptura sæpe præcipit aras idolorum destruere,statuas confringere,lucósque succendere: Exod. 34. Deut. 7. cum similibus. Vt autem rectè notauit Henric. suprà, perinde est, signa

Licet. *Gabr.* *Henric.* *Caiet.* *Soto.* *Castr.* *Siluest.* *Nauar.* *Binsfel.* *Delrius.* *Sanchez.* *Exod. 34.* *Deut.7.* *Henric.*

signa Magiæ destruere, ac idola tollere. Simile argumentum negatiuum sumitur ex Patribus, & ex iure canonico, quia nullibi hanc destructionẽ prohibent in particulari, neque in generalibus prohibitionibus Magiæ cõtinetur, vt ostendemus. Vnde licet sæpissimè ab illa generalitate ad multas species Magiæ descendant, vt illas reprehendant, vt maximè videre licet in Aug. 2. de Doctrin. Christ. cap. 20. & sequentibus, hanc actionem nunquam reprehendunt, nec verba ex Hieronymo citata continent reprehensionem, vt infrà ponderabimus, ergo signum est, talem actionem per se malam non esse. Dices, etiam sanctos Patres illam non approbare. Hoc certè parum refert, tum quia vt non sit mala, satis est quòd non damnetur, nec reprehensibilis appareat; tum etiam quia Sancti non semper approbant positiuè, quicquid potest esse licitum, semper autem reprehendunt, quæ sunt per se illicita. Adde, multos, & graues Theologos hoc factum approbasse, idque tanquam clarum, & certum docuisse, quod non est verisimile, facturos fuisse in re per se, & intrinsecè mala.

August.

Obiectioni occurritur.

10. Ratione probatur.

Ratione tamen ostenditur hæc eadem pars, quia in destructione maleficij nulla est societas cum Dæmone, neque vlla honoratio eius, ergo per se non est actio superstitiosa, ergo nec mala. Hæc vltima consequentia clara est, quia nullum aliud vestigium malitiæ alterius speciei in illa cõgitari potest. Prior etiam consequentia est per se nota, quia nullus alius modus superstitionis, vel irreligiositatis in illo actu fingi potest. Antecedens autem probatur, primò, quia actio illa potiùs tendit ad destruenda vincula impietatis, & dissoluendum pactum; & consequenter quantũ est ex se ad tollendam societatẽ cum Dæmone. Secundò illa destructio est inuoluntaria ipsi Dæmoni, nam saltem, ex se, inuito illo fit, & independẽter à voluntate eius, ergo per se nõ est Dæmonis honoratio. Tertiò per illam ablationẽ nihil per se postulatur à Dæmone, sed tollitur efficaciter id, vnde solet Dæmon moueri ad operandũ, & faciendum malum. Hoc autem per se est maximè laudabile. Vnde Hieronymus suprà refert, Hilarionem reprehendisse virginem, eo quòd talia fecisset, ob quæ à Dæmone obsideretur. Sicut ergo est optimum tollere peccatũ, ne Dæmon inde possit moueri ad nocendũ nobis, ita licet destruere iniquum signum, quo Dæmon solet excitari ad malefaciendum. Quartò in destructione illius signi non interuenit vsus alicuius vani signi per modum causæ ad faciendum aliquid, ad quod tale signum est inutile, sed in hoc consistit ratio superstitionis cum pacto implicito, ergo. Antecedens patet, quia potius illa est destructio vani signi, non vt causæ, sed vt signi, quia vt signum solet mouere Dæmonem, ergo meritò destruitur, nec ibi est vlla superstitio etiam tacita.

Hier.

11. De intentione, qua hæc signa destrui possũt.

Iam probatur, & declaratur altera pars de intentione: nam in primis si loquamur de intentione finis remoti, illa est intrinseca, nam est intentio operantis, non operis, vnde clarum est, esse posse bonam, vt v. g. liberare proximum ab illa vexatione corporis, quod ad misericordiam pertinet, item tollere proximo occasionem cadendi spiritualiter continuando pactum cum Dæmone, & alteri proximo ampliùs nocendi, & similia. Quod si contingat, intentionem esse malam, aut vanam, tunc poterit per accidens actio esse mala, tamẽ non proinde erit superstitio. Loquendum est ergo de intentione finis intrinseci, & operis; & hæc per se bona est: quia non est, nec esse debet intentio obligandi Dæmonem ad aliquid agendum, nam in hoc misceretur superstitio: Sed intentio est, destruendi incentiuum Dæmonis ad tale maleficiũ committendum. Nec enim dubitari potest, quin Dæmones his signis excitentur, & inducantur ad nocendũ, & quod cessare soleant, illis destructis: nam hoc experientia notũ est. Vnde hoc credere nulla est superstitio, quia nõ à Dæmone hoc discitur, vt à docente (vt sic dicam) vel testificante; sed ex operibus eius malignis, & longa consuetudine hoc per experientiam cognoscitur. Et consequenter ratione constat moueri Dæmonem illis rebus, non vt res sunt, sed vt signa sunt ab eis data, ergo licitè, & prudenter creditur, Dæmonem habere talem consuetudinẽ. Ergo optima intẽtio ad destruendũ talia signa est tollere incentiuũ Dæmonis ad malefaciendũ destruendo illud non per artẽ, vel beneuolentiã eius, sed per propriã hominis potestatẽ, ipso etiã inuito.

12. Probatur inductione posse tolli hæc signa.

Tandem confirmatur hoc inductione: nam imagines astronomicæ quid sunt, nisi signa pacti, & societatis cum Dæmone? Quid autem magis vsitatum, magísque Religiosum, quam similes imagines confringere? Idem argumentum sumitur ex omnibus superstitiosis amuletis, & periaptis: omnia enim sunt signa fœderum cum Dæmone, & tamen optimum est, illa rumpere, vel cremare. Neque est vllus cõfessarius pius, & doctus, qui pœnitentem absoluat priùs, quàm hæc destruat. Idem est, si quis haberet scripta certa verba Dæmonis ad curandum superstitiosè, debet enim tale scriptum igni tradere. Ergo semper est licitũ destruere hæc signa, quantum per humanam industriã fieri potest. Denique qui dedit chirographum Dæmoni, quando renunciauit Christo, vt cum illo iniret societatem, nunquid non potest rumpere chirographum, si ad manus eius perueniat? Potest quidem maximè: nam si licet pœnitere, & rescindere contractum, cur non licebit signum eius perrumpere? Nulla ergo videtur hîc esse ratio dubitandi.

13. Non solùm hoc licitum esse, sed etiã in præcepto.

Vnde vlteriùs addo, non solùm esse hoc licitum, sed etiam esse in præcepto per se loquendo. Est in primis respectu ipsius malefici, seu Magi, qui pactum cum Dæmone fecit, & signum posuit, clara est obligatio ex iustitia, quia tenetur non inferre damnum proximo. Imò suprà ostensum est, teneri ad restituenda, seu resarcienda damna illata; ergo multò magis tenetur ad non inferendum vlteriùs similia nocumenta, ergo & ad rescindendum pactum cum Dæmone, quo mediãte, est causa illius damni. Sed auferre signum, nihil aliud est quam pactum rescindere, nec potest illud rescindere alio medio apto; & licito, ergo. Et confirmatur: nam iudex in foro externo iustè potest illum cogere ac maleficium tollendum, & in foro interno idem faciet prudens confessarius, nec absoluet illum, donec illud destruat; tum propter obligationem iustitiæ declaratam, tum propter obligationem Religionis ad tollendam omnem societatem cum Dæmone, omnéque signum eius, quantùm in se est, & quantùm licitè potest. In aliis verò non est hæc obligatio ex iustitia, nisi fortè in iudice, vel prælato, qui tenetur ex officio consulere vniuersali bono Reip. & impedire grauia, & iniusta nocumenta subditorum. Si ergo illi constet de maleficio, & de modo, quo potest per simplicem & humanam actionem destrui, tenebitur ex officio ordinare, vt cum effectu destruatur. Alij verò obligari poterunt ex charitate, quia vnusquisque tenetur subuenire proximo necessitatem patienti, & impedire illius iniuriam, si commodè potest. Dixi autem, *per se loquendo*, quia ex accidenti posset quis non obligari, si graue aliquod

damnum inde sequatur. In quo generales regulæ de iustitia, & charitate seruandæ sunt.

14. Soluitur primum argumentum in contrarium adductum.

Ad 1. ergo argumentum in contrarium respondetur concedendo ablationem signi non esse causam cessationis effectus maleficij, quia sicut affirmatio non erat causa affirmationis, ita nec negatio negationis. Qui ergo destruit artificium illud, non intendit destruere causam, sed signum maleficij: nego tamen inde sequi, quòd vtatur illo signo ad excitandum Dæmonem, vel exigendum aliquid ab illo, vel in vi præcedentis pacti, vel quasi per nouam interces∫ionem, & rogationem Dæmonis: hæc enim omnia illicita sunt, in illo tamen opere non miscentur, sed solùm intenditur ablatio signi, quo Dæmon alliciebatur. Quod longè diuersum est, vt facilè constat; nam in prioribus actionibus est inductio positiua Dæmonis, quæ licèt sit ad nõ agendum, non est homini permissa, vt declaratũ est; in hac verò actione potiùs est priuatio inductionis Dæmonis, vt sic dicam; nam est ablatio signi, quod obiectiuè solet excitare, & inducere Dæmonẽ ad malefaciendum. Vnde tandem negatur secunda consequentia; nam hic non est vsus Magiæ, sed est vsus potestatis humanæ, quam homo ex se habet ad destruendum illud artificiũ. Qui vsus supponit quidem cognitionẽ, quòd tale artificiũ sit signum, quo Dæmon abutitur: quæ scientia non est per se mala vndecũque habeatur, & vsus eius ad destruẽdum maleficium optimus est; nec per illum intenditur aliquid in vi pacti, vt iam declaratum est.

15. Difficultas.

Dices: Qui aufert signum, credit fore certum vt Dæmon cesset malefacere; aliàs frustra tolleret, ergo nititur in pacto, & in virtute illius intendit cogere Dæmonẽ, vt desistat. Deinde hoc maximè habet locum, quando prius pactum inter Dæmonem, & Magum sub illa forma transactũ est, scilicet, vt ablato signo, non solùm possit Dæmon, sed etiam debeat à malefaciendo desistere, vt in tertio argumento proponebatur. Respondetur in primis non esse necessarium, certò sperare Dæmonẽ cessaturum, ablato signo, sed satis esse id probabiliter existimare ex his, quæ regulariter, & ferè semper accidunt, nam hoc satis est ad prudentem actionẽ. Est autem experientia notum, Dæmonem solere hæc pacta seruare, & nocere, quandiu signum extat, & cessare illo destructo; siue hoc sit, quia Deus non permittit Dæmoni liberè nocere hominibus suo arbitrio, & cooperante homine prauo per pacta, & signa Magiæ id permittit, vt eius bonitas in vno, & hominũ malitia in alio magis ostendatur; vt attigit Vict. in d. Relect. n. 36. ad 4. Siue hoc sit quia Dæmon ipse voluntariè cõsueuit seruare hæc pacta, non vt fidelitatem seruet, mendax enim est, & patet mẽdacij, sed vt illo modo securiùs homines decipiat, dum fidenter audẽt cum illo paciscî. Quacunque tamen de causa id faciat Dæmon, experimento constat, frequentiùs, ac regulariter ita facere. Qui autem destruit signum non curat de causa, cur Dæmon cesset à nocendo, ablato signo: sed solùm intendit fugare illum, saltem tollendo incentiuum, quo moueri solet. Vnde parum refert, quòd ex priori pacto se obligauerit Dæmõ ad cessandum, quia qui aufert signum, non intendit obligare illum in vi prioris pacti, sed solùm obiectum, quo moueri solet, amouere. Quod est facillimum, quando destructor signi est tertia persona, quæ pactum non fecit, nec signum posuit, & potest facilè ignorare, qualiter pactum factum sit. Verumtamen etiamsi sciat imò etiamsi sit ipse maleficus si pœnitere velit, & emendare delictum, potest etiam intentionem mutare, & tantùm intendere rescindere omne pactum, & nihil exigere ex vi prioris pacti, sed solum amouere signum, vt inductiuum Dæmonis ad malefaciendum. Eadem enim actio vna intentione facta potest esse mala, quæ mutata intentione, erit bona, quando actio ex se, ac per se indifferens est. Denique vt potest Dæmon ablato signo, adhuc continuare maleficium, si permittatur à Deo, quando ex priori pacto non se obligauit ad cessandum, ablato signo; ita etiam potest in maleficio perseuerare, etiamsi priùs se obligasset ad cessandum, quia est mendax, & non semper seruat pacta, sed solùm quando vel non permittitur aliter facere, vel quando existimat sibi cõmodius ad suos prauos fines, igitur qui destruit signum, non debet curare, quid facturus sit Dæmon, vel quale fuerit pactum, sed solùm debet intendere tollere talem occasionem mali, & restituere hominem ad eum statum, in quo erat, quando non erant talia signa, sperans, quòd sicut antea non alliciebatur Dæmon ad malefaciendum, ita nec postea signis destructis excitabitur.

16. 2. Argumentum soluitur.

Ad secundum argumentum in primis responderi posset, non esse omninò eandem rationem quia plus est dare signum, quàm tollere, quia per ablationem solùm destruitur superstitio, quod bonum est, per actionem autem effectricem signi videtur quodammodo continuari superstitio & interuenire aliqualis positiua cooperatio ad illam, & ideò maior cautela in tali casu videtur necessaria. Nihilominùs tamen re attentè spectata, si illa actio, licèt positiua videatur, præcise ordinetur ad auferendum, vel impediendum signum, non est mala, nec superstitiosa, nec magis pertinet ad societatem cum Dæmone, vel ad honorem eius, quam pura ablatio positiui signi. Vt v. g. si signum datum à Dæmone esset, se non cessaturum à maleficio talis hominis, quandiu corpus eius lotum non fuerit: Non pertinebit ab Magiã lauare corpus, si id fiat, non intentione positiuè sanandi illo medio, aut opera Dæmonis, sed tantùm tollendi signum, vt ille cesset malefacere, quia intentio illa bona est, & medium est indifferens de se, & suppositia malitia Dæmonis, est bonum, quia solùm est auferre incentiuum mali, & parum refert quòd ablatio signi fiat per actionem positiuam alterius rationis, siue non. Item finge, Dæmonem dedisse pro signo se nociturum tali homini, quandiu ille non se signauerit cruce, vel quandiu non habuerit tales reliquias ad collum appensas: Numquid propter prauam Dæmonis conditionem, & intentionem non licebit illa facere? Licebit sine dubio, non solùm propter specialem sanctitatem talium rerum, sed etiam ad destruendum signum à Dæmone datum. Et hoc paritate rationis colligitur ex citatis Auctoribus: & satis in particulari significat Syluester verb. *Maleficium* q. 9. cum Hostiens. in cap. *Litteræ*, §. *Mulieres*, de Frid. & malefic. sed ille generalius loquitur. Idem verò expressè notauit Lessius supra dub. 10. in vlt. assert.

Quod signum positiuum dari possit licitè, vt Dæmon desistat à maleficio.

Victor. *Syluest.* *Hostiens.* *Lessius.*

17. 3. Argumentum enodatur.

Ad 3. iam ferè responsum est, quicquid enim Dæmon antea spoponderit, potest malitia eius separari ab actione destruentis signum ex bona intentione operantis, quia actio de se indifferens est. Ille ergo nunquam intendet, (vt rectè operetur) vt maleficiatus consequatur salutem per actionem, & industriam positiuam Dæmonis, absit, hoc enim intrinsecè malum est, nam est inuocare Dæmonem, & excitare illum: Solùm ergo intendet negationem hanc, quæ bona est, & pactum non includit, scilicet, vt Dæmon non habeat, vnde specialiter excitetur ad nocendum, quod ipse homo sua

Enodatur.

ſua naturali virtute, & actione efficere poteſt tollendo ſignũ. Poſtquàm verò actio ita fit, vt poſtea Dæmon non ſolùm ceſſet à malo, ſed etiam operetur aliquid ad ſalutem reſtituendam, per accidens eſt, nam id faciet malitia ſua, & quia vult fidelem ſe alteri oſtendere, non tamen faciet prouocatus ab eo, qui abſtulit ſignum, qui tunc ſolùm ſe habet, vt permittens illam Dæmonis operationem, non vt cooperans ad illam, nec vt rogans aliquo modo, aut honorans Dæmonem, ſed potiùs vt reſcindens pactum eius, quantum in ſe eſt.

18. Hieronym. locus explicatur.

Ad locum Hieronymi dico in primis, Hieronymum ibi non dicere, Hilarionẽ noluiſſe inueſtigare ſigna, quia id malum eſſet, ſed ſimpliciter, noluiſſe. Vnde potiùs in tali abſoluta locutione indicat, non ex neceſſitate, ſed ex perfectiori virtute ita ſe geſſiſſe, ac ſubinde non id omiſiſſe, quia eſſet malũ, ſed quia plus de Deo confidebat. Erat enim dignum tali viro, vt altiori virtute, & modo Dæmonis opera deſtrueret, & ideò de quærẽdis ſignis non curauit. Deinde, fortaſſe timuit Hilarion aliquod ſcandalum, vt ſignificant illa verba: *Ne ſolitis incantationibus receſſiſſe videretur*, id eſt, ne aſtantes id putarent, & aliquod ſcandalum ſumerent; facilè enim crederent, non potuiſſe Dæmonem expelli à viro Sancto inuitum, & non ablatis ſignis. Tunc ergo ſine dubio non expediebat tali viro, & in tali occaſione vti illo medio, eſto, illud per ſe, & natura ſua malum non ſit.

CAPVT XVIII.

An ſit intrinſecè malum, vel aliquando liceat vti maleficio ad maleficium deſtruendum.

1. SVpereſt dicendum de remediis ſuperſtitioſis, quæ poſſunt adhiberi vel ad tollendum nocumentum priùs factum per præcedens maleficium, quod iam omninò præteriit, & ceſſauit, ſolúmque reliquit effectum ſuum; vel poſſunt adhiberi ad maleficij ſigna deſtruenda, & reſcindendum pactum, quod durat. Item in hoc diſtingui poteſt inter ipſum Magum, qui talibus maleficiis vtitur, & alium, qui ab ipſo petit, vt tollat maleficium iam factum. Primò ergo certum eſt, ſi effectus relictus eſt ex maleficio, & maleficium iam ceſſauit, non licere vti opera artis Magicæ ad curandum talem effectum, quod à fortiori docent omnes Doctores infrà referendi. Quia non eſt licitum vti arte magica ad curandum morbum, ortum à cauſis naturalibus, & propria naturæ corruptione, ergo nec ad curandum morbum ex maleficio cauſatum; eſt enim eadem ratio deformitatis in vtroque remedio; & quòd morbus prouenerit ex priori maleficio valdè accidentarium eſt. Item non licet vti arte magica ad benefaciendum, ergo nec ad recuperandas diuitias, quæ per maleficium deſtructę, aut combuſtæ fuerant, ergo neque omninò ad expellendum quemcunque ſimilem effectum. Quæ rationes probant, non ſolùm non eſſe licitum, in eo caſu per ſe vti arte magica, habendo pactum cum Dæmone expreſſum, vel pactum, quod intrinſecè malum eſt; verùm etiam nec licere vti induſtria Magi ad talem effectum ſubmouendum, vel curandum; etiamſi Magus ipſe maximè paratus ſit ad tale remedium tribuendum. Quia non licet petere à Mago parato, vt naturali morbo per ſuam iniquam artem remedium adhibeat: Nam hoc eſt, quod vniuerſa Scriptura, & omnes Canones, & leges prohibent: ergo idem eſt, etiamſi morbus, vel alius ſimilis effectus per aliud maleficium fuerit factus. Eſt enim (vt dixi) eadem ratio. Quæ autem ſit propria ratio à priori huius prohibitionis, in ſequenti puncto dicetur.

Non licet vti Magia ad tollendum effectum remanentem ex maleficio quod iã ceſſauit.

2. Mago non licet vti maleficio ad aliud tollendum.

Secundò certum eſt, Mago ipſi nunquam licere vti maleficio ad maleficium tollendum, etiamſi ipſemet prius maleficium fecerit, & non poſſit aliter illud deſtruere, ſicut interdum contingit. Ita docent omnes ſtatim referendi tanquam certum, & indubitatum in fide. Et patet rationibus factis, & ex omnibus, quæ hactenus diximus de malitia talis operis, quod intrinſecè malum eſt, & vniuerſaliter prohibitum. His ergo ſtantibus, quæri nihilominùs ſolet, an liceat vti opera eiuſdem, vel alterius Magi ad impediendum, vel tollendũ priùs maleficium, & effectum eius per aliud maleficium efficacius, vt ſic dicam. In qua re Auctores variis diſtinctionibus vſi ſunt. Prima eſt, quia vel maleficus paratus eſt ad vtendũ maleficio, vt priùs deſtruat, & ſic ceſſet effectus eius, vel non eſt paratus, ſed oportet rogare, & inducere illum. Quando non eſt paratus, omnes fatentur non licere vti opera malefici, vt maleficus eſt. Tamen in alio caſu quando eſt paratus, dicunt, eſſe licitum ab alio petere, vt maleficium maleficio ſoluat. Hanc ſententiam tenet Angel. in Sum. verb. *Superſtitio*, num. 13. referens pro illa Aureol. 3. d. 34. q. 2. Fundantur ſolùm in hoc, quod licet ad bonum finem vti malitia hominis parati, ſicut licet petere mutuum ab vſurario, & iuramentũ ab infideli, qui per Deos falſos iuraturus eſt. Addi poteſt in confirmationem, quòd tunc non petitur effectus poſitiuus, ſeu auxilium Dęmonis ad aliquid agendum, ſed ſola deſtructio maleficij, quæ bona eſt. Confirmatur ſecundò, quia ab ipſo Dæmone liceret petere, vt deſiſtat à malo faciendo, ergo à miniſtro Dæmonis idem licet poſtulare, vel certè ab ipſo Dęmone per ſuum miniſtrum. Antecedens patet, quia ſanctus Angelus, & interdum homo præcipit Dæmoni, vt deſiſtat à malo faciendo; ergo qui non valet imperare, vel cogere illum, poterit ſaltem petere.

An aliis liceat vti opera Magi ad tollendum vnum maleficium per aliud.

Pars affirmatiua.

3. Pas affirmatiua erronea iudicatur.

Verumtamen hæc ſententia ſibi ipſi contraria eſt, & omninò falſa ſpeculatiuè, & practicè improbabilis, & tam repugnans dogmatibus fidei, vt erronea iudicetur. Prima pars, quæ eſt fundamentum cæterarum, declaratur: Nam dicti Auctores fatentur, non licere inducere illum, qui maleficia facere nouit, non tamen eſt ſolitus, nec paratus illa facere, vt maleficiũ maleficio ſoluat: Quod certiſſimum eſt, & ratio eſt, quia in ipſomet Malefico, ſeu Mago intrinſecè malum eſt, per magicam artem aliquid efficere, aut procurare, & ideò nunquam licet, etiamſi propter bonum finem fiat: quia *non ſunt facienda mala, vt veniãt bona* ad Rom. 3. Quod in his maximè verum eſt, quæ ſunt intrinſecè mala. Quòd autẽ tale ſit opus Magiæ, conſtat ex omnibus hactenus tractatis, & ex dictis in pũcto proximè præcedente. Quando enim maleficium ceſſauit, & effectus maleficij permanet, non eſt licitum, illum curare per remedia magica, quæcunque illa ſint, ſi talia ſint, vt non poſſint eſſe naturales cauſæ, ſed ſigna non diuina: nam eo ipſo ſunt ſigna dæmoniaca, & pactum cum Dæmone includunt, quo vti intrinſecè malũ eſt, & vt tale prohibitũ in Scriptura, & Iurę canonico, vt ſupra viſum eſt. Hæc autem ratio eodẽ modo procedit, quando neque effectus maleficij ceſſauit, neque ipſum maleficium: ergo non minùs eſt intrinſecè malum, vti maleficio, ſeu arte magica ad tollendum maleficium, quia pactum cum Dæmone idem intercedit, nec magis poteſt ex hoc fine honeſtari, quam ex aliis, vt rectè docuit D. Th. in 4. d. 34. art. 3. ad 3. & ibi Bonau. Scot. & omnes. Sicut ergo ipſe Ma-

Rom. 3.

D. Thom. Bonau. Scot.

gus non potest licitè vti arte sua ad maleficiũ tollendum ita neque alius potest licite illum ad id faciendum inducere, præsertim quando ille paratus non est quia nunquã licet alium ad malũ inducere. Et ita dicti Auctores in primo pũcto rectè sentiũt.

4. Caietan. Ex illo autem conuincuntur falsum dicere in secundo puncto, seu membro diuisionis suæ. Nam vt rectè aduertit Caiet. 2.2.q.78.art.4. tunc licet ab aliquo petere aliquid, quod ille sine peccato facturus non est, quando id, quod petitur, per se licet, & sine peccato fieri potest: tunc enim accidentarium est, quod alter peccaturus sit, id faciendo: nam ex malitia sua addit operi postulando malitiam, non ex vi petitionis. Ac verò opus per se illicitũ, quódque bene fieri non potest, nunquam potest ab alio licitè postulari, quantumcunque ille paratus sit. Et ratio est, quia tunc petendo opus, petitur malitia, quia inseparabilis est ab opere; at qui petit, auctor est operis, nam rogans, sicut & consulens, causa moralis est operis postulati: ergo est etiam auctor malitiæ, & propria causa talis peccati ob eandem rationem, quia inseparabilis est malitia à tali opere.

Opus per se illicitum nunquã potest ab aliquo peti, etiamsi ad illud sit paratus.

Obiectio. Dices: Quando alter est paratus, non videtur induci ad opus, quia ipse per se se est satis inductus, qui ergo petit opus aliquod à tali homine sic dispolito non est causa operis, vel peccati, sed tantum vtitur malitia alterius. Respondeo, falsam, ac pernicioſam esse hanc doctrinam, aliàs ordinariè, ac regulariter licebit petere maleficia, seu venefi- C cia à Magis, quia ipsi paratissimi sunt ad illa facienda, neque qui sic peteret; censeretur esse particeps talis delicti vt Magia est quia non est causa eius iuxta illam doctrinam. Consequens est erroneum, vt ex dictis constat, ergo. Et alia similia absurda possunt inferri in materia morali. Falsum ergo est, quod in illa euasione assumitur. Nam qui petit ab alio, vt det, vel faciat aliquid, causa est moralis talis operis, etiamsi alter sit paratissimus ad dandum. Et qui petit mutuum ab vsurario parato, non excusatur à culpa, quia non sit causa mutui, nam re vera causa est, sed excusatur, quia mutuum de se bonum est, & ipse non est causa vsurarũ, neque illas petiit, sed permisit. Secùs autem est quan D do quod postulatur, est ipse actus flagitiosus, à quo non est separabilis malitia, tũc enim qui tale opus petit etiam à parato, ad totum opus, & malitiam eius illum inducit, & ideò à culpa excusari non potest. In præsenti autem ita est, quia opus illud destruendi maleficium per maleficium, seu Magiam, intrinsecè malum est, vt ostendimus, & ideò non potest postulari etiam à parato, absque eodem genere peccati. Et h æc, vt dixi, est communis, & indubitata resolutio Theologorum in 4. d 34. & aliorum Caiet tomo 2. Opusc. tract. 12. Castr. lib. 2. de Iust. hæret. punit. cap. 15. Abulens. Matth 19. q. 90. Turrec. in cap. vlt. 33. q. 1. art. 3. Couar. in cap. E *Quamuis pactum* p. 1. §. 1. num. 10. Nauar. in Man. cap. 11. num. 29. & aliorum, quos latè referunt Delrius lib. 6. cap. 1. sect. 1. q 2. & Sanchez, lib. 7. disp. 65. num. 7. & Petrus Binsfel. in l. 4. cap. de Mathe. & Mali. q. 5.

Caiet. Castr. Abulens. Turrec. Couar. Nauar. Delrius. Sanchez. Binsfel.

5. Per hæc ergo & partes omnes assertionis probatæ sunt, & responsum est ad fundamentum, & exempla Aureoli. Ad 1. verò confirmationem dicitur in primis, si maleficium maleficio tollendum est, aliquod positiuum crimen postulari, & contrarium negatiuo præcepto, quia petitur, vt fiat illud maleficium, quo aliud tollendum est. Et ita licet ipsa destructio prioris maleficij de se mala non sit, tamen procurare illam tali medio, intrinsecè malum est. Secundò respondendo simul ad secundam A confirmationẽ dicitur, quod licet destructio maleficij in se bona esse possit, tamen postulare illam à Dæmone, intrinsecè malũ est, quia inuoluit societatem, & pactum cum ipso Dæmone, & quendam cultum eius. Nam rogare Dæmonem vt aliquid non faciat, non minùs est quidam cultus eius, & quædã subiectio ad ipsum, quam rogare illum, vt aliquid faciat, sed petere ab illo quodlibet bonum, vel remedium alicuius mali intrinsecè malum est, ergo & petere ab illo, vt à maleficio cesset intrinsecè malum est. Vnde Leo Papa sermon. 19. de Passione, de Dæmonibus ait, *Multus, quod dolendum est, ita per nequitiam simulationis illudunt: vt quidem illos & timeant pati infensos, & velin habere placatos, cum beneficia Dæmonũ omnibus sint nocentiora vulneribus, quia tutius est homini inimicitiam Dæmonis meruisse, quam pacem.* Nihil ergo ab eis licet petere, seu rogare, ergo nec dissolutionem maleficij. Atque ita docuit Sot. 4. d. 34. art. 3. §. *Quod si quis* & Delrius, ac Sanchez suprà contra quendam Brianſonium (quem referunt) in Collectari. supra 4. sent. q. 13. concl. 3. Noster etiam Lessius dicto lib. 2. c. 44. dub. 10. dicit, licitum esse, verbo petere à Diabolo, vt desinat nocere, modo id non petatur deprecando, Sed est sano modo intelligendum: nam petere, & deprecari parùm differunt, vnde petere per modũ supplicationis non licet, petere autem per modum obiurgationis, & contemptus licitum est, vt si dicas: Abi hinc, cessa malefacere: in hoc enim nulla est societas cum Dæmones; nec aliquid ab eo propriè postulatur, nec honor ei defertur. Et ita nihil contra hoc obstat ratio suprà facta, quia quando Angelus, vel sanctus homo præcipiunt Dæmoni, imperando id faciunt virtute diuina, vt ministri Dei, eiúsque obsequentes voluntati, at quando homo rogat Dæmonem tanquam suplex, & indigens eius ope, planè se illi subiicit, eúmque quodammodo Deo præfert iuxta illud 4. Reg. 1. *Nunquid non est Deus in Israel, vt eatis ad consulendum Belzebub?* Deus ergo orãdus est, vt liberet à maleficio, non Dæmon. Quòd si Deus liberare noluerit, non propterea orandus, aut colendus est Dæmon, vt in simili dixerunt tres pueri Daniel. 3. Eò vel maximè quòd siquis rectam fidem teneat, non potest cum fiducia petere à Dæmone aliquod remedium, etiam in proprio maleficio, cum sciat illum esse mendacem, & pernicioſum hostem, qui bonum etiam corporis non confert, nisi in ordine ad animæ malum, & ideò etiam ratione periculi moralis non potest hoc fieri sine graui peccato.

Petere à Dæmone vt cesset à maleficio, non licet.

Leo Papa.

Sot. Delrius. Sanchez.

Daniel. 3.

4. Reg. 1.

6. Hinc ergo apertè concluditur, non licere petere à Mago, vt maleficium maleficio tollat, quamtúuis paratus sit. Satis enim paratus est Dæmon, à quo non licet id postulare: quando autem petitur ab aliquo Mago, ab ipso Dæmone postulatur, quamuis per Magum. Quia petere à Mago, vt maleficium faciat ad tollendum maleficium, nihil est aliud, quam petere ab illo, vt id à Dæmone obtineat tanquam eius amicus, & socius, qui cum illo pactum habet, ergo qui hoc petit à Mago, per illũ petit à Dæmone, quod eiusdem malitiæ est. Sicut qui petit à Sancto, vt à Deo impetret, Religiosè orat, quia per Sanctum à Deo petit: ita ergo hic superstitiosè petit, quia per Magum à Dæmone petit.

7. Refertur opinio asserens non licere id à Mago petere, licere tamen eum ad id cogere minis.

Hinc verò sumpserunt aliqui occasionem aliter distinguendi inter petitionem, & coactionem, ac dicendi, non licere rogare Magum, vt maleficium tollat per suam artem, propter rationes factas, nihilominùs tamen licere, eum cogere minis, ac pœnis; vt tali modo maleficium destruat. Quia hoc non est societatem cum Dæmone inire, sed

sed iure suo vti, & quasi se defendere. Item quia si Dæmonem ipsum cogere homo posset, non esset illicitum eum cogere ad tollendum maleficium, quia illud non esset colere illum, sed esset imperare, & quodammodo conculcare. Ita refert ex quodam Remigio Delrius suprà, eumque impugnat, eiusque argumenta dissoluit, quæ omitto, quia futilia sunt, & eius sententia planè falsa, & improbabilis. Nam in primis si talis distinctio locum haberet, non minùs liceret paratum cogere imperio, quàm reluctantem cogere minis, ac terrore: quia eius argumenta æquè in vtroque procedunt, scilicet, quia coactio inhonorat, & expers est omnis pacti, & similia. At vtrumque improbabile est: quomodo enim licitum esse potest alium cogere ad malum faciendum, etiam quando aliàs inuitus est, & à tali crimine alienus, si non licèt etiam paratum inducere, ac rogare? Itaque licet cogere non sit honorare, non propterea non est moraliter efficere, & efficaciùs causare crimen illud, ad quod faciendum alius cogitur. Et hæc est præcipua ratio malitiæ in hac inductione, quæ efficacior est in coactione; & ideò nullo titulo, vel necessitatis, vel recepti nocumenti honestari potest. Solùm ergo habere posset locum illa coactio sine peccato, quãdo Magus qui maleficium fecit, potest illud destruere absque nouo maleficio, nouóue auxilio Dæmonis. Tunc enim licitum esset cogere Magum, vt tali modo licito maleficium tolleret, iuxta ea, quæ in sequenti puncto dicemus. Et in eo tantùm casu procedit alia ratio, quòd licet vim vi repellere, & cogere illum qui nocumentum infert, vt cesset, quia id sine peccato optimè potest. At tunc impertinens est distinctio, quia tunc non solùm licet cogere, sed multò magis rogare, siue paratus sit, siue non paratus, quia non ad malum, sed ad bonum inducitur.

Delrius.

8. Discrimen quod est in inter Magũ, & Dæmonẽ quoad petitionem, vel coactionem quę eis inferatur.

Vnde obiter intelligitur differentia inter Dæmonem ipsum, & Magum ministrum eius. Quòd Dæmon in nullo casu potest à nobis cogi, vel rogari, etiamsi daremus posse tollere maleficium sine peccato suo; sicut re vera posset ex vi obiecti, licet ipse nunquam id sit facturus sine aliqua malitia propter obstinationem suam, & prauam intentionem, quod esset per accidens, si aliud non obstaret. Obstat tamen in primis quoad coactionem; quia mortalis homo (se cluſa virtute diuina, quæ in præsenti non operatur, vt supponimus) non potest cogere vnum Dæmonem nisi virtute alterius, ac subinde per pactum cum alio Dæmone superiori, qui potest inferiorem cogere. Propter quod rectè dixit D. Thom. quæst. 6. de Potent. art. 10. secluſa virtute diuina, non posse Dæmonem cogi ab homine, nisi per artem Magicam, id est, in virtute alicuius pacti cum superiori Dæmone. vt latè etiam prosequitur Victoria in dicta Relect. à num. 20. Sicut ergo nunquam licet vti arte magica, ita nunquam licet homini cogere Dæmonem. At verò vnus homo potest ab alio cogi, & facto, propter maiores vires vel etiã iure, quando sine inductione ad malum, & sine iniustitia id fieri potest. Vtrumq; autem horum concurrit in coactione Magi ad destruendum maleficium, quando sine maleficio potest, & ideò talis coactio interdum licet circa Magum, nunquam verò circa Dæmonem. Similiter ostensum est, nunquam licere rogare Dæmonem, quia omnis societas cum illo nobis est interdicta, vt contraria fidelitati, & Religioni debitæ Deo, at non sic nobis est interdicta omnis societas cum Mago viatore, quãdo cum illo agimus, non vt Magus est, sed vt homo: hoc autem modo rogamus illum, cum ab eo petimus, vt destruat maleficium, quod sine peccato destruere potest.

D. Thom.

Atque hinc colligitur declaratio ad assertionem proximè positam contra Angelum, quæ partim est ampliatio, partim videri potest restrictio eius. Nam à Mago etiam parato ad Magiam exercendam, non potest peti expresè, vt per illam maleficium destruat, vt probatum est. Vnde fit, quòd si constet tale esse maleficium, vt sine nouo maleficio, seu auxilio Dæmonis dissolui non possit; nõ licet petere à Mago, etiam indifferenter, & in communi vt maleficium dissoluat, quia in tali casu, & opere illud est virtute petere, vt opus magicum exerceat. Idemque erit, si destructio maleficij in genere petatur, non ab eodem Mago, qui illud fecit, sed ab alio, qui de illo, vel de loco, vbi sunt signa eius, nihil nouit: nam in tali homine talis petitio, licèt in specie verborũ indifferens videatur, re vera est petitio maleficij. Quoad hoc ergo aliquo modo ampliatur prædicta assertio. At verò si constet, maleficum optimè posse absque maleficio nouo soluere maleficium, licitè ab eo petitur in particulari, vt modo licito, & sine vsu pacti cum Dæmone illud destruat, quia hoc nõ est contra positam assertionem: nec ratio eius contra hoc militat, cum talis petitio non sit inductio ad opera Magiæ. Vnde hoc modo non solùm licèt id petere à parato, sed etiam à non parato: imò à nõ parato, securiùs petitur, quia quod petitur bonum est, & in illo minus est periculi, cum non supponatur paratus ad opera Magiæ præstanda. Difficultas verò nonnulla est, An ab his, qui norunt vtroque modo dissoluere maleficium, licito, scilicet, & illicito; liceat absolutè petere, vt maleficium destruãt, Potest autem sic petens triplicem opinionem, seu existimationem habere de illo Mago, à quo petit. Primò vt probabiliter credat, illum non vsurum mala arte, quando per se habet potestatem ad destruendum signum maleficij, & ita dissoluendum illud. Et tunc sine dubio est licitum absolutè petere, quia petitio est indifferens ex se, & ex parte personæ cessat morale periculum. Secundò potest petens timere, dubitare, an aliud superstitioso, vel licito modo sit dissoluturus maleficium. Et in hoc etiam casu licitum est sic petere, quia etiam petitio est de se indifferens, & potest honesto modo impleri, & in dubio potest præsumi bonum potiùs, quàm malum, & quia petens non constituit alium in morali periculo; de quo ipsi constet, & à fortiori propter ea, quæ dicemus in sequenti puncto. Loquimur autem in hoc puncto, quando dubium est de futura voluntate talis hominis; nam si dubium sit de potestate, seu scientia, non videtur licere in dubio petere, quia cùm constet, illum esse maleficum, & non constet illum scire tollere maleficium sine vsu suæ artis, præsumendum contra illum est, quia isti frequentiùs nesciunt soluere maleficia; nisi per artem suam, vt Auctores citati docuerunt: Præsertim verò quia si dubito, an ille sciat soluere sine maleficio, dubito an illa dissolutio possit licitè fieri; id autem, de quo est dubium, an licitè fieri possit, nec petendum, nec agendum est, stante dubio.

9. Declaratur opinio.

An possit hoc peti a Mago, qui nouit licito, & illicito modo tollere maleficia.

Tertiò potest petens certus esse, vel probabiliter credere, quòd si à tali Mago petat destructionem maleficij, potius per artem illicitam, quàm per potestatem licitam illud sit destructurus. Et in eo casu dicunt aliqui, non este licitum petere, etiam indifferenter, & in communi. Quod tenet Caietanus tomo 2. Opuscul. tractatu 12. & noster Delrius indicat sect. 1. quæstione 2. in fine 4. concluſ. Sed oppositum, verum existimo;

quod

Sententia Auctoris. *Ledes. Henricus. Sanchez.*

quod tenent apertè Petrus Ledesmus de Matrimo. A quæst.58. à 2. dubio 2. cap. 3. Henricus lib.2. alias 12.de Matrim.cap.8.num.3. in fine, Sanchez suprà nu.11.Et ratio est clara, quia tunc peto rem,quam alius licitè præstare potest, & habeo ius petendi, ergo nec induco ad malum, nec moralem præbeo occasionem,quia vtor iure meo.Et per accidens est quòd alius malitia sua vsurus sit, nam ego permitto illam,non consentio,nec sum causa eius. Et hoc probant optimè exempla,quæ Angelus, & Aureolus afferebant. Et si attentè legatur Delrius, non dicit,quod licèt possit,&sciat maleficius soluere sine maleficio, malum sit ab eo petere, sed passiuè ait, *Licèt possit maleficium solui.* Vnde videtur loqui in casu, quando maleficium quidem ex se potest dissolui sine peccato, ille tamen à quo petitur, vt illud destruat, non nouit illud soluere sine maleficio, de hoc enim tantùm exemplum adducit. Et de illo verum est,non licere ab illo petere,vt dixi,quia impertinens est respectu talis personæ, quòd maleficium secundùm se sit aliter dissolubile, si talis persona illum modum licitum nescit, tunc enim absolutè ab illa peteretur, quod non nisi illicito modo facere nouit:Nos autem loquimur, quando persona scit, & consequenter potest licitè facere, sed creditur non factura, tunc enim eius malitia non obstat, vt declaratum est, & in hoc sensu loquuntur Ledesma,& Henricus,quos pro se Delrius citat.

Angel. Aureol. Delrius.

B

10. Caietani opinio reiicitur.

Caietanus autem apertè sentit contrarium, non tamen sufficienter id probat. Ait enim oportere C particulare opus petere, & non vagè, relinquendo in arbitrio praui hominis petitionem propriam. At enim satis est petere effectum determinatum, qui possit licitè ab alio fieri,neque oportet semper medium,aut modum determinatum proponere. Aliàs non posset ab infideli peti, vt iuret, sed oporteret petere,vt per verum Deum iuret:& sic de aliis.Vnde etiam falsum est, quod sumit, tunc petitionem fieri à malefico,vt talis artifex est, quia non petitur opus, quod ex se requirat talem artem, vt ex suppositione constat.Ergo talis petitio ex vi verborum non dirigitur ad artificem prauum vt sic, sed ad illum hominem vt tenetur dissoluere maleficium, quæ petitio ex natura rei videtur ita intelligenda, etiamsi absolutè proponatur. Quod ergo Caieta- D nus docet, est bonum consilium, non tamen simpliciter necessarium per se loquendo, & ex vi Religionis.Quod addo:nam si esset spes, quod petendo,& rogando,vt medio licito vtatur, ad id posset induci, & retrahi à peccato, charitas obligaret ad id consulendum, & petendum tali modo; quando verò non est spes, etiam ipsa charitas non obligat, quia vtor iure meo, & illa est tantùm permissio. Cauendum enim est, ne adhibeatur aliqua cooperatio ad maleficium,si fortasse Magus velit maleficio vti, quod non potest sine cooperatione petentis,vel maleficiati, applicari. talis enim cooperatio nunquam licèt, quia determinare est ad actum per se illicitum.

E

CAPVT XIX.

De pœnis, quas Diuini, Magi, & Malefici incurrunt.

1. Eadem est pœna Diuini, Magi, & Malefici.

QVæstionem hanc simul de his omnibus criminibus, seu modis committendi hoc crimen tractandam reseruauimus, quia ferè Iura omnia tam canonica, quàm ciuilia eisdem pœnis afficiendos decernunt eos, qui talia crimina committunt. Vt videre licet tota causa 26. in Decret. & Codice toto titul. de Malefic. & Mathem. Atque hæc est regula generalis, si verò aliqua inuenitur exceptio breuiter adnotari poterit. Quin potiùs etiam in lege veteri eadem pœna his omnibus criminosis imponebatur, & sub eodem tenore legis, ac prohibitionis ferè semper ponuntur. Nam licèt Exod. 22. Exod.22. Solùm dicatur; *Maleficos non patiaris viuere*: tamen nomine Maleficorum isti omnes comprehenduntur, quia in propria, & vitata significatione non solùm dicitur maleficus, qui arte Magiæ ad nocendum vtitur, sed absolutè qui pactum habet cum Dæmone, & aliquid ex illo operatur. Vnde Leuit.20.additur: *Vir siue mulier,in quibus Pythonicus, siue diuinationis fuerit spiritus, morte moriantur, &c.* Et Deuter. 18. ferè omnes modi huius peccati Deut.18. distinctè numerantur, & subditur: *Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter huiusmodi scelera delebit eos, &c.* Et ita Paul. ad Galat. 5. omnia hæc vi- Galat.5. tia sub vna voce comprehendit, quando inter opera carnis ponit *Veneficia*. Et eodem sensu dicitur Apocap. 18. *In veneficiis tuis errauerunt omnes gentes.* Apoc. 18. & 21. Et simile habetur cap. 21. Itaque omnia hæc flagitiorum genera eodem Iure censentur,& ita eisdem pœnis generaliter puniri solent. Duæ autem possunt esse hæ pœnæ,scilicèt canonicæ,& ciuiles:Canonicæ item pœnæ quædam esse solent, quæ ipso iure,seu facto incurruntur;aliæ,quę per iudices Ecclesiasticos imponendæ sunt: atque istæ etiam postremæ ad forum contentiosum spectant,& à Iuris Canonici peritis tractari debent, ad quos etiam pertinet modum, & ordinem inquirendi,ac ferendi iudicium de hoc delicto exponere. Priores autem pœnę ad forum conscientiæ maximè spectant, & ideò de illis priùs dicemus: de cæteris verò pœnis vtriusque fori externi, ciuilis nimirum, & Canonici solùm capita indicabimus, & ad proprios auctores remittemus.

2. An hi omnes incurrãt excommunicationem ipso facto.

Quia verò pœnæ canonicæ, quæ ipso facto incurruntur,potissimum sunt censuræ,ideò ante omnia videndum est, an omnes isti sic criminosi, sint ipso facto excommunicati, vel aliquam censuram incurrant.Quidam enim dixerunt,propter hoc crimen incurri excommunicationem ipso facto. Ita tenet Tabiena verb. *Excommunicatio*, 1.casu 4. allegans ad hoc quandam extrauagantem Ioan. 22. Et solet ad hoc allegari caput *Sortes* 26 quæst.5.vbi de sortibus dicitur: *Ne exerceantur, sub anathematis interdicto prohibemus.* Verumtamen hæc verba non continent sententiam latam, sed ferendam, vt ex materia de Censur.constat. Magis videntur vrgere verba textus in cap. *Si quis ariolos*, ibidem, in quo dicitur: *Si quis ariolos, aruspices, aut incantatores obseruauerit,aut phylacteriis vsus fuerit,anathema sit.*Nam hoc vltimum verbum sententiam latam continere solet.

Tabien. Extran. Cap. *Sortes.* Cap *Si quis.*

3. Negatiua pars statuitur. *Alens. Siluest.*

Dicendum nihilominùs est,propter hoc crimen nullam censuram, vel Ecclesiasticam pœnam ipso facto incurri.Ita sentit Alexand. Alens. 2. p.quæst. 164. membr. 5. dum ait, *Hos esse excommunicandos,* Syluester ver.*Superstitio*, qu. vlt.vbi quærens de pœna, licèt non ponat expressè negatiuam partem de censura ipso iure lata, dicit tamen solùm propter hæc delicta esse ferendam excommunicationem in quo planè sentit, donec feratur, non incurri. Et simile argumentum sumi potest ex eodem Syluestro, Caietan. Nauarr. & aliis Doctoribus, qui numerando casus, in quibus excommunicatio ipso iure incurritur, hunc prætermittunt, quos in libr. de Censur. nos imitati sumus. Deinde hoc probatur, quia

Caiet. Nauar.

Tit. de Malefic.

Causa 26. Cap. 1.

quia in nullo decreto iuris Canonici talis censura A fertur: Nam in tit. de Maleficis nulla fit mentio talis censuræ, licèt facta ipsa prohibeantur, & eorum malitia exaggeretur, & aliæ pœnæ imponendæ assignentur. Idem latiùs videre licebit 26. Causa ferè per totam. Solùm verbum citatum ex cap. 1. *Anathema sit*, videtur habere nonnullam apparentiam, quia talia verba sufficienter declarare solent censuram ipso facto latam, vt diximus dis. 3. de Censu. sect. 3.

4. Explicatur Caput, Si quis Arios.

1. Cor. 16. Rom. 9.

Responderi tamen potest, in illo textu incertum esse, an vox *Anathema*, sumatur propriè pro excommunicatione, vel solùm pro quadam execratione, seu pro persona execrabili, & separanda à consortio bonorum, vt patet 1. Corint. 16. & Roman. 9. Sed hoc non placet, quia secundum vsum B Canonum accommodata est illa vox ad significandam excommunicationem maiorem, etiam cum quadam exaggeratione: Et Canon ille non est admodùm antiquus, sumptus est enim ex Conc. Romano sub Gregor. II. qui sedit sub anno 716. Imò omnes Canones illius Concilij sub eadem forma feruntur; & in multis est euidens, sermonem esse de propria censura. Aliter dici potest, verbum, *sit*, non semper dicere sententiam latam, sed præcipere, vt feratur. Imò Nauar. in Manuali cap. 27. num. 12. sentit, in rigore ita esse interpretandum verbum illud, nisi ex aliis Iuribus, vel circunstantiis aliud colligatur. Sed fortasse contrarium est verius, vt citato loco dixi, & Nauar. fatetur esse communiorem sententiam. Quod etiam testatur expresè C Panorm. in cap. 2, de For. compet. in fin. & ca. *Si diligenti*, eod. tit. & Felin. in cap. *Rodulphus* de Rescrip. nu. 31. vers. *Sit excommunicatus*, qui Baldum, & alias Gloss. allegat. Addunt nihilominùs omnes exceptionem, nisi ex aliis Iuribus aliud constet. Et ita exponunt Glossam vlt. in cap. *Si quis ex Clericis camam relaxauerit*, de Vit. & honest. Cleric. Nam ibi additur: *Anathema sit*. Glossa verò exponit, *id est, fiat, non enim est excommunicatus ipso iure*. Et tamen illud cap. sumptum est ex eodem Concilio Roman. sub Gregor. II. estque vltimum capitulum eius. Quod etiam habetur in cap. *Si quis*, d 30. vbi Glossa etiam ita exponit de censura ferenda, fortè quia materia, vel alia Iura id postulant. In nostro ergo cap. poterit eadem interpretatio admitti, quia sunt multa D alia iura, quæ declarant, illam esse censuram ferendam, ac subinde non esse latam. Patet hoc ex aliis Iuribus illius quæst. 5. Nam in cap. 2. & 3. Pœnitentia quinquennij imponitur pro hoc crimine. In ca. autem *Non oportet*, quod est Concilij Laodic. 36. ca. dicitur: *Eos autem qui talibus rebus vtuntur, proinde ab Ecclesia iussimus*. Et non fertur illa pœna generaliter contra omnes fideles, sed contra Clericos Magos. Idemque habetur in Concil. Agathens. ca. 78. Idem verò Concilium ca. 42. tam de Laicis quàm de Clericis siquis eorum tale crimen commiserit, *ab Ecclesia* (inquit) *habeatur extraneus*. Et habetur in dicta quæst. cap. *Aliquanti*. Quæ verba, cum sint de futuro, hominis sententiam requirunt, vt constat. Similia sunt in cap. *Siquis Clericus* ibidem: *Ab Ecclesiæ* E *communione pellantur*. Et loquitur etiam tam de Laicis, quàm de Clericis; estque Concilij Aurelian. 1. ca. 32. Et idem ferè habetur in ca. *Augurius* ex Concil. Carthag. 4. cap 89.

Conc. Rom.

Nauar.

Panor. Felin. Bald. Gloss.

Conc. Rom. Cap. Si quis. Gloss.

Cap. 2. & 3.

Cap. Non oportet. Concil. Laodi.

Conc. Agat.

Cap. Aliquanti.

Cap. Siquis

Conc. Aurel. Cap. Augur Concil. Car.

5. Difficultas quæ in præcedenti explicatione iuris reperitur.

Sed, vt verum fatear, hæc omnia mihi non satisfaciunt, quia considero, hæc omnia Iura antiquiora esse, quàm Concilium Romanum sub Gregorio II, vt facilè constare potest consideranti tempora Conciliorum, quæ allegauimus. Vnde colligo, non posse ex illis Decretis antiquis limitari, aut exponi dictum cap. *Siquis Ariolus*, quia potuit rigorem addere prioribus Iuribus, & eo ipso quòd modum loquendi mutauit, & per verba latæ sententiæ censuram imposuit, videtur id fecisse. Nec verò post illud tempus inuenimus Decretum, quod de hac censura loquatur tanquam de imponenda per hominem. Quin potiùs Concilium Romanum sub Zacharia Papa, qui fuit paulò post Gregor. 2. in cap. 9. puniens similia delicta vtitur etiam illo modo loquendi, *Anathema sit*. Et habetur ca. *Siquis* 26. quæst. 7. Quòd autem ibi de his vitiis sit sermo, licèt ex verbis, quæ Gratianus refert, obscurè colligatur, satis apertè constat ex Epistola vltima eiusdem Pontificis Zachariæ ad Bonif. & ex alia Epistola Bonifacij ad ipsum. Quapropter non videtur improbabile, circa illa tempora percrebuisse prauam ariolandi consuetudinem, & ideò prædictos Pontifices rigorem censuræ addidisse, vt ipso facto incurreretur, prout verba sonant. Sed licèt hoc non sit improbabile in rigore iuris, nihilominùs non videtur ita consuetudine receptum, vnde vel consuetudo derogauit illi Iuri quoad hanc partem, vel certè, cum sit optima legum interpres, ita verbum illud interpretata est, vt scilicet in illo Iure perinde fuerit dicere, *sit Anathema*, ac si diceretur, Anathematizetur, seu sit anathemate feriendus. Quod autem hæc sit consuetudo, constat ex Glossis adductis, & ex Doctoribus communiter, qui hanc censuram non agnoscunt tanquam iure latam.

Conc. Rom.

Cap. Siquis Ariolus. Gratian.

Zachar. Bonif.

6.

Præterea extrauagans Ioannis XXII. quam allegat Tabiena, nec in Iure habetur, nec in Bullario Romano edito anno 1586. inter constitutiones illius Pontificis continetur. Refert tamen illam Eymeric. in Direc. Inquis. part. 2. quæst. 43. Et habetur etiam vt ibi notat Pegna Comment. 68.) in Repertori. Inquis. Et ex eius tenore constat excommunicari hos omnes sortilegos ipso facto. Nihilominùs tamen non videtur illa constitutio ita promulgata, cognita, & recepta, vt illum induxerit effectum. Denique in Concilio Lateran. sub Leone X. sess. 9. tit. de Reform. curiæ in fine de his sortilegis generatim dicitur, quod, *Si fuerint Clerici per superiores infamia notentur, si verò non destiterint, deponantur, & in monasterium detrudantur, & beneficiis priuentur, Laici verò excommunicationis & aliis pœnis iuris, tam Ciuilis, quàm canonici subiaceant*. Ex his ergo omnibus non satis colligitur censura, quæ ipso facto incurratur.

Eymeric. Pegna.

Conc. Later.

7. Difficultas.

Superest verò difficultas, quia ex alio capite videntur hi malefici incurrere excommunicationem ipso facto, vel saltem quod ab Ecclesia vt tales tractandi sunt, quia vel sunt hæretici, vel saltem hæretici præsumuntur: hæreticus autem ipso iure excommunicatus est, vt constat. Assumptum patet: Tum quia isti sunt idololatræ, & omnis idololatra vel est, vel præsumitur infidelis, ac subinde hæreticus, seu apostata, si fidelis, vel baptizatus erat: tum etiam quia omnis illa societas, quam isti habent cum dæmonibus, inuoluit multa veræ fidei contraria, vt in discursu præcedentium capitum explicatum est. Ad hoc breuiter respondetur: primò non omnem superstitionem suprà numeratam continere hæresim, nec manifestè illam sapere. Hoc probatur apertè ex cap. *Causam*, §. *Sanè*, de Hæret. in 6. Vbi Alex. 4. præcipit Inquisitoribus, ne se cum his diuinatoribus, & sortilegis intromittant, *nisi hæresim saperent manifestè*. Supponit ergo non semper hæresim sapere, & ita tunc procedunt ea, quæ diximus sine vlla limitatione.

Non in omni superstitione dari hæresim. Soluitur. Cap. Causam. Alexand.

8.

Secundò concedimus sæpissimè hæc peccata exerceri cum aperta hæresi, vt in superioribus explicatum

Ca. *Episcopi.* catum est, & habetur in ca. *Episcopi* 29. quæst. 5. Et A tunc fatemur, ratione hæresis incurri excommunicationem ipso facto, & alias pœnas, illæ tamen non incurruntur formaliter ratione superstitionis, quod hic tractamus, sed ratione apostasiæ à fide, & propriæ infidelitatis in homine Christiano, ac baptizato, quod longè diuersum est. Aduerto autem, cum pœnæ hæreticorum tunc incurrantur, quando interna hæresis exteriùs manifestatur, etiamsi occultissimè id fiat, ad incurrendas illas pœnas in hoc casu satis esse, aliquam actionem huius artis exteriùs exercere ex falso errore, vel circa potestatem Dęmonis, vel circa eius malitiam, & damnationem, vel aliquid simile fidei dogmatibus contrarium. Nam inuocatio Dæmonis ex tali credulitate, vel alia similis actio, est sufficiens manifesta- B tio externa interioris erroris: & licèt occultè, vel cum solo Dæmone fiat, sufficit ad censuras incurrendas, vt ex generali doctrina de Censuris, & de hæresi constat.

Quando simul cum superstitione datur hæresis, ratione huius solum incurritur excommunicatio.

9. Quomodo iudicandum de censura in foro interiori, vel exteriori.

Tertiò dico, aliquando fieri hæc crimina cum magna suspicione hæresis, licèt non sit manifesta. Et tunc quantum ad forum conscientiæ attinet, ad iudicandum de censura, & aliis pœnis veritas spectanda est non præsumptio, vt constat, quia vt suprà de idololatria dicebamus, qui exteriùs illam exercent sine animo hæretico, non incurrunt hæreticorum pœnas, ergo à fortiori idem dicendum est de idololatria, quæ per has superstitiones committitur siue tacitè, siue expressè. At verò in foro exteriori iuxta qualitatem suspicionis, seu præ- C sumptionis, aut vehementis, aut leuis, iudicandum erit.

10. Duæ regulæ assignantur ad cognoscendum suspectos de hęresi in hac materia.

Hîc verò interrogari potest, quando censeatur quis suspectus de hæresi propter hoc crimen, quod latè tractant Doctores, qui de hac materia scribunt, ex his verò, quæ dicunt, duæ breues regulæ colligi posse videntur. Vna est, quoties hi Diuini, vel Magi, aut malefici expressè inuocant Dæmonem, aliquid ab eo postulando, quod à solo Deo cognosci, reuelari, aut fieri potest, vehemens oritur suspicio hæresis, quia nemo petit ab aliquo, nisi quod credit ipsum facere posse. At quando solùm petitur à Dæmone aliquid, quod naturales vires Angeli non excedat, cessat dicta præsumptio. Et tunc est adhibenda secunda regula: nam si in D illo pacto, & inuocatione Dæmonis interceßit adoratio Dæmonis per latriam, vehemens generatur suspicio, quia illa est expressa idololatria quæ de se est infidelitatis protestatio, & ostensio. Præterea etiam si sit per solam duliam, magna generatur suspicio, quia talis adoratio indicat, non credi talem esse Dæmonem, qualem secundum veram fidem esse credimus, ac subinde illam etiam esse ostensionem, & confessionem cuiusdam infidelitatis. Item crescit hæc suspicio, si in pacto cum Dæmone interueniat exterior fidei abnegatio, vel renunciatio Christi, aut Sacramentorum eius, vel etiamsi in vsu talis artis abusus Sacramentorum, vel rerum sacrarum misceatur, & tanto maior erit suspicio, quanto res fuerint sacratio- E res, & præsertim si fuerit ipsa Eucharistia. Quando verò nihil horum interuenit, & præsertim si pactum non sit expressum, sed tantùm implicitum, cessat dicta suspicio: Plura de hac re videri possunt in Castr. libr. 1. de Iusta hæreticorum punitione capit. 13. 14. 15. & 16. Et Simanc. de Cathol. institut. titul. 21. præsertim à numer. 10. & titul. 62. numer. 2. & 3. titul. 63. numer. 29. & 34. Iuli. Clar. libr. 5. verb. *Hæresis* numer. 24. & 25. vbi alios refert. Eymericus in Direct. Inquisit.

Prima.

Secunda.

Castr. *Siman.* *Iuli. Clar.*

Eymeric.

p. 2. quæst. 42. & 43. & ibi Pegna referens plures Comment. 67. & 68. *Pegna.*

11. Ad quod forum hoc delictum pertineat.

Tandem potest hîc consequenter interrogari ad quod forum hoc delictum pertineat, & quæ pœnæ per competentem iudicem sint propter illud imponendæ, & quo ordine ac modo id faciendum est. Tamen hæc etiam omnia breuiter remittam, quia aliena sunt. In primo ergo puncto si delictum inuoluat suspicionem hæresis, ad Inquisitores pertinet, vt constat ex dicto capit. *Causam*, & ex om- Ca. *Causam.* nibus allegatis auctoribus. Quibus addendum est per motum proprium Sixti V. contra iudiciarios, ampliatam in hac parte esse iurisdictionem Inquisitorum, præsertim in diuinationibus, *etiam quoad casus, in quibus antea procedere non valebant*, vt ibidem dicitur. Si verò sit pura superstitio sine expressa suspicione hæresis, non pertinet ad Inquisitores, vt in eo capite ordinatur: & tunc censetur communiter esse misti fori, nisi ratione personæ ad iudicem tantum Ecclesiasticum pertineat. Itaque si delinquens sit Clericus à Prælato suo iudicabitur: si verò sit Laicus, siue vir, siue fœmina, misti fori est, & à præoccupante iudice, siue Laico, siue Ecclesiastico iudicabitur. Et hæc est sententia Ab- *Sixto V.* *Abbas.* *Isidor.* *Cast.* *Iul Clar.* *Binsfel.* bas in cap. 1. de sortilegiis numer. 3. & 4. Alder. in Rubrica de hæretic. num. 13. Castr. li. 1. de Iusta hæretic. punit. cap. 16. Iulij Clari lib. 5. verb. *Hæresis*, numer. 25. Binsfeld. de Confession. Malefic. Prælud. 14.

12. Quæ pœnæ sint imponendæ pro hoc delicto si à clerico committatur.

In secundo ergo puncto, omissa culpa hæresis, vel suspicionis eius, quæ ad aliud genus punitionis pertinet, & propria est Inquisitorum: crimen superstitionis ab vnoquoque iudice iuxta ius suum puniendum est: Ab Ecclesiastico per leges Canonicas, quæ maximè habentur in titulo de sortilegiis, & 26. quæst. 5. & 7. Circa quas aduertendum est, si reus sit persona Ecclesiastica, ordinariè puniri, vel aliqua suspensione, vt in cap. 2. de sortilegiis vel depositione, vt in cap. *Si quis Episcopus*, 26. quæst. 5. Ita enim legendum est, vt in Concil. Tolet. 4. ca- *Conc. Tolet.* pit. 18. habetur, & non *Suspensus*, vt legit Gratia- *Gratian.* nus, & ibi additur pœna perpetuæ pœnitentiæ in Monasterio, vt tamen aduertit Panormitanus in *Panor.* capit. 2. de sortilegiis aliquando imponitur leuior pœna, interdum grauior, quia & delicta secundùm se non semper sunt æqualia, & ex parte circunstantiarum potest esse magna varietas, quam iudex considerare debet. Vnde etiam interdum potest adhibere censuras, quæ Laicis communes sunt, vt in cap. *Aliquanti*, ibidem expressè dicitur. Addidit Cap. *Aliquanti.* etiam Antonius de Butr. in ca. *At si Clerici*, de Iu- *Anton. de Butr.* dice debere Clericum propter hoc crimen deponi, & tradi brachio seculari, allegatque caput. *Admoneat*, 26. quæst. 7. Sed ille textus non refertur nisi ex Augustino apud quem non inuenitur. Cap. *Admoneat.* In Concilio autem Turon. 3. cap. 42. Vbi reperitur desunt vltima verba, quæ continent pœnam. *Conc. Turon.* Adde ibi solùm de degradatione fieri mentionem, non de traditione facienda curiæ seculari; pœna autem non est extendenda, cum rectè possit intelligi de degradatione verbali. Et ideò meritò illam opinionem reiicit Panormitanus in eodem capit. *Panor.* numer. 37. concludens Clericum propter hoc delictum puniendum esse iuxta, cap. *Tua*, de Pœnis. Vbi Cap. *Tua.* pro grauibus criminibus generatim dicitur imponenda pœna degradationis, seu depositionis, & perpetuæ detrusionis in Monasterium ad agendam pœnitentiam. De quo videri potest Bernar. Diaz in *Bern. Diaz.* Pract. cap. 17. vbi plures alios refert. Denique circa Clericorum pœnas addimus, nullas incurrere ipso iure, quia nulla censura sic illis imponitur, nec irregu-

irregularitas, vt dixi in 5. tomo disp.63.sect.4.n. 8. A

13. De pœnalaicis impositis à iure Canonico pro hoc crimine. *Cap. 1. Paucr.*

Quod ad laicos attinet, variæ pœnitentiæ illis imponuntur pro hoc delicto in iure Canonico, vt patet in c. 1. de sortil. vbi pœnitentia tantùm quadraginta dierum imponitur, quæ videtur intelligenda, quando leue est delictum, vel certe, vt Panor. notat, intelligitur de pœna imponenda in foro pœnitentiæ, nam in foro contentioso grauior pœna imponenda est. Veruntamen pro foro pœnitentiæ isti Canones pœnitentiales iam nó sunt in vsu, sed prudenti arbitrio Confessorum relinquitur. Et fortasse similis est pœna quinquennij pœnitentiæ,

Cap 2. & 3. Cap. Non oportet. quæ his imponitur in cap.2.& 3.26. quæstion.5. Ibi enim in cap. *Non oportet*, & sequentibus iubentur B isti excommunicari, vt vidimus, quæ longè maior

Ca. Quisquis. Siluest. pœna est. Additur in capit. *Quisquis*, 2. quæstion. 8. *Qui ad Sortilegos, Magósque cõcurrerint nullatenus ad accusationem esse admittendos.* Vnde colligit Sylvester verb. *Superstitio*, quæstion. 11. hos esse infames. Sed ibi non agitur de omnibus sortilegis, sed de his, qui ad illos accedunt, qui sæpe id faciunt, vt eos accusent, & illi repelluntur tanquam suspecti, & vt tollatur occasio calumniæ vt Hugo,

Hugo. Turrecr. Gregor. Cap. Cum idolorum. & Turrec. exposuerunt. Vnde illa non est propriè pœna. At verò Gregor. Papa lib.7. Epist.66. ad Ianuar. & habetur in capit. *Cum idolorum*, 26. quæst. C 5. si post sufficientem admonitionem isti emendari noluerint, præcipit eos, *Si serui sint verberibus, cruciatibúsque, quibus ad emendationem peruenire valeant, castigari, si verò sint liberi, inclusione digna, districtaq; esse in pœnitentiam redigendos.* Additur denique in capit.

Cap. Episc. *Episcopi* ead. causa, & quæstion. *Episcopi, si aliquem virum, aut fœminam huiuscemodi sceleris sectatorem inuenerint, turpiter dehonestatum de parochijs suis eiciant.* Et hoc solet magis vsu seruari, vt notat Panormit. c.1.de Sortilegijs, Solent enim hi cum mitra infami publicè verberari, vel etiam in scala nudi, & melle vncti publicè collocari: de quo videri potest Sal- D

Salced. ced. in Schol ad cap.107. Pract. Bernardi, vbi alios

Siluest. Doctores & iura allegat. Addit verò Sylvest. verb. *Hæresis*, 3. quæst. vlt. posse interdum Ecclesiasticum iudicem hos reos remittere brachio seculari, non solùm quando conuincuntur esse hæretici relapsi, sed etiam quando crimina sunt atrocia, & habent adiuncta alia morte digna. Quod verum esse existimo, quia nullibi est prohibitum, & potest ad commune bonum necessarium esse.

14. Pœna à Iure Ciuili imposita pro eodem crimine. *Cap. De Malef.* At verò ius Ciuile longè grauiorem pœnam his maleactoribus imponit; nam capitalis sententia in eos ferenda decernitur fere toto tit. C. de Malef. & Mathemat. Sed de his pœnis iuris periti consulen- E di sunt; leges enim illæ præcipuè videntur punire iniustitias, & nocumenta, quæ reipub. & priuatis personis hi malefici inferre solent, & ideò tam grauiter illos puniunt. Vnde in illis legibus cauendum est, quòd interdum asserunt, non esse dignos supplicio eos, qui his artibus vtuntur, non ad malefaciendum, sed potiùs ad medendum corporibus, vel impedienda aliqua nocumenta in fructibus terræ, vt

L. Eorum. L. Partit. Leg. vlt. patet in leg. *Eorum.* C. eod. tit. & in leg. Partitarum Hispaniæ, in leg. vlt. tit. 23 part. 7. Non enim credē-

dum est leges illas approbasse talia facta, aliàs errorem in fide continerent, vt ex suprà dictis patet, sed solùm noluisse illa punire, sed permittere, quod interdum facere possunt leges Ciuiles, quando peccata non sunt contra iustitiam, nec contra publicam pacem. Quod ita etiam intellexerunt Bartol. & Salycet. in dicta leg. *Eorum*, & Greg. Lop. dicta *Bart. Salyc. Grego. Lop.* leg. vlt. & Azebed. li. 8. Recopilat. tit. 1. leg. 5. nu. 13. *Azebed.* Addit verò Greg. Lop. cum Angel. dicta leg. *Eorum*, *Angel.* posse illas leges intelligi, quando illa remedia licet ordinaria, & naturalia non appareant, non continent apertam superstitionem, vel illicitam incantationem, sed credi possunt fieri virtute diuina. Hic *L. Vnica. Binsf.* tamen sensus difficilè accommodatur ad illas leges; tamen per alias leges Ciuiles videtur prohiberi Magia, etiam ad vtilitatem humanam exercita, vt ad inuentionem thesauri leg. vnic. C. de Thesaur. lib. 10. & notat Petrus Binsfel. in tit. de Malefic. & Mathemat. lib. 4. q. 5. vbi alios refert; & in vniuersum hæc maleficia, etiamsi propter salutem, vel alios fructus terræ fiant, eadem pœna damnantur in *Ioan. 1.* legibus Hispaniæ lib. 8. Nouæ Recopilat. tit. 3. leg. 6. quæ fuit à Ioanne 1. edita, anno millesimo qua- *Leg. Hisp.* dringentesimo decimo.

Circa tertium punctum, seu ordinem seruãdum 15. à iudicibus in huius delicti punitione nolumus immorari; tum quia magis ad Iuristas pertinere credimus: tum etiam quia de hac re latissimè scripsit *Delrius. Valent.* Martinus Delrius in suis Disquisitionibus lib. 5. per totum. Breuiùs Gregorius de Valentia in su. part. disp. 6. quæst. 13. punct. 4. Satis etiam distinctè, ac eruditè Petr. Binsfeld. de Confess. Malefic. *Binsfel. Malleus. Malefic.* præsertim memb. 2. & super titul. de Maleficis multa sparsim attigit. Præcipuè videri potest Malleus Maleficarum part. 2. & 3.

Vltimo loco non prætermittam admonere, sum- 16. mè necessarium esse ad puritatem Catholicæ fidei, Libri huius artis cremari debent. & Ecclesiæ, vt omnes libri de his superstitiosis artibus concrementur, iuxta exemplum Apostolicũ, quod Actor. 19. refertur; tales enim erant illi, de *Act. 19.* quibus ibi dicitur, quòd *multi eorum, qui fuerant curiosa sectati contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus.* Sic enim intellexit Augustinus in fine Psal. *August.* 61. post totam enarrationem eius, & illos dicit fuisse imitatum Mathematicum quendam pœnitentem, quem ibi commendat. Et simile exemplum Cypriani refert Nazian. orat. 18. in eundem; & de *Nazian. Cypr. Damasc. Athan.* Theuda. Damascen. in Histor. Barlaam, capit. 32. & ad eundem antiquiorem morem videtur alludere Athanas. de Incarnatione Verbi prope finem, dum inter alia Christi fidei mirabilia hæc ponit. *Qui hactenus idola adorauerunt, iam ea conculcant, qui Magiam adorauerant, volumina comburunt.* Extat etiam de hac re lex Theodosij, & Honorij. C. de *Theod. Honor.* Episcopali audient. leg. *Mathematicos*, vbi hos libros *L. Mathematicos.* coram Episcopo comburi præcipiunt, & inter hæreticorum libros ab Ecclesia prohibitos hi comprehenduntur, vt constat ex Indice librorum prohibitorum. Quem hac in parte restrictè obseruari sub pœnis in eo contentis, præcipit Sixtus in motu proprio superiùs allegato.

Finit libri secundi.

INDEX CAPITVM LIBRI TERTII DE SACRILEGIO.

Cap. 1. Quid sit, & quotuplex sacrilegium.
Cap. 2. De sacrilegio contra personam sacram.
Cap. 3. De sacrilegio per violationem castitatis.
Cap. 4. De sacrilegio contra locum, & alias res sacras.
Cap. 5. Qualis sit diuisio sacrilegij in tres species.
Cap. 6. Dubia circa res aliquas sacras.
Cap. 7. De sacrilegij malitia, & pœna.

LIBER TERTIVS

DE SACRILEGIO EIVSQVE SPECIEBVS ET PRÆCEPTIS QVIBVS PROHIBENTVR.

Sacrilegium quid propriè significet. Isidor.

Sacrilegium dictum censetur à sacro, & lego: hoc autem ver. interdum significat furari, aut rapere: vnde sacrilegium primo impositum videtur ad significandum furtum, vel iniquam contrectationem rei sacræ: atque ita Isidorus lib. 1. Origin. lit. 5, dixit: Sacrilegus dicitur ab eo, quòd sacra legit, id est furatur. *Inde autem extensum est ad significandam omnem iniuriam, vel violationem rei sacræ. Potest autem res sacra largè dici etiam Deus ipse: & sic omne peccatum contra Religionem poteris dici sacrilegium, quomodo cultus idolorum sacrilegus vocatur, & ignem, quo victimæ, aut odores idolis adolentur sacrilegium appellauit Tibullus. Strictè verò, ac propriè res sacra ab ipso Deo distinguitur, & est illa, quæ Diuino cultui peculiariter dicata est: & hoc modo sacrilegiũ propriè dictum, & vt hic sumitur, est vitium condistinctum à vitiis hactenus tractatis, quibus ipsi Deo quasi directè, & in se iniuria infertur, & ita nec periurium, nec alia similia vitia sunt propriè sacrilegia. Per sacrilegium enim immediatè res Deo dicata violatur, & ita illa est quasi materia proxima huius peccati, quæ vocari solet obiectum* quod: *Deus autem est obiectum* cui, *seu in cuius iniuriam remotè actio redundat. Habet autem hoc vitium species varias, & ideò priùs in genere rationem eius aperiemus, illúdque in sua membra diuidemus, postea de singulis speciebus dicemus.*

Res sacra stricte lumpta distinguitur à Deo.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit, & quotuplex sacrilegium.

1. Definitur sacrilegium.

D. Thom.

Gloss. Turrec.

Vpposita vocis etymologia, & significatione suprà declarata, rectè sacrilegiũ definitur, esse violationem rei sacræ, vt ex Diuo Thoma sumitur 2.2. quæst. 99. art. 1. Et eandem definitionem habet Glossa in cap. *Omnes Ecclesiæ* 17. q. 4. Turrec. in cap. *Sacrilegium* 17. q. 4. Vbi aliàs descriptiones refert: sed vel non sunt de proprio sacrilegio, vel ad hanc reuocantur. Quid verò nomine *rei sacræ* in illa descriptione intelligatur, patebit ex sequentibus; nunc solùm dicimus, *rei sacræ* nomine intelligi quamlibet rem creatam, quæ ex peculiari dedicatione ad cultum Dei sancta, vel sacra effecta est; violatio autem talis rei dicitur, quælibet irreuerentia, aut indigna eius tractatio.

2. Particula à Caietan. addita in definitione sacrileg. ad excludendum simoniam.

Caietanus verò in dicto artic. 1. addendum putauit esse violationem rei sacræ per actionem, seu commutationem inuoluntariam: obiicit enim simoniam esse quandam violationem rei sacræ, & non sacrilegium. Vt ergo illam excluderet, necessarium putauit illam particulam addere, vel secundum illam verba Diui Thomæ interpretari. Declarat hoc exemplo vitiorum, quæ sunt opposita iustitiæ, distinguuntur per hoc, quod quædam versantur in commutationibus voluntariis, vt vsura, quædam inuoluntarij, vt furtum. Sic enim existimat in virtute Religionis sacrilegium esse violationem, & actionem inuoluntariam, simoniam verò non esse sacrilegium, quia non est in actione voluntaria, committitur enim per modum emptionis, & venditionis: Alij constituunt differentiam inter sacrilegium, & simoniam quòd per sacrilegium violatur res sacra in aliquo vsu suo, vt si quis vtatur calice consecrato in communi mensa, &c. per simoniam verò non derogatur vsui rei sacræ, sed ipsimet rei, quatenus vilipenditur, & indignè tractatur.

3. Reiicitur Caiet. sententia.

Sed nihil video, quod cogat negare peccatum simoniæ esse verum sacrilegium, quia pro materia proxima habet, non Deum, sed rem sacram, vt beneficium Sacramentum, &c. ergo illud peccatum non continetur sub illis vitiis oppositis Religioni, quibus Deo directè iniuria irrogatur, ergo continetur sub vitio communi quo irrogatur iniuria rei sacræ, seu (quod idem est) quo res sacra iniquè violatur, hoc autem vitium sacrilegium vocatur, quod in plura specie distincta diuiditur, vt postea videbimus: vnũ ergo inter alia est simonia. Accedit, quòd multa possunt esse sacrilegia per actiones voluntarias, nam vẽdere res Ecclesiæ indebitè sacrilegium est, non enim est simonia, vt infrà ostendimus, & est peccatum contra religionem, quod non potest ad aliam speciem pertinere, & ita etiam in iure appellatur, vt videbimus: & tamen illa iniuria fit per contractum voluntarium, ergo hoc non obstat rationi sacrilegij. Item matrimonium sacerdotis, vel Religiosi, aut habẽtis votum castitatis sacrilegium est, & tamen committitur per actionem voluntariam, scilicet per contractum siue inualidum, quando votum est solemne, siue validum, quando est omnino simplex. Vnde etiam sumitur argumentum, quia illud peccatum non est simonia, licèt sit iniuria per actionem vtrinq; voluntariam ex parte hominis, ergo etiã illo modo à Caietano intento non adæquatè explicatur ratio simoniæ, nec ratio sacrilegij. Præterea exemplum de iniustitia non videtur rectè accommodari, quia iustitia est ad alterum hominem, & ideò iniuria potest variari ex diuerso

modo

modo, quo actio, qua infertur, est voluntaria, vel inuoluntaria ei, cui fit iniuria; quomodo etiam Diuus Thomas 2. 2. quæstione 66. articul. 4. distinxit furtum, & rapinam per diuersum modum inuoluntarij ex parte illius, qui patitur iniuriam. At verò ratio iniuriæ, quæ est in sacrilegio attenditur principaliter respectu Dei, vt infrà videbimus: Deo autem non est minùs inuoluntaria irreuerentia rei sacræ, quæ fit per simoniam, quàm illa quæ fit per alias actiones, ergo siue illæ actiones inter homines sint per voluntarium pactum, siue alio modo, illud non impedit, quominùs tales actiones sint vera sacrilegia. Et ita facilè excluditur alia differentia, tum quia ad summum est specifica secundùm diuersas species sacrilegij, non tamen exclu- B dit conuenientiam in genere sacrilegij: tum etiam quia illa differentia non constat, percussio enim clerici sacrilegium est (non quia sit contra vsum sacerdotij,) sed quia est indigna tractatio rei sacræ, & venditio doni gratuiti, etiam est contra debitum vsum eius, datum est enim, vt gratis detur, & venditio beneficiorum, & ordinum maximè est contra bonum vsum eorum, vt omnia iura clamant.

4. Dico ergo, nihil esse absurdi concedere simoniam esse speciem sacrilegij, vt rationes factæ probant, contra quas nihil affertur alicuius momenti, nisi quod Diuus Thomas, & alij Doctores seD. Thom. paratim tractant de simonia, & sacrilegio: dico C tamen id fuisse propter specialem rationem simoniæ, & ampliſſimam eius materiam, sicut nos etiam faciemus in hoc libro, & sequenti: neque hic noster sensus alienus est à modo loquendi Doctorum, & Iurium. Soto enim lib. 9. de Iust. quæSot. stione 5. arti. 1. & 2. simoniam vocat sacrilegium, Beda. & Beda lib. Retract. in Acta capit. 8. dicit Simonem Magum tentasse facere emptionem sacrilegam: Et Glossa in capit. *Audiuimus* 1. q. 3. dicit saGloss. Cap. Audiuimus. crilegium in simonia committi, & ibi Turrec. nu. Turrec. 2. dicit; *benè sacrilegium dicitur simonia*. Et habet fundamentum in textu, vbi Gregorius ait. *A sacrilegio* Gregor. *hoc facinus non dispar dixerim*: Quamuis enim per hæc verba formaliter non dicatur, simoniam esse D sacrilegium, satis nihilominùs indicatur. Denique licet dici possit sacrilegium interdum accipi quasi specificè, vt distinguitur à simonia, nihilominùs negari non potest, quin illa vitia conueniant in generali ratione violandi rem sacram; neque negari potest, quin hoc genus optimè sacrilegij nomine significetur; hoc ergo modo hic definitur, & ideò nulla additio necessaria est. In sequentibus autem capitulis priùs dicemus de sacrilegio quasi distinguendo illud à Simonia; de qua postea in particulari dicemus.

5. Sacrilegium in tres species diuidit D. Thomas. Ita ergo generatim declarata ratione sacrilegij, ad explicandam totam latitudinem eius oportet varios modos sacrilegij proponere, & explicare. D. E Thom. igitur dicta q. 99. artic. 3. sacrilegium distinguit ex parte rerum sacrarum, quæ per illud violantur. Quia sicut habitus (ait) distinguuntur ex obiectis, ita vitia per materias, circa quas versantur, materia autem sacrilegij est res sacra, ergo iuxta diuersitatem rerum sacrarum diuidentur sa-D. Thom. crilegia. Vnde colligit D. Thom. sicut tria sunt genera rerum sacrarum, scilicet personæ, loca, & quędam res aliæ, ita triplicem esse speciem sacrilegij contra personas, & contra loca, & contra res alias Diuino cultui dicatas.

6. Difficultates circa propositam diuisionem. Circa quàm partitionem multiplex oriri potest dubitatio. Primò circa singula membra, quid sub se contineant, & quale in eis sacrilegium commit-

A mittatur. Secundò circa eorum sufficientiam, quia inter res sacras computatur tempus Deo dicatum; vnde sacrilegium committit, qui illud violat, vt supra visum est, & tamen in illa diuisione non comprehenditur. Item Scriptura sacra est res valdè sacra, vnde qui peruertit verba eius, sacrilegus appel- D. Thom. latur à Diuo Thoma dicta q. 99. art. 2. ad 1. Quod si fortè dicatur, hæc omnia, & similia comprehendi sub tertio membro rerum sacrarum, sic erit aliunde superflua, vel merè voluntaria distinctio, quia non minùs distinguuntur tempus, aut Scriptura, seu verbum Dei ab aliis rebus sacris, quàm locus sacer, cur ergo magis specialiter ponitur locus, quàm cæteræ res sacræ? Valdè etiam obscurum, & incertum remanet, quæ sint illæ res sub tertio membro contentæ.

7. Tertiò occurrit difficultas circa illorum membrorum distinctionem, tum quia cùm sacrilegium consistat in irreuerentia rei sacræ, potiùs sunt distinguenda sacrilegia ex parte sanctitatis, per quam res constituitur in esse sacræ, quam ex varietate rerum quæ sacræ denominantur, & quasi materialiter ad sacrilegium pertinent: sed in locis sacris, & vasis & similibus non est sanctitas diuersę rationis, quia in omnibus est solùm per quandam denominationem, & deputationem, seu benectionem extrinsecam in ordine ad cultum Dei; ergo distingui non debent. Tum etiam quia in eadem re possunt esse varij tituli sanctitatis, vt verbi gratia in eadem persona est sanctitas gratiæ, & fidei, & characteris baptismalis, & simul esse potest sanctitas ordinis, seu consecrationis, & præterea sanctitas voti, vel professionis religiosæ; & similiter idem calix Ecclesiæ sacra res est, & quatenus consecratus est, & quatenus sub bonis Ecclesiæ est, & quatenus in loco Ecclesiæ custoditur; magis ergo secundùm has rationes distinguenda esset sacrilegia, quàm secundùm res ipsas sacras materialiter sumptas. Tum denique quia ex modo violationis magis pędet malitia sacrilegij; nam furari imaginem, & illam conculcare, aut comburere, longè diuersum sacrilegium esse videtur, quamuis circa eandem rem vtrumque versetur: ergo non sumitur sufficienter hæc distinctio ex parte rerum sacrarum.

8. Defenditur proposita diuisio. Nihilominùs trimembris illa diuisio sacrilegij ex parte materiæ sacræ multum recepta est inter Doctores, vt videre licet in omnibus Summistis, verb. *Sacrilegium*, Angel. num. 1. Syuest. §. 1. Caieta. eod. verb. & 2. 2. q. 99. Eandem habet Alens. 2. part. q. 170. memb. 2. & illam attigit Bonauent. in 3. distinctione 37. dubio 7. circa literam: eandem habent Canonistæ in c. *Sacrilegium*, 17. q. 4. Vbi Turrec. q. 5. & 6. Habętque illa distinctio magnam fundamentum in sacris Canonibus: nam illa tria genera sacrilegiorum tanquam maximè propria in eis numerantur: nam de sacrilegiis contra personas sacras loquuntur cap. *Sicut*, & capit. *Quisquis*, 17. q. 4. Imò si attentè legantur tota trimembris distinctio in eis cõtinetur. Præterea de sacrilegiis contra personas sacras extãt multi Canon. in c. *Si quis deinceps*, vsque ad capit. *Si quis suadente*, ead. caus. & quæst. & de sacrilegiis contra loca sacra in capit. *Miror*, & capit. *Frater*, cum alijs ibidem: & de sacrilegijs contra res, seu bona Ecclesiæ, capit. *Sacrilegium*, cap. *Omnes Ecclesiæ* & capit. *Attendendum* ibid. Et expresse in capit. *Qui rapit* dicitur, *Qui pecunias vel res Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit*. Ratio verò, & sufficientia huius diuisionis non est speculatiuo rigore exigenda, solùm enim hæc traditur tanquam magistralis diuisio accommodata ad omnia sacrilegia explicanda, & sub certis capitibus compre-

Cap. *Sicut*. Ca. *Quisquis*.
Cap. *Si quis*. Cap. *Si quis suadente*. Cap. *Miror*. Cap. *Frater*. Cap. *Sacrilegium*. Cap. *Omnes*. Cap. *Attendendum*. Cap. *Qui rapit*.

hendenda: satisque est, vt membra illa sufficientem distinctionem in ratione sacrilegij inter se habeant, & quòd sub illis nihil includatur, quòd rationem sacrilegij non habeat; ac denique quòd nullum sit sacrilegium quod ad illa tria membra non reducatur, quamuis sub illis mẽbris possint diuersæ etiam species sacrilegiorum magis in particulari distingui. Quę omnia discurrendo breuiter per illa membra faciliùs declarabuntur, simúlque difficultates soluentur.

CAPVT II.

De multiplici sacrilegio contra personam sacram.

1. Persona fit sacra, vel per ordinationẽ, vel per statum Religiosum, vel per quandam participationem illius.

CIrca primum membrum de persona sacra primò supponendum est, nomine *personæ sacræ*, hic intelligi illam, quæ peculiari modo diuino cultui dicata est. Nam (vt diuus Thomas dixit dicta quæst. 99. art. 1.) Sacrum dicitur aliquid ex eo, quòd ad Diuinum cultum ordinatur, ac deputatur, nam inde efficitur quodammodo Diuinum, & speciali reuerentia dignum: ergo etiam persona eadem ratione dicetur sacra. Duobus autem modis videtur fieri persona sacra iuxta vsum Ecclesiæ, scilicet per ordinationem sacram, & per statum Religiosum, vel quandam eius participationem, qualis est per votum simplex castitatis, aut alium modum dedicationis ad cultum Dei perpetuum ab Ecclesia approbatum. Non enim quælibet priuata deuotio, aut propositum se totum dicandi ad Diuinum constituit personam sacram, sed necesse est, vt ex iure fiat talis consecratio personæ, hæc autem non fit, nisi altero modo ex duobus suprà positis. Quod potest confirmari ex sententia Hieronymi relata in capite *Duo sunt* 12. quæst. 1. sic enim ait: *Duo sunt genera Christianorum. Est autem vnum genus, quod mancipatum diuino officio, & debitum contemplationi, & orationi ab omni strepitu temporalium cessare conuenit, vt sunt clerici, & Deo deuoti, videlicet, conuersi, &c.* Hoc ergo primum genus sacras personas continet (nam aliud continet laicos, & communem plebem Christianam,) & in illo duo illi modi inueniuntur; nam Clerici ordinatione constituuntur, reliqui, qui conuersi, seu Religiosi dicuntur, per votum, vel statum aliquem ab Ecclesia approbatum. Aliquis ergo ex illis modis necessarius est, vt ex conditione personæ sacrilegium insurgat, & quilibet illorum sufficere potest.

Hieron. Cap. *Duo sunt.*

2. Obiectio.

Dices: Etiam fideles omnes sunt generali quodam modo sacri, ille ergo sufficiet, vt sacrilegium circa personam fidelem committi possit. Antecedens patet, quia per baptismum, & fidem speciali modo dicatur homo Diuino cultui, & per gratiam specialiter sanctificatur. Consequentia verò probatur, quia per talem sanctificationem fit talis persona digna specialis reuerentia, & honore propter specialem habitudinem, seu coniunctionem ad Deum. Nam Sanctos cum Christo regnantes specialiter colimus Religioso cultu ratione sanctitatis, & ideò sacrilegium est eos blasphemare, vel alio modo irreuerenter tractare; ergo idem erit de omnibus participantibus illam sanctitatem. Et cõfirmatur ex Concilio Tolet. 4. c. 64. *Constituit*, 17. qu. 4. vbi prohibetur, ne Iudæi permittantur publica officia exercere in terris Christianorum, vt hac occasione Christiani à Iudæis iniuriam non patiantur, & subditur, *Si quis autem iudicium hoc permiserit, vel vt in sacrilegum excommunicatio proferatur.* Illa ergo iniuria, quæ fit Christianis censetur sacrilegium: nam ob hanc causam, qui per iniustam permissionem in illam consentit, tanquam sacrilegus punitur: & ita Gratianus ibi dicit, *Sacrilegij reatum incurrit, qui Iudæis publica officia committit.*

Concil. Tolet. Cap. *Constituit.*

Gratian.

3. Soluitur.

Non cõmitti sacrilegiũ propter iniuriam Christiano illatã.

Respondetur, proprie loquendo non committi sacrilegium propter iniuriam, vel aliam irreuerentiam hominis Christiani, etiamsi iustus reputetur; quia talis irreuerentia non est contra Religionem, sed aut contra iustitiam, aut contra obseruantiam proximo debitam. Quod videtur limitandum, nisi id fiat ex peculiari intentione conculcandi Religionem Christianam, aut inhonorandi Deum ipsum, vel Christum in tali persona: nam tunc intentio illa contra Religionem est, & consequenter actus, qui ex illa fit, eius malitiam participat. Addo verò, etiam iniuram factam Christiano illa intentione non esse sacrilegium strictè sumptum, vt nunc de illo loquimur, licèt generali modo ita vocetur, eo modo, quo quælibet irreligiositas solet vocari sacrilegium: est enim illa irreuerentia ipsius Dei magis, quàm talis personæ; nam illa solùm assumitur vt materia, in qua Deus ipse contẽnitur, & inhonoratur. Sicut è conuerso cultus, & adoratio Dei, etiamsi in signo externo circa aliquam rem creatam versetur, directè, & per se est cultus Dei, non autem rei creatæ, nisi fortè concomitanter. Ita ergo de actu contrario censendum est. Vnde hic modus inhonorandi Deum non solùm in homine Christiano, vt sic, sed etiam in homine vt ad imaginem Dei facto, imò in quacumque re, quatenus in ea Deus aliquo modo reſidet, potest inueniri. Et ideò nõ pertinet hoc peccatum ad sacrilegium, quod ex parte personæ committi dicitur. Vnde non obstat, quòd persona aliquomodo sanctificeatur per fidem, vel gratiam, quia ratione illius non tenemur colere ex Religione illius talem personam, & ideò neque irreuerentia illi facta est contra Religionem. Quid autem dicendum sit de Sanctis cum Christo regnantibus, ex sequentibus patebit. In illo autem capit. *Constituit*, sacrilegium latè sumitur vt sentit, Turrecrem. in capit. *Sacrilegium*, 17. quæstion. 4. articulo 5. Nam Iudæi iniurias inferunt Christianis, vt Christiani sunt, & in odium Christi, ac religionis Christianæ, & ideò qui in hoc illis fauent, aliquod modo tanquam sacrilegi reputantur.

Cap. *Constituit.*

4. Quot genera sacrilegij contra personas sacras dentur.

Iam verò circa personas sacras ratione ordinationis, vel status, seu specialis dedicationis ad diuinum cultum dubitari potest, quomodo sacrilegium circa tales personas, vel ab eisdem ratione talis circunstantiæ committatur. At quod breuiter dicendum est, tria, vel quatuor genera sacrilegiorum circa has personas distingui. Primum est inferre manus violentas in talem personam, violando priuilegium, seu immunitatem eius, quæ Canonica dicitur propter capit. *Si quis suadente*, 17. quæst. 4. Secundum est violatio fori circa talem personam, quod magna ex parte continetur in primo, sed est aliquo modo diuersum. Tertiũ quodammodo præcedenti annexũ est violatio immunitatis clerici à soluendis tributis, & ab aliis seruilibus oneribus. Quartum sacrilegium in hoc genere committitur per fornicationem, vel similem turpitudinem. Circa primũ modum sacrilegij aduertendum est, illum potissimè constare ex iure positiuo in dicto capit. *Si quis suadente*; Nam ibi specialiter interdicitur iniectio manuum violentarum in clericum intuitu Religionis, & in talis personæ reuerentiam, & ideò ex vi illius Canonis materia illa constituitur in virtute Religionis, & sub eius obliga-

Cap. *Siquis.*

Primum genus sacrilegij.

obligatione. Et ideò illa iniuria, quæ alias esset contra iustitiam ex natura rei, incipit esse contra Religionem ex vi illius Canonis: sicut supra tract. 2. libr. 3. diximus de aliquibus actionibus prohibitis in loco sacro. Dubitari autem potest, an talis iniuria Clerici, ex natura rei sacrilegium, etiam secluso iure Ecclesiastico. Videri enim potest responsio affirmans vera, quia illa esset semper irreuerentia personæ sacræ. Et non videtur improbabile. Communiter tamen oppositum verius creditur quia secluſa lege positiua, talis actio non esset formaliter contra sanctitatem personæ, quia ex natura rei non esset debita talis immunitas huiusmodi personæ ex peculiari titulo sanctitatis; nisi Ecclesia suo præcepto id effecisset, quod sentit Caietanus in dicta quæstione 99. ad 5. dub. 44.

An clerici iniuria ex natura rei sit sacrilegium.

Pars affirmatiua verior iudicatur.

A

B

5. Confirmatur, ac declaratur: nam in aliquibus casibus clericus ordinatus non gaudet illo priuilegio Canonis, in quibus casibus sicut persona manus iniiciens in clericum, non incurrit illam censuram, ita non censetur inferre manus sacrilegas, sed tantùm iniustas, ergo signum est hoc sacrilegium esse contra ius positiuum. Vnde aliqui dixerunt peccatum illud ratione excommunicationis annexæ nouam speciem malitiæ accipere. Sed re vera malitia illa non oritur ab excommunicatione adiuncta, nam malitia talis supponitur excommunicationi, quia propter tale sacrilegium fertur. Nascitur ergo ex prohibitione, quæ prior est, quàm excommunicatio. Vnde si fieret prohibitio intuitu Religionis sine adiuncta excommunicatione, illa sufficeret ad tale sacrilegium: non est ergo excommunicatio ratione illius malitiæ, quãuis in tali materia possit esse signum eius. Occurrebat autem hoc loco declaranda materia illius Canonis, quæ latissima est, sed id factum à nobis est in 5. tomo de Cens. disput. 22. sect. 1. per totam.

5. Confirmatur.

C

6. Secundam item sacrilegij genus contra personam sacram integrum postulabat tractatum ad sui declarationem, tamẽ in opusculo de Immunitate personarum sacrarum, & bonorum Ecclesiasticorum omnia, quæ in hac materia nobis occurrunt, prosecuti sumus, & ideò hoc loco illa prætermittimus: solúmque aduertimus circa secundum genus sacrilegij illud sub priori genere magna ex parte comprehendi: nam in dicto c. *Siquis suadente* omnis iniurioſa violẽtia clerico fieri prohibetur, siue sit iniurioſa ex natura rei, siue supposito aliquo Canonico iure. Vnde si iudex secularis vim inferat clerico, vt illum in carcerem coniiciat, etiam propter verum delictum, & carcere dignum, in censuram Canonis incidit, quia re vera manus violentas in clericum iniicit. Simul verò agit contra immunitatem fori, ex qua nascitur, vt illæ manus iniustæ, ac sacrilegæ sint, atque hoc modo sæpe sacrilegium commissum in personam clerici contra priuilegium fori, materialiter (vt sic dicam) coincidit cum sacrilegio contra priuilegium Canonis, semper tamen formalis ratio vtriusque diuersa est.

6. 2. Genus sacrilegij.

D

Cap. Siquis.

7. Et quamuis multiplicatio præceptorum prohibentium eundem actum sub eadem ratione virtutis sufficere non soleat ad multiplicandas malitias in eodem peccato, imò neque ad augendam malitiam ita notabiliter, vt necessarium sit illam circunstantiam in confessione aperire, vt probabilior fert opinio, sicut dixi in 4 tom. disput. 22. sect. 4. dub. vlt. Et bene tractat Sanchez libr. 9. de Matrimon. disput. 15. num. 6. alios referens; nihilominùs in prædicto casu sentio, hanc multiplicationem prohibitionum, & priuilegiorum, quibus illæ fundantur, variare multum rationes sacrilegij, quia sunt immunitates Religiosæ (vt sic dicam) diuersarum rationum. Vnde si iudex vt persona priuata feriat clericum, vel vt iudex illum violenter detineat, non satisfaciet præcepto confessionis, generaliter confitendo, se manus violentas in clericum iniecisse, sed tenetur declarare, an id fecerit iurisdictionem exercendo; tum quia est iniuria, & violentia longè diuersa, tum etiam quia illo modo multiplicantur censuræ. Vltra hoc verò potest sæpe sacrilegium committi, exercendo iurisdictionem in Clericum, non inferendo in illum manus violentas, & tunc omninò separatur sacrilegium huius secundi generis à priori, vt per se manifestum est.

7. Multiplicatio præceptorum prohibentium eundem actum quãdo sufficiat ad multiplicandas malitias.

E

8. De tertio etiam genere sacrilegij, seu fundamenti eius, quod est immunitas personæ Ecclesiasticæ à tributis personalibus, disputaui late in dicto Opusculo, & ideò hic solùm aduerto quòd licet furari temporaria clericorum bona nõ sit sacrilegium, nihilominùs per impositionem tributi illa iniustè exigere, & extorquere sacrilegium est, quia per simplex furtum nec vis infertur personæ, nec fit contra immunitatem aliquam specialiter clericis concessam. Nullum enim Canonicum ius specialiter prohibet furari à clerico magis, quam à Laicis, sicut prohibet manus violentas illis inferre. At verò imponere Clerico tributum, vel ab eo exigere extra casus permissos specialiter est iure Canonico prohibitum capite *Non minùs*, & capit. *Aduersùs* de Immunitat. Eccles. cum similibus. Et ideò licèt hæc iniuria non videatur esse circa personam, sed circa bona Clerici, quando violentia personalis non intercedit, nihilominùs in ea interuenit sacrilegium contra personam, quia fit contra immunitatem eius, & circa illam exercetur quædam potestas dominatiua similis, seu proportionalis iurisdictioni, eique correspondens: cùm tamen ab illa potestate persona clerici quasi in Religiosum honorem exempta sit. Quapropter si vltra impositionem, & petitionem, tributi accedat exactio per violentiam ipsimet personæ clerici factam, duplex ratio sacrilegij, sicut & duplex censura interueniet iuxta ea, quæ in puncto præcedenti diximus. Cætera, quæ hic desiderari possunt ex citato petenda sunt.

8. 3. Genus sacrilegij.

Ca. Non minus. Cap. Aduersus.

F

CAPVT III.

De Sacrilegio personæ, vel in personam per violationem castitatis.

QVartum genus sacrilegij per actus venereos censetur committi in personam, vel à persona Clerici ratione voti castitatis, quod est ordini annexum; & eadem ratio erit de quocumque habente simile votum, vt sumitur ex Diuo Thoma 2. 2. quæstion. 114. artic. 1. & ex Sylvest. Angel. Caiet. & aliis verb. *Sacrilegium*, & Tolet. libro 5. Instruct. cap. 12. Vnde nascuntur duo dubia. Primum est, quomodo hoc peccatum numeretur inter species sacrilegij, cum re vera sit quædam perfidia in Deum, & consequenter pertineat ad irreligiositatem, vt est vitium condistinctum à sacrilegio, vt in principio huius tractatus visum est. Et declaratur, nam aut hoc peccatum

1. Quod pacto hoc peccatum inter sacrilegia numeretur. D. Thom. Sylvest. Caiet.

consideretur, vt committitur ab ipso clerico fornicante, vel vt committitur à complice, qui cum illo fornicatur. Priori modo interuenit ibi fractio voti, cuius malitia non pertinet ad sacrilegium, quia directè est contra Deum ipsum, cui fit promissio voti, neque vltra hanc malitiam est in illo peccato alia malitia contra Religionem ex vi eiusdem voti, quia non sunt gratis multiplicandæ malitiæ, alioqui in omni fractione voti duplex malitia similis interueniret, quod incredibile est. Vnde vlteriùs etiam ex parte alterius peccantis cum clerico inueniri potest malitia fractionis voti per modum cooperationis, quatenus cum illo concurrit ad violandum votum suum, quæ malitia non pertinebit ad sacrilegium, vt ostensum est, & multò minùs est multiplicanda malitia ex parte voti in socio criminis, quàm in principali delinquente: ergo ex hac circunstantia personæ sacræ non consurgit sacrilegium, siue consideretur vt circunstantia *quis*, siue vt circunstantia *circa quid*.

2. Caiet. sententia in hac materia.

Circa hoc Caietan. dicta quæst. 99. duo dicit, vnum est fractionem voti esse perfidiam contrariam fidelitati quam Deo debemus, quod verissimum quidem est, vt constabit ex materia de voto; neque de hoc puncto hîc amplius dicendum est. Secundum est huiusmodi perfidiam sub sacrilegio comprehendi, ac subinde omnem fractionem voti esse sacrilegium, tam in votis realibus, quàm in personalibus. Ratio est, quia eo ipso, quòd res, actus, vel persona Deo promittunt, dicata manent cultui Diuino, ergo efficitur res sacra, & consequenter subtractio eius per fractionem voti est violatio rei sacræ. Atque ita infert, qui vouit ieiunare tali die, & non ieiunat, sacrilegium committere contra sanctitatem suæ personæ, quia per votum illud sanctificata fuit talis persona, & dicata Deo quoad talem actum. Sicut mulier, quæ votum simplex castitatis emisit, sacrilega censetur

D. Thom. fornicando, vt sumitur ex Diuus Thom. in illa quæstion. articul. 3. quia per votum suum sanctificauit se Deo quoad talem materiam. Et cum eadem proportione loquitur de votis realibus, nam qui voluit dare pecuniam, vel vineam Ecclesiæ, vel pauperibus & non implet, sed bona illa apud se retinet, sacrilegus est, tanquam iniquè occupans bona Deo iam sacrata, sicut in iure dicitur

Cap. Sacrilegium. sacrilegium committere, qui rem Ecclesiæ legatam retinet capit. *Sacrilegium*, cum multis aliis 17. quæst. 4.

3. Ostenditur difficultas, quæ in doctrina Caietani est,

Hæc verò doctrina Caietani intellecta de proprio sacrilegio, prout ipse. & nos loquimur difficilis mihi est. Primò quia perfidia in Deum, & sacrilegium sunt peccata quodammodo genere diuersa, ergo fieri non potest, vt vnum per aliud essentialiter contrahatur, ergo si fractio voti est perfidia, non contrahitur formaliter ad speciem sacrilegij: Antecedens probatur tum iuxta diuisionem horum vitiorum à nobis positam, tum etiam

D. Thom. iuxta eam, quam Diuus Thomas tradit. Nos enim distinximus primò, ac præcipuè vitium irreligionis in irreligiositatem, quæ directè continet irreuerentiam Dei, & proprium sacrilegium, quod spectat ad irreuerentiam rei Deo sacratæ: quæ duo diximus esse tanquam duo genera maximè diuersa sub illo primo. At verò perfidia in Deum continetur sub genere irreligiositatis directè contrariæ Deo, nam sicut votum directè continet cultum Dei, ita perfidia irreuerentiam Deo, ergo est vitium omninò condistinctum à sacrilegio.

Vnde etiam Diuus Thomas in principio quæst. 97. vitia, quæ pertinent directè ad irreuerentiam Dei à sacrilegio condistinguit. Et ideò nemo dicet periurium contineri posse sub sacrilegio, quia est sub genere condistincto à sacrilegio; at verò non minùs directè est talis perfidia contra irreuerentiam Dei, quàm periurium iuxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. q. 89. art. 8. dicentis maiorem irreuerentiam esse in infidelitate ad Deum, quàm in periurio, ergo fractio voti hoc modo non potest esse sacrilegium.

4. Responsio impugnatur. D. Thom.

Dicet fortasse aliquis fractionem voti specificari per sacrilegium, non formaliter, sed quasi materialiter, eo modo, quo fornicatio etiam specificatur per sacrilegium in Virgine sacra, vt ait D. Tho. dicta q. 99. art. 3. ad 3. Sicut enim vitium contra vnam virtutem potest esse materia peccandi contra aliam, & tunc dicitur specificari ab illa, vt in adulterio luxuria specificatur per iniustitiam non metaphysico modo, sed morali: ita intra eandem virtutem potest vna malitia per aliam diuersæ rationis quasi contrahi ratione moralis coniunctionis in eadem materia: vt si quis promittat aliquid Deo dare sub iuramento, fractio talis voti perfidia est simul contracta ad periurium. Sic ergo fractio voti esse potest perfidia contracta ad sacrilegium. Sed hoc nihil aliud est, quam dicere in omni fractione voti esse duas malitias, vnam perfidiæ, & alteram sacrilegij, quia illa contractio materialis nihil aliud est, quàm coniunctio duarum malitiarum in eadem materia, vt patet in exemplis adductis, & quia esse non potest per modum generis, & differentiæ, vt ratio facta planè ostendit, ergo non potest intelligi, nisi per coniunctionem duarum malitiarum in eadem materia. At incredibile est, vt supra argumentabar, in omni fractione voti esse duas malitias. Et confirmatur ex Paulo 1. ad Timoth. 5. dicente: *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Loquitur enim de viduis, quæ votum castitatis fregerùt iuxta communem omnium interpretationem, & tamen non aliam malitiam in eo peccato declarat, nisi fregisse primam fidem, ergo non oportet aliud malitiæ genus in eo actu cogitare. 1. Tim. 5.

5. Fractionem voti solam malitiã perfidiæ habere probabile est.

Quapropter probabiliter dici potest, fractionem voti propriè, & in rigore non habere, nisi malitiam perfidiæ. Quod à contrario actu declarari potest, nam ieiunium v. g. ex voto factum non habet aliam honestatem Religionis, nisi quia est fidelitas quædam ad Deum, ergo è contrario fractio ieiunij tantùm habet malitiam infidelitatis. Item materia illa non aliter dicitur consecrata Deo, nisi quia illi promissa est, ergo contraria omissio, vel actio non aliter est violatio rei sacræ, nisi in quantum non est impletio promissionis. Et idem videtur esse cum proportione de voto castitatis, per quod magis videtur persona cõsecrari Deo, quam per alia vota particularium actuum, & tamen illa consecratio non est, nisi obligatio orta ex promissione, ergo nec violatio illius sanctitatis aliud est, quàm infidelitas promissionis.

6. Obiectio. D. Thom. Conc. Tolet.

Quòd si obiiciatur, quia communiter peccatum luxuriæ dicitur esse species sacrilegij, vt patet ex D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 10. Imò in Concilio Tolet. 2. capit. 1. expressè dicuntur sacrilegij rei Clerici violantes votum castitatis. Respondeti potest primò omne peccatum contra Religionem solere vocari sacrilegium, vt supra diximus, & hoc modo fractionem voti vocari sacrilegium. Nam & D. Thom. in dicto art. 10. non aliter probat hoc esse sacrile-

sacrilegium, nisi quia castitas voto promissa, est actus Religionis, quatenus ordinata est ad cultum Dei. Addi verò potest fractionem voti quasi eminenter continere ratione sacrilegij, quia ipsamet perfidia erga Deum est quædam violatio rei aliquo modo consecratæ Deo ad talem actum, vel officium sanctitatis. Et hoc maximè videtur habere locum, quando votum non solum ex promissione, sed etiam ex ordinatione, & acceptatione, Ecclesiæ habet peculiarem vim dedicandi personam Diuino cultui, vt est votum solemne, vel votum castitatis factum in manibus Prælati; nam per illud censetur Virgo quasi desponsari Christo; tunc ergo cum maiori proprietate est coniuncta violatio rei sacræ cum perfidia, & ideò dici potest propriè sacrilegium; & tunc non est improbabile addi specialem malitiam sacrilegij vltra perfidiã. Quod sentiũt Auctores, qui existimãt, Religiosum fornicantem non satis explicare peccatum suum in confessione, dicendo se habere votum castitatis, nisi explicet etiã statum personæ; quod tenent multi Theologi moderni, quorum opinio optimè in hoc fundabitur, quòd alias licet declaret malitiam perfidiæ, non declarat sacrilegij. Sed quid de illa opinione sentiendum sit, dicam in materia de voto, nunc relicto statu, & ex vi solius voti verius videtur in fractione voti vnam tantum esse malitiam, quæ essentialiter est perfidia contra Deum, & concomitanter violat personam, quia tamen non violat nisi ratione perfidiæ, ideo non multiplicat malitias. Præsertim quia sola promissio non videtur facere materiam eius propriè sacram, nisi in ordine ad fidelitatem Deo seruandam.

7. An tota ratio sacrilegij in materia castitatis sit votum. Ratio dubitandi.

Secundum dubium est, an tota ratio sacrilegij circa personam sacram in materia castitatis sit votum. Et ratio dubitandi maximè in Clericis est, quia præter votum habent consecrationem, per quam efficiuntur personæ sacræ, ergo etiam seclusa voto, turpitudo luxuriæ est contra sanctitatem talis personæ ad eum modum, quo supra dicebamus turpes actus in Ecclesia, ex natura rei esse contra sanctitatem loci, etiam secluso speciali prohibitione Ecclesiæ. Atque ex hac quæstione pendet alia, scilicet, an constituti in minoribus ordinibus, præsertim si Diuino cultui actu dicati sint, sacrilegium committant fornicando, vel quæ cum eis scienter fornicantur. Item hinc potest pendere alia quæstio, quæ in materia de confessione tractatur, an Sacerdos violans castitatem, teneatur in confessione explicare se esse sacerdotem, vel satisfaciat dicendo se habere votum castitatis. Nam si illud peccatum est Sacrilegium, non solùm ratione voti, sed etiam ratione Sacerdotij, oportebit vtramque circunstantiam explicare, & ita esse explicandam, scripsit Petrus Ledesma in Sum. sacram. cap. 19. de Pœnit. dub. 1. & 2. de circunstantia personæ, qui dicit Sacerdotem, vel Episcopum non satisfacere explicando se habere ordinem sacrum, nisi explicando talem ordinis gradum, indicat ergo ex vi sacerdotij committi sacrilegium per fornicationem, etiam præter obligationem voti.

Ledesma.

8. Initiati minoribus ordinibus, peccando contra castitatem, vel nullum, vel solũ veniale committunt sacrilegium.

In hoc tamen breuiter assero, secluso voto, in his, qui minoribus ordinibus initiati sunt, hoc peccatum vel nullum esse sacrilegium, vel non esse mortale in specie. Hoc indubitatum est apud omnes: nam docent illam non esse circunstantiam de necessitate confessionis, & à fortiori patebit ex dicendis. Idémque sentiendum est de subdiaconatu per se spectato sine voto, prout aliquando fuit. Item de Diaconatu etiam nunc verissimum est non addere specialem malitiam grauem præter votum. Nam ob eam rem est apud omnes indubitatum, non esse necessarium explicare in confessione illum gradum ordinis, si votum sufficienter explicetur, vt dicendo se habere ordinem sacrum, vel esse Religiosum, vel (vt est etiam probabilius) habere votum castitatis. Ratio verò omnium est; quia licèt hæ personæ efficiantur aliquo modo sacræ, tamen secluso voto, non sacrantur ad vsum castitatis, neque peccatum castitati contrarium reddit personam ineptam ad actus illos, ad quos consecratur, ergo per tale peccatum non violatur formaliter persona sacra, vt sacra est, sed ad summum materialiter, ergo tale peccatum, vel nullum est sacrilegium, vel ad summum habebit inde aliquam malitiam venialem.

Idem dicendum de Subdiaconatu, & Diaconatu.

At verò in sacerdotio videtur esse maior deformitas, tum quia per illud dedicatur persona ad ministerium longè altius, & sacratius, tum etiam quia per tale peccatum grauiter polluitur talis persona in ordine ad dignam, & conuenientẽ administrationem sui muneris. Propter quod multi graues Auctores censuerunt, obseruantiam castitatis ex Diuino iure esse annexam sacerdotali ordini, vt infra in materia de voto videbimus, quod saltem videtur verisimile quoad abstinentiam ab illicitis actibus castitati contrariis, ita vt sanctitas illius ordinis per se obliget ad abstinendum à talibus actibus propter quandam indecentiam, quam præ se ferunt comparatione illius. Et confirmari potest, nam lex ipsa naturæ semper dictauit in sacerdotibus ex vi talis muneris pudicitiam maximè postulari. Et ideò etiam in lege veteri hæc munditia maximè commendabatur sacerdotibus, vt ex Leuit 21. & aliis locis colligitur, & ex 1. Regum 21. Et apud Ethnicos maximè commendabatur pudicitia sacerdotibus, vt multis testimoniis ostẽdit Tiraquel. in legibus Connu. leg. 15. à num. 118. Ergo quantum sacerdotium nouæ legis dignius est, eo videtur hæc obligatio esse maior ex vi Religionis. Denique non videtur posse negari, quin fornicatio sacerdotis notabiliter aggrauetur ex tali circunstantia personæ, quæ grauitas pertinet ad propriam rationem sacrilegij, vltra perfidiam, qua est in transgressione voti, ergo quamuis non interueniisset votum, & consequenter nec malitia perfidiæ, maneret grauior malitia sacrilegij ob personæ sactæ violationem. Est ergo hæc sententia pia, & probabilis, sed incerta. Quia iuxta illam oportebit dicere blasphemiam in ore sacerdotis esse graue sacrilegium ex circunstantia personæ, vltra malitiam blasphemiæ, quia non minus videtur polluere talem personam, & impedire illam à sacro ministerio, quàm fornicatio. Consequens autem communiter non admittitur, vt videre licet in Caiet. dicta quæst. 99. dub. 5. & Nauar. in Sum. cap 6. num. 13. & in cap. *Considereret* de Pœni. d. 5. num. 50. Aliàs omnia peccata grauia sacerdotis essent sacrilegia ex circunstantia personæ, quod est difficile creditu.

6. Quid de sacerdotio sentiendum.

Leuit. 21. *1. Reg.* 21. *Tiraquel.*

Probabile est peccata carnis in sacerdote esse sacrilegia ex se, etiam præscindendo à voto. Obiectio. *Caiet. Nauar.* Cap. *Considereret.*

Respondent aliqui concedendo, omnia peccata non solùm sacerdotis, sed etiam personæ sacræ esse sacrilegia, tamen sub ea ratione habere tantùm malitiam venialem, etiamsi in alio genere mortalia sint; quia licèt repugnent sanctitati personæ, non tamen speciali repugnantia, sed generali, sicut nos supra diximus de loco sacro. Verumtamen si hoc semel concedatur, valdè probabiliter sequitur tam excellentem posse esse per se consecrationem, & tantam peccati deformitatem, vt violatio illa personæ sacræ grauem malitiam con-

10. Responsio aliquorum.

tineat in ratione sacrilegij, consecratio autem sacerdotis satis excellens est, & peccatum turpe, vt fornicatio; & enorme, vt blasphemia, satis grauiter illi repugnant. Si ergo generalis illa repugnantia sufficit ad rationem sacrilegij, graue augmentum sufficiet ad malitiam mortalem in eo genere: hoc autem admittere valde scrupulosum est pro materia de confessione.

11. Opposita pars satis probabilis.

Satis ergo probabile est respectu personæ sacræ illam generalem repugnantiam non sufficere ad propriam rationem sacrilegij, quia ex vi consecrationi non prohibentur illi omnes actiones praua speciali prohibitione, vt alibi Deo dante latiùs ostendetur. Quo fundamento posito consequenter dicendum est, solam consecrationem sacerdotij per se non sufficere ad sacrilegium mortale, nisi ratione voti adiuncti, vel Ecclesiasticæ legis specialiter obligantis tales personas ad abstinendum à venereis intuitu Religionis, & sanctitatis. De qua re dicemus plura in sequentibus libris, tractando de continentia sacerdotum, & statu Religiosorum. Et ideò de hac specie sacrilegij hæc sufficiunt, nam alia duo dubia, quæ hic desiderari possunt, scilicet, an hæc species sit infima in ratione sacrilegij, & cur opponatur Religioni, & non obseruantiæ, & duliæ, in capite sequenti melius tractabuntur.

CAPVT IIII.

De sacrilegijs contra locum, & alias res sacras.

1. An tempus sacrum constituat propriam speciē sacrileg.

DE secunda specie sacrilegij contra locum sacrum multa essent dicenda, nisi in superiori libro omnia essent tradita, & explicata. Hic ergo solùm est reddenda ratio, cur tempus sacrum non constituat, speciem propriam sacrilegij, sicut locus, nam solemnitates inter res sacras computantur, teste Diuo Thoma 1. 2. quæstione 101. articulo quarto ad quintum. Ad quod altero è duobus modis responderi potest, primò concedendo dari propriam quandam speciem sacrilegij ex violatione temporis sacri. Ita sentit nouissimè Leonardus Lessius lib. 2. capit. 45. numer. 15. & 18. Ponit tamen hoc sacrilegium in tertia specie ita vt tempus diuino cultui dicatum inter res sacras connumeretur tanquam mensura rerum sacrarum. Duobus autem, vel tribus modis violari potest festum, primo per omissionem Missæ, & hoc (vt rectè dicit) non est sacrilegium, sed irreligiositas quædam erga Deum ipsum per ommissionem potiùs, quàm per commissionem. Nam sacrificium non est veneratio alicuius rei sacræ, sed est supremus cultus ipsiusmet Dei cuius obligatio determinatur ab Ecclesia ad dies festos; & ideò illius omissio habet malitiam directè contrariam cultui secundùm se neque aliter opponitur sanctitati festi. Secundo violatur festum faciendo in illo opus seruile, seu directè prohibitum in die festo; & hanc violationem dicit esse propriè sacrilegium, quia per illud opus sanctitas diei festi violatur, vel contemnitur. Tertio modo potest sacrum tempus violari, faciendo in illo opus, quod licèt non sit specialiter prohibitum, repugnat ex generali ratione sanctitati temporis, vt peccando in die festo, & hoc etiam dicit esse sacrilegium idem Auctor eodem capit. 45. dub. 4. Ait tamen malitiam sacrilegij esse venialem: quod intelligendum est secluso contemptu, seu nisi ex directa, & formali intentione tale opus fiat in despectum: & iniuriam illius diei; nam tunc erit graue peccatum, vt constat, & videtur esse propriissimum sacrilegium.

D. Thom.

Primus dicendi modus affirmatiuus.

Quæ sententia probabilis mihi videtur: oportet tamen rationem reddere, cur sacrilegium contra locum sacrum ponatur species distincta ab omni sacrilegio contra alias res sacras, non verò sacrilegium contra tempus sacrum. Quia si consideremus species malitiarū, violatio festi per opus seruile est peccatum æque distinctum ab irreuerentia facta calici, vel imagini, ac est distinctum ab eisdem furtum factum in loco sacro. Si verò locus, & tempus inter se comparentur, videntur seruare proportionem, vt supra argumentati sumus; nam vtrumque est mensura actionum, & sicut actio sacra determinatur ad tale tempus, ita & ad talem locum, vel è conuerso, tam tempus, quàm locus fit quid sacrum, quia dicatur ad actiones sacras, igitur videtur esse eadem vtriusque ratio. Sed licet fortasse non possit speculatiua differentia assignari, responderi poterit, ratione doctrinæ illam diuisionem fuisse sic traditam, quia sacrilegium contra locum sacrum, habet in iure specialē considerationem propter multiplicem modum committendi illud, & propter varia priuilegia locis sacris concessa. Vel certè dici posset hanc speciem sacrilegij contra tempus sacrum reduci potiùs ad secundam speciem sacrilegij, quæ ex loco sumitur, quia hæ duæ circunstantiæ in moralibus seruant proportionem, & ita de illis loquitur Diuus Thomas in illa solutione ad 5.

2. Probabilis indicatur præsens sententia.

Cur sacrilegium cōtra tempus non constituit speciem distinctam ab aliis, quem. admodum sacrileg. contra locum.

Aliter dicendum occurrerit, in violatione temporis sacri non committi propriè sacrilegium, & ideò tempus sacrum in hac enumeratione non computari. Quod declarari potest primò ex physica differentia inter tempus, & locum: nam locus est res permanens, & ideò est capax specialis consecrationis, & venerationis: tempus autem est res transiens, vnde non aliter sanctificatur, quàm determinando actiones sacras, quæ in illo fieri debent, & ideò non censetur habere aliam sanctitatem præter sanctitatem talium actionum. Intelligendum autem hoc est de tempore, quod est mensura extrinseca, ita vt seruetur proportio ad locū; tempus autem intrinsecum actioni sacræ eodem modo sacrum est, quo actio ipsa: illud autem propriè, ac per se non violatur, nisi in quantum actio ipsa sacra, vel omittitur, vel impeditur, vel malè fit, quod non pertinet ad sacrilegium, sed ad alia peccata contra Religionem.

3. Secundus dicendi modus negans per violationem tēporis nō committi sacrileg.

Declaratur primò.

Secundò declaratur, discurrēdo per illa tria, quæ supra enumerata sunt: nam omissio Missæ non est sacrilegiū, vt probatum est. Commissio etiā seruilis operis in die festo non videtur esse propriū sacrilegium, sed alia species irreligiositatis contra cultū Dei in se. Quod patet, quia vacatio ab operibus seruilibus in die festo non præcipitur quasi in venerationem ipsius tēporis, sed directè in cultum ipsius Dei, siue illa vacatio instituatur in signum venerationis debitæ Deo, siue præcipiatur, vt homo sit expeditus ad vacandū cultui Diuino: ergo contrarium opus non est contra reuerentiam alicuius rei sacræ, sed contra reuerēntiam Dei in se: & in hoc cerni potest differentia inter locum, & tempus. Nam prohibitio verbi gratia negotiandi in Ecclesia immediatè fit propter reuerentiam habendam ipsi Ecclesiæ, quamuis magis remotè totum ordinetur in Deum: prohibitio autem negotiandi in die festo, non fit in reuerentiam temporis, sed immediatè in cultum, seu ob cultum Dei, & ideò prior transgressio propriè est sacrilegium,

4. Ostenditur discurrendo per peccata, quæ fiunt in tempore sacro.

posterior

posterior autem magis est irreligiositas immediatè contra Deum. Vnde etiam non videtur necessarium admittere illum tertium modum sacrilegij in die festo per opus in eo specialiter prohibitum, quia tale opus licet aliàs malum sit, non est violatio alicuius rei sacræ, neque aliter repugnat Religioni, nisi quatenus specialiter repugnat sacræ actioni, vel vacationi tali tempore præceptæ. Vnde neque in hoc oportet omnino seruari similitudinem inter locum, & tempus, quia locus eo ipso, quòd ad sacra munia publicè destinatur, abstrahitur, & separatur ab omni vsu profano instar aliarum rerum sacrarum, vt statim dicturi sumus, tempus autem extrinsecum, & commune non ita dedicatur, & abstrahitur, sed solùm quoad eas actiones sacras, quæ in ipso fieri præcipiuntur: sub actionibus comprehendo carentiam actionum iuxta regulam à D. Thoma positam 1. 2. quæstione 71. art. 6. ad 1.

D. Thom. De tertia specie sacrilegij.

Circa tertiam speciem sacrilegij D. Thomas in dicta quæst. 99. art. 3. non aliter explicat materiam huius speciei sacrilegij, nisi numerando varia genera rerum sacrarum, quæ per hanc speciem sacrilegij violari possunt. In primò ponit Sacramenta: in secundo vasa sacra & ibi enumerat imagines sacras, & reliquias Sanctorum, in quibus, inquit, personæ Sanctorum honorantur, & *dehonorantur*: in tertio ponit res, quæ pertinent ad ornatum Ecclesiæ, & ministrorum: in quarto ponit bona Ecclesiastica ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ deputata. Non declarat autem D. Thomas vtrum hæc omnia sub vna specie sacrilegij numerentur, cùm locus ponatur in specie distincta. Nam alioqui solet templum, vel tabernaculum comprehendi sub generali appellatione sacrorum, seu rerum sacrarum, eodem modo, quo vasa sacra, vt patet ex eodem D. Thom. 12. quæst. 101. art. 4. vbi hæc omnia vocat instrumenta cultus. Nec videtur esse minor distinctio in ratione rei sacræ inter vasa sacra, & imagines, ac reliquias quàm sit inter loca, & vasa sacra. Hæc verò difficultas; totaque enumeratio explicabitur meliùs capite sequenti.

D. Thom.

CAPVT V.

Qualis sit diuisio sacrilegij in tres species.

1. An tria membra assignata sint species infimæ. *D. Thom.* Pars affirmatiua.

DVo præcipuè sunt in hoc capite explicanda, vnum est, an illa tria membra sint species vltimæ sacrilegij, aliud, an sint formaliter diuersæ. Circa primum Diuus Thomas (vt aliqui ei tribuunt,) sensisse videtur; illas esse species vltimas. Nam in dicta quæst. 99. art. 3. in corpore articuli, de his videtur loqui, vt de tribus speciebus vltimis, & in solutione ad primum dicit, non tantùm differre materialiter in ratione sacrilegij. Et quod magis mouere potest, in solutione ad secundum dicit, permissionem Virginis sacræ, & commistionem cum illa esse eiusdem speciei in ratione sacrilegij; supponit ergo omne sacrilegium in personam sacram esse eiusdem speciei: ergo eadem ratio est de reliquis. Item violatio Ecclesiæ per effusionem sanguinis, vel seminis eiusdem speciei est in ratione sacrilegij, licèt peccata, quibus fit talis violatio, in se diuersissima sint, ergo eadem ratio erit de aliis. Et confirmari potest, quia nisi ita dicamus, difficillimum erit, vel species vltimas agnoscere in hoc genere vitij, vel rationes cõstituendi, & distinguẽdi illas assignare. Et ita clarè sentit Caiet. dicta quæstione nonagesima nona, dubio tertio.

Caiet.

Sed nihilominùs certum existimo, non omnes illas esse species infimas, imò probabilius mihi est, nullam earum esse vltimam. Et quidem in prima specie ad minimum existimo esse distinctum sacrilegium manus violentæ, vel turpis actus, quia vnum est perfidia contra votum, vt supra declarauimus; aliud est violatio cuiusdam peculiaris immunitatis talis personæ, quæ duo valdè distincta sunt in genere moris, quia repugnant Religioni secundum actus, & honestates valdè distinctas. Nec fortasse Diuus Thomas sensit oppositum in illa solutione ad secundum, non enim dicit, illa duo conuenire in vna specie vltima, sed simpliciter in vna specie sacrilegij, scilicet in vna ex tribus enumeratis qualescumque illæ sint. De aliis verò sacrilegiis in personam per varias violationes immunitatum, aut Canonis, aut fori, aut tributorum magis incertum est, an inter se distinguantur specie; non est tamen improbabile etiam illas inter se distingui, quia immunitates, quæ per illas violantur, sunt moraliter diuersarum rationum. Et quod ad praxim spectat, clarum existimo in ordine ad confessionem habendas esse tanquam species distinctas, quia nec peccato, quibus fiunt, possunt aliter explicari, nec de illis in ordine ad iudicium ferendum de iniuria Ecclesiæ facta, & de satisfactione illi debita, potest aliter haberi sufficiens notitia.

2. Pars negatiua certa iudicatur.

Sacrilegium manus violentæ, & turpitudinis distinguuntur specie. D. Thom.

Similiter in secundo sacrilegio in locum sacrum, cum Iura distinguant in genere furti tres species sacrilegij, scilicet furando sacrum de sacro, aut non sacrum de sacro, aut sacrum de non sacro; sicut tertium distinguitur specie à duobus primis, ita duo prima videntur inter se specie distingui, cum tamen vtrumque sit contra locum sacrum. Sed hoc non multum cogit, nam dici facile potest, secundum, & tertium membrum esse simplices species sacrilegij, quia vna est contra rem sacram tantùm, vt cùm quis furatur sacrum de non sacro; altera verò est contra locum tantùm, vt quando quis furatur non sacrum de sacro. At verò prima species non est simplex, sed mista, neque est vna, nisi materialiter, formaliter autem est duplex per coniunctionem duarum malitiarum sacrilegij in eodem actu, atque ita malitia sacrilegij, quæ in vtroque furto est ratione loci sacri, eiusdem est speciei. Aliis ergo exemplis potest ostendi hæc specifica differentia; nam furtum in loco sacro videtur sacrilegium specie distinctum à violatione templi per effusionem sanguinis, vel seminis, habet enim deformitatem diuersa ratione repugnantem rectæ rationi: & à posteriori suaderi potest ex effectu violandi Ecclesiam. Si enim effusio sanguinis, vel seminis censetur sacrilegium eiusdem speciei, quia eodem modo violant Ecclesiam, cur non censebuntur diuersæ speciei à furto, cum longè aliter violent. Quòd si dicas hoc pendere ex statuto Ecclesiæ. Respondeo, hanc variam Ecclesiæ dispositionem indicare magnam diuersitatem in crimine, non solùm accidentalem, sed etiam essentialem moraliter. Imò meliùs colligitur differentia in criminibus ex differentia in illo effectu, quàm identitas sacrilegij ex conuenientia in eodem effectu; nam sæpe sacrilegia specie distincta inducunt eundem effectum excommunicationis, vel irregularitatis, quia ad hoc satis est, vt conueniant in quadam grauitate, vel acerbitate criminis, licèt aliàs differant: at verò quando vnum crimen est dignum tanta pœna, & non aliud in tota sua latitudine, non paruum signũ est specificæ distinctionis. Præterea, abstrahere delin-

3. Ostenditur specifica distinctio inter Sacrilegia cõmissa in loco sacro.

Obiectio. Soluitur.

delinquentem à loco ſacro, vel in illo loco iudi- A cium, aut mercaturam facere; videtur planè iniuria loci valdè diuerſa, & contra immunitatem loci moraliter diſtinctam; & ita in hoc genere ſacrilegij exiſtimo eſſe varias ſpecies, & maximè in ordine ad confeſſionem neceſſarium moraliter eſſe ita reputari, & explicari. Quod aliis exemplis ſtatim ampliùs confirmabitur.

4. Sub tertia ſpecie ſacrilegij varias cõtineri ſpecies.

Denique de tertia ſpecie, de qua præcipuè dubium propoſitum eſt, videtur mihi res clarior. Primò propter varietatem rerum ſacrarum, quæ in hoc membro continentur, & modis valdè diuerſis ſanctitatem participant, nam vaſa ſacra ſunt inſtrumenta Diuini cultus, at ſacramenta ſunt vaſa Diuinæ gratiæ, & in aliquo illorum Chriſtus ipſe realiter continetur: in imaginibus verò, & reliquiis B eſt alius modus ſanctitatis per certas quaſdam habitudines ad perſonas ſacras, bona autem Eccleſiaſtica per denominationem magis remotam ſacra cenſentur. Dicit autem D. Thomas in illo art. 3. ſecundùm diuerſam ſanctitatem rerum ſacrarum diſtingui ſpecies ſacrilegij, ergo etiam ſub illa generali ratione rei ſacræ diſtinguendæ erunt diuerſæ ſpecies, cum in illis rebus diſtinguantur etiam ſanctitates (vt ita dicam) diuerſarum rationum. Neque ſatisfacit, quod Caietan. reſpondet, omnes has res ſacras conuenire in hoc, quòd tantùm relatiuè ſunt ſacræ; nam hæc eſt ratio valdè generalis, & ſub illa continentur ſanctitates relatiuæ diuerſarum rationum; & certè ſanctitas loci relatiua eſt, ſeu moralis per humanam deputationem, & benedictionem, & ſicut locus dicit relationem continentis, ita & vaſa ſacra ſuo modo. Et in veſtibus ſacris conſiderari poteſt relatio genere diuerſa pertinens ad prędicamentum *Habitus*, & ita inter ſanctitatem veſtis, vaſis, imaginis, & reliquiarum eſſe poterit generica diuerſitas relationum, quę à Caietano conſideratur in loco reſpectu aliarum rerum ſacrarum, non ergo ſatisfacit illa reſponſio.

D. Thom.

Caiet. reſpõſũ reiicitur.

5. Probatur inductione.

Præterea, hoc poteſt inductione confirmari: nam licèt furari pecuniam Eccleſiæ ſacrilegium ſit, tamen calicem confringere, & irreuerenter tractare, longè diuerſum ſacrilegium eſt, cum tamen vtrumque ad hoc membrum pertineat. Sicut enim aliquis cultus, & honor debetur calici, qui non D debetur pecuniæ Eccleſiæ, ita diuerſum eſt ſacrilegium, quo fit calici irreuerentia, & quo pecunia Eccleſiæ ſubtrahitur. Imò circa eandem rem ſacram, verbi gratia, calicem poſſunt eſſe diuerſi modi ſacrilegij, ita profectò diſtincti, vt in confeſſione exprimendi neceſſariò ſint, non ex accidentali grauitate, ſed ex propriis rationibus eorum, vt ſiquis, verbi gratia, vtatur calice in menſa communi ad vſus profanos, profectò longè aliud ſacrilegium committit ab eo, qui calicem furatur, nam licèt vt res ſacra ſit eadem, modus violandi illam eſt longè diuerſus, adeò vt prior ſit contra Religionem ex ipſa lege naturali, poſterior verò videatur eſſe tantùm ex lege poſitiua; nam ex ſola rei natura fortaſſe eſſet tantùm iniuſtitia. Et ſimi- E lia exempla ſumi poſſunt diſcurrendo per alias res ſacras, præſertim ſacramenta, reliquias, & imagines. Quis enim dicat baptizare, & abſoluere indignè eſſe ſacrilegium eiuſdem ſpeciei cum irreuerentia facta imagini? & ſic de aliis. Denique Simonia, vt ſuprà concluſimus, ſpecies eſt ſacrilegij, & ſine dubio ſub tertio membro continetur, vt ex infrà tractandis conſtabit: Nemo autem negat eſſe ſpeciem vitij, ab aliis ſacrilegiis contra res ſacras diſtinctam.

Concludo ergo hanc ſpeciem non infimam, ſed ſubalternam, & licet difficile ſit in his omnibus ſpecificam rationem diſtinguendi cognoſcere, tamen hæc difficultas ferè in rebus omnibus, præſertim in actibus humanis inuenitur. Item licet ſpeculatiuè id ſit verum, tamen moraliter ex ipſa, rationis regula in multis apparet ſtatim magna differentia, & in ordine ad confeſſionem optimum conſilium eſt, quando modus ſacrilegij, vel ex parte rei ſacræ, vel ex modo violandi illam, eſt multùm diuerſus, & de ſe habens ſufficientem grauitatem ad mortale peccatum, illud explicare in confeſſione tanquam habens peculiarem ſpeciem in ratione ſacrilegij. 6.

Atque ex his expeditum ferè eſt, quod ſecundo loco propoſuimus: Quia veluti à fortiori conſtat rectè à D. Thoma dictum eſſe, tres illas generales ſpecies ſacrilegij non tantùm materialiter, ſed etiam formaliter ſub genere ſacrilegij diſtingui, nam quæ diximus de ſpeciebus contentis ſub ſingulis membris, magis probant de ipſis membris inter ſe. Caietanus etiam hoc declarat, quia perſona eſt formaliter, & ſimpliciter ſancta, vt ſubiectum ſanctitatis, locus verò vt contentiuus perſonarum, & rerum ſacratum, alia per habitudinem, qua ad ſanctitatem ordinantur. Quod generatim loquendo rectè conſideratum eſt, dummodo ad ſpecies conuenienter applicetur, vt diximus. Et præterea in eo, quod de perſona dicitur, aduerto perſonam eſſe quidem formaliter, & ſimpliciter ſanctam, præcipuè ratione gratiæ, & iuſtitiæ inhærentis, hîc autem non ſolam hanc ſanctitatem perſonæ conſiderari, imò nec principaliter, vt infrà dicam, eſt enim ſacerdos, & Religioſus perſona ſacra ſufficientiſſimè ad rationem ſacrilegij, etiamſi nec formaliter, nec ſimpliciter ſancta ſit. Nam ratio ſacrilegij ab hoc abſtrahit, & præſcindit, & ſolùm conſurgit ex eo, quòd talis perſona eſt Diuino cultui dicata ſpeciali modo, & ad aliquod miniſterium eius, & ideò dixi ſuprà, hanc ſanctitatem eſſe reſpectiuam: non excludo tamen, quin poſſit eſſe formalis. Circa locum etiam conſidero, quòd licet ſub ratione loci dicati ad continendum Dei populum ad diuinum cultum congregatum, cenſeatur habere peculiarem rationem ſanctitatis, ſub qua ſpectat ad illam ſecundam ſpeciem ſacrilegij: nihilominùs quatenus res quædam conſecrata eſt, & deſtinata ad diuinum cultum, habet quandam conuenientiam cum aliis rebus ſacris, ſub qua ratione, exiſtimo poſſe aliquod ſacrilegium contra templum, vel Monaſterium eſſe eiuſdem ſpeciei cum ſacrilegio contra rem aliquam ſub tertio membro contentam, vt verbi gratia, templum deſtruere, aram, & vaſa ſacra infringere, veſtes ſacras ſcindere; & ſimilia, exiſtimo eſſe ſacrilegia eiuſdem ſpecies. Item ſicut vi, vel furto occupare bona Eccleſiæ mobilia, vel immobilia, ſacrata, vel non ſacrata eiuſdem ſpeciei ſacrilegium eſt, magis, vel minùs graue, ita per vim occupare templum, aut Monaſterium præcisè ſtando in ratione rapinæ, aut furti rei ſacræ ſacrilegium eiuſdem rationis eſſe videtur. Neque hoc eſt contra dictam diuiſionem, nam in ea conſideratur locus ſacer, vt locus eſt, & quoad immunitates ſpeciales, quas habet, vt exercet rationem loci, propter quas habet etiam alias communes rebus ſacris, vt in libr. 1. de Immunitate notaui capit. 14. Et hoc modo poteſt aliqua moralis ratio illius diuiſionis dari, nam perſona ſacra vt ſic, & locus ſacer vt ſic, habent ſingularem

7. *D. Thom.*

Non ſolùm materialiter ſed etiã formaliter differunt inter ſe tres ſpecies ſacrile.

Locus ſacer dupliciter ſpectari poteſt.

rem modum sanctitatis;& immunitatis,præsertim iuxta Ecclesiastica iura, & ideò illa duo specialiter numerata sunt,alia verò sub ratione magis generali, quia vitia eis contraria ferè non habent in iure diuersam considerationem, licèt in genere mali,& vitij moralis possint habere diuersas rationes specificas, vt declaratum est. Et ita obiter responsum est ad difficultates in principio positas.

CAPVT VI.

Proponuntur nonnulla dubia de quibusdam rebus sacris.

1. An irreuerẽtia cõtra Eucharistiã sit sacrilegium. Ratio dubij.

SEd adhuc supersunt nonnulla explicanda circa res sacras, quæ in tertio membro numerantur. Et in primis meritò dubitari hic potest, an irreuerentia contra Eucharistiam dicenda sit sacrilegium. Et ratio dubitandi est,quia Eucharistia non est sancta,sicut aliæ res sacræ,sed sicut Deus ipse, quia reuera est Deus,ergo sicut irreuerentia contra Deum ipsum directè non est sacrilegium,sed irreligiositas alterius rationis, ita irreuerentia contra Eucharistiam plus est, quàm sacrilegium. Et confirmatur, quia cæteris rebus sacris præter Eucharistiam non debetur suprema adoratio Latriæ, sed secundaria quædam veneratio, vt septima Synodus docuit, Eucharistiæ autem debetur idem latriæ cultus, qui verò Deo debetur,vt definit Concil. Trid. sess.13. cap.5.& Can. 6. ergo etiam irreuerentia facta Eucharistiæ est aliquid maius, quàm sacrilegium, quod fit aliis rebus sacris, & directè opponitur illi secundariæ venerationi rerum sacrarum. Declaratur tandem, quia adoratio debita Christo in Eucharistia eiusdem speciei est cum adoratione, quæ dabatur Christo in propria specie visibili existenti, vt expressè docet Conc. Trid. dicto c. 5. ergo etiam irreuerentia,aut iniuria facta Eucharistiæ,vel Christo in propria specie eiusdem rationis, est,iuxta illud: *Reus erit corporis,& sanguinis Domini*, 1. ad Cor. 11. At verò iniuria facta Christo in specie visibili non tantùm erat sacrilegium, sed maior quædam irreligiositas, ergo idem dicendum est de Eucharistia. At hoc verò respondere quis potest ex Caiet. dicta quæst. 99 dub. 6 irreuerentiam contra Eucharistiam non esse contra sanctitatem Christi, vt est sanctitas personæ. Sed non satisfacit, quia res ipsa contenta in sacramento est persona, & sanctitas illius rei est sanctitas per essentiam. Et ideò adoratio illius rei est tam vera Latria, ac adoratio personæ: Et ad hoc nihil refert, quòd ibi non sit corpus per modum corporis,ergo idem est de irreuerentia.

Synod. 7. *Concil. Trid.* *1. Cor. 11.* *Caiet.*

2. Contra Eucharistiã cõmitti posse peccatũ maius,quàm sacrilegium.

Conuincor ergo his argumentis, vt dicam contra Eucharistiam committi posse peccatum, quòd directè, & principaliter sit maioris rationis, quàm sacrilegium, quatenus nimirum est contra ipsam Christi personam,concomitanter verò esse sacrilegium, quatenus est contra reuerentiam debitam speciebus sacramentalibus, quæ res sacræ sunt. Sicut enim adorato Christo in Eucharistia coadorantur species, ita proportionaliter est iniuria, & ideò sicut illa adoratio simpliciter est primaria Latria respectu personæ Christi eminenter verò continet secundariam venerationem specierum, ita etiam irreuerentia principaliter est irreligiositas contra Christi personam, continet verò rationem sacrilegij respectu eius, quòd ibi est Sacramentum tantùm. Nec refert, quòd illa irreuerentia videatur immediatiùs versari circa species,quàm circa Christum, quia respiciendum est magis ad rem contentam sub speciebus,cui directè, & formaliter fit iniuria: Sicut quando Clericus trahitur per vestem, iniuria fit ipsi personæ, licèt non attingatur persona,nisi mediante veste. Quod non obscurè significauit Paulus 1.Corinth. 11.Cum dixit. *Iudicium sibi manducat & bibit non diiudicans corpus Domini.* Et ita optima ratione intelligitur verum esse, quod Caietan. dixit dicta quæst. 99. dub. 6. grauiùs esse hoc sacrilegium contra personas sacras, loquendo de grauitate secundùm speciem suam. Ratio enim propria est, quia hoc peccatum est altioris rationis, vt sic dicam,quàm omne aliud sacrilegium eo quòd sit directè contra excellentiam diuinam personæ Christi. Et nihilominùs verum etiam est, quod idem Caietan. subiungit in dub. 7. propter peccatum inferendi manus violentas in Eucharistiam, non incurri excommunicationem latam contra inferentem manus violentas in Clericum. Et ratio à priori non est, quia illud peccatum non fit contra sanctitatem Christi, vt Caietan. vult, sed est quia nomine Clerici, in cap. *Si quis suadente*, non comprehenditur Christus, sed Clericus viator,& visibilis, ac minister huius Ecclesiæ militantis, vt constat ex vsu illius vocis,& ex ipso contextu, & ex communi omnium intelligentia. Neque etiam obstat, quod illa iniuria Eucharistiæ sit grauius peccatum, nam pœna non extenditur ad dissimile crimen, etiam si grauius sit, & sæpe censura fertur pro crimine minùs graui,quia est maior necessitas coercendi illud, quàm aliud grauius, quod rarissimum est.

1. Cor. 11. *Caietan.* Proptter crimẽ iniiciendi manus in Eucharistiã non incurritur excommunicatio. *Cap. Siquis.*

3. An reliquiæ, & imagines Sanctorũ bene in hoc ordine numerentur. *D. Thom.*

Deinde dubitari potest circa easdem res sacras, an reliquiæ, & imagines Sanctorum bene in hoc ordine numerentur. Et ratio dubij est, quia irreuerentia istarum rerum non videtur esse contra Religionem,sed contra virtutem obseruantię,vel Duliæ, ad quam pertinet veneratio Sanctorum. Probatur ex D. Thom. dicente irreuerentiam istarum rerum in hoc consistere, quod in eis personæ Sanctorum inhonorantur, ergo sicut honor Sancti in imagine sua est actus Duliæ,& non Religionis, ita irreuerentia contra imaginem, vel reliquiam alicuius Sancti est contra Duliam, & non contra Religionem, quia videtur potiùs esse inobseruantia quædam (vt sic dicam.) Nam peccatum, quod committitur contra reuerentiam debitam alicui personæ, illi virtuti opponitur, ad quam spectat venerari talem personam, vt irreuerentia contra parentem,est impietas, non sacrilegium,sed personæ creatæ quãtumuis Sanctæ nõ debetur honor ex virtute Religionis, sed ex obseruantia, ergo inhonoratio talis personæ nõ est sacrilegium, sed inobseruantia, ergò multò minùs irreuerentia reliquiarum, vel imaginum Sanctorum erit sacrilegium contra Religionem, sed aliud vitium innominatum,& secundarium contra obseruantiam,seu Duliam.

4. 1. Respõsio. *Vasquez.*

Ad hanc difficultatem responderi potest primò concedendo totum, quod argumentum intendit, vt planè concedit Gabriel Vasquez libr. 1. de Adorat. disp. 6. cap. 8. vbi ait percussionem Clerici, aut Religiosi non esse sacrilegium contra virtutem Religionis, sed contra virtutem obseruantiæ propter rationem factam. Et hoc idem consequenter dicit de irreuerentia facta reliquiis, vel imaginibus Sanctorum ex eodem fundamento. Secùs verò sentit de imaginibus Dei, & de rebus sacris inanimis, quarum irreuerentiam dicit esse contra virtutem Religionis. Quia illæ res ex Religione in veneratione habentur, vnde idem consequenter diceret, sicut reuera dicendũ est de Cruce, & aliis imaginibus

imaginibus Christi Domini, & de reliquiis Crucis, A aut aliis instrumentis passionis, aut vestibus, quæ Christum tetigerunt, quia hæc omnia ex virtute Religionis coluntur. Quę quidem sententia quoad hanc posteriorem partem clara est, neque contra illam versatur difficultas posita. Quoad primam verò partem videtur esse contra communem mo-

Cap *Si quis.* dum loquendi tam Canonum in dicto cap. *Si quis suadente*, ibi, *Sacrilegij reatum*, quàm D. Thomæ, &

Difficultas huius respō. 6. reliquorum Auctorum. Responderi autem potest, quod sicut cultus sanctorum Religiosus dicitur propter coniunctionem, quam habet cum Diuino cultu, licèt à virtute Religionis non eliciatur, ita percussio Clerici dicitur sacrilegium, quia versatur circa personam sacram, & Deo coniunctam, licèt propriè contra Religionem non sit. Sed con- B tra hoc est, quia quando D. Thomas, & Doctores diuidunt Sacrilegium per tria membra explicata, de sacrilegio propriè dicto, & Religioni oppositio loquuntur, vt constat. Item sacrilegium per turpem accessum ad personam sacram, propriè contra Religionem est, quia est contra votum, sed eodem modo censent omnes de sacrilegio, quod committitur in percussione personæ sacræ.

D. Thom. Imò D. Thomas dicit conuenire in specie sacrilegij. Denique Iura interpretanda sunt iuxta receptum vsum vocum: Maximè quando communiter ita intelliguntur.

5. Percussio Clerici, & irreuerētia reliqui, & imagi. sunt sacrilegia.

Propter hoc ergo non censeo, negandum, quin percussio Clerici, & irreuerentia reliquiarum, & imaginum Sanctorum sit sacrilegium contra Reli- C gionem, licèt irreuerentia talium rerum, vel personarum sub aliqua ratione possit esse contra obseruantiam hæc enim duo non repugnant, vt agentes de Blasphemia diximus & ex materia de Adoratione constat. Et posteriorem quidem partem probat ratio facta in difficultate proposita. Prior verò declaratur in primis in percussione Clerici. Nam illud sacrilegium, est contra ius positiuum, vt dixi, lex autem Canonica non prohibet illam percussionem intuitu obseruantiæ, sed intuitu Religionis Dei, & ita constitui contrarium actum, seu carentiam actus in materia virtutis Religionis, ergo illa percussio est vitiosa contra Religionem. Primum antecedens constat; nam quòd possit Ecclesia hoc modo prohibitionem facere, & in materia Religionis D actum constituere, suprà ostensum est, nam si hoc potest facere circa locum sacrum, & circa bona Ecclesiastica, cur non multò magis circa ministros Dei. Quòd autem ita fecerit, & ex verbis Iurium constat, & ratio suadet; quia Ecclesia in hac prohibitione non respexit ad excellentiam creatam personæ Clerici, sed ad ministerium, quatenus ratione excellentiæ diuinæ, ad quam ordinatur, venerandum est, & ita non prohibet illam actionem, nisi vt cedit in quandam irreuerentiam Dei, seu quod idē est, vt irreuerentia talis personæ, quatenus minister Dei est. Præterea siquis faciat iniuriam sacerdoti in despectum, & contumeliam ministerij, sine dubio committit sacrilegium contra Religionem Dei, vt etiam dictus Auctor fatetur, quia peculia- E rem respectum habet contra Deum, in quem transit illa iniuria, sed Ecclesia per suam legem potuit ita prohibere illam iniuriam vt ad Deum pertinentem, præcipiendo abstinentiam ab illa in quendam cultum Religiosum Dei. Et ita sine dubio instituit immunitates personarum sacrarum, sicut & templorum, & Ecclesiasticorum bonorum, ergo sacrilegia contra has immunitates æquè sunt contra Religionem, etiamsi quando sint contra personas rationales, plerúmque sint etiam contra obseruantiam, vel iustitiā, hoc enim non excludit, quin possit in eodem actu coniungi malitia sacrilegij: Neque ad hoc necessarium est vt percutiens Clericum intendat iniuriam facere Deo; nam in peccatis committendis non est necessaria similis intentio, quando in obiecto ipso est specialis malitia, sed sufficit facere id, quod ex se, vel ex prohibitione habet talem malitiam.

Ob hanc ergo causam dixi in superioribus, personam sacram, vt ponitur inter materias sacrilegij, magis considerari secundum sanctitatem respectiuam pertinentem speciali modo ad cultum Dei, quàm prout est in se excellens, vel sancta absoluta quadam sanctitate, & excellentia. Quòd si sub hac ratione absoluta velimus loqui de personis Sanctis, etiam cum Christo regnantibus, verum quidem est, si absolutè adorentur propter creatam sanctitatem non adorari Religione, sed dulia. Et consequenter etiam est verum, irreuerentiam irrogatam, Sanctis, non vt habent respectum ad Deum, sed vt homines sunt excellentes, vt sic, non Religioni, sed Duliæ opponi; vt bene etiam obseruauit Valent. in 3. tom. disput. 1. quæst. 14. puncto 2. At verò si Sancti considerentur, quatenus amici Dei sunt, & in eis ipse honorari potest, & illi etiam per respectum ad ipsum, vt sic, per Religionem Dei coluntur, & consequenter etiam iniuria eis facta, sacrilegium est contra Religionem Dei. Vnde probabile est, quòd omnis iniuria Sanctorum præsertim cum Christo regnantium transit in Deum, & participat malitiam sacrilegij contrarij Religioni, etiamsi iniuria Dei intenta non sit. Nam ad peculiarem illam adorationem in Sanctis requiritur peculiaris intentio, quia actus virtutis est, at verò ad contrariam iniuriam non est hoc necessarium, quia actus vitij est, ad quem satis est, quod malitia sit in obiecto, vt suprà dicebam. Sicut irreuerentia facta Principi transit in Regem, licèt non sit intenta respectu Regis: & hæreticus contumeliam inferens imagini Dei, iniuriam facit Deo, etiamsi millies dicat se id non intendere. Ita ergo est valdè probabile de iniuria Sanctis facta. Et quamuis fortasse speculatiua consideratione, & secundùm alium statum rerum, possit dari irreuerentia in Sanctum, quæ non transeat in Deum, tamen loquendo de Sanctis cum Christo regnantibus, & considerato communi modo, quo in Ecclesia Dei coluntur, vix potest irreuerentia in Sanctum separari à sacrilegio in Deum, quia æstimandi sunt, vt coniunctissimi Deo, qui vult eos maximè à nobis honorari, & tanquam suam æstimat irreuerentiam, quæ contra illos fit.

6.

Sancti pos. sunt coli vel Religionis, vel Duliæ actu.

Valent.

Ex his ergo facilè respondetur ad alteram partem de reliquiis, & imaginibus Sanctorum: sunt enim materia sacrilegij, non quatenus referunt Sanctos, vel sunt partes, aut aliquid eorum, sistendo in ipsis, vt sic enim verum est vitium illud ad Duliam pertinere. Sed circa res tales committitur sacrilegium, vel quatenus inhonoratio, quæ in illis, vel per illas, Sanctis fit, non in illis sistit, sed ad Deum transit, vt declaratum est, vel certè quia secundùm Ecclesiæ vsum hæ res habentur, & æstimantur, vt instrumenta Diuini cultus, & ideò habentur sacræ non tantùm in ordine ad Sanctos, sed etiam in ordine ad Deum, non minùs, quàm sacræ vestes, vel altaris ornamenta.

7.

Iniuria quæ per reliquias fit sanctis, transit in Deum.

8.

Cur inter res sacra numerentur sacramenta, & nō sacrificia, & Oratio.

Tertiò circa easdem res sacras, dubitari potest, cur inter eas numerentur sacramenta, & non sacrificium, quia sicut Sacramentum consistit in quadam actione, seu receptione sacra, ita sacrificium

tum. Quia sæpè in Republica maior pœna ponitur ad coercendum peccatum, quòd maius nocumentum communitati affert, vel quòd frequentiùs accidit, quia natura est in illud procliuior, licet in se non sit simpliciter grauius. Re tamen vera, ex illis locis non potest sumi illa comparatio, tũ quia Moabitę non fuerunt puniti propter idololatriam, sed *quia noluerunt Hebræis occurrere cum pane, & aqua in via, quando veniebant ex Ægypto*, vt ibidem dicitur, tum quia non dicitur *vsque in tertiam, & quartam*: sed dicitur, *etiam post decimam generationem non intrabunt in Ecclesiam Domini in æternum*: tum deniq; quia pœna Moabitarum erat in suo genere longè grauior, quàm lepra corporalis, scilicet non admitti in Ecclesiam, neque ad amicitiam cum populo Dei, vt ibidem subiungitur. Sunt ergo alia peccata grauiora, licèt hoc & mortale, & grauissimum sit. B

4. An hoc peccatum possit aliquando esse veniale?

Vnde interrogari non immeritò potest, An hoc peccatum possit esse aliquando veniale, nihil enim inuenio ab Auctoribus dictum. Et habere potest dubitationem ex generali regula, quòd mortale ex genere fieri potest veniale ex leuitate materiæ, vbi materia talis est, quæ possit augeri, & minui, vt videtur esse in præsenti; nam & res spiritualis, quæ venditur, potest esse in suo genere leuis, vt verbi gratia, si vendatur parum aquæ benedictæ, aut cereus agnus, vel quid simile; & pretium potest esse tam paruum, vt pro nihilo reputetur. C

5. Ex leuitate materię non potest hoc peccatum esse veniale.

Dico nihilominùs, in hoc peccato non dari leuem materiam, nec fieri posse veniale nisi forte per inconsiderationem, vel ignorantiam habentem admistam negligentiam tantùm venialem. Priorem partem videntur mihi satis insinuasse Doctores loquentes tam absolutè, & acerbè de grauitate huius peccati, & nullam faciendo mentionem venialis peccati ex leuitate materiæ, cum in aliis sacrilegiis, superstitionibus, & similibus vitiis, illam non omittant, vnde in aliis peccatis dicere solent esse mortalia ex genere; in hoc verò non addunt limitationẽ, *Ex genere*, sed simpliciter dicunt esse graue, & grauissimum peccatum. Ratio verò est, quia nec ex parte rei spiritualis, nec ex parte D

Ostenditur non dari leuitatem ex parte rei spiritualis.

pretij potest ita diminui hoc peccatum. Primum patet, quia nullum donum gratiæ, quantumuis paruum videatur, esse potest vendibile sine graui irreuerentia Dei, & ipsiusmet doni, quod licet in suo ordine sit paruum, nihilominùs non potest contemni, neque conculcari sine graui culpa, & eadem ratione nec vendi potest sine culpa, quia per hoc grauissimè contemnitur, & tanquam quid vile tractatur. Et quantum est ex parte talis actionis, substrahitur à gratuita donatione Dei. Nam quod pretio potest æstimari, ac dari, non reputatur tanquam pendens ex gratuita donatione Dei. Vnde sicut laberetur grauissimè qui vel minimum opus pietatis sibi tribueret, & non gratuitæ donationi Dei, neque in tali cogitatione potest inueniri leuis materia; ita grauiter peccat semper, qui donum aliquod gratiæ, etiamsi nimirum esse videatur, venditioni exponit. Sic existimo esse peccatum mortale, vendere vel vnum minimũ cereum agnum, vel pro vero pretio vnam orationem Angelicam, vel aliud simile spirituale facere, aut conferre. Multóque certiùs est esse peccatum mortale, primam tonsuram pretio dare licet in gradu ordinum videatur quid minimum: idémque est in similibus. E

6. Probatur nõ posse oriri leuitatem ex parte pretij.

Idem facilè ostendi potest ex parte pretij: nam si illud magnum sit, eo ipso apparet grauis deformitas, quia tunc ex vtroque capite satis magna est A materia talis delicti. Item, illud est magnum lucrum temporale, & est turpissimum, quia per abusum rei spiritualis acquiritur; est ergo graue peccatũ. Dices, rationem hanc probare solùm ex parte vendentis: nam ille qui emit, nihil lucratur temporale, sed potiùs iacturã patitur. Respondeo primùm ementem peccare saltem ex priori capite, quia rei spirituali iniuriam facit, & quò maius pretium dat, eò (vt sic dicam) minùs gratis vult habere illã, atque ita gratiam vult habere non gratis, quod peruersum est (vt dicitur in capit. *Gratia* 1. quæst. 1.) etiam in minimo dono gratiæ. Et deinde, cum emere, & vendere correlatiua sint, si venditio est Simoniaca, etiam emptio; & si vna est grauis, etiam altera, saltem per quandam societatem, & cooperationem. Si autem pretium sit vile, eò magis videtur vilipendi, & contemni res spiritualis: quæ sic venditur; æquiparatur enim pretio temporali, & quia in suo ordine parua esse videtur, vili pretio danda, aut comparanda censetur. Itaque cuiuscunque quantitatis sit id, quod pro re spirituali datur, si re vera vt pretium datur, & accipitur, Simonia est, & per eam grauis irreuentia fit rei sacræ, & ideò non potest excusari à peccato mortali propter materiæ leuitatem.

Obiectio.

Satisfit.

Cap. *Gratia*.

7. Quo pacto possit dari peccatũ veniale in hac materia.

Cúmque hæc actio fiat per humanam conuentionem, & contractum, certè non potest ex surreptione, vel indeliberatione, excusari, quia contractus humani cum sufficienti libertate ad peccandum mortaliter fieri solent. Potest nihilominus interuenire ignorantia, vel facti, quia vel non aduertit quis, rem illam esse spiritualem, aut non putat, illam esse venditionem, aut pactionem æquiualentem; vel certè potest esse ignorantia iuris, si existimet, in tali materia non dari Simoniam prohibitam. Veruntamen hæc posterior, rarò erit excusabilis in materia pertinente ad ius Diuinum, de qua nunc loquimur, nisi vbi fuerit res dubia, & sub opinione constituta; & tunc siquis adhæserit opinioni probabili, ignorantia erit probabilis, & inuincibilis, & ita excusabitur etiam à culpa veniali, alioqui verò non excusabitur à mortali: poterit nihilominùs contingere, inaduertentiam, vel ignorantiam esse aliquomodo culpabilem, sed cum leui culpa, vel negligentia, & tunc etiam Simonia poterit esse venialis quasi ex surreptione, & indeliberatione. Sed hoc tam est accidentarium, & rarum, vt non obstet, quominus moralis regula absolutè possit constitui, hoc peccatum semper esse mortale.

8. Obiectio.

Sed obiici potest, quia sacrilegium, etiam in materiis Sacramentorum, potest esse veniale, & mendacium in sacramentali confessione potest esse veniale, & infidelitas in seruando voto, potest esse venialis ex leuitate materiæ; ergo Simonia, cùm tantùm sit quædam species sacrilegij, eadem ratione poterit etiam esse venialis ex materiæ leuitate. Respondeo, negando consequentiam: nam sub genere Irreligiositatis possunt esse multa peccata venialia ex leuitate materiæ, & nihilominùs blasphemia, quæ species est Irreligiositatis, non potest esse venialis ex parte materiæ, vt suprà dictum est. Ita ergo de Simonia, quæ meritò potest cum blasphemia comparari, nam facto ipso (vt sic dicam) continet quandem Blasphemiam. Nam qui vendit spirituale donum, facto profitetur, esse rem pretio æstimabilem, & comparabilem industria humana, ac subinde non esse supernaturale donum gratuitum, quod in omni materia habet grauem deformitatem; in aliis verò materiis aliorum sacrilegiorum, hoc non inuenitur, vt constat. Soluitur.

9. An Deus possit dispensare in vendendis rebus spiritualibus.

Vlterius vero dubitari potest, An hæc malitia sit adeò intrinseca actui Simoniæ, vt non possit talis actus illa carere, & honestari, etiam de potentia absoluta Dei. Quod est quærere, An possit Deus nobis dare licentiam emendi, vel vendendi spiritualia sine labe Simoniæ. Quæ interrogatio partim potest pendere ex illa, an præcepta moralia naturalia sint indispensabilia: partim potest aliquid diuersum inquirere. Est enim considerandum, aliud esse, quærere, An stantibus omnibus conditionibus, & circunstantiis, quæ non sunt ex parte materiæ, & obiecti Simoniæ per se prauæ, fieri possit, vt actio vendendi, & emendi rem sacram, purgetur à malitia Simoniæ, per diuinam dispensationem immediatè tollentem obligationem legis, & non mutantem materiam talis actionis. Aliud verò esse, quærere, An res spirituales possint à Deo nobis aliter concedi, quàm nunc concedantur, & An facta illa mutatione, inde resultare possit, vt res spiritualis honestè vendatur absque Simonia.

Duo sensus quæstionis proponuntur.

10. In primo sensu tractatur quæstio, & pro parte negatiua resoluitur.

Prior sensus pertinere potest ad quæstionem de præceptis naturalibus an dispensabilia sint. Et iuxta varias opiniones, quæ in illa generali quæstione inueniuntur, hic erit consequenter loquendum. Ego verò censeo, in nullum præceptum naturale, quod ex intrinseca materia virtutis, vel vitij nascitur, posse cadere propriam dispensationem, quia illa malitia non nascitur ex voluntate extrinseca legislatoris, sed ex natura intrinseca talis materiæ, quæ auferri etiam non potest, vel mutari per solam extrinsecam, voluntatem, nisi in materia ipsa, vel conditionibus, fiat mutatio. Quia voluntas extrinseca potest tollere obligationem, quæ ab illa, vel ab inferiori voluntate prouenit, etiamsi materiam intrinsecè non mutet: naturæ autem rerum non possunt ita mutari, vt constat. Quæ ratio locum habet tam in naturalibus præceptis, quæ dicuntur esse prima principia, quàm in conclusionibus, siue proximis siue remotis, dummodo per euidentem illationem consequantur. Censeo autem, malitiam Simoniæ, de qua nunc agimus, intrinsecè sequi ex natura talis actus vendendi, vel emendi, prout versatur circa res spirituales, prout nunc sunt, vel nobis donantur; hoc enim probant omnia dicta in capite præcedenti, aliàs non erit Simonia mala de iure naturali: & ideò censeo, per nullam dispensationem fieri posse, vt talis actus non sit malus, nam ille non est malus, quia prohibitus, sed de se talis est, & prohibetur, quia malus; ergo quantuncúmque tollatur prohibitio, semper erit malus; sed dispensatio solùm potest tollere prohibitionem, non mutare naturam: ergo non potest à tali actu malitia separari per vllam dispensationem. Quæ ratio ex sequent. puncto magis patebit.

11. 1. Obiectio.

Duo verò hic obiici possunt. Vnum est, quia in hoc peccato habet locum Epijkia, stantibus eisdem circunstantiis intrinsecis obiecti, & materiæ, & solùm mutatis extrinsecis circunstantiis, quæ possunt inducere excusationem; multò ergo magis poterit cadere in hunc actum diuina dispensatio, quia potentior est diuina voluntas, quàm omnis extrinseca circunstantia. Vnde regula generalis, & vera est; omne præceptum, cuius obligatio potest in particulari cessare per Epiikiam propriam, multò magis posse non obligare per diuinam dispensationem, vt ex materia de Legibus suppono. Et ita nota est consequentia. Antecedens verò haberi potest ex sententia satis communi, quòd in casu necessitatis extremæ potest sine peccato emi baptismus; ibi enim non limitatur materia A venditionis, seu emptionis quoad intrinsecas conditiones suas, sed solùm accedit necessitas, quæ extrinseca est. Secundò obiici potest, quia Papa potest dispensare in Simonia, quæ in venditione beneficiorum committitur, etiamsi iuris diuini sit, vt multi Canonistæ docent; ergo multò magis poterit Deus dispensare in quacunque Simonia iuris diuini. Sed hæ obiectiones petunt longas quæstiones infrà tractandas, & ideò ne methodum perturbemus, illas nunc remitto. Et ad primum nego, posse in illo casu emi baptismum; An verò alio modo possit tunc licitè pecunia dari, quæ postulatur, infrà dicam. Ad secundum dicendum est, vel illam Simoniam esse tantùm de iure positiuo, vel Pontificem non posse in illa dispensare, quid autem horum verius sit, infrà dicam.

2. Obiectio. Respondetur ad primam. 2. Soluitur.

12. In 2. sensu tractatur quæstio, resoluiturque posse Deum ita bona hæc nobis donare, vt licitè vendi possint.

In alio verò sensu quæstionis, probabile videtur, posse Deum ita donare hæc spiritualia bona hominibus, vt ex vi talis donationis liceat illis talia bona vendere sine vllo sacrilegio, vel Irreligiositate. Primò enim posse dare homini absolutum, & liberum dominium talium rerum; cur enim non poterit, cum sint res creatæ, & ipse sit absolutus dominus earum, & ex hac parte possit eas dare cui voluerit? Et ex parte hominis, non est incapacitas, cùm possit habere liberum, & expeditum earum vsum. Deinde etiamsi non tribuat dominium, potest dare facultatem dispensandi illa, per venditionem, vel contractum onerosum in vtilitatem, vel ipsius dispensatoris, vel alterius, prout dispensator ipse concesserit. Sic enim dispensator, qui non est dominus, potest vendere rem domini, si facultas ab illo concessa, ad hoc extenditur. Hæc autem facultas, non est dispensatio in præcepto, sed est mutatio in materia, & est quædam participatio dominij. Præterea, potest Deus aliquod huiusmodi donum cum dicta largitate concedere; non vt pertinens ad salutem animæ, vel ad bonum spirituale aliorum, sed solùm ad commoditatem humanam recipientis, vel etiam aliorum: & tunc cessare videtur omnis ratio malitiæ in venditione illius gratiæ, quoad effectum eius, vel etiam quoad ipsam potestatem, si Deus daret alicui potestatem transferendi illam in alium. Vt verbi gratia, posset alicui dare gratiam sanitatis, vt ex vsu eius viueret, & temporales diuitias acquireret, & idem est de Prophetia, & similibus. Neque enim in hoc apparet aliquid per se indecens, aut repugnans diuinæ bonitati.

13. Declaratur.

Posito autem tali modo donationis, cessaret omnis ratio intrinsecæ malitiæ, quæ in Simonia nunc inuenitur. Quia tunc non venderetur res aliena, inuito domino, sed vel propria, vel sic dispensabilis ex voluntate domini. Nec tunc fieret irreuerentia Deo, quia ipse est contentus, & iuxta voluntatem eius fit. Nec fit contra naturam talis materiæ, seu gratiæ, quia non est de intrinseca ratione, & quasi naturali essentia eius, vt gratis detur, hæc enim conditio extrinseca est, & pendens ex voluntate eius, qui ius habet, vel potestatem dandi talem rem, ipse enim vni potest gratis dare, alteri non nisi propter opus. Et similiter, potest vni gratis dare, & cum dominio, vel facultate, vt ipse non gratis det; sed prout voluerit. Neque etiam tunc donum illud Dei haberetur vt sacrum, vel Religiosum, quia nec ex se, nec ex intentione dantis ordinaretur vel ad specialem Dei cultum, vel proximè ad salutem animæ, nisi eo modo, quo dona naturalia scientiæ, vel prudentiæ ordinantur ad Deum vt vltimum finem, quia in eundem referendus est vsus eorum: & omnis vtilitas ab eis proueniens. Denique

nique nec etiam tunc res spiritualis pecunia æstimaretur, ac si non plus valeret, hoc enim sine dubio videtur continere intrinsecam deordinationem, & quasi practicum mendacium; non est tamen id necessarium ad venditionem, & quæstum temporalem, sed sufficit, vt aliquid determinaretur humanò arbitrio, quod licet de se esset inæquale, ex conuentione hominum haberetur sufficiens, posset enim Deus etiam hanc taxandi potestatem homini tribuere.

14. Hæc præcipuè propono, quia deseruire possunt ad explicandam ampliùs intrinsecam deformitatem illius Simoniæ, quæ de se talis est, & prohibita est, quia mala, & non è contrario. Quamuis enim fortasse hæc malitia pendeat ex modo, & fine, quo Deus confert homini hæc bona, qui modus absolutè loquendo pendet ex libera voluntate Dei: talis enim est ille, quem explicauit Christus cùm dixit: *Gratis accepistis gratis date*, & Petrus cùm dixit: *In alterutrum illam administrantes* (vtique gratis) *sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei*. Nihilominùs non est malitia illa proueniens ex positiua prohibitione, sed ex ipsa lege naturæ, quia ille modus accipiendi hæc dona à Deo, tenet se ex parte materiæ, & obiecti huius obligationis, quæ intrinsecè nascitur ex tali materia sic possessa, & accepta. Sicut quando quis reponit apud alium vestem suam solùm in depositum, & custodium, depositarius ex iustitia tenetur illam non vendere, quę obligatio naturalis est, & intrinseca, licèt ex parte materiæ, seu fundamentaliter (vt ita rem explicem) pendeat ex voluntate tradentis vestem: nam si ille voluisset dare illam, non solùm in custodiam, sed simpliciter ad omnes vsus, cessaret illa obligatio ex iustitia. Sic etiam obligatio voti, est naturalis, licèt materia eius supponatur ex arbitrio vouentis.

15. Hic modus, quo Deus modo cõfert res supernaturales, hominibus, proportionatus est, & cõnaturalis. De potentia ordinaria nõ posse à venditione rerũ spirit. auferri malitiam.

Addo verò secundo, hunc modum concedendi hominibus vsum supernaturalium donorum adeo esse proportinatum naturæ illorum, vt merito dici possit connaturalis ipsis, ideóque (quicquid sit de miraculis, & extraordinariis prouidentiis (simpliciter loquendo talia dona ex naturali conditione sua secum afferunt obligationem non vendendi, nec procurandi illa per temporales commutationes. Et hoc declarant rationes adductæ in præcedenti cap. idémque explicatum intelligimus per Christi verba, vt exposuimus. Atque hoc modo dicere possumus saltem de potentia ordinaria, & iuxta prouidentiam consentaneam, naturis rerum non posse à venditione talium rerum separari malitiam, idque satis esse, vt simpliciter dicatur intrinsecè mala.

16. Vltimò verò addo (esto possit Deus aliter conferre homini hæc dona, ad diuersum finem, cum maiori potestate, ita vt per mutationem materiæ venditio desinat esse mala) non in omnibus gratiis habere hoc æqualem rationem. Nam in his virtutibus operatiuis, seu gratiis gratis datis, quæ ad corporales actions, vel temporalia commoda immediatè dantur, vt est gratia sanitatum, donum linguarum, & similia, minor indecentia inuoluitur. Alia verò sunt dona spiritualia, quæ non nisi indecentissimè ordinarentur ad quęstum, vt est potestas remittendi peccata, concedendi indulgentias, & similia: & in his licèt in rigore non appareat implicatio contradictionis, tamen videtur satis alienum à sapientia, & excellentia prouidentiæ diuinæ, quod ad illum finem, & cum tanta, seu libera licentia facultate homini concedantur.

CAPVT IIII.

An in peccato Simoniæ sit tantùm malitia contra Religionem, an etiam contra Iustitiam.

1. Ratio dubitandi.

EX dictis in duobus capitibus præcedentibus, & ex rationibus, quibus malitiam Simoniæ declarauimus nascitur occasio præsentis quæstionis, & ideò visa est hoc in loco necessaria. Ratio autem dubitandi est, quia vendere rem alienam, inuito domino, non solum est contra Religionem, sed etiam contra Iustitiam, sed Simonia est venditio rei alienæ inuito domino, ergo est contra Iustitiam. Item, qui vendit pretio, rem non æstimabilem pretio, contra Iustitiam peccat, sed res spiritualis non est pretio æstimabilis, ergo. Denique hac ratione vsura est contra Iustitiam, quia mutuum pretio venditur, cùm ipsum pretio æstimabile non sit, ergo similiter Simonia. Atque ita videtur sentire Soto dicto lib. 9. quæstion. 5. articulo 2. Quem aliqui Moderni secuti sunt. Non est tamen facilè præcipitanda sententia, quia hinc pendet resolutio eorum, quæ de obligatione restituendi Simoniacè accepta, infrà tractanda sunt.

2. In Simonia datur iniustitia ad Deũ, quæ malitia est cõtra Relig.

Distingui ergo debet iniustitia vel respectu Dei, vel respectu hominis, cui res spiritualis venditur. Quod ad Deum attinet, iniustitia contra illum committitur: Et hoc probat ad summum prima ratio facta, quia res spiritualis, quam ego vendo, non est hominis, cui illam vendo, sed est Dei, & ideò si aliqua est iniustitia in tali venditione, quatenus est contra voluntatem domini, & vltra facultatem dispensandi talem rem ab ipso datam, solùm est respectu Dei. Hæc verò malitia non est contra aliam virtutem præter Religionem, quia vt supra ostendimus, iustitia ad Deum non est, nisi Religio: nec intra hanc virtutem sunt ibi duæ malitiæ; vna contra venerationem, & æstimationem debitam rebus sacris: & alia contra Deum, seu dominium eius, quia hæc iniustitia non tam est in alienatione, vel destructione rei alienæ, quàm in modo. Vnde iniustitia hæc non consistit in damno illato domino rei, Deus enim non priuatur dominio talis rei; nam cuicunque conferatur, semper illius est, & ipse non vetuit dare illam alteri, sed tantùm dare tali modo, venditione scilicet vel æquiualenti pacto. Et ita tota hæc iniustitia respectu Dei reducitur ad irreuerentiam, quæ fit Deo, non debito modo vtendo tali re, cui etiam rei derogatur per eundem modum concessionis eius: & ita tota ibi est vna malitia, quæ simul est contra Deum, & rem sacram; seu contra Deum per indebitum vsum rei sacræ.

3. Soluitur 1. argum.

Et hinc fit, vt hic modus iniustitiæ tam ex parte ementis, quàm ex parte vendentis reperiatur, licèt ratio in obiectione facta solùm de vendente in rigore procedat; nam qui potest rem alicuius domini accipere à dispensatore eius, si gratis illam donet, non facit iniuriam domino eiusdem rei, si à dispensatore nolente gratis eam dare, illam emat. Nam potiùs ipse, qui emit, in hoc potest pati iniuriam. Sic solent pauperes, quibus testamento legantur census, quando hæres, vel curator animæ negligens est, vel iniquus, & differt solutionem, vel tergiuersatur, remittere partem, vt aliquid sine difficultate accipiant, quæ remissio, emptio quædam est, nulli tamen est iniuriosa, & tales esse possunt circunstantiæ, vt non sit iniqua ex par-

te pauperum, licèt sit iniusta ex parte dispensatoris. At in proposito etiam emens rem sacram iniustè agit contra Deum eodem genere iniustitiæ, quia licet non sit contra voluntatem domini talis rei, vt talis persona illam accipiat, & habeat, est tamen contra eius voluntatem, vt accipiat tali modo, scilicet per emptionem, & cum irreuerentia, & vilipendio rei sacræ, tota verò hæc iniustitia, vt dixi, non transcendi rationem sacrilegij tali modo, & in tali specie commissi. Et ita responsum est ad primam rationem.

4. Soluitur 2. argumentū.

Secunda verò ratio procedit de iniustitia propria, & commutatiua, quæ est respectu hominis. Ad quàm in primis dico, malitiam iniustitiæ non semper coniungi, seu inuolui cum malitia Simoniæ. Hoc patet in primis ex parte ementis: ille enim verè, ac perfectè Simoniacus est, & tamen nulli homini facit iniuriam (loquor enim ex sola rei natura, seclusis legibus positiuis, de quibus infrà) & sic videtur res per se clara, quia vel ille facit iniuriam alteri, cum quo contrahit, vel alicui tertio? Hoc posterius dici non potest, quia non est necessarium, interuenire tertiam personam, vel damnum eius, & si id contingat, erit per accidens ad rationem Simoniæ. Primum etiam non est verum, quia recipiens ab altero rem spiritualem tali modo non facit illi iniuriam, quia altervoluntariè dat rem illo modo, & est contentus tanto pretio; volenti autem non fit iniuria. Et in hoc potest considerari conuenientia, & differentia inter vsuram, & Simoniam. Nam in vsura qui emit, non est iniustus, nec vocatur vsurarius, nec per se loquendo est iniquus, potest enim nihil peccare soluendo vsuras, quod si interdum peccet cooperando, vel inducendo ad malum, erit contra charitatem, & per accidens. At verò in Simonia emens non peccat quidem contra iustitiam respectu vendentis, in quo conuenit cum vsura; simpliciter tamen, & per se peccat proprio peccato Simoniæ, vnde Simoniacus verè dicitur. Signum ergo est, malitiam iniustitiæ non inuolui necessariò, nec per se cum malitia Simoniæ.

Probatur in Simonia nulli fieri iniuriam ab emente.

5. Idem probatur ex parte vendentis.

Probatur verò vlteriùs assertio etiam ex parte vendentis. Quia sæpe dando rem spiritualem alteri, priuat seipsum commodo suo, vel quoad temporalem vtilitatem vel quoad honorem, & dignitatem, vel certe quoad voluptatem, ornatum, vel quid simile, vt patet in concessione beneficij, officij, &c. hoc autem incommodum propriù est pretio æstimabile humano modo loquendo; ergo licèt aliàs causa Religionis non liceat recompensationem pecuniæ pro illo incommodo accipere, si tamen fiat, non peccatur contra iustitiam, sed contra Religionem. Item licet interdum corporalis res propter annexionem ad spiritualem fiat inuendibilis, ex obligatione Religionis, nihilominùs illa secundùm se suum valorem retinet, ergo quamuis contra prohibitionem Religionis, secundùm illum valorem vēdatur, non peccatur contra iustitiam. quia in re datur res materialis æquiualens prætio per pactum ex vtraque parte omnino voluntarium. Atque hæ rationes saltem probant, iniustitiam non esse necessariò coniunctam cum venditione Simoniaca ex sola rei natura. Neque contra hoc procedit secunda ratio dubitandi supra posita, quia licet res spiritualis secundum se non sit æstimabilis pretio, ac proinde neque vendibilis; nihilominùs eius alienatio potest habere coniunctum aliquid æstimabile pretio, & ratione illius poterit vendi. Sicut in mutuo potest aliquid vltra sortem accipi ratione damni emergentis, vel lucri cessantis. Solùm est differentia, quod in mutuo separari id potest non solùm ab iniustitia, sed etiam ab omni malitia, quia secluſa iniustitia, nulla alia malitia in vsura reperitur. In præsenti verò secluſa iniustitia, manere potest malitia Simoniæ, puta sine iniustitia ad hominem, potest fieri irreuerentia Deo, & rei sacræ.

6. An ex natura rei possit omnis Simonia separari ab iniustitia proximi.

Maior difficultas est, An ex natura rei omnis Simonia possit ab iniustitia proximi separari, quando proximus aliàs non tenetur ex iustitia dare rem spiritualem, quam vult vendere? Nam vbi præcedit obligatio ex iustitia, clarum est aliam exactionem esse iniustam vt si Parochus, qui ex officio tenetur Sacramenta ministrare, velit illa vendere, sic id accidentariū est, quia non prouenit per se ex venditione rei sacræ vt sic, sed quia agit contra priorem iustitiæ obligationem. Propria ergo dubitatio est, quando aliquis non tenetur ex iustitia spiritualem rem conferre, vel actionem efficere. Et ratio dubitandi esse potest, quia vel illa venditio est iniusta, quia res quæ datur, non est pretio æstimabilis, & ideò est inuendibilis; vel quia vendens non est dominus talis rei, & voluntas domini est, vt talis res gratis donetur, & non vendatur. Neutra autem ratio videtur efficax; ergo. Probatur Minor quoad priorem partem, quia res spiritualis est inæstimabilis temporali pretio, non per defectum, sed per excessum quia scilicet pluris æstimanda est, quàm pecunia; quando ergo pecunia æstimatur, non fit illi iniuria, cui propter pecuniam datur, quia aliquid maius ei datur, quàm sit eius pecunia, ergo ex hac parte non est inæqualitas respectu illius, sed potiùs respectu dantis. Et quoad hoc non est simile exemplum de vsura; nam vsura est iniqua, quia mutatio pecuniæ est inuendibilis per defectum, quia nihil valet, nisi quantùm valet pecunia, per se autem nullius æstimationis, vel valoris temporalis est. Potest confirmari à simili, nam vt infra dicitur, scientia acquisita etiam Theologiæ pretio vendi potest sine iniustitia, imò sine peccato; & tamen in illa etiam verum habet, quòd Sapiens dixit Prouerb. 3. de sapientia, pretiosiorem esse cunctis opibus, quod non obstat, quominus pretio possit vendi sine iniustitia, ergo similiter in præsentia. Similiter potest aliquis vendere famam suam pecunia sine iniustitia, quamuis sit longè maioris æstimationis: & virgo vendendo virginitatem suam, licet sit impudica, non est iniusta, & sic de aliis: ergo ex hoc capite non apparet iniustitia. Neque etiam ex alio: Primò quia illud ad summum videtur procedere; quando quis tenetur ex officio dare spiritualia, qui verò absolutè non tenetur dare, licèt ratione Religionis teneatur dare gratis, si dare vult, tamen cum liber sit ad nollendum, & absque iniustitia possit nolle dare talem rem, potest etiam sine iniustitia non concedere talem rem, vel non exercere talem actionem, nisi pretio. Vt v.g. licet ergo, si eligo, tenear eligere digniorem, tamen si sum liber ad eligendum, vel non eligendum, non videtur iniustitia (ex natura rei loquimur, & secluso positiuo iure) nolle eligere, nisi pretio accepto. Et præterea voluntas illa Dei non videtur obligare ex iustitia, quia non id prohibuit intuitu commodi temporalis proximi, sed intuitu religionis, & ne res sacræ vilescant, ergo ex illa lege, seu conditione rerum sacrarum non videtur oriri obligatio, vel materia iustitiæ.

Prou. 3.

7. Aliquando dari iniustitiam in Simonia.

Hæc pars sit satis apparens huiusmodi discursu, nihilominùs tamen probabiliùs videtur, non semper venditionem Simoniacam esse immunem ab iniu-

Regula generalis.

ab iniustitia, posséque generalem regulam constitui. Quoticscumque ratione solius spiritualitatis rei aliquod temporale pretium accipitur, iniustitiam committi. V. g. si quis vendet calicem consecratum pluris, quàm valeat argentum, opus, seu effectio, & omnis alia temporalis expensa in eo cõsecrando facta, sed solùm ratione cõsecrationis, venditio non est tantùm Simoniaca, sed etiam iniusta quoad illum excessum. Vnde quia parũ aquę, vel nullo, vel exiguo pretio æstimatur, siquis illam aquam benedictam vendat pretio maiori, & Simoniacus, & iniustus est: & iuxta hanc regulam, & cum proportione ad hæc exempla iudicandũ censeo. Ratio autem est, quia ratione solius spiritualitatis res non est pretio æstimabilis, & consequenter nec est magis æstimabilis, quàm ratione materiæ valeat, imò quodammodo videri posset minus æstimabilis, quia ratione spiritualitatis est magis limitata, & coarctata quoad vsum, quia solùm ad vsus sacros assumi potest: Satis verò est, quod saltem non crescit in temporali valore propter solam spiritualem, licèt crescat in quadam veluti dignitate, & reuerentia. Hoc autem probari potest ex communi hominum consensu, & æstimatione, ex qua pretia rerum maximè pendent. Constat enim, hanc esse communem apprehensionem, & æstimationem Christianorum omnium: præterquam quod leges etiam, per quas solent pretia rerum venalium taxari, non solùm in tali materia illam non adhibent, sed omninò prohibent talem æstimationem, seu appretiationem fieri.

2. Secundò est optima illa ratio, quòd res spiritualis vt sic inuendibilis est secundùm temporalẽ æstimationem, siue hoc proueniat ex dignitate talium rerum per se spectata, siue adiuncto modo, & circunstantijs, ac præsertim fine, cũ quibus talia bona sunt collata hominibus, & eorum vsui, ac dispensationi commissa. Et ideò parum refert, quòd hæc exemptio, & quasi immunitas talium rerum ab æstimatione pecuniaria, sit propter excessum dignitatis: nam hoc satis est, vt valor temporalis rei, cui spiritualitas adhæret, non crescat ratione solius spiritualitatis, ac subinde vt non possit solo illo titulo, vel exigi pretium, vel augeri. Exempla autem, quæ in contrarium adducuntur, vel sunt de rebus, quæ licet digniores videantur, quam pecunia, nihilominùs secundum vsum, & apprehensionem hominum pecunia taxari, ac æstimari possunt prudenti arbitrio, vel sunt de rebus, quæ in se re vera non venduntur, nec emuntur, sed ratione alicuius actionis pretio æstimabilis, vt infra de scientia dicemus. Et per hæc satis responsum est ad orationem dubitandi in contrarium, cætera enim facilia sunt: & ideò hæc pro nunc sufficiant de hac quæstione, nam in discursu materiæ, & maximè tractando de restitutione omnia clariora fient.

CAPVT V.

An Simoniæ vitium sit proprium temporis legis gratiæ, vel etiam in lege veteri committi potuerit.

1. An in lege veteri Simonia daretur.

QVæstio hæc annexa est præcedentibus; si enim hoc peccatum contra ius naturale existit, sequitur, in omni tempore, & sub omni lege esse potuisse, quia lex naturalis in omni tempore obligauit. Consequens autem videtur dubium tam de tempore legis veteris, quàm naturæ; & ideò de priori hic tractabimus, de posteriori in capite sequenti. Quòd ergo in lege veteri hoc vi-

Pars Affirmatiua.

A tium non fuerit, ostendi potest, quia Prophetæ munus prophetandi propter pretium exercuisse videntur: talem enim fuisse tunc consuetudinem, ex historia 1. Reg. 9. colligi potest, cum Saul interrogauit puerum, *Quid feremus ad virum Dei, &* puer respondit: *Ecce inuenta est in manu mea quarta pars stateris argenti, demus homini Dei, vt indicet nobis viam nostram.* Et 3. Reg. 14. Ieroboam misit vxorem ad Eliam Prophetam cum muneribus, vt sibi indicaret, quid futurũ esset de filio, qui ægrotabat: & 4. Reg. 8. Rex Syriæ misit nuncium ad Elisęum cum magnis muneribus, vt ei prædiceret, an ab infirmitate sanandus esset, nécne. Et licèt in his locis Scriptura non dicat, Prophetas illos recepisse B pecuniam, vel dona, non tamen dicit ipsos illa non recepisse, nec dicit, illos reprehendisse ferentes ea, & vsus ille videtur ostendere, & tunc fuisse frequens, & non fuisse reputatum illicitum, vel infame, quale est factum Simoniacum, alias nõ fuissent ausi homines tam facilè inuitare sanctos viros, & insignes ad Simoniam committendam. Daniel etiam postquam somnium, & interpretationem eius Nabuchodonosor aperuit, Præfectura, Principatu, & magnis muneribus donatus est, quæ nõ repudiauit, sed potiùs magistratum quendam pro sociis postulauit, vt constat Daniel. 2. Illud autem vitium Simoniæ pertinuisset, si tunc malum esset. Et similiter cap. 5. magnam retributionem temporalem accepit Daniel propter alterius somnij interpretationem.

1. Reg. 9.

3. Reg. 14.

4. Reg. 8.

Dan. 2.

Denique conformari hoc potest, quia in tota lege veteri nulla sit mẽtio prohibitionis Simoniæ, seu venditionis, & emptionis spiritualium rerum, signum ergo est, non fuisse tunc prohibitum. Nec satis est dicere, illam fuisse prohibitam, quia mala est, ideò non oportuisse legem de illa ferri. Nam in lege veteri illa etiam prohibebantur, quæ per se mala erant, vt patet ex præceptis Decalogi in ea scriptis. Id autem duabus ex causis fiebat, prima, & præcipua, quia obscurata nimiùm erat naturalis ratio, & oportebat per legem illuminari, & instrui: altera ratio erat, vt pœna pro delictis imponeretur. Vtraque autem causa in hoc vitio maximè locum habebat, prima quidem, quia malitia huius vitij minus clara est, quam multorum aliorum, & ideò faciliùs poterat ignorari: secunda verò, quia vt supra dicebamus, natura valde procliuis est ad hoc vitium, & ideò maximè debet pœnis coerceri, Ergo si illo tempore esset prohibitum, debuisset in lege explicari, & puniri, hoc autem non fit, ergo signum est, non fuisse prohibitum. 2. Confirmatur.

Pro resolutione aduertendum est, duobus modis intelligi posse hominem in aliquo statu huius vitæ mortalis esse incapacem Simoniæ. Primò ex defectu materiæ, nimirum, quia in tali statu non habet dona spiritualia, quæ possit emere, vendere, nam vbi materia vitij deest, etiam deest possibilitas, ideóque meritò dicetur homo incapax Simoniæ in tali statu. Quamuis enim interdum aliquis per desiderium peccet per furtum, verbi gratia, vel fornicationem, qui materiam peccandi non habet, quia neque occurrit aliquid, quod furari possit, nec cum qua possit fornicari: tamen vbi deesset omninò in tota natura, vel in tota aliqua ætate, vel statu hominum materia alicuius vitij, nec cogitatio, nec desiderium talis vitij posset moraliter ascendere in cor hominis, & ideò, simpliciter dici potest homo incapax talis vitij tali statu: Secundo modo in statu alicuius legis incapax huius vitij, si in illo haberet quidem propriam, & 3. Duobus modis posse hominem esse incapacem Simoniæ.

veram ſpiritualem materiam, quam facto poſſet emere, vel vendere, non tamen eſſet illi prohibita talis emptio, vel venditio. Hic ergo non tractamus de priori ſenſu quia nondum egimus diſtinctè, & ex profeſſo de materia huius vitij, & ideò ſenſum illum remittimus in c. 8. In ſecundo ergo ſenſu proponitur quæſtio. Vnde quod ad legem veterem ſpectat, ſupponimus, in illa fuiſſe materiam aptam ad Simoniam, ſi prohibitio non deerat; nam erant ſpiritualia dona, quæ conſtat eſſe materiam Simoniæ, etiam ex his, quæ circa definitionem breuiter diximus. Et ita ſolùm ſupereſt quæſtio, an fuerit etiam prohibitio in illa lege, vt hoc vitium ibi committi potuerit.

4. In lege veteri fuit prohibita Simonia.

Dico ergo primò Simoniam repugnantem diuino iuri etiam in lege veteri fuiſſe prohibitam, & ita hoc vitium potuiſſe illo tempore committi, & de facto fuiſſe commiſſum. Hæc aſſertio communis eſt. Propria verò eius ratio eſt, quia in lege veteri fuit ſufficiens materia Simoniæ, ergo & vitium eſſe poterat. Antecedens iam declaratum eſt, & conſtat, tum quia multæ gratiæ gratis datæ erant tunc eiuſdem rationis cum his, quæ ſunt in lege gratiæ, vt Prophetia, interpretatio Scripturarum, &c. Tum etiam quia Pontificatus, ſacerdotium, ſacrificium, Sacramenta templum, & ſimilia, licèt eſſent minùs perfecta, erant tamen verè ſpiritualia, & ad diuinum cultum, & ad ſpirituale bonum animarum ſuo modo ordinabantur. Conſequentia verò probatur, quia facilè poterant homines tunc vendere, & emere illa ſpiritualia, quæ in ea lege erant. Et quamuis daremus nunquam fuiſſe tale peccatum illo in tempore commiſſum, vel de illo non ſatis conſtare ex Scriptura, parum ad cauſam referret; ſatis enim eſt, vt ex hypotheſi verum ſit, quòd ſi talis venditio, aut emptio tunc facta eſt, ſeu fieret, haberet malitiam eiuſdem ſpeciei cum ea, quam nunc Simoniam appellamus, Patet ex ratione in principio tacta, quia talis venditio, & emptio circa talem materiam ex natura ſua eſt ſacrilega, & ſanctitati talis materiæ contraria, ergo talis etiam tunc fuiſſet.

5. An in facto Giezi Simonia fuerit data.

Ad maiorem autem rei claritatem, & quia deſeruiet ad futuram doctrinam, examinanda ſunt aliqua exempla, quæ de hac Simonia afferri ſolent. Primum, & valde celebre eſt de Giezi, qui duo talenta argenti à Naaman accepit, poſtquam à lepra ſanatus fuit ab Eliſeo 4. Reg. 5. Nam ibi ſtatim fuit punitus Giezi lepra propter peccatum Simoniæ, nam pro ſpirituali beneficio temporale pretium accepit. Id ſentit de facto Giezi D. Thom. dicto art. 1. ad 4. Vnde ait eos, qui actu vendunt ſpiritualia, licet in intentione imitentur Simonem, in facto imitari Giezi, & ideò non ſolùm Simoniacos, ſed etiam Giezitas dici poſſe. Alenſis etiam dicta quæſt. 169. membr. 1. in principio eandem ſententiam confirmans ait, ementes ſpiritualia propriè eſſe Simoniacos, vendentes autem eſſe proprie Giezitas, licèt iam communi vſu omnes Simoniaci dicantur. Idem ſentit Hugo Victor. 2. de Sacram. p. 10. cap. 2. & in hoc conſentiunt cæteri Scholaſtici, & Summiſtæ ac Canoniſtæ. Nam in cap. *Sicut pro certo* de Simoni. de vendentibus ſpiritualia dicitur: *Omninò damnentur, & cum Simone, & Giezi condemnentur.* Et in cap. *Eos* 21. 1. quæſt. 1. hac ratione dicit Taraſias venditionem hanc, & emptionem in Actibus Apoſtolorum, & in 4. Regum eſſe damnatum. Et in cap. *Cito* 16. eadem quæſt. in eodem ſenſu dicitur: *Cito turpem ſequitur lepra mercedem*, &c. ex Ambr. lib. 4. in Lucam. Sic etiam dixit Cyril. Hieroſol. Catechef.

D. Thom.

Alenſ.

Hugo. Vict.

Cap. Sicut.

Cap. Eos.

Cap. Cito. Ambr. Cyril.

16. *Cum Eliſeus gratis ſanaſſet lepram Naaman, Giezi pretium eius accepit, alieni officij præmium intercipiens.* Et infrà: *Vendidiſti curationem leproſi, & hæreditabis illius lepram. Impleui (inquit Eliſeus) ego perfectionem illius, qui dicit mihi, Gratis accepiſtis, gratis date. Tu autem vendidiſti hanc gratiam, ſuſcipe ergo & præmium iſtius venditionis.* Vbi attentè conſiderandum eſt, quod Cyril. ait, iam tunc audiuiſſe Eliſeum Chriſti verba, quia licet non audiuiſſet ab ipſo Chriſto, rem ipſam audierat per lumen fidei, & rectam rationem ab illo deductam.

6. Obiectio.

Atenim dicet aliquis, licet in facto Giezi ſtatim appareat grauiſſimum peccatum & turpis auaritiæ, & iniuſtitiæ ac planè furti, ac latrocinij, non tamen ita apparere malitiam Simoniæ, nec ex Scriptura colligi poſſe, ob talem malitiam eſſe punitum. Primum quidem patet quia Giezi nomine Eliſei petiit, quod ipſe non petebat, nec acceptare voluerat, in quo contra Naaman iniuſtitiam, & furtum commiſit; nam illum decepit, & per deceptionem ab eo rapuit, quod alter dare nolebat illi; vnde re vera non dedit, neque in illum dominium tranſtulit, & conſequenter nec ipſe Giezi, quod acceperat, iuſtè poterat retinere. Vnde Chryſoſtomus Enarrat. in 3. cap. Iſaiæ, factum illud vocat *furtum*. Peccauit deinde grauiſſimè contra Eliſeum, nomine illius petendo, quod ipſe non petebat, & quantum in ſe erat, illum infamando in quæ crimina ex turpiſſimo auaritiæ affectu inciderat. Et ita Chryſoſt. Hom. in illum locum in fin. 1. tom. vocat ſæpius delictum illud perfidiam, & mendacium; *perfidia* (inquit) *attulit pœnam*. At verò Simoniæ macula, aut venditio rei ſpiritualis non ita ibi apparet: nam in primis gratia iam erat gratis facta, & deinde Giezi non petiit aliquid quaſi debitum, vel quaſi pretium pro ſanitate reſtituta, ſed petiit ex amicitia, & beneuolentia; hoc autem modo petere aliquid ab eo, cui ſpirituale beneficium factum, vel donatum eſt, non eſt vendere gratiam factam, nec eſt Simonia, vt conſtat, ergo. Minor ſupponatur nunc infrà enim tractanda eſt latè. Sumi verò poteſt ex cap. *Quam pio*, & capit. *Sicut Epiſcopum* 1. q. 2. Maior autem ex ipſa hiſtoria colligitur, nullum enim verbum Giezi protulit, quod exactionem pretij, aut rei debitæ indicaret. Et confirmatur: nam ſi Eliſeus recepiſſet illa dona à Naaman, quando illa offerebat, in rigore non committeret Simoniam, eſto non tam perfectè, & ſanctè ageret, ſicut fecit, illa reſpuendo. Probatur ex dictis iuribus, quia gratia iam erat facta ſine vllo pacto, vel vmbra illius, & donatio illa erat liberalis gratitudinis, vt oſtendunt verba illa: *Obſecro te, vt accipias benedictionem à ſeruo tuo.* Vnde Chryſoſt. in loco proximè citato introducit Naaman dicentem: *Accipe munera, quæ offero, non enim pretium curationis eſt iſtud, nec ſanitatem perceptam iſto munere redimo: quippe cum ſanitas iſta, quam merui, nec pretio poterit redimi, nec vllo munere inueniri.* Ergo nec Giezi poſtea commiſit propriam Simoniam accipiendo, etiamſi aliàs peccauerit. Patet Conſequentia, quia non aliter petiit, quàm veluti acceptando nomine Eliſei priorem oblationem ſibi factam, & ex noua occaſione mutando priorem voluntatem.

C. *Quam pio.* Cap. *Sicut.*

Chryſoſt.

7. Abulenſis. ſententia.

Hanc quæſtionem tractat Abul. 4. Reg. 5. q. 29. & tertio. Et in ſumma reſpondet, Giezi commiſiſſe Simoniam: non conuentionalem, vt conſtat, quia nullum pactum inter eum, & Naaman præceſſit, ſed realem cum intentione Simoniaca, quia petiit pecuniam pro ſanitate diuinitus collata, & ſub eadem intentione illam recepit. Nec refert (ait) quod

quod sanitas iam esset collata, & non per Giezi; sed per Eliseum, quia Simonia committi potest, si pecunia petatur pro spirituali iam dato, etiamsi priùs gratis datum fuerit; quia veluti retractatur prior liberalis voluntas, & in onerosam, seu vendibilem commutatur, quantum est ex parte sic petentis, quod sufficit ad Simoniam mentalem, & realem, etiamsi conuentionalis non præcesserit. Quod autem Giezi non dederit sanitatem, sed Eliseus nihil refert, nam petiit nomine Elisei quod perinde est. Verumtamen licèt doctrina, quantum ad ius attinet, sit vera supposita illa intentione, quæ Giezi attribuitur, tamen nec illa intentio probatur, nec ab ipso Giezi fuit expressa nec ex facto satis colligitur; quia etiam potuit Giezi illud postulare solùm, quia videbat Naamã fuisse paratum ad donandum gratis, & liberaliter, non tanquam satisfactionem, & compensationem pro sanitate offerenda, sed supposito beneficio gratis accepto in significationem animi grati, vel ad subueniendum gratis necessitatibus Elisei, vel in Religionem, & obsequium veri Dei, quem ex beneficio recepto cognouerat. Sicut ergo in Naaman hæc potiùs intentio, quàm alia præsumitur, & ideò excusatur ab omni Simonia, non solùm quando Eliseo obtulit pecuniã, sed etiam quando dedit Giezi, quia & eadem pia intentione dedit, & credidit ab Eliseo, piè etiam, & honestè petita etiam ex parte Giezi potuit factum illud fieri sine intentione Simoniaca inhærendo, vt dixi, liberalitati Naaman, quæ licèt per occasionem orta sit ex sanitate, non propterea erat mala, nec Simoniaca.

Difficultas.

Iansen.

Hilarion. Hier.

8. Dici ergo in primis posset speculatiuè loquendo hoc non repugnare: nihilominùs in tali persona, & cum talibus circunstantiis meritò præsumi Simoniacam intentionem in tali facto. Quia quãdo temporalis pecunia statim post beneficium datum postulatur, magna præsumptio est, pro illo postulari, & non liberaliter peti, sed exigi, vt quasi necessitate quadam alter dare compellatur. Et hæc præsumptio maior est, quando persona est iniqua, & in facto ipso ostendit immoderatum affectum extorquendi pecuniam, quocumque illicito modo possit. Hac ergo ratione præsumitur Simonia in Giezi, & non in Naaman. Et quod ad rem nostrã spectat, hoc satis esse posse. Nam saltem supponunt Doctores omnes factum illud etiã illo tempore, & sub illa lege fuisse prohibitum. Addi vero vlteriùs potest, factum illud fuisse re vera Simoniacum, quia omninò vitandum erat propter speciem Simoniæ, quam præseferebat. Propter quam causam probabile est, ipsum Eliseum noluisse acceptare illa dona, non solùm ex consilio, sed etiam ex obligatione, ne in factum, quod præseferebat speciem Simoniæ, consentire videretur. Quod significauit Iansen. in cap. 55. Concord. Euang. dicens: *Non conueniebat gratuita dona accipere, ne pietas conuerteretur in quæstum, & ne gratia Dei vileſceret.* Et ita plane sentiebat Sanctus Hilar. apud Hieron. in Vita eius, quando Orionus nobilis, à quo ipse legionem Dæmoniorum expulerat, *Post nonnullos dies ad ipsum redit dona offerens. Cui Sanctus: Non legisti, quid Giezi, quid Simon passi sint, quorum alter accepit pretium, alter obtulit, vt ille venderet gratiam Spiritus sancti, hic mercaretur: tumque Orionus flens diceret: Accipe, & da pauperibus, respondit: Tu melius potes tua distribuere.* Et subiungit infrà: *Noli contristari fili: quod facio, pro me, & pro te facio; si enim hæc accepero, & ego offendam Deum, & ad te legio reuertetur.*

9. Examinatur factum Balaam.

Num. 22.

Secundum exemplum affertur de Balaam, qui prophetandi munus vendebat: vt ex Num. 22. colligi potest, nam mercede conductus ibat ad maledicendum Israel. Quod notauit Hugo de S. Victor. lib. 2. de Sacram. p. 10. c. 2. & Adrian. Quodlib. 9. art. 2. vbi ait, aliquos Doctores ob hanc causam vocare Simoniacos Balaamitas. Hoc etiam exemplo vtitur Victoria dicta Relect. nu. 11. & ad hoc afferunt verba Petr. 2. Epist. cap. 2. *Derelinquentes rectam viam, errauerunt, secuti viam Balaam ex Bosor qui mercedem iniquitatis amauit:* Et illa Iudæ. *Error Balaam mercede effusi sunt.* Verumtamen in illo facto, & in his testimoniis nullum vestigium Simoniæ inuenio. Nam Balaam non fuit vocatus vt propheta Dei, sed vt Ariolus, nec ad veritatem aliquam reuelandam, vel gratiã conferendam, sed ad maledicendum populo Dei, vtendo maleficiis, & inuocatione Dæmonum, qui Dij falso putabantur. Ergo non magis fuit Simoniacus, quam possint nunc Simoniaci dici malefici, qui operas suas ad auguria, vel maleficia facienda turpissimè vendunt. Fuit ergo in Balaam præter idololatriam, & vitium ariolandi, auri, & argenti magna cupiditas, & propter hanc cupiditatem, licet semel esset correptus à Deo, & prohibitus, ne iret ad maledicendum populũ, nihilominùs iterum ire tentauit, & Deus iratus contra illum, non eum ire permisit. Et fortasse hanc eius cupiditatem Rex Balac prænouerat, & ideò quamuis semel repulsam ab illo passus fuerat, iterũ eum inuitauit, & maiora dona promittens tandem eum corrupit. Hæc ergo peccata eius Scriptura clarè indicantur, & reprehenduntur, & notantur ab August. quæst. 48. in Num. & serm. 103. de Tempore, & ab Anast. Nicæn. q. 32. De alio autem Simoniæ vitio nullibi inuenio illum reprehensum. Nam verba Petri, & Iudæ valde generalia sunt. Amare enim *mercedem iniquitatis*, de quocumque verè dicitur, qui mercede conductus ad iniqua perpetranda inducitur, nam de Iuda dixit idem Petrus quod *possedit agrum de mercede iniquitatis.* Et eodem modo optimè dicitur *Balaam mercede effusus*, non quia spiritualia vendidit, sed quia summam iniquitatem, & conatum maledicendi per falsas artes vendidit. Ibi ergo nec inuenitur Simonia, nec reprehensio eius. Nec Abulens. Num. 22. 23. aut 24. illam notauit. Et alibi 4. Reg. 5. quæst. 35. ait, de nullo alio ante Giezi legi, quòd fuerit Simoniacus, sed illum fuisse primum, & ideò fuisse grauiter punitum, cum tamen præcessissent Balaam, in illo ergo tale vitium non agnouit.

Hug. Tit. Adrian. Victor.

2. Petr. 2.

In eo non fuisse Simoniam resoluitur.

Augusti. Anast. Nic.

Abul.

Tertium exemplum adduci solet ex lib. 3. Reg. 13. vbi de Ieroboam dicitur. *Feci de nouissimis populi sacerdotes excelsorum, quicumque volebat, implebat manum suam, & fiebat sacerdos excelsorum, & propter hanc causam peccauit domus Ieroboam, & deleta est.* Et fortasse propter hunc locum dixit Tarasius in dicto cap. *Eos*, Simoniam esse damnatam in 3. Regum, sicut in 4. Estque valde considerandum, quod illi sacerdotes, quos Ieroboam faciebat, non erant veri sacerdotes sed falsi, sacrilegi, & idololatræ: & tamen ex suppositione falsæ apprehensionis, & conscientiæ erroneæ, venditio illa reprehenditur. Sed in hoc exemplo supponitur Ieroboam vendidisse illa sacerdotia; & videtur colligi ex verbis illis: *Qui volebat implebat manum suam*, id est manum Ieroboam implebat pecunia: sicque multos Sanctos exposuisse, refert Abulens. ibi quæst. 41. Ipse verò longè alium putat esse sensum, quia non est sermo de manu Ieroboam; sed de manu sacerdotis, seu eius, qui volebat fieri sacerdos dicitur autem implere manum, non quia pecuniam acciperet, sed quia consecrabat, & initiabat manum

10. *3. Reg. 13.* Factum Ieroboam exponitur, & resoluitur ibi non fuisse Sim. *Tharas. Cap. Eos.*

Abul.

num ſuam applicando illam ad ſacrificia, iuxta ſuos falſos ritus. Qui ſenſus mihi valde placet. Et
2. Paral.13. videtur apertè declarari 2. Paral. 13. vbi Abia exprobrabat Iſraelitas dicens: *Eieciſtis ſacerdotes Domini, & feciſtis vobis ſacerdotes*, &c. declarans autem modum addit: *Quicumque venerit, & initiauerit manum ſuam in tauro de bobus, & in arietibus ſeptem, fit ſacerdos eorum, qui non ſunt Dij.* Hoc ergo exemplum nihil etiam probat.

11. Iaſonis factum Simoniacum fuit.

Quartum, & certum exemplum ſumitur ex
2. Mach. 4. 2. Machab. 4. Vbi refertur Iaſonem ambiiſſe ſummum ſacerdotium, & pro illo obtinendo cum aliis facultatibus, & prærogatiuis, obtuliſſe regi Antiocho multa talenta argenti. Et deinde additur, multa mala inde eueniſſe, *propter impij, & non ſacerdotis Iaſonis nefarium, & inauditum ſcelus.* Et poſtea refertur Menelaum quendam aucta promiſſione maioris pretij ſacerdotium obtinuiſſe, eiecto Iaſone. Illud autem factum ſine dubio ibi narratur vt prauum, & ſacrilegum, ac ſubinde, vt habens veram prauitatem Simoniæ, & ab eo tempore creditur hoc vitium percrebuiſſe inter Iudæos, & vſque ad Chriſti tempora duraſſe; indéque ortum eſſe, vt ſummum ſacerdotium, quod antea perpetuum erat annale eſſe incœperit, ſicut
Ioan. 11. & 18. ex Euangelio colligitur: nam Ioan. 11. & 18. Caiphas dicitur, *Pontifex anni illius.* & Luc. 3. dicun-
Luc. 3. tur Annas, & Caiphas principes ſacerdotum, quia alternatim per annos pontificatum adminiſtrabãt, quem largitionibus à Romanis obtinuerant,
Abul. vt ſentit Abulenſ. 4. Reg. 5. q. 39. vbi ait, Romanos ob maiorem quæſtum feciſſe, vt ſummum ſacerdotium per annos adminiſtraretur. Quod colligi
Ioſeph. poteſt ex Ioſeph. lib. 18. Antiq. c. 3. Aliàs 4. Quamuis enim ibi nõ faciat expreſſam mentionem venditionis Pontificatus, refert tamen frequentem mutationem factam auctoritate Præſidum Gentilium, quã veriſimile eſt, non fuiſſe factam ſine mu-
Iſidor. Pel. nerũ largitione. Vnde refert Iſidor. Pel. li. vlt. Epiſt. 315. Caipham emiſſe Pontificatum. Illæ verò emptiones non ſine magno ſcelere fiebant, quia erant contrariæ legi præcipienti, vt ſummum ſacerdotium in filiis Aaron permaneret iure perpetuo. Quòd autem illud peccatum eſſet etiam proprium ſcelus Simoniæ, ex lege naturali probatur, quomodo autem ex lege etiam ſcripta colligi poſſit, ſtatim videbimus.

12. Soluuntur obiectiones ſupra poſitæ.

Ad obiectiones ergò in principio ſumptas ex
Gratian Cap. Iudices. Hieronym. Scripturas, reſpondet Gratianus in cap. *Iudices*, 23. 1. quæſtione prima ex Hieronymo Micheæ 3. non ſanctos, ſed malos prophetas ſolitos fuiſſe pretium pro ſuo munere poſtulare, illóſque valde reprehendi in eadem Scriptura, vt paulo poſt dicemus. Ad illud verò dictum Saulis, & pueri eius, reſpondet in primis Hieronymus, licèt inter ſe ita confabulati fuerint, poſtea verò auſos non fuiſſe aliquid offerre Prophetæ. Quin potiùs Samuelem liberaliter illos hoſpitio excepiſſe, & non ſolùm gratis reſpondiſſe, ſed etiam ad cænam inuitaſſe. Deinde addit, etiamſi Prophetæ datum fuiſſet tale aliquid, quale illi cogitabant, illud non potuiſſe vt pretium offerri, fuiſſet enim vile pretium, & indignum tanto propheta; fuiſſet ergo per modum piæ oblationis pro templo, vt Hieronymus ait, vel per modum ſtipendij, ſeu eleemoſynæ, ſicut nunc datur ſacerdoti Miſſam dicenti. Simili modo reſ-
Gratian. pondet ibi Gratianus ſub nomine Hieronymi ad factum vxoris Ieroboam, attuliſſe illa munera non in pretium, ſed per modum eleemoſynæ ad ſuſtentationem prophetæ. Hæc tamen reſponſio in Hieronymo non legitur. Quia ille abſolutè reſpõdet,

A Prophetam non accepiſſe illa munera, ſed potius fœminam corripuiſſe. Et probabiliter coniectat, illam ex praua conſuetudine deferendi ſimilia munera ad Augures, & Diuinos, cogitaſſe etiam Sanctum Prophetam illis fuiſſe mouendum ad reuelandum, quod illa deſiderabat.

13. Daniel nullam Simoniam commiſit.

De Daniele nulla eſt difficultas; num ex cap. 5.
Dan. 5. ſatis colligitur, quam liberum haberet animum ab his muneribus, & honoribus humanis; nam Regi Balthaſar multa offerenti reſpondit: *Munera tua ſint tibi, & dona domus tuæ alteri da; Scripturam autem legam tibi Rex, & interpretationem eius oſtendam.* Et nihilominùs, iubente Rege, poſt auditam interpretationem, *Indutus eſt Daniel purpura, & circundata eſt torques aurea collo eius, & prædicatum eſt de eo, quòd haberet poteſtatem tertius in regno ſuo.* Aliud eſt ergo dona recipere quaſi in pretium, vel commutationem prophetiæ, quod Daniel non fecit; aliud propter magnam perſonæ exiſtimationem, & admirationem conceptam ex ſapientia, & reſponſis eius, eleuari quaſi per potentiam regiam ad excellentem dignitatis gradum cum muneribus, & honoribus illi conuenientibus, quod Danieli contigit, ſicut de Ioſeph poſtea videbimus. Eodem ergò modo accipienda ſunt, quæ cap. 2. narrantur: Ibi enim nulla promiſſio donatum ex parte Regis præceſſit, & ideò nec ex parte Danielis potuit refutatio illorum præcedere, ita tamen locutus eſt, vt nihil ſibi attribueret, & conſequenter vt nihil etiam ſibi appeteret, dicens: *Eſt Deus in cœlo reuelans myſteria, qui indicauit tibi Rex, quæ uentura ſunt, &c.* & infrà: *Mihi non in ſapientia, quæ eſt in me, pluſquam in cunctis viuentibus Sacramentum hoc reuelatum eſt, ſed vt interpretatio regi manifeſta fieret.* Quibus verbis ſatis oſtendit ad hoc ſibi fuiſſe datam illam cognitionem, vt eam reuelaret, & nihil aliud in eo facto quæſiiſſe, niſi diuinam voluntatem implere. Poſtea verò Rex non quaſi recompenſans beneficium, ſed ex cognitione veri Dei concepta, & admiratione perſonæ, Danielem ſublimauit, atque ditauit. Quod ſicut non fiebat ſine ſpeciali Dei prouidentia, ita etiam veriſimile eſt, vel fuiſſe factum à Rege cum tanto imperio, & potentia, vt Daniel reſiſtere non potuerit, vel certè Danielem ex diuina inſpiratione intellexiſſe, id tunc fuiſſe conueniens ad Dei gloriam, & ſui populi conſolationem, & eleuamen; & ex eodem principio exiſtimo ortum fuiſſe, vt Daniel pro tribus ſociis apud Regem interceſſerit. Quæ omnia conſona ſunt his, quæ D. Hieronymus ibi contra Porphy-
Hieronym. rij calumnias commentatus eſt.

14. In lege veteri ſatis hoc vitium fuiſſe prohibitum.

Ad rationem in primis dicimus vitium hoc ſufficienter fuiſſe in lege prohibitũ, cum Exod. 23. dicatur: *Non accipietis munera, quæ excæcant etiam prudentes, & ſubuertunt verba iuſtorũ.* Deinde cùm Deus in illa lege tam copiosè prouiderit, ac deputauerit bona, ex quibus ſacerdotes viuere deberẽt, vt decimas, primitias & alias oblationes, & ſacrificia, ſatis per hoc præcepit eis, vt ſine pretio, & mercede ſpiritualia miniſtrarent: imò virtute illis prohibitum erat, vt nec alia, neque aliter exigerent, quàm per legem inſtitutum erat. Et ideò 1. Reg. 2. grauiſſimè
1. Reg. 2. reprehenduntur filij Heli, quia venientes ad ſacrificandum in templo cogebant carnem crudã dare,
Matth. 15. vel aliter quàm lex diſponebat. Et Chriſtus Matth. 15. reprehendit Scribas, & Phariſæos, eo quòd munera acciperent, & approbarent, per traditionem hominum contra legis mandatum. Denique hac de cauſa grauiſſimè reprehenditur hoc vitium in illa lege per Prophetas Micheæ 3. vbi priùs ad
Mich. 3. Principes, & Duces populi (ſub quibus etiam ſine dubio

dubio ſacerdotes comprehenduntur) dicitur. *Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum deſuper excoriauerunt, tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos, &c.* Quibus verbis exactiones iniquæ iudicum, & ſacerdotum reprehenduntur. Quod benè Chaldæus ſine figura dixit, *Violenter facultates populi ab eo rapientes, & pecunias eorum tollentes.* Vt ibi Ribera notauit afferens ſimilia loca Ezech. 34. Ierem. 23. Zach. 11. Quæ de Sacerdotibus loquuntur: In his ergo reprehenſionibus à fortiori Simonia comprehenditur. Et clariſſimè in eodem loco Michææ de Prophetis additur. *Siquis non dederit in ore eorum quidpiam, ſanctificant ſuper eum prælium*; & infrà: *Principes eius in mercede docebant, & Prophetæ eius in pecunia diuinabant.* Ac denique Ezech. 22. Prophetæ reprehenduntur, *eo quòd opes, & pretium acceperunt.* Satis ergò conſtat, quàm fuerit deteſtabile hoc vitium in illa lege; & quo minùs expreſsè in illa lege prohibebatur, eò euidentiùs conſtat, quàm fuerit diuino, ac naturali iuri contrarium.

Ribera. Ezech. 34. Zach. 11.

Ezech. 22.

CAPVT VI.

An in lege naturæ habuerit etiam locum Simoniæ vitium, fuerítque prohibitum.

1. Pars negatiua proponitur.

DE illo antiquiori tempore poteſt eſſe nonnulla maior dubitandi ratio, quia in eo non videntur fuiſſe ſpiritualia dona, de quibus rem facile poſſit per lumen naturale cognoſci, illa vendere, aut emere intrinſecam malitiam continere. Vnde hîc etiam non deſunt exempla, quæ oppoſitum ſuadere videantur. Nam Abraham ſepulturam emit Gen. 23. quæ emptio nunc Simoniaca eſt, & Iacob à ſuo fratre Eſau Sacerdotium emit, Gen. 25. Emit enim primogenituram, cui tunc erat ſacerdotium adiunctum, vt eſt communis traditio. Ioſeph etiam Geneſ. 40. poſt ſomnij interpretationem dixit ad pincernam Pharaonis. *Tantùm memento mei, cùm tibi bene fuerit.* Vbi videtur beneficium temporale poſtulaſſe pro actu interpretãdi, qui propheticus erat, & ſpiritualis. Et cap. 41. Principatum Ægypti acceptauit Ioſeph, quem videtur Pharao illi dediſſe propter gratiam interpretandi ſomnia. Et confirmatur, quia ſi in lege naturæ fuiſſet hoc vitium, etiam nunc inter infideles eſſe poſſet, quia illi tenentur ad totam legem naturalem: Conſequens videtur falſum; quia in illis non ſunt gratiæ, nec ſupernaturalia dona, quomodò ergo poſſunt Simoniam committere. Et ſimile argumentum ſumi poteſt de homine creato in puris naturalibus, in quo naturalis ratio ſuam vim haberet, & ita haberet integram naturalem legem, & tamen in eo non haberet locum Simonia propter eandem rationem, quia non haberet ſupernaturalia dona.

Geneſ. 25. *Geneſ. 25.* *Geneſ. 40.* *Geneſ. 41.*

2. Duplex acceptio ſtatus legis naturę.

Priuſquam reſpondeamus, oportet in memoriam reuocare, ſtatum legis naturæ dupliciter accipi, vno modo vt lex naturæ dicit ſolam rationem naturalem puram, vt per naturale lumen intellectus dictari poteſt, alio vt dicit rationem ipſam vt eleuatam per fidem, & prout ſic eleuata poteſt dictare de agendis, vel vitandis per dictamina connaturalia ipſi fidei, & lumini ſupernaturali. Hoc ergo loco ſtatum legis naturalis hoc poſteriori modo ſumimus; nam ſupponimus vt clarum, in illo fuiſſe ſpiritualem materiam, circa quam ſolet verſari Simonia, nam in illo fuerunt etiam gratiæ gratis datæ, vt Prophetia, fuit etiam ſacerdotium, & aliquod ſacramentum, & ſacrificium, oratio, & aliæ ſpirituales functiones. De ſtatu autem legis naturæ priori modo ſumpto, ſeu puro; paulò inferiùs pauca dicemus.

3. In lege naturæ Simonia potuit committi.

Hoc ergo ſuppoſito, dicendum eſt, vitium Simoniæ committi potuiſſe in tempore legis naturæ, prout fuit in hominibus fidelibus ante latam legem Moyſi, vel etiam poſt illam, in his qui non erant de ſtirpe Abrahæ per Iſaac, & Iacob. Nam in illo tempore (vt dixi) etiam erat materia ſpiritualis de ſe ſufficiens ad hoc vitium, ergo ibi etiam committebatur tale vitium, ſi venditio, vel emptio circa talem materiam fiebat, quia habebat eandem malitiam, quæ non poſitiuo iuri, ſed Diuino, ac naturali ex vi luminis fidei contraria eſt. Vnde etiam nonnulla exempla Simoniaca illius temporis communiter recenſentur, quæ breuiter expendenda ſunt.

4. Gen. 23. D. Thom.

Primum eſt de Ephron, qui Abrahæ vendidit locum ſepulturæ Geneſ. 23. Quod innuit D. Thomas dicta quæſt. 110. art. 4. ad 3. Sed de facto nullum ibi fuit veſtigium Simoniæ ex parte Abrahæ, nec fortè ex parte Ephron. Tum quia non conſtat, illum agrum fuiſſe ante deputatum ad ſepulturam: imò veriſimilius eſt, neminem antea fuiſſe ibi ſepultum, ideò enim Abraham locum illum elegiſſe videtur, vt haberet locum ſepulturæ ſeparatum à ſepulchris Gentilium, vt ibi notant expoſitores. Tum etiam quia licèt iam ille locus quoad ſpeluncam eſſet ad ſepeliendum deſtinatus, poterat ager vendi condigno pretio habens adiunctam, & quaſi annexam talem ſpeluncam. Tùm etiam quia ipſamet ſpelũca potuiſſet emi, & vendi pro valore ipſius terræ, nulla habita ratione illius deputationis, vel quaſi conſecrationis. Nam vt infrà dicemus, etiam nunc poſſet vendi, ſi per ius canonicum prohibitum non eſſet, ſicut calix vendi poteſt ratione materiæ. Dicit tamen Hieronymus in quæſt. Hebr. in Geneſ. ad ca. 23. Ephron, *Poſtquam victus eſt pretio, vt ſepulchrum venderet argento, licet cogente Abraham,* poſtea vocatum eſſe Ephran. *ſignificãte ſcriptura non eum fuiſſe conſummatæ perfectæq; virtutis, qui potuerit memorias vendere mortuorum.* Sed quicquid de hoc ſit, non dicit Hieron. ibi interueniſſe peccatum. De poſſibili verò, ſeu ex hypotheſi, addit Diuus Thomas, quòd quia inter Gentiles loca ſepulchrorum Religioſa reputabãtur, ſi Ephron intendit accipere pecuniam tanquam pretium pro loco ſepulturæ, peccatum commiſit, vtique Simoniæ, licèt Abraham non peccauerit emens, vel quia non intendebat dare pretium, niſi pro communi terra, vel quia redimebat ſuam vexationem, Sed certè ſi Ephron peccaret, vix poſſet excuſari Abraham, primum quia ibi nulla erat vexatio, poterat enim Abraham alium locum quærere, vbi ſuum mortuum ſepeliret, nec ſatis erat, emere bona intentione ſi alter Simoniacè vendebat, non enim licebat cooperari illi, nedum illum inducere. Dicendum ergo videtur, Abraham rectè egiſſe, & nullam habuiſſe rationem præſumendi in alio malam intentionem, quia ſolum petebat pretium, quod terra ipſa valebat, nec augebat, pretium propter ſolum titulum ſepulturæ. Vnde licèt inter Gentiles locus ſepulchri ſacer, & Religioſus haberetur, non ideò erat prohibitum vendere locum ipſum materialem iuſto pretio, quia neque id ex natura rei malum eſt, nec eſt, cur fingatur tunc aliquo iure humano fuiſſe prohibitum, ſed ad ſummum poterat eſſe malum augere pretium ex illo ſolo titulo, quòd eſſet locus ſepulturæ, vel pretio vendere vſum talis loci ad ſepeliendum aliquem. Et hoc ſignificat D. Thomas eſſe contra legem naturalem, quod an ita ſit, infrà tractando de materiis Simoniæ videbimus: nam

Ephrõ ſepulturæ locum Abrahæ vẽdens Simoniam non cõmiſit.

Hieron. D. Thom.

nam in casu, de quo tractamus, non est talis excessus A commissus, quantùm ex textu scripturæ colligi potest.

5. *Genes. 25. D. Thom.* An Esau primogenituram vendendo Simoniacus fuerit.

Aliud frequens exemplum est de Esau, qui primogenituram vendidit fratri suo Iacob, Genes. 25. Ita etiam sentit D. Thomas in dicta solut. ad 3. vbi accusat Esau tanquam Simoniacum, excusat autem Iacob, quòd suam redemit vexationem nam ius primogenituræ ad ipsum pertinebat donatione diuina. Non ergò acquisiuit aliquod spirituale ius per illam emptionem, sed abstulit impedimentum, quod frater sibi obiicere poterat propter antecessionem Natiuitatis. Hæc ferè D. Thomas, quæ Caietanus latiùs prosequitur, & præsertim dubitat, quomodo possit excusari Iacob à culpa, si Esau Simoniam commisit, quod certè non paruam habet B dubitationem propter quam idem Caiet. Genes. 25. in dubium vocat totum fundamentum huius quæstionis, nimirum, quòd primogenitura tunc haberet annexum sacerdotium, vel aliquid spirituale. Et Oleaster ibi vlterius progressus id negare non dubitauit, sumitque argumentum ex eo, quòd Abel non fuit primogenitus, & tamen erat sacerdos, sacrificium enim obtulit. Hoc verò fundamentum parui momenti est. Tum quia Hieronymus statim citandus significat, morem illum, quòd primogenitus esset sacerdos summus, incœpisse post diluuium. Tum etiam quia non repugnabat, secundò genitum esse sacerdotem, sed non summum. Tum denique quia non constat oblationem Abel fuisse proprium, & publicum sacrificium, po- C tuit enim esse simplex oblatio, & priuata, quæ à non sacerdote fieri potest.

Caiet. An primogenitura. Esau haberet annexum sacerdotium.

Oleaster.

Hieron.

6. Affirmatiua pars vera resoluitur. *Hieron. Clemens. Augustin. D. Thom. Abul. Lippom. Perer. Genes. 25.*

Quapropter non est facilè neganda antiqua traditio, quam refert, eique fidem adhibet Hieronymus epist. 126. ad Euagri & in Tradit. Hebr. ad ca. 14. 27. & 49. Genes. Præsertim cùm eandem significet Clemens lib. 8. Constit. cap. 5. & Augustinus in Psalm. 46. quos ferè omnes posteriores Doctores secuti sunt, vt D. Thomas supra, & ad Hebr. 12. Abul. Genes. 25. & 27. & ibi Lippom. Et benè Benedictus Perer. Genes. 25. disput. 8. qui id conatur probare ex 19. Exod. quia ibi dicitur. *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur.* Ex quo loco rectè probatur, fuisse sacerdotes in populo Dei ante institutum Leuiticum sacerdotium, sed non pro- D batur, illos fuisse primogenitos. Potuerunt enim aliter esse electi à populo, vel designati per Moysen, vt ex cap. 24. Exodi potest coniectari. Et (quod caput est) inde non habetur, illos fuisse summos sacerdotes, sed communes. Nam summus Sacerdos tunc reuera erat Moyses, vt ex capit. 24. & aliis locis satis constat. Apparentiùs id probat idem Auctor ex Paulo, de quo statim dicetur.

Exod. 24.

7. Esau Simoniam cõmisisse statuitur vt probabile. *Hebr. 12. Leu. 10.*

Hoc ergo fundamento posito, opinio D. Thom. proposita satis recepta est: & confirmari maximè solet ex Paulo ad Hebræos 12. Qui appellat Esau *Profanum, qui propter vnam escam vendidit primitiua sua.* Nam profanus idem est, quod irreligiosus, & res sacras non curans, & ideo in Scriptura profa- E nus Sancto contraponitur. Leuit. 10. *Vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum, & profanum, inter pollutum, & mundum.* Vocans ergo Paulus profanum Esau, in hoc satis indicat, sacram rem violasse, vendendo primogenituram, ac subinde Simoniacum fuisse. Et fauet ibi Chrysost. Homil. 31. Nam Esau vocat *Mundanum vendentem spiritualia*: idémque indicauit August. in dicta enarrat. Psalm. 46. dicens, quòd *Esau per gulam perdidit primogenita sua, nam plus amauit, quod corporaliter concupierat, quam quod spiritualiter prius nascendo meruerat.* Si enim primogenitura tantùm esset quid naturale, & temporale, ratione illius non posset dici Esau aliquid spiritualiter meruisse nascendo; dum ergo Augustinus dicit spiritualiter, significat rem illam fuisse spiritualem, & consequenter venditionem eius fuisse Simoniam.

Chrys.

August.

8. Quo pacto ex vi legis naturalis vēditio illa Simoniaca fuerit.

Sed licèt hæc sententia probabilis sit, tamen quia hic non tam est agendum de accusatione, vel excusatione personæ, quam de ipso facto, & iure illius secundum se, sic non caret illa sententia difficultate in explicando, quomodo ex vi legis naturalis venditio illa Simoniaca fuerit, etiam si eo tempore primogenituræ esset coniunctum summum Sacerdotium. Et ratio difficultatis est, quia negari non potest, quin primogenitura secundùm se sit tantùm proprietas quædam naturalis, seu naturalis dignitas, vt eam vocat Chrysostomus Homil. 51. in Genes. Cui coniunctæ erant per ratiocinationem humanam, & quasi ex iure Gentium multæ commoditates, seu prærogatiuæ, & honores, ac vtilitates humanæ, & temporales: plures, vel pauciores iuxta varias consuetudines, vel leges humanas, vt indicauit Glossa in cap. *Quam periculosum*, 7. quæst. 1. Et latè Tiraquel. de Iur. primogen. in Præfatione. Vbi specialiter à numer. 12. tractat de Primogenitorum prærogatiuis in illis antiquis Patribus, & inter Iudæos, & num. 17. & 18. addit munus sacerdotale, referendo Hieronymum, & alios. Supponebatur ergo primogenitura naturalis, & ciuilis, seu humana, vt sic dicam, & illi coniungebatur ius Sacerdotale, vel ex ordinatione diuina, vel ex traditione populorum fidelium. Negari autem non potest, quin ius primogenij secundùm se spectatum, & secluso adiuncto spirituali, habeat humanam æstimationem, secundùm quam venale sit, & commutabile pro alio temporali bono: nam totum illud commodum primogenituræ, licèt in naturali prioritate natiuitatis fundatum sit, transferri potest in alium, quia non est necessariò coniunctum naturali illa prioritate. Item est pretio æstimabile, quia simpliciter est temporale bonum, ergo est vendibile sine iniustitia, vel alia intrinseca iniquitate, vt latè etiam ostendit Tiraq. suprà qu. 28. & 29.

Chrys.

Tiraq.

Ratio dubij.

9. Bene potest intelligi vēditio primogenituræ Esau, quin vēderetur ius spirituale.

Igitur licèt primogenituræ fuerit annexum sacerdotium, poterat vendi sine Simonia, stando in iure naturali ratione materialis per se spectati, non habendo rationem ad spirituale in computatione, vel æstimatione pretij. Quod facillimè intelligetur in venditione Esau, nam pretium fuit tam vile, vt nec ad materiale soluendum per se sufficeret, vt statim attingam. Prior illatio infrà est generaliter tractanda, nunc breuiter patet, tum ratione, quia materiale non amittit valorem suæ commoditatis, & vtilitatis temporalis propter spirituale adiunctum, tum exemplis, quia hoc modo sine Simonia venditur calix ratione materiæ, & venditur villa, seu fundus, cui adhæret ius patronatus, & non propterea venditur ipsum ius patronatus licèt cum fundo transferatur, nec per se vendi possit. Ita ergo rectè intelligitur venditio primogenituræ sine venditione iuris spiritualis. Et hoc exemplo illam declarat Lippoman. Genes. 25. & consequenter illam à labe Simoniæ excusat. Idémque habent Archid. Hug. & Laur. in dicto capit. *Quàm periculosum.* Et certè Glossa idem sentit (quicquid ibi dicat Turrec. art. 5.) nam, licèt referat Gandulfum dicentem Esau fuisse Simoniacum; ipse subdit, *Sed est contra cum caput. Qui studet* 1. qu. 1. *vbi Giezi dicitur fuisse primus Simoniacus.* Ad quod non respondet, sed

Lippom. Archid. Hug. Laur.

Cap. *Quam periculosum.* *Gloss. Turrec. Gandal.*

C. *Qui studet*

sed transit, vnde videtur obiectioni succumbere, & à Gandulfo recedere.

10. Turr. Nec cap. *Qui studet*, contemnendum est; nam licet Turrec. respondeat, Giezi fuisse primum Simoniacum in veteri lege, sed in naturali Esau fuisse primum: Nazian. tamen in dicto ca. non agit de veteri lege tantùm, sed de toto veteri Testamento. Re tamen vera non dicit Giezi fuisse primum, sed solùm probando malitiam Simoniæ ex vtroque Testamento adducit exemplum Giezi, & Simonis: & ita ex illo textu ad summum colligi potest argumentum negatiuum. Quod autem dicti Canonistæ negant Esau vendidisse ius spirituale, non ideo est, quia negent fuisse coniunctum cum primogenitura (vt Turrecr. eis imponere videtur) contrarium enim ex illis constat, & ex aliis multis, quos supra Tiraquel. refert; sed negant, annexionem illius iuris cum primogenitura, sufficere, vt vendita primogenitura, censeatur venditum spirituale ius, ad quod Turrecr. non respondet, neque ad rationem factam. Et sic videtur dixisse Chrysost. supra, Esau vendidisse dignitatem, quam à natura habebat. At sacerdotium non erat à natura, neque illius meminit Chrysost. non quia non esset, sed quia in venditione non venit.

Tiraquel.

Chrys.

11. Probabilius est in facto Esau nõ fuisse Simoniã.

Iuxta hunc ergo dicendi modum probabilius quidem videtur in illo facto secundùm se spectato, & in illo tempore quando iure tantùm naturali regulandum est, & non positiuo, per se, & intrinsecè in tali facto non fuisse Simoniam. Atque hoc modo facillimè defenditur, quomodo Iacob non peccauerit petendo à fratre, vt primogenituram venderet, quod aliàs, vt Caiet. dixit Genes. 25. difficilè esset; si venditio illa intrinsecè Simoniaca fuisset. Quia nunquam licet petere ab alio, quod ipse sine peccato præstare non potest, nec talis petitio potest honestari, quando is, à quo petitur venditio, moraliter non potest excusare Simoniam, si faciat, quod postulatur. Respondet tamen Caiet. in 2. 2. quæst. 100. art. 4. licèt verba Iacob sonarent venditionem, tamen sensum non fuisse petendi veram venditionem, sed traditionem rei, quæ sua erat, offerendo aliquid ad inducendam voluntatem Esau, quia aliter ab illo recuperare non poterat: quam doctrinam ait Caietanus extendi ad omnem redemptionem vexationis in hac materia. Sed de hoc videbimus postea: nunc solùm assero mihi non satisfacere pro præsenti casu. Quia Esau pro tunc non inferebat iniustò vexationem, nam habebat naturalem titulum, & possessionem primogenituræ cum consensu, & voluntate patris; vnde illi non constabat, illam pertinere ad Iacob, & se fuisse obligatum ex iustitia ad transferendam, & quasi restituendam illam. Et ideò in tali occasione, & cum talibus circunstantiis Iacob petebat ab Esau rem, quam sine peccato facere non poterat; quia per modum restitutionis, seu cessionis debitæ primogenituram relinquere non poterat; ergo cogebatur illam formaliter, ac propriissimè vendere, ergo inducebatur ad malum, quod vitare non poterat.

Caiet.

12. Sed ait Caiet. quod licèt Esau sciuisset diuinam ordinationem, non cessisset, sed in sua detentione perseueraſſet. At hoc diuinare est, & parùm refert, quia illa conditionalis de futuro nihil ponit nunc in esse, nec reddit hic & nunc culpabilem Esau in non restituendo, ergo nec reddit inculpabilem Iacob in petenda venditione, non prius instruendo fratrem de iure suo. Vt sit nunc aliquis bona fide haberet meum beneficium, non liceret statim offerre illi pretium, vt restituat, sed oporteret prius illi ostendere, quomodo beneficium non sit suum sed petentis. Eo vel maximè quod non constat, Iacob eo tempore habuisse iam ius in re, sed ad rem; nam Deus tantùm dixerat; *Maior seruiet minori*, quæ erat promissio de futuro, quæ non dabat ius in re, donec translatio maioratus cum effectu fieret, redemptio autem vexationis non habet locum, donec sit ius in re acquisitum, imò fortasse nec ante possessionem adeptam, de quo postea. At verò si illa venditio non erat Simoniaca intrinsecè, cessat facilè omnis difficultas, siue Iacob præuiderit, non fuisse faciendam ab Esau, sine graui peccato, siue non: nam satis erat, quod fieri posset moraliter sine peccato; nam Iacob vtebatur iure suo, & malitia alterius erat per accidens. Sicut etiam facilè excusatur Iacob vel ab iniustitia, quod tam vili pretio rem tantam emere voluerit, vel à crudelitate, non subueniendo gratis fratri in tanta necessitate constitututo; nam ille vtebatur iure suo, & rem sibi debitam postulabat, & vt sine iniustitia illam peteret pro vili pretio, satis erat, quod sibi de iure suo constaret, etiamsi alius ignoraret. Et eadem ratione non tenebatur dare gratis pulmentum. Maximè quia Esau non erat in vera necessitate, sed in intemperantissima cupiditate.

Quod verò spectat ad peccatum Esau, mihi curę non est de illo excusando, potuit enim ex praua intentione esse Simoniacus, volens vendere etiam ipsum spirituale ius, & hoc satis est, vt intelligatur etiam in illo tempore potuisse aliquam Simoniam committi. Contendo tamen pactum illud bona intentione factum, potuisse esse non Simoniacum, & ideò potuisse à Iacob simpliciter peti. Et quod ad generale ius pertinet, contendo venditionem temporalis rei non fieri Simoniacam iure naturæ, eo quòd sit antecedenter annexa ad ius aliquod spirituale, si pretium est commensuratum rei temporali & pro illa tantùm detur. Addo etiam nihil esse, quod in rigore cogat dicere Esau commisisse propriam Simoniam. Peccauit quidem per excessum gulæ, vt omnes Sancti tradunt; & maximè Greg. 3. Moral. cap. 27. August. 16. de Ciuit. cap. 3. Vbi ait excessisse *Per immoderantiam cupiditatis*, & in dicto Psalm. 46. ait per gulam perdidisse primogenita. Idem Chrysost. hom. 31. in ad Hebr. & ibi Theophi. & D. Thom. ibi etiam exponit, *Profanum*, id est, *gulosum*, non tam proprietatem vocis, quàm causam venditionis considerans. Præterea peccauit Esau vt prodigus, & vilis pro re vilissima nobilissimum naturæ donum, & valde honorificum, victus cupiditate, commutans, vt rectè notauit Lippom. adducens alios in Caten. Genes.

13. Quo pacto peccauerit Esau.

Gregor. August.

Chrysost. Theophi. D. Thom.

Lippom.

Tandem propter proprietatem vocis *profanus*, qua vtitur Paulus, fatemur, peccasse etiam Esau tamquam profanum, carentem Religionis spiritu, & affectu, & contemnentem ius primogenituræ. Itaque licet illud non vendidisset, prout spirituale erat, sicut explicuimus, contempsit tamen, & pro nihilo habuit, & ideò profanus fuit. Quamuis enim ius illud tantùm esset annexum primogenituræ, tamen ratione tantæ dignitatis (licèt non debuerit æstimari vt res digna temporali pretio) debuit haberi in maiori æstimatione spirituali, & consequẽter non ita cõtemni: meritò ergo profanus dicitur, qui ita illud contempsit. Quòd enim illam contempserit, ex verbis Genes. apertè colligitur, dùm ita concluditur. *Abiit parui pendens, quòd primogenita vendidisset.* Vbi Lippom. id est, *vili pendit primogenituram*, iuxta septuaginta, & Chaldaicum, *Et in hoc*, ait, *exaggerari peccatum Esau, quòd primogenita nihil faciebat.* Et Theophi. *Hæc*, inquit, *est profanatio contemptus diuina-*

14. Cur Esau profanus appelletur.

Genes. 25.

Theophi.

diuinarum rerum. Et de Esau ait *est helluo, vorax, mundanus, spiritualia profanans & conculcans.* Et hoc modo tacitè interpretatur verbum *Vendens*, quo Chrysost. vsus fuerat; Et ita etiam rectè intelligitur, quod Augustin. dixit, plus amasse corporalem cibum, quam spiritualia. Ex his denique etiam præsumi potest, omnia, quæ cum primogenitura coniuncta erant, vendere voluisse, nec inter spiritualia, & temporalia, seu naturalia differentiam fecisse, quod est propriissimè fuisse profanum. Et ita facilè possunt concordari opiniones, quantùm attinet ad personale factum, dummodò pro regula non sumatur, omnem venditionem similis materiæ necessariò esse simoniacam ex vi naturalis iuris.

Chrys. *Augustin.* Opiniones hæ quomodo possint concordari.

15. An possit dari Simonia in homine creato in puris naturalibus.

Ex his ergo satis constat, in lege naturæ potuisse Simoniam committi, quando res spirituales directè, & secundùm se vendebantur, vel pro temporalibus commutabantur. Hinc verò vlteriùs supererat dicendum de lege naturali pura, id est, vel qualis esset in homine creato in puris naturalibus, vel qualis nunc intelligi potest in Republica humana inuincibiliter ignorante totum ordinem gratiæ, & colente aliquo modo Deum. Sed hæc quæstio pendet ex maiori declaratione obiecti, seu materiæ, circa quam versatur Simonia: nam hypotheticè, seu sub conditione dicere possumus, quod si in illo statu inueniri poterat materia Simoniæ merè naturalis, vt sic dicam, etiam vitium inueniri posset aliquomodo, quia naturalis ratio haberet suam vim prohibendi negotiationem rerum sacrarum. Si autem è conuerso verum est, vt multi volunt, in illo statu non inueniri materiam Simoniæ, etiam est clarum neque tale vitium potuisse in illo statu locum habere. Quid autem de tali materia sentiendum sit, melius in cap. 8. definiemus.

16. Soluuntur rationes, quæ afferebantur in contrarium

Denique ex dictis solutæ ferè sunt rationes dubitandi in principio positæ. Negamus enim in lege naturali, prout fuit in hominibus fidelibus inuenta non esse supernaturalia dona, quæ possent esse materia Simoniæ; nam (vt dixi) tunc etiam erant supernaturalia dona gratiæ, & ministeria, de quibus dubitari non potest, quin sint sufficiens materia Simoniæ. Ad exempla autem de Abraham, & Iacob satis iam responsum est. Ioseph autem sine causa adducitur in exemplum; nam quando petiit misericordiam à Pincerna Pharaonis, nullum contractum cum illo fecit, nec aliquid per modum debiti exegit, sed gratis omnino somnium interpretatus est; deinde verò pium opus ab ipso misericorditer, & beneuolè efflagitauit. Et ita notat ibi Abulens. nihil pro interpretatione postulasse Ioseph. Sed solùm quasi eleemosynam postulasse, sicut illam postulare posset, etiamsi nullum beneficium alteri cõtulisset. Ille ergo (ait Abul.) non exigebat debitum; quamuis Pincerna teneretur ex gratitudine beneficium beneficio compensare. Augustin. verò sermon. 80. de Tempore. indicat, nonnihil defeciisse Ioseph à firma in Deum spe, petendo auxilium ab homine impio, in quo illum à culpa veniali non excusat; de vestigio autem Simoniæ illum nõ accusat, quod nobis satis est. Credo tamen nec per diffidentiam venialiter peccasse, quia non est contra debitam, & perfectam fiduciam in Deum vti mediis humanis moraliter occurrentibus, & accommodatis ad propriam miseriam subleuandam, seu ad vim, & iniuriam propulsandam, hoc autem in eo facto egit Ioseph. In alio verò loco euidentiùs est, Ioseph nihil temporale postulasse, sed Regem ipsum Pharaonem propria sponte dixisse, *Num inuenire poterimus talem virum, &c.* & elegisse illum ad illud munus non propter acceptam gratiam, sed propter hominis virtutem, & sapientiam. Meritò ergo potuit Ioseph dignitatem acceptare, imò & debuit, quia non ignorabat, illam fuisse Dei voluntatem. Ad vltimam confirmationem de homine in puris naturalibus iam responsum est.

Abul. *Augustin.*

CAPVT VII.

Sitne aliqua Simonia solo humano, seu Ecclesiastico iure prohibita.

1.

OMnia, quæ hactenus diximus, pertinent ad prius membrum diuisionis propositæ, quod erat, Simonia contra ius naturale; nunc de altero membro Simoniæ contra ius positiuum dicendum est: non enim deest circa illud controuersia. Nam Durand. in 4. dist. 25. quæst. 5. numer. 9. contendit, nullam esse Simoniam soli iuri positiuo contrariam. Probat primùm, quia id, quod est tantùm contra præceptum positiuum, solùm habet malitiam inobedientiæ, quia in talibus tota ratio malitiæ est præceptum, cui sola inobedientia opponitur, ergo si venditio, vel emptio solùm est mala, quia prohibita, erit tantum onobedientia, non Simonia. Maiorem videtur D. Thom. docere 2. 2. quæst. 104. art. 2. ad 1. Vbi ait, quædam esse quæ ad nullam aliam virtutem nisi obedientiæ pertinent, vt patet in his, quæ ideò sunt mala, quia prohibita; & eandem probat Durand. exemplis; quia qui in die ieiunij pluries comedit, solùm contra obedientiam peccat, & sic de aliis. Secundò argumentatur, quia vel res, quæ vendi prohibetur, est sacra, vel nõ est sacra: si est sacra, non solùm erit Simonia prohibita, sed ex natura rei talis erit, quia omnes rationes factæ ad probandum dari Simoniam contra ius naturale, probabunt idem de tali Simonia. Si verò res non est sacra, etiamsi iure humano vendi prohibeatur, venditio eius non erit vera Simonia, quia prohibitio illa non mutat rerum naturas, & ita nec facit, vt sit res sacra, quæ non erat, nec vt Simonia vera in alia materia versetur, quam in re sacra. Ne autem videatur glossis, & doctrinis Canonistarum contradicere, exponit solere huiusmodi contractus prohibitos per Ecclesiam, (quando, licet alias de se mali non sint, nihilominùs sub pœnis Simoniæ prohibentur,) Simonias appellari largo modo, & in ordine ad pœnas, non quia re vera prauitatem Simoniæ contineant.

Durand. Pars negatiua proponitur. *D. Thom.*

2. Propriã Simoniã dari posse Ecclesiastico iure prohibitam. *Palud.* *Soto.*

Nihilominùs dicendum est, non tantùm illo metaphorico modo, sed verè, ac propriè dari posse Simoniam, etiam si contra ius tantùm Ecclesiasticum & positiuum sit. Ita sentiunt glossæ, & Canonistæ relati capit. 2. qui hoc defendunt, specialiter contra Durandum, Palud. 4. dist. 25. quæst. 4. art. 2. Sot. lib. 9. Iust. quæst. 5. art. 2. Qui auctores solùm quibusdam exemplis declarant, vbi, quando, & quomodo hæc Simonia tantùm positiua inueniatur. Sed exempla non sufficiunt; tùm quia ferè omnia possunt esse dubia; & saltem Durandus dicet, in multis illorum esse Simoniam quoad pœnam, non quoad culpam, tum etiam quia oportet assignare regulam ad cognoscendam materiam huius Simoniæ, & prohibitionis, nam ex tali regula iudicandum est de exemplis, & sine illa, doctrina est incompleta, & insufficiens ad particulares quæstiones definiendas. Vt ergo res breuiter declaretur, & soluantur obiectiones Durandi, aduerto, duobus modis posse intelligi aliquam Simoniam esse de iure humano. Primô, quia res spiritualis, quę venditur, licet verè sacra, & spiritualis sit, tamen totam

crificium consistit in sacra actione, & ita potest hæc irreuerenter fieri, sicut illa, ergo sicut irreuerentia Sacramenti est sacrilegium, ita etiam irreuerentia sacrilegij, ergo numerandum esset sacrificium inter res sacras, quæ per sacrilegium violantur. Eadem interrogatio cum eadem dubitandi ratione fieri potest de oratione, quæ est etiam actio sacra, & irreuerenter fieri potest. Ad hoc breuiter dico, hîc non numerari illas actiones, quæ ipsum Dei cultum directè, & immediatè continent, quia irreuerentia, quæ in eis committitur, non est sacrilegium, sed aliud genus Irreligiositatis circa Deum, quæ vel ad superstitionem pertinet, vel ad eam reducitur. Et ratio est, quia talis irreuerentia Deo ipsi immediatè fit, non ipsi actioni tanquam B rei sacræ, qui enim orat inattentè, Deo ipsi irreuerentiam facit immediatè, & tanquam proximo obiecto *Cui*, & idem est de sacrificio; nam hi actus continent ipsum formalem cultum Dei. Actiones autem Sacramentorum non ita continent immediatum Dei cultum, sed sunt instrumenta, quibus sanctificantur cultores Dei, & ideò merito inter res sacras computantur, quæ per sacrilegium irreligiosè tractari possunt.

9. Quid de cõcione sacra dicendum.

Sed quid de concione sacra, seu verbo Dei; nam illud etiam videtur actio sacra, & non continet cultum Dei, sed etiam est instrumentum diuinum ad sanctificandos cultores Dei, & potest indignè, & irreuerenter tractari, ergo circa illud potest sa- C crilegium committi, & tamen à D. Thom. inter res sacras non numeratur. Ad hoc Caiet. dicta qu 99. dub. 2. fatetur, irreuerentiam factam Verbo diuino esse sacrilegium, tum quia per illud Deus nos sanctificat iuxta illud Ioan. 13. *Vos mundi estis, propter sermonem meum*, tum etiam, quia verba, & nomina sacra propter significationem sacram merentur aliquam venerationem, vt constat ex materia de Adoratione, & ex 7. Synodo can. 3. Quæ sententia mihi placet, præsertim quoad nomina Dei, Christi, & Sanctorum, quæ fortasse sub imaginibus comprehensa sunt à D. Thoma. Et idem censeo de proprio verbo Dei, vt est verbum Scripturæ canonicæ, quod religiosam reuerentiam meretur, quate- D nus singulari modo à Deo ipso dictatum est, & reputari potest tanquam reliquiæ ipsius Dei, & ideò adulterare hoc verbum, peruertendo illud, sacrilegium est, præterquamquod potest etiam esse blasphemia, & hæresis, vel participatio eius. Aliud verò verbum doctrinæ in tantum potest ad materiam Religionis pertinere, in quantum coniunctum est cum ipso verbo Dei, in cuius irreuerentiam redundat quicquid in sacra doctrina præsertim pro concione, indignè tractatur. Secluſa autem hac irreuerentia verbi Dei, alia peccata, quæ possunt in docendo committi, non pertinent, vt opinor, ad sacrilegium, quia illa actio non est ita propriè res sacra, vt venerationem aliquam reli- E giosam mereatur. Et ita videtur satis explicata tota materia sacrilegiorum, Simonia excepta, de qua posteà dicturi sumus. De variis autem modis, vel actionibus, quibus omnes istæ res sacræ violari possunt, diximus in variis locis de Sacramentis, tractando de illis; de vasis, & vestibus sacris in 3. tom. disp. 81. sect. 8. de imaginibus, & reliquiis in materia de Adoratione, de bonis Ecclesiasticis in Opusculo de Immunitate.

CAPVT VII.

De grauitate sacrilegij, & qualitate malitiæ illius, ac pœna eidem debita.

A EX dictis in præcedentibus capitibus constat hoc peccatum sacrilegij in omnibus tribus speciebus eius esse mortale ex genere suo, quia est contra excellentiam virtutem Religionis, & in omnibus speciebus habet materiam satis grauem vt patet facilè per illas discurrendo. Nam percussio Clerici ex genere suo grauis materia est, & similiter vsurpatio iurisdictionis in Clericum, vel cum ab illo tributum exigitur. Item violatio castitatis in persona sacra, per votum peccatum mortale est ex suo genere, vt constat. De violationibus etiam loci sacri satis hoc est declaratum in superiori tract. lib. 3. In tertio denique genere iniqua administratio, vel receptio Sacramentorum, ex suo genere peccatum mortale est. Peruertere etiam Scripturam ad confirmandos errores, grauissimum sacrilegium est, imò etiam illa abuti ad res turpes, & obscœnas, graue peccatum est. Sicut etiam vti vitiis sacris ad vsus profanos, seu communes. Denique occupare bona Ecclesiæ, vel iniustis oneribus illam grauare, clarum est esse ex suo genere graue peccatum. Est autem hoc verum, siue sacrilegium fiat ex directa intentione contemnendi, & inhonorandi res sacras, vt faciunt hæretici, siue fiat solùm ex voluntate libera propter alium finem, vel vtilitatem, vt delectationem humanam, quia vt circunstantia det specialem malitiam, non est necessaria formalis intentio, sed sufficit libera voluntas, vt ex prima secundæ constat.

1. Peccatum sacrilegij mortale est ex suo genere.

Potest autem hoc peccatum esse veniale duobus modis consuetis. Primò ex leuitate materiæ, vt Caiet. & omnes Summistæ verb. *Sacrilegium*, fatentur. Et ratio est, quia etiam si res sit sacra, potest irreuerentia eius esse leuis, vt per se constat, & disputando de Sacramentis, & de locis sacris, & sæpe aliàs tractatum est. Semper tamen necessarium est, vt absit contemptus, ita vt irreuerentia non fiat ex formali intentione inferendæ iniuriæ rei sacræ, tunc enim semper est mortale, & quantumuis iniuria leuis esse videatur, quia intentio illa continet magnam irreuerentiam. Item ad iudicandum de leuitate materiæ oportet considerare omnes circunstantias eius, & modum prohibitionis, vt an sub graui censura sit ab Ecclesia prohibita. Vt v. g. exigere ouum à Clerico in tributum, leue quidem apparet, si tamen consideretur ius, & potestas quæ vsurpatur, grauis materia est: similiter violéter detinere Clericũ breui tempore in ratione nocumenti, vel corporalis iniuriæ, leue reputatur, & nihilominùs, considerata immunitate Clerici sufficit ad graue sacrilegium, iuxta capit. *Nuper* de Sent. excom. & ea, quæ diximus in 5. to. disp. 22. sect. 1. nu. 25. & sequent. Secundò potest hoc peccatum esse veniale propter inaduertentiam, quæ licèt non sit omninò inuoluntaria ratione negligentiæ, tamen illa est leuissima, & ita actus non plenè deliberatus est, & ideò non est peccatum mortale.

2. Peccatũ hoc potest esse veniale, ex leuitate materiæ, & ex inaduertentia. *Caietan.*

Cap. *Nuper.*

Tria verò mihi supersunt explicanda circa malitiam sacrilegij. Primum est, An hoc peccatum sit semper commissionis, vel possit etiam esse omissionis? Videtur enim sacrilegium intrinsecè requirere positiuum actum, quo res sacra irreuerenter tractetur; & ideò semper esse peccatum commissionis. Item hoc peccatum est contra præceptum negatiuum non violandi res sacras, ergo eil peccatum commissionis. Item aliàs omissio communionis, vel confessionis in tempore præcepti esset sacrilegium: consequens videtur falsum, quia cum res sacra, id est, Sacramentum tunc non sit non potest dici irreuerenter tractari.

3. An hoc peccatum possit esse omissionis.

4. Affirmatiuè resoluitur quæstio.

Nihilominùs dicendum est, aliquod peccatum omissionis, esse posse contra reuerentiam debitam rei sacræ, ac proinde sacrilegium. Probatur, quia interdum est sub præcepto affirmatiuo aliqua veneratio rei sacræ. Id constat ex c. 1. de Custodia Eucharistiæ, & c. *Sanè* de Celeb. Mis. vbi Clerici præcipiuntur custodire Eucharistiam clauibus adhibitis, idque sub graui suspensionis pœna trium mensium ab officio. Illud autem præceptum per solam omissionem violatur, vt constat. Item in eodem c. *Sanè* præcipitur omnibus; vt cum in Missa eleuatur hostia salutaris, se reuerenter inclinent. Omissio ergo illius adorationis peccaminosa est, & ad irreuerentiam omissiuam pertinet. Item in c. 2. de Custodia Eucharistiæ præcipitur, vt Oratoria, vasa sacra, vestimenta, palæ, & corporalia, nitida, & munda conseruentur: hoc autem sine commissione per solã omissionem violatur, quia sine culpa alicuius, hæ res paulatim sordescunt, & quia non mundantur, vel lauantur, præceptum illud violatur. Multaque similia peti possunt ex locis suprà citatis, in quibus ostendimus, quomodo veneratio aliqua, istarum rerum sub præceptum affirmatiuum cadat, contra præceptum autem affirmatiuum peccatur per omissionem, vt constat. Quòd autem hæc malitia pertineat ad sacrilegium, patet, quia est contra Religionem, & versatur circa rem sacram per defectum reuerentiæ illi debitæ, nec potest reduci ad aliud vitium ex his, quæ contra hanc virtutem numerantur.

Cap. 1. Cap. *Sanè*.

Cap. 2.

5. Soluuntur argumenta in contrarium adducta.

Ad primum ergo respondetur, in moralibus omissionem reuerentiæ debitæ, reputari irreuerentiam. Verum est etiam sacrilegium ordinariè committi per actum positiuum, & inde fortasse nominari; nihilominùs tamen interdum incurri posse per omissionem. Vnde ad secundum dicitur, licèt sæpiùs sacrilegium sit contra præceptum negatiuum interdum etiam esse contra affirmatiuum. Ad tertium, dici potest primò tunc sacrilegium omissiuum committi, quando res sacra existit, & actio aliqua præcepta; & pertinens ad honorem eius omittitur. At verò præceptum de recipiendo Sacramento, non est huiusmodi, & ideò fortasse quando omninò omittitur sacramentum, nõ est sacrilegium, sicut suprà dicebamus de omissione Missæ in die festo. Secundò responderi potest vsum alicuius sacramenti pertinere ad quandam venerationem eius, & ideò quando omittitur tempore præcepti, sacrilegium committi. Neque obstat, quòd res sacra non sit, nec fiat, quia satis est, quòd debeat esse, vel fieri.

6. An in hoc vitio dentur peccata quædam per excessum, & alia per defectum. *D. Thom.* Pars negatiua.

Secundò explicandum est. An in hoc genere vitij peccetur semper per defectum, vel in eo esse possint duo vitia extremè opposita per excessum, & defectum: Nam Diuus Thomas quæstione 97. in principio sacrilegium collocat sub vitio Religioni opposito per defectum: vnde non videtur agnoscere sacrilegium, quòd per excessum opponatur Religioni. Et confirmari potest ex dictis, quia si sit sacrilegium omissiuum, manifestè est per defectum, si autem sit commissiuum, semper habet rationem sacrilegij, quatenus actio circa rem sacram fit cum illius iniuria, vel sine debitis circunstantiis ad reuerentiam necessariis.

7. Pars affirmatiua proponitur.

In contrarium verò est, quia sicut circa Deum ipsum potest peccari, & deficiendo in cultu, ac reuerentia, & excedendo indiscretè in modo cultus, ita circa res sacras potest vtroque modo peccari: sed propter illam causam distinguuntur irreligiositates in Deum per excessum, & defectum, ergo eodem modo distinguenda sunt in irreligiositate circa res sacras. Minor declaratur exemplis: nam adorare imaginem Sancti adoratione latriæ, peccatum per excessum est. Sed ad hoc benè responderi potest, tunc non adorari imaginem vt imaginem, sed vt idolum, & ideò illam esse superstitionem contra Deum ipsum. Sed licèt hoc verum sit, non tamen videtur repugnare, quin sit sacrilegium respectu talis rei sacræ. Clariùs verò exemplum erit, siquis publico cultu in Missa, vel in oratione publica colat Sanctum à Pontifice non propositum per Canonizationem, vel sufficientem beatificationem contra cap. 1. de Reliquiis, & veneratione Sanctorum, illud autem peccatum per excessum est. Idémque est de veneratione reliquiarum, vel publica, sine auctoritate, contra cap. 2. de Reliq. & venerat. Sanct. & Concil. Trident. sessione 25. in decreto de hac re, vel priuata veneratione, sine morali fide, satísque probabili de sanctitate personæ, aut de veritate reliquiarum, contra rectam rationem.

Cap. 1.

Cap. 2. *Concil. Trid.*

8. Dari sacrilegium per defectum, & excessum resoluitur.

Non videtur quidem posse negari, quin hoc vitium per excessum in hac materia committi possit. Vnde à Concilio Trident. suprà, superstitio vocatur ibi, *Omnis porrò superstitio in Sanctorũ inuocatione, reliquiarum veneratione, & imaginum sacro vsu, tollatur.* Superstitio autem, peccatum per excessum est, vt suprà vidimus: vnde sine dubio est peccatum specie distinctum à sacrilegio, vt sonat vitium per defectum. Et licèt, quando transit in Idololatriam, pertineat ad superstitiones suprà tractatas, quæ sunt directè contra Deum: tamen quando sistit in modo inepto, insolito, vel irrationabili colendi ipsas res sacras, videtur esse superstitio specie distincta ab omnibus suprà positis, quia non immediatè circa Deum, sed circa cultum rerum sacrarum committitur. Est enim contra secundarios actus Religionis, seu secundariam latriam (vt vocant) non contra primariam. Nam si hæc ratio sufficienter distinguit vitia per defectum, non video, cur non distinguat etiam per excessum. Neque cõtentiosè disputandum est, An hæc superstitio circa res sacras dicenda sit sacrilegium, necne: nam erit contentio tantùm de vocabulo. Fateor tamen secundum communem vsum vocis non appellari propriè sacrilegium: & fortasse ideò Auctores de hoc vitio specialiter non disputant, quia potest ad superstitionem contra Deum reuocari, & quia non indiget speciali explicatione, sed per proportionem ad superstitionem indebiti cultus diuini debet intelligi, ac declarari.

9. An hæc malitia sacrilegij possit esse sola in actu peccari.

Tertiò explicandum est, An hæc malitia sacrilegij possit interdum esse sola in actu peccati, vel semper supponat actum peccaminosum, cui adhæreat? Videtur enim non posse separari, quia non sumitur ex obiectio; sed ex circunstantiis, & ideò semper supponere videtur malitiam in actu ex obiecto; quia si actus sit bonus ex obiecto, non videtur esse sacrilegium, neque irreuerentia rei sacræ. Dicendum verò est, licèt frequenter hæc malitia coniuncta sit cum aliis, & in eis quodammodo fundetur, nihilominùs sæpe posse esse solam, & separatam ab aliis; quia nimirum actus non habent aliam deformitatem, nisi quia res sacra violatur, vt expressè docuit D. Thomas quæstione 99. articulo 2. ad 3. Et licèt aliqui ab hac regula excipiant sacrilegia contra personas sacras, tamen in eis hoc etiam inuenitur: nam coniux habens votum castitatis, si petat debitum ab altero coniuge, sacrilegium committit, & non peccat contra iustitiam, neque contra temperantiam. Deinde si Prælatus Religionis iustè præcipiat verberari subditum suum,

Resolutio quæst.

D. Thom.

subditum suum, tamen sine necessitate faciat illum verberari per Laicum, sacrilegus est purè contra ius positiuum in capit. *Vniuersitatis*, de Sent. excom. Vnde peccatum illud non est contra iustitiam, neque contra aliam virtutem præter Religionem. Item siquis fustè percutiat Clericum, ipso voluntariè consentiente, non facit illi iniustitiam, & nihilominùs est actio sacrilegia contra speciale ius positiuum cap. *Contingit*, de Sent. excom. Sic ergo in prima specie, separabilis est malitia sacrilegij ab omni alia. In secunda autem specie copula matrimonialis habita in Ecclesia extra casum necessitatis, sacrilega est, vt suprà vidimus, & tamen aliam malitiam non habet neque contra iustitiam, neque contra temperantiam. In tertia etiam specie, frequentissima sunt exempla, vt in indigna sumptione, vel administratione Sacramenti, profano vsu vasorum sacrorum, & similia.

Cap. Vniuersitatis. *Cap. Contingit.*

10. Vnde constat in hac tertia specie sacrilegij, oriri malitiam ex ipso obiecto proximo, seu materia, circa quam versatur actio sacrilega: & hinc est, vt sæpiùs in illa accidat separatio malitię sacrilegij ab aliis, & ita cessat ratio dubitandi in principio proposita. Tamen etiam in prima specie, persona sacra, circa quam versatur actio sacrilega, se habet vt proximum obiectum peccati, & ideò etiam in illa facilè inueniri potest talis saparatio. Quãdo verò tantũ concurrit vt circunstantia *quis*, non se habet propriè vt obiectum, nihilominùs tamen quia tali personæ potest esse prohibita actio (aliàs non mala) ratione voti, vel legis positiuæ latæ intuitu Religionis, ideò etiam hoc modo potest in tali persona separari sacrilegium à cæteris peccatis. Atque hoc vltimo modo contingit etiam in loco sacro, ille enim propriè non est obiectum, sed circunstantia actionis, nisi fortasse ex formali, & directa intentione fiat actio in contemptum, & iniuriam loci sacri, & tunc clarum est, præcipuam speciem talis peccati, esse sacrilegium, siue in ipsa actione sit alia malitia, siue non sit.

A B C

Tamen addendum superest vnum verbum de pœna sacrilegij, quæ duplex cogitari potest; vna spiritualis, vt censura; alia temporalis, vt pœna pecuniaria. De priori certum est, non per omne sacrilegium, incurri ipso facto aliquam censuram; sed solùm in tribus casibus. Primò in percussione Clerici, contra Canonem, *Si quis suadente*, quæ in 5. tom. dis. 22. sect. 1. disputata est. Secundò in fractione Ecclesiæ cum raptu, de qua, quomodo intelligenda sit, dixi in eodem tomo, & disp. sect. 2. à num. 9. Tertia est contra violatores immunitatis Ecclesiasticæ, quæ in variis casibus iucurritur contentis in Bulla Cœnæ Domini, quæ in eodem tomo declarata est, & videri potest Concil. Tridẽt. sess. 22. ca. 11. de Refor. Alij addunt etiam incendium Ecclesiæ. Sed de hoc quid sentiendum sit, dixi in eod. tom. disp. ac sect. à num. 15. Et ideò circa illas censuras, ampliùs hic non immoramur. Vltrà hos verò casus, nec censura aliqua, nec irregularitas incurritur ipso facto, quia nullibi continetur. Circa alteram verò pœnam aliqua sunt Iura Canonica, in quibus pœna pecuniaria imponitur propter hoc delictum, quæ habentur 17. quæst. 4. Quam pœnam sufficienter explicat, & eius rationem reddit D. Thom. dicta q. 99. art. 4. Et ideò nihil amplius de illa dicere necesse est, maximè cum illa magis pertineat ad forum externum, quàm ad internum, quia nemo tenetur illam soluere, donec iuridicè condemnetur. Occurrebat statim quæstio, an hoc delictum sit merè Ecclesiasticum, aut misti fori, sed hanc etiam disputationem ad Iurisperitos remittimus.

11. Pœna sacrilegij vel spiritualis est, vel temporalis.

Cap. Siquis.

Conc. Tsid.

D. Thom.

INDEX CAPITVM LIBRI QVARTI DE SIMONIA.

Cap. 1. Quid sit Simonia.
Cap. 2. An sit aliqua Simonia iure Diuino prohibita.
Cap. 3. De malitia Simoniæ.
Cap. 4. An in Simonia detur aliqua malitia contra iustitiam.
Cap. 5. An Simonia sit solùm in lege noua, an etiam in veteri.
Cap. 6. An in lege naturæ Simoniæ vitium daretur.
Cap. 7. An detur aliqua Simonia solo Ecclesiast. iure prohita.
Cap. 8. An detur aliqua Simonia in materia merè naturali.
Cap. 9. An possit esse materia Simoniæ gratia sanctificans, &c.
Cap. 10. An Sacramenta Ecclesiæ sint materia Simoniæ.
Cap. 11. An materia Sacramentorum vendi possit.
Cap. 12. An possit Sacramentum emi in necessitate.
Cap. 13. An omnes actus potestatis ordinis sint materia Simoniæ.
Cap. 14. An Sacramentalia sint materia Simoniæ.
Cap. 15. An diuina officia sint materia Simoniæ.
Cap. 16. An actus spirituales soli operanti vtiles, sint materia Simoniæ.
Cap. 17. An Relig. ingressus ad habitum, vel professionem, sit materia Simoniæ.
Cap. 18. An functiones supernaturalis doctrinæ, sint materia Simoniæ.
Cap 19. An actus iurisdictionis interni fori, sint materia Simoniæ.
Cap. 20. An actus Ecclesiasticæ iurisdict. externi fori sint materia Sim.
Cap. 21. An defatigatio corporalis circa opera spiritualia, & obligatio ad illa sit materia Simoniæ.
Cap. 22. An omissio spiritualium actuum, sit materia Simoniæ.
Cap. 23. An spirituale ob annexionem ad spirituale, sit mat. Simon.
Cap. 24. An beneficia Ecclesiast. sint mat. Simon. ex Diuino, vel Eccl. iure.
Cap. 25. An Præstimonia sint mat. Sim. contra ius Diuinum, vel humanum.

Cap.26. An Pensiones Ecclesiact. sint materiæ Simoniæ.
Cap.27. An Commendæ, Coadiutoriæ, vel Hospitalia, sint mater. Simon.
Cap.28. An ius Patronat. sit mat. Simon. vbi de iure sepeliendi, & similib.
Cap.29. An temporalia officia Eccles. vel actus eorum sint mat. Simon.
Cap.30. Quale pretium ad Simoniam requiratur, vbi disquiritur, an commutatio spiritualis pro spirituali Simoniaca sit.
Cap.31. Vtrùm in commutatione spiritualium committatur Simonia saltem contra ius Ecclesiasticum.
Cap.32. Vtrùm Prælati auctoritas necessaria sit, vt permutatio spiritualium nõ sit Simoniaca.
Cap.33. Vtrùm Beneficium Ecclesiasticum possit cũ pensione permutari absque Sim.
Cap.34. Vtrùm possint beneficia inæqualia permutari facta recompensatione, absque Simonia.
Cap.35. Vtrùm renunciare beneficio in fauorem tertij, sit Simonia.
Cap.36. Quando temporale Bonum sit pretium rei spiritualis.
Cap.37. Vtrùm sufficienter diuidatur pretium Simoniæ in tria vulgata membra.
Cap.38. Quid per munus à manu intelligatur.
Cap.39. Quid sub munere ab obsequio comprehendatur.
Cap.40. Quid per munus à lingua significetur.
Cap.41. De diuisione Simoniæ in mentalem, conuentionalem, & realem.
Cap.42. De Simonia ficta.
Cap.43. De Simonia confidentiali.
Cap.44. De intentione ad mentalem Simoniam necessaria.
Cap.45. Vtrùm intentio remunerandi spirituali dono antidotalem obligationem, sit Sim.
Cap.46. Vtrùm pactum spiritualis functionis non debitæ ex officio sit, conuentionalis Simonia.
Cap.47. Vtrùm exactio stipẽdij pro spirituali functione debita ex officio, sit conuentionalis Simonia.
Cap.48. Vtrùm consuetudo exigendi temporalia pro spiritualibus, conuentionalem Simoniam incurrat.
Cap.49. Vtrùm possit esse realis Simonia sine conuentionali.
Cap.50. Vtrùm redemptio vexationis interueniente pacto Simoniam realem, & conuentionalem contineat.
Cap.51. An transactio, seu pactum oneros um, vt lis finiantur in spiritualibus, Simonia sit.
Cap.52. An Simonia cadere possit in Pontificem, vel eius curiam.
Cap.53. Quibus modis inferiores prælati, vel eorũ ministri, aut familiares, Simoniam committere possint.
Cap.54. Quomodo in aliis hominibus cuiuscumque status, possit Sim. inueniri.
Cap.55. Pro quibus Simoniis nulla pœna ipso iure imposita sit.
Cap.56. Pro quibus Simoniis, aliqua censura sit imposita, & quis illa sit.
Cap.57. An beneficium, vel res spiritualis per Simoniam comparata retineri possit, vel dimittenda sit.
Cap.58. An beneficia prius ritè obtenta per Simoniam circa beneficium amittantur.
Cap.59. An pretium pro re spirituali acceptum ex naturali iure, restitutioni obnoxium sit.
Cap.60. An pretium Simoniacum ex iure Ecclesiastico, sit restituendum ante condemnationem, & quibus.
Cap.61. An dispensatio cadere possit in Simoniam & quomodo.

LIBER QVARTVS
DE SIMONIA.

Expeditis aliis speciebus sacrilegij, quæ breuiorem tractatum postulabant, supereſt dicendum de Simonia, quæ vitium eſt ſub genere ſacrilegij contentum, vt diximus, & ſub ſe habet varia membra, ratione quorum copioſiorem habet materiam, Nam quia vitium hoc in aliquam hominum vtilitatem redundare ſolet, & interdùm fouet appetitum diuitiarum, interdùm appetitũ honoris, & dignitatis, ideò frequentiùs in Eccleſia committitur & in magnam eius perniciem cedit. Maximè quia propter hoc vitium ſæpiùs beneficia indignis conferuntur, electiones iniuſtæ fiunt, & res ſacræ, ac diuinæ indignè tractantur. Ob has ergo cauſas ſeparatim de hoc vitio tractamus, eíque hunc integrum librum tribuimus, quia non poteſt non eſſe copioſior illius conſideratio. Priùs ergo quid Simonia ſit, poſteà quotuplex ſit, & quas cauſas habeat, ac tandẽ quas pœnas vel effectus inferat, declarabimus.

Ordo eorũ, quæ in hoc libro ſunt tractanda.

CAPVT PRIMVM.

Quid Simonia ſit, & cur hac voce ſignificetur.

1. Quod vitium ſignificetur per hoc nomen Simoniæ.

PRincipiò ſupponendum, eſt, hoc nomine Simoniæ vitium quoddã ſignificari, quod committitur, vendendo, emendo, aut quocumque modocómutando rem ſacram, ſeu ſpirituale pro temporali. Nam quòd huiuſmodi contractus fieri poſſit, & ſoleat, notius eſt, quàm vt declaratione indigeat. Quòd verò talis contractus cedat in iniuriam rei ſacræ, nunc ſupponatur, nam infra ex profeſſo probandum eſt in variis ſpeciebus Simoniæ, quia non in omnibus eandem radicem malitiæ habet. Ideóque ſufficit nunc quædam breuis declaratio, nam eo ipſo, quod res ſacra, vt ſacra eſt, pro re temporali, ac profana commutatur, indigne tractatur, ac profanatur: ergo talis commutatio malitiam ſacrilegij inuoluit. Vel aliter eo ipſo quòd res ſpiritualis temporali pretio emitur, aut venditur, illi æquiparatur in valore, & æſtimatione, quia contractus ipſe poſtulat quandam æqualitatem inter ea, quæ commutantur, at hoc ipſum eſt contra debitam æſtimationem, & dignitatem rei ſacræ, ergo talis actio vitioſa eſt, meritóque inter ſacrilegia connumeratur. Quòd denique hoc vitium nomine Simoniæ ſignificetur, conſtat ex vſu totius Eccleſiæ, & ex Titulis de Simonia, in Decretalibus, Sext. & Clement. & ex innumeris Decretis, Cauſa 1. per ſex primas quæſtiones, vti hæc materia ex Patribus, & à Doctoribus tractatur: & à Theologis in 4. d. 25. & 22. quæſt. 100. & ab aliis multis Doctoribus, qui de hac materia ſcripſerunt.

2. Quis huic vitio nomen Simoniæ impoſuerit. *Chryſoſt.*

Solet autem hic quæri, quis nomen Simoniæ huic vitio impoſuerit, & qua ratione ita appellatum ſit. Sed non eſt res magni momenti. Nam de auctore nominis nihil (vt arbitror) certum dici poteſt. Chryſoſt. quidem Homil. 60. ad Populum, omnes, qui hoc vitium committunt Simones vocat, dum prohibet, ne vllus Simon communicare audeat: & Homil. 13. in Marc. Simonem proponit tanquam primum huius vitij exemplar, quem imitari dicit omnes, qui gratiam Chriſti emere ſtudẽt & eodem modo loquuntur Patres illi æquales, vel antiquiores, diſtinctè verò non vruntur voce Simoniæ pro ipſo vitio ſignificando Greg. autem lib. 7. Epiſt. 110. 113. & 114. Simoniacam hæreſim appellat. Legimus item antiquiores Patres mentionem facere cuiuſdam hæreſis, quam Simoniacam appellant, vt patet apud Nazian. Orat. 44. in Pentecoſt. propè initium, & Epiphan. hæreſ. 21. Sed illa longè alia hæreſis fuit à vitio Simoniæ; imò fuit infinitarum collectio hæreſum, nam ille Simon, & negabat Deum eſſe creatorem cœli, & terræ, ſeque creatorem Angelorum faciebat; Et Spiritum ſanctum quandam fœminam eſſe dicebat & ſexcenta ſimilia deliramenta effutiebat. Imò ait Irenæus lib. 1. contr. hæreſ. c. 20. ab illo hæreſes omnes ſubſtitiſſe, & ſectatores eius vocatos eſſe Simonianos, vt etiam appellat Aug. libr. de hæreſ. in 1. qui longè diuerſi ſunt à Simoniacis. Ergo hæreſis Simoniaca, de qua loquitur Greg. non complectitur totam doctrinam falſam Simonis, ſed pro illa ſpeciali, quam Simon indicauit, quando virtutem dandi Spiritum ſanctum emere voluit, vox illa vſurpata eſt à Gregorio, & inde poſtea vox incomplexa *Simoniæ* deriuata eſt ad proprium vitium & ſacrilegium ſignificandum.

Gregor. *Nazian.* *Epiphan.* Quæ hæreſis quondam Simonia diceretur. *Irenæus.* *Auguſt.* *Gregor.*

3. Rationes aſſignantur, cur à Simone nomen acceperit hoc vitium. Prima. Secunda.

Rationes autem ob quas à Simone hoc vitium nomen acceperit, plures redduntur. Prima eſt, quia ille fuit primus, qui in lege gratiæ hoc vitiũ commiſit, an verò ante hanc legem alij illud commiſerint, infra videbimus. Secunda eſt, quia ex parte materiæ grauiſſimè deliquit, quia ipſammet perſonam Spiritus, ſancti, & dona eius venalia eſſe voluit, & conſequenter voluit Spiritum ſanctum ſibi ſubiectum, & tanquam ſeruum venalem habere, ſicut ſcripſit Tharaſius ad Paſchaſium Papam & habetur in cap. *Eos*, 1. q. 1. Tertia, eſt quia ſimul emendo, & vendendo Spiritum ſanctum, peccauit, ſaltem affectu, intentione, & conatu. Formaliter enim emere tentauit poteſtatem dandi Spiritum ſanctum, & quia hæc poteſtas non datur ſine ipſo Spiritu ſancto, ipſum etiam Spiritum ſanctum emere voluit. Et ita ex loco Act. 8. probat Chryſ. Homil. 13. in Marc. non ſolùm eſſe malum vendere ſpiritualia, ſed etiam emere. *Nam Simon Magus* (inquit)

Tharaſ. Cap. ■. Tertia. *Act. 8.* *Chryſoſt.*

(inquit) *non quia vendidit, sed quia emere voluit, damnatus est.* Nihilominùs addit Diuus Thomas dicta quæst. 100. art. 1. ad 4. etiam peccasse vendendo Spiritum sanctum, saltem affectu, & intentione, quia ad hoc emere volebat potestatem, vt postea ipsum Spiritum sanctum venderet, & allegat cap. *Saluator* 1. quæst. 3. vbi Vrban. 2. ait, *Simon Magus non Spiritum sanctum propter Spiritum sanctum, quo ipse erat indignus, sed ideò quantum in ipso erat, emere voluit, vt ex venditione signorum, quæ per eundem fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur.* Sic etiam Epiphan. hæres. 21. inquit: *Cum Simon non haberet rectum cor, neque cogitationem rectam, sed lucro, & studio pecuniarum intentus esset, offerebat pecunias Petro Apostolo, vt daret ipsi potestatem dandi Spiritum sanctum per manus impositionem, ita ratione secum inita, qua dare vellet multis pro modica pecunia, atque sic per exhibitionem Spiritus multas pecunias cumulare, ac lucrari.* Et Cyrillus Hierosolym. Cateches. 16. *Non dixit* (inquit) *date mihi Spiritus sancti communionem, sed potestatem, vt aliis venderet, quod non erat venale*: Et similem sententiam habet Aug. tract. 10. in Ioan. Neque hanc prauam Simonis intentionem temere iudicarunt Patres, sed ex verbis, & circunstantiis personæ, & operum eius prudenter eam collegerunt. Expressè enim ipse Simon dixit Apostolis. *date mihi hanc potestatem, vt cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum*: Cùm enim aiebat: *Date*: non liberalem donationem, sed oblationem pretio venditam postulabat, eodem ergo modo dare intendebat. Vnde rectè August. Tract. 10. in Ioan. *Putabat* (inquit) *mercatores esse Apostolos, talis enim ipse erat, & quod venderet, emere volebat.*

D. Thom. Ca. Saluator. Vrban. Papa. Epiph. Cyril. Augusti.

Quarta ratio sumi potest ex eo, quòd hoc vitium in Simone primum per Apostolos damnatum & quasi anathematizatum est. Vnde est illud, quod Gelas. Papa Epist. 1. c. 26. de Simoniacis scripsit. *Dantem simul, & accipientem damnatio Simonis, qua sacra lectio testatur, inuoluit.* Et habetur in c. *Quos* 6. 1. q. 1. & similis sententia potest sumi ex c. *Reperiuntur* 7. Quinta ratio sumi potest, quia in Simone non solùm ipsum vitium damnatum est, sed etiam radix eius, quæ est auaritia, à qua maximè oriri solet. Quod adeò exaggerat Vrbanus Papa in dicto c. *Saluator*, vt dicat *Nec Apostolus emptionem Spiritus sancti (quam bene fieri non posse, nouerat) sed ambitionem quæstus talis, & auaritiam, quæ est idolorum seruitus, in eodem Simone, exhorruit, & maledictionis iaculo percussit.* Vbi non intelligit, Apostolum non exhoruisse, vitium ipsum emendi Spiritum sanctum; nam in vniuersum affectum illum exhorruit, maximè verò talem, qui ad turpem quæstum ex nimia auaritia ordinabatur. Vnde illi maximè sunt Simoniaci, maximèque hæreticum illum imitantur, qui ob temporalem quæstum spiritualia emunt, quamuis omnes ementes, & vendentes Simoniaci sint, quacumque intentione id faciant. Sexta etiam ratio addi solet, quia Simon ex falsa fide, & ex hæresi concepta, in vitiũ illud prolapsus est. Quod ex verbis Petri non obscurè colligitur: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniã donum Dei existimasti pecunia possideri.* Illa ergo existimatio non erat secundùm fidei puritatem, vt ponderauit Ambr. li. 2. de Pœnit. c. 4. c. *Petrus* 1. q. 1. Fuit ergo aliqua hæresis. Illa verò duobus modis explicari potest. Primò quia reuera non existimabat, nec credebat, illud esse donum Dei, sed putabat, Apostolos esse Magos sicut ipse erat, & volebat ab eis doceri artem illam & ad hoc pecunias offerebat. Hoc indicauit Magis. Histor. in Actib cap. 44 dicens, existimasse Simonem, Apostolos quadam peculiari industria potestatem illam solitos fuisse conferre, potuisseque pecunia comparari. Secũdò quia existimauit Spiritum sanctum, & dona eius vænalia esse, & pecunia obtineri posse, vt ait Niceph. lib. 2. Histor. c. 6. & indicat Cyril. Hierosoly. Cateh. 6. Ex quo manauit hæresis affirmans spiritualia posse pecunia æstimari, quam Armenis tribuit Guido Carmelita, vt refert Castro, verb. *Simonia.*

4. Ratio. Gelas. Papa. Cap. Quos. Ca. Reperiuntur. Vrban. Papa. Sexta. Ambros.

Niceph. Cyril. Guido. Castro.

Atque ex his obiter intelligitur, cur vitium hoc, quod sacrilegium esse diximus, Simoniaca hæresis à Gregorio appelletur. Estque in iure Canonico valdè vsitatus ille modus lòquendi, vt patet 1. q. 1. c. *Presbyter.* 3. cum aliquibus sequentib. cap. *Cùm liqueat* 13. c. *Statuimus* 206. & grauissimè in cap. *Eos*, 21. Vbi Macedonij hæresi, hæc antefertur: nam Macedonius Spiritum sanctum Patris, & Filij seruum faciebat; Simon autem hominum, quem Simoniaci imitantur. Et in cap. *Patet* vlt. 1. q. 7. cum magna exaggeratione dicitur, Simoniacos tanquam primos & præcipuos hæreticos esse detestãdos. Et quòd loquantur hæc Iurè de ipso vitio Simoniæ, patet ex cap. *Quoties*, extrà, de Simon. vbi quidam dicitur ordinatus per Simoniacam hæresim: vnde apertè constat, ipsum vitium hæresim appellari. Solet etiam Gregor. hanc vocare Neophytorum hæresim, vt patet ex dicta Epist. 110. & ex l. 4. Epist. 55. & lib. 5. Epist. 107. & c. *Quisquis*, 1. p. 1. nõ quia ab aliquo homine sic appellato originem traxerit (nullum enim talem Historiæ referunt) sed quia Simon adhuc Neophytus, id est, recens baptizatus illam inuenit, vt ibi notat Glossa, & alij.

5. Cur hoc vitium Simoniaca hæresis appellatur. Gregor. Cap. Presbiter. Cap. Cùm liqueat. Cap. Statuimus. Cap Eos. Cap. Patet. Ca. Quoties. Gregor. Cur Simonia Neophytorum hæresis dicatur. Gloss.

Sed nihilominùs certum est, vitium hoc, per se, & formaliter non esse contrarium fidei, quia per se, non requirit errorem in intellectu contrarium fidei. Nam licèt non malè sentiat de rebus sacris, potest tamen ex aliquo prauo affectu, vel intentione eas indignè tractare. Aliàs omne sacrilegiũ hæresis esset, quod verum non est. Dicit D. Thom. dicto art. ad 1. Simoniam vocari hæresim quoad externam professionem, quia qui donum Spiritus sancti vendit, profitetur se esse doni Spiritus sancti dominum. Vel generaliùs loquendo, qui rem spiritualem, & sacram vendit, eam tanquam vęnalem se æstimare significat, ac subinde iudicare esse rem pretio æstimabilem, quod speculatione iudicatũ, hæresis esset. Tamen quia potest vitium committi cum solo iudicio practico sine illo speculatiuo ideò propriè, & verè hæresis non est. Et ita Glossa, & Doctores in c. *Firmissimè* de Hæret. notant, Simoniacum vocari hæreticum latè, non propriè: Fortasse etiam ab origine, dicta est hæc pestis, Simoniaca hæresis, quia ex hæresi primùm orta est, & qui illam exercet, primum hæresiarcham noui Testamenti imitatur. Propter quæ omnia, vitium hoc, præsertim frequenter vsitatum, suspicionem hæresis afferre solet, & pœnas aliquo modo similes mereri, vt infrà suo loco videbimus.

6. Simonia per se non est fidei cõtraria. D. Thom.

Posset ergo Simonia iuxta dicta breuiter definiri esse sacrilegium, quod committitur in emptione, & venditione, seu in contractu quolibet, quo res spiritualis vt talis est pro temporali commutatur. Quòd enim hoc vitium sub hoc genere contineatur, suprà ostensum est, quia reuera est profanatio quædam & iniuriosa contrectatio rei sacræ. Per hoc ergo genus ab aliis vitiis Religioni contrariis, quæ sub hoc genere non continentur, distinguitur. Per alias verò particulas explicatur differentia propria constitutiua huius viti); & ita illam declarant Hostiens. & Abbas in c. *Nemo* de Simonia. Vnde per easdẽ distinguitur Simonia ab aliis speciebus sacrilegiorum; nam in aliis non tractantur indignè

7. Definitio Simoniæ proponitur, & explicatur. Hostiens. Abbas.

indignè res sacræ, vt tales sunt, per voluntariam commutationem, sed per actiones longè diuersas, vt suprà visum est. Quæ differentia, tanta visa est *Caiet.* Caiet. vt crediderit, per eam distingui hoc vitium quasi genere ab omnibus aliis vitiis contra Religionem hactenus tractatis. Verumtamen satis est, si dicamus per illam distingui specie ab omnibus aliis sacrilegiis. Nam à genere ipso excludi nõ potest per illam differentiã; nec enim descriptio proposita ex repugnãtibus partibus constat. Nam licèt emptio sit voluntaria actio, nihilominùs est cõtra reuerentiã rei sacræ, & ideò differentia illa optimè potest contrahere genus sacrilegij. Quòd autem Simonia distinguatur specie, etiam morali, & in genere vitij à cæteris sacrilegiis, probari potest ex diuersa ratione deformitatis in ordine ad rectam rationem, & ex aliis, quæ de distinctione harum specierum sæpè diximus. Et vt abstrahamus à speculatiua quæstione, saltem est moraliter certum, hanc speciem esse diuersam in ordine ad confessionem, quia necesse est, in confessione explicare, Simoniæ peccatum commissum esse. Neque satis esset, in genere dicere sacrilegium aliquod esse commissum, quod est indubitatum apud omnes, & communi consensu totius Ecclesiæ receptum. Imò etiam in speciebus Simoniæ (ne de illarum distinctione iterùm dicere necesse sit) idem cum proportione obseruare necessariũ erit. Nam inter eas esse solet tanta varietas, vt modum, & materiam Simoniæ declarare necessarium sit; siue id sit propter rigorosam specificam distinctionem, siue quia in ordine ad mores humanos nõ potest aliter de illa ferri morale, seu Sacramentale iudicium.

Simoniam distingui specie à cæteris sacrileg.

8. Ex his sufficienter declaratum videri poterat, quid sit Simonia generatim sumpta, quia clarior, & distinctior notitia non est in hoc principio requirenda, ne omnia confundamus. Nihilominùs prætermittere non possumus communem, & vsitatam definitionem Simoniæ, eiúsque breuem declarationem, ne illam reprehendere, aut contemnere videamur. Non est enim ita, sed in re non putamus distingui ab ea, quam tradidimus, imò in hoc excedit, quod per vniuersaliores terminos, & abstrahentes à particularibus opinionibus datur: nos enim vt insinuaremus consequentiam huius doctrinæ ad traditam in superioribus, & vt supponeremus omnia, quæ dicta sunt in genere de sacrilegio, in Simonia supponenda esse, ideò per genus sacrilegij illam descripsimus vsitata verò definitio sic habet.

9. Definitio Simoniæ magis vsitata explicatur. *D. Thom. Soto. Altis. Alens. Anton. Nauar. Arma. Closs. Turrec.*

Simonia est *studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* Hanc amplectitur D. Thom. in d. 25. quæst. 5. art. 1. & omnes Theologi in 4. d. 25. & Altis. lib. 3. Tract. 21. Alens. 2. p. q. 167. alias 185. mẽbr. 2. Anton. 2. p. tit. 1. c. 5. §. 1. Sot. libr. 9. de Iust. q. 5. art. 1. Iuris Canonici interpretes in Rub. de Simon. Et Summistæ eodem. Nauar. cap. 23. n. 100. Armach. lib. 10. de q. Armen. c. 12. Estque supra ex Glossa in principio 1. 1. ver. *Quidam.* Vbi Turrec. latè illam tractat, & defendit. Ponitur autem loco generis *studiosa voluntas*, vel quia generalissimum genus est, de quo non potest esse controuersia, quin sit de ratione cuiuscunque peccati, & vitij, quia sine voluntate eligente peccari non potest, & hæc dicitur voluntas studiosa; vel ad denotandum, hoc vitium esse oppositum Religioni, quæ est pars iustitiæ, & voluntatem habet pro subiecto proprio. Vel ad indicandum, vitium hoc non opere tantùm, sed etiã solo affectu deliberato, posse committi, non solùm generali ratione, qua omne peccatum potest solo desiderio fieri, vt Nauar. significat, sed etiam alia speciali, quam in Simonia mentali infra explicabimus. Vel denique quia prima Simonia in Ecclesia commissa, à quo hoc vitium nomen accepit, sola studiosa voluntate, & conatu commissa est, vt placuit Victoriæ in Relect. de Simon. num. 3. cum Armach. supra. Et sumpta videtur illa particula ex cap. *Qui studet*, 1. q. 1.

Nauar. *Victor.* *Arma.* *C. Qui stud.*

Reliquæ particulæ ponuntur loco differentiæ, & ferè coincidunt cum suprà positis: tria verò in eis insinuantur, ex quibus pendet tota cognitio huius vitij. Primum est materia Simoniæ, quæ explicatur illis verbis, *aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* Vbi statim occurrebat inquirendũ, quid hîc significetur nomine spiritualis, & quid per spirituali annexum. Verumtamen ad hoc exactè explicandum, oportet multa dubia infrà tractanda hîc anteuertere, quod confusionem pareret. Et ideò D. Thom. non curauit hoc per definitionem explicare, sed per exempla, vt in argum. *Sed contra*, ait, vendere Altare, Decimas, vel Spiritum sanctum, esse Simoniam, ex c. *Altare* 1. q. 3. & in solut. ad 6. numerat *Sacramenta, & alia* (inquit) *huiusmodi.* Victor. verò post longam disputationem concludit in n. 6. spirituale in proposito esse idem, quod *donum Spiritus sancti*, iuxta illud Act. 8. *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecunia possideri.* Et sub hoc dono, ait cõprehendi tam gratias datas, quæ numerantur 1. Cor. 12. quàm varia ministeria, seu Ecclesiæ dignitates, quæ ad Ephes. 4. recensentur, Nauar. autem dicto c. 23. n. 99. & ad Rubr. de Iudic. num. 24. in primis declarat, debere esse domum supra naturale ad salutem animarum ordinatum, & deinde addit, non oportere, vt sit immediatè datum à Deo, sed satis esse, quod sit ab Ecclesia institutum per supernaturalem potestatem à Christo sibi gratis datam. Et addit vltimò, oportere, *vt sit gratis dandum.* Sed hoc addere non oportet, quia si res ita sit spiritualis, vt sit materia Simoniæ, eo ipso habet, vt gratis danda sit, vt infrà dicemus.

Victor. *Act. 8.* *1. Cor. 12. Ephes. 4.* *Nauar.*

Sed, vt dixi, hæc materia non potest hîc satis explicari, nec ferè vna definitione describi, sed paulatim explicanda est in discursu doctrinæ, & ideò dico breuiter cũ Richar. 4. dist. 25. art. 3. q. 1. & aliis Theologis ibi, quos alij, & præsertim Summistæ omnes imitãtur. Spirituale hîc non dici ab spiritu creato, sed ab increato, id est, ab Spiritu sancto, quatenus est auctor donorum gratiæ, quæ per antonomasiam spiritualia dona vocantur: sub spiritualibus autem donis hîc intelligimus omnes gratias gratîs datas, & omnia dona Spiritus sancti, & ministeria diuinitùs ordinata ad spiritualẽ salutem animarum, & à fortiori instrumenta eiusdẽ salutis, & quicquid propter illam est à Deo, vel Ecclesia specialiter institutũ. Hoc non aliter nunc probatur, quam ex verbis Christi, Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date.* Ibi enim (vt infra declarabo) intrinsecam malitiam Simoniæ significauit, vnde etiam indicauit propriam materiã eius, quæ sunt gratiæ gratis datæ, & alia supernaturalia dona, quę gratis dantur in ordine ad salutem animæ. Item ex verbis Petri. *Existimasti, donum Dei pecunia possideri.* Spirituale ergo in dicta definitione ad Spiritu sancto denominatur, seu à salute animæ, quæ per antonomasiam spirituale bonum dicitur, quia est suprema participatio Spiritus sancti, & maxima perfectio spiritus creati, ideóque omnia dona, quæ ad hanc salutem ordinantur per se, ac proximè, singulari titulo spiritualia vocantur. Et hic est communis consensus omnium, quia vitium

Richar.

10. Quid loco differentiæ.

Quid in hoc loco significet donum spirituale. *Matth. 10.*

11.

simoniæ circa totam hanc materiã versari potest, & illam non excedit, vt ex sequentibus constabit.

Addo verò, bona spiritualia in tantum esse posse materiam simoniæ, in quantum facto licet non Iure pro materiali pretio æstimari, ac commutari possunt. Quia tamen hæc spiritualia de quibus homines prauè negotiari possunt non sunt purè immaterialia, imò frequentiùs sine corporalibus non subsistunt, vt dicitur in cap. *Siquis obiecerit* 1. q. 3. ideò in definitione, adduntur ea, quæ sunt spiritualibus annexa. Huiusmodi autem sunt, res quædam, quæ licèt in se materiales sint, cum spiritualibus connectuntur vel tanquam materia cum forma, vt calix argenteus cum consecratione, vel tanquam materiale cum formali, vt ablutio cum ratione Sacramenti, vel vt principium, seu inchoatio ad terminum, vt ius patronatus ad beneficium, vel tanquam effectus ad causam aliquomodo, si beneficium datur propter officium, vnde ex his, quædam dicuntur annexæ antecedenter, aliæ consequenter, aliæ concomitanter, de qua partitione, infrà suo loco dicemus.

Cap. *Siquis.*

Quæ res dicantur annexe spiritualibus.

13. In venditione rei sacræ peculiariter explicatur Simonia.

Secundò in illa particula, definitioni insinuatur id, in quo maximè realis Simonia consistit, id est, indebita actio circa rem sacrã, de qua dicitur, esse emptionem, vel venditionem eius. Quia res spirituales, & sacræ multis modis possunt iniuria affici, & non omnes pertinent ad Simoniam, sed tantùm ille, qui fit per huiusmodi contractum.

D. Thom.

Declarat autem D. Thomas suprà, & omnes cum illo, sub nomine emptionis, & venditionis comprehendi alios contractus æquiualentes venditioni, quales sunt: Do, vt facias, vel vt obligeris ad hoc, vel illud, & similes. Nam etiam in Iure Ciuili solet interdum venditionis contractus in hac generalitate sumi, vt expressè dicitur in leg. *Sicut §. Venditionis*, ff. Quibus modis pignus, &c. Et ibi Glossa refert alia Iura. Et latiùs Tiraquel. lib. 1. de Retract. §. 1. Glos. 2. Tertiò in eadem venditionis voce, indicatur tertium, quod in hoc peccato interuenit, nimirum pretium, sine quo nec datio rei spiritualis esset venditio, nec receptio esset emptio, sed esset gratuita donatio, & acceptio, quod est contra rationem Simoniæ, vt declaratum est, & sumitur ex cap. 1. &c. *Gratia*, 1. q. 1. quarenus ibi dicitur, Simoniacos non gratis, seu gratuitò ordines accipere, & clariùs ex Act. 8. *Existimasti donum Dei pecunia possideri.* Tamen sicut diximus venditionem latè sumi pro acceptione non gratuita, ita pecunia vel pretium accipiendum est pro quacumque re æquiualente, seu pretio æstimabili: vnde aliqui addunt illi definitioni particulam *pro re temporali.* Sed non est necessaria, quia in ipso verbo vendendi satis continetur, & quia nonnullam patitur dubitationem, de qua, infrà dicetur.

Leg. *Sicut.* Tiraquel. Gloss.

Cap. 1. Cap. *Gratia.* Act. 8.

14. Particula à Canonistis addita reiicitur. *Hostiens.*

Addunt aliqui Canonistæ huic definitioni aliam particulam, nimirum, *opere subsecuto*, quia si per solam voluntatem definiatur cõueniet definitio Simoniæ mentali, non verò reali, vel conuentionali, ita Host. in cap. *Nemo* de Simon. nec repugnat ibi Abbas. Sed posset contra eos conuerti ratio, quia addita illa particula, definitur realis Simonia, & externa, non verò mentalis, in qua est essentialis ratio peccati: nam actus exterior non addit essentialem malitiam actui. Vnde illi videntur locuti vt Iuristæ, de Simonia, quæ ad forum Ecclesiæ externum pertinet, & est capax pœnarum Ecclesiæ, quæ semper requirit aliquod opus subsecutum, etiamsi mentalis sit. Tamen apud Deum potest dari vera Simonia per solam voluntatẽ. Fateor tamen potuisse Simoniam definiri non per voluntatem, sed per actum ipsum, dicendo esse venditionẽ rei spiritualis, sicut definitur furtum, esse acceptionẽ rei alienæ, &c. Et sicut ibi non excluditur furtum mentale, quia intelligitur esse acceptionem actu, vel voto, seu desiderio. Ita dici posset de Simonia. At verò etiam è conuerso cum dicitur, est voluntas vendendi, &c. non excluditur actualis venditio voluntaria, & studiosa, seu deliberata, quia actio illa, vt Simonia sit, voluntatẽ illam includit. Vnde tota controuersia est de modo loquendi, nam res satis constat, & vulgata definitio sustineri poterit sine vlla additione. Illa verò, quam nos dedimus per proprium genus vitij, & differentiam eius, videtur profectò satis accommodata, & iuxta vtramque, totam hanc materiam prosequemur.

In actu interno potest dari Simonia, quæ si non habeat adiunctum actum externum non est capax pœnarum Ecclesiæ.

Ex dicta ergo essentiali ratione huius vitij, reducere possumus totam illius materiam, & amplitudinem ad quatuor capita, seu quatuor diuisiones, iuxta quatuor conditiones eius, quæ ex dictis definitionibus colliguntur, scilicet, genus vitij, seu sacrilegij; materia, circa quam versatur, quæ est res aliqua spiritualis. Pretium seu res temporalis, quæ pro tali re spirituali datur; actio ipsa vendendi seu commutandi: & ad primum ex his capitibus potest accommodari diuisio Simoniæ in intrinsecè malam, vel solùm quia prohibita est. Nam vitium consistit in deuiatione à regula; constituitur enim per carentiam conformitatis ad regulam: regula autem est lex, seu ius prohibens talem actionem, hoc autem ius explicatur per illam diuisionem; rectè ergò generi accommodatur. Ad secundum pertinent variæ diuisiones Simoniæ, quæ ex parte materiæ dari solent vt quod Simonia alia est circa rem spiritualem: alia circa rem annexam rei spirituali; vel in particulari solet distingui Simonia in ordinibus, vel in beneficiis, & aliis similibus. Ad tertium pertinet diuisio illa Simoniæ ex parte pretij, scilicet à manu, à linga, ab obsequio, ex c. *Ordinationes* 1. q. 1. c. *Totum* 1. q. 3. Et huc spectant aliæ quæstiones de variis rebus, quæ in commutationem rei spiritualis dari possunt. Ad quartum spectat communis etiam diuisio Simoniæ in mentalẽ, realem, & conuentionalem, & hûc etiam spectant omnes modi pactionum, & contractuum qui sufficiunt ad Simoniam committendam, ex quorum cognitione pendet, qui non sufficiunt. In his ergo quatuor capitibus totam hanc materiam, quantum ad explicandam culpam spectat, comprehendemus, & eodem ordine illam prosequemur, quia videtur satis accommodata ad naturam, & varietatem huius vitij explicandam: qua intellecta, facile erit de obligationibus, quæ ex ea resultare possunt & de pœnis illis impositis, dicere.

15. In quatuor capita distribuuntur omnia, quæ de Simonia sũt dicenda.

Cap. *Ordinationes.* Cap. *Totum.*

CAPVT II.

Sítne aliqua Simonia iure diuino prohibita. Incipítque explicari prima diuisio Simoniæ, in eam, quæ est prohibita, quia mala, & eam, quæ est mala, quia prohibita.

PRIMA SIMONIÆ DIVISIO.

QVoniam præcipua huius tractatus intentio est, declarare malitiam Simoniæ, quæ per comparationem ad regulam, quæ est ius, seu præceptum, sumenda est, ideò primo loco tractanda est diuisio Simoniæ, quæ per comparationem ad hanc regulam sumitur. Ante omnia ergo, supponenda est diuisio Simoniæ in eam, quæ est contra ius diuinum, & eam, quæ tantùm est contra Ecclesiasticum. Quam diuisionem, omnes ferè admit-

1. Diuisio Simoniæ in eam quæ est de iure diuino, & in eam, quæ est de iure Ecclesiastico.

Gloss. Ca. Cum pridem. Glos. admittunt, vt de Iurisperitis constat ex Glossa in capit. *Cum pridem* de Pactis. verb. *Illicitæ pactionis*; alia Glossa in capit. *Ex parte* 1. de Officiis deleg. verb. *Dimittere*. Quam ibi Innocent. Hostiens. Abbas, & alij approbant. Idem sentit Glossa in capit. *Saluator* 1. quæst. 3. verb. *Et iudicem*. Turrec. in cap. *Latorem*, artic. 2. numer. 5. 1. quæst. 1. Eandem distinctionem admittunt Theologi, vno, vel alio excepto, vt infrà. Et in generali persuaderi facilè potest. Primò ex communi ratione sacrilegij, nam aliquod esse potest sacrilegium cõtra ius diuinum, & aliquod contra Ecclesiasticum, vt suprà visum est: ergo eadem ratione poterit esse Simonia vtriusque modi. Patet consequentia, quia Simonia sacrilegium quoddam est, & ita ex vi generis non repugnat ei dicta partitio, nec ex propria ratione potest ostendi repugnantia. Secundò ostendi potest in particulari de singulis membris. Nam in primis Simõ Magus propriam, & grauissimam Simoniam commisit, vt ex dictis capit. præcedentibus constat; sed ille non peccauit contra positiuam legem Ecclesiæ, quia nec lata tunc erat, nec ille tenebatur illam scire, ergo peccauit contra diuinum ius. De altero verò membro, quòd possibile sit, probatur ex generali principio, quod lex humana potest constituere materiam aliquam vt necessariam in aliqua specie virtutis, quæ ex natura sua necessaria non erat, & sic potest facere, vt aliquid sit malum contra talem virtutem, quod secluſa lege positiua, malum non esset: vt seculare iudicium agere in loco sacro, est sacrilegium contra ius humanum, quia Ecclesia id prohibuit in peculiarem reuerentia loci sacri: sic ergo negotiari, vẽdendo, vel emendo rem aliquam annexam rei sacrę, vel permutare beneficia propria authoritate, potuit ab Ecclesia prohiberi, vt necessarium, ad reuerentiam talis rei, & tunc opposita actio erit Simonia contra ius Ecclesiæ.

Probatur diuisio.

2. An primum membrũ Simoniæ sit cõtra ius diuinum naturale, vel contra positiuum. Ratio dubitandi. *D. Thom.*

Quantumuis autem hæc diuisio recepta sit, non desunt circa illam difficultates, nec etiam desunt, qui in aliquo contradicant, & ideò vtrumq; membrum sigillatim tractandum est. Circa primum ergo membrum de Simonia contra ius diuinum dubitari potest. An talis Simonia sit contra ius Diuinum naturale, vel positiuum. Et ratio dubij est, quia D. Tho. in d. art. 1. (quem omnes sequuntur) vtrumque coniungere videtur. Nam priùs probat, Simoniam esse malam duplici ratione, scilicet, quia res spiritualis, & sacra indignè tractatur, cùm pretio æstimatur, & quia vendit homo rem, cuius non est dominus, scilicet rem sacram, & spiritualem. Quæ duæ rationes videntur eò tendere, vt probent, hoc esse contra ius diuinum naturale. Deinde verò adiungit tertiam rationem sumptam ex verbis Christi Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date*. Quę ratio procedere videtur de iure diuino positiuo, nam ex natura rei non est intrinsecè malum, rem gratis acceptam non gratis dare, nisi aliunde resultet malitia, sic enim homo gratis à Deo accepit libertatem naturalem, vires ad laborandum, & similia. & tamen illa vendere vel fructus, aut vsus eorum, non est per se malum. Videtur ergo D. Thom. velle, hoc vitium esse contra vtrumque ius diuinum.

Matth. 10. Probatur esse contra vtrumque.

3. Probatur nõ esse contra vtrumque.

Aliunde verò apparet contra neutrum esse; non quidem contra ius diuinum positiuum in lege gratiæ, quia hac lege nulla sunt data præcepta positiua à Christo Domino, præter præcepta Fidei, & Sacramentorum; circa modum autem tractandi Sacramenta, vel alias res sacras nihil peculiare præcepit Christus, præter id, quod iure naturæ sequitur ex sanctitate, seu dignitate vniuscuiusque rei sacræ. Et confirmatur quia verba illa: *Gratis accepistis, gratis date*: Possunt facile per modum consilij explicari. Tum quia nullum est verbum, quod rigorosum præceptum, eiusque obligationem requirat. Tum quia ibi non tantum monet venditionem, sed etiam quancumque munerum oblationem, etiam gratuitam si in recompensationem facti beneficij offeratur, vt Iansen. in Concor. capit. 55. animaduertit, & tamen hoc non est præceptum, sed consilium, vt constat. Tum denique quia statim subiungitur, quasi in confirmationem præcedentes consilij: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris*. Quod tamen consilium est, licet sub eadem forma imperando proponatur.

Iansenius.

Probatur nõ esse cõtra naturale. 4.

Quod verò nec contra ius naturale sit hoc vitium, probari potest, quia duæ priores rationes Diui Thomæ non videntur hoc conuincere. Non quidem prima, quæ inde sumebatur, quod videtur res spiritualis indignè tractari, dum per temporale pretium comparatur. At hoc non videtur cogere: tum quia sæpe in contractibus iustitiæ, fit licitè permutatio, vel recompensatio inter rem, quæ per pecuniam satis recompensari non potest per pretium pecuniæ, vt fama, vel corporis membrum non potest pecunia recompensari, & tamen qui abstulit famam, vel abscidit membrum, potest ex conuentione humano arbitrio facta, iniuriam pecunia recompensare. Tum etiam quia non oportet, vt hoc fiat ex falsa æstimatione æqualitatis inter rem temporalem, & spiritualem, sed ex voluntaria quadam pactione, instituendo, vel designando certum aliquod pretium loco rei æqualis, quod ab eo, qui æquale dare non potest, videtur posse postulari quod potest, sine iniuria rei dignioris, quam ille accepturus est. Sic enim non possumus nos reddere æquale Deo pro iniuria, quam illi fecimus, & tamen ipse honestissimè à nobis postulat in recompensationem id, quod facere possumus. Et confirmatur, quia si hæc ratio valida esset, vtique probaret, nec scientiam naturalem posse vendi, nec sanitatem, quia hæc non possunt pretio vllo æstimari. Respondebit aliquis, sanitatem, aut scientiam non vendi, sed actiones, aut industrias, quæ iuuant ad illas acquirendas, quę actiones humanæ sunt, & pretio æstimabiles. At enim eodem modo dicemus, non vendi gratiam, quæ per Sacramenta, verbi gratia, datur nec virtutem Sacramentorum, nec sanitatem, verbi gratia, quæ per gratiam gratis datam confertur, sed actiones quasdam humanas, quę ibi interueniunt, & pretio æstimabiles sunt.

1. Ratio D. Tho. impugnatur.

Altera ratio Diui Thomæ sumitur ex eo, quod non sumus domini rerum spiritualium, sed dispensatores; nemo autem vendere potest, nisi id, cuius est dominus. Quæ ratio videtur habere fundamentum in capit. *Eos* 1. quæst. 1. Potest autem refutari ex obiectione proximè facta, quia licèt non simus domini donorum spiritualium, sumus tamen domini actionum, quas per illa dona exercere possumus, ergo possumus illas vendere. Secundò, quia falsum videtur assumptum: aliqui enim censent, esse nos dominos gratiæ, & spiritualium virtutum, quas in nobis recipimus, vt beneficiatus, est dominus sui beneficij, & sic de aliis. Tertiò quia, esto, non habeamus dominium, habemus vsum; vsuarius autem potest vendere ius suum, etiamsi dominus rei non sit; ergo qui Prophetiæ, vel linguarum donum accepit, poterit vsu illius, vt concionandi, aut interpretandi pretium accipere. Tandem confirmatur, quia si hæc ratio esset valida, sequeretur esse simoniacum, rem

5. 2. Ratio D. Tho. impugnatur.

Cap. *Eos*.

Cano. Rele. de Pœnit. p. 4. §. Ad 2. Ledesm. in 4. q. 3. art. 2. dub. 3. & aliqui moderni in 2. 2. disputantes de dominio.

rem ſpiritualem pro alia ſpirituali commutari: A conſequens eſt falſum, vt ſuppono, ergo, Sequela patet, quia qui non eſt dominus, ſed diſpenſator, nullam recompẽſationem poteſt exigere, nec temporalem, nec ſpiritualem, quia nullum habet ius, cùm non ſit dominus. Vt qui diſpenſat eleemoſynam alterius gratis dandam ſecundùm voluntatem eius non poteſt exigere à paupere, vt aliquam orationem dicat, vel Miſſam, ſi ſit ſacerdos, imponendo illi obligationem.

6. Simonia nõ ſolũ poteſt eſſe, ſed regulariter eſt cõtra ius diuinũ naturale. *D. Thom. Caiet. Soto. Victor. Durand. Palud. Richar. Adrian. Armac. Gloſſ. Act. 8.*

In hac dubitatione breuiter aliqua dicenda ſunt. Primum eſt, vitiũ Simonię ex genere ſuo eſſe poſſe, imò regulariter eſſe contra ius diuinum naturale. Hæc eſt ſententia, & mens D. Thomæ dicto art. 1. & expreſſius in ar. 2. quem ibi Caiet. & alij ſequuntur, Soto lib. 9. de Iuſt. quæſt. 5. art. 1. & 2. Victor. dicta B Relect. num. 11. Dur. 4. d. 25. quæſt. 5. num. 7. & ibi Palud. quæſt. 4. art. 2. & idem ſentit Richard. art. 3. quæſt. 1. Adria. Quodlib. 9. ad 3. Armach. lib. 10. cap. 9. Et nullum inuenio contra dicentem quoad hoc membrum, & Gloſſæ, ac Iuriſtæ allegati illud tanquam indubitatum ſupponunt. Ideoque pars hæc omninò certa videtur, & conuincitur ex verbis Petri, Act. 8. *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quia donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri:* Vbi ex ipſa natura & conditione talis doni arguit Simonem, non ex aliqua poſitiua prohibitione, ſentit ergo ex natura rei affectum illum, & conatum fuiſſe iniquum, & ſacrilegum. Videtur autem eſſe vis rationis à Petro inſinuatæ, quia contra dignitatem, & excellentiam doni, quod eſt proprium Dei, & ex eius gra- C tuita voluntate pendet, eſt, vt per humanum contractum, ac temporale pretium acquiratur, hoc autem fit per Simoniam, eſt ergo magnum, ſacrilegium ortum ex ipſa rei natura, quia eſt contemptus quidam, & vilipendium diuini doni. Et etiam grauis iniuria ipſiuſmet Dei, quia eius dona ita tractantur, ac ſi ipſe eſſet per pecuniam inducendus, & quaſi cogendus ad ſua gratuita dona præſtanda. Vel certè quia dum hæc dona ab homine emuntur, ipſo opere, & facto ſignificatur, non Deum, ſed hominem eſſe principalem auctorem talium donorum, & ab illius voluntate, & efficacia principaliter pendere, non ex gratuita voluntate Dei. Ergo talis modus acquirendi, vel conferendi hæc dona diuina, ex natura rei, eſt contrarius ſanctiD tati, & propriæ conditioni talium donorum, ideóque ex natura rei illicitus eſt, & ſacrilegus. Et confirmatur, quia lex naturalis dictat, Sancta eſſe ſanctè tractanda, & ideò de Sacramentis dicimus, quòd licet eorum inſtitutio ſit de iure diuino poſitiuo, tamen illa ſuppoſita inſtitutione, contra legem naturalem eſt, ſacramenta indignè ſuſcipere. Ita ergo in præſenti eo ipſo quod hæc dona ſupernaturalia, & diuina ſunt, contra legem naturalem eſt, ea indignè tractare, deducendo illa ad viles, & temporales contractus. Vnde intelligitur obiter, hoc ius non dici naturale eo quod per nudum naturale lumen dictetur, ſed quia ratio fide illuſtrata naturaliter hoc dictat, ita vt hoc ius ſit quaſi connaturale ipſi fidei, vt in materia de legibus latiùs E expoſitum eſt.

7. Rationes D. Thom. calũnia vindicantur. *Durand. Richard. Ianſe.*

Præterea rationes D. Thomæ optimæ ſunt, & communiter ab omnibus probantur, imò fere illis ſolis vtuntur ad veritatem hanc confirmandam, vt videre licet in citatis Auctoribus, preſertim Dur & Rich. & in Ianſ. Matth. 10. Prima autem ratio vt efficacior ſit, non eſt fundanda in ſola inæqualitate inter pretium tẽporale, & rem ſpiritualem, ſed maximè in improportione quadam, ratione cuius, res ſpiritualis indignè tractatur; quando pro temporali pretio commutatur. Quia tractatur vt ſubiecta humano arbitrio, & æſtimationi, & non vt res ſuo modo diuina, & pendens ex liberali largitione Dei. Item tractatur vt res vilis, & paruæ æſtimationis: nam vt rectè dixit Hormiſda Papa de hac eadem reſcribens ad Epiſcopos Hiſpaniæ. *Quis non vile putat eſſe, quod venditur?* Et ita ceſſant obiectiones factæ. Nam licèt in bonis merè humanis diſtingui ſoleant bona diuerſorum ordinum, vt diuitiæ, fama, & vita, inter quæ ſit interdum commutatio, vel compenſatio aliqualis, & arbitraria, eſto, res non ſint omninò commenſurabiles: nihilominùs omnia illa humana ſunt inferioris ordini, reſpectu bonorum gratiæ, & inter ſe in hoc conueniunt, quòd omnia ſunt bona merè temporalia, & humana, & ideò poſſunt ſine vlla irreuerentia in commutationem afferri, quia nullum ex illis bonis eſt ſacrum, vel dignum aliqua veneratione. Et ſimiliter ſine iniuſtitia poſſunt ita commutari, quia permutantes poſſunt ita conuenire, & tale ius inter ſe conſtituere, vel cedere iuri ſuo. Secùs verò eſt in bonis gratiæ, & rebus ſacris, quæ ſpeciali veneratione tractandæ ſunt, & ideò non ſunt per temporalia pretia æſtimandæ, nec ad hos temporales contractus deducendæ. Vnde, non eſt ſimile, quod afferebatur in priori difficultate de recompenſatione diuinæ offenſionis per Pœnitentiam, quia licèt ibi non ſit æqualitas, eſt tamen quædam proportio, & id quod in recompenſationem offertur, diuinum donum eſt, & non ex humana, ſed ex diuina voluntate taxatur, & poſtulatur. Eodémque ferè modo reſpondet D. Thom. ſuprà de gloria, quæ per me- *D. Thom.* rita quodammodo emitur. In confirmatione autem addita ad primam difficultatem, poſtulatur, An ſacræ functiones, ſaltem ratione materialis operis, ac laboris humani, poſſit vendi, ſaltem ſtando in iure naturæ. Sed hoc infrà in particulari tractandũ eſt: nunc dicimus ſaltem ex natura rei non poſſe vendi, prout ſacræ ſunt, quod ad propoſitum ſatis eſt. Nec in hoc æquiparantur eis aliæ actiones humanæ, quia ſemper ſunt inferioris ordinis, vt in ſeq. magis exponemus,

8. Quid dicendum de beneficiis Eccleſiaſticis.

Ad 2. difficultatem, quod attinet ad beneficia Eccleſiaſtica quatenus aliquid ſpirituale in illis eſt, eadem ratio eſt de illis, quæ de aliis rebus ſpiritualibus, quatenus verò temporale emolumentum habent, infra tractandum eſt, quomodo ſubſint diſpẽſationi Prælatorum Eccleſiæ, vel eorũ qui illa poſſident, & quomodo in eis Simonia committatur, de illa enim non ſatis conſtat, an ſit contra ius diuinũ, vel humanum, & ideò neceſſe nunc non eſt de illa in particulari miſcere ſermonem. Tamen de aliis bonis propriè ſpiritualibus, vt ſunt gratia gratum faciens, & gratis data cum omnibus donis, quæ ad has reducuntur, probabilius ſimpliciter eſt, non cadere ſub humanum dominium, vt hîc ſupponit D. Tho. atque etiam docuit 1. 2. q. 73. art. 9 ad 2. & Sot. 4. de Iuſt. qu. 2. Et videtur habere fundamentum in Paſchaſio Papa, in d. cap. *Eos qui* 1. q. 1. quatenus in hoc maximè fundat iniquitatem Simoniæ.

Gratiam nõ cadere ſub dominiũ hominis probabilius eſt. *D. Thom.*

Paſ. Papa.

Verumtamen etiamſi demus eſſe non dominos aliquomodo donorum gratiæ, quæ nobis collata ſunt, poteſt ratio ſubſiſtere, quam Victoria variis modis declarat. Primò quia licet noſtra ſint, data ſunt à ſolo Deo, quæ autem ſic habentur, non poſſunt vendi; *Nam videtur* (inquit) *iure gentium, quòd piſces maris, ferè omnibus ſint communes.* Secundò quia ſunt data nobis ad communem vtilitatem, quæ autem talia ſunt, non poſſunt in vtilitatẽ priuatam conuerti, illa vendendo. Tertiò quia quæ gratis, & ſine operibus noſtris conferuntur, nobis liberaliter

9. Licet cadat ſub dominiũ adhuc non poſſe vendi. *Vict.*

liberaliter debent distribui, vt aqua, sol, &c. Sed profecto parùm cogunt. Quia licèt aliqua bona sint à Deo solo, & gratis donata, si mihi in particulari donata sunt, licitum mihi erit illa, vel vtilitatem, vel vsum illorum vendere, si aliunde non repugnat, quia dominium dat hanc facultatem, siue à solo Deo, siue à quocunque alio originem duxerit; parum enim hoc refert. Nec exempla sunt ad rem, quia pisces & feræ tunc vendi non possunt, quando nō sunt alicui in particulari ad dominium applicatæ, at verò facta applicatione, vendi possunt. Et si Deus ipse alicui immediatè pisces aliquos, aut feras donasset, posset illas vendere, sicut vidua potuit vendere oleum, quod per Elisæum Deus miraculosè donauerat. In præsenti autem, hæc dona gratiæ non dantur tantùm generi humano in communi, sed dantur diuisa, & applicata tali personæ, diuidente Spiritu sancto singulis, prout vult, ergo ex hoc capite non procedunt exempla, nec rationes factæ. Neque etiam videtur sufficere, quòd dentur propter aliorum vtilitatem, quia simul dari possunt propter communem vtilitatem, & priuatam, posset enim quis deseruire communitati, vtendo, verbi gratia, dono sanitatis, etiamsi propter curationem aliquid acciperet, vel operam suam venderet.

Rationes Victoriæ non cogere editur.

10. Aliter ergo exponenda est illa ratio: nam in his donis gratiæ, ad summum potest considerari aliquod dominium quoad actus eorum, quatenus illos liberè exercemus, & ea ratione dicimur esse illorum domini. Tamen hi actus dupliciter considerari possunt, vno modo, vt pertinent ad sanctificationem operantis, & illi possunt esse vtiles ad meritum: & vt sic, constat non esse vendibiles pretio temporali, quia nō possunt transferri in dominium aliorum imò neque efficaciter transferri in vtilitatem aliorum. Alio ergo modo considerari possunt, vt possunt per eos conferri aliqua spiritualia bona proximis, & vt sic, etiam vendi non possunt, quia nos non sumus domini illorum spiritualium bonorum, quæ per illos actus conferenda sunt aliis, sed pendent ex sola institutione, acceptatione, ac voluntate, & efficacitate Dei, & ideò si quis tentet vendere tales actiones, quatenus spirituales fructus aliis afferunt, non actiones, sed fructum ipsum venderet. Et ita Petrus reprehendit Simonem quòd donum ipsum Dei emere tentasset, quamuis ille ab Apostolis non postularet, nisi actionem illam, per quam conferri posse putabat tale donum. Adde actionem ipsam spiritualem, vt talis est, esse donum Dei, quod vilescereret si pecunia æstimaretur. De actione autem ipsa materiali, an intrinsecè maneat inuendibilis ex natura rei eo ipso quòd eleuata est ad tale esse spirituale, vel ad talem efficaciam supernaturalem efficiendam, infrà videbimus tractādo de Sacramentis, & aliis actionibus corporalibus, vbi efficacia harum rationum, & intrinseca malitia Simoniæ magis constabit.

11. In lege gratiæ non est positiuū præceptum prohibens venditionem rerum spiritualium: naturale tamen explicatū est. *D. Thom.*

Secundò dicendum est, in lege gratiæ non esse latum speciale præceptum diuinum positiuum prohibens venditionem rerum spiritualium, sed naturale esse à Christo Domino in Euangelio explicatum. Priorem partem ponit expresse Victor. in d. Relect. num. 11. quem posteriores sequuntur propter rationem supra insinuatā, quòd in lege noua, nec negatiua, nec affirmatiua præcepta data sunt à Christo, præter præcepta Fidei, & Sacramentorum, vt sumitur ex D. Thoma 1. 2. quæst. 108. art. 1. ad 2. & art. 2. in corp. vbi ostendit hoc pertinere ad libertatem legis gratiæ. Confirmatique potest hæc pars ex præced. assertione. Quia omnis Simonia, quæ committi potest contra res per se spirituales, vel contra illas res sacras, quæ sunt ex ipsius Christi institutione, est immediatè, vel mediatè contra legem naturalem, ergo non fuit necessarium addere specialem legem positiuam diuinam circa hanc prohibitionem, licèt fuerit conueniens ius ipsum naturale à Christo indicari.

12. Probatur vltima pars assertionis.

Sic ergo procedit altera pars assertionis, quæ probari solet ex Matth. 21. & Ioan. 2. vbi Christus eiecit vendentes, & ementes de templo, inter quos erant vendentes columbas, quia columba Spiritum sanctum, & dona eius repræsentat. Vt exponunt in Matth. Hieronymus, & Beda, Ambrosius, Luc. 19. Chrysostomus bene Homil. 13. in Marc. vbi ferè omnia dicta confirmat. Et de eodem testimonio habentur multa iura 1. quæst. 3. cap. *Ex multis*, cum sequentibus. Veruntamen licèt auctoritas patrum reddat hoc argumentum efficax, tamen ex testimonio per se spectato non sumitur, quia est mystica expositio, à qua non solet efficax argumentum sumi. Possumus etiam inde argumentari quasi, à fortiori. Nam si Christus tam acriter reprehendit negotiationem in templo, multò certè magis damnat negotiationes, & venditiones ipsarum rerum sacrarum, ac diuinarum. Potissimè verò probanda est hæc pars ex dictis verbis Christi; *Gratis accepistis, gratis date.* In quibus verbis in primis pro certo statuendum est, aduerbium illud *Gratis*: in vtroque loco propriè accipi. Quod aduerto, quia Maldonatus exposuit, *Gratis date*, id est, *largiter*, nam quæ gratis dantur, largiter dantur. Sed sine dubio illa non est proprietas vocis; nec fundamentum illius translationis videtur in vniuersum verum: nam sæpe quæ gratis dantur, etiamsi gratis accepta sint, cum magna moderatione, & mensura dari solent; nisi contingat, multum esse liberalem, qui donat. Denique quicquid sit de hac metaphora, proprietas vocis priùs tenenda est, tum propter generalem regulam interpretandi Scripturam; tum quia & Patres, & Theologi omnes ita intelligunt, vt gratis sit, dare sine pretio; tum etiam quia hæc est significatio aptissima pro materiæ qualitate, & ad mores maximè necessaria, & nullum habet inconueniens. Tum denique quia in hoc sensu dicitur, *Gratis accepistis*, id est, sine pretio, & sine merito ex gratuita voluntate dantis, in eodem ergo sensu subiicitur, *Gratis date.*

Hieron. Beda. Ambros. Chrys. C. Ex multis.

Maldonat.

13. Prædicta Christi verba præceptū continent.

Secundò est supponendum, verba illa præceptum continere, & necessitatem indicare, non consilium. Ita in rigore postulat imperandi verbum, si aliunde non constet de alio leniori sensu, quod hîc constare non potest, neque ex materia, quia illa capax est talis præcepti, vt constat: neque ex Patrum expositionem, nam potiùs illi, & expositores communiter, ac Theologi intelligunt, ibi præceptum contineri, quo prohibetur Simonia. Et licèt Patres hac voce non semper vtantur, sed auaritiæ turpis, quam dicunt ibi Christum prohibuisse, tamen in re in idem recidit, quia idcircò auaritia in illa materia, est grauiter culpabilis, & turpis, quia est sacrilega, & contra dignitatem ac sanctitatem diuinæ gratiæ. Sic Hieronymus ibi exponens illa verba, inquit: *Quia semper dona spiritualia, si merces media sit, viliora fiunt, adiungitur auaritiæ condemnatos: Gratis accepistis, gratis date.* Sentit ergo damnari illam venditionem, vt sacrilegam, & redundantem in vilipendium spiritualium donorum. Vnde subiungit: *Ego magister, & Dominus absque pretio hoc vobis tribui, & vos sine pretio date, ne Euangelij gratia corrumpatur.* Quod optimè cōfirmant verba Petri 1. epist.

Hieron.

1. Pet. 4.

epist.cap.4. *Vnusquisque prout accepit gratiam,in alterutrum illam administrantes sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.*

14. Cõfirmatur. Vnde noua insurgit confirmatio : cum enim hæ gratiæ, & Ecclesiastica ministeria ad confirmationem, & fructificationem doctrinæ ordinentur, si pretio venderentur,corrumperetur Euangelium,id est,inefficax, & inutile redderetur, tum quia signa ipsa,& verbum vilescerent, nec æstimarentur tanquam Diuina,sed vt artes,vel inuentiones humanę ad lucrandum ; & ministri acciperent occasionem vacandi potiùs quæstui, quàm doctrinæ,& auditores minùs beneuoli redderentur ad verbum Dei suscipiendum.Et hoc ferè modo expendit locum illum latè ibi Abul.qu. 61.62.& 63. Continent ergo verba illa præceptum de re valdè necessaria ad Apostolicum ministerium. Nec refert,quod sequentia verba contineant consilium quia verba adaptãtur materiæ,in quam cadunt. Quamuis dici possit, etiam sequentia verba continere verum præceptũ, ita enim loquitur ibi Hieronymus.Siue illud fuerit quasi personale præceptum pro solis Apostolis, & pro illo tempore datum, vt significat August. lib. Quæst.Nou.& vet.Test.quæst.104.& Ambr.lib.7. in Luc.10.circa illa verba.*Non peram*,&c. Et exponit latè Ianscn.Matth.10. Siue spiritualiter intelligendum sit, nimiam solicitudinem talium rerum ibi prohiberi, quæ solet esse turpis auaritiæ mater, vt ibi latiùs expositores declarant;& vno verbo attigit Ambros.lib. de Ioseph. cap. 13. dicens ; *Misit Dominus discipulos sine auro,&c.id est,vt incentiua litis, & instrumenta eriperet viliorũ.* Et Psalm. 118.Oct. 5. *Ideò dixit Dominus: Nolite possidere aurum, vel argentum,ne vos auri,& argenti cupiditas auara possideat.*

Abulens. *Hieron.* *August.* *Ambros.* *Ianscn.*

15. Præceptum in illis verbis contentum, non est positiuũ tantùm. Addo verò vlteriùs,præceptũ in illis verbis contentum,non esse positiuum tantùm, sed ex naturâ rei,& ex vi talis materiæ necessarium.Hoc satis declaratum est,& probatum rationibus factis,quia & finis talium gratiarum & dignitas earum postulat, vt mercarui non exponantur. Sic ergo dixit Ambr. li.5.in Luc.8. *Tam vili actione vult æstimari se Christus, vt ab omnibus ematur,ne quis pauper deterreatur,Gratis* (inquit) *accepistis,gratis date, pecuniam non quærit diuitiarum altitudo,sed gratiam.* Vbi vtramque rationem & ex parte finis, & ex dignitate gratiæ attigit. Sic etiam dixit idem Ambr.li.de Dignit.sacer. cap.5. *Si gratia gratis datur,& pretio nõ comparatur,ait cur gratia pecunijs comparatur?* Vbi obseruandum occurrit, in verbis Christi vtrumque *gratis*, cum eodem rigore,& proprietate sumi, eo nimirum modo, quo gratia diuini, & supernaturalis ordinis, gratia per Antonomasiam appellatur, quia videlicet omninò gratis datur,ita vt omne debitũ excludat,siue meriti perfecti,siue imperfecti, siue connaturalis habitudinis ad ipsam naturam.Quod enim gratis sic accipitur, gratis etiam, & sine pretio communicari debet, eo modo quo potest ab vno homine alteri communicari, quia si communicetur propter pretium agitur contra naturam talis gratiæ & contra auctorem eius;namvenditur id,quod ipse solus potest conferre,& ita homo opus Dei vendit tanquam suum, & id, quod vendit, vult æstimari vt suum, non vt Dei.

August. *Ambr.*

CAPVT III.

Qualis, & quanta, & quàm intrinseca sit malitia Simoniæ.

PRiusquàm ad aliud mẽbrum diuisionis declarandum accedamus,nonnulla dubia,quæ ex dictis circa primum membrum oriuntur,ex pedienda sunt,vt hæc malitia Simoniæ,quam intrinsecè malam esse dicimus, & de qua nunc tantùm agimus, perfectè intelligatur. Ex dictis ergo constat primò, hanc malitiam esse contrariam directè,ac proximè, virtuti Religionis, quatenus ad Religionem pertinet res sacras, atq; diuinas debita veneratione tractare.Hoc enim est, quod per Simoniam maximè violatur,vt declaratum est.Et omnes rationes, quæ fiunt ad declarandam malitiam naturalem huius vitij,vt efficaces sint, eò tendere debent, vt declarent,quomodo per venditionẽ seu temporalem pactionẽ,aut commutationẽ,diuinis donis, & consequenter Deo illorũ auctori grauis irreuerentia frat, quod etiã in superiori cap.pro viribus explicatũ est.

Peccatũ hoc ex genere suo est contra Religionem.

Et hinc sequitur secundò, peccatum hoc ex genere suo mortale esse,atque grauissimum, quod est certissimũ dogma, & ab omnibus doctoribus tam Theologis, quàm Iurisperitis, & Summistis receptũ,satisque est declarata hæc grauitas à Petro illis verbis ; *In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.*Et in Iure tanta exaggeratione reprehenditur hoc vitium, vt omnibus aliis peccatis mortalibus ex genere suo præferri videatur. Nam in cap. vlt.1.q.7.dicitur:*Omnia crimina ad comparationem Simoniacæ hæresis,quasi pro nihilo reputantur.*Et in cap.1. 1.q.3.dicitur,non esse dispar à sacrilegio.Et in cap. *Reperiuntur* 1.q.1. vocatur *Execrabile flagitium*, & in cap. *Quisquis*,ead.dicitur *Piaculare flagitium*, id est, vt exponit Glossa,quia comparatur ei,quod morte expiatur.Et in c.*Siquis Episcopus* ead.ex Conc. Calc. ca.2 vocatur *Turpissimum lucrum*,& c. *Sane* 15.qu.3. dicitur, *Ad instar publici criminis, & lesæ maiestatis puniendum.* Similia habentur in cap.*Tanta*, de Simon. Quæ non sunt intelligenda cum tanta proprietate, vt omninò credatur, hoc peccatum ex genere suo reliqua omnia superare.Nam sine dubio maius peccatum est hæresis,& omnia, quæ directè opponuntur virtutibus Theologicis maiora sunt, vt suprà generaliter ostensum est. Et intrà latitudinem peccatorũ contraReligionem maius peccatum est idolatria,vt rectè notauit Alens.dicta q.167.memb. 2.§.3. Nam idololatria immediatè est contra ipsum Deum,& maiestatem eius, Simonia verò proximè est contra dona eius.Intelligendum ergo est omnia illa esse dicta per exaggerationem ad explicandum esse hoc acerbissimum, & grauissimum peccatum.

2. Peccatũ hoc ex genere suo est mortale.

Act.8. Cap *vlt.* Cap.1. C.*Reperiũtur* Ca.*quisquis.* *Glossa.* Cap. *Siquis.* *Conc.Calc.* Cap.2. Cap.*Sanè.* Cap. *Tanta.* *Alens.*

Præsertim verò exaggeratur à Patribus, quia est vitium pernicioſissimum Ecclesiæ. Tum quia ratione auaritiæ,& ambitionis,quæ cum illo coniunguntur,nimiùm diffunditur,& vt cancer serpit, & ideò vocari solet Simoniaca pestis. Et hac ratione dicitur in cap.*Sicut* de Simonia,*Simoniaca pestis alios morbos vincit*: vtique in extensione, & virtute corrumpendi mores. Et ob eandem causam in dicto c. *Reperiuntur* 1. quæst. 1. dicitur *Cancerosum vulnus, & vsitatum malum.* Tetrum etiam, quia magnum nocumentum affert Ecclesiæ,nam occasione huius vitij,indigni eliguntur, & sanctum datur canibus, & res Ecclesiæ vilescunt. Ratione ergo harum circunstantiarum solet exaggerati,& præferri aliis vitiis Et eodem modo posset exponi Ambros. li. 4.in Luc.Et habetur in cap.*Cito* 1. quæst. 1. quatenus significat, grauiùs fuisse punitum hoc peccatum in Giezi 4.Reg. 5. quàm idololatriam in Moabitis, Deuter. 23. Quia Giezi dictum est. *Lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo vsque in sempiternum*, De Moabitis autem dictum est. *Non intrabunt in Ecclesiam vsque in tertiam,vel quartam generationem*(vt legit Ambrosius) Esto enim, fuisset imposita maior pœna,non inde inferretur esse absolutè maius peccatum.

3. Cur hoc vitium tãtum exaggeretur à Patribus. *Ambros.* Cap.*Cito.* *4.Reg.5.* *Deut.23.*

totam ſpiritualitatem ſuam habet ex iure humano, & Eccleſiæ inſtitutione, vt ſacramentalia omnia ſunt ſpiritualia de iure humano. Secundò, quia immediatè ipſa venditio talis rei, vel commutatio pro alia ex pacto, & obligatione mutua de ſe non eſt mala, iure tamen humano prohibita eſt intuitu Religionis; Vt verbi gratia officium Oeconomi (quod gratia tantùm exempli dictum ſit) Eccleſiæ, per ſe ſpectatum non eſt res ſacra, & ideò vendere illud non eſt de ſe Simoniacum: ſi autem Eccleſia illud vendere prohibuit intuitu reuerentiæ rerum ſacrarum, erit venditio Simoniaca iure poſitiuo Eccleſiæ, & non diuino. Multi ergo Doctores videntur priori modo interpretari hanc Simoniam iuris humani. Ita docet ſatis apertè Mai. in 4. diſtin. 25. q. 3. ad 47. & ſuprà Palud. ad 2. Durandi, quem imitatur Turrec. & ita explicare videntur ſententiam ſuam Gloſ. licèt non ſatis clarè in dicto c. *Exparte.* Idemque ſignificant ibi Felin. num. 1. Dec. num. 7. & alij tùm ibi, tùm in dicto cap. *Latorem*, 1. q. 1. & in c. 1. de Simon.

Mai. Palud. Turrec. Gloſſ. Ca. Ex parte. Felin. Dec. Ca. Latorem.

3. *Victor.* Impugnatur primus modus explicandi Simoniam contra ſolũ ius poſitiuum.

Hic verò modus explicãdi hanc Simoniam probari non poteſt, ſi propriè loquamur, & vis non fiat in verbis, vt rectè notauit Victor. in Relect. de Simonia num. 12. & ſeq. Nam primò pluris vendere aquam benedictam ratione benedictionis, Simonia eſt contra ius diuinum; & idem eſt in ſimilibus rebus ſacris, vt infra videbimus. Et tamen res ipſæ ſacræ factè ſunt per inſtitutionem poſitiuam Eccleſiæ. Secundò hæc duo, videlicet benedicere aquam ad tales effectus ſpirituales, & prohibere, ne vendatur, valdè diſtincta ſunt, vt per ſe notum videtur. Ponamus ergò Eccleſiam inſtituiſſe benedictionem aquæ, vt fecit, & non prohibuiſſe in particulari venditionem eius, nec comprehendiſſe venditionem ſub aliqua generali lege ſua; hoc poſito nihilominus venditio illa Simoniaca erit, ſi vt aqua benedicta eſt, vendatur, id eſt, maiori pretio ratione benedictionis, quàm per ſe vendi poſſit: igitur talis Simonia non eſt de iure humano, ſed ex ipſa rei natura. Non eſt enim tunc mala, quia prohibita iure humano; ponimus enim, nullum eſſe tale ius prohibens; eſt ergo prohibita, quia mala, ac ſubinde iure naturæ prohibita. Tertiò oſtendimus ſuprà, tractando de ſacrilegio, & de immunitate templorum, ſacrilegiũ, quod committitur vtendo profanè vaſis ſacris, eſſe contra legem naturæ, & ſimiliter profanationem templi, & ſimilia, licèt talium rerum ſanctitas ſit de iure humano. ergò ſimiliter Simonia, quæ neceſſariò ſequitur ex rei conſecratione, eſt contra ius naturale, licèt ipſa conſecratio non ſit de iure naturali. Tandem in ipſis Sacramentis ſimile quid inuenitur, nam inſtitutio eorum eſt de iure diuino poſitiuo, ſacrilegium autem, quod committitur, indignè illa ſumendo, vel conculcando, vel (quod idem eſt) vendendo, eſt contra ius Diuinum naturale. Ergò non rectè explicatur membrum dicto modo, niſi de nomine (vt dixi) ſit contentio; & dicatur eſſe de iure poſitiuo in radice, quod fortaſſe non negaſſet Durandus, quamuis in hoc etiam ſatis diminutè loquatur. Veruntamen nec modus ille loquendi probandus eſt, quia re vera non declarat rem, & illa appellatio tantùm in illo ſenſu declarata nihil ad moralem quæſtionem confert, vt in ſequentibus videbimus.

4. *Quando Simonia aliqua ſit ſolum de iure poſitiuo.*

Dicendum ergò eſt, tunc Simoniam aliquam eſſe de iure poſitiuo, quando immediatè habet talem malitiam ex vi prohibitionis Eccleſiæ vetantis venditionem, aut pactum oneroſum circa talem rem, intuitu religionis, ſeu reuerentiæ debita rebus ſacris, ita vt talis actio illam malitiam non haberet, ſecluſa Eccleſiæ prohibitione, etiamſi res tam ſpiritualis, vel ſacra eſſe, ſicut nunc eſt. Probatur quia re vera hoc eſt neceſſarium, vt actio aliqua dicatur eſſe mala in aliqua ſpecie vitij ex vi ſolius prohibitionis Eccleſiæ. Quod in primis declaratur exemplo, ſumpto ex Concil. Trid. ſeſſ. 24. capit. 18. de Refor. vbi de examinatoribus ad beneficia, dicit, *Cauteant ne quicquam prorſus, occaſione huius examinis, nec antè nec poſt accipiant.* Quam prohibitionem conſtat eſſe poſitiuam, & etiam ſubiungit: *Alioqui Simonis vitium iàm ipſi, quàm alij dantes incurrant.* Quæ verba non poſſunt niſi nimis violenter de ſola pœna explicari. Præſertim cùm poſteà pœnam ſubiiciat. A ſimili etiam poteſt hoc confirmari. Quia nunc contrahere matrimonium cum conſanguineo in tertio gradu, vel quarto, eſt ſacrilegium contra ius naturale, fornicari autem cum illo eſt inceſtus contra ius poſitiuum. Ratio autem diſcriminis eſt, quia matrimonium cum conſanguineo non tantùm eſt illicitum, quia immediatè eſt contra legem Eccleſiæ prohibentem illud, ſed etiam eſt ſacrilegium contra legem diuinam naturalem vetantem facere ſacramenta irrita, quæ obligatio ex natura rei ſequitur, eo ipſo quòd perſonæ factæ ſunt inhabiles ad contrahendum, etiáſi hæc inhabilitas iure humano introducta ſit. At verò copula illicita cum conſanguinea accipit ſpecialem circunſtantiam inceſtus ex lege prohibente immediatè, quia per illam legem immediatè conſtituitur talis circunſtantia vt neceſſaria ad debitam honeſtatem inter perſonas in tali gradu coniunctas. Ita ergo intelligi poteſt, & debet in materia præſenti: nam ſi actus fiat ſimoniacus ex inſtitutione Eccleſiæ, ſolùm mediatè quatenus res ſacratur, vel ſpiritualis fit ex inſtitutione Eccleſiæ, & inde ex natura rei reſultat ratio Simoniæ, tunc Simonia non eſt mala, quia prohibita, ſed prohibita, quia mala, & contra ius naturæ: at verò ſi contingat immediatè ex ſola prohibitione reſultare Simoniam, non aliter mutata materia in ratione rei ſacræ, vel annexæ rei ſacræ, quàm per prohibitionem: illa erit propria Simonia de iure poſitiuo. Quòd autem hic modus poſſibilis ſit, oſtenditur ratione ſuprà inſinuata, quia lex poſitiua præcipiens aliquem actum in aliqua materia virtutis, intuitu honeſtatis illius virtutis, habet vim conſtituendi materiam illam vt neceſſariam ad honeſtatem talis virtutis, & è conuerſo lex prohibens aliquid intuitu alicuius virtutis, eo ipſo conſtituit actum prohibitum in ſpecie vitij contrarij illi virtuti, quia habet vim conſtituendi medium, & quaſi taxandi illud in materia virtutis, vnde fit, vt actus prohibiti intuitu eiuſdem virtutis excedant, vel deficiant à medio neceſſario talis virtutis, & conſequenter habeant malitiam tali virtuti contrariam.

5. Hoc autem principium ſupponitur vt manifeſtum ex materia de Legibus: Et fundamentum eius eſt, quia qui habet poteſtatem legiſlatiuam, habet etiam poteſtatem dirigendi actus ſubditorum in vnaquaque materia virtutis iuxta exigentiam eius, quod maximè eſt vniuerſaliter verum in poteſtate diuina, & ſuo modo in poteſtate Eccleſiaſtica, quæ immediatè ad internam animæ ſalutem ordinatur, & ideò generalius poteſt præcipere in omni materia virtutis, quàm lex ciuilis. Sic ergo in materia Religionis poteſt lex Eccleſiaſtica aliquam actionem emendi, aut vendendi rem ſacram, aut annexam rei ſacræ de ſe non malam pro-

hibere intuitu Religionis tantùm, & ob reuerentiam rerum sacrarum, ac subinde constituere immunitatem à tali contractu vt necessariam ad seruandum debitum medium in honestate Religionis, & cultum debitum rei sacræ: Tunc ergo actio illa erit immediatè mala ex prohibitione Ecclesiæ, & illa malitia erit in specie Simoniæ, quia prohibitio fit in materia capaci illius malitiæ, & intuitu sacri cultus, cui malitia Simoniæ opponitur. Sicut in superioribus dicebamus, immunitatem loci sacri à negotiationibus, & forensibus iudiciis, & à violenta extractione delinquentium, qui eius custodiæ se committunt, licèt ex iure Ecclesiastico sit, facere, vt actus contrarij sint sacrilegia talis speciei contra locum sacrum, ita ergo in præsenti, prohibitio facit, vt talis venditio sit sacrilegium tale, quod est Simonia.

6. Obiectio. Dices: Quomodo potest fieri talis prohibitio, quæ pertineat ad materiã Simoniæ, nisi supponatur fieri circa rem sacram. Si autẽ res supponatur sacra, iam supponitur venditio eius ex se simoniaca absque superaddita prohibitione positiua; nunquam ergo potest hæc malitia immediatè oriri ex prohibitione positiua. Respondeo, tripliciter posse id intelligi, iuxta tria, quæ in Simonia intercedunt, scilicet res vendita, pretiam, & contractus. Potest ergo hæc Simonia intelligi, primò ex parte actionis vendendi, vel emendi, etiamsi circa rem verè, & propriè sacra sit. Secundò ex parte rei, quæ vendi prohibetur. Tertiò ex parte pretij. Quando fit primo modo, oportet vt contractus, vel datio, & acceptio rei, quæ prohibetur, non sit propria emptio, & venditio, & ideò ex solo iure naturę non sit prohibita etiam circa rem sacram, & nihilominùs lex positiua illam prohibeat intuitu Religionis quia est pactio aliqua habens magnam affinitatem cum emptione, & venditione, & consequenter magnam speciem, seu apparentiam eius, & ideò expedit prohiberi ad maiorem puritatem Religionis, & ad tollendam omnem occasionem, & suspicionem Simoniæ. Tunc ergo actio sic prohibita erit Simonia positiua, quia licèt res, circa quã versatur, sit verè sacra, nihilominùs ipse de se non erat mala, talis tamen erat, vt potuerit prohiberi intuitu Religionis, & (vt ita rem explicem) ad maiorem immunitatem rei sacræ ab omni labe Simoniæ, ideóque talis prohibitio constituit illam materiam in specie talis vitij, quod est Simonia. Exemplum sit, si Ecclesia prohibeat, vt in actuali administratione alicuius sacramenti nihil recipiatur etiam sponte oblatũ, agere contra illam prohibitionem esset Simonia positiua. Quia illa acceptio de se non erat propria venditio, tamen ab Ecclesia ita prohibetur, ac si esset venditio. Item beneficiorum permutatio propria auctoritate facta, fortasse non est propria venditio sufficiens ad Simoniam ex natura rei; Ecclesiæ tamen prohibitio facit illam Simoniacam: Item compositio litis beneficialis per solam conuentionem partium, & alia similia exemplа peti possunt ex c. *Quàm pio*, capit. *Quæsitum*, & cap. *Cùm olim*, de Rer. permut. & cap. *Cum pridẽ*, c. *Cùm clerici*. de Pactis, & c. *Constitutus*, cum aliis de Transact. De quibus infrà ex professo dicemus, nunc enim solùm vt probabilia exempla hæc ponimus ad rem explicandam, quicquid sit de eorum veritate: Generaliter autem manifestum videtur, hunc modum prohibitionis, & Simoniæ esse possibilem.

Respõsio.

Tripliciter posse fieri hanc prohibitionem.

Cap. *Quãpio.* Cap. *Quæsitum.* Cap. *Cùm olim.* Ca. *Cùm pridem.* C. *Cùm cler.* Cap. *Constitutus.*

7. Secundus modus, alio modo fieri potest, vt venditio, quæ prohibetur, vera & propria sit, res autem circa quam prohibetur, non si ita sacra, vt ex natura rei sit irreligiosa eius venditio, nihilominùs Ecclesia illam prohibeat, non instituendo circa rem talem nouam aliquam consecrationem, aut benedictionem, sed immediatè faciendo talem prohibitionem intuitu solius Religionis. & ob maiorem immunitatem rerum sacrarum ab omni labe Simoniæ, tunc enim etiam illa materia constituetur ex vi legis Ecclesiasticæ in materia Religionis, quantùm ad abstinentiam ab illa actione, & consequenter contrarius actus constituetur in materia Simoniæ. Hic autem modus non potest contingere circa rem in se verè sacram, vt ratio suprà facta probat, potest tamen contingere in re annexa aliquomodo rei sacræ, potest enim esse tam remota annexio (vt sic dicam) vt ex natura rei non sufficiat ad materiam Simoniæ, & nihilominùs sufficiat, vt per legem positiuam compleatur. Sicut de incestu suprà dicebamus, quòd licèt coniunctio sanguinis in tertio gradu ex sola rei natura non sufficiat ad incestum, vel ad irritandum matrimonium, est sufficiens fundamentũ, vt per legem humanam possit prohiberi intuitu castitatis, seu honestatis inter cõsanguineos: Ita ergo in præsenti cum proportione. Exemplum autem esse potest in officio Oeconomi, aut thesaurarij rerum Ecclesiasticarum, habẽt enim aliquam connexionem, & affinitatem ad res sacras, non verò tantam, vt ex natura rei sit Simonia vendere tale officium; accedente autem Ecclesiæ prohibitione, erit Simonia iuxta c. *Saluator*, 1. q. 3.

Cap. *Saluator.* 8.

Tertio modo. Vt pro re spirituali non detur tẽporale pretium, sed spirituale, nihilominùs permutatio prohibeatur sub hac specie, vt cum dicto exemplo de permutatione beneficiorum, & ex discursu materiæ constabit. Nam discurrendo per singula materias, vel actiones Simoniæ applicabimus hanc veluti regulam ad explicãdum, quis modus Simoniæ in vnaquaque reperiatur. Nunc breuis ratio regulæ reddi potest, quia in Simonia, quæ per se talis est, illa tria requiruntur, scilicet materia, quæ est res sacra, pretium temporale, & pactio seu venditio, quæ est actio sacrilega: ergo vt actio, quæ ex natura sua talis non est, per prohibitionem talis fiat, oportet, vt seruet proportionem, vel in materia, vel in pretio, vel in pacto, ab aliam, quæ per se talis est, vt intuitu eiusdem Religiosæ honestatis prohiberi possit & de facto prohibeatur: omnibus autem modis explicatis potest seruari proportio in prohibitione, si illo intuitu fiat: ergo in ordine ad rectam rationem inducit tale præceptum honestatem eiusdem rationis intra latitudinem illius virtutis.

3. modus.

9. Fundamenta Durandi eneruantur. Ex his facilè est respondere ad fundamenta Durandi. Ad primum dicitur falsum esse assumptum: nam transgressio legis positiuæ nõ est tantùm inobedientia, imò nec est formaliter inobedientia nisi fiat ex formali intentione, & contemptu præcepti, aut legislatoris; alioqui solùm generali ratione, & quasi materialiter inobedientia est, formaliter verò, & specificè est tale vitium, qualis est materia legis, & modus prohibitionis eius. Quod eisdem exemplis, quæ Durandus adducit, probamus. Nam comedere carnes in die prohibito intemperantia, est; & non tantum inobedientia & similiter comedere pluries in die ieiunij, violare etiam immunitatem Ecclesiæ aliquem violenter extrahendo sacrilegium est, & non tantùm inobedientia, & sic de aliis. Ad Diuus Thom. autem ibi citatum respondet Caiet. in eodem loco, quando D. Tho. dicit, ea quæ sunt mala, solùm quia prohibita, talia esse, vt ad nullam virtutem pertineant prẽter obedientiam, intelligendum esse cum addito

D. Thom. Caiet.

secundum

ſecundùm ſe. Sic enim, ait, *multa cadunt ſub humanum præceptum, quæ ſecundùm ſe ad nullam ſpectant virtutem.* Sed hoc etiam non videtur verum, quia aliud eſt, non pertinere ad virtutem, aliud non cadere ſub obligationem virtutis, vt ex D. Th. in eodem loco conſtat, vbi dicit non omnia opera virtutum cadere ſub præceptum, ac ſubinde multa pertinere ad virtutem, & nõ ad obligationem virtutis. Illa ergo, quæ ſunt mala, quia prohibita: talia ſunt, vt eorum oppoſita ſecundùm ſe non ſint de neceſſitate, & obligatione alicuius virtutis, vt per ſe conſtat, nihilominùs etiam ſecundũ ſe poſſunt pertinere ad virtutem aliquam, vt ieiunare ad temperantiam pertinet, etiam quãdo non præcipitur, & audire Miſſam, & ſimilia. Imò videtur hoc neceſſariò eſſe præſupponendum ad legem humanam, quia non poteſt præcipere niſi honeſta, nec præcipiendo facit honeſta in ſpecie virtutis determinata præter obedientiam, ſed ſupponit eſſe honeſta, & facit neceſſaria.

10. Interpretatur D. Tho.

Quare poſſemus intrepretari D. Th. cùm ait, ad nullam virtutem talia pertinere, intelligere non pertinere quoad obligationem & neceſſitatem, nõ tamen excludere, quin poſſint pertinere quoad honeſtatem. Et fortaſſe Caiet. non aliud voluit. Adde verò vlteriùs interdũ poſſe præcipi id, quod ſecundùm ſe ad nullam virtutem pertinet. & per præceptum conſtitui non ſolùm in neceſſitate virtutis, ſed etiam in honeſtate virtutis. Vt Eccleſia prohibet, verbi gratia, ieiunium in die Dominico, & tamen abſtinere à ieiunio in illo die ſecundùm ſe non pertinebat ad virtutem, ſed erat quid indifferens: & hoc ſatis eſt ad legem humanam, poteſt enim actum de ſe indifferentem præcipere. Et licet ſemper præcipiat illum propter honeſtum finem; non tamen cadit ſub præceptum finis legiſlatoris, ſed tantùm actus præceptus. Et ita non repugnat, aliquem tranſgreſſorem alicuius legis humanæ habere tantùm malitiam inobedientiæ, quando ſcilicet materia eius ad nullam aliam ſpecialem virtutem pertinet præter obedientiã, quod fortaſſe voluit indicare D. Th. At verò quando materia præcepti pertinet ad ſpecialem virtutem, vel ex vi præcepti in illa collocatur tanquam neceſſaria ad honeſtatem illius virtutis; tunc tranſgreſſio habet ſpecialem malitiam contrariam illi virtuti, & non tantùm obedientiæ: & ita eſt in præſenti, vt declaratum eſt.

Caietan.

11. Lex licet nõ poſſet mutare res in eſſe phyſico, poteſt tamen mutare quo ad eſſe morale.

Ad ſecundum argumentum Durandi iam eſt reſponſum, quod poteſt eſſe res ſacra, & actio non ſimoniaca ex ſola rei natura, & fieri ſimoniaca ex vi prohibitionis, poteſt item eſſe res annexa rei ſacræ, ſed non tàm acto vinculo, vt ſufficiat ad naturalem Simoniam, per prohibitionem autem poſſit fieri. Cùm verò Durandus ait, legem non poſſe mutare rerum naturas: reſpondemus, verum eſſe non mutare illas in eſſe phyſico, ſeu reali, nihilominùs tamen mutare illas quoad eſſe quoddã morale, & quoad neceſſitatem, vel mediũ virtutis. Sic enim lex iuſtitiæ taxans pretia rerum, mutat valorem earum, & mutat medium iuſtitiæ in earum commutatione ſeruandum: & ſic etiam poteſt præſcribere tempus, & locum, & modum neceſſariò ſeruandum in operatione, vt ſtudioſè fiat etiam in proprio genere virtutis: & talis mutatio eſt, quæ in præſenti fit. Neque ſatisfacit Durandus intentioni Iurium, & Canoniſtarum, cum actiones ſic prohibitas ſimoniacas appellant. Tum quia vitium non eſt ſimile alteri in ratione, neque in nomine propter ſimilitudinem pœnæ, vt patet de homicidio, & adulterio: & in præſenti alienatio rerum Eccleſiaſticarum ſolet puniri eiſdem pœnis, quibus Simonia, & tamen Simonia non eſt. Tum etiam, quia in ordine ad confeſſionem multùm intereſt, vno, vel alio modo loqui de tali actu. Nam ſi ſententia Durãdi eſſet vera, non oporteret, in confeſſione exprimere Simoniam prohibitam ab Eccleſia, ſed ſufficeret dicere fuiſſe quandam inobedientiam in materia graui; quia adiectio pœnarum, vel ſola denominatio analoga ob ſimilitudinem pœnarum non ſufficit ad obligationem confeſſionis, vt conſtat. At certum eſt, talem Simoniam eſſe confitendam in ſpecie, & vt Simoniam, vt conſtat ex conſenſu, & praxi totius Eccleſiæ. Eſt ergo illa Simonia non ſolùm quoad culpam, ſed etiam quoad pœnam.

Hæ actiones Simoniacæ non ſunt ſolũ in pœna, ſed etiam in culpa.

Atque hinc conſtat, Simoniã hanc, quam poſitiuam appellare poſſumus, propriam eſſe temporis legis gratiæ, nam in ſtatu legis naturæ non conſtat nobis fuiſſe huiuſmodi prohibitionem poſitiuam, licet illam fuiſſe non repugnauerit, quia non deerat poteſtas legiſlatiua, & prohibitio poterat eſſe conueniens. Minùs autem erat tunc neceſſaria, quia nõ erant tot ſpiritualia dona, nec etiam tot res temporales ſpiritualibus annexæ, & ita ibi ſufficere poterat ipſa naturalis legis directio. Imò etiam in lege ſcripta non inuenimus de hoc ſpeciale præceptum, ſed tantùm ſub communi voce munerum, & magis ad iudices, quàm ad ſacerdotes: licet à fortiori omnes comprehenderit, maximè quia ſacerdotes tunc etiam erant iudices in multis, & præcipuis rebus. Illa tamen prohibitio pure moralis videtur fuiſſe, & naturale ius proponens, ac declarans. Quare etiam in illa lege nulla videtur fuiſſe propria Simonia poſitiua.

12. Hanc Simoniam poſitiuam ſolùm eſſe propriã legis gratiæ.

Tandem colligitur ex dictis, hoc peccatum Simoniæ, etiam quando eſt contra legem poſitiuam, mortale eſſe ex vi ſuæ ſpeciei, & materiæ; nã re vera eiuſdem ſpeciei eſt cum Simonia contra legem naturalem, quia diuerſitas præceptorum quoad efficientes cauſas eorum non variat ſpeciem peccati, quando in materia eiuſdem rationis verſantur; & eandem virtutis honeſtatem reſpiciunt, quia ſpecies tam præcepti, quàm virtutis ex obiecto, & motiuo ſumitur, & conſequenter ſpecies vitij ſumenda eſt per receſſum ab his, ſeu per carentiam honeſtatis debitæ, quæ eadem eſt, etiamſi ex diuerſis præceptis debeatur. Eſt ergo hæc Simonia eiuſdem ſpeciei cum Simonia naturali iure prohibita, ac ſubinde eiuſdem eſt grauitatis ſubſtantialis. Ac denique in illam conueniunt omnia, quæ de hac grauitate diximus in capit. 3. his exceptis, quæ pertinent ad intrinſecam connexionem malitiæ cum tali materia, vel actione ſecundùm ſe ſpectata, illa enim in hac Simonia non reperitur, vt ſatis declaratum eſt. Et hactenus de hac prima diuiſione Simoniæ.

13. Simoniam poſitiuam eſſe mortalem vi ſuæ materiæ.

CAPVT VIII.

INCIPIT EXPONI SECVNDA DIVISIO EX PARTE, MATERIÆ.

An diuidi poſſit Simonia in eam, quæ in materia naturali, vel ſupernaturali verſatur, & conſequenter, An detur aliqua Simonia in materia merè naturali?

1. Quãdo aliquid dicitur materia Simoniæ non ex eo dicitur prohiberi omnis modus recipiẽdi aliquid temporale.

POſt explicatum ius prohibens Simoniam, dicẽdum ſequitur de materia eius, nam inde tanquam ex obiecto habet rationem ſuam. Et quoniã hæc materia multiplex eſt, per partes explicanda eſt, & in ſingulis declarabimus, quo iure prohibeatur emptio, & venditio circa talem materiam. Eſt autem hic pro tota hac parte ſupponendum,

quando dicimus, aliquam esse materiam Simoniæ, non statim improbare omnem modum recipiendi aliquid temporale occasione illius materiæ, sed solũ pretium, vel quod habet rationem pretij. Quid autem necessarium sit, vt aliquid detur vt pretium, vel quando aliter dari intelligatur, in tertia diuisione principali explicandum est. Hoc supposito cùm materia Simoniæ variis modis diuini possit ab vniuersalioribus incipiendo, proposita diuisio ante omnia examinanda est. Et quoniam ex dictis suprà circa definitionem Simoniæ manifestum est, dari aliquam materiam supernaturalem Simoniæ, tota præsens quæstio huc reuocatur, An possit dari aliqua Simonia, quæ in materia purè naturali versetur? Voco autem purè naturalem materiam illam, quæ potest esse in homine ex vi luminis, ac rationis naturalis, eiusq; naturali arbitrio subiacet. Hæc autem duplex esse potest, vna merè corporalis, & humana, vt sunt bona corporis, & fortunæ, alia spiritualis aliquo modo, vt scientia, res sacræ ad naturalem Dei cultum pertinentes. De prioribus rebus nulla est quæstio, notùm est non esse materiam Simoniæ, & à fortiori patebit ex dicẽdis. Circa res ergo posterioris generis est nonnulla dubitatio.

2. An scientias naturales vẽdere sit Simonia.

Primò quidem propter scientias naturales, quas homo materialiter acquirere potest, & aliis communicare, illas enim pretio vendere, videtur iniquum, quia rationes factæ de Simonia ad talem venditionem possunt applicari. Nam etiam de his scientiis dici potest, quod de sapientia dicitur Prou. 3. *Pretiosior est cunctis opibus, & omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari.* Ergo etiam hęc scientia nõ potest pretio æstimari, ergo iniquũ est, illam pretio vendere, habétque ex hoc capite eandem malitiam, quàm Simonia. Et ideò Sapiens Prou. 23. generaliter monet, *Noli vendere sapientiam, & doctrinam, & intelligentiam.* Potest hoc confirmari. Primò, quia omnis veritatis cognitio, atque adeò omnis scientia est ab Spiritu sancto, etsi naturalis sit, teste Aug. lib. de Magist. c. 12. aliàs 13. ergo id satis est, vt sit materia Simoniæ. Confirmatur secundò, quia scientia naturalis extenditur ad cognoscendum verum Deum, ergo saltem illa cognitio naturalis Dei, est inuendibilis; nam contra reuerentiam Deo debitam est vendere veritatem eius. Aliàs simplices, & idiotæ, qui per se non possunt naturalem cognitionem Dei assequi, cogi possent ad illam emendam, & qui pretium non haberent, cogerentur illa cognitione carere, sine qua beati esse non possunt, quod absurdum est. Vnde tandem confirmatur, quia aliàs posset homo beatitudinem suam naturalem pretio comparare, quod per se statim apparet absurdum. Sequela verò patet, quia beatitudo illa naturalis per industriam hominis potest obtineri, stando in pura natura, vt nunc loquimur.

Prou. 3.

Prou. 23.

August.

3. An esset simoniacũ vẽdere illa, quibus Deus coleretur ab homine in pura natura creato.

Secundò, ac principaliter est difficultas, quia in pura natura esse posset, & deberet cultus Dei religiosus, vnde posset etiam esse sacrificium, & cõsequenter etiam sacerdotium, cæremoniæ religiosæ, quæ suo modo ad beatitudinem naturalem cõsequendam, vel ad Dei fauorem impetrandum deseruirent. Ergo in his omnibus esset tunc efficiens materia Simoniæ, cum tamen tota illa materia naturalis sit, vt constat. Probatur consequentia, quia tunc etiam posita humana institutione circa hæc omnia, iniquum, & contra Dei reuerentiam esset sacerdotia, vel sacrificia vendere, & sic de cæteris. Et confirmatur, quia circa talem materiam naturalem verum sacrilegium contra naturalem legem committi posset per alias actiones, quibus res illæ sacræ conculcarentur, aut ad communes vsus trãsferentur, & indignè tractarentur. Nam sacrilegium Religioni ex natura rei opponitur, ideóque vbi est vera Religio, etiam verum sacrilegiũ esse potest. Ergo etiam esse sacrilegium cõmutare illas res sacras pro temporali pretio, nam per hoc indignè tractarentur; hoc autem sacrilegium Simoniam vocamus, vt diximus; ergò.

4. Duplicia dona intellectus, & voluntatis in homine intelligi possunt.

In hoc puncto supponendum est, tantùm duplicia dona spiritualia, & naturalia in homine intelligi posse, intellectus scilicet, & voluntatis; ad hæc enim omnia reducuntur, quæ excogitari possunt. Et in eis est considerandum, spiritualia dona, quæ in homine sunt, non posse à possidente secundùm suam substantiam vendi, non solum iure, sed neque etiam facto, ita scilicet vt in alium transeant physicè, vt per se illum perficiant, quia non possunt ab vno ad alium transferri. Sicut enim non possum alteri donare meam propriam animam, nec intellectum, aut voluntatem, ita nec habitus, vel actus, qui in his potentiis sunt. Solum ergo potest in his intelligi venditio, quantùm ad vsum talium donorum, id est, quantùm ad externa opera, quæ ab illis procedunt, & in alterius vtilitatem, vel commodum fieri possunt. Potest autem hæc venditio intelligi, quantùm ad factum spectat, vel tantùm vendendo ipsa opera talium donorum, vel quodammodo vendendo fontem illorum; ad eum modum, quo venditur homo, quando venditur libertas eius. Ita enim posset artifex, vel philosophus vendere alteri suam artem, non vt illum doceat, nec etiam vt suam perfectionem intellectualem physicè in alium transferat; sed vt ciuile dominium eius alteri tribuat, ita vt qui vendit, teneatur vti arte, vel scientia ad nutum, vel voluntatem alterius, & illi tantùm pro illis fructificare, & lucrifacere. In quo est etiam cõsiderandum duplices effectus, seu duplicia opera prouenire ex virtutibus intellectus. Quædam enim sunt merè corporalia, siue transeuntia, vt cantus, pulsatio citharæ; & similia; siue permanentia, vt pictura, &c. Alia dicuntur spiritualia, non quia per corpus non fiant (quia inter homines nõ potest esse communicatio talium donorum, nisi medio corpore) sed quia proximè, & per se ordinatur ad instruendam mentem alterius, vel voluntatem mouendam, aut dirigendam. De prioribus ergo nulla est quæstio, tum quia (vt dixi) non computantur inter spiritualia etiam naturalia. Tum etiam quia per se notum est, vendi posse, & iusto pretio æstimari. Solum ergo de posterioribus est nonnulla sententiarum diuersitas.

5. Dona intellectus, & voluntatis vendere Simoniam esse, quidam dicunt. *Altis.* *Alens.* *D. Thom.* *Sylues.* *Gloss.*

Prima opinio docet, nec voluntatis dona, neque intellectus vendit posse licitè, & sic eum, qui vendit scientiam naturalem Simoniam committere. Quam sententiam ex Theologis antiquis tenuit Altisiodorensis lib. 3. Summæ tract. 27. cap. 3. quæst. 2. sequitur Alens. par. 2. quæst. 167. memb. 4. dub. 2. & D. Thom. 4. dist. 25. quæst. 3. art. 2. q. 2. in corp. & ad 8. quod lib. 8. art. 11. vbi sic illam explicat. Quia docens scientiam, vel artem humanam, licet possit locare operas suas, si intendat veritatem ipsam vẽdere, simoniacus est. Et idem sequitur Sylues. verb. *Simonia*, quæst. 20. & verb. *Doctor*, q. 9. Ex Canonistis citatur pro hac sententia Glossa in ca. *Non licèt*, 11. quæst. 3. & sine dubio multùm fauet, quatenus ait, aduocatum, vel Iurisperitum posse quidem pecuniam accipere pro consilio, vel patrocinio, quando in eo laborat: tamen si sine speciali studio, & labore possit illud dare, teneri gratis dare: non dicit tamen esse Simoniam, si aliter faciat. Referuntur etiam

Hostiens. etiam Hostiens. & alij in c. *Quia nonnullis*, de Magist. Sed illi non loquuntur de Simonia, sed disputant. Quando Magister iustè, vel iniustè aliquid exigat ab auditoribus. Vnde non video, cur Soto dixerit hanc esse opinionem communem Iuristarum. Quidam verò hanc sententiam limitant dicentes, venditionem talium rerum esse Simoniam lato modo, non proprio. Sicut Glossa in cap. 1. de Magist. verb. *Consuetudinis, quasi Simoniacum* vocat vendere licentiam docendi. Et Richard. 4. distin. 25. art. 3. q. 2. *quasi Simoniam* appellat pretium doctrinæ exigere, quando quis aliàs recipit iustum stipendium pro legendi munere. Citatur etiam pro hac sententia Anton. Sed re vera illam non docet, licèt in aliis non distinguat Simoniam à turpi lucro 2.2. part. tit. 1. cap. 5. §. 17. not. 6.

Soto. *Gloss.* *Richard.* *Anton.*

6. Secunda opinio asserens vendere dona naturalia non esse Simoniam.

Secunda opinio est extremè contraria, nimirum nullum genus Simoniæ posse versari in materia merè naturali, ac subinde in homine in puris naturalibus constituto non posse hoc genus vitij reperiri. Et consequenter neque in homine, qui nunc colit Deum ductus sola ratione naturali sine vlla fidei, vel rerum supernaturalium cognitione: hæc enim omnia sese consequuntur, vt constat.

Ratio. Ratio verò omnium est, quia materia Simoniæ est res spiritualis & denominatur ab spiritu increato, & non à creato, vt suprà dictum est circa definitionem: huiusmodi autem res spiritualis supernaturalis est, & pertinens ad ordinem gratiæ. Cuius rei fundamentum ex Scriptura sumptum est, in qua solùm de donis Spiritus sancti, & gratiis gratis datis, vel ministeriis spiritualibus sermo est, vbi huius vitij fundamentum, & malitia indicatur, vt patet ex Matth. 10. Act. 8. ergo. Et confirmatur, nam malitia Simoniæ in hoc consistit, quod non gratis datur id, quod gratis acceptum est, vel quia venditur id, quod non est proprium, aut id, quod vendibile non est: nihil autem eorum conuenit in naturalia opera, quantumuis spiritualia, seu intellectualia, quia illa gratis non accipiuntur, sunt enim naturæ debita. Et quamuis ipsa natura gratis accipiatur ab eius auctore, tamen ipsa non venditur, sed aliquis vsus eius, qui suppositâ naturæ institutione debitus illi est: vnde quicquid huiusmodi est, proprium est ipsius hominis, nam propria industria, & viribus illud acquirit, suóque arbitrio, subiacet: Denique licèt tale bonum secundum physicam proportionè non habeat comparationem cum materiali pretio, tamen secundum moralem æstimationem, & in ordine ad vsus humanos potest illam habere, & venditioni exponi, vel pecunia comparari, nec in hoc fiet alicui iniuria, nec aliunde apparet indecentia, aut deordinatio in tali actione: ergo. Atque hanc sententiam tenet Soto, si attentè legatur dicta quæst. 5. art. 1.

Matth. 10. *Act. 8.* *Soto.*

7. Dona naturalia in tres classes diuiduntur.

Pro resolutione aduertere, aliud esse quærere, An vendere hæc spiritualia dona naturalia sit Simonia? vel generaliùs quærere, An sit bonum, vel malum? posset enim esse malum, quamuis Simonia non esset. Distingui etiam præterea possunt hæc bona in tres classes; Quædam enim sunt merè intellectualia, & talia voco omnia illa, quæ perficiunt intellectum, siue speculatiuum, siue practicum, & per se non ordinantur ad honestatem moralem. In secundo ordine bono bona, quæ perficiunt tàm intellectum, quàm voluntatem in ordine ad honestos mores virtutum moralium, vt præcisè versantur circa obiecta, & personas creatas: In tertio specialiter constituo ea, quæ spectant ad naturalem cultum, & Religionem Dei, A vt naturaliter cognosci potest, & coli.

8. Dona intellectualia siue speculatiua siue practica non sunt materia Simoniæ. *D. Thom.* *Caietan.* *Rich.* *Palud.* *Durand.* *Angel.* *Armac.* *Adrian.* *Nauar.* *Victor.* *Soto.*

Dico primò, Spiritualia dona naturali more intelectualia, siue speculatiua, siue practica eo modo, quo de facto ab homine vendi possunt, nec sunt, nec esse possunt materia Simoniæ. Hanc assertionem sumo ex Diuo Thoma 2. 2. quæstione 71. articulo 4. ad 2. & quæstione 100. articulo 3. ad 3. Caietano dicto articul. 3. & in Sum. verb. *Simonia*: eandem docent in 4. dicta 25. Richard. articulo 3. quæstione 2. Palud. quæstione 5. Durand. quæstion. 3. Angel. *Simon.* 1. in principio, Armach. libr. 10. capite 8. Adrian. quodlib. 9. Nauarrus, Victor. Soto, & Moderni omnes. Et probatur sufficienter ex fundamento secundæ sententiæ, quia Simonia est peccatum B contra Religionem, in tali autem venditione nihil agi potest contra Religionem, siue infusam, siue merè acquisitam, & naturalem, ergo. Maior supponitur tùm ex dictis, tùm ex conceptu omnium loquentium de Simoniâ; tum etiam quia nisi in hoc conueniamus, non potest esse firma, & (vt ita dicam) vniuoca disputatio, aliàs enim omne vitium commissum in rerum venditione poterit quis vocare Simoniam. Minor autem etiam videtur, per se nota, quia venditio illa nullo modo est contra Religionem, vel cultum Dei, quia materia eius non habet Deum pro obiecto quod, vel cui, vt patet de omnibus artibus humanis, & de scientia iuris humani, mathematicis, philosophia naturali, &c. Et licèt contingat C scientiam habere Deum pro obiecto, vt Metaphysicam, non refert, quia non respicit illum vt colendum, sed vt speculatiuè cognoscendum. Est ergo manifestum, in hac actione non interuenire irreligiositatem aliquam, ac subinde nec Simoniam. Quod ampliùs explico nam si per impossibile posset quis scientiam alterius destruere, vel per maleficium memoriam eius prorsus auferre, peccaret contra iustitiam, non verò contra Religionem ratione nocumenti, sed solùm ratione maleficij, quando interuenerit, quod est per accidens, & est vitium alterius generis ergo signum est illam non esse materiam Religionis, nec vitij contrarij, scilicet sacrilegij, & consequenter nec Simoniæ.

9. Vendere hæc bona naturalia non habet malitiam moralem, & quamuis aliquam habeat, Simonia non est.

D Dico secundò: vendere hæc bona intellectualia eo modo, quo vendi possunt de facto, per se loquendo nullam malitiam moralem continet, & si contingat illam habere, Simonia non erit. Probatur prima pars, quia nemo potest vendere hæc bona, prout illa in se habet, vt transferat in alterum, quia hoc stultum esset, cùm sit impossibile, & ita hoc non potest esse iustum, neque iniustum, nec moraliter consideratur. De facto ergo potest homo vendere illam operam, & laborem, quem ponit in docendo, siue tantùm vnum actum vendat, siue locet operam suam ad multum tempus, siue quodammodò vendat totam suam artem concedendo alteri totum vsum, & fructum eius in perpetuum, seu obligando se in perpetuum ad vtendum, vel E lucrandum cum illa ad arbitrium alterius. In toto ergo hoc facto non inuenitur iniquitas per se loquendo, quia nec est contra Religionem, vt declaratum est, nec est contra iustitiam, quia illa omnia possunt arbitrio hominum iusto pretio æstimari, vt constat ex vsu, & communi hominum æstimatione, à qua pretia rerum temporalium, corporalium, & humanarum accipi solent. Et iuxta hanc considerationem solet res natura sua nobilior minori pretio æstimari, vt equus, quam seruus, quia in ordine ad humanos vsus

vtilior reputatur. Item ille labor docendi, siue vrendi arte aut liberali, aut mechanica corporalis est, licèt per intellectum dirigatur, est ergo pretio æstimalis, ergo si iusto pretio vendatur, nulla erit iniustitia. Suppono enim ex parte contrahentium concurrere alias conditiones necessarias ad iustitiam, vt facilè fieri potest, quòd si interdum non concurrant, erit per accidens, hic autem per se loquimur. Et eadem ratione nihil in eadem venditione per se committitur contra charitatem, quia nemo tenetur per se loquendo laboré suum, & operam pro alio gratis impendere, quòd autem interdum possit teneri propter necessitatem, est per accidens ad præsentem considerationem. Sic enim etiam potest in hoc peccari contra Religionem, vt si quis habens votum gratis docendi, pretium acciperet, quod, vt constat, extrinsecum est.

10. Sot.

Atque hinc facilè probatur altera pars, quam probat Soto simul cum prima assertione, quia si vendere doctrinam naturalem esset Simonia, etiam vendere laborem, & operam adiunctam, esset Simonia, sicut de Sacramentis infrà dicemus. Sed responderent alij., vel non vendi laborem, sed locari pro stipendio, quod etiam in spiritualibus licet, vel ex natura rei non esse Simoniacum vendere materiale sine formali. Sed profectò etiam vendere formale non est Simonia, vt statim dicã. Propria tamen ratio huius partis est eadem, quæ primæ conclusionis. Quia materia illius actus non est materia Religionis, ergo licèt circa illam peccetur, erit iniustitia, vel immisericordia (vt sic dicam) non Simonia, vel si ratione voti materia fiat Religiosa, esse poterit infidelitas in Deum, quod est vitium longe diuersum à Simonia. Melius tamen hæc pars intelligetur per aliquas illationes, quibus possunt ex hoc principio aliqui morales casus definiri.

11. Non est Simoniacus, qui vendit doctrinam etiamsi intendat vendere veritatem naturalem. D. Thom.

Ex dictis ergò sequitur primò, non esse Simoniacum illum, qui vendit doctrinam, etiamsi intendat directè vendere ipsam veritatem naturalem. Probatur, quia illa veritas nec per se supernaturalis est, vt supponitur, nec est res sacra, aut per se ordinata, & instituta ad cultum Dei, ergo non est in materia Simoniæ, ergo licet intentio directè feratur ad illius venditionem, non facit actionem Simoniacam. Atque hoc significauit D. Thomas in dicto art. 3. mutando loquendi modum, quem in quodlibetis tenuerat, vbi venditionem veritatis naturalis vocat Simoniam. In dicto tamen articulo 3. solùm dicit, grauiter peccare, qui sic vendit veritatem, & eodem modo loquitur in 4.

12. Cur sit graue peccatu vendere veritatem, & quale sit. S. Thom.

Sed quæres, cur illud sit graue peccatum, & quale sit? Respondeo iuxta ea, quæ S. Thomas significat, tunc aliquem propriè vendere veritatem, quando vltra condignum pretium sui laboris, vel operis, quod ponit in docendo, aliquod speciale pretium pro veritate ipsa exigit; tunc enim iniustitiam committit, quia vel bis vendit idem, vel vendit rem non suam; Veritas enim considerari potest duobus, vel tribus modis. Primò vt est in mente docentis; & sic non venditur, quia vt sic non datur alteri, vnde pro illa vt sic, pretium accipere, clara esset iniustitia. Secundò consideratur, vt est in signo, in verbis, vel scriptura docentis; vel quod idem est, vt in illis verbis est obiectiuè respectu addiscentis. Et vt sic non distinguitur ab ipsa doctrina, vnde licet maximè vendibilis esset, non posset vendi pretio distincto ab ipsa doctrina, quia qui tenetur docere, tenetur veritatem docere. Ergò vendere hoc modo veritatem distincto pretio ab ipsa doctrina, est idem vendere bis. Hoc autem fit, quoties vltra iustum pretium pro labore docendi aliquid accipitur propter ipsam veritatem, quæ dicto modo est in doctrina, quia in prima obligatione ad docendum includitur obligatio vera docendi, vnde idem bis venditur. Tertiò potest veritas considerari, vt incipit esse subiectiuè in mente discentis; & vt sic iam non computatur inter bona docentis, sed addiscentis, quod bonum ipse sibi acquisiuit suo labore, & industria: ergo non potest Doctor pro illa veritate sic spectata peculiare, seu maius pretium postulare, quia non potest vendere rem non suam: & pro auxilio, quod ipse tribuit discipulo ad acquirendam veritatem illam, iam accepit condignum pretium in suo opere, & labore, nam illa industria nõ est quid distinctum ab opere, & labore. Sic ergo potest committi peccatum iniustitiæ in venditione veritatis. Non est tamen Simonia propter rationem dictam, quia illa materia, & inæqualitas est alterius ordinis. Si verò ponamus, Magistrum nec velle, nec accipere pretium excedens valorem sui operis, & laboris, licet directè intendat vendere veritatem ipsam, non video in illa intentione grauem malitiam, vel iniquitatem, sed ignorantiam, quia illa nescit adaptare intentionem actioni iustæ, quam facit; vel certè intentio illa ita interpretanda est, vt est, vt ille velit expresè se obligare ad veritatem docendam, & hoc modo directè intendat veram doctrinam, & solidam, non fucatam, vanam, & falsam; at hoc bonum est.

13. Non peccat qui auget pretium suæ doctrinæ propter aliquã eius excellentiam, licet in docendo minùs laboret. Soto.

Secundò infero, non peccare aliquem, etiamsi augeat pretium suæ doctrinæ, vel propter doctrinæ nobilitatem, vel propter eximiam peritiam personæ, etiamsi labor corporalis maior non sit, imò licet sit minor, vel nullus. Hoc attigit Soto argumentando contra primam sententiam, hinc à singulo benè colligens: hanc esse materiam Simoniæ. Nam in materia Simoniæ licet contingat rem materialem subiectam spirituali esse æstimabilem pretio, non potest tamen pretium augeri propter id, quod est spirituale in tali materiæ: at hic licet augere pretium laboris, & operis propter dignitatem scientiæ, & doctrinæ. Hoc autem ita esse constat ex communi vsu omnium vniuersitatum: nam cæteris paribus, maiori stipendio conducuntur magistri nobiliorum scientiarum, vel artium; & excellentiores, ac famosiores in vnaquaque arte cariùs solent vendere suam doctrinam, quam inferiores in eadem. Ratio autem est, quia doctrina ipsa ex obiecto redditur dignior, & consequenter prout vendibilis est, redditur etiam maioris, & valoris. Et similiter ex parte personæ docentis plurimum augetur doctrinæ æstimatio, nam vt Ambros. dixit: *Primus discendi ardor nobilitas est Magistri.* Vnde etiam ad omnem humanum vsum doctrinæ multùm valet æstimatio, quæ ex auctoritate docentis nascitur. Ergo totum hoc considerari iustè potest ad pretij æqualitatem, ac subinde potest iustè augeri pretium ex his capitibus. Quare non benè dixit Glossa suprà citata, teneri Doctorem ad dandum gratis consilium, quando sine studio, & labore illud dat. Est enim hoc falsum, quia illa actio non solùm ex labore, sed ex se, & ex aliis circunstantiis habet suum valorem. Eo vel maximè quod in compensando tali opere, non est tantùm considerãda facilitas, quam nunc habet operans in illo præstando, sed pensandæ sunt omnes præteritæ expensæ, ac labores, quibus facilitas illa comparata

Ratio. Ambros. Gloss.

rata est; nam omnia illa nunc influunt in hoc opus, redduntque illud maiori valore, & pretio dignum.

14. Licet talis doctrina sine labore sit parta, potest eius vsus vendi.

Addo denique quod licet illa scientia naturalis esset sine vllo labore parta, vel à Deo per accidens infusa, non esset iniustum, neque illicitum per se loquendo illius vsum, seu doctrinâ vendere iuxta condignam æstimationem talis operis secundùm se spectati, quia opus eiusdem rationis est, & eiusdem valoris, & æstimationis, etiamsi principium eius miraculosè collatum fuerit, quia etiam tunc principium ipsum naturale manet. Sicut si Deus miraculosè alicui restituat manum aridam, non minus potest vendere opera eius, quam si è natiuitate illam haberet. Denique valor rei non semper attenditur ex modo, quo comparata est, nec ex pretio magno, aut paruo, aut nullo, quo constitit, sed ex intrinseca natura, & valore eius iuxta communem æstimationem.

15. Aliis.

Vnde obiter constat, quàm sit infirmum argumentum Altisiodorensis probantis scientiam nõ posse vendi, quia omnis scientia est gratis ab Spiritu sancto: nullius enim valoris est consecutio, tum quia naturalis scientia est ab Spiritu sancto gratis, vt ab auctore naturæ, non vt auctore gratiæ; ille autem respectus non reddit rem inuendibilem; alias nihil vendi posset. Tum etiam quia, licet esset data supra ordinem naturæ, atque adeo quodammodò magis gratis, quàm naturalia dona, nihilominus opera, quæ ex illa nascuntur, vt doctrina, artificia, & similia sunt opera naturalia omninò, & eiusdem valoris, & æstimationis cum his, quæ oriuntur à principio naturaliter consecuto. Dixi autem *per se loquendo*, id est, ex vitalis operis, & ex sola rei natura, quia si Deus infunderet talem scientiam per modum gratiæ gratis datæ in ordine ad fidei confirmationem, & ad communem vtilitatem spiritualem Ecclesiæ, & ad hunc finem daretur specialis gratia actualis in ipso vsu talis scientiæ, tunc iam reputaretur vt gratia simpliciter supernaturalis, & aliter esset iudicandũ de illa iuxta dicenda inferiùs de gratiis gratis datis. Et ita sensit Nauar. cap. 23. num. 99. dicit enim ad propriam Simoniam non satis esse donum esse supernaturaliter datum, nisi sit datum ad salutem animarum. Idémque sentit Sot. d. q. 5. verb. *Colligamus ergo* post 2. conclusionem.

Nauar.

Sot.

16. Qui carius quam par est, vendit doctrinam, iniustus est, non Simoniacus.

Tertiò infertur ex dictis; siquis vendat doctrinam suam carius, quàm par est, vel duplicatũ pretium accipiat, fore quidem iniustum, non tamen Simoniacum. Exemplum vulgare est de Magistro, qui cum habeat ab Ecclesia condignum stipendiũ, vt publicè omnes aduenientes, doceat, à singulis discipulis aliquid exigit. De quo pũcto videri possunt Doctores Canonistæ in c. 1. de Magist. & Sũmistæ ver. *Doctor*. Qui in primis dubitant, An illud liceat, nécne? Deinde si non liceat, quale peccatum sit? Sed primũ ad nos non spectat, & breuiter placet, quod Panormitanus ait spectandũ esse modum pacti, & cõductionis, & leges pacti esse seruandas. Nam si conductus est, vt gratis omnes doceat siue diuites, siue pauperes, siue incolas, siue extraneos, à nullo potest aliquid licitè exigere, quia agit contra obligationem. Si verò solùm pro pauperibus docendis conductus sit, vt videtur esse casus illius capitis primi (licet possit habere alium sensum) tunc poterit accipere aliquid à diuitibus, & sic de aliis, sempérque supponendum est, quòd stipendium sit sufficiens, nam si sit inæquale, alia erit ratio. Item hoc procedit, quando Magister exigit; si verò sponte offeratur non peccat accipiendo. Quod si

Cap. 1.

Panor.

A de modo conuentionis, & pacti non constet, tunc consuetudini standum erit, vt Panor. concludit.

17. Angel. Hostiens. Archid. D. Thom. Magistrum ab Ecclesia pretio conductũ ad docendum non esse Simoniacum si aliud pretium exigat à discipulis.

At verò (quod ad secundum punctum, quod ad nos spectat) quando hoc illicite fit, aliqui Doctores vocant illud Simoniam, vt Angel. verb. *Magister*, num. 11. citans Hostiensem, Archidiaconum, & alios. Alij vocant quasi Simoniam, vt Richard. suprà. Sed D. Thom. solùm dixit, non licere. Et reuera non est nisi iniustitia, nec habet commercium vllum cum Simonia. Loquimur enim semper de Doctore conducto ad docendas tantùm naturales scientias, seu liberales artes, nam de sacra doctrina nihil hactenus diximus, nec etiã de speculatiua, seu Scholastica Theologia, quam B in tota doctrina huius capitis non comprehendimus, quia specialem difficultatem habere potest, eo quòd supernaturalis sit, & ideò illam reseruamus considerandam, cum aliis supernaturalibus donis. Igitur excessus ille factus à Magistro conducto pro talibus scientiis, contra iustitiam quidẽ est, vt ex dictis satis patet, non est tamen Simonia, quia materia nõ est capax, vt dixi. Neque ille peccat contra Religionem magis, quàm si esset præceptor conductus à seculari Republica seu potestate, & similem excessum committeret. Solùm posset circa hoc dubitari, quando Ecclesia, vel Episcopus contulit alicui beneficium cum onere docendi, tunc enim videtur doctrina esse annexa C rei spirituali. Sed de hoc dicemus infrà.

18. Non datur Simonia, quando præceptor non vult vacare à legendo nisi accepto pretio à discipulis. D. Thom.

Quartò infero, non esse Simoniam, si præceptor nolit vacare à legendo, nisi pretio accepto à discipulis, siue id faciat in die festo, siue in non festo. Quod aduerto, quia D. Thom. dicto art. 5. ad 3. dicit eum, qui habet ab Ecclesia stipendium, vt doceat, non posse licitè aliquid recipere, *vt aliqua festa faciat, vel prætermittat*. Vbi non ait, hoc facere esse Simoniam, sed tantum non licere. Alij verò dicunt, esse Simoniam, si vocatio à lectione ordinetur ad festum colendum, vel non colendum, & propter illam aliquid accipiatur, secus si tantùm recreationis gratia. Ita Syluester suprà, & Angelus D verb. *Magister*, num. 14. Sed dico, hanc non esse materiam Simoniæ simpliciter loquendo. Nam si dies sit festus ex præcepto Ecclesiæ, non pertinet ad debitam obseruantiam eius docere, vel non docere: Nam siquis doceat illo die, non violat festum, & si non doceat, non propterea melius colit illud, sed hoc pendebit ex intentione, & voluntate vacantium. Ergo sicut recipere pretium pro lectione illius diei non est Simonia, ità nec recipere pro vacatione à lectione est Simonia, quia illa materia etiam illo die non est Religiosa, sed indifferens. Quòd autem illa vacatio à lectione ordinetur à Discipulis, vel Magistro ad meliùs vacandum Deo, extrinsecum est, nec mutat naturam operis; nec enim priuata auctoritas, aut intentio ad hoc sufficit. Vnde à fortiori sequitur, idem dicendum esse, quando vacatio conceditur in die professo, quia tunc etiam id, quod venditur, non est Religiosum. Quod autem alij velint illa vacatione vti ad cultum Religiosum, non satis est, aliàs non liceret vendere candelam, & vinum, &c. quando emitur ad cultum tantum Religiosum. An verò illud liceat nécne, ex obligatione Magistri pensandum est. Nam si ille ex officio, & stipendio tenetur docere tali die; vel etiamsi vacare tenetur, non licet illi pretio vendere vacationem, & in hoc casu loquitur D. Thom. & tunc peccabit contra iustitiam, vel obedientiam pro ratione obligationis. Si verò res voluntaria sit, non est per se iniquum vendere priuationem operis, seu obliga-

Sylues. Angel.

tionem ad non operandum aliquid, quod posset sine iniuria alterius facere.

19. Vltimò inferri potest, quid dicendum sit de licentia docendi, de qua tractat Glossa in dicto cap. 1. de Magist. & vocat quasi Simoniam. Et idem sequitur ibi Panormitanus dicens, esse Simoniam largo modo, non stricto. Verumtamen si illa licentia non pendeat ex potestate spirituali, non est, vnde actio illa sit Simonia, vt docent Hostiens. ibi, & Angel. verb. *Magister*, num. 15. & alij, quia illa non est materia Simoniæ; si enim actio ipsa docendi non est materia Simoniæ, cur erit talis licentia? Adde, distinctionem illam de larga, & stricta Simonia nullum habere fundamentum in præsenti, & rem obscuriorem reddere, quia non explicatur illo modo, an peccatum illud sit contra Religionem nécne; & ideò simpliciter negandum est, esse Simoniam, quia reuera non est contra Religionem. Erit autem contra iustitiam, quando Prælatus, vel Magistratus quilibet tenetur ex officio illam licentiam dare, vt v. g. quando persona est idonea, & nulla ratio boni communis occurrit, propter quam liceat illam impedire à tali munere. Et in eo casu tenetur, qui pretium recepit, illud reddere ei, qui dedit, quia ille iniuriam passus est. At verò quando persona non est idonea, & superior posset, & deberet negare talem licentiã; tunc respectu dantis non esset iniustitia negare illi licentiam, & ideò nec est propria iniustitia respectu illius, si ei detur propter pretium, sed est turpe lucrum, tum quia est contra ius Ecclesiasticum in toto ferè tit. de Magist. Tum quia etiam est contra ius naturale ratione officij debiti; & ex hac parte videtur esse contra iustitiam debitam communitati ratione officij. Et inde videtur probabile satis, quod ait Angelus, tunc restituendum esse pretium non ei, qui dedit, quia non est illi facta iniuria, sed Reipublicæ, cui facta est, fiet autem illi restitutio dando illud pauperibus. Vixi autem, *Si licentia non pendeat à potestate spirituali.* Vtique tanquam actus eius, quia si sit actus potestatis spiritualis, censeri potest propria Simonia, illam vendere, vt ex posteà dicendis constabit.

Glossa. *Panor.* *Hostiens.* *Angel.* Dare licentiam docendi propter pretium non est Simonia.

20. Naturalia bona moralia, non sunt materia Simoniæ.

Dico tertiò. Naturalia bona moralia, id est, quæ inter homines tantum versantur, non sunt materia Simoniæ, neque illa vendere est per se loquendo aliquod peccatum, interdum verò esse poterit contra charitatem, & iustitiam, nunquã tamen erit vera Simonia. Hanc conclusionem intendunt etiam Doctores supra citati, maximè, qui absolutè negant, bona merè naturalia, quantumuis illo ordine spiritualia, esse materiam Simoniæ. Nam hæc de quibus tractat hæc assertio merè naturalia sunt. Et ratio constat ex dictis, quia hæ actiones, & tota materia, in qua versantur, non solùm naturales sunt, sed etiam ad Religionem non pertinent, ergò nullo modo pertinent ad materiã Simoniæ. Consequentia patet ex dictis, & antecedens ex terminis ipsius assertionis constat: ideò enim locuti in ea sumus de bonis merè humanis, vt excluderemus, quæ ad Dei cultũ dicata sũt, de quibus statim dicemus. Denique declarari hoc potest eodem modo, quo præcedens conclusio, seruata proportione; nam hæc bona moralia spiritualia, esse possunt aut prudentia intellectus, sub qua cõprehendo omnem scientiam moralem practicam, quatenus iudicare, & consulere potest, quid agere liceat, vel non liceat, aut virtutes morales voluntatis præsertim illæ quæ ad proximũ, seu ad communem societatẽ hominum ordinantur. Constat autem, hæc bona, vt sunt habitus mentis, in se ipsis vendi non posse nec iure nec facto, quia non potest vnus homo suos prudentiæ, vel virtutis habitus in alium transferre, neque alium habitum illi infundere. Solùm ergo potest in his bonis intercedere venditio ratione operationis talium virtutum moralium, quatenus ab vno fiunt in commodum alterius. Et talis venditio nec est per se mala, quia illæ operationes sunt corporales, & humanæ, & pretio æstimari possunt, & earum homo est dominus. Nec etiam esse possunt materia Simoniæ, etiam si aliàs iniquè vendantur propter rationem declaratam. Atque hæc conclusio ex sequentibus illationibus notior fiet.

21. Non est Simonia pecuniam accipere pro dando consilio.

Ex hac ergo assertione sequitur primò, non esse Simoniam pretium accipere pro dando consilio morali, quatenus ex principiis lumine naturæ notis pendet, vel à iure aliquo humano scripto, etiamsi detur in ordine ad conscientiam naturalem (vt sic dicam) seu ad operandum, & faciendum honestum, & vitandum prauum. Patet, quia tota hæc materia est merè naturalis, & nullo modo sacra. Sed quæres, an tale consilium vendere turpe sit. Respondeo, per se loquendo non esse intrinsecè malum, quia non est iniustum, est enim talis actio pretio æstimabilis, non solùm propter studium, & laborem, sed etiam propter dignitatem, quam in illo genere habet. Neque etiam est contra charitatem, misericordiam, vel aliam similem virtutem per se loquendo, quia nulla est ratio talis contrarietatis, vel deordinationis. Atque ita de consilio humano, seu morali in genere docent omnes Doctores, vt videre licet in Victor. Soto, & aliis suprà. Declarando tamen illud consilium magis loquuntur de consilio politico (vt sic dicam) id est, ordinato ad actionem, & iura ciuilia, & ad vincendas lites, & similia, quàm de consilio dato solùm ad dirigendam operationem quoad honestarem moralem eius. Ad primum autem genus consilij pertinet patrocinium aduocati, & consilium Iurisconsulti, de quo manifestum est posse vendi iuxta sententiam Augustini Epist. 54. ad Macedon. capit. vltim. 14. quæstion. 5. capite *Non licet*, 11. quæstion. 3. & tractat D. Thom. 2. 2. quæst. 71. art. 4. & ibi Sot. & alij, & Anton. 3. part. tit. 6. cap. 2. §. 4. vbi meritò reiicit limitationem Glossæ in dicto capite *Non licet*, scilicet, id intelligi, quando non sine opera, & labore tale consilium datur, non est enim necessaria limitatio, vt suprà de doctrina dixi, nam est eadem ratio. Et ita simpliciter docent Archidiac. & omnes ibi. Felin. referens Hostiens. & Immol. in capit. *Per tuas* 1. de Simon. numer. 3. latè. Tiraquel. referens plures de Nobilit. cap. 29. num. 30. & sequentibus Rebuffus in Tract. de Priuil. Schol. Priuil. 46.

Victor. Sot. *Augustin.* Cap. *Non licet.* *D. Thom.* *Soto.* *Anton.* *Glossa.* *Archid.* *Felin.* *Hostiens.* *Immol.* *Tiraq.*

22. Quando cõsilium datur in foro conscientiæ tantùm, potest etiam pro illo accipi pretium.

Isti verò auctores non declarant, an hoc procedat, etiam quando consilium datur in foro conscientiæ tantùm. Dico tamen eandem esse rationem, quando consilium est merè naturale, vt nunc loquimur, & in ordine ad conscientiam naturalẽ (vt sic dicam) id est, ad naturalem honestatem. Quia etiã totum illud est bonum naturale tàm in se, quàm ex parte principij, à quo procedit, quàm etiam ex parte termini, ad quem tendit. Dices; Etiã honestas naturalis non potest vendi, quia non potest pretio æstimari, nec cõparari cum temporalibus bonis. Respondetur: Licèt honestas secundùm se vendi non possit, tamen industria, & auxilium ad cognoscendum, & operandum honestum vendi potest. Item licet opus honestum non possit pretio æquari, potest tamen quatenus laboriosum est,

Obiectio.

Responsio.

est,& delectabile,vel aliàs vtile,humanam æstimationem recipere,vt mox videbimus; ergo & consilium, quod de illo datur, potest similiter æstimari. Vnde colligitur,si in tali venditione, seu pretio excedatur, iniustitiam committi, non Simoniam. Quando verò,& quomodo in hoc peccare possint vel aduocati, vel similes consulentes, tractatur in materia de Iustitia, dicta quæst. 71. 2. 2. Et ex Iurisperitis videri possunt citati Auctores,& Moderni, qui plures referunt. Didacus Per. libr. 2. Ordin. Castel. tit. 19. leg. 2. Azeued. ad leg. nouæ recopil. eiusdem regni lib. 2. tit. 16. leg. 18. & 21. & latè Tiraq. suprà.

Dida. Per. Azeued. Tiraquel.

23. Non est Simonia stãdo in pura natura accipere pretium pro exhortatione ad virtutem moralẽ.

Secundò sequitur,non esse Simoniam,stando in pura natura, accipere pretium pro exhortatione aliqua ad virtutem moralem,& ad vitanda peccata contra naturæ legem, siue in publica oratione, & quasi concione fieret, siue in priuata admonitione, vel correctione. Vt si communitas aliqua induceret philosophum aliquem, vel eloquentem oratorem, vt populum ad virtutem excitaret. Non enim excedit hoc munus limitationem rationis naturalis, & fortasse inter Gentiles,vel alios infideles est in vsu. Dicimus ergo,huiusmodi homines posse vendere, & locare suas operas, non solùm per modum sustentationis, vt nunc fit, & postea videbimus, sed simpliciter per modum contractus venditionis,vel æquiualentis illi, compensando non tantùm laborem corporalem,sed etiam dignitatem actionis, & maiorem industriam, & alias qualitates actionis, & personæ. Quia tota illa actio est merè naturalis (vt sic enim de illa loquimur)& non spectat per se ad Religionem, sed ad bonam politiam, vel, ad summum, ad moralem gubernationem Reipublicè. Et confirmatur,quia in Republica Romana v.g. patronus alicuius causæ orans publicè in Senatu exhortando iudices ad faciendam iustitiam, vel gratiam, poterat vendere suum patrocinium sine vlla vmbra Simoniæ, imò sine vlla iniustitia, vel turpitudine si pro iustitia pugnaret. Et idem intelligi posset in bello in Oratore efficaci ad exhortandos milites ad strenuè pugnandum,posset enim suam actionem,& suam industriam vendere. Idem ergo est in præsenti, quia perinde est prouocare ad iustitiam,vel fortitudinem,& ad alias virtutes morales. Vnde à fortiori constat, idem habere locum in priuata correctione,vel admonitione,vt si pater conduceret aliquem qui filium corrigeret, admoneret,& monita honestatis daret,quia in his omnibus, & similibus procedit eadem ratio sæpe repetita, quia tota illa actio, licèt procedat à principio bono moraliter, & spirituali suo modo, & tendat ad similem terminum, non habet propriam rationem actionis sacræ, nec excedit naturæ limites, & prout fit per corpus,habet suam æstimationem humanam.

24. Vendere opera misericordiæ non est Simonia.nec per se vitiosum.

Obiectio.

Satisfac.

Tertiò sequitur,nullo modo pertinere ad Simoniam,vendere opera misericordiæ, aut similia, nec per se vitiosum esse, nisi vbi ratio iustitiæ, aut charitatis, seu misericordiæ aliud postulet. Hoc constat quoad priorem partem eadem ratione proximè facta. Quoad omnes verò declaratur exemplis, nam in singulis ratio statim apparebit. Nam seruire infirmis, opus misericordiæ est, & sine dubio emi, & vendi potest. Dices, Potest vendi ratione materialis actionis, non quatenus misericordia est. Respondeo, Omni modo, quo potest cogitari tale opus vendibile de facto, posset etiam iure vendi per se loquendo, quia nulla ratio alicuius virtutis obstat. Vnde in contractum deduci posset cum omnibus conditionibus externis necessariis ad virtutem, & honestatem talis operis, Nam cur non? De honestate verò, quæ pendet ex interiori intentione secundùm se spectata, non posset fieri pactum, quia illa sicut non cadit in cognitionem humanam, ita nec venit in humanum commercium: nihil tamen vetat,quin vnus homo possit obligari alteri ad operandum tali intentione, vendendo intentionem non secundùm se, sed vt causam talis operis,sicut potest interdum per legem humanam prohiberi intentio,seu interior affectus,vt influens in opus externum. Multò verò magis posset in pactum deduci, vt habeatur intentio simpliciter necessaria ad opus externum tali modo exteriori factum vt contraria intentio exteriùs non extendatur.

25. *D. Thom.*

Præterea,si iudex venderet iustitiam, siue bene, siue malè alias faceret,non committeret Simoniam in naturalibus,vel politicis, vt D. Thom. & omnes Scholastici suprà allegati, & Summistæ docent. Et Gloss. in c. *Vendentes* 1. qu. 3. ver. *Iustitiam*, Turrec. & aliis ibi sequuntur. Idemque omnes hi auctores dicunt de testimonio ferendo; nam licet pecunia recipiatur pro veritate dicenda, non erit Simonia. In his verò casibus poterit committi aliquod peccatum,vel contra charitatem, (si quis in casu, in quo tenetur ex misericordia gratis iuuare proximum, vel consolari,vel corripere,aut aliud simile beneficium facere, nolit, nisi pretio facere, quod potest contingere in graui necessitate, & paupertate;) Vel contra iustitiam ratione officij obligantis ad tale opus faciendum sine nouo præmio, quia ipsum officium suum affert sufficiens stipendium, sicut suprà de Doctore dictum est. Vel quia venditur speciali pretio id,quod non est dignum pretio,vt contingit in mutuo, nam mutuare sine dubio est opus misericordiæ: siquis tamen pro tali opere exigeret speciale pretium, distinctum à capitali,iniustitiam committeret;illa tamen malitia vsura esset,non Simonia. Vel denique potest esse illicitum propter legem prohibentem, vt de iudicibus, & testibus sunt multi Canones 1. quæst. 1. cap. *Iubemus*, cum sequentibus,cap. *Non licet* 11. quæst. 3. cap. *Non sanè* 14. quæst. 5. Et leges Ciuiles, tum Iuris communis Authent. Vt iudices sine quoquo suffrag. fi. Tum huius regni lib. 5. Ordin. tit. 59. Tum etiam Castellæ lib. 5. nouæ recopil. tit. 5. Sed hæc ad alia loca spectant.

Gloss. Præpos. Turre.

Ca. Iubemus. C. Non licet. C. Non sanè. Authent. Ordinat. Lusitan. Castel.

26. Non est Simonia dare alteri pecuniam, vt bonum opus omittat.

Quartò à fortiori colligitur,non esse Simoniam dare alteri pecuniam, vt omittat aliquod bonum opus,vel ne alteri benefaciat; nam hæc, & similia esse poterunt contra charitatem, vel iustitiam, ad Simoniam autem nihil spectant. Et eadem ratione è conuerso,si aliquis accipiat pretium pro cauendo peccato, vt ne alteri malefaciat, vel ne inebrietur, aut ludat, & similia, nulla est Simonia. Nam licèt illæ priuationes videantur esse quiddam spirituale, quatenus honestatem aliquam habent, tamen omnia continentur in latitudine materiæ naturalis,& merè humanæ. Poterit tamen illa esse iniustitia, si cum violenta coactione tale pretium exigatur. Alioqui obligatio illa,& quasi priuatio libertatis propriæ æstimabilis pretio est,& sine iniustitia vendi potest,imò tales possent esse circunstantiæ,vt sine illa malitia fieret; & per hæc de aliis similibus iudicari potest.

27. Probabile est in materia naturalis posse dari Simoniam naturalem.

Dico quartò: Non est improbabile, in materia Religionis naturalis posse dari malitiam naturalis Simoniæ, & hoc modo posse intelligi peccatum Simoniæ in homine etiam in puris naturalibus, vel nunc inter Gentiles, vel Paganos, quatenus mera ratione naturali vtuntur. Esset tamen illa Simonia

monia distincta specie ab ea, quæ nunc committitur. Victor. Ita tenet expresè Victor in dicta Relect. num. 20. & 21. Eandem necessariò supponunt illi auctores, qui putant, Ieroboam commisisse Simoniam saltem ex intentione, & conscientia erronea (vt sentiunt Adrian. Palud. Durand. dicto, quodlib. 9. art. 2. & Palud. 4. distin. 25. q. 4. num. 25. Et ibi Durand.) quia scilicet vendebat falsa sacerdotia, & ab ipso inuenta, tamen quia ipse credebat, esse sacerdotia, Simoniam committebat. At Ieroboam non existimabat, illud esse sacerdotium supernaturale, nec à Deo institutum, bene enim sciebat, se illud inuenisse, vnde nihil supernaturale in tota illa materia cogitabat: si ergo Simoniam committebat, signum est, non esse necessariam materia supernaturalem omnino ad Simoniam, nam si illa esset necessaria, profectò esset necessaria aut vera, aut saltem putata, ibi autem neutro modo inuenta est: Imò addit Victoria apud idololatras esse veram Simoniã non solùm ex conscientia erronea, sed etiam ex obiecto. Quod sequitur Valent. 3. tom. disp. 6. quæst. 16. punct. 2. dub. 1. addit verò, id procedere de idololatris, qui ante Christum fuere, non verò postea, quia per Christum omne sacerdotium abrogatum est. Ego verò existimo nunquam inter idololatras, vt tales sunt, vera sacerdotia esse potuisse. Quia sicut idololatræ, vt tales sunt, veram Religionem non habent, ita nec verum sacerdotium, nec aliquid verè sacrum. Nec satis est, quod in illis hominibus, qui sunt idololatræ, sit vera potestas naturalis eligendi veros sacerdotes, (quæ ratio mouit Victoriam; sed non sufficit,) quia illa potestas solùm est ad eligendum sacerdotem pro cultu veri Dei. Vnde omnis creatio sacerdotis falsi Dei, licet ab hominibus fiat, non est ex illa naturali potestate, sed ex vsurpata per prauam voluntatem, & ideò talis actus natura sua irritus est. Semper igitur sacerdotium inter idololatras fuit fictum, & nullum, ideoque inter idololatras non potuit esse Simonia ex obiecto vero, sed solùm existimata ex conscientia erronea.

Victor. Valent. Idololatræ nihil verè sacrum habere possunt.

28. Probatur assertio.

Oportet ergo loqui non de idololatris, sed de cultoribus veri Dei per puram rationem naturalem. Sic ergo probatur assertio, quia in pura natura esse posset verum sacerdotium, ergo venditio illius fuisset tunc contra rationem naturalem, & contra Religionem, ergo illud peccatum esset Simonia naturalis. Antecedens supponitur vt certum ex supra dictis, quia sacrificium, & sacerdotium sunt suo modo de lege naturæ, sicut & Religio, & cultus externus Dei, ergo secluso ordine fidei, & gratiæ esset potestas in communitate humana creandi sacerdotes, & constituendi totum ordinem rerum sacrarum, nõ minùs quàm principatum politicum, & omnia, quæ ad illum pertinent, vt ex materia de Legibus, & de Hierarchia Ecclesiastica suppono, & tractat bene Victor. in Relect. de Potest. Eccles. Prima verò consequentia probatur, quia venditio sacerdotij veri ex iure naturæ est mala, & Religioni contraria. Nunc enim non ideò est prauum vendere sacerdotium, quia à Deo institutum est; sed quia est institutum ad Dei cultum, & ex hoc habet sufficientem dignitatem, vt secundùm rectam rationem vendi non possit, ergo idem haberet cum proportione sacerdotium naturalis ordinis, vt sic dicam, quia est eadem proportionalis ratio. Non enim obstaret, quod illa dignitas inter bona naturalia computaretur, quia nihilominùs esset dignitas sacra propter habitudinem ad Deum, & hoc satis esset, vt in maiori æstimatione habenda esset, quàm res, quæ temporaliter venduntur, & emuntur. Nihil ergo repugnat, quod inter naturalia bona sit aliquod inuẽdibile intuitu Dei, vt colendus est Religiosè ex vi luminis naturalis.

Victor.

29. Vendere sacerdotiũ etiã in pura natura est contra diuinum cultum.

Declaratur præterea, quia vendere sacerdotium est res valdè contraria diuino cultui, etiam stando in pura lege naturali, tùm quia eo ipso vilipenderetur talis dignitas, tum etiam quia per illam occasionem daretur indignis, quod etiam est contra rationem naturalem, & contra debitum cultum Dei. Tum præterea quia consequenter ad illam venditionem omnia pertinentia ad cultum Dei essent venalia, & omnes actus illius muneris, vt oblatio sacrificij, & similia sacra, si quæ essent in tali statu instituta, ergo ipsa ratio naturalis dictat, facta tali institutione non esse venũ exponenda, quia vilesceret totus cultus Dei, ergo malitia talis actionis contra Religionem est, & genus quoddã Simoniæ. Potest etiam hoc exponi per comparationem ad alia officia Reipublicæ, quorum venditio valde prohibita est, quia est multum nociua Reipublicæ; vt constat ex titul. ad leg. Iuli. de Ambit. offic. & ex aliis Iuribus, ergo multò magis venditio sacerdotij stando in lumine naturæ esset detestabilis, & iniqua. Sed est differentia, quòd venditio aliorum officiorum temporalium, vt Magistratuum, Iudicum, &c. non est Simonia, sed iniustitia, vel contra commutatiuam, vel saltem contra legalem iustitiam, quia materia illa, cùm sit merè temporalis, & humana, non est materia Simoniæ; vt omnes docent cum Glossa ver. *Et iudicem*, in cap. *Saluator* 1. quæst. 3. ex infrà dicendis de officiis temporalibus Ecclesiæ à fortiori patebit. At verò sacerdotium etiam naturale sacra res esset, & ideo posset esse materia Simoniæ.

Gloss. Ca. *Saluator.*

30. Obiectio. D. Thom. Caiet. Sotus. Couar. Iul. Clar. Leg. Barbarius. Leg. Vnica.

Dices: venditio officiorum temporalium Reipublicæ non est intrinsecè mala, licet malè sonet, & digna sit prohiberi, vt sentit D. Thom. ad ducissam Braban. opusc. 21. & videri potest apud Caietan. in Sum. ver. *Venalitas*, Sot. lib. 3. de Iust. quæst. 6. art. 4. Couarr. lib. 3. Var. cap. 19. in fine Iul. Clar. lib. 5. §. *Simonia* numer. 4. & Iurist. communiter in leg. *Barbarius*, ff. de Offic. Prætor. & in leg. *Vnica* ff. ad Leg. Iul. de Ambit. Qui omnes fatẽtur, hoc quidem esse malum, quia prohibitum, non de se, & intrinsecè, ideóque posse licere vel supremo Principi, vel ex iusta eius dispensatione. Ergo idem dici posset, & deberet de sacerdotio, stando in pura lege naturali. Nam in ea fortasse non censeretur, sacerdotium dignius, quam temporalis Magistratus, vt alibi tractatum est. Et hoc ostendit nobis ius Ciuile, nam in Leg. *Siquis* 11. ff. de Pollicit. sacerdotium in ordine ad venditionem æquiparatur Magistratui Ciuili, & supponitur vtrumque vendi posse, dum dicitur, *Siquis ob honorem, vel sacerdotium pecuniam promiserit, & antequam honorem, vel Magistratum ineat, decedat, non oportere hæredes eius conueniri.* Supponitur enim ibi, quod si conditio fuisset impleta, possent hæredes conueniri, atque adeò sacerdotium potuisse vendi saltem Principis auctoritate.

Leg. *Siquis.*

31. Satisfit. Venditioné sacerdotij esse intrinsecæ malam, etiã in lege naturæ.

Respondeo in primis negando consequentiam, quia sacerdotium est res sacra, quod non habent alia temporalia officia. Vnde deformitas, quæ consideratur in venditione officiorum temporaliũ non est ex ipsamet materia intrinsecè, sed ex nocumentis, quæ inde possunt Reipublicæ prouenire, quæ non sunt adeò intrinseca, quin separari possint per Principis prouidentiam, & ideò non est in illis tam intrinseca prohibitio, quia per legem humanã debeat consummari. At deformitas, quæ cernitur

tur in venditione sacerdotij naturalis, in ipsamet materia intrinsecum habet fundamentum, & in Deo ipso, ad cuius cultum proximè tale munus ordinatur, & ideo satis probabile est illam venditionem, etiam tunc futuram fuisse intrinsecè malam. Nec lex Ciuilis debet mouere, nam Iurisconsultus ille idololatria erat, & veram Religionem Dei veri non cognoscebat, & ita non habebat condignam æstimationem sacerdotij veri, & naturalis. Gentiles enim idololatræ, licèt haberent suum Religionis & sacerdotij modum, politicè illud negotium tractabant, & totum Religionis cultum ad politicam vtilitatem, & commoditatem Reipublicæ referebant, & ideo mirum non est, quod eodem modo de sacerdotio, & de aliis Magistratibus censerent in ordine ad venditionem. Dico verò vlteriùs, quòd licèt daremus, venditionem sacerdotij naturalis non esse malam intrinsecè, sed quia prohibita esset nihilominùs illa venditio sic prohibita esset Simonia saltem quia prohibita, quod satis esset ad dicendū, in pura natura esse posse Simoniam. Assumptum declaratur, quia illa prohibitio haberet vim constituendi materiam illam vt necessariam in materia Religionis, nam quoad hoc eandem efficacitatem haberet potestas legislatiua, quæ esset in Republica humana in pura natura instituta, ergo posita tali lege prohibente, venditio illa esset contra Religionem, ac subinde Simonia.

Venditio sacerdotij, licet intrinsecè mala non sit, sed quia prohibita ad hoc esset Simoniaca.

32. Illam Simoniam distinctā esse speciem ab ea quę nunc datur.

Addidi verò in fine quartæ assertionis. Simoniā illam fore specie distinctam ab ea, quæ nunc committitur, quia quantum differunt Religio infusa, & acquisita, tantum differret illa Simonia contra puram legem naturæ, ab ea, quæ nunc committitur contra Religionem infusam, & contra supernaturalem Dei cultum. Quia priuatio accipit speciem ab habitu, cui opponitur, vt constat. Vnde fortasse etiam verum est, Simoniam nunc esse magis intrinsecè malam, magisque contra naturam supernaturalium donorum, quam esse posset in pura natura. Atque ita possunt facilè intelligi auctores, qui negant in pura natura esse posse Simoniam, loquūtur enim de Simonia, qualis nunc est. Et sic etiam definimus supra Simoniam, illiq́ue pro materia spiritualem rem ordinis supernaturalis assignauimus, eodemq́ue modo de illa in sequentibus loquemur. Et ita per hanc partem satisfit secundæ sententiæ, & fundamento eius. Nam in venditione sacerdotij, & rerum sacrarum, etiamsi in pura natura essent institutæ, cernitur indecentia, & irreuerentia in ordine ad Cultum Dei. Et hoc etiam suadet secunda ratio dubitandi in principio posita.

33. Soluuntur argumenta. Prou. 3.

Ad primam verò difficultatem, quatenus fauet priori opinio, & procedit contra priores conclusiones nostras respondendum est. Et primùm, ad locum Prouerb. 3. dicitur, scientiam naturalem esse pretiosiorem pecunia, quia simpliciter, & in se nobilior est, & non potest pecunia obtineri, nam si quis non valeat ingenio licèt multas pecunias præceptori conferat, non obtinebit illam. Quomodo dixit idem Sapiens Prouerb. 17. *Quid prodest stulto habere diuitias: cum sapientiam emere non possit?* Et nihilominùs ipsa scientia, vel ars in ordine ad vsus humanos potest habere æstimationem suam; & industria, seu cooperatio ad illam addiscendam etiam potest pecunia æstimari, vt dictum est. Quod autem ex 23. cap. adducitur, retorqueri potest, nam ibidem prætermittitur; *Veritatem eme*. Ergo hoc Simoniacum non est per se loquendo. Sensus ergo duplex est: *Eme veritatem*, hoc est, sapientiam, doctrinam, & intelligentiam. Vtique non parcendo sumptibus, vt illam acquiras, quærendo præceptores, vel quicquid aliud fuerit necessarium, & pecunia potuerit obtineri; veritatem verò & sapientiā iam comparatam liberaliter communica. In quo sensu neutrum præceptum est, sed consilio, & ita non damnatur ibi venditio, cùm non damnetur emptio, sed inter licitas venditiones, & emptiones emptio præfertur, & consulitur potius, quam venditio. Alter sensus est, vt non sit sermo de venditione, & emptione propriè, sed per metaphoram, sicut Isai. 55. dicitur. *Venite, emite absque argento.* Et Christus Matt. 13. de mercatore, qui incurrit margaritam regni cœlorum, & dedit omnia sua, & comparauit eam. Ita ergo Sapiens admonet, quærendam esse veritatem, etiam emendo, si oportuerit, id est, contemnendo diuitias, & omnia temporalia propter sapientiam. Sicut etiam dixit Sapiens Sap. 7. sapientiam non esse vendendam, id est, propter nullū esse obliuioni tradendam, aut contemnendam, vel pro nihilo habēdam. Ad primam confirmationem iam responsum est, scientiam naturalem esse ab Spiritusancto vt auctore, & gubernatore naturæ, quod non obstat, quominus naturalia bona vendibilia sint, aliàs nihil esset vendibile. Ad secundam confirmationem iam dictum est, non vendi propriè veritatem, sed iuuamen ad intelligendam veritatē. Et quòd hoc vendatur, etiam in cognoscendis virtutibus ad Deum pertinentibus, vel ad bonos mores, nulla est irreuerentia Dei, neque indecentia, quia etiā industria humana in his veritatibus addiscendis, ac docendis est pretio æstimabilis, vt dictū est. Aliquando verò esset contra dilectionem proximo debitam hęc gratis non docere, etiam stando in pura natura, quando scilicet proximus indigeret maximè illa cognitione ad honestam vitam instituēdam, & non haberet pretium, quo Doctorem, seu Magistrum quæreret. Ad vltimam confirmationem similiter dicitur, beatitudinem naturalem in se ipsa non esse comparabilem pecunia, consistit enim in operatione propria ipsius hominis, quam ipsemet debet efficere, non ab alio emere, nihilominùs aliqua humana subsidia ad hanc beatitudinem acquirendam, possent pecunia comparari, neque in hoc est aliqua absurditas.

Isai. 55. *Matth. 13.* *Sapient. 7.*

34.

Atque ex decisione huius quæstionis posset breuiter alia resolui, quę hîc tractari solet, An Simonia possit esse in infidelibus? Sed ne debitum ordinē inuertamus, infrà tractando generaliter de personis, quæ possunt Simoniā cōmittere, melius definietur.

CAPVT IX.

An gratia sanctificans, vel dona, & actus eius possint esse materia Simoniæ?

ALTERA DIVISIO SIMONIÆ EX PARTE MATERIÆ.

1. Supernaturalia bona in tria mēbra diuiduntur.

POtest vlteriùs Simonia, prout nunc in Ecclesia committitur, diuidi ex parte materiæ, in eam, quæ circa propria bona spiritualia supernaturalia versatur, & aliam, quæ cadit in res spiritualibus annexas, de quibus membris sigillatim, & per partes dicendum est. Solent autem priora spiritualia bona in tria membra diuidi, vt videri potest in omnibus Summistis, verb. *Simonia*, præsertim Syluest. & Angel. num. 1. Tabien. num. 1. & 7. Anto. 2. part. tit. 1. cap. 5. Palūdano & aliis 4. dist. 25. Glos. in Sum. 1. quæstion. 1. & ibi aliis doctoribus, & in Rubr. de Simon. & in capit. *Consulere*, eod. Quanuis ibi Panormitanus cum Ioanne Andr. plura membra distinguat, quæ ad hæc facilè reducuntur. Quædam ergo dicuntur spiritualia in se, seu per

Siluest. Angel. Tabien. Anton. Palud. Gloss. C. Consulere. Panor. Ioan. Andr.

per essentiam, vt gratia, & virtutes infusæ, & dona Spiritus sancti; & hûc etiam spectant gratiæ gratis datæ, quasi in habitu consideratæ, & character, & similia. Alia dicuntur spiritualia ex partè causæ per relationem ad spiritualem effectum, nimirum quia sunt causæ bonorum spiritualium, & supernaturalium prioris modi, & sic Sacramenta sunt spiritualia bona causaliter, quia sunt causæ gratiæ, &c. Et ad hæc reducuntur Sacramentalia omnia, & similia. Alia denique dicuntur supernaturalia, & spiritualia ex parte effectus, seu per relationem ad spiritualem causam supernaturalem, à qua proximè, & principaliter oriuntur, vel efficienter, vel etiam finaliter. Sic actus prophetandi spiritualis est, quia & nascitur ex causa spirituali, & ad salutem, vel fidem Ecclesiæ ordinatur, & sic de aliis. Siquis autem rectè consideret, sæpe hæc omnia possunt in eandem rem conuenire; imò ferè semper coniunguntur. Nam gratia & in se est spiritualis, & est causa multorum bonorum spiritualium, & est effectus proprius Spiritus sancti supernaturaliter operantis, quæ est causa maximè spiritualis. Item Sacramenta ipsa non solùm sunt gratiæ, sed etiam effectus meritorum Christi, & institutionis à Christo factæ, quæ spirituale quid est; & in se etiam sunt bona quædam spiritualia, & sancta, vt patet maximè de Eucharistia, & in cæteris suo modo, scilicet quatenus in se aliquo modo continent Christi gratiam, vt Concilium Tridentinum definit. sess. 7. & ita D. Thomas artic. 1. ad 6. Sacramenta ponit *Inter ea, quæ sunt spiritualia secundùm se*, Actus etiam prophetiæ sicut à causa procedit, ita in se supernaturale quid est, & verè spirituale, saltem prout est in mente prophetæ, & spiritualem effectum habet, nimirum fidem, seu cognitionem, quam in aliis generat. Itaque distinctio illa accipienda erit sano modo, & ad doctrinam accommodato, quatenus vnumquodque illorum membrorum denominatur ab eo, quod in ipso præcipuum esse videtur. Hîc ergo de primo membro specialiter dicendum est.

Concil. Trid. D. Thom.

2. An gratia vnionis possit esse materia Simoniæ.

Posset autem in primis quæri, An gratia vnionis quæ maximè spiritualis, & supernaturalis est, possit esse materia Simoniæ? Et ratio dubitandi esse potest, quia potest esse materia venditionis, & emptionis humanæ, & pro pretio temporali dari. Sic enim Iudas vendendo Christum, vendidit gratiam vnionis. Et idem dici poterit de illo, qui venderet Eucharistiam. Tali enim venditione conuenit tota definitio Simoniæ, nam ibi interuenit studiosa voluntas vendendi rem maximè spiritualem, ergo illa gratia est materia Simoniæ. Confirmatur, quia ob hanc causam Iudas inter Simoniacos connumerari solet. Sic enim videtur Tarasius relatus in capit. *Eos qui.* 1. quæst. 1. *Vt verùs dicam, Iudæ comparantur, qui Iudæis Christum vendidit*: loquitur autem de Simoniacis. Expressiùs Nazian. ibidem relatus capit. *Qui studet*, prius dicit, *multorum exemplis* se velle ostendere, quam detestabile vitium sit Simonia, & postea inter exempla ponit Iudam qui, Christum *Omnium redemptorem vendidit*. Idem Cyrillus Ierosolym. Catechesi 16. Loquens cum Simone mago ait: *Aliter tu Iudas argento te gratiam spiritus sancti empturum existimas.* Sentit ergo, Iudam priùs simile vitium commisisse, & Simonem illum imitatum fuisse. Insinuat etiam Basilius Epist. 176. vbi ad Simoniacos ait; *Ne velitis Iudam sectantes quæstus gratia secundo illum prodere.*

Tarasi. Cap. Eos. *Nazian.* *Cyril. Iero.* *Basil.*

3. Pars negatiua vera resoluitur.

Nihilhominùs dicendum est, gratiam vnionis non posse esse materiam Simoniæ, nec Iudam fuisse verè, ac propriè Simoniacum. Hanc posteriorem partem supponunt omnes communiter, dum Simonem ponunt vt primum Simoniacum noui Testamenti, nisi fortè Iudas numeretur inter homines veteris testamenti, quia ante Christi mortem & peccauit, & mortuus est. Sed quidquid de hoc sit, nobiscum sensisse videtur Sot. d. quæst. 5. art. 1. in fin. primæ conc. Et rationem indicat, *Quia Iudas, licet Christum auctorem gratiæ vendiderit, non tamen vendidit tanquam donum ementibus vtile, sed vt morte perimendum: & ideo non est ab illo nomen huius sacrilegij tractum.* Vbi non apertè negat, Iudam commisisse hoc crimen, sed non esse ab illo nomen vitij desumptum. Ratio etiam non videtur multum efficax, nam quòd venditio fiat ad peremptionem, non tollit veram rationem venditionis, non obstaret prauitati Simoniæ, si aliàs materia esset capax. Qui enim nunc venderet infideli oleum sanctum, vt sanctum est, id est, maiori pretio, quàm vt oleum valeat, Simoniacus esset, licèt illud venderet, vt fieret pabulum ignis, vbi perimitur. Et ratio est, quia hic finis est extrinsecus, & potest addere nouam malitiam, non verò tollit illam, quæ ex materia sumi potest. Vnde qui venderet Iudæo Eucharistiam, qui illam igni traditurus est, non solùm esset cooperator ad maleficium, seu sacrilegium Iudæi, sed etiam verè Simoniacus, si sacrum illum panem cariùs venderet, eo quòd sacer est. Alij reddunt rationem, cur venditio Iudæi non fuerit Simoniaca, quia respectu Christi non fuit commutatio voluntaria, sed iniuriosa, & coacta actio. Sed non placet, quia Simonia nunquam est voluntaria actio respectu materiæ, in quam cadit, seu ex parte rei venditæ, sed respectu alterius, cum quo fit contractus, quod habuit etiam illa Christi venditio. Quòd autem fuerit simul Christo inuoluntaria, non tollit aliam malitiam, sed auget, est enim illa circunstantia quasi per accidens, quatenus illa materia vendita rationalis erat, & capax voluntarij, & inuoluntarij, vt statim aliis exemplis patebit.

4. Ratio, cur Iudas Simoniacus non fuit vendendo Christũ.

Propria ergo ratio, quod ad Iudam spectat, esse videtur, quia ille non vendidit Christum, cogitans aliquid de spiritualitate, quæ in Christo erat, nec eo titulo aliquod pretium sumens, sed solùm ratione humanæ naturæ, quæ erat in Christo quasi res corporalis annexa rei spirituali; in simili autem venditione non continetur intrinsecè Simonia, quando pretium non extenditur ad rei spiritualitatem, sed præcisè datur propter materiale illud, quod est in re, cuius æstimationem pretium non excedit. Dices, quamuis demus, neque Iudam, neque Pharisæos aliquid cogitasse de persona vera, quæ sub illa humanitate latebat, tamen culpabiliter illam ignorasse, & ideò eius iniuriam nihil minùs imputari, quàm si illam cognouissent. Respondeo, imputari quidem quoad rationem iniustitiæ, & irreuerentiæ alterius rationis, non verò quoad malitiam propriam Simoniæ, quia hæc pendet intrinsecè ex cognitione spiritualitatis rei, quæ venditur; alioqui venditio præcisè sit de re materiali, quæ cognoscitur, & in alium transfertur. Potest tamen hîc adiungi alia ratio sumpta ex dictis supra de Irreligiositate, & Sacrilegio, quod iniuriæ factæ in Christi personam sunt alterius speciei, & malitiæ quasi alterius ordinis, quàm sint sacrilegia, quæ fiunt contra personas, & res sacras purè creatas; quia sunt contra excellentiam alterius ordinis, & contra adorationem alterius rationis illi debitam. Sic ergo licèt venditio Christi habuerit malitiam contra Religionem, & reuerentiam debitam tantæ personæ,

Obiectio.

Soluitur.

personæ, illa tamen malitia longè altioris ordinis A fuit, quàm Simonia. Et hæc ratio probat in vniuersum priorem partem conclusionis, quod gratia vnionis non possit esse materia Simoniæ, quia illa gratia est alterius ordinis ab omni re supernaturali purè creata, contra quam versatur propria Simonia. Item applicari potest prior ratio, quia impossibile videtur, vt aliquis cognoscens gratiam vnionis, seu (quod idem est) cognoscens, aliquem hominem esse verâ personam Diuinam, tentet, illum vendere temporali pretio: non potest ergo talis venditio contingere, nisi ratione materialis naturæ, quæ ad propriam Simoniam non sufficit.

5. Soluuntur argumenta partis oppositæ.

Neque obstant in contrarium obiecta. Ad ra- B tionem enim iam responsum est, negando assumptum; non est enim illa gratia talis res, quæ vendi possit etiam facto, & licèt posset, non est ex rebus creatis, & ideò nec venditionis, nec propriæ Simoniæ materia esse potest. Ad verba Tarasij dico, probare contrarium. Nam ibi etiam comparat peccatum Simonis cum peccato blasphemantium Christum, & tamen constat, esse diuersæ speciei, & eodem modo statim adiungit comparationem cum peccato Iudæ, tanquam cum re diuersa habente tamen quandam analogiam, seu proportionem ad illâ. Et idem dicendum est ad Nazian. comparat enim in effectu, & pœna; non in specie malitiæ. Maximè quia textus ille in Nazianzeno non inueni- C tur, sed videtur desumptus paucis mutatis ex Epistola Tarasij, vt in Decreto Gregoriano notatur, & ideò in eundem sensum trahêdus est. Cyrillus autê, & Basilius apertiùs loquuntur metaphoricè, & secundùm quandam imitationem grauioris peccati.

6. An gratia sanctificans sit inuendibilis & iure, & facto.

Supereſt ergo quæstio, An idem dicendum sit de gratia sanctificante, quòd nimirum si inuẽdibilis non solùm iure, sed etiam facto, & ideò non possit esse materia Simoniæ. Ita enim multi doctores sentire videntur, quia, vt suprà dicebamus nemo potest gratiam, quam in se habet, in alterum transferre; quomodò ergo potest illam vendere etiam facto? Panormitanus igitur in capit. *Consulere*, num. 3. distinguens spiritualia per essentiam incor- D poralia, & corporalia, dicit, priora vt sunt gratia, & dona Spiritus sancti, vendi non posse, nec iure, nec facto, & ita non esse materiam Simoniæ. Citat Glos. in cap. 1. 1. quæst. 1. quæ re vera id non dicit. Idem verò asseruit Angel. Simon. 1. numero 1. & Tabien. numer. 7. Idémque sentit Soto. dicto lib. 9. quæst. 6. art. 1. & alij, quos refert Vgoli. statim allegandus. Et sumi potest ex cap. *Saluator*, 1. q. 3. ibi. *Nec Apostolus emptionem Spiritus sancti (quam bene fieri non posse nouerat) sed ambitionem: & auaritiam, &c. in Simone exhorruit.* Et simile habetur in c. *Iudices*, verb. *Poterat*, 1. quæst. 1.

Panor. Gloss. Angel. Tabien. Soto. Vgoli. Ca. Saluator. Ca. Iudices.

7. Gratiam posse esse materiã Simoniæ. D. Thom.

Sed nihilominùs dicendum est, hanc etiam gratiam posse esse materiam Simoniæ. Hæc assertio sumi potest ex Diuo Thom. artic. 2. quatenus, ait gratiam Sacramentorum non posse vendi sine E Simonia, supponens, illam esse materiam Simoniæ, gratia autem Sacramentorum res est spiritualis per essentiam. Palud. etiam 4. distin. 25. quæst. 5. n. 15. apertè dixit, spiritualia per essentiam esse materiam Simoniæ. Eandem opinionem amplectitur Vgoli. de Simon. Tabula 1. ca. 35. non rectè autem illã defendit, ac persuadet. Fatetur enim, huiusmodi gratiã de facto vendi non posse, & nihilominùs posse esse materiam Simoniæ, quia ad Simoniam sufficit animus, & voluntas, seu desideriũ vendendi rem spiritualem. At enim, quia si de facto nunquam posset talis gratia ab hominibus vendi, vel

Palud. Vgoli.

emi, nec super illam acquirendam, vel dãdam possent fieri conuentiones humanæ sub pretio temporali, profectò nullus peccaret per solam voluntatem vel affectum vendendi, vel emendi circa talem materiam. Ergo dicendum potiùs esset, illam non esse materiam Simoniæ, Nam circa materiam simpliciter impossibilem homini, nó versatur studiosa voluntas; esto possit intelligi affectus simplex, vel conditionata voluntas vendendi, vel emendi talem gratiam, si esset possibile, hoc enim satis non est, vt dicamus, illam esse materiam Simoniæ. Quis enim dicat Angelum esse materiam Simoniæ, quia potest homo habere affectum vendendi Angelum, si posset. Itaq; licèt malitia Simonię mentalis possit committi per solam Voluntatem, tamen Simonia propriè est peccatum, quod exteriori actione consummatur, & ideò materia illius non dicitur nisi illa, circa quam possunt exteriores actiones vendendi, & emendi inter homines fieri.

8. Gratiam posse vendi, & emi.

Vt ergo probetur assertior, ostẽdendum est ipsãmet gratiam posse vendi, & emi. Probari autem hoc potest tum de habitibus gratiæ sanctificantis, tum de actibus. Primò ergo vt gratia habitualis propriè vendi dicatur, non est necesse, vt vendatur in abstracto sumpta, vt sic dicam, sed satis est, quod vendatur in concreto, id est, vt vendatur homo gratus, quà gratus est, sicut venditur artificiosa figura, quãdo venditur artefactũ, quod ratione figuræ, & artis pretiosum, & æstimabile est, & sicut vẽduntur res aliæ subsistentes; quatenus per quædam accidentia vel pretio digna, vel certè maiori pretio digna redduntur. Sed gratia vendi potest ab homine hoc modo, ergo id satis est, vt sit propria materia Simoniæ: & cum gratia sit accidens, vt materia venditionis esse dicatur, satis est, vt sit materia illius per modum accidentis, scilicet quatenus afficit subiectum, quia accidentia, sicut aliter non sunt, ita nec sunt aliter vendibilia. Probatur ergo minor: Quia si Christianus captiuus v.g. cariùs redimatur solùm quia Christianus est, profectò ex parte vendentis illa est Simonia, vt bene notauit Vgolin. supra c. 36. n. 3. Et ratio est quia tunc venditur illa persona maiori pretio, quam valeat, & solum ratione spiritualis gratiæ, vel fidei, vel characteris, quem in se habet: hæc enim omnia nunc cõprehendo sub habituali gratia. Nam si vendens calicem, augens pretium ratione solius consecrationis, est Simoniacus, cur non magis, qui vendit Christianum, augens pretium solùm quia Christianus est? Simili modo siquis venderet sacerdotem in mancipium, si id faciat iutuitu sacerdotij, simoniacus est, quia vendit characterem ipsum sacerdotalẽ. Dico autem *intuitu sacerdotij*, quia si venderet hominem illum eo modo, quod solent serui vendi in ordine tantùm ad corporalem vsum, & iuxta æstimationem communem seruorum, tunc non esset Simonia, quia merè materialiter se habet ita character (sicut paulò ante de venditione Christi dicebamus) sed esset & iniustitia, & sacrilegium contra canonem: *Siquis suadente*. At verò si specialiter æstimaret illum ratione sacerdotij, augeret illo titulo pretium eius, vel si tota ratio pretij esset illa dignitas, tunc dico vendi intuitu sacerdotij; & committi Simoniam, vt ratio facta probat, quia venditur consecratio talis personæ, & consequenter forma ipsa, & character, per quem consecratur. Simili modo existimo, fore Simoniacum, siquis habens seruum iustum, & sanctum, illum venderet cariori pretio, quàm valeat, vt seruus est, solùm quia factus est, & in gratia esse, ac viuere creditur. Dices interdũ fieri posse, vt ratione bonitatis

Qui vendit pluris hominẽ quia christianus est, Simoniam committit. *Vgoli.*

Qui vendit sacerdotẽ in tuitu sacerdotij, simoniacus est.

Cap. *Siquis suadente.*

Idem dicendum de vendente seruũ pluris, quia sanctus est. Obiectio.

moralis seruus sit fidelior,& aptior ad seruiendum; A & hoc titulo illum maiori pretio æstimare,nec Simoniacum esse, nec iniustum. Respondeo, verum hoc esse,nec de hoc titulo nos loqui,sed de puro titulo spiritualis sanctitatis,quamuis illum non reddat aptionem ad munus seruiendi, sed solùm quia creditur Deo magis gratus; nam hoc titulo illum carius vendere,sine dubio contra rationem,&contra dignitatem gratiæ est, & tunc dicimus, vendi gratiam. Sicut quando dixit Christus, qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, ibi intellixit, venerari prophetiæ donum, qui ergo venderet sanctum prophetam, propter excellentiam sanctitatis, & prophetiæ, ingens pretium pro illo postulans, spirirualem illam dignitatem planè vende- B ret,& Simoniam committeret;sunt ergo, vel de se possunt esse hæc materia Simonię.Posset etiam hoc ex actibus gratiæ confirmari; quia illi actus etiam sunt in essentia spirituales, & supernaturales. Sed de illis infrà dicendum est.

Respondeo.

Explicatur a litera assertio.

Alio item modo explicari, ac probari potest assertio; respondendo simul ad difficultatē in principio positam.Quia non solùm venditur res, quam aliquis iam possidet,& in alium trāsferre potest, vt illum afficiat, vel ab illo possideatur (est enim hic certus quidam venditionis modus, quem fatemur, non habere locum in his donis abstractè consideratis.) Ille tamen modus nec est necessarius,nec vnicus, & ideò consecutio valida non est, C tum quia iam ostensum est, quo modo possit vendi gratia cum suo subiecto, & cum illo transferri in possessionem alterius,quasi rediendo illam in seruitutem alterius; quantùm est ex parte vendentis; tum maximè quia non tantùm solet vendi res, quæ possidetur, transferendo in ementem, sed etiam potest res de nouo fieri,& tradi alteri, quod si hoc fiat, propter pretium res illa vendi dicitur, & emi.Vt pictor vendit imaginem,quàm facit,&ideò si fingeremus, posse pictorem dare alicui pulchritudinem, pingendo, vel coloribus afficiendo faciem eius, si id faceret propter pretium verè diceretur vendere illi pulchritudinem. Et qui pinget domum alicuius pretio, vendit illi figuras illas, li- D cèt nunquam fuerit illarum dominus, sed tātum actionis,per quam illas fecit. Sic ergo vendi etiam potest gratis, quatenus per vnum hominem in alio fieri potest,vt sacerdos vendēs absolutionem, verè dicetur vendere gratiam, & ordinans alium propter pecunias vendit illi characterem ordinis, & gratiam sacramentalem,quantùm est ex se, nam illam confert pro pretio, si alius non ponat obicem, quod potest contingere, quando ipse ignorat, & bona fide accedit.

Et hoc modo venditur ipsa gratia non cum subiecto, sed secundùm se,quamuis non vendatur nisi vt terminus actionis, quæ est aliquo modo in potestate,& dominio vendentis. Nihil tamen obstat, E quominus simul cum ipsa actione vendatur effectus eius, imò ille principaliter;quia *propter quod vnumquodque tale,& illud magis.* Tunc autem tota æstimatio, & valor talis actionis ab effectus sumitur, ergo effectus ipse est, qui tunc maximè pretio æstimatur. Et hoc modo dicunt sæpe Sancti,Simonem Magum voluisse ipsum Spiritum sanctum, & gratiam eius vendere, & ideò voluisse donum eius, id est, potestatem conferendi gratiam emere, peccauit ergò volens emere gratiam quasi gratis datam seu propriam potestatem ministerialem, & volens vendere gratiam sanctificantem, Imò Sot. dicta quæstion.1.artic.1.in principio dixit,voluisse emere ipsum Spiritum sanctum,& gratiam eius gratum facientem: propriùs autem id dicitur de voluntate vendi, quamuis merè potestatem dandi gratiam, quodammodo etiam sit illam emere. Hic autem modus venditionis non tam propriè habet locū in actibus gratiæ præsertim internis, & spiritualibus, quia non est in hominibus potestas ita efficax horum actuum in alio,sicut gratiæ habitualis,vel characteris, permanentis. Potest tamen esse altero è duobus modis. Primò si ego venderem meum supernaturalem actum,quatenus potest alteri afferre aliquam vtilitatem spiritualem vel meriti de congruo,vel impetrationis,vel satisfactionis. Nam ita possunt vendi opera, etiamsi ipsamet realiter non transeant in alium,vt ab illo possideantur, sed satis est, quod gratia illius fiant, vel ad arbitrium eius, nam hoc ipsum æstimabile pretio esset, si qualitas, & dignitas operis non repugnaret cū pretio. Alio modo potest id intelligi quatenus vnus homo potest cooperari ad finem, & similes actus alterius saltem plantando,& rigando,nam qui hanc cooperationem vendit, meritò censetur alteri vendere fidem, quam concipit, vel similes actus, quia illa cooperatio non censetur æstimari illo pretio, nisi ratione illius termini, seu effectus, sicut in actione pingendi explicauimus.

12. Respondetur doctoribus, oppositum sentientibus.

Ad doctores autem, qui oppositum sentire videntur,duo dici possunt. Vnum est,illos solū fuisse loquutos de donis habitualibus, vel quæ per modum habitus permanentis dantur,&de illis tantùm voluisse docere non posse de facto vendi vt nudè spectata,& secundùm se,quod verum est quia semper venduntur vt coniuncta vel subiecto aliqua ex parte materiali, vt homo, vel coniuncta alicui actioni,per quam fiant,quæ ordinariè etiam est materialis,& homini sensibili accommodata. Vel secundò dici potest, illos nihil aliud voluisse, nisi quod insinuatur in Iuribus;quæ allegāt.Dicunt autem illa decreta, Spiritum sanctum nec vēdi posse; nec emi, non quia homo non possit de facto gratiam eius vendere, cum possit pro pretio illam offerre, & cum effectu dare, non obstante pretio si actionem ritè exerceat,& ex parte recipientis non sit obex,sed quia tunc etiam non datur Spiritus sanctus ex vi venditionis,vel emptionis, nec ex vi voluntatis prauæ,qua venditur, sed ex vi suæ promissionis, & institutionis. Et hoc modo vocatur ibi talis venditio potius simulata, quam vera, scilicet quoad efficaciam,&dominiumvendentis,quamuis quoad externam conuentionem, & prauam intentionem vera sine dubio sit.

11. Quādo venditur actio, per quā gratia fit,venditur ipsa gratia.

Soto.

CAPVT X.

Vtrum Sacramenta omnia Ecclesiæ sint propria materia Simoniæ.

1.

POst sanctificantem gratiam proximum locum inter spiritualia, quæ sunt materia Simoniæ, censentur habere Sacramenta, sub quibus sacrificium comprehendi debet (etiam si de illo expressa mentio non semper fiat, vt patet in D. Thom. d. quæst. 100. artic. 2.) tum quia & in sacrificio consistit cultus diuinus formaliùs, ac principaliùs, quàm in cæteris actionibus,vt dixit D. Thom. 1. 2. quæst. 101. art. 4. & in 3.tomo de Sacram. latè diximus, & suprà in 1. tractatu. Tum etiam quia in lege noua sacrificium, & potissimum Sacramentorum in eandem rem coincidunt, nam Sacramentū Eucharistiæ sacrificando conficitur, & res oblata in illo sacrificio est ipsum Sacramentum cōsummatum, & (vt vocant) in facto esse. De his ergo

D. Thom. Sub Sacramēnis sacrificium comprehendi.

Sacra-

Sacramentis breuiter explicandum est, quomodo sint materia Simoniæ.

Vt autem possit vniformis, & generalis esse doctrina, separemus Eucharistiam, vt est propriè Sacramentum, habens esse suum permanens, à cæteris Sacramentis omnibus, quorum esse est transiens; consistit enim in actione quadam, vel passione sicut etiam consecratio ipsius Eucharistiæ est actio sacramentalis trãsiens, seu sacrificatio, vt dixi. Et vsus eiusdem Eucharistiæ, id est, Sacramentalis communio, sub his transeuntibus Sacramentis cõprehenditur, nam est dispensatio actualis cuiusdam Sacramenti. Illa ergo omnia Sacramenta, quæ consistunt in actione transeunte, sicut habent maiorem quandam conuenientiam, & similitudinem B inter se, ita etiam faciliùs possunt generalibus regulis comprehendi: & ideò operæ pretium visum est priùs de Eucharistia, vt est Sacramentum permanens, veram, & claram doctrinam supponere, & posteà de cæteris dicere.

3. Eucharistia est suprema materia Simoniæ.

Igitur de Eucharistia certissimum est, non solùm esse propriam, sed etiam supremam, & maximam materiam Simoniæ, nisi forte venditio ipsius dicenda sit detestabilius vitium, quàm Simonia. Probatur, quia hoc Sacramentum est Christus ipse sub sacramentalibus speciebus contentus, & vt est panis viuus sacramentalis, vel sunt species consecratæ, vt realiter continentes ipsum Christum, (nam quod ad præsens attinet, parum refert, vno, C vel alio modo loqui) ergo non potest vendi hoc Sacramentum, quin Christus ipse vendatur, ergo talis venditio magnam irreligiositatem intrinsecè continet. Ac propterea dixi, videri posse peccatum hoc maius, quam Simoniam, quia videtur simile venditioni Iudæ de qua diximus fuisse peccatũ alterius rationis, & grauioris. Aut fortasse verius est, vtranque malitiam comprehendere, nam quatenus est venditio sacramenti sensibilis, & ad vsus humanos accommodati, est propria Simonia, & summa ex genere suo; vt verò transit in grauissimam irreuerentiam personæ Christi, est irreligiositas grauioris rationis iuxta dicta de sacrilegio superiori lib. cap. 3. Imò vt versatur circa ipsum sacramentum, vt tale est, potest interdum duplicem malitiam contra Religionem participare. Quia duobus modis possunt vendi sacræ illæ species. Primo ad vsum proprium Sacramentalem, scilicèt ad communicandum, & tunc in venditione illa propriissimè Simonia committitur, de qua loquitur Cap. *Nullus.* textus in capite *Nullus Episcopus*, 100. 1. quæstion. 1. & pro ratione redditur ibi, quia tunc gratia Spiritus sancti venditur. Et addi possunt aliæ rationes, quia res maximè sacra temporali pretio commensuratur, & ita tractatur, ac si esset sub dominio vendentis, quæ sunt rationes malitiæ Simoniæ. Nec ibi inuenitur alia malitia per se, nam quod ibi coniungatur, vel indigna sumptio, vel indigna E dispensatio Eucharistiæ, est per accidens, & in rigore potest separari interueniente ignorantia ex parte recipientis. Hic verò occurrebat quæstio, An interdum liceat emere Eucharistiam propter vitandam maiorem eius iniuriam? Vt verbi gratia ad vindicandam illam de potestate Hæretici, aut Iudæi, vel Idololatræ, qui illam rapuit, & quasi captiuam retinet, sed de hoc infrà dicam in generali quæstione de hac re. Secundo modo vendi potest Eucharistia ad prauos, & magicos vsus, ita enim solet à maleficis irreuerenter tractari, & tunc duo peccata inttelligo committi ex parte vendentis: vnum Simoniæ, quod iam explicatum est: aliud horrendi sacrilegij, quatenus rem A adeò sacram ad profanos vsus conuertit: Tale enim sacrilegium committeret, si ad eundem vsum gratis illam daret, quamuis ergo vendat, non excusatur ab illo, nec in aliud illud commutat, sed vtranque committit.

Et hæc videtur sufficere de hoc Sacramento quia in eo nulla occurrit alia difficultas. Nec etiam hic habet difficultatem quæstio de materia huius Sacramenti, an vendi possit. Nam si sit sermo de materia remota, quæ in hoc Sacramento transiens appellatur, clarum est, vendi posse. Quia nihil aliud est, quam panis, & vinum, quæ sunt res venales. Et licèt petantur ad conficiendum ex illis Sacramentum, non propterea gratis necessariò dandæ sunt, quia propter illam ordinationem extrinsecam petentis non efficiuntur res sacræ, vt de aliis Sacramentis mox dicemus. Et hinc colligit Vgolinus tractatu primo capite 39. numero 7. pro expensis factis in conficiendis hostiis, &c. vel illis emendis (publicè enim vendi solent) posse aliquid exigi. Addit tamen illud esse peccatum ratione scandali; quod habet locum, si talis compensatio statim peteretur à communicantibus. Imò tunc vix posset è simonia excusari, quia magis videtur Sacramentum vendi, quàm parua illa materia. At si separatim à communitate, & non à singulis communicantibus, petantur huiusmodi expensæ, non est per se scandalosum, nec iniquum, erit verò iniustum, si vel eas petat, qui ex officio, & beneficio obligatur ad illas, vt Parochus, vel si vltra æquitatem petat. At verò si loquamur de materia proxima, illa nihil aliud est, quam ipsæmet species consecratæ, de quibus iam dictum est, vendi non posse. Imò etiam, si quis velit ad valorem prioris panis respectum habere, postquam species consecratæ sunt, non retinent illum valorem, sicut non continent antiquam substantiam. Nec habere possunt proprium antiquum vsum merè materialem, sed nouum, & spiritualem: nam licèt corporaliter sumendæ sint, non tamen ad naturalem vsum, sed ad spiritualem. Et licèt corporaliter nutriant, postquam sumptæ sunt; hoc veluti per accidens esse debet ad debitum vsum illius cœlestis panis, & illud ipsum sine interuentu supernaturalis operis non fit. nam oportet, Deum ibi iterum materiam panis recreare; & ideò quicquid in illo sancto Sacramento est, extra humanam æstimationem, & supra omne pretium est.

4. Materiam remotã Eucharistiæ vẽ di posse.

Materiam proximã nõ posse vendi.

Venio ad cætera Sacramenta, in quibus loqui possumus vel de ipso Sacramento, vt includit totum, quod est de ratione Sacramenti, vel de materia ipsius. Voco autem nunc materiam, totum illud signum sensibile, quantùm ad rem totam, quæ substernitur significationi, siue sit elementum, siue verbum. Quod ergo attinet ad Sacramentum ipsum, regula generalis, & certa est, Sacramenta vt sic esse propriissimam materiam Simoniæ iuri naturali contrariæ. Hæc est sententia communis omnium, quos referemus. Et vix indiget probatione, quia licèt Sacramenta in actionibus quibusdam, vel passionibus circa res materiales consistant, nihilominùs vt Sacramenta sunt diuina, & supernaturalia dona sunt gratis collata nobis à Christo eorum auctore, & per respectum ad gratiam, quam conferunt, spiritualia sunt. Imò D. Thom. artic. 1. ad 6. illa vocat secundùm se spiritalia' Caietan. verò ver. *Simonia*, ea vocat composita ex materiali, & spirituali. in quibus spirituale præcipuum est, & quasi formale, & ideò spiritualium retinent naturam. Nam reuera supernaturalia sunt

5. *Sacramentum*, vt sic, est materia Simoniæ iuri naturali contraria.

D. Thom. Caietan.

& propter ſpirituale ſunt inſtituta. Ergo eo ipſo quòd ſunt talia, contra reuerentiam illis debitam, & contra Religionem, & contra verbum Chriſti, *Gratis accepiſtis, gratis date*, eſt illa vendere, eſt ergo Simonia ex natura ſua mala, & ideò prohibita. Habetur autem hæc generalis prohibitio in c. *Cum in Eccleſia*, de Simon. ibi. *ſeu pro aliis Sacramentis aliud exigatur*. Quod vitium ibi appellatur *horribile*, quo verbo ſatis ſignificatur eſſe contra diuinum ius. Comparatur etiam cum peccato Giezi, quod fuit contra legem, naturalem vt vidimus. Ac denique dicitur, contra hanc prohibitionem nullam poſſe præualere conſuetudinem, quod eſt etiam ſignum intrinſecæ deformitatis. Præter hanc verò generalem prohibitionem ſunt aliæ particulares de Ordinationibus, de Confirmatione, & Baptiſmo & c. 1. q. 1. c. 2. 4. Et multis ſequentib. Et in c. *Baptizandis*, 99. cum multis ſequentibus in particulari prohibetur Simonia circa Baptiſmum, Cõfirmationem, Ordinem, & Communionem: De Pœnitentia habetur in c. *Nemo presbyterorum*, de Simon. & de Oleo ſancto, id eſt, Extrema vnctione, c. vlt. 1. quæſt. 3.

Cap. *Cùm in Eccleſia.*

Cap. *Baptizandis.*

Cap. *Nemo.* Cap. *vlt.* 6.

In venditione Sacramẽtorum præter Simoniã dari poſſe etiam malitiam contra charitatem.

Addo præterea, præter malitiam Simoniæ poſſe facilè inueniri in Sacramentorum venditione malitiam contra charitatem. Primò quidem quia cum tali actu regulariter eſt coniuncta malitia ſcandali, maximè quando Sacramenta communi populo miniſtrantur. Secundò quia per hunc abuſum arceri facilè poſſunt pauperes à perceptione Sacramentorum. Et vtramque rationem tetigit Gelaſius Papa in cap. *Baptizandis*, 99. 1. quæſt. 1. dicens: *Et ideò nihil à prædictis prorſus exigere moliantur, quo vel paupertate cogente deterriti, vel indignatione reuocati, redemptionis ſuæ cauſas adire deſpiciant*. Et notauit Gloſſ. in cap. *Relatum*, 10. quæſt. 3. & Panor. in c. *Cùm ſit*. de Simon. Addo etiam, interdum eſſe poſſe iniuſtitiam, quando ſcilicet, qui pretium exigit, tenetur ex officio, & iuſtitia gratis miniſtrare. Quod indicauit Gregorius Papa in d. cap. *Relatum*, 10. q. 3. admonens animarum Rectores, ne per has exactiones graues ſint ſubditis ſuis: eſt enim grauamen illud planè iniuſtum.

Gelaſ. Pap. Cap. *Baptizandis.* *Gloſſ.*

Panor. *Gregor.* C. *Relatum.*

7. Opinio aſſerens Matrimoniũ poſſe vendi ſine Simonia. *Gloſſ.*

Neque circa generalem hanc regulam inuenio difficultatum, aut opinionum diuerſitatem, præter quandam exceptionem, quam nonnulli Canoniſtæ fecerunt. Dixerunt enim aliqui, excipiendum eſſe Matrimonium; nam illud vendere licet, & ita non eſt materia Simoniæ. Ita ſenſit Gloſſ. in capit. *Cùm in Eccleſia*. de Simonia, quæ fatetur quidem Matrimonium eſſe Sacramentum, & nihilominùs dicit, poſſe vendi, *quia in eo* (ait) *gratia non confertur*, iuxta cap. *Connubia*. 32. quæſt. 2. & c. *Nuptiarum*, 27. quæſt. 1. Idem tenet Gloſſ. in Summa, & in c. *Quicquid*, 201. 1. quæſt. 1. & in cap. *Vendentes*, 1. quæſt. 3. Quæ Gloſſæ allegant d. c. *Quicquid*, fortaſſe quia in eo dicitur pro his actibus, in quibus gratiæ conſolatio inuenitur, non poſſe pretium recipi, vel fortaſſe quia ibi numerantur actus, qui ſunt materia Simoniæ, & inter illos non ponitur Matrimonium. Allegant etiam cap. *Honorantur*, 32. q. 2. ſolum quia ibi dicit Ambroſ. *Honorãtur parentes Rebeccæ muneribus*: Inde enim infert etiam ibi Gloſſ. *Ergo pro Matrimonio contrahendo poteſt exigi pecunia*. Et infrà eandem rationem erroneam repetit. Et ab hac ſententia non diſcordat Durandus 4. d. 26. q. 3. Vbi pro illa reffert etiam Hoſtienſ. in Sum. tit. de Sacram. non iter. §. *Tertia diuiſio*. Et eandem ſequitur Alenſ. 2. p. q. 169. num. 4 art. 1. dub. 1. in fine.

C. *Connubia.* Cap. *Nuptiarum.* C. *Quicquid.*

C. *Honorantur.* *Gloſ.* Ambr. lib. 1. de Abrahã, c. vlt. *Durand.* *Hoſtienſ.* *Alenſ.*

8. Reiicitur propoſita ſententia.

Nihilominùs certum eſt, non eſſe talem exceptionem admittendam. Nam ſecundum fidem Catholicam Matrimonium eſt verum Sacramentum nouæ legis, & gratiam ex opere operato confert, vt in Concilio Trid. ſeſſ. 7. generatim, & ſeſſ. 24. Can. 1. in ſpecie de Matrimonio definitum eſt. Vnde conſequenter ſequitur, Matrimonium, quatenùs Sacramentum eſt, vendi non poſſe. Ita docet D. Thom. d. quæſt. 100. art. 6. ad 2. cuius tempore non erat ita certum, Matrimonium eſſe verum Sacramentum, & dare gratiam, & ideò ſolùm dicit contrariam ſententiam non eſſe vſquequaque veram: iam verò ſicut de fide eſt, Matrimonium dare gratiam, ita etiam eſt omninò certum, eſſe materiam Simoniæ, vt Sacramentum eſt, neque poſſe vt ſic ſine Simonia vendi. Et ita docent omnes Theologi cum D. Thom. ſuprà, & in 4. d. 25. Et iuris Interpretes ſuper cit. iur. & omnes Summiſtæ. Fundamentum autem illarum Gloſſarum erroneum eſt, vt dixi, & nunc hæreticum. Et præterea malè inferunt, quia vt Matrimonium non poſſit vendi, ſatis eſt, quod ſit Sacramentum, (vt ipſæ fatentur, imò & eſſe maximum Sacramentum, vt dicit Gloſ. in d. c. *Honorantur*) etiam ſi gratiam non daret. Sed fortaſſe Gloſſæ non intellexerunt, eſſe Sacramentum propriè inſtitutum à Chriſto, ſed lato modo, ſicut fuit in ſtatu innocentiæ, teſte Paulo ad Epheſ. 5. Et in omni lege fuit aliquo modo Sacramentum quia ſignificauit coniunctionem Chriſti cum Eccleſia; & nihilominùs vendi poterat. Sed licet in hoc ſenſu illatio poſſet ſuſtineri, tamen in antecedente, duplex error includeretur, ſcilicet & quòd Matrimonium non ſit Sacramentum ſpeciale nouæ legis, & quòd gratiam non conferat. Et ſanè Gloſ. in d. c. *Quicquid*, potiùs videtur ſentire, actiones ſacras, quæ gratiam non conferunt, poſſe ſine Simonia vendi, nam ex negatione illius effectus tanquam ex negatione cauſæ adæquatæ infert, non eſſe Simoniam vendere Matrimonij Sacramentum. Et è conuerſo de benedictione nuptiali, quæ à ſacerdote datur, ait dare gratiam, & ideò eſſe materiam Simoniæ, ſentiens, illud eſſe neceſſarium fundamentum Simoniæ. Quæ aſſertio etiam erronea eſt, quoniam certiſſimum eſt, alias actiones ſpirituales, quæ non dant gratiam, eſſe materiam Simoniæ, vt infrà videbimus. Et de benedictione Sacerdotis improbabile eſt dare gratiam ex opere operato, cùm non ſit forma Sacramenti, ſed Sacramentale quoddam vt ſuppono, vt eadem Gloſſa planè fatetur,

Conc. Trid.

D. Thom.

Fundamentum illius eſſe erroneũ.

Epheſ. 5.

Gloſ.

9. Soluuntur obiecta contra veram ſententiam.

Neque alia iura, quæ illę Gloſſæ allegant, ſunt ad ad rem. Nam in cap. *Quicquid*, generalis regula ponitur de omnibus Sacramentis, ſub quibus Matrimonium comprehenditur, etiam ſi non nominetur in particulari, quia nec ibi numerantur omnia nec erat neceſſarium. Et ita ibi etiam non excluduntur aliæ actiones, quæ gratiam non conferunt, etiamſi illarum mentio non fiat. In cap. autem *Nuptiarum*, nihil habetur ad præſentem cauſam pertinens. Capitul. autem *Connubia*, non loquitur de Sacramento, aut vinculo Matrimonij, ſed de vſu, & actu, quo conſummatur. Et deindè quod ibi dicitur, non adeſſe in illo actu præſentiam Spiritus ſancti, ſi intelligatur de præſentia per efficientiam gratiæ ex opere operato, clarum eſt, ſi verò intelligatur de preſentia Spiritus ſancti auxiliãtis, vt honeſtè, & ſine peccato fiat, vel etiam remunerantis per gratiæ augmentum, ſi legitima intentione, ac debita puritate fiat (quod magis videtur ſignificare Origenes: qui eſt auctor illius textus) non eſt id vniuerſaliter verum, nam ſæpe poteſt fieri ille actus ſanctè, & meritoriè, quod non ſit ſine auxilio, & præſentia Spiritus ſancti. Sed quia hoc rarum eſt etiam in iuſtis cõiugatis, ideò ita locutus eſt Origenes.

C. *Quicquid.*

Cap. *Nuptiarum.* Cap. *Connubia.*

Orig.

...p. Honorantur.

nes. Cap. autem *Honorantur*, nihil ad rem facit; tùm quia in eo est sermo de coniugio Rebeccæ, quod fatemur non fuisse Sacramentum, tum etiá quia illa donatio non fuit pretium, vt eadem Glos. ibidem fatetur, dicens, *Talis donatio potius dicitur honor, quàm pretium*, fuit enim quidam actus voluntatis, & gratitudinis, & amicitiæ, non pretium.

10. Quo pacto dicus, & accipiatur dos in Matrimonio sine Simonia. Cap. *Cum in.* Panor. Thom. de Argen. Anton. Sylvest. Tabien. Cap. *Per vestras.* Leg. *Pro oneribus.* Cap. *Cum sicut.* Cap. 1. Cap. *Nemo.* Glos. Panor.

Sed adhuc supereſt difficultas circa vſum Eccleſiæ. Videmus enim, in Matrimoniis pecuniam ſemper dari, & multa pacta interuenire priuſquã fiant. In qua difficultate reſponſio communis eſt, hoc non eſſe pretium Matrimonij, ſed dotem neceſſariam ad onera Matrimonij ſuſtentanda. Ita communiter Iuriſperiti citatis locis præſertim in d. c. *Cùm in Eccleſiæ*, vbi Panorm. n. 2. & Thom. de Argen. in 4. d. 25. quæſt. 1. art. 4. dub. 2. ad 1. Anton. 2. p. tit. 1. cap. 5. §. 16. Sylueſt. Tabien. & alij. Et ſumitur ex c. *Per veſtras*, de Donat. inter vir. & vxor. & leg. *Pro oneribus*, c. de iur. dot. quæ reſponſio optimè ſatisfacit, quantùm ad dotem ſpectat, nam & Eccleſia, quæ res ſacra eſt, ſine dote conſecrari non debet, iuxta cap. *Cum ſicut*, de Conſecrat. Eccleſ. & cap. 1. prima, q. 2. & cap. *Nemo*, de Conſecr. d. 1. Imò nec ædificari, vt ibi notant Gloſſ. Panor. & alij. Sed difficultas ſemper ſupereſt de aliis contractibus, qui circa Matrimonium, frequenter fiunt, qui non videntur poſſe excuſari à venditione, & emptione Matrimonij. Solet enim, quando perſonæ non ſunt æquales in nobilitate, vel alia ſimilitudine, inæqualitas illa ad quandam æqualitatem reduci per pecuniã, vt conſtat ex vſu. Tunc non poteſt dici, id fieri ad ſuſtinenda onera Matrimonij, nam ad hoc ſufficeret competẽs dos, tunc verò fit hæc additio vltra ſufficientem, & abundantem dotem. Et interdum fit ſub conditione, vt ſi contingat, mori ſine filiis coniugem minus nobilem, alter ſuperſtes ſit neceſſarius hæres tantæ pecuniæ, vel talium bonorum. Et confirmatur ex c. *De illis*, de Condit. appoſ. vbi dicitur, validum eſſe cõtractum hunc, Ducam te in vxorem, ſi rem talem mihi donaueris, ibi autem interuenit pactum æquiualens venditioni: nam illa ſic contrahens vendit Matrimonium ex parte ſua pro re, quam poſtulat. Nec ibi habet locum excuſatio de dote, quia conditio ponitur de abſoluta donatione præter dotem.

Cap. *De illis.*

11. Vera reſponſio.

Videtur ergo dicendum, Matrimonium, quamuis ſit Sacramentum, ſimul eſſe contractum humanum, in quo commutatio materialis (vt ſic dicam) id eſt, rei corporalis pro corporali manifeſtè interuenit. Nam in Matrimonio cõiuges inuicem tradunt, & acceptant corpora ſua, vnde vnus tradit ſe alteri, quia alter tradit ſe illi, & è contrario. Igitur ex parte huius contractus nihil repugnat, quòd in Matrimonio aliquod pretiũ interueniat, quando ad æquitatem contractus neceſſarium viſum fuerit. Et tunc non emitur, aut venditur Sacramentum, nec aliquid ſpirituale, ſed venditur vel materialis contractus, vel potiùs quodammodo emitur quaſi partialiter corpus ipſum materiale, quod eſt materia Sacramenti. Nihil enim repugnat, corpus humanum emi ad vſum Matrimonij, ſicut emitur ad ſeruitutem. Nam ſicut corpus vnius coniugis pro corpore alterius commutatur, ita ſi non ſint moraliter æqualia, poteſt commutari corpus vnius, pro corpore & pecunia alterius, hoc enim nec contra iuſtitiam eſt, nec cum Simonia habet, commercium.

12. Declaratur aliter.

Poteſt hoc etiam aliter declarari, quia per huiuſmodi pecuniam ſemper compenſatur aliqua conditio temporalis, in qua alter contrahentium alterum excedit, & ita ſemper fit commutatio temporalis pro temporali, non pro ſpirituali, Vt v. g. quando alter contrahentium eſt nobilis, & alter diues, ſicut corpus pro corpore commutatur, ita nobilitas pro diuitiis, & ſi vnus eſt ſenex diues, alter iuuenis pauper, grauamen illud, & periculum quod ſuſcipit iuuenis, pecunia compenſatur. Et ſic de aliis conditionibus pulchritudinis, aut deformitatis, habitudinis, vel facilitatis ingenij, & ſimilibus iudicandum eſt. Et hoc totum videtur comprehendiſſe D. Thom. d. art. 2. ad 6. dicens, *Matrimonium non ſolùm eſſe Sacramentum, ſed etiam naturæ officium, & ideò licet pro Sacramento non poſſit pecunia dari, pro Matrimonio, vt eſt officium naturæ, licitum eſſe, pecuniam dare.* Nam ſub illa ratione officij naturæ includũtur omnia, quæ ad æqualitatẽ contractus, vt talis eſt, neceſſaria videbuntur, vt benè explicauit Richard. 4. d. 25. art. 3. q. 1. ad 4. Et idem ſentit Panorm. in cap. *Cùm in Eccleſiæ*, de Simon. num. 3. citans Bart. in l. *Si ita ſtipulatus*, §. 2. & in l. *Si diuorſio*, ff. de verb. oblig. Et idem Guilliel. Redoan. tract. de Simon. p. 1. c. 11. n. 4. Qui tamen in eo cauendus eſt, quòd non videtur rectè ſentire de Matrimonio, vt Sacramentum eſt, ſed in opinionem Gloſſarum damnatam inclinare ſine vlla neceſſitate ad præſentem reſolutionem. Quia licet Matrimonium ſit perfectiſſimum Sacramentum, non abſtulit rationem contractus, neque alia, quæ ad æquitatem eius, & ad officium naturæ neceſſaria ſunt. Et hinc etiam eſt, vt in contrahendo Matrimonio licitum ſit pecunia procurare conſenſum alterius, & dare aliquid vel parentibus puellæ, vt conſentiant, vel internunciis, vt illud procurent, quia hæc omnia immediatè ad contractum, & officium naturæ ordinantur.

D. Thom. Richard. Panor. Bart. Guilliel.

CAPVT XI.

Vtrum materiæ Sacramentorum ſecundùm ſe ſpectatæ vendi poſſint, vel ſint materia Simoniæ.

1. An pretium poſſit exigi pro re, quæ eſt materia Sacramenti.

HÆc difficultas naſcitur ex his, quæ proximè diximus ſuperioti cap. de Matrimonio. Videtur enim ex dictis ſequi, quando ſit Sacramentum licitum eſſe aliquid per modum pretij exigere pro re illa, quæ eſt materia Sacramenti, ſeu quæ ſubſternitur illi rationi ſpirituali, quæ eſt in Sacramento; ſcilicet ſacræ ſignificationi, & virtuti cauſandi gratiam, licet ſecundum hanc formalem rationem non poſſit vendi, nec pretio æſtimari. Probatur autem ſequela, quia in Matrimonio corpora contrahentium, & contractus eſt materia Sacramenti; & præſertim contractus ipſe eſt illud materiale ſenſibile, quod ad ſacram ſignificationem, & effectionem eleuatur, & nihilominùs vendi poteſt hæc materia, non vendito Sacramento, ergo idem poterit in materiis aliorum Sacramentorũ, nam etiam ſunt entia materialia natura ſua æſtimabilia pretio, poſſunt ergo per ſeſe ſpectari, & vt ſic æſtimari, & vendi, vel emi non vendendo Sacramentum. Quod videtur fieri, quoties non pluris venditur illud materiale, eo quòd ſit illi adiuncta ratio Sacramenti, quam per ſe vendi iuſtè poſſet. Et confirmatur, quia res aliæ ſacræ, vt calix, & ſimilia poſſunt hoc modo vendi, quoad materiam, vt infrà videbimus, ergo idem dicendum videtur de materiis Sacramentorum.

2. Materia Sacramenti duplex eſt, proxima ſcilicet, & remota.

In hoc puncto aduertendum eſt, materiam Sacramenti duplicem eſſe, ſcilicet remotam & proximam; remota ſolet eſſe elementum aliquod, vel

aliquid proportionale, vt Aqua, Oleum, Chrisma, Vinum, Panis, &c. proxima est actio aliqua, vt lotio, vnctio, & quoad formas, verborum prolatio, (iam enim diximus sub hoc materiali formas etiã in hac disputatione comprehendi.) Quod ergo attinet ad materiam remotam nulla est quæstio, nam illa, vt antecedit actionẽ sacram, & vt est res quædam permanens, sine dubio vendi potest, vt suprà etiam dixi, quia est res merè materialis. Solùm aduerto, hanc materiam interdùm esse consecratam, aut benedictã, vt est Chrisma, & Oleum sanctum, & solet etiam in Baptismo esse aqua benedicta: & tunc eadem est ratio de tali materia, vt benedicta, seu sacrata est, quæ de aliis rebus permanentibus consecratis, de quibus dicturi sumus c. 15. Vendere autem illas ratione solius materiæ, non est Simonia iure naturæ, vbi autem fuerit prohibitio specialis Ecclesiæ, seruanda est.

Materia remota vendi potest.

3. In materia proxima duo spectari posse.

In materia verò proxima, quæ semper consistit in aliqua hominis actione, duo spectari possunt, vnum est actio ipsa corporalis, in qua ratio Sacramenti fundatur, vt est ablutio, signatio, prolatio verborum, & similes, aliud est labor, quem esse contingit in huiusmodi actione, vt defatigatio confessoris in audienda confessione, vel in Missa dicenda, & sic de aliis, & hûc etiam spectant aliqua incommoda temporalia, quæ intrinsecè comitantur talem occupationem, vt temporis iactura, & cessatio ab aliis lucris, & operibus, & similia. Hæc posterior consideratio communis est ad omnes actiones sacras, quæ per corpus exercẽtur, & ideò de omnibus simul commodiùs hoc tractabitur in c. 15. Solùm ergo hîc superest dicendũ de actibus ipsis. De quibus indubitanter dicendum est, esse materiam Simoniæ, quæ planè committitur, si vendantur. Ita docet apertè D. Tho. d. q. 100. art. 2. præsertim in solut. argum. vbi Caiet. Sot. & omnes id docent. Anton. 2. p. tit. 1. cap. 5. §. 16. Durand. bene 4. d. 15. q. 3. Palud. q. 5: Richard. Argent. Angel. Tabien. Sylvest. Caiet. & alij Summistæ ver. *Simonia*. Et communiter Canonistæ in cap. *Cùm in Ecclesia* de Simon. ex quo textu id sumitur, & ex omnibus, quæ de hac materia habentur 1. q. 1. c. *Baptizandis*, vbi Glossa, & ex similibus. Nam illa non solùm dicunt, esse Simoniam vendere Sacramenta, sed etiam vendere actiones Sacramentorum; vel in vniuersum sacra ministeria, quæ constat cõsistere in ipsis materialibus, & corporalibus actionibus sic institutis. Nec huiusmodi venditio prohibetur in Iure canonico, vt per talem prohibitionem illicita fiat, sed potiùs reprobatur, & punitur tanquam per se mala, & contraria verbi Christi: *Gratis accepistis, gratis date*. Item hæc est communis Ecclesiæ traditio, & sensus. Vnde contra hanc prohibitionem nulla consuetudo præualere potest, vt dicitur in eodem c. *Cùm in Ecclesia*. Est ergo id contra Ius diuinum. Denique ab incommodo argumẽtatur Durandus, quia si actiones ipsas vendere liceret, ridiculum esset, & inutile prohibere venditionem Sacramentorum, quia non aliter possunt vendi, quam vendendo actiones. Sed ad hoc responderi posset, longè aliter vendi, si actiones ipsæ cariùs vendantur propter rationem Sacramenti. Sed nihilominùs moraliter rem spectando, ratio est vrgens. Tum quia saltem hoc titulo posset colorari omnis talis Simonia. Tum maximè quia actiones illæ per se spectatæ exiguæ æstimationis sunt, vnde non possent moraliter vendi sine respectu ad sanctitatem, quam habent.

Actus ipsos vendere Simonia est. *D. Thom. Caiet. Sot. Anton. Durand. Palud. Archid. Argent. Angel. Tabien. Sylvest. Caiet.* Cap. *Baptizandis. Gloss.*

Cap. *Cùm Ecclesia. Durand.*

4. Ratio à priori.

Ratio verò à priori huius veritatis est, quia tota illa actio, vel passio, quæ est materiale Sacramenti est actus ministerij, & potestatis spiritualis, & supernaturalis, & ideò ipsamet materialis actio gratis etiam conferenda est. Vt v.g. cum Christus dixit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* simul & eodem modo præcepit Apostolis, vt circa Baptismum actiones illas corporales, & sensibiles baptizandi, & proferendi formam cum inuocatione Trinitatis facerent super credentes, & vt illas facerent ad salutem eorum, & ad lauandas eorum animas, seu (quod idem est) vt eas facerent cum intentione faciendi Sacramentum. Totum ergo illud ad quoddam esse diuinum, & supernaturale eleuatum est, & ita super totum illud cadit præceptum alibi datum: *Gratis accepistis, gratis date*. Et hæc ratio locum habet in omnibus Sacramentorum materiis seu actionibus. Et ideò fortasse dixit D. Thom. dicto art. 1. ad 6. Quo sicut anima viuit secundùm se ipsam, corpus verò secundùm animam, ita quædam sunt spiritualia secundum se ipsa, inter quæ principaliter ponit Sacramenta, distinguens illa ab aliis, quæ sunt spiritualia quasi extrinsecè, seu vt adherent spiritualibus, Nam licet actiones Sacramentorum realiter, & physicè materiales sint, tamen secundùm suum esse materiale eleuatæ sunt ad supernaturalem ordinem, nam ipsæmet sunt ministeria sacra, & signa, & causæ gratiæ, & ideò iam sic institutæ, & eleuatæ perinde reputantur, & æstimantur, ac si in suis entitatibus essent spirituales, & supernaturales. Et confirmatur, quia illemet actus Sacramenti, qui in suo esse, materialis, & naturalis esse videtur, factus ad Sacramentum conficiendum supernaturalis est, & spiritualis ex principio, & fine, quia procedit à quadam supernaturali potestate à Christo data, neque aliter fieri potest, & tendit ad dandam spiritualem salutem alteri, ergo impossibile est æstimare illum actum sic factum, vt merè materialem, ergo nullo modo vendi potest. Tandem confirmatur: quia istæ actiones Sacramentales, prout in Sacramentis fiunt, non habent vtilitatem humanam, seu naturalem, & materialem, sed solùm spiritualem, & Religiosum cultum Dei; & si hoc non haberent, essent vanæ, ac inutiles superstitiones, ergo non possunt iam æstimari pretio, vt temporales sunt. Vnde in illis habet locum, quod Pascha. Papa in cap. *Siquis*, 7. 1. q. 3. significauit, cùm in his materiale sine spirituali nihil proficiat, *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum prouenit, neutrum inuenditum derelinquit.*

Pascha. Papa. Cap. *Siquis.*

5. Soluitur instantia de Matrimon.

Ad instantiam verò de Sacramento Matrimonij responderi potest facilè ex suprà dictis, nec Sacramentum, nec contractum vendi propriè, cum aliquid temporale in Matrimonio accipitur. Nam si illud temporale sit dos, nullam habet rationem pretij, sed subsidij ad onera Matrimonij sustentanda. Si verò sit per modum recompensationis, sic datur vel pro materia remota Sacramenti Matrimonij, id est, pro corpore alterius contrahentis tanquam partiale pretium eius, corpora enim contrahentium sunt materia remota illius Sacramenti, & nullum est inconueniens, vt materia remota Sacramenti ematur, sicut diximus. Vel certè nec corpus ipsum propriè emitur, sed aliqua eius conditio, vt nobilitas, peritia in aliqua arte, vel quid simile, vel è conuerso recompensatur nocumentum, vel incommoditas quæ alteri contrahentium ex aliquo defectu alterius prouenit.

6. Differentia notanda inter Matrimonium, & alia Sacramenta.

Addo etiam differentiam notandam inter hoc Sacramentum, & alia, quòd in Matrimonio totum id,

id, quod est materia proxima illius Sacramenti, est merè naturale habens suum finem proximum, & vtilitatem moralem, scilicet, mutuam obligationem coniugum, & morale vinculum ordinatum ad honestum finem naturæ, secundùm quam rationem, & à potestate naturali progreditur, & ad finem materialem, & naturalem tendit. Hanc autem materiam Christus integram reliquit, nec illi addidit cæremoniam aliquam essentialem illi Sacramento, sed solùm significationem Sacramentalem, & causalitatem gratiæ. Et ideò illa materia, & contractus eandem vtilitatem, & æstimationem habet, quam anteà habebat. Quapropter nullum inconueniens est, quod secundùm se maneat vendibilis, nulla habita ratione ad esse Sacramenti secundùm quod inuendibilis est. In aliis verò Sacramentis tota materialis actio Sacramẽti supernaturalis est secundùm institutionem suam, & non habet aliam vtilitatem, nec alium finem, nisi cæremoniæ sacræ, & causæ gratiæ; propter quod fieri ritè non potest, nisi ex supernaturali potestate, & ideò in ea non est separabile materiale à spirituali, nec secundùm se vendibile manet. Et ita ad alteram partem argumenti, nego has actiones Sacramentorum esse æstimabiles pretio secundùm se; tum quia omninò sunt ex institutione diuina, & supernaturali, tum etiam quia reuera non habent alium vsum humanum, propter quem possint pretio æstimari. Et similiter ad confirmationem sumptam ex aliis rebus sacris permanentibus, negatur consequentia; nam est longè diuersa ratio, quia in eis materiale est valde extrinsecum, & habet semper suum valorem, & æstimationem, vt posteà videbimus.

CAPVT XII.

Vtrum in necessitate possit Sacramentum emi ab eo, qui non vult illud, nisi propter pretium, ministrare.

1. HÆc quæstio de omnibus ferè rebus sacris tractari potest, solet autem specialiter disputari de Baptismo, quia in eo maior necessitas inueniri potest, quàm in aliis, nos autem illam extendimus ad omnia Sacramenta, quia, vt videbimus, etiam in aliis potest locum habere, & ex resolutione data in omnibus Sacramentis facilè poterit doctrina applicari ad similes casus in aliis actionibus, vel rebus sacris occurrentibus. Sunt autem in hoc puncto variæ sententiæ. Prima simpliciter negat, licitum esse in eo casu, dare pecuniam sub vllo colore, vel titulo, vt Sacramentum obtineatur pro quacunque necessitate, etiamsi sit spiritualis, & omninò extrema, qualis est in infante morti proximo, qui non potest, nisi per Baptismum saluari. Ponitur ergo casus, in quo sola mater adest, quæ vel non scit baptizare, vel trunca est manibus, vel aquam non habet, nec potest petere Baptismum pro filio, nisi ab vnico ministro, qui solùm aquam habet, & illam vendere non vult, nec baptizare paruulum, nisi pretio accepto. Ait ergo hæc sententia, etiam in simili euentu non licere dare pecuniam petenti, vt baptizet. Ita sentit D. Thom. d. q. 100. art. 2. ad 1. & 4. d. 5. q. 2. art. 2. q. 2. ad 2. & d. 25. q. 3. art. 2. q. 2. ad 3. Idem Alensis 2. part. quæst. 169. membr. 3. art. 1. dub. 2. Richard. dicta dist. 25. art. 3. quæst. 2. ad 8. Potest tamen non immeritò referri pro contraria sententia saltem in casu pueri, quia licet prius dicat non

Prima opinio negatiua.

D. Thom. Alens. Richard.

A licere tunc dare pecuniam, posteà refert sententiam contrariam, & sensum eius declarat, & non reprobat. Expressiùs idem tenet Palud. 4. d. 5. q. 3. num. 17. Anton. verò 2. p. tit. 1. cap. 5. §. 16. eodem modo, quo Richard. loquitur. Turrecrem. etiam in cap. *Gratia*, 1. q. 1. idem, quod D. Thom. asserit. Tenet Sylvest. verb. *Simonia*, q. 8. Allegatur etiam pro hac parte Glossa vltima in c. *Baptizandis*, 1. q. 1. licet etiam pro sententia contraria soleat adduci, nec immeritò, quia reuera contradictoria dicit, priùs enim absolutè negat, posse licitè fieri, & posteà subdit, *Sed ego facerem, & benè; licet non deberem facere.* Quod valdè inconstanter, & imprudenter dictum est.

Palud. Anton. Turrecr. Sylvest. Gloss.

B Fundamentum huius opinionis ex duobus principiis sumitur; vnum est esse intrinsecè malum, emere Sacramentum, & ideò propter nullum finem, vel necessitatem licere posse. Quæ illatio manifesta est ex illo Roman. 3, *Non sunt facienda mala, vt inde veniant bona.* Assumptum verò probatur, quia suprà ostensum est, Simoniam contra Ius Diuinum esse natura sua prohibitam, ac subinde intrinsecè malam, sed Simonia hæc, quæ in Sacramentis committitur, est contra Ius diuinum, vt ostensum est, ergo. Et confirmatur; quia venditio Sacramenti est intrinsecè mala, ergo & emptio; nam hæc correlatiua sunt, & non possunt separari, nec potest reddi maior ratio de vna, quàm de alia. Aliud principium est, non posse in eo casu dari pecuniam petenti illam, vt baptizet, nisi emendo Baptismum. Probatur primò, quia si posset alio titulo dari maximè ad redimendam vexationem; at hæc in eo casu non excludit emptionem, ergo non excludit Simoniam, nec honestari potest. Minor probatur, quia illa vexatio consistit tantùm in negatione iniqua Baptismi, ergo ablatio vexationis nihil aliud est, quàm collatio Baptismi, ergo redimere vexationem, nihil aliud est, quàm emere Baptismum, vt cesset vexatio. Sicut si Episcopus nollet dare alicui beneficium, quod ex iustitia distributiua dare tenetur (quia suppono, solùm illum esse dignum) vexationem illi faceret, & nihilominùs si ille daret Episcopo pecuniam ad redimendam vexationem suam, planè emeret beneficium, quia ibi non tollitur vexatio, nisi D dando beneficium. Ita ergo in præsenti. Vnde sumitur confirmatio argumenti ab incommodo, quia aliàs sequitur, quoties simili modo fit vexatio in spiritualibus, negando id, quod ex iustitia debetur, posse dari pecuniam, vt reddatur tale debitum, quia redimitur vexatio, quod tamen falsum est, & viam aperit Simoniis, vt infrà videbimus. Et ideò in materia de Beneficiis est regula communis, non licere ante acquisitum Ius in redimere vexationem ad obtinendum illud, ab eo, qui illud collaturus est, etiamsi supponatur Ius ad rem, sed ad summum, licitum esse remouere eum, qui potest obesse, vt cesset ab impediendo, vt ad hoc propositum notauit Palud. suprà. At in dicto casu licet infans habeat Ius ad Baptismum, E non tamen habet Ius in re, & non agitur de tollendo impedimento, sed de obtinendo ipso Baptismo ab eo, qui collaturus est: ergo non est licita redemptio vexationis, quia reuera est emptio rei spiritualis, per quam emptionem per se, & directè vexatio tollitur, & non alio modo. Denique confirmatur, quia aliàs non solùm in illa extrema necessitate liceret vexationem redimere, sed etiam quotiescunque alicui iniustè negaretur Sacramentum. Patet sequela, quia quotiescunque mihi negatur iniustè Sacramentum, vexatio fit

2. Fundamentum huius opinionis.

Rom. 3.

Palud.

mihi, & consequenter ego habeo ius expellendi illam vexationem, si possum, ergo dando pecuniam possum licitè illam expellere, etiamsi non occurrat alia necessitas recipiendi Sacramentum, sed sola spiritualis vtilitas, vel certè licet necessitas non sit extrema, sed grauis. Probatur hæc vltima consequentia, quia non emitur Sacramentum, si autem non emitur Sacramentum, licita erit datio pecuniæ etiam extra necessitatem aliam præter ipsam redemptionem vexationis ad tollendam illam, consequens autem non admittitur etiam à dictis auctoribus, ergo.

3. 2. Sententia distinguens inter necessitatem grauem, & extremam.

Secunda sententia distinguit inter extremam necessitatem simpliciter in ordine ad vitandam æternam damnationem, & necessitatem grauem, non tamen absolutam, & extremam. Prior inuenitur in infante in casu proposito, posterior inueniretur in adulto in simili casu, ille enim non est in absoluta necessitate salutis, quia per contritionem, & Baptismum Flaminis saluari potest. In hoc ergo posteriori casu de adulto conuenit hæc sententia cum præcedenti, non licere tunc dare pecuniam vllo modo aut colore, & à fortiori pro obtinendis aliis Sacramentis nunquam esse licitum dare pecuniam ministris petentibus, quia in aliis Sacramentis nunquam est tanta necessitas, quia alia præter pœnitentiam non sunt media necessaria ad salutem, pœnitentiæ autem Sacramentum, cum non detur, nisi adultis, semper potest quoad illam necessitatem suppleri, & recipi in voto per contritionem, quod ad vitandam damnationem satis est. At verò in casu de paruulo dissentit hæc opinio à præcedenti, affirmátque in eo posse dari pecuniam petenti, ne paruulus pereat. Ita docuit Gloss. in d. cap. *Baptizandis*, & idem sentiunt ibi Archid. & Domin. Idem tenet Panorm. in d. cap. *Cum in Ecclesia*, num. 5. quem ibi alij sequuntur, & Guilliel. Redoa. tract. de Simon. p. 1. c. 6. n. 8. & 3. p. c. 5. n. 16. Et ex Theologis docuit hoc Caiet. d. q. 100. art. 2. Citari possunt pro hac sententia Altissi. lib. 3. Sum. tract. 27. c. 2. quæst. 3. & Bonauent. 4. d. 5. art. 2. q. 1. ad vlt. vbi dicit, hoc magis consonare pietati, & rationi. Illum videtur sequi Marsil. 4. q. 4. art. 4. dub. 14. Nam priùs ponit priorem opinionem, quam dicit esse Holkot, & postea subiungit, Bonauenturam docuisse contrariũ, & pertransit. In his autem auctoribus aduerto expressè doceri partem affirmatiuam huius opinionis, nimirum quando baptizandus est infans, licitum esse, dare pecuniam in illo casu, de parte autem negatiua in adulto non ita loquuntur, sed vel tacent, vel potiùs insinuant se indifferenter loqui, & maximè Bonauent. quem Marsil. sequitur. Et idem sentit Maior in 4. d. 5. quæst. vnic. ad 3. vbi de paruulo expressè affirmat licere, de adulto verò solùm dicit, *Sufficit ei sua bona voluntas, qua baptizari vult*, non tamen dicit, aliud esse illi prohibitum. Possunt etiam referri pro hac opinione Richard. & Anton. vt suprà notaui. Ex Summistis eam sequitur Angel. *Simonia*, 2. num. 12. Tabien. 29. Et idem sentit Nauar. d. cap. 23. num. 102. in fin. licet soleat in contrarium referri, quia ita incipit. *Idem dicendum est, &c.* Et si relatiuum *Idem*, ad proximè præcedentem clausulam referatur, planè affirmat, in eo casu committi Simoniam dando pecuniam. Tamen sine dubio est referendum ad initium totius §. *Vndecimo*, in quo incipit agere de casibus, in quibus non committitur Simonia apud Deum, licet exteriùs pecunia detur, & quòd hic sit sensus, constat quia allegat, & sequitur Panorm. & quia pro ratione affert, quod in necessitate, etiam ab hæretico licet Baptismum postulare.

Gloss. Archid. Domin. Panor. Guilliel. Caiet. Altissiod. Bonauent. *Marsil.* *Holkot.* *Bonauent. Marsil. Maior.* *Richard. Anton. Angel. Tabien. Nauar.*

Hæc sententia, cùm duas habeat partes, vnam negantem de adulto, alteram affirmantem de paruulo: priorem non tam probat, quàm supponit ex eo solùm, quod adultus non est in extrema necessitate. Vnde totam rationem alterius partis sumunt auctores huius sententiæ ex priuilegiis extremæ necessitatis, vt latè prosequitur Redoan. suprà, non tamen multùm ad causam, quia ferè omnia, quæ adducit in exemplum, sunt ex his, quæ sunt mala, quia prohibita, & non prohibita, quia mala, de quibus facilè intelligitur, ordinariè licere in extrema necessitate. Vnde illa ferè eodẽ modo procedunt in necessitate adulti sicut paruuli, vt patet in exemplo, quo vsus est Nauar. quod liceat in necessitate sumere Baptismum ab hæretico, nam hoc etiam adulto licet, secluso periculo deceptionis. Tamen re vera exempla nec de adulto, nec de paruulo procedunt, quia sumus in materia per se, & intrinsecè mala, quæ vel nullo modo, vel difficiliùs cessat propter solam necessitatem etiam extremam. Vnde duo exponere oportet in hac sententia. Vnum est, quomodo malitia Simoniæ cesset, quando necessitas est extrema, vt in paruulo, aliud est, cur non cesset, quando non est tanta, licet sit grauissima, vt est in adulto. Primum non aliter probatur, nisi quia curator paruuli potest dare illam pecuniam non animo emendi, sed tantùm tollendi impedimentum, & satiandi auaritiam alterius, vt remoto isto impedimento, ille velit ministrare. Et ita non emitur Baptismus, & cessat Simonia. Vt autem pecunia possit tunc dari isto modo, necessitas extrema præbet facultatem, seu naturale ius vitãdi damnationem pueri quando sine hoc modo ineuitabilis esset. Et declaratur hæc ratio, quia quando datio pecuniæ potest habere bonum finem necessarium per se, & distinctum ab emptione rei spiritualis, licet pecunia propter illum finem detur, non committitur Simonia expressa, nec interpretatiua; ita verò est in præsenti, ergo. Maior patet, quia intentio formalis non est emendi, vt supponitur; & ita non est Simonia expressa: necessitas autem excusat ab interpretatiua, quia non tenetur quis cùm tanto damno proximi vitare illam externam apparentiã Simoniæ, quando re vera, & in animo talis non est. Minor autẽ iam satis patet ex dictis, quia dare pecuniam illi auaro, vt non tam grauiter noceat proximo, vel vt desistat ab illa praua voluntate non Baptizandi, optimus finis est. Neque obstabit, quod alius accipiendo peccet, quia qui dat, non cooperatur peccato illius; nec petit aliquid, quod sine peccato ipse facere non possit, sed permittit malitiam eius, illáque bene vtitur, sicut de soluente vsuras constat.

4. *Redoan.* *Nauar.*

Probatur 1. pars huius opinionis affirmans ad baptizandũ paruulum in extrema necessitate posse dari pecuniam.

Verumtamen licet hic discursus probabiliter procedat quoad hanc partem affirmantem, videtur tamen destruere alteram negantem de adulto. Cur enim non poterit adultus etiam illa intentione dare pecuniam, & ita non committere Simoniam expressam? Cur etiam non excusabitur coram Deo à Simonia præsumpta, seu interpretatiua, cùm etiam sit in grauissima necessitate? Quia difficillimum est habere contritionem, & ita licet non sit tam certum periculum damnationis, tamen moraliter magnum est, quod in re tanti momenti sufficiens esse debet, vt propter illud vitandum possit etiam contemni exterior illa apparentia Simoniæ. Et accedit, quòd licet habeat quis contritionem, tamen moraliter loquendo integrã remissionem culpæ, & pœnæ non assequetur, nec volabit

5. Difficultas vrgetur in adulto.

volabit statim ad cœlum, quod grauissimum nocumentum reputari debet, ergo pro illo vitando habet ius vtendi illa cautela, seu redimendi vexationem suam. Huc accedunt multæ ex rationibus factis pro prima sententia, quæ planè videntur probare, quòd si in illo casu de paruulo non committitur Simonia, quia re vera non est emptio rei spiritualis, eadem ratione non erit emptio in necessitate adulti, si intentione simili, & ad eundem finem tollendi impedimentum detur pecunia, ac subinde etiam in eo casu non esse peccatum illam dare.

6. Opinio Soti asserens in extrema necessitate posse emi sacramentum.

Quapropter Soto lib. 9. de Iust. quæst. 6. art. 1. licet cum præcedenti secunda opinione in vtraque parte, & affirmante de paruulo, & negante de adulto conueniat, tamen longè aliam rationem reddit B in casu de paruulo, iuxta quam, & tertiam, & nouam opinionem constituit, & nouam rationem differentiæ inter vtrumque casum reddere potest. Ait ergò, ideò licere in eo casu de paruulo pecuniam dare, quia licet tunc Sacramentum emere, quæ emptio nunquam licet, nisi in extrema necessitate. Priorem partem probat primò argumentis suprà factis pro prima opinione, quia redemptio vexationis in præsenti casu esse non potest sine emptione Sacramenti, nam medium vnicum ad redimendam vexationem, est emptio Sacramenti, tunc autem non est mala emptio, quia non propter se fit, nec propter temporalem finem, sed propter spiritualem grauissimam, & extremam necessitatem. Quòd si obiicias, quia actio intrinsecè mala ex ob- C iecto non potest vnquam honestari ex bona intentione finis. Respondet consequenter, emptionem Sacramenti non esse intrinsecè malam. Et in hoc constituit differentiam inter emptionem, & venditionem Sacramenti, quòd venditio est intrinsecè mala, non emptio; cuius nullam rationem reddit, sed declarat tantùm exemplo vsuræ, in qua vendere matrimonium, intrinsecè malum est, non verò emere. Deindè verò subiungit, exemplum non esse sumendum in omnibus, nam soluere vsuras licitum est etiam extra extremam necessitatem, in graui, emere autem Sacramentum, non licet nisi in extrema necessitate. Et ideò (inquit) non licet adulto in illo casu dare pecuniam. Cuius aliam non reddit rationem, nisi quia in spiritualibus multo maior D est adhibenda cautio, & ideò solùm in extrema necessitate permittitur emptio, ne si minor sit necessitas, videatur quis dando pecuniam, alterius iniquitati consentire.

7. Impugnatur opinio Soti dicentis emptionem Sacramenti nõ esse intrinsecè malam. D. Thom. Bonauent. Magist.

Sed hæc non videtur dicta cum fundamento solido, nec cum cõsequentia doctrinæ. Primum enim assertio illa, quòd emptio Sacramenti non sit intrinsecè mala, expressè est contra D. Tho. & omnes Theologos, & Iuristas, vt constat ex omnibus allegatis in vtraque opinione, & in aliis, quos infrà referemus. Vnde Bonauent. 4. dist. 25. dub. 3. circa liter. vbi Magister ait; *Vtrique eadem sententia percelluntur*, scilicet, ementes, & vendentes, ipse Bonauent. addit. *Quantum ad genus peccati est vniformitas, quia vterque gratiæ Spiritus sancti facit iniuriam.* Deindè E Soto nullam affert rationem, cur venditio Sacramenti sit intrinsecè mala, & nõ emptio, nam exemplum de vsura nihil probat, quia in vsura non oritur malitia ex aliqua excellentia ipsius mutui, sed potiùs ex eo, quòd nullius pretij est, & consequenter tota malitia eius consistit in iniustitia, quia venditur res, quæ nõ est digna pretio, quæ iniustitia solùm est ex parte vẽdentis, non ex parte ementis, seu petentis mutuum, quia ille non potest sibi facere iniuriam, sed potest cedere iuri suo. Vnde etiam absque graui necessitate, cum communi petat mutuum à parato, non peccat. Imò licet sine vlla rationabili causa petat, vel etiam si inducat nõ paratum, etsi peccet ratione ductionis, & cooperationis ad malum alteriùs, nunquam propriè peccat in eo, quod est emere mutuum, quia (vt dixi) cedit iuri suo, nec potest sibi facere iniuriam. At malitia Simoniæ oritur ex excellentia rei spiritualis, cui grauis fit irreuerentia, & iniuria, dum pretio temporali comparatur, hæc autem æquè fit emendo, ac vendendo neque emens potest cedere (vt sic dicam) iuri rei spiritualis, magis quàm vendens. Est ergo in vtraque parte æquè intrinseca malitia.

8. Responsum Soti refellitur.

Præterea hoc declaratur ex facto Simonis, cuius factum vt per se malum, & grauissimum Petrus reprehendit: & tamen ille emere tantum tentauit. Respondet Soto, illum voluisse emere ad vendendum. Sed contra, nam licet hoc verisimile sit, tamen hoc neque est æquè certum, cum ex Scriptura non colligatur apertè. Neque à Petro redditum est pro causa, sed tantùm dixit: *Quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Ergo hoc sufficiebat ad delictum, quicquid sit de alia intentione: nec indubitatum delictum soli intentioni occultæ tribuendum est. Vnde Chrysostomus homil. 13. in Marc. ponderat, Christum non tantùm eiecisse de templo vendentes, sed etiam ementes (quo facto significatos esse Simoniacos ex sententia Patrum suprà ostendimus) *Quia non solùm* (inquit) *vendere, malum est, sed etiam emere*; & subiungit: *Denique Simon Magus non quia vendidit, sed quia emere voluit, damnatus est. Infœlix, est, qui vendit, infelix est, qui emit, gratia enim Christi auro, & argento non potest comparari.* Sic etiam Taras. in Epist. Adrian. in capit. *Eos qui*, 21. 1. quæst. 1. dicit, peccare illum, qui vendit Spiritum sanctum, quia vult illum habere tanquam seruum. *Similiter* (subdit) *& qui emit, Dominus eius volens esse, quod emerit, per pretium pecuniæ illud acquirit:* Vbi non ponit rationem culpæ in hoc, quod Spiritus sanctus emitur, vt vendatur, sed in intrinseca ratione emptionis, quæ per se infert iniuriam Spiritui sancto, quia ita tractatur, ac si eius dominium per temporale pretium posset obtineri. Et potest hoc confirmari ex multis aliis Decretis in tota illa quæstion. 1. in quibus vtraque pars æquè damnatur. Item in definitione Simoniæ æquè ponitur, quòd sit voluntas emendi, aut vendendi. Item sicut est intrinsecè malum vendere rem alienam, inuito domino, & ita etiam emere. Item sicut est contra dignitatem rei pretio inæstimabilis illam vendere, ita etiam emere, quia per vtramque partem pecuniæ æquiparatur. Item qui ab aliquo emit rem, facto ipso protestatur, illam esse vendentis, & esse materiam aptam ad talem contractum, & similes rationes possunt facilè multiplicari, vt in sequentibus etiam dicemus.

Chrys.

Taras. Cap. Eos, qui.

9. Non loqui Sotum consequenter.

Præterea non loquitur Soto consequenter; nam si emptio Sacramenti non est intrisecè mala, ergo in rigore est de se indifferens, quia si non est intrinsecè mala, de se non habet malitiam, vnde cum nec bonitatem habeat, vt constat, erit indifferens; & ad summum erit vel malè sonans, vel ad malum vrgens, nisi alsunde honestetur. Ergo non solùm in extrema necessitate paruuli, sed etiam in grauissima necssitate adulti poterit licere. Nam ea, quæ non sunt intrinsecè mala, multò faciliùs, & frequentiùs honestari solent ex optimis, & grauissimis, ac moraliter necessariis causis, etiamsi

etiamsi extrema necessitas non intercedat. Quod autem respondet Soto, in spiritualibus esse maiorem cautionem adhibendam, ne videatur quis alterius Simoniæ consentire, si extra necessitatem extremam pretium tribuat; valde friuolum apparet, quia non agimus hic de specie culpæ coram hominibus, sed de existentia illius coram Deo, apud quẽ si intentio sit sana, & medium non sit malum, actio non erit suspecta, nec habebit vllam rationem cooperationis ad malitiam alterius, quia ille se offert, & non solùm est paratus, sed cogit. Ergo tractando de veritate, & non de suspicione, nullo modo ille videri potest peccato alterius consentire, qui suam tantùm quærit salutem, & vtitur illo medio ab alio coactus, solùm ne se in graue periculum damnationis coniiciat, de sua contritione, & dispositione nõ satis confidens. A B

16. Adde, quod nec etiam apud homines potest ibi esse suspicio collusionis, vel consensus in peccatum alterius; hæc enim suspicio merito præsumitur, quando quis per illud spirituale, quod data pecunia obtinet: aliquod emolumentum temporale cõsequi potest, vt contingit in Simonia, in ordine, in beneficio, in absolutione à censuris, & similibus; at, vbi solùm spirituale propter se quæri potest cessat omnis suspicio, ita verò est in præsenti, nam desiderium Baptismi, & præsertim in articulo mortis non potest esse propter temporale lucrum, sed tantùm propter spiritualem salutem, & ideò sacri Canones faciliùs permittunt dare aliquid sponte, & accipere sic oblatum in Baptismo, quam in Ordine, vt infrà videbimus. Ergo ex hac parte nulla est suspicio in emptione baptismi, si aliàs ipsa per se mala non est, & necessitas mortis vrget in adulto. Quæ enim irreuerentia tunc fit Sacramento? aut enim per emptionem, & hoc non iuxta dictam sententiã, quia non est per se mala, & fit propter altiorem finem, & vrgentissimam causam; aut in venditione, & hæc non imputatur ementi, ad quod satis est, vt propter grauissimam causam, & necessitatem emat, etiam si non sit extrema. Nam cur non, cum vtatur iure suo, & medio de se non malo? Quin potiùs addo, ex illa opinione Soti, vt ab ipso traditur, sequi, in minoribus necessitatibus licitum esse, emere spiritualia, quia si actio de se non est mala intrinsecè, multo faciliùs honestari potest coram Deo, secluso scandalo, & suspicione mala apud homines. C D

11. Declaratur aliter Soti opinio.

Aliter verò posset hæc Soti opinio declarari, confitendo (vt planè videtur necessarium) Simoniam, quæ est in emptione Sacramenti, esse intrinsecè malam; & addendo, nihilominùs in extrema necessitate desinere esse malam, non quia actio intrinsecè mala solùm propter finem bonum possit licitè fieri, (hoc enim repugnat verbis Pauli suprà inductis, & rationi, quia repugnat esse malum, & licere) sed quia posita extrema necessitate mutantur conditiones ex parte materiæ necessariæ ad illam malitiam. Sicut furtum intrinsecè malum est, & nihilominùs in extrema necessitate licitum est accipere alienum, inuito domino, quia tunc non est rationabiliter inuitus, vel quia tunc non tam res aliena, quàm communis accipitur. Sic etiam dicebamus suprà, posse Deum ita dare alicui spirituE lem gratiam, vt det illi licentiam vendendi illam, & tunc cessare malitiam Simoniæ in illa actione, non quia talis venditio nunc non sit intrinsecè mala, sed quia iam non esset similis venditio, nec cum eisdem conditionibus. Ita ergo in præsenti dici potest, malitiam hanc Simoniæ, licèt intrinseca sit, nihilominùs ex parte materiæ multùm pendere ex voluntate illius, qui dixit: *Gratis accepistis, gratis date*. Hinc ergo fit vt hæc prohibitio nunquam cessare possit ex parte dantis Sacramentum, si vendendo dare velit, quia nunquam potest hoc facere ex præsumpta voluntate Domini, quia nunquam potest occurrere causa, vel necessitas, quæ talem præsumptionem inducat, nec fingi potest casus, in quo Dominus ipse talem licentiam dedisse credatur. Quia collatio Sacramenti semper pendet ex libera voluntate dantis, & semper potest liberè dare, & ideò semper volũtariè irrogat iniuriam Sacramento, si vendat neque potest habere rationem præsumendi, Dominum gratiæ de tali venditione esse contentum. At verò ex parte eius, qui receptuF rus est Sacrameutum, non semper est in voluntate eius habere Sacramentum gratis, & alioqui potest esse in extrema necessitate gratiæ. Tunc ergo meritò præsumitur Dominus dedisse illi facultatem, vt habeat Sacramentum, quomodo potuerit, etiam emendo, si aliter non potest; nam propter hoc maximè instituit Sacramenta, vt indigentes gratia, illam recipiant per Sacramenta, & cupit maximè necessitatibus indigẽtium prouidere. Et ita ex parte voluntatis eius meritò creditur tunc non fieri contra illam; & ex parte gratiæ, vel Sacramenti etiam cessat irreuerentia, quantùm spectat ad emẽtem, quia non emit ex irreuerentia, nec ex vili gratiæ æstimatione, sed solùm ex necessitate, vt non priuetur tanto bono. Et hoc modo fit mutatio in eo casu ex parte materiæ, quia pro illo censetur datum ex parte Dei Sacramentum cum hac amplitudine, & ita cessat malitia. Et consequenter potest hoc modo reddi apparens differentia inter necessitatem extremam, & minorem, quia illa præsumptio & mutatio materiæ habet locum in extrema necessitate, & non in minori, sicut malitia furti cessat in extrema necessitate, non verò in alia.

Explicatur quomodo dici possit non esse Simoniã in extrema necessitate emere Sacramentum.

12. Impugnatur

Sed neque isto modo censeo, illam sententiam sustinendam esse quoad priorem partem, nec satisfacere quoad posteriorem. Primum patet, quia non potest emptio Sacramenti separari ab emptione gratiæ, quia propter illam emitur, & propter quod vnumquodque tale, &c. vt suprà etiam dictum est; emptio autem gratiæ nunquam potest separari ab emptione Spiritus sancti, vt dixit Tarasius, quia & ab illo, & cum illo infundi debet, nec dari potest gratia nisi etiam ipse Spiritus sanctus detur, emptio autem Spiritus sancti intrinsecam continet iniuriam eius. Vnde nunquam præsumitur Christus dedisse nobis Sacramenta cum iure emendi illa, si aliter habere non possimus, quia non vult, nos illa recipere cum Spiritus sancti contemptu, & iniuria. Accedit, quòd re vera nunquam est necessaria emptio magis quàm venditio, nisi fortasse in casu illo, quem finxit Soto, in quo cogatur quis iurare se pare pecuniam vt pretium Sacramenti, in quo infrà ostendemus, esse omnino prauum, illam dare. Extra illum verò non esse necessarium Sacramentũ emere etiã in extrema necessitate probatur, quia potest aliter dari pecunia, quam emendo, vt secunda opinio sufficienter declarat; & respondendo ad argumẽta ampliùs exponetur, ergo nulla est ratio præsumẽdi, Christum in hoc negotio aliquid speciale concessisse pro necessitate extrema. Et hinc facilè probatur altera pars, quia iam nulla supereſt differentia quoad hoc inter paruulum, & adultum. Adde quòd si illa præsumptio, & mutatio ex parte haberet locum in casu de paruulo, nulla sufficiens ratio reddi posset cur non deberet extẽdi ad adultũ, quia Christus

Taras.

tus non solùm extremis, sed etiam grauibus necessitatibus subueniri voluit, præsertim spiritualibus, & cum tanto periculo æternæ mortis. Vnde etiam necessitas illa adulti potest dici extrema, quia est necessitas mortis cum grauissimo periculo æternæ salutis; licet non sit necessitas tam desperata (vt sic dicam) sicut est necessitas paruuli. A

13. 4. Opinio asserens, posse dari pecuniã nõ ad emendũ Sacramẽtũ, sed ad remouendum impedimentum. Albert.

Est igitur quarta sententia, quæ cum secunda conuenit in asserendo, licitum esse in eo casu dare pecuniam non vt pretium Sacramenti, sed vt remouentem impedimentum prauæ voluntatis, & auaritiæ: differt tamen, quia non solùm in paruulo, sed etiam in adulto affirmat, hoc licere. Hanc opinionem habet expressè Albert. Mag. 4. d. 5. art. 1. ad fin. Vbi vtrumque casum expressè distinguit, & dicit in vtroque posse aliquem redimere vexationem B vel pro se, si ipse indiget, vel pro paruulo, si filium, vel alium habet, quem vult baptizari. Eandem sententiam tenet supplementum Gabr. in 4. dict. 25. quæst. 2. art. 7. prop. 7. docet latè, & optimè Adrian. Quodlib. 9. art. 3. ad 2. confirm. tertij argum. Et solet referri Maior, sed in loco citato non id affirmat de adulto, licet neque neget, in dist. autem 25. Quarti, quæst. 5. ad 3. videtur magis fauere, quia licet affirmando de paruulo, taceat de adulto, tamen ratio, quam affert, & consequentia doctrinæ videtur vtrumque postulare. Et eodem modo allegari possunt pro hac parte Bonauent. & Marsil. vt dixi. Quin potius addit Adrian. in eo casu teneri adultum Baptismum obtinere, etiam oblata pecunia, quia tenetur curam suæ salutis genere, C & baptismum recipere, si potest illum obtinere sine emptione illius, remouendo auaritiam alterius data pecunia: & in hanc partem inclinat Vgolin. Tab. 1. cap. 6. num. 7. Continet ergo hæc sententia duas partes, vna est, dare pecuniam iniquo ministro Sacramenti petenti illam, & nolenti aliter Sacramentum ministrare, non semper esse emptionem Sacramenti, sed posse intentione dantis, habentisque ad hoc ius ex necessitate vrgente, separari. Et in hoc conuenit hæc sententia cum secunda. Et est valde pium, potestque sine magna difficultate sustineri, quamuis prior opinio, quæ Diui Thomæ fuisse videtur, probabilitate non careat. Tamen, omnibus pensatis, ex pars eligenda est, quia nulla ratio sufficiens occurrit, cur illud D non sit in hominis potestate, vel cur actus externus dationis pecuniæ imputari homini debeat apud Deum tanquam emptio contra intentionem suam, cum alias habeat tam grauem, tamque honestam causam sic operandi, & permittendi malitiam alterius. Et hoc apertiùs constabit ex solutionibus rationum prioris sententiæ.

Gab. Adrian. Maior. Bonauen. Marsil. Vgolin.

Hæc opinio quoad priorẽ partem de pueris verã iudicatur.

14. Quoad secũdam partem de adulto etiam approbatur hæc opinio.

Altera pars huius sententiæ est, hoc non tantùm habere locum in extrema infantis necessitate, sed etiam in grauissima adulti: in qua differt hæc sententia à secunda, & mihi videtur multò magis consequenter loqui: tum quia nulla sufficiens ratio differentiæ redditur, vt supra ostensum est: tum etiam quia illa datio pecuniæ potest per intentionem dantis denudari omnino à ratione em- E ptionis, ergo etiam in adulto indigente Baptismo, & in extremis posito, poterit denudari. Et tunc est honestissima ratio sic operandi, nec interuenit vlla irreuerentia Sacramenti, nec ibi fit aliquid contra rationem gratiæ, vel dignitatem eius, nec contra absolutum dominium Dei in omnibus huiusmodi donis, ergo non minùs tunc licet, quam in casu paruuli. Accedit, quòd maior est obligatio vniuscuiusque ad subueniendum sibi in spiritualibus, quàm proximo: si ergo licet vti hoc medio ad subueniendum proximo extremè indigenti, cur nõ licebit vnicuique pro se ipso? Potest quidem respõderi, quòd non est æqualis necessitas. Sed dico in primis excessum necessitatis in paruulo compensari ex maiori obligatione, & inclinatione charitatis ad curandum de propria salute spirituali: & ideò meritò cõcedi, vt possit adultus pro se facere, quod potest pro alio, etiamsi necessitas propria minor aliquantulùm sit. Addo deinde necessitatem esse satis magnam, & suo modo extremam, & periculum esse grauissimum in re magni momenti, & hoc satis esse, licet non sit æqualitas omnimoda. Et declaratur, quia illa necessitas peccatoris adulti tanta est, & moraliter Deo æstimatur, vt teneamur ex charitate subuenire proximo sic indigenti, etiam adulto cum periculo vitæ corporalis, vt alibi dictum est, ergo signum est, necessitatem illam spiritualem reputari moraliter extremam, ergo illa sufficit, vt iustè separari possit per intentionem datio pecuniæ ob alios fines honestos, ab emptione autem separatur, iam non est Simonia, & ideò actio est licita.

Tomo 4. de Pœnitentia dis. 32. sec. 1. & disp. 44. sect. 3.

15. Quid dicendum si non solum pecunia petatur, sed etiam in pretium petatur.

Sed quid si improbus homo non solùm pecuniã petat, sed etiam petat, vt detur sibi in pretium? Respondeo, si non amplius vrgeat, non cogi eum, qui dat pecuniam, dare iuxta intentionem petentis, sed posse dare in sustentationem, vel eleemosynam, vel ad tollendum impedimentum, vel certè si sit persona ignorans, satis est, si intendit, eo modo dare, quo licitè potest, & non iuxta prauam intentionem petentis. Vlteriùs verò restringi potest casus, in quo iniquus homo velit, vt dans dicat, ac profiteatur, & iuret se dare pecuniam illam in pretium Sacramenti, & non in pretium aquæ, aut laboris, nec tantum ad redimendam vexationem, aut alio simili modo. Et in hoc casu, si ille id faciat in iniuriam, vel irrisionem Sacramenti, vel Religionis Christianæ, etiam Soto fatetur non posse fieri, sed potius esse relinquendum paruulum mori sine Baptismo, quàm ita dare pecuniam, quia tunc inseparabilis est à tali datione pecuniæ iniuria Religionis, talis autem iniuria est intrinsecè mala; vnde fieri non potest etiam pro salute spirituali proximi, vel propria. Tunc autem si agatur de salute adulti, saluari poterit per contritionem, & sperare potest sibi non defuturam ex auxilio Dei necessario ad resistendum illi tentationi, & priuandum se illo remedio, ne Deum offendat.

Si iuramentum peratur quod pecunia detur in pretiũ Sacramenti, quid sentiendum.

16. At verò si intentio petentis non sit tam praua, sed solius auaritiæ, vel odij priuati, vt faciat alium consortem, & participem sui criminis: tunc ait Soto licitum esse dare pecuniam in pretium, & affirmare cum iuramento hac intentione dari; & loquitur consequenter. Tamen est iudicio meo improbabilis assertio, & horrenda, quia sine dubio illa professio est valde iniuriosa rebus diuinis, & Sacramentis, nec est talis iniuria separabilis, etiam si ab iniquo exactore formaliter intendatur. Item fundamentum etiam est omnino falsum, scilicet, quòd emptio Sacramenti non sit intrinsecè mala. In illo ergo casu omittendum est Sacramentum: & hoc saltem conuincunt argumenta primæ sententiæ, quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona. Et ita etiam supponunt omnes auctores etiam secundæ & quartę sententiæ: omnes enim ante omnia supponunt, remouendam esse intentionem emendi. Quod si intentio haberi non potest, etiam non potest exteriùs fingi, nam si cum iuramento fiat, erit periurium, si absque iuramento, erit mendacium pernicio sum, & sacrilegium contra reue-

Soti opinio reiicitur.

rentiam

Maior. Vgolin.

rentiam debitam Sacramento. Et ita in ſpecie ſic vrgendo caſum illum docuit Maior. 4. diſtin. 5. ad 3. & ex Modernis Vgolin. Tab. 1. cap. 6. num. 5. & 8. Qui addit poſſe quempiam in eo caſu verbis amphibologicis vti accommodando illa ad ſuam mẽtem, & non ad mentem petentis & ita intelligit Sotum. Sed ille longè aliter ſenſit, vt explicui, cum etiã intentionem emendi approbet. Tamen remota hac intentione, ſi verba poſſunt proferri in ſenſu æquiuoco, poſſet ille etiam à malitia excuſari. Caſus autem vrgetur, quando quis cogitur expreſsè iurare, & affirmare, ſe dare tali intentione emendi, & tradendi pretium, & tunc non eſt dubium, quin res ſit intrinſecè mala. Et opinio Soti ſingularis eſt, ideoque in re tam graui non poteſt cenſeri probabilis. Valentia verò punct. 3. negare videtur hunc B caſum eſſe poſſibilem ſed non video qua ratione id poſſit negari.

17. An liceat inflectere pecunia illũ, qui ex odio non vult dare baptiſmum.

Tandem quæri poteſt, quid ſit dicendum, ſi ille, quid Baptiſmum in eo caſu dare non vult, non petat pecuniam, neque id faciat ex affectu auaritiæ, ſed ex odio, vel ex alio prauo affectu: nunquid licebit inuitare illum pecuniis ad vincendam duritiam eius? Videtur enim nullo modo licere, quia illud eſt inducere ad malum, nam ille in primis non eſt paratus ad dandum Sacramentum propter pecuniã, vt in caſu ſupponitur, quandoquidem illam non petit nec expreſsè, nec tacitè, vt præſupponendum eſt, ergo tunc qui petit, nonvtitur malitia eius, ſed illum inducit. Deinde ille non poteſt licitè dare Sacramentum accepta pecunia, ergo petitur ab C eo id, quod ſi peccato præſtare non poteſt, ergo eſt inductio ad malum formaliter. Hoc attigit ex citatis auctoribus Adrianus, & intrepidè reſpondet, poſſe fieri, quia ex parte petentis non committitur Simonia, quia, vt ſupponimus non offert pecuniam animo emendi, ſed tantum auferendi impedimentum, & redimendi vexationem. Nec etiam inducit ad malum, ſed ad minus malum, quia minus malum eſt, accepta pecunia, baptizare extremè indigentem, quam illum ſine remedio neceſſario ad ſalutem relinquere. Vnde ille, qui ſic offert pecuniam, non ſimpliciter petit ab alio, vt accepta pecunia baptizet, ſed quaſi ſub conditione tacita, vel expreſſa, ſi non vult aliter deſiſtere à grauiſſimo peccato, & nocumento non baptizandi. Confir- D mat hoc Adrianus, quia poſſumus licitè minus, & incuſſio iuſtè timore talem hominem compellere, vt baptizet, quoniam aliàs deferetur ad iudicem, & pœnas luet, ergo etiam poſſumus blanditiis, & beneficiis illum inducere, & conſequenter etiam data pecunia, quia non eſt maior ratio, cur liceat inducere per timorem, quam per concupiſcentiam, cum ſupponatur vtraque inductio eſſe ad bonum finem, & ad maius malum vitandum. Poteſt etiam confirmari; nam qui offert pecuniam in illo caſu, petit, vt propter pecuniam remittat offenſionem, aut odium, vel vindictæ appetitum, quod per ſe bonum eſt, & pecunia redimi poteſt: inde autem conſequenter ſperatur, vt ille depoſito furore, baptizet. Vnde non obſtante acce- E ptione pecuniæ ex alio titulo, poſſet Sacramentum gratis miniſtrare, & ita non petitur ab illo aliquid, quod ſine peccato facere non poſſit. Atque hæc ſententia mihi videtur pia. & valdè probabilis, nec ingenio nouam rationem, quia poſſit ſolidè refutari.

Adrian.

Pars negatiua approbatur.

18. Idem dicendum de cõfeſſionis Sacramento.

Atque ex dictis ſequitur, id quod dictum eſt de Baptiſmo, extendi poſſe, & debere ad Sacramentum pœnitentiæ, ſi homo ſit in extremis conſtitutus, & conſcientiam habeat peccati mortalis; nam ſi vnicus adeſſet ſacerdos, & ille nollet audire cõfeſſionem, vel abſoluere, niſi accepta pecunia, poſſet illi dari, quia hoc Sacramentum eſt tantæ neceſſitatis reſpectu peccatoris baptizati ſicut Baptiſmus reſpectu additi non baptiſati, quod ergo dictum eſt de Baptiſmo reſpectu adulti, dicendum eſt de pœnitentia in illo caſu. Et ita in ſpecie notauit Vgolin. dicto cap. 6. num. 7. cap. 40. §. 1. Vbi addit *Vgolin.* ad nullum aliud Sacramentum hoc eſſe extendendum, quia non ſunt tantæ neceſſitatis. Sed licet fortaſſe hoc ita ſit per ſe loquendo, tamen in caſu poſſet eſſe æqualis neceſſitas in ordine ad ſalutem æternam, & tunc idem erit iudicandum. Vt verbi *In aliquibus Sacramentis hoc etiã aliquando admittendum.* gratia ſi contingeret hominem ſubitò amittere loquelam, & ſenſum, & non poſſe recipere Sacramentum pœnitentiæ, poſſe tamen recipere extremam vnctionem, ſacerdos autem nollet illam dare, niſi à circunſtantibus, vel habentibus curam infirmi pecunia detur; tunc dico eadem probabilitate dici poſſe licitè dari, non vt pretium, ſed vel vt honeſtum ſtipendium, vel ad remouendum impedimentum. Idem neceſſitatis modus poſſet in Euchariſtia accidere, præſertim ſi nullus eſſet ſacerdos, ſed tantùm Diaconus, & ille nollet eam deferre infirmo, non priùs accepta pecunia: eſt enim eadem ratio neceſſitatis, quia per quodlibet Sacramentum poteſt homo fieri ex attrito contritus ſi bona fide illud recipiat, & ideo in magno periculo conſtituitur, ſi in his caſibus Sacramentis priuetur: Ad quæ etiam ius habet, & ideò poteſt facilè vitari emptio Sacramenti, qua ſublata, nulla relinquitur probabilis ratio, cur non poſſit hoc fieri in tali neceſſitate.

19. Proponitur eadẽ queſtio in Euchariſtia ſumenda per modum viatici.

Quin potiùs non ſine cauſa verti poteſt in dubium, an neceſſitas recipiendi Euchariſtiam vt viaticum ſit ad hoc ſufficiens ratio, etiamſi homo ſit iam confeſſus, vel non habeat conſcientiam peccati mortalis. Quia probabile eſt, Euchariſtiam eſſe neceſſariam ad ſalutem neceſſitate medij, quod debet in re adhiberi, quando commodè poteſt procurari ſine propria culpa, tunc autẽ poteſt procurari ſine emptione Sacramenti, vtendo debita intentione, vt explicatum eſt. Et cauſa illa videtur honeſtiſſima, & ſufficiens ad vtendum illo medio & intentione, nam malitia alterius non debet me priuare tanto bono, quando ego habeo ius, & poſſum vti bene malitia illius ſine vlla cooperatione eum illo. Poteſtque ita explicari: nam vel Euchariſtia eſt iam conſecrata, & in Eccleſia ſeruata pro infirmis, vel eſt conſecranda de nouo. In priori caſu illa hoſtia conſecrata, ex dono Dei eſt mea quoad vſum maximè pro illo articulo, magis quàm panis communis ſit meus in extrema neceſſitate etiamſi aliàs eſſet ſub dominio alterius. Ergo ſicut in extrema neceſſitate poſſum accidere panem alterius, etiam per vim repellendo vim, ſi aliis obſtiterit, ita hic poſſum exigere ad meum vſum per modum viatici conſecratum panem, & remouere omnem vexationem, & vim, quocunque modo poſſim, ſiue per vim, ſiue per pecuniam, quia habeo ius in illa re, & tanquam meam ad illum vſum mihi eam vendico. In poſteriori autem caſu non tam clarè apparet ius in re, eſt tamen aliquod vt in ſolutionibus argumentorum dicam; & ita poſſum etiam redimere vexationem: vel certè (quod facilius eſt) poſſum inuitare ſacerdotem ad Miſſam, oblata pecunia ex parte mea per modum eleemoſynæ, vel ſuſtentationis, non curando, qua intentione ipſe illam accipiat: nam ego ad illam intentionẽ nõ cooperor, nec teneor illam vitare cum tanto meo incõmodo. Videtur ergo hoc etiam probabile, ſed

quia

quia nullus auctor expressè id asseruit, aliis iudicium remitto, tamen si attentè legantur, quæ Adrian. & Albert. in priori puncto scripserunt, non inuenientur alieni ab hac sententia, nam rationes, quibus vtuntur, hic habent eandem vim; quia si euitetur emptio Sacramenti, vt facilè potest, sicut declaratum est, nulla ratio intrinsecæ malitiæ supereſt, quòd si hæc non obstat, nihil videtur esse, quod obstare possit in tam graui necessitate, quominus quis vtatur iure suo. Item quia tunc posset Sacerdos per honestam cõctionem, vel communicationem cogi ad dandam Eucharistiam, cur ergo non per aliam inductionem non intrinsecè malam?

Adrian. Albert.

20. Addo denique alium casum, quo omnia dicta confirmantur, nimirum si Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum quasi captiuum teneatur à tyranno, vel hæretico, vel Iudæo qui velit illud conculcare, aut comburere, nec possit aliter ab illa iniuria vindicari, nisi pretio dato. Assero enim, tunc posse dari pecuniam, si tyrannus illam petat, & spõte offerri, etiam si non petat, vt cesset ab iniuriis, & Sacramentum fidelibus restituat. Probatur, quia tunc non emitur Sacramentum, nec qui dat pecuniam, hoc intendit, sed redimitur vexatio, quæ fit Sacramento ipsi, & Christo; nam quilibet homo potest redimere vexationem, quæ fit proximo suo, ergo multò magis illam, quæ fit Christo. Redimitur etiam vexatio, quæ fit Ecclesiæ, quæ sola habet ius retinendi, conseruandi, & vtendi Eucharistia. Item redimitur (vt ita dicam) ipse tyrannus à malitia, quam committit, licitum enim est dare alicui pecuniam, vt à peccando desistat; & ex omnium sententia licitum est dare pecuniam alicui, ne Simoniam committat, quam facere volebat, vt infrà videbimus. Ergo licitum est illi tyranno dare pecuniam, vt cesset iniuriam irrogare Sacramento, & consequenter vt illud restituat fidelibus, nam quamdiu apud se retinet, in hoc ipso grauissimè delinquit. Denique cum simili ratione licitum est, reliquias Sanctorum pretio redimere ab hæreticis, & infidelibus indignè illas tractantibus, licet alioqui Simonia sit illas vendere, vel emere, vt paulo post dicemus, ergo illa redemptio non est emptio rei sacræ, & consequenter nec in Eucharistia erit. Antecedens videtur constare ex vsu omnium piorum, fundari autem debet eisdem rationibus, & in specie asseruit Vgolin. cap. 38. num. 5. Et sumitur ex Anton. d. c. 5. §. 13.

Posse dari pecuniam tyrãno, qui Eucharistiæ Sacramentum quasi captiuum habuerit.

Vgolin. Anton.

21. Ad fundamentum ergo primæ sententiæ respõdemus posse in illo casu separari dationẽ pecuniæ ab emptione Sacramenti, quia si sit sermo de emptione formali, hæc pendet ex intentione operantis, quæ libera est, vnde si non habeatur talis intentio, non erit formalis emptio. Si verò sit sermo de emptione imputata moraliter, seu interpretatiua, hæc nulla sufficienti ratione probatur, vel conuincitur. Nam ego vtor iure meo dando illam pecuniam alia intentione, & ita mihi non imputatur, quicquid inde sequitur. Dices; Quantumuis desproximè, & immediatè ad redimendam vexationem, vel ad tollendum auaritiæ impedimentum, satiando illam, semper hoc totum ordinatur ad hoc, vt ille ministret Sacramentum, & ita per pecuniam intenditur Sacramentum saltem mediatè, & hoc est emere. Respondeo: Etiam quando ego do stipendium, vel eleemosynam sacerdoti, intendo quidem immediatè sustentationem eius, illam tamen non intenderem, nisi etiam intenderem, vt ille faceret sacrum, & ita aliquo modo per pecuniam intendo sacrum, & tamen non ideò emo; nec intendo emere etiam mediatè, quia nunquam intendo dare pecuniam vt pretium Sacrificij, ita ergo est in præsenti. Et ratio est, quia, vt sit emptio non satis est, vt detur pecunia, sed oportet, vt per se ordinetur ad obtentionem rei sacræ tanquam pretium eius. Hic autem nec per se ordinatur sed per accidens in quantum ordinatur ad remouendum prohibens, nec datur vt pretium Sacramenti, sed vel vt extinguat auaritiam, vel etiam dari posset vt pretiũ pro depositione odij, iræ, aut appetitus vindictæ, si inde nasceretur illa renitentia in dando Sacramento.

Respõdetur ad fundamẽtum primæ sententiæ.

Obiectio.

Solutio.

21. Soluitur 1. argumẽtum:

Et ita patet solutio ad formam argumenti primi, quia tollere vexationem, hic non est tollere immediatè carentiam, seu negationem Sacraméti, sed est tollere illum affectum prauum, ex quo sequebatur denegatio talis Sacraméti. Quando autem, & quomodo hæc redemptio vexationis habeat locum in beneficiis, & quid in hoc sit de iure naturæ, quid verò de iure positiuo, infrà dicetur. Vnde ad primã confirmationem de iure acquisito, vel acquirendo, respondetur in ordine ad Sacramenta obtinenda, præsertim, quæ necessaria sunt ad salutem, fideles habere ius acquisitũ ex Christi institutione, & donatione. Deinde, vnumquemq; habere ius acquisitum, ne iniustè opprimatur, arg. c. *Dilectus*, de Sim. Et maximè habet ius vnusquisq; ne damnari cogatur. Ad vlt. confirm. respondeo in extrema, & quasi extrema necessitate concedi hanc facultatem redimendi vexationem propter salutem animæ perpetuam, non extẽdi tamen ad alios casus ordinarios, tum quia non censetur esse tunc propria vexatio: tum quia potest aliis modis vitari, & habenda est ratio Sacraméti, quia facilè hoc modo daretur occasio irreuerenter illud tractandi, & Simoniam cõmittendi, si hæc licentia extenderetur.

Ca. Dilectus.

CAPVT XIII.

Vtrum omnes actus potestatis ordinis sint materia Simoniæ.

1. Omnes actus procedentes à potestate ordinis sunt materia Simoniæ.

POst Sacramenta occurrebat statim disputatio de Sacramentalibus; quia verò Sacramentalia vel in aliquibus actibus ordinum cõsistunt, vel per illos conficiuntur, oportet prius hoc fundamẽtum præmittere. Regula igitur generalis sit; Omnes actus procedentes à potestate ordinis, in quocumque eius gradu, seu ordine, materia sunt Simoniæ, ita vt illos emere, aut vendere Simoniacum sit. Est certa, & communis sententia, quam tradit D. Tho. d. q. 100. art. 3. Vbi dicit. *Vendere, aut emere id, quod spirituale est, in his actibus esse Simoniam.* In quo loquendi modo insinuat, aliquid esse spirituale, quod vendere non licet, & aliquid materiale, seu temporale, quod vẽdere licet: Et eodẽ modo loquitur Sot. d. q. 6. art. 3. conc. 2. quod postea videtur explicare, quandam constituens differentiã inter actus ministrandi Sacramenta, & alios sacri ministerij, de qua posteà dicemus. Nunc loquendo præcisè, de actibus potestatis ordinis, vt ab illa sunt, simpliciter dicendum est, non posse emi, aut vendi, etiam quoad substantiam talium actuum, id est, quoad totum illud ministerium, quod per hos actus exhibetur sensibiliter, ac visibiliter. Loquor autem nunc de ipsis actibus, non de labore; nam de hoc postea dicam. Et ita exposita assertio est communis in 4. d. 25. Vbi maximè Durand. Palud Richard. Argent. & Mai. quæstionibus sæpe citatis. Item Alens. Altiss. Sylvest. etiam verb. *Simonia* quæst. 9. Angel. *Simonia* 1. in principio. Et communiter Iuris Canonici interpretes in cap. *Consulere* de Simon. & aliis locis

D. Thom. Soto.

Durand. Palud Richard. Argent. Mai. Alens. Altiss. Silvest. Angel.

suprà citatis, in quibus distinguntur tria membra spi- A ritualia rerum, quæ sunt materia Simoniæ, & vnũ vocant quoad effectum, vt suprà exposui, & sub hoc collocant ministeria ordinum; quæ vocant spitualia quoad effectum, quia procedunt à potentia spirituali, & supernaturali, & ideò simpliciter dicunt esse spirituale; & materiam Simoniæ: Imò addit D. Tho. (quod & nos suprà notauimus cap. 9. in principio) hæc ministeria etiã esse spiritualia quoad causam, quia disponunt aliquo modo ad spiritualẽ fructum, vel salutem, vel conferunt aliquam consecrationem, vel sanctificationem, quæ suo modo spiritualis est, vt videbimus. Addo denique etiam hos actus censeri posse in se spirituales, non quia physicè immateriales sint, sic enim etiam Sacra- B menta spiritualia non sunt, sed quia habent quoddam esse morale ex institutione Spiritus sancti, aut immediatè; aut mediante Ecclesia, secundùm quod esse ad supernaturalem ordinem pertinent, & hoc totum hic spirituale vocatur, vt suprà dictum est. Et hinc habent, vt ad supernaturalem Dei cultum, & Religionem infusam per se pertineant, & vt simpliciter procedant è potestate quadam spirituali, & supernaturali; qualis est character Ordinis.

2. Atque hinc constat ratio cõclusionis; nam totus hic ordo actuum supernaturalis est, & ad salutem animæ per se & proximè ordinatus, est ergo materia Simoniæ. Et eadem ratio cõcludit, totam actio- C nem necessariam ad hoc ministerium, etiamsi in suo esse materialis videatur, seu corporea, inuendibilem esse tanquam moraliter (vt sic dicam) spiritualem. Quia tota illa tali ritu facta est ex supernaturali, & spirituali institutione, & est à potentia supernaturali; & ita quoad hoc, (seruata proportione) nulla est differentia inter hos actus, & actus Sacramentorum, nisi quòd in Sacramentis grauior est Simonia, quia illa sacratiora sunt: in reliquis verò rationes factæ de Sacramentis, de cæteris functionibus ordinum procedunt. Et ita loquuntur Iura Ca-

Cap. Ad nostram. nonica, nã c. *Ad nostram*, de Sim. absolutè loquitur de *ministerio Ecclesiastico*, & prohibet pro illo pecuniam accipere; manifestum autem est, omnes functiones ordinum ad ministerium Ecclesiasticũ per- D tinere. Et in c. *Cùm in Ecclesiæ* 9. & in c. *Suam* 29. eod. in particulari est sermo de benedictionibus nubẽtium & mortuorũ exequiis, vel suffragiis, quæ sunt functiones ordinum. Et similia iura sunt frequentia in illo titulo, & 1. q. 1. cũ sequentibus. Et de aliquibus actibus in particulari aliqua statim afferemus.

3. Hanc Simoniam nõ esse malam, quia prohibetur sed contra prohibita est, quia mala. Aduertendum est autem, hanc Simoniam licet Iure Canonico prohibeatur, non esse malam, quia prohibita est, sed è conuerso prohibitam, quia mala est, quia materia eius verè est sacra, spiritualis, & supernaturalis, & ideò ex natura sua habet, vt vendi non possit, in eaque procedunt rationes omnes, quæ de Simonia contra naturale Ius supra adductæ E sunt. Et ideò de Simonia etiã in hac materia dicitur Cap. *Cùm in Ecclesia.* in dicto c. *Cùm in Ecclesiæ*, non posse per consuetudinem honestari talem venditionem, quia nimirũ consuetudo non prævalet contra Ius naturæ, quod *Soto.* etiam aduertit Sot. dicto art. 2. Deniq; in hac Simonia, etiam prout est contrà Ius naturale, locũ habet Cap. *Siquis.* regula cap. *Siquis obiecit* 1. q. 3. Qui vnum vendit, quod sine altero subsistere nequaquã potest, nihil inuenditum derelinquit: hac enim ratione Simonia committitur, & contra Ius diuinum est, non solùm vendere cariùs hos actus, quia spirituales sunt, quã materialiter sumpti vendi, aut æstimari possent, sed etiã simpliciter ipsos actus vẽdere quocumq; vero pretio, quia supposita institutione, ac modo, quo fiunt tales actus, omninò efficiuntur Diuini ordinis, & secundũ in totum; quod sunt, ab spirituali potestate procedunt, & vt sunt, nec vtilitatem habent, nec æstimationem, nisi in ordine ad spiritualem finem, & ideò omninò inuendibiles sunt. Quæ omnia inter doctores sine cõtrouersia recepta sunt.

4. Explicatur quo pacto Simonia detur in his actibus. Superest verò, vt declaremus, quomodo hæc regula ad singulos actus ordinũ Ecclesiasticorũ applicanda sit; & quinã sint isti actus, vel quòmodo fieri debeãt, vt sint materia Simoniæ, si emãtur, aut vendãtur. Ad quod breuiter explicandũ aduerto, quosdã esse actus tam intrinsecè, & essentialiter postulantes potestatẽ Ordinis, vt sine illa nec rectè, seu religiosè, nec ritè, ac validè fieri possint. Alij verò sunt, qui licet, vt fiant ex officio, & quasi ex intrinseca potestate ordinem aliquo modo requirãt, tamẽ alio modo magis priuato fieri possunt sine ordine, vel sine tali Ordine. Præterea priores actus subdistingui possunt, sunt enim duplices. Quidam qui ex Diuino Iure certum Ordinem requirunt, & aliter ritè fieri non possunt. Et huiusmodi tantùm esse videntur Sacramentorum functiones, & actio sacrificandi; nã hæc tantùm habent diuinam institutionẽ. Et huiusmodi sunt in Sacerdote consecrare, absoluere, Extremam vnctionem dare, & inter Deum, & populũ sacrificium offerendo intercedere in ipso sacrificio, vel extrà illud pro toto populo, & vice, ac nomine eius orationes publicas fundendo. Quãuis in aliis etiam constitui possint ministri ad publicas orationes fundendas, qui Sacerdotes non sint, vt constat ex vsu Ecclesiæ, & infrà de horis Canonicis dicemus: nihilominùs aliquid peculiare in hoc habet Sacerdos, nã est principalis minister in hoc munere, præsertim quando preces coniungũtur cũ sacrificiõ, & oblatione teste Paulo ad Hebr. 5. & 8. Et *Hebr. 5. & 8.* ita Isidor. inter Sacerdotales functiones ponit oratione ad Deum cap. 1. d. 25. Alia etiã duo Sacramẽta scilicet Confirmationis, & Ordinis essentialiter requirunt potestatẽ Ordinis, nam iure ordinario pertinent ad Episcopũ (cuius consecrationẽ, ordinem esse supponimus, siue sit distinctus ordo à Sacerdotio, siue quoddã illius augmẽtum, quod ad præsens non refert) per Pontificem verò possunt aliquando committi simplici Sacerdoti, non verò inferioribus Clericis. Et ita hæc etiam duo ministeria essentialiter sunt à potestate Ordinis, vel Pontificalis per se, vel Sacerdotalis, ex commissione Summi Pontificis. Reliqua verò duo Sacramenta quoad substantiam suam requirunt Ordinem, tamen ratione sui semper sunt materia Simoniæ, à quocunque ministrẽtur; vt suprà dictum est. Specialiter verò Baptismus, quãdo solemniter ministratur, proprium munus est Sacerdotis, etiam quoad accidentales cæremonias eius. Sicut etiam dicendum inferiùs est de benedictionibus nubentium; nam substãtia Sacramenti Matrimonij nunquam potest à Sacerdote fieri propriè loquendo. De his functionibus manifestum est, esse materiam Simoniæ quasi duplici titulo, scilicet, & quia Sacramenta sunt, & quia actus sunt omninò proprij potestatis Ordinis in gradu perfecto, qualis est Sacerdotalis, vel Pontificalis. Neque de illis occurrit aliquid addendum. Quibus autem titulis, aut modis aliquid in his functionibus, seu prò illis dari possit, aut recipi, vt pro Missa, pro ordinatione, &c. dicemus generaliter circa tertiam diuisionem Simoniæ; vbi de pretio, & quid ad illud requiratur, agendum est.

5. De aliis actibus, quia immediatam institutionẽ suam habent ab Ecclesia. Præter has verò sunt quædam aliæ functiones sacræ, habentes, immediatam institutionem suam ab Ecclesia, & non à Diuino Iure, vt sunt multarum rerum consecrationes, Calicis, Altaris, Tẽpli, Chrismatis, & Agnorum Dei. Item etiam aliæ simpliciores

simpliciores benedictiones, vt Aquæ benedictæ, vestimentorum, sacrorum Corporalium. Et hę omnes functiones ex instituto Ecclesiæ à nullo fieri possunt infrà Sacerdotem, & quædam illarum sunt ira propriæ Episcoporum, vt aliis inferioribus non communicentur, vt sunt Calicis, Aræ, & Templi consecratio & similes. Aliæ verò sunt, quæ licet iure ordinario pertineant ad Episcopos, tamen ex priuilegio conceduntur interdum aliquibus inferioribus prælatis, vt benedictio Corporalium, & vestimentorum, &c. Aliæ denique sunt, quæ Iure proprio Sacerdotibus etiam competunt, vt sunt benedictiones nubentium, benedictio Aquæ, & Salis destinati ad sacros vsus, incensi, Cerei paschalis, Candelarum pro die Purificationis, Cinerum pro die primo Quadragesimæ. Et de his omnibus actionibus est etiam res manifesta, quòd sint materia Simoniæ. Et constat ex multis decretis, quæ in specie de his loquuntur, præter generalia suprà adducta. Vt de benedictionibus Abbatum c. *Sicut pro certo*, de Simon. De consecratione Ecclesiasticæ, c. 1. 1. q. 1. cap. *Cùm sit Romana*, de Simon. Vbi excipitur id, quod datur pro procuratione, de qua quid sit, & quomodo intelligatur, infrà suo loco dicetur. De consecratione Altarium, cap. vltim. 1. quæst. 3. & de benedictionibus nubentium in capit. *Cùm in Ecclesia*. & cap. *Suam* de Simon. Et ex his intelligendæ sunt omnes similes, etiamsi in Iure non expressè ponantur. Atque ita sumitur ex Diuo Thoma dicta quæst. 100. artic. 2. & ibi Soto in lib. 9. de Iust. q. 6. art. 1. Anton. 2. part. tit. 1. cap. 5. §. 16. Sylvest. q. 9. Tabien. num. 33. Nauarr. dicto capit. 23. num. 99. Glos. & Doctores in dicto cap. vlt. 1. quæst. 3. item Glos. in Clement. vltim. de Stat. mon. ver. *Benedici*, Panormitanus & alij super dicta Iura de Simonia. Neque in his esse potest vlla ratio dubitandi, cum omnes rationes factæ in his maximè procedât. Parùm enim refert, quòd hæc sint de institutione Ecclesiæ, nam illa sufficit, vt hæc omnia sint verè sacra, & spiritualia. Item non obstat, quòd etiam ex Ecclesiæ ordinatione sint hæ functiones annexæ his ordinibus, nam satis etiam est, quòd de facto sint actus solius potestatis Ordinis. Eo vel maximè quod licet Christus non instituit in particulari has actiones, tamen in generali dedit Ecclesiæ potestatem instituendi illas, & ex illarum institutione quasi naturali, ac Diuino Iure sequitur, vt earum effectio ad ministros sacros, & non profanos pertineat. Ac subinde, eo ipso quòd Christus Dominus Episcopos, & Sacerdotes instituit, eisque supremas consecrationes commisit respectiuè, cósequenter eodem Diuino Iure eos fecit idoneos, vt eis tanquam propriis ministris committendæ essent reliquæ benedictiones, vel consecrationes, quæ per Ecclesiam instituerentur, quamuis peculiarem modum assignandi ministros talium actionum ipsi etiam Ecclesiæ commiserit, exceptis materiis Sacramentorum, quæ ab ipsomet Christo peculiariter institutæ sunt, vt alibi tractatum est. Sic ergo omnes istæ functiones dici possunt propriè horum Ordinum aliquo modo ex Diuino Iure: sunt ergo omnes materia Simoniæ.

Cap. Sicut. Cap. 1. Ca. Cùm sit.

Cap. Vlt. Cap. Cùm in Ecclesia. Cap. Suam. D. Thom. Sot. Siluest.

Tabien. Nauarr. Glos. Panor.

6. De aliis actibus, qui non semper ordinem requirunt.

Præter has verò dantur functiones inferiorum Ordinum, quæ omnes videntur à Deo sacræ, nec semper Ordinem requirere, & ideò aliquam maiorem declarationem, vel limitationem postulant. Inter has ergo actiones primum locũ tenent functiones Diaconi, quæ sunt maximè sacræ, proprium enim munus Diaconi, est Episcopo, vel Sacerdoti sacra solemniter facienti ministrare, & in illa Missa Euangelium cantare. Quæ munera valdè sacra sunt, & spiritualia, & ad illa specialiter Diaconus ordinatur, & ideò non est dubium, quin totum illud ministerium sit materia Simoniæ, vẽdique non possit, neq; emi. Interdum etiam committitur Diacono diuinæ Eucharistiæ dispensatio in absentia Sacerdotis, & necessitate vrgente, & olim quando sub vtraque specie dabatur sacra communio, Diaconus sanguinem dispensabat. Et hoc etiam cõuenit illi ratione talis Ordinis pertinétque ad Sacramentorum ministerium: vnde nõ est dubium, quin sit materia Simoniæ. Denique interdum etiam cõmittitur Diacono sacra concio in absentia Sacerdotis, sed de hoc actu infrà specialiter dicendũ est, quomodo sit materia Simoniæ; est enim maximè propriũ Episcopi, & post illum Sacerdotis. Simili modo iudicandum est de functionibus Subdiaconi: nam habet etiam ex vi sui Ordinis in solemni Missa suum peculiare ministeriũ, & sacræ Epistolæ lectionem, quæ à nõ ordinato cum ea solemnitate, & ex officio dici non potest, aliàs fieret irregularis iuxtà ea, quæ diximus in 5. tom. disp. 42. sect. 4. Est autem in hac actione aduertendum quod licet solemniter fieri non possit, nisi ex potestate ordinis, tamen extrà Missam fit interdum à non ordinato, vt solet cantari Epistola in Choro ab aliquo Laico. Et tunc potest dubitari, An illa actio sit materia Simoniæ? Quod attigit Vgolin. Tabien. 1. cap. 43. §. 5. nu. 4. sed dico in primis, non comprehendi sub regula, quam tractamus, quia reuera ille nõ est actus Ordinis, vt constat, cum sine Ordine legitimè fiat, vt vsus Ecclesiæ probat. Nihilominùs addo, probabile esse, non posse talem actionẽ vendi sine Simonia, quia est valdè spiritualis, & aliquo modo est sacrum ministeriũ, & quasi pars celebrationis Missæ, est ergo ex natura rei inuendibilis actio illa, quia vt sacra, & spiritualis tractari debet. Et licet ex natura rei esse posset aliqua dubitatio; ex Iure Ecclesiastico, non videtur dubitandum: tum propter cõmunem sensum, & vsum Ecclesiæ, & propter generalem prohibitionem vendendi sacra ministeria; tum quia Ecclesia prohibet vendere officium Oeconomi, & similia, quæ minùs annexa sunt spiritualibus, ergo à fortiori hoc prohibet.

Vgolin. Epistolã in choro Laico dictam esse materiam Simoniæ probabile est.

7. De actibus quatuor ordinum inferiorum.

Maior est dubitatio de actibus quatuor inferiorum Ordinum, quia nõ sunt admodum spirituales, & sæpe per Laicos fiunt ferè eodem exteriori modo. Sed inter hos actus exorcizandi videtur esse maximè spiritualis, & supernaturalis, & in Diuina virtute niti, ordinatíque ad salutem spiritualem Energumeni, vnde non est dubium, quin sit materia Simoniæ, non minùs quam actus gratiæ gratis datæ, cui ille simillimus est. De actu verò, seu ministerio Acolythi, si fiat ex officio, & cum solemnitate, qua fieri solet, etiam constat, esse materiam Simoniæ, quia etiam est sacrum ministerium, & valdè coniunctum cum Diuino sacrificio. De Laico verò ministrante Missæ, priuato, & ordinario modo, quo à pueris, & communibus Laicis fieri solet, non immeritò dubitari potest, quia minister ille non exercet actum Ordinis, nec tenetur illud exhibere gratis, cum ex officio ad id vocatus non sit, nec specialiter gratiam ad id receperit. Sed nihilominùs eo ipso quòd voluntariè cooperatus tali ministerio sacro, & suam actionem cum illo cõiungit, qui Sacramentum efficit, debet illam cum debita reuerẽtia exhibere, & consequenter gratis, & non venali modo licet pro obligatione, vel sustentatione, vel aliis titulis possit aliquid accipere, vt posteà generaliter trademus. Idemq; cum proportione dicendum censeo de functione Lectoris, quæ est sacram lectionem veteris, & noui Testamenti in Ecclesia

legere,vt in Matutino, in Capitulis Horarum,&c. Et magis constabit ex his, quæ de diuino officio,& concione infrà in particulari dicemus. Denique Ostiarij munus minùs sacrum esse videtur;ad illum enim solam pertinet res, & fores Ecclesiæ custodire,& dum aguntur sacra, excludere eos, qui adesse prohibentur, iuxtà cap. 1. d. 21.& cap.1.d.25. Nihilominùs apud Deũ ministerium hoc sacrum reputatur,& sanctum,Vnde Malach.1. ait Dominus. *Quis est in vobis, qui claudat ostium, & incendat altare meum gratuitò?* Quæ interrogatio intelligi potest, vel quasi reprehensionem continens, quòd Leuitæ hęc ministeria tunc venderent,vel vti Hieronymus indicat,continet querimoniam Dei de ingratitude Sacerdotum, & Leuitarum, nam cum nec minimũ ministerium gratis agerẽt,id est,pro quo non acciperent à Deo condignum stipendium decimarum, & aliorum spiritualium prouentuum,nihilominùs res Diuinas, & Dei cultum indignè tractabant. In vtroq; autem sensu supponitur ministerium illud spirituale esse. Igitur ministerium illud, quatenùs in Ecclesia nunc fieri potest potestate,& auctoritate Ordinis spirituale est,ac proinde materia Simoniæ.Si verò aliter fiat,prout Laico committi potest, non videtur de se materia Simoniæ.

Cap.1. *Malach.1.* *Hieron.*

3. Prædictos actus esse materiam Simoniæ, siue ab ordinato, siue à Laico administrẽtur.

Ex hoc ergo discursu non solùm constat, actus omnium Ordinum prout ab illis procedunt,& cum habitudine ad illos fiunt,materiã esse Simoniæ, sed etiam eosdem actus spectatos, quatenùs aliquando fieri possunt à Laico per Ecclesiæ commissionem, regulariter esse ita spirituales, vt vendi nõ possint, sed sint materia Simoniæ ex Diuino,ac naturali Iure. Dico autem *regulariter*, quia interdum potest esse actus tam materialis secundùm se, vt nisi accedat prohibitio Ecclesiæ, non sit materia Simoniæ,si non vt actus Ordinis, sed prout à Laico fieri potest, exerceatur, vt dictum est de officio Ostiarij, maximè quatenùs ad eum spectat res mobiles Ecclesiæ custodire. De officio item Cantoris idem dici potest,sed illud non est proprium alicuius Ordinis;vt infrà videbimus: De prima verò Tonsura nihil dicere necesse est, quia illa nec est Ordo iuxtà veriorem sententiam, nec habet proprium munus actiuum,sed solũ est quasi potentia passiua,seu dispositio, quæ ad ordines, vel beneficia, vel aliqua Ecclesiastica ministeria proximè idoneitatem confert. Hoc tamen satis est, vt ipsa Tonsura spirituale aliquid sit, ac subinde materia Simoniæ:nam reuera per collationem eius aliquomodo sanctificatur persona, & specialiter Deo dicatur,& in sortem ministrorũ Dei, seu Cleri annumerari incipit, & ita eius collatio quoad hoc comprehenditur sub prohibitione, qua ordinationes emi,& vendi prohibentur, argum. cap. *Cùm contingat*, de Ætat. & quali. Vbi Tonsura Ordo appellatur in lata,& fauorabili significatione. Deniq; quo ad hoc eadem est ratio de hac Tonsura,quæ de aliis Sacramentalibus, quæ vendi non possunt,vt videbimus.

Ca. *Cùm contingat.*

CAPVT XIIII.

An omnia Sacramentalia tàm in actione, quàm in termino sint propria materia Simoniæ?

1. Quæ Sacramentalia dicantur.

Sacramentalium nomine significari solent, vel cæremoniæ quædam institutæ ab Ecclesia ad ornatum Sacramentorũ,vel generaliùs omnes cæremoniæ, & benedictiones sacræ, quæ in Ecclesia fiunt,vt in 3. to.3.p.disp. 15. latiùs tractaui; & hoc posteriori modo nunc de illis loquimur.Potest autem distingui duplex Sacramentalis actio;vna,quæ non habet permanentem effectum per consecrationem alicuius rei, vt benedictio nuptialis, exorcismus, &c, alia, quæ habet talem effectum, vt benedictio Aquæ,Olei,Calicis consecratio, &c. Quã diuisionem attigit Caiet.2.2.88.artic.11. & ex illo Nauar.in comment.de Spoli.§.18.n.9.& 10.Et hãc posteriorẽ vocant benedictionem constitutiuã vtique rei sacræ, priorem autẽ inuocatiuã, quæ si priuatim fiat,nõ est Sacramentale quid,sed quando fit ex publica auctoritate, & institutione Ecclesiæ, vt infrà constabit. Nos verò vtramq; benedictionem comprehendimus sub actione Sacramentali, quod vocare possumus Sacramentale transiens: rem autẽ sacram, quæ interdum per benedictionem constituitur, appellare possumus Sacramentale permanens. Et licet hîc præcipuè agamus de actionibus, simul dicemus de terminis;tum propter connexionem; tũ quia per mutuam collationem meliùs singula intelligentur; tum quia hoc modo ferè totam materiam Religiosi cultus comprehendemus, iuxtà doctrinam D.Thom. 1. 2. quæst. 101. artic. 4.

Caiet. Nauar. *D.Thom.*

2. Sacramentalia omnia transeuntia, esse materiã Simoniæ.

Primò ergo dicendũ est, Sacramentalia omnia, etiam quæ sunt in fieri,seu transeuntia, vt appellauimus, esse materiam Simoniæ. Hoc potest explicari in primis benedictionibus solẽnibus Ecclesiæ, quæ sub sacramentalibus comprehenduntur. Procedítque in primis in benedictionibus constitutiuis,quæ vt sunt in fieri, transeuntes sunt, & de illis satis constat ex dictis, vendi non posse sine Simonia,quia sunt Ordinum functiones, vt patet de consecratione Ecclesiæ, Calicis, benedictione Aquæ, vestimenti, &c. Idemque dicendum est de benedictionibus inuocatiuis, etiamsi permanentem effectum circa rei consecrationem non relinquant, vt patet de benedictionibus nuptiarum, & similibus. Aduertendum verò est, benedictiones has inuocatiuas sæpè esse merè priuatas, quæ à Laicis etiam conuenienter fiunt,vt benedictio mensæ, benedictio paterna: quam pater dat filio,vel senex iuueni, & potest etiam dari à Presbytero: & hæ hîc non considerantur,quia per se non sunt actus Ordinum, nec ad Sacramentalia pertinent; sed ad orationem potiùs priuatam,de qua,an vendi possit,infrà attingemus. Aliæ verò sunt benedictiones, quæ licet rem propriè non consecrent,nec separẽt illam à cõmunibus & profanis vsibus, nihilominùs fiunt speciali ritu à ministris Ecclesiæ, & ex speciali eius institutione,vt habeant specialem effectum, saltem per modum impetrationis in nomine totius Ecclesiæ,& ideò meritò inter Sacramentalia numerãtur. Et tales sunt benedictiones nuptiarum, & constat item benedictio nauis, vel domus, aut aliquorum ciborum prout in Missali, vel Pontificali habentur. Item ad hæc Sacramentalia alia transeũntia pertinent cæremoniæ, quæ in Sacramentis solemniter conferendis fiunt, vt exorcismus,& catechismus in Baptismo, & alia similia,quæ in specie notarũt Soto quæst.6.art.1.& Nauar.cap.23.nu.99. & optimè Guiliel.Redoa.de Simon.3. part. cap.17. nu.18. & 19.De his ergo omnibus procedit conclusio:& ratio est eadem,quia huiusmodi actiones, & benedictiones omnes sunt actus Ordinum,nec enim possunt nisi à Sacerdotibus fieri:cõprehenduntur ergo sub regula generali in principio capit. superioris constituta. Item sunt actus propriè spirituales,nam & à potestate supernaturali procedunt, & ad spiritualem finem ordinantur.Vnde constat,Simoniam circa res huiusmodi esse contra Diuinum, & naturale Ius;licet etiam contineatur in Iure Canonico, vel sub generali prohibitione vendendi sacra ministeria, vel sub specialibus prohibitionibus benedictio-

Soto. Nauar. Guilli.

dictionum nuptialium, & similium.

3. Sacramentalia permanentia similiter.

Secundò dicendum est, Sacramentalia omnia permanentia, seu res specialiter ab Ecclesia consecratas, vt tales sunt, materiam esse Simoniæ, quæ committitur etiam contra ius diuinum, quoties res huiusmodi, vt tales sunt, venduntur. Hæc est etiam communis assertio, vt patet ex Theologis, & Summistis locis citatis, & ex doctorib. Canonis. in c. *Cùm in Ecclesiæ*, de Simon. Ex quo textu concluso probatur, quatenus ibi prohibetur venditio sepulturæ, quæ censetur esse ex his rebus hoc modo sacris. Et meliùs ex cap. *Siquis obierit*, 1.q.3. vbi generaliter statuitur, res, quæ ex consecratione proueniunt, venales non esse, & exemplum ponitur in Ecclesia, seu templo, & additur, *aut tale aliquid*, &c. & alia statim adducemus. Ratio autem est, quia hæ res sunt verè sacræ, ideóque si vt tales vendantur, irreuerentia magna committitur, quæ ad Simoniam spectat. Item illud esse, quod habent quatenus sacræ sunt, qualecumque illud sit, siue physicum, siue morale, supernaturale est, & spirituale, nã ex supernaturali institutione, & potestate procedit, & ad spiritualem finem, ac supernaturalem proximè ordinatur, ergo res illæ, quatenus tales sunt, spirituales sunt, & materia Simoniæ. Vnde fit, si cariùs vendantur ratione consecrationis, aut benedictionis, quam antea valebant ratione suæ materiæ, vel artis, Simoniam committi, quia tunc iam venduntur quatenus spirituales sunt. Et sequitur hoc consequenter ex dictis; nam benedictio, & consecratio talium rerum vendibilis non est, nec pretio æstimabilis, ergo nec pretium rei augeri potest ratione soliùs consecrationis quasi permanentis in illa. Nam actio, & terminus eius formalis (vt sic dicam) quasi correlatiua sunt, & proportionem seruant. Nam si terminus esset pretio æstimabilis, etiam actio posset pretio æstimari: & è conuerso si actio non potest æstimari pretio, nec terminus. Vt si artificium vt sic non esset pretio æstimabile profectò neque actio artificis æstimanda esset: nunc verò quia actio artificis pretio æstimatur, etiam artefactum crescit in valore ratione fotmæ artificiatæ. In præsenti ergo cum cõsecratio non sit pretio digna, nec rem esse consecratã auget valorem eius, illa ergo ratione vendi non potest.

Cap Siquis.

4. Antes consecratæ vendi possint ratione materiæ. Cap. *Siquis.*

Sed difficultas est, An istæ res consecratæ vendi possint ratione materiæ, non obstante consecratione, eo pretio, quo vendi possent ante consecrationem? Primum enim videtur vendi non posse, etiam ratione materiæ ex dicto c. *Siquis obtecerit*, & ex regula eius, quia qui vendit id, quod sine alio subsistere non potest, neutrum inuenditum reliquit, sed consecratio illa esse non potest sine tali re materiali, nec res illa semel consecrata potest iam subsistere sine consecratione, quia manente re, non potest auferri consecratio, etiam per Pontificem, vt notauit Caietanus 2.2.q.88.art.11. & sequitur Nauar. in Tract. de Spoli. §.18. ergo non potest vendi vnum sine alio: ergo nec res ipsa materialis. Et ita videtur concludi in dicto cap. imò hoc esse videtur intentum eius, cum sic inchoat. *Siquis obiecerit, non consecrationem emi, sed res ipsas, quæ ex consecratione proueniunt, penitus despere probatur*, Secundò in actionibus ipsis consecrandi, ministrandi, & conficiendi Sacramentum, inuenitur etiam materiale, & formale, nam locutio illa vel motio manus, aut pedis, & similes, quæ in his ministeriis, etiam Sacramentorũ interueniunt, materiales sunt, vt constat, possentque fieri sine sacra institutione, & vt sic haberẽt valorem suum temporalem, formale verò est illud esse, quod re-

Caiet. Nauar.

A cipiunt ex institutione, & ex habitudine ad potestatem, & finem spiritualem. Et nihilominùs postquam materiale fit vt coniunctum formali, vendi non potest, nec pretio æstimari, vt suprà dictum est, ergo idem dicendum est de rebus sacris permanentibus. Tertiò postquam res materialis benedicta est, & consecrata, iam non potest transferri ad communes vsus talium rerum; agimus enim de benedictione constitutiua, quæ in hoc differt à purè inuocatiua, quod transfert rem sic constitutam in alium ordinẽ, & ad alios vsus tantùm sacros, ergo iam non potest res illa etiam materialiter sumpta pretio æstimari. Probatur consequentia, quia hæ res materiales non æstimantur
B temporali pretio, nisi propter temporalẽ, & communem vsum. Et hæc ratio saltem videtur probare, rem illam non esse dignam tanto pretio, sicut antea, quia saltem non valet ad totum vsum communem, & propter vsum sacrum æstimari pretio non potest. Vnde licet materia illa (vt Calicis v.g.) post confractum Calicem ad humanos vsus possit transferri, saltem Calix, vt vas quoddam est artefactum, non poterit pretio vendi, etiamsi pondus illud argenti possit pretio æstimari. Quartò denique vel omnes istæ res vendi possunt ratione materiæ, vel aliquæ tantùm: neutrum dici potest: ergo potiùs dicendũ est, nullas posse vendi. Prior pars, scilicet, non posse omnes vendi, sumitur ex d. cap.
C *Cùm in Ecclesiæ*, vbi de sepultura id negatur, & ex d. c. *Siquis obiecerit*, vbi id negatur de Ecclesia. Item ex c. *Placuit* 102. cap. *Dictum est*, 105. 1.q.1. vbi pro Chrismate, & pro balsamo aliquid exigi prohibetur: vbi per Chrisma intelligitur sine dubio Sacramentum confirmationis, per balsamum autem materia eius, quam oportet esse consecratam, & ideò vendi prohibetur, etiã ratione materiæ. Idem ergo erit de Oleo sancto, & de Aqua benedicta. Vnde facilè probatur altera pars, quia nulla ratio sufficiẽs reddi potest, cur ex his rebus quædã vendi possint, & non aliæ, ergo de omnibus negandũ est.

Cap. *Cum in Ecclesia.* Cap *Siquis.* Cap. *Placuit.* Cap. *Dictum est.*

5. Sententia Canonistarum.

In hac re communis sententia Canonistarum est, has res semel consecratas, quandiu cõsecrationem retinent, vendi non posse, sed siquæ sunt, quæ
D confractæ, aut scissæ amittere possunt cõsecrationem, priùs esse frangendas, & posteà illam materiam vendi posse. Vnde inferunt, distinguendum esse inter res huiusmodi. Quædam enim consecrationem recipiunt sub certa forma artificiali, à qua tanquã à subiecto, vel necessaria dispositione subiecti pendet consecratio, & de his aiunt materiam esse inuendibilem quandiu formam, & consecrationem retinet; si tamen illa priuetur, iam vendi posse, nec esse materiam Simoniæ. Aliæ verò sunt materiæ, quæ sine respectu ad artificialem formã, quasi in sua substantia consecrantur, vt Chrisma, Oleum, Aqua, Panis, & similia, & de his aiunt, amplius vendi non posse etiã ratione materiæ. Quia
E in his consecratio ita inest materię per confusionẽ (vt ipsi loquuntur) seu inseparabiliter, vt ampliùs non sit illa materia cõuertibilis ad humanos vsus, ideoque vẽdibilis iam non est. Et hæc sententia videtur suaderi rationibus à nobis pro dubitatione propositis. Illámque indicat Glossa in d.c. *Placuit*, 102. Gloss. etiam in c. *Ea quæ*, c. *Non satis*, c. *In tantùm*, de Simon. Vbi Doct. qui ex eisdem Iuribus id colligunt, quatenus in eis prohibetur accipi pretium pro Chrismate, quod etiam sumitur ex cap. *Quidquid*, 101. & sequentibus 1.q.1. In his tamen Iuribus aduertendum est; in nonnullis illorum sermonem esse de collatione Chrismatis, quæ fit per vsum eius in solemnitate Baptismi, vel in Sa-

Gloss. Cap. *Placuit.* *Gloss.* Cap. *Ea quæ.* Cap *Non satis.* Cap. *In tantum.* Cap. *Quidquid.*

cramento Confirmationis, aut in aliis eius sacris vsibus, de quibus in tit. de Sacra vnctione. Et sic nihil probatur ex illis textibus, quia solùm inde haberur, propter illam actionem vngendi, vel Chrismandi non esse accipiendum pretium, quod fundatur in hoc, quod illa actio est Sacramentalis, de qua est alia ratio, vt suprà dictum est. Aliqua verò ex illis Iuribus loquuntur de ipsa materia Olei, vel Chrismatis manifestè: & illa videntur hanc sententiam suadere. Et ita sensit Panorm. cum aliis in dicto cap. *Ea quæ*, refertúrque Astens. in Sum. lib. 6. tit. 55. art. 9. & idem sentire videtur Angel. *Simonia* 2. num. 23. & 24. nam cum Panorm. sentit, & differentiam constituit inter vasa sacra, & liquorem Balsami. Et Tabien. num. 39. 40. & 43. Nec ab hac sententia discordat D. Thomas dicta q. 100. art. 4. ad 1. vbi non aliter putat, posse vendi Calicem, nisi priùs confringatur, quia postea, inquit, non intelligitur esse vas sacrum, sed purum metallum.

Angel. Panor.

6. Opinio asserentium res sacras vendi posse ratione materiæ. *Sot.*

Alij nihilominùs indiferenter aiunt, has res sacras vendi posse ratione materiæ, siue sint res artificiales, vt vasa, siue naturales, vt Oleum, vel simplex, vel mistum Balsamo, quod Chrisma dicitur. Ita tenet Sot. dicta q. 6. art. 1. Vbi multa incunctanter approbat, quæ non parua indigent consideratione, vt quòd possit Calix locari, *nam locatio illa* (inquit) *longè antecedit ad Sacramentum*: Item quod possit vnus, Chrisma emere in vno loco, & vendere in alio: & quod vna Ecclesia possit alteri vendere Oleum sanctum pro iusto valore Olei. Addit tamen pro illa particula Olei, vel Chrismatis, quæ in sacra vnctione consumitur, non posse pretium postulari, etiamsi alias esset tali rei proportionatum. Nam priores contractus sunt antecedentes ad Sacramentum, & ita ad illud accidentaliter se habent, illud autem Oleum, quod consumitur in ipsa vnctione Sacramenti, vel Sacramentali, est de intrinseca ratione eius, & ideò non est similis ratio. Et hæc opinio, quod hæ res vendi possint, videtur esse communis: nam illam indicat D. Thomas dicto art. 4 ad 1. 2. & 3. si attentè legatur, & clariùs in 4. d. 25. q. 3. art. 2. q. 3. Vbi tàm de rebus mobilibus, quàm de immobilibus sacris dicit, non posse vendi vt sacræ sunt, tamen posse vendi ratione materiæ; & de Calice ait, quod etiam integer potest vendi alteri Ecclesiæ. Interdum verò addit limitationem aliquam, quæ non pertinet ad vitandam Simoniam, sed ad debitum modum alienandi res sacras, ita vt nec alienentur ab Ecclesia sine causa, nec ad vsus profanos conuertantur. Consentiunt ibi Durand. Palud. Richard. Quodlib. 2. quæst. 24. Nauarrus dicto cap. 23. num. 108. Anton. 2. part. tit. 1. cap. 5. §. 23. Sylvest. verb. *Simonia*, quæst. 12. Caiet. verb. *Simonia* regula 1. & fauet in tertia, quamuis hæc rem magis reddat dubiam, vt dicemus. Guilliel. Redoa. 3. part. cap. 16. in princ. & cap. 17. num. 6. & sequentibus.

D. Thom.

Durand. Palud. Richard. Nauar. Anton. Sylvest. Caiet. Guilliel.

7. Hi verò auctores ferè omnes loquuntur de vasis, aut vestibus sacris, non verò de liquoribus, Oleo, Chrismate, tamen indifferenter loquuntur, nullam differentiam assignantes inter huiusmodi res, & in hoc fauent huic parti. Item in hoc quod pro generali regula constituunt, hæc omnia quæ sunt antecedenter annexa spiritualibus, id est, quæ secundùm se antecedunt spiritualitatem, vendi posse secundùm se spectata: nam tale est Oleum, Balsamũ, Aqua, &c. ergo in illis etiam procedit regula. Item quia dicunt, vnam Ecclesiam posse alteri vendere sacras vestes, & vasa integra, etiamsi ad vsum sacrum vendantur: ergo eadem ratione poterit vendere Oleum sanctum absque Simonia. Item specialiùs fauent dicentes posse emi Aquam benedictam, seu consecratam ad baptizandum, dummodo non benedictio, sed Elementum ematur. Ita Archid. in cap. *Baptizandis* 1. q. 1. & sequitur Guilliel. Redoa. 3. part. cap. 5. num 20. & Tabien. *Baptismus*, 6. num. 4. Est autem eadem ratio de Aqua, & de Oleo, quia etiam in illo non pendet consecratio ex aliqua figura. Ratio denique pro hac sententia esse debet, quia res illa ratione suæ substantiæ, & naturalis conditionis est æstimabilis pretio, & non amittit valorem ratione consecrationis, licet nouum non acquirat. Quòd autem posita consecratione non possit conuerti ad profanos vsus, est accidentariũ, pertinétque ad reuerentiam rei sacræ, non tamen propterea res ipsa amittit valorem suum. Ac denique (quod maximè vrget) multa sunt in hoc genere vsu recepta, quæ non possunt aliter honestari, vt soluendo argumenta dicetur meliùs, simúlque ampliùs hoc confirmabitur.

Archid. Guilliel. Tabien.

8. Duæ limitationes generalis Regulæ à Caiet. positæ.

Duæ verò limitationes ad hanc generalem regulam colligi possunt ex Caietano. In dicta regula 3. verb. *Simonia*, prima est. Nisi alicuius talis rei venditio per Ecclesiam sit prohibita, quæ quidem ex suppositione vera est in suo sensu. Nos tamen hîc non agimus de Simonia, quia prohibita, sed ex natura talis rei; illa verò tunc esset solùm quia prohibita. Deinde Caiet. non declarat, an de facto: sit aliqua talis prohibitio; non enim adducit exempla de rebus sacris, sed de officiis quibusdam, quæ vendi prohibentur, de quibus est longè diuersa ratio, vt infrà videbimus. Quidam autem existimãt. ad hanc exceptionem pertinere Chrisma, seu Balsamum, nam ob specialem prohibitionem Ecclesiæ in Iuribus citatis putant, vendi non posse. Ita sentit Vgolin. Tabien. 1. cap. 37. §. 3. sentit tamen illam prohibitionem esse in foro fori, seu externo, non in foro poli, seu conscientiæ. Veruntamen ex illis capitibus non colligitur vniuersalis prohibitio, & ea, quæ colligitur, sine dubio in foro conscientiæ obligat, imò fortasse est fundata in Iure naturali, suppositis aliis institutionibus Ecclesiæ, vt infrà exponetur. Aliud exemplum esse potest de sepultura, de qua infrà dicetur.

Caiet. Prima. *Vgolin.*

9. 2. Limitatio.

Altera limitatio ex Caiet. in 2. Reg. est. Nisi in tali re composita ex materiali, & spirituali minus principale sit id, quod se tenet ex parte materiæ: nam tunc id, quod præcipuũ est, trahit ad se, quod minus est. Duabus itaque regulis omnes casus in hac materia occurrentes voluit concludere Caietanus. Vna est, quando materiale in re sacra præcipuum est, tunc rem sacram vendi posse ratione materiæ, vt Calicem, templum, &c. Quando verò materiale est minus principale, tũc nõ posse vendi etiam ratione materiæ. Sed in primis si rectè res expendantur, nunquam in re composita ex materiali, & spirituali, videtur esse principalius materiale, quàm spirituale: nam semper spirituale est altioris ordinis, & inæstimabile pretio temporali: cuius etiam signum esse potest, quia quantumuis temporale sit magnæ æstimationis, semper per spirituale transfertur ad altiorem dignitatem, & abstrahitur à communibus vsibus humanis. Secundò difficiliùs est habere regulam ad discernendum, quando in tali re principale, sit materiale, vel spirituale. Vnde enim talis comparatio metienda est? non enim ex valore materiæ secundùm se? aliàs in Calice aureo materiale esset præcipuum, & in stamneo esset minus principale. Et in Aqua benedicta Aqua esset minus principalis, & vendi non posset,

Impugnatur vtraque limitatio.

posset, in Chrismate verò materiale esset præcipuum, & ideò vendi posset; quæ constat dici non posse. Quod si ex qualitate, vel valore materiæ secundùm se illa differentia sumi non possit, non apparet, vnde sumenda sit. Tertiò etiam illa diuisione admissa, non apparet, cur non semper possit res sacra materialis vendi ratione materiæ, eo modo, quo ibi reperitur, scilicet, vel simpliciter si principaliter ibi fuerit, vel secundùm quid, si minus principaliter. Vnde Caiet. in 2. regula nunquam dixit, quando materiale est minus præcipuum, rem non posse vllo modo vendi, sed non posse vendi *absolutè*, id est, tractando absolutè de tali re, quando venditur: quia sic intelligeretur tractari de re sacra, vt sacra est. *Vnumquodque enim* (ait Caietanus) *cùm absolutè tractatur, & iudicatur, censetur tractari, secundùm id, quod in eo principale est.* At, ponamus, cùm talis res venditur, non simpliciter de illa tractari, sed cum restrictione de materia illius eo modo, quo ibi est, cur ergo sic non poterit vendi? tunc enim non procedit dicta ratio.

10. Aliorum distinctio de materia rei sacræ, quando scilicet est magni, vel parui valoris. *Valen.*

Aliter alij distingunt, quia vel materia rei sacræ est moraliter magni valoris, & prudenter ita æstimabilis, aut est res exigua, quæ moraliter quasi pro nihilo reputatur. Quando est prioris generis, dicunt vendi posse ratione materiæ, non verò quando est posterioris rationis, quia tunc moraliter censeretur vendi ratione consecrationis. Ita sentit Valent. 3. tom. disp. 6. q. 16. part. 2. dub. 5. Et quoad primum membrũ ponit exempla de sacris imaginibus, vestibus, Calice, &c. De Oleo sancto, aut Balsamo nihil dicit, quoad secundum verò membrum ponit exempla in Iure patronatus, Iure præsentandi, & similibus, & quæ certè non sunt exigua, nec paruæ æstimationis, sed de illis nunc non agimus, quia non pertinent ad Sacramentalia, nec ad effectus eorum, seu res consecratas per actiones Sacramentales: infrà verò videbimus, an illa sint inuendibilia natura sua, vel ex prohibitione Ecclesiæ. Addit verò alia exẽpla in illo secundo membro de Aqua benedicta, & Agnis Dei, quas res dicit non posse vẽdi sine Simonia. Sed de Aqua benedicta contrariũ communiter docetur, vt vidimus. Agni etiam Dei ratione materiæ sine scrupulo à viris timoratis venduntur, vt sæpe vidimus, etiam Romæ, & viri etiam docti, & timorati illos emunt, neque hoc habet multam difficultatem ex natura rei, de Iure autẽ positiuo videri posset hoc

Impugnatur.

Greg. 13. prohibitum per constitutionem secundam Gregorij XIII. quæ incipit. *Omni certè studio.* Vbi prohibet, Agnum Dei *Depingi, miniari, aut vendi.* Sed illa constitutione directè videtur prohibita depictio Agnorum, & venditio illorum depictorum, quæ occasione picturæ fieri solebat. Et ita est intellecta communiter illa constitutio, & consuetudo illam interpretata est, nam Agni albi postea vendi consueuerunt, non vt sacri, sed ratione materiæ, vel potiùs laboris, vt paulò post dicemus.

11. Distinctionem positam non benè fundari.

Præterea distinctio non videtur in re fundata, sed in præsumptione, hîc autem non de præsumptione agimus, sed de veritate coram Deo. At verò hoc modo si seruetur proportio, eadem est ratio de re magni, vel exigui valoris temporalis; nam licet vtraque consecretur, vtraque vendi poterit adæquato pretio, illa magno, hæc exiguo. Vt verbi gratia aqua exigua ad communem vsum bibendi, iustè interdum venditur exiguo pretio, asse verbi gratia, vel dipondio. Cur ergo erit Simonia tanti vendere Aquam benedictam eiusdem quantitatis? Item, licet vnus Agnus Dei paruus videatur habere materiam exiguam, tamen centum, vel mille habent æstimabilem materiam, ergo ita simul sumpti poterunt vendi pretio proportionato materiæ, ergo licet postea sigillatim distrahantur, poterit pro rata aliquid pro singulis exigi, quia in his eadem est ratio totius, & partis, seruata proportione. Nam vbi est eadem ratio totius, & partis, quæ de toto dicuntur, de parte dicta intelliguntur, vt sensit I. C. in Leg. *Quæ de tota*, ff. de Rei vendi. Solùm ergo potest illa consideratio materiæ deseruire ad præsumendum in rebus exigui momenti, si vendantur, communiter committi Simoniam, quia cariùs venduntur ratione consecrationis. Quòd quidẽ si ita sit, & talis sit intentio vendẽtis, clara erit Simonia. Si autem non sit hæc vendentis intentio, sed solùm vendere cariùs materiam illam, quia alius est affectus ad illam, vel quia potest illum decipere, erit quidem sic vendens iniustus: sed de Simonia dubitari potest, quia ille reuera non intendit vendere cariùs rem ratione spiritualitatis. Nihilominùs tamen non videtur excusandus: tum quia de se præbet specimen Simoniæ, quod vitandum est: quia est contrà reuerentiam rei sacræ, etiam illo modo illam iniquè vendere. Loquendo ergo de his rebus ex solo Iure naturali, & secluſa Ecclesiæ prohibitione, non oportet distinctionibus vti, nec limitationem adhibere, sed simpliciter dicere, has res vendi posse ratione materiæ secundùm se spectatæ, & nulla habita ratione consecrationis. Quia quòd aliquæ vendi possint tàm ex his, quæ requirunt certam formam artificialem, quàm ex his, quæ illam non requirunt, dubitari non potest, & nulla conueniens ratio differentiæ inter has, & alias ex sola rei natura reddi potest. Et rationes etiam factæ pro secunda opinione hoc confirmant, & ex solutionibus argumentorum res magis eluceſcet, & ibi etiam dicemus, an ex Iure positiuo aliqua exceptio facienda sit.

Leg. *Quæ de tota.*

Secluſa prohibitione positiua hæ res possunt vendi ratione materiæ.

12. Soluitur primum argumentum in oppositum factum. *Bonauent. Magist.*

Ad 1. ergo ex cap. *Siquis obiecerit*, Bonauent. in 4. distinct. 25. dub. 5. circà literam dupliciter exponit textum illum, quem ibi Magister summatim retulit, nunc verò secundam expositionem omittimus, quam infrà resumemus, quia prima sufficit, & maximè seruit intentioni nostræ, si possit textui accommodari. Ait ergo aliud esse loqui de temporali, cui annexum est spirituale, & aliud de temporali, quod est annexum spirituali, priori modo Ius patronatus est annexum fundo, posteriori modo præbenda est annexa spirituali muneri. In his ergo posterioribus dicit procedere regulam, vt non possit temporale vendi, quin spirituale vendatur, quia cùm ibi temporale sit quasi consequens ad spirituale, & aliter transferri in alium non possit, non potest etiam vendi, quin spirituale vendatur. In prioribus autem non tenet regula, quia fundus vendi potest, non vendito Iure patronatus, quia fundus secundùm se est priùs. Quæ doctrina verissima est, vt infrà tractando de spiritualibus annexis videbimus, & ad nostrum propositum optimè seruit, quia hæ res materiales, de quibus tractamus, non sunt propriè annexæ spiritualibus, sed potiùs spiritualia annectuntur eis, nam præsupponunt illas, & eis quasi adiacent, & ideò temporalia semper possunt secundùm se vendi, licet cum illis transeant spiritualia sine vllo pretio. Et in idem recidit, quod communiter dicitur, in his rebus temporale esse annexum spirituali antecedenter, & ideò vendi posse.

Temporale cui est annexum spirituale potest vendi, secùs dicendum de temporali, quod est annexum spirituali.

13. Difficultas proponitur & dissoluitur.

Accommodatio verò huius doctrinæ ad textum illum habet difficultatẽ, quia inde infert Paschas.

Ecclesiam non posse vendi, at verò Ecclesia est res sacra, in qua spirituale annectitur temporali, &
Paschas. Ra. non è contra, Hæc verò obiectio facilè excluditur iuxta veram lectionem illius textus, quæ ex originali integro adducitur in Gregoriano decreto.
Gratian. Vbi enim Gratianus sic habet. *Nam cum corporalis Ecclesia, aut Episcopus, aut Abbas, aut tale aliquid sine rebus corporalibus in nullo proficiat*: legendum potiùs est. *Cum corporalis Ecclesiæ Episcopus, vel Abbas sine rebus, &c.* Et sic cessat obiectio, nam ibi non agitur de materiali Ecclesia, An possit vendi nécne, sed de dignitate Episcopi, vel Abbatis: & eadem est ratio de officiis Ecclesiasticis spititualibus, quæ licet spiritualia sint, cum sint ad gubernandam corporalem, & visibilé Ecclesiam, indigent corporalibus vt sibi annexis, & ideò in his verum est, quod, qui vendit corporale annexum, nihil inuenditum relinquit. Et ita quadrat optimè expositio Bonau.
D. Thom. à qua non dissentit D. Th. d. q. 100. art. 1. ad 6. Intelligit enim illum textum de his temporalibus, quæ censentur spiritualia, quia spiritualibus annexa sunt. Et clariùs in 4. d. 25. circa lit. Mag. dicit: *Hoc debere intelligi de illis, quorum vnum, quod venditur, ordinatur ad alterum, quod sub pretio cadere non potest, sicut beneficia Ecclesiastica sunt ordinata ad ministrorũ Ecclesiæ sustentationem, & ideò* (ait) *non potest instari de iure patronatus, &c.* Eadem autem ratio est de similibus. Et sine dubio dicta lectio illius textus est legitima, & consentanea discursui Pontificis, & illis verbis, quæ in obiectione ponuntur: *Siquis obiecerit, non consecrationem vendi, sed res ipsas, quæ ex consecratione proueniunt.* Loquitur ergo de rebus temporalibus, quæ consequuntur ad consecrationẽ, & illi sunt annexę, nõ de his, quæ supponuntur absolutè. Nomine autem consecrationis intelligit, vel ordinationem sacram, vt Glossa exponit, vel cuiusuis spiritualis dignitatis collationem, vt Episcopatus, Abbatiæ, vt statim exemplis declarat. Siquis autem velit adhærere litteræ Gratiani, dicat, ibi esse sermonem formalem de Ecclesia, vt Ecclesia, sicut est sermo de Episcopo, vt Episcopo, & de Abbate, vt Abbate, quomodo vendi non potest, quia vtrumque includit, spirituale scilicet, & materiale.

14. 2. Argumentum soluitur. 2. Solutio.

Ad 2. negatur consequentia, posséque hîc pro ratione applicari distinctio Caietani, quia in actibus ipsis sacris spirituale est id, quod præcipuum est, in his verò Sacramentalibus permanentibus materiale est præcipuum, & ideò in prioribus materialis actio inuendibilis est, in posterioribus autem materiale subiectum est vendibile secundùm se. Sed in hoc non quiesco propter obiectiones suprà factas, quia sunt membra valdè obscura, & præbent occasionem aliis difficultatibus, & obscuritatibus. Melius posset explicari hæc doctrina ex proximè dictis ad primum, in actionibus ipsis, materiale non esse antecedens ad spirituale, sed concomitans, & quasi ita intrinsecè permistum cum illo, vt totũ fiat quasi intimè, & secundùm se spirituale. In his verò rebus permanẽtibus materiale supponitur vt subiectũ, cui posteà annectitur spirituale. Etenim si quando spirituale antecedit, & habet annexum, & consequens id, quod temporale est, hoc temporale vendi non potest, quia virtute vẽderetur illud, quod supponitur, cur non magis id dicemus de temporali intimè in suo fieri, & esse permisto spirituali? Quod tamen non habet locum in rebus sacris, quæ secundùm suum esse naturale, vel artificiale supponuntur, & non habẽt tantam permistionem, vel connexionẽ cum spiritualitate. Et hanc differentiam indicauit D. Thom. d. q. 100. art. 1. ad 6. cum Sacramenta vocauit *spiritualia secundùm se ipsa*, eadem enim ratio est de Sacramentalibus quoad actiones ipsas. Magis verò hoc mihi explicuit Bonauent. in dicto dub. 5. in secunda expositione, quam suprà huc remisi. Dicit enim, tunc materiale non posse vendi, quin vendatur spirituale, quando ita est coniunctũ cum spirituali, vt ipsummet materiale teneat locũ spirituale, non verò quando res materialis suam temporalitatem retinet, etiamsi illi sit annexa aliqua spiritualitas, sicut cõtingit in fundo, & iure patronatus. Ita ergo in præsenti assero, functiones sacras, licet organis corporalibus fiant, ita esse eleuatas per institutionem, vt locum spiritualium teneant, & ipsæ moraliter consideratæ intimè sint spirituales, nam ipsæmet materiales actiones continent intrinsecum cultum Dei, & impetrationem, ac spiritualem valorem apud Deum, & ideò fiunt omninò inuendibiles. At verò in his rebus sacris materia semper manet secundùm se temporalis, & ideò non ita fit inuẽdibilis, quin secundùm se spectata suam retineat temporalem æstimationem.

Quãdo materiale non antecedit spirituali, sed est concomitans, vendi non potest.

D. Thom.

Secunda.

Ad tertium dico primis, propter illud videri posse non improbabilem opinionem Canonistarum, quatenus ait, vasa sacra (vt Calicem verbi gratia) vendi non posse integra permanentia, & consecrationem retinentia. Quod si verum esset, etiam inter ipsas Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas esserendum esset, quia etiam inter illas non potest Calix deseruire, nisi ad vsus sacros, & ideò, si vendatur, videtur vendi vt sacer, & consequenter Simonia committi. Hoc autem est contra cõmuniorem sententiam, ac ferè omnium, & contra communem consuetudinem, ita enim passim fit sine scrupulo. Et meritò, quia ibi non venditur cõsecratio, cum ratione illius vas illud non cariùs vendatur, nec venditur vsus, quia hic est valdè remotus, & qui Calicem emit, ex vi emptionis non obligatur ad illum vsum, solùm ergo venditur illud, quod est materiale in Calice, aut alia re simili. Quando autem Calix venditur Laico, dixerunt multi, priùs debere frangi, & tunc iam non vendi Calicem, sed argentum. Ita admonent D. Thomas suprà, Argent. 4. dist. 25. & alij suprà relati propter sententiam Ambrosij in cap. *Aurum* 12. q. 2. Et habetur etiam in cap. *Ea enim* §. *Hoc Ius* 10. q. 2. Sed aduertendum est hoc non esse necessarium ad vitandam Simoniam, sed ad vitanda sacrilegia, si res sacræ ad vsus profanos transferantur contra regulam Iuris. *Semel dicatum, &c.* Et contra Canones decernentes, vt sacra à Laicis non contrectentur in cap. *In sancta*, cap. *Vestimenta*, cum similibus de Consecr. distinct. 1. Vnde si nullum sit talis sacrilegij periculum, & constet, Laicum emere Calicem, vt per sacerdotem in sua cappella, vel oratorio, illo ad rem sacram vtatur, etiam poterit illi integer vendi, quia id nec per se malum est, cum omne periculum abusus cesset, nec inuenitur in Iure prohibitum. Et ita docent Palud. Redoan. & alij.

15. 3. Argumentum enodatur, resoluiturque vendi Calicem, & similia.

Palud. Redoan.

Addo vlteriùs propter ea, quæ in argumento tanguntur, tunc Calicem vendi posse non solùm iuxta argenti (v.g.) pondus, & valorem, sed etiam iuxta communem operis, seu artificij æstimationem, quod obiter attigit Vgolinus Tabien. 1. c. 44. §. 2. n. 10. Alij verò auctores licet expresè non tradant, non tamen id excludunt, sed potiùs virtute affirmant, dum asserunt, posse vendi iuxta æstimationem ipsius rei secundùm se, & prout supponitur consecrationi, solúmque cauent, ne propter consecrationem augeatur pretium: at figura, & opus solent communiter conferre ad valorem & distin-

16. Calix vendi potest, non solùm iuxta argenti pondus, sed etiam communem artificij æstimationem.

& distinguntur à consecratione, & ad illam suppo- A nuntur, ergo. Item, in vestibus sacris hoc maximè necessarium est, quia suum valorem precipuum sæpe habent magis ex opere, & artificio, quàm ex materia: & tamen constat vendi etiam postquam benedictæ sunt, secundùm valorem, quem habent opere computato. Item in imaginibus, quatenùs res sacræ sunt, id manifestum est: nam si opus excludas, parum valoris habent, & tamen secundùm condignum valorem picturæ, & perfectionis eius venduntur; cum tamen etiam in illis obseruandum sit, vt sanctitas non vendatur. Non enim cariùs vendi potest imago, eo quod sit sacra, quam profana, id est, eo quod sit personæ sanctæ potiùs, quam alterius; nec imago Virginis cariùs vendi potest, quam S. Francisci propter maiorem personæ repræsenta- B tæ sanctitatem, hoc enim esset, vendere id quod est sacrum in imagine, & ita in Simoniam vergere. Perfectionem autem figuræ, & artis vendere licet, idem ergo est in aliis rebus sacris artefactis. Quin potiùs, quod suprà dicebamus, Agnos Dei vendi solere non tam ratione materiæ, quàm operis iustificari potest: materia enim illa ceræ licet secundùm se vendibilis sit, tamen prout est in Ecclesia, non creditur vendi posse: quia Pontifex, cum Agnos Dei consecrat, totam illam materiam suis expensis facit, quam postea gratis donat, & consequenter virtute vult, gratis dari. Quando ergo venduntur, solùm est ratione alicuius laboris, & operis, quod in reficiendis, seu conficiendis Agnis postea ponitur, & ideò cauere debent, qui illos vendunt, ne vltrà C hanc æstimationem pretium augeant, aliàs à Simonia excusari non poterũt. Opus autem, & industria vendi possunt, idem ergo est in omnibus similibus artefactis. Ratio denique eadem est de opere, quæ de materia ipsa, nam ita est æstimabilis pretio, & ita supponitur ad benedictionem, seu consecrationem. Neque cõtra hoc obstat ratio facta; quia quod res sacra, quandiù in illo esse permanet, non possit nisi ad sacrum vsum assumi, accidentarium est ad valorem rei materialis secundùm se spectatæ, nam hîc non consideratur nisi secundùm communem rei æstimationem, considerando, vel expensas, quæ in tali re fieri solent, vel communem æstimationem, quam habet postquam sic confecta est. Non potest tamen negari, quin materia sacrata, quando D amplius iam non est couuertibilis ad humanos vsus, minùs æstimetur in suo valore materiali, quàm anteà, cùm erat omnino libera, vt sic dicam. Et eadem ratione quando rei consecratio pendet ex figura, & artificio, quo confecta est, paruam inde habet æstimationem, sed hoc totum pendet ex vsu, & communi æstimatione, res autem ipsa secundùm se pretio æstimabilis est.

17. Respondetur ad 4. argum.

Ad quartum iam dictum est, generalem statuendam esse regulam, nec admittendam esse exceptionem, nisi quę ex Iure Ecclesiastico constiterit. Vnde ad primam instantiam de sepultura respondetur breuiter, idem esse de illa dicendum ex natura rei, seruata proportione. Primò enim vendere terram communem ad sepulturam, seu vt ibi sepulchrum E constituatur, non est Simonia, vt suprà cap. 6. tactum est, & tradit D. Thom. dicta quæst. 100. art. 4. ad 3, Glossa, Panorm. & alij in cap. *Abolendæ*, de Sepult. Anton. suprà §. 22. & omnes Summistæ ver. *Simonia*, & ver. *Sepultura*. Guil. Redoan. latè 3. p. cap. 16. num. 14. & sequentibus, vbi alios refert. Idemque apertè supponit Ambros. in cap. *Aurum*, 12. quæst. 2. Ratio verò clara est, quia etiam ad Sacramenta conficienda licet vendere materias remotas, vt suprà visum est, ergo multo magis ad sepul-

D. Thom. Gloss. Panor. Anton. Guilliel.

Ambros. Cap. Aurum. Ambros.

turam. Item quia terra illa de se pretio æstimabilis est, & res merè temporalis, quòd autem emens velit illam ad illum vsum, est per accidens. Vnde etiã ad Ecclesiam ædificandã potest fundus pretio vendi, vt etiam supponit Ambr. in d.c. *Aurum*, & Greg. in cap. *Comperimus* 14. q. 6. & clariùs constat ex lib. 7. Epist. §. 4. ad Fantinum.

C *Cõperimus*

Secundò, postquam terra aliqua, vel Cœmeteriũ ad sepulturam fidelium benedictum, vel publicè dicatum est, certùm est, non posse vendi respectu habito ad benedictionem. Hoc etiam docent omnes, & constat ex dictis, qua illa benedictio est etiã constitutiua, & locus ille sacra res habetur in Ecclesia, ergo in illa etiam habet locum regula posita: & hoc etiam docent omnes auctores supra citati. Tertiò, siquis habet sepulchrum proprium suis sumptibus emptum, vel ædificatum pro se, vel suis, non est materia Simoniæ, si vendatur quoad proprietatem iuxtà valorem fundi, & respectu habito ad solas expensas in eo ædificando factas. Hoc constat ex dictis de aliis rebus sacris, nam procedit eadem ratio, quia ibi non venditur benedictio, nec propriũ Ius sepulturæ, sed materiale illud ad, quod alia sequuntur. Et ita sentit Syluest. verb. *Simonia*, quæst. 12. ver. *Tertiò*: & affert D. Thom. dicentem in d. art. 4. ad 3. terram, vbi fuit Ecclesia, posse in necessitate vendi, sicut potest vendi Calix. Vnde similia loca Iure hæreditario transferri solent à parentibus ad filios ratione temporalitatis, quę in eis est; nam in spiritualibus non poterat esse per se successio, ergo eodem modo possunt per venditionem in alium transferri, quatenùs temporalia sunt. Neque hoc inuenio specialiter ab Ecclesia prohibitum, vt statim dicam. Quod etiam sensit Vgolin. cap. 44. §. 2. num. 10.

18. Cœmeteriũ ad sepulturã benedictum nõ potest vẽdi respectu habito ad benedictionem.

Sylvest. D. Thom.

Vgolin.

Quartò, quando locus aliquis sacer communis est pro sepulturis fidelium, prohibitum est ab Ecclesia sepulturam ibi alicui vendere, vel sine certo pretio, aliquem ibi non admittere ed sepeliendum. Hoc constat expressè ex d.c. *Abolendæ*, de Sepultur. ibi etiam sic narratur talis consuetudo. *Non priùs permittatur effodi sepultura, quàm pro terra, in qua sepeliendi sunt, certum pretium Ecclesiæ persoluatur.* Et statim non solùm pro benedictione, sed etiam pro terra id fieri prohibetur. Idem habetur in cap. *Quæsta est*, cum tribus sequentibus 13. quæst. 2. Et idem sumitur ex cap. *Audiuimus*, de Simon. Vnde non est dubium, quin hoc sit malum, quia prohibitum (quidquid dicat Tabien. ver. *Simonia*, num. 83.) quia hæc Iura sine dubio loquuntur de exactione aliqua pro sepultura in illa terra absolutè, & simpliciter, siue exigatur pro terra, siue pro benedictione terræ, nihil enim in hoc distingunt, nec alio modo satis impedirent abusum, quẽ vitare intendunt.

19. Quando locus sacer est cõmunis ad fidelium sepulturas, prohibitum est ab Eccle. sepulturã alicui ibi vendere.

C. *Abolendæ.*

C. *Quæsta est.*

Ca. *Audiuimus.*

Deinde non dubito, quin peccatum contra illam prohibitionem sit Simonia, saltem quia prohibita, in quo mea sententia non loquitur consequenter Vgolin. suprà dicens, prohiberi propter auaritiam, vel inhumanitatem, & ideò peccatum illud non esse Simoniam; nam in primis illa possunt esse motiua extrinseca præcepti, tamen materia sit Religiosa, & prohibitio directè fit intuitu Religionis, ne locus sacer negotiationi exponi videatur. Vnde in dicto cap. *Abolendæ*, absolutè fit prohibitio, & oppositum appellatur *peruersitas consuetudinis*, quæ exaggeratio magis Simoniæ conuenit, quàm aliis vitiis. Et in dicto cap. *Audiuimus*, sub tit. de Simonia, & cum aliis Simoniæ vitiis hoc numeratur, idemque fit in dicto ca. *Cùm in Ecclesiæ*, clariùs in cap. *Ea, quæ*, eod. ibi. *Quia verò hoc Simoniacum esse cognoscitur, &c.* Et in cap. *In Ecclesiastico*, 13. quæst.

20. Peccatũ cõtra prohibitionẽ supra positã Simoniam esse cõtra Vgolin. resoluitur.

Ca. *Abolend.*

Cap. *Audiuimus.*

Cap. *Cum in Ecclesia.*

Cap. *Ea, quæ.*

Cap. *In Ecclesiastico.*

13. quæst. 2. in confirmationem adducitur illud: *Gratis accepistis, gratis date.* Igitur prohibitio illa est intuitu Religionis, & ita materia illa materia Simoniæ effecta est.

21. Explicatur præcedēs doctrina discurrēdo per personas, quæ sepulturā vēdere possunt

Potest autem hæc prohibitio esse, vel respectu Clericorum in ordine ad loca sacra in communi deputata ad sepulturam fidelium. Et hoc modo loquuntur Iura frequentiùs, & sic videtur Simoniæ ratio habere magnum fundamentum, etiam ex natura rei, quia Clerici non sunt domini illius loci, etiam, vt quædam terra est, vnde non habent Ius vendendi illam, & ideò cùm vsum sepulturæ vendunt, solùm id, quod spirituale est, vendere censentur. Vnde D. Thom. 4. dist. 25. quæst. 3. art. 2. quæst. 3. ad 2. dixit, *Sepulturam non posse vendi ratione consecrationis, vt scilicet aliquis pro pecunia ibi sepeliatur.* Intelligit ergo esse Simoniam, quod magis certum est, facta ab Ecclesia prohibitione. Quando verò locus deputatus pro sepultura non est communis, sed proprius alicuius, vt certa capella cum toto loco subterraneo, tunc ex natura rei non videtur prohibitum patrono, ne posset aliquid accipere pro licentia sepeliendi ibi aliquem extraneum, nec in eo apparet tam clara Simonia ex natura rei; nam videtur illa esse quasi locatio quædam ipsius terræ, quæ non videtur per se mala. Et illa specie dubitari potest, an prohibitio Ecclesiæ ad illum casum extendatur. Existimo tamen, factam esse cum hac extensione, præsertim in d. cap. *In Ecclesiastico:* nam verba, eius generalissima sunt. *Interdictum sit omnino Christianis, &c.* Faciuntque ad hoc confirmandum, quæ notat Abb. in c. *Quanto*, de Iud. num. 10. Vbi ait, Laicum habentem Ius sepulturæ in loco sacro, non habere dominium, nec propriam possessionem, sed quandam tolerantiam ex benignitate, & honestate Ecclesiæ. Sed hoc alibi examinandum est, nam est incertum, vt constat ex Gloss. & Innoc. ibi. Et videri potest Felin. in ca. *Ad audientiam* 2. de Rescrip. num. 9. Sed ad rem præsentem non refert: nam etiamsi illud Ius sit verum, ac firmum, est annexum rei spirituali, & ideò non licet vendere vsum eius, seu facultatem per illud datam, vt aliquis ibi sepeliatur, hoc enim meritò prohibitum est.

D. Thom.

Abbas.

Gloss. Innocent. Felin.

22. Simonia est aliquid accipere pro honoratiori loco sepulturæ. Anton. Sylvest.

Et hinc à fortiori colligitur, esse Simoniam aliquid accipere pro honoratiori loco sepulturæ, vt quod sit intrà Ecclesiam, & non in cœmeterio, vel vt intrà Ecclesiam sit propinquior altari, &c. Ita sentiunt Anton. supra §. 22. & Sylvest. quæst. 11. Et est res clara, quia ibi tota ratio pretij est sanctitas loci, vel quidam respectus ad maiorem sanctitatem, etiamsi fortasse motiuum remotum, sit honor humanus. Non desunt tamen Theologi, qui dicunt, hoc esse licitum, quia solùm ibi venditur honor quidam humanus, qui non est spiritualis, sed tantū in hominum apprehensione cōsistit: vt si quis emat sedere in honoratiore loco, vel quid simile. Sed non est admittenda sententia, quia vt dixi, licet fortasse hoc sit motiuum mentis, tamen quod venditur, sacrum est, & ille honor est veluti quid annexum consequenter ad talem rem spiritualem, sicut est honor humanus annexus dignitati, aut beneficio. Nam etiamsi quis propter illum honorem moueatur ad emendum beneficium Simoniacus est, ita ergo est in præsenti. Vnde cùm fundamentum huius honoris sit maior sanctitas loci ex maiori propinquitate ad altare maius, vel ad Domini corpus, videtur etiam ex natura rei Simoniacum esse, vendere locum propter illum respectum; certiùs verò est esse comprehensum in Ecclesiastica prohibitione. Secùs verò erit, siquis velit onerare Ecclesiam, & ita possidere in illa Ius sepulturæ in aliquo certo loco illius, vt non possit alius ibi sepeliri. Tunc enim videtur illa obligatio ex parte Clericorum posse vendi, saltem auctoritate Prælatorum Ecclesiæ, cum circa hoc non inueniatur facta prohibitio, nec contineatur in superiori, quia aliud est vendere sepulturam, quod ibi prohibetur, aliud vendere obligationem non sepeliendi ibi alium, vt per se constat. Vnde neque tunc venditur aliquid spirituale, nec spirituali per se annexum, illa enim obligatio est onus accidentarium, quod æstimabile pecunia est, vt generaliter infrà videbimus.

23. Quid dicendum de emptione Balsami, Chrismatis.

Aliud exemplum erat de Templo, seu Ecclesia ex dicto capit. *Si quis obiecerit*, sed iam ad hoc respondum est, male textum illum allegari, quia mendosè legitur apud Gratianum, vel certè intelligendum esse de Ecclesia, vt benedictionem includit. Mihi tamen prior responsio eligenda videtur, quia nititur veritati, & alia videri posset aliquantulum coacta litera illa retenta. Tertium exemplum erat de Balsamo, in quo breuiter supponimus, illud per se spectatum, vt antecedit confectionem Chrismatis vendi posse, etiam si ad illum finem ematur; hoc enim satis constat ex dictis. Deinde Chrisma iam confectum solet ab Episcopo distribui pro suis Ecclesiis, seu Parochiis, & locis Religiosis. Et sic ex natura rei non esset Simonia, expensas factas circa materiam Chrismatis simul distribuere, & se indemnem seruare, nec fortasse ex natura rei esset iniustum, hanc tamen exactionem specialiter prohibent Iura Canonica, & facta prohibitione, credo esse Simoniam Iure prohibitam, & simul credo esse iniustitiam, quia iam Episcopi tenentur gratis, & suis expensis de illa materia suis Ecclesiis prouidere. Constat autem ex dict. capit. *Placuit*, prohibitionem esse factam intuitu Religionis, & ad vitandum specimen, vel periculum venditionis rei sacræ. Et ideò non dubito, quin illa sit respectu Episcopi Simonia, quia prohibita. Denique potest considerari illa quantitas Olei, vel Balsami, aut Chrismatis, quæ expenditur in ipsamet Vnctione Sacramentali, & hæc videtur esse inuendibilis Iure Diuino, & non ex natura rei, quod etiam sentit Sotus, quia, vt sic, est pars Sacramenti, & materia proxima eius. Quod siquis dicat antecedenter posse peti à fidelibus, vt emant res necessarias ad huiusmodi materias conficiendas, nam hoc Simoniacum non est. Respondetur, iam hoc satis esse prouisum per decimas, & primitias, aliósque Ecclesiasticos prouentus, & ita, sublatam esse omnem occasionem palliandi talem Simoniam.

Cap. *Placuit.*

24. Reliquiæ sāctorum non possunt vēdi sine Simonia.

Per hæc ergo satisfactum est difficultatibus omnibus, & ex dictis facilè est iudicare de aliis rebus sacris, quæ sine speciali benedictione, aut consecratione Ecclesiæ, sanctæ esse censentur, & inter spiritualia numerantur. Huiusmodi sunt imagines, de quibus aliquid tetigimus. Item Reliquiæ Sanctorum, quæ etiam sunt res sacræ, & inuendibiles, vt à fortiori constat ex cap. vltim. de Reliq. & vener. Sanctor. & ibi notant Gloss. Abbas, & alij, & Syluester verb. *Reliquiæ*. Prohibetur enim ibi, *Ne reliquiæ exponantur venales*, vbi non solùm prohibetur, ne pretio transferantur in alterum, sed etiam ne cum illis fiat venalis quæstus, ostendendo illas propter pretium, respectu habito ad ipsas Reliquias (quia nunc non agimus de labore, posteà enim de illo generaliter tractabimus.) In Reliquiarum autem venditione, non potest moraliter distingui materiale à formali, tum quia materiale non est æstimabile pretio secundùm se spectatum, nec per relationē ad sanctam animā æstimari potest.

Cap. *Vlt.* *Gloss.* *Abbas.* *Sylvest.*

potest. Tum etiam, quia sicut suprà dicebamus de actibus Sacramentalibus, ita ipsæ Reliquiæ non possunt dici antecedenter annexæ rebus spiritualibus; sed secundùm se esse suo modo spirituales, quia partes sunt sancti hominis, qui fuit templum viuum Spiritus sancti. Quando verò contingit, ipsas Reliquias esse ornatas argento, & auro, & ita donantur, clarum est absque Simonia vendi totum illud ornamentum, quia illud materiale est, & extrinsecum valdè ipsis Reliquiis: & nihilominùs cum proportione obseruare oportet, ne cariùs illud tabernaculum vendatur propter habitudinem ad rem, quam continet. Sicut no liceret vendere cariùs Rosarium, eo quod per cõtractum ad varias Reliquias videatur quodammodo sanctificatum, quia per hos omnes respectus venditur, quod spirituale est. Denique in hoc ordine poni possunt libri Euangeliorum, Antiphonarum, & similes res, quæ sacræ censentur, quatenùs deputatæ sunt specialiter Diuino cultui; nam materialiter vendi possunt, vt per se cõstat, nunquam tamen augendo pretium propter spiritualem respectum, vt sæpe dictum est.

Licentia vendi res sacras ratione materiæ non est extendẽda ad profanas negotiationes.

Deniq; propter ea, quę ex Soto retuli, non omittam aduertere, hanc licentiam vendendi has res sacras ratione materiæ, non esse extẽdendam ad profanas negotiationes, quæ sanctitati talium rerum iniuriosæ sunt, nam cum hæc sit præcipua ratio Simoniæ, non poterit ab illius labe talis excessus excusari. Hinc moraliter loquendo censeo, non esse licitum, has res sacras locare, quamuis nõ inueniatur prohibitũ speciali Iure positiuo, quia per se loquendo magnam habet indecentiam, & aliqualem similitudinem habet prohibitio vendendi sepulturam in loco sacro, nam illa videtur esse quasi locatio quædam talis loci ad illum vsum. Item aliàs posset Parochus aliquid exigere, vt permittat aliquem facere sacrum in sua Parochia; quasi locando illam ad eum vsum: id autem turpe profecto esset. Similiter indecentissimum est locare Calicem pro pretio ad sacrum faciendum, quia hoc est virtute vendere vsum sacrum illius Calicis. Nam locatio venditioni compatatur, quia in ea licet non vendatur res, vendi tamen censetur vsus rei: si ergo locatur res sacra, cum non possit locari nisi ad vsum sacrum, venditur sacer vsus. Atque ita sentit etiam Vgolin. Tab. 1. c. 44. §. 1. n. 3. ver. *Quoad 1. casum.* Addit verò limitationem dicens, *habito respectu ad ipsam materiam, quæ vsu consumitur, posse aliquid exigi*, quod ad summum esset verum potius per modum reparationis damni prouenientis, quàm per modum locationis. Vt ergo id locum habeat, oportet, vt re vera per talem actum res ipsa materialis, quę sacra est, deterioretur, & aliquantulum consumatur, alioqui falsus esset titulus exactionis, & fictus. Moraliter autem non contingit tale detrimentum propter vsum Calicis, etiam sæpiùs repetitum: in aliis autem vestibus sacris posset contingere si frequens vsus; pro vno autem, vel alio actu considerabile non est.

Vgolin.

16. An sacristæ possint aliquid exigere vt pretiosiora vel mundiora vestimenta præbeant.

Item non censeo approbandum, quod Sacristæ seu Thesaurarij aliquid exigant, vt pretiosiora, vel mundiora vestimenta, vel Calices meliores præbeãt ad sacrificandum, si illud exigant per modum pretij vsu rerum sacrarum, secùs si pro labore non debito vel pro expensis, quas in lauandis lineis vestibus faciunt, id petant; & adhuc isto modo procurandum est, vt vitetur, quia semper habet speciem mali. Et similiter esse censeo contra sanctitatem talium rerum, ex illis negotiationem facere, emendo V. G. ab vna Ecclesia vestes sacras, vt aliò eas portando cariùs vendantur, & similia, quæ licet non sint apertè Simoniaca, non possunt omninò excusari, quatenùs illo modo res sacræ profanãtur, & datur moralis occasio ad Simonias committendas. Sæpe etiã in his actionibus poterit committi sacrilegium alterius rationis, etiamsi propriè Simonia non sit. Vt si fur furripit ab Ecclesia Chrisma, vel Oleum sanctũ, & illud vendit pretio proportionato ipsi Oleo, non erit Simoniacus, erit autem sacrilegus, quia ad hoc sufficit iniustè vendere rem sacram materialiter, licet non vendatur, vt sacra est, quod propriè ad Simoniam spectat.

CAPVT XV.

Vtrùm diuina officia sint propria materia Simoniæ. Vbi de aliis virtutum operibus.

1. Quæ sint diuina officia, & de quibus hic agendũ sit.

DIuina officia, (vt latiùs explicaui in 5. tom. 3. p. disp. 54. sect. 3.) in generali significatione, actus sunt spirituales, & Ecclesiastici, & comprehendere possunt actus præcipuos potestatis Ordinis, vt Sacramẽta, & maximè Missam. Hic verò solùm loqui intendimus de actibus publicæ orationis, quæ in Ecclesia fit, vel in horis canonicis, vel in exequiis mortuorum, vel in publicis processionibus, litaniis, & siqui sunt alij similes actus. Agimus autem de illis separatim, quia licet hæc officia à Clericis propriè fiant, tamen non sunt propriè actus Ordinum, nam sine Ordinibus fieri possunt, imò & sub obligationem cadere, sicut Moniales, Religiosi nondum ordinati, & beneficiati ad horas canonicas recitandas obligantur, & in choro sæpe assistunt, qui Clerici non sunt. Et ita de his possunt esse speciales dubitandi rationes, & difficultates, quas hic explicare necessarium est.

2. Pars negatiua proponitur.

Videri ergo potest, diuina officia non pertinere ad Simonię materiam. Primò quia hæc officia nihil sunt, quàm orationes quædam ad Deum: hæ autem orationes natura sua vendibiles sunt, ergo non sunt materia Simoniæ. Maior supponitur ex facto ipso, & ex dictis in materia de Interdicto in d. disp. 54. nam secluſis benedictionibus constitutiuis, seu cõsecrationibus rerum sacrarum, reliqua siue fiant per expressas petitiones, siue per modum benedictionum, omnia pertinent ad inuocationem Dei, vel ad eius laudem, & gratiarum actionem, quæ omnia ad orationem reducuntur. Minor autem patet, quia oratio tantùm est quidam actus humanus, cuius homo est dominus, & in quo ponit suum laborem, & operam, ergo natura sua est actus pretiò æstimabilis, sicut alij actus humani. Et confirmatur primò, quia suffragia mortuorum, & funeralia pertinent ad hæc officia, & orationes publicas, & tamen pro illis dari solent certa pretia, sic enim, & testamento relinqui solet quantitas pecuniæ sub onere faciendi, hæc, vel illa officia, & cum Religiosis fiunt pacta, vt eant ad funera pro tanta, vel tanta quantitate, & semper fiunt conuentiones, & exactiones non minùs, quam inter emptorem, & venditorem, locatorem, & conductorem, & idem fieri solet in processionibus publicis, & aliis orationibus communibus. Confirmatur secundò; nam orationes priuatæ vendi possunt, vt videtur esse in vsu, datur enim aliquid homini pauperi, aut deuoto, vt hoc, vel illud recitet, ergo in orationibus publicis idem fieri potest. Confirmatur tertiò, quia alias pro nullo actu virtutis, aut misericordiæ exercendo posset pretium exigi, quia non est maior ratio de hoc opere misericordiæ spiritualis, quæ est oratio, & de corporali opere sepeliendi mortuum, quàm de omnibus aliis misericodiæ operibus

operibus. Consequens autem est durissimum, & A contra communem vsum Ecclesiæ, & contra rationem, nemo enim cogitur gratis exhibere beneficiũ. Confirmatur quartò, quia alias nec pro actionibus docendi, concionandi, & similibus licitum esset, pretium accipere, sed omnia hæc essent materia Simoniæ; quod est valde rigorosum, & contra superiùs dicta cap. 8. si hîc cum proportione applicentur.

3. Resoluitur diuina officia esse materiam Simoniæ.

Nihilominùs dicendum generaliter est, officia diuina, prout in Ecclesia fiunt ex eius institutione, & per ministros Ecclesiasticos, materiam propriam esse Simoniæ, ita vt illa vendere, vel emere Simonia sit contra Diuinum, & naturale Ius. Hæc est sententia communis omnium doctorum in locis sæpe citatis, & præsertim D. Thomæ dicto art. 3. Et colligitur etiam ex generalibus prohibitionibus Iuris Canonici, cap. *Ad nostram* de Simon. Vbi pro ministerio Ecclesiastico aliquid recipi prohibetur; constat autem, hæc Diuina officia Ecclesiastica ministeria esse; ergo. Et similes prohibitiones sumi possunt ex cap. *Cum in Ecclesia*, cap. *Non satis*, eod. & alias speciales statim afferemus, ex quibus etiam potest vniuersalis colligi, tum quia non maior ratio de quibusdam, quam de aliis, tum etiam quia non prohibentur verbi gratia exequia mortuorum, quia talia sunt, sed propter spiritualitatem, quam habent, quæ omnibus Diuinis officiis communis est. Ratio ergo generalis est, quia hæc officia sunt quid spirituale, ferè omnibus modis, quibus spiritualitas potest in materia Simoniæ reperiri, nam in C primis fiunt ex principio, ac potestate spirituali supernaturali, nam fiunt nomine Ecclesiæ per potestatem ministerialem ab ea concessam, & quasi delegatam, & ex suo genere requirunt fidem, & gratiam Spiritus sancti, vt rectè fiant. Vnde etiam possunt talia opera dici in se spiritualia; nam licet sensibili voce, vel gestu fiant; informantur fide, ac Religione, & verum, ac supernaturalem Dei cultum in se continent, & inde habent suam æstimationem, & valorem, non temporalem, sed altioris ordinis. Denique etiam sunt suo modo causæ spirituales, quia ordinantur ad satisfaciendum Deo pro peccatis hominum, & impetrandam ab eo gratiam, & alia beneficia, & ad excitandos, ac disponendos animos fidelium ad virtutem. Est ergo D hæc materia valde spiritualis, ac subinde natura sua inuendibilis, & hoc est esse materiam Simoniæ.

D. Thom.

C. *Ad nostrã.*

Cap. *Cum in Ecclesia.* C. *Non satis.*

4. Soluuntur argumenta.

Hæc autem veritas magis eluceseet descendendo ad particularia, quod fiet discurrendo per ea, quæ in rationibus dubitandi tanguntur. Ad principalem ergo rationem respondemus, illam communem esse & Sacramentis, & Sacramentalibus, quatenus in actionibus humanis consistunt. Nihil ergo obstat quòd actus humani, si spirituales sint, & opera, vel instrumenta Diuinæ gratiæ, inæstimabiles pretio sint, quia eleuantur ad supernaturalem ordinem, & principaliter sunt ab Spiritu sancto, & ad spiritualem effectum ordinantur. Quòd verò in illa ratione tangitur de labore, & opera, in cap. 21. expendetur. E

5. Suffragia mortuorum vendi non possunt.

Ad 1. confirmationem dicendum est, etiam suffragia mortuorum esse officia Diuina, & Ecclesiastica, & in eis habere locum generalem regulam propositam, imò hoc exemplo illam optimè confirmari. Nam hæc suffragia vendi, vel pro eis pretium dari, maximè prohibitum est in cap. *Ad Apostolicam*, & cap. *Suam*, de Simon. Et colligitur ex cap. penult. de Simon. cum Glosſ. ibi, & doctoribus cõmuniter tum ibi, tum in d. cap. *Ad Apostolicam*, S. Thom. dicta. quæst. 100. à 3. Anton. d. cap. 5. §. 22.

C. *Ad Apostolicam.* Ca. *Suam.* Ca. *Penult.* *Glosſ.* *D. Thom.* *Anton.*

Sot. d. quæst. 6. art. 2. Sylvest. Tabien. & ca. ver. *Simonia*, Redoan. p. 1. cap. 30. num. 6. & 3. p. cap. 16. num. 34. cap. 18. à princip. Ratio est eadem, quia hæc suffragia spiritualia sunt; & Ecclesiastica officia. Oportet tamen aduertere, quod in principio cap. 8. admonuimus, nos nunc solum definire hoc officium esse materiam Simoniæ, ita vt pretio illud æstimare Simoniacum sit. At verò aliquid in illo, vel pro illo accipere honesto modo, & titulo, per se malum non est. Et hoc modo intelligenda sunt fieri, quæ in obiectione proponuntur. Et si aliter fiant, non licent, vel quia Simoniaca sunt natura sua, si ratio pretij pro orandi officio interueniat, vel quia esse possunt alias prohibita, vel iniusta.

Sot. Sylvest. Tabien. Redoan.

Vnde etiam distinguere necesse est inter stipendium, & pretium; nam illud licet, hoc non licet, vt infrà suo loco explicabitur. Item distinguendum est inter id, quod exigitur, vel quod sponte offertur, & inter id, quod ex consuetudine offerendum est, vel quod vltrà consuetudinem postulatur. Spontaneæ enim oblationes non prohibentur, sed iniquæ exactiones. Consuetudines etiam piæ obseruari præcipiuntur in dicto capite *Ad Apostolicam*. Modus autem petendi oblationes etiam consuetas præscribitur, vt ab omni specie mali abstineatur. De quibus oblationibus, & de modo illas petendi supra tract. 2. lib. 1. dictum est. Item distinguere oportet inter parochos, seu Clericos omnes, qui ex officio, vel ratione beneficij tenentur funeralia defuncto exhibere, & alios aduentitios, qui vocantur, cum alias ibi inseruire non teneantur. Prioribus enim non solùm est prohibitum, pretium postulare, sed etiam nouum stipendium, vel sustentationem, præter consuetas oblationes debito tempore, & modo. Vnde si aliquid aliud exigant, grauiter peccant, & Simoniam committere præsumuntur, quia non habẽt rationem petendi, & ideo mercedem propriam videntur postulare, & quamuis non intendant formaliter pretium, à malitia Simoniæ non excusantur propter irreuerentiam, quam per illam met exactionem faciunt Diuinis officiis, & quia exteriùs specimen Simoniæ indebitè præbent, ac denique quia Iura hæc prohibent tanquam Simoniaca. Et præterea peccant contra iustitiam, quia iniustum stipendium ab inuitis exigunt. Alij verò Clerici aduentitij, seu voluntarij, licet pretium exigere non possint, stipẽdium tamen, vel congruentem sustentationem petere possunt, nec peccant, illam petendo antequam ministrent, nec fortasse de illa paciscendo, vt infrà dicetur; hæc enim doctrina de omnibus his ministris generalis est.

6. Pro his stipendium licet accipere nõ verò pretium.

Ca. *Ad Apostolicam.*

Deniq; in funeribus distinguere oportet varios actus, quia non omnes spirituales sunt, & pro his, qui spirituales non fuerint, licitum erit, pretium exigere, vt verbi gratia deferre corpus defuncti, non pertinet ad Ecclesiasticum officium, nec ad spirituale ministerium: item corpus ipsum sepulturæ tradere, cooperire, & similia corporalia sunt potiùs, quàm spiritualia; hæc igitur pretio æstimari possunt. Huc etiam spectant omnia, quæ ad pompam funeris merè humanam ordinantur, vt tumulum facere, & ornare, mundare, &c. Spiritualia verò sunt omnia, quæ ad orationes, vel Ecclesiasticũ officium pertinent, & quæ suffragiorum Ecclesiasticorum nomine cõprehenduntur, vt sunt psalmodia, litaniæ, lectiones & antiphonæ, ac orationes, &c. Itẽ huc pertinere videntur omnia, quæ spectant ad pompam (vt ita dicam) spiritualẽ, vt est processio Clericorum, quæ fieri solet à domo defuncti ad Ecclesiam, cum tota illa sit per modum suffragij, & spiri-

Discrimen notandũ inter clericos, qui ex officio tenẽtur, & alios, qui non tenẽtur.

7. In funere quidã actus sunt spirituales, alij non ita, pro spiritualibus nõ potest accipi pretium, pro aliis potest.

& spiritualis auxilij: & ideò etiam Clerici,& Religiosi non possunt per modum pretij aliquid accipere,secùs per modum stipendij, aut etiam pro extraordinario labore iuxtà ea, quæ dicemus cap.21. Et idem cum proportione censeo dicendum de cõfraternitatibus, quæ comitari solent corpus defuncti, nam licet personæ earum Laicæ sint, tamen ad spiritualem actionem ibi concurrunt, & ad auxilium animæ potiùs, quàm ad honorem humanum, & ideò quicquid recipiunt, spirituali modo, debẽt recipere per modum congruæ sustentationis, vel eleemosynæ,non per modum pretij.Iuxtà hæc ergo moderanda sunt, quæ in 2. confirmatione obiiciebantur,aliàs licita non erunt.

De confraternitatibus, quid dicendum.

8. Processiones habent rationem officij Ecclesiastici nec pro illis pretium potest accipi.

Atque idem dicendum est de aliis Ecclesiasticis processionibus, quæ publicè fieri solent,vel ad venerationem festorum,aut Sanctorum,vel ad impetranda à Deo auxilia pro communibus necessitatibus, prout fiunt, vel in ordinariis diebus litaniarum, vel interdum extraordinariè iuxtà occurrentes necessitates. Omnes enim illæ processiones habent rationem ecclesiastici officij, & ideò ministri earum suas spirituales actiones vendere non possunt, nec aliquid exigere, si ex officio ad id tenentur;si verò non tenentur, possunt quidem ex altari edere, non tamen aliquid tanquam pretium accipere,propter eandem causam, quia tota illa actio spiritualis est. Idémque dicẽdum est de omnibus, qui aliquem concursum ad illas actiones habent,siue deferendo crucem,siue thronum, in quo reliquiæ,vel imagines Sanctorũ ponuntur, & multò magis si ipsum corpus Dominicum deferatur; quia omnia hæc spiritualiter fiunt, & ad finem spiritualem vel excitandi fideles ad deuotionem, vel honorãdi Deum & Sanctos,& auxilium ab eis impetrandum ordinantur.

9. Quomodo oratio priuata sit materia Simonię.

In secunda confirmatione petebatur, an orationes priuatæ sint materia Simoniæ.Ad quod breuiter dicendum est,si oratio considereturvt est vel impetratoria,vel satisfactoria, vel meritoria de cõgruo pro eo, pro quo funditur, esse materiam Simoniæ, ita vt si sub ea ratione vendatur,aut pretio ematur, committatur Simonia. Hæc est sententia D. Thomæ artic. 3. ad 2. quam omnes recipiunt. Et probatur, quia sub illa consideratione est res merè spiritualis, nam & à Diuina gratia procedit, & in sua vtilitate; efficacia in illa omninò nititur, & ad effectum spiritualem pertinentem ad bonum animæ ordinatur. Habet ergo omnia,quæ in materia Simoniæ omninò propria desiderari possunt: Vnde quoad hoc eadem ratio est de his orationibus, quæ de publicis. Nam licet Iura Canonica de his orationibus priuatis quoad hanc partem nullam faciant mentionem, vel prohibitionem, quia non erat ita necessaria, sicut in publicis ministeriis Ecclesiasticis, nihilominùs quod spectat ad Ius Diuinum,& naturale,idem omninò in vtrisque inuenitur, vt ratio facta probat. Vnde ad illam corfirmationem dicendum est, illam consuetudinem, vt honesta sit, ita esse intelligendam, vt id quod datur,non sit per modum pretij, sed per modum eleemosynæ, quæ ad sustentationem orantis aliquid iuuet, vel etiam per modum stipendij, maximè si oratio diuturna sit.

D.Thom.

10. An actus virtutum vendi possint.

Simili modo expediendum est, quod in tertia confirmatione petitur, an virtutum actus vendi possint, quatenùs ab vno in alterius vtilitatem fiunt. Duobus enim modis possunt actus virtutum fieri in alterius vtilitatem, scilicet vel in vtilitatem spiritualem, vel corporalem: quæ duplex consideratio non habet locum in oratione, & ideò non fuit in illa necessaria. Nam licet oratio possit ordinari ad obtinendam à Deo aliquam temporalem, vel corporalem vtilitatem, nihilominùs ipsa oratio non confert ad obtinendum illum effectum, nisi spiritualiter, & vt donum gratuitum, & ideò nec dicitur corporaliter iuuare, nec sub illa ratione pretio æstimari potest. At verò per opera misericordiæ possumus iuuare proximum corporaliter, non impetrando, sed præstãdo illi beneficium, seu seruitium corporale:per eadem verò opera, vt sunt apud Deum aliquomodo meritoria, & per opera temperantiæ, vt ieiunij,vel per alia opera pœnitentiæ, vt satisfactoria sunt, possumus spiritualiter proximo prodesse. Priori ergo consideratione possunt talia opera pretio æstimari,vt per se notum est; & constat ex vsu,& ratione,quia sunt bona corporalia, & temporalia, aliàs nullæ actiones humanæ pretio essent æstimabiles.Item talia opera vt sic per vires naturæ fiunt,& per easdem conferunt vtilitatem, ob quam pretio æstimãtur, vnde nec ex parte principij, nec ex parte termini, nec in suo esse habent spiritualitatem. Quòd verò contingat, ab operante fieri in gratia, & ex gratia, ac modo supernaturali ex parte actus interni,est per accidens, nec immutat corporalis operis naturam.Posteriori autem modo talia opera erunt materia Simoniæ, si vendãtur,quia vt sic sunt spiritualia,& in eis omninò procedit eodem modo ratio de oratione facta. Alia,quæ in vltima confirmatione tanguntur,infrà cap.18.tractabuntur.

Actus virtutis duas potest habere vtilitates,corporalem scilicet,& spiritualem.

Primo modo potest pretio æstimari, posteriori minimè.

CAPVT XVI.

Vtrùm actus spirituales soli operanti vtiles,vt sic, possint esse materia Simoniæ.

1. QVæstio est valdè controuersa inter Doctores, an sit licitum, dare alicui pecuniam, vel quid simile, vt fiat Christianus, vel Religiosus, vel vt Sacramenta frequentet, & similia. In qua quæstione variè loquuntur Canonistæ, vtunturque variis distinctionibus. Hostiensis in cap. *Dilectus*,2. de Simon.num. 1. & 2. distinguit inter necessaria ad salutem, vt est Baptismus, & alia non necessaria, vt Religio. Et in prioribus dicit, posse aliquid dari, etiam sub conditione, & pacto, vt recipiatur Baptismus, in posterioribus negat. Rationem autem differentiæ non reddit,nec videtur posse dari.Quia non minùs est spiritualis, & supernaturalis actus ad salutem necessarius, quam non necessarius, seu qui est in consilio,si ergo per illam dationem emittur, vel venditur talis actus, in vtroque erit æquè malum, si verò non emitur, nec venditur, in neutro erit malum: Aliter distinguit Abbas in d. capit. *Cùm in Ecclesiæ*, num. 7. Nam si pecunia detur, vel promittatur solùm ad remouendum obstaculum conuersionis, licitè datur vel promittitur; si verò detur, vt illud sit motiuum operandi, vel veniendi ad fidem,id nõ licet.Et hoc sequitur Guil.Redoan. 3.p.c.num.23.

Hostiens. opinio impugnatur.

Abbat. sentẽtia.

2. Declaratur prima pars huius sentẽtiæ,& approbatur.

Declaratur prius membrum, nam interdum infidelis non suscipit Baptismum, quia timet paupertatem, vt si derelicturus sit patriam vel quia est Iudæus oneratus vsuris, & timet restitutionem. In his ergo casibus ait Abbas, licitum esse vel remittere vsuras, si quis habeat ad hoc potestatem, vel offerre necessaria ad vitam, etiamsi patriam relinquat, vel offerre pecunias, quibus soluat debita, & sic de aliis impedimentis. Quæ opinio quoad hanc partem mihi valdè placet, dummodo non fiat pactum, vt statim dicam, nam in reliquo

illud est opus magnæ charitatis, & non habet vmbram Simoniæ, quia nulla est ratio pretij ibi considerata, sed tantùm tolluntur impedimenta. Nec etiam est ibi periculum fictæ conuersionis, nam supponitur quis affectus, & dispositus ad conuersionem, sed impediri ab executione propter tale impedimentum, vel certè licet non supponatur, præuideri potest, illam occasionem, & timorem humanum impedire dispositionem, licitum est ergo timorem illum auferre; nam eo ipso quòd datur aliquid ad tollendum obstaculum, satis declaratur, illam non esse futuram rationem conuersionis. sed aliam altiorem. Quoad hanc ergo partem, verissima est sententia Abbatis, & eam sequúntur ibi Felinus, & Archidiaconus, Turrec. in d. cap. *Quam pio*, Angel. Sylvest, & omnes citandi. At verò diuisio Abbatis: quoad aliud mẽbrum nec est adæquata, nec ratio eius pertinet per se ad Simoniam, vt patebit.

Felin. Arch. Turrec. Angel. Siluest.

3. Duo modi quibus aliquid dari potest intuitu conuersionis expenduntur

Dico ergo, duobus modis posse aliquid dari alteri intuitu conuersionis eius, vel vt aliquid pertinens ad suam spiritualem salutem faciat. Primò dando illud cum pacto expresso, vel subintellecto, do, vt facias, ita vt qui recipit, promittat, & se obliget ex vi muneris. Secundò dando simpliciter, vel eleemosynam faciendo, aut signa amicitiæ ostendendo, vt alter paulatim bene affectus reddatur, & ad bonum faciendum faciliùs inducatur, & inclinetur. Quando fit donatio hoc posteriori modo, licitum est allicere animum proximi ad conuersionem, vel ad quodcunque exercitium virtutis, donis, ac beneficiis. Et hoc expressè docuerunt Glossa in d. cap. *Quàm pio*, & in cap. *Debet*, 23. q. 4. & in dicto cap. *Dilectus*, 2. de Simon. Quibus in locis consentiunt Doctores, & alij suprà citati, & D. Thom. 2. 2. q. 100. artic. 3. ad 4. & ibi Sotus & alij; & Medin. c. de Restit. quæst. 27. ad 4. & alij infrà referendi. Et hoc probant Iura in dicto cap. *Debet*, vbi ait Aug. vnumquemque debere proximum ad Dei cultum adducere non solùm doctrina, & disciplina, sed etiam beneficentiæ consolatione, id est, donis, & beneficiis. Idémque sumitur saltem à simili ex Gregor. in cap. *Qui sincera*, d. 45. & ex aliis infrà referendis. Ratio verò est, quia hoc non potest esse Simoniacum, quia ibi non interuenit pactum, nec ratio pretij, vel emptionis, sed liberalis donatio, & acceptio: illa verò intentio dandi, vt alter inuitetur faciliùs ad virtutem, optima est, nulla ergo malitia per se loquendo hic interuenit.

Gloss. C. Quam pio. Cap. Debet. Ca. Dilectus. D. Thom. Soto. Medin. August. Gregor. C. Qui sincera.

4. Solùm est cauendum, ne tantus sit excessus in huiusmodi muneribus, vt tacitè videatur alter ita moueri, vt principaliter trahatur ad fidem, vel confessionem propter respectum humanum, aut ne videatur ingratus benefactori suo, vel ne careat illa commoditate; iam enim tunc per excessum posset in hoc peccari. Sic enim licitum est, precibus aliquem attrahere ad Baptismum, pœnitentiam, vel Religionem, tamen non debent esse preces adeò importunæ, vt moralem vim cogendi habere videantur, quia tunc exponitur alter, qui rogatur, periculo fictionis, aut inconstantiæ, & tunc posset esse actio peccaminosa, etiamsi propriè non esset Simoniaca. Atque hinc etiam fit, vt licet is, cui talia munera donantur, intelligat, quo fine, & qua spe dentur ab alio, non peccet, nec sit Simoniacus, illa recipiendo, quia non accipit vt pretium, sed vt liberale donum, licet cum ea spe datum, nam etiam illa spes simoniaca non est, vt benè notauit suprà Medin. & similiter si ille, qui recepit donum, posteà operetur actum virtutis cum respectu ad donũ, vt sit alteri gratus, vel vt ei obsequatur, vel certè cum spe doni si illud nondum recepit, nec est Simoniacus ob eandem rationem, nec peccat, si non excludat proprium motiuum virtutis, sed solùm alio iuuetur.

Medin.

5. An alius modus faciendi donationem cũ pacto expresso illicitus sit, pars affirmãs proponitur.

At verò quando fit donatio, vel promissio priori modo cum pacto, vel conditione expressa, est maior difficultas, & controuersia. Nam tale pactum nunquam licere tradit Bonif. in d. cap. *Quam pio*, vbi priùs posita quæstione simili, anxium se, & dubium ostendit, nec videtur ironicè loqui, vt Glossa dicit, sed seriò, vt patet ex illis verbis, *Deum testificor*, &c. quia hoc iuramenti genus non benè cadit super locutionem ironicam. Verè ergo affirmabat, se esse anxium, fortasse tamen non propter magnitudinem quæstionis, sed quia timebat illos contristare, & ideò de modo respondendi dubitabat. Tandem verò huiusmodi pacta improbat, dicítque se nunqunm legisse, Apostolos hoc modo inuitasse homines ad fidem, ac religionem. Quod secundò roboratur ex generalibus regulis Iuris, quod omnia pacta & exactiones, seu conuentiones in materia spirituali reprobatæ sunt, cap. vltim. de Pactis, capit. *Quæsitum*, de Rer. permut. & in eodem capit. *Quam pio*, Constat autem materiam huius promissionis, aut largitionis spiritualem esse, qualis est receptio Baptismi, vel ingressus Religionis, & eadem ratio est de cæteris operibus virtutum, solùm ea spectando, quatenùs spiritualia sunt, & ad salutem proficua, ita enim in casu proposito spectantur. Quod autem emantur in vtilitatem operantis, vel alterius, non videtur referre, quia semper manent æquè spiritualia. Vnde Pontifex in dicto capit. *Quam pio* sic in virtute augmentatur. Talis actus est donum descendens à Patre luminum, ergo qui pro illo munus accipit, donum Spiritus sancti vendit, qui verò largitur munus donum emit. In qua ratione etiam supponit, ibi interuenire verum, & proprium pactum, & patet, quia est promissio, vel largitio onerosa, & sub conditione, Dabo, si feceris, vel Do, vt facias.

Cap. vlt. C. Quæsitum. C. Quam pio.

6. Tertiò si liceret hoc modo temporale donum alicui dare, vt velit baptizari, eadem ratione liceret dare vt vellet baptizare, & ita posset omnis pactio Simoniaca honestari. Sequela patet, quia tam spirituale opus est suscipere Baptismum, quàm dare. Vnde siquis dicat in nostro casu illam non esse emptionem, sed liberalem donationem factam sub ea conditione non ad emendum Baptismum, sed ad inducendam voluntatem, & inuitandam, vt velit baptizari ità in administratione actiua Sacramenti dicam, me non emere Sacramentum, sed donare sub conditione boni operis, inclinando voluntatem alteriùs ad illud faciendum. Atque hæc promissio posset fieri electori, si eligat Petrum, quẽ ego existimo esse digniorem, & electo, vt accepter, si ego existimo præstaturum obsequium Deo acceptando. Et sic de aliis innumeris. Quartò si hic contractus esset licitus, liceret etiam Religioni cum aliquo pacisci, quod si Religionem ingrediatur, dabit illi talia subsidia vel tales honores, quod videtur expressè damnatum in d. cap. *Quàm pio*. & præ se fert magnam inordinationem contra spiritualitatem illius status. Similiter posset Episcopus promittere alicui beneficium, si ordinari se permitteret, & similia quæ planè Simoniaca reputãtur. Sequela verò patet, quia in his omnibus dici potest dationem esse liberalem ad inclinandum animum alterius ad opus virtutis, non ad emendum illud.

C. Quam pio.

7. Pars negatiua. In contrarium esse videtur auctoritas ipsiusmet Dei paciscentis cum hominibus, se daturum tem-

temporalia bona, si seruauerint præcepta, tales enim sunt infinitæ promissiones in veteri testamento. Et honorantibus parentes longæuã vitam promittit Exod. 12. *Vt sis longæuus*, quam esse promissionem etiam vitæ præsentis explicuit Paul. 1. Tim. 4. significans, illam promissionem etiam nunc durare. Secundò fit idem argumentum ex comminationibus pœnarum etiam temporalium, per quas Deus inducit homines ad opera virtutis, nam pœna, & præmium æquiparantur, & temporalis pœna æstimari potest. Vnde hæc eadem argumenta fieri possunt ex rebus humanis; nam licitum est parenti filium punire, si studiosè non viuat, & illum per flagella, & minas inducere, vt operetur virtutem, ergo etiam donis temporalibus, & promissionibus eorum id facere licet. Imò nihil videtur frequentius in bonis parentibus, qui suauiter studeant inducere filios ad opera virtutis, promittunt enim illis dona, & interdum meliorem hæreditatis partem, si obedientes sint, vel honesti, &c. Sic etiam interdum dominus promittit seruo libertatem, si velit conuerti ad fidem, & non reprehenditur, sed laudatur. Imò auctoritate publica interdum promittitur malefactori infideli vita, si baptizari velit; hunc enim vsum refert, & approbat Med. loco infrà citando. Sic etiam fidelis potest promittere infideli, ducturum se illam in matrimonium, si conuertatur ad fidem, quæ conditio approbari videtur in capit. *Non oportet* 28. quæst. 1. Item Gregor. in cap. vlt. 23. quæst. 6. ait seruum infidelem, & obduratum onerandum esse laboribus, vt vexatio det illi intellectum: ergo etiam poterit allici muneribus, ac promissionibus.

Exod 12. 1. Tim. 4.

Medin.

Cap. Non oportet. Greg.

8. Ratio à priori.

Tertiò argumentari possumus à priori, quia in huiusmodi pacto, & promissione non est malitia Simoniæ, nec alia cum fundamento affirmari potest, ergo. Minor, licet ad præsentem causam non referat; vt manifesta supponatur, quia intentio sic promittentis, vel donantis, bona est, vt constat; medium etiam non est malum, quia ex obiecto saltem est indifferens, & ex fine fiat bonum, quia ad illum est vtile, & non est pernicioſum, & per illud non inducitur alius, vel vt ficte operetur bonum, vel vt principaliter id faciat propter temporale commodum, neque vt hoc accipiat tanquam pretium virtutis, sed solùm vt hinc aliquo modo alliciatur, & excitetur ad virtutem operandam, prout debet. Probatur ergo maior, quia ibi ex parte dantis, vel promittentis non est emptio, quia ille nihil ab alio recipit, & nemo emit, nisi qui recipit aliquid à vendente; & eadem ratione non est venditio ex parte recipientis, quia nihil tradit danti, sed ipse sibi operatur. Et in hoc sensu videtur dixisse Sylvester, non esse hic periculum Simoniæ, quia qui promittit, non accipit fidem, sed infidelis, & eandem rationem latè prosequitur Med. & Card. etiam illa vtitur. Aliter potest explicari, hæc ratio, quia promissio, vel donatio facta alteri sub conditione, quæ in solam vtilitatem, & fauorem recipientis cedit, non censetur onerosa, sed merè gratuita, & liberalis; & consequenter non potest esse occasio Simoniæ, hæc enim sine contractu oneroso non committitur, vt dictum est. Antecedens commune axioma est Iuristarum, vt videre licet per Tiraquellum, & quos ipse refert in leg. *Sevnquam*, in Gloss. *Donatione largitas*, num. 145. Hipolit. in §. 1. Inst. de Donat. num. 494. Menoch. Consil. 154. num. 7. Et ratio sumitur ex præcedenti, quia quando conditio tota cedit in vtilitatem alterius, cui fit promissio, promittens nihil recipit, & recipiens sibi tantum proficit; ergo non potest dici datio onerosa. Item ex generali ratione liberalitatis id colligi potest, nam liberaliter fit, quod gratia alterius quis facit, & non gratia sui; sed ita est in præsenti, licet promissio fiat sub conditione, quia conditio ipse est gratia alterius, non sui, ergo.

Medin. Card. Tiraquel. Gloss. Hypolit. Menoch.

9 Aquibus auctoribus defendatur pars quæ negat licere hanc donationem per modũ pacti.

In hoc puncto iuxtà cõtrarias rationes pro vtraque parte positas ita diuersæ sunt opiniones. Prima simpliciter negat, licere dare aliquid, vel accipere hoc modo per viam pacti, Do, vt facias, vel Promitto sub tali conditione, vt fias Religiosus, & non aliter, &c. Ita tenet Diuus Thom. dicto artic. 3. ad 4. Vbi Caiet. tacendo consentire videtur, sicut & Sot. & Aragon. Valen. verò clariùs adhærere videtur (licet in generali) disp. 6. quæst. 16. pun. 2. dub. 3. idem D. Thom. 2. 2. quæst. 189. art. 9. Tenet hoc etiam expressè Panor. cum aliis, quos refert in cap. *Dilectus*, 2. de Sim. num. 7. Vbi idem sentit Felin. n. 2. referens Anton. & idem tenet Anchar. & alij ibi, Archid. & Turrec. in dicto cap. *Quàm pio*, Anton. 2. p. tit. 1. c. 5. §. 18. & tit. 12. cap. 2. §. 1. Angel. *Simonia*, 3. numer. 26. Sylvest. quæst. 8. dicto 3. Tabien. num. 28. & 61. Armil. numer. 30. & numer. 50. Item Sylvest. verb. *Religio*, 2. quæst. 2. Et hanc partem amplexus est Par. imò tanquam certam supponit in leg. *Titia*, ff. de Verb. obligat. num. 12. Vbi alij Legistæ idem sequuntur. Medin. etiam in C. de Rest. quæst. 27. in fine (licet moueri videatur aliquibus rationibus ex his, quas secundo loco posuimus) non audet contrà hanc opinionem proferre sententiam, sed concludit, *Sed quia hæc alterius negotij sunt, & ad materiam de Simonia pertinent, cum his, quæ communiter dicuntur transeamus.*

D. Thom. Caiet. Arag. Valen. Panor. Felin. Anton. Anchar. Archid. Turrec. Angel. Sylvest. Tabien. Armil. Bartol. Medin.

10. Auctores partis oppositæ.

Contrariam sententiam indicat Gloss. in dicto cap. *Quàm pio*, verb. *Interuentu* 1. quæst. 2. clariùs in cap. *Debet*, 23. q. 4. Vbi concludit, *Licitè fit pactio, vbi agitur de conuersione alicuius ad fidem*: indicat tamen in ingressu Religionis non licere, quia Religio non est necessitatis, sicut Baptismus, vel fides, per hoc enim respondet ad c. *Quam pio*. Idem sentit quantum ad conuersionem ad fidem, Glossa 1. in d. cap. *Dilectus*, 2. de Simon. & non negat de Religione, & aliis actibus. Idem sentit Adrian. quodlib. 9. ar. 3. ad 3. principale, saltem de Baptismo, de aliis verò actibus obscurè loquitur, tandem verò idem sentire videtur, citátque Cardin. Alex. in c. 2. d. 4. Item Cardin. in d. cap. *Dilectus*, 2. num. 3. similiter Sylvest. verb. *Gabella*, 5. quæst. 2. pro conuersione ad fidem admisit, fieri posse pactionem. Id autem retractasse videtur in ver. *Simonia*, vbi eodem modo loquitur de fidei, & status Religiosi susceptione. Refertur etiam pro hac sententia Nauar. in c. *Inter verba*, concl. 5. illat. 1. num. 20. Sed ibi in editione vt latina nihil habet de pacto, sed de simplici datione, vt conuertatur ad fidem. Refertur etiam Angel. in 2. p. in materia de Rest. q. Quis teneatur rest. art. 2. quis à restit. sit liber. diff. 15. vbi ait sicut precibus, ita & pretio aliquem ad bonum allicere, licitum esse, sed nihil de pacto; & nomen pretij impropriè videtur sumptum pro quocunque dono temporali, apertè enim tractat de liberali donatione. Eandem opinionem videtur sequi Molin. Tract. 2. de Iust. dip. 93. concl. 4. vbi expressè approbat inductionem per donationem, vel promissionem etiam sub expressa conditione, *Si hoc feceris, &c.* Si tamen attentè legatur, non recedit à communi sententia, vt statim declarabo. Hãc item sententiam latè, & sine distinctione vlla defendit Sancius lib. 1. de Sponsal. disp. 39. & Leonard. Lessi. lib. 2. cap. 35. dub. 12. tractans specialiter de ingressu Religionis, dicit, non esse Simoniam

Gloss. Adrian. Cardin. Sylvest. Nauar. Angel. Molin. Sanc. Lessius.

aliquem inducere pecuniis ad Religionem, etiam si interdum obligare illum; dicit tamen esse illicitum, quia scandalosum, & propter periculum inconstantiæ, & maximè propter cap. *Quam pio*.

C. *Quam pio* 11. Iudicium Auctoris.

In tanta varietate, difficile est ferre iudicium, & mihi quidem in re tam graui durum videtur à communi recedere sententia, quam præcipui Doctores Theologiæ, Canonum, & Legum sequuti sunt, D. Thom. Panor. & Bart. cum multis sectatoribus, præsertim cum in d. cap. *Quam pio*, & in illis Iuribus, magnum habeat fundamentum, adeò vt D. Thom. (sicut notatur in decret. Gregor.) sola illius cap. auctoritate suam sententiam constituerit, & nisi illa sententia D. Thomæ in aliquo sensu verum habeat, vix credo posse illi textui responderi.

D. *Thom. Panorm. Bart.*

B

Aliundè verò insolentissimum esse omnia facta damnare, quæ ex communi praxi afferuntur, & habent quandam huius pacti imaginem, vel speciem, & à piis fidelibus, doctis, & indoctis sine scrupulo fiunt. Præsertim cum multa ex illis vel æquipollentia inueniantur in iure probata, vt in secunda parte argumentorum propositum est. Mea ergo resolutio est, licitum quidem per se loquendo esse dare aliquid temporale alteri, vt aliquod bonum efficiat ad suam spiritualem salutem, siue sit opus necessitatis, siue consilij, dummodò talis elargitio non includat veram rationem pacti, mutui, & onerosi, vt interdum potest; nam tunc illicita, & in materia præsenti Simoniaca erit pactio. Hanc resolutionem aliquibus propositionibus explicabo, quæ faciliùs intelligentur, distinguendo inter largitionem de præsenti sub conditione faciendi in futurum, & promissionem posteà dandi, si priùs tu feceris hoc, vel illud. Nec distinguo inter opus consilij, vel necessitatis, quia, vt dixi, hæc distinctio nullum fundamentum habet præsertim in ordine ad Simoniam. Imò (si ita loqui licet) honestius fit hoc ex parte recipientis in opere consilij, quam in opere necessariò tanquam mediò, vel præcepto: Quia in opere consilij magis liber est homo à debito operandi, & ideò plus videtur de suo conferre quando vel se obligat ad faciendum, vel se inclinat, & ideò videtur habere honestiorem causam recipiẽdi. Quamuis ex parte dantis videatur magis ex misericordia moueri, quando necessitas proximi maior est, & minùs cogere illum, quando iam supponitur obligatus ad opus. Sed, vt dixi, hæc parum referunt ad committendam, vel vitandam Simoniam, imò nec ad aliud genus peccati committendum, vt suprà tactum est, & magis ex sequentibus patebit.

C

D

Dico ergo 1. Donare aliquid de præsenti proximo petendo ab illo, vt aliquid spirituale faciat in bonum animæ suæ, siue vitando peccata, siue præcepta exequendo, siue opus consilij, vel supererogationis faciendo non est malum, sed est sanctum, & honestum, quando donatio fit absolutè, ita vt licet ille, qui donum, vel pecuniam recepit, statim rem ipsam acquirat, non statim maneat simpliciter obligatus ad Religionem suscipiendam, vel aliud simile opus spirituale faciendum: erit autem talis donatio ex tunc valida, quia licet apponatur conditio, non est propriè conditio, sed modus, & talis modus, qui non inducat obligationem, etiamsi non impleatur. Ita explicat suam sententiam Molin. vt patet ex vltimis verbis illius disput. Et in eo casu est conclusio clarissima, & procedit optimè iuxta illam, secunda sententia, & non est contra primam, quia tunc reuera non est pactum: Atque ita potest hic applicari ratio facta superius, quòd actio illa non est mala ex obiecto, quia est donatio liberalis

Dare aliquid de præsenti proximo, vt opus spirituale faciat, quomodo honestũ sit.

Molin.

E

cuiusdam doni de se indifferentis; nec ex fine, mala est; imò est bona, cum sit honestus finis, nec ex modo, est mala, quia donum illud non datur vt pretiũ, cum pactum, & obligatio mutua non interueniat: ergo non habet, vnde sit mala, vel Simoniaca. Et ad hoc iuuare possunt rationes secundæ sententiæ, & multa ex exemplis, quæ ibi adducuntur.

13. Mater licitè dat filio munera, vt pia opera exequatur.

Hoc enim modo existimo, dari filio à matre munuscula quædam, aut vestes, &c. petendo ab illo, vt confiteatur, vel Missam, aut concionem audiat, &c. Et licet interdum dicat se dare cum tali conditione, non intendit apponere propriam conditionem, sed modum, vel potiùs finem suum, & intentionem explicare. Et eodem sensu licita erit talis donatio, si ordinatus ad inuitandam filiam ad Religionis ingressum, vel ad inuitandum infidelem ad fidem: dummodò aliunde vitetur periculum, ne aliquid horum fiat ab alio, vel nimis inuoluntariè, ob reuerentiam donantis, vel animo ficto, aut non satis Religioso. Dixi autem *ita vt non maneat simpliciter*, id est, determinatè obligatus ad Religionem, quia non videtur inconueniens, vt maneat obligatus sub disiunctione, vel implendam conditionem, vel ad reddendum, quod accepit, si donator ita suam voluntatem explicuerit. Nam hoc videtur clarè colligi ex cap. 2. de condit. appositis, quod paulò post tractabimus, & rationem reddemus in puncto sequenti. Potest tamen practico casu explicari, quia licitum est alere pauperem in studio ad hunc finem, vt ad Religionem ingrediatur, etiam declarando illi conditionem, non tamen absolutam imponendo obligationem. At sub conditione, seu disiunctione licitum erit obligare illum, vt vel ingrediatur Religionem, vel expensas restituat. Quamuis enim Med. suprà videatur in hoc dubitare, mihi tamen non videtur dubiũ, quia ibi nulla est Simonia, neque coactio, sed liberalitas limitata pro arbitrio donantis, non iniquè, nec iniustè, sed cautè: quod facere potest, vt magis patebit ex puncto sequenti.

Cap. 2.

Medin.

14. Quando licitum sit promittere aliquid sub expressa conditione, si fides accipiatur, vel quid simile fiat.

Dico 2. Promittere aliquid sub conditione expressa, si fidem susceperis, vel si fueris Religionem ingressus, aut si quidpiam simile spirituale feceris, intendendo spirituale bonum operantis, & intendendo se obligare ad implendam promissionem adimpleta cõditione, & non aliter, licitum est, nullamq; habet labem Simoniæ, quando ex parte eius, cui fit promissio, nulla oritur obligatio ad ingressum Religionis, vel quidpiam simile. In hoc etiam approbamus secundam sententiam, & extendimus illã ad opera supererogationis, & vt locum habeat, non solùm quando fit promissio illo modo ad tollendã impedimenta, quod magis indubitatum est, sed etiam quando fit per se ad inducendam voluntatem: nec putamus hoc esse contra primam sententiam, quia ibi reuera non intercedit pactum, vt explicabimus. Ratio ergo assertionis est, quia tota illa promissio sic facta, non excedit donationem liberalem ordinatam ad inclinandam voluntatem alterius ad tale opus virtutis; ostensum est autem talem donationem esse licitam, ergo & probatur maior, primò, quia suprà ostensum est licitum esse, aliquid donare hac formali intentione conciliandi affectum alterius, vt ita possit faciliùs inclinari ad spirituale opus amplectendum: quod ab illo desideratur; ergo etiam est licitum, hanc intentionem verbis aperire, quia per hoc non mutatur ratio, vel modus donationis, sed hoc solùm fit per illam promissionem illo modo explicatam, vt constat; ergo

Ratio assertionis.

Secundò ostensum etiã est, quòd licet donatarius intelligat intentionem dantis, & spem eius, quam

verbis

verbis non exprimit, nihilominus licitè accipit, nec ideo Simoniam mentalem committit, ergo licet verbis exprimatur, vt in casu positæ conclusionis fit, non erit Simonia id accipere, ergo nec dare. Tertiò multa exempla ex adductis hoc confirmant: & illud maximè, quia iuxta veriorem, & communiorem sententiã validum, & licitum est legatum sub propria conditione. Si Petrus fuerit Religiosus, lego illi centum aureos quotannis in alimentum, vel pro libris, aut quid simile. Idem optime confirmatur ex c.2. de Condit. appositi. vbi manumissio seruorum facta sub hac conditione, Do eis libertatem, dummodo Monachi fiant, & in Monasterio perseuerent, & non aliter, valida esse declararur, & seruari præcipitur. At libertas, res temporalis est, & pretio æstimabilis, ergo licita est similis promissio sub conditione, etiam ad hunc finem, vt alter Religionem ingrediatur.

15. Confirmatur exemplo serui, cui libertas promittitur ea conditione, vt sit Religiosus.

Quartò est optima ratio, quia ibi nec est Simonia, nec coactio, aut obligatio ingrediendi Religionem, vel quid simile, sed est quædam optio, quæ homini gratuito offertur, vt hoc, vel illud eligat pro suo arbitrio, vt in proximo casu de manicipiis, sub illa conditione libertate donatis, eis datur optio, vt vel Religiosi vel serui manere debeant, & inter hæc eligant. In quo nulla eis fit iniuria, quia serui iam erant, imò fit gratia cum honesta via euadendi seruitutem illi proponitur, si Religionem eligere velint. Et ita etiam nulla eis infertur vis, quia seruitus iam inerat, & in eorum electione manet tam Religio, & libertas, quàm seruitus. Quòd autem ad illa duo membra restringatur electio, non est vis, sed gratia, quia neque talis electio illis debebatur, cum essent addicti seruituti. Quod verò illis non fiat maior gratia, nec detur simpliciter libertas, non est vis, nec iniuria, vt constat. Præterea nec Simoniæ vmbra ibi interuenit, quia nulla venditio fit, nec pactum, quod inducat obligationem ingrediendi Religionem, tam liber enim manet ille ad non ingrediendum, quàm antea erat: vnde non datur libertas in pretiũ professionis Religionis, sed est quædam liberalis concessio libertatis ad illum finem bonum, & non ad alium, vel sub ea conditione, & non absolutè. Sicut si conditio à domino posita fuisset, Si ergo ingressus fuero Religionem, dono tibi libertatem, optima esset conditio, idem ergo est de alia, nam solùm differunt, quòd vna conditio pendet ex voluntate ejusdẽ serui, alia non: quæ differentia non refert, imò iuuat, vt prior manumissio conditionata liberalior sit, & magis posita in potestate serui.

16. Aliis exemplis illustratur assertio.

Atque idem iudicium est de aliis casibus suprà insinuatis. Vt quando damnato ad mortem conceditur vita, si velit Religiosus fieri, non cogitur ad Religionem, nec venditur Religio, sed optio illi datur, vt inter illa duo eligat: in quo fit illi gratia, quia minus malum, hoc est, quam cogi ad moriendum. Multò verò facilior est alius casus de contrahendo matrimonio cum infideli si conuertatur. Nam ibi etiam datur infideli libera optio eligendi vel manere in infidelitate sine tali coniugio, vel ad fidem venire, & matrimonio copulari, & qui sic promittit, habet Ius, & obligationem non aliter consentiendi in tale matrimonium. Postulat ergo iustam cõditionem, & quasi idoneitatem personæ necessariam, nulla ergo est ibi vmbra Simoniæ. Sicut etiamsi iuuenis ineruditus Religionem postulet, rectè potest ab eo postulari, vt se disponat per doctrinam, & studeat, & sic recipietur, vt dixit Anton. suprà, & alij, sic ergo licitum est viro, vel fœminæ fideli ab infideli petere, vt se per Baptismum disponat, nam sic cum illo contrahet, & non aliter. Simili modo iustum est, & sine Simoniæ specie, quod suprà ex Greg. referebamus, oneribus afflígere seruum infidelem, vt vexatio det illi intellectum, intelligendum enim, id est, de oneribus iustis, & tunc dominus vtitur iure suo: & quasi optionem tribuit seruo, vt si vult fauorem sentire, suspiciat fidem, non emendo illam, sed eligendo id, quod sibi commodius est. Et ita satis constat, priora argumenta in principio proposita non procedere contra has duas assertiones. Gregor.

Dico 3. dare, vel promittere tẽporale sub pacto, & conditione, vt alter obligatus maneat determinatè ad fidem, vel Religionem, vel Sacramentum aliquod suscipiendum, vel quidpiam simile, licitũ non est, & Simoniæ vitio non caret. In hoc sensu, intelligo priorem sententiã, & sic illam veram esse existimo. Et videtur sufficienter probari argumẽtis in principio factis. Et magis declarabitur, & persuadebitur, ostendendo posteriora argumẽta non habere vim contra hanc conclusionẽ. Et in primis argumentum à promissionibus Dei, nullum est; tum quia, vt significauit D. Tho. 2.2.q.122.art.5.ad 4. promissiones Dei temporales semper habẽt spiritualem conditionẽ adiunctã, si temporalia bona ad spiritualem salutem futura sunt vtilia, sic enim cadunt etiam sub meritum: tùm etiã quia Deus nõ imponit obligationem ratione promissionis, sed per se potest imponere obligationem præcepti, & liberaliter adiungit promissionem. Et idem est suo modo de cõminatione; nam obligatio, quæ est in præcepto non nascitur ex comminatione, sed supponitur, & alia tantùm est quædã inductio ad vitandum malum; & quoad hoc idem est de comminationibus, vel pœnis humanis. Præterquam quod illa est quædã optio, quę datur homini, proponẽdo illi ignem, & aquam, vt ad quod voluerit, porrigat manum. Alia verò exẽpla omnia ibi adducta procedunt iuxta præcedentem conclusionem, in nullo tamen eorum intercedit proprium pactum inducens definitam obligationem, vt explicatum est.

17. Dare, vel promittere temporale sub pacto, vt alter obligatus maneat ad fidem, vel aliquid simile, Simonia est.

D. Thom.

Tertia verò ratio principalis, quam multi magni faciunt, mea sententia non est efficax. Nam in primis si efficax esset, probaret spiritualem actionem propriam, vel receptionem Sacramenti soli operanti, vel recipienti vtilem, esse posse materiam Simoniæ respectu alterius, qui illam fieri vult pretio dato, Consequens est falsum. ergo. Sequela patet, quia in illo casu, semper procedit illa ratio, quod dans temporale nihil spirituale recipit. Minor autem patet tùm ex ipsismet auctoribus secũdæ opinionis, ita enim approbant conditionem illam, vt semper excipiant, dummodò temporale non detur in pretium, ergo supponunt. ibi esse posse venditionem & emptionem. Item omnes supponunt ingressum Religionis posse emi ex parte Religionis, vel alicuius tertij, & vendi ex parte ingredientis, quamuis ingrediendo, nihil spirituale alteri donet, sed recipiat. Item si frater minor natu à primogenito pretio emat, vt Religiosus fiat, eo fine, vt ipse in hæreditate temporali succedat, sine dubio esset Simoniacus, & verè emeret rem spiritualem, licet illam non recipiat, sed tantùm temporalem. Dico ergo ad emptionẽ non esse necessarium, vt emens aliquid recipiat ab alio quasi materialiter. sed satis esse, quod emat ab alio voluntatem eius (vt sic dicam) & illius effectum, id est, vt faciat, quod emens vult, siue illud maneat in agente, siue transeat in alium, & siue sit vtile ementi, siue alteri. Possum ergo propriè emere commodum alterius, vt patet respectu tertij; nam possum tertio emere Baptis-

18. Satisfit tertiæ rationi in oppositum adductę.

Ad emptionem Simoniacam, non est opus, vt emens aliquid recipiat ab alio.

mum, & ero Simoniacus, licet in me nihil ſpirituale recipiam. Ita ergo poſſum emere Baptiſmum ipſimet recipiẽti, & ab ipſo, quatenus ab illo pendet: nam quod ego intendam meam vtilitatem, vel alterius, vel ipſius vendentis, extrinſecum eſt ad rationem emptionis. Et eadem ratione etiam ipſemet, qui recipit ſpirituale vẽdere poteſt illud, ſi pretio faciat, quia vendit ſuum conſenſum, & effectum illius, & hoc ſpirituale quid eſt. Addò præterea, quod ſicut eſt Simonia, vendere ſpirituale pro temporali, ita eſt Simonia, emere temporale per ſpirituale, ille autem qui recipit, verbi gratia, temporale donum pro ſuo ingreſſu in Religionem, quaſi emit temporale donum, commutando pro illo, ingreſſum Religionis: alter autem vendit temporale donum, quod dat pro re ſpirituali, licet id faciat in alterius commoditatem.

19. Vnde ad alteram eiuſdem rationis declarationem in hoc axiomate fundatam, quod promiſſio ſub conditione appoſita intuitu eius, cui fit donatio, vel promiſſio, non eſt oneroſa, ſed liberalis, reſpondeo, hoc eſſe verum quando optio relinquitur libera ei, cui fit promiſſio, ſi autem inducat abſolutam, & determinatam obligationẽ ad aliquid difficile, & arduum etiamſi illi proficuum, & vtile ſit, & licèt hæc vtilitas intendatur, nihilominùs contractus erit oneroſus, & poterit eſſe vera commutatio ſpiritualis pro tẽporali, atq; adeò emptio, & venditio. Et licet verum ſit, eum, qui ſic obligat alterum ad ſpirituale aliquid faciendum ſoli operanti vtile, quoad hoc vltimum intendere bonum alterius ſpirituale, ex hac parte facere opus liberalitatis, & puræ beneuolentiæ ſpiritualis, nihilominùs quatenus dat tẽporale præmiũ illum cogendo, & obligãdo ad tale opus, reuera nõ facit donationem temporalem liberalẽ, ſed oneroſam, & ideò id nõ obſtat quòminùs illa ſit vera Simonia. Ex quibus, ratione concludo, quia in eo genere conuentionis indignè tractatur res ſpiritualis, dum per pretium fit, vt talis res ſpiritualis in rerum natura fiat (ita enim me declaro) ergo non poteſt honeſtari illa pactio ex eo, quod in huius, vel alterius propriam, vel alienam vtilitatem ſpiritualem talis cõuentio fiat. Si enim dato tẽporali pretio poſſum alium obligare ad orandum in ſuam vtilitatẽ, cur non in meam? Nam ſi illa commutatio ſecundùm ſe non eſt mala, ordinare illam ad proprium ſpirituale commodum, non erit malum, imò cæteris paribus magis videtur vnicuique conceſſum ſuam ſpiritualem vtilitatem quærere, quàm alienam.

20. Obiectio. Dices, tunc non dari petium pro re ſpirituali, ſed pro obligatione ad actum ſpiritualem; obligatio autem vendi poteſt ſine Simonia, licet actus ſpiritualis vendi non poſſit. Reſpondeo, hic non eſſe ſeparabilem obligationem ab actu quoad emptionem, & venditionem, quia illa obligatio ad nihil aliud tendit, niſi vt actus fiat, nec alia ratione eſt pretio æſtimabilis, nec inducit alia incommoda, vel onera temporalia, & accidentalia, ratione quorum poſſit pretio æſtimari; nam ſolùm in tali euentu, poteſt obligatio ad ſpiritualia vendi, vt inferiùs dicetur. Denique per ſeſe ſatis notum eſſe videtur, eſſe inordinatum, & contra ſanctitatem Religioſi ſtatus obligare aliquem pretiõ, vt teneatur Religionem ingredi, & idem eſt de Baptiſmo, & ſimilibus. Et poteſt retorqueri argumentum, quia ſi hoc liceret, quia non emitur actus, ſed obligatio, etiam poſſet emens in propriam vtilitatem id emere, vt Religio poſſet emere Religioſum, vel prælatum ſibi vtilem, quia diceret ſe non emere actum, ſed obligationem: Conſequens autem eſt expreſsè contra cap. *Quàm pio*, & aliàs aperitur ianua ad omnem Simoniam; eſt ergo inanis hic prætextus. Cap. *Quam pio.*

Satisfit.

CAPVT VII.

Vtrùm ingreſſus Religionis ad habitum, vel ad profeſſionem, ſit materia Simoniæ.

1. Status quæſtionis proponitur.

QVæſtio hæc annexa eſt præcedenti, quoniam ingreſſus Religionis opus eſt virtutis, & valdè ſpirituale, & ad perfectionẽ ipſiuſmet perſonæ operantis principaliter ordinatũ, & ideò ſolet hoc loco tractari; à nobis autem breuiter expedietur, quoniã alibi de illa diſſeruimus. In hoc ergo puncto duæ quæſtiones diſtinguendæ ſunt. Vna eſt, comparãdo ingreſſum Religionis ad Monaſteriũ, vt ad vendens, & ad ingredientem vt ad ementem ſtatum illum: alia eſt comparando ingreſſum, ad Monaſterium vt ad emens talem perſonam (vt ſic dicam) ad ipſam verò perſonam vt ad vendentem ſe ipſam ad talem ſtatum. Ad hunc poſteriorem ſenſum videtur pertinere quęſtio propoſita Bonif. Papæ in cap. *Quàm pio*. Et ita communiter citatur, quia reuera doctrina Põtificis ad hunc etiã caſum dirigi videtur. Propria verò quæſtio illius textus alia fuiſſe videtur, quàm ibi Gloſſa in hũc modum propoſuit; cùm quoddam Monaſteriũ Prælato careret, & ex alio Monaſterio illum poſtularet, aliud Monaſterium nolebat illum concedere, niſi facta ſibi aliqua recompenſatione. Et quidem ex textu benè colligitur tractari de vocanda, & trahenda perſona ad Prælatiam, ſeu regimen Monaſterij, an verò illa perſona vocaretur ſimul ad ſtatum Religioſum ex Eccleſia aliqua ſeculari, vel ex alio Monaſterio, vbi iam erat Religioſus, & Prælatus, non conſtat ex textu, neque an ipſemet peteret ſubſidium pro ſe, vel pro Eccleſia ſua. Sed hoc non multum videtur referre ad quæſtionis deciſionem. Claritatis tamen gratia diſtingui poſſunt duæ quæſtiones. Vna eſt de prælatione Eccleſiaſtica, alia de ſtatu ipſo Religionis. Inter quas eſt ſimilitudò in hoc, quod ſicut in vna inquiritur de venditione, ſeu emptione perſonæ ad ſtatum Religioſum, ita ibi agebatur quaſi de emptione perſonæ ad prælationem ſpiritualem, ſeu Abbatiam. Aliundè verò poteſt differentia conſiderari, quòd Monaſterium poſtulans alium in Abbatem, non vocati, ſed ſuam vtilitatem, & commoditatem quærebat, dum autem perſona vocatur ad ſtatum Religioſum, ipſius vocati vtilitas quæri ſolet. Bonif. Pap. Cap. *Quam pio.* Gloſſ.

2. An ſit Simonia dare aliquid ad impetrandam perſonam ad prælaturam alicuius Eccleſiæ.

Hinc poterat eſſe nonnulla minor ratio dubitandi in caſu illius textus, quia cum illa perſona poſtularetur ad prælationem, Religioſum, & in vtilitatem ſpiritualem poſtulantium, ſtatim apparere poterat intrinſeca malitia Simoniæ, quia emere propriam ſpiritualem vtilitatem temporali munere, ſeu pecunia, Simoniacum plãnè eſt. Aliunde videri poterat licita illa donatio, quia fortaſſe altera Eccleſia, à qua prælatus poſtulabatur, ex carentia eius magnum detrimentum patiebatur, & ſæpe contingit, vt hoc detrimentum ſit etiam in temporalibus, quia vnus prælatus ſolet eſſe in his rebus vtilior Monaſterio, quàm alius, vel propter maiorem induſtriam, vel propter maiorem auctoritatem, ſeu beneuolentiam erga populum, qui ratione illius largiores eleemoſynas Monaſterio confert. Ergo aliud Monaſterium abſque Simonia poterat aliquam recompenſationem poſtulare, non vendendo ſpirituale miniſterium, vel alia dona ſpiritualia talis perſonæ, ſed aut eius humanam

Resoluitur quæstio pro parte affirmatiua.

manam industriam; vel certè potius se indemnem conseruando. Nihilominùs certum est,in illo casu committi claram Simoniam, si per modum pacti aliquid temporale detur pro impetranda persona ad prælationem Ecclesiæ, siue ipsi detur, siue alteri. Quia in eo casu procedunt omnia dicta in fine superioris capitis. Item quia, qui sic vendit, vel locat suam personam ad tale ministerium,planè vendit ministerium ipsum, vt cap. 20. latiùs dicemus; at vendere ministerium spirituale, Simonia est. Alia verò consideratio de reconpensatione damnorum est per accidens.& haberet quidem locum, si detrimentum esset omnino temporale.& nullo modo proueniens ex concomitantia, seu annexione ad spirituale. De qua re partim in c. 20, partim tractando de beneficiis,& Prælationibus dicemus.

3. Attrahere ad statum Religiosum per temporalia munera, quâdo sit Simoniacum.

Simili ergo modo sentit Pontifex in illo textu, esse illicitum, & Simoniacum in alio casu (de quo nunc tractamus) de ingressu Religionis, aliquem ad Religiosum statum attrahere per temporalia munera. Sed intelligenda est responsio iuxta resoluta in præced. cap. Nam si munera dentur simpliciter, & absolutè, vel sub conditione tantùm inuitante (vt sic dicam) vel facilitante conditionem Religiosi status, sic licita est donatio, vel promissio. Si autem sit cum mutuo pacto,& obligatione, sic est Simoniaca. Et hæc est decisio illius textus,& in ea ferè omnes Doctores conueniunt. Præsertim D.Thomas d.art.3.ad 4. & Quodlib.4.art.23.in fine corporis, & ad 17. Turrecr. in d.cap. *Quàmpio*, Panormit. & alij relati cap.præcedenti pro prima opinione. Auctores etiam præcipui secundæ opinionis ibidē relatæ, licet de Baptismo aliter loqui videantur, de statu Religionis nō ausi sunt id concedere. Nec refert,quod hic status ordinetur ad vtilitatem recipientis tùm quia in hac ipsa vtilitate spirituali, potest intercedere emptio, & venditio, vt suprà declarauì; tùm etiam quia sæpe persona quæritur, & attrahitur muneribus propter Monasterij commoditatem, vel spiritualem,vel temporalem,vel propter honorē, &c. Et ideò in hoc negotio etiā sine prædicto pacto,munera sunt valdè periculosa & vitāda propter cauendū scandalum, fictionem, & inconstantiā, & quia illa media non sunt per se accommodata ad statum tàm arduum, & spiritualem, licet non sint intrinsecè mala.

D.Thom. Turrecr. Panorm.

4. Ingressus Religionis duplex.

Hic ergo præcipuè tractamus quæstionem in priori sensu. In quo est vlteriùs aduertendum,dupliceem esse ingressum Religionis, vnum per susceptionem habitus ad probationem, alium per professionem, seu vota, per quæ verus status Religionis constituitur. Qui duo ingressus, licet in multis differant, vt infrà tom. 3. videbimus,quod ad præsentem quæstionem attinet, tanquam idem reputantur, tùm quia vbi est vnum propter aliud, ibi est vnum tantùm, ingressus autem prior totus est propter secundum,tùm etiam quia receptio ad habitum, solùm propter professionem, potest habere aliquam æstimationem: & ideò si propter receptionem ad habitum aliquid recipitur, propter professionem accipitur. Tùm etiam quia vterque ingressus ordinatur ad salutem animæ, & perfectionem charitatis, & Dei cultum,& per potestatem spiritualē fit ideóque vterque est quid spirituale. Tùm denique quia illa duo se habent, sicut præsentatio, & collatio ad beneficium & simile. Vnde Iura in hac materia de vtroque ingressu indifferenter loquuntur,vt rectè notauit Nauar. Consil. 86. de Simon. Et patet ex cap. *Nullus*, 1. q. 2. & in cap. *Non satis*, & cap. *De regularibus*, &

Nauar. Cap. Nullus. Cap. Non satis.

A cap. *Veniens*, & cap. *Quoniam*, & cap. *Audiuimus*, de Simon. Et in Extrauag. 1. de Simon. Inter Communes. Et in omnibus his locis prohibetur talis receptio ex parte Monasterij ex pacto. In hoc vero puncto considerandum est,aliud esse loqui ex sola rei natura, aliud de iure positiuo: & ad vtrumque expendendum considerandā sunt duo in ingressu Religionis, vnum est beneficium spirituale, quod fit Religioso,dum consecratur Deo per professionem,ad quam recipitur;aliud est onus, quod Monasterium suscipit, alendi,& sustentandi Religiosum.

Cap. De regularibus. Cap. Veniens. C. Quoniam. Cap. Audiuimus. Extrauag. 1.

5. Ex natura rei est Simonia recipere aliquem in Religiosum, vendendo illi talem statum.

B Igitur ex natura rei, & ex vi Iuris Diuini Simonia esset,recipere aliquem in Religiosum,vendendo illi Religiosum statum.Et hoc modo status,seu ingressus Religionis vera, ac propria materia Simoniæ existit,quod est indubitatum apud omnes, ac ferè per se notum,quia res illa maximè spiritualis est, tàm ex parte principij, quod sine dubio est Spiritus sanctus, quàm ex fine proximo, & per se, qui est cultus Dei perfectus, & spiritualis profectus ingredientis.

6. Ad sustentanda onera temporalia non est Simoniacum ex natura rei, aliquid recipere.

Nihilominùs tamen ad sustentanda onera temporalia, quæ Religio in se suscipit cùm tali persona, non est ex natura rei Simoniacum, aut malum aliquid recipere, vt apertè docet D. Thomas suprà, & sequuntur omnes, quos statim referam. Et constat,quia ibi non accipitur temporale pro spirituali, sed pro temporali, vt constat ex dictis suprà in simili de Matrimonio carnali. Sicut enim C Matrimonium & est Sacramentum, & humanus contractus, & sub hac posteriori ratione habet annexa onera temporalia, & incommoda, quæ non possunt sine temporalibus bonis sustentari,& ideò licitum est,vterque coniugum aliquid ad hoc conferat: ita professio Religiosa,& est status quidam spiritualis, & oblatio, quæ fit Deo, & quoddam genus consecrationis talis personæ ad cultum Dei; & præterea est contractus quidam humanus inter Religionem & Religiosum,nam Religiosus se tradit Religioni, se totum in illam transferendo, & Religio acceptando illum se obligat ad sustentandum illum, & ita in se suscipit omnia onera temporalia, quæ ad sustentationem talis personæ necessaria sunt. Licet ergo ille status D priori ratione spectatus spiritualis sit,& ideò vendi non possit, nec temporali pretio compensari; tamen sub posteri ratione onus illud pretio æstimabile est,vel (vt castiùs loquamur) indiget temporali subsidio,& adiutorio: & ideò non est contrarium, nec alienum à ratione naturali, vt qui Religionem ingreditur, temporale aliquod subsidium secum afferat, quo ad ipsum sustentandum Religio iuuetur. Sic etiam Ecclesia licet pro Sacramēto ordinis nihil recipi permittat, nihilominùs præcipit, vt nemo ordinetur, qui beneficium non habeat, aut aliunde habeat temporalia bona ad suam sustentationem Clericatui decentem sufficientia, quæ postea alienare non possit, donec beneficium Ecclesiasticum sit adeptus, vt patet ex E Concilio Trident. session.21. cap.2.de Refor. Sic ergo licet status Religiosus vendi non possit,congruam sustentationem à persona requirere, non est per se malum.

Conc. Trid.

7. An hoc sit prohibitum Iure Ecclesiastico.

Ex his autem duabus partibus prior, quam de Iure Diuino esse diximus, Iure etiam Canonico roborata est, & aucta, vt constat ex Iuribus suprà citatis. Circà alteram verò partem, quàm diximus non esse prohibitam Iure Diuino, dubitari solet, an sit prohibita Iure Ecclesiastico: In quo dubio, communis sententia est, non esse simpliciter prohibitam

Pars negatiua.

D. Thom. hibitam iure Ecclesiastico. Ita sentit D. Thomas dicto art. 3. ad 4. nam dicit simpliciter hoc esse licitum, quod non diceret, si crederet, iure positiuo esse prohibitum, aliquid recipere ab ingrediente ad sustentationem. Quod si tempore D. Thomæ non erat talis prohibitio, neque nunc est: nam iura, quæ videri possunt hoc prohibere, iam eo tempore lata erant, vt bene aduertit Nauarrus infrà citandus. Idem D. Thomas expressus in 4. dicta 25. q. 3. art. 3. q. 1. ad argument. vbi Palud. idem sequitur q. 5. num. 20. & Caietan. in dicto art. 3. & in Sum. verb. *Excommunicatio*, cap. 73. Anton. 2. part. tit. 1. cap. 5. §. 18. Sylvest. verb. *Simonia*, q. 15. Angel. verb. *Simonia*, 4. per totum: Tabien. num. 63. cum sequentib. Sot. lib. 6. de Iustit. q. 6. art. 2. Idem sentiunt Glossæ in cap. *Non satis*, & in c. *Quoniam*, de Simon. quas ibi Abbas, & alij frequentius sequuntur. Et Turrec. 1. q. 2. in principio, & ibidem alter Cardin. Alex. qui plures antiquiores refert. Idem Anania in Rubr. de Simon. Allegatur etiam Bartol. in leg. *Tutio centum* §. 1. ff. de Condit. & demonstrat. Sed ibi Bart. potius videtur sentire contrarium, & ibi in quodam scholio, varia loca eius inter se contraria referuntur, & Auctor scholij, in hanc partem inclinat; quod nimirum hoc liceat quando Monasterium indiget, etiam cum pacto, vt infrà dicam, Nauar. tandem idem approbat, licet dicat, oppositum esse melius in Tract. de Redit. Ecclesiast. q. 1. Monit. vlt. num. 2.

Nauar. Palud. Caiet. Anton. Sylvest. Angel. Tabien. Glossæ. Abbas. Turrec. Card. Anani. Bart. Nauar.

2. Fundamentum huius opinionis.

Fundamentum huius sententiæ est, vel quia nullum est decretum, quod talem prohibitionem generalè sufficienter ostendat, quod, an ita sit, statim expendemus: vel si est, contraria consuetudine derogatum est; nam cùm esset merè humana prohibitio, potuit contraria cõsuetudine derogari; constat autem de facto esse, & seruari talem consuetudinem, vt experimento constat, præsertim in Monialibus. Addi etiam potest coniectura, quia moraliter fieri non potest, vt plures personæ in Religionibus recipiantur, nisi possit ab eis recipi vnde sustententur, sed non est verisimile voluisse Ecclesiam præcludere viam tot personis ad statum perfectionis, ergo non est verisimile hoc prohibuisse, sed solùm id, quod contra spiritualem rationem illius status committi potest.

9. Expenditur prima moderatio adhibita auctoribus huius sententiæ: vt scilicet monast. egeat. D. Thom. Caiet. Sot.

Multi autem ex auctoribus huius sententiæ quasdam moderationes adhibent, quæ attentè sunt expendendæ. Prima est, vt reuera Monasterijs egeat, ita vt non habeat redditus sufficientes ad sustentandũ plures Religiosos, quàm habeat. Hanc conditionem supponit apertè D. Thom. cùm dicit, *licet recipere aliquid pro sustentatione personæ, quæ recipitur, si ad hoc non sufficiant Monasterij prouentus.* Idem tenet, & declarat Caiet. ibi, & ferè alij Doctores citati in hoc conueniunt. Solus Sot. quæst. 6. art. 2. negat apertè hanc conditionem esse necessariam, ductus ea ratione, quod ea, quæ recipiuntur ad sustentationem recipi possunt etiam à diuitibus, quia nunquam recipiuntur, vt pretium rei spiritualis, vt patet in Clericis diuitibus, qui nihilominùs sine Simonia, vel iniustitia de altari sustentantur. Et inclinat in eandem sententiam Sylvest. num. 15. ait enim, si Monasterium sit dives, esse Simoniam præsumptiuè tantùm quoad forum externum, non verò in conscientia, si debita intentione in sustentationem recipiatur. Sed hæc opinio Sotj nullo modo probanda est, vt latè dixi tom. 5. de Cens. vbi ad hoc probandum sententias Canonum, & dicta Doctorum ponderaui. Et rationem à priori declaraui, maximè supposita institutione Ecclesiæ. Nam bona Monasterij reditus Ecclesiastici sunt, ideóque expendi debent gratis in his operibus, ad quæ sunt ab Ecclesia destinata: Ecclesia autẽ vult vt talia bona in Religiosis alendis liberaliter consumantur, & præcipit etiam, vt quælibet persona idonea ad tale institutum, & ad illud à Deo vocata, ex eisdem bonis gratis alenda sit, si ad id sufficiant, non obstante Religiosorum numero præexistente, ergo tunc aliquid ad sustentationem exigere est vendere, quod gratis dandum est.

Sylvest.

Opinio Sot. reiicitur.

Dici verò potest, inde solùm concludi, illam esse iniustitiam, non verò esse Simoniam. Respondetur 1. fortasse ex natura rei ita esse, & tunc ad summum habere locum, quod Sylvest. dicit de Simonia præsumpta; tamen supposita prohibitione Ecclesiæ, etiam esse veram Simoniam. Quia Ecclesia prohibuit illam receptionem non tantùm ratione iniustitiæ, sed maximè intuitu Religionis, & ne status ille adeò spiritualis, & sanctus venundari videretur; nam lex Ecclesiastica prohibendo præsumptam Simoniam intuitu Religionis, facit illam esse veram, vt suprà dictum est. Et ita intelligunt multi decisionem textus in cap. *Tua nos*, de Simonia, præsertim quoad illa verba: *Si Clerici, qui illum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commodè temporalia perciperent, admisuri.* Exponunt enim Raimun. Cardin. & alios, illam Decretalem lequi, quando Ecclesia, seu Monasterium abundat, & tunc dicit committi Simoniam. Addo etiam, posse optimè sustineri, ex natura rei hanc esse veram Simoniam, etiamsi supponat aliquam Ecclesiasticam institutionem; sicut suprà dicebamus de Calice, & aliis rebus habentibus consecrationem ex institutione Ecclesiæ, & infrà dicemus de beneficiis Ecclesiasticis. Ita enim hic de institutione Ecclesiæ est, quod Religiosi habeant Ius, vt de bonis Monasterij gratis sustententur, quod Ius spirituale est. Et licet in his, qui iam sunt Religiosi, sit Ius in re (vt sic dicam,) in his, qui volunt ingredi legitimè, est aliqua participatio illius iuris quasi ad rem, seu est proxima capacitas acquirendi illud gratis. Ergo petere ab eis aliquid intuitu sustentationis, est vendere illis Ius, quod ingrediendo Monasterium acquirere possunt, & debent, ad suam sustentationem ex bonis Ecclesiæ: hoc autem est vera Simonia non solùm quia prohibita, sed per se, & ex natura rei: Sicut si Episcopus nollet ordinare habentem beneficium ad titulum eius, sed ad titulum patrimonij, cogendo illum ad applicandos fructus beneficij vel patrimonij ad alia opera pia, vel ad sustentandos alios Clericos, sine dubio Simoniam committeret. Ita ergo est in præsenti: nam qui vult ingredi Monasterium opulentum, habet quasi beneficium ab Ecclesia, vt ad titulum diuitiarum Monasterij consecrari debeat Religiosus; ergo exigere ab illo patrimonium, vt bona Monasterij ad alios vsus applicentur, vel certè vt ipsamet bona patrimonij in alios vsus expendantur, & tunc qui illa dedit, alatur ex bonis Monasterij, Simonia est, & iniustitia. Hæc ergo conditio nobis valde probatur, & si consuetudo illi contraria est, & non potest aliquo iusto titulo reduci ad veram indigentiam Monasterij, probanda non est; quia non est consuetudo rationabilis, sed corruptela reprobata in ipsis Iuris, vt videbimus. Quomodo autem possit hoc saluari ex vero titulo necessitatis, non obstante opulentia Monasterij, in citato loco satis explicui.

10. Subterfugium præcluditur.

Cap. Tua nos.

Raimun. Cardm.

11. 2. Moderatio expenditur, Quod scilicet pactum non intercedat.

Alia conditio, quam dicti Auctores, non omnes, sed aliqui præsertim Iuristæ, adhibent, est vt pactum

ctum non intercedat. Ita Glossa in dicto capit. *Non satis*, quam ibi Abbas, Mari. Soci. & alij sequuntur.

Abbas. Mari. Soci.

Dicit tamen, posse Prælatum Monasterij protestari, se paratum esse ad recipiendum gratis petentem habitum, tamen nō habere, vnde illum alat; & ideò si velit ingredi, oportere, vt secum afferat, vnde viuat, & tunc illum recipiet gratis, & sine vllo pacto. Idem ferè habet Glossa in dicto cap. *Quoniam*, ibi etiam ab Interpretibus probata. Verumtamen Caietanus, Nauarrus, Sotus, ac ferè alij, talem conditionem non admittunt, nec Diuus Thomas illam posuit. Et planè videtur destruere positionē ipsam; nam in primis stando in Iure naturali, non est illicitum deducere in pactum, quod licitum est ita petere, vt nisi detur; opus non fiat, vt rectè sensit Caietanus, quem alij sequuntur, & infrà etiam capit. 20. & de sustentatione Clericorum dicetur. Et ratio est, quia si petitio, & acceptio pro sustentatione, non est Simoniaca, pactum cadens supra talem rem, vt subsidium sustentationis, non cadit in materiam Simoniæ; ergo non habet, vnde ex natura rei sit prohibitum, cum aliàs constet esse iustum. At verò in præsenti illimet Auctores supponunt, Ius Canonicum non prohibere petitionem sustentationis necessariæ, quam Ius naturæ non prohibet; ergo nec pactum prohibebit, nec est, cur prohibeat.

Glos. Cant. Nauar. Sot. D. Thom.

Impugnatur

12. Videri impossibile cō cedere aliquomodo factū, & prohibere pactū.

Imò videtur impossibile concedere factum eo modo, quo moraliter fieri potest, & prohibere pactum. Quid enim est, quod dicitur non esse prohibitum Iure Canonico? Aut enim non prohibetur recipere id, quod merè voluntariè, & sponte offertur à volente ingredi, etiamsi Religio paratam se ostendat ad recipiendum illum, etiamsi nihil temporale secum afferat: & hoc nihil profectò est, quia nemini vnquam venit in mentem, hoc esse prohibitum, vel prohiberi posse: quia hoc esset prohibere opera virtutis, & eleemosynæ, & priuare Religionem piis, & honestissimis subsidiis sine causa. Vnde tantùm abest, vt hoc prohibeatur, vt expressè approbetur in dicta Extrauag. de Simon. & sumitur ex cap. *Tua nos*, & cap. *Dilectus*, 2. de Simon. & ex cap. *Siquis* in fin. 1. quæstion. 2. Aut Ius Canonicum non prohibet, quin Religio possit denegare receptionem ad habitum, nisi aliquid temporale detur sufficiens pro sustentatione personæ recipiendæ, quod planè videntur concedere dictæ Glossæ etiam in illo modo, quo explicant, hanc dotem esse petendam. At verò illud est pactum pluſquam implicitum, & ferè explicitum; quid enim aliud fit in petenda dote pro matrimonio carnali? Item ex illo modo petendi sequitur apertè, illum, qui dat, non sponte dare, sed ex quadam necessitate, quia aliàs non recipietur, vnde si non statim dat, saltem obligatur ad dandum, etiam ciuiliter, & per publicum instrumentum, & Religio hac ratione suscipit tale onus, est ergo vera pactio. Si ergo tale factum licet, etiam pactio non est prohibita, est ergo superuacanea illa conditio.

Extrauag. Cap. Tua nos. Ca. Dilectus. Cap. Siquis.

13. Sententia asserentium saltem Iure Ecclesiast. esse prohibitum omne pactū in ingressu Relig.

Propter hanc verò causam alij Doctores fatentur, esse prohibitam talem exactionem saltem de Iure Ecclesiastico, quia putant, esse prohibitam omnem pactionem in ingressu Religionis pro sustentatione necessaria, etiam in paupere Monasterio. Pro hac sententia citatur Innoc. in cap. *Tua nos*, de Simon. Sed ille licet referat opinionem, non videtur in illa firmari; nam subiungit: *Alij dicunt, quod talis excepta est Simoniaca*, argum. cap. *Siquis* 1. q. 2. Et transit, nihilque amplius dicit. Illam verò sententiam probat Archid. 1. q. 2. in principio, & latiùs eam sequitur Vgolin. Tabien. 1. cap. 4. §. 1. numer. 16. qui etiam addit, prohibitionem illam nunc esse in suo vigore, & non esse consuetudine derogatam: Prohibitio autem affertur 1. ex capit. *Nullus* 1. quæst. 2. sed ibi non aliter prohibetur pretio vendi, & cum pacto ingressus Religionis, quam ordinatio, & similia. Vnde sufficienter intelligitur, ibi prohiberi id, quod Iure Diuino prohibitum est, scilicet venditionem ipsiusmet rei spiritualis. Et similis omnino prohibitio est, quæ habetur in capit. *Non satis*, de Sim. & quæ accipi potest ex capit. *Cùm in Ecclesiæ*, & ex capit. *Veniens*, eod. Et clariùs habetur in capit. *De regularibus*, eod. in quo supponitur, ingressum fuisse Simoniacum, & de pœna tractatur: non explicatur autem, in quo Simonia posita sit, intelligendum ergo est consistere in venditione ipsius ingressus. Vnde ibidem dicitur, *Cum super hoc*, id est, super detestationem Simoniæ, *Auctoritates multæ reperiantur expressè*, quæ non sunt nisi illæ, quæ habentur 1. quæst. 1. Vt ibi Glossa notat, in illis autem præcipuè damnatur Simonia, quæ mala est de se, non verò fit specialis prohibitio circa hunc ingressum de re, quæ de se mala non sit. Et eodem modo intelligitur optimè cap. *Dilectus* 2. eod. Vbi autem Simonia damnatur. In cap. autem *Audiuimus*, eod. prohiberi videntur omnes huiusmodi exactiones, non solùm quæ verè sunt malæ, & contra Ius Diuinum, sed illæ, quæ habent speciem mali. Sed ibi non agitur de dote, quæ postulatur tantum ad sustentationem eius, qui ingreditur, sed de pitantiis, seu propinis, quæ solent exigi pro singulis Religiosis, & non videtur damnari tam contributio, quàm modus exigendi, quia *Difficultates* (inquit Pontifex) *ingerunt, & malitias, donec aliquid muneris manus contingat eorum*. Qui modus exactionis valdè reprobatus est, vt supra disputando de oblationibus diximus, & infra attingemus.

C. *Nullus.*

C. *Non satis.* Cap. *Cùm in.* Cap. *Veniens.* Cap. *De regularibus.*

Gloss.

Ca. *Dilectus.* Cap. *Audiuimus.*

Magis mouere potest capit. *Quoniam* eod. Quoniā ibi specialiter de Monialibus fit prohibitio, ne pecunia pro earum ingressu exigatur, *Etiam paupertatis prætextu*. Sed vt ibi Glossa indicauit, & in dicto loco de Censura notaui, tunc dicitur aliquid verè, ac propriè exigi prætextu paupertatis, quando Monasterium reuera pauper non est, & nihilominùs illo titulo, & colore aliquid exigit. Et sic ad summum colligitur ex illo textu, quod supra contra Sot. dicebamus, ibi esse prohibitum Monasteriis opulentis, ne sub eo colore, aliquid recipere valeant. Vel certè potest rectè intelligi, ibi prohiberi venditionem ipsius ingressus, quæ prætextu paupertatis fieri potest à Monasteriis etiam verè pauperibus. Nam sub specie recipiendi aliquid ad sustentationem, multò plus exigunt ratione ipsius ingressus. Et ita intelligitur etiam hoc modo ibi esse prohibitum aliquid, quod ex natura rei malum est. Nam vt rectè dixit Nauar. suprà, ex pacto nihil potest recipi, nisi quod alendæ vni personæ est necessarium, quodque Monasterium ob paupertatem non possit tribuere, & si aliquid vltra petatur, illicitè fit, quod etiam ego dixeram in citato loco de Censuris nu. 12. Nam quando plus exigitur, quàm quod ad vnam personam sustentandam commodè iuxta exigentiam talis status sufficit, non apparet, qua ratione, aut titulo honestari possit. Nam etiam si fiat prætextu paupertatis, titulus est colorhatus, & non verus. Et hoc videtur reprobatum in dicto cap. *Quoniam*.

14. C. *Quoniam.*

Gloss.

Nauar.

Vltimò, hæc prohibitio solet probari ex dictis Extrauag. primæ de Simon. Vbi Vrbanus Papa seuerissimè prohibet sub excommunicatione ipso facto incurrenda, & Papæ reseruata, ne ab his, qui ad

15. *Extrauag.* 1. *Vrban. Papa.*

Archid. Vgolin.

Religio-

Religionem recipiuntur, exigatur aliquid, vel petatur, aut exigatur directè, vel indirectè, nec recipiatur quicquam præter id, quod personę ipsæ *Purè, & sponte, & plena libertate, omniq; pactione cessante, dare, vel offerre voluerint.* Et addit, *Sed eas potiùs cũ omnimoda pietate recipiant, ac in victu, & vestitu sicut alias personas suarum Ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, & locorum, sincera charitate pertractent.* Ex quibus verbis colligi videtur, voluntatem Pontificis fuisse, vt etiam ad sustentationem gratis admittantur, & cõsequenter vt etiam titulo sustentationis nihil ab illis exigi possit. Et in principio illius textus reprobatur omnis talis consuetudo illi prohibitioni contraria, & corruptela vocatur, vnde irrationabilis esse significatur.

16. Resoluitur non dari talem prohibitionem. *Nauar. Caiet. Sot.*

His verò non obstantibus, existimo non esse ibi factam talem prohibitionem, supposita conditione veræ paupertatis, & indigentiæ ex parte monasterij. Quod apertè tenet Nauar. suprà, & in Manual. cap. 27. num. 106. allegans Caiet. & idem sentit Sot. & multi alij ex allegatis. Et vltrà ea, quæ in d. tom. 5. de illo textu dixi, nunc expendo nullam nouam prohibitionem ibi fieri, sed tantùm renouari antiquam, & addi censuram. Hoc enim expressè declaratur in ipso textu: tum in principio, cum proponitur factum, vbi dicitur: *Detestabilis & à Canonibus reprobata seruatur abusio.* Proponit ergo puniendam rem iam antea per Canones reprobatam: tum inferiùs cum Pontifex ait, *Nos igitur huic morbo pestifero cupientes congruam adhibere medelam, & aliis pœnis in talia, præsumentes insolitis à Iure in suo robore duraturis, pœnam adiicere graviorem.* Non ergo aliquid de nouo prohibet, aut punit, quod antea nõ esset prohibitum, & punitum, sed rei prohibitæ censuram adiungit. Vnde inferiùs iterum per parenthesim interponit (*Quamuis sit à Iure inhibitum*) ostensum est autem, antiquiora Iura non prohibere sustentationem recipere, vel dare, quando Monasterium verè est pauper, ergo nec in illa Extrauag. hoc prohibetur. Deinde ex verbis, quibus factum refertur, & damnatur, magna coniectura fit, non esse sermonem de necessaria sustentatione, nam illius receptio, nec per se adeò detestabilis apparet, nec in Sacris Canonibus reprobata. Igitur ibi solùm prohibentur exactiones illæ, quæ sine vera necessitate fiunt, & onerosum reddunt, & moraliter valdè difficilem Religionis ingressum, & occasiones sunt multorum scandalorum: quæ omnia in veram, ac necessariam sustentationem non conueniunt. Hũc autem sensum planè indicant illa verba, *Quoscumque pastus, seu prandia, pecunias* (vtique per modum distributionum) *iocalia, aut res alias, etiam ad vsum Ecclesiasticum, seu quamuis pium vsum deputata, vel deputanda, &c.* Id est, munuscula, & dona, quæ pro Sacristia, valetudinario, vel aliis similibus vsibus extorqueri solent. Hæc enim & similia non pertinent ad personæ sustentationem, hæc ergo si necessaria sint, ibi non est prohibita.

17. Obiectio. Cap. *Vnica. Conc. Trid.*

Sed obiicitur præterea, quia Iura prohibent, ne recipiantur in monasterio plures personæ, quàm ex redditibus monasterij possint sustentari, vt patet ex cap. vnic. §. r. de Stat. regul. in 6. & in Concil. Trid. sess. 25. cap. 3. de Refor. regular. ergo supponunt hęc Iura nihil posse recipi pro sustentatione ingrediẽtis, sed deberi ex redditibus Monasterij sustentarij.

Solutio.

Sed ad hoc respondimus in d. 5. tom. Concil. Trid. vel amplialle, vel declarasse illam legem, dum addidit, *Vel ex redditibus propriis, vel ex consuetis eleemosynis*, nam sub his eleemosynis comprehendi possunt dotes quas secum afferunt Moniales, cum recipiuntur. Vnde Nauar. in dicto monito vltimo defi-

Nauar.

niens esse licitum recipere cum competente dote aliquam in Monialem vltra numerum, qui ex redditibus sustentari potest, ait, tam Ius antiquũ, quàm nouum exponendum esse, ne plures recipiantur indotatæ, cum dotibus tamen recipi possint, ita vt non grauetur Monasterium.

18. Non est prohibitũ Iure aliquid recipere, & de illo pacisci ad sustẽtationẽ.

Concludo igitur cum communi sententia non esse prohibitum Iure Canonico in vero casu necessitatis aliquid recipere, & de illo pacisci, explicando illud esse ad necessariam sustentationem. Et licet hoc esset prohibitum Iure Canonico, certè consuetudo fuisset sufficiens ad derogandum illi. Quia illa esset prohibitio merè humana, quæ per consuetudinem derogatur. Neque talis cõsuetudo potest dici corruptela, aut irrationabilis, quam seruandam esse dixit c. *Ad Apostolicam*, de Sim. Est autem laudabilis, quia necessitati animarum, & Monasteriorum egentium per illam subuenitur, aliàs, vel hæc Monasteria grauanda essent, vel multæ virgines priuandæ essent remedio, & Religioso statu; & ideò Prælati Ecclesiæ videntes, & tacentes, illam consuetudinem approbant tanquam conuenientẽ, & moraliter necessariam, & nihil contra Ius Diuinum obtinentem, & interpretantem potiùs, quàm derogãtem Ecclesiasticum Ius, vt benè sensit Felin. in dicto c. *Quoniam* n. 12. Hæc autem, quæ diximus, non ita facilè applicantur ad prandia, distributiones, seu popinas, & alia dona, quæ à Monialibus exiguntur, & quasi vi extorquentur; nam hæc vidẽtur valdè reprobata in illis Iuribus, præsertim in c. *Audiuimus*, c. *Quoniam*, cap. *Tua nos*, & maximè in d. Extrauag. Quapropter in his moderatio adhibẽda esset, vt saltem si propter consuetudinem recipiuntur, non negarentur spiritualia, nisi illa darentur, sed seruaretur modus petendi illa præscriptus in d. c. *Ad Apostolicam*. Sed siqui excessus in hoc committuntur, non sunt contra Ius Diuinum, & consuetudine tolerari possunt, præsertim quia possunt aliquo modo ad necessariam sustentationem reduci, vt in cit. loco tomi 5. dixi.

Cap. *Ad Apostolicam.*

Felin.

Cap. *Audiuimus.* C. *Quoniam.* Cap. *Tua nos, Extrauag.* Cap *Ad Apostolicam.*

19. Cõfirmatur vera sententia ex Conc. Trident.

Denique potest hæc nostra sententia confirmari ex Conc. Trid. sess. 25. c. 16. de Regul. Vbi tria circa bona ingredientium Religionem disponit. Primum est, vt non fiat eorum renunciatio nisi ex licentia Episcopi, & duobus mẽsibus ante professionem, & aliter facta non valeat. Secundum, vt pro anno probationis possit Religio suscipere de bonis Nouitij necessaria ad victum, & vestitum eius. Tertium, vt ante professionem nihil amplius de his bonis detur Monasterio. De prima igitur, & 3. p. huius decreti dicemus infrà tractando de statu Religioso. Nunc secunda est, quę ad nostrum propositum spectat. In qua Concilium permittit aliquid recipere pro sustentatione Nouitij pro tempore probationis. Verum est, Concilium non loqui de pacto, nec de modo recipiendi, id est, an possit Monasterium ita illam sustentationem exigere, vt sine illa nolit recipere Nouitium: Tamen cum hoc Concilium non prohibeat, per rationem naturalem, & alia Iura id regulãdum est: at ex vi rationis id non est malum, nec per alia Iura est prohibitum, saltem quando Monasterium eget, ergo etiam illo modo licita est exactio. Quod si pro sustentatione in nouitiatu id liceat, eadem ratione licebit pro sustẽtatione totius vitæ, si ex parte Monasterij eadem est cum proportione indigentia. Et ita ibidem in 3. p. proposita satis insinuat Conc. posse Monasterium à tempore professionis bona Religiosi accipere, & possidere, quod ego intelligo, vel ipso liberè donante, quando Monasteriũ diues est, vel Monasterio exigente saltẽ necessaria ad sustentationem, quando verè indiget.

CAPVT

CAPVT XVIII.

An functiones supernaturalis doctrinæ, sint materia Simoniæ?

1. *Quæ sit doctrina supernaturalis.*

DOctrina supernaturalis hoc loco dici potest in primis ipsa fides, ad quam reducuntur gratiæ omnes etiam gratis datæ, quę vel ad fidem propagandam, vel ad illam stabiliendam, & confirmãdam ordinentur. Sub quibus comprehẽdimus omnia dona spiritualia, quæ conferre solet Deus, vel ad intelligendam scripturam speciali modo, vt habuerunt Apostoli, vel ad non errãdum in doctrina fidei, vt eisdem datum est, & in Summo Pontifice, vt talis est, perseuerat. Deinde dici potest sacra, & B supernaturalis doctrina scientia Theologiæ, siue positiuæ, siue scholasticæ, vel speculatiuæ, vel moralis.

2. *Fides quo pacto sit materia Simoniæ.*

Circà primum membrum nulla est difficultas, nã fides, quatenùs est habitus, vendi non potest, vt cõstat. Vt verò est actus internus credentis dupliciter considerari potest, primò vt est perfectio ipsiusmet habentis, & vt sic magis habet rationem disciplinæ, quàm doctrinæ, nam qui credit, audit à Patre, & discit, vt dicit Christus Ioan. 6. Sic autem constat, esse donum supernaturale inæstimabile pretio, ac subinde Iure inuẽdibile: vix autem potest etiam facto vendi, si verò aliquo modo vendatur materia est Simoniæ. Potest autem intelligi dupliciter vendi de facto. Primò si is, qui crediturus est, pretium accipiat, vt credat, iuxtà dicta c. 16. & tunc vendi- C tur potiùs vt disciplina, quàm vt doctrina, vt si quis in opinione, vel fide humana venderet alicui, quod eius opinionẽ teneret, ac defenderet, vel quod eius dictis fidem daret. Secundò potest is, qui fidem alteri tradit, seu docet, vendere fidem, vendendo doctrinam fidei, quatenùs supernaturalis formaliter est. Censebitur autem vendi formaliter, quatenùs supernaturalis est, altero è duobus modis. Primò si vendatur; quatenùs ex supernaturali dono specialiter procedit, vt si Pontifex venderet resolutionem in aliquo puncto fidei tanquam infallibilem, vel si Scriptor Canonicus venderet scripturam suam, eo quòd infallibilis veritatis sit, vel si Propheta venderet occultorum reuelationem, vel si prædicator habens vim faciendi miracula ad confirmandam D fidem, pretio venderet talem fidei confirmationem, & sic de aliis. Et ratio est clara, quia omnes istę functiones sunt diuinæ, & spirituales, vt constat ex suprà dictis. Secundo modo potest vendi doctrina fidei, vt spiritualis, seu supernaturalis, si particulari pretio æstimetur propter excellentiam fidei, quam habet in alio genere. Et hoc vltimum in sequentibus ampliùs explicabitur, reliqua enim nullam difficultatem, vel obscuritatem habent.

3. *An doctrina Theologiæ sit materia Simoniæ?*

Præsens ergo quæstio maximè proponitur propter doctrinam Theologiæ, quam addiscimus in scholis deducendo conclusiones, & veritates eius ex principiis fidei, nostra industria, ingenio, & labore discurrendo, & post illam comparatam, eadẽ vtimur ad docendos alios. In hac ergo doctrina E quatuor genera functionum distinguere possumus.

4. *Theologiæ functiones numerantur.*

Vnum est, Theologiam docere ad instruendas mẽtes audientium in illa doctrina, quæ functio, vt sic, non ordinatur ad probitatem morum ipsorum audientium, sed solùm ad illuminandum intellectum modo humano, quomodo tota illa actio, veluti speculatiua dici potest. Et complectitur tàm scholasticam doctrinam, quàm positiuam, quatenùs sistit in vera Scripturæ sacræ intelligentia tradenda. Alia functio est, dare consilia ad forum conscientiæ pertinentia, quæ ordinatur ad instruendam mentem eorum, quibus consilia dantur in ordine ad satisfaciendum conscientiæ suæ, vel seruando præcepta, vel à malis abstinendo, & ita hæc actio magis practica est, quàm præcedens. Tertia functio est, concionari, & verbum Dei proponere, vel fideli populo ad confirmandum illum in fide, vel excitandum eum ad Dei timorem, & amorem, siue infideli populo ad persuadendam illi fidem, & Christianę Religionis veritatem, ac pietatem. Quarta functio addi potest (licet posset ad tertiam reduci) videlicet docere rudimenta fidei populo Christiano, vel cathechizare eos, qui iam habent credendi voluntatem, & baptizari desiderant. De quibus omnibus sigillatim, ac breuiter dicemus.

4. *Opinio asserens Simoniam esse pretiũ accipere pro docenda Theologia.*

Circa primam ergo functionem, duplex est opinio: vna non posse pro docenda Theologia pretium recipi sine Simonia, ac subinde doctrinam Theologiæ, quantum ad hanc functionem esse materiam Simoniæ. Hanc opinionem à fortiori tenent omnes, qui de naturalibus scientiis ita opinantur, quos suprà retulimus cap. 8. de Theologia verò specialiter id docuit Palud. 4. distin. 25. quæst. 5. numer. 20. quem sequitur Anton. dicto capit. 5. §. 7. notab. 6. in fine, idem Syluest. verb. *Simonia* quæst. 10. cum duplici limitatione. Vna, quòd quis doceat Theologiam tanquam ex officio vt magister, alia quòd doceat ex pacto: sed hæc posterior conditio pertinet ad actum Simoniæ, non ad materiam eius, de qua nunc agimus, & ita etiam supponimus sermonem esse de hac materia in ordine ad venditionem, vel æquiualentem contractum. Prior autem conditio videtur continere peculiarem rationem, & fundamentum huius sententiæ, vt mox explicabimus. Et hanc sententiam videtur sequi Hostiens. in cap. *Quia nonnullis*, de Magistris, licèt obscurè satis loquatur.

Palud. Anton. Sylueſt.

Hoſtienſ.

5. *Fũdamentũ huius sentẽtiæ.*

Fundari potest hæc sententia primò, ac præcipuè, quia doctrina Theologiæ supernaturalis est, tum ex parte principij, tum ex parte termini proximi, ad quem per se ordinatur, ergo est propriè spiritualis, prout ad materiam Simoniæ requiritur. Consequentia tenet ex superiùs dictis circà definitionem Simoniæ. Antecedens autem, quoad primam partem, declaratur: nam doctrina Theologiæ procedit ex fide, tanquam à proprio principio, fides autem supernaturalis est. Dices, illud esse remotè, seu mediatè, proximè verò procedere à scientia acquisita. Sed contrà, nam etiam Theologia vera, & perfecta est in se, & in suo esse supernaturalis, & ab illa saltem procedit Theologica doctrina. ergo. Maior latiùs probatur in principio primæ partis. & in materia de fide, nunc declaratur breuiter. Quia certitudo Theologica (iuxtà veriorem D. Thom. opinionem) certior est, D. *Thom.* quàm naturalis scientiæ, vnde certitudo eius supernaturalis est, sed talem certitudinem necesse est procedere ex supernaturali motiuo, ergo consequenter necessarium est, vt actus scientiæ Theologicæ habeat supernaturalem speciem ab illo motiuo supernaturali. Est ergo talis scientia supernaturalis in se, & ab illa proximè procedit doctrina Theologiæ: ergo est supernaturalis ex parte principij proximi, & ita est supernaturalis quoad effectũ, non minùs, quàm actus credendi, vel prophetandi. Altera, verò pars de termino, pater, quia illa doctrina tendit proximè ad generandam in discipulo scientiam eiusdem rationis cum ea, quæ est in magistro, sed ostensum est illam esse supernaturalem, & spiritualem, ergo ordinatur proximè ad supernaturalem terminum.

Confir-

6. Cõfirmatur. Confirmatur primò, quia officium Doctoris Theologi non est tantùm deducere conclusionem ex principiis creditis, sed etiam ipsa principia fidei roborare, illustrare, & credibilia facere, & ab hostibus fidei defendere, vt sumitur ex August. 14. de Trinit. cap. 1. At hæc omnia supernaturalia sunt, & de se ad finem valdè spiritualem ordinata; imò aliqui volunt talia esse, vt non nisi per auxilium speciale datum propter Christi meritum fieri possint, ergo sunt materia Simoniæ, si pretio vendantur. Confirmatur secundò, Quia inter ministros Ecclesiasticos numerat Paulus Pastores, & doctores 1. Corinth. 12. & Ephes. 4. At verò suprà ostendimus esse Simoniam vendere Ecclesiastica ministeria, ergo & in vniuersum vendere sacram doctrinam, quacunque ratione tradatur, Simonia est. Confirmatur tertiò, Quia non possumus satis probabili ratione distinguere inter vnum, & alium modum tradendi hanc doctrinam, vt vnum asseramus esse vendibilem, alium negemus: affirmare autem omnes vendi posse, improbabile est, vt de concione statim dicemus: ergo tutiùs est omnes in vniuersum negare vendi posse. Tandem accedunt rationes Palud. & Sylvest. ille enim sic colligit vendere licentiam docendi Theologiam. Simoniacum est, c. 1. & 8. de Magist. ergo multò magis vẽdere ipsam doctrinam. Sylvest. autem argumentatur, quia gradus magisterij in Theologia spirituale quid est, ergo docere in virtute illius est etiam spirituale, atq; adeò materia Simoniæ. Alij argumentantur, quia onus docendi Theologiam interdum annectitur Ecclesiastico beneficio, ergo signum est, esse spirituale munus, ac subinde vendi non posse.

1. Cor. 12. Ephes. 4.

Palud. Sylvest.

7. Pars opposita proponitur. *Adrian. Caiet. Victor. Gloss. Durand.* Contraria sententia est hodiè communis recepta in scholis. Eam tenet Adrian. Quodlib. 9. art. 1. in fine, Caiet. d. art. 3. Vict. d. Relect. num. 6. Sot. lib. 6. de Iust. quæst. 5. art. 1. & quæst. 6. ar. 2. ad 2. Tenuit etiam Gloss. in c. *Vendentes* 1. quæst. 3. ver. Debitam in particulari loquens de Theologo Doctore, nam generaliùs de omnibus id affirmat in ca. *Qui studet*, 1. quæst. 1. ver. *Sanitatis*, & in cap. *De quibusdam* 37. de ver. *Magistri*. Et ita etiam loquuntur Durand. & multi ex Doctoribus, qui ita sentiunt de scientiis naturalibus, inter quas solent Theologiam computare. Probari solet primò, Quia non minùs Theologiæ lectoribus sua salaria assignantur, quàm Doctoribus aliarum facultatum, & interdum beneficium confertur propter docendam Theologiam, vt constat ex cap. 1. 2. 4. & vlt. de Magist. & ex Trid. sess. 23. cap. 18. de Refor. Sed hæc probatio non cogit, quia dici potest, hæc dari in congruam sustentationem, non in pretium. Sic etiam pro officio prædicandi designatur præbenda, & interdum salarium certum, quod non est pretium, sed stipendium sustentationis.

Probatur 1. Cap. 1. 2. 4. & vlt. *Conc. Trid.*

8. Probatur 3. *Victor. Soto.* Secundò possumus argumentari ex Vict. & Soto à posteriori, quia dare alicui beneficium, quod non habet adiunctum onus docendi, cum pacto, & obligatione docendi Theologiam, esset Simonia, ergo signum est docere Theologiam esse quid temporale, & pretio æstimabile, nam ideò collatio illa beneficij Simoniaca est, vt dicti auctores tanquam certum sumunt, & docent etiam Nauar. in Man. c. 25. num. 58. & Tab. ver. *Magister*, num. 9. Verumtamen neque hoc cogit, nam dicetur illam pactionẽ esse Simoniacam, non quia beneficium detur pro temporali, sed quia in datione beneficiorum omnis pactio prohibita est. Sicut esset Simoniacum dare beneficium cum onere audiendi confessionem, quando beneficium de se simplex est, & non habet tale onus annexum. Sicut autem possunt alia onera annecti beneficiis vacantibus, ita etiam munus docendi, vt Iura priùs adducta probant, & vsus habet, vnde videtur potiùs sumi argumentum, quod hoc onus spirituale sit. Tertiò argumentatur Vict. quia si non liceret vendere doctrinam Theologię, neque etiam liceret vendere labores in docendo hanc scientiam, quia vbi actio vendi non potest, nec etiã labor eius, vt infrà videbimus. At illud admittere durum est, cur enim si cantor Ecclesiæ, etiamsi in publica oratione cantet, potest vendere laborem suum, & Aduocatus similiter etiã in spirituali causa, & Theologus non vendet suum laborem, etiamsi annexus sit spirituali doctrinæ? Sed idem argumentum fieri poterit de Concionatore. Responderi ergo poterit cantare esse actionem maximè corporalem, & laborem illum esse accidentarium ad orationem, patrocinium Aduocati esse merè temporale, licet materia remota (vt sic dicam) sit spiritualis. At verò hic ipsam actionem docendi esse merè spiritualem, & supernaturalem, vt priora argumenta probare videntur, & ideò mirum non esse, quod labor illi intrinsecùs vendi non possit, neque inde sequi aliquod incommodum, quia per stipendium sustentationis satisfit sufficienter tam iustitiæ titulo, quàm necessitati docentis.

9. 1. Opinionẽ defendi posse, secundam tamen in rigore veram esse iudicatur. Fũdamentũ. Vnde fateor, sententiam priorem posse & facilè, & piè sustineri, & habere congruitatem in hoc, quod de doctrina sacra decentiùs hoc modo loquimur. Nihilominùs in rigore vera est hæc posterior sententia. Fundamẽtum autem eius esse debet, quia licet doctrina ipsa Theologiæ in se supernaturalis sit, nihilominùs actiones magistri illam docentis naturales sunt, & naturali modo cooperantur ad hoc vt auditores discant, siue in eis generetur naturalis assensus, siue supernaturalis, quia non venditur ipse assensus, sed solùm labor, & opus, quod in alio iuuando, & illuminando ponitur. Sic ergo actus docendi Theologiam non est propriè supernaturalis ex parte principij. Vnde D. Thom. quodlib. 3. art. 9. dixit ad docendam etiam Theologiam sine periculo spirituali sufficere peritiam, de qua homo certus esse potest, etiam si non habeat charitatem. Vnde significat sufficere peritiam naturalem, non est ergo illa actio per se loquendo supernaturalis ex parte principij. Nec etiam est propriè supernaturalis ex parte termini. Tum quia illa actio docendi per se non ordinatur ad spiritualem salutem audientis, sed solùm ad manuducendum intelligentiam, sine qua potest esse salus, & cum qua potest esse carentia salutis. Tum etiam quia illa doctrina per se non mouet voluntatem ad aliquem affectum supernaturalem (sine quo affectu nihil supernaturale in discipulo generari potest) sed solùm dirigit discursum intellectus, quatenùs ab illo naturaliter fieri potest, & per artem, vel per industriã hominis iuuari potest. Ergo munus hoc docendi Theologiam, siue scholasticã, siue interpretationẽ Scripturæ nõ est ex illis functionibus spiritualibus, & supernaturalibus, quæ sunt materia Simoniæ. Et hoc magis constabit, respondendo ad argumenta.

D. Thom.

10. Soluitur 1. arg. pro opposita parte adductum. Ad primum multi negant, actus Theologiæ, vel habitum, qui ex illis generatur esse supernaturales, vel per se dependentes à principiis fidei, vt creditis per veram fidem infusam. Nam possunt manere in hæretico quoad ea omnia, quæ suæ hæresi non repugnat. Quo posito tota argumentatio ruit, quia licet doctrina Theologiæ quasi obiectiuè sumpta supernaturalis sit, quia nisi per reuelationem haberi non poterit, tamen suppositа reuelatione, negotiatio mentis (vt sic dicam) circa illam potest esse merè naturalis, & independens per se

ab

ab auxiliis gratiæ supernaturalis, ac subinde quoad materiam Simoniæ manet in eodem ordine cum aliis scientiis naturalibus. Et in hoc sensu videtur dixisse Victoria, doctrinam Theologiæ non magis esse donum Dei, quàm philosophicas disciplinas, & ideò non magis esse materiam Simoniæ. Sotus verò dixit, quod licet fides, & arcanorum reuelatio donum Dei sit, scientia tamen Theologiæ humano sudore conquiritur.

Victor.

11. Perfectũ assensũ Theologicũ posse esse supernaturalem, hũc tamen nõ esse necessariũ ad docẽdam Theologiã.

Addo verò vlterius duo: vnum est, perfectum assensum Theologicum esse posse verè supernaturalem, propter argumentum factum, quod potest esse certior omni assensu naturali, vt in principio primæ partis tractari solet: & nos in materia de Gratia, & de Fide diximus. Sed hoc ad præsens B non refert, tum quia ille modus assentiendi ex voluntate pendet, sicut assensus fidei, quia illa maior certitudo non est ex vi, ac necessitate solius discursus, sed ex voluntate captiuante intellectum in obsequium fidei. Vnde talis assentiendi modus quoad conclusiones Theologicas, non est necessarius ad docendam Theologiam, neque ad discendam illam. Imò nec haberi potest ex vi doctrinæ Theologiæ, quia (vt dicebam) docens Theologiam non excitat voluntatem, sed instruit intellectum in vi solius discursus, suppositis principiis fidei. Ideóque ex vi doctrinæ Theologiæ non generatur in discipulo assensus supernaturalis, sed solùm assensus naturalis, quantum haberi potest in vi dis- C cursus.

12. Hæreticus nõ potest habere assensũ Theologicũ ita certũ, vt potest habere Catholicus.

Secundò nihilominus addo, proprium assensum Theologicum, qualis in viro Catholico esse potest, ac debet, per se pendere ab assensu supernaturali principiorum fidei, quia talis assensus debet esse certus, & infallibilis ex vi obiecti, hoc autem habere non potest, nisi fundetur in principiis fide Catholica creditis, quia qui in principiis nutat in conclusionibus etiam formidare necesse est. Vnde impossibile est, vt hæreticus habeat assensum Theologicum ita firmum ex se, & certum, sicut habet Catholicus, de quo alibi latiùs. Hoc tamen non obstat quominùs ille actus Theologiæ certus sit tantùm certitudine naturali, & simpliciter natu- D ralis, & consequenter in ordine ad materiam Simoniæ eadem sit de illo ratio, quæ de aliis scientiis naturalibus. Neque etiam obstabit, quod supponat fidem, & ab illa procedat: tum quia non procedit supernaturali modo, sed solùm cooperando discursui naturali, & ita non procedit à fide, vt supernaturalis est, sed solùm vt est assensus certe absolutè vel (quod in idem redit) non est ab illa secundum se, sed vt modificata per principium naturale, & sequendo (vt aiunt) debiliorem partem. Et potest hoc confirmari quia siquis habeat donum linguarum infusum, & per illud doceat alios linguarum peritiam, non erit Simoniacus, si doctrinam illam vendat, quia in illo opere virtute naturæ operatur, & donum infusum non aliter ibi concurrit, quàm si esset naturale. E

13. Respõdetur ad primam confirmationem.

Ad primam confirmationem, dicitur vera esse illa omnia, quæ de Theologia dicuntur, tamen omnia per se loquendo per naturalem discursum fieri possunt, & fiunt, suppositâ fide. Vnde quoad dependentiam ab auxilio gratiæ sequuntur regulam aliarum doctrinarum naturalium; nam ad efficiendos illos actus singulos sine errore, & deceptione vltra auxilium ad credendum non requiritur nouum speciale auxilium gratiæ, tamen ad collectionem totius muneris, id est, ad non errandum in aliquo illorum actuum: & ad assequendum perfectè totum id, quod in illo negotio interuenit, necessaritum est auxilium gratiæ speciale, vt ex propria materia suppono. Hoc autem non obstat quominùs doctrina Theologiæ vendi possit, sicut & Philosophiæ, ac Metaphysicæ, de quibus idem cum proportione verum est. Et ratio est, quia Doctor ratione pretij non obligatur ad operandum ex hac gratia speciali, nec ad procurandum illam, vt rectè doceat, sed ad studendum, & laborandum, vt ea doceat, quæ fidei principiis consentanea sunt: aliunde verò ad vitanda pericula errorum tenebitur homo auxilium gratiæ procurare, quamuis ex vi pretij ad hoc non teneatur. Ad secundam confirmationem respondetur, Paulum in illis locis eosdem intellexisse per Pastores, & Doctores, nam in primo ad Corinthios solùm Doctores nominat; in Epistola autem ad Ephesios simul coniunxit, *Pastores, & Doctores:* nam Pastores sunt qui curam habent Dominici gregis, quos etiam Paulus appellat Doctores, ait Diuus Thomas, vt ostendat ad Pastores Ecclesiæ pertinere doctrina populum Dei pascere, iuxta illud Ieremiæ tertio, *Dabo vobis pastores secundum cor meum, & pascent vos scientia, & doctrina.* Hæc ergo doctrina pastoralis ad ministerium Ecclesiasticum pertinet, & illa pertinet ad materiam Simoniæ, si vendatur, vt de Concione statim dicetur; at verò scientia merè doctrinalis non spectat propriè ad spiritualia, & Ecclesiastica ministeria, quæ ibi Paulus distinguit. Quæ sit autem differentia inter officium concionandi, & docendi, quod in 3. confir. petitur, paulò inferius declarabitur.

Ad singulos actus Theologiæ efficiõdos non est necessarium speciale auxilium gratiæ, secus dicendũ de collectione omnium actuũ.

2. Confirmatio enodatur.

In ratione Palud. petitur, an vendere licentiam ad docendam Theologiam, Simoniacum sit? In quo breuiter dicimus, licentiam docendi, si non sit actus iurisdictionis spiritualis (de quibus actibus infrà dicemus) non esse materiam Simoniæ, nec vendere talem licentiam esse Simoniam ex natura rei, & attento iure diuino. Hoc patet, quia per cathedram maximè datur alicui licentia, imò & obligatio docendi, & tamen vendere cathedram etiam Theologiæ non est Simoniacum, alias vendere suum suffragium in oppositione ad cathedram Theologiæ esset Simoniacum, quòd nullus hactenus dixit, sed ad summum esse iniustum. Item si Patronus, vel Rex, ad quem pertinet conferre cathedram, illam daret sub onere aliquo à se imposito tali personæ, quicquid sit de iniustitia, non esset Simoniacus, licèt id faceret in cathedra Theologiæ, vt constat etiam ex vsu, & ex communi consensu omnium. Pari ergo ratione licèt Rex vel Rector, qui iurisdictionem habet temporalem, pro licentia docendi etiam Theologiam sine publica cathedra, vel salario, aliquid exigeret, licèt esset turpe lucrum, non esset Simonia, quia nec actus, ad quem datur, neq; potestas, ex qua datur, spiritualia sunt. Et ita sentiunt Innocen. Panorm. & alij in capite secundo de Magist. Anton. dicto capite quinto, numero decimoseptimo, not. octaua. cum Richard. & aliis, quos refert, idémque habet loco infrà citando. Idem Tabien. verb. *Magister*, n. 10. Prohibitio ergo, quæ habetur in d. cap. 1. & 2. de Magist. facit actum dandi licentiam, esse illicitum, & iniustum, non vere esse Simoniacum; nisi in quantum esse potest (vt dixi) actus iurisdictionis spiritualis: & tunc idem erit, etiam si licentia sit ad legendam philosophiam, vel aliam similem doctrinam, & ita inde inferri non potest de doctrina Theologica, quod ipsa sit materia Simoniæ: quia illa licentia non est Simoniaca propter doctrinam, ad quam datur, sed propter abusum spiritualis iurisdictionis. Sicut dispensatio cum Clerico, vt

Innoc. Panor. Anton. Richard. Tabien.

14. Vẽdere licẽtiam ad docendã Theologiam non est Simonia ex natura rei.

vtatur officio medici, vel aduocati, materia est Simoniæ, quæ committeretur, si pretium pro illa dispensatione daretur, & nihilominùs dispensatus posset accipere pretium pro suo patrocinio, vel curatione. Ita ergo in præsenti.

11. Videre magisterium Theologiæ non est Simonia. *Anton. Tabien.*

In ratione Svluestri postulatur, an ratione magisterij in Theologia doctrina eius fiat specialiter spiritualis, & inuendibilis? Vbi priùs quæri potest, an ipsummet magisterium spirituale sit, & ipsum vendere, sit Simonia? Hoc tractat Anton. 3. part. titulo 5. capite 2. §. 6. & ex illo Tabien. verb. *Magister*, numer. 11. & varia referunt, claram autem resolutionem non tradunt. Gradus ergo magisterij in Theologia videri potest spiritualis, quia per potestatem spiritualem institutus est. Item collatio B eius spiritualis etiam actus videtur, quia auctoritate Pontificia confertur. Aliunde verò non videtur res propriè spiritualis; tum quia ad actum docendi, qui spiritualis non est, vt dixi, ordinatur, tum etiam quia aliàs etiam doctoratus in Iure Canonico spirituale quid esset, quia etiam pertinet ad Ecclesiasticam institutionem, & auctoritate Pontificia cõfertur; constat autem non ita esse, cum Laicis, & vxoratis conferatur. Præterea isti gradus non sine pretio temporali cõferuntur, vt constat ex vsu. Sed dici potest illi, quæ in susceptione huius gradus tribuuntur, non esse pretium gradus, sed stipẽdia assistentium pro labore. Nihilominùs ego probabilius censeo huiusmodi gradus in quacunque dentur fa- C cultate, non esse propriè materiã Simoniæ, nec esse res spirituales. Quia solùm sunt publicæ approbationes ad officium docendi, consulendi, curandi, & similia, cum aliquibus priuilegiis, ac facultatibus, & commoditatibus, vel honoribus omninò temporalibus. Quapropter tota illa moralis qualitas, seu honorificus titulus & quasi Ius, vel proxima habilitas ad docendum, quæ nomine gradus, seu magisterij, significatur, æstimabilis pretio est, nec in ea inuenitur aliquid magis spirituale, quàm in ipsa doctrina, in qua fundatur, vel ad quam ordinatur, ideoque Iura, quæ prohibere solent exactiones, & contributiones pro recipiendis personis ad Sedes, vel munera Ecclesiastica, vt in c. *Cùm in Ecclesiæ*, de D Simon. cum similibus. De his gradibus etiam in Theologia nullam mentionem faciunt, vel prohibitionem. Vnde etiam probabilius videtur, ea, quæ soluuntur in talibus gradibus, habere modum pretij, vel contractus oneros, qui non posset non esse Simoniacus, si materia capax esset, quia multa in eis exiguntur, quæ non possunt reduci ad stipendium sustentationis essetque nimius excessus, si solùm hic titulus spectaretur. Nec refert, quod collatio, vel institutio huius gradus Pontificia sit, quia etiam potest Pontifex aliqua temporalia instituere, & conferre ad splendorem, vel vtilitatem rerum spiritualium, quæ non eo ipso sunt ita annexa spiritualibus, vt sint materia Simoniæ, nisi speciali iu- E re sit prohibitum illa vendere, quod in his gradibus non inuenitur.

Cap. *Cùm in Eccles.*

16. Nihil refert quòd lector sit Magister, aut non sit.

Atque hinc tandem concluditur, parum referre ad quæstionem, quam tractamus, quod lector Theologiæ Magister sit nec ne, vt pro doctrina possit pretium accipere, quandoquidem magisterium etiam ipsum temporale quid est. Imò licet esset aliquo modo spirituale per modum actus seu effectus iurisdictionis, sicut de licentia dicebamus, nihilominùs non mutaret naturam actus docendi, propter quem datur, quia semper maneret temporale, & naturale. Nec magisterium est per se principium illius, sed tantum habet vim cuiusdam publicæ approbationis. Vnde parum etiam refert, quod is, qui Theologiam docet, sit Laicus, vel Clericus secularis, aut Religiosus, quia per has circunstantias non mutatur natura talis actus. Tãdem ad vltimam rationem aliorum, quod officium docendi Theologiam potest esse annexum beneficio Ecclesiastico? Respondeo, etiam officium docendi. Canones imò, & Grammaticã, posse esse beneficio annexum, vt cõstat ex toto titulo de Magistris. Imò & officium Oeconomi, & Thesaurarij, & similia onera etiam ad temporales actus, vel solicitudines, possunt esse annexa beneficiis Ecclesiasticis, quãdo annexio fit per eum, qui habet potestatẽ, quia tunc nulla est ratio Simoniæ, quia fructus præbẽdæ possunt applicari, vt stipendium non solùm operis spiritualis ministerij, sed etiam temporalis oneris, & laboris. Et supposita annexione talis oneris ad beneficium, postea beneficium gratis, & liberaliter datur cum suo onere.

Soluitur vltima ratio.

17. An Simoniã cõmittat ille, qui ratione beneficij habet obligationẽ docẽdi Theologiã, si petat aliquid pro doctrina. *Hostiens.*

Sed quæres, an supposita obligatione ad docendam Theologiam ratione beneficij, sit Simonia petere aliquid pro ipsa doctrina. Hostiens. enim in ca. penult. de Magist. dicit, illam exactionem esse Simoniacam. Imò addit, quod licet ille pro extraordinaria lectione, ad quam ex vi beneficij non tenetur, pretium accipiat, Simoniam committit. Sed hoc posterius probabile non est, quia id nullo Iure prohibetur, nec est vlla ratio, cur malum sit. Nam in primis non est iniustum, quia ille non tenetur ex officio ad extraordinariam lectionem, ergo ratione illius potest iustè stipendium postulare. Deinde non est Simoniacum, quia actus, pro quo pretium accipitur, materia Simoniæ non est, vt ostendimus. Nam quod illa eadem persona sit obligata ratione beneficij ad similem actum, quid refert? non enim hoc immutat naturam alterius actus, neque ille est aliquo modo annexus ipsi beneficio, non est ergo dubium, quin illud liceat. Circa primum autem dictum si quis exigat pretiũ pro opere, quod ex officio tenetur gratis facere pro cõmuni omnium vtilitate, non est dubium, quin sit iniustus, nisi consuetudine, vel aliis titulis iustis excusetur, vt suprà ca. 9. dictum generaliter est, nam hic procedit eadem ratio. At verò de Simonia non immeritò dubitari potest. Et quidem ex natura rei non dubito, quin illa Simonia non sit, quia semper accipitur temporale pro tẽporali functione, etiamsi illa functio ex iustitia debita sit propter Ecclesiasticum stipendium. Item quoad hoc non est maior ratio de doctrina Theologiæ, quam Iuris Canonici, vel Grammaticæ, si quælibet illarum beneficio annexa sit, quia vt supponitur, nulla illarum ex natura rei est materia Simoniæ, & obligatio adiuncta ratione beneficij non magis mutat vnius naturam quàm alterius. Nihilominùs tamen fateor Iure Ecclesiastico potuisse hoc prohiberi tãquam Simoniacum, prohibendo illam exactionem tanquam extortam pro re annexa rei spirituali tali modo, per Ecclesiam, & ex præcepto eius, sicut infra in aliis annexis declarabimus. Non constat autem mihi, factam esse talem prohibitionem, neque vllam aliam præter eam, quæ ex natura rei sequitur ex lege iustitiæ, & ideò verius censeo illam non esse Simoniam, vt alij auctores frequentius docent.

Pars negatiua eligitur.

18. Secundus actus Theologiæ, qui consistit in consulendo, non est materia Simoniæ, si solùm concernat forũ externum.

Sed iam sequitur declarandum, an idem dicendum sit de secundo actu consulendi, quem suprà proposuimus? Et quidem si actus consulendi solùm concernat forum externum, & iustitiam in ordine ad illud, non est dubium, quin idẽ sit de illo dicendum, non est enim materia Simoniæ, sed vendi potest, etiam si à Theologo detur, quia ille actus est

est merè naturalis,& conditio,vel scientia personæ accidentaria est, vsus autem doctrinæ Theologiæ in his actibus merè naturalibus,& qui tantùm sunt ad instructionem intellectus,vel temporalem vtilitatem, pretio æstimari potest, vt diximus. At verò quando consilium datur ad pacandam conscientiam, & in illius foro, aliqui dicunt, esse materiam spiritualem, & sufficientem ad Simoniam, si tale consilium pretio vendatur. Ratio est,quia ille actus tendit directè ad salutem animæ, est ergo spiritualis. Item ille actus tendit ad immutãdum affectum, vnde videtur esse eadem ratio de illo, quæ de actu concionandi,de quo statim dicemus esse materiam spiritualem. Et hanc sententiam insinuat Victor. d. Relect. dicens, pro Theologia posse accipi pretium; *si intentio solùm feratur ad tradendam doctrinam, & non per modum consilij spiritualis.* Et hoc sequuntur aliqui moderni.

Victor.

19. Si consilium sit pura instructio intellectus, nõ est materia Simoniæ,secus si fiat per modum exhortationis.

Nihilominùs affero, si consilium sistat in pura instructione intellectus; non esse materiam Simoniæ, etiamsi ab interrogante petatur ad pacandam conscientiam suam, vel ad dirigendam illam; secus verò est, si fiat per modum exhortationis, ita vt æquiualeat veluti priuatæ concioni; nam tunc eadem erit ratio de illo, quæ de concione, de qua statim, quia eadem ratio est publicæ, vel priuatæ concionis,sicut eadem ratiõ est de concione,quam tres audiunt, vel quæ coram copioso populo fit. Et hoc genus consilij vocari potest spirituale, aliud verò, de quo prior pars nostræ assertionis loquitur,vocari potest consilium doctrinale. De illo ergo probatur assertio. Primo ex D. Thom. d. art. 3. ad. 3. dicente. *Licitè potest pretium suæ doctrinæ,seu consilij accipere.* Vbi sicut generaliter loquitur de doctrina, & à Caiet. & aliis intelligitur etiam de doctrina Theologiæ, ita etiam loquitur de consilio. Vnde loquentes de venditione Theologicæ doctrinæ solùm excipiunt concionem, seu prædicationem,vt patet ex Caiet.& Sot. Nauar. etiam cap. 23. numer. 100. eodem modo, quo D. Thomas dicit doctores posse accipere pretium pro sua scientia, & consilio. Vbi nec de doctore, nec consilio quicquam distinguit.

D. Thom. *Caiet.* *Sot.* *Nauar.* *D. Thom.*

20. Probatur ratione.

Tertiò probatur ratione,quia consilium doctrinale immediatè ordinatur solùm ad instructionem intellectus in illa materia morali, sed illa instructio non est minùs naturalis, quàm si daretur in materia speculatiua; nam si consideretur scientia, à qua illud consilium procedit, est parta labore humano, & merè acquisita, si verò consideretur modus tradendi illam cognitionem particularem, est etiam per modum humani magisterij,seu doctrinæ. Quod si spectemus ad proximum effectum,& quasi intrinsecum finem illius consilij, solùm est formare intellectum alterius in cognitione talis veritatis. Quod verò ab ipso discente ordinetur ad pacandam suam conscientiam, vel ad alios fines, extrinsecum est, & non mutat naturam actionis,vt est ab ipso doctore. Confirmatur 1. quia sæpe posset tale responsum dari ex vi solius philosophiæ moralis, & purè acquisitæ. Confirmatur 2. quia sæpe similia responsa dantur à Iuris Canonici peritis, qui eodem modo pretium accipiunt, quo pro aliis consiliis sine vllo scrupulo iniustitiæ vel Simoniæ, ergo idem est, licèt detur consilium à Theologo, nam actus est eiusdem rationis. Confirmatur 3. quia siquis interroget à Theologo: an talis contractus sit vsurarius, solùm vt in eo casu doctior fiat, & sit instructus ad confessiones audiendas,vel cõsulendũ aliis,potest Theologus sine Simonia suum responsum illi vendere, quia illud solum habet ratione cuiusdam priuatæ doctrinæ, ergo idem est etiamsi qui interrogat, intendat illo modo consulere conscientiæ suæ. Probatur consequentia, tum quia intẽtio interrogantis non mutat naturã actionis, nec enim Theologus respondens plus ex sua parte operatur cum vno,quàm cum alio:tum etiam quia respondens non tenetur conformare se intẽtioni alterius,sed potest solùm intendere docere illum veritatem,qua ipse poterit in bonum cõscientiæ suæ, si voluerit. Confirmatur quartò, quia hæc eadem doctrina, quæ in particulari consilio datur, publicè etiam docetur, vel voce, vel scripto, nec plus aliquid confert ad pacandam conscientiam, quantum est ex parte docentis data per priuatum consilium, quàm per librum, vel publicam lectionem; sed data in publica lectione, vel libro vendi potest,ergo & in priuato consilio. Denique in tradendo huiusmodi consilio de se purè doctrinali nõ operatur Theologus, vt peculiare instrumentum gratiæ Dei, sed solùm vt Magister humanus: neque operatur reuera ad mouendum affectum consulentis, sed tantum ad tollendam ignorantiam eius in re practica,& morali. Imò qui interrogat,sæpe solum intendit scire opinionem eius, quem cõsulit,vel ab illo scire quid alij doctores sentiant, vt opinionem probabilem in operando sequatur: nihil ergo apparet in tali responso, cur non possit recompensatio condigna operis, & laboris eius, vel studij tunc, vel antea circa illum casum adhibiti, postulari. Neque est eadem ratio de hoc consilio, & de concione, vt ex proximè dictis facilè intelligi potest,& magis ex puncto sequenti.

21. Consilia spiritualia seu exhortatoria sunt materia Simo.

Prior ergo opinio,vt probabilis sit, non de consilio merè doctrinali intelligenda est, sed de consilio exhortatiuo (vt sic dicam) quod ad animæ reformationem,vel correctionem ordinatur proximè,& ex intentione,& modo consulendi. Vel etiam potest intelligi de consilio,quod magis pendet ex donis Spiritus sancti peculiaribus, quàm ex sola doctrina & studio humano, quod bene Vict. vocauit spirituale consilium. Huiusmodi est consiliũ, quod pertinet ad discretionem spirituum, vt cum datur ad iudicandum de aliqua vocatione, an sit à Deo, nec ne; vel de reuelatione aliqua, an sit à bono, vel prauo spiritu,vel de modo orandi & meditandi,an sit vtilis, vel expediens tali personæ, vel de modo vincendi aliquam tentationem. & similibus, quæ magis pendent ex peculiari directione, & illuminatione diuina,& ex quadam spirituali experiẽtia, quàm ex doctrina, quamuis hæc etiam iuuet. Hæc enim consilia vel omnino, vel principaliter spiritualia sunt,&ad gratias gratis datas suo modo pertinent; vel etiam dici possunt fructus gratiæ sanctificantis,& ideò de illis verius est, quod sunt materia Simoniæ,& vendi non possunt. Et hunc sensum confirmat vsus Ecclesiæ, nam pro his spiritualibus consiliis nullus timoratus audet temporalem retributionem recipere;de doctrinalibus autem non ita esse videtur.

Victor.

22. 3 Actus Theologiæ, qui in concione consistit, est materia Simon. *D. Thom.* *Caiet.* *Sot.* *Victor.* *Palud.* *Richard.* *Durand.* *Argent.* *Sylvest.* *Angel.* *Tavten.* *Astens.* *Anton.*

Tertio loco dicendum est de concionandi actu; & de hoc omnes doctores tàm Theologi, quã Canonistæ fatentur esse materiam Simoniæ,& sine illius labe vendi non posse. Ita D. Thomas dicto articulo 3 ad 2. Caietanus, Sotus, Victor. suprà. Idem Diuus Thomas Quodlib. 2. articulo 12. & in 4. d. 25. quæst. 3. art. 2. q. 2. ad 4. & 5. & ibi Palud. q. 5. Richar. Dur & Argẽt. Sylvest. q. 9. Angel. ver. *Simonia.* 3. nu. 9. Tab. n. 8. Astens. in Sum. li. 6. tit. 5. Anton. suprà. Ratio verò est 1. quia verbum prędicationis est verbum Dei, & prædicator est veluti legatus à Deo missus ad illud munus exercẽdum, iuxta illud Matth.

Matth. vlt. Marc. vlt. Ad Rom. 10.

Matth. vlt. & Marc. vlt. *Euntes ergo prædicate, &c.* & A illud Romanor. 10. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Verbum autem Dei est maximè spirituale, & prædicatio illius est proprium, ac principale opus ipsius Dei, cuius homo est instrumentum; ergo est materia Simoniæ, ergo vendentes illud Simoniaci sunt, sicut adulterates illud sacrilegi sunt. Secundò quia per sacram concionem quod proximè, & principaliter intenditur, est inflammare voluntates hominum ad amorem Dei, & pœnitentiam: hoc autem est maximè opus Spiritus sancti, quia neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, nisi Spiritus sanctus det fructum: ergo actus concionandi maximè spiritualis est, & supernaturalis, pertinet enim ad gratiam excitantem, & ita B tota illius verbi æstimatio pendet à Spiritu sancto, & sumitur ex illo proprio effectu, ad quem ordinatur, ergo.

23. Matth. 10.

Tertiò Matth. 10. dicitur Christus Dominus misisse Apostolos dicens eis: *Euntes prædicate dicentes, quia appropinquauit regnum cœlorum, infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, Dæmones eijcite, gratis accepistis, gratis date.* Ex quo contextu manifestum videtur, verba illa vltima *gratis date* tam cadere in illa, *Euntes prædicate*, sicut in cætera omnia opera gratiarum, quæ ad confirmandam Diuinam prædicationem gratis dantur: sine vlla enim probabilitate exciperetur ipsa prædicatio, cùm eodem tenore de omnibus Christus loquatur. Et non sit C minor, imò quodammodo maior ratio de prædicatione ipsa, quia ex parte finis proximi est magis spiritualis, quia immediatius ad salutem animarum ordinatur, & cæteri actus gratiarum sunt propter ipsum Dei verbum vt efficacius, & credibilius fiat.

August. Gloss. D. Thom.

Quartò hoc cõfirmatur optimè ex verbis Aug. lib. de Pastor. c. 2. quæ referuntur etiam in Glos. ord. 1. Tim. 5. & à D. Tho. suprà, *Vnde viuitur, necessitatis est accipere, charitatis est præbere, non tanquam venale sit Euangelium, vt istud sit pretium eius quod sumunt, qui annunciant, vnde viuant si enim sic vendunt, magnam rem vili pretio vendunt. Accipiant sustentationem necessitatis à populo, mercedem dispensationis à Domino.* Vbi & tangit rationem à priori, cur prædicatio vendi non D possit, quia scilicet pretiosior res est, quam vt possit vili pretio æstimari, & respondet tacitæ obiectioni, quomodo teneantur prædicatores gratis prædicare, cùm sustentatione indigeant: nam sustentationem recipere licet, (c. *Cum voluntate*, §. *Prædicatores*, de sent. excom.) pretium non licet. Quomodo autem hæc duo distinguantur, & an liceat sustentationem in pactum deducere, & taxare, dicemus in 4. diuisione. An verò pro labore aliquid recipere liceat, in cap. 20. explicabimus.

Ca. Cum voluntate.

24. An docere pueros & ignorantes doctrinam Christianã sit materia Simoniæ. Lessius.

Circà vltimum punctum de fidei rudimentis tradendis populo Christiano, docendo nimirum pueros, vel ignorãtes doctrinam Christianam, quidam simpliciter affirmant, hanc esse materiam Simoniæ, ita vt vendi non possit. Sic sentit Lessius lib. 2. c. 35. dub. 13. dum ait; exigere pretiũ pro simplici catechismo, seu doctrina fidei tradenda, esse Simoniam, quia hæc doctrina non æstimatur, nisi vt disponit ad salutem. Cõtrarium simpliciter docet Vgolin. Tab. 1. c. 10. §. 3. nu. 3. idq; ex eo solùm videtur colligere, quod docere Theologiã ob pretiũ non est materia Simoniæ, ergo nec docere Christianam doctrinam. Potéstq; hoc confirmari, quia hæc actio docendi doctrinam, nõ videtur supernaturalis, vel spiritualis propriè: tãtùm enim ordinatur ad intellectũ instruẽdum, vel potius ad memoriam iuuandam, & excolendam, non ad ipsam fidem generãdam. Quocirca distinctione aliqua vi-

Vgolin.

detur hæc res definiẽda. Nam in primis si catechismus fiat solemni ritu, & tanquam actus ordinis, sicut fit in Baptismo, tunc certum est, non posse vendi, quia est ministerium merè Ecclesiasticũ, & ordinis, quod etiã notauit Sot. q. 6. art. 1. in fin. Deinde, si doctrina Christiana doceatur modo persuasiuo, vel per modum concionis, etiam erit materia Simoniæ, sicut de concione dictum est. Priori modo potest doceri Christiana doctrina infideli proponendo illi veritatem fidei, & ostẽdendo credibilitatem eius in hunc finẽ, vt persuadeatur, & credat: & tũc sine dubio est opus maximè spirituale, cuius fructus ab Spiritu sancto expectandus est, & ideò vẽdi nõ potest. Posteriori modo solet doceri Christiana doctrina fidelibus, ita exercẽdo memoriam, vt sit etiã excitatio ad confirmandos eos in fide, & ad operandum secundùm illam: & tunc etiam habet modum, & rationem concionis, & ideò eadem est ratio de illa, quæ de concione. At verò si labor docendi doctrinam, solùm assumatur ad iuuandam memoriam alterius, & exercendam illam, in rigore nõ videtur esse materia Simoniæ, nec esse Simoniã opus illud, & laborem pretio æstimare. Parochus autem, qui ex officio tenetur hunc laborẽ sumere, non potest licitè pretium pro illo exigere, vt cõstat.

Resolut quæst.

CAPVT XIX.

Vtrùm actus pertinentes ad iurisdictionem interni fori, seu ad animarum curam, sint materia Simoniæ?

1. DIximus in superioribus de actibus, qui procedunt à potestate ordinis, quorum occasione de aliis actibus spiritualibus virtutum propter affinitatem & similitudinem, sermonem interposuimus: nunc supereſt, vt de actibus iurisdictionis spiritualis dicamus: nam hi etiam inter ea spiritualia numerantur, quæ ab effectu, seu ex parte effectus denominantur. Duplex autem est spiritualis iurisdictio: vna pertinẽs ad forum internum, & animæ, alia spectat ad exteriorẽ Ecclesiæ gubernationem: de priori hîc breuiter dicemus, de altera in sequen. capit. Sub priori ergo iurisdictione comprehendimus hoc loco totam illam curam pastoralem, quæ in propriis Parochis, & pastoribus veluti proximis animarum necessaria est: habent enim peculiarem iurisdictionem ad ministrãdum suis ouibus omnia Sacramenta, & Dei verbum, & suam parochiam in his spiritualibus gubernãdam. Quamuis enim spiritualis iurisdictio non in omnibus Sacramentis sit ad eorum valorem necessaria, sed in sola pœnitentia, tamen vt rectè ministrentur, iurisdictio necessaria est, vel aliqua eius participatio. De vsu verò huius iurisdictionis pauca nobis dicẽda supersunt: nam cùm ille vsus ferè totus consistat in ministerio Sacramentorum, Sacrificiorum, aliorúmque officiorum diuinorum, & verbi diuini; constat, omnia dicta de his actibus secundùm se spectatis, à fortiori dicenda esse de eisdem, prout à Parocho verbi gratia ex officio, & iure proprio exerceri possunt. Omnes ergo dicti actus huius iurisdictionis materia sunt Simoniæ. Maximè verò hoc verum habet, & aliqua maiori explicatione indiget in vsu huius iurisdictionis in Sacramento pœnitentiæ, nam ibi vsus iurisdictionis, & est actus ordinis, & est de substantia illius Sacramenti, est enim actus constitutiuus Sacramenti pœnitentiæ: vnde non magis vendi potest, quàm Sacramentum, vel actus ordinis. Et ita in hoc conueniunt omnes cum Diuo Thoma dicta quæstione 100. articulo 2. ad 3.

Iurisdictio duplex est, altera ad forum internum, altera ad externũ spectat.

D. Thom.

Cap Nemo. Sylues. Redoa. Anton. Sot. Vict. Nauar.

ad 3. & sumitur ex c. *Nemo*, de Simon. Vbi omnes Interpretes, Sylvester verb. *Simonia*, quæst. 8. & alij Summistæ. Guilliel. Redoa. 1. part. cap. 7. num. 1. & 3. part. cap. 6. num. 6. Anton. dicto cap. 5. §. 16. Sotus, Victoria, Nauarrus.

2. Multipliciter potest peccari in iurisdict. ad confessionem pertin.

Occurrit verò adnotandum, variis modis posse peccari in vsu huius iurisdictionis. Primò si pretium accipiatur absolutè pro audienda confessione, vt constat: quia inde inchoatur Sacramentum, tum etiam quia ipsum audire confessionem per clauem scientiæ, & in tali foro, est actus iurisdictionis supernaturalis. Secundò committetur Simonia, si post auditam confessionem pro absolutione conferenda pecunia extorqueatur, siue pœnitens sit dignus, siue indignus absolutione. B

Cap. Nemo.

Vnde dicitur in dicto cap. *Nemo. Nec quemquam pœnitentem, vel minùs dignè pœnitentem, gratia vel fauore ad reconciliationem adducat.*

Obiectio.

Dices, quando absoluitur indignus, absolutio valida non est, ergo non est Sacramentalis, ergo pro illa pretium accipere non est Simonia.

Satisfit.

Respondeo, licet illa absolutio apud Deum non valeat, quoad effectum Sacramenti, fortasse valere ad Sacramentum conficiendum, vt multi existimant. Deinde licet coram Deo etiam non valeat ad Sacramentum constituendum, nihilominùs est quidam vsus. vel potius abusus iurisdictionis spiritualis. Et ita dici potest, quod licet ille, qui talem actum vendit, non vendat verum actum spiritualem, quodammodo vendit ipsam potestatem spiritualem, quia, quantum est ex se, illa vti conatur propter pretiũ, ad absoluendum indignum, satis ergo est, quod quantum est ex se, absoluat. Sed quid, si recipiat pecuniam solùm propter verba absolutionis extetius proferenda sine intentione absoluendi? Respondeo in primis, si Sacerdos contrahat cum pœnitente de danda vera absolutione Sacramentali pro pretio, licet dolosè mentiatur Sacerdos, secum cogitans proferre verba sine intentione, non excusat peccatum Simoniæ, tum quia alter reuera emit Sacramentum, quantum in se est, & ita Simoniacus est, cum quo operatur Sacerdos: tum etiam quia ipse committit Simoniam conuentionalem circa venditionem Sacramentalis absolutionis, etiamsi animo ficto ex parte sua facta sit conuentio. Quinetiam addo, quod licet à principio conuenerint Sacerdos, & pœnitens tantum de externa absolutione conferenda, ita vt ab aliis videri, seu audiri possit ad eorum satisfactionem, nihilominùs si id pretio fiat, turpe esse lucrum, licet non videatur esse tam propria Simonia, quia non venditur reuera aliquid spirituale. Patet quia illa pactio non fit sine tanti muneris iniuria, nam quodammodo vilescit, & venale fit, dum venditur saltem ad palliandam absolutionem, quæ malitia videtur posse ad Simoniam reduci, quamuis perfecta non sit.

Si Sacerdos recipiat pretium solùm pro verbis absolutionis sine intentione prolatis, Simoniacus est.

3. Confessor Simoniam committit, si neget absolutionẽ pœnitenti propter pecuniã ab alio acceptam.

Tertiò committitur in hac materia Simonia, si post auditam confessionem, propter pecuniam, (quæ dari posset à tertia persona) absolutio denegetur, quod in dicto cap. significatur his verbis: *Vel quocunque liuore, dignè pœnitentem à confessione remoueat.* Quod videtur pertinere ad quæstionem infrà tractandam, an omissio actuum spiritualium possit esse materia Simoniæ: sed ibi dicemus, quæ generalia sunt: hìc verò certum videtur tam esse actum clauium, in hoc foro pœnitentem ligare, sicut soluere iuxta illud: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Ioan. 20. Et ideò licet *retinere* non videatur actus positiuus, nec constitutiuus Sacramenti, tamen

Ioan. 20.

A quia est actus clauium, quo pœnitens virtualiter declaratur indignus absolutione, ideò venditio illius Simonia est. Vnde hoc habet locũ, siue iusta sit negatio absolutionis, siue iniusta. Nam si sit iusta, tunc verè, & propriè est actus clauium, & procedit ratio facta; si verò est iniusta, de facto etiam est actus clauium, quia verè denegatur Sacramentalis remissio peccatorum, & pœnitens illa ratione manet obligatus ad iterum confitenda peccata. Vnde etiam hic vendi videtur ipsa potestas spiritualis clauium ad vsum faciendi pœnitenti magnã iniuriam, & inferendi illi graue nocumentum: est ergo & iniusta, & turpissima Simonia. An verò sit Simonia accipere pecuniam pro non ministrando alicui toto Sacramento pœnitentiæ, infrà videbimus; nam quoad hoc generalis est materia.

4. Potest committi Simonia accipiendo pretium pro leui pœnitentia imponenda.

Quartò posset simili modo cõmitti Simonia in vsu istius iurisdictionis quoad tertiã partem Sacramenti pœnitentiæ, nimirum recipiendo pretium pro leui pœnitentia imponenda, vel etiam pro augenda illa, vt facilè potest ex aliis intelligi, ac declarari. In hoc autem aduerto contingere interdũ, vt confessor imponat pœnitenti in satisfactionem aliquas eleemosynas pro pauperibus, vel pro Missis dicendis, eo animo vt ipse accipiat talem eleemosynam vel simpliciter, vel vt stipendium Missæ, iuxta intentionẽ dantis. Et hoc dupliciter fieri potest à Sacerdote. 1. cogendo pœnitentem, vt sibi tri- C buat eleemosynam; & hoc est sine dubio Simoniacum, quia illa coactio, & obligatio est æstimabilis pretio. Secundò potest imponi talis pœnitentia generaliter, sperando tamen pœnitentem daturum esse eleemosynas Sacerdoti, vel vt Missas dicat, vel quia nouit, ipsum esse pauperem; & tunc licet hoc intuitu pœnitentia iniungatur, non est Simonia, quia reuera nulla ratio pretij sibi interuenit, nec intẽtio, aut spes eius, sed tantùm eleemsynæ, quod non facit actionem Simoniacã, etiam mentaliter, vt infrà generatim dicemus. Imò licet suam necessitatem, vel desiderium dicendi Missas, post datam absolutionẽ ostenderet, non esset Simonia propter D eandem rationem. Cauendum autem est scandalum, & nimius appetitus lucri, & auaritiæ, & ideò talis vsus regulariter vitãdus est, meritóque in aliquibus Episcopatibus, & Religionibus prohibetur.

5. Potest fieri Simonia per delegationẽ huius iurisdictionis.

Quintò potest in hoc genere committi Simonia per delegationẽ huius iurisdictionis, siue ex parte confessoris, siue ex parte pœnitentis fiat. Fit autem ex parte confessoris, quando Parochus v. g. committit alicui vices suas pro audiendis confessionibus suorum subditorum, & tunc si pro hac commissione, vel ab ipso Sacerdote, vel à suis subditis aliquod pretium accipiat, sine dubio Simoniam committit, quia illamet commissio actus spiritualis est, eiusdémque spiritualis iuridictionis. Item E potestas, quæ per illam datur, spiritualis iurisdictio est, ergo si vendatur, materia est Simoniæ, venditur autem per illum modum, vt constat. Imò addo, quòd licet Parochus non committat iurisdictionem, sed tantùm det licentiam audiendi confessiones in sua Ecclesia Religioso, v.g. qui iam habet iurisdictionem à Papa, vel Episcopo, si illam licentiam vendat pretio Simoniam committet, quia etiam illa licentia quid spirituale est, & à potestate spirituali procedit, & ad spiritualem fructum proximè ordinatur, quod cap. seq. ex generali doctrina magis confirmabitur. Ex parte autem pœnitentis delegatur hæc iurisdictio, quando illi datur licentia eligendi confessorem. Et hæc etiam est materia Simoniæ, quia in ea procedunt eædem rationes: tùm quia illamet licentia est actus potestatis spi-

ritualis, & ad ſpiritualem finem, tùm etiam quia tandem reſoluitur in eandem delegationem ſpiritualis iuriſdictionis, nam cùm pœnitēs eligit confeſſorē, illi delegatur iuriſdictio ex vi illius facultatis, ergo fit delegatio ex vi pretij. Addo denique etiam in ipſo pœnitente habente facultatem eligendi confeſſorem, eſſe Simoniam, ſi propter pretium, hunc potiùs quàm illum eligat, & in Sacerdote eſſe Simoniam, ſi pretio dato procuret eſſe electum, vt v.g. ſiquis pretio emat eſſe confeſſorem Regis, Simoniacus eſt, quia emit, vt ſibi deligeretur iuriſdictio confeſſoris, quā incipit habere poſt electionem Regis ex vi facultatis pontificiæ, quam Rex habet ad eligendum confeſſorem. Quæ tota doctrina communis eſt, vt videre licet in Anton. d.cap.5.§.16. Summiſtis communiter verb. *Simonia*. Redoan.1.parte cap.7.num.2.& 3.part.cap.6. num.8. Vgolin.Tab.1.c.36.§.per totum.

Anton. Redoan. Vgolin.

6. Abſolutio à cenſuris eſt materia Simoniæ.

Sextò poteſt ad hanc iuriſdictionem reduci poteſtas abſoluendi à cenſuris, quatenus hæc abſolutio ante ſacramentalem præmitti ſolet, & ſæpe neceſſaria eſt, & ad ſpiritualem animæ vtilitatem pertinet. Nam licet cenſuras ferre, & tollere ad iuriſdictionem fori contentioſi pertineat, vt ſuo loco diximus, tamen quatenus poteſtas abſoluendi à cenſuris à Iure latis, & non reſeruatis communi Iure conceſſa eſt animarum paſtoribus, & aliarum etiam abſolutio ſæpe ſolet concedi vel ex delegatione ſpeciali, vel quatenus ad ſalutem animæ omninò neceſſaria eſt, ideò cum hac iuriſdictione in foro interno illam coniungimus. Dicimus ergo etiam vſum iuriſdictionis huius, id eſt, abſolutionē à cenſura eſſe materiam Simoniæ, quia eſt actus valde ſpiritualis tùm ex parte principij, procedit enim à poteſtate merè ſpirituali: tùm ex parte finis, nam ad ſalutē animæ per ſe ordinatur. Et ita vendi prohibetur omninò in cap. *Nullus* 124.1.q.1. Vbi eſt ſermo de Epiſcopo, & de abſolutione à ſuſpenſione vel interdicto, ſed eſt eadem ratio de aliis. De abſolutione verò ab excommunicatione eſt textus expreſſus in c. *Ad aures* de Simon. Item ſumitur ex generali regula c. *Ad noſtram* eod.ibi. *Pro Eccleſiaſtico miniſterio, &c.* Quibus locis id notant Gloſſ. & doctores, éſtque res extra controuerſiam.

Cap. *Nullus.*

Ca. *Ad aures.* Cap. *Ad noſtram.* *Gloſſ.*

7. An Simonia ſit dare pecuniam Sacerdoti iniuſtè nolēti aliter abſoluere.

Solùm poſſet hîc tractari, an cùm quis vexatur per iniuſtam cenſuram, & Sacerdos non vult illum abſoluere, niſi accepta pecunia, poſſit alius illam dare ad redimendam vexationem, & non intentione emendi abſolutionem. Et idem cùm proportione quæri poſſet de ſacramentali abſolutione, ſi confeſſor illam iniuſtè neget poſt auditam confeſſionem. Quidam ſimpliciter negant id eſſe licitum.

Innoc.

Ita Innoc. d. cap. *Ad aures*, de Simon. vbi ait, nunquam licere aliquid dare pro ſpirituali pœnitentia redimenda ab eo qui illam daturus eſt, alteri verò, qui vim infert, aut Clerico, ne illam concedat, aut peccatori, ne illam petere poſſit, concedit poſſe aliquid dari ad redimendam vexationem. Et hoc poſterius extra controuerſiā eſt. Ratio autem prioris reſolutionis eſt, quia tunc redimere vexationem nihil aliud eſt, quàm abſolutionem emere. Item quia redemptio vexationis ſolùm habet locum, vbi quis habet acquiſitum Ius in re, iuxta c. *Dilectus* 1. de Simon. & in cap. *Quæſitum* 1.q.3. Illo autem caſu non habet homo Ius acquiſitum ante abſolutionem obtentam, quia ſemper manet priuatus diuinis ratione cenſuræ. Et hanc ſententiam indiſtinctè ſequitur Vgolin. Tab.1.de Simonia cap.44.§.n. 5.& cap.50.num.7. vbi pro illa refert etiam Zabarel. in dicto cap. *Ad aures.*

Ca. *Dilectus.* Cap. *Quæſitum.*

Vgolin. *Zabarel.*

8. Ioan. *Andr.* *Panor.*

At verò Ioan. Andr. & Panor. in eodem cap. *Ad aures*, diſtinctione vtuntur. Nam ſi ex carentia abſolutionis immineat homini aliquod aliud graue detrimentum, vt quod non poterit eligi, vel eligere; tunc dicunt poſſe dare pecuniam ad vitandum illud incommodum, ſi verò non imminet periculum, & poteſt adire ſuperiorem, vel alium, qui abſoluat tunc nullo modo eſſe dandam pecuniam, quia cùm vera neceſſitas non inſtet, nec ſequatur aliud incommodum præter carentiam, ſeu dilationem abſolutionis, nihil eſt ibi, quod redimatur, niſi ipſamet priuatio abſolutionis, & hoc eſt illam emere. At Gloſſa in d.c. *Dilectus*, & in cap. *Ad aures*, & in cap. *Quæſitum*, 1.q.3. abſolutè cenſet licitum eſſe tunc redimere vexationem, quam ſequitur Anton. in cap. *Dilectus*, de Simonia, Redoan.3. part.de Simon.cap.21, num.6. Quia intentio dantis non eſt de emenda abſolutione, ſed ſolùm de tollendo prauo appetitu, vel affectu, qui impedit alium, ne gratis velit iuſtitiam facere. Et hæc opinio in rigore Iuris & rationis, videtur mihi vera, ſi de propria Simonia loquamur; quia verò omnis ſpecies mali vitanda eſt, ſecuriùs eſt ſequi diſtinctionem Panormitani quæ non ſolùm in extrema neceſſitate locum habet, ſed etiam in graui, iuxta ſuperius dicta c. 12. quæ magna ex parte hîc poſſunt accommodari.

Gloſſ.

Anton. Redoan. Reſoluitur quæſtio.

Panor.

9. Indulgentiarum conceſſio eſt mat. Simoniæ.

Septimò ad actus huius iuriſdictionis reduco nunc indulgentiarū cōceſſionem, quam eſſe actum ſpiritualis iuriſdictionis, ſuppono ex his quæ dixi in tom. 4. d. 49. ſect. 3. & tom. 5, diſt. 14. ſect. 1. Et licet illa iuriſdictio ſuperioris rationis ſit, & Pontificia ſimpliciter, vel Epiſcopalis, ſeu quaſi Epiſcopalis quoad aliquam partem, vel delegationem, nihilominùs actus eius eſt valde ſpiritualis, & ad internam conſcientiæ mundationem ſpectat, quatenus reatus pœnarum temporalium coram Deo remittit, & ita ad ingreſſum cœlorum præparat, & à purgatorio liberat, & ideò ad ſpiritualem, & internam iuriſdictionē illum reducimus. Eò vel maximè quòd licet indulgentiæ à Pontifice concedantur, ſæpe ſolent per confeſſorem applicari; eſt etiam res facilis, & ideò hîc poteſt breuiter expediri, dicendum eſt enim, etiam hunc actum eſſe materiam Simoniæ, neque vlla ratione emi, aut vendi poſſe. Hoc pro comperto ſupponunt omnes. Et patet 1. quia eſt actus ſupremæ cuiuſdam ſpiritualis, & ſupernaturalis poteſtatis à Chriſto conceſſæ, & finis eius maximè ſpiritualis. Secundò quia eſt adminiſtratio quædam ſpiritualis, ſeu Eccleſiaſticum miniſterium; & ita continetur ſub generali prohibitione cap. *Ad noſtram*, & cap. *Nemo presbyterorum*, de Sim. Tertiò quia vendere indulgentias, eſſet vendere ſatisfactionem Chriſti, & Sanctorū, quæ per indulgentias applicatur. Quartò quia priuata perſona non poteſt alteri vendere ſuam impetrationem, vel ſatisfactionem ſpiritualem, vt ſuprà oſtenſum eſt, licet videatur ſuo modo habere dominium eius; multò ergo minùs poterit Eccleſiæ Prælatus, qui ſolùm eſt diſpenſator theſauri Chriſti, & Eccleſiæ, ſpirituales eius diuitias vendere. Neque obſtat, quòd ſæpe ad lucrandam indulgentiam exigatur contributio aliqua temporalis; nàm illa non eſt pretium indulgentiæ, ſed eſt quoddam opus pietatis, quod poſtulatur, vt diſpoſitio, & proxima ratio concedendi indulgentiam. Et ideò non ſolet talis pecunia applicari concedenti indulgentiam, ſed ad eleemoſynas, vel ad alia publica opera pietatis imperari.

Cap. *Ad noſtram.* Cap. *Nemo.*

10. Simonia eſt accipere pecuniam pro quacunque gratia, vel actibus, qui in ordine ad indulgentiam obtinendam ſolent

Atque hinc conſequenter conſtat, non licere

cuniam pro quocunque actu à confessore facto vt gratiæ Iubilei pœnitenti concedantur.

solent in Iubileis à Pontificibus concedi, vt per confessores fiant, seu applicentur. Vt v.g pro commutatione seu dispensatione in votis. Sicut enim Pontifex gratis hanc facultatem concedit, & concedere debet, ita multò magis, cui facultas illa delegatur, gratis illa vti debet; & si aliquid directè, vel indirectè extorqueat, Simoniam committit. Itémque est de absolutione à peccatis reseruatis, quæ item solet concedi cum indulgentiis, & est actus maximè spiritualis, & de illa procedunt, quæ de absolutione à peccatis, & à censura diximus. Nam supposita ablatione reseruationis, quæ per illam concessionem fit, tenetur ex officio confessor absolutionem simpliciter præbere. Et eadem ratione constat, nec grana benedicta, nec imagines, cruces, & similia vendi posse ratione indulgentiæ illis per benedictionem concessæ, quia hoc esset vendere indulgentiam ipsam, vt constat. Tunc autem censerentur hæc vendi ratione indulgentiæ, quando eo nomine cariùs venderentur; nam si sint pretio æstimabiles ratione materiæ, vel expensarum, non erit Simonia, quantùm ad eam partem illa vendere, quamuis habenda sit ratio vitandi scandalum, & omne malum, vel turpis lucri specimen.

11. Licentiæ à Parocho cõcessæ subditis sunt materia Simon.

Vltimò reuocari possunt ad hanc iurisdictionem internam omnes licentiæ, vel quasi dispensationes, quas Parochi dare possunt suis subditis in ordine ad præceptorum obseruationem, vel excusationem, vt verbi gratia, laborandi in die festo propter occurrentem necessitatem, vel comedendi cibum prohibitum in aliquo die, & similia; siue hæc fiant per proprium actum iurisdictionis, siue per authenticam approbationem (vt sic dicam) causæ excusantis; nam quomodocúmque fiant, sunt actus spirituales pastoralis officij, & ideò nullo modo vendi possunt. Maximè cùm ad illos Parochus ex suo officio teneatur, & ita sub ministerio Ecclesiastico comprehendantur, propter quod recipit ab Ecclesia conueniens stipendium, & sustentationem.

12. Parochus Simoniã committit, si nolit assistere matrimonio contrahendo nisi dato pretio.

Vnde etiam potest obiter definiri dubium, quod circa Sacramentum Matrimonij nunc excitari potest. Nam cùm præsentia Parochi necessaria nunc sit ad valorem Matrimonij dubitari potest, an ille actus assistendi Parochi sit nunc materia Simoniæ, ita vt veram Simoniam committat, si nolit assistere, nisi pretio accepto. videri enim potest non esse, quia ille non est actus iurisdictionis, & ideò validus est, etiamsi ab excommunicato fiat, vt alibi dixi, sed est actus cuiusdam testimonij publici, & authentici, quod primò, & per se requiritur ad valorem contractus, & consequenter ad valorem etiam Sacramenti: ergo non videtur actus spiritualis, nec materia Simoniæ, sicut etiam requiruntur alij duo testes, qui si pretium exigant pro illa assistentia, non erunt Simoniaci. Nihilominùs in Parocho videtur mihi talis actus materia Simoniæ, nàm licet non sit actus iurisdictionis, est tamen actus sui muneris, & officij spiritualis, & actus ille, vt ab illo exigitur, est spiritualis, saltem vt annexus Sacramento, ex necessitate, supposito Ecclesiæ præcepto. Vnde per se primò requiritur ad Matrimonium, quatenus Sacramentum est. Et in hoc est magna differentia inter Parochum, & alios testes, nam in aliis, testimonium eorum propriè requiritur ratione contractus, vt de illo constet, & ideò ad summum tenentur ita se gerere, sicut alij testes in causis Ecclesiasticis, de quibus an teneantur gratis ferre testimonium, vel illud etiam, sit materia Simoniæ, infrà dicemus. At verò Parochi præsentia propria, & speciali ratione postulata videtur propter sanctitatem illius contractus, seu propter rationem Sacramenti, & ita ille ibi adest, vt minister Ecclesiasticus. Quapropter non immeritò illud potest nuncupari Ecclesiasticum ministerium, ac subinde comprehendi sub generali regula cap. *Ad audientiam*, sæpe citati, & cap. *Consulere*, eod. quòd pro nulla Ecclesiastica administratione licet pretium accipere. Denique cùm sufficere possit ad Matrimonium alius Sacerdos de licentia Parochi, manifestum videtur non posse Parochum, vel Episcopum illam licentiam vendere, vt ex dictis constat, & ex dicendis cap. sequent. magis patebit, ergo neque si ipse assistat, potest pro illa assistentia pretium accipere, quia si assistendo per alium non potest actum suum vendere, nec per se poterit. Pro nullo ergo actu huius pastoralis curæ, pretium accipere licitum est.

Cap. *Ad audientiam.* C. *Consulere.*

CAPVT XX.

Vtrùm actus Ecclesiasticæ iurisdictionis pertinentis ad externum forum, sint materia simoniæ?

1. Nullum actum iurisd. externi fori posse vendi sine Simonia. D. *Thom. Anton. Sylvest. Gloss. Cardin.*

DE hac iurisdictione solet generalis regula constitui, nullum illius actum posse sine Simonia vendi, aut emi, ac subinde semper esse materiam Simoniæ. Hæc regula sumi potest ex D. Thom. q. 100. art. 3. præsertim ad 3. & in 4. d. 25. q. 3. art. 2. q. 2. præsertim ad 9. & ex aliis Theologis ibi, & Anton. Sylvest. & aliis Thomistis locis sæpe citatis, Iuris etiam interpretes idem sentire videtur in c. *Videntes*, 1. q. 3. cum Gloss. ibi, Cardin. Alex. n. 7. & sanct. Sixt. num. 6. Item in c. *Qui rectè*, 11. q. 3. Verumtamen hæc vniuersalis regula licet fortasse vera sit, non est æquè certa in omnibus actibus huius iurisdictionis, quia licet omnes, quatenus ab illa sunt, sint aliquo modo spirituales ex parte principij, non tamen omnes sunt æquè spirituales, vel in se spectacti, vel in ordine ad proximum finem, ad quem referuntur, quidam enim videntur esse satis materiales, & immediatè ordinati ad finem politicum inter personas Ecclesiasticas, vt lites ciuiles, vel criminales inter eas dirimere, licentiam dare ad aliquem actum merè temporalem, & similia, ideóque non potest esse de omnibus his eadem certitudo. Propter hoc ergo operæ pretium duco magis in particulari de his actibus loqui, eorum varietatem distinguendo.

2. Qui sint actus, quibus iurisdictio confertur.

Primò ergo distinguere possumus actus, quibus ipsa iurisdictio confertur, ab actibus, quibus eadem iurisdictio administratur. Actus enim, quo iurisdictio Ecclesiastica alicui, confertur, reuera est actus iurisdictionis. Duobus enim modis confertur hæc iurisdictio, scilicet, vel vt ordinaria, vel vt delegata; & cùm confertur vt ordinaria, semper datur ab aliquo superiori altiorem iurisdictionem habente, in virtute cuius potest aliis dignitatem conferre, cui talis iurisdictio coniuncta est. Sic enim à Summo Pontifice manat hęc iurisdictio ad Episcopos, vel alios Prælatos illam participantes, & interdum ab Episcopo potest alicui inferiori communicari. Potestas autem delegata ab eo conceditur, qui ordinariam habet, & in virtute illius committitur, & ita illa commissio actus ordinariæ iurisdictionis, meritò dici potest, iuxta leg. *Imperium*. ff. de iurisd. omnium iudic. Solùm potest à priori membro excipi iurisdictio Summi Pontificis, quæ maximè ordinaria est, & non confertur

Leg. *Imperium.*

ab alio homine habente iurisdictionem ordinariam, sed immediatè à Deo ipso. Hæc autem exceptio nihil obstat generalitati doctrinæ: tum quia loquimur de iurisdictione, quæ per homines dari potest; homines enim sunt, qui Simoniam committere possunt, non Deus, tùm etiam quia in illa dignitate, eiúsque iurisdictione electores Pontificis subeunt vicem eius, qui iurisdictionem confert, & ita ex parte illorum potest illa iurisdictio esse materia Simoniæ, vt dicemus.

3. Qui sint actus, quibus iurisdictio exercetur.

Actus verò, quibus hæc iurisdictio administratur, sunt illi, qui ab illa prodeunt, & per quos exercetur, ac veluti executioni mandatur, versantúrque circa externam gubernationem Ecclesiasticam. Vnde distingui possunt in actus pertinentes ad directionem, & actus pertinentes ad executionem; sub prioribus continentur maximè præceptorum, seu legum lationes in Ecclesiastico foro; sub posterioribus continentur omnes actus iudiciorum Ecclesiasticorum, siue ciuilium, siue criminalium, & cæterorum qui ad illos reducuntur. Vnde etiam duplices actus huius iurisdictionis distingui solent, quidam vocantur iurisdictionis voluntariæ, quia in eis non intercedit coactio, sed gratia, & ita fiunt, volente illo, cum quo exercentur, vt sunt dispensationes, priuilegia, facultatum cõcessiones, legitimationes, & similes; alij dicuntur iurisdictionis contentiosæ, vt qui ad iudicia Ecclesiastica spectant; & inter hos quidam pertinent ad censuras imponendas, vel tollendas, qui plus habent de commodo animarum, & minus de strepitu iudicij externi, ideóque magis spirituales videntur; alij verò sunt magis externi & politici, vt actus omninò forenses litium ciuilium, vel criminalium personarum Ecclesiasticarum. Denique in his actibus considerare possumus, vel iurisdictionem ipsam, aut facultatem, à qua ipsi actus procedunt (quam spiritualem esse supponimus) vel actus ab illa procedentes, priùs ergo dicemus de actibus, quibus ipsa iurisdictio communicatur, vel cõparatur, quia etiam hi actus ad iurisdictionem pertinent, posteà de cæteris actibus.

4. Actus communicandi iurisdictionem spiritualem sunt materia Simoniæ. Ratio.

Dico ergo primò. Actus communicandi iurisdictionem spiritualem natura sua sunt materia Simoniæ, ita vt illos vendere, aut emere Simonia sit Iuri diuino contraria. Hæc assertio certa, & communis est, & meliùs patebit descendẽdo ad aliquos actus in particulari. Ratio verò generalis est, quia si huiusmodi actus vendantur, vel emantur, venditur ipsa spiritualis iurisdictio, at vendere iurisdictionem Ecclesiasticam manifestè est Simonia, nam & ipsa est supernaturalis, & supernaturaliter data, & ad spiritualem, ac supernaturalem finem per se primò ordinata, vt constat ex propria materia, ergo. Maior per se nota est, quia vẽdere actum, quo res traditur, nihil aliud est, quàm vendere rem traditam, & è conuerso non aliter venditur aliqua res, quàm vendendo elargitionem eius. Item actus, quo res traditur, non alia ratione æstimatur, nisi quia res ipsa æstimabilis est; vnde si vnum pretio æstimatur, ac venditur, etiã aliud. Declaratur præterea ex duplici modo suprà posito communicandi iurisdictionem hanc, vt ordinariam, & vt delegatam. Nam priori modo non datur, nisi conferendo aliquam dignitatem Ecclesiasticam talem iurisdictionem habentem, vel si tantùm sit cura pastoralis, datur conferendo beneficium Ecclesiasticum curatum habens talem iurisdictionem, seu curam, & solicitudinem, sed vendere has dignitates, ac beneficia Simonia est, vt paulò inferiùs dicemus generaliter de omnibus beneficiis Ecclesiasticis. Nam quoad hanc partem, tota doctrina de Simonia in Ecclesiasticis beneficiis maiorem rationem habet in beneficiis habentibus curam animarum, & Ecclesiasticam iurisdictionem, quàm in simplicibus, vt per se constat, ergò. Posteriori item modo, scilicet; per delegationem immediatè communicatur ipsa iurisdictio non cum aliqua dignitate, aut beneficio, sed proximè, & in se, ergo sicut iurisdictio illa æstimabilis pretio non est, ita neque illius commissio. Et vtraque pars huius rationis expressè traditur in c. 1. 2. & 3. *Ne Prælati vices suas*, vbi Gloss. & Doctores omnes in his conueniunt, & in cap. *Ad nostram*, de Simon. & in cap. *Licet*, de Pœnis. Et Summist. verb. *Simonia*, Syluest. q. 14. Tabien. num. 44. Angel. verb. *Simonia*, 2. num. 27. Nauar. d. cap, 23. num. 111.

Ca. 1. 2. & 3. Gloss. Cap. *Ad nostram*. Cap. *Licet*. Sylues. Tabien. Angel. Nauar.

5. Episcopi Vicarius, & similes non possunt pretio constitui.

Atque hinc colligitur primò. Non posse Episcopi Vicarium pretio constitui, nec aliquem spiritualem iudicem, siue delegatum, siue ordinarium loco Episcopi, aut Capituli, vacante sede, prouideri, nec Vicarium alicuius Ecclesiæ, etiam ad nutum amouibilem, nec Capellanum, cui parochialis cura delegatur, pretio constitui, siue pretium detur ex parte eius, qui officium, seu iurisdictionem accipit, siue ex parte eius, qui illam communicat: quia quocumque modo id fiat, iurisdictio spiritualis emitur, ac venditur, ideóque Simonia committitur, vt probant allegata Iura, & rationes factæ ostendunt. Et specialiter probatur ex c. *Ad nostram*, de Simon. ibi, *seu pro vicariis assignandis, &c.* Est autem semper sermo de pretio, & de venditione nam stipendium sustentationis numquam excluditur, vt in principio præmisimus, & constat ex vsu, & notant Gloss. & Doctores in cap. 1. & 2. *Ne Prælati vices suas*, & infrà circa tertiam diuisionem latiùs dicturi sumus.

Cap. *Ad nostram*. Gloss.

6. Quo pacto clericatus cameræ, & auditoriatus pretio dari possunt.

Hîc verò occurrebat difficultas ex vsu Romanæ Ecclesiæ, in qua vidimus vendi clericatum Cameræ, & auditoriatum Cameræ, quæ sunt munia constituta ad Ecclesiasticam iurisdictionem exercendam vice Pontificis. Respondeo, duo in illis muneribus esse distinguenda, vnum est iurisdictio spiritualis, quæ auditori, vel Clerico confertur, aliud est emolumentum temporale, quod ex administratione illius iurisdictionis eis prouenire solet. Primùm etiam ab ipso Pontifice vendi non potest sine Simonia, quia est contra Ius diuinum: secundùm autem per se, ac nudè spectatum vendibile est, vt constat, quia quid temporale est, & sumitur ex cap. vlt. *Ne Prælati vices suas*. Vbi Abbas, & in cap. 1. eodem num. 2. & ibi alij, & Angel, verb. *Simonia* 2. num. 25. Dico autem *per se, ac nudè spectatum*, quia vt coniunctum spirituali Iuri, ac iurisdictioni tanquam consequens ex illa vendi non potest, quia sic etiã ipsum spirituale antecedens venderetur, iuxta cap. *Siquis obiecerit* prima quæstione tertia. Hoc autem posterius verum est de Iure Ecclesiastico, non de diuino Iure saltem respectu eius, qui potest illa disiungere, & vnum sine altero dare. Talis autem est Summus Pontifex, qui ex iusta causa potest se ab aliqua humana prohibitione eximere, & potest dare Ius spirituale reseruando sibi emolumentum temporale, vel partem eius. Hoc ergo in illis officiis fecisse credimus. Nam quia emolumentum temporale magnum erat, partem eius sibi reseruauit, eámque simul à principio redimi voluit, & ita sine Simonia, aut venditione iurisdictionis spiritualis illud emolumentum exigit in prædictis officiis conferendis. Inferiores verò Prælati non habent tantam potestatem, & ideò non extenditur hæc licentia, vt in sequentibus latiùs dicemus.

Cap. vlt. *Abbas*. Cap. 1. *Angel*. Cap. *Siquis*.

Secundò

7. Non potest vēdi Ius eligendi ad dignitates.

Secundò sequitur ex dicta assertione, non posse A vendi Ius eligendi ad dignitates, aut ecclesiastica beneficia, neque Ius confirmandi electionem, aut conferendi talia beneficia, aut instituendi in illis. Hoc certum est apud omnes, quia hoc Ius aliquo modo spectat ad potestatem iurisdictionis spiritualis, vnde & tale Ius in se spirituale est, & conferre illud, actus est iurisdictionis spiritualis, est ergo materia Simoniæ. Et confirmatur, quia tota ratio æstimationis in hoc Iure est dignitas illa, seu beneficium, ad quod ordinatur electio, collatio, vel institutio, ergo si tale Ius venditur est propter actum, & actus propter effectum, qui spiritualis est, ergo venditur id, quod spirituale est. Denique declaratur in singulis. Nam de electione id habetur ex capit. *Matthæus*, de Simon. B

C. Matthæus. Abbas. Ratio conclusionis. Cap. Vlt.

Et ibi notat Abbas, numer. 3. Ratione etiam patet, quia per electionem confertur spirituale Ius, vt habetur ex cap. vltim. de Translat. Episcopi, vbi dicitur vinculum spirituale, quod est inter Episcopum, & eius Ecclesiam, in electione initium sumere: quia nimirum electus incipit statim habere aliquod Ius. Quod quidem esse Ius in re sensit Gloss. in cap. *Quanto*, dict. 63. quam sequitur Abbas in cap. *Sacrosancta*, de elect. numer. 4. & in cap. *Quanto*, de Iudic. numer. 6. & in cap. *Nobis*, de Iure patrim. numer. 4. Alij autem volunt solùm acquirere Ius ad rem non in re, de quo videri possunt multa apud Felin. in cap. *Cùm Bertoldus*, de Sen. & re Iudic. num. 2. & 3. Nam ad præsens parùm refert: quia qualecumque sit illud C Ius, spirituale est, & hoc sufficit, vt ius eligendi spirituale sit. Id præterea euidens est in Iure confirmandi, nam per confirmationem certissimum est, acquiri Ius in re. Vnde in d. cap. vltim. de Translat. Episcopi, dicitur per confirmationem fore ratum spirituale coniugium Episcopi cum Ecclesia, & ideò (vt Gloss. & Abb. locis allegatis dicunt) iam tunc non solùm habet Ius quasi in habitu, sed habere etiam potest in vsu, & exercitio, iuxta caput. *Transmissam*, de election. & ideò confirmatio actus est iurisdictionis spiritualis. & valde propriùs Prælatorum Ecclesiasticorum. Idemque manifestum est de Iure conferendi, vel instituendi; nam hæc etiam sunt propria munera Prælatorum Ecclesiæ, nec possunt exerceri sine propriissima spirituali iu- D risdictione, ergo Ius ad huiusmodi actiones propriè spirituale est, & materia Simoniæ. An verò idem sit de Iure præsentandi, dicemus infrà tractãdo de Iure patronatus, nam habet specialem rationem, quæ ad illud Ius pertinet.

Gloss. Abbas. Felin. Gloss. Abbas.

8. Omnes actus iurisd. voluntariæ, quatenùs ad effectũ spiritualem ordinãtur, materia sunt Simon. C. Ad nostrã. C. Cõsulere. Cap. Nemo.

Dico secundò. Omnes actus iurisdictionis voluntariæ, quatenùs ad effectum spiritualem ordinantur, materia sunt Simoniæ. Assertio est communiter recepta, quæ ita in generali proposita sufficienter probatur ex cap. *Ad nostram*, & capit. *Consulere*, & capit. *Nemo presbyterorum*, de Simonia. Meliùs tamen ostenderur quasi inductione, descendendo ad particulares actus huius iurisdictionis, quales sunt dispensationes votorum, relaxationes iuramentorum, & dispensationes in legibus ec- E clesiasticis, irregularitate, impedimentis matrimonij, & similibus. De quibus constat apud omnes, esse materiam Simoniæ. D. Thom. cum aliis in 4. dict. 25. Idem D. Thom. dict. quæst. 100. art. 3. ad 3. & ibi Caietan. & alij, Sot. quæst. 6. art. 2. ad 3. Anton. d. cap. §. 17. Angel. verb. *Simonia*, 3. num. 46. Sylvest. qùæst. 9. Redoan. 1. part. cap. 21. num. 12. & c. 29. num. 16. §. *Item pro vsu*, notant alij Doctores, in cap. *Nemo*, 2. de Simon. & cap. *Cùm ab omni*, de vit. & honest. cleric. Sumiturque ex eisdem Iuribus, & ex aliis sæpè citatis: & cap. *Ad nostram*, de Simon. Vel propter generalem prohibitionem accipiendi aliquid pro ecclesiasticis functionibus, inter quas omnes istæ dispensationes meritò computantur; vel à simili, & à fortiori, quia si pro sententiis, absolutionibus, & similibus non est pretium accipiendum, multò minùs pro his dispensationibus. Denique in Concilio Tridentino, sessione 24. cap. 5. de Reform. de dispensationibus in matrimoniis, gratis esse dandas, dicitur, idem de dispensationibus in legibus ecclesiasticis dicitur sessione 25. cap. 18. de Reform. Ratio verò est, quia hæ dispensationes sunt actus supernaturalis potestatis iurisdictionis, vt constat, nam actus dispensandi actus est iurisdictionis, vt in tractatu de Legibus ostendimus, & infrà in tract. de Voto: & cùm eiusdem iurisdictionis sit dispensare, & legem ferre, sicut potestas legislatiua ecclesiastica supernaturalis est, ita etiam potestas dispensandi in talibus legibus. Et idem à fortiori est de potestate dispensandi in his, quæ attingunt aliquo modo Ius diuinum, vt in votis, iuramentis, &c. Ergo omnes hi actus supernaturales sunt ex parte principij, nec minùs spirituales sunt ex parte finis, quia tollunt vincula, quæ conscientiam ligant, & soluunt, non solùm in terra, sed etiam in cœlis, ac denique ad spiritualem salutem de se, & quasi intrinsecè ordinantur. Ergo in hos actus optimè cadit sententia Christi: *Gratis accepistis, gratis date*.

9.

Accedit alia ratio, quia in dispensationibus seruanda est æquitas iustitiæ distributiuæ, vt pro ratione causæ detur, vel negetur dispensatio, qua æquitate sublata, eneruatur, & corrumpitur ecclesiastica disciplina; at si dispensationes vendantur, iustam distributionem non seruari morali consecutione necessarium est. Nam eo ipso, quòd per dispensationem lucrum quæritur, ille dispensatur, qui plus confert; ille autem, qui pauper est, in dispensatus recedit, etiamsi æqualem, vel fortasse maiorem dispensationis causam habeat. Vnde confirmatur, quia vel dispensatio petitur ex causa legitima, & tunc suo Iure debita est; & ita immeritò pretium postulatur: vel non habet legitimam causam; & sic turpiter, & iniustè venditur. Sed hæ rationes procedunt etiam in Legibus ciuilibus earúmque dispensationibus. At ibi solùm ostendunt talem abusum esse contra iustitiam legalem, vel distributiuam, non verò esse Simoniam, vt ex suprà dictis constat. In præsenti verò materia, cùm alioqui sit apta ad Simoniam, vt ostensum est, optimè declarant grauitatem sacrilegij in tali materia, quia cum grauissimo detrimento animarum, & ecclesiasticæ gubernationis coniunctum est. Atque hinc etiam constat, idem dicendum esse de quacumque licentia in materia spirituali, vt sunt literæ dimissoriæ, pro quibus sine dubio pretium accipere non licet, vt patet ex Concilio Tridentino, sessione Conc. Trid. vigesima prima, capite primo de Reformatione, vbi etiam sponte oblata accipere prohibet: idemque est de priuilegiis, & similibus fauoribus, & gratiis, quæ vel dispensationes quædam sunt, vel illas virtute continent, vel eandem rationem habent. An verò idem dicendum sit de licentiis, vel facultatibus, quæ licet per spiritualem potestatem dentur, in materia merè politica versantur, paulò inferiùs declarabo.

10. Difficultas circa stylum Romanę curiæ.

Contrà hanc tamen assertionem obiici solet stylus Romanæ Curiæ, & legatorum Pontificis, qui habet, vt ad obtinendas dispensationes necessarium sit, aliquam pecuniam persoluere. Dicunt aliqui, huiusmodi pecuniam non dari pro dispensatione,

ſatione, ſed pro reſcriptis, & teſtimoniis tanquam A neceſſaria ſtipendia officialium, qui in his laborant. At hoc non honeſtat actionem tum quia conſtat ex vſu, præter omnia ſtipendia officialium, maiorem lucri partem cedere in vtilitatem diſpenſantis, tum etiam quia etiam pro chartis, teſtimonialibus literis, & ſigillo prohibitum eſt aliquid accipere etiam ipſis notariis, & officialibus in capit. 1. de Simon. & in capit. *Sicut Epiſcopum* 1. quæſt. 2. & in Tridentino ſeſſione 21. capit. 1. de Reformatione. Vnde Nauarrus Conſ. 2. de Simon. reprobat in hac parte ſimilem conſuetudinem Romanam accipiendi vnum aureum pro ſubſcriptione vel regiſtratione Datarij, vel pro ſuſpenſione ſigilli. Et licet dicta Iura, atque etiam Nauarr. loquantur de literis teſtimonialibus, aut bullis in B collatione ordinum, aut beneficiorum, tamen eadem ratio eſſe videtur de diſpenſationibus, quæ non minùs gratis conferendæ ſunt, quàm ordines, aut beneficia. Auget præterea difficultatem, quia quò difficilior eſt diſpenſatio, eò maior pecuniæ quantitas pro ea poſtulatur, vt pro diſpenſatione in ſecundo gradu matrimonij, quàm in quarto, & ſic de aliis, cùm tamen reſcripta in teſtimonium talium diſpenſationum tradenda eiuſdem ſint laboris, & oneris, ergo videtur augeri pretium ſolùm propter reſpectum ad rem ſpiritualem, quod Simoniacum eſt.

Cap. 1. Cap. *Sicut. Conc. Trid. Nauar.*

11. Enodatur.

Ad hoc reſpondetur primò, quòd licet exigere pretium pro diſpenſatione ſit Simonia contra diuinum Ius, in quo non poteſt Pontifex diſpenſare, C tamen exigere aliquid in ſuſtentationem, & ad ſuſtinenda onera ſtatus diſpenſantis non eſt contra Ius diuinum, vt infrà generaliter dicetur, neque in præſenti materia diſpenſationum inuenitur eſſe contra Ius eccleſiaſticum. Nam in hac ſpecie nulla talis prohibitio in illo reperitur. Et licet daretur talis prohibitio, Summus Pontifex, qui eſt ſuprà tale Ius, poſſet ea, quæ ad ſuum ſtatum pertinent ordinare, prout ſibi videbitur expedire. Ita ergo ſi in Curia aliquid in diſpẽſationum expeditione pro ipſo Pontifice poſtulatur, non eſt venditio gratiæ, ſed ſuſtentatio perſonæ, vel onerum illius ſtatus. Secundò dicimus, meritò potuiſſe Pontifices imponere hoc onus, & quaſi tributum ad ſuam ſuſtentationem neceſſarium potiùs in di- D ſpenſationibus, quam in aliis gratiis, quia diſpenſationes odioſæ ſunt, & oportet, eas oneroſas reddere petentibus, ne facilitas obtinendi, maiorem licentiam tribuat eas importunè petendi; fiunt autem illis oneroſæ, ſi abſque ſumptibus, & pecunia illas obtinere non poſſint. Et hac ratione fieri etiam potuit, vt quò difficilior eſt diſpenſatio, vt rarior etiam ſit, maius pecuniæ onus habeat annexum.

12. Tertiò Sæpe id, quod ſolui præcipitur, non applicatur Pontifici, vel eius officialibus, ſed ad aliquod pium opus: & tunc ratio impoſitionis eſſe poteſt, quia non datur abſoluta diſpenſatio, ſed commutatio vnius operis in aliud. Quod maximè habet locum in votorum diſpenſatione. Item ali- E quando id imponitur in pœnam alicuius prioris delicti, vt ſi diſpenſatio eſt in irregularitate contracta ex delicto, commutatur in aliam pœnam pecuniariam, quam poteſt etiam Pontifex ſuæ cameræ applicare. Et ſic etiam in diſpenſationibus, in affinitatibus, vel impedimentis contractis per illicitam copulam. Quartò etiam pro officialibus, & expenſis eorum, & laboribus in ſcribendo, expediendo, &c. poteſt licitè aliquid exigi, quia hoc non eſt per ſe malum, vt conſtat, neque in hac ſpecie inuenitur prohibitum. Nam Iura, quæ loquuntur de ordinibus, & beneficijs non videntur extenda ad hæc omnia, tum quia non eſt in omnibus illis eadem ratio. Tum etiam quia illa Iura ſunt potiùs odioſa, quàm fauorabilia. Præterquamquod licet eſſet talis prohibitio canonica per conſuetudinem Romanam, vidente, & conſentiente Pontifice, eſſet derogata. Vnde etiam in conceſſione indulgentiarum, quæ ſpiritualior eſt (vt ſic dicam) non cenſetur eſſe prohibitum officialibus pro ſuo labore in inſtrumentis conficiendis aliquid accipere.

13. Conſuetudinem Curiæ Romanæ liberam eſſe à Simonia. *Redoan. Conc. Trid.*

Dubitari ergo non debet, quin talis conſuetudo per tot Pontifices non ſolùm & timoratos, ſed ſæpe etiam ſanctiſſimos, & doctiſſimos tolerata, & approbata libera ſit ab omni labe Simoniæ, & ab omni crimine, vt latè confirmat, plura ad hoc allegans Redoanus 1. p. de Simon. cap. 21. num. 4. & ſequentibus. Et animaduerti poteſt Concilium Trident. in allegatis locis, & præſertim in ſeſſion 22. cap. 5. de Reform. vbi agens de diſpenſationibus, quæ in Romana curia conceduntur, ait: *Ea verò, quæ gratiosè conceduntur: ſuum non ſortiantur effectum, niſi priùs ab eiſdem* (id eſt ab Epiſcopis) *tanquam delegatis Apoſtolicis ſummariè tantùm, & extraiudicialiter cognoſcantur.* In quibus verbis ſupponit, alias eſſe diſpenſationes quæ non gratiosè conceduntur, quas non ſolùm tacitè approbat, ſed etiam permittit, vt ſuum ſtatim ſortiantur effectum. Dicuntur autem non gratioſæ, non quia vendantur, abſit, ſed quia non ſine onere aliquo, vel in commutationem, vel in pœnam, vel in ſubſidium ſuſtentationis conceduntur. Aliæ verò, quæ ſine vllo tali onere conceduntur, (quæ ſunt etiam quamplurimæ) dicuntur gratioſæ. Et fortaſſe quando in aliquibus aliis locis citatis diſponit Concilium, vt aliquæ diſpenſationes gratis concedantur, de hoc modo gratioſo loquitur, qui non tantùm proprium pretium, ſed etiam hoc genus oneris excludat; nam prohibitio pretij tam vniuerſalis eſt, tamque diuina, vt eius particularis admonitio non videretur neceſſaria.

14. Nõ poſſunt Epiſcopi aliquid exigere etiam prædictis titulis. *Nauar. Tabien. Vgolin.*

Quapropter veriſſimam exiſtimo illorum auctorum ſententiam, qui docent, non poſſe Epiſcopos etiam prædictis titulis aliquid exigere in diſpẽſando in his caſibus, qui ad ipſos pertinent; quod tenet Nauarr. Conſ. 18. de Pœnit. & remiſ. Tabu. verb. *Simonia*, numer. 49. Vgolin. Tabien. 1. cap. 52. num. 5. in fin. Probant autem, quia id eſt prohibitum Iure communi, quatenùs ſpiritualia purè, & ſine pacto, & modo, dari præcipiuntur, cap. vlt. de Pact. cum ſimilibus, & quia non poteſt cum onere dari, quod ex Iure communi gratis dandum eſt; cui Iuri communi eccleſiaſtico omnes Epiſcopi ſubiiciuntur, Pontifice ſolo excepto. Quæ principia, & Iura latè Nauarr. vrget. Ponderari verò poteſt decretum Concilij Trident. ſeſſ. 25. cap. 18. de Reform. Vbi generaliter agens de diſpenſationibus eccleſiaſticis inter alia diſponit, *Vt gratis* ad quoſcumque diſpenſatio pertinebit, præſtetur, aliterque facta diſpenſatio, ſubreptitia cẽſeatur. Nam vt dicebam, illud *gratis* non videtur tantùm excludere pretium, ſed etiam onus, & grauamen pecuniæ, quocumque titulo ſit. Hoc autem maximè verum habet, quando tale onus imponitur, vt cedat in vtilitatem diſpenſantis titulo ſuſtentationis, nam hoc præcipuè videtur voluiſſe prohibere Cõcilium. Et eſt valdè neceſſarium, ne illo titulo detur occaſio multiplicandi iniuſtas diſpenſationes, quod maximè videtur voluiſſe vitare Concilium, vt ex principio illius cap. conſtat. Item hoc præcipuè habet locum, quando Epiſcopi habent aliunde ſufficientes reditus ad ſuum ſtatum, & eius

Cap. *vlt.*

Conc. Trid.

onera

onera sustentanda, vt sunt maximè in Hispania, & regulariter in aliis Ecclesiæ prouinciis. A

15. Hæc onera nō facilè debent imponi propter quæ tiis officialium.

Et ob easdem causas non facilè permitti debet, vt pro salariis, aut stipendiis officialium talia onera imponantur. Quia Episcopi tenentur suos habere officiales, & illis ex suis redditibus conuenientia stipendia tribuere, vt sentit Sot. dicta quæst. 6. art. 1. Nam cùm hi Prælati ratione muneris teneantur ad hos actus præstandos, tenentur etiam ad omnia, quæ moraliter ad illos necessaria sunt, vnde propter illa omnia redditus conuenientes recipiunt. Vnde si aliquod lucrum ex dispensationibus illis tribuant officialibus, ipsi virtute accipiunt in suum commodum & incommoda, quæ Concilium vitare voluit, non euitant. In hoc tamen existimo, multum posse valere consuetudinem, præsertim cum B in hoc speciali casu nihil sit in Iure statutum, vt dixi. Addo præterea quod licet hæc vera sint, non est prohibitum Episcopis, quin per modum commutationis possint dispensando, onus alicuius eleemosynæ imponere, maximè quando dispensant in votis, & in obseruatione festi, & similibus, quia non tenentur puram dispensationem dare, sed possunt commutationem miscere, & eadem ratione si dispensatio supponat culpam, possunt illam punire præcipiendo eleemosynam, vt tamen ab omni Simoniæ labe, & illius specie abstineant, non sibi, sed piis operibus talem pecuniam applicare debent & optimè facient, si eorum liberam dispositionem eisdem cum quibus dispensant, vel si necesse sit, aliis fidelibus ministris committant. C

16. Actus iurisd. Ecclesiasticę etiam contētiosæ, sunt materiæ Simoniæ.

Dico 3. Actus iurisdictionis Ecclesiasticæ, etiam contentiosæ, & inuoluntariæ, materia sunt Simoniæ, ad quam vitandam gratis exerceri debent. Ita docent omnes auctores allegati in præced. assert. numerantque primò actus visitandi iuxta cap. 1. & 2. de Censi. in 6. & Concil. Trident. sess. 24. capit. 3. de Reform. Quibus locis victualia, seu consuetæ procurationes ad sustentationem permittuntur, de quibus etiam statutum est in cap. *Cùm venerabilis*, & cap. *Procurationes*, de Censibus. Secundò numeratur actus Ecclesiastici iudicij vsque ad sententiæ prolationem. Ita sumitur ex Diuo Thoma in locis citatis cum Theologis in eisdem locis, præsertim Richardo 4. dicta 25. art. 2. quæst. 3. ad 5. Anton. dicto §. 17. Syluestro quæst. 10. Angel. *Simonia*, 3. D numer. 28. Tabien. numer. 47. Nauarro in comment. de Dat. & accept. seu in Extrauag. *Ab ipso* not. 9. num. 19. *Glossis*, & doctoribus in capit. *Vendentes*, 1. quæst. 3. Idem Hostiens. & Abbas in cap. *Tua nos*, de Simon. vbi etiam Felinus numero 4. referens etiam Abb. in cap. *Cùm ab omni*, de Vit. & honest. Clericorum, Redoanus 2. part. capit. 30. num. 13. & seq. Et sumitur ex dicto cap. *Cùm ab omni*, vt ibi latè per Panorm. & ex d. cap. *Vendentes*, ibi. *Vendentes in templo sunt, qui hoc, quod quibusdam Iure competit, ad præmium largiuntur*, & ex cap. *Nemo Presbyterorum*, de Simon. vbi dicitur Simoniam esse aliquem reconciliare, vel testimonium reconciliationis ei dare non gratis, & ex cap. *Ad aures*, eodem, vbi est sermo de absolutione à censura, quæ pars E est iudicij. Denique ex generali prohibitione cap. *Ad audientiam*, nam iudicia Eccles. facere inter Ecclesiastica ministeria computatur, non ergo licet illa vendere, licebit tamen stipendium sustentationis accipere, quo tit. honestari solent aliquæ contributiones quæ dari solent Ecclesiasticis iudicibus, & sportulæ vocantur, de quibus videri potest Panor. in d. cap. *Cùm ab omni*, num. 9. & 10. Addunt verò prædicti doctores ferè omnes non tantùm iudicem, sed etiam testem Simoniam committere vendendo testimonium suum in spirituali iudicio. Sed hoc examinabimus infrà tractando de his, qui Simoniam committunt. Tertiùs actus est censura ligare, vel absoluere, quanquam hæc etiam sub iudiciis comprehenduntur. Et de absolutione iam suprà dictum est capit. præced. de censura verò id colligitur ex cap. 2. de Simon. Et ibi à Doctoribus notatur, in vniuersum ligare aliquem per potestatem Ecclesiasticam, vel punire, si pretio fiat, Simoniam committi. Ad quod etiam facit d. cap. *Nemo presbyterorum*. Ratio denique vniuersalis est, quia in his omnibus actibus exercetur supernaturalis potestas à Deo gratis data ad gubernandam Ecclesiam suam, ac proinde gratis exerceri debet ex vi suæ institutionis, & naturæ, ergo si pretio vendatur, Simonia committitur, ergo in omnibus his actibus inuenitur Simoniæ materia. Vnde non videtur hæc Simonia tantùm esse, quia prohibita, (licet reuera per Ecclesiam prohibita sit) sed etiam natura sua, & ex vi talis materiæ.

Cap. 2.

Cap. *Nemo.*

17. An prædicta sint etiam intelligēda de actu procedente à potestate Eccle siast. qui tamē versatur circa materiā politicā.

Sed circa hanc, & præcedentem assertionem supereſt dubium, an locum habeant, etiam quando actus iurisdictionis, licet ab Ecclesiastica potestate procedant, circa materiam politicam, & merè humanam versantur. In quo in primis suppono, sermonem esse de potestate Ecclesiastica formaliter; contingit enim, Prælatos Ecclesiæ habere propriam, & directam iurisdictionem temporalem, vt habet Pontifex in suo temporali territorio, & regno, & habent multi Episcopi in aliquibus locis, quæ iurisdictio, vt est in illis, potest denominari Ecclesiastica, sicut temporalia bona Ecclesiæ spiritualia vocantur. Nihilominùs tamen certum est, actus illius iurisdictionis, etiam vt exercentur per iudicem Ecclesiasticum, non esse materiam Simoniæ, quia semper manent merè temporales. Et ita docent communiter Canonistæ in cap. 2. *Ne prælati vices suas*. Debent ergo assertiones positæ intelligi de actibus procedentibus ab Ecclesiastica potestate propria, & spirituali. Deinde hi actus sæpè versantur in materia purè spirituali, vt patet quoad priores actus in dispensationibus votorum, & legum Ecclesiasticarum, & similibus; & in posterioribus actibus in censuris ferendis, & tollendis, in beneficialibus causis, & matrimonialibus, vel in his, quæ ad fidem pertinent, & similibus. Et in his nullum est dubium, quia actus sunt omnino spirituales tàm ex parte principij, quàm ex parte materiæ, & finis.

18. Expendūtur alij actus, qui proximè versantur in materia tēporali.

Possunt autem per spiritualem potestatem exerceri quidam actus, qui videntur merè politici, & humani, quia proximè versantur in materia temporali & humana. Vt in actibus iurisdictionis voluntariæ esse videntur licentia studendi, vel humanis literis, & Philosophiæ, vel etiam Iuri Canonico, aut Theologiæ, quia hoc studium actus naturalis, & vendibilis est, & proximè ordinatur tantùm ad commoditatem humanam. Idemque censeri potest de licentia docendi. Item ligitimatio, verbi gratia, solùm spectata quatenùs per eam tollitur quædam inhabilitas ad temporales honores, & commoda, & similia. In actibus verò iurisdictionis non voluntariæ videntur huiusmodi esse causæ merè ciuiles inter Clericos de bonis temporalibus, vel de criminibus aut iniuriis. De his ergo actibus censent aliqui, natura sua non esse materiam Simoniæ, quia merè humani & politici sunt. Nec sufficere putant, quod à iurisdictione Ecclesiastica procedant, quia licet hæc potestas in se spiritualis sit, simul est eminenter politica, & temporalis, & ideò quando sub hac tantùm ratione operatur,

Richard. *Anton. Syluest. Angel. Tabien. Nauar. Gloss. Host. Abbas. Redo.*

Cap. *Cùm ab omni* Panor.

Cap. *Nemo.*

C. *Ad aures.*

Cap. *Ad audientiam.*

Panor.

D. *Thom.*

ratur,nõn est ex natura rei Simonia vendere actus A
eius:sed poterit esse Simonia,quia ab Ecclesia pro-
Innoc. hibita. Et huic sententiæ fauet Innoc. in cap. 2. de
Magist.quatenus dicit,non esse Simoniam,sed tur-
pe lucrum vendere licentiam studendi,quod sequi-
tur Angel.ver.*Magister*,num.15.

Angel. 19. Sed nihilominùs probabiliùs videtur,omnes hos
Resoluitur actus,quatenùs à potestate spirituali procedunt,es-
omnes illos se veram materiã Simoniæ ex vi iuris diuini. Quod
actus quate- sentit Gloss.prima in cap.2.*Ne prælati vices suas*,di-
nus procedũt cens,vbicunq; Episcopus gratis facere aliquid de-
à potestate bet ratione sui officij Simoniam committere,si ali-
esse materiã quid exigat.*Maximè* (inquit) *cùm iurisdictio sit spiri-*
Simoniæ. *tualis*. Vbi per illam particulam *Maximè*, non po-
Gloss. test fieri comparatio ad actus, qui procedunt à iu-
risdictione temporali, cùm in eis Simonia locum B
non habeat,vt dictum est proximè, & latiùs suprà
cap.8. Sensus ergo esse videtur, vel ob hanc maxi-
mè causam ibi interuenire Simoniam, quòd iuris-
dictio,à qua illi actus procedunt,est spiritualis, vel
tunc maximè committi Simoniam, quando actus
ex vi obiecti & materiæ est spiritualis. Vtroque au-
tem modo infertur assertio posita.Nam si potissima
ratio Simoniæ in tali materia est habitudo ad talẽ
iurisdictionem, omnes actus ab illa procedentes
erunt materia Simoniæ, quia in omnibus illa po-
tissima ratio inuenitur. Si verò actus spirituales ex
obiecto dicuntur maximè esse materia huius Si-
moniæ,etiam alij actus eius muneris, & potestatis
licet non habeant materiam ita spiritualem, erunt
materia Simoniæ,etsi non tam grauis,nec tam præ- C
cipua.Et hoc posteriori modo intelligũt illic Glos-
sam Abb.Aretin. & alij, qui consequenter in hanc
sententiam descendunt.Et eandẽ supponere viden-
tur Ioan. Andr.Anani.& Cardin.in cap. 2.de Ma-
gist. & Turrecr. & Præpos. in cap. *De quibusdam*,
37. distinctione, dicentes, esse Simoniam aliquid
exigere pro licentia studendi,nam hęc licentia pro-
ximà non versatur circa materiam spiritualem.

20. Ratio verò generalis est,quia vsus iurisdictionis
Ratio asser- spiritualis formaliter, ac per se spiritualis est. Nec
tionis. refert, quòd interdum materia proxima actus vi-
deatur politica aut temporalis, quia consideranda
est, prout capit sub talem spiritualem potestatem,
sic enim non cadit, nisi vt ordinata ad spiritualem
finem,& ad illum aliquomodo conducens.& vt sic D
iam est spiritualis, & ita actus spiritualis efficitur,
non solùm ex parte principij, sed etiam ex parte fi-
nis. Atque hac ratione quodlibet iudicium inter
Clericos spirituale censendum est, quia licet sit de
crimine communi Laicis, & Clericis,vel de bonis
temporalibus, semper causa illa tractanda est mo-
do Ecclesiastico, in quo semper habetur ratio cle-
ricalis decentiæ, ac dignitatis. Vbi obiter notan-
dum est,hæc iudicia semper esse à potestate Eccle-
siastica formaliter,licet conueniant Clericis ratio-
ne suæ immunitatis, quia hæc immunitas non est
ex potestate ciuili,vt hæretici volũt,vel eorum fau-
tores, sed est ex Ecclesiastica potestate, & à diuino
Iure duxit originem, & ideò semper illi actus sunt
à supernaturali potestate elicitiuè (vt sic dicam) E
& ex relatione ad finem spiritualis boni to-
tius Ecclesiæ, & maximè Ecclesiastici
status,semper sunt actus spiritua-
les, ac subinde materia
Simoniæ.

***

CAPVT XXI.

Vtrum labor,& defatigatio corporalis in operibus spiritualibus,sit materia Simoniæ,aut vendi possit licitè:idemq; de obligatione ad talia opera interrogatur.

1. Quæst. hæc non solùm de Sacramẽtis,sed etiam de aliis actibus procedit

QVæstio hæc tractari solet maximè de actibus Sacramentorum,habet tamen eandem ratio-
nem in omnibus actibus externis, qui licet ex fine,
& principio spirituales sint, nihilominùs eorum
spiritualitas(vt sic dicam) adhæret operi corporali,
quod habet annexum vel laborem, & defatigatio-
nem corporis,vel aliquam incommoditatem, qua-
tenus homo pro illo tempore,quo spiritualibus oc-
cupatur actionibus,non potest suis lucris, vel cor-
poralibus commodis intendere. De omnibus ergo
operibus hactenus tractatis potest cum proportio-
ne quæstio hæc ventilari,& ideò in hunc locum il-
lam reseruauimus. Et ita generatim opiniones, &
auctores referemus, etiamsi ipsi interdum in parti-
culari de Sacramentis,vel diuinis officiis,aliisve si-
milibus operibus loquantur.

2. Prima ergo sententia est pro huiusmodi labore
1. Sententia licitum esse pretium accipere,etiamsi actio,cui ad-
asserens licitum esse pretiũ accipere. iungitur, sit intimè necessaria ad sacrum minis-
Adrian. terium.Ita tenet Adrian.Quodlib.9 art. 1. in resolut.
Altisi. lit.O.Refert Altisiod.3. p.q. penult. de Simon.alij
referunt lib.3.tractatu 21.cap.2. in Codice autem
Parisiensi satis antiquo, quo vtor, tractatus de Si-
monia est 27.& in eo non inuenio hoc expresse as-
sertum; potest autem sumi à simili ex capit. 3. q. 2.
quatenùs ibi ait, pro doctrina non posse pretium
accipi, posse tamen pro labore, & addit compara-
tionem ad alia spiritualia.Et ita videtur allegari ab
Alens. Adrian.&eodem modo posset referri Alens.2.part.
Bonauent. quæst.167.num.4.art.1.quæst.4. in fine, cùm idem
dixisse de scientia,subdit, *Atque idem est pro celebra-*
tione Missarum,& similibus. Expressiùs id tradit Mai.
Mai. ibi quæst.1.in fine §. *Hactenus*. Inclinat ex parte Ri-
Richard. chard.art.3.quæst. 2.ad 1. & 8. licet non de Sacra-
mentis, sed de consecratione Ecclesiæ, & celebra-
tione Missarum loquatur, sentiens in quæst. 3.con-
trarium de Sacramentis, quæ vix possunt concilia-
Armach. ri. Pro eadem sententia refertur Armach.lib. 10. c.
Gloss. 10. Ex Iuris etiam peritis multi hanc sententiam
docuerunt,Gloss.in cap.*Significatum*, de Præb. ver.
Itaque.Item Gloss.1. in c.*Suam*, de Simon. quæ so-
lùm dicit, posse celebrantem Missam accipere ali-
quid in sustẽtationem,vel posse locare operas suas;
nec plus videtur prior Glossa intendere, licet dicat,
posse recipi aliquid pro labore. Et idem ferè habet
Panor. Glos.in c.vlt.21.q.2.& sequitur Panor.dicto c.*Signi-*
ficatum,n.8.& ibi alij, & præpos.in c.*Iudices*, 1.q.1.
Iul. Clar. Iul.Clar.dicens esse communem ver.*Simonia*,nu.2.
Angel. Angel.ver.*Simonia*,2.n.6.& refert pro illa Innoc. &
Innocent. Hostiens.in c.*Quoniam*.Ne Præla.vit.su.
Hostiens.

3. Ratio fundamentalis huius sententiæ esse debet,
Fũdamentũ quia actio illa secundùm se,& labor corporalis,qui
propositæ sẽ ex illa nascitur, vel incommoditas eundi, & re-
tentiæ. deundi, vel ibi assistendi cum mora temporis ne-
cessaria,& moraliter, & physicè est pretio æstima-
bilis,& non amittit suum valorem propter coniun-
ctionem cum re,seu conditione spirituali tali operi
adiuncta, ergo illa vt sic spectata non est materia
Simoniæ, ac subinde vendere illam præcisè secun-
dùm illum valorem nullo modo augendo pretium
intuitu spiritualitatis, nullam habet rationem Si-
moniæ. Secundò quia illi labori ex natura rei de-
betur stipendium, seu merces, vnde in Concilio
Agathen.

Agathen. capit. 36. dicitur Clericis reddenda esse stipendia, *Sanctis laboribus debita secundùm seruitij sui debitum*, cap. vlt. 21. quæst. 2. Non debetur autem stipendium ratione spiritualis ministerij, vt spirituale est, sed vt in eo corpus laborat, & occupatur, ergo hæc duo rectè distingui possunt in tali opere in ordine ad recompensationem: ergo etiam in ordine ad pretium, & mercedem. Responderi potest, illud stipendium, de quo Concilium loquitur, non dari vt pretium operis, sed in sustentationem debitam, iuxta illud Lucæ 10. *Edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt, dignus est enim operarius mercede sua.*

Sed contra hoc argumentor tertiò. Quia hoc stipendium sustentationis nihil differt à pretio operis, & laboris materialiter spectati; vnde in Scriptura ita appellatur, vt patet ex eisdem verbis Lucæ allegatis, & 1. Timot. 5. *dignus est operarius mercede sua.* Nam merces propriè significat pretium operis. Matt. 20. *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Vnde Paul. 1. Corinth. 9. comparat illud stipendio militis, quod reuera pretium est. Denique Numero. 18. expressè vocatur *pretium pro ministerio in sanctuario.* Et à signo confirmari potest, quia in eo attenditur proportio, & commensuratio operis, ac laboris cum stipendio. Nam idcirco non datur tantùm stipendium recitandi Missam, vel officium mortuorum, sicut canenti, nec audienti vnam confessionem, sicut audienti per totum diem, nec sicut concionanti, ergo signum est, æstimari laborem, & corporale opus, & cum proportione retribui; hoc autem est esse pretium, vel explicetur, in quo hæc distinguantur. Quartò licitum est simplici Sacerdoti locare operas suas pro ministerio spirituali, sed in locatione id, quod datur pro opere, habet veram rationem pretij, vt ex natura illius contractus constat, & ex lege 2. ff. Locati, & Institut. Codice in principio, eo. ergo licitum est, vendere tales operas materialiter spectatas. Maior constat ex vsu communi Ecclesiæ, & ita in ipso Euangelio distinguitur mercenarius à pastore, dicitur autem mercenarius, qui mercede conducitur. Vnde in dicto capit. vlt. 21. quæstion. 2. isti Clerici mercenarij, *conductiuj* appellantur. Dices, In illo contractu non accipi pretium pro operibus, sed pro obligatione seruiendi. Sed hoc non satisfacit, tum quia hæc obligatio in omni pretio pro opere interuenit, solumque differt, quòd sit ad longum, vel breue tempus, vel ad vnum, aut plures actus, quæ differentia valdè accidentaria est: tum etiam quia ipsa obligatio veluti habet speciem à termino, vnde non est digna pretio, quatenus ordinatur ad ministerium spirituale, vt spirituale est, sic enim posset vltra omne pretium æstimari, ergo spectatur solùm vt obligatio ad opus laboriosum, & corporale, ergo etiam ipsum opus potest immediatè hoc modo spectari, & æstimari condigno pretio.

Cap. elt. — Luc. 10. — 4. — 1. Tim. 5. — Matt. 20. — 1. Cor. 9. — Num. 18. — Leg. 2. — Cap. vlt. — 5. 2. Sententia affirmãs laborem intrinsecè adiunctum rei spirituali nõ posse vendi, secus verò laborem accidentariũ. D. Thom.

Secunda sententia in hoc puncto est, laborem intrinsecè adiunctum facto ministerio, vel spirituali muneri non posse pretio æstimari, neque vendi, secùs verò esse de accidentario labore, de quo nulla est controuersia, vt infrà videbimus. Pro hac sententia videtur esse D. Thom. in 4. distin. 25. q. 3. art. 2. quæst. 2. in corpore, & ad 4. & 5. Et Quodlib. 8. artic. 11. quatenus his locis ait, absolutè non licere vendere hos actus, nec locare tales operas, quamuis liceat sustẽtationem accipere. Et quamuis in 2. 2. quæst. 100. art. 2. solùm dixerit, *crimen Simoniæ esse, accipere pecuniam pro spirituali Sacramentorum gratia*; & art. 3. dixerit, *vendere quod est spirituale in his actibus Simoniam esse*, nihilominùs in eodem sensu videtur locutus, nam sub illo spirituali comprehendit totum actum, prout in re ipsa spiritualis est, & ideò solùm excepit id, quod datur per modum sustentationis. Atque ita intelligunt, & sequuntur Caietanus ibi Sotus lib. 9. quæst. 6. art. 1. Latè idem disputant, & docent Duran. 4. d. 25. q. 3. nu. 10. & Palud. q. 5. quamuis Paludano non placeant rationes Durandi, de quo statim. Tenet etiam Gabr. Lect. 28. in Canon. lit. C. & Abulens. 3. Reg. 14. quæst. 9. Sylvest. verb. *Simonia*, quæst. 9. ibi Reg. 5. Victor. suprà numer. 29. Et eam sequuntur Innoc. & Hostiens. in capit. 3. *Ne Prælati vices suas.* Idem Hostiens. & Anchar. in dicto cap. *Significatum.* Idem tenuit Abb. emendans, vel declarans priorem sententiam in c. *Suam*, num. 4. & in cap. *Cum sit Romanæ*, numer. 2. de Sim. Vbi Zabarel. Annani. Ioan. Andr. & alij.

Caietan. *Sot.* *Durand.* *Palud.* *Gabr.* *Abul.* *Sylvest.* *Victor.* *Hostiens.* *Anchar.* *Abbas.* *Zabar.* *Anton.* *Ioan. Andr.*

Probat Durandus hanc sententiam, quia labor operis etiam in corporalibus actionibus non venditur, nec emitur, nec est dignus alia æstimatione, quàm ipsum opus, sed in his ministeriis spiritualibus, opera ipsa non possunt vendi, nec pretio æstimari: ergo nec labor illis annexus. Maior patet; tum quia ex parte vendẽtis operas suas, parum refert labor ad valorem operis; nam æquè potest illud vendere. Tum quia est æquè vtile ementi, siue cum labore illud faciat, siue sine illo. Sicut suprà dicebamus, Aduocatum posse recipere pretium pro consilio, siue illud cum labore det, siue magna cum facilitate. Tum etiam quia ex parte ementis, labor etiam non addit æstimationem, quia illi nullã vtilitatem affert, si opus ab ipso emptum æqualitet fiat, parum enim mea interest, quòd Scriptor laboret in scribendo, vel summa facilitate præscriptum opus perficiat. Minor autem supponitur vt clara ex supradictis, quia si opera possent vendi, etiam Sacramenta vendi possent. Hæc tamen ratio in superficie spectata videtur falsum assumere; quia corporalis labor sine dubio videtur pretio æstimabilis, nam est aliquid temporale, cuius dominium est in laborante. Item quia aliàs nec pro labore accidentario ad ministerium Sacramentorum liceret pretium accipere; consequens autem est contra omnes auctores, etiam secundæ sententiæ, vt videbimus. Sed fortasse Durandus non hunc sensum intendit, sed alium, qui explicandus est, quia ad pũctum quæstionis intelligendum confert.

6. Probatur hæc opinio ex Durando.

Distinguendũ ergo est de labore operis, nã quidam est ex parte ipsius operis secundum se spectati quasi ex obiecto, alius est tantùm ex parte subiecti, nam idem opus laboriosius est personæ debili, vel non assuetæ, quàm forti, & exercitatæ, vt patet in itineratione, fossione terræ, & similibus. Labor ergo, qui merè nascitur ex parte subiecti, non auget valorem, vel æstimationem operis, & hoc ad summũ probat discursus Durandi. Sicut è conuerso facilitas operandi proueniens ex perfectione subiecti, non minuit valorem operis, cæteris paribus. Imò etiam apud Deum non minuit meritum, nec satisfactionem, cæteris etiam paribus, vt ex propria materia constat. Item merces non possunt cariùs vendi per se loquendo, solùm quia vendens cariùs illas emit, quàm alius, nisi per se spectatæ, talem habeant æstimationem. Idem ergo est de labore adiuncto solùm ex conditione operantis. Et ita fatemur, hunc laborem in præsenti materia non posse vendi. At verò quando labor operis per se illi adiungitur natura sua, quasi ex vi obiecti, & intrinseco modo, qui attendi debet per comparationem ad ordinariam hominum conditionẽ,

7. Discrimen inter laborẽ qui datur ex parte operis per se spectati, & illum qui datur ex parte subiecti.

& dispositionem, tunc labor multum facit ad operis æstimationem; & ideò in operibus corporalibus per se loquendo vendi censetur, vt ex communi hominum æstimatione, & vulgari loquendi modo constat. Sic enim idem esse censetur vendere operas, & vendere laborem. Item in hoc labore comprehenditur diuturnitas operis, & molestia, & defatigatio, quàm secũ affert, at hæ conditiones conducũt ad æstimationem operis, licèt non sint adæquata ratio illius. Neque contra hoc probant aliquid considerationes Durandi, nam si consideretur labor ex parte locantium operas suas, ipsi maximè intendunt vendere laborem suum, quia sine dubio est pretio dignus, quando opus ipsum per se illud requirit. Quòd si interdum minuatur hic labor ex industria, vel extraordinaria dispositione laborantis, illud est per accidens, & ideò non tenetur operans minuere pretium, quia non minuitur valor operis; nam hic valor pensatur ex cõmuni æstimatione, quæ attenditur secundum id, quod per se, ac regulariter contingit; sicut etiam è contrario non augetur pretium etiamsi labor per accidens crescat ex defectu operãtis. Ex parte autem ementis in primis parum refert, quòd labor, vt sic, non afferat illi specialem vtilitatẽ, satis enim est, quòd opus, cui labor per se adiungitur, in eius vtilitatem cedat, nam pretium datur pro opere, quod æstimatur, vt per se habet talem conditionem. Deinde satis est, quòd ille labor de se est pretio æstimabilis, & quòd operans non vult illum assumere nisi pro pretio, & quòd ita paciscitur cum emente, nam hoc est satis, vt emens teneatur soluere pretium, siue inde reportet vtilitatem, siue non, quod etiam in omni opere verum est: & ideò multa opera iustè venduntur à laborantibus, quæ non sunt vtilia ementibus, sed propter alios fines illa emunt.

8. Duran. ratio cõfirmatur.

Ex hac verò generali doctrina morali, quæ sine dubio vera est, cõcludit optimè ratio quàm Durãdus intendit. Nam ex discursu facto concluditur, opus, & laborem dictum non esse æstimabilia duplici pretio, sed vno, & eodem, vel nullo. Vnde consequenter fit, in præsenti materia non esse distinguendum inter opus, quo fit Sacramentum, & laborem per se, & intrinsecè illi adiunctum; nam hæc duo etiam in operibus profanis non sunt æstimabilia distinctis pretiis, sed totum illud est vnum opus talibus conditionibus affectum, quòd omnibus spectatis tali pretio cõmuniter æstimatur. Vnde fit, quòd si opus non sit pretio æstimabile, nec labor hic per se illi adiũctus sit æstimabilis pretio; nam labor non æstimatur per se, sed in ipso opere, (vt sic dicã) quatenus reddit illud magis, vel minùs æstimabile. Si autem opus sit extra ordinem rerum pretio æstimabilium, labor etiam illi per se coniũctus non poterit illud reddere magis, vel minus æstimabile, & consequenter nec labor ipse per se poterit pretio æstimari, quia per se non habet valorẽ. Quòd si Durand. in hoc sensu dixit laborem non vendi, nec emi scilicet per se, & separatim ab opere laborioso, rectè dixit, dummodo non neget, laborem intrinsecum, esse conditionem, ex qua magna ex parte sumitur valor corporalis operis. Sicut proprietas, & virtus alicuius lapidis, aut herbæ reddit illam rem dignam tanto valore, licet non possit per se æstimari distincto pretio ab ipso lapide, vel alio subiecto, cui inhæret. Vnde si contingeret, esse lapidem, qui ratione suæ substantiæ esset inæstimabilis pretio, licet haberet talem virtutem, & proprietatem sibi naturaliter coniunctam, non posset pretio æstimari, quia impossibile est, æstimare virtutem sine lapide. Ita ergo est de opere, & labore illi per se coniuncto. Est autem in superioribus ostensum, opus ipsum sacrum, etiã si physicè videatur habere aliquid materiale, totum esse inuendibile, quia totum reuera spirituale est, & à principio spirituali procedit, & ad finem spiritualem tendit, ergo idem dicendum est de labore talis operis.

9 Qui distinguunt in operibus sacris inter opus, & laborem, asserentes opus esse inuendibile, laborem verò vendibilẽ, pugnantia dicunt. *Durand. Caiet. Sot.*

Quapropter, qui distingunt in operibus sacris inter opus, & laborem, & fatentur opus esse inuendibile, laborem autem vendibilem, repugnantia dicunt, quia labor non est vendibilis, nisi cum opere, seu ratione operis, nec opus fit vendibile ratione laboris, si ratione suæ substantiæ (vt sic dicam) inuendibile sit. Et hoc videtur voluisse Durandus, quòd mihi maximè probatur, & idem intendit Caietanus, cum ait, laborem, qui in concione, celebratione, & similibus actionibus sacris per se interuenit, partem esse ipsiusmet actionis, & ideò non magis posse vendi, quàm ipsam actionem. Et Sotus similitet dixit, hunc laborem esse de substantia Sacramenti, verbi gratia, vel similis operis, & ideò inuendibilem esse. Quoad hãc ergo principalem partẽ verissima est secunda sententia, & prædicto modo sufficienter probatur. Estque optima confirmatio Durãdi ab incommodo. Nã si labor hic spiritualis ministerij vendi posset, profectò & ipsum ministerium vendi posset, & ita posset honestari omnis Simonia in his actionibus, tàm vendibilia, quæ ferè essent hæc opera sacra, quælibet alia corporalia; omnia enim sunt vendibilia, quàm maximè ratione laboris. Et sicut in his vendi non potest spiritualis vtilitas, ita neq; in aliis ministeriis vendi potest specialis vtilitas, quæ vel ex industria conducentis operarios, vel aliunde illi prouenit, sed solùm materiale opus, prout communiter æstimatur. Denique hîc locum habet regula Vrbani, in capit. *Siquis obtulerit* 1. quæst. 3. *Qui horum alterum vendiderit, sine quo nec alterum prouenit, neutrum inuenditum derelinquit.* Quam regulam ostendimus suprà habere locum in his, quæ vel ita connexa sunt, vt vel corporale per se sequatur ex spirituali, illudque supponat, vel ita sint concomitanter se habentia, vt vnum sit intimè adiũctum alteri in suo esse, origine, & fine; ita verò se habet hic labor intrinsecùs ad hæc opera, & ministeria sacra, vt declaratum est. Et ita induci possunt omnia Iura, quibus pro his ministeriis pretium accipi prohibetur, omnia enim frustrà essent, si prædictum laborem vendere liceret. Quocircà cum hæ rationes, & Iura vniuersalia sint, non possunt probabili aliqua ratione, vel consideratione limitari ad Sacramenta (quod Richar. fecit dicta q. 3.) quia licet Sacramenta sint sacratiora, & in eis commissa Simonia grauior sit, nihilominùs alia etiam ministeria sacra simpliciter sunt spiritualia, & in hoc æqualia, quod simpliciter inuendibilia sunt, & ideò de omnibus quoad hanc partem, eodem modo est loquendum. *Vrban. Papa. Ca. Siquis.* *Richard.*

10.

Neque contrà hanc partem vrgent argumenta primæ sententiæ. Nã primum de æstimatione corporalis laboris æquè procedit de ipsomet opere, ac de eius labore, de ipso autem opere, dici non potest vendi posse, aut pretio æstimari, vt suprà ostensum est. Dico ergo totum illud opus cum toto suo intrinseco labore, & conditionibus omnibus, quas per se habet adiunctas, factum esse inæstimabile pretio per eleuationem ad spiritualem ordinem, & intimam coniunctionem cum ratione Sacramenti aut alterius sacri ministerij. Vnde consequenter dicitur, sacros ministros, eo ipso quòd se se talibus ministeriis

ministeriis dicarunt, assumpsisse onus ministrandi gratis, & non vendendi tales operas, aut labores. Neque propterea deterioris conditionis fiunt, tum quia diuino cultui dicantur, & Deo consecrant operas suas; tum etiam quia non priuantur mercede sua, quæ non sit pretium laboris, sed stipendium personæ, vt benè ibidem ac secundùm rationem responsum est. In tertia verò ratione petitur differentia inter pretium, & stipendium, de qua infrà circà quartam diuisionem dicturi sumus ex professo. Nunc satis sit dicere, quòd pretium spectatur per commensurationem ad valorem, & æstimationem operis, seu laboris, quod repugnat sanctitati operis, ac ministerij sacri: stipendium autem sustentationis consideratur in ordine ad personam, quatenus sustentatione indiget, quam acquirere non potest, dum aliis in spiritualibus inseruit, & ideò ab illis ex iustitia debetur sustentatio ratione talis ministerij, saltem vt conditionis necessariæ ad talem obligationem. Et in hoc sensu vocatur hoc stipendium merces in testimoniis ibi allegatis secundùm quandam æquiparationem, vel analogiã, vel certè quia nomen mercedis abstrahit à propria ratione pretij temporalis, & de quolibet præmio ex iustitia debito dicitur, quomodo vita æterna merces appellatur. Et ideò hoc stipendium interdum in Euangelio vocatur cibus, quia datur in sustẽtationem, interdum merces, quia debetur ex iustitia. Pretium autẽ non appellatur in nouo Testamento; in illo autem loco Numerorũ aliqui putãt, legendũ esse mercedem non pretium, & ita vertũt Septuaginta, & sequuntur Sanct. Pag. & Oleaster. Et ita posset exponi nomen pretij. Vel etiã dici potest, ibi sermonem esse de Leuitis, quorũ ministerium erat merè corporale, vt excubias facere, custodire, & deferre tabernaculum, & ideò eis magis accommodatur ratio pretij. Quod significat Abul. ibi q. 30. & 31. Alia verò, quæ in eadem, & quarta ratione petuntur, pertinent ad labores, vel conditiones accidentarias sacris ministeriis, de quibus dicendum superest.

Diserimen assignatur inter pretiũ, & stipendiũ.

Num. 18.

Septuag. Sanct. Pag. Oleaster.

Abulens.

11. An labor accidentarius sit materia Simoniæ.

Quòd ergo spectat ad alteram partem de labore accidentario, fatentur auctores posterioris sententiæ, illum non esse materiam Simoniæ, sed posse pretio æstimari. Imò multi existimant, & verisimiliter credi potest, auctores primæ sententiæ nihil aliud intendisse. Vt autem verus sensus, & ratio huius partis intelligatur, aduerto aliter sumi ab his auctoribus laborem per accidens, quàm à nobis sumptus fuerit in alia simili distinctione præmissa. Vocant enim laborem per accidens, non laborem, qui ex parte subiecti, seu personæ operantis coniungitur cum ipsomet intrinseco opere Sacramenti, sed laborem, qui nascitur ex alio opere, qui per accidens coniungitur cum opere Sacramenti. Qui duo labores accidentarij, adeò distinguntur mea sententia, vt pro priori non magis liceat accipere pretium, quam pro ipso opere Sacramenti; pro posteriori autem liceat. Declaratur exemplis, nam si Sacerdos propter tarditatem suam, vel senectutem nimium fatigatur, dicendo Missam, aut ministrando Sacramentum, labor talis personæ accidentarius plane est tali ministerio, vt constat, & nihilominùs non potest pro illo exigere pretiũ, quia in nullo opere talis labor, est dignus pretio distincto ab opere ipso, vt ostẽsum est. Si ergo propter opus ipsum non potest exigi pretium, etiam nec propter laborem huiusmodi accipi poterit: nam si cõsideretur ille labor, vt est à tali opere, non est magis vendibilis, quam ipsum opus: si verò spectetur, vt est ex dispositione operantis, sic est per accidens, respectu petentis opus, & ideò non potest alius cogi ad emendum, vel soluendum illum, quia non est causa illius. At verò si Sacerdos cogatur agere iter vnius leucæ, vel expectare duas horas, vt sacrum faciat, ille labor est accidentarius ministerio sacro, non vt coniunctus illi ex parte operantis, sed ratione alterius operis, vel occupationis, aut otij, quod per accidens adiungitur ad ministerium sacrum ex parte petentis sacrum ministerium. Et tunc manifestum est, pro tali labore posse pretium postulari, quia reuera accipitur pro opere distincto à ministerio sacro, & ita in vniuersum verum est, in tantum accipi posse pretium pro hoc labore accidentario, in quantum accipi etiam potest pro illo opere accidentario, cui per se coniungitur.

12. Quis labor dicatur per se adiunctus ministerio sacro. Aliquorum opinio.

Sed adhuc superest à nobis explicandum, quis labor sit per se adiunctus ministerio sacro, vt omnis alius, qui præter illum adhibetur, accidentarius iudicandus sit. Aliqui enim videntur exponere laborem per se, tantùm esse illum, qui intrinsecè coniungitur operi sacro, vt est in Sacramentis, quoad substantiam eorum, prolatio formæ cum lotione, vnctione, vel alia simili actione intrinseca Sacramento, quoad reliqua Sacramentalia, vel sacra ministeria cum proportione. Omnia verò alia opera antecedentia vel consequentia ad hæc intrinseca putant esse per accidens, & vendi posse, ac pretio æstimari, etiamsi alioqui moraliter, & humano modo loquendo, necessaria sint ad tale ministerium. Vt, verbi gratia, ad concionandum opus est, vt antecedat studium, non est tamen intrinsecum concioni, dicunt ergo posse pretio æstimari. Item post laborem concionis sequitur tanta corporis lassitudo, vt per multas horas laborari non possit in aliis rebus, & commodis humanis; est ergo illud accidentarium incommodum pretio æstimabile. Imò cum exhortatio ipsa spiritualis, quæ per concionem fit, possit lenta actione, & ferè sine labore fieri, totus ille labor, & fatigatio corporis, quæ adhibetur in feruore concionis cum magna vocis contentione, dicetur etiam per accidens, & ideò posse in pactum deduci. Sicut cantores Ecclesiæ vendunt suos labores, quia illa vocum contentio, & harmonia non erat per se necessaria ad diuina officia, sed per accidens adiungitur.

13. Oppugnatur.

In contrarium autem est, quia si hanc regulam amplectamur, multa pacta in his ministeriis spiritualibus approbanda erunt, quæ contra vsum Ecclesiæ, & contrà bonos mores esse videntur; nam aperitur via ad vendenda multis modis hæc sacra ministeria. Nam in primis poterit Sacerdos, qui Missam canit præter stipendiũ sustentationis debitum ratione Missæ, suum laborem, & fatigationem vendere, quia etiã ille labor est per accidens ad illud ministerium sacrum, sine illo enim fieret. Præterea, poterit etiam pretium exigi pro labore eundi ad Ecclesiam, verbi gratia, quia ille antecedit, & non est per se coniunctus cum actione sacra; pro re autem corporali secundum se pretio æstimabili, quæ antecedit ad rem spiritualem, etiamsi ad illam moraliter necessaria sit, iustum pretium accipi potest, vt suprà de rebus sacratis dictum est. Et ita quando illud iter est longum, omnes concedunt posse pretio compensari, idem ergo erit, licèt sit breue, quia licet necessarium, non est per se connexum cũ sacro ministerio. Nec refert, quòd breue illud iter paruæ æstimationis sit, tum quia hic loquimur in rigore, & seruata proportione; tum etiam quia licet in vno actu sit

paruę æstimationis, in multis erit magnę, & ita pro multis repetitis actionibus, vt Missis, &c. poterit aliquod pretium consideratione dignum postulari. Atque ad hunc modum possunt multæ circunstantiæ antecedentes, vel consequentes ad opus sacrum considerari, quę secundum se sunt æstimabiles pretio, & non sunt intrinsecæ ipsi ministerio, licèt alioqui ex aliis rationibus humanis necessariæ sint ad tale opus.

14. Vera sententia exponitur, & explicatur, pro quo labore non possit accipi pretium.

Quapropter dicendum videtur, non solas operas, & labores, quibus intrinsecè quasi componitur actus ipse spiritualis, sed etiam quæ per se necessariæ sunt ad tale ministerium sacrum, prout ab hominibus moraliter exerceri potest, non debere, nec posse pretio æstimari. Hoc mihi probant posteriores rationes, quæ possunt ampliùs confirmari: Quia aliàs licet iudex ecclesiasticus non posset pro sententia, vel actu iudiciali pretium sumere, posset pro studio, pro labore videndi processum, audiendi partes extra iudicium, & similia multa, quæ ad illud munus necessaria sunt: & ita possent iustificari omnia dona, & præmia temporalia, quæ isti iudices acciperent. Similiter visitatores Episcoporum pro labore itineris possent pretium accipere, & pro labore studendi, vel legendi, quem sæpè adhibere necessarium est. Et ita de aliis, quæ sunt aliena ab vsu Ecclesiæ; nam pro his ministeriis concedit Ecclesia stipendium sustentationis conueniens, & proportionatum, pensatis omnibus necessariis operibus ad tale ministerium; pretium autem pro actionibus necessariis postulare, alienum est ab vsu Ecclesiæ. Et ratio à priori est, tum quia illa omnia, quatenus per se necessaria sunt ad tale ministerium, veluti componunt vnum opus morale, quod totum sacrum est, & vt tale est tractandum: tum etiam quia omnes illæ actiones, prout fiunt in Ecclesia, non habent æstimationem, nec vtilitatem, nisi ratione operis spiritualis, seu ministerij ecclesiastici, ad quod ordinantur, & ideò si illa pretio fierent, ministerium ipsum venderetur.

15. Quis labor censendus est esse per accidens.

Illi ergo labores cēsendi sunt per accidēs adiuncti his ministeriis sacris, qui non ex vi ministerij per se, ac moraliter expetuntur; sed tantùm in casu, ratione circunstantiarum, personarum, aut locorum. Et in his tantùm ponunt exempla Caiet. Sot. & alij auctores, vt sunt, agere iter vnius leucæ ad dicendum sacrum, quando id non est coniunctum officio, aut beneficio expectare quotidie per horam, vel aliud tempus ad celebrandū, vel dicere Missam statis horis, vel in certis locis, & ad hoc obligari, & similia. Huiusmodi ergo extraordinarij labores vendi possunt, seu locari, & de illis intelligenda est secunda pars posterioris sententiæ, quam sequimur, & explicamus. At verò studere pro concione non censeo esse laborem accidentarium, nec vendibilem, nisi quis promitteret extraordinarium studium, vel quid simile, studiū autem debitæ præparationis ad concionandum, tàm sacrum reputādum est, quàm ipsa concio, totum enim ordinatur, vt homo fiat aptum Spiritus sancti instrumentum ad munus illud. Et maiori ratione labor qui adhibetur in ipso actu concionis, licet magnus videatur, quia est per se coniunctus cum ipsa actione sacra, prout moraliter fit; nec mutat eius naturam, quòd in vna persona sit maior, vel minor iuxta diuersos modos concionandi, nā hoc accidentarium est ex parte operantis, non alterius, & ideò non potest in moralem considerationē, aut æstimationem adduci. Et eadem ratione non censeo Sacerdotem canentem Missam posse aliquid vendere de labore illius Missæ, siue sit ratione cantus, siue ratione temporis, aut moræ, quia tota illa actio prout ita fit, est sacra & totus ille labor est quasi pars illius. Aliàs Diacono, & Subdiacono ex officio ministranti semper liceret vendere suas operas, quia illud ministerium moraliter non fit sine cantu, & aliis similibus laboribus. Nec in hoc æquiparandi sunt hi sacri ministri, cantoribus conductis ad ornandum Diuinum officium suis vocibus, aut aliis musicis instrumentis. Nam illi reuera per se nō exercent actionem spiritualem, neque in rigore officium diuinum recitant ex vi illius ministerij, & ideò non solùm pro labore, sed pro tota illa actione pretium accipere possunt. Secùs verò est de Clericis in Ecclesia prębendatis ad ministerium chori; nam illi pro suo cantu, & opera non possunt pretium accipere, quia spiritualia exercent, quę intrinsecè illam operam, & laborem requirunt. Et ideò licet fortasse teneantur multum vigilare, vel media nocte surgere, &c. non possunt hos labores vendere, licèt stipendia sua possint accipere. In his ergo omnibus laboribus, etiamsi magni, & corporales esse videantur, habet locum stipendium sustentationis, non pretium.

16. An possit accipi pretium pro obligatione exercendi spirit.

Tandē petitur in vltima ratione pro priori sententia facta, an pro obligatione ad hæc spiritualia facienda possit pretium accipi? Communiter enim dici videtur hoc esse licitum, quia obligatio quid distinctum est ab actu spirituali, ad quem fit, & per accidens se habet ad illum; éstque æstimabilis pretio, etiamsi actus, ad quem ordinantur, non sit pretio æstimabilis: ergo potest vendi, nec propterea venditur actus spiritualis. Confirmatur exemplo vsuræ, nam licèt pro mutuo nihil accipi possit, pro obligatione ad mutuandum potest aliquid exigi, quia est pretio æstimabilis, & per accidēs ad ipsum mutuum. Confirmatur 2. ex vsu, nam Sacerdos locat operas suas ad ministrandum Sacramenta, & alia spiritualia in aliqua Ecclesia, per quam locationē obligatur, & ratione illius obligationis aliquid recipit per proprium pactum. Locatio autem venditioni æquiualet, Instit. de Locat. l. 2. ff. Locat. Et hoc tantùm modo videntur honestari legata, & anniuersaria per quæ obligentur Capitula, seu cōuentus Ecclesiarum ad certa officia, vel sacrificia singulis annis facienda pro certo pretio, vt infrà cap. 38. videbimus. Instit. de Loca. l. 2.

17. Resolutio quæstionis.

Sed nihilominùs dicendum est, pro obligatione ad spiritualia, vt talia sunt, non posse accipi pretium, licet possit accipi subsidium sustentationis, pro obligatione autem ad spiritualia, prout includunt aliqua corporalia onera, quæ sunt per accidens ad ipsa spiritualia secūdum se spectata, posse accipi proprium pretium. Hæc videtur esse mens omnium Auctorum in hac materia, vt apertè explicuit Abbas in capite *Significatum*, de Præben. numer. octauo, & Caietanus verb. *Simonia*, regul. 5. vbi ait, non esse licitum locare operas spirituales secundum se, licere tamen ratione corporalium, quæ per accidens adiunguntur; nam idem est locare operas, quod obligare se ad tales operas propter certum pretium. Et eodem modo loquitur Innoc. in d. cap. *Significatum*, & in c. 3. *Ne Prælati vices suas*. Et prima pars declaratur ex ratione suprà facta, adiuncta doctrina D. Thom. in d. quæst. 100. art. 4. ad 1. vbi ait, temporalia annecti spiritualibus tanquam fini, & ideò quamuis liceat vendere temporalia, *ordo* (inquit) *ad spiritualia, sub venditionem cadere non debet*. Ergo obligatio spectata solùm secundum ordinem ad spirituale ministeriū vendi non potest. Item quia si illa obligatio sic spectata

Abbas. Caiet. *Innoc.* *D. Thom.*

spectata venderetur, spirituale ministerium venderetur, vel vt res vendita, vel vt ratio venditionis, neutro autem modo vendi potest, aliàs appretiaretur res ex sola spiritualitate, quod est Simoniacum, vt sæpè dictum est. Neque contrà hoc procedit prima ratio dubitandi, quia obligatio, vt præcisè respicit spirituale, est illi annexa, & ab illo accipit æstimationem suam, & ideò vt sic vendi non potest, sed alio altiori modo rependi debet, scilicet per subsidium sustentationis, vt in secunda parte assertionis dicitur, quę noua probatione non eget.

17. Probatur posterior pars assertionis.

Vltima verò pars de accidentariis oneribus rectè probatur ex vsu, & exemplo mutui, & ex dictis in superioribus. Nam sicut labores, ita & incommoda, & onera accidentaria pretio æstimari possunt, in his autem obligationibus interueniunt multa huiusmodi onera, vt perpetuò manendi in tali loco, expectare talem, vel talem horam, priuari aliis commodis, & occupationibus, vt possit quis esse paratus semper ad tale ministerium, obligatio ergo, per quam similia onera inducuntur, compensari potest iusto pretio, intuitu illorum, licet non possit pretium augeri, eò quòd ad spirituale ministerium hæc omnia ordinentur. Sed siquid ampliùs necessarium sit, recipiendum est titulo sustentationis, non pretij. Et ita existimo, anniuersaria, & similes dotationes perpetuas multò meliùs honestari hoc titulo sustentationis, quàm locationum operum, etiam pro accidentalibus oneribus, quæ sunt per accidens, in re autem perpetua magis considerandum est id, quod est per se; vt est sustentatio, vt in dicto c. 38. dicemus.

CAPVT XXII.

Vtrùm omissio spiritualium actuum, sit materia Simoniæ?

1. Ratio dubitandi.

RAtio dubitandi est, quia omissio non est aliquid supernaturale, nec per potestatem spiritualem fit, sed per meram voluntatem, vnde dici non potest spiritualis ratione principij, & consequenter nec ratione finis, quia omissio per se non confert ad spiritualem salutem. Secundò Christus Dominus solùm dixit *Gratis accepistis, gratis date.* Per quæ verba, vt suprà tetigi, in rigore non præcepit dare, sed sub conditione, si detur, vt gratis detur, ergo qui non dat, quocunque modo non det, siue gratis, siue pretio, non facit contra illud præceptum, ergo neque qui omittit propter pretium Simoniam committet, nam ille solùm non dat. Et confirmatur, quia præceptum illud Christi resoluitur in negatiuum, Ne vendatis ea, quæ gratis accepistis, sed per solam omissionem, non peccatur contrà præceptum negatiuum; nam omissio opponitur tantùm affirmatiuo præcepto, ergo per omissionem, non peccatur contra illud verbum Christi, & consequenter nec Simonia committitur. Tertiò si vendere omissionem actus spiritualis, esset Simonia semper mala, siue actus, pro cuius omissione pecunia datur, futurus esset iustus, siue iniustus. Consequens est falsum: ergo sequela patet, tùm quia Simonia est intrinsecè mala, & ita semper est mala; tùm etiam quia vendere actum spiritualem, semper est Simoniacum, & malum, siue actus sit malus, siue bonus, vt in iusta, vel iniusta absolutione, vel electione, &c. ergo idem esset in omissione, si illa etiam esset materia Simoniæ. Minor autem, seu falsitas consequentis patet, quia ei, qui indignum electurus est, licitum est, dare pecuniam, vt ab electione abstineat, & ei, qui Simoniacè ordinaturus est, ne ordinet, vt communiter doctores in cap. *Cùm in Ecclesia*, de Simon. ergo.

In contrarium verò est, quia in Iure expressè dicitur, committi Simonia omittendo, sicut committendo, cap. *Nemo presbyterorum*, de Simonia vbi prohibetur, ne pœnitentia detur, vel negetur pretio, & subditur, *Vtrumq; enim Simoniacum est.* Dicunt aliqui, ibi latè accipi nomen Simoniæ. Sed contrà; quia non est verisimile, æquè proferri eandem vocem de duobus in eodem Iuris contextu, & vni propriè alteri tantum per metaphoram adaptari; nam determinatio cadens in plura, æqualiter ea determinat, argum. L. *Iam hoc Iure*, ff. de vulg. & pupill. Præsertim cum verba legis tam absolutè prolata, cum proprietate sint intelligenda; alioqui eodem modo posset quis suo arbitratu interpretari omnia decreta, quæ actiones aliquas vt simoniacas damnant. Secundò, suprà dictum est, iustam, ac debitam absolutionem Sacramentalé negare pretio accepto, Simoniacum esse, quia negare absolutionem, est actus clauiù, quatenus clauis, est potestas remittendi, & retinendi peccata claudendi, & aperiendi, nõ enim potest aliter claudere, vel retinere quàm non absoluẽdo: ergo idem erit de negatione absolutionis à censuris, & eadem ratione de cæteris similibus omissionibus. Tertiò licet omissio physicè non sit aliquid reale, tamen est vera priuatio realis, quæ proinde ad actionem reducitur, vt sentit D. Thom. 1.2.q.71.art.6. explicans definitionem peccati, & potest habere eosdem effectus morales, quos habet actio, sic enim non minùs iniustus est, qui non defendit eum, qui occiditur, si ex officio teneatur, quàm illum occidendo, vt sentit idem D. Thom. 1.2.q.72.art.6. & ideò omissio potest esse causa irregularitatis, sicut commissio, ergo eadem ratione poterit moraliter spiritualis reputari aliqua omissio, & esse materia Simoniæ.

2. Pars affirmatiua proponitur. Cap. *Nemo.*

Leg. *Iam hoc Iure.*

D. Thom.

D. Thom.

Circà hoc, variæ sunt opiniones. Prima absolutè negat circa solam omissionem posse committi veram Simoniam. Ita tenent Adrian. dicto Quodlib. 6.art.2. in principio, Innoc. dicto c. *Nemo*, exponit *Simoniacus*, id est, per modum Simoniaci puniendus; loquitur autem tantùm de illo, qui pro pecunia celat delictum alterius. Et idem sequitur Hostiensis ibi. Fundari potest hæc sentẽtia rationibus priori loco positis, & addi potest, aliqua poni in dicto cap. *Nemo*, quæ non possunt censeri materia propria Simoniæ, vt celare Episcopo peccatum alterius propter pecuniam, vel propter respectum consanguinitatis aut familiaritatis. Item reconciliare indignum gratia, vel fauore. Item propter liuorem à reconciliatione dignum remouere. Hæc enim omnia non videntur esse propriæ Simoniæ, vel ex defectu materiæ, vt in celando delictum, vel ex defectu pretij, vt in gratia, fauore, liuore, & respectu consanguinitatis, ergo necessariò ille textus exponendus est de Simonia impropriè, ac latè sumpta. Quòd si ille textus non cogit, non est, cur dicamus in sola omissione propriam Simoniam committi.

3. 1. Opinio negans circa solam omissionem posse committi Simoniam. *Adrian. Innocent. Hostiensis.* Cap. *Nemo.*

Secunda sententia est, omissionem esse posse propriam Simoniæ materiam. Tenet Diuus Thomas 2.2. quæst. 100. art. 3. ad 3. & in 4. dist. 25. quæst. 3. art. 2. quæst. 2. ad 6. Palud. ibi quæst. 5. Supplem. Gabr. quæst. 2. art. 1 not. 4. Sylues. verb. *Simonia*, q. 9. dicto 5. & 9. Tabi. num. 46. Angel. *Simonia* 3. num. 42. Anton. dicto cap. 5. §. 17. Et indicat etiam Sot. d. q. 6. art. 2. ad 3. Et in hanc partem magis inclinat Glos. in d. cap. *Nemo* verb. *Celent*, & verb. *Virumque*. Idem Panorm. ibi num. 6. Significat Felin & ibi frequentiùs alij doctores. Sequitur

4. 2. Opinio affirmans omissionem esse propriã materiam Simoniæ. *D. Thom. Palud. Gabr. Sylues. Tabien. Angel. Anton. Sot. Gloss. Panor. Felin.*

Vgolin. Vgolin. Tabul. 1. cap. 40 §. 3. Et videtur hæc fuisse sententia Gratian. §. *Qui autem*, post c. *Nullus Episcopus*, 124. 1. q. 1. vbi Gloss. ita exponit, & sequitur. Quam ibi approbant Archid. Præpos. & Turrec. Qui etiam id confirmant ex c. *Sunt quidam.* Nam licet solùm dicat Paschalis Papa, eos, qui sic delinquunt, *esse sacrilegos iudicandos*, tamen cum hoc sacrilegium in commutatione temporalis rei pro spirituali consistat, non potest aliud esse quàm Simonia. Posteáque adducit ibi Gratian. per quinque capita vsque ad finem quæstionis, varias leges ciuiles, in quibus æquali pœna puniuntur similia crimina in iudicibus, vel aliis ministris secularibus quando in iustitia administranda corrumpuntur, siue agendo, siue omittendo delinquant; sumens inde argumentum, delictum esse eiusdem qualitatis, & rationis in materia temporali, & consequenter idem esse dicendum in materia spirituali. Multúmque potest ad hoc confirmandum iuuare regula Iuris Ciuilis 164. ff. de Regul. Iur. *qui non facit, quæ facere debet, videtur facere aduersus ea, quæ non facit.* significat enim, omissionem rei debitæ æquiparari commissioni, quod etiam habetur in Leg. *In fraudem*, ff. Quæ in fraudem cred. & in multis aliis, quæ ibi notat Acurs. Nec enim refert, quòd physicè differant tanquam actio, & carentia. Nam ea, quæ physicè distincta sunt, possunt moraliter æquipollere, & hoc est, quod ad rationem peccati per se spectat.

Gratian. *Gloss.* *Archid.* *Præpos.* *Turrec.* Cap. *Sunt quidam.* *Paschal.* *Papa.* *Regul* 164. Leg. *In fraudem.* *Acurs.*

5. 2. Opinio affirmans vera iudicatur.

In hoc puncto, hæc posterior sententia mihi simpliciter vera videtur, quia non affirmat, quamcunque omissionem actus spiritualis esse materiam Simoniæ, sed solùm indefinitè, & generatim in sola omissione posse interdum reperiri sufficiẽtem materiam Simoniæ. Prior verò opinio, quia id absolutè, & in vniuersum negare videtur, admittenda non est, licet verum sit, multas esse omissiones spiritualium actuum, quæ licet vendantur, propria Simonia non committetur. Vt ergo explicemus quando hæc sit, vel non sit sufficiens materia Simoniæ, distinguamus in primis, aliud esse pretium dare, ne actus spiritualis indignè fiat; aliud esse dare, ne fiat, etiamsi iustè, & sanctè faciendus sit. Item de actione etiam dignè facienda distinguere oportet: nam interdum non est debita, & ideò licet omittatur, nullum committetur peccatum, per se loquendo, licet fortasse vendere, aut emere talem omissionem, inordinatum sit. Aliquando verò actio non solùm licita, sed etiam debita est, cuius proinde omissionem emere, aut vendere, est peccatum. Præterea inter omissiones has, potest considerari alia varietas; nam quædam sunt merè priuationes aliquorum vsuum, virtutum, vel potestatum, quædam verò sunt morales vt quidã vsus alicuius potestatis spiritualis. Exempla priorum omissionum sunt non orare, non audire Missam, & similes, posteriorum verò exempla sunt non absoluere pœnitentem dignè confessum, non absoluere à censura eum, qui iustè absolutionem petit, & similes. Inter quas hoc potest discrimen considerari, quod in prioribus non resultat ex illis effectus moralis præter ipsam omissionem, in posterioribus autem resultat aliquis effectus, qualis est perseuerantia censuræ, vel damnatio alicuius, seu retentio peccatorum. Quòd si quis rectè consideret, solùm in actibus potestatis iurisdictionis spiritualis, seu in priuationibus eorum, inuenitur hoc genus omissionum. Et ratio est, quia potestas iurisdictionis data est ad soluendum, & ligandum, potestas autem ordinis de se tantùm datur ad operandum; cessatio autem ab opere non est propriè ab ipsa, sed à sola voluntate: sicut virtus, vel auxilium gratiæ datur ad actum supernaturalem, vel spiritualem, omissio autem talis actus non est à gratia, sed à sola voluntate: at respectu iurisdictionis, ipsa negatio actus esse potest ab ipsa iurisdictione. Item possumus hic distinguere inter Simoniam de Iure diuino, vel humano; nam fortasse interdùm esse potest vnius modi in hac materia, aliquando verò alterius.

6. 1. Conclusio Non est Simonia dare alicui pecuniam, vt abstineat ab actu spiritu. quem iniustè sacrilegè, aut Simoniacè facturus est. Cap. *Nemo.* Cap. *sunt quidam.* *Gloss.*

Dico ergo primò, Non est Simonia dare alicui pecuniam, vt abstineat ab actu spirituali, quem iniustè, vel sacrilegè, aut Simoniacè facturus est. In hac conclusione videntur omnes conuenire. Et ratio est, quia hoc, nec prohibitum inuenitur, nec est per se malum. Prior pars patet, quia in dicto c. *Nemo*, non est sermo de his omissionibus, sed de illis, quæ sunt contrà honestatem, & obligationem, vt legenti facilè constabit; & ex cap. *Sunt quidam*, 125. prima, quæst. prima. Neque inuenitur alius Canon, qui de hac materia tractet, vt vbi Glossa notauit in §. antecedente. Altera verò pars constat, quia qui dat pecuniam, in eo casu non intendit emere aliquid spirituale, sed solùm impedire, ne peccatum iniustitiæ, sacrilegij, vel Simoniæ fiat; at per se non est malum, imò bonum impedire peccatum, etiam mediante pecunia, sicut precibus, vel minis. Item quia licitum est pecunia data, inuitare ad bonum, vt suprà dictum est, ergo etiam licet per pecuniam inducere ad non peccandum.

7. Opinio Canonistarum asserens in eo casu non dari Simoniã ex parte dantis, committi tamen ex parte recipientis. *Abbas.* *Redoan.* *Vgolin.*

Dicunt autem Doctores Canonistæ, in eo casu non committi quidem Simoniam ex parte dantis, de quo procedit ratio facta, commiti autem ex parte recipientis. Ita refert, & sequitur Abbas in cap. *Cum in Ecclesiæ* de Simon. num. 8. & sequitur Redoan. 1. part. cap. 8. num. 9. Contrarium verò etiam de recipiente tradit Vgolin. Tabula 1. cap. 42. §. agens in particulari de illo, qui accipit pecuniam, vt non eligat, vel ordinet Simoniacè. Et ratio eius est, quia ille non intendit Simoniam committere, sed potiùs vitare, quando pretium accipit pro illa vitanda. Sed ratio non est vniuersalis; quid enim si accipiat pecuniam non pro vitanda actione Simoniaca, sed pro vitanda electione iniusta indigni, vel absolutione peccatoris indispositi, & publici? tunc enim potest abstinere ab vno sacrilegio, & nihilominùs aliunde Simoniam committere. Imò etiam in priori casu non repugnat, velle vnam Simoniam vitare, & aliam committere. Siquis enim pretium accipiat, ne Simoniacè alteri beneficium conferat, nihilominùs Simoniam committit, & dum putat vnam vitare, in aliam relabitur. Eo vel maximè, quoniam ad Simoniam committendam non est necessarium habere formalem intentionem eius, sed satis est voluntariè facere contractum in materia Simoniaca.

8. Sententia Auctoris.

In hoc ergo puncto duo arbitror esse distinguenda ex parte recipientis pecuniam. Vnum est, si pro pecunia abstineat tãtùm à malitia illa, quam cogitabat, non verò ab actione ipsa, cui coniungenda erat malitia, vt si indignum erat electurus, potest ob pecuniam vitare illam praua circunstantiam, non tamen omittere electionem. Vel si in peccato erat celebraturus, potest pecunia induci, vt priùs confiteatur, & sic abstineat à sacrilegio, quamuis celebrationem non omittat. In hoc ergo casu formaliter loquimur, & dicimus, non committi Simoniam etiam ex parte recipientis, quicquid sit de iniustitia, vel turpi lucro, de quo aliàs. Probatur, quia tunc non vendit vsum alicuius

ius ſpiritualis doni, ſed vſum tantùm ſuæ libertatis. Item quia in aliis caſibus, & vniuerſaliter loquendo, recipere pecuniam pro aliquo peccato vitando, non eſt Simonia, vt per ſe conſtat. Aliunde verò eſſe poteſt, ſi propter pecuniam à tota actione ſpirituali, & non ſolùm à praua eius circunſtantia deſiſtat: tunc enim de illa omiſſione iudicandum erit iuxta ſequentes propoſitiones.

9. Poteſt committi Simonia in vſu negatiuo ſpirit. iuriſdictionis per ſolam omiſſionem.

Dico ſecundò. In vſu negatiuo ſpiritualis iuriſdictionis, per ſolam omiſſionem poteſt Simonia committi, ſi talis omiſſio moraliter cenſeatur prouenire à tali iuriſdictione, & habere effectus morales illi proportionatos. Quoad hanc ſaltem partem cenſeo veriſſimam ſecundam ſententiam, & bene probari ex cap. *Nemo*, & ex rationibus factis. Et declaratur vlteriùs. Nam in primis quòd aliquæ omiſſiones poſſint eſſe quaſi elicitæ moraliter à poteſtate iuriſdictionis, videtur manifeſtè probari ex iuriſdictione fori interni in negatione abſolutionis in illo foro, & per auctoritatem iudiciariam. Et ſimile intelligi poteſt in iuriſdictione fori contentioſi in indigna negatione abſolutionis à cenſura, & ſimilibus. Dices, quomodo omiſſio poteſt eſſe actus iuriſdictionis, cum actus non ſit, imò ſit nihil, & ens rationis? Reſpondeo, interrogando, quomodo omiſſio poſſit eſſe infinita Dei offenſio, & digna pœna æterna, cum nihil ſit, & ens rationis? Sicut ergo ad hoc reſpondendum eſt, illam omiſſionem, eſſe veram, & realem priuationem actus liberi debiti in eſſe, & vt ſic, eſſe quendam moralem vſum voluntatis liberæ offenſiuum Dei, ratione ſolius carentiæ, quia per hoc opponitur præcepto eius: Ita in præſenti reſpondendum eſt, omiſſionem illam non eſſe formaliter ens rationis, aut fictum, ſed eſſe priuationem realem, ac moralem, quæ ratione iuriſdictionis, cuius auctoritate talis actus denegatur, habet moralem vim ad plures effectus morales, quod ſatis eſt, vt dicatur actus iuriſdictionis. Nomine actus, comprehendo carentiam actus, iuxta morem philoſophorum. Addi etiam poteſt, hanc omiſſionem non exerceri ab homine ſine aliquo actu poſitiuo, quo Eccleſiaſticus iudex declarat ſe nolle abſoluere, vel iudicare hunc non eſſe dignum abſolutione, quia moraliter non datur pura omiſſio, & præſertim in vſu iuriſdictionis, quæ inter homines exercetur, & ideò non innoteſcit, niſi per aliquem actum. Verumtamen licet contingeret, talem vſum fieri per ſolam ceſſationem ab actu, nihil referret, & ſufficeret reſponſio data, vt magis ex ſequentibus conſtabit. Et præterea quando interuenit actus, ratio Simoniæ non conſiſtit in materiali actu poſitiuo, ſed tota ſumitur ex omiſſione, quæ eſt quaſi obiectum illius poſitiui actus, & veluti exterior actus eius. Vt quando volo non abſoluere, omiſſio exterioris abſolutionis eſt obiectum illius voluntatis, & quaſi imperatus actus eius, & ille eſt, qui per ſe venditur, & ratione cuius illa voluntas eſt materia Simoniæ. Et idem eſt de quolibet actu poſitiuo ſimili, qui in huiuſmodi omiſſione poſſit interuenire.

Cap. Nemo.

Difficultas.

Enodatur.

10.

Hoc ergo modo dicimus, omiſſionem hanc eſſe materiam Simoniæ, manetque probatum ex ipſa declaratione, quia reuera eſt quidam vſus, & exercitium ſpiritualis poteſtatis, quod non magis poteſt æſtimari, quàm ipſa abſolutio, quia æquè pertinet ad ſupernaturalem ordinem, & eſt quædam participatio diuini iudicij ſupernaturalis, maximè in foro pœnitentiæ, in quo hæc ſententia videtur multò magis indubitata. Et confirmatur, quia qui

Confirmatur.

A vendit illam omiſſionem, virtute vendit ipſam iuriſdictionem ſpiritualem, quia illa omiſſio non habet æſtimationem, niſi quatenus eſt aliquomodo ab illa iuriſdictione, & ab illa moralem quandam efficaciam habet, ergo tota ratio illius pretij ſumitur ex iuriſdictone ſpirituali, & ita illa eſt, quæ venditur. Confirmatur ſecundò, quia illa venditio non eſt ſine magna irreuerentia Sacramenti pœnitentiæ, vel Eccleſiaſtici iudicij. Vnde ex hac etiam parte illa eſt Simonia, quia venditur ibi ſpirituale iudicium. Nam virtute ſaltem fertur ibi ſententia condemnatoria per ſpiritualem poteſtatem: & in foro pœnitentiæ, quodammodo fit venale Sacramentum, quatenus illud iudicium, &
B acta illius venalia fiunt, prauè vtendo iuriſdictione illa. Dices? Ergo ſi quis propter pecuniam nolit omninò confeſſionem alicuius audire, erit Simoniacus. Reſpondeo, negando conſequentiam, quia illa omiſſio non eſt actus iuriſdictionis, nec poteſtatis ſpiritualis, vt iam explicabo.

Obiectio.

Satisfit.

Dico tertiò, Omiſſio actus ſpiritualis, ſi non ſit actus iuriſdictionis ſpiritualis, non eſt materia Simoniæ, niſi intuitu alicuius ſpiritualis boni vendatur, aut pretio, vel maiori pretio æſtimetur. Prior pars procedit, quando talis omiſſio ſolùm ſecundùm ſe ſpectatur, potéſtque in primis exemplis declarari in actibus, qui ſunt à mera poteſtate ordinis, vt ſi Clerico detur pecunia, nec Miſſam
C faciat, vel Epiſcopo, ne ordinet aliquem. Tunc enim nec Sacerdos, nec Epiſcopus committunt Simoniam. Et ratio eſt, quia illa omiſſio non eſt actus poteſtatis ordinis, ſed ſolius arbitrij, vnde ibi non venditur aliquid ſpirituale, ſed naturalis vſus libertatis. Imò interdum hoc poſſet ſine peccato fieri, ſi Sacerdos vel Epiſcopus non peccaret, non celebrando, vel non ordinando alium, & occurreret finis, vel occaſio honeſtans talem omiſſionem. Secundò poſſunt exempla afferri ex actibus virtutum, qui ad poteſtatem ordinis non pertinent, vt ſi detur alicui pecunia, vt Miſſam omittat, vel orationem, aut quid ſimile. Nam de illa omiſſione, & ſimilibus multò magis procedit ratio facta. Et præterea dare pecuniam alicui, vt aliquod peccatum committat, non eſt Simonia, vt conſtat, ergo nec dare pecuniam, vt omittat actum virtutis. Hæc verò ratio oſtendit, hanc partem non ſolùm procedere, quando actus non eſt debitus, & omiſſio poteſt ſine peccato haberi, ſed etiamſi debitus ſit, & omiſſio ſit peccaminoſa. Probatur, quia ſemper omiſſio illa eſt vſus, vel abuſus puræ voluntatis, & non alicuius poteſtatis, aut gratiæ ſpiritualis, & quando actus eſt debitus, ſolùm additur omiſſioni ratio peccati, quæ non facit omiſſionem eſſe magis ſpiritualem, ſed ſolùm eſſe peiorem, quod non refert ad rationem Simoniæ. Atque ita dare alicui pecuniam, ne ingrediatur Religionem, vel illam accipere ſub tali promiſſione, non eſt Simonia, quia nihil ſpirituale ibi interuenit. Quod verum eſt, etiamſi qui vendit negationem ingreſſus, haberet ex voto obligationem ingrediendi? nam licet in eo ahàs grauiſſimè peccet, non tamen eſt Simoniacus, propter rationem dictam.

D

E

11. Omiſſio actus ſpiritualis, ſi non ſit actus iuriſd. non eſt materia Simoniæ, niſi intuitu alicuius boni ſpirit. vendatur.

Sed quid, ſi actus ſit debitus ex officio ſpirituali, vt ſi Parochus, qui ex officio tenetur Miſſam dicere, propter pretium illam omittat? Item ſi nolit confeſſionem ſubditi audire, quando tenetur; nam tunc etiam videtur ſua iuriſdictione, & officio abuti. Cur enim negare propter pretium abſolutionem in Sacramento debitam, eſt Simonia, & venditio ſpiritualis iuriſdictionis, & ven-

12. An Simonia ſit omittere propter pretium actum debitum ex officio.

dere negationem totius confessionis,& absolutionis,non est Simonia,cum illæ omissiones eiusdem speciei esse videantur; vtraque enim est iniustitia quædam contrà obligationem ratione officij.Item si negare officium debitum, non est Simoniæ materia, quomodo verum est, quod in dicto c. *Nemo* dicitur propter pecuniam non denunciare publicum peccatorem esse Simoniam?Nam illa negatio non est actus iurisdictionis, sed omissio cuiusdam actus debiti ex charitate, vel ad summum ex obedientia, vel iustitia legali. Item si Parochus pretio corruptus negat subdito auditionem confessionis, aut aliud Sacramentum, non est Simoniacus: ergo etiam negando illi licentiam eligendi alium Confessorem propter pretium, non erit Simoniacus, minùs enim videtur esse hoc, quàm illud. Consequens autem non consonat his, quæ diximus, nam illa negatio licentiæ, actus iurisdictionis est. Denique examinatores Ecclesiastici, constituti ad examinandas personas in ordine ad beneficia, ordines, &c. vel eorum vsus,si pretio corrupti non approbent dignum, sunt Simoniaci, & tamen non vtuntur iurisdictione, sed solùm quia non exercent spiritualem actum ex officio debitum, ergo non est vniuersaliter vera dicta propositio. Et ita obscurum manet,quæ certa regula possit in hoc assignari.

Cap. *Nemo.*

13. Resoluitur illam omissionem actus debiti non esse materiã Simoniæ.

Respondeo ad primam interrogationem, illam omissionem in rigore non videri materiam Simoniæ, quia non est actus iurisdictionis,nec ex se habet aliquem effectum moralem ad iurisdictionem pertinentem, sed solùm est voluntarius non vsus iurisdictionis. Vnde licet illæ omissiones in ratione iniustitiæ conueniant,parùm id refert ad rationem Simoniæ,quia vendere iniuriosam actionem, vel omissionem, non est per se materia Simoniæ, sed tunc solùm quando illa iniuria fit in vi, & auctoritate spiritualis iurisdictionis, & per actum, vel negationem actus quasi imperatã, vel elicitam à potestate iurisdictionis, tunc enim per relationẽ ad tale principium actus est spiritualis, & materia Simoniæ. Et sub hac ratione omissiones illæ differunt specie morali tanquam actus iurisdictionis,

Obiectio. *Vgolin.*

& actus priuatus ad iurisdictionem non pertinens. Sed obiicit Vgolin.dicto §.2.& 3. Vbi oppositum videtur vniuersaliter tenere, quia qui propter pecuniam desinit vti suo spirituali munere, vel potestate, commutat spirituale pro temporali, quia pro temporali spirituale negatur.

Solutio.

Respondetur, hoc non esse commutare spirituale pro temporali, quia negatio actus spiritualis, si alioqui non sit actus iurisdictionis, nec valorem suum accipiat ex spirituali,(de quo statim dicemus) non est aliquid spirituale, sed est voluntarius quidam vsus naturalis libertatis.

14. Non denunciare publicum peccatorem, non est materia Simoniæ.

Igitur ad alteram interrogationem de actu non denunciandi publicum peccatorem, concedo illam omissionem per se spectatam non esse materiã Simoniæ, etiamsi sit contra obligationem charitatis,vel obedientiæ,aut contrà legalem iustitiam, quatenus esse potest cõtrà bonum commune, quia per hoc non habet, quod sit in se aliquid spirituale, nec quod ex aliqua spirituali potestate nascatur, aut titulo eius fiat, seu quasi fiat: sed solùm ex praua voluntate. Ad cap. autem *Nemo* negari potest facilè,ibi affirmari,illam esse Simoniam. Duas enim habet partes textus ille, vnam à principio vsque ad versiculum. *Nec quemquam*, exclusiuè; aliam in toto illo versiculo vsque ad finem. Et in priori prohibetur presbyteris,ne accipiant aliquid temporale propter celandum publicum peccato-

Explicatur argum. petitum ex cap. *Nemo.*

A rem Episcopo,vel ministris eius. In illa autem prima parte nullum de Simonia verbum est,prohibetur ergo illud tanquam contrarium bonis moribus, & officio Clericorum, non tanquam contrarium Religioni,neque vt Simonia. In secunda autem,prohibentur Clerici reconciliare quempiam, vel reconciliationẽ alicui negare propter pretium, & de his ratio redditur,*quia Simoniacum est vtrumq;* quæ verba non referuntur ad priorem partem capitis,sed tantùm ad hanc posteriorem:nam vox illa *vtrumque* tãtùm duas partes complectitur,quæ debent esse proximè præcedentes, ergo non cadit in eas, quæ remotè præcesserant, aliàs si Pontifex voluisset omnia præcedentia complecti, cùm illa sint plusquàm duo, non deberet dicere,*quia vtrumque,*

B sed *quia omnia hæc Simoniaca sunt*, Sed Panor. ibi hunc sensum non probat, quia non est maior ratio de prioribus casibus,quàm de posterioribus. Vnde ad rationẽ factam respondet,illud *vtrumque* referri ad vtramque partem textus,nam casus singularum partium tanquam vnus reputantur propter similitudinem. Sed certè duo casus positi in posteriori parte in se spectati sunt adeò dissimiles vt de reconciliatione pœnitentis non sit dubium, quin sit materia Simoniæ, & de alio casu,scilicet negatione reconciliationis,magnum sit dubium:sine causa ergo dicitur, tanquam vnum reputari propter similitudinẽ. Neque ergo signum *vtrumque* ad illas duas partes textus meliùs refertur, nec est verum,

C non esse maiorem rationem in his casibus posterioris partis,quàm prioris,quia hi posteriores sunt actus iurisdictionis, non verò priores. Et certè Innoc. quando dixit, in eo textu prohiberi Simoniam similitudinariã, de priori parte textus loquitur, seu de omissione denunciationis debitæ. Ita enim concludit,*Non enim dicitur propriè Simoniacus, qui celat per gratiam crimen alterius.* De vlt.verò parte textus nihil dicit. Et Hostiens. etiam licet vocem, *vtrumque*, referat ad totum textum, tamen improprietatem Simoniæ ponit in casu non denunciandi. Vnde si quis instet. Si vitium prohitum in prima parte textus, non est Simonia, cur ibi ponitur sub titulo de Simonia: Respondebitur, non omnia prohibita sub illo titulo esse propriè Simoniaca,sed quædam obiter adiungi propter analogiam

D aliquam, vt multis aliis exemplis ostendi potest, quæ in sequentibus attingemus.

Panor. *Innoc.* *Hostiens.*

15. *Gloss. Panor.*

Nihilominùs Gloss. Panormit. & alij, vt dixi, cum particulam *vtrumque* ad totum textum referunt, videntur cognoscere propriam Simoniam in illa omissione denunciationis debitæ;& idem sentit Diuus Thomas suprà, & apertè Anton. Sylu. est.cum Paludano locis citatis. Et hinc Vgolinus dicto cap. vigesimo quarto §. 3. concludit,esse Simoniacum Parochum, qui pro pecunia non denunciat Episcopo subditum suum, qui tempore Quadragesimæ, & Paschatis Sacramenta non suscipit. Neque aliam rationem affert, nisi quia propter pecuniam desinit exercere officium suum,

D. *Thom. Anton. Sylues. Palud. Vgolin.*

E hæc tamen ratio non est sufficiens, vt ex dictis constat. Posset ergo aliter exponi textus ille, vt etiam in priori parte loquatur de presbytero qui exercendo aliquo modo suam iurisdictionem, seu pastoralem curam, delictum subditi celat Episcopo. Non enim ibi dicitur vniuersaliter, omnem hominem, qui debitam denunciationem omittit propter pecuniam, esse Simoniacum; sed specialiter est sermo de presbyteris: intelligendum est ergo de presbyteris,ad quos ex officio pertinet delicta hæc corrigere, vel deferre ad Episcopum, vt emendentur; ipsi verò abuuntur offi-

Exponitur aliter idem cap. Nemo.

cio

cio suo, ad celandos subditos peccatores, verbi gratia, in casu illo de non suscipiente Eucharistiam in Paschate, si Parochus inter eos, qui communicarunt, scribat eum, qui non communicauit, vt ab Episcopo illum occultet, & perinde est, si scribendo eos, qui non communicarunt, vt Episcopo eos denunciet, illum omittat, qui pecuniam dedit, nam tunc abutitur suo munere, & quasi iurisdictione, & quantum in se est, impœnitentem absoluit, & à censura liberat per talem abusum propter pecuniam. Quæ doctrina in se est valdè verisimilis, & probabilis, & licet ex priori parte textus non satis colligatur, tamen in posteriori, virtute continetur. Iuxta illam intelligi debet D. Thom. suprà dicta solut. ad tertium, cum ait, Simoniacum esse pastorem, qui pecuniam accipit, *Vt subditum corrigat, vel à corrigendo desistat.* Nimirum in vtroque vtendo aliquo modo sui muneris auctoritate, & cura, seu iurisdictione.

Si Parochus ex pretio nõ denũcier subditam nõ su scipienté Eucharistiam, probabile est committere Simoniam.

D. Thom.

16. Negare subdito iustè petẽti actũ aliquem spirit. quãdo fit Simonia, si ex pretio fiat. Vgolin.

In tertia instantia petebatur, an negare licentiam subdito iustè petenti illam, vt alteri confiteatur, sit materia Simoniæ, ita vt si negetur propter pretium, Simonia committatur. Videtur enim posse illam esse meram negationem vsus sui muneris, & ita non magis esse materiam Simoniæ, quàm negationem celebrationis, vel aliam similem. Nihilominùs probabiliùs videtur, illam esse materiam Simoniæ, quod sentit Vgolin. tit. 1. cap. 36. §. 3. num. 6. solùm verò probat, quia est Simonia accipere pretium pro spirituali non administrãdo. Sed quia hoc vniuersè sumptum, & præcisè spectatum non est verum, vt dixi; oportet addere, in illo casu ita non administrari iurisdictionem in vno actu, vt illamet negatio sit vsus iurisdictionis, & ab illa auctoritatem accipiat, & vim quandam habeat ligandi subditum, ne possit actum exercere, quem legitimè postulat. Hæc ergo est pro regula suscipienda, quia de singulis casibus in particulari dicere extrà doctrinam est, prudenterque discernendum est ex effectu negationis, an per eam exerceatur moraliter iurisdictio spiritualis, vel solùm sit mera negatio, qualis esse potest, quando Parochus omittit actionem sui muneris, vel vt venationi intendat, aut ludat, vel dormiat. Nam in hoc posteriori casu non est Simonia vendere negationem actus, etiamsi fortasse actus omissus excellentior, & spiritualior sit: in priori autem casu Simonia committitur, cognoscetur autem ex effectu, vt si iudex Ecclesiasticus pecunia corruptus nihil agendo tacitè condonat delictum, vel præcipit, vt contra criminosum non procedatur, aut iniustum dilationem permittit in damnum alterius, si negat licentiam ex iustitia debitam, & ita virtute ligat subditum, ne Ius suum, vel remedium quærere possit. In his enim, & similibus casibus non est tantùm negatio vsus, sed est moralis vsus iurisdictionis spiritualis, & ideò materia est Simoniæ.

Regula generalis.

17. Examinator cõmittit Simoniam, si pro dãda approbatione pretium accipiat.

Gloss.

In vltima verò instantia de examinatoribus ecclesiasticis in ordine ad functiones ecclesiasticas, ratio dubitandi specialis est, an examinatores dicendi sint vti potestate iurisdictionis. Sed breuiter dicendum est, quòd licet propriam, & rigorosam iurisdictionem non habeant, participant nihilominùs aliquo modo potestatem eius, qui vices suas illis commisit. Vnde sine dubio ministerium illud, prout ab illis exercetur, ecclesiasticum est, & spirituale. Quapropter si pro danda approbatione, examinator pretium recipiat, Simoniam committit, vt apertè sensit Glossa in capit. 1. de Simon. verb. *Minister*, loquens inxtà textum de examinatore ad ordines suscipiendos: est autem eadem ratio de examinante ad vsum ordinum susceptorum, vel ad beneficia. Et in illo vendente approbationem, est peculiaris ratio, quia cooperator ad actum spiritualem complendum per Prælatum, & parat viam ad illum, vel potiùs ad illum disponit vice Episcopi, ideóque Simoniam etiam ex hoc capite committit. Sic ergò è contrario dicendum est iuxta regulam dicto capit. *Nemo*, examinatores huiusmodi repellendo dignos, seu, quod idem est, non approbando illos propter pretium, Simoniam committere: quia illa omissio, est auctoritatiua (vt sic dicam) & à iurisdictione, seu munere ecclesiastico procedit, habetque vim declarandi examinatum vt indignum, etiamsi per solam omissionem fieri videatur.

Cap. *Nemo*.

Ex his ergo satis probata, & explicata manet assertio quoad generalem regulam pertinentem ad spiritualem actuum omissionem, quæ ab spirituali potestate non procedit: addita verò est exceptio, seu conditio limitans regulam, quam explicare necesse est. Diximus enim, hanc omissionem non esse materiam Simoniæ, nisi intuitu alicuius boni spiritualis, pretio æstimetur. Cuius limitationis ratio clara est ex dictis, quia res spiritualis non solùm vendi non potest tanquam proxima materia venditionis (vt sic dicam) verùm etiam nec vt ratio æstimationis alicuius rei pro pretio temporali, quia tunc etiam res spiritualis est, quæ pretio æstimatur, imò illa maximè, quia propter quod vnumquodque tale, &c. Quod posset aliis exemplis comprobari de Calice consecrato, si ratione consecrationis pluris vendatur, & de labore etiam accidentario, qui ad ministerium spirituale adhibetur, & in vniuersum de omnibus rebus temporalibus, si specialiter propter ordinem ad spiritualia vendantur, vt dixit Diuus Thomas dict. quæst. 100. artic. 4. ad 1. Sed declaratur vlteriùs propriis exemplis. Nam, si in oppositione ad beneficium, pecunia detur alicui, vt non opponatur, & eo intuitu alterius electio certior, vel probabilior sit, Simonia committitur, argument. capit. *Matthæus*, de Simonia. Ex quo potest aliud exemplum sumi, siquis ante obtentum beneficium det pecuniam alicui, vt non contradicat, de quibus plura dicemus infrà agentes de beneficiis. Et videri potest Maiol. lib. 5. de Irregular. capit. 45. numer. 3. Aliud exemplum est, siquis propter pretium Missam omittat, quam audire solet, æstimans pretio temporali spirituale lucrum, quod illi cessat ex illa omissione, eoque titulo cariùs vendens illam omissionem: tunc enim omissio illa sic vendita mihi videtur materia Simoniæ, quia dum cessatio lucri spiritualis pretio æstimatur, ipsum etiam spirituale lucrum pretio æstimatur; tantumdem enim æstimari solet cessatio lucri, quantum esset, & æstimaretur ipsum lucrum si fieret. Et tunc ad illam æstimationem optimè applicantur verba Christi, *Gratis accepistis, gratis date.* Nam etiam Missam, quam aliquis potest audire, à Deo gratis accepit: & licet illam vt suam sua voluntate non audiat, nihilominùs ex parte Dei, iam illam accepit, & similiter accepit lucrum, quod posset inde reportare, si vellet. Cùm ergo propter pecuniam illud omittit, rem spiritualem gratis à Deo datam pretio vendit, illa se priuando propter pretium, & illam quodammodo alteri dat, non in eum illam transferendo, sed propter eum iacturam illius faciendo. Hoc ergo Simoniacum est. Nam si contingat, hominem honesta ratione se priuare vno spirituali opere, vt alteri inseruiat, licet suum seruitium vendere possit, quia temporale est

18. Limitatio suprà posita explicatur.

D. Thom.

C. Matthæus.

Maiol.

(vt

(vt ſuppono)& conſequenter etiam poſſit vendere A materialem(vt ſic dicam)omiſſionem illam,quatenùs in illa obſequitur voluntati alterius, iacturam autem ſpiritualem vendere non poteſt, ſed gratis, ac ex charitate eam pati, tunc enim non temporali pretio,ſed alio æquiualenti,vel maiori fructu compenſabitur.

19. Soluũtur argumenta 1. ſententiæ.

Atque ex his facile eſt reſpondere argumentis primæ ſententiæ, quatenùs contra noſtram procedere poſſunt. Ad primum enim iam declaratum eſt, quomodo omiſſio,quando ex auctoritate Eccleſiaſtica exercetur, habeat rationem actus moralis iuriſdictionis, & ideò poſſit eſſe materia Simoniæ. Item declaratum eſt, quomodo etiam illa omiſſio, quæ non eſt actus iuriſdictionis,ſi ratione ſpiritualis iacturæ pretio æſtimetur, ſit materia Simoniæ, B quia non venditur ſpirituale bonum tantummodo illud propriè dando alteri propter pretium, ſed etiam compenſando iacturam eius, pretio. Ad ſecundum etiam declaratum eſt,quomodo qui omittit,poſſit dici dare,quia vel dat vſum quendam iuriſdictionis;exercere enim iuriſdictionem,eſt quaſi dare illam,nam per actum poſitiuum non aliter datur:vel dare dici poteſt, qui ſe priuat lucro propter alterũ;vnde ſi lucrum ſit ſpirituale, & ceſſatio eius pretio æſtimetur,lucrum ipſum ſpirituale non gratis, ſed pretio datur. Ad confirmationem dicitur primum interdum peccari per omiſſionem contra præceptum negatiuum, vt non reſtituendo peccat aliquis contrà præceptum non furandi. Verum eſt, tunc ſemper ſupponi aliquid affirmatiuum, quod C eſt retentio rei alienæ,ſeu alteri debitæ,quod in his omiſſionibus ſpiritualibus aliquo modo cõſiderari poteſt nam qui non abſoluit, quaſi retinet abſolutionem alteri debitam,& ſic de aliis. Verumtamen clariùs dicitur, eſſe æquiuocationem in illo argumento, nam licet in præſenti materia Simoniæ ſit omiſſio tamen peccatum Simoniæ, quod circa illam committitur, non eſt omiſſio ſed commiſſio, ſcilicet venditio omiſſionis, & ita poteſt optimè eſſe contra præceptum negatiuum Chriſti. Sicut ſi quis ab vno acciperet pretium pro non mutuando alteri, iniuſtus eſſet,& contra præceptum negatiuũ non furandi peccaret,& peccatum illud ad vſuram pertineret. Ad tertium denique iam conſtat ex dictis,quando datur alicui pecunia ne indignè eligat, D vel Simoniacè ordinet,nõ dari pecuniam,vt omittat actionem ſpiritualem, ſed vt abſtineat à vitioſa circunſtantia eius & ita ceſſat obiectio.

20 Omiſſiones actuum ſpirit.non omnes ſunt eiuſdem modi.

Addimus verò, non omnes omiſſiones ſpiritualium actuum,eſſe eiuſdem modi,& rationis,& ideò non oportere, vt omnes æqualiter ſint materia Simoniæ,quia vel non æquè ſpirituales ſunt, vel non accipiuntur ſub ſpirituali reſpectu. Omiſſiones ergo, quæ altero ex illis duobus titulis ſunt materia Simoniæ,ſcilicet,quia vel ſunt actus ſpiritualis poteſtatis, vel ſub reſpectu ſpirituali ſumuntur, ſemper ſunt talis materia, & reddunt actum emendi,& vendẽdi ita per ſe malum,vt ſemper malus ſit. Aliæ verò omiſſiones, quæ non ſunt huiuſmodi, per ſe non ſunt materia Simoniæ,& ideò contingere po- E terit, vt venditio earum non ſolum Simonia non ſit,ſed etiam nec vitioſa actio;nam proxima materia eius indifferens eſt, poteſtque ex fine honeſtari. Addo denique licet omiſſio ſpiritualis actionis hoc poſteriori modo ſumpta, per ſe non ſit materia Simoniæ, nihilominùs per Ius poſitiuum poſſe fieri materiam Simoniæ. Vt v.g. ſi Ius poſitiuum abſolutè prohibeat Parocho, vt pretium non accipiat pro omittendis actionibus ſui muneris, cuiuſcunque generis ſint,idque eo intuitu, ne munus illud, & actiones eius vileſcant, & indignè tractari cenſeantur:tunc reuera omnis talis venditio eſſet vera Simonia,& in multis omiſſionibus poſſet eſſe mala,quia prohibita,& nõ è conuerſo.Et fortaſſe poſſet etiam hoc modo exponi c. *Nemo* ſuprà tractatũ præſertim quoad priorem partem.Non enim magis repugnat, dari Simoniam de Iure humano in hac materia, quàm in aliis, de quibus infrà dicemus. Imò facilè intelligitur,inueniri proportionem,quia omiſſio ſpiritualis actus,licet aliquando per ſe,& in ſe ſpiritualis non ſit, tamen reducitur quodammodò ad ſpiritualem, ratione habitudinis, & ob eandem cauſam venditio illius poteſt habere indecentiã,vel periculum, & ſpeciem quandã turpitudinis, & ideò meritò poſſet prohiberi intuitu tantùm Religionis per huiuſmodi autem prohibitionem conſtituitur aliqua materia Simoniæ de Iure poſitiuo.

Ad argumenta ſecundæ ſententiæ reſpondere 21. non eſt neceſsè,quia probant, omiſſionem in caſibus à nobis declaratis poſſe eſſe materiã Simoniæ. Non tamen probant omnem omiſſionem ſpiritualis actionis abſque alia conſideratione eſſe materiam Simoniæ,vt facilè conſideranti patebit.

CAPVT XXIII.

An id,quod ſpirituale non eſt, niſi quia eſt annexum ſpirituali, ſit materia Simoniæ?

HActenùs dictum eſt de illa materia Simoniæ, quæ in ſe ſpiritualis eſt aliquo modo,ſiue dicatur per eſſentiam ſpiritualis,ſiue per cauſam,ſiue per effectum: nunc ſupereſt dicendum de materia ſpirituali per connexionem, id eſt, de rebus, quæ cẽſentur materia Simoniæ,quia licet in ſe ſpirituales,non ſint, ſunt annexæ ſpiritualibus rebus. Nam licet obiter multa de his rebus in ſuperioribus attigerimus,vt de materia ſacrorum vaſorum, & locorum,de corporalibus operibus, laboribus, & ſimilibus,quia ſine illis non poterant benè explicari omnia,quæ ad ſpiritualem materiam explicandam neceſſaria erant,nihilominùs materia hæc propriã, & prolixam diſputationem poſtulat, præſertim quoad ea,quæ dicuntur annexa ſpiritualibus, quia ſpiritualia præſupponunt & ab eis pendent, quæ maximè ſunt Eccleſiaſtica beneficia, de quibus hactenus nihil diximus. Vt autẽ plena notitia habeatur huius materiæ, quæ annexa ſpiritualibus dicitur,& rerum,quas ſub ſe comprehendit, aduerto in primis annexionem hanc conſiſtere in vinculo aliquo,quod inter rem vnam, quæ annectitur,& alteram, cui annectitur, intercedit, vt vox ipſa præ ſe fert.Hoc autem vinculum optimè reducitur ad aliquod cauſalitatis genus,quia connexio dicit aliquã neceſſariam adhæſionem, vel conſecutionem, quæ ſine aliquo cauſalitatis modo inueniri non ſolet:& ita eſſe poteſt vna res cũnexa alteri, vel quia ad illã ordinatur aliquo modo,vel quia in illa eſt, ſicut in materia,vel quia ab illa pẽdet,ſicut à cauſa efficiẽte.

1. Annexio cõſiſtit in aliquo vinculo, quod intercedit inter rem, quæ annectitur, & inter illud, cui annectitur.

2. Tria genera annexorũ diſtinguntur, antecedẽter ſcilicet,conſequenter, & concomitãter.

Aque hinc diſtingui ſolent tria genera annexorum rebus ſpiritualibus,ſcilicet,antecedenter,conſequenter, & concomitanter, quia interdum id, quod dicitur annexum, conſideratur vt cauſa eius, cui dicitur annexum; & tunc dicitur eſſe antecedenter annexum, quia cauſa antecedit effectum. Interdum conſideratur, vt effectus, qui ſe habet conſequenter ad cauſam;interdum vt coniunctum intrinſecè, & quaſi vnitum ad componendum vnum totum; & tunc dicitur eſſe annexum concomitanter

mitanter. Aliqui verò hoc tertium membrum reiiciunt,& D.Thomas illud omisit,ideoque posteà de illo dicemus. Prima verò duo membra ab omnibus admittuntur, vt videre licet in D. Thoma, q. 100.art.4.Anton.2.part.tit.1.cap.5.§.21.Sot.quæst. 7.art.1.Nauar. cap.23.numer.99.Sylvest. verb. *Simonia*, quæst.1.Angel.nu.4.& aliis infrà referendis. Ex quibus solus Nauar.illa duo membra ita declarat, vt ea dicantur antecedenter spiritualibus annexa, quæ in habente illa,nihil aliud requirunt,nisi Christianismum,vt Ius patronatus,ait,Ius sepulturæ, & Calix.Illa verò dicũtur esse talia consequenter quæ in habente requirunt aliquem ordinem, vel consecrationem præter Baptismum vt beneficia Ecclesiastica, & officia. Sed his terminis non explicatur ratio connexionis,nec in Calice,& similibus apparet,quomodo supponunt tantùm Christianismum, nam in vtente sæpè requirunt plus, quàm Chtistianismum, in ipsa verò materia nihil tale requirunt. Aliqua etiam sunt officia Ecclesiastica, quæ non requirunt plus, quàm Christianismum in habente,vt infrà videbimus.

D Thom. Anton. Sot. Nauar. Sylvest. Angel.

3. Quæ dicantur antecedere annexa, quæ consequenter.

Propriè igitur explicantur illa duo per habitudinem causæ,vt dixi.Et D.Thom. significat, illa dici talia antecedenter, quæ secundùm se tempore possunt præcedere ad spiritualia, illa verò consequenter, quæ omninò supponunt spiritualia, quibus annectuntur. Itaque sub primo membro ponit D.Thom.d.quæst.100.art.4.Ius patronatus,& vasa sacra. Sed de Iure patronatus infrà dicturi sumus: habet enim quæstionem, an sit spirituale, vel tantùm spiritualibus annexum, & licet sit annexum, an sit tantùm antecedenter, vel etiam aliis modis, sub vasis autem sacris comprehendit D. Thomas omnia, quæ ordinantur ad sacrorum vsum, & ad diuina officia,vt templa,vestes sacras, &c. Addunt etiam aliqui,ad hanc speciem pertinere Sacramentalia,vt sunt Catechismus, Exorcismus, & similia, quæ præcedere solent ad Sacramentum,& ad illud ordinantur, vt & Religiosiùs fiat, & faciliùs suum consequatur effectum,ablatis impedimentis, quod

Nauar.

insinuat Nauar.cap.23.num. 99. vbi omnia Sacramentalia,& omnia Iura, vel munia ab Ecclesia instituta inter hæc annexa spiritualibus ponit. *Quia omnia sunt* (inquit) *addita humanitùs spiritualibus datis diuinitùs*,& ideò rectè illis annexa dicuntur.Sed hoc mihi non placet, nam multa ex his spiritualia sunt, & non propriè spiritualibus annexa, vt statim dicam. Sub altero autem membro ponunt D.Thom. & omnes,Ecclesiastica beneficia, quæ sunt annexa spiritualibus officiis tanquam dependentia ab illis, & tanquam propter illa instituta, quia beneficium datur propter officium. Item quia beneficium supponit aliquem ordinem, & illi quasi annectitur. Addit verò Sylvest. ad hæc annexa pertinere functiones verbi gratia sacerdotij, vt celebrare; nam pendent ex ordine, cui propterea annexæ sunt. Sed hoc non propriè dicitur, & confusionem parere potest in hac materia.

D.Thom.

Sylvest.

4. Connexio causalis non solùm inuenitur inter materiale,& spirituale sed etiam inter spiritualia inter se. Quæ dicãtur propriè annexa spiritualibus

Et ideò aduertendum est, connexionem illam causalem, quam explicuimus non solùm inueniri inter materiale,& spirituale, sed etiam inter spiritualia inter se, vt officium Canonicum rectè dicitur annexum ordini sacro,& consecratio Corporis Domini ordini sacerdotali tanquam pendens ab illo. Et è contrario oblatio panis, & vini, quæ in Missa fit ante consecrationem, dici potest annexa antecedenter consecrationi tanquam ad illam præparans, & ordinata. Propriè ergo annexa spiritualibus dicuntur secundum quandam exclusionem, seu præcisionem,ita vt illa dicantur talia,quæ cum in se materialia sint, & non per se spiritualia, ratione solius connexionis cum illis, spiritualia censentur,& materia sunt Simoniæ:nam alia,quæ in se spiritualia sunt, licet sint connexa cum aliis spiritualibus,simpliciter spiritualia dicuntur,non spiritualibus annexa.Aliàs sola potestas ordinis,&iurisdictionis, & habitus gratiæ dicenda essent spitualia: nam reliqua omnia spiritualia illis annexa sunt aliquo modo.Vnde fit vt nec functiones ordinum, nec Sacramentalia omnia sint numeranda inter hęc annexa, quia multa ex illis in se spiritualia sunt, & ex spiritualibus principiis manant, & ad spiritualem finem ordinãtur.Et ita videntur exponere hæc annexa communiter Iuris interpretes in c. *Consulere*, de Simon.præsertim Ioan.Andr. & Abb. & in cap. *Quanto* de Iudi. Vbi etiam Anton. de Brut. & Archid.in cap. 1.quæst.1.

Ioan. Andr. Abbas. Anton. Archid.

5. Non omnia spiritualia, quæ sunt ex sola institutione Ecclesiæ sunt ex his annexis.

Et ex eodem principio sequitur, non omnia spiritualia,quæ sunt ex sola institutione Ecclesiæ, esse ex his annexis,quia multæ benedictiones,& consecrationes sunt ex institutione Ecclesiæ, & tamen non sunt materia Simoniæ tanquã annexa spiritualibus, sed tanquam functiones in se verè spirituales,vt suprà visum est. Imò ad hoc(vt dixi) parum refert, quod actio sit instituta ab Ecclesia, vel à Christo immediatè, dummodo per institutionem, veram spiritualitatem consequatur. Nam Ecclesiastica institutio mediatè saltem ad diuinam reducitur, quatenùs per potestatem diuinitùs datam fit, vt prima tonsura, & collatio eius ex Ecclesiæ institutione est, & nihilominùs materia est Simoniæ tanquam spirituale quid, & non solùm vt annexum,in quo æquiparatur collationi ordinum, licet secundùm magis, & minùs intra illum differat. Idémque dicendum est de actionibus sacris,quæ in Baptismo verbi gratia fiunt tanquam accidentales cæremoniæ,& Sacramentalia illius, nam sunt per se,& propriè materia spiritualis Simoniæ, & non tantùm ratione connexionis ad Baptismum, licet illam connexionem habeant in ratione dispositionis quasi eiusdem ordinis.

6. Quo pacto vasa sacra dicantur annexa spiritualibus.

Vnde cum vasa sacra inter hæc annexa numerantur, non est intelligendum de ipsis vasis, vt sacra sunt, quamuis etiam vt talia sunt, reuera sint annexa Sacramentis, seu sacris vsibus, sed est intelligendum de ipsis vasis ratione materiæ, quæ subest consecrationi. Nam vas ipsum vt sacrum quid spirituale est, & non tantùm annexum, materiale autem ipsum solùm per annexionem sacrum factum est. Cuius etiam argumentum est, quia vas ratione materiæ rectè dicitur antecedenter annexum, quia supponitur consecrationi, vas autem consecratum non tantùm antecedenter, sed vt tale est, iam est in se quid spirituale: dici posset consequenter annexum, quia est effectus spiritualis functionis, & potestatis. Denique est clarum argumentum quia D.Thom. ait hæc annexa antecedenter posse interdum vendi, quod est verum de materia, non de vase, vt consecratum est. Interdum verò hæ res non sunt specialiter benedictæ, aut consecratæ, sed deputatæ tantùm ad cultum Dei,& inde tantùm sacrę censentur,& tunc magis propriè videntur inter ea computari, quæ solùm ratione connexionis spiritualitatem habere censentur. Sic etiam cùm beneficium dicitur esse annexum consequentes spiritualibus,intelligendum est de beneficio ratione præbendæ, quæ respicit temporalia emolumenta, non verò ratione officij, cui est annexa præbenda, nam illud spirituale est

le est in se, licet interdum sit ex institutione Ecclesiæ, & annexum spirituali ordini. Considerandа est ergo annexio, non inter spiritualia inter se, sed inter materiale, & spirituale, siue illud spirituale sit ex institutione Ecclesiæ, siue ex diuina, & siue connexio illa sit ab ipso Deo immediatè; siue per Ecclesiam sit facta. Vt frequèter facta esse videtur in his, quæ tantùm antecedenter, & consequenter annexa sunt Spiritualibus, vt patet ex exemplis adductis in illis mẽbris, & ex his, quæ in particulari de multis dicemus, amplius constabit.

7. Quid sentiẽdũ de tertio membro annexorum. *D. Thom. Richard. Gabr. Durand. Redo.*

Et ex his constat, quid de tertio membro horum annexorum sentiendum sit, nam licet D. Thomas & multi illud non posuerint, alij Scholastici illud posuerunt, vt Richard. in 4. dicta 25. art. 3. quæst. 3. & ibi Supplementum Gabr. quæst. 2. art. 1. notab. 1. in fine. Durandus quæst. 3. numer. 10. & Redoan. part. 1. cap. 7. in fin. cap. 27. per totum, & capit. 29. numer. 2. Nec videtur omninò improbandum hoc membrum, quia spiritualia munera per actiones materiales fiunt, quæ actiones, licet supposita institutione sacra, simpliciter spirituales sint, nihilominùs secundùm se spectatæ materiales sunt, & connectuntur intimè, & concomitanter spiritualibus rationibus. Vnde etiam Caietanus dicta quæstione 100. art. 3. & in Summ. verb. *Simonia*, *Caiet.* hæc vocat composita ex spirituali, & materiali, cur ergo illud materiale non potest dici annexum illi spirituali concomitanter? At verò D. Thomas *D. Thom.* hoc membrum omisit, quia de toto illo opere iudicandum est in ordine ad Simoniam tanquàm de re simpliciter, & secundùm se spirituali. Et hoc quidem optimè dicitur de actionibus ipsis, in quibus spirituales functiones consistunt, & de eorum labore intrinseco, iuxta ea, quæ de illis suprà diximus; siue sint functiones Sacramentorum, siue Sacramentalium, benedictionum, & consecrationum, siue diuinorum officiorum, in omnibus enim actio ipsa materialis est veluti essentialis pars ipsius functionis spiritualis, & ideò non tam propriè dicitur annexa rei spirituali, quàm spiritualis. Sed non oportet de voce contendere, cùm de re constet. Possunt verò intelligi quædam alia accidentaliter concurrentia concomitanter, vt est, verbi gratia, labor cantorum in choro canentium, quorum opera, & labor non est spiritualis, videtur tamen esse spiritualibus annexus. Sed hæc non numerantur propriè inter annexa, prout hîc diuiduntur, hîc enim tractamus de his, quę aliquo modo per se sunt annexa saltem communi Iure, illa verò, quæ sunt per accidens, non considerantur; siue enim antecedant, siue sequantur, siue comitentur, simpliciter temporalia sunt, & reputantur, & vt talia æstimari possunt, vt suprà dictum est.

8. 1. Assertio. Non potest vendi annexũ spirituali quatenùs tale. *D. Thom.*

Ex hac ergo terminorum declaratione colligitur propositæ quæstionis resolutio, quæ in quatuor assertionibus consistit. Prima est, Annexum spirituali, quatenùs tale est, id est, ratione connexionis, quam habet ad spirituale vendi non potest. Hæc est D. Thomæ dicto articul. 4. ad primum & omnium. Et ratio constat ex suprà dictis, quia spirituale vendi non potest, nec vt res vendita, nec vt ratio venditionis, quia eo ipso pretio æstimaretur.

Secunda.

Secunda propositio est, Annexum spirituali concomitanter (admisso illo membro) nullo modo vel respectu, aut ratione vendi posse. Hæc satis probata est, in superioribus, quia illud non tam est annexum, quàm verè spirituale tanquàm intrinseca pars spiritualis functionis, vt declaratum est.

Tertia.

Tertia propositio est, Annexum antecedenter per se spectatum vendi posse, etiam supposita annexione, licet non ratione illius. Hæc etiam propositio satis in superioribus probata est. Solùm circa illam occurrebat dicendum de Iure patronatus, & de Iure sepulturæ, & de Iure sedendi in certo loco Ecclesiæ, quod Supplem. Gabr. in 4. distin. 25. quæstione 2. in fin. vocat Ius stabili; iuxta modum loquendi Iuris in capite *Cum inter*, de Renunciatione. Sed de his dicemus infrà commodiori in loco. *Gabr.*

Quarta.

Quarta propositio est, Ea, quæ sunt annexa spiritualibus consequenter, vendi non posse sine Simonia. Quia venderetur necessariò illud spirituale, quod ad illa præsupponitur, vt dicitur in capite, *Siquis obiecerit.* primo, quæstione 3. Et hanc differentiam notant Diuus Thomas, & omnes Theologi inter tertiam, & quartam assertionem, seu inter annexa antecedenter, vel consequenter; quòd hæc posteriora magis inuendibilia sunt, quàm priora. Quia ea, quæ sunt annexa consequenter, sunt dependentia ab spiritualibus, & illa præsupponunt, nec aliter conferri possunt, & ideò si venderentur, necessariò venderetur illud spirituale, quod præsupponunt. At verò illa, quæ sunt annexa antecedenter, de se sunt priora, & ideò, vt talia sunt, vendi possunt. Denique quando temporalia antecedunt, magis videntur spiritualia annexa, & adhærentia temporalibus, quàm è conuerso: alia verò temporalia, quæ se habent consequenter ad spiritualia, propriissimè illis connectuntur, & comparantur ad illa, sicut accessorium ad principale, & ideò magis imitantur naturam illius. Quod magis ex sequentibus elucidabitur. Nam hæc sola vltima assertio nobis declaranda superest; postulat verò copiosam materiam de Simonia circa beneficia, quam fusiùs prosequi necessarium est. *Cap. Siquis. D. Thom.*

CAPVT XXIIII.

An beneficia Ecclesiastica, sint materia Simoniæ ex diuino, vel ecclesiastico Iure?

1. Quid significet hoc nomen beneficium.

QVamuis beneficij nomen in primaria significatione donum, vel opus in alterius commodum beneuolè factum significet; in Iure tamen Canonico accommodatum est ad significandos titulos, seu Iura Ecclesiastica ordinata ad præstanda munera spiritualia cum Iure recipiendi eo titulo fructus annuos de Ecclesiasticis bonis. Et ita sumitur in Concil. Mogunt. in cap. 1. de Ecclesiis ædific. nec inuenitur illa vox in illa significatione in antiquiori Canone: res autem antiquior est, vt constat ex Dion. in capit. 1. 13. quæstione 1. & ex capit. 1. distin. 22. & ex Vrban. primo in capite *Videntes*, 12. quæstion. prima cum similibus, in quibus horum titulorum cum suis prouentibus fit mentio in particulari, vocaturque aut Episcopatus, aut Abbatiæ, Prioratus, Dignitates, Parochiæ, vel Ecclesiæ, aut Altaria; quæ omnia cum multis aliis, quæ discursu temporis instituta sunt, beneficia appellantur. Duo autem in his beneficiis distinguere necesse est, scilicet, Ius ministrandi spiritualia, & Ius percipiendi emolumenta temporalia, quorum primum propriè vocatur officium, secundùm autem dicitur præbenda, vel beneficium, quod propter officium datur, vt dicitur in cap. vlt. de Rescri. in 6. quamuis iam communi vsu totum illud quod ex vtroque Iure resultat, & est quasi moraliter vnum, dici soleat Ecclesiasticum beneficium. *Conc Mogũt. Dion. Vrban.* In beneficiis duo distinguenda, officiũ scilicet, & præbenda *Cap. vlt.*

Et

2. Deſcriptio beneficij.

Et ita per modum vnius deſcribi poteſt beneficium, eſſe ius perpetuum miniſtrandi in Eccleſia, & pro miniſterio recipiendi fructus annuos ex eccleſiaſticis bonis. Primum autem horum multiplex eſt, & iuxtà illius varietatem beneficia etiam eccleſiaſtica diſtingui ſolent, vt videre licet in Rebuffo in Praxi. tit. *Quotuplex ſit beneficium*, & Selua de Benef. in princ. Azor in 2. tom. lib. 3. cap. 2. Non enim diſtinguntur beneficia ex qualitate, quantitate, aut modo redituum, nec ex eo, quod ſint ex decimis, vel ex oblationibus, vel ex prædiis, aut aliis Eccleſiaſticis bonis: hæc enim varietas quaſi materialis eſt, & accidentaria ad rationem beneficij, & eſt in re acceſſoria, & minus principali, & ideò non inde ſumitur beneficiorum diſtinctio, ſed ex titulis, propter quos reditus Eccleſiaſtici tribuuntur. Et ita diſtinguntur beneficia in ſimplicia, & adminiſtrationem habentia: item quædam habent iuriſdictionem ſpiritualem, alia non habent: item quædam iuriſdictionem habent in foro etiam contentioſo, vt Epiſcopatus, & ſuperiores omnes vſque ad Summi Pontificis dignitatem, & nonnullæ etiam dignitates inferiores, vt Abbatis, Prioris, Archidiaconi, & ſimilium; alia verò iuriſdictionem tantùm habent in foro interiori cum paſtorali cura animarum, quæ beneficia parochialia dicuntur, ſeu curata, alia verò ſunt, quæ iuriſdictionem nullam habent, ſed adminiſtrationem aliquam rerum Eccleſiaſticarum; alia denique ſolùm ad ſeruiendum in diuinis officiis inſtituta ſunt. De quibus omnibus in Iure Canonico mentio habetur, vt in capit. *Omnes.* 22. dicto capit. *Nullus.* 9. quæſtione 2. & capit. 1. 13. quæſtion. 1. & toto titulo de Præbend. lib. 3. & 6.

Reboff. Selua. Azor. Per quid beneficia diſtinguantur.

Ca. *Omnes.* Cap. *Nullus.* Cap. 1.

3. Titulus beneficij ſemper eſt ſpiritualis. Cap. *Dilecto.*

Ex his ergo conſtat (quod ad materiam præſentem neceſſarium eſt) titulum beneficij ſemper eſſe ſpiritualem capit. *Dilecto*, de Præben. & inde maximè æſtimandum eſſe, quia illud eſt primum, ac principale in ipſo. Et inde etiam eſt, vt beneficium ſemper ſit annexum alicui ordini, ſeu gradui clericali (vt primam tonſuram comprehendamus) ex parte perſonæ, cui conferendum eſt. Nam cum ſit propriè ſpirituale, non niſi Clerico conferri poteſt, vt colligitur ex capite *Clerici* 1. quæſtione 2. & capit. *Quantum ſit graue*, de Decim. & cap. *Cauſam, quæ* de Præſcr. & aliis, quæ ſuprà tractando de Decimis adduximus. At verò prębenda, ſeu reditus eccleſiaſtici in ſe ſpectati temporales ſunt, quatenus verò tali titulo annexi ſunt, & ſolùm ratione illius dantur, ac deberi poſſunt, quãdam ſpiritualitatem participant, propter quam ſolet prębenda interdum vocari ſpirituale Ius, vt notauit Panormit. per textum ibi in capite *Dilecto*, de Præben. Et ita etiam dixit Innocent. in capite *Maioribus*, de Præbend. prębendam eſſe nomen Iuris, quia non ſignificat ſolam temporalitatem, ſed illã vt annexam ſpirituali Iuri, & vt ſic cenſetur quid ſpirituale, quia quæ Religioſis adhærent Religioſa cenſentur, vt dixit Iur. C. in L. *Quæ Religioſis*, ff. de Rei vend. ſolet verò etiam nomen prębendæ accipi pro ipſo emolumento temporali ſecundùm ſe ſpectato, & ſic ſine dubio temporale quid eſt vt conſtat, & notauit Gloſſa in capite *Cum Maioribus* de conſtitut. & Panormitanus, in dicto capite *Maioribus*, de Præben.

Panor. Innoc.

Cap. *Clerici.* C. *Quantum.* Ca. *Cauſam.*

Leg. *Quæ Religioſis.*

Gloſſ. Panor.

4. Beneficia quoad ſpirituale Ius quod includũt ſunt materia Simoniæ cõtrariæ Iuri diuino.

His ergo poſitis duo mihi videntur certa, primum eſt, Beneficia quoad ipſum ſpirituale Ius, quod includunt, & in quo fundantur, eſſe materiam Simoniæ Iuri diuino contrariæ. In hoc nulla controuerſia eſt inter auctores, ſatiſque in ſuperioribus probatum eſt, dum oſtendimus Iura ſpiritualia, quæ conſiſtunt in poteſtate aliqua ſpirituali vendi non poſſe. Nam titulus beneficij eccleſiaſtici Ius quoddam ſpirituale eſt, vt diximus, ergo neque ipſum, neque beneficium ratione ipſius vendi poteſt. Neque oportet in hoc diſtinguere inter beneficium ſimplex, & habens iuriſdictionem, vt quidam tentarunt, quia etiamſi beneficium curatum non ſit, nec iuriſdictionem habeat, ſemper tamen fundatur in ſpirituali titulo, per quem ordinatur, vel ad aliquam executionem ordinis, vt ad Miſſas celebrandas, vel ad diuina officia miniſtranda, vel recitanda, qui titulus ſpiritualis eſt: nec poteſt dari proprium eccleſiaſticum beneficium ſine aliquo huiuſmodi Iure, in quo fundetur. Quòd ſi contingat alicui dari Ius ad aliquos annuos reditus ex eccleſiaſticis bonis, ſeparatum ab omni ſpirituali titulo, illud non computabitur inter eccleſiaſtica beneficia, vt nunc ſupponimus, & ex definitione data conſtat. An verò aliquid huiuſmodi detur, & quid de illo dicendum ſit, in ſequentibus tractabitur.

5. Vendere beneficiũ quoad hoc Ius ita eſt intrinſecè malum vt neque Pontifici liceat. Obiectio.

Atque hinc colligitur, vendere beneficium quoad hoc Ius ita eſſe intrinſecè malum, vt neque ipſi Pontifici, neque alicui ex diſpenſatione eius licere valeat. Ita ſentiunt omnes Doctores infrà citandi. Et patet; quia Pontifex iuri diuino ſubiectus eſt, neque illud immutare, aut in illo diſpenſare poteſt. Neque obſtat, ſiquis obiiciat beneficiorum eccleſiaſticorum inſtitutionem, ac titulorum diuiſionem eſſe ex Eccleſiæ inſtitutione, vt conſtat ex Iuribus ſuprà allegatis, & eſt per ſe notum. Pontificem autem mutare poſſe ea, quæ inſtituta ſunt ab Eccleſia, & in eis diſpenſare. Reſpondemus enim primò, quod licet aliquid ſit ſpirituale ex Eccleſiæ inſtitutione, nihilominùs poſtquam tale eſt, Iure diuino prohibitum eſt, illud vendere, vt ſup. cap. 8. oſtendimus, vt conſtat de Sacramentalibus omnibus, vaſis ſacris, vt talia ſunt & ſimilibus: ita ergo in præſenti dici poteſt. Addo verò 2. id, quod eſt ſpirituale in beneficiis eccleſiaſticis ſecundùm ſe, & quoad ſubſtantiam ſuam (vt ſic dicam) eſſe de Iure diuino, quia vel eſt iuriſdictio eccleſiaſtica, vel cura animarum, vel ſpiritualis aliqua adminiſtratio & functio; poteſtas enim ad hæc omnia ab ipſo Chriſto manauit. Vnde licet ſoli Pontifici immediatè ab ipſo Chriſto conferatur, nihilominùs inſtitutio beneficiorum eccleſiaſticorum quoad ſpirituale, quod in eis eſt, non eſt aliud, quam communicatio quædam illius poteſtatis à Chriſto datæ, nam per beneficium quædam participatio eius confertur. Oſtenſum eſt autem ſuprà poteſtatem illam vendi non poſſe, nec participationem, vel communicationem, aut delegationem eius, quod verum eſt etiam reſpectu Pontificis, ergo.

Reſponſio.

6. Beneficium non poteſt nunc vendi ſine Simonia etiam reſpectu habito ad temporale commodũ quod in eo eſt.

Secundò certum eſt, nunc de facto non poſſe vendi, aut emi beneficia eccleſiaſtica, etiam reſpectu habito ad temporale emolumentum, quod eſt in ipſis, ſine vitio Simoniæ, ac ſubinde beneficia eccleſiaſtica, etiã ſic ſpectata, eſſe materiam Simoniæ. Hoc manifeſtum eſt ex innumeris Legibus Canonicis prohibentibus omnes oneroſos contractus in Eccleſiaſticis beneficiis, & præcipientibus, vt purè, & ſimpliciter cõcedantur, c. vlt. de Pactis, c. *Super eo*, de Tranſact. c. *Querelam*, ca. *Tua nos*, cum ſimilibus de Simon. & cap. vn. vt eccl benefic. ſin. dimin. & 1. q. 3. ferè per totam. Pro integra ergo huius aſſertionis probatione ſufficit Ius Canonicum, nam de ratione, & origine huius prohibitionis in ſequenti puncto dicendum eſt.

Cap *vlt* Ca. *Super eo.* Cap. *Querelam.* Ca. *Tua nos.* Cap. *vni.*

7. An alia Simonia fit contra Ius diuinum, vel solum contra Eccles.

His ergo suppositis, quæstio grauis est, an vendere beneficia, tantùm intuitu & æstimatione téporalis commodi, quod in eis est, vel incommodi quod alicui prouenit, spoliando se suo beneficio, sit Simonia cõtra Ius diuinum; vel tantũ contra ecclesiasticum. In quo puncto variæ sunt sententiæ, Prima simpliciter affirmat, esse cõtra Ius diuinũ naturale, ac subinde esse adeò intrinsecè malũ, vt non cadat in illud dispensatio, nec ab ipso Papa sine crimine Simoniæ vendi possit beneficium, etiam ratione temporalis emolumenti. Hæc sententia sumi potest ex D. Thoma d. quæst. 100. artic. 4. Vbi negat illud temporale, quod est annexum beneficio, vendi posse, & pro ratione reddit non solùm Ecclesiæ prohibitionem, sed quia non potest vendi, quin spirituale vendatur. In 4. etiam dist. 25. q. 3. art. 2. q. 3. ad 4. id significat. Sed reuera ex D. Tho. nihil clarè habemus in hoc puncto. Durand. autem ibi quæst. 5. ex professo hanc sententiam defendit. Sequitur ibi Palud. quæst. 4. à num. 24. dicens, esse veriorem, & tutiorem sententiam. Et idem sentit Richard art. 3. q. 3. dum ait Ius percipiendi fructus beneficij, vendi non posse, licet possint vendi ipsi prouentus. Et idem sentit Maio. ibi q. 3. ad 4. & Bonauentur. in expositione literæ dub. 5. vbi ita etiam Magistrum exponit. Idem tenet. Adrian. (licet soleat in contrarium referri.) Quodl. 9. ad 5. princip. vbi in concordiam redigit vtramq; opinionem. Idem Alens. 2. p. q. 167. memb. 3. art. 2. Antonin. d. c. 5. §. 21. Syluest. quæst. 12. Caiet. tom. 2. Opusc. tract. 9. q. 1. Sot. q. 7. art. 1. Victor. d. Relect. n. 44. Couarru. in Regula *Peccatum*, p. 2. §. 8. n. 8. sub fin. Citatur etiam Nauar. d. c. 23. num. 108. Sed licet in dicto 6. & 7. videatur in fauorem huius sententiæ loqui, statim in 9. constantissimè contrariam sententiam defendit, vt patebit. Pro eadem sententia referri potest Panor. vt infrà dicam; & plures refert Felin. c. 1. de Simon. illósque sequitur, licet alibi contrarium dixerit.

1. Sententia asserens esse contra Ius diuinum.

D. Thom.

Durand.

Palud.

Richard.

Maio.
Bonauen.
Magist.
Adrian.
Alens.
Anton.
Syluest.
Caiet.
Sot.
Victor.
Couar.
Nauar.

Panor.
Felin.

8. Fundamentum huius sentent.

Fundamentum huius sententiæ sic explico, quia vel venduntur fructus beneficij separati à beneficio, & titulo ecclesiastico, vel vt percipiendi ex titulo ecclesiastico. Si vendãtur priori modo, verum est, illud non esse per se, & intrinsecè Simoniacum, imò ibi in rigore neque Simoniam contra Ius positiuũ interuenire. Tunc autem non venditur beneficium; quia beneficium non consistit in prouẽtibus, sed in Iure percipiẽdi illos, imò nec aliquid annexũ rei spirituali tunc venditur: nã eo ipso quod fructus separãtur à Iure, & titulo beneficij, nõ sunt annexi alicui rei spirituali, & ideò mirum non est, quod vendi possint. Vnde hoc modo non solùm fructus vnius anni, sed plurium vendi possent (semota prohibitione Ecclesiæ) & consequenter potest transferri in alium, aliquod Ius colligendi tales prouentus per singulos annos, non ex titulo ecclesiastici muneris, sed ex puro titulo emptionis, ita vt Ius acquisitum temporale sit, non spirituale, sicut suprà tract. 2. lib. 1. in Decimis latiùs exposuimus. Tota ergo hæc pactio, & commutatio extrà materiam Simoniæ est, & extra punctum etiam præsentis quæstionis, quia illa non est venditio, neque emptio beneficij, vel præbendæ ecclesiasticæ, vel rei annexæ consequenter rei spirituali, vt declaratum est. At verò si fructus beneficij vendantur posteriori modo, scilicet, vt percipiendi titulo beneficij, sic impossibile est vendere emolumentum illud temporale, non vendito ipso Iure spirituali, quia non potest beneficium transferri in alium, nisi transferatur officium, vt colligitur ex Reg. 1. de Reg. Iur. in 6. Et est commune princi-

Reg. 1.

pium receptum à Doctoribus in principio materię de Præbendis, & beneficiis, vt videre licet per Rebuffum in Praxi. c. *Quid sit beneficiũ*, & Hoged. de Benef. incomp. in Præfat. n. 2. ergo similiter vendi non potest de facto beneficium, nisi vendito spirituali munere, cui adhæret, ergo tam intrinsecè malum est, beneficium vendere, sicut vendere ipsum Ius spirituale. Probatur consequentia, quia quando venditur beneficium, reuera non venduntur tantùm temporales reditus, sed venditur Ius ad illos, & non aliud Ius, nisi quod est in Clerico, vt Clericus est, ergo necessariò venditur id, quod spirituale est.

Rebuff. Hoged.

9 Responsio ad fundamentum.

Responderi autem potest, cum beneficio duo Iura conferri, vnum ad ministerium ecclesiasticum, quod competit ratione beneficij, aliud ad reditus temporales, & primum esse spirituale, secundum verò temporale, nam vnumquodque est proportionatum illi rei, ad quã datur. Quamuis autem hæc Iura sint coniuncta, & simul incedant, nihilominùs distincta manent, ergo potest vnum gratis dari, & aliud pretio æstimari. Sicut in Calice ita sunt coniuncta vas, & consecratio, vt non possit vnum sine alio trãsferri, & nihilominùs quia semper sunt distincta, potest vendi vnum, & non aliud. Idem ergo posset fieri in beneficio ex natura rei, nisi Ecclesia prohibuisset: sicut è contrario posset Ecclesia prohibere vendere Calicem etiam ratione materiæ, & tunc essent inseparabilia illa duo in venditione. Contrà hoc verò replicari potest ex Durand. Quia ex illis duobus, quæ sunt in beneficio scilicet spirituale officium, & emolumentum temporale, primum datur à Prælato Ecclesiæ, secundum verò non donatur à Prælato, sed consequenter debetur ex dono fidelium, vel fundatorum, qui prouentus illos obtulerunt pro sustentatione talis ministerij, ergo Prælatus vendendo beneficium non Ius temporale vendit, sed spirituale, quod ipse dare potest. Hæc verò replica Durandi parum vrget, tum quia hîc non agimus de solo Prælato, sed de quocunque vendente beneficium, vnde non consideramus facultatem, quam vendens habet ex parte sua, sed qualitatem ipsius materiæ, & sic videtur illud Ius vendibile esse, quia temporale est, tum etiam quia licet hi reditus beneficiorum originem traxerint à fidelibus, vel per Decimas, vel per alias donationes, & legata pia, iam est acquisitum Ius Ecclesiæ, & de hoc quærimus, an temporale sit, nam si est temporale, ex parte illius non repugnabit vendi. Et ille qui fuerit dominus beneficij, vel illius Iuris, poterit illud vendere, & si aliquis non dominus illud vendiderit erit iniustitia ex natura rei, non tamen erit Simonia, quia Ius illud quid temporale est.

Impugnatur ex Durand.

10. Vrgetur melius ex Caietan.

Meliùs ergo vrgetur ratione facta ex Caiet. suprà, quia ibi non sunt duo iura, vnum ad spirituale functionem, aliud ad emolumentum temporale, sed est vnum, & idem, quod ad vnum terminatur mediante alio, seu ratione alterius. Nam proximum fundamentum illius Iuris ad emolumenta temporalia est functio ipsa spiritualis, ratione cuius stipendium sustentationis debetur, sub qua ratione prouentus beneficij conferuntur, ergo Ius illud totum hoc includit, scilicet quòd sit ad tales prouentus ratione talis muneris, ergo immediatè versatur circà spirituale, & per illud transit ad temporale, ergo impossibile est vendere Ius ad emolumenta temporalia, non vendendo Ius spirituale, tum quia est vnum, & idem, tũ quia primario est ad spirituale, ad temporale verò tanquam ad accef-

acceſſorium quod ex illo ſequitur; tum etiam quia illudmet temporale ſemper reſpicitur, vt comparandum titulo ſpirituali, vt ſic autem, quid ſpirituale eſt, vt appellatur in dicto capite *Dilecto*, Ex quo textu poteſt tota hæc ratio, & inſtantia confirmari. Ac denique declarari poteſt exemplo Philoſophico, quia impoſſibile eſt, vendere relationem reſultantem ex fundamento, niſi vendendo fundamentum; quia cum neceſſario ſequatur, poſito fundamento (ſupponimus enim, iam eſſe terminum) & ſine eodem fundamento ſequi non poſſit, non poteſt aliter dari; quam dando fundamentum, & conſequenter nec vendi poteſt, niſi fundamento vendito. Non poteſt enim aliquis vendere mihi ſimilitudinem imaginis meæ, niſi vendendo figuram illam artefactam, in qua illa relatio ſimilitudinis fundatur. Ita ergo dico in præſenti, Ius ad prouẽtus temporales, eſſe veluti relationem quandam, quæ fundatur in officio ſpirituali, nec poſſe competere, niſi ratione illius, & ideò & ſpirituale eſſe, ſicut eſt ipſum officium, & vendi non poſſe, niſi vendito officio, ſicut nec gratis dari poteſt, niſi gratis etiam collato ſpirituali munere, ſeu Iure ad illud.

Cap. Dilecto.

11. Cõfirmatur hæc opinio. *Cap. Siquis.*

Atque hoc modo poteſt confirmari ſatis probabiliter hæc opinio ex regula capit. *Siquis obiecerit.* 1. q. 3. *Qui horum alterum vendit, ſine quo alterum non prouenit, nihil inuenditum derelinquit.* Vnde infert, non poſſe vendi Eccleſiam, vel præbendam, non propter Eccleſiæ prohibitionem, ſed propter inſeparabilitatem, & in capit. *Saluator*, ead. Vrbanus Papa ex verbis Chriſti: *Gratis accepiſtis, &c.* colligit *res eccleſiaſticas* vendi non poſſe, per res autem eccleſiaſticas planè intelligit beneficiorum prouentus, vt tales ſunt: nam pro ratione ſubdit: *Quæ* (ſcilicet res eccleſiaſticæ) *dona Dei ſunt, quoniam à Deo fidelibus, & à fidelibus Deo donantur, quæ ab eodem gratis accipiuntur, & ideò gratis dari debent.* Et ſtatim idem confirmat ex Regula Paſchalis proximè relata, quã ipſe etiam refert. Similia habet Alexand. 2. in capit. *Ex multis*, & Vrban. in c. *Res Eccleſiæ*, & Gregor. in capit. *Peruenit*, & Innocen. in capit. vlt. eiuſdem quæſt. Item ex capit. *Preſbyter.* 3. 1. q. 1. Vbi in hoc æquiparantur vendere *Altare, Decimas, & Spiritum ſanctum.* Fauet etiam capit. *Ex diligenti*, de Simon. Nam loquens de huiuſmodi contractibus in beneficiis ait, *Cum hæc diuinis, & humanis legibus contraire noſcantur.*

Ca. Saluator. Vrban. Papa.

Alex. 2. Ca. Ex multis. Vrban. Cap. Res Eccleſia. Gregor. Ca. Peruenit. Innoc. Cap. vlt. Ca. Presbyter. Cap. Ex diligenti.

12. 2. Sententia aſſerens hãc Simoniã ſolũ eſſe cõtra Ius humanũ.

Nihilominùs eſt ſecunda principalis ſententia dicens, hanc Simoniam tantùm eſſe contra Ius humanum, ideóque vel à Pontifice, vel ab alio ex diſpenſatione eius poſſe vendi beneficium ſine Simonia, dummodo non intuitu ſpiritualis Iuris, quod in ipſo eſt, ſed intuitu temporalitatis vendatur. Hæc eſt communis ſententia Canoniſtarum, quos refert, & ſequitur Felinus cum Decio, & aliis in cap. *Ex parte*, 1. de Offic. delegat. & Anani. cum Cardin. in cap. 1. de Simon. & Cardin. Alex. in c. *Latorem*, 1. quæſt. 1. à num. 29. Eandem habet Decius conſi. 436. n. 10. & Iul. Clar. lib. 5. §. *Simonia* num. 5. dicens, eſſe magis communem ſententiam. Quam etiam ſequitur Nauar. c. 23. n. 108. §. *Nono*, nam licet in ſeptimo dixiſſet cum Theologis, beneficia non poſſe vendi; in nono ſubiungit, illud intelligendum eſſe quoad partem ſpiritualem, quam habent, nam quoad temporalem vendi poſſunt, quod multis rationibus probat, præſertim contra Caietanum, quem ait nimis metaphyſicè probare priorem ſententiam, & multa ſumere quæ non probat. Eandem opinionem tenet Vgolin. Tab. 1. c. 3. §. 5. Qui tamen loquitur ſemper de Iure percipiendi fructus, vt diſtincto à Iure miniſtrandi ſpiritualiter, & ſeparabili ab illo; & de illo vt ſic ſeparato dicit poſſe vendi, quod, vt dixi, extra controuerſiam eſt, ſed non attigit punctum quæſtionis.

Felin. Deci. Anan. Cardin. Cardin. Alexand. Iul Clar. Nauar.

Vgolin.

Poteſt etiam pro hac ſententia referri Mai. 4. d. 25. q. 2. ad 2. dum ait, non eſſe Simoniam (vtique contra Ius diuinum) ſi Epiſcopus det beneficium alicui cum onere inſumendi certam partem fructuum in aliquod pium opus per aliquot annos, & conſequenter poſſe etiam ſine Simonia computare ſimul illos fructus, & valorem illorum petere ab eo, cui confertur beneficium, liberè beneficium præſtando (ſcilicet, quoad ſpiritualia, & reliquos fructus) & ait, ſe ita ſentire per conſultationem habitam cum viris ſapientibus: addit tamen, non eſſe faciendum propter ſpeciem mali, & propter periculum, quod recipiens beneficium moriatur, antequam ſummam illam ex fructibus beneficij percipiat. At ſi hoc verum eſt, multò magis poterit Summus Pontifex beneficia vendere, ratione habita ad ſola temporalia. Referri etiam poteſt Tho. de Argent. ibidem art. 4. in 2. p. illius, quatenus regulam generalem conſtituit, vendendo annexum ſpirituali non committi Simoniam, niſi vendatur, quatenus annexum eſt. Explicat autem tunc vendi vt annexum, quãdo in venditione habetur reſpectus ad ſpirituale, propter huiuſmodi annexionem cariùs venditur ipſum temporale. Si ergo id, quod eſt temporale in beneficio, nõ vendatur hoc modo, ſed ſecundum id, quod per ſe ſpectatum valet, non vendetur vt annexum nec erit Simonia.

13. *Mai.*

Argent.

14. Fundamentum ſecundæ ſententiæ.

Hæc ſententia fundari poteſt primò in hoc, quod Ius ad emolumentum temporale beneficij eſt diuerſum, & diſtinctę rationis à Iure ſpirituali, quantumuis coniuncta ſint, & vnũ ab alio pendeat. Suppoſita autem diſtinctione, etiamſi ſimul dentur, & ſeparari non poſſint quoad tranſlationem vnius ſine alio, nihil vetat, quominùs vnum ſine alio vendatur. Ex his enim duobus principiis optimè infertur, nõ eſſe intrinſecè malum, vendere Ius ad temporale, ſi ponamus, ſolũ illud vendi ſine alio; nam poſſibili poſito in eſſe, nihil ſequitur impoſſibile. Probatur ergo prima pars, primò ex terminis proximis. Nã vnũ Ius immediatè ordinatur ad ſpiritualẽ functionẽ, aliud proximè ad commodum tẽporale. Secundò ex origine, quia Ius ſpirituale eſt aliquo modo ex Iure diuino poſitiuo, vel formaliter, vel radicaliter; nam prouenit à Chriſto, vel immediatè vt in Pontifice; vel mediante Pontifice, & aliis Prælatis, ſeu Paſtoribus per poteſtatẽ illis à Chriſto datã, aliud autem Ius partim fundatur in ratione naturali conſequente ad primum Ius, quatenus dignus eſt operarius cibo ſuo, partim eſt ex inſtitutione Eccleſiæ, ſuppoſita largitione fidelium, vel voluntaria, vel præcepta. Tertiò ſpirituale Ius potiùs eſt onus, quam commodum temporale, aliud vero Ius ſolũ eſt temporale commodum. Vnde in aliquibus beneficiis præſertim ſimplicibus illud priùs nõ tam videtur eſſe Ius, quã obligatio ad aliquid ſpirituale faciendũ, vt ad aſſiſtendum in choro, vel ad officiũ diuinũ recitandũ: aliud vero temporale nõ eſt obligatio, ſed quaſi præmiũ obligationis, & facultas moralis percipiẽdi tales fructus. Neque huic diſtinctioni videtur obſtare, quòd vnũ Ius fundetur in alio; quin potiùs hinc colligitur aliqua diſtinctio, quia idem non fundatur in ſe ipſo. Neque etiã bene colligitur eſſe vnum, ex eo quòd Ius ad prouentus non eſt niſi ratione officij, nã inde ſolum habetur quòd Ius fructus oriatur ex titulo ſpirituali; vnde potiùs infertur diſtingui. Quia

in aliis etiam rebus, Ius in re aliqua, & titulus diuersa sunt, Ius enim est dominium aliquod v. g. titulus autem est ratio fundans illud dominium. Sic ergo hîc fatemur, titulum spiritualem esse, nihilominùs tamẽ dicimus, in illo posse fundari Ius temporale, quod est quid distinctum, licet cum illo coniunctum.

15. Probatur posse inuenditione separari Ius ac emolumentũ temporale à Iure spirituali.

Alterum verò principium, scilicet, posse hæc separari in venditione, licet non separentur in traditione, concessione, & acceptione probatur. Primò quia intentio dantis, & accipientis potest facilè illa discernere, dummodo temporale secundum se æstimetur, & non augeatur eius pretiũ ratione tituli spiritualis, cui adiungitur: sic enim potest titulus spiritualis ex intentione vtriusque partis gratis B dari, & accipi, & nihilominùs pro temporali pacisci, cur enim hoc repugnat ex sola rei natura, & secluſa prohibitione positiua? Confirmatur hoc exẽplo Iuris patronatus, nã secundùm se vendi nõ potest, & tamen cum fundo, seu cũ vniuersitate vendita transire potest, & tunc etiam nõ censetur ipsum Ius vendi, nam, vt infrà dicam, etiam illud aliquomodo spirituale est; & venditio illius, vt tale est, intrinsecè mala est, sed tamen quia semper est quid distinctum à fundo, licet illi inseparabiliter adhæreat, & cum illo transeat, non censetur vendi, vendito fundo, quando ex eo capite fundus non pluris æstimatur, ergo ex natura rei idem esset in beneficiis, nisi Ecclesia prohibuisset, est enim eadem ra- C tio. Dicetur, Ius patronatus esse annexum spiritualibus antecedenter, beneficium verò esse annexum officio consequenter. Sed contra primò, quia licet Ius patronatus sit antecedens respectu beneficij conferendi per præsentationem factam in vi talis Iuris, tamen respectu fundi est tanquã consequens, nam cum illo transit, & ratione illius comparatur, ergo in hoc est similitudo rationis. Imò quodammodo maior, nam in Iure patronatus id, quod est spirituale quasi nascitur ex temporali, in beneficio autem temporale nascitur ex spirituali; faciliùs autem videtur vendere fructum, non vendita radice, quam vendere radicem, quæ secum portet fructũ, D & non vendere fructum. Si ergo hoc non obstat, quominùs vendito fundo non vendatur Ius præsentandi, multo minùs obstabit, quominùs vendito temporali fructu, non vendatur spiritualis titulus, qui antecedit.

Cõfirmatur exẽplo Iuris patronatus.

Subterfugiũ præoccupatur.

16. Vltrà hoc etiam videtur parum referre, quòd annexum temporale sit consequenter, vel antecedenter, dummodo inseparabilitas, & translatio vnius cum alio interueniat, sicut inuenitur etiam in calice consecrato. Nam magis coniuncta sunt in calice materiali, & spirituali, quam in beneficio. Nam ibi, manente vase integro, non potest per Ecclesiam fieri separatio, hic autem in rigore posset, & nihilominùs in calice separantur quoad venditionem, & separatio solùm fit intentione quoad E mentem, & æstimatione materiæ quoad contractum, id est, vt ratione spiritualitatis non pluris vendatur; ergo ex natura rei idem esse posset in beneficiis. Nam quòd in vno temporale sit antecedens, in alio consequens, non videtur referre, quin potiùs quando antecedit, videtur habere rationem causæ, & secum trahere id, quod spirituale est, & ideò magis quodãmodo vendi effectus in causa, seu cum illa, & nihilominùs intentio, & æstimatio ea separat, ergo etiam in temporali, quod se habet vt consequens, & vt effectus, faciliùs poterit fieri separatio.

17. Dicunt verò aliqui, in beneficio temporale esse accessorium, & minùs principale, in calice verò sit

A materiam esse principalẽ, & consecrationem quasi accessorium, & adiacens, in omnibus autem mihis attendendum esse id, quod est præcipuum, accessoriúmque sequi ad principale, & non è conuerso; & ideò posse consecrationem transire cum calice, nõ verò officium cum beneficio. Atque ita quando beneficium venditur non transit officiũ cum temporali vendito, ergo venditur ipsum, & cum ipso transit temporale. Sed in primis (vt in superioribus notaui) non rectè dici videtur etiam in Calice, consecrationem esse minùs principalem, sicut enim in artificialibus sæpe opus superat materiam, ita in his sacris semper consecratio superat materiam, cui adhæret, neque ideò non venditur consecratio, vendito calice, quia minùs principalis est, sed potiùs quia dignior est, magisque inæstimabilis pretio, ac denique quia de facto non æstimatur. Deinde confesso toto eo, quod assumitur, inde nos inferimus contrario modo; nam quia in beneficio, temporale est accessorium ad spirituale; ideò vendito accessorio, non censetur vendi principale, sed in sua natura relinqui, vt gratis donetur. Sicut polluto cœmeterio, nõ censetur Ecclesia polluta, quia est accessorium. Vnde potius, vendito calice, videri posset vendita consecratio, tanquam accessorium cum principali, tamen reuera non venditur, vel quia principalior est, vel certè (quod caput est) quia intentio contrahentium, & modus contrahendi potest separare accessorium à principali, & principale ab accessorio; sicut vendendo artificiatum, possum æstimare artem, gratis donando materiam; vel è conuerso gratis dare artificium, & materiam vendere, siue tale sit artefactum, vt in eo opus superet materiam, siue è contrario, semper enim res pendet ex voluntate, & æstimatione contrahentium.

Consecratio semper superat materiã cui adhæret.

18. Probatur alia ratione.

Vnde tandem concluditur ratio alio modo formata, licet in idem redeat, Quia licet cõsideremus totum beneficium vt quid vnum constans ex spirituali, & temporali, posset illud vendi, æstimando solam materialem partem, & non spiritualem, ergo hoc non esset intrinsecè malum, nisi esset prohibitum. Antecedens patet, quia illud pendet ex intentione, & modo æstimationis, vt ostensum est; Estque hæc res non valdè metaphysica, sed moralis: nam id, quod est spirituale in beneficio, si non haberet temporale commodum, difficiliùs acciperetur gratis, quàm daretur, ordinariè enim cupiunt homines exonerare se illo onere, volunt tamen se in temporali commodo vel incommodo indemnes seruare: & ideò optimè possunt velle gratis dare, quod spirituale est, vendere autem, quod est temporale. Recipiens verò licet videatur ita recipere onus spirituale, vt sine temporali commodo non esset recepturus, nihilominùs illa tantùm est quædam conditio sine qua non; non verò accipit pro temporali, tanquam pro pretio. Hic ergo modus vendendi vnum totum ratione vnius partis, & non ratione alterius, siue speculatiuè, nec practicè repugnat. Consequentia verò, scilicet si hoc modo fiat, nõ inueniri intrinsecè malitiam, patet, quia tũc nõ fit iniuria rei spirituali, quia nec æstimatur pretio, nec est ratio venditionis, aut æstimationis rei venditæ, & consequenter nullo modo venditur.

19. Cõfirmatur ex pensionibus, quæ beneficiis imponuntur. Cap. *Constitutus.*

Et confirmatur: nam in Ecclesia vsitatum est, vt beneficia cum onere alicuius pensionis ab vno in alium transferantur, quod nunc fieri videmus auctoritate Pontificis, & olim videtur potuisse fieri ab Episcopis, vt colligitur ex capite *Constitutus*, de Religios. dom. Et si Episcopis non esset prohibitum, non appareat, cur in suis Episcopatibus

tibus id non eſſet eis licitum, ergo eadem ratione A si prohibitio non eſſet, poſſet vnuſquiſque priuatus beneficium ſuum cum ſimili onere alteri tradere, licet inſtitutio eſſet ab Epiſcopo facienda: illa autem eſt quædam virtualis venditio emolumẽti temporalis beneficij, quia eſt datio cum pacto oneroſo. Eo vel maximè quòd ea penſio poſtea poteſt pretio redimi, ergo etiam à principio potuiſſet compenſari, vt dicebat Maior. Denique ſuprà diximus, ita facere nunc Pontificem in Auditoratu, & Clericatu Cameræ, & ita dicitur ſimpliciter hæc officia vẽdere, quamuis quoad principale ſpiritualia ſint, & temporale ſit annexum illis ſpiritualibus functionibus, & Iuri illarum, non antecedenter, ſed conſequenter, ergo, &c. B

Maior.

20. 3. Opinio aſſerens Simoniã eſſe contra Ius diuinum vẽdere beneficiũ curatum, ſecus tamen ſi beneficium ſit ſimplex.

Tertia ſententia media, & diſtinctione vtens referri ſolet ex Panor. in cap. *Exurpanda*, in Repit. §. *Qui verò*, de Præben. num. 53. & ſequentibus, videlicet vendere beneficium ſimplex non eſſe Simoniam contra Ius diuinum, vendere autem beneficium curatum, vel maiorem habens iuriſdictionem, eſſe contra Ius diuinum. Ita refert ſententiam Panormitani Nauar. ſuprà d.c. 23. numer. 108. in fin. Et Vgolin. d. §. 5. numer. 1. & Couarru. d. Regul. *Peccatum*, 2. part. §. 8. numer. 8. Et pro eadem refert Mai. 4. diſt. 25. quæſt. 3. Sylueſter verb. *Simonia*. quæſt. 3. & alios Iuriſtas. Refertur etiam Paul. Burgenſ. tract. de Irregular. & diſpenſat. tit. de Simonia, num. 23. Verumtamen Panor. illa diC ſtinctione non vtitur, nec Maior, aut Sylueſter illam referunt, nec eſt veriſimilis, ſi ſermo ſit de proprio beneficio, vt mox oſtendemus. Caietanus ergo in d. Opuſc. aliter refert ſententiam Abbatis, neque ait, falſum dixiſſe, ſed fuiſſe diminutum, quia inter beneficia inuendibilia poſuit illa, quæ habent ordinis, vel clauium executionem, & omiſit ea, quæ ratione alicuius officij clericalis conferuntur, cùm tamen illa etiam ſint annexa rei ſpirituali: nam officium clericale non eſt ſpirituali annexum, ſed ſpirituale eſt, vt ſuprà oſtenſum eſt, & docet Diuus Thomas dicta quæſt. 100. artic. 3. & 4. Et quia hoc beneficium, ſolùm datur ad officium clericale, & non ad vſum ordinis, vel clauium, ſimD plex vocatur, & ideò fortaſſe priores auctores attribuerunt Panormit. quòd dixerit beneficia ſimplicia ſolùm ex prohibitione Eccleſiæ vendi non poſſe.

Panor. *Nauar.* *Vgolin.* *Couar.* *Mai.* *Burgenſ.* *Sylueſt.* *Caiet.* *D. Thom.*

21. Defenditur Panormit. à calumnia.

Sed ego in verbis Panormit. neque illum defectum, aut exceſſum inuenio. Cùm enim latè probaſſet ſententiam Theologorum ſuprà tractatam, quòd beneficium vendi non poteſt, quia eſt annexum poteſtati ordinis, aut clauium, ſubdit inferiùs hæc verba, *Et prædicta puto procedere, quando executio beneficij, vel officij concernit diuina.* Quæ verba ſine dubio comprehẽdunt totum officium clericale; nam illud ſine dubio *concernit Diuina.* Addit etiam, *Vt puta altaris adminiſtrationem, vel clauium* E *executionem.* At verò ſub altaris adminiſtratione comprehendit ſine dubio totũ clericale officium, quia totum ad altaris miniſterium ordinatur aliquo modo, vnde ſtatim declarans, quid excipiat, inquit, *Secus autem ſi concerneret tantùm adminiſtrationem temporalem, vt eſt videre in hoſpitali.* Solũ ergo excipit, quando præbenda, vel reditus eſſent annexi alicui officio merè temporali, vt eſſe poſſunt, Tunc autem ſine dubio exuitur præbenda omni ſpiritualitate, & ideò Laico dari poteſt, vt dixit Gloſſ. in c. *Cum M.* de Conſtit. ver. *Receperunt*. & declarauit idem Panor. in c. *Maioribus*, de Præb. n. 4. Et ita etiam annecti poteſt præbenda muneri purè temporali, vt v. g. lectioni grammaticæ, quam Laicus legere poſſit. Tunc ergo clarum eſt, illam non eſſe materiam Simoniæ contra Ius diuinum, etiam ſecundùm primàm ſententiam ſuprà relatam. Cùm ergo Panormit. hanc ſolam exceptionem faciat, & exceptio firmet regulam in contrarium, planè nullam diſtinctionem facit inter alia beneficia, quæ titulo clericali dantur, quantumuis ſimplicia ſint, & ſolùm obligent ad officium aliquod clericale, ſed omnia illa ſpiritualia eſſe intellexit, & ad miniſterium altaris pertinere. Vnde idem Panormit. in c. *Conſulere*, de Simon. abſolutè dixit, Simoniam committi in ſpirituali beneficio obtinendo, & infrà ait, quicquid competit clerico ratione ordinis, eſſe ita annexum ſpirituali, vt vendi non poſſit.

Gloſſ. *Panor.*

Non oportet ergo hîc tertiam opinionem diſtinguere, nam Panormitan. planè ſentit cum prima ſententia. Et illa diſtinctio de beneficio ſimplici, vel curato, cuiuſcunque fuerit, in præſenti probabilis non eſt, quia in vtroque eſt Ius ſpirituale, & temporale emolumentum, & priori ratione neutrum vendi poteſt, parúmque refert, quòd illud Ius ſit altius, maius, & nobilius in vno beneficio, quàm in alio. Nam etiamſi ſit minimum ſpirituale, materia eſt Simoniæ Iuri diuino contrariæ. Si autem habeatur reſpectus ad temporalitatem, de vtroque eſt eadem ratio. Præbenda autem annexa temporali muneri non eſt beneficium, propriè loquendo, vt ex dictis in principio cap. conſtat, & inferiùs etiam dicetur, & ideò loquendo de beneficiis non oportet aliqua diſtinctione vti. Solùm igitur ſupereſt, vt duas ſententias relatas conferamus. Inter eas autem, licet magna ſit in verbis contrarietas, fortaſſe in re, tanta non eſt, quanta apparet. Vt tamen rem explicemus, & ex illa colligi poſſit proprius loquendi modus dicemus priùs quid in hoc genere fieri poſſit à Summo Pontifice ſine vitio Simoniæ, & quo titulo, ac modo: deinde quid poſſit fieri ab inferioribus, vel nunc diſpenſatis à Pontifice, vel ex natura rei, ablata prohibitione poſitiua.

22. Tertia opinio reiicitur

Primò ergo poteſt Summus Pontifex fructus beneficij, ſeu præbendam, vt temporale quid eſt à titulo clericali, & ſpirituali officio ſeparare, & ſic eam vendere ſine Simonia, ſicut poteſt illam donare Laico, etiam licitè, ſi iuſtam cauſam, & rationem habeat, vt omnes fatentur, & conſtat ex dictis. Et ſi quis attentè conſideret rationes, quas Nauarrus adducit, plures earum ſolùm hoc probant ſcilicet poſſe Papam ſine Simonia vendere præbendam ſeparando illam à Canonicatu, vel ſimili titulo; ſed hoc reuera non eſt vendere beneficium, vt ex dictis conſtat. Vnde etiam infero, poſſe Pontificem vendere beneficium, quod ſpirituale hactenus fuit, extinguendo ſpirituale officium, vel obligationem illius, quia tunc nihil ſpirituale vendit, quia in emptorem nihil ſpirituale tranſit, ſed merè temporale. Et ita ſpeculatiuè id diſtinguendo, conſiderare poſſumus priùs ibi ſeparari præbendam à titulo ſpirituali extinguendo illum, & deinde vendi præbendam, ac ſubinde non vendi beneficium.

23. Põtifex poteſt præbendã ſeparare ab officio ſpirituali, & ſic eam vendere ſine Simon. *Nauar.*

Secundò, poteſt Pontifex dare beneficium alicui cũ onere ſoluendi quotãnis ſibi, vel alteri partem aliquam fructuum beneficij. Hoc etiam indubitatum eſt, & conſtat ex vſu Eccleſiæ. Et ratio eſt, quia Pontifex eſt ſupremus diſpenſator tẽporalium bonorum Eccleſiæ, & ita poteſt fructus, qui ex humana inſtitutione erant annexi titulo talis beneficij, ab illo ſeparare, & ſub alio, vel ſine titulo ſpirituali conferre, & hoc facit, quando

24. Poteſt Pontifex dare beneficiũ cum onere ſoluẽdi quotãnis partem fructuum beneficij.

illo modo confert beneficium. Quare neque tunc A venditur beneficium, quia illa pars fructuum non habet rationem pretij, quādoquidem nec erat eius, cui beneficium confertur, neque ab ipso pensio illa ex bonis eius exigitur, sed ex bonis Ecclesiæ, vel beneficij vacantis alteri assignatur. Tamen quia non separatur in perpetuum à beneficio, sed ad tēpus seu ad vitam pensionarij imponitur beneficiato onus soluendi illam. Vnde quoad illam partem ille solum sit, tanquam administrator cum tali onere soluendi illam pensionario. Quod totum non fit à Papa, vt à Domino illorum bonorum, & ideò non habet vmbram venditionis, sed fit, vt à supremo dispensatore. Etsi applicat sibi pensionem, non accipit pretium, sed partem suæ congruæ sustenta- B tionis ex bonis Ecclesiæ, & sub eadem ratione applicat alteri.

25. Probabile est posse Pōtificem æstimare valorē pensionis, quā beneficio imponi, & eū simul accipere. *Maior. Adrian.*

Tertiò probabile mihi est, posse Pontificem, quando præbet beneficium cum pensione, æstimare simul temporalem valorem illius pensionis, & illum simul recipere pro se, vel pro alio ab eo, cui beneficium confert. Hoc dixit de Episcopo Maior suprà; sed de Pontifice multò est id verisimilius, vt apertè declarat Adrian. dicta solut. ad nonum dicens, sicut auctoritate Papę potest priùs dari beneficium pro pensione, & postea redimi pensio, ita eius auctoritate posse à principio interuenire pecuniam. Imò ibidem ait, eadē Papæ auctoritate pos- C se permutari beneficium pro officio temporali ecclesiastico, vt notariatus, non vnum pro alio commutando, sed vtrumque in se suscipiendo (vt sic dicam) & dispensatoria prouidentia distribuendo. Illud etiam de pensione, & redemptione eius simul facta admittit Sot. d. q. 7. art. 2. ad fin. corp. & licet Caiet. Opusc. 17. Respon. in 10. videatur contradicere fortasse non intelligit in ordine ad Pontificis potestatem absolutam.

Sot. Felin.

26. Ratio assertionis.

Ratio denique est, quia illa pensio beneficio imposita, vel imponenda, aut est merè tēporalis, quia sine titulo spirituali alicui applicatur, & illa potest redimi ratione temporalitatis, quam habet, vt infrà dicemus. Ergo potest à principio, & imponi, & redimi, quod fit per dictum modum conferendi sub D tali onere. Parum enim refert, quod illa duo formaliter intercedant, vel virtute, vel quòd temporibus distinctis, aut simul fiant, quādoquidem moraliter rem spectando, in idem redit. Et confirmatur, quia ibi non potest dici vendi beneficium, quia id quod postulatur, & accipitur à beneficiato, non petitur, vt pretium beneficij, nec quoad partem spiritualē, nec etiam quoad partem præbendæ, quæ ad illam pertinet, sed pro parte fructuum, quę in pensionem imponi censetur, & virtute imponitur.

27. Difficultas proponitur.

Sed contrà, quia hic modus conferendi beneficium non videtur prius à venditione illius; quia licet pensio imponi, & voluntate redimi possit, tamē cogere beneficiatum, vt & pensionem acceptet, & simul eam redimat, totúmq; valorē simul conferat contractū omnino onerosum, & alienum ab om- E ni actu dispensandi bona ecclesiastica esse videtur. Et declaratur ab incommodo, quod Maior tetigit, nam ille, qui sic recipit beneficium, cogitur exponi periculo perdendi pecuniam, quam præbet, si priùs moriatur, quam ex fructibus beneficij illam recuperet, ergo illud onus est pretio æstimabile, beneficium reuera datur pro aliquo pretio. Denique constat iuxta communem vsum, & sensum curiæ Romanæ, Clericatum cameræ, & Auditoratum vendi à Pontifice, & tamen suprà dicebamus non aliter vendi à Pontifice, quam reseruādo sibi partem prouentuum illorum officiorum, & valorem illius computando, & simul exigendo, ergo si quidpiā simile fiat in beneficio, reuera vendetur.

Cōfirmātur ducto exemplo Auditoratus, & clericatus cameræ.

Respondeo hoc ipsum exemplū cogere nos, vt 28. dicamus, hunc modū dandi beneficia cū onere ali- Satisfit. cuius pecuniæ non esse intrinsecè malū, siue appelletur venditio beneficij, siue quolibet alio modo. Probatur, quia, licèt illa officia Cameræ Apostolicæ non dicantur beneficia, quia fortasse emolumēta eorum non sunt ex propriis ecclesiasticis reditibus, ex quibus instituta sunt beneficia, sed ex aliis stipendiis, vel salariis à Pontificibus designatis: nihilominùs in duobus quæ ad rem præsentem maximè spectant, cum beneficiis conueniunt. Vnū est, quod fundamentum illorū officiorū spirituale est, nimirum iurisdictio Ecclesiastica, quæ pro illa cōmunicatur; vnde functiones illorum munerum spirituales sunt, vtpotè actus iurisdictionis Ecclesiasticæ etiam spiritualis, nam excommunicant, absoluunt, &c. Vnde etiam sunt inuādibiles, vt suprà dictū est. Aliud, in quo cōueniunt cū beneficiis, est, quod emolumenta temporalia illorum officiorum sunt spiritualibus annexa consequenter, quia dantur propter officiū, sicut de beneficio dicitur c. vlt. Cap. vlt. de Rescr. in 6. id est propter spirituales functiones officij nascuntur, ergo illi prouentus ex titulo, & actione spirituali, ergo sunt illis annexi cōsequenter, seu dependenter ab illis. Si ergo in illis officiis non est per se malum, nec contrarium Iuri diuino illa tradere pro pecunia, illo modo, profectò nec in beneficiis est contra Ius diuinum.

29. Ratio petita ab Auditoratu, & clericatu cameræ vrgetur.

Neque ego inuenio quid possit huic paritati rationis responderi. Nā quòd temporales prouentus sint ex reditibus ecclesiasticis, vel ex aliis stipendiis nihil refert, quia ratio Simoniæ non oritur ex qualitate bonorum temporalium, sed ex hoc, quod detur pretium pro titulo, vel officio spirituali, si enim hoc fiat in vtroque officio, aut beneficio Simonia erit: si autem in illis officiis separatur vēditio emolumenti temporalis', à venditione spiritualis tituli nō obstante annexione consequente, profectò etiā in beneficio separabilis erit. Quod si separetur iam non erit Simonia, etiāsi temporale illud emolumētū ex reditibus ecclesiasticis resultet, vt per se notum est. Est ergo æquiparatio euidēs, nisi fortè illa munera aliquid aliud tēporale coniunctum habeāt nō per se, nec cōsequenter sed per accidēs, & cōcomitāter annnexum cum munere spirituali, ratione cuius vendi possint. Vt si fortasse habent etiam tēporalē iurisdictionem adiunctam in ditione Papæ, vel aliquid simile, de quo mihi non constat, & ideò pro certo habeo, stando præcisè in ratione posita, & in titulo exigendi pretium, seu pecuniam, actionem non esse Simoniacam contra Ius diuinum.

30. Soluitur obiectio suprà facta asserēdo illud non esse vendere beneficium, sed imponere onus temporale.

Ad obiectionem ergo respondeo, illam non esse propriam venditionem beneficij, sed esse impositionem cuiusdam oneris temporalis, quā Pontifex in beneficio facere potest, simul cum redemptione eius antecedente, quę redemptio, licèt venditio sit, non est venditio rei spiritualis, vt constat, nec est venditio rei temporalis annexæ rei spirituali, quia illud onus non est per se annexum titulo beneficij, imò per impositionem talis oneris separaretur pars redituum à titulo beneficij, vt etiam per se notum est. Neque etiam obstaret, quòd Papa nollet dare beneficia, nisi volenti statim redimere pensionem, quia cùm ibi sint duo, datio, & acceptio beneficij, & virtualis impositio, ac redemptio pensionis, vnum non miscetur cum alio, etiamsi simul fiant: & prior datio gratuita manet etiamsi Papa nollet illam gratiam facere, nisi volenti acceptare redemptionem pensionis. Sicut si Petrus nolit

mutuare

mutuare Paulo pecuniã, niſi Paulus velit ſibi vẽdere triticum, non eſt vſurarius, dummodo non exigat obligationem in futurum, ſed tantum actum præſentis venditionis pro iuſto, & adæquato pretio, tunc enim non exigit pro mutuo aliquid pretio æſtimabile, quia vendere rem iuſto pretio non eſt res æſtimabilis nouo, & ſpeciali pretio magis quàm mutuum, ſed ſolùm eſt concomitantia duorũ contractuum, vel actionũ, quas poteſt quis velle ſimul facere, & non vnam ſine alia. Sicut poteſt quis velle mutuari triticum alteri, ſi ipſe mutuet vinũ, & non aliàs, & ſic de aliis, iuxta doctrinam D. Th. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 4. Ita ergo in præſenti, licet officiũ nõ detur ſine redẽptione temporalis oneris nõ ideò venditur officium, ſed gratis datur, ſimúlque venditur temporale emolumentum iam quodam modo ſeparatum ab illo officio ex voluntate Põtificis, qui poteſt illa ſeparare, & onus imponere.

D. Thom.

31. Reſpõdetur ad confirmationem ſumptam ex incommodo.

Ad confirmationem autem ſumptam ex incommodo reſpondetur, illud pertinere ad iuſtam compenſationem faciendam inter commodum, & periculum, vt exactio nimia non ſit, quod in omni redemptione penſionis, vel oneris vitalitij ſeruandũ eſt, ſeruata autem æquitate, inde non redundat aliquod onus reſpectu ſpiritualis officij, quominus gratis conferatur. Ad vltimum conſequenter cenſeo dicendum propriè, & ſimpliciter loquendo reuera non vendi illa officia, ſed ipſa gratis conferri cum diminutione emolumenti reſpectu accipientium. Quam diminutionem Pontifex poſſet facere, vel minuendo ſtipendia, vel partem ſibi reſeruãdo, ne autẽ illa diminutio fiat, pretio redimitur ab accipientibus talia officia, illud autem vendibile eſt, & Pontifex Ius habet ad illud vendendũ, quia ſupponimus, poſſe iuſtè illam partem emolumentorũ, ſibi reſeruare. Quòd ſi vulgo illa officia vendi dicũtur, eſt etiam vulgari modo, & materialiter rẽ ſpectando, non ſecundum veram, & moralem rei proprietatem. Hoc tamen exemplum declarat, quòd licet in hoc modo dandi beneficia exigendo pretium modo explicato in hac tertia aſſertione non ſit in rigore Simoniæ: meritò Pontifices nunquam illum vſurpant in beneficiorum prouiſione, quia habet magnam ſpeciem venditionis, quæ, licet in vno, vel alio officio quaſi proprio ipſius Pontificis poſſit permitti ſine Simonia, vel graui incommodo, in beneficiis generaret magnum ſcandalum, & viam ad infinita mala aperiret, ideóque licet in rigore non ſit illa Simonia contra diuinum Ius, omninò vitanda eſt: & hoc fortaſſe docere voluit Caiet. ſuprà, & Sot. ac Mai. id non negant.

Caietan. Sot. Mai.

32. Media aliqua ſeparatione præbendæ poteſt Põtifex dare beneficiũ exhibẽdo pecuniam, ſi non detur ſeparatio, non poteſt.

Quartò hinc cõcludo, media formali, vel virtuali ſeparatione præbendæ, ſeu fructuum quoad aliquam ſaltem eorum partem poſſe Pontificem cum exactione alicuius pecuniæ dare beneficium, nulla verò facta ſeparatione non poſſe, & ita abſolutè loquendo non poſſe vendere beneficium. Sic conciliantur opiniones ſuprà relatæ iuxta Adria. Nauar. & alios. Nam prior procedit iuxta hanc poſteriorem partem, altera verò iuxta primam partẽ aſſertionis. Et ſi Caietanus attentè legatur in d. q. 100. art. 4. planè admittit priorẽ partẽ huius aſſertionis. Quæ quidẽ ſatis probata, & declarata eſt ex dictis. Nam de ſeparatione formali procedunt prima, & ſecunda aſſertio, virtualis autem ſeparatio declarata eſt in tertia. Et poteſt etiam aliis exemplis declarari; nam ſi pingue beneficium pro tenui commutetur, poteſt Pontifex cõcedere, vt penſione aliqua impoſita ſuper beneficium pingue, exceſſus temporalis compenſetur, illius tantùm ratione habita, vt quotidiè fit: ergo etiam poteſt concedere, vt data à principio certa pecuniæ ſumma penſioni moraliter æquiualenti cõmutatio fiat, quia ſicut poteſt poſteà concedere, redemptionem penſionis, ita poteſt vno actu vtrũque concedere, & tunc dicimus fieri virtualem ſeparationem, quod tenent Sot. & alij ſuprà allegati, & quos infrà tractando de permutationibus beneficiorum afferemus, vbi hoc pũctum latiùs declarabimus. Denique hanc partem probant omnia adducta pro ſecunda ſententia.

Sot.

33. Ratione pro batur.

Et ratio eſt, quia Papa eſt ſupremus diſpenſator bonorum Eccleſiæ, & ideò ſicut re ipſa poteſt ſeparare reditus ab ſpirituali titulo, ita mente, & intentione, & voluntate poteſt ſeparare temporale à ſpirituali, & ita cõpenſare tẽporale cũ tẽporali, & ſpiritualia; vel gratis, vel pro ſpiritualibus cõferre. Aliqui etiã hoc declarãt, quia Papa poteſt ſeparare in re ipſa tẽporales reditus ab ſpirituali titulo, & dare ſpiritualẽ titulum ſine Iure ad temporalia, ergo quãdo dat alicui ſpiritualem titulum poteſt ab illo exigere ſũmã pecuniæ, vt relinquat illos reditus annexos illi titulo, & non illos ſeparet, vel vt ſeparatos vniat. Sed ego nõ tã facilè hoc admitterem, tum quia cũ illa cõperant Põtifici per ſupremã poteſtatẽ ſpiritualẽ, illud planè eſſet vendere vsũ ſuæ poteſtatis, quod eſt contra diuinũ Ius: tũ etiã quia emere à Papa, vt fructus maneant vniti beneficio, eſt emere, vt sẽper liceat acquirere Ius ad illos fructus mediante ſpirituali miniſterio, hoc autẽ eſt vẽdere miniſteriũ ipſũ, vt ſtatim dicemus. Denique ipſamet annexio taliũ fructuũ adſpiritualẽ titulũ, ſpirituale quid eſt, tã quoad poteſtatẽ, à qua manat, quã quoad terminũ ſpiritualẽ, qui ibi neceſſariò inuoluitur, quã etiã quoad finẽ, qui eſt vt ſpiritualia cõſeruari poſſint, vt dicitur in d. c. *Siquis obiecerit*, 1. q. 3. ergo pro conſeruanda annexione fructuum, vel reſtituenda, aut denuò facienda, non poteſt pretium dari, vel accipi etiam à Papa. Solum ergo poteſt temporale ipſum ſeparari, & vt ſic compenſari, & pretio redimi auctoritate Pontificis.

Cap. Siquis.

34. Probatur 2. pars concluſionis.

Iam verò probatur altera pars concluſionis. Et inprimis in illa procedunt rationes omnes pro cõmuni ſententia Theologorũ adductæ. Et deinde explicãtur in hũc modũ, quia ſi beneficium non ſeparatur ab officio ſpirituali, quãdo vẽditur beneficiũ, pretio emitur facultas obtinẽdi illos reditus, & ius ad illos mediãte ſpirituali miniſterio; ergo emitur, & vẽditur ipſũ ſpirituale miniſterium, ſaltẽ, vt mediũ neceſſariũ ad tẽporalia acquirenda. Declaratur primũ in hũc modũ, quia ante exhibitũ ſpirituale miniſteriũ nõ eſt acquiſitũ Ius ad tẽporales reditus veluti directè, & immediatè in ipſis, ſed tãtũ virtute in miniſterio ſpirituali, quatenus is, qui poſſidet beneficium habet Ius miniſtrandi, & per ſpirituale miniſterium conſequendi proprium, & formale Ius ad temporales reditus, ergo vendere illud Ius ad reditus quaſi radicale, eſt vendere ipſum miniſterium ſpirituale. Atque in hoc cernitur magna differentia inter hæc temporalia, vt annexa conſequenter, vel antecedenter, & ſoluuntur ferè omnia, quę pro prima opinione adducta ſunt, ſi contra hanc obiiciantur. Deniq; declaratur, quia ſi Papa non ſeparet fructus beneficij ab ipſo beneficio, ſed velit ſẽper, vt ſint ſtipendiũ ſuſtentationis debitæ pro ſpirituali munere, ſi hãc ipſãmet ſuſtentationem vendat, cõuincitur, vẽdere ipſũ ſpirituale mun?, etiãſi ipſe dicat, ſe id nõ intẽdere. Nã vẽdit rẽ annexã ſpirituali muneri, vt annexa eſt, id eſt, vt eſt ſuſtentatio debita ratione talis miniſterij ſpiritualis, ergo neceſſe eſt, vt venditio aliquomodo attingat rem ipſam ſpiritualem, & in illam cadat. Et hoc etiam bene confirmat c. *Si quis obiecerit*, quod aliqui interpretã-

tur de annexis tantùm concomitanter: sed apertè loquitur etiam de beneficiis, vt suprà vidimus. Alij verò, vt Vgolin. & indicat Nauar. exponunt regulam illam, qui vnum vendit, aliud inuenditum non relinquit, intelligi secundum præsumptionem Iuris, non secundùm veritatem. Sed non placet, quia secundùm rei veritatem (& rigorem loqui videtur Papa cum dicat, *penitus desipere*, qui illud negat, & cùm exemplum adducat de corpore, quod sine anima viuere non potest, quod non ex præsumptione dicitur, sed ex veritate rei. Loquitur ergo de temporali ita annexo, vt non nisi per spirituale comparari possit, nam qui tale temporale vendit manente annexione, non potest non aliquo modo vendere ipsum spirituale, secus verò est quando fit formalis vel virtualis separatio, vt declaratum est.

Cap. Siquis. Vgolin. Nauar.

35. Prælati inferiores nec possunt vendere beneficium sine Simon. contra Ius diuinũ, nec pecuniá exigere aliis titulis explicatis.

Quintò ex his à fortiori constat inferiores Prælatos non solùm non posse vendere beneficia Ecclesiastica sine Simonia contra diuinum Ius, verùm etiam nec posse aliis modis, vel titulis explicatis pecuniam exigere pro beneficio, etiam intuitu temporalis incommodi. Ita docent ferè omnes, & patet breuiter prior pars, quia ostensum est beneficium vt sic, id est, vt annexum spirituali titulo non posse vendi sine Simonia etiam à Papa, ergo multò minùs ab inferioribus. Ratio verò alterius partis est, quia Episcopus non potest disiungere fructus beneficij à beneficio, consequéter non potest de illis, vt de merè temporalibus disponere, nec facere, vt Ius ad illos acquiratur, nisi medio Iure, & ministerio spirituali, ergo non potest præbendam, vel partem eius vendere nisi vendendo spirituale. Consequentia patet ex dictis, & antecedens probatur, quia Iure communi statutum est, vt beneficia sine diminutione conferantur, in proprio titulo, & in capit. *Prohibemus*, de Censib. prohibentur Episcopi partes redituum beneficiorum suis vsibus applicare, aut Ecclesiis noua onera imponere. Idem sumitur ex cap. vltim. 1. quæst. 3. cap. *Maioribus*, &c. *Vacante*, de Præb. Est autem hæc prohibitio de Iure positiuo, vt constat. Vnde illa secluſa possent Episcopi in suis diœcesibus separationem facere, & ita etiam possent sine Simonia sibi, vel alteri ex iusta causa applicare temporale emolumentum, & consequenter illud per se spectatum vendere. Sed hoc meritò prohibitum est, quia esset in magnam Ecclesiæ perniciem, vt in prædictis Iuribus satis significatur.

C. Prohibem⁹

Cap. vlt. C. Maioribus, Ca. Vacante.

36. An Episcopus possit modo, non obstãte Iure positiuo imponere onus pecuniæ cupienti beneficium.

Solùm potest interrogari, an nunc, etiam non obstantibus his prohibitionibus Iuris positiui, licere possit Episcopo aliquod onus pecunię imponere cupienti beneficiũ obtinere, eo modo, quo id affirmat Maior supra relata? Videtur enim id posse fieri aliquando licitè: nam multorum Canonistarum opinio est, posse Episcopum imponere temporalem pensionem illi personæ, cui confert beneficium, vt tenet Gigas quæst. 6. de Pension. cum Innoc. Imol. Felin. Anchar. Oldrado, Decio, Anton. & aliis, quos citat. Quod etiam tenet, & latè probat Gambar. de Officio, & potestate legati lib. 6. cap. 77. & videtur posse probari ex cap. *Constitutum*, de Relig. domib. &c. *Cum venisset* de restit. spoliat. &c. *Veniens*, c. *De cætero*, de transact. Illud ergo onus personæ impositum in collatione beneficij temporale quid est, & pretio æstimabile. Dices, non esse per modum pretij, nec ex bonis recipientis beneficium, sed esse per applicationem alicuius partis fructuum beneficij ad aliquod pium opus. Sed esto, hoc ita sit, sequitur vlteriùs, posse Episcopum computato valore illius annuæ pensionis simul in principio collationis valorem illum exigere à recipiente beneficium, vt

Maior. Gigas. Innoc. Imol. Felin. Anchard. Oldra. Decio. Anton. Gambar. C. Constitutũ Ca. Cùm venissent. Maior.

Maior concedit.

Respondeo in primis hoc non videri contra Ius diuinum, nec continere veram Simoniam, si purè fiat, & sana intentione, iustaque ex causa, cum sufficiente potestate, vt de Pontifice diximus, estque eadem ratio de Episcopo in sua diœcesi in casibus sibi à Iure concessis, vt de transactionibus infrà dicemus. Secundò hîc non tractamus nunc, an Episcopi possint imponere pensiones in beneficiis attento Iure Ecclesiastico? supponimus tamen ordinariè non posse propriam pensionem super ipsis beneficiis imponere, quia, non possunt beneficia diminuere, & ita non possunt diuidere beneficium, & pensionem quasi adhærentem illi imponere, ita vt duret, quandiu pensionarius vixerit, etiamsi beneficiatus moriatur. Hoc enim est prohibitum Episcopis Iure communi, vt patet ex Decretis allegatis & ex c. *Nisi*, de Præb. in fin. Possunt tamen, quando Ecclesiam sui Iuris à sua dignitate separant, aliquid in recognitionẽ antiqui Iuris, & superioritatis suæ Sedi reseruare, qui est casus dicti cap. *Constitutus*, vt ibi communiter exponitur, & ita ad præsentem casum nihil refert. Aliquando etiam licet Episcopis imponere pensionem personalem (vt sic dicam) in casibus in Iure concessis, ac declaratis, vt maximè videntur esse transactiones, & concordiæ litium; nam in his casibus loquuntur ferè Iura citata. Et interdum fortasse possunt reseruare pensionem ad vitam renuntiantis propter senium, post diuturnum Ecclesiæ seruitium: de quo aliquid in sequentibus attingemus.

37. Satisfit.

Episcopi nõ possunt imponere pensiones in benefic. Cap. *Nisi.* Cap *Constitutus.*

Sextò, ex his facilè constat, quid dicendum sit de priuatis personis possidentibus beneficia: clarum enim est ex vi Iuris diuini esse illis prohibitum beneficia vendere, etiamsi sua esse videãtur, quia sunt sua, vel secũdum quid, scilicet quoad ministerium, & vsum fructuum, vel saltem cum hac limitatione rebus spiritualibus intrinseca, vt vendi non possint, sed gratis danda, si ea possidens, illa conferre velit. Vnde addere possumus, in his priuatis personis ita esse malam venditionem proprij beneficij, vt licet Iura Canonica eam non prohiberent, illicitum eis esset vendere beneficium, seu præbendam, aut partem eius etiam intuitu solius temporalitatis. Quia in priuata persona nulla est potestas faciendi separationem vnius ab alio, nec formaliter, nec virtute, neque vllo modo dictum autẽ est, non facta separatione, non habere locum venditionis sine Simonia, ergo.

38. Priuatis personis ex iure diuino prohibitum est vendere beneficia.

Dices, Beneficiarius potest locare fructus sui beneficij ad aliquos annos, & secluso Iure humano prohibẽte, posset locare ad vitam suam, sed locatio est æquiualenter quædam venditio præbendæ pro illis annis, ergo iam licet illis aliquo modo vendere præbendam. Vnde vlteriùs posset beneficiatus, stãdo in diuino Iure, vendere partem fructuum sui beneficij pro toto tẽpore vitæ suæ, accepto simul pretio, & valore illius, & posteà dare beneficium alteri cũ sola altera parte fructuum; & consequenter etiã posset ab eodem, cui confert beneficium, priùs exigere, vt emeret partem fructuum totius vitæ suæ, & ita virtute venderet beneficium quoad temporalitatem eius. Respondeo, non posse priuatum beneficiariũ, etiã stando in diuino Iure, ita locare fructus beneficij, vt illos separet à titulo beneficij, quia ad hanc separationem nullam habet potestatem, nã cũ annexio facta sit auctoritate Ecclesiæ, contra diuinũ Ius est, & contra rationẽ naturalem, vt à priuata persona possint separari sine auctoritate publica, & gubernatiua. Quantumuis ergo locentur fructus, annexi manent beneficio, & ad illum per se primò

39. Difficultas.

Enodatur, resoluiturq; nõ posse beneficium etiam stando in diuino Iure ita locare fructus, vt illos separet à titulo beneficij.

primò pertinent,qui titulum habet beneficij, conductor verò tantùm vice illius colligit fructus, & ita ex vi contractus illius, soli fructus venduntur in ordine ad illum statum, quem habent, postquam sunt recepti, & sub priuato dominio beneficiati. A

Quocircà si durante tempore, pro quo fructus sunt locati, prior beneficiarius moriatur, & alius succedat, fructus sequentis temporis ad successorem pertinebunt,& illi tenebitur conductor soluere pretium, & nomine, ac vice illius colligit fructus. Ideóque falsum esse existimo, quod in altero casu supponimus,nam etiam stando in Iure diuino non potest priuatus possessor beneficij locare, seu vendere fructus sui beneficij futuros per multos annos, vel pro toto tempore vitæ suæ, accipiendo B simul pretium omnium illorum fructuum,ita vt ex vi huius contractus præiudicet successori, priuando illum tali parte fructuum pro toto illo tempore, etiamsi liberaliter dimittat beneficium post priorem venditionem. Quia priuatus possessor beneficij ex ipsa natura talis rei nullam habet potestatem, aut Ius ad talem venditionem faciendam. Probatur, quia ipse ex vi beneficij solùm habet Ius percipiendi fructus ratione spiritualis ministerij, ergo solùm mediante hoc titulo, & ministerio consequitur fructus, ergo non potest fructus vendere pro illo tempore, pro quo non est habiturus titulum,vel ministeriũ spirituale, quia nullum Ius habet in illos fructus,nec beneficium illud confert quia solùm dat Ius ad fructus,mediante tali ti- C tulo,seu ministerio. Et confirmatur, quia illa præbenda integra est per Ecclesiam deputata, vt sit stipendium sustentationis eius, qui tale beneficium habuerit;ergo non potest priuatus diminuere illud stipendium pro tempore futuro, & pro suo successore.

41. Concluditur Simoniã esse in priuata persona aliquid postulare ab eo cuibeneficiũ confert.

Vnde tandem concludo, in priuata persona semper esse Simoniam hoc colore, vel titulo aliquid postulare ab eo,cui beneficium conferre vult.Itaq; vendere alicui futuros fructus illo modo, accepto simul pretio cum animo relinquendi beneficium,si per se fiat, id est, non dando beneficium emptori, non est Simonia sed iniustitia, quia non venditur spirituale,sed temporale, ad quod nullum Ius, seu dominium habet.Et ita facit iniuriam vel emptori, D si decipiat illum, vel successori, & Ecclesiæ, si per vim faciat vt successor beneficij illis fructibus priuetur.At verò si beneficium detur alicui, accipiendo pecuniam ab illo sub eo colore, quod vendit fructus futuros,vel quod posset vendere,& non facit, tũc Simonia committitur contra diuinum Ius. Probatur,quia vendit fructus, vt posteà obtineantur à tali persona titulo beneficij, ergo vendit titulum beneficij,vt suprà ostensum est. Nec excusabitur à vera Simonia,etiam si dicat, se non intendere vendere titulum, sed meros fructus, nam de facto vult vendere fructus vt percipiendos spirituali titulo, nec ipse potest eos separare, aut aliter transferre,ergo, velit, nolit, conuincitur vendere spirituale titulum.Est ergo semper hæc Simonia pro- E pria, & contra Ius diuinum in priuatis personis.

42. Obiectio.

Dices,Beneficiarius priuatus, cum se priuat beneficio, vt alteri tribuat, incommodum, & iacturam patitur in tẽporalibus, ergo saltem poterit ab aliquo exigere aliquid ratione illius incommodi quod patitur; nam illud pretio æstimabile est,nam est quoddam temporale detrimentum.Respondeo, Respõdetur. Contra Ius positiuũ facit beneficia tinspriuatus suppositio Iure positiuo, hoc non habere locum, quia hæc omnia sunt prohibita,vt constat,meritóque ordinatum est,vt siquis vult hanc iacturam nõ pati,suum beneficium retineat;vel si rationabilem causam habet renunciandi,& non potest sine temporali incommodo, à Prælato habente potestatem remedium postulet, quia aliàs aperiretur via innumeris fraudibus,& Simoniis. At verò stando in solo diuino Iure, probabile est,illud non esse intrinsecè malum propter rationem factam.Et confirmatur alio simili exemplo: nam Parochus, verbi gratia, non potest suam iurisdictionem pro pretio delegare, nec licentiam, quam dat alteri Clerico ad administranda Sacramenta in sua Ecclesia:si tamen ipse inde iacturam patiatur, & priuetur, multis prouentibus,poterit se indemnem seruare, & conditionem apponere, per quam prouentus sibi reseruet,vel iustam eorum partem,quia tunc non vẽdit spirituale, sed redimit damnum temporale, vt bene docuit cum Veruec.Sylvest.verb. *Simonia*, q. 8.vers.*Secundum*,Vgol.Tab.1.c.36.§.3. num.4. Ergo similiter, &c. Nihilominùs in beneficiis probabilius videtur ex natura rei hoc etiam non licere, quia in beneficio sunt onus, & commodum:& cõmodum ex institutione Ecclesiæ est tam annexum oneri, vt ab illo disiungi non possit, nec Ius ad illud acquiri, quatenus temporale est, nisi mediante onere spirituali.Ergo qui vtrumque voluntariè dimittit, non potest pro temporali incommodo aliquid exigere, cum illa iactura sufficienter recompensetur cum oneris,&obligationis carentia,cumque ex illa recompensatione sequatur necessariò diminutio in sustẽtatione pro ministerio beneficij ab Ecclesia designata. Quare ex natura rei videtur necessarium vt illa recompensatio fiat ipsius Ecclesiæ auctoritate.Nec est simile in altero exemplo de Parocho; nam Parochus nunquam dimittit suum titulum,licet alteri det licentiam,& ideò semper in illo manet fundamentum illorum prouentuum, seu emolumentorum, & ideò meritò potest se indemnem seruare; qui autem beneficio renunciat, nullum titulum retinet, vt possit illam recompensationem accipere.

qui beneficium alteri cõferendo aliquid ab eo petit,probabile tamẽ est non esse hoc intrinsecè malum.

Veruec. Sylvest. Vgolin. (Probabilius iudicatur esse hoc intrin secè malum.

CAPVT XXV.

Vtrùm præstimonia sint materia Simoniæ,contra Ius diuinum, vel humanum?

1. Ratio dubitandi.

RAtio dubitandi esse potest, quia hæc non sunt Ecclesiastica beneficia, quamuis enim per illa conferatur aliquod Ius ad portionem aliquam Ecclesiasticorum redituum, non tamen pro spirituali titulo;ergo non sunt beneficia, nam (vt diximus) de ratione beneficij Ecclesiastici est spiritualis titulus;ergo non sunt hæc materia Simoniæ. Probatur consequentia, quia neq; sunt spiritualia in se,vt per se notum est; neque spiritualibus annexa, quia licet fortasse illi reditus interdum fuerint, annexi spiritualibus,iam in his separati sunt ab omni spirituali titulo;ergo illa vendere,nõ est Simonia contra Ius diuinum,vt per se etiam patet.Neque etiam contra Ecclesiasticum,quia in generali prohibitione vendendi spiritualia,vel eis annexa,vel beneficia non continentur,vt ex ratione facta colligitur, nec de illis in particulari specialis prohibitio inuenitur.In contrarium verò est cõmunis vsus, & sensus Ecclesiæ,nunquam enim hæc vendi consueuerunt.

2. An præstimonia sint propria, beneficia. *Ioan.Andr.*

De his præstimoniis controuersia est, an sint propria beneficia,nécne?Quidam enim negant, vt Ioannes Andr. in cap. vn. de Rerum permut. in 6. cum aliis, quos infrà referam tract. sequent. lib. 4. de Oratione, cap.21. Alij affirmant simpliciter esse beneficia.

Hostiens. Oldra. beneficia. Quod tenet Hostiens. in cap. *Postulasti*, de Rescript.num.9.& 10.& Oldra.cons.81.& alios referam citato loco. Nonnulli verò distinctione vtuntur, nam quædam dicunt esse præstimonia, quæ solis Clericis, & hæc cum aliquo spirituali titulo,& onere dantur, perpetua sunt, alia verò,quæ dantur etiam Laicis solùm ad studium vel militiam, & de prioribus fatentur esse beneficia, quod est clarum,de posterioribus negant. Ita Hoged. 2. part.de beneficiis incompatib.cap.8.n.12.vbi alios refert pro his omnibus opinionibus. Ego verò, ne distinctio hæc confusionem pariat,censeo non esse vocanda præstimonia illa, quæ Laicis dantur mero titulo temporali: nam hæc nō solent communi vsu loquendi præstimonia, sed potius pensiones appellari,nam propria præstimonia saltem primam tonsuram postulant, vt persona sit illorum capax, vt omnes fatentur, & vsus probat. Item præstimonia non sunt personalia, aut vitalitia, sed perpetua, quando enim vacant per mortem habentium, non extinguntur, sed conferri possunt, & debent aliis per Ecclesiasticum Prælatum, hoc autem non opinor inueniri in pensionibus, quæ Laicis conceduntur ad militiam, vel studium, & ideò non possunt dici præstimonia, sed pensiones, de illis ergo dicemus in puncto sequenti. Hic ergo tantum vocamus præstimonia,illa quæ sunt perpetua,& Clericorum propria. Et de illis adhuc res dubia fuit olim, an sint beneficia, nécne? Quia ad rationem beneficij non sufficiunt illæ proprietates,quas attigimus, nisi detur ad aliquam spiritualem functionem,non constat autem hoc de his præstimoniis,vt in citato loco latiùs dicam.

Hoged.

Præstimonia nō sunt vocanda, quæ Laicis dātur.

Quę propriè præstimonia dicantur.

3. Quidā dicūt præstimoniū esse materiā Simoniæ eo ipso, quòd solis Clericis dari possit.

Aliqui verò in proposito censent, eo ipso quod præstimonium solis Clericis dari potest,esse materiam Simoniæ, nec vendi vlla ratione posse,siue sit proprium beneficium, siue non, id est siue sit institutum propter spiritualem functionem, siue solùm ad alendos pauperes Clericos in studio, vt postea possint Ecclesiæ inseruire. Ratio est, quia iam sunt annexa illa bona alicui rei spirituali,scilicet,ordini Clericali, saltem primæ tonsuræ quæ etiam spiritualis est.Et videtur fauere D.Thom.dicto artic. 4. nam connexionem hanc explicat per hoc, *Quod aliquid non competit, nisi habenti officium Clericale.* Et eodem modo loquitur Caiet.in dicto tract. 9. tom.2. Opusc. q. 1. Sed reuera si hæc præstimonia nullum haberent annexum alium spiritualem titulum illud non sufficeret ad materiam Simoniæ constituendā saltem ex vi Iuris diuini. Quia tale præstimonium reuera non esset verum beneficium propter illam solam coditionem.Quia licet tonsura esset necessaria ad tales fructus percipiendos ex Ecclesiæ ordinatione,nihilominùs fructus non darentur ratione tonsuræ, sed ratione studij,verbi gratia, vel ad studendum. Vnde ex illo solo capite non potest propriè dici temporale esse annexum spirituali consequenter, quia illi fructus non sequuntur ex tonsura,nec ratione illius debentur, sed solùm se habet tonsura tanquam conditio, quam Ius prærequirit, vt subiectum sit aptum ad recipiendum illud temporale,quod non videtur satis ad propriam connexionem. Sicut siquis institueret certas pensiones ad alendos Clericos pauperes in studio, & non alios, non ideò dicerentur illa bona annexa spiritualibus, etsi nihil aliud spirituale ab eis exigeret. Addendum ergo est, hæc præstimonia reuera habere titulum spiritualem, cui temporalia illa annexa sunt, nam saltem obligant ad officium Canonicum,quod satis est ex omnium sententia; nam est Clericale officium.Et ideò D. Thom. non dixit, habenti *Clericalem tonsuram*, sed habenti *Clericale officium*, & ita etiam exposuit bene Caiet.Et licet olim fuerit dubium de illa obligatione, hodie dubitari non potest,vt citato loco ostendam.

D. Thom.

Impugnatur eorū opinio.

Caietan.

Sit ergo certa resolutio:Præstimonia, si propriè, & secundum communem vsum illius vocis loquamur, esse materiam Simoniæ, & vendi non posse, eodem modo,quo cæterea beneficia. Ita docet Hostiens.suprà cum aliis relatis,& Sot.lib. 9. de Iust.q. 7.art.1.Et probatur primò,Quia sunt beneficia Ecclesiastica licet simplicissima, ostensum autem suprà est,quoad hoc esse eandem rationem de beneficiis simplicibus,& cæteris.Secundò ex consuetudine sumitur efficax argumentum, quia cùm magna sit cupiditas obtinendi beneficia, & præsertim ea, quæ simpliciora sunt,nemo audet præstimonia vēdere,aut emere,nec Ecclesia id toleraret. Tertiò ex modo, quo conferri solent, constat, collationem eorum spiritualem esse, & vendi non posse, solum enim à Prælatis Ecclesiasticis; & cum solemnitate, qua cætera beneficia,hæc conferuntur, signum ergo est, reputari spiritualia, ac subinde eorum fructus esse spiritualibus annexos. Et ita planè declarauit Pius V.in Motu proprio, quem cap. sequent. referemus,& illum,infrà tractando de horis Canonicis,explicabimus.

4. Præstimonia esse materiā Simoniæ resoluitur. Hostiens. Sot.

Pius V.

CAPVT XXVI.

Vtrùm Pensiones Ecclesiasticæ sint materia Simoniæ.

1. Opinio Canonistarum asserentium pensionē nō esse rem spiritualem. Gloss.

ANtiqua opinio Canonistarum fuisse videtur, pensionem absolutè, & indistinctè non esse rem spiritualem, quia potest dari Laico, & solùm est portio quædam ex reditibus Ecclesiasticis assignata,non cum spirituali titulo,aut onere,sed propter alias causas,vel functiones.Ita sumitur exGlos. in cap. *Quamuis*, 1.de Prębend.in 6.verb. *Inpensione*, Quatenùs ibi ait pensionem posse Laico conferri, & sine titulo dari.Vnde in illo textu à beneficio distinguitur,quod etiam notat Glossa per textum ibi, in cap. *Ad audientiam*, 31. extra de Rescript. Quibus locis videri possunt interpretes, nam in hanc partem inclinant: præsertim Abb.&Felin.in d.cap. *Ad audientiam*, Anton.de Butr. & Zabarel. in Clemen. vn. de Supplen. neglig. Prælat. & alij, quos videre licet in Gigan. quæst. 28. de Pensi. in princip. Ludouic.Gomez in Regul.de Annal.pos.quęst. 21.& Regula de infirmis, quæst. 16.Rebuff. de Pacif. possess. num. 132. 133. Couar. cap.Cùm in officiis, de Testam. num. 6. Sarmien. de Redit. Eccles.2.part. cap. 8. nu. 13.Hoged.de Benef.incompat. in Præfat. num.3.Salzed.in Pract,cap.62.num. 10.Idemque sentit Sylvest.verb. *Hora* quæst. 2. dicto 8.quatenùs negat,pensionem,etiam datamClerico obligare ad recitandumCanonicum officium. Consentit etiam Sot.lib.3.de Iust.quæst,6.art. 2.in dub.penult.

Abbas. Felin. Anton. Zabar. Gigan. Lud. Gomez. Rebuff. Couar. Sarmien. Hoged. Salzed. Sylvest. Sot.

2. Ex prædicta opinione sequitur pensionem non esse materiā Simoniæ.

Ex qua sententia videtur apertè sequi, pensiones non esse materiam Simoniæ, sed vendi posse, & emi, saltem stando in diuino Iure, quia sunt merè temporalis, & licet ex spiritualibus manauerint, tamen per concessionem ab eis separatæ sunt, vnde iam non sunt spiritualibus annexæ,ergo nullo modo sunt materia Simoniæ. Atque ita sentiunt multi ex dictis, licet non omnes, vt dicam. Idémque absolutè tradit Caietanus tom. 2. Opusc.tract. vltim. Respons. 10, Et vsus comprobare videtur; nam quotidie hæ pensiones redimuntur. Et quòd id fieri licitè possit, etiam sine licentia Papæ, docet

Tolet. Caiet.

docet Tolet.in sua Sum.lib.5.cap.92. A

Sed hoc non obstante, multiplici distinctione in hac materia vtendum est, quia illa generalis regula non potest ad omnes pensiones applicari,maximè post Motum proprium Pij V.*Exproximo*, qui est 138. edituſque est anno 1571. Ex quo decreto prima diuisio pensionum sumenda est; nam quædã conferuntur omnibus, quædam verò Clericis, vt Clerici sunt,ita enim ibi Pontifex distinguit. Priores sunt,illæ,quæ vel Laicis conferuntur,vel indifferenter sine expressione, vel postulatione talis cõditionis,vel quæ dantur propter rationem aliquam de se temporalem,& humanam,vel corporalem.Vt si certa pensio assignata sit pro Thesaurario,seu Sacrista,aut pro pulsandis campanis,vel curandis infirmis.Posteriores autem sunt; quando assignantur B pro Clericis,vt Clerici sunt,quod fieri intelligitur, vel quando illa conditio expressè postulatur,vel ex modo,& ratione concessionis supponi intelligitur, & in vniuersum, quando propter munus aliquod spirituale conferuntur.

3. *Pius V.*

Pensiones sunt in duplici genere quædã enim conferuntur omnibus, aliæ solis Clericis.

Primò igitur de priori genere pensionum procedit maximè sentẽtia relata,vt declarauit Sotus lib. 9.de Iust. quæst. 7. artic. 2. ad finem Victor. dicta Relect. numer. 54. Verumtamen Rebuff. loco citato numer. 34. absolutè negat, etiam has pensiones vendi posse.Probat, quia pensio est annexa beneficio Ecclesiastico, ergo vendi non potest. Patet consequentia,tum ex regula generali,tum exemplo Iuris patronatus, tum quia qui adhæret Ecclesiæ, debet regi Iure Ecclesiæ,capit. *Damnatus*, de Sum. C Trin. Denique ait in tali venditione magnum esse periculum delinquendi, & ideò ab illa esse abstinendum.Ego verò censeo distinguendum.Nam aut loquimur de hac pensione ex vi solius Iuris diuini, & naturalis,quod resultat ex hoc præcisè,quod talis pensio ex bonis Ecclesiasticis, vel super beneficium Ecclesiasticum assignata sit, vel loquimur ex Iure positiuo addito vltrà hanc institutionem, seu consignationem.

4. *Sẽtentia suprà relata procedit de priori genere pensionũ. Sot. Victor. Rebuff.*

In eo sensu Impugnatur C. Damnatus

Dico ergo, pensionem huiusmodi priori modo spectatam non esse materiam Simoniæ, & sine vlla vmbra illius vendi posse, vt docent citati Auctores, & communis sententia, quia est quid merè temporale. Nec obstat ratio Rebuffi, quia falsum assumit. Talis enim pensio non est annexa rei, vel D ritulo spirituali;Nam vt argumentabar, quòd fructus pensionis sint assumpti(vt sic dicam)vel consignati ex fructibus beneficij, non sufficit ad annexionem, quin potiùs illa portio eo ipso separata est à titulo illius beneficij,quantum ad illum,cui confertur; vnde nisi in illo alius sit spiritualis titulus, nulla est annexio illius temporalis ad spirituale. Sicut tertiæ decimarum Regi concessæ, temporales sine dubio sunt, & vendi possunt, vt quotidie fit; quia illud Ius datum Regi circa Ecclesiastica bona non est Ius spirituale, sed merè temporale. Eò vel maximè quòd interdum potest Ius merè temporale ex spirituali manare sine annexione ad spirituale vt patet de fructibus decimarum, quando iam sunt sub dominio proprio Clericorum.Vn- E de non est simile de Iure patronatus, nam illud vel est sperituale,vel certè proximum spirituali,illique valdè annexum: nam ordinatur ad collationem beneficij spiritualis media præsentatione, quæ spiritualis est ratione termini, vt infrà dicetur. Pensio autem hæc est Ius ad rem merè temporalem, nullo mediante spirituali titulo, materia autem remota (vt sic dicam) ex qua sumpti sunt illi prouentus, & causa effectiua donans pensionem,licet id fecerit per potestatem spiritualem,non fecit rem esse spiritualem, vel annexam illi. Sicut quando Papa facit eleemosynam ex bonis Ecclesiæ, & per potestatem spiritualem, eleemosyna facta merè temporalis manet, & sine vlla annexione. Quid verò dicendum sit de Iure positiuo paulò inferiùs dicam.

5. Resoluitur pẽsionẽ priori modo spectatam non esse materiã Simoniæ.

Secundò dicendum est de pensionibus Clericorum, vt Clerici sunt. Et has possumus in varia membra distinguere, iuxtà varios modos imponendi has pensiones; nam de singulis oportet in particulari dicere. Interdum ergo datur hæc pensio Clerico simplici, siue in maiori, siue in minori ordine constituto absolutè, & simpliciter ad suam sustentationem, sine respectu ad aliquod beneficium vel spirituale ministerium,aliquando verò cum aliquo speciali respectu, aut titulo. De prioribus pensionibus, vt cap. præced.tetigi,aliqui existimant pensionem, eò ipso quòd requirit in persona clericatum,seu primam tonsuram, etiamsi nullum spirituale onus secum afferat,fieri spirituali annexam, ac subinde Simoniæ materiam, & inuendibilem Iure diuino.Ex quo sequitur etiam Iure antiquo fuisse omnes has pensiones Clericorum inuendibiles. Et hoc videtur sentire Nauar. Cons. 59.60.61.62.& 63.de Simonia,& in Manuali,cap. 23.num. 111. & quod magis est, dicit omnes ita sentire.

6. Pensiones Clericorum in varia mẽbra diuidũtur.

Nauarri sententia asserẽs pensionẽ requirentẽ clericatum in persona esse inuẽdibilem Iure diuino.

Sed reuera stando in Iure antiquo,& in sola natura talis pensionis,contrarium est communiter receptum,& est verius,neque oppositum potest sufficienter fundari.Quia illa pensio in sola illa ratione spectata non datur propter spiritualem titulum, sed præcisè ad sustẽtationem; Clericatus autem solùm requiritur,vt conditio, vel dispositio ex parte subiecti.Sicut eleemosyna,quæ fit Clerico peculiari respectu,quia Clericus est: & quasi in honorem Clericatus, non ideò sit spiritualis, vel annexa rei spirituali. Et declaratur, quia tunc reditus temporalis dicitur propriè annexus titulo spirituali, quãdo Ius spirituale tale est, vt secum afferat Ius ad temporale;at prima tonsura non affert secum hanc pensionem;non habet ergo illam sibi annexam cõsequenter, sed immediatè datur personæ, noua liberali donatione temporali, licet in illa requirat talem conditionem spiritualem.Aliud verò esset,si in aliquo Episcopatu esset aliquod certum emolumentum ita annexum statui Clericali, vel primæ tonsuræ,vt ei statim esset debitum ex vi ordinationis, illud enim diceretur propriè annexum consequenter ordini,& vendi non posset.Sicut nunc priuilegia Clericorum annexa sunt ordini, & vendi non possunt, etiamsi aliqua secundùm se spectata sint temporalia, & pretio æstimabilia. Non inuenietur autem in Ecclesia talis modus annexionis pensionum ad ordinem vt sic, & ideò ex hoc solo capite non fit pensio spiritualis, quòd Clerico, vt Clericus est,conferatur.

Addimus verò secundùm Ius nouum Pij Quinti has pensiones spirituales esse, & inuendibiles.Probatur, quia dantur cum obligatione alicuius spiritualis,& clericalis muneris; ergo iam sunt annexæ Clericali officio,& non tantùm requirunt statum Clerici,vt conditionem,sed etiam postulant ministerium spirituale, ratione cuius tales reditus fiant debiti,& acquiratur Ius ad illos. Antecedens patet, quia Pius V. imposuit his pensionariis obligationem recitandi officium Beatissimæ Virginis, vt in sequent. tractat. lib. 4. videbimus. Supponimusque (vt ibi dicemus) illam legem obligare, & non esse per contrariam consuetudinem abrogatam,saltem in Hispania; quia nec de tali consuetudine

8. Secundũ Ius nouum Pij V.hæ pẽsiones sunt spirituales, & inuẽdibiles.

7. Reiicitur hæc sententia stando in Iure antiquo.

tudine constat, nec de tacito consensu Pontificis in ea toleranda; illa ergo lege suppositā, iam illi fructus sunt annexi muneri spirituali. Nam licet adhuc pensiones hæ non sint beneficia in rigore, quia non sunt perpetua, nihilominùs sunt quidpiam spirituale constans ex illa obligatione spirituali, & iure ad temporalia sibi annexa. Et quoad hoc procedit optimè opinio Nauarri, & stante hoc iure, mihi videtur certa. Et intelligo, hanc Simoniam esse contra Ius diuinum, quia licet supponat institutionem Ecclesiæ quoad talem annexionem temporalis ad spirituale, illa suppositā, res fit natura sua inuendibilis, sicut de beneficiis explicuimus.

In quo sensu vera sit sententia Nauarri.

9. Licet pēsionarius habeat licentiā à Papa trāsferendi pensionēin aliū, Simoniacus erit? si pro pretio trāsferat. *Nauar.*

Atque hinc infero, etiamsi pensionarius habeat licentiam à Papa transferendi in alium suam pensionem, non posse sine Simonia illam translationem, seu renunciationem pensionis in alium facere pro aliquo pretio, vt sensit Nauar. Constitut. 66. & 93. de Simonia. Qui loqui videtur ex natura talis pensionis, & secluſa obligatione per Piū V. impositā. Sed in priori statu credo idem esse dicendum de venditione translationis, quod de venditione pensionis, nam si pensio vendi posſit, multò magis translatio eius, quia non alia ratione potest esse malum, translationem vendere, nisi quia eo ipso pensio venditur. Et ita tradit latè Gigas de Pensionib. quæstione 99. Secùs verò est de pensione, quæ iam nunc spiritualis est; nam licet transferri posſit, gratis est transferenda, quia aliàs venderetur aliquid spirituale. Et eadem ratione non potest transferri in alium reseruatis fructibus ipsi transferenti, vel aliqua parte illorum, vt dixit Nauarrus ibi constitutione 65. Et existimo esse verum in eodem sensu. Si tamen is, qui habet licentiam transferendi in alterum totam pensionem, vellet transferre partem, & aliam sibi retinere, retento in titulo spirituali, posſet id facere, quia potest vti licentia in parte, & non in totum, & quia tunc gratis dat id, quod dat, & quia pensio non est indiuisibilis, sicut beneficium, sed diuidi potest. Tunc autem teneretur alter, in quem translata fuit dimidia pensio ad explendam obligationem à Pio Quinto impositam, quia esset verè pensionarius, vt Clericus. Credo etiam posse per se loquendo in alium transferre omnes fructus pensionis pro tota vita sua, retinendo in se titulum, & obligationem pensionis, quia hoc non est transferre pensionem, sed solos fructus. Vnde per mortem transferentis pensio tunc extingueretur, vt constat.

Gigas.

Nauar.

10. An talis pēsio posſit redimi. *Nauar. Caietan.*

Sed talis pensio saltem redimibilis est. Nauar. suprà, & in Manuali capit. 23. numer. 111. pro constanti habet, non posse redimi sine auctoritate Papæ. Imò idem docet contrà Caietan. etiam ante annexionem factam à Pio V. Et probat primò quia pensio non potest constitui sine auctoritate Pontificis, ergo nec destrui seu tolli: nam oppositorum, seu correlatiuorum (vt ipse ait) eadem est ratio, & quia eadem concurrere debent ad destructionem, quæ ad constructionem, capit. 2. de Regul. Iur. Secundò quia pensio emi non potest, vt dictum est: ergo nec redimi: nam contrariorum (ait) eadem est disciplina. Tertiò nunc saltem videtur hoc probari illa ratione, quòd pensio est quid annexum spirituali, ergo sicut emi non potest, ita nec redimi. Sed in hoc dico aliud esse loqui de Iure diuino, aliud de positiuo, item aliud ante Pium V. aliud modò. Igitur ante Pium non erat contra Ius diuinum has pensiones redimere. In hoc assentior Caietano, & Toleto cum Anton. de Butr. & aliis suprà citatis. Et patet à fortiori ex dictis, quia tunc non erat pensio inuendibilis natura sua. Addo quòd licet vendi non posſet, posſet redimi. Probo, quia quando redimitur pensio, non cōmutatur spirituale pro temporali, sed extinguitur quid temporale: nulla est ergo ibi malitia Simoniæ. Nec contra hoc procedit prima ratio Nauar. negatur enim consequentia, quia quando id, quod destruitur, tantum est fauor priuatæ personæ, illa potest cedere iuri suo: sic enim priuilegium non potest haberi sine auctoritate Superioris, potest autem destrui voluntate priuata priuilegiati renunciantis. Et patet, quia pensio potest gratis remitti, & sic destrui sine auctoritate Papæ, vt ipse Nauar. admittit, & tradit Ludou. Gomez. in Regula de Infirm. quæst. 16. cum Præposit. in cap. *Agathosa.* 63. dist. ergo quicquid sit de æqualitate rationis quoad alia, saltem ex hoc capite non repugnat redimi. Secunda item ratio nihil probat, quia & falsum sumit, & malè colligit, vt ostendi. De tertia verò dicam statim.

Nauar. Lud. Gomez.

11. Videtur se qui ex dictis etiam nunc non esse intrinsecè malum redimere pēsiones.

Ex his ergo videtur inferri, etiam nunc non esse intrinsecè malum, pensiones has redimi. Et quidem quòd non sit Simonia contra Ius diuinum, videtur posse probari sufficienter, quia ex licentia Pontificis fit, & certum est ritè, & rectè fieri. Dici verò potest, Pontificem tunc non dispensare, sed mutare materiam, & ideò iam non esse Simoniam, quæ anteà erat, etiamsi anteà esset contrà Ius naturale, quia mutata materia, mutatur etiam, vel potiùs cessat obligatio Iuris naturalis. Sed inquiro, quæ sit hæc materiæ mutatio? certè nulla est alia, nisi quòd per redemptionem non transfertur in redimentem Ius aliquod spirituale, sed tantùm cessat temporale cōmodum, & extinguitur spirituale onus, quod potest fieri optimè auctoritate Pontificis. At verò hoc ipsum potest fieri sine auctoritate Pontificis ex natura rei loquendo, nam si ex sola conuentione partium pensio redimatur, nullum Ius spirituale acquiritur alicui parti, nam qui soluebat pensionem, iam habebat totum Ius spirituale beneficij, & redimendo pensionem, nihil spirituale acquirit, sed liberatur ab onere temporali, in alio verò extinguitur spiritualis obligatio, extincta pensione.

12. Contraria sententia verior iudicatur.

Sed nihilominùs veriùs censeo, suppositō Iure Pij V. hanc redemptionem esse prohibitam sine auctoritate Pontificis ex natura rei. Quod ita explico, quia suppositō illo Iure, ex vi illius imponitur pensionario onus spirituale authoritate Pontificis, & vult Pontifex, ipsum non habere fructum pensionis, nisi ratione officij diuini illi iniuncti, ita vt iam habeat locum in his pensionibus illud axioma cap. vlt. de Rescrip. *Beneficium datur propter officium*, nam licet pensio non sit beneficium strictè sumptum, est tamen latè quatenùs est benenola subuentio, seu commodum, gaudium tribuens capienti, vt dixit Abbas in cap. *Ad audientiam* 2. de Rescript. in principio. Quod commodum iuxtà institutionem Pontificis ratione officij datur, id est, ratione actualis recitationis; in hoc ergo conuenit cum rigorosis beneficiis: ita enim intelligenda est sententia illa dicti capit. vltim. vt suprà dictum est. Ergo non potest pensionarius sua auctoritate se eximere hac obligatione, & totum commodum pensionis recipere, quod facit, quando alter illam redimit, quod si ipse redemptionem acceptare non potest, profecto neque alius illam facere potest. Vnde hoc stante Iure efficaciter videtur applicari prima ratio Nauarri, quia quod auctoritate Prælati constitutum est, non potest per voluntatem priuatam destrui, illud autem Ius spirituale, quod est in pensione, auctoritate Pontificis constitutum est,

Cap. vlt.

Abbas.

& per

Cap. 2.

Ante Piū V. non erat cōtra Ius diuinū has pensiones redimere. *Caiet. Tolet. Anton.*

& per eandem est applicatum huic pensionario cum tali commodo temporali, ergo non potest ipse suo arbitrio illud destruere, accipiendo per redemptionem pensionis totum commodum temporale.

14. Obiectio. Dices; hac ratione benè probari, illud non licitè fieri, quia est iniustum accipere illud temporale commodum, exonerando se ab officio, per quod esset comparandum: non tamen probatur illud esse Simoniacum, quia nihil spirituale ibi datur, vel accipitur. Soluitur. Respondeo primò probabile esse, etiam ibi interuenire Simoniam, saltem in hoc, quòd propter pretium aliquis vendit spiritualem titulum, non dando illum alteri, sed extinguendo illum, nam hoc modo solent interdum emi res B temporales, non vt transferantur in emptorem, sed vt extinguantur, vt siquis det pretium alteri, vt scripturam comburat, at hoc etiam est contra excellentiam rei spiritualis. Item qui acceptat redemptionem pensionis vendit annuos fructus, qui sunt stipendia spiritualis muneris, atque ita vendit rem annexam per Pontificem muneri spirituali, ergo de se vendit rem spiritualem, & ipsum titulum, etiamsi in alium non transferat illum. Secundo addo, vt tollatur omne dubium, stylum curiæ habere, vt habeantur, ac puniantur vt Simoniaca, vt Nauarrus suprà refert dicto Conf. 63. stylus autem Curiæ, *Nauar.* vel declarat naturalem malitiam, vel Ecclesiæ prohibitionem; habet enim vim obligandi, vt seruetur, C vt ibidem ait Nauar. ex cap. *Ex literis*, de Constitu. *C. Ex literis.* & ibi notatis.

15. Sed quæres, Si pensio sit iniustè imposita, An liceat illam redimere? Respondeo, si ita sit iniusta, seu illicitè imposita vt nihilominùs valida, vt facilè esse potest, redimi non posse, vt ex dictis constat, nam iniustitia dispensantis non facit venalem rem spiritualem, quæ reuera collata est. Si tamen tanta fuit iniustitia, vt etiam pensio fuerit inualida, tunc licitum erit soluenti illam, eam redimere, quia non pensionem veram, sed vexationem suam redimit; alter verò qui pretium recipit, vel erit Simoniacus ex conscientia erronea, si putet pensionem esse validam, vel erit iniustus, accipiendo D pretium, si cognoscat, fuisse inualidam, vt per se constat.

Penſio iniusta si sit valida non potest redimi, secus si sit inualida.

16. Vnde infero primò, si hic stylus Curiæ est antiquior, quàm constitutio Pij V. etiam ante non licuisse absque auctoritate Pontificis pensiones has redimere, & à fortiori nec vendere, & contrarium fuisse Simoniam, saltem quia prohibitum, etiamsi non esset contra Ius diuinum, quia ad hoc (vt dixi) sufficit stylus Curiæ siue ratione consuetudinis, siue (quod magis credo) quia sufficienter declarat, & proponit Pontificum voluntatem, & prohibitionem. Et eadem ratione si stylus hoc habuit, & habet non solùm in his spiritualibus pensionibus, sed E etiam in temporalibus, in eis etiam procedet opinio Rebuffi, quòd sine Simonia vendi non possunt, saltem ratione iuris positiui: & ita respondemus ad hoc dubium, de illis pensionibus suprà hùc remissum. Quàm verò sit antiquus hic stylus Curiæ, & an modò talis sit, vt extendatur non solùm ad has spirituales pensiones, sed etiam ad temporales, mihi non satis constat. Verisimilius tamen est, illum stylum, & prohibitionem cadere in pensiones clericorum, vt clerici sunt, vel quæ sunt annexæ aliquo modo officiis ecclesiasticis, quæ vendi prohibentur; nam aliæ pensiones omnino temporales, nullo modo videntur iam ad ordinem rerum spiritualiũ vel ecclesiasticarum pertinere.

Si stylus Curiæ supra relatus, est antiquior, quã constitutio Pij V. etiam antea nõ dicebat pẽsiones redimere, aut vendere.

Rebuff.

17. Secundò infero, si pensio spiritualis non ita redimatur, vt omnino extinguatur titulus spiritualis in pensionario, sed ita vt maneat ipse semper obligatus ad pensum spirituale soluendum, & quasi in se retinens titulum talis pensionis, talem redemptionem non esse Simoniacam, imò nec videri prohibitam, quia illa reuera non est redemptio pensionis, sed quasi locatio fructuum, seu anticipata venditio fructuum. Vnde in eo casu cessat ratio suprà facta, quia tunc non destruitur quòd Papa constituxit, nec vẽditur vllo modo illud spirituale, quòd est in tali pensione, quia retinetur semper eodem modo, quod antea erat. Nec inuenitur prohibitum pensionariis, quominùs possint fructus locare ad totam vitam per anticipatam solutionem, nisi fortasse stylus Curiæ ad hoc etiam extendatur, ne pauperes clerici alienent fructus suæ sustentationis, quòd non facilè credo, nisi fortè in pensionibus, quæ dantur loco alimentorum, vel ad quarum titulum aliqui ordinantur. Sic etiam dixit Nauar. di- *Nauar.* cto Conf. 62. Quòd si per redemptionem non liberetur beneficium ab onere pensionis, sed tantum persona tenens beneficium, licita erit redemptio, quia non est redemptio pensionis, sed oneris personalis, quod est merè temporale, & signum est, quia licet moriatur redemptor pensionis, successor tenebitur soluere pensionem, quia beneficium trãsit cum onere suo. Intelligo tamen nunc ita hoc licere, vt pensionarius, non obstante redemptione, semper teneatur ad spirituale onus pensionis, quia licet acceperit simul æstimationem fructuum pensionis pro tempore vitæ beneficiati, vt supponitur, nihilominùs totum illum cumulum accepit vt stipendium sustentationis pro officio, singulis diebus, & toto illo tempore præstando. Quin potiùs addo quòd licet conueniant inter se partes sine Papa, & redemptionem faciant absolutam, nihilominùs in conscientia pensionarius non liberatur ab onere spirituali quod ratione pensionis tenetur explere, non quidem in pœnam Simoniæ, de qua nondum agimus, sed ex natura rei. Tum quia non potest quis priuatà sua voluntate se liberare, & eximere ab onere per Pontificem impositi, reportato eodem stipendio. Tum etiam quia ex iustitia tenetur ad officium, qui accipit fructus beneficij, siue anticipatos illos accipiat, siue annuatim, vt cõstat: ita verò se habet in eo casu pensionarius ille, vt ex dictis notum est.

Si pensio ita redimatur, vt nõ extinguatur in pensionario pensum spirituale, non committitur Simon.

Pẽsionarius manet in cõscientia obligatus ad onus spirit. si cum alio sine licentia Pontific. redemptionẽ faciat.

18. Obiectio. Dices; Ergo nunc non potest clericus etiam libere, & gratis renunciare pensioni, ita vt à spirituali onere liber maneat: sicut non potest beneficiarius renunciare beneficio sine auctoritate Superioris. Probatur consequentia, quia illud onus per Pontificem impositum fuit, ergo licet possit quis renunciare commodo suo temporali, quia potest donare fructus pensionis, non tamen potest sua voluntate exui illo onere. Consequens autem videtur durissimum, & præter morem, quia reuera non est verisimile, fuisse hanc intentionem Pontificis. Tum quia illam non expressit, & non sequitur necessariò ex eo quòd ad recitandum Virginis officium pensionarios obligauerit. Tum etiam quia illud esset cõtra commodum beneficiorum, & libertatem pensionariorum. Respondeo igitur, negando sequelam: nam est valde dissimilis ratio. Quia aliud est, renunciare officio, renunciando etiã commodo illius, aliud est, velle accipere temporale commodum, & per illud pretium acceptum, liberari ab spirituali debito. Hoc posterius est per se inordinatũ, & hoc diximus esse malum, & prohibitum. Primum verò fit, quando gratis omnino renunciatur pensio, & ideò illud sine dubio licet. Neque hoc

Satisfit, & resoluitur posse clericũ liberè renũciare pensioni, ita vt maneat liber ab onere spirit.

est contra institutionem Pontificis, quia ille non A præcepit, vt pensionarius semper retineret pensionem, neque vt semper recitaret absolutè, sed vt recitaret, quandiu acciperet pensionem: censetur autem semper accipere, quando valorem pensionis pro toto aliquo tempore anticipatè recipit, & ita semper durat vis illius præcepti, quando autem liberè renunciatur pensio tunc tollitur materia illius obligationis. & contra nullum præceptum fit.

19. Pensiones quædã dantur pro munere spirit vt stipendiũ sustentationis, aliæ ratione beneficij.

Supereſt dicendum de aliis pensionibus clericorum, quæ aliis specialibus titulis, seu rationibus dantur quæ multiplices sunt, possuntq; iterum subdistingui; nam quædam dari solent pro aliquo munere spirituali, vt stipendium sustentationis pro tali munere, aliæ verò dantur ratione alicuius benefi- B cij. Prioris generis est pensio, quæ solet dari titulari Episcopo, vt sit adiutor proprij Episcopi in Pontificialibus muneribus: potest etiam dari vicario Episcopi, visitatori, &c. Et hanc possumus vocare stipendiariam pensionem spiritualem, de qua Sot. dicto lib. 9. quæstio. 7. art. 2. generatim, & indistinctè definiuit, talem pensionem, nec vendi, nec redimi posse, quod formaliter ac propriè loquendo verum esse existimo; potest tamen aliquod dubium continere.

20. Explicatur quo pacto nec vendi, nec redimi possit pensio quæ datur Episcopo titulari.

Vt ergo hoc explicetur: aduerto dupliciter posse hanc pensionem intelligi. Primò vt sit propria pensio impositа, super Episcopatum verbi gratia, vel aliud simile beneficium, vt proPetro, vt sit vica- C rius Episcopi, vel vt pro illo cõcionetur, quæ pensio semper durabit, quandiu Petrus vixerit, etiamsi Episcopus moriatur. Vel etiam posset esse perpetuò imposita, & dicata pro tali functione, licet non pro certa persona, vt si super beneficium alicuius parochiæ, esset imposita pensio certa ad sustentandum concionatorem in Quadragesima, vel aliquid simile. In his ergo, & similibus euidens est, non posse vendi, quia venderetur spirituale ministerium, cui sunt annexæ, nec etiam posse redimi, quia obligatio ad tale munus non potest extingui. Vnde si pensionarius retento munere, & obligatione illius, vellet pacisci de tota pensione pro vita Episcopi verbi gratia, & illam vendere: tunc non esset redemptio D pensionis, sed locatio fructuum, vt paulò antea dicebamus, & ideò dixi, sententiam Soti formaliter veram esse de pensione vt annexa muneri, nam materialiter ipsa pensio quoad fructus, vendi potest, quod annuatim accipiendum est pro aliqua summa pecuniæ simul accepta, quia tunc soli fructus per se separatim, & sine illa annexione ad spirituale ministerium venduntur. Oportet tamen, vt hæc non misceantur: nam si Episcopus verbi gratia velit alicui dare munus, cui est pensio annexa, cogendo illum à principio, vt secum de tota pensione paciscatur, & redemptionem pensionis acceptet, Simoniam committit, saltem iure Ecclesiastico pro- E hibitam, quia munus illud eum pensione illi annexa, consequenter per modum vnius confertur, & ideò debet purè, & simpliciter dari absque pacto, tunc autem interuenit pactum. Item quia Episcopus nullum habet omnino Ius ad cogendum alterum, vt suam pensionem redimat, vel locet, & ideò dum non vult dare spirituale sine hoc onere, Simoniam committit.

21. Quid dicendũ sit de pẽsione stipendiaria, cũ est tantùm personalis.

Alio autem modo potest intelligi hæc pensio stipendiaria, vt sit tãtum personalis, quia non est Episcopatui v.g. imposita, sed Episcopo, vel potius ipse Episcopus illam sibi imponit, assignando illam suo vicario, visitatori, aut alteri simili ministranti in spiritualibus pro salario, seu cõgrua sustentatione. Et in his pensionibus vix habet locum quæstiõ, quia certum est, absque Simonia talem pensionem postulari, & exigi ex parte ministri, qui Ecclesiasticum ministerium assumit, quia non vt pretium, sed in sustentationem illam postulat, & eodem modo licitè promittitur iuxta caput primum cum similibus, *Ne Prælati vices suas*. Potest etiam Prælatus de hac pensione pacisci, & eam minuere quoad possit, aut velit, intra latitudinem congrui, seu iusti stipendij. Si autem officium haberet iam taxatum stipendium, vel certa emolumenta, partem illorum exigere, vel aliquid loco illius, Simonia esset in inferioribus Prælatis, saltem ex prohibitione Iuris, vt benè notat Vgolinus Tab. 1. cap. 48. §. 6. *Vgolin.* Committeret item Simoniam Episcopus, si aliquid acciperet à Petro v. g. vt ipsum potiùs in vicarium acciperet, quam Paulum, tunc enim iam pecuniam acciperet pro sua potestate deleganda. Et eadem ratione si Petrus offerret pecuniam alicui tertio, vt sibi munus illud obtineret, non minus Simoniam committeret, quàm si pro beneficio obtinendo id faceret. Idémque est quoties istæ pensiones itavenduntur, vt ipsa ministeria consequenter vendantur. Is autem, qui iam habet ministerium, rectè potest pensionem sibi debitam vendere, tanquam de re purè materiali disponendo. Redemptio autem in his, etiam quoad factum, locum non habet, si relinquendum sit ministerium, quia eo ipso cessat pensio sine alia redemptione.

Cap. 1.

22. Qui tenetur dare certum stipendium pro Missis. Simoniã nõ committit, si ab aliquo Sacerdote pretiũ accipiat, vt illi potiùs, quã alteri det stipendium.

Sed quæri potest circa hoc, an Simoniam committat is, qui, cùm teneatur dare certum stipendium alicui Sacerdoti pro multis Missis dicendis, pretium accipit ab aliquo Sacerdote, vt illi potiùs, quam alteri stipendia tribuat, vel quòd in idem redit, si cum illo conueniat, vt maiori parte stipendij contentus sit, & aliquam sibi relinquat. Videtur enim illa esse Simonia, quia illa eleemosyna pro Missa est quasi pensio stipendiaria pro ministerio spirituali; ergo illam vendere, obligando ad ministerium, est vendere ministerium: ergo est Simonia. At in illo casu venditur pensio, & eleemosyna illa, quæ obtinenda est per ministerium spirituale: ergo committitur Simonia. Nihilominùs dico ibi posse quidem cõmitti iniustitiam, si ille nullũ habeat Ius ad illam extorsionem faciendam, Simoniam autem non committi, quia eo modo, quo potest fieri pactum de stipendio Missarum sine Simonia, vt infrà dicemus, potest etiam, qui conducit clericum, procurare, vt paruo stipendio contentus sit absque Simonia. Quod si in hoc excedat, cogatque clericum pauperem, vt propter necessitatem in æquali stipendio contentus sit, erit iniustus, non autem Simoniacus, quia nihil spirituale emit, aut vendit, sed tantùm de stipendio sustentationis conuentionem facit; hoc autem tantùm fuit in prædicto casu, vt constat, ergo ibi non est Simonia ex natura rei. Nec etiam ex prohibitione Iuris, quia nulla de his priuatis muneribus, vel stipendiis prohibitio facta est.

23. De pẽsionibus, quæ pro beneficio dãtur, quid sẽtiendum. *Panor.* *Cardin.* *Gigas.* *Gomez.*

Venio ad pensiones, quæ pro beneficio dantur; in quo genere distingui solet duplex pensio, vna, datur in titulum beneficij, alia, quæ pro beneficio datur. Ita sumitur ex Panormitano in capit. *Conquerente*, de Cleric. non residen. & ex Cardin. & aliis, quos refert, & sequitur Gigas dicta quæstione 54. & in 67. & Gomez etiam locis citatis. Verumtamen illa pensio, quæ in titulum beneficij erecta est, ad præsentem considerationem non spectat, est enim verum beneficium, siue sit ad seruiendum, & iuuandum parochum in officio parochiali, quæ solet Capellania vocari, siue sit ad seruiendum tantùm in choro, vel officiis diurnis,

nis, siue sit beneficium simplex, aut proprium præ- A stimonium: omnia enim hæc sunt propria beneficia, vt de Præstimoniis diximus, & de aliis à fortiori constat, quia in eis inuenitur titulus spiritualis cum perpetuitate, institutione canonica, & aliis conditionibus necessariis. Pensio ergo sic instituta in titulum beneficij, licet retinuerit hoc nomen, quia reditus eius super beneficium aliquod impositi fuerunt, tamen post talem institutionem iam non est pensio, prout nunc de illa loquimur. Pensio autem pro beneficio imposita est propria pensio, & non beneficium. Tribus autem modis videtur posse imponi. Primò pro beneficio, cui aliquis renunciat, cum illud pacificè possideret, & commodè posset illi inseruire. Secundò, quando pro B beneficio litigioso per transactionem, & arbitrium iúdicis, vni datur beneficium, alteri verò pensio super illud. Tertiò quando Parochus senex, qui per plures annos Ecclesiæ inseruiuit, dimittit beneficium, & ei datur pensio ad suam sustentationem.

Triplici re potest impo ni pẽsio pro beneficio.

24. Opinio asserentiũ posse vendi, & redimi has pẽsiones. Caiet.

De his ergo omnibus aliqui sentiunt, pensiones has esse temporales omnino, & posse vendi, & redimi. Ita sentit Caietan. dicta Respons. 10. Nam licet de redemptione directè respondeat, tamen ratio eius æquè de venditione procedit, loquitur autem specialiter de prima pensione, quæ reseruatur pro beneficio resignato, & à fortiori est idem dicendum de reliquis, quia est eadem, vel maior ratio, vt dicemus. Sed Caietanus loquitur iuxta an- C tiquum Ius, in quo eadem videtur ratio de his pensionibus, ac de illis, quæ simpliciter dantur Clericis auctoritate Papæ ex beneficiis vacantibus, quia etiam in his non dabantur fructus pensionis ob functionem spiritualem. Nec refert, quòd pensio reseruetur intuitu prioris beneficij, vel præcedentium spiritualium ministeriorum, quia non datur tanquam stipendium illorum, neque vt illis annexa, sed immediatè datur personæ tanquam eleemosyna quædam ex bonis talis beneficij auctoritate Pontificis facta. Quæ eleemosyna postquam facta est, & quasi separata à beneficio, temporale quid est, licet motiuum ad illam faciendam spirituale fuerit. Sicut si fructus certæ possessionis Ec- D clesiæ ad vitam Parochi senis separaretur (quoad vsum fructuum) à beneficio, & applicaretur ad sustentationem eius.

25. Opinio existimantium nec modò vendi posse has pẽsiones neq; vnquã potuisse.

Alij verò existimant, has pensiones vendi non posse, nec potuisse vnquam, vel quia dantur vt annexæ ordini clericali, & intuitu illius, cuius signum est, quia si contingat, pensionarium quocumque ex his modis relinquere omnino statum clericalem ducendo vxorem, eo ipso pensio vacaret, & ille fieret inhabilis ad talem pensionem: vel secundò, quia talis pensio subrogatur loco beneficij, & ideò ita constituitur, vt sapiat naturam beneficij, & spiritualis fiat aliquo modo, saltem per annexionem. Et ita sentiunt Caccilupus de Pensio. quæstion. 30. & Gigas quæstion. 54. Quamuis de hoc formaliter ibi non tractent, sed de alio puncto, E scilicet, An hæ pensiones per matrimonium vacent? affirmant enim vacare, & Gigas ait, ita obseruare Curiam. Videtur autem inde sequi, has pensiones reputari valdè spiritualibus annexas: quamuis in rigore possent alia ratione vacare, scilicet, quia intentio Pontificis fuit eã dare Clerico, vt Clerico, & nõ vt Laico, & ita est præsumendum, nisi aliud ex concessione constet, quia, & recta ratio, & ordinarium Ius id postulat; de quo aliàs. Præterea Victor. in dicta Relect. numer. 49. in tertio casu de Parocho sene, inclinat in partem, negantem talem pensionem esse vendibilem, licet oppositum non omnino abiiciat. Et idem sentit Sotus dicta quæstion. 7. articulo 2. licet sub partícula. *Forsitan.* Qui tamen non eodem modo statim loquitur de aliis duobus generibus pensionum, quas redimi, & vendi posse censet. Quod mihi non videtur consequenter dici. Nam potiùs in vltimo casu, quando pensio datur veluti in remunerationem præteriti seruitij, vel in puram sustentationem Parochi senis, videtur militare ratio, ob quam illa pensio sit merè temporalis. Quia iam non datur propter spirituale ministerium, per quod reditus illi comparandi sint, & quòd præcedat seruitium spirituale, nõ refert, vt declaraui. Item Ma- *Maior.* ior 4. distin. 25. quæstion. 5. ad 4. agens in particulari de pensione imposita ad componendam litem, censet, esse spiritualem, ita vt natura sua possit cum beneficio commutari. Et consequenter ait, inducere obligationem spiritualem, saltem orandi pro illis, qui beneficium illud instituerunt, aut dotarunt, aut Decimas soluunt, &c.

Caccil. Gigas.

Victor.

26. Auctoris sententia.

Mihi breuiter videtur, secundùm Ius antiquum eandem esse rationem de his pensionibus, quæ de aliis merè simplicibus (vt sic dicam) seu quæ sine aliquo ex his respectibus ad præcedẽs beneficium, vel ministerium dantur, quia non video rationem dissimilitudinis. Et ideò ex natura rei non erant inuendibiles, nec irredimibiles. Sed consulendus erat stylus Curiæ, & si ex illo de prohibitione constaret, tunc essent materia Simoniæ, quia prohibitæ: secus verò dicendum esset, vbi de tali stylo non constaret. Nunc autem existimo, has omnes comprehensas fuisse à Pio V. sub pensionibus Clericorum, vt clerici sunt: omnes enim ad illa duo membra reduxit: & non est verisimile, has pensiones comprehendi sub pensionibus Laicorum, quia reuera dantur intuitu clericatus. Quare non dubito, quin nunc sint spiritualibus annexæ, obligant enim omnes ad aliquod spirituale officium, vt diximus. Et ita de illis iudicandum censeo, nisi ex bulla cõcessionis aliud de voluntate Pontificis cõster.

CAPVT XXVII.

Vtrùm Commendæ, Coadiutoriæ, vel Hospitalia, sint materia Simoniæ?

1. Quid sit Commẽda.

HÆc quæstio, & similes magis pendent ex intelligentia facti, quam ex nouo Iure, præsertim si de Iure diuino loquamur: nam de ecclesiastico poterit esse specialis aliqua ratio: vtrumque ergo breuiter explicabimus. De Commendis ergo explicandum priùs est, quid hac voce significetur. Commenda enim à verbo commendandi dicta est, interdum enim Ecclesia aliqua, vel beneficium eius, non confertur alicui in titulum, sed commendatur, seu committitur illi cura, vel administratio eius, & ob hanc commendationem fructus beneficij, vel pars eorum illi assignatur, & illa commissio, seu cura cum tali emolumento commenda dicitur. Vnde iuxtà propriam, & antiquam rationem Commendæ introductæ sunt in fauorem, & vtilitatem Ecclesiæ, quæ commendatur. Imò in ca. *Nemo* de Elect. in 6. dicitur, non esse faciendas, *Cap. Nemo.* nisi ex euidenti Ecclesiæ commendatæ necessitate, vel vtilitate. Quia videlicet si non commendaretur maneret pro aliquo tempore sine ministerio, ac gubernatione necessariis. Et ita ibi præcipitur, vt istæ cõmendæ temporales sint, imò sex mensium tempus illis præfigitur. Sed vt notat Syluest. verb. *Sylvest.* *Commenda* illud maximè locum habet in commendis Ecclesiarum parochialium, de quibus textus ex-

presse loquitur. Solent autem commendari etiam Ecclesiæ curatæ, vel Episcopales in fauorem eorum, quibus commendãtur per modum cuiusdam dispensationis, & in ordine ad titulum postea obtinendum, cuius aliqua exempla infrà ponemus. Denique solent etiam commendari Ecclesiæ non curatæ, magis in subuentionem eorum, quibus commendantur, quàm ipsarum Ecclesiarum, quomodo sunt nunc commendata multa monasteria, & abbatiæ, quarum fructus ad sustentationem personarum Ecclesiasticarum vt Cardinaliũ, vel aliorum applicantur; & istæ Commendæ solent esse perpetuæ. Et interdum applicantur cum spirituali onere administrationis, aut regiminis, interdũ verò ad functiones Laicas, & temporales, vt ad militiam, & similia.

2. Commendæ aliæ tẽporales, aliæ perpetuæ. Cap. *penul. & vlt. Greg.* Cap. *Nemo. Conc. Trid.*

Ex quibus colligere possumus duas distinctiones commendarũ, quædam enim sunt temporales, aliæ perpetuæ. Priori modo commendatur Ecclesia vacans vel auctoritate Papæ, si sit cathedralis, vt in c. penult. & vlt. 21.q.1.vbi Greg. huiusmodi Cõmendatarium vocat Cardinalem Sacerdotem: vel, si Ecclesia Parochialis sit, auctoritate Episcopi, in quo casu maximè habet locum dictum ca. *Nemo*, & de illo disponit Trid. sess. 24. c. 18. de Refor. Vbi eã vicariam virtute vocat: nam commẽdatarium appellat vicarium cum congrua fructuum portione, qui onera talis Ecclesiæ sustineat, donec de Rectore illi prouideatur. Eadémque ratio est, licet Ecclesia non vacet, si habeat Rectorem impeditum, vel absentem, &c. tunc enim Ecclesia commendatur alteri tanquam vicario, vt expressè nominatur in ca. *Cùm ex eo* (vbi de hoc casu mentio fit) de Elect. in 6. Aliæ verò sunt commendæ perpetuæ, quæ fiunt, quando Ecclesiæ in perpetuam administrationem dantur, licet proprius titulus beneficij non conferatur, iuxtà c. *Dudum*. 54. de Elect. & c. *Qui plures*, 21.q.1.vbi Glos. notat Commendatarium non fieri Prælatum, vel proprium Ecclesiæ Rectorem, sed quasi procuratorem, vel gubernatorem, quod etiam affirmat Syluest. ver. *Commenda*, & alij statim referendi. Alia diuisio est, quia commenda interdum datur cũ spirituali administratione, cui temporales fructus annectuntur, vt in omnibus exemplis adductis, interdum verò solũ datur ad temporale ministerium, vel alio titulo merè Laico, vt maximè cernitur in commendis militaribus. Priores ergo vt breuiter loqui possimus, vocabimus spirituales, seu clericales; posteriores verò militares.

Ca. *Cum ex eo.*

Ca. *Dudum.* Ca. *Quis plures.* *Glos.* *Sylvest.*

Quædã commendæ dantur cum spirituali administratione, aliæ solùm ad tẽporale ministeriũ.

3. Commendæ spirituales, siue temporales sint, siue perpetuę, sunt mat. Simon. contra Ius diuinũ.

Primò de Commendis clericalibus, seu spiritualibus siue tẽporales, siue perpetuæ sint; manifestum est, esse materiã Simoniæ Iuri diuino cõtrariæ. Probatur, quia principale in eis est spirituale ministerium, cui temporale cõmodum cõsequenter annexum est; ergo sunt propriissima materia Simoniæ. Consequentia patet ex discursu præcedentium capitum. Et antecedens ex declaratione vocis, & rei, quæ illi subest, clarum etiam est. Confirmatur, quia vel commenda hæc conceditur ad tempus, vel perpetuò. In priori delegatur spiritualis iurisdictio, vt loquitur Greg. in ca. *Obitum*. 16, dicto seu committitur, vt loquitur Innoc. III. in cap. *Cùm nobis*, in fin. de Elect. ergo vendere talem commendam, est vẽdere iurisdictionem spiritualem, seu delegationem eius. At vendere delegationem, iurisdictionem, vel administrationem spiritualem Simonia est Iure diuino prohibita, vt suprà visum est. Vnde in capite *Non satis*, de Simon. expressè prohibetur acceptio pretij pro committenda iurisdictione, & in capite *Ad nostram*, pro vicaria, idémque constat ex capit. 1. & 2. *Ne prælati vices suas*, & est res indubitata.

Greg. Ca. *Obitum.* *Innoc. 3.* Ca. *Cùm nobis.*

Ca. *Nõ satis.* C. *Ad nostrã.* Ca. 1. & 2.

A Si autem commenda est perpetua, multò maior ratio est, quia per illam datur cura, vel iurisdictio ordinaria, aut quasi ordinaria. Vnde vel est Ecclesiasticum beneficium, aut illi æquiparatur, vt latè tractat Ludou. Gomez. in Regul. de Triennali possessore, quæst. 5. Quintil. Mandos. in Regul. de Verisim. not. quæst. 3. Et latè probat Rebuff. de Pacifici. possessor. numer. 35. & sequentibus. Et Hoged. de Benef. incompat. 1. part. ca. 14. Vbi de his Commẽmendis copiosè disputat.

Gomez. *Quintil.* *Rebuff.* *Hoged.*

Solùm posset quis interrogare, quãdo commenda datur in fauorem commendatarij, & non vt per se illi inseruiat, sed vt bonis eius fruatur, seruiendo per vicarium, an sit Simonia, vendere commendã, dummodo vicarius gratis prouideatur? Interdum B enim Ecclesia commendatur puero, donec habeat ætatem competentem ad titulum recipiendum, qui toto illo tempore nullam iurisdictionem, vel spiritualem administrationem per se habiturus est, sed necessarium est de vicario prouidere Ecclesiæ pro illo tempore; Cur ergo non licebit, commẽdam illam vendere? Videtur enim res merè temporalis, quia tantùm est Ius ad reditus sine vlla spirituali obligatione. Et in illam videtur conuenire, quod Sylvest. aliàs dixit, illam potiùs videri comedendã, quam commendam. Vel certè videtur commenda de solo titulo temporali, nam commenda spiritualis necessariò esse debet in vicario, qui pro illo tempore prouidetur. Dico tamen illam esse inuendibilem natura sua, supposita institutione. Primò, quia C sic commendatus est quasi præsentatus ad Ecclesiam, vel plus quàm præsentatus, quia ex vi eiusdem prouisionis obtinebit titulum, expleto ætatis tempore, vel alia conditione sub qua prouisio facta est, impleta. Vnde meritò dici potest ex tunc acquirere Ius saltem ad rem, ad Ecclesiã illam in proprietate obtinendam, hoc autem Ius spirituale est, & illi Iuri sunt ex tunc annexi fructus beneficij. Secundò quia reuera ex vi illius commendationis, ad talem personam per se loquendo pertineret administratio spiritualium in tali Ecclesia si valeret: & vicarius censetur loco illius ministrare, ergo in se haD bet aliquam spiritualem causam, cui sunt annexi illi fructus; ergo simpliciter vendi nõ potest. Imò vix potest iustè concedi etiam gratis, quia est valdè exorbitans à ratione, & à Iure in dicto capite *Cum ex eo*, de Elect. in 6. Et ideò licet aliquando tales commendæ fuerint in vsu, vt Hogeda suprà refert, iam nullatenus conduntur.

4. An sit Simonia vendere cõmendam, quæ datur cõmendatario, vt eius bonis fruatur seruiẽdo per vicariũ.

Pars affirmatiua vera resoluitur.

Et hinc à fortiori constat, quid dicendum sit de Coadiutoriis, quæ nunc magis sunt in vsu; dicendum enim sine dubio est, esse materiam valde spiritualem neque vendi posse. Probatur, quia Coadiutor, vel est quasi vicarius, cui committit proprietarius vices suas, vel à superiore illi committuntur, & sic procedunt de illo, quæ dicta sunt de E commendis temporaneis, vel est datus cum Iure succedendi, & cum congrua sustentatione, & sic potest comparari cum commenda, quæ ad tempus datur in ordine ad obtinendam postea proprietatem Ecclesiæ. Item per illam coadiutoriam datur Ius ministrandi, vel celebrandi beneficia loco alterius, est ergo quid spirituale. Et præterea, quod in illa maximè æstimari solet, est Ius illud futuræ successionis, quod directè spirituale est. Denique infrà in materia de Oratione ostendemus huiusmodi coadiutorem teneri ad officium canonicum persoluendum. Est ergo eadem ratio de illa, quæ de ecclesiastico beneficio.

5. Coadiutoriæ sunt materia Simoniæ.

6. Commẽdas militares nõ

Secundo loco dicendum est, commendas militares reuera tantùm esse temporalia subsidia, vel stipendia

esse materiã Simoniæ per se spectatas.

stipendia pro muneribus temporalibus,& ideò per se spectatas,non esse materiam Simoniæ, quia non sunt aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Ita de illis sentiunt Vict.in d.Relect.nu.45.& Aragon. d.q.100.art.4. & communiter viri docti tam regni Castellæ, quã Lusitaniæ, in quibus regnis hæ commendæ frequentiores sunt. Idémque probat vsus, nam dantur pro temporalibus seruitiis, & illarum dispẽsatio, & administratio Laicis Principibus cõmissa est. Nonnulla verò obiici possunt. Primum, quia hæ cõmendæ non dantur, nisi Religiosis professis,vnde videtur quasi annexæ statui Religionis, qui spiritualis est. Nec refert nũc tractare quæstionem, An isti milites sint verè, ac propriè Religiosi? infrà enim suo in loco discutietur: satis nunc est, quòd eo modo, quo sunt Religiosi, spirituale aliquid habent, & inuendibile, cui videntur annexæ istæ commendæ. Secundum est,quia licet isti milites non obligentur ad officium Canonicum, obligantur saltem ad aliquod pensum orationum, qui titulus etiam spiritualis est. Tertiò,quia habent Ius præsentãdi in Ecclesiis sibi cõmendatis regularem aliquem Clericum sui ordinis, vt beneficium, seu titulum beneficij in tali Ecclesia obtineat cũ onere soluendi Decimas commendatario, retenta sola congrua portione sibi assignata, quod totum valdè spirituale esse videtur. Quartò,quia licet commendæ dentur his militibus in stipendium militiæ, tamen militia in illis,est opus spirituale, & Religionis,quia ex voto, & professione ad illam obligantur. Et ita etiam ex hac parte videntur stipendia annexa muneri spirituali.

Victor. Aragon.

1.

Assertio supraposita Argum. impugnatur.

2.

3.

4.

7. Solnuntur argumenta.

Sed hæc omnia non declarant veram annexionem harum commẽdarum ad titulum spiritualem. Ad 1.enim dicimus professionem Religionis non esse titulum, ratione cuius debeantur commendæ, sed esse tantùm conditionem,sine qua non,& quasi dispositionem necessariam ex parte personæ, vt sit capax illius commodi temporalis, iuxta voluntatem Pontificis, vt si Pontifex præciperet talia bona temporalia distribui inter solos Religiosos,non ideò essent annexa titulo spirituali, vel sicut suprà dicebamus,pensiones non fieri spirituales,eo quòd supponant primam tonsuram, si nullam secum afferant spiritualem obligationem. Ad 2.respondeo, illam precum obligationem non oriri ex commẽda, sed ex professione & regula, sicut Laici aliquarum Religionum obligantur ad priuatas quasdam orationes; vnde fructus commendæ reuera non sunt stipendia pro tali diuino officio. Neque Ecclesia consueuit hæc stipendia designare pro priuatis orationibus, sed pro onere ad aliquod officium diuinum de se publicum, & quod suo modo nomine totius Ecclesiæ fiat. Ad 3. non constat, omnes Commendas habere illud Ius annexum. Sed esto, habeant, respondeo, illud se habere ad modum Iuris patronatus: quod antecedẽter est annexum beneficio talis Ecclesiæ,& quasi inest Commendæ temporali tanquam fundamento. Vnde concedo, illud Ius vendi non posse, transit tamen cum ipsa commenda, & licet illa venderetur, non venderetur Ius illud, sicut in aliis Iuribus patronatus constat.

8. Ad 4.respondetur 1. has Commendas non tam solere dari in stipendium ex iustitia commutatiua comparandum per labores militiæ, quàm in præmium præcedẽtium meritorum,nam præter commendarum expectatiuam, solent hi milites accipere propria stipendia suorum munerum,benè autem potest aliquid temporale dari hoc modo in gratitudinem præcedentium,labotum etiam spiritualium. Secundò dicitur, labores militiæ etiam in his Cruciferis simpliciter esse temporales, & pretio æstimabiles: quia ipsi non vouent directè militare, sed tantùm obedire iuxta suam regulam: & optimè fieri potest, vt opera, quæ iniunguntur per regulam, corporalia tantùm sint,vt in Religiosis Laicis aliarum Religionum videre licet. Nec refert, quòd ex voto, & institutione Religionis omnia ordinentur ad cultum Dei, nam ille est finis remotus; opera autem ipsa secundùm suam naturam, & proximum obiectum æstimanda sunt. Vnde vlteriùs dicitur, quòd licet hi milites vouerent militiæ opera, non vouent illa facere gratis, vel suis expensis,vel sine iusta retributione etiam temporali, neque per hoc solùm, quòd opus fiat ex voto,fit ita spirituale, vt vendi nõ possit secundùm se spectatum, iuxta suam temporalem æstimationem,dummodo non æstimetur particularis ille respectus faciendi opus ex voto; ille enim æstimabilis pretio non est, nec in præsenti Commenda datur propter illum respectum, sed simpliciter propter militiæ laborem.

Victor.

9 An humano Iure sit prohibitum has Cõmendas vendere.

Sed quæres, An saltem Iure humano prohibitum sit,has Commendas vendere? Aliqui enim ita affirmant,& Victor, suprà solùm dicit, posse vendi auctoritate Pontificis, vbi insinuat esse prohibitum, illa vendere inferiori auctoritate. Sed mihi non constat de tali præcepto positiuo prohibente venditionem Commendarum, vel simpliciter, vel intuitu Religionis, & rerum spiritualium, & ideò non credo, esse hanc Simoniam, etiam contra Ius ecclesiasticum. Addo tamen,ex ipsa rei natura, cõsiderata institutione talium præbendarum,esse illicitum,& iniustum, illas vendere formaliter, & directè, (vt sic dicam.)Probatur, quia in primis non possunt eas vendere Magistri ordinum, vel Reges, quibus commissa est distributio harum præbendarum. Tum quia non sunt domini, sed dispensatores,& non supremi, sed sub Pontifice, qui illis dedit illam facultatem, non ad vendendum, sed ad iustè distribuendum,propter quod fortasse addidit Victoria illam limitationem. Tum etiam, quia si vendantur,dabuntur indignis, & frustrabitur finis huius institutionis, & profitentes hanc militiam, priuabuntur præmiis sibi publica auctoritate constitutis, ac proindè ex iustitia distributiua debitis. Deinde multò minùs possunt hęc vendere particulares commendatarij, quia non sunt absoluti domini ipsarum,sed quasi vsufructuarij, solúmque ad vitam illas recipiunt.

Non est Simoniacũ,est tamen iniustum vẽdere has Cõmendas formaliter, & directè.

Probatur assertio.

Victor.

10. Non est iniustum eas vendere virtualiter.

Dixi autem, non posse directè, ac formaliter vendi,quia dari possunt cum onere, & obligatione ad aliquid temporale, vt ad eundum in Africam, vel in Indiam, quæ virtualis venditio est, tamen non est illicita, quia non est contra finem institutionis, nec contra iustam distributionem, atque adeò non excedit potestatem dispensatoris, seu conferentis. Item dari potest commenda vni cum onere soluendi pensionem alteri, quod per se non est illicitum, si in assignatione pensionis habeatur ratio iustæ distributionis, seu finis talium præbendarum. Item, interueniente iusta causa, posset vendi commenda, applicando pretium ad maius bonum commune eiusdem militiæ, sed ad hoc auctoritas Papæ necessaria erit, siue specialiter obtineatur, siue in generali facultate, Magistro ordinis concessa, comprehensa intelligatur, quod pendet ex illius verbis, quæ considerandа sunt ab his,ad quos hæc dispensatio pertinet. Denique per pecuniam procurare obtentionem commendæ,nõ directè emendo illam. sed fauorem, vel

Non est Simonia procurare commendæ obtentionem per pecuniã.

interceſſionem procurando, Simonia non eſt, cùm non ſit pro re ſpirituali acquirenda, ex alio autem capite poterit actio eſſe mala, de quo alias. A

11. An Hoſpitalia ſint mat. Simoniæ.

Vltimò, ex dictis haberi poteſt, quid ſit dicendum de Hoſpitalibus, de quibus Canoniſtæ tractare ſolent, an ſint beneficia, vel nomine beneficiorum veniant, & eadem ratione quæri poteſt, an ſint materia Simoniæ. Nomine autem Hoſpitalis intelligitur Rectoria, ſeu officium regendi, & gubernadi Hoſpitale. Oportet autem ſupponere ſermonem eſſe de Hoſpitalibus quę Religioſa, ſeu Eccleſiaſtica dicuntur, non enim omnia talia cenſentur, ſed illa tantùm, quæ auctoritate Epiſcopi inſtituta ſunt, & ſub eius cura exiſtunt, iuxta cap. *Ad hæc*, de Relig. domi. Nam cætera, quæ priuata voluntate eriguntur, non cenſentur Eccleſiaſtica, licèt pia loca dici poſſint, vt latè per Tiraquel. de Priuileg. piæ cauſæ, in Præfat. nu. 4. 5. & 6. Et ideò de his Hoſpitalibus Laicis, quæ per Laicum, & priuatá voluntate retineri, ac gubernari poſſunt, nulla eſt difficultas, quin ad materiam de Simonia non pertineant: nam eorum gubernatio merè temporalis eſt; & licèt ex charitate, & miſericordia ſuſcipi poſſit, de ſe pretio æſtimabilis eſt, vt conſtat. De religioſis ergo Hoſpitalibus adhiberi ſolet diſtinctio ſimilis illi, quam de Commendis tradidimus: habere enim poſſunt ſpiritualem adminiſtrationem, vel tantùm temporalem pertinentem ad gubernationem infirmorum. Quando ſunt prioris generis, clarum eſt eſſe materiam Simoniæ, quod eodem diſcurſu facilè probari poteſt. Nam interdum talis Rectoria Hoſpitalis perpetua eſt, & titulum habet ſpiritualem fixum, & permanentem, & conferendum auctoritate Prælati Eccleſiaſtici, & tunc inter beneficia reputatur, vt tradunt latiùs Silua de Benef. p. 1. q. 3. num. 3. 4. & 28. & p. 2. q. 11. num. 14. Hoged. de Benef. incom. in Præfat. num. 4. Rebuff. in Practic. tit. de Deuolu. num. 73. Sicut ergo beneficium eſt materia Simoniæ, ita, & hoc Hoſpitale. Interdum verò poſſunt hæc Hoſpitalia habere Rectorem cum adminiſtratione ſpirituali ſimul cum temporali ſine titulo, & ad nutum amouibilem, & tunc beneficia quidem non ſunt propter carentiam tituli, & perpetuitatis; nihilominùs tamen inuendibilia ſunt, propter ſpiritualem adminiſtrationem, quæ licet ſit tantùm delegata, ſeu per modum Vicariæ, id ſatis eſt, vt neque tale officium, nec ſtipendium illi annexum vendi poſſit, iuxta principia ſæpiùs repetita, & probata. B C D

Cap. *Ad hæc.*

Tiraquel.

Hoſpitalia quædam habent adminiſtrationē ſpirit. alia ſolùm temporalem.

Hoſpitalia prioris generis ſunt mat. Simon.

Silua. Hoged. Rebuff.

12. An Hoſpit. poſterioris generis ſint mater. Sim

Pars negatiua.

Abbas. *Felin.* Ratio. *Clement.* *Quia contingit.*

Reſoluitur non eſſe mater. Sim. Iuri diuino contrariæ.

At verò quando officium gubernandi Hoſpitale, non habet functionem vllam ſpiritualem, ſed tantùm temporale regimen cum tota ſollicitudine pertinente ad debitam curam infirmorum; tunc dubitari poteſt. An tale officium ſit materia Simoniæ. In quo, ſententia communis eſſe videtur, illud non eſſe materiam Simoniæ, ſiue tale officium ad tempus committatur, ſiue perpetuò. Ita tenet Abbas in cap. *Extirpandæ §. Quia verò*, in Repet. nu. 55. de Præb. & ca. 1. de Sim. nu. 7. vbi Felin. Et ratio eſt, quia tale officium merè temporale eſt, vt colligitur ex Clem. *Quia contingit §. 1.* de Religioſis domibus. Et patet, quia, vt ſupponitur, ad nullam ſpiritualem functionem ordinatur. Quæ ratio rectè quidem procedit ex vi Iuris diuini, ac naturalis, & ita veriſſimum cenſeo, Hoſpitale huiuſmodi non eſſe materiam talis Simoniæ Iuri diuino contrariæ. E

13. Eſt tamē Simon. contra Ius poſitiuū vendere hæc Hoſpit.

Dubitari autem poteſt, an ſit materia Simoniæ, quia prohibita. Et mihi quidem breuiter videtur, eſſe Simoniam vēdere hæc officia, comprehenſam ſub generali prohibitione Concilij Calcedonenſis relatam, & confirmatam per Vrbanum Papam in cap. *Saluator* 1. q. 3. de qua prohibitione infra ſpecialiter dicturi ſumus. Nunc breuiter applicatur ad præſentem materiam: nam ibi prohibetur vendi officium procuratoris, defenſoris: & Vrbanus explicat nomine *Procuratoris* intelligi *quemlibet Eccleſiaſticarum rerum adminiſtratorem, vt, verbi gratia, Præpoſitum, Oeconomum, Vicedominum.* Hæc autem Hoſpitalia Religioſa, de quibus loquimur, & eorum bona, Eccleſiaſtica ſunt, vt conſtat ex lure citato, & ex omnium ſententia; ergo officium Rectoris, Gubernatoris, aut quouis alio nomine appelletur, continetur in illa lege ſub nomine *Procuratoris*, ſeu adminiſtratoris rerum eccleſiaſticarum. Ergo vendere tale Hoſpitale eſt Simonia, quia prohibita. Confirmatur, quia ſicut templum, ſeu Eccleſia eſt res quædam ſpiritualis, ita & Hoſpitale Religioſum ex peculiari inſtitutione Eccleſiæ, & dedicatione ad cultum Dei, ergo adminiſtratio illius meritò dici poteſt aliquid ſpiritualibus annexum, maximè accedente eccleſiaſtica lege, ergo eſt materia Simoniæ, ſaltem interueniente eccleſiaſtica lege. Contra hoc autem ſentire videtur Anton. 3. p. tit. 11. ca. 2. §. vlt. Sed quod diximus, priùs iſte docuit 2. p. tit. 1. cap. 5. & idem ſentiunt Victor. & Sot. & videtur conuinci rationibus factis.

Con. Cal. Ca. *Saluator.*

Vrban. Papa.

CAPVT XXVIII.

Vtrùm Ius Patronatus ſit materia Simoniæ, vbi de Iure ſepeliendi, & ſimilibus.

1. Ius patronatus, aliud ciuile, aliud canonicū eſt.

IVs Patronatus, quoddam ciuile eſt, aliud Canonicum. Ciuile eſt, quod Iure Ciuili fuit introductum, & conuenit Patrono reſpectu liberti, ſeu bonorum eius. Canonicum autem ab Eccleſia fuit inſtitutum in quandam oſtenſionem gratitudinis, & remunerationis eius, qui aliquam Eccleſiā fundauit, conſtruxit, vel dotauit, ille enim Patronus talis Eccleſiæ dicitur tanquam eius pater, quia illam dotauit, vel quaſi genuit, & ideò Pontifices aliquod Ius in illam Eccleſiam illi conceſſerunt, quod Ius Patronatus appellatur. Competūt autem Patrono ex vi iſtius Iuris multa, quæ in Iure canonico declarantur, propter quæ honorificum, vtile, & oneroſum dicitur. Honorificum quidem, quia Patrono conuenientia obſequia præſtari debent, & prę ſertim illi conceditur honorificus locus in ſua Eccleſia. Dicitur etiam oneroſum, quia Patronus licitè poteſt defendere ſuam Eccleſiam, ne bona eius diſſipentur, modo præſcripto in cap. *Filius* 16. q. 7. Dicitur præterea Ius vtile, quia ſi Patronus ad egeſtatem deueniat, Eccleſia debet ei ſubuenire maiori cura, & obligatione, quam aliis pauperibus, cap. *Quicumque* cum ſequentibus. Et notat ibi Gloſſa in c. *Piæ mentis*. Et cōmuniter Doctores ibi, in Rubr. de Iur. Patr. & in c. *Nobis*. Atque hæc omnia, quatenus declarata ſunt, veluti ex natura rei, ſeu ex naturali gratitudine videntur cōſequi ex beneficio, quod Patronus Eccleſiæ contulit, vnde hoc Ius quoad hæc tria ſic declaratū, non tam videtur ex gratia donatum, quàm debitū, vt ſignificauit Innoc. in ca. *Præterea* 2. de Iur. Patron.

Quid Patrono cōpetat ratione huius Iuris.

Cap. *Filius.*

Ca. *Quicumque.* *Gloſſ.*

Innoc. Ca. *Præterea.* 2. Patronus habet Ius præſentādi perſonas ad beneficia ſuæ Eccleſiæ.

Ob hanc ergo fortaſſe cauſam, vt Eccleſia magis alliceret fideles ad hæc opera pietatis, maiorem quandam, & ſpecialem gratiam voluit Patronis conferre, concedendo illis Ius præſentandi perſonas ad beneficia ſuæ Eccleſiæ. Sic enim nomine *gratiæ*, hoc Ius appellauit Concilium Arauſicanum 1. ca. 10. & ex Nicolao Papa refert Gratian. in c. 1. 16. q. 5. Hinc dixit Gloſſa in dicto cap. *Piæ mentis*,

Conc. Arau. *Nic. Papa.* *Gratian.* *Gloſſ.*

tis, Iure antiquo non fuisse hoc Ius concessum Patronis; nouetur autem ex illo textu, & ex cap. *Filius*, ead. q. & cap. *Nouerint*, 10. q. 1. Sed revera in illis decretis non negatur hoc Ius Patrono, sed solùm denegatur tale Ius in bona Ecclesiæ, vt illa vsurpare, vel administrare præsumat. De proprio autem Iure præsentandi, nihil ibi dicitur: hinc verò colligi non potest, eo tempore non fuisse hoc Ius institutum. Quin potiùs verbum illud. *Præter processionis additum*, in dicto cap. *Piæ mentis*, de hoc Iure intelligi potest, vt eadem Glossa declarauit. Item in cap. *Quoniam*, de Iur. Patron. loquens Concil. Lateran. de hoc Iure, vocat illud *potestatem, in qua Ecclesia huc vsque patronos sustinuit*. Quibus verbis significat, hoc Ius antiquissimum esse. Et certè Concilium Arausican. satis antiquum est, & dicto cap. *Decernimus*, cum sequentibus satis antiqua etiam sunt, & huius Iuris mentionem faciunt, & in nullo fit mentio de illo, tanquam de re tunc primùm instituta, vnde initium illius, vt opinor, ignoratur, quod est signum antiquissimæ traditionis. Quicquid verò sit de initio eius, certissimum est, & iustissimè institutum esse, & Patronis conuenire secundùm conditionem, & modum in Iure Canonico expressum, vnde ab auctoribus hoc Ius ad honorificum titulum censetur pertinere, vt videre licet in Ioan. Andr. Panormitano, & aliis locis suprà citatis.

Cap. Filius. C. Nouerint.

C. Piæmentis. Gloss. C. Quoniam. Conc. Lat.

C. Decernimus.

Ioan. Andr. Panor.

3. Ius patronatus, quoad honorem, defensionem & vtilitatem temporalē, non est materia Simoniæ.

Quæstio ergo proposita maximè procedit de Iure Patronatus ratione huius vltimi fauoris, & actus eius, nam reliqui magis temporales sunt, & per se non habent annexionem cum re spirituali, nam licet ex actu Religionis, seu pietatis, qualis est ædificare, vel dotare Ecclesiam, resultent, illa non est annexio ad spirituale, nec repugnat ex spirituali resultare aliquid merè temporale, sicut ex Iure Decimarum resultat in Parocho dominium Decimarum, quod semel acquisitum merè temporale est, & ideò Decimæ iam possessæ vendi possunt. Ita ergo Ius Patronatus quoad honorem humanum, & quoad defensionem & vtilitatem temporalem ex beneficio facto Ecclesiæ, quasi Iure naturali gratitudinis nascitur, etiamsi Iure canonico stabilitum sit, & maiori fortasse obligatione Ecclesiæ impositum. Nihilominùs tamen secundùm illos respectus tantùm temporale manet, quia Ius etiam Canonicum potest aliquid temporale præcipere, & licet id præcipiat ex motiuo spirituali, seu in ordine ad spiritualia, id non sufficit ad connexionem de qua tractamus, vt constat. Quia Ius Patronatus secundùm illos respectus, non est materia Simoniæ, vt sentiunt omnes auctores statim referendi, & colligitur etiam ex Iuribus allegandis. Quamuis alia ratione etiam secundùm illos respectus inuendibile videatur, quia non est transferibile ad alios, nisi Iure sanguinis, & quasi intrinsecò hæreditario Iure, vt notatur, & colligitur ex capit. *Nobis*, de Iur. Patronat. iunctis capit. *Quicumque*, & capit. *Filius* 16. quæstion. septima. Et ratio est, quia illud debitum gratitudinis, est quasi personale, & ideò vendi non potest extraneis, consanguineis autem communicatur, seu ad illos redundat, qui sunt aliquo modo vnum cum fundatore, per vinculum naturale consanguinitatis. At verò Ius Patronatus sub vltimo respectu, transferri potest etiam ad extraneos, vt Iura concedunt, quia cum Ecclesia eam facultatem Patronis concesserit quasi ex abundantia gratitudinis vltra naturale debitum, voluit illam concedere cum maiori amplitudine, & liberalitate, vt patebit.

C. Nobis. Ca. Quicumque. Cap. Filiis.

A Hinc ergo intelligi potest dubitandi ratio, quia licet hoc Ius ab Ecclesia manauerit, tamen in se merè temporale esse videtur, ac subinde non esse materia Simoniæ, sed vendi posse. Assumptum patet, primò quia est Ius de se commune Laicis, qui non sunt capaces spiritualium Iurium. Secundò, quia transfertur ad hæredes Iure sanguinis, sicut dictum est de eodem Iure, quoad alios respectus, at spiritualia non transeunt Iure hæreditario, aliàs in beneficiis etiam posset esse hæreditàs. Tertiò etiam ad extraneos transire potest, non solùm per donationem, sed etiam per venditionem, vt ex Iure constat, & statim probabitur; ergo simpliciter est quid temporale. Quartò illud Ius solùm esse videtur quidam humanus honor, quia nullum spirituaB lem fructum, vel effectum habet. Nam si aliquem haberet, maximè præsentationem ad rem spiritualem vt ad beneficium; at hoc nihil spirituale est, quia per illam præsentationē nullum Ius spirituale confertur; sed solùm quasi applicatur materia, circa quam Prælatus Ecclesiæ operetur, quod valdè remotum est ad actionem, vel effectum spiritualem.

4. An Ius præsentandi quod in Patrono datur sit materia Simon.

Nihilominùs dicendum est primò, Ius Patronatus, quatenus est Ius præsentandi ad Ecclesiastica beneficia, esse materiam Simoniæ, ac subinde peccatum Simoniæ esse, illud vendere. Hoc est certum, saltem de Iure Ecclesiastico, vt omnes Doctores fatentur, & patet ex capit. *Quia Clerici*, vbi Aduocatiæ vendi prohibentur, vt autem Gloss. ibi C Ioan. Andreas, & alij exponunt, Aduocatia ibi idem significat, quod Ius Patronatus, & quamuis rationem vocis non reddant, ex ratione textus colligitur: Iuxta quam interpretationem non immeritò posset sub nomine *Defensoris*, & *Aduocati* comprehendi Patronus in cap. *Saluator* 1. quæstione 3. Et ita ibidem eandem prohibitionem contineri, ibi enim refertur caput Concilij Calcedonens. in quo prohibetur vendi officium *Defensoris*; & Vrbanus Papa declarat, *Defensorem* (inter alios) esse *Aduocatum*.

5. Deciditur quæstio pro parte affirmatiua.

C. Quia Cler. Ioan. Andr.

C. Saluator.

Conc. Cal. Vrb. Papa.

Si ergo Ius Patronatus Aduocatia appellatur, rectè dicimus, Patronum esse Aduocatum quia etiam est defensor, cum ad illum pertineat Ius defensionis, vt diximus. Vnde etiam in cap. *Præterea* D 2. de Iur. Patron. nomine Aduocati Glossa Patronum intelligit, & in eodem textu videtur statim ita explicari. Nam hæ voces, Aduocati, Patroni, Vicedomini, &c. tanquam sinonyma poni videntur. Quando ergo Ius Patronatus vocatur Aduocatio, licet idem Ius significetur, non tamen sub eodem actu, sed Aduocatia dicitur à Iure defendendi suam Ecclesiam. Sed non refert, quia non respicitur, vnde vox sumpta sit, sed quid significet, nam hoc Ius licet plus habeat actus, idem est, & indiuisibile. Eadem prohibitio habetur expressè in capite *De Iure*, eodem, & in dicto capite *Præterea*. Ratio, quæ in dicto capit. *De Iure*, redditur, est, quia Ius Patronatus est spiritualibus annexum, Simonia autem committitur etiam circa spiritualiE bus annexa, capite *Quæsitum*, de Rerum permutatione, capite 1. de Transaction. cap. *Querelam*, de Simonia.

C. Præterea. Gloss.

Cap. De Iure. C. Præterea. C. Quæsitum.

Cap. 1. C. Querelam.

6. An Simonia commissa in venditione Iuris Patronatus sit, nō solùm contra Ius Eccles. sed etiā contra diuinum.

Ad explicandam verò magis hanc rationem, quæri potest, an Simonia, quæ in venditione Iuris Patronatus committitur, sit non solùm contra Ius Ecclesiasticum, sed etiam contra diuinum. Nam ex dicta ratione videtur sequi, solū esse contra prohibitionem Ecclesiæ, quia vendere ea, quæ spiritualibus sunt annexa solùm antecedenter, non est per se, & intrinsecè malum, vt sup. dictū est, sed Ius Patronatus

tronatus solùm antecedenter est annexum beneficio, vt constat; ergo si solùm ratione annexionis huius inuendibile est, non natura sua, sed sola prohibitione est inuendibile; ac subinde Simonia ibi non est contra Ius diuinum, sed solùm contra humanum. Et confirmatur primò, nam Ius Patronatus solùm est ex Ecclesiæ institutione, & non consistit in aliqua consecratione, vel benedictione, per quam res fiat sacra, aut spiritualis; ergo non habet, vnde sit materia Simoniæ contra diuinũ Ius. Confirmatur secundò, quia D. Thomas 2.2.quæst.100. art.4. Ius Patronatus ponit inter ea, quæ aliquomodo vendi possunt, non autem in quantum sunt spiritualibus annexa; ergo secluso Iure positiuo, posset vendi Ius Patronatus secundum se spectatum, licet formaliter non posset vendi propter annexionem ad beneficium. Confirmatur tertiò, quia Ius sepulturæ, & Ius habendi in Ecclesia honorificum locum, seu stallum (vt alij loquuntur) vendi possunt, secluso prohibitione Ecclesiæ; ergo & Ius præsentandi. Atque ita videntur sentire Theologi in 4.d.25.D.Thom q.3.art.2.q.3.ad 3.Et ibid.Palu. Richar.Duran.&Maior.Anton.2.p.tit.1.cap.5.§.2. Sylvest, ver.*Simonia*,q.12.& ibi alij Summistæ,Sot. lib.9.quæst.7.art.1.Nauar.dicto cap.23.num.99.& 108.

D. Thom.

D. Thom. Palud. Richar. Durand. Maior. Anton. Sylvest. Sot. Nauar.

7. Postquam ab Ecclesia Ius Patronatus instituitur, illud mater. Simon. manet contra Ius diuinum naturale.

Nihilominus dico secundò. Post factam ab Ecclesia institutionem Iuris Patronatus, ipsum ex natura rei, & ex diuino naturali Iure inuendibile est, & materia propriissimæ Simoniæ, iuxta istam conclusionem intelligendi sunt dicti auctores, illam enim non negant: & quamuis distinctè illam non explicent, nihilominùs illam magis significant, qui dicunt Ius Patronatus secundùm se non esse vendibile, licet possit transire cum vniuersitate, de quo statim dicetur. At verò Doctores Canonistæ diuisi valdè videntur circa hanc assertionem; quidam enim simpliciter dicunt, Ius Patronatus secundùm se spectatum merè temporale esse, & solùm propter annexionem reputari tanquam spirituale, quibus fauent Iura, quæ vocant hoc Ius annexum spiritualibus, vt dictum cap. *De Iure*, cum similib. Ita Abb.Deci.& alij in Rub.& in c. *Quanto*, de Iudic.& in d.c. *De Iure*, quos multi sequuntur, vt latè tractat Selua 1.p.de Benef.c.7.n.78.& seq. Alij vocant partim temporale, partim spirituale vt Gloss in c. *Piæ mentis*, 16.q.7. Alij tenent esse simpliciter, & secundum se spirituale; & isti multum fauent nostræ assertioni. Tradidit autẽ id Anton.de Butr.& Andr. Barb.in d.c. *Quãto*, & in Rub.de Iud.Et tradit Glos. vlt.in c. *Præterea*, 1. de Transact. Et idem planè sensisse videtur altera Glos.citata, non enim vocat partim spirituale, partim temporale hoc Ius, quia partem, & partem habeat, nam indiuisibile est, sed (vt eadem benè explicat) quia secundum diuersas habitudines videtur cum temporalibus, & spiritualibus rebus, aut Iuribus conuenire. De temporalitate ergo solùm illi attribuit, quòd Laicis conuenire potest, & quod transit ad hæredes; spiritualitatem autem solùm inde colligit, quòd vendi non potest, vtique per se, & natura sua; & aliàs non bene inferret. Illæ autem duæ conditiones non indicant, esse hoc Ius temporale, sed solùm in aliquo conuenire cum illo. Quin potiùs Anton.& Barbat supra ex priori conditione colligunt, esse spirituale hoc Ius; quia in Laicis tanquam in subiecto extraneo, & præter regulam communem talium Iurium ex speciali gratia Ecclesiæ (vt loquuntur Iura supra citata) inuenitur. Et eodem modo transit ad hæredes, non formaliter (vt sic dicam) id est, ex vi temporalis Iuris hæreditarij) sed ex gratia etiam Ecclesiæ, quæ voluit illum fauorem etiam personis per Patronum vocatis, aut illum repræsentantibus, communicare.

Cap. De Iure. Abbas. Deci. Selua. Gloss.

Anton. Barbat. Gloss.

Hæc ergo sententia mihi valdè placet; nihil enim video in ipso Iure Patronatus, quòd meritò dici possit temporale propriè, & in se, multa autem video, propter quæ debeat simpliciter, & intrinsecè, ac in se iudicari spirituale. Primùm enim ab eadem spirituali potestate Ecclesiasticæ iurisdictionis, qua beneficia Ecclesiastica instituta, & modus conferendi illa, & aliæ conditiones ab illa requisitæ ordinatæ sunt; ab eadem hoc Ius inuentum & creatum est, ergo ab origine spirituale est. Deinde terminus, ad quem tendit, spiritualis est, vt constat, nam est beneficium Ecclesiasticum, & potestas iurisdictionis, vel administrationis Ecclesiasticæ, quæ per illud conferri solet. Actus etiam huius Iuris spiritualis est, nam est præsentatio ad beneficiũ spirituale. Per quam præsentationem non vt cumque applicatur materia, seu subiectum, sed etiam quodammodo sit proximè capax institutionis ad beneficium, adeò vt si persona sit idonea, & digna, necessariò instituenda sit, iuxta caput, *Significasti*, cap. *Suggestum*, cum similibus de Iur. Patro. Et si institutio sine præuia præsentatione fiat, irrita fit, iuxta cap. *Illud*, eodem. Ergo præsentatio, licet non conferat proprium Ius, vt iuristæ volunt in capit. *Quanto*, per eundem textum, 63. distinct. & alij apud Gomez. in Regul. de Trienn. possess. quæstione 35. nihilominùs confert quasi proximam moralem capacitatem, quæ, vt talis est, spiritualis est, nam ad formam spiritualem, & ex spirituali Ecclesiæ potestate ordinata, & præ requisita est.

8. Ius Patronatus spirituale debet iudicari propter multa, quæ in eo sunt.

Cap. Significasti. C. Suggestum. Cap. Illud. Gomez.

Denique ex his concluditur, etiam Ius ipsum Patronatus in se spirituale quid esse, quia est veluti potentia moralis ad aliquid agendum, potentia autem ab obiecto, & actu sumit suam speciẽ, & conditionem, cùm ergo illa potentia ad obiectum spirituale per actum spiritualem tendat, vt ostensum est, ipsa etiam in se spiritualis iudicanda est. Nam licet non sit potentia physica, sed moralis, & pertineat ad Iura, quæ incorporalia vocantur, etiam in illo ordine dari potest Ius spirituale, vt patet in ipsa spirituali iurisdictione, vel in Iure eligendi, ad beneficia, cui proximè accedit Ius præsentandi. Vnde confirmatur ratio, nam Ius eligendi ad prælationẽ Ecclesiasticam, etiamsi contingat esse in Laico, vt olim fortasse permissum est, iuxta ea, quæ referuntur in Decretis, d.63. spirituale est, quia illud Ius ex origine, obiecto, & actu spirituale est, & non mutat naturam propter subiectum, quia cùm sit quid morale, potest etiam moraliter inesse Laico, & dispensatione, & concessione Ecclesiæ, ergo idem erit de Iure præsentandi. Nec refert, quod etiam dicatur annexum rei spirituali, non enim repugnat id quod vna ratione spirituale est, si sit omninò respectiuũ, & ordinatum ad aliud spirituale, quod præcipuum est, dici illi annexum; sic enim vasa sacra, etiam vt sacra sunt, dicuntur esse annexa spirituali, scilicet, sacrificio, & Sacramentis, vt D. Thomas, & alij loquuntur; quod non obstat, quominus vasa, vt consecrata, sint in se quid spirituale, vt suprà declaratum est. Ita ergo Ius Patronatus est quidem in se quid spirituale, tamen quia totum suum esse est in ordine ad beneficium, ideò per suammet spiritualitatẽ est annexum alteri spirituali principaliori.

Decretis.

D. Thom.

9.

Ex hoc ergo principio optimè probatur secunda assertio posita. Nam id quod est secundùm se spirituale, & supernaturale, natura sua est inuendibile, & consequenter est materia Simoniæ Iuri diuino

10. Ex eo quòd Ius Patronatus sit in se spirituale.

monstratur esse materia Simon. Iuri diuino contrariæ.

diuino contrariæ, vt sæpè in superioribus ostensum est, sed Ius Patronatus secundùm se spectatum est quid spirituale, vt ostendimus; ergo est materia propriissimæ Simoniæ. Nec refert, quòd illud Ius sit ab Ecclesia inuentum, & institutum, nam etiam prima tonsura est ab Ecclesia instituta, & Calicis consecratio, & similia, & nihilominùs sunt materia propriæ Simoniæ. Quia si illud, quod instituitur, est spirituale, inde habet, quòd sit materia Simoniæ, parúmque refert, quòd sit à Deo immediatè, vel ab homine institutum. Maximè cum homo in hac institutione, potestate diuina sibi concessa vtatur, & ita institutio semper ad Deum vt supernaturalium, & spiritualium principalem auctorem referatur. Nec etiam refert, quòd hoc Ius possideatur à Laico, quia non ideò mutat naturam suam, character enim Baptismi etiam est in Laico, & nihilominùs est natura sua inuendibile, & Ius eligendi ad beneficia, etiamsi Laico communicaretur, inuendibile permaneret. Et confirmatur, quia magis inuendibile est hoc Ius, quàm calix, vt calix, vel saltem non minùs; sed calix vt calix est natura sua inuendibilis, & de Iure diuino, ergo & hoc Ius. Vnde etiam cõfirmatur, quia sicut calix non potest vendi cariùs ratione consecrationis, ita nec fundus, cui est annexũ Ius Patronatus, ratione illius, vt omnes fatentur, quia iam venderetur ipsum Ius, sicut in priori casu venderetur consecratio, ergo est par vtriusque ratio. Atque hinc etiam sumitur optima ratio, quia Ius hoc, non habet æstimationem vllam, vel valorem, nisi ratione beneficij, ad quod refertur, vt per se constat: ergo si, vt tale est vendatur, beneficia virtute venduntur, saltem vt dantia valorem Iuri Patronatus, hoc autem est contra diuinum Ius, vt suprà ostensum est, ergo. Quò tandem fit, vt, licet hoc Ius vocetur annexum beneficio, nihilominùs sit ex diuino Iure inuendibile, quia illam annexionem habet intrinsecam, & naturalem, & inseparabilem à tali Iure, quia totum suum esse habet in ordine ad beneficiũ, & inde accipit totam suam æstimationem, & dignitatem. Et licet Ecclesia possit efficere, vel destruere tale Ius, tamen quòd sit, & non sit annexum beneficio, fieri per Ecclesiam non potest, non est ergo vendibile, nisi secundum talem annexionem vendatur, at hoc contra diuinum Ius est, ergo.

11. Præsentatio ad beneficiũ est materia Simon.

Atque hinc sequitur (quod etiam confirmat præcedentem assertionem) actum istius Iuris, scilicet, præsentationem ad beneficium, materiam esse Simoniæ contrariæ Iuri diuino. Patet, quia, & est actus spiritualis, vt ostendi, & per illum aliquid spirituale confertur, vt etiam declaraui, & à supernaturali quodam Iure seu potestate procedit, vt etiam satis probatum est, ergo. Confirmatur 1. quia si præsentatio esset pretio vendibilis, profectò Ius præsentandi saltem hoc titulo, esset pretio æstimabile, propter commoditatem temporalem, quam secum afferret. Confirmatur 2. quia si præsentatio esset vendibilis, facilè præsentarentur indigni, & infinita incommoda sequerentur. Et ita declaratur

C. Præterea. Abbas.

in cap. *Præterea*, 1. de Transact. vbi latè Abb. & alij, quos refert, & sequitur Redoan. p. 3. cap. 13. num. 22. & sequentib. & cap. 14. per totum. Vbi in num. 7 hoc ampliat, vt procedat, vbi sunt plures Patroni, & vnius tantùm vox emitur, etiam si contingat, illam non esse necessariam, vt fiat præsentatio, quod mihi verum videtur, quia illud, est accidentarium, & quod ibi emitur, & venditur semper est quid spirituale. Et in electione videtur id apertè definitum in cap. *Matthæus*, de Simon. Est autem eadem ratio de præsentatione, vt ibi etiam Doctores

C. Matthæus.

adnotant, & alij, quos Redoan. refert.

Dico tertio. Licet Ius Patronatus vendi non possit, transire potest cum re vendita, dummodo ratione illius res illa non cariùs vendatur. Ita docet D. Thom. d. art. 4. ad 3. & cæteri Theologi allegati, & Iuristæ omnes, vt patebit. Habetúrque expressè in cap. *Ex literis*, cap. *Cùm seculum*, de Iur. Patr. Ex quib. iurib. sumitur ratio, quia sicut Ius canonicum potuit conferre Laico Patrono hoc Ius præsentandi, ita potuit dare illud, non solùm pro persona eius, sed etiam pro suis hæredibus, vel successoribus; vel potuit illud dare cum facultate transferendi, sicut interdum datur pensio; vel potuit concedere, vt hoc Ius ita connectatur, vel quasi affigatur alicui rei temporali, vt si hæc vendatur, cum illa transeat. Nam hæc omnia non repugnant spiritualitati illius Iuris, vt ex ipsa declaratione, & exemplis satis constat. Vendito enim Calice, non venditur consecratio, etiamsi cum illo transferatur, quia supponimus, Calicem in venditione non fuisse pluris æstimatum ratione consecrationis, idem ergo in præsenti dicendum est.

12. Licet Ius Patronatus nõ possit vendi, potest tamẽ transire cũ re vendita, dũmodo res nõ ex eo vendatur cariùs. *D. Thom.* C. *Ex literis.* C. *Cũ seculũ.*

Ratione probatur.

Atque ita nota etiam est vltima pars assertionis. Ex qua obiter colliges, in nullo humano contractu, vel solutione, aut compensatione rei temporalis haberi posse rationem Iuris Patronatus; nam eo ipso venderetur. Vt non licet homini habenti Ius Patronatus illud in solutionem temporalis debiti dare, etiamsi alia temporalia bona non habeat quia iam venderet illud. Nec potest vnus hæres alteri Ius Patronatus cedere in compensationem maioris portionis, quam accipit, nec potest dari in feudum, vel alio simili modo in onerosum cõtractum deduci, vt latè Abb. in cap. *Querimoniam*, & cap. *Ex literis*, 1. de Iur. Patr. & attigit Innoc. ibi, &c. *Cùm seculum*, eodem, plura Tabien. verb. *Ius Patronatus*, num. 7. & sequentibus.

13. In nullo humano cõtractu rei temporalis haberi potest ratio Iuris Patronatus.

Abbas. *Innoc.* C. *Cũ seculũ.* *Tabien.*

Hinc verò vlteriùs intulit Vgolin. Tab. 1. cap. 49. §. 2. num. 5. Simoniam esse in casu litigioso, præsentare aliquem ad beneficium sub conditione, vt suis expensis litiget, & probet Ius præsentandi pertinere ad præsentantem, quia tunc præsentatio venditur pro illis expensis. Refértque Nauarrũ Const. 12. de Simon. vbi Nauar. videtur magis id supponere, quàm asserere. Itaque in illa specie oneroſi pacti videtur id verum, quia plus exigitur sub obligatione à præsentato, quàm ipse facere teneatur. At verò si conditio tantùm sit, vt nisi præsentatus intra tempus à Iure statutum suam præsentationem prosequatur, præsentans Iure etiam suo vti possit ad præsentandum alium, vel agere quod sibi fuerit opportunum, nulla committeretur Simonia. Et hic est casus, quem Nauar. tractat. Et ratio est, quia tunc nullum onus, nullúve obligatio imponitur præsentato, præter eam, quæ Iure inest, vnde non cogitur litigare absolutè, sed sub conditione, si velit suam præsentationem firmam retinere, nec obligatur ad prebandum Ius præsentantis, nec ad litigandum pro illo, sed pro se, & pro Iure suo, si voluerit illud obtinere. Quod verò inde possit indirectè commodum redundare in præsentantem, si præsentatus volens prosequi præsentationem, litem vincat, non facit præsentationem esse Simoniacam, cùm id non obstet gratuitæ præsentationi, vt constat.

14. Vgolin.

Nauar. Simoniã esse in beneficio litigioso aliquẽ præsentare ea conditione, vt suis expensis litiget.

Tandem ex dicta assertione, & eius probatione inferri potest, Ius Patronatus, non posse à Patrono in alium transferri, nisi modo, & in casibus à Iure expressis. Quod notauit Menoch. referens alios Cons. 90. n. 79. Et sumitur ex generali regula, quod Laici in spiritualibus nõ possunt, nisi quod eis concessum

15. Ius Patronatus non potest in alium trãsferri, nisi modo, & in casibus à iure expressis. *Menoch.*

Gloss. Innoc. Abbas.

cessum est à canonico Iure, iuxta Gloss. in cap. vlt. Innoc.& Abb.in cap. *Quanto*, de consuetud. Ratio etiam clara est quia hæc potestas transferendi non competit ex natura rei, quasi separata à Iure: tum quia in his rebus non est alia natura, nisi quam Ius canonicum eis tribuit; tum etiam quia potiùs ordinaria,& quasi naturalis conditio horum iurium spiritualium est, vt priuata auctoritate non trãsferantur, sed cum dignitatibus Ecclesiasticis, vel à Prælatis Ecclesiæ conferantur. Ergo solùm conuenit hæc facultas Patrono ex speciali gratia, & concessione Iuris positiui. Ergo non potest excedere ipsius Iuris dispositionem. Oportet autem breuiter hos modos exponere, quia ad perfectam intelligentiam tertiæ assertionis necessarium est. Tribus ergo modis, seu in tribus casibus hæc facultas Patrono conceditur, vt notat Gloss.in cap. *Cùm seculum* de Iur. Patro. Primus est Iure hæreditario, & extenditur non solùm ad heredes necessarios, sed etiam ad voluntarios, non solùm consanguineos, sed etiam extraneos, quia Ius absolutè loquitur, & nihil distinguit, vt notat Gloss. per text.in Clemen. I I. de Iur. Patron.& Ioan.Andr.dicto c.*Cùm seculum*. Et idem eodem modo sumitur ex cap. *Considerandum*, cap. *Si plures*, 16.quæst.7.

Tribus modis hęc facultas Patrono datur. *Glossa.*

Primus est per Ius hæreditarium. *Glossa.*

Ioan. Andr. C. *Considerãdum.* C. *Si plures.* 16.

Secundus modus est per liberalem donationem, quia vnusquisque potest in alium transferre Ius, quod habet, vt dicitur in cap. *Circa*, de Iur. Patron. Dicunt autem Iuristæ donationem hanc factam loco Religioso validam esse, etiamsi fiat sine auctoritate Episcopi, vt autem fiat quibuscumque aliis necessarium esse Episcopi consensum. Et prima quidem pars expressè habetur in cap. Vnic. de Iur.Patron.in 6.ita explicante: & confirmante cap. *Illud*, extra eod.contra Gloss.ibi, vt notant Innoc.& Hostiens.ibi.& in cap. *Cura*, eod. Altera verò pars non est tam clara, quia illa conditio consensus Episcopi ad valorem huius donationis, in dicto cap. *Cura*, non postulatur. Nec ego inuenio Ius aliquod expressum in quo postuletur. Nam Iura, ad hoc allegantur, scilicet caput. *Quod autem*, cap. *Nullus*, cap. *Cùm Laici*, de Iur.Patron.cap. *Nemini*, 16.quæstion. 7.hæc (inquam) Iura non loquũtur de ipsomet Iure Patronatus, sed de ipsis Ecclesiis, seu beneficiis, quę sine auctoritate Episcopi Patroni dare non possunt, non solùm aliis priuatis personis, verùm nec locis Religiosis, vt expressè in eisdem Iuribus dicitur. Quod autem ad donandum ipsum Ius Patronatus alteri personæ priuatæ, sit necessarius consensus Episcopi nullibi inuenio expressè requisitum. Tamen quia in dicto cap. *Illud*,& dicto cap. Vnic. tanquam speciale conceditur locis Religiosis, vt donatio Iuris Patronatus illis facta sine assensu Episcopi rata sit, ideò si aliis fiat, censetur inualida. Et ita est supponendum ex communi Canonistarum sententia in eisdem locis.

2. Per liberalẽ donationẽ Cap. *Cura.* An sit necessaria Episcopi licentia. C. *Vnic.* C. *Illud.* *Innoc.* *Hostiens.* C. *Cura.*

C. *Quod autẽ* C. *Nullus.* C. *Cùm Laici* C. *Nemini.*

C. *Illud.* C. *Vnic.*

17. 3. Modus trãsferendi Ius Patronatus est cũ re vẽdita. C. *Ex literis.* C. *Cũ seculũ.*

Tertius modus transferendi Ius Patronatus est cum re vendita, iuxta cap. *Ex literis*, cap. *Cùm seculum*, de Iur.Patronatus. Vt autem tàm hic modus (qui ad rem præsentem maximè spectat) quàm priores magis declarentur, aduertere necessarium est, dupliciter posse alicui Laico Ius Patronatus conuenire, scilicet vel ratione alicuius rei, quam possidet, cui veluti cohæret Ius Patronatus, vel immediatè ratione suæ personæ, quia ipse fundauit Ecclesiam, vel est successor eius, qui illam fundauit, & Ius in ipsum transtulit aliquo ex duobus prioribus modis. Et primum vocare possumus Ius Patronatus reale, secundum personale; vt breuibus terminis vtamur. Quando ergo Ius Patronatus inest fundo, aut villæ, in qua est Ecclesia, tunc rectè intelligitur, vendita terra, aut villa, cui est coniunctum Ius Patronatus, cum illa transire sine venditione talis Iuris, seruata tertia assertione à nobis posita. Et in hoc casu planè loquuntur Iura in dicto capit. *Ex literis*,& cap. *Cùm seculum*. Et in eodem sensu dixit Diuus Thomas, *Ius Patronatus per se non venditur, sed transit cum villa, quæ venditur, vel conceditur.* Vbi ponderanda sunt illa duo verba, quia si per venditionem villæ potest transire ad ementem Ius Patronatus sine assensu Episcopi, sed ex vi Iuris, à fortiori poterit transire, si villa liberè donetur. Et ita limitandum est, quod in secundo modo dictum est de cõsensu Episcopi requisito, intelligitur enim, quando Ius Patronatus solùm, & per se donatur: secùs verò est, si trãseat cum donatione villæ. Nam quòd venditioni conceditur, multò magis liberali donationi concessum esse credendum est: cùm hæc multò magis aliena sit ab omni apparentia Simoniæ, & alioqui maiori fauore digna sit. Potéstque colligi ex dicto capit. *Cùm seculum*, ibi, *Cum ratione feudorum emptorum, alitérve acquisitorum*, &c. Ratio autem generalis est, quia accessoriũ sequitur principale, cui adhæret, tunc autem Ius Patronatus se habet sicut accessorium ad villam, quia est quasi accidens illi inhærens, & optimè quoad hoc comparatur cum Calicis consecratione.

D. Thom.

C. *Cũ seculũ.*

Quia verò necessarium est (vt diximus) vt villa, vel fundus eo titulo non vendatur cariùs, solent Iuristæ interrogare, an sit venditio Simoniaca, quando in venditione exprimitur ipsum Ius Patronatus. Quidam enim affirmant, eo ipso iudicandam esse venditionem Simoniacam; alij simpliciter negant, alij distinctione in verbis vtuntur, nam si dicatur vendi villa, & Ius Patronatus, Simonia est, si verò dicatur vendi villa cum Iure Patronatus, non est Simonia. Verumtamen, vt bene dixit Sylvest. dicta quæstione secunda ad forum conscientiæ hoc parum refert, quia si bona fuit intentio, & pretium non excessit valorẽ villæ per se spectatæ, parum refert, quòd his, vel illis verbis fuerit contractus conceptus. Existimóque etiam in foro exteriori præsumendum esse contractum licitum, si ex aliis circunstantiis aliud non colligatur verisimiliter. Nam illa expressio vtroque illorum modorum facta potest habere sensum, qui culpam excuset, & ideò talis sensus semper præsumendus est, cæteris paribus. Et ad hoc valent multa principia Iuris, & coniecturæ, quas in simili adducit Nauar. cons. 12. de Simonia. Potéstque non immeritò aliquando exprimi Ius Patronatus in illa venditione: tum, vt de illo constet: tum vt non putetur reseruatum, aut separatum à villa. Optima autem forma exprimendi illud accipi potest ex dicto capite, *Ex literis*; ibi, *si vobis constiterit, quòd præfato militi præscripta villa fuerit, non excepto Iure Patronatus, ad formam concessa.* Negatiua ergo forma optima erit, vendi villam, non excepto Iure Patronatus, quamuis enim eo ipso quod non excipitur, intelligatur translatum, iuxta illum textum, & iuxta vulgarem regulam, quod accessorium sequitur principale; nihil tamen nocere potest, quod in illa forma exprimatur, quia non plus exigitur, quàm Iure concedatur.

Nauar.

C. *Ex literis.*

18. An venditio sit simoniaca ex eo quòd in ea exprimitur Ius Patronatus.

Resoluitur non esse Simoniam.

Sylvest.

At verò quando Ius Patronatus non cohæret fundo, aut villæ, sed personæ, meritò dubitari potest, an venditis bonis, cum illis transeat Ius Patronatus? Et quidem si Patronus solùm vendat vnam, vel alteram partem suorum bonorum, vt domum, aut vineam, certum est, non transire ex vi venditionis, quia nulla est connexio nec ratio translatio-

Ius Patronatus vel est reale, vel personale.

19. Quando Ius Patronatus est personale, an venditis bonis trãseat cum illis.

nis,

nis. At verò si venditio fiat omnium bonorum tunc A multi Iuristæ censent, transferri etiam in emptorem Ius Patronatus. Sic enim dicere solent, transire Ius Patronatus cum vniuersitate, vtique bonorum, si vendatur. Ita tenent communiter Canonistæ in d.cap. *Ex lueris*, de Iur. Patr. in cap. *Quanto*, de Iudic. Et multi alij, quos refert Couar. lib. 2. Variar. c. 18. num. 6. & sequent. Sed non video in Iure canonico sufficiens fundamentum huius sententiæ, & ideò contrariam opinionem veriorem censeo, quam ibidem refert Couar. ex multis auctoribus, quos etiam refert, & sequitur Lamberti. de Iur. Patr. lib. 1. 2. p. quæst. 5. princ. art. 14. num. 20. & art. 15. num. 8. & 13. Et ratio est, quia si Ius Patronatus non cohæret rei venditę, non transfertur ex vi venditionis illius, quia quando res non sunt inter se connexę, non est, B vnde vna secum ferat aliâ ex vi translationis vnius tantùm. Sicut in motibus physicis vna res mouetur ad motum alterius, nisi proter aliquam vnionem inter illas; & in moralibus per donationem vnius rei non censentur consequenter alia donata, quæ cum priori connexa non est; idem in legatis est manifestum, idem ergo est in venditione. Si ergo Ius Patronatus non cohæret vniuersitati, etiamsi hæc vendatur, non transferetur in emptorem ex vi alterius rei venditæ; ergo si transferretur, esset quia reputaretur tanquam pars vniuersitatis, & per se vendita partialiter, sicut aliæ partes, quod esset Simoniacum, vt constat.

Partem affirmatiuâ qui sequantur.

Couar. Negatiua prætertur. Lambert.

20. Obiectio.

Dices: hac ratione probaretur etiam non transire hoc Ius cum hæreditate, quia est personale, & C non reale, quia cum non cohęreat hæreditati, etiam si illa relinquatur hæredi, ex vi illius non transibit Ius Patronatus. Respondetur, negando primam consequentiam, quia licet non transeat ex vi bonorum, quæ hæredi relinquuntur, transit ex vi Iuris, & ratione illius ex vi hæreditatis, vt talis est, nam Ius canonicum ita disposuit in hærede, non autem in emptore. Neque ab vno ad aliud potest fieri extensio, seu illatio. Tum quia sunt valdè diuersa; hæres enim repræsentat personam defuncti, non autem emptor, & propterea hæres solet succedere in omnibus Iuris, & honoribus, non autem emptor, vt de Iure sepulturæ colligitur ex leg. *Quia perinde*, 42. Ad Trebellian. & de Iure Patronatus libertos ex leg. *Si Patron.* 55. eodem, vt statim dicemus. Adde, quòd hæres regulariter esse solet sanguine coniunctus; & hoc titulo dignus est vt Ecclesia illi fecerit hanc gratiam; quando verò instituitur extraneus, indicat in testatore amicitiam erga illum, quæ æquiualere possit sanguini, & ideò illi etiam voluit Ecclesia fauere; in emptore verò non procedit vlla similis ratio, vt constat, & ita, nisi res ipsa vendita quasi necessitate quadam secum ferat Ius Patronatus tanquam accessorium, in fauorem emptoris numquam hoc concessum est. Accedit tandem, quod in institutione hæredis tota donatio est merè gratuita, & ideò extendi optimè potuit ad Ius Patronatus, etiamsi necessarium esset, per se, & directè ex speciali voluntate testatoris transferti. Secùs verò est in venditione bonorum, E quia voluntas vendendi non potest licitè cadere in Ius Patronatus per se spectatum, ideoque si ex vi connexionis cum re ipsa non transferatur, ex vi voluntatis vendentis transferri non potest. Quod si dicas, posse vendentem habere voluntatem transferendi gratis hoc Ius, licet alia bona pro pretio vendat. Respondeo primum id non præsumi in vęditore, & ideò non oportuisse vt Ius faueret huic voluntati. Deinde quando venditor bonorum habuerit hanc voluntatem erga emptorem, tunc per accidens, & concomitanter coniungentur venditio vnius, & donatio alterius: ideóque; sicut Ius Patronatus donari non potest alicui sine approbatione Episcopi, ita nec tunc fieri poterit, nisi locus Religiosus sit. Et tunc oporteret certò constare, contractus non misceri, ita vt vnus fiat propter alium, sed Ius Patronatus omninò gratis donari, & ita tunc non transferretur in emptorem, vt sic, sed in donatarium.

Respõdetur.

Leg. Quia perinde. Leg. Si Patro.

Sed quæret tandem aliquis, quid dicendum sit quando Ius Patronatus, & bona habent inter se connexionem, non tamen Ius Patronatus cohæret bonis, sed potiùs bona cohærent Iuri patronatus. Vt, verbi gratia, quia Patronus instituit, ac voluit, vt qui esset Patronus semper possideret talia bona, non tam in gratiam, & commodum eius, quàm in Ecclesiæ vtilitatem, scilicet vt cum Ecclesia, in qua est Ius Patronatus, indiguerit, possit, ac debeat Patronus ex talibus bonis Ecclesiæ succurrere. Dicunt enim aliqui, tunc venditis bonis non transire cum illis Ius Patronatus, quia tunc Ius Patronatus non est accessorium ad bona, vt sequatur illa, sed potius bona sunt accessoria ad Ius Patronatus, quia sunt gratia illius, Argument. legis, *Etsi non sunt*, ff. de Aur. & Argent. legat. Sed hoc difficilè creditu est, nam inde fieret, talia bona temporalia esse prorsus inuendibilia ex vi talis institutionis, quia nec vendi possunt, transferendo Ius Patronatus, quia committeretur Simonia, nec etiam separari possent ab illo, quia fieret contra voluntatem testatoris. Consequens autem falsum videtur, & incredibile. Quia nec institutio Patroni obligat expresè ad nunquam vendendum illa bona, sed gratis donandum, vt supponimus, nec id necessariò sequitur ex tali institutione, cum possit voluntas Patroni impleri, transferendo vtrumque simul in alterum, etiamsi bona ipsa iusto pretio vendantur. Nec denique ibi interuenit ratio Simoniæ, quia supponimus, bona non pluris vendi propter coniunctionem ad Ius Patronatus, imò fortasse minori pretio vendi propter onus, quod habent adiunctum subueniendi aliquando Ecclesiæ, in qua est Ius Patronatus.

21. Quid dicendum quãdo Ius Patronatus non cohæret bonis, sed potiùs bona cohærent Iuri Patronatus.

Quocirca distinctione vtendũ puto, nam vel illa bona ita sunt annexa Iuri Patronatus, vt omnes fructus eorum ex necessitate, & obligatione conuertẽdi sint in vsus Ecclesiæ, & quasi spirituale seruitium Iuris Patronatus, & tunc credo, vendi nõ posse trãsferendo cum illis Ius Patronatus, quia tunc moraliter loquendo non habent æstimationẽ ratione suorum prouentuum temporaliũ, cum omnes ad Ecclesiã pertineant; solùm ergo possunt æstimari propter honorẽ Iuris Patronatus, & hoc titulo ęstimari pretio nõ possunt, aliàs ipsum Ius Patronatus vẽderetur. Aut illa bona ita comitantur Ius Patronatus, vt ordinariè cedant in tẽporalem commoditatem habentis tale Ius Patronatus, licet per occasionem necessitatis Ecclesiæ, debeat aliquãdo ei prouidere: Et tunc dico, esse pretio ęstimabilia, & vendi posse, non obstante connexione cũ Iure Patronatus, quia suum temporalem vsum, & commoditatem habẽt ob quam pretio æstimentur. Neque propterea venditur Ius Patronatus, cùm intuitu illius pretium nõ augeatur. Neque refert, quod tunc bona temporalia sint accessoria, quia nõ sunt omninò accessoria, sed per se etiam suam considerationem, & cõmoditatem habent, vnde si sub hac ratione spectẽtur, onus succurrendi Ecclesiæ tempore opportuno, est quasi accessorium respectu talium bonorum sic spectatorum. Eò vel maximè, quòd consecutio illa, & inseparabilitas bonorum talium à tali Iure Patronatus

22. Resolutio quæstionis.

tus non est ex natura rei, sed ex voluntate instituentis. Et ideò ad rationem Simoniæ parum refert illa ratio accessorij, vel principalis, orta ex intentione instituentis: sed respiciendum est, an in venditione possit vnum ab alio separari, quod hîc optimè fit, etiamsi connexio sub illo respectu facta fuerit.

23. An liceat vẽdere Ius sepulturæ.

Rationes omnes dubitandi propositæ num. 4. & 6. explicando, & probando nostram sententiam, solutæ sunt, nec de illis addere quidpiam necesse est, præter quàm de vltima confirmatione posita in num. 6. in quod duo petuntur. Vnum est de Iure sepulturæ, an liceat illud vendere, vel pretio emere, de quo videri possunt suprà dicta cap. 14. ibi enim occasione sepulturæ de Iure ad illam, diximus, quatenùs Laicis conuenire potest. Nam aliud est Ius sepulturæ, quod Ecclesiæ ipsi, seu eius Clericis com- B petit, quod dicitur Ius funerandi, seu sepeliendi. Et primum dici potest quasi passiuum, quia est Ius, vt quis sepeliatur, secundum verò actiuum, quia est ad sepeliendum alium, vel celebrandum officium, de quo constat esse magis spirituale, & inuendibile, quia conuenit ratione Ecclesiasticæ administrationis, & potestatis; & officium eius spirituale est, de quo etiam suprà diximus. Et plura de his Iuribus videri possunt in Syluest. ver. *Sepultura*, Freder. de Sen. cons. 246. Lapo tractat. de Canoni. porti. num. 72. & 73. Redoan. p. 1. cap. 30. num. 1. vsque ad 6. & Supplem. Gabr. 4. d. 25. quæst. 2. dub. 10. vsque ad finem quæst. Vbi etiam tractat de alio Iure, quod in illa cõfirmatione attingebatur, scilicet de Iure stalli, seu sedendi, aut standi in Ecclesia in certo loco: C definitque non posse vendi. Sed de hoc non inuenio Ius positiuum aliquid statuens, vel prohibens, iudicandum ergo est ex natura rei, spectata autem natura loci sacri, & vsu eius, vt talis est, profectò vendi non potest; onus autem, & obligatio accidẽtaria Clericorum vendi posset, iuxta suprà dicta: quamuis etiam illud vitandum sit, quia non caret specie auaritiæ, & turpis lucri.

Sylueſt. Freder. Lapus. Redoan. Gabr.

An Ius stalli possit vendi.

CAPVT XXIX.

Vtrùm temporalia Officia Ecclesiæ, vel actus eorum, sint mat. Simoniæ?

1. Officia hæc, & eorũ actus non sunt mater. Simon. stando solũ in Iure diuino.

HÆc sola nobis superest quæstio circa materiã Simoniæ. Duo autem videntur circa illam certa. Primum est, hæc officia, vel actiones eorum ex natura rei, & stando in solo diuino Iure naturali non esse materiam Simoniæ. Ita docent communiter Theologi in 4. d. 25. Durand. quæst. 5. Palud. q. 4. Caiet. & omnes Summistæ verb. *Simonia*, Sot. d. lib. 9. quæst. 5. art. 2. Victor. de Relect. à num. 12. Idem sentiunt communiter Iuristæ cum Gloss. in cap. *Saluator*, 1. quæst. 3. verb. *Et iudicem*. Vbi Card. vterque, & Archid. in cap. 1. ead. causa, & quæst. Innoc. Abb. & alij in c. 1. & 2. *Ne prælati vices suas*. Ratio autem clara est, quia hæc munia, vel officia non habent in se aliquid spiritualis, neque ordinantur ad spirituales actiones, sed tantùm ad temporales, vt E sunt custodire, vel administrare res Ecclesiæ, & similia, vt videbimus. Dices, hæc officia ordinari ad spiritualia, vt officium Sacristæ ad cultum templi; officium syndici ad defensionem bonorum Ecclesiæ, &c. Ergo hoc satis est, vt vendi nõ possint ex se, quia sunt annexa spiritualibus. Respondeo, ordinari quidem ad spiritualia tanquam ad finem remotum; proximè verò versari circa opera merè corporalia, & materialia, & sub ea ratione spectari, quando dicuntur temporalia, & ex se vendibilia, quia nõ A est necesse vendi secundùm illum respectum, neque id liceret, sicut de omnibus actibus bonis dixit D. Thomas dicto articulo quarto ad 1. Vnde est apertum discrimen inter hæc officia, & Ecclesiastica spiritualia. Nam hæc habent pro materia proxima functiones spirituales, & ideò non tantùm ex fine extrinseco, sed ex propria materia spiritualia sunt, ac subinde natura sua inuendibilia; illa verò sunt ex obiecto, & materia merè temporalia, ordinatio verò ad spiritualem finem extrinseca est, & ideò secundùm se non sunt materia Simoniæ. *D. Thom.*

Obiectio.

Soluitur.

Dices, licet officium ipsum temporale sit, tamen conferre illud, est actus spiritualis iurisdictionis, dictum est autem suprà, non posse vendi actum iurisdictionis spiritualis, etiamsi circa temporales causas versetur; ergo etiam hic non poterit vendi collatio talis officij, etiamsi circa officium materiale versetur, ergo nec officium ipsum. Dicet fortasse aliquis, conferre illud officium, non esse actum iurisdictionis, sed esse actum cuiusdam eminentis potestatis administrandi res temporales Ecclesiæ, quæ est in Prælato, cuius participationem communicat ministro, quando illud officium temporale illi tribuit. Est autem differentia, quia in Prælato est illa potestas eminentiori modo per ipsammet potestatem spiritualem, quæ eminenter extenditur ad temporalia, in ordine ad spiritualia; ministro autem solùm datur temporalis quædam facultas administrandi res Ecclesiasticas quoad id, quod materiale, & (vt ita dicam) mechanicum in eis est. Potestas enim spiritualis, & eminentior, potest instituere, & donare aliquid merè temporale, vt suprà dictum est. Sed non videtur hoc omninò euacuare difficultatem, quia semper ille actus distribuendi hæc officia, est immediatè à potestate spirituali, & reuera dici potest actus iurisdictionis Ecclesiasticæ, vel æquiparatur illi, & ita semper videtur esse de vtroque eadem ratio. Dico ergo actionem illam distribuendi non vendi, nec esse vendibilem, sed terminum eius, vt sic dicam; id est officium ipsum, quatenus in facto esse consideratum, est pretio æstimabile, vt habet temporalem commoditatem non annexam functionibus spiritualibus, sed temporalibus. Et ita cum illud officium venditur, non actus iurisdictionis venditur, sed res illa, quæ per iurisdictionem huic, vel illi applicatur, nam sicut iurisdictio est ad distribuendum, ita intelligi potest esse ad vendendum. Nam licet vendere sit magis actus dominij, quàm iurisdictionis, tamen quando res æstimabilis pretio, non est sub proprio, & priuato dominio, sed sub communi, vel si est sub proprio, est tantùm sub conditione, vt alteri necessariò conferenda sit, tunc potest actus vendendi res communes, proficisci. Sic enim vendere in necessitate vasa sacra, vel res Ecclesiæ potest esse actus iurisdictionis, seu administrationis competentis ex potestate spirituali, & nihilominùs per illum actum potest res vendi pro valore, quem secundum se habet. D

2. Difficultas, an possit vendi collatio horum officiorum.

Impugnatur.

Vera quæstionis resolutio.

Secundum principium certum est, hæc officia vendi non posse sine graui peccato propter Ecclesiæ prohibitionem. In hac etiam assertione videntur conuenire Doctores: sumitur enim ex Concil. Calced. Canon. secundo. Et refertur in capite *Siquis Episcopus*, 8. 1. quæstione 1. Et confirmatur ab Vrbano Papa in capite *Saluator*, 1. quæstion. 3. Ibi enim vendi prohibentur multa officia Ecclesiastica, etiam temporalia, vt œconomi, &c. Idemque habetur in capite *Consulere*; de Simon. Vnde non est dubium, quin hæc officia vendere,

3. Hæc officia vendi non possunt sine graui peccato.

Concil. Cal. C. Si quis. Vrban. Papa. C. Saluator. C. Consulere.

dere malum sit, saltem quia prohibitum. Verumtamen Glossa in dicto capite *Saluator*, verb. *Et iudicem*, vltimo loco refert, & sequitur opinionem dicentem, non esse hoc illicitum: nam licet solùm dicat expresè, non esse Simoniacum, tamen dum ait, illam opinionem inhærere consuetudini generali, planè sentit, sicut id non est Simoniacum, ita non esse illicitum, quia vel prohibitum non est, vel consuetudo potuit prohibitioni derogare. Maximè verò dicitur esse hæc consuetudo in Curia Romana, vt refert Iason. in Leg. *Illud*. C. de Collat. & cum illa Glossa sentit ibi Præpos. numero sexto, & nono, referens Cardin. Ray. & Summã Confessor. Et idem approbat Anton. 3. part. titul. 11. capite secundo, §. vltimo. Sed nihilominùs censeo, etiam nunc durare, prohibitionem, & venditionem illam esse illicitam, quia de prohibitione constat, de contraria verò consuetudine non constat. Imò contrarium videtur seruari communi consuetudine, saltem extra Romanam Curiam. Dicit tamen Sylvester quæstione 13. in fine, quod vbi reuera fuerit contraria consuetudo, prohibitio cessat, argum. capite *Conquestus* 11. quæstione tertia. At verò Guillielmus, quem refert Præpos. dixit talem consuetudinem corruptelam esse, nec posse prævalere contra legem, quia est irrationabilis consuetudo contra commune bonum, bonósque Ecclesiæ mores. Quod maximè videri potest probabile in inferioribus Prælatis infra Pontificem, quia illi non sunt domini, nec supremi dispensatores, & ideò non possunt de rebus Ecclesiasticis disponere, nisi iuxta modum à Iure concessum, vel saltem non possunt modo prohibito, quia non aliter illis data est potestas ad illa vendenda, imò est ablata per prohibitionem; ergo non possunt per prauam consuetudinem contra hanc prohibitionem prævalere. De Romana autem Curia, mihi non constat de facto esse ibi talem cõsuetudinem generalem, sed solùm de certis officiis, de quibus suprà dictum est: de aliis autem vel non est, vel si est, pertinet ad supremam Pontificis potestatem, qui potuit pro se, vel Curia sua in prohibitione positiua dispensare, de quo infrà latiùs dicemus.

Glos. *Iason. Præpos. Cardin. Raymon. Anton.* *Sylvest.* *C. Cõquestus. Guillel.*

A

B

C

D

E

4. An hoc peccatum ad Simoniã spectet, vel ad aliud vitij genus? *Innoc. Archid. Turrec. Præpos.*

Difficultas verò superest, An peccatum contra hanc prohibitionem commissum Simonia sit, vel aliud genus vitij? Multi enim Canonistæ negant, esse propriam, & veram Simoniam. Ita docet Innocentius in capite primo, *Ne Prælat. vices suas*, & Archid. in capite 1. 1. quæstione 3. & idem sequitur Turrec. in dicto capite *Saluator*, numero vndecimo, & ibi Præpos. Ratio eorum esse potest, quia per prohibitionem non fiunt hęc officia spiritualia, nec spiritualibus annexa, ergo per prohibitionem non magis fiunt materia Simoniæ, quàm antea erant, ergo licet illa vendere sit turpe lucrum, non tamen est Simonia. Alij distinctione vtuntur; nam si hęc officia consueuerunt dari Laicis, vel solis, vel nunc Clericis, nunc Laicis, vendere illa, non est Simonia: quia nullo modo sunt annexa spiritualibus, & licet interdum dentur Clerico, non tamen ratione Clericatus. At verò si solis Clericis dentur, tunc vendi non possunt sine Simonia, & ita sunt annexa Clericatui. Ita refert Turrecrem. suprà numero 11. Et sequitur Sylvester verb. *Simonia* quæstione 13. & Vgolin. Tabul. 1. cap. 48. §. 7. num. 3. & fundari videntur quoad hanc partem, quia iam tũc illud officium est annexum rei spirituali, scilicet Clericatui.

Turrec. Sylvest. Vgolin.

5. Resoluitur

Probabiliùs verò dicitur, malitiam illius peccati esse veram Simoniam, suppositа prohibitione. Ita sentiunt Theologi citati, præsertim Caietan. verb. *Simonia*, Regul. 3. in fin. Sot. libro 9. quæstione 5. articulo secundo ver. *Sed interrogando vrgebis:* paulò autem inferiùs ante solutionem argumentorum videtur dicere, hanc non esse propriam Simoniam, sed quòd Simoniæ pœna vindicatur, in quo reincidit in opinionẽ Durandi, quam impugnat. Fortasse tamen solùm dicere voluit in vltimis verbis, hanc non esse tàm propriã Simoniã quoad culpam, quàm quoad pœnã, quia non est ita de se mala venditio Sacristiæ, sicut beneficij, de his enim ibi loquitur. Sed meliùs loquitur, & rem hãc declarat Victor. dicta Relect. num. 16. In eadẽ sententia sunt Abbas, & Anani. & Felin. in capit. *Consulere*, de Simon. Hostiens. in capit. *Tua nos*, eodem, Anton. 2. part. titulo 1. capite 5. §. 2. Probatur autem in hunc modum, quia vel hæc non est propria Simonia, quia esse non potest propter solam Ecclesiæ prohibitionem, vel quia non est ita prohibita aliquo Iure: neutrum dici potest, ergo. Probatur minor, quoad priorem partem, quia suprà probatum est contra Durandum, posse dari propriam Simoniam, quia prohibita. Dicetur fortasse, posse quidem dari talem Simoniam, si supponatur materia spiritualis prohibendo pactum circa illam, quod de se non erat malum, nec Iure naturæ prohibitum; non posse autem id fieri circa materiam nõ spiritualem, quia deest quasi primum fundamentum Simoniæ. Sed contrà, Quia licet hæc officia de se non sint spiritualia, non est tamen dubium, quin sint valdè coniuncta spiritualibus; nam per illa res sacræ contrectantur, valdè propinquè, & familiariter, vt sic dicam; vel Ecclesiastica bona per illa administrantur. Ergo quamuis de se non habeant spiritualitatem, vel cõnexionem sufficientem natura sua ad materiam Simoniæ, potest per legem positiuam impleri, faciendo annexionem sufficientem ad materiam Simoniæ. Vnde quoad hoc, fieri potest equiparatio inter materiam, & contractum: nam lex Ecclesiastica potest facere per prohibitionem, vt pactum sit Simoniacum, quod aliàs non erat; ergo potest facere, vt officium sit annexum rei spirituali, quod aliàs nõ erat. Sic etiam argumentatur Victoria, quia consecratio calicis non facit materiam inuendibilem omnino, & tamen si lex Ecclesiæ prohiberet intuitu Religionis, ne vendatur calix, etiam quoad materiale vas, esset Simonia illud vendere; ergo similiter potuit hoc facere in his officiis. Tandem declaratur, quia si Ecclesia sua lege faciat rem aliquam immunem à venditione solùm intuitu Religionis, talis lex ad virtutem Religionis pertinet, & constituit materiam illam vt necessariam intra talem virtutem, & consequenter transgressio talis legis contrà Religionem est, & non in alio genere vitij irreligiosi, nisi Simoniæ: sed potuit hoc modo vetare venditionem horum officiorum; ergo. Probatur minor, quia in his officiis est tanta affinitas ad diuinum cultum, vt venditio illorum possit facilè redundare in diminutionem diuini cultus, ergo optimè potest talis venditio prohiberi intuitu Religionis, & cultus Dei, & rerum sacrarum, ergo absolutè possibile fuit in rebus his, hoc genus Simoniæ, quia prohibita.

peccatum illud Simoniã esse. *Caiet.* *Sot.*

Victor. *Abbas.* *Anani.* *Felin.* *Hostiens.* *Anton.*

Probatur assertio.

Victor.

Quòd autem hoc modo fuerit ab Ecclesia facta prohibitio, probatur ex tribus decretis suprà adductis. Nam Concilium Calced. in dicto capite, *Si quis Episcopus*, eodem tenore, eisdem verbis, & sub ratione eiusdem turpitudinis, ac deformitatis prohibet horum officiorum venditionem, ac venditionem ordinũ, seu Clericatus: ergo tota illa

6. Probatur Ecclesiã prohibuisse hanc venditionẽ. *Concil. Cal. Cap. Siquis.*

prohibitio fit intuitu Religionis, licet applicata quibusdam rebus, supponat in illis sufficientem materiam Simoniæ, in aliis verò faciat: & æquè extendit prohibitionem, & pœnam etiam ad interuentores. Vnde Vrban. in d.ca. *Saluator*, sic colligit: *Cur sancta synodus Calcedonensis procuratorem, vel defensorem Ecclesiæ, adeò per pecuniam ordinari prohibet, vt interuentores quoque tanti sceleris anathematizet, nisi quòd eosdem Simoniacos iudicet?* Et statim allegat sententiam Paschalis Papæ in capit. *Siquis obiecerit* ead. quæst. vbi de propria Simonia sermo est. Idémque statim auctoritate Augustini cõfirmat, vendere Spiritum sanctum, qui hæc officia vendit. Quæ omnia certè non possunt exponi de Simonia quoad pœnam, vt Durandus exponit, quia potiùs expressè idem Pontifex ex acerbitate pœnæ colligit malitiam culpæ, & verbis vtitur, quæ manifestè definiunt culpam, vt vendere Spiritum sanctum. Neque aliam quamcunque impropriam interpretationem admittunt, vt mox dicam. Aliàs nullam propriam Simoniam possumus ex Iure colligere, præsertim in illa, quæ talis est, quia prohibita, & ita illo modo facilè eluderet Durandus omnia argumenta ex Iure desumpta cõtra suam sententiam. Confirmantur etiam dicta Iura in dicto cap. *Consulere*, de Simon. Vbi de eisdem officiis loquens, ait, *Tam dementes, quàm vendentes cum Simone percelluntur.* Certè non potuit clariùs, nec phrasi magis vsitata in antiquis decretis, declarare speciem illius delicti. Planè etiam ex his locis colligitur, prohibitionem esse factam intuitu Religionis, sicut intuitu Religionis damnatus est Simon, & damnantur omnes, qui Spiritum sanctum, vel dona eius vendunt; hæc enim ratio talis prohibitionis in eisdem Iuribus redditur. Igitur sicut prohibitio Ecclesiastica facit, vt negotiatio in templo sit verum, ac proprium sacrilegium, quia Ecclesia voluit in talis loci reuerentiam, illi concedere immunitatem ab illa actione, & abstinentiam ab illa in tali loco posuit, vt materiam necessariam cultus debiti tali loco, ita prohibitio Ecclesiæ facit, vt venditio, aut negotiatio circa talem materiam sit vera, ac propria Simonia, quia Ecclesia concedere voluit his officiis immunitatem à tali negotiatione circa illa, & abstinentiam ab illa posuit, vt materiam necessariam ad debitum cultum rerum sacrarum, circa quas talia munera versantur. Quod descendendo ad aliqua particularia, statim magis explicabitur.

Vrban. Papa. Ca. Saluator.

Paschæ. Papa. C. Siquis obiecerit. August. Durand.

Et ex his rationibus, ac probationibus colligitur, non esse necessariam, neque opportunam distinctionem de officiis, quæ Clericis, vel Laicis cõmittuntur. Primò quidem quia de Ecclesiasticis officiis tractamus: officia autem Ecclesiastica non debent Laicis de Iure committi, iuxta cap. *Indicatum est* cum aliis. 89. distin. Vnde si interdum committuntur Laicis, siue per iniuriam, siue per occasionem necessariam, aut consuetudinem toleratam, aut priuilegium, non mutat naturam officij neque desinit propterea sub prohibitione comprehendi. Secundò quia, vt suprà dixi, quòd in persona requiratur Clericatus tonsura ad aliquod munus, vel ad pensionem, non sufficit ad connexionem, nisi aliunde fiat, vel ratione ministerij, vel ratione Canonis; ergo hæc officia non ideò sunt materia Simoniæ, quia per Clericos ministrãda sunt, quia hoc non sufficeret ad Simoniam, si non facta esset prohibitio, ergo ratio Simoniæ, est prohibitio: sed hæc habet locum, etiamsi hæc officia Laicis conferantur; ergo etiam respectu illorum sunt materia Simoniæ, vt scilicet illis vendi non possint.

Nõ est opus distinguere inter officia, quæ Clericis, vel Laicis committuntur.

Vlteriùs autem dubitari potest, quænam officia Ecclesiastica sint hæc temporalia, quæ sub hac prohibitione comprehenduntur, in dictis enim capitibus variis nominibus appellantur, de quibus exponere oportet, quid propriè in hac materia significent, & an ad alia extendantur: Primò ergo dictum caput, *Siquis Episcopus*, prohibet per pecuniam promouere *dispensatorem*, seu *procuratorem*, vt vertit Vrban. in cap. *Saluator*, & exponit, per eum intelligi *quemlibet Ecclesiasticarum rerum administratorem*, Et v. g. *Præpositum, Oeconomum, Vicedominum.* Et idem ferè habetur in d. ca. *Consulere*, Hæ autem voces ferè idem significant, vt intelligi potest ex aliquibus Decretis. 89. dist. Nam in ca. *Volumus*, ait Gregor. *Volumus, vt frater noster Paschasius, & Vicedominum sibi ordinet, & Maiorem domus.* Vbi Glos. cum Hugone exponit Vicedominum, id est, Oeconomum rerum Episcopalium, qui rebus Episcopalibus, & hospitibus superuenientibus prouideat. Colligitur ex cap. *Diaconus*, ead. d. Per Maiorem autem domus intelligit Oeconomum mensæ capitularis, seu rerum Canonicarum. Potestque hoc colligi ex cap. *Quia* ibid. Et Trid. Conc. sess. 24. cap. 16. de Refor. Oeconomum vocat, qui rerum ecclesiasticarum, & prouentuum curam gerit. Et sumitur etiã ex Leg. *Iubemus nulli*. C. de sacrosanct. Eccles. Rectè ergo generaliter comprehenduntur sub hac voce omnes rerum Ecclesiasticarũ administratores, qui vice Prælati, aut Cleri ad Ecclesiastica bona administranda potestatem accipiunt. Aduertunt autem Præposit. & Turrecr. in dicto capit. *Saluator*, cum Hugone, quòd si Episcopus, aut Clerus concederet alicui reditus suos, vel alicuius loci pro certa summa pecuniæ singulis annis præstanda, non esset Simonia, quia illa non est venditio officij, sed locatio talium bonorum: & hoc sine dubio est consuetum, & licitum quia non venditur officium, sed reditus.

8. Quæ officia comprehendantur sub hac prohibitione.

Præpositus. Turrec. Hugo.

Prohibet præterea dictum cap. *Siquis Episcopus*, pretio constituere Ecclesiæ *Defensorem*. Quis autem hic sit, exponit Vrbanus, *Defensoris nomine* intelligi *Aduocatum; siue Castaldum, aut Iudicem.* Suprà verò diximus, tàm nomine defensoris, quam nomine aduocati posse intelligi Patronum Ecclesiæ, nihilque vetat. Tamen communiter a Doctoribus intelligitur in vulgari significatione, prout significat procuratorẽ, quem Ecclesia cõstituit ad causas suas tuendas: quod intelligo, quando ex officio, & cum speciali potestate ab Ecclesia recepta, ad id munus constituitur. Aduocatus autem, qui absque mandato, ad patrocinandum assumitur, allegando de Iure, non pertinet propriè ad officia Ecclesiastica, de quibus hic sermo est; sed ille tantùm, qui speciale habet ab Ecclesia, vel Episcopo mandatum, seu potestatem, alio nomine solet vocari Syndicus, de quo est titulus in Decretal. de Syndico, & ex eius cap. vnic. colligitur, illum esse, cui generaliter Ecclesiæ negotia commendantur. Idémque significatur nomine *Castaldi:* Quamuis hæc vox (vt ex Calepino constat) etiam soleat Oeconomum, & rerum administratorem significare: neutro autẽ modo significat officium ab aliis distinctum.

9. Officiũ Defensoris similiter non potest vẽdi. Cap. *Siquis. Vrban.*

Cap. vlt.

Nomine autem *Iudicis*, quòd in eodem capit. additur, clarè significatur munus distinctum, nimirum administrandæ iurisdictionis loco Episcopi. Verumtamen si iurisdictio sit spiritualis, iam suprà est ostensum, non posse delegari, seu committi pro pretio absque Simonia contra Ius diuinum; videtur ergo ibi esse sermo de iudice temporali,

10. Iudicis officiũ similiter.

rali, quem potest constituere Episcopus, vbi habet temporalem iurisdictionem, iuxta caput vltim. Ne Cleri. vel Mona. in 6. Et ita videtur intellexisse Glos. in dicto cap. *Saluator*, & ibidem Præpos. Nec mirum est, quòd hæc etiam iudicatura vendi ab Ecclesiasticis prohibeatur sub dicto rigore, quia licet non pertineat ad vsum spiritualis iurisdictionis, pertinet ad rerum Ecclesiasticarum administrationem, & per quandam annexionem est aliquo modo spiritualis respectiuè, & ob illum respectum vendi prohibetur. Additur deniq; in d.ca. *Si quis Episcopus*, nomen *Mansionarij*, quod in cap. *Saluator*, non exponitur, nec refertur; neque etiam à Glos. vel expositoribus in d. cap. *Siquis Episcopus*. Neque in dictionariis latinis hoc nomen declaratur, quia latinum non est. Solum ergo inuenio in Cod. Theodosian. in L. 21. de Decurion. fieri mentionem Præfecti Mãsionum, fortasse ergo simile Ecclesiasticum munus nomine Mansionarij significatur, qui præficitur ad Clericorum, vel Canonicorum Mansiones distribuendas, quando Ecclesiasticæ sunt, & de domibus Ecclesiæ conferuntur, vel cui cura talium domorum, vel Mansionum committitur, & ita hoc munus ad quandam partem Oeconomiæ pertinebit.

Cap. vlt. Glos. Præpos. — *Cap. Siquis. Mansionarij officiũ quid sit. Glos. Leg. 21.*

Dubitari autem potest, An officium Sacristæ, vel Thesaurarij, seu Custodis rerum sacrarum sub hac materia comprehendatur. Et ratio dubitandi esse potest, quia sub illis nominibus non comprehenditur, & prohibitio extendenda non est vltrà verborum rigorem. Nihilominùs omnes ferè primo loco ponunt officium hoc inter ea, quæ vẽdi prohibentur, vt patet ex Soto dicta q. 5. artic. 2. vbi ait, ab Vrbano prohibitum esse, ne vendatur officium Sacristæ, idem significat nomine Sacrorum Æditui, in quæst. 7. artic. 1. Idem latiùs Vgolin. dicto §. 7. in principio. Quinimò hîc significat, esse Simoniam contra Ius diuinum, hoc officium vendere, quia est officium, quod circa spiritualia versatur, vt sunt custodire, & contrectare vasa sacra, & vestes, altaria præparare, & necessaria ad sacrificium, luminaria accendere, & signum ad Ecclesiastica officia dare, iuxtà ea, quæ tradit Isidor. in ca. 1. dist. 25. in fin. & quæ habentur extrà in tit. de officio Sacristæ, & de officio Custodis. Ex quibus etiam colligitur, munus hoc solis Clericis esse committendum. Sed non existimo, esse hanc materiam Simoniæ contra Ius diuinum, quia licet functiones huius muneris habeant pro materia res sacras, tamen omnes sistunt in materiali parte earum, & ita omnes sunt actiones merè corporales. Nihilominùs tamen non dubito, quin sub dicta prohibitione Ecclesiæ comprehendantur, vel quia munus Sacristæ pertinet reuera ad Ecclesiasticarum rerum administrationem, quam generaliter comprehendit Vrbanus: vnde Sacrista meritò dici potest quidam particularis Oeconomus, vel quia etiam comprehendi potest sub his, qui ratione sui officij regulæ Ecclesiasticæ subiiciũtur: nam Sacrista debet esse subiectus Archidiacono, vt dicitur in cap. vnic. de Officio Sacristæ, omnes autem officiales Ecclesiastici, qui ratione muneris subiiciuntur regulæ, seu correctioni Ecclesiasticæ, pretio constitui prohibentur, vt expressè dixit Calced. Concilium.

11. Sacristæ officium vendi prohibetur. — *Soto. Vrban.* — *Vgolin.* Opinio asserens esse Simoniã contra Ius diuinum vẽdere hoc officiũ. — *Isidor. Cap. 1.* — Reiicitur hæc opinio — *Vrban.* — *Cap. vni.* — *Conc. Calced.*

Idem censendum est de officio Primicerij, de quo fit mentio in d.c. 1. d. 25. & extrà in proprio tit. de officio eius; cuius officium magis ad spirituale accedit, pertinet enim ad illum gubernatio Chori, vnde, & Magister Chori dicitur, vnde, aliqui cẽsent, habere aliquam iurisdictionem Ecclesiasti-

12. Officiũ Primicerij iure canonico est etiam prohibitum. *Cap. 1.*

cam, quod si verum esset, natura sua esset inuendibile, propriè verò non habet, vt ibi notat Panorm. sed solùm quandam Magisterij auctoritatem ad minores Clericos instruendos, ad Chorum dirigendum, quod per se non videtur sufficiens, vt ex Iure diuino sit materia Simoniæ, magis quàm officium Cantoris. Nihilominùs tamen non dubito, quin sub dicta prohibitione comprehendatur, imò, & reduci posset ad generalem regulam capit. *Ad nostram*, de Simon. vbi omne ministerium Ecclesiasticum vendi prohibetur, hoc enim ministerium meritò dici potest Ecclesiasticum, nam ad Ecclesiasticam disciplinam, & Oeconomiam quandam magis spiritualem pertinet. Dico autem, posse reduci, saltem posita alia prohibitione Ecclesiæ, quia in rigore, illæ actiones nõ sunt spirituales, nec propria materia Simoniæ ex vi diuini Iuris, vt ex dictis satis constat.

Panor. — C. *Ad nostrã.*

Sed adhuc potest de his muneribus dubitari, an sicut est Simonia prohibita, vendere talia officia, ita etiam sit Simonia similis vendere functiones, vel opera eorum: videtur enim esse par ratio, vel maior, quia magis propinquè videntur actiones annexæ spiritualibus rebus, quàm munia. Si ergo potestas, & Ius ad talia munia aliquo modo facta, est per Ecclesiam spiritualis, hoc ipso, munia illa efficiuntur spiritualia, vel spiritualibus annexa, vt vendi non possint. Nihilominùs dicendum est, opera illa non esse materiam Simoniæ, sed posse in toto rigore iusto pretio æstimari, & vendi seu locari. Probatur, quia sunt merè corporalia, vt dictum est; ergo ex vi Iuris diuini non sunt materia Simoniæ. Nec etiam vendi prohibentur aliquo Ecclesiastico Iure: nam præter suprà tractata nullum est, quod de hac materia loquatur. Et ex illis nihil colligitur: nam loquuntur de ipsis officiis, quæ sunt ex institutione Ecclesiastica, & per potestatem Ecclesiasticæ iurisdictionis conferuntur, & in quibus oportet constituere personas iuxta eorum idoneitatem, & non propter pretium. Multùm etiam refert, quòd hæc munera gratis conferuntur, vt ex emptione illorum non sumatur posteà occasio vexandi Ecclesias, & bona illarum rapiendi. Quæ rationes nõ habent locum in actionibus talium officiorum, pro quibus stipendium debetur, potéstque accipi non solùm per modum sustentationis, sed condignæ recompensationis. Quia prohibitio non est extendenda ad diuersa, maximè vbi tanta rationis dissimilitudo interuenit.

13. An sit Simonia vendere functiones, vel opera horũ officiorum? — Pars negatiua eligitur.

Vltimò dubitari potest, An in vniuersum vendere bona Ecclesiæ, vel quascunque res Ecclesiasticas, sit Simonia, quia prohibita, saltem quando venditio illa iniqua est, & iniusta: simúlq; soluenda est obiectio, quæ contrà dicta sumi potest ex d.c. *Saluator*. Nam in eo generaliter dicitur, *vendere Ecclesiasticam rem, Simoniacum esse*. Et ratio subiungitur. *Quia donum Dei est, res ipsi Ecclesiæ oblata*. Vbi apertè videtur esse sermo de ipsis bonis temporalibus Ecclesiæ, nam omnia illa sunt res à fidelibus oblatæ Ecclesiæ, & deinde post adductũ in exemplũ factũ Simonis, & Petri dãnationem, sic cõcluditur *Quisquis igitur res Ecclesiasticas (quæ dona Dei sunt, quoniam à Deo fidelibus, & à fidelibus Deo donantur, quæ ab eodem gratis accipiuntur, & ideò gratis dari debent) propter sua lucra vendit, vel emit, cum eodem Simone donum Dei possideri pecunia existimat*. Et in reliqua parte capitis hoc ipsum variis rationibus, & testimoniis confirmatur. Potéstque etiam suaderi ex definitione Simoniæ suprà posita; nam illa est venditio rei sacræ, omnia enim bona Ecclesiæ

14. An vendere bona Ecclesiæ sit Simonia, quia prohibita, saltẽ quando venditio est iniusta? — C. *Saluator.*

inter res sacras computantur, & est sacrilega venditio, suppono enim esse iniustam, ergo est sacrilegium commissum per actionem voluntariam, in quo ratio Simoniæ consummatur. In contrarium verò est, quia contra communem sensum Auctorum est, dicere committi veram Simoniam, vendendo possessionem Ecclesiæ, vel eius triticum, aut vestes, etiamsi iniustè id fiat, quia res illa, quæ venditur, merè materialis est, & licet habeat aliquem ordinem ad spiritualia, non sub ea ratione vẽditur, nec ille ordo est vera connexio, quæ faciat rem aliquo modo spiritualem, sed est tantùm ordo ad finem, qui non facit rem inuendibilem, vt dixit D. Thom. d. art. 4. ad 1. Item si tales res propter iustam causam vendantur ab eo, qui potestatem habet, B certum est licitè vendi, vt constat ex toto titulo de Rebus Eccles. alien. vel non, &c. Et ex cap. *Apostolicos* 1. q. 2. Quibus locis etiam forma vendendi præscribitur, ergo signum est, res illas non esse materiam Simoniæ; nam si essent, nec propter bonum finem vendi possent. Denique rapere bona Ecclesiæ, comburere, vel aliter consumere, licet sit sacrilegium, non est Simonia, ergò nec iniustè vendere, nam illa quædam rapina est, vel sacrilegum furtum.

D. Thom. *C. Apostolicos*

15. Opinio quorundam.

Propter hæc, quidam fatentur Vrbanum in eo textu loqui de omnibus rebus, seu bonis Ecclesiæ, non tamen loqui de Simonia vera, & propria, nec quoad hanc malitiã conferre vẽditionem illã cum C facto Simonis, sed solùm quoad originem eius, quę est auaritia, nam hanc radicem habuit in Simone, vt ibidem Vrbanus dicit, & habetur etiam in c. seq. & sæpè in Iure. Quòd autem hæc fuerit Vrbani mens, patet, quia ad hoc declarat, Simonem per ambitionem quæstus, & auaritiam deliquisse: tum etiam quia solùm damnat eos, qui res Ecclesiæ ad propria lucra vẽdunt. Hæc verò interpretatio probari nullo modo potest. Primò quia est contra proprietatem verborum Iuris, vt ostendimus. Secundò quia si licentia illa permittatur, nunquam poterit probari ex Iure aliquã esse propriam Simoniã, maximè quãdo in ipsomet Iure dicitur tale vitiũ propter auaritiam execrabile, quod frequentissimè fit, D vt in c. vlt. eiusdem q. puniuntur, qui præbendas, & similia vendunt, *Interueniente execrabili ardore auaritiæ:* Et subditur infrà, *Quoniam Simoniacum est.* Quis autem dicat, illud vocari Simoniacũ, quia imitatur factum Simonis in radice, non in malitia Simonię? At eodem modo loquitur Vrbanus. Simile argumentum sumitur ex cap. *Ex multis*, ibidem; nam ad damnandam Simoniam, præmittit ibi Alexan. *Ex iniqua concupiscentia fieri concupiscens, &c.* Item ex ca. *Quicquid*, 101. q. 1. ibi. *Pro huiusmodi ambitione.* Melius ex c. 20. eadem caus. & q. Vbi sic ait Greg. *Cùm omnis auaritia, idolorum sit seruitus, quisquis hãc, & maximè in dandis Ecclesiasticis honoribus vigilanter non præcauet, infidelitati subijcitur.* Infidelitatem vocat E Simoniacam hæresim, vt ipse loqui solet. Et similia sunt multa in tit. de Simonia. Quod si absurdũ esset, omnia hæc Iura interpretari de imitatione Simonis quoad auaritiam, non quoad prauitatem Simoniæ, non licet decisionem Vrbani sic exponere, cùm nõ aliter, nec minùs expressè loquatur. Eò vel maximè quòd in Canonibus etiam solet distingui Simonia à sordida auaritia, vt specialiter obseruari potest in Trid sess. 24. c. 14. de Refor. ibi. *Ingressus eos, qui simoniacæ labis, aut sordidæ auaritiæ suspicionem habent, &c.* Vrbanus autem in d. c. non loquitur tantùm de sordida auaritia, sed de illa, quæ in execrabile Simoniæ vitium hominem præcipitat, quam vocauit *execrabilem auaritiæ ardorem*, Innoc. II. in d. ca. vlt.

Reiicitur. Cap. vlt. *C. Ex multis. Alexan.* *C. Quidquid. Cap. 20. Gregor.* *Conc. Trid.* *Innoc. II. Cap. vlt.* *Vrban.*

A eiusdem q. Tertiò omnia, quæ allegat Vrbanus in d. cap. *Saluator*, de vera Simonia loquuntur, & alia etiam Iura, quæ cum illo concordant, vt suprà ostensum est; ergò.

16. Aliorum sententia asserens esse veram Simoniam vendere iniquè bona Ecclesiæ.

Aliqui ergò ex Canonistis, qui de vera Simonia tantùm intelligunt, fatentur esse Simoniam veram, vendere iniquè quæcunque bona Ecclesiæ, dicunt tamen, non esse ex natura rei, sed ex alio Iure prohibente, & ideò non extendi vltrà prohibitionem, & ob hanc causam venditionem iustam temporalium bonorum Ecclesiasticorũ, non esse Simoniã, quia prohibita non est. Et ita facilè soluunt rationes suprà in contrarium obiectas. Ita tenet ibi Præpos. n. 3. cum Archid. ibidem, quem in hoc sequitur Rebuff. in Compend. alienat. rer. Eccles. n. 113. Verumtamen hæc sententia singularis videtur, & aliena à cõmuni mente Doctorum. Nam communiter in Iure sacrilegium specificè sumptum, & Simonia tanquam diuersa vitia ponuntur, iniusta autem venditio rerum Ecclesiasticarum, sacrilegium dicitur in Iure, non Simonia, vt patet ex ca. *Omnes*, cum aliis, 17. q. 4. ergo. Item fur, qui accepit res Ecclesiæ, & postea illas vendit, non committit peccatum specie distinctum ab eo, quòd commisit furando, sed illud repetit, primum autem non fuit Simonia, sed furtum sacrilegum, cap. *Quid ergo* 23. quæstione 4. ergo.

Præpos. Archid. Rebuff. Impugnatur. *Ca. Omnes.* *C. Quid ergo.*

17. Limitatio aliorum explodituꝛ.

Alij ergo limitant textum illum ad res consecratas, seu ita sacras, vt non possint conuerti ad vsus profanos: de quibus videri potest Nauarrus in Cõment. de Spoliis ad caput. *Non liceat* 12. quæst. 2. §. 18. num. 7. & 8. vbi inter alia refert Glossam in capit. *Altare* 1. quæst. 3. quæ dixit, res oblatas ad altare non posse vendi, quia putauit esse ex rebus ita sacris, vt non possint posteà profanari. Quod quidem (vt benè Nauarrus docet) verum non est quoad exemplum, tamen ex illa veluti exceptione rectè colligitur, res sic sacras vendi non posse, alias verò res Ecclesiæ, quæ latiori modo vocantur sacræ, esse vendibiles. De prioribus ergo rebus sacris intellexerunt textum illum antiqui expositores, vt ibi refert Glossa verb. *Ecclesiasticum.* Et videtur sensisse Gratianus, qui in fine illius capitis ait, *Nec circa venditores Rerum sacrarum sufficiant*, Glossa enim ibi, verba illa dicit non esse de textu, quòd si de textu sunt, vt fortasse est verius, magis probarent, & ita etiam sentit Archidiaconus ibi. Sed contra hoc est, quia etiam hæ res pro materiali possunt vendi sine Simonia; item quòd illa expositio non habet fundamentum in textu.

Gloss. *Gratian.* *Gloss.* *Archid.*

18. Authoris sententia, vendere bona Ecclesiæ, etiam sacra, si non venduntur vt sacra, nulla Simonia est.

Dico ergo, vendere bona Ecclesiæ mobilia, vel immobilia, etiam sacra, si non vendantur vt sacra, nec ratione spiritualibus, quam habent, non esse Simoniam, etiam Iure Ecclesiastico prohibitam, vt probant omnia adducta, suprà de hoc satis dictum est. Consequenter igitur asfero, Vrbanum in illo textu non loqui de his rebus secundùm se spectatis, sed de Ecclesiasticis administrationibus, & consequenter de his bonis, quatenus possunt esse materia alicuius Ecclesiastici officij seu ministerij. De his enim officijs ibi præcipuè agit, & iuxta intentionem suam loquitur de Ecclesiasticis rebus. Nam qui vendit verbi gratia *Oeconomiam* Ecclesiæ, vendit rem Ecclesiasticam, nam illud officium, Ecclesiasticum qui est, & consequenter vendit aliquo modo res illas, quę illi administrationi subiiciuntur, quatenus pro pretio alicuius potestati, & regimini illas committit. Et sic etiam Glossa ibi textum exponit de Ecclesiastica administratione, & Glossa in capite, *Si quis obierit*, eadem quæst. Et hoc magis probant Archid.

Gloss. *Archid.*

Præpos.

Præpoſit. & alij, ſolùm nos addimus, Vrbanum ita fuiſſe locutum generali modo de rebus Eccleſiæ & de rebus oblatis, à fidelibus, quia qui adminiſtrationem Eccleſiaſticam vendit, omnia bona Eccleſię quodammodo vendit. Non ergo tractat de venditione bonorum temporaliũ Eccleſiæ, quæ per modum diſpenſationis fieri poteſt ab habentibus poteſtatem: nam hæc non eſt abſolutè prohibita, & licet modus licitus ſit à Iure preſcriptus, tranſgreſſio eius non pertinet ad Simoniam, ſed ad indebitam adminiſtrationem per iniuſtitiam, & ſacrilegium. Nec etiam tractat de venditione talium rerum per iniquam earum occupationem, quæ ad ſacrilegum furtum pertinet, & per ſe magis eſt violenta cõtrectatio rei alienæ, quàm voluntaria negotiatio. Sed loquitur de venditione talium rerum in ordine ad earũ adminiſtrationem, & gubernationem, quę ſolùm fit, vendẽdo eccleſiaſtica officia, vt dictum eſt.

CAPVT XXX.

An pretium ad Simoniam neceſſarium, ſit temporale, vel poſſit eſſe ſpirituale? & conſequenter, An commutare ſpirituale pro ſpirituali ſit Simonia ex natura rei?

1. Incipit explicari tertia diuiſio Simoniæ ex parte pretij.

DIximus de materia Simoniæ, dicendũ eſt iam de pretio: nam cùm Simonia cõmittatur per contractum oneroſum, conſiſtentem in commutatione rei ſpiritualis per modum venditionis, vel æquiualentis contractus, neceſſe eſt, vt ibi pretium interueniat. Et quoniam hoc multiplex eſſe poteſt, & in Iure diſtingui ſolet in varias ſpecies, priuſquã ad illas deſcendamus, neceſſe eſt, vt genus ipſum explicemus. Duo autem in hoc pretio conſiderari poſſunt. Vnum eſt res illa materialis, quæ in cõmutationem rei ſpiritualis datur: Aliud eſt reſpectus, ſub quo danda eſt, vt habeat rationem pretij, quam poſſumus formale pretij appellare. Hæc igitur declarãda ſunt, quoniam hinc pendet multorum dubiorũ de Simonia deciſio; tamen quia formale pretij intelligi nõ poteſt ſine ordine ad pactum, in quo ipſa Simonia cõſummatur, ideò in quarta deciſione ſimul cum ipſo pacto meliùs explicabitur. Hîc ſolùm ſupponimus, ad rationem pretij, non ſatis eſſe, quòd pecunia pro actione ſpirituali detur quocunque modo, etiamſi aliàs non eſſet danda: multis enim modis poteſt licitè dari, & accipi, vt videbimus. Oportet ergo, vt detur in commutationem, & quaſi appretiationem rei, quæ pro pecunia datur, & hanc vim habet particula *Pro*, quando dicitur, Simoniam committi, quando ſpirituale pro temporali datur. Quomodo loquitur Diuus Thomas dicta quæſt. 100. arti. 1. & 2. & ibi Sot. & alij, & benè Nauarrus capit. 23. numer. 100. ver. 4. Imò, & Iura ita loquuntur capit. *Cum in Eccleſia*, capit. *Non ſatis*, capit. *Sicut* 2. de Simon. capit. *Placuit*, cum aliis 1. q. 2. Vbi videri poſſunt Archid. in capit. *Ordinationes*, num. 8. Præpoſit. numer. 5. qui in re idem dicunt. Hoc ergo poſito, in præſenti ſolùm tractamus de re, quæ ad Simoniam ſufficit, ſi pro illa in omni proprietate, & rigore ſpiritualis res detur.

In pretio duo conſideranda, materiale ſcilicet, & formale.

Quid requiratur ad rationem pretij?

D. Thom. Sot. Nauar. Ca. Cum in. Ca. Sicut. Ca. Placuit. Archid. Præpoſit.

2. Status quæſtionis.

Vt ergo ab vniuerſalioribus procedamus, videndum in primis eſt, An res ſpiritualis poſſit habere rationem talis pretij: Sumitur autem hîc res ſpiritualis eodem modo, quo in definitione Simoniæ, & diſtinguitur ab omni re temporali, quæ vel eſt pecunia, vel illa æſtimari poteſt, quia & naturaliter, vel ciuiliter habetur, & ad vſus, & commoditates humanas ordinatur, & vtilitatem habet. Et ita idem eſt quærere, An ſpirituale poſſit eſſe pretium in Simonia, quod quærere, An commutatio ſpiritualis pro ſpirituali Simoniaca ſit: Quod poteſt tractari vel ex natura rei, vel ex Iure Eccleſiaſtico. De hoc ſenſu poſteriori dicemus in ca. ſequenti: hîc in priori loquimur.

3. Opinio aſſerens cõmitti Simoniam ſi detur ſpirituale pro ſpirituali. *Richard.*

Circa hoc igitur aliqui dixerunt, Simoniam eſſe, dare ſpirituale pro ſpirituali, ſi ex vero, & proprio pacto oneroſo fiat. Ita tenet Richard. in 4. diſtinct. 25. articulo 3. quæſtione prima ad primum, vbi duas rationes adducit. Prior eſt, *quia emitur* (ait) *res à non domino*, ſuprà autem oſtendimus, vnam ex radicibus Simoniæ eſſe, quia homo non eſt dominus rerum ſpiritualium, quæ ratio æquè videtur procedere, etiamſi pro re ſpirituali illam conferat. Poſterior ratio eſt, quia eſt contra rationem gratiæ, vt vendatur pro quocunque pretio, etiam ſpirituali, quia eo ipſo non erit gratia. Addit etiam, omnem pactionem in his, eſſe prohibitam in Iure, capite *Tua nos*, de Simonia. Sed hoc in rigore non probat de Iure diuino, de Iure autem Eccleſiaſtico, ſequenti capite dicetur. Idem tenet expreſsè Palud. ibidem, quæſtione ſecunda numero. 15. Supplem. Gab. quæſtion. ſecunda, art. tertio, dubio quarto in fi. Adrianus Quodlib. 9. circa finem ad 4. confir. 2. argum. & ad 5. quia magnam vim facit in verbo Domini: *Gratis accepiſtis, gratis date.* Citantur etiam pro hac ſententia aliqui Canoniſtæ; ſed illi loquuntur fortaſſe de Iure poſitiuo, de quo inferiùs. Poteſt hæc ſententia vlteriùs ſuaderi. Quia ſi licet de præſenti commutare vnam rem ſpiritualem pro alia ſpirituali, licebit etiam in præſenti dare, verbi gratia, Miſſam, dummodo alter obligetur ad dicendum aliam in futurum: conſequens eſt falſum, quia illa obligatio in futurum, eſt pretio æſtimabilis: ergo. Denique licebit alicui dare pretioſa vaſa ſacra; vt mihi conferat ſuum beneficium, loquendo ex natura rei, ſecluſa prohibitione poſitiua: conſequens eſt falſum: ergo. Sequela patet: quia ibi commutatur ſpirituale pro ſpirituali. Minor autem patet, quia in tali commutatione, neceſſariò miſcetur æſtimatio rei ſpiritualis, non ſolùm ratione ſpiritualitatis, ſed etiam ratione materiæ.

Cap. *Tua nos.*

Adrian.

4. Stãdo in Iure diuino pretiũ Simonię debet eſſe quid temporale, neq; ſufficit ſpirituale. *Actor. 8.*

Nihilominùs dicendum eſt primò, pretium Simoniæ, ſtando in ſolo diuino Iure, debet eſſe aliquid temporale, nec ſpirituale ſufficere. Hæc aſſertio eſt communis Doctorum, quos ſtatim referam. Et ſumitur 1. ex Actor. 8. *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri.* Vbi Simoniæ malitia ponitur in commutatione rei ſpiritualis pro pecunia; ſub pecunia autem comprehenditur, quicquid pecunia æſtimatur vt ex Ariſt. 3. Polit. docuit Diuus Thomas dicta quæſtione 100. articulo 2. & 5. Idémque colligi poteſt ex verbis Chriſti, Matth. 10. Vbi poſtquam Chriſtus dixit, *Gratis accepiſtis, gratis date*, Subiungit. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, &c.* tacitè declarant, gratuitam dationem excludere pretium auri, & argenti. Et ita expoſuit expreſsè Hieronymus ibi, & Chryſoſtomus homil. 33. in Matth. ita illa coniunxit, *Nihil poſſideatis, gratis accepiſtis, gratis date.* Et Diuus Thomas ibi exponit: *Gratis date, id eſt, non propter aliquid temporale. Et quia poſſent dicere* (inquit) *Vnde ergo viuemus, ſubdit, Nolite poſſidere, &c.* Et eodem modo exponunt cæteri Patres. Præterea probari poteſt hæc aſſertio ex capite *Ad quæſtiones* de Rerum permutat. Vbi ait Eccleſiam poſſe pro Eccleſia permutari, & temporalem poſſeſſionem

Ariſt. *D Thom.* *Matth 10.*

Hieron. *Chryſoſt.* *D. Thom.*

Cap. *Ad quæſtiones.*

pro temporali possessione, dummodo contractus A non misceantur. Cuius ratio non est alia, nisi quia quando Ecclesia pro Ecclesia datur, nó pro re temporali, datur, sed pro spirituali, quæ non habet rationem pretij: supponit ergo, pretium debere esse rem temporalem. Ratio denique reddi potest, quia indecentia, & malitia in commutatione Simoniaca, nascitur ex improportione inter materialē rem, & spiritualem, vt constat ex dictis suprà hoc libr. cap. 1. & 2.

5. Commutare rē spiritualē cū re spirituali non est Simonia ex vi Iuris diuini. *D Thom. Matth. 10. Durand. Maior. Argent. Soto. Victor. Couar.*

Dico secundò, Commutare rem verè spiritualem pro re verè spirituali, non est Simonia ex vi Iuris diuini, etiamsi cum omni proprietate, & pacto vna res spiritualis pro alia detur. Ita sentit D. Thomas in loco cit. ex Matth. 10. & in 4. distin. 25. quæ- B stion. 3. artic. 3. ad 8. & Durandus ibi quæstione 5. numer. 9. Maior quæstion. 6. Argent. articulo 4. ad 3. Sot. lib. 9. quæstion. 5. articulo 2. Victoria suprà, numer. 17. Licet enim in numer. 8. confusè loquatur, exponendus videtur iuxtà ea, quæ postea expressè dicit. Idem sentit, Couarru. lib. 1. Var. capit. 5. numero 4. Et sequitur apertè ex præcedenti assertione. Primò quia talis commutatio non est prohibita per Christi verba, *Gratis date*, vt ex Patrum expositione constat; ergo signum est, non esse contra Ius diuinum naturale. Secundò quia vbi non est pretium, non est venditio; neque emptio, sed quando datur spirituale pro spirituali, nullum datur pretium; ergo. Dices: Nonne C Isai. 55. dicitur. *Venite, emite absque argento?* Respondeo, ibi potius significari, illam non esse venditionem, nec emptionem humanam, sed aliud genus acquisitionis, in qua licet ab homine aliquid postulatur, non est vera emptio humana. Vnde rectè ibi Hieronymus perinde putat dictum esse, *Emite absque argento*, ac *gratis accipite*, adducens dicta verba Christi, *Gratis accepistis*: & Pauli, *Gratia saluati estis*, Ephes. 2. Et concludit, *Mirum in modum emunt aquas absque pecunia*. Igitur vbi pecunia non interuenit, vel aliquid æquiualens, non est emptio; nec ergo est Simonia. Vnde argumentor 3. Nam per talem commutationem non fit iniuria, vel irreuerentia rei spirituali, sicut non fit D iniuria gratiæ, quòd pro gratia detur, iuxta illud Ioan. 1. *Gratiam pro gratia*. Et ita expeditur obiter secunda ratio Richardi, quia non est contra rationem gratiæ, quòd pro gratia detur. Sicut etiam non est contra excellentiam spiritualis præmij, quòd pro spirituali merito detur; sic ergo nulla fit iniuria rei, vel actioni sacræ, si pro alia simili commutetur. Denique vsus Ecclesiæ, & piorum hoc confirmat, nam spirituales satisfactiones, vel deprecationes inter se commutant, & Curatus postulat à vicino Curato, vt pro se vno, vel alio die Parochiæ suæ inseruiat, repensurus alio die seruitium pro illo in eius Ecclesia. Et similes commutationes in sacrificiis, in audiendis confessionibus, quotidie fiunt.

Obiectio. *Isai. 55.*

Satisfit. *Hieronym.*

Ephes. 2.

Ioan. 1.

Soluitur 2. argumētum Richar.

Neque obstat, quòd non sumus domini spiri- E tualium rerum, quæ erat prima ratio Richardi: tum quia non est hæc completa ratio per se sufficiens ad Simoniam, nisi res spiritualis, vt temporalis æstimetur. Tum etiam quia reuera habemus aliquod dominium (vt c. 2. dicebamus) saltem ratione operum liberorum, quæ in his spiritualibus exercemus, vel ratione materiæ, cui spiritualitas adhæret, vt habere potest homo dominium calicis, rosarij benedicti, aut imaginis. Vnde quoad opera spiritualia, licet non possit homo habere rationem sui laboris, vel operis, & dominij eius, vt illud vendat pretio, quia non est separabile in ven-

6. Respōdetur ad primam rationem Richard.

ditione ab spiritualitate, tamen vt illud commutet pro opere spirituali, potest habere rationem sui dominij commutando opus pro opere, & spiritualitatem pro spiritualitate: in hoc enim non fit permistio, sed totum pro toto commutatur, seruata tamen proportione. Similitérque in rebus sacris potest ita fieri commutatio, vt habeatur ratio ad spirituale, quod in eis est: in quo differt talis commutatio à venditione talis rei: nam in venditione non potest haberi respectus ad benedictionem, in commutatione verò vnius grani benedicti pro alio potest haberi hic respectus, quia possum intēdere dare hoc spirituale pro illo spirituali, & pro grano nō benedicto non darem. Denique esto, non simus domini, sumus dispensatores horum bonorum, præsertim eorum, quæ ab vnoquoque priuatim possidentur, quorum habemus liberam administrationem in his omnibus, quæ vel eorum reuerentiæ, vel superiorū legibus non repugnant. Et ita possumus ea liberè donare quantùm est ex hoc capite. Ita ergo possumus illa inter se commutare, quia hæc cōmutatio horum bonorum, quædam dispensatio illorum est, & quando spirituale pro spirituali commutatur, nulla est indecentia, nec prohibitio ex lege diuina, & ideò nisi intercedat lex humana, nulla est ratio Simoniæ.

Ad fundamentum Adriani iam responsum est. 7. Soluitur prima confirmatio. Ad 1. verò confirmationem à nobis additam respondetur, tribus modis posse fieri hanc commutationem. Primò si intercedat mutua obligatio ad aliquid spirituale pro alio faciendum, & tunc spirituale datur pro spirituali, & obligatio pro obligatione, & sic seruatur proportio. Secundò, si tantùm intercedat reciproca traditio de præsenti rei sacræ pro sacra, seu actionis spiritualis pro actione. Tertiò si vnus statim dat, vel facit, vt alter postea recompenset, & tunc dicunt aliqui, commutationem fieri inter res spirituales, obligationem autem eius, qui statim rem non exhibet, non esse pretium rei spiritualis, quam accipit, sed necessariam quandam conditionem, quæ ex dilatione Instantia. solutionis nascitur. Sed instari potest ex materia de Vsura: nam sequitur, posse exigi ab alio propter mutuum, vt se obliget ad mutuandum in futurum. Sequela patet, quia etiam ibi dicam, mutuum presens non dari nisi pro mutuo futuro: obligationem autem non esse pretium mutui, sed necessariam conditionem, quæ ex dilatione alterius mutui sequitur. Addendum ergo est in præsenti materia, illam obligationem etiam reputari quid spirituale, & propterea non esse pretio æstimabilem, per se loquendo, quia tanquam omninò vnum cum re spirituali tradenda, vel facienda computatur. Sicut quando quis ex mutuo manet obligatus ad soluendum, non est obligatio æstimabilis distincto pretio ab ipso capitali. Quia ergo hîc pretium spirituale (vt sic dicam) postea soluendum spirituale est: ideò etiam obligatio, quæ ex commutatione intrinsecè nascitur, tanquam spirituale quid reputanda est, vt in superioribus dixi. Vnde in prædicto casu nō posset pretio redimi, aut vendi sine Simonia. Quòd autem interdum possit esse temporaliter onerosa, accidentarium est: semperque intelligendum est, obligare sine graui incommodo.

Ad vltimam confirmationem de commutatione 8. Commutare beneficium pro calice pretioso, respondeo, negando sequelam: est enim talis commutatio Simoniaca ex natura rei, quia reuera non spirituale pro spirituali, sed tēporale pro spirituali datur. Vnde oportet in hac commutatione maximè obseruare, an commu-

pro calice Simonia est ex natura rei.

commutatio fiat inter res merè ſpirituales, vel inter A
res miſtas ex ſpirituali, & temporali: nam in prioribus nullum eſt periculum Simoniæ ex parte materiæ, quia licet contingat vnam eſſe digniorem alia, ſemper ſunt eiuſdem ordinis, vt ſi duo Sacerdotes conueniant, Ego tibi pœnitentiam miniſtrabo, tu da mihi Euchariſtiam, & ſic de ſimilibus. In aliis verò miſtis aliquid poteſt eſſe periculi, ne fortaſſe exceſſus in re temporali per ſpiritualem compenſetur, vt ſiquis roſarium benedictum pretioſæ materiæ, tribuat pro vili, quia habet maiores indulgentias, non carebit labe Simoniæ, nam cenſeretur emere ſpirituale, & alter vendere. Oportet etiam ſeruare proportionem, quia temporale poteſt eſſe annexum ſpirituali antecedenter, & conſequenter, & quando temporale ſe habet antecedenter, ſemper eſt per ſe vendibile, non verò quando ſe habet conſequenter, vt ſuprà dictum eſt. Hinc ergo fit, vt ſacrum pro ſacro, ſi in vtroque temporale eſt annexum antecedenter, optimè commutetur, vt calix, pro calice; & tunc ſi in materia ſit inæqualitas, poteſt fieri pecunia recompenſatio, quia tota materia vendi poſſet: ſi verò in ſpirituali ſit inæqualitas (ſicut de indulgentiis dicebamus) nulla poteſt intendi recompenſatio, ſed gratis condonandus eſt exceſſus. At verò ſi commutarentur ſpiritualia, quæ habent temporalia annexa conſequéter (etiam ſecluſa prohibitione Eccleſiæ) licet in tẽporalibus eſſet inæqualitas: non poſſet temporali pretio compenſari, quia neceſſariò emeretur ſpirituale, à quo pẽdent, iuxta ſuperiùs dicta, quæ etiam C
latius ſequenti capite dicemus. Atque hinc fit, vt ſpirituale, cui antecedẽter eſt annexum temporale, commutari non poſſit, etiam ex natura rei pro ſpirituali, cui ſunt annexa temporalia conſequenter, vt calix pro beneficio. Quia quando temporale antecedenter ſe habet, id quod primò, & quaſi fundamentaliter datur, eſt temporale, quod etiam in tali re eſt vendibile, in alia verò re, in qua temporale eſt conſequens ac ſpirituale, quod primò, & per ſe datur, eſt ſpirituale; & ita tunc emeretur ſpirituale vnius pro temporali alterius. Oportet ergo ſeruare proportionem, ita vt vel ſpiritualia, quæ commutãtur, pura ſint, vel ſi habeant temporale annexum, in vtroque ſit antecedenter, vel in vtroque conſequenter, & vt non miſceatur compenſatio tempo- D
ralis pro ſpirituali.

9. Vana iudicatur illa quæſtio, an poſſit cum Deo Simonia cõmitti.

Tandem ex dictis intelligi poteſt, vanã eſſe quęſtionem, an poſſit cum Deo ipſo Simonia cõmitti, offerendo illi aliquod temporale opus ad emendũ ab ipſo ſua dona, vel mirabilia opera, vt ſanitatem extraordinario modo reſtitutam propter eleemoſynam, vel aliquid huiuſmodi. Certum eſt enim in his promiſſionibus, & quaſi pactis ſeu votis conditionatis cum Deo, vel Sanctis, nullam eſſe poſſe Simoniã. Tum quia id, quod offertur ſemper eſt ſpirituale obſequium, nam licet opus promiſſum, vel bona materialia, & temporalia videantur, offeruntur ſemper vt ſpiritualia obſequia; & ita ſemper, ſpirituale pro ſpirituali commutatur. Tum etiam, quia nec ibi eſſe poteſt Simonia realis, vel conuen- E
tionalis ſecũdùm rem, cum Deus ſit Dominus omnium, & poſſit de omnibus diſponere, prout voluerit, nec etiam ex parte hominis poteſt eſſe mentalis, vel attentata Simonia; ſicut fuit in Simone Mago, quia etiam petit ab omnium Domino, & cum eo negotiatur, & illi offert dona ab ipſo accepta, non vt materialia pretia, ſed vt ſpiritualia obſequia; vel etiam poteſt offerre vt merita, vel vt ſatisfactiones, aut de congruo, aut de condigno, & obligationem ad illa etiam offerre poteſt vt ſpecialem cultum Re-
ligioſum. Nec poteſt quis eſſe tam ſtolidus (niſi ſit infidelis valdè ruſticus) qui putet aliter poſſe à Deo emi eius beneficia, vt illi offerat pecuniam, vel aliquid æquiualens in pretium. Quapropter nulla diſtinctione hic opus eſt, nec maiori diſcuſſione. Nec oppoſitum dixit Innoc. qui citari ſolet in c. *Scriptura* de voto: nam licet priùs in contrarium argumentetur, poſteà veritatem ſtatuit, quam ibi Abbas, & alij ſequuntur. Et fortaſſe in ſequenti volumine agentes de voto plura de hoc puncto dicemus.

Innoc. C. *Scriptura.* *Abbas.*

CAPVT XXXI.

Vtrùm in ſpiritualium commutationem, præſertim beneficiorum, poſſit vera Simonia committi, ſaltem contra Eccleſiaſticum Ius?

VIderi poteſt, non eſſe poſſibilem talis Simonię modum, quia non poteſt eſſe Simonia, niſi verum pretium interueniat; ſed per Ius poſitiuum fieri non poteſt, vt res ſpiritualis habeat veram rationem pretij; ergo nec poteſt fieri, vt talis commutatio ſit Simoniaca. Maior patet ex dictis, quia ſine pretio non eſt venditio, nec ſine venditione Simonia. Minor etiam patet, quia de ratione pretij eſt, vt ſit res temporalis, & materialis, vt etiam oſtenſum eſt. Et declaratur, quia ſi res illa, pro qua altera ſpiritualis datur, in ſe non eſt pretio æſtimabilis, iam nõ æſtimatur pretio res altera, quæ pro illa datur, & conſequenter ibi non interuenit deformitas Simoniæ. At Eccleſia per ſuam prohibitionem non poteſt facere, vt res ſpiritualis temporalis fiat, vel pretio æſtimabilis, ergo nec poteſt facere, vt commutatio rerum ſpiritualium inter ſe cum proportione facta, ſit Simonia. Atque hanc partem defendit Durandus; cum quo c. 8. diſputatum eſt.

1. Proponitur pars negatiua.

Durand.

Aliunde verò apparet ex Iure Eccleſiaſtico factum eſſe, vt omnis commutatio rei ſpiritualis pro alia etiam ſpirituali, Simoniaca ſit. Probatur, quia in Iure omnis pactio in diſtributione, ſeu traditione ſpiritualium rerum prohibetur; ergo etiam pactio de dando ſpirituali pro ſpirituali prohibita eſt quia Ius non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus. Antecedens conſtat ex cap. vlt. de Pactis, & ex c. *Prætereà*, 2. de Tranſact. cap. *Tua nos*, de Simon. cum ſimilibus: in quibus omnis pactio in ſpiritualibus abſolutè, & ſimpliciter improbatur. Atque hanc ſententiam docuerunt aliqui Canoniſtæ in dicto capite vltimo de Pactis, vt Cardinal. Imol. Anton. Tribui etiam ſolet Nauar. dict. cap. 23. num. 100. verb. 2. Sed reuera illam non docet, vt videbimus.

2. Sententia omnem cõmutationem rei ſpiritualis pro alia Simoniacam eſſe ex Iure Eccleſiaſt.

Cap. vlt. C. *Prætereà.* C. *Tua nos.* *Cardin.* *Imol.* *Anton.* *Nauar.*

Dico ergo 1. Non repugnat, commutationem ſpiritualis pro ſpirituali aliter factam, quàm legibus Eccleſiaſticis permiſſa ſit, verè, ac propriè eſſe Simoniacam, ſolùm quia contra Eccleſiæ prohibitionem ſit. Hanc aſſertionem tradidimus ſuprà cap. 8. in generali, hic verò ad particulares materias applicanda eſt. Illam ergo docet Nauar. dicto ver. 2. refertque pro illa Sylueſtrum verb. *Simonia*, q. 13. ver. 4. Angel. *Simonia* 3. num. 3. Idem tenet Sylueſt. verb. *Permutatio*, 2. q. 4. Et in beneficiis id docent communiter Canoniſtæ in capit. *Quæſitum*, de Rerum permut. & in capit. *Ex parte* 1. de Officio delegat. Et ſumitur ex D. Thom. dicta quæſt. 100. art. 1. ad 5. Tenet Palud. 4. diſt. 25. quæſt. 5. Et idem ſentiunt Maior, Richard. Argent. & alij, ſolo Durãdo excepto. Sot. dicta quæſt. 5. art. 2. Victor. dicto num. 17. Qui omnes ferè in beneficiis loquuntur,

3. Nõrepugnat hanc cõmutationem eſſe Simoniacam ſolùm quia fit contra prohibitionẽ Eccleſiæ.

Nauar. *Sylueſt.* *Angel.* *D. Thom.* *Palud.* *Maior.* *Richard.* *Argent.* *Sot.* *Richard.*

& ab illis sumi potest generale argumentum. Nam beneficium Ecclesiasticum simpliciter est quid spirituale, & ideò commutatio vnius pro alio si purè fiat, id est sine adiectione, vel reseruatione alicuius temporalitatis, sed simpliciter vnum pro alio conferendo, ex vi solius Iuris diuini, Simonia non est, iuxtà dicta in cap. præced. Et nihilominùs per Ecclesiam facta est Simoniaca, si absque auctoritate Prælati per solam pactionem priuatorum beneficiatorum fiat, vt nunc supponimus, & in sequenti assertione ostendemus; ergo.

4. Enodatur dubium circa commutationem beneficiorum.

Sed fortasse aliquis dubitabit in hoc exemplo, quia permutatio beneficiorum priuata auctoritate non tantùm Ecclesiastico Iure prohibita est, sed etiam diuino, supposita tali beneficiorum institutione, quia beneficium ex natura sua, quam habet à tali institutione, postulat auctoritatem superioris, vt alteri conferri possit. Sed hoc non obstat nam aliud est, considerare impossibilitatem, vt sic dicam, translationis beneficij in aliud, & receptionem beneficij alterius priuata auctoritate, aliud verò est considerare pactionem, & permutationem priuatorum inter se. Nam prior actio, vel potiùs conatus per se, & natura sua illicitus est, & sacrilegus. Tum quia illo spiritualia indignè tractantur, & vsurpantur, ac conferuntur, totúmque factum irritum est natura sua. Tunc etiam quia est iniustitia vsurpatæ iurisdictionis; nam beneficiorum collatio, & institutio, ad solum Prælatum ratione iurisdictionis suæ pertinet. Tamen in eo, vt sic, non est Simonia, quia ibi non consideratur ratio venditionis, vel permutationis, sed iniquæ intrusionis. Est ergo illud sacrilegium alterius rationis contra diuinum Ius, supposita institutione, quã suo Iure postulat beneficiorum finis, & natura. At verò sine hoc sacrilegio posset intelligi commutatio vnius beneficij pro alio ex conuentione partium inter se, obtinendo postea collationem, & institutionem à Prælato, nec sciente, neque approbante contractum permutationis inter ipsos factum, & in hoc dicimus, non inueniri Simoniam contra Ius diuinum, & fatentur omnes Doctores citati, & alij quos referemus, & probant adducta, superiori cap. Et solet confirmari, quia si illa permutatio esset de se mala, etiam nunc fieri nõ posset auctoritate Prælati, quod falsum esse constat. Sed quantam vim hoc habeat statim dicemus. Sic ergo exemplum illud rectè probat conclusionem.

Cõmutatio vnius beneficij pro alio ex sola conuẽtione partium inter se nõ est Simonia cõtra Ius diuinum.

Sed vlteriùs considerari potest in hoc exemplo, & similibus, in quibus temporalia sunt spiritualibus cõnexa, specialem rationem inueniri, ob quam in eis meritò fieri possit prohibitio, quæ non inuenitur in aliis spiritualibus rebus, vnde inferri posset videtur, non esse assertionem extendendam ad materias purè spirituales. Declaratur, quia in beneficiis licet titulus sit spiritualis, prouentus sunt temporales, & sunt ita spiritualibus functionibus annexi, vt ex illis necessitate quadam dimanent, vnde facilè fieri poterit, vt in commutationibus talium spiritualium rerum maior ratio temporalium, quam spiritualium habeatur. Quod aliquo modo derogat spiritualium dignitati, & conuenienti administrationi, & saltem habet speciem mali, quæ ab omnibus Christianis cauenda est dicente Paulo 2. Thessal. 5. *Ab omni specie mali abstinete vos*, maximè verò hoc seruandum est Ecclesiasticis personis. & in pertractandis spiritualibus rebus. Atque ideò meritò potuit Ecclesia illam permutationem prohibere intuitu Religionis ad cauendam illam mali speciem, vt dixit Pontifex in cap. *Audiuimus* 4. de Sim. In aliis autem materiis purè spiritualibus non habet locum hæc ratio, neque ex parte vnius rei, pro qua altera datur, potest aliquid temporale considerari, ratione cuius fiat prohibitio, præsertim in ordine ad vitandam Simoniam, vel periculum, aut speciem eius. Et ita in permutatione earum non videtur habere posse locum Simonia, quia prohibita. Ad hoc autem facilè possemus concedere totum, quod infertur. Ideò enim in assertione indefinitè locuti sumus, solùmque diximus, non repugnare; nam ad hoc satis est, quod in aliqua materia spirituali possit habere locum talis Simonia, nec est necessarium, vt ad omnem materiam extendatur. Addo verò potestatem Ecclesiasticam ad prohibenda pacta, & commutationes inter spiritualia, de se vniuersalem esse, & in quacunque materia posse illas prohibere, si sufficiens ratio occurrerit ad prohibitionem faciendam; sine tali enim ratione, nec operatur illa potestas, quia lex debet esse rationabilis, nec potestas data est in destructionem, sed in ædificationem. At verò si abusus aliquis introduceretur per commutationem aliquarum functionum purè spiritualium, vt absolutionem pro absolutione præstando, vel quidpiam simile, meritò posset Ecclesia talem commutationem prohibere, vt per se constat. Et fortasse talis prohibitionis transgressio ad Simoniam etiam pertineret, vt paulò inferiùs dicam.

Resoluitur.

5. An sit aliqua peculiaris ratio, vt fiat prohibitio in spiritualibus quibus temporalia sunt annexa, & nõ in aliis spiritualibus?

2. Thess. 5.

Cap. *Audiuimus.*

6. Permutatio beneficiorũ propria authoritate facta, est vera Simonia, quia prohibita. C *Quæsitum.* C. *Cùm olim.* C. *Maioribus*

Dico secundò, Permutatio vnius rei spiritualis pro alia spirituali in beneficiis Ecclesiasticis, & in his, quæ illa concernunt, prohibita est per Ecclesiam, si propria auctoritate fiat, & sic facta, veram Simoniam continet, quia prohibita. Prima pars satis ex Iure constat, & ita in illa nulla est controuersia: capit. *Quæsitum cùm olim*, de Rerum permut. cap. *Maioribus*, de Præbend. Vbi de sola permutatione dignitatum sermo est, verumtamen in aliis Iuribus declaratur, seu extenditur ad omnia beneficia. Et ita etiam intelligitur generalis regula in c. vlt. de Pactis, quòd in his spiritualibus omnis pactio prohibita est, permutatio enim quædam pactio est, vt constat.

7. An permutatio beneficiorum sine interuentu pecuniæ, sit Simonia ratione prohibitionis Ecclesiast. Pars negatiua.

Difficultas verò est in posteriori parte assertionis, an talis permutatio beneficiorum simpliciter facta, & sine interuentu pecuniæ, vel alterius temporalis æquiualentis, sit vera Simonia ratione Ecclesiasticæ prohibitionis. Quidam enim contendunt, quòd licet sit mala, quia prohibita, non tamen est Simonia. Quod iuxtà opinionem Durandi suprà tractatam capite octauo, rectè diceretur, tamen præter illum citantur pro hac sententia Sot. libro 9. de Iust. quæst. 7. artic. 2. & Couarruuias libro 1. Var. cap. 5. num. 4. & 5. Sed neuter ibi tractat de hac re, sed de renunciatione beneficij sub conditione, & quia putant non esse Simoniacam, putant etiam non esse illicitam, nec prohibitam, vt infrà videbimus. Neminem ergo inuenio hanc opinionem tenentem præter Durandum, & vix potest defendi, nisi iuxtà illius sententiam. Nihilominùs aliqui viri docti dixerunt, licet possit dari Simonia de Iure positiuo, non tamen in hac materia permutationis beneficiorum, quia in ea non datur temporale pro spirituali. Sed ad hoc iam à nobis responsum est, habere temporale admistum, & ratione illius posse esse fundamentum Simoniæ prohibitæ. Contra hoc verò instatur, quia in beneficio, temporale est accessorium, spirituale principale; at in rebus, vel actionibus, accessorium in considerationem non venit, sed sequitur principale, leg. 1. ff. de Auctor. tutor. ergo. Et confirmatur, quia si hæc permutatio esset Simoniaca, non posset

Durand. Sot. Couar.

Leg. 1.

poſſet auctoritate Epiſcopi fieri, quia non poteſt ille diſpenſare in Iure communi, quod eſt Ius Superioris; at poteſt licitè fieri Epiſcopi auctoritate: ergo non eſt *Simonia*, quia prohibita.

8. Pars affirmatiua eligitur. *Paluā. Richard. Mai. Argen. Sot. Victor. Anton. Rebuff. Vgolin. Redoan.* C. *Cùm olim.* C. *Quæſitum.*

Nihilominùs contraria ſententia communis eſt, & omninò vera. Illam enim tenent ex Theologis Paludanus, Richardus, Maior, Argent. Sot. & Victor locis citatis in prima aſſertione: & Summiſtæ omnes, & Canoniſtæ ibidem allegati, & Anton. 2. part. tit. 1. cap. 5. §. 8. Rebuff. in Pract. 3. part. titulo de Permutatione num. 52. Vgolin. Tab. 1. capit. 27. Redoan. tit. de Simon. part. 3. capit. 3. & 13. Probaturque primò ex capit. *Cùm olim*, de Rerum permut. & Clericus in cap. *Quæſitum*, eod. ibi, *Præſertim pactione præmiſſa, quæ circa ſpiritualia, vel connexa ſpiritualibus, labem ſemper continet Simoniæ.* Reſpondent aliqui illud eſſe verum, quando permutatio fit pactione præmiſſa. Sed interrogo, de qua pactione ſit ſermo, an de pactione dandi aliquid temporale vltra beneficium, vel de pactione, & conuentione dandi vnum beneficium pro alio. Primum dici non poteſt iuxta mentem Pontificis in illo textu, quia nec de hoc erat quæſitum, ſed ſolùm, *An commutationes fieri valeant præbendarum*: nec pro ratione dubitandi afferebatur, quòd dandum erat aliquid temporale, ſed ſolùm quòd in Concilio Turon. capite *Maioribus*, de Præbend. tantùm inter dignitates videbatur prohibita permutatio. Vnde etiam intelligitur, ſolùm ibi de permutatione mala, quia prohibita, fuiſſe interrogatum Pontificem. Debet autem Reſponſio eſſe interrogationi proportionata. Non ergo agitur ibi de alio pacto, in quo temporale detur pro ſpirituali; nam hæc Simonia contra Ius diuinum eſt, vnde nullum verbum ibi reperitur, quo tale pactum ſignificetur. Ergo pactio illa non eſt, niſi de pura commutatione vnius beneficij pro alio, ergo illa eſt Simoniaca, iuxta illum textum.

Conc. Tur. C. *Maioribus*

9. Dubiũ circa Pontificis verba.

Dices. Quid ergo vult Pontifex ibi, cum ait, *Generaliter teneas, quòd commutationes præbendarum de Iure fieri non poſſunt, præſertim pactione præmiſſa?* nam ſi pactio tantùm eſt de pura permutatione, ſuperfluè additur illud, *præſertim*, &c. quia impoſſibile eſt fieri permutationem ſine pactione, quia permutatio, contractus quidam eſt, & omnis contractus eſt pactio. Reſpondeo fortaſſe illud verbum ſolùm fuiſſe additum ad explicandum, in quo conſiſtat deformitas illius permutationis factæ ſine auctoritate Epiſcopi, quia fit in vi pacti, vel certè dici poteſt, permutationem dupliciter poſſe fieri, primò ſolo facto dando, & recipiendo ſine alia pactione, vel quòd etiam fiat pactio per mutuam obligationem in futurum; & vtraque permutatio eſt illicita, & Simoniaca, ſed poſterior eſt magis clara, & deterior, quia plures obligationes includit. Quæ diſtinctio poteſt intelligi ex lege *Ex placito*. Codice de Rerum permutatione, vbi priùs dicitur, ex placito permutandi, re non ſecuta, actionem non competere. Et ſubditur, *Niſi ſtipulatio ſubiecta ex verborum obligatione quæſierit partibus actionem.* Sic ergo poteſt eſſe permutatio ſine pacto, & cum illo.

Leg. *Ex placito.*

10. Aliter confirmatur aſſertio.

Poſſet item perſuaderi aſſertio ex dictis ſuprà contra Durandum, ſi pro fundamento ſumeret cõtraria ſententia, nullam dari Simoniam contra Ius poſitiuum, ſi autem admittatur aliqua Simonia cõtra Ius poſitiuum non video, quo modo poſſit negari, in hoc facto prohibito reperiri. Nam ſi pro beneficio, vel alia re ſpirituali detur res merè temporalis, iam Simonia non eſſet contra Ius humanum, ſed contra diuinum. Quando ergo in materia beneficiali poteſt eſſe Simonia, quia prohibita? Reſpondent, quando id, quod datur, eſt merè temporale, ſed modus dandi non eſſet ſufficiens ad Simoniam, niſi prohiberetur. Sed hinc ſumo argumentum ſatis efficax. Nam ſi lex facit modum ſufficientem ad Simoniam, qui de ſe non erat, cur non poterit etiam facere vt res, quæ de ſe non erat ſufficiens ad pretium ex natura rei, ex prohibitione, & quaſi taxatione legis ſit ſufficiens ad commutationem Simoniacam? Certè non poteſt reddi ratio, quæ ſatisfaciat.

11. In hac materia non diſtinguitur il licitum, quia prohibitũ, & Simoniacũ.

Sed præterea oſtendo ex principiis ſuprà poſitis in hac materia, & in hac actione non diſtingui illicitum, quia prohibitum, & Simoniacum ex eodem capite. Et argumentor in hunc modum: illa permutatio, & pactio eſt illicita in materia ſpirituali contra Religionem, ſolùm ratione voluntariæ pactionis, & commutationis, ergò eſt Simonia. Antecedens ſupponitur ex dictis contra Durandum, quia illa tranſgreſſio non eſt formaliter contra obedientiam, nec contra iuſtitiam, ſed ſumit ſpeciem ex materia, vnde neceſſariò eſt contra Religionem. Quòd autem deordinatio non aliunde, quàm ex prohibito pacto oriatur, per ſe euidens eſt & ex dictis Iuribus, & ex capit. *Cum vniuerſorum* de Rerum permut. Conſequentia verò probatur, quia illa eſt quædam irreligioſitas, & non poteſt ad aliam ſpeciem vitiorum contrà Religionem pertinere. Suppono enim, reſignationem beneficiorum fieri in manibus Prælati; & ab ipſo conferri, tamen ex pactione præcedente, de qua nulla mentio facta eſt, ibi ergo non interuenit iniuria, neque aliqua malitia contra diuinum Ius, tota ergò malitia conſiſtit in pacto prohibito per Eccleſiaſtica Iura. Iam ergo probatur conſequentia, quia Simonia non eſt aliud, quàm irreligioſitas circa res ſacras, & ſpirituales, ſeu ſacrilegium commiſſum per iniquam negotiationem circa illas. Et diſcurrendo per alias ſpecies irreligioſitatis facilè conſtabit in nulla alia ſpecie vitij contrà Religionem poſſe collocari. Et propterea mihi valdè probabile eſt, quòd ſi de facto eſſet prohibita per Eccleſiam pactio, & commutatio inter aliqua merè ſpiritualia, ita vt illa eſſet mala, quia prohibita, neceſſariò eſſet quædam Simonia, quia eſſet peccatum contra Religionem, & contra debitum modum contrectandi res ſacras, & non per furtum, nec per alias actiones ſacrilegas, ſed per negotiationem prohibitam circa illas, vt ſpirituales ſunt. Vnde hoc exiſtimo in rigore ſufficere poſſe ad rationem Simoniæ, ſaltem de poſſibili. Ideóque cum communiter dicitur Simoniam non interuenire, niſi cum datur temporale pro ſpirituali, intelligitur ex natura rei, & ſtando in diuino Iure, abſolutè verò extendi poteſt ad omnem commutationem de re ſpirituali, quæ in reuerentiam eius fieri prohibeatur.

C. *Cùm vniuerſorum.*

Valdè probabile eſt, ſi de facto eſſet prohibita ab Eccleſia cõmutatio inter merè ſpiritualia, talẽ commutationem eſſe Simaniacam.

12. Lõgè id certius eſt, quãdo prohibitio fit in rebus ſpiritualibus ratione tẽporalitatis quam inuoluunt.

Sed quicquid de hoc ſit (quòd magis poteſt eſſe dubium) longè certius id eſt, quando commutatio eſt prohibita ad vitandam ſpeciem, & occaſionem Simoniæ, quæ eſſe poteſt in tali materia ratione temporalitatis, quam inuoluit, vt paulò anteà declaraui. Et ampliùs ſuaderi poteſt, quia ex parte materiæ Simoniæ, non ſolùm eſt ſufficiens materia Simoniæ res in ſe verè ſpiritualis, ſed etiam res temporalis annexa ſpirituali, quando per legem Eccleſiaſticam conſtituta eſt, vt ſic dicam, in illo ordine per prohibitionem, & quaſi annexionem poſitiuam. Ergo & è contrario res ſpiritualis habens annexam temporalem, poteſt ratione illius prohiberi in commutationem alterius rei ſimilis adduci, & conſequenter cõſtitui tanquam ſufficiens pretium ad Simoniam conſtituendam. Atque ita factum eſt in bene

in beneficiis, vt declaraui. Neque obest quòd temporale in beneficio sit accessorium, quia licet ex natura rei accessorium sequatur principale, si ordo non peruertatur, homines tamen sæpe abutuntur his rebus, & magis amant accessorium, quàm principale, & ideò morale periculum est, nequando videntur principale pro principali permutare, potiùs pro accessorio permutent. Meritò ergo lex Ecclesiastica potuit huic malo prouidere, & ita prohibere illam permutationem, ac si spiritualia, quæ ibi sunt principalia, pro temporalibus, quæ sunt accessoria, darentur. Et ita in genere loquendo de Simonia de facto prohibita diuino Iure, vel humano, dicendum est, pretium, vel quasi pretium, quod in illa interuenit, esse rem temporalem, vel nudam, vel coniunctam rei spirituali, si per Ecclesiam prohibita sit, in talem commutationem adduci.

13. Soluitur cõfirmatio oppositæ sententiæ.

Et per hæc satisfactum est principali motiuo alterius sententiæ. Confirmatio autem nullam habet difficultatem, quia ipsa lex prohibens permutationes has priuatim factas, concedit vt auctoritate Episcopi fieri possint, vt videbimus capite sequenti. Et ideò dum ita fit permutatio, non dispensat Episcopus in lege Pontificia prohibente permutationem, quia lex non prohibuit talem permutationem. Denique vt disputatio hæc non de solo modo loquendi, nec in sola speculatione sistere videatur, quòd ad praxim attinet non parùm referre potest, vt infrà agendo de pœnis videbimus. Et ideò verius censeo in foro saltem Ecclesiastico, talem permutationem cum pactione occulta tanquam veram Simoniam Iure censeri. Ita enim loquuntur Iura, & omnia Pontificia rescripta, & Doctores communiter, à quibus vsus vocum in propria arte sumendus est. Et consequenter etiam in ordine ad forum pœnitentiæ lapsus hic tanquam Simoniacus reputandus est. Nam si Simonia circa beneficia esset reseruata, sine dubio hæc etiam comprehenderetur sub tali reseruatione, & sic de aliis ad illud forum pertinentibus. Ac denique in confessione huius peccati clarum est, non posse aliter, quàm vt Simoniam, in confessione declarari, & ita credo esse in vsu omnium.

Permutatio hęc cum pactione occulta, Simoniaca censenda est.

14. Simonia est cõtra Ius positiuum cõmutationes facere in prouisionibus beneficiorũ.

Et ex his colligitur, esse Simoniam saltem contra Ius positiuum commutationes facere in actionibus pertinentibus ad prouisiones beneficiorum, quæ à potestate, vel Iure aliquo spirituali procedunt, vt, verbi gratia, cùm duo electores ita pacisc̃untur, Tu elige hunc, & ego eligam illum, vel electo cum confirmatore, vel etiamsi electio, vel confirmatio pro collatione alicuius beneficij, vel promissione illius fiat, iuxta caput *De hoc*, de Simon. Imò etiamsi Patronatus præsentationem offerat, si alter sibi renunciet beneficium. Ita sentiunt Doctores citati. Et colligitur apertè ex dictis Iuribus, & ex aliis, quæ in vniuersum prohibent pacta in his materiis capit. *Cùm pridem*, & capit. vltim. de Pactis cum similibus. Ratio verò est, quia licet hîc videatur spiritualis functio pro spirituali commutari, tamen moraliter loquendo, & præsumptione, vt sic dicam, non æstimatur vt quid spirituale, sed vt via, & medium ad lucrum temporale, & ideò meritò tales commutationes ab Ecclesia prohibitæ sunt. Item Iura prohibent similia pacta intra ea, quę connexa sunt spiritualibus, sed hæc omnia sunt beneficiis annexa, nam ad illa ordinantur, & ab eis æstimationem habent, est ergo hæc commutatio prohibita, & consequenter est Simonia, quia prohibita, quia ex materia statim resultat hæc malitia, quod eodem modo declarandum, & probandum est, sicut de beneficiis diximus.

Ç. *De hoc.*

C. *Cùm pridẽ Cap. vlt.*

Secundò infero, doctrinam hanc extendi ad omnia spiritualia, quæ habent temporalia annexa consequenter, etiamsi propriè, & in rigore, beneficia non sint, vt quia non sunt perpetua, vt, v.g. si beneficium pro vicaria etiam amouibili ad nutum permutetur, vel quid simile. Probatur primò, quia est eadem ratio malitiæ, & prohibitionis, vt constat. Secundò quia in dicto c. *Quæsitum* dicitur, esse prohibita pacta omnia in his etiam, quæ spiritualibus annexa sunt, quòd maximè intelligendum est, vt statim dicam, in his, quę sunt annexa consequenter, quia habent eandem rationem, idémque fundamentum Simoniæ, si per respectum ad temporalia commutentur.

15. Ita sentiendũ de aliis spiritualibus, quę habent temporalia annexa cõsequenter, licet beneficia non sint.

C. *Quæsitum.*

Tertiò infero, etiam esse Simoniam prohibitam, permutare beneficium pro Iure quasi inchoato ad aliud beneficium, siue per præsentationem, siue per nominationem comparatum sit, vt siquis det vni beneficium, vt cedat præsentationi, quam ad aliud beneficium habet, vel simile. Hoc etiam videtur clarum propter easdem rationes, quia tunc beneficium nõ confertur purè, nec sine pacto. Tum etiam quia sicut præsentatio actiua non potest pro beneficio permutari, quia est annexa beneficio, ita nec præsentatio passiua, quia etiam est suo modo connexa, & ab illo habet æstimationem, quam habere potest. Atque ita sensit Franc. in cap. 1. de Rer. per. in 9. ibidem Ioan. Andr. Sylvest. verb. *Permutatio*, quæst. 13. Nauar. in Cons. 43. de Simon. qui aliam rationem adducunt, de qua statim dicetur. Contrarium verò huius illationis sentit Gloss. in cap. *Ad audientiam* 2. de Reser. & ibi Panormitanus numero sexto. Loquuntúrque in eo casu, in quo aliquis renunciat literis Apostolicis de obtinendo beneficio, cum pacto suscipiendi beneficium. Et fundantur in hoc, quod per tales literas nullum acquiritur spirituale Ius. Sed illud esset verum, quando per illum pactum nihil aliud exprimeretur, quàm quod ex vi literarum fieri deberet. alioqui si nouum pactum fiat de re, quæ in ipsis literis non inerat, quod diximus, verius est, & magis receptum, vt ibi latè refert Felinus. Nec negari potest, quin literæ illæ aliquid conferant, siue vocetur Ius ad rem, siue actio siue commodum, nam sine dubio est spirituale, per annexionem, originem, & proximam habitudinem. Aliàs vendi posset pro temporali pretio quod absurdum est dicere. Et huic parti magis fauet textus ille, si rectè expendatur.

16. Simonia est permutare beneficium pro Iure quasi inchoato ad aliud beneficium.

Franc. Ioan. Andr. Sylvest. Nauar.

Contrariam sententiãqui teneant. *Gloss. Panor.*

Felin.

Quartò, consequenter infertur esse Simoniam eiusdem ordinis permutare inter se similia Iura ad beneficia, vt si vnus cedat suæ præsentationi, vt alius sibi conferat aliam expectationem, quam à Pontifice habet, vel quidpiam simile. Hoc sumitur ex Panormitano ex capit. *Cùm olim*, de Rerum permutatione, numero quarto, & docent Ioann. Andr. Franc. & Freder. Senen. capite primo de Rerum permutatione latè Felinus referens alios in capit. *Ad audientiam* 2. de Rescript. numero vndecimo. Sylvest. verb. Permutatio 2. quæst. 7. & quæst. 13. conclusione nona, & Nauarrus suprà, qui alios allegant. Ratio eorum est, quia permutatio solùm est concessa inter beneficia, & quæ sunt propria permutantium, vt patet ex dicto capite primo de Rerum permutatio. in 6. ibi, *Secundum formam Iuris sua beneficia permutare volentes*: nam illa particula *sua*, requirit Ius acquisitum in beneficiis permutandis, qui autem habet tantùm præsentationem, vel expectatiuam, non habet beneficium, vt constat, & sumitur ex cap. *Si tibi absenti*, de Præbend. in 6. Ergo inter

17. Simonia etiã est permutare inter se similia Iura.

Panorm. Ioan Andr. Franc. Freder. Felin. Sylvest. Nauar.

Ratio assertionis. Cap. 1.

Cap *Si tibi*

Ergo inter illa Iura, quæ tantùm ſunt ad rem, non habet locum permutatio. Probari ſolet hæc illatio, quia permutatio illorum Iurium non eſt permiſſa: eſt ergo prohibita, in capit. *Quàm pio* 1. quæſtione ſecunda. Sed ibi non eſt ſermo de commutatione ſpiritualium inter ſe, ſed ſpiritualis pro temporali. Iura autem, de quibus agimus, ſpiritualia ſunt, non ergo comprehenduntur ſub illo Iure, nec ſub aliis quæ generatim loquuntur, quia, vt ſtatim dicam, generales prohibitiones paciſcendi in ſpiritualibus, intelliguntur, quando de commutando ſpirituali pro temporali agitur, niſi vbi eſt ſermo ſpecialis de beneficiis. Vnde poſſet retorqueri argumentum, quia permutatio ſpiritualis pro ſpirituali, quæ non eſt prohibita, non eſt Simoniaca, ſed potiùs licita, per ſe loquendo, ſed permutatio horum Iurium non eſt prohibita, ergo. Probatur minor argumento aliorum, quia permutantes Iura nõ permutant beneficia, quia habere Ius non eſt habere beneficium, & ideò ex vi talis permutationis non permutantur beneficia. Quamuis autem ille, qui habet Ius ad beneficium, non ſit dominus beneficij, nihilominùs ſuo modo eſt dominus illius Iuris, quod in ſe habet qualecunque illud ſit, cur ergo nõ poterit illud permutare?

C. Quam pio.

retorquetur argumentũ.

18. Ratiõ ab aliis adducta inefficax iudicatur.

Propter hoc, fortaſſe addunt Panormitanus, & cæteri aliam rationem, videlicet quia hæc Iura ſunt merè perſonalia, quæ non poſſunt in alium transferri. Quæ ratio optima eſt ad probandum, hæc Iura non ſolùm non poſſe Iure permutari; verùm etiam nec facto, ita vt ſit valida, & rata permutatio, quod eſt manifeſtum in præſentationibus, expectatiuis, & electionibus, ſunt enim hæc perſonalia tantùm, conditio enim, ſeu qualitas, vel induſtria perſonæ in eis electa eſt. Et ideò tales conceſſiones non excedunt caſum expreſſum capit. *Cui de non ſacerdotali*, de Præbendis in ſexto. Atque ita hæc ratio non ſolùm probat, talem permutationem fieri non poſſe auctoritate priuata, ſed neque etiam in manibus Epiſcopi, nam ſolùm conceditur inter *Sua beneficia*. Hoc autem modo explicata ratio non probat hanc permutationem non poſſe fieri propter vitandam Simoniam, ſed quia ſimpliciter hæc Iura non ſunt permutabilia, quia ſunt tantùm perſonalia, vt notauit Guilielmus Redoan. tertia parte de Simonia, capite duodecimo in fine. Quocirca ſi aliunde ponamus, hæc Iura eſſe transferibilia in alium, ex illo capite non apparet Simonia in tali cambio. Vt ſi præſentatus obtineat à Patrono licentiam transferendi nominationem in alium, & habens expectatiuam à Papa, ſimilem facultatem ab eo obtineret, & inter ſe poſteà commutarent, non poſſet hoc improbari dicta ratione, nec ex dicto capite vnico, vt oſtenſum eſt.

C. Cui de nõ.

Redoan.

10 Probatur aſſertio rationibus ſuprà inſinuatis.

Probandum ergo videtur rationibus ſuprà inſinuatis, quia in prohibitione permutandi beneficia, & illis annexa, prohibitum eſt hæc Iura inter ſe commutare, quia, & ſunt beneficiis annexa, & ab illis habent ſuam æſtimationem, vnde virtute ibi permutantur beneficia. Et confirmatur: nam licet hoc Ius ad beneficium non poſſit in alium transferri, poteſt renunciari ad arbitrium habentis, & tamen ſi id fieret cum ſimili pacto, Simoniacum eſſet, vt ſi quis renunciet expectationi, quam habet à Papa ad vnum beneficium, dummodo ad aliud præſentetur, vt dictum eſt, & idem Auctores docent: ergo ratio huius Simoniæ, non pendet ex impotentia transferendi tale Ius in alium, ſed ex prohibitione paciſcendi in beneficialibus ſumenda eſt. Vnde etiam concludo, hoc intelligendum eſſe de permutatione propria auctoritate facta: nam in manibus Prælati fieri poſſet, vt opinor, ſi aliàs habentibus talia Iura data eſſet facultas transferendi in alios, ab eo, qui poteſt eam dare. Verumtamen licet Pontifex faciat facultatem transferendi in alium expectatiuam, niſi expreſsè concedat facultatem commutandi, non poſſet fieri permutatio propria auctoritate, ſed tranſlatio facienda eſſet liberaliter, vt de penſionibus diximus, accedente autem Prælati auctoritate, ſi commutatio fiat inter Iura ſpiritualia, non videtur prohibitum, vt capite ſequenti videbimus.

20. Commutare ſpirituale pro ſpirit. extra beneficiorum materiã non eſt Iure prohibitum.

Dico tertiò. Permutare ſpirituale pro ſpirituali extra beneficiorum materiam non eſt ſpecialiter prohibitum Iure poſitiuo. Ita ſentit Gloſſ. in capit. *Quam pio*, 1. quæſt. 2. verb. *Pactio*, quatenus declarat, per illa verba generalia, *Dummodo ceſſet omnis pactio*, prohiberi inhoneſtas pactiones, non tamen honeſtas; per inhoneſtas autem videtur intelligere illas, quæ ſunt inter ſpiritualem, & temporalem rem, per honeſtas vero, quæ inter ſpiritualia verſari poſſunt, & ita exponit, ac ſequitur ibi Præpoſit. num. 2. refertque plures antiquos pro eadem ſententia, & inter eos Innocent. & Panormit. Et idem ſentit Turrec. Item Gloſſ. in cap. vltim. de Paction. verb. *Ceſſare*. Vbi Abbas, Cardin. & alij, & in cap. 2. & c. *Super eo* de Tranſact. idemque ſupponunt omnes allegati in 1. concluſ. Ratio verò eſt, quia nulla talis prohibitio in Iure inuenitur. Dices, ſatis contineri in generalibus prohibitionibus, quæ habentur in dicto cap. *Quam pio*, & in dicto cap. *Super eo*, & capite *Cùm pridem*, & cap. vltim. de Pact. Sed contrà, quia hæc Iura generatim loquuntur de pactis in quibus temporale pro ſpirituali datur, vt patet in dicto capit. *Quam pio*, & in dict. cap. vltim. de Pact. & aliis quæ ita loquuntur, vt improbent pacta, in quibus aliquid datur pro ſpiritualibus obtinendis, dum enim id, quod datur, ab ſpiritualibus diſtinguunt, ſatis ſignificant, loqui de temporali munere dato pro ſpirituali. Imò etiam multa Iura in materia beneficiali de ſimili pactione loquuntur, vt in cap. *Tua nos*, de Simon. cap. *Super eo* de Tranſact. Et optimè in cap. vlt. de Rerum permut. cum Gloſſ. ibi verb. *Temporalia*. Alia verò, quæ ſpecialiùs loquuntur damnando pacta in ſpiritualibus, ſemper loquuntur in particulari de beneficiis, aut Iuribus, quæ illa concernunt, non verò de aliis materiis ſpiritualibus.

Præpoſit. Innoc. Panor. Turrec. Gloſſ. Abbas. Cardin.

Obiectio.

C. Quam pio. C. Super eo. C. Cùm pridẽ Cap. vlt.

Reſpõdetur. *C. Tua nos. C. Super eo. Cap. vlt.*

21. Explicatur aſſertio diſcurrẽdo per duo genera rerum ſpiritualium.

Vnde explicatur hæc aſſertio, nam ſpiritualia hæc, de quibus in hac aſſertione loqui poſſumus, duplicia ſunt. Quædam purè ſpiritualia, ſub quibus comprehendimus functiones omnes ſacras, quibus ſiquid eſt materiale annexum, eſt concomitanter, & ita intimè, vt ſpirituale ſimpliciter, ſeu moraliter reputetur. Alia verò ſunt ſpiritualia miſta, quæ habent aliquid corporale antecedenter annexum, vt vaſa ſacra, veſtes, & ſimilia. De prioribus, inter ſe commutandis, vel non commutandis, nunquam fit in Iure mentio, ſed ſolùm cauetur, ne pretio vendantur capit. *Ad noſtram*, cap. *Non ſatis*; capit. *Cùm in Eccleſia*, de Simonia, cum aliis ſuprà allegatis. De poſterioribus etiam nullum inuenitur Ius prohibens permutationem vnius pro alio eiuſdem ordinis. Imò in capit. *Ad quæſtiones*, de Rerum permutatione approbatur permutatio vnius Eccleſiæ pro alia purè facta: vbi Gloſſa reddit rationem, quia ſpirituale pro ſpirituali commutatur. Verum eſt, Gloſſam illam poſtulare auctoritatem Superioris, ſed hoc ideò ibi verum eſt, vel quia ſimul permutatio

C. Ad noſtrã. C. Non ſatis.

C. Cũ in Eccl. C. Ad quæſt.

ratio beneficiorum, vel quia Ecclesia Parochialis non potest alicui conuentuali de nouo vniri sine Prælati auctoritate. At verò si res spirituales sint omninò sub libera potestate, & dispensatione commutantium, non erit talis auctoritas necessaria.

12. Richar. Adrian. Gofredus. Præposit. Imol. Adrian.

Contra hanc verò assertionem referri solent Richardus, Adrianus, & Paludanus locis suprà citatis, & ex Canonistis Gofred. quem Præpositi. refert in dicto capit. *Quam pio*. Item Imol. & Antoni. cap. vlt. de Pactis. Verumtamèn Paludanus, Richardus, & Adrian. non loquuntur de Simonia ex prohibitione Ecclesiæ, sed de Iure Diuino, & ideò eorum sententia ad præsentem assertionem non spectat, sed in superiori capite tractata est. Alij verò Auctores videntur præcipuè loquuti in materia beneficiali, de qua nonnulla remanet quæstio, an interdum liceat pactum inter spiritualia saltem per modum transactionis, de qua quæstione infrà dicemus; nunc enim solùm de propria permutatione loquuti sumus. Quod si illi Auctores plus dicere voluerunt, ostendere non possunt, talem prohibitionem tam vniuersalem esse ab Ecclesia factam, nec fortasse moraliter expediret. Denique (vt supra argumentabar) vsus ipse Ecclesiæ satis docet, non esse factam. Neque hîc superest noua difficultas.

CAPVT XXXII.

An Prælati auctoritas necessaria sit, vt spiritualium permutatio in beneficijs absque Simonia fiat.

1. CVm hæc Simonia solùm sit mala, quia prohibita, solùm habet locum (vt diximus) in Ecclesiasticis beneficiis, sub beneficiis comprehendo omnia Iura illis annexa, quæ ad illa reuocantur iuxta dicta in præced. capite. Nam in aliis materiis spiritualibus, vbi nec commutatio prohibita est, nec per se mala, nulla conditio positiua (vt sic dicam) necessaria est, vt in eis non committatur Simonia per earum inter se permutationem, sed solùm negatiua, scilicet, vt non misceatur praua intentio, nec alia mala circunstantia, quæ destruat puritatem cõtractus: nam tunc iam non spirituale pro spirituali, sed pro temporali, vel omninò, vel aliqua ex pãrte daretur, vt in cap. 30. explicatum est. Et ideò alias res spirituales missas facimus, solúmque de beneficiis tractamus. Atque de illis supponimus, non ita esse prohibitam eorum permutationem, quin aliquando fieri possit sine Simonia. Id enim clarè supponitur in cap. *Inter cætera*, de Præbend. & in c. vnic. de Rer. permut. in 9. Et sumi potest ex c. *Quærenti*, & c. *Cùm olim*, & c. *Ad quæstiones*, extra eod. & in præced. etiam capite tactum est. Vt ergo discerni valeat permutatio Simoniaca à non Simoniaca, oportet exponere conditiones necessarias ad puritatẽ eius, & inde consequenter constabit, cum malum sit ex quocunque defectu, quibus modis possit in hoc Simonia committi. Prima autem, & præcipua est auctoritas Prælati, & ideò in hoc capite de illa dicemus, & postea de reliquis.

Status quæstionis.

C. Inter cætera. Cap. vnic. C. Quærenti. C. Cùm olim. C. Ad quæst.

2. Auctoritas superioris necessaria est vt permutatio licitè fiat C. Cùm vniuersorum.

Sit igitur generalis regula, vt permutatio licitè fiat, necessarium esse, vt auctoritate Superioris fiat. Hæc assertio expressè habetur in proximè citatis Iuribus, & optimè in cap. *Cum vniuersorum*, de Rer. permut. ibi. *Licet ipsi per se de Iure non possint Ecclesiastica beneficia commutare*. Et ratio clara est, quia talis permutatio potest esse necessaria, vel vtilis, aut Ecclesiæ, aut ipsis beneficiatis, & ideò non debuit omninò prohiberi, fuit autem expediens, vt proprio arbitrio priuatorum non fieret: ideóque meritò Superioris auctoritas postulata est.

Ad explicandum autem magis sensum huius cõcessionis, eiusque rationem, dubitant Canonistæ, an in tali casu fiat permutatio beneficiorum, vel tantùm personarum mutua translatio. Sunt enim hæc duo diuersa, nam permutatio directè cadit in res, quæ permutantur, & fit per quendam contractum, in quo vnusquisque contrahentium, quantum in se est, confert aliquid alteri propria voluntate, & cõsensu, vt vicissim aliquid ab alio recipiat, vt constat ex Iure tit. de Rerum permut. & Doctoribus ibi in Rubr. & Summistis verb. *Permutatio*. Translatio autem non res, sed personas immediatè respicit, est enim translatio in præsenti materia personæ ab vno beneficio in aliud, aut ab vna Ecclesia ad aliam mutatio legitimè facta auctoritate Superioris, à cuius voluntate, & auctoritate maximè vires accipit, vt constat ex tit. de Translat. Prælat. & cap. *Scias frater* 7. quæst. 1. Dixerunt ergo aliqui, permutationem beneficiorum nunquam licere etiam Prælati auctoritate, sed solùm translationem personarum ab vna dignitate, vel Ecclesia, seu Ecclesiastica obligatione, & solicitudine in aliã, vtrúque enim videtur dici in dict. c. *Quærenti*, de Rerum permutatione. Nam priùs in illo pro generali regula datur, *permutationis beneficiorum de Iure fieri non possunt*. Et postea in fine subditur, *Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam, licitè poterit ab vno loco ad alium transferre personas*.

3. An fiat permutatio beneficiorũ, an solum personarum?

C. Scias frater.

C. Quærenti.

Nihilominùs tamen certum est, permutationem beneficiorum propriè sumptam, & vt distinguitur à translatione personarum, esse Iure concessam auctoritate Prælati. Nam quod illa duo distinguantur, constat ex dictis in principio, & ex diuersis titulis, quæ de illis habentur in Iure, & ex principiis, & causis earum, quia trãslatio non est contractus, nec fit per modum contractus, vnde per se non requirit, quòd fiat inter duos, & per se respicit vtilitatem Ecclesiæ, non translatorum, vnde originem ducit à prouidentia Prælati, non à voluntate translati, ideoque sine illius consensu fieri potest, & interdum cum maiori onere, & minori temporali commodo, & sæpè fit circa vnum tantùm ad beneficium vacans. Permutatio autem reuera fit per modum contractus, & ideò per se postulat, vt fiat inter duos, & ex consensu eorum, renditque proximè ad eorum commodum sine Ecclesiæ incommodo, ac denique in ea datur vnum pro alio in recompensationem. Totum ergo hoc permittitur in beneficiis cum auctoritate Prælati, & ideò hoc modo non solùm translatio personarum, sed etiam permutatio beneficiorum in rigore sumpta, licita est cum dicta conditione. Et ita sentiunt omnes Doctores, & apertè D. Thom. dicto art. 1. ad 5. priùs enim dicit, has permutationes fieri non posse priuatim, subdit verò statim. *Potest tamen Prælatus permutationes huiusmodi facere*. Et probatur sufficienter ex dictis Iuribus, & ex Clem. vnic. de Rerum permut. In dicto autem cap. *Quærenti*, Pontifex illum modum loquendi tenuit, vt significaret duo. Vnum est, beneficia secundùm Ius non posse permutari priuata auctoritate, & consensu permutantium, ita enim omnes illam primam generalem regulam intelligunt. Aliud est, hanc permutationem non esse faciendam ab Episcopo sine respectu ad commune bonum Ecclesiarum, & quia hoc ex personis maximè pendet, ideò potius per translationem

4. Auctoritate Prælati est cõcessa Iure beneficiorũ permutatio præsumpta.

D. Thom.

Clemen. vnic. C. Quærenti.

personæ-

personarum, quàm per beneficiorum permutationem eam Pontifex declarauit. Fortè etiam olim maior rigor in hoc obseruabatur, vt non per modum permutationis, sed tantùm per modum translationis hoc fieret, posteà verò maior facultas concessa est, vt constat ex superioribus Iuribus, & in sequenti puncto amplius exponetur. A

5. An liceat partibus sine licentia Prælati inter se tractare permutationē, animo tamē petendi Prælati consensum. Gloss. Anchar. Innoc. Hostiens.

Secùdò enim dubitari potest circa hāc assertionem, esto non liceat permutationem consummare sine notitia, & consensu Prælati, An saltem liceat partibus inter se prius negotium tractare, & de permutatione facienda tali, vel tali modo conuenire cum ordine ad scientiam, & consensum Prælati. Aliqui enim Canonistæ scrupulosè in hoc locuti sunt, negantes hoc licere. Quod sentit Gloss. B in cap. *Cum vniuersorum*, de Rer. perm. ver. *Tractare*, quam ibi sequitur Anchar. & idem docet Innoc. in dicto cap. *Quæsitum* eod. quem ibi sequuntur aliqui & Hostiens. dixit, esse tutiùs. Sed non habent fundamentum, quia hoc nullibi est prohibitum, nam solùm prohibetur permutare, vel pacisci; tractare autem neutrum illorum est, quia non dicit actum consummatum, sed præparationem ad illum, vt constat ex vi ipsius vocis, atque etiam ex Iure colligi potest capit. 1. de Reb. Eccles. non alien. Vnde oppositа sententia colligi potest ex capit. *Cum vniuersorum*, de Rerum permut. Vbi cum de tractatu, & permutatione, facta fuisset mentio, tractatus non improbatur, sed solùm dixit Pontifex, ex parte per se non posse permutare. Ratio etiam moralis est euidens, quia prohibere tractatum, moraliter loquendo, esset prohibere permutationem, quia non potest ad illam alia via peruenirі. Dices; posse fieri ex licentia Prælati. At hoc valde onerosum est, interdum enim Superior longè distat. Item nisi priùs sit aliqua spes concordiæ superflua esset petitio talis licentiæ. Denique quod caput est, nullibi est hoc præceptum. Illi ergo Canonistæ videntur locuti iuxta aliquem antiquum rigorem, quando non tam beneficiorum permutatio, quàm translatio personarum fiebat ex officio Prælati, & non ad petitionem priuatorum, nunc autem cum permutationes propriè liceant de petitione beneficiatorum, non potest negari, quin possit præcedere inter eos tractatus. D

Cap. 1. Pars affirmatiua eligitur. Cap Cū vniuersorum.

Obiectioni satisfit.

6. An partes possint inter se non solū permutationem tractare, sed etiam mutuò se obligare. Panor. Gloss. Ioan. Andr. Gloss. Cardin.

Dixerunt autem alij, esse quidem licitum tractare priùs de permutatione, sed non concludere, aut se mutuò obligare, quia hoc esset pacisci, quòd non licet sine consensu Prælati. Ita significat Panormitanus in dicto capite *Quæsitum*, circa finem dicens, posse partes inter se tractare, non tamen concludere permutationem, & adducit Glossam, & Ioan. Andr. in capit. vnic. eodem & sequitur Cardin. in eodem capite *Quæsitum* numero quarto. Et eodem modo loquitur idem Panormitanus in dicto capit. *Cum vniuersorum*, imò ibi E difficilius se explicat dicens, quòd Clerici dicuntur permutare, quando inter se deliberant de permutando cum deliberato consensu, & ideò malè facere, licet postea vadant ad Superiorem, & hoc putat esse reprehensum in illo textu. Et hoc videtur sequi Anton. 2. part. titul. primo cap. 5. §. Sed meliùs hanc sententiam exposuit Sylvest. verb. *Permutatio* 2. quæst. 5.

Anton. Sylvest.

7. Resoluitur quæstio pro parte affirmatiua.

Dicendum ergo est, licitum esse volentibus permutare, & tractare de negotio, & concludere, quantum est ex se, præbendo suum mutuum consensum in ordine ad consensum Prælati, hoc enim etiam est moraliter necessarium, & apertè colligitur ex dicto cap. vnic. de Rerum permut. in

Cap. vnic.

6. ibi, *Sua beneficia permutare volentes*. Et similia verba habentur in Clement. vnic. eodem, vbi Glossa inde colligit, posse præcedere tractatum vtique vsque ad consensum, nam hoc significat verbum *Volentis*. Et ita sentit ibi Cardinal. Zabarel. citans Paul. num. 7. & Cardin. in dicto capite *Quæsitum*, quæst. 39. numer. 23. Ratio etiam eadem est, quia hoc est medium necessarium moraliter ad finem permutationis, concesso autem fine, conceduntur media: præsertim adeò intrinseca, & necessaria. Deniq; hoc etiam nullibi inuenitur prohibitum. Addo verò vlteriùs, etiam posse partes ita consentire, vt se obligent ad standum conuentioni inter se factæ, non simpliciter & absolutè, sed sub conditione, si Prælatus consenserit. Ita hoc declarauit Sylvest. Et probat optimè, quia hoc etiam non est prohibitum, sed sola *permutatio præsertim pactione præmissa*, vt dicitur in dicto capite *Quæsitum*. Pactio autem tantùm conditionata, si Prælatus consenserit, nec est permutatio, nec simpliciter pactio de permutatione, cum conditionalis suspendat permutationem, & subiiciat Iuri voluntates contrahentium. Item hoc genus obligationis est etiam moraliter necessarium, ne contingat frustrà postulari Superioris consensum, si illo præstito, possent partes retrocedere pro suo arbitrio. Vnde in praxi videtur ita seruari, nam postquàm Prælatus consentit, non est in potestate permutantium, vel resignantium retrocedere, vt tradit Innocentius in capite *Inter cætera*, de Præbend. Quamuis enim permutantes non acquirant beneficia vsque ad collationem, vt tractat Rebuff. suprà, & Cardinal. Zabarel. in dicta Clement. vnic. de rerum permut. numero 19. nihilominùs interposita auctoritate Prælati per consensum, perfecta est resignatio, & ita non possunt partes retrocedere, ergo signum est, anteà consensisse, & se obligasse sub illa conditione. Nec videtur Panormitanus dissentire: nam in capite *Quæsitum* solùm dicit, non posse *inter se concludere permutationem*, vtique absolutè, in alio autem capite *Cum vniuersorum*, obscuriùs loquitur. Sed debet intelligi iuxta textum; in cuius casu (si attentè legatur) partes ita inter se tractauerant de permutatione, vt quo ad illam consensum Prælati non requirerent pro resignatione facienda in fauorem tertij. Inde enim ortum habuit deceptio, in qua fundatur ille textus, quòd alter resignauit suum beneficium in consanguineum alterius, & alter postea resignare nolebat. Hæc autem deceptio locum non habuisset, si conuentio permutandi Episcopo innotuisset. In hoc ergo sensu ait Panormitan. deliberationem inter partes esse peccaminosam, etiamsi ad Episcopum pro resignatione accedant, & ita etiam intellexit Sylvester, & bene Rebuff. in Pract. titulo de Permutat. numero 52. & 53.

Clemen vnic. Gloss.

Cardin. Zabarel. Paul.

Possunt partes se obligare ad perseuerandum in conuentione, si Prælatus consenserit. Sylvest.

Cap. Quæsitum.

Innoc. Cap. Inter cætera. Rebuff. Cardin. Zabarel. Clemen. vnic.

Panorm.

Sylvest. Rebuff.

8. An liceat sese mutuò obligare ad perseuerandum in conuentione, donec præsentetur superiori, & ipse consensum neget. Rebuff.

Sed dubitabit aliquis, An licet, sese mutuò obligare ad perseuerandum in conuentione facta, & ad non reuocandam illam, donec præsentetur Superiori, & ipse suum consensum neget. Aliqui enim hoc negare videntur. Vnde Rebuff. in Pract. titulo de Permutat. numero 4. ait, post conuentionem factam inter volentes permutare, & data procuratione, quando est res integra, posse reuocari, licet non possit reuocari ab altera parte, postquàm alia suum beneficium resignauit. Et potest suaderi, quia illa mutua obligatio cum illo rigore facta, non est necessaria ad permutationem, vnde non censetur concessa eo ipso, quòd permutatio conceditur: ergo censetur prohibita per generalem prohibitionem faciendi pacta, & con-

uentiones ſuper beneficia. Nihilominùs probabilius videtur, quòd licet tanta obligatio non oriatur ex mutuo conſenſu permutandi, niſi exprimatur (quod fortaſſe voluit dicere Rebuffus) nihilominùs ſi fiat, non committi Simoniam, imò validam eſſe, & inducere obligationem in conſcientia. Ita tenet Frederic. Senēſ. in Tractat. de Permutat. benef. quæſtione 38. numero 64. & 65. & idem ſentit Cardin. ſuprà, nec cæteri contradicunt. Ratio verò eſt, quia etiam hoc pactum non eſt per ſe malum, vt conſtat, nec etiam eſt prohibitum. Tum quia non eſt de permutatione beneficiorum, niſi iuxta Iuris conceſſionem, tale autem pactum non prohibetur, vt oſtendimus. Tum etiam quia tota illa pactio conſiſtit in promiſſione mutua circa perſeuerantiam, & ſtabilitatem in concordia facta; hoc autem bonum eſt, cum concordia bona, & ſecundùm Iura eſſe ſupponatur.

Reſolutio quæſtionis. — *Freder.* — *Cardin.*

9. Epiſcopus eſt ſuperior cuius auctoritate faciēda eſt permutatio.

Tertiò dubitari poteſt circa eandem conditionem, quis ſit Superior, cuius auctoritate facienda eſt permutatio, vt abſque Simonia fiat: Reſpondeo, nunc ſermonem eſſe de permutatione, quæ ſimpliciter fit inter beneficia ſine adiectione oneris, vel penſionis ex altera parte (de hoc enim infrà dicemus) & ſic dicimus, Superiorem ad quem pertinet auctoritas faciendi permutationem, eſſe Epiſcopum. Ita colligitur manifeſtè ex dicto cap. *Quæſitum*, ibi, *Si autem Epiſcopus*, &c. & idem ſumitur ex dicto cap. vnic. de Rerum permut. in 6. ibi, *In manibus tuis ipſa reſignant*. Ex quibus Iuribus, & ex ipſa rei natura conſtat, hoc eſſe intelligendum reſpectiue de vno quoque Epiſcopo pro ſua diœceſi, & cum proportione loquendum eſſe de ipſis Epiſcopis reſpectu ſui Superioris, vt latè tractant Doctores, præſertim Zabar. & Rebuff. ſtatim referendi.

C. *Quæſitum.* Cap. vnic. — *Zabar.* *Rebuff.*

10. Quid intelligendum ſit ſub nomine Epiſcopi.

Duo verò ſuperſunt exponenda, ſcilicet, quid nomine Epiſcopi intelligendem ſit, & conſequenter, An Prælati Epiſcopis inferiores, interdum hoc poſſint: Multi enim ſimpliciter negant inferioribus hanc poteſtatem, & id colligunt ex dicto capite *Quæſitum*, quatenus ibi priùs ponitur generalis regula, quòd hæ permutationes Iure non licent, & poſteà additur quaſi exceptio, niſi Epiſcopus interuenerit: ergo firmatur regula in contrarium, quod licet fiant, auctoritate cuiuſcunquæ inferioris Prælati, non liceant. Ita tenet Gloſſa in Clement. vnic. de Rerum permut, quam ſequitur Panormitan. dicto capite *Quæſitum*, dicens eſſe communem ſententiam, quam etiam tenent Innocentius Hoſtienſ. Cardin. & Frederic. in Tractat. de Benef. permutat. quæſtione 19. & 22. Rebuff. in Practica. Tractat. de Permutat. numero 2. & ſequentibus. Declarant autem hi Auctores, quid intelligant nomine Epiſcopi, & quid excludant, cum dicunt, ad ſolum illum hoc Ius pertinere.

C. *Quæſitum.* — Opinio aliquorum. — *Gloſſ.* — *Panor.* *Innoc.* *Hoſtienſ.* *Cardin.* *Freder.*

11. In hac opinione qui Prælati hanc iuriſdictionē habeant.

Primò igitur nomine Epiſcopi intelligunt eum, qui habet iuriſdictionem Epiſcopalem, etiamſi dignitatem Epiſcopalem non habeat, vt eſt capitulum, Sede vacante, vt notauit Gloſſ. in d. Clement. vnic. verb. *Concedantur*, & ibi Zabar. quæſt. 11. Et idē ſentit. Rot. deciſ. 111. & 312. aliàs in tit. de Rerum permut. deciſ. 5. & 6. in nouis. Item ſit inferior Prælatus, vt Abbas exercens in aliis omnibus iuriſdictionem Epiſcopalē vt ex eodem Gloſſ. ſumitur, expreſſiùs Panor. ſuprà. Imò etiam ſatis erit quòd habeat præſcriptam iuriſdictionem in hoc actu dandi auctoritatem permutationibus, vt in particulari notauit Rebuffus, quia per præcriptionem acquiritur iuriſdictio. Ratio huius partis eſt, quia fundamentum huius actionis eſt Epiſcopalis iuriſdictio, vnde ſi Prælatus hanc habeat, ſufficit, & ita D. Thom. non fecit mentionem Epiſcopi in particulari, ſed dixit. *Poteſt autem Prælatus ex officio ſuo, &c.* Quod verò in d. c. *Quærenti*, nominetur Epiſcopus, non refert; tum quia denominatio ſolet ſumi ab eo; quod eſt regulare, & ordinarium, per quod non excluduntur, imò comprehenduntur ea, quæ ſunt eiuſdem rationis, vt latiſſimè confirmat Tiraquel. lib. 1. de Retract. §. 20. à numero 4. vſque ad 10. Tum etiam quia Epiſcopus vno modo, & quaſi formaliter dicitur ratione iuriſdictionis Epiſcopalis, id eſt, quoad officium, & curam, licet non ſit talis quoad dignitatem, & conſecrationem. Vnde quando actus, de quo eſt ſermo, pertinet purè ad officium, & iuriſdictionem ordinariam, etiamſi nominatur Epiſcopus, intelligitur ratione iuriſdictionis. Nam character, vel dignitas nihil ad talem actum operatur. Secùs verò eſt, vbi iuriſdictio committitur Epiſcopis ex ſpeciali delegatione Papæ; vt in multis Decretis Conc. Trid. Tunc enim non extenditur ad inferiores, vt conſtat: & videri poteſt per Decium in cap. *Quoniam Abbas*, de Offic. delegat. n. 15. In præſenti autem conſtat iuriſdictionem eſſe ordinariā, non delegatam, & ideò de hac parte nulla eſt controuerſia.

D. *Thom.* — C. *Quærenti.* — *Conc. Trid.* — *Decius.*

12. Qui Prælati excludātur.

Qui autem excludantur, cum dicitur, nullum præter Epiſcopum poſſe permutationem approbare, declaratur. Quia non id dicitur propter inferiores, qui non habent poteſtatem conferendi beneficia, nam de illis conſtat, & per ſe notum eſt, non poſſe permutationem probare; ſed dicitur propter aliquos inferiores Prælatos, qui interdum poſſunt beneficia conferre, de quibus dicti Auctores, & ferè omnes dicunt non habere poteſtatem dandi auctoritatem permutationibus beneficiorum, ac ſubinde non excuſari Simoniam, ſi tantum coràm illo prælato, Epiſcopo prætermiſſo, permutatio fiat. Quia ille Prælatus, non eſt Epiſcopus, neque quoad dignitatem, nec quoad iuriſdictionem, & ideò nullo modo comprehenditur in dicto cap. *Quærenti*. Aduertunt tamen hi Auctores, quòd licet approbatio permutationis pertineat ad Epiſcopum, ſi collatio ad alium pertineat, eius conſenſum eſſe neceſſarium, & idem de Electore, Patrono, & ſimilibus: quod eſt clarum, quia per dicta decreta non priuantur alij Iure ſuo, neque cum præiudicio eorum ſunt exequenda.

C. *Quærenti.*

13. Contraria ſententia. *Angel.* *Siluеſt.* *Sot.*

Contrariam nihilominùs ſententiam in hoc puncto tenet Angel. ver. *Permutatio*, num. 5. Sylueſt. eod. 2. q. 2. dicens, Superiorem ſufficientem ad permutationem, non eſſe ſolùm Epiſcopum reſpectu ſuorum inferiorum, ſi ad illum talium beneficiorum collatio non pertineat, ſed eſſe poſſe inferiorem, ſi ad illum collatio, vel inſtitutio ſpectet. Et hoc videtur ſentire Sot. d. lib. 9. q. 5. artic. 2. & q. 7. art. 2. qui ſub diſiunctione loquitur de Epiſcopo vel eo, ad quem collatio ſpectat, ipſe autem hoc non diſputat, ſed ſupponit, Sylueſt. verò ſolum probat ex cap. *Ad hæc*, §. vlt. de Offic. Archid. & c. *Super eo*, §. vlt. de Offic. de leg. Veruntamen illa Iura ad ſummum probant, tunc non eſſe vſurpandam collationem beneficiorum ab Epiſcopo, ſine conſenſu eorum, ad quos pertinet, vt etiam fatetur prior communis ſententia, non tamen probant, quòd ſine auctoritate Epiſcopi poſſit fieri permutatio. Apparentiùs induci poſſet cap. vnic. de Rer. permut. in 6. *Illos tamen, qui ſecundum formam Iuris ſua beneficia in eadem diœceſi ad tuam collationem ſpectantia permutare volentes, &c.* exponendo etenim

Cap. *Ad hæc.* Ca. *Super eo.* — Cap. vnic.

do etenim particulam illam, *Ad tuam collationem spectantia*, Quia per eam indicantur permutationes beneficiorum non pertinentium ad collationem Episcopi, ad eum non spectare. Et licet Gloss. ibi dicat, verba illa non esse Iuris, sed narrationis facti, non satisfacit. Tum quia id non potest satis ex textu colligi, cũ omnia alla verba sint Bonifacij condentis Ius. Tum etiam quia licet demus, sumpta fuisse ex propositione facti, seu quæstionis, nihilominùs rectè ex eis colligimus, & Episcopum interrogantem intellexisse ad se non pertinere beneficiorum permutationem, nisi quorum collationem habet, & Pontificem tacitè illum sensum approbasse. Ratione potest hæc sententia suaderi, quia in permutatione ideò requiritur Superioris auctoritas, quia nec vnius beneficij renuntiatio potest esse valida sine Prælati consensu, nec potest nouũ beneficium obtineri sine Prælati callatione: ergo si ad aliquem inferiorum Prælatum pertinet resignatio, & collatio talium beneficiorum, illius auctoritas sufficiet ad concludendam, & exequendam permutationem, nec Episcopus poterit tunc se intromittere, cum ad illum non pertineat institutio, aut destitutio talium beneficiorum. Et confirmatur, quia iam ille inferior Prælatus habet iurisdictionem Episcopalem saltem quoad prouisionem talium beneficiorum: (nam talis potestas ordinariè propria est Episcoporũ, c. *Omnes basilicæ*, 19. quæ. 7.) ergo quoad tales actus rectè comprehendi potest nomine Episcopi. Et ita soluitur fundamentũ contrariæ sententiæ, & ampliatur Ius in re fauorabili. Nam frustrà (vt inquiunt) fit per plura quod potest fieri per pauciora; cum ergo collatorum consensus necessarius sit, & ibi Episcopus nihil ferè cooperetur, ad quid sunt onera, & grauamina multiplicanda?

Glos. *Bonif.* *Ratione probatur.* *Cap. Omnes.*

14. Prima sententia in praxi seruanda, quamuis posterior valde sit verisimilis.

Hæc posterior sententia, si vim rationis spectemus, videtur mihi valdè verisimilis, quia tamen difficile est in re morali à receptissima sententia recedere, tutius censeo admonere, vt in praxi illa seruetur, vbi consuetudo præscripta aliud non habuerit. Nam vbi Prælatus, ad quẽ pertinet collatio, habet consuetudinem approbandi permutationẽ beneficiorum, cõmunis etiam sententia fatetur saltem titulo præscriptionis posse id facere ratione iurisdictionis Episcopalis præscriptione comparatæ ad illum effectum. Vbi autem non fuerit tale Ius præscriptione acquisitum, ex vi Iuris communis defendi optimè potest, approbationem permutationis ad Episcopum pertinere ratione iurisdictionis Episcopalis. Quod ita potest declarari, distinguendo duo, quæ in hoc negotio interueniunt. Vnum est approbare permutationem, & conuentionem partium, seu consensibus partium auctoritatem dare, & quasi complere conditionem, vt pactio conditionata transeat in absolutam; aliud est exequi permutationem acceptando resignationem, & nouam collationem faciendo. Primum ergo pertinet ad Episcopum, d. cap. *Quærenti*, & non ad inferiorem collatorem, nisi iurisdictionem Episcopalem etiam habeat. Secundum autem pertinebit ad inferiores, quando beneficiorum collatio ad illos, & non ad Episcopum pertinet, & ita fieri non poterit ab Episcopo, nisi de consensu illorum. (Quid autem facere possit Episcopus, si ipsi nolint consentire, tractant allegati Doctores, in quibus videri potest, quia neque ad nos pertinet, neque ad explicandã Simoniam necessarium est.) Et quia in d. cap. vnic. sermo est de permutatione quoad vtrumque, & præsertim quoad executionẽ, vt patet ex verbis illis, *Et in manibus tuis ipsa resignent*. Ideò in particulari exprimuntur beneficia ad collationem Episcopi pertinentia. Ratio autem reddi potest, quia permutatio beneficiorum, licet in rigore sit distincta à translatione personarum, tamen regulariter non fit sine illa sæpè quoad loca, & ferè semper quoad munera, & officia; translatio autem personarum, quia multum interest Ecclesiæ, ad Episcopum spectat, vt sumitur ex cap. *Mutationes*, 7. quæst. 1. & notatur ab allegatis Doctoribus, & ab Innocent. & aliis in cap. *Nisi cum pridem*, de Renunc. Et ratio est, quia ad Episcopum ex suo munere pertinet curam habere vniuersalis boni totius diœcesis. Meritò ergo permutatio quatenus translationem includit, ad Episcopi approbationem pertinet, quia interest Ecclesiæ, & diœcesi, vt cum eius vtilitate, vel saltem sine dispendio, & incommodo illius fiat. Executio verò, ad quem spectat collatio, remittenda est, quia non debet cum illius præiudicio, permutatio fieri. Et hanc rationem tetigit Zabarel. in d. Clem. vnic. q. 8. qui videri potest cum aliis, qui ibi allegantur.

C. Mutationes. *C. Nisi cum.* *Zabarel.*

15. An aliquando licitè fieri possit Permutatio sine superioris interuentu. Ratio dubij. *Innoc.* *C. Quæsitum.*

Quartò, inquiri potest circa eandem assertionem, An illa generalis regula patiatur aliquam exceptionem, ita vt aliquando possit licitè fieri aliquarum præbendarum permutatio ex priuatorum mutuo consensu, sine interuentu Superioris. Ratio autem dubitandi est, quia Innoc. in d. cap. *Quæsitum*, docet, regulam procedere primò in præbendis, quæ in diuersis Ecclesiis sunt; secundò intra eandem Ecclesiam in præbendis, quæ diuerso iure censentur, quia habent diuersa onera, vel munera. At verò si sint præbendæ eiusdem Ecclesiæ, & eiusdem rationis, dicit posse sine Simonia priuatim permutari. *Benè potest* (inquit) *vnus Canonicus vnam præbendam cum alio permutare*. Subiungit verò hanc limitationem: *Dummodo collatio præbendæ non pertineat ad inuestituram alicuius, quia tunc videtur, quod eius debeat requiri consensus.* Sequitur Gloss. ibi ver. *Episcopus*, & pro ratione allegat caput *Sãctorum*, d. 70. quia ibi dicitur, debere Clericum perpetuò manere in Ecclesia, ad cuius titulum ordinatus est, significans, quando in permutatione non fit translatio à loco, vel à munere, tunc fieri posse priuata auctoritate. Consentiunt in eandem sententiam Cardin. & Imol. ibidem, sed ita exponunt, vt præbendarum possit fieri permutatio, non titulorum, nam præbendæ per se spectatæ, temporales sunt, & ita in earum cambio non committitur Simonia, nec etiam fit alienatio earum, quia in eadem Ecclesia manent.

Gloss. *C. Sanctorum* *Card.* *Imo.*

16. Resoluitur nullam duri exceptionẽ in regula posita. *Hostiens.* *Panor.* *Zabar.* *Angel.* *Tabien.* *Innoc.*

Dicendum nihilominùs est, nullam esse exceptionem admittendam in regula posita. Ita docent Hostiens. Panorm. & alij communiter in d. capit. *Quæsitum*. Zabar. dicta Clem. vnic. nu. 8. Sequitur Angel. verb. *Permutatio*, nu. 4. Tabien. verb. *Beneficium*. 3. numer. 15. Et fundamentum est, quia prohibitio Iuris, generalis est, & absque vlla exceptione; quomodo ergo possumus nos illam admittere? Maximè quia nullo modo potest opinio Innocent. conuenienter intelligi, aut explicari. Quia si sermo sit de beneficiis quoad titulum, manifestum est, non posse vnquam fieri permutationem illorum, propria auctoritate permutantium, quia nullus potest se ipsum suo titulo priuare, nisi consentiente Prælato renũciationi eius, nec etiam potest nouum beneficium, alicui cõferri sine Prælati collatione, vt est notum in Iure, tit. de Renunciat. & de institut. & de regul. Iuris in 1. Et ita omnis huiusmodi permutatio non solùm de Iure, sed etiam de facto impossibilis est stante natura, &

C. Quærenti. *Cap. vnic.*

modo institutionis beneficiorum ecclesiasticorum. A Si autem aliquod pactũ secretè fiat, & postea executio procuretur, non declarato pacto; erit Simonia contra Ius positiuum, vt declaratum est.

Si verò sit sermo de præbendis vt annexis suis titulis, impossibile etiam est, inter illas fieri permutationem auctoritate priuata, quia non possunt à titulis separari auctoritate priuatorum. Quod in hunc modum declaro, quia vnus Canonicus non habet Ius ad fructus præbendæ, nisi medio spirituali officio, ad quod tenetur ratione sui tituli, sed semper retinet eundem titulum, ergo ad idem officium tenetur; ergo ratione illius nunquam poterit cõsequi aliam præbendam, vel alios fructus, nisi illos, B qui sunt annexi tali titulo, quia semper sunt illi annexi, & non alteri, ergo impossibilis est etiam de facto talis permutatio præbendarum. Accedit, quod etiam permutatio bonorum annexorum propria auctoritate facta, est in Iure prohibita, & ideò de illis etiam vt talia sunt, priuata facere pacta, esset Simoniacum. Tertiò verò modo posset intelligi duos Canonicos commutare inter se fructus præsentes, vel futuros præbendarum suarum, vel si habeant certas possiones suis prębendis annexas, posse illas commutare inter se quoad vsus tantùm, vel vsus fructum personalem, & temporalem, qui ad eos pertinere potest. Et hoc sine dubio fieri potest licitè, quia in eo contractu, non præbenda, sed fructus præbendę commutantur, qui etiam vendi pos- C sent, vel locari, quia vt sic, merè temporales sunt. Tamen si hoc tantùm voluisset Innoc. aut Cardin. non oporteret distinguere de præbendis eiusdem, vel diuersæ rationis, imò nec in eadem, vel diuersis Ecclesiis, quia fructus sicut pro arbitrio dominorum possunt vendi, vel dispensari, ita & permutari, siue diuerso, siue simili titulo comparentur, & siue in eadem Ecclesia, siue in diuersis. Hæc autem non est limitatio, neque exceptio à generali prohibitione, vt constat, & ideò nullam hic adhibere necesse est.

CAPVT XXXIII.

An beneficium Ecclesiasticum possit absque Simonia cum pensione permutari.

1. Status quæstionis.

HÆc quæstio propriam difficultatem habent, & ideò in particulari eam tractamus. Supponimus autem, non posse absque Simonia fieri talem permutationem per solam voluntatem permutantium sine auctoritate Prælati competentis, hoc enim euidens est ex dictis in c. 31. & 32. Difficultas ergo est, An saltem in manibus Prælati possit fieri talis permutatio, & quis ille Prælatus esse debeat. Et hoc modo tractarunt hanc quæstionem Canonistæ, qui dubitant, & de capacitate materiæ, An E scilicet illa duo sint permutabilia, cum pensio temporale quid sit, beneficium autem spirituale, & consequenter etiam de potestate Prælatorum Ecclesiæ ad talem permutationem faciendam, etiam de Summo Pontifice, quia videtur esse contra diuinũ Ius, vt videre licet in Paulo Rom. Tract. de Pension. cap. 7. *§. Venio, &c.* Gigant. eod. Tractat. q. 33. Caccialup. eod. Tract. Feder. de Sen. Tract. de Permut. benef. q. 9. Bellam. eod. Tract. q. 11. n. 4. Qui referunt antiquiore. Sed breuiter supponenda est distinctio de pensione merè temporali, & de spirituali, quam suprà explicaui. Item distinguitur à prędictis Canonistis in eam, quæ instituitur, & exigitur in titulum beneficij, vel est merè tęporalis, nec agnoscunt aliquam mediã. Sed nos diximus suprà,

Paul. Gigas. Caccialup. Freder. Bellam.

illam pensionem, quæ exigitur in titulum beneficij, præstimonium potiùs dicendam esse, quã pensionẽ. Et illam, quæ retinet esse pensionis, (vt sic dicam) si clericalis sit, esse nunc spiritualem, si verò sit laica, esse temporalem, ita ergo nunc loquimur.

2. Pensio in titulum beneficij erecta potest cum beneficio permutari etiã in manibus Episcopi.

Dico ergo 1. Si pensio in titulum beneficij erecta sit, permutari potest cũ beneficio etiã in manibus Episcopi, & iuxta Ius cõmune. Ita tenet Ioan. And. c. vnic. de Rer. perm. in 6. & ibi Collect. quem refert Bellam. Idem tenet Feder. Senens. in Tract. de Benef. permut. q. 14. Et sumitur ex Card. in Clem. vnic. de Præben. q. 12. Et ratio est clara, quia talis pensio reuera est beneficium, sicut de Præstimoniis suprà diximus. Contra hoc verò sentire videtur Bellar. suprà citans Guilliel. Sed loquitur, quando pensio non est instituta verè in beneficium, sed loco beneficij data, de qua mox dicemus. Clariùs contra dicit Paul. Rom. suprà dicens, Iure communi non posse fieri talem permutationem, referens Zabarel. & Imol. qui apertè loquuntur de pensione, quæ non data est in verum titulũ beneficij. Nec video probabilẽ rationem pro illa sententia vt contraria assertioni positæ, & magis patebit ex dicendis.

Guiliel. Paul. Zabarel. Imol.

3. Pro spirituali pensione permutari potest benefic. auctoritate Papæ, non verò alterius.

Dico 2. Pro spirituali pensione permutari potest beneficium auctoritate Papæ, non verò inferiorum Prelatorum. De hac cõclusione pauca dicũt Auctores, quia vix faciũt mentionem talis pensionis, sed omnẽ pensionẽ, quæ non datur in titulũ beneficij, tanquã temporalẽ iudicãt. Supposita tamẽ veritate talis pensionis, eiúsq; spiritualitate suprà explicata, videtur clara prior pars assertionis, licèt posterior videri posset dubia. Vtraq; verò simul ostẽditur 1. in pensione posita super idẽ beneficiũ, vt si Petrus habeat beneficiũ de quo soluit pensionem Ioanni, posset fieri permutatio, vt Ioannes accipiat beneficiũ, & pensionẽ Petro soluat. Quia in illa permutatione intercedit renũciatio beneficij in fauorẽ Petri, non renunciat simpliciter, sed causa permutationis; hæc autẽ resignatio causa permutationis acceptari potest ab Episcopo ex Iure communi, vt patet ex cap. *Quæsitum*, c. vnic. Clem. vnic. de Rer. permut. Respondeo, probabile fortasse hoc esse, præsertim si consuetudo ita habeat; mihi tamẽ videtur nõ posse fieri de rigore Iuris, quia illa non est propria permutatio beneficiorũ, quæ sola cõceditur Episcopo, vt cõstat ex d. c. *Quærenti*, & statim iterũ dicã. Addo etiã, facultatem transferendi pensionẽ intelligi puram, & sine pacto, & ideò nõ extendi ad trãslationẽ faciendam ex pacto recipiendi aliquid, etiam spirituale. Quia etiam hoc pactũ est Iure cõmuni prohibitum, & approbatio illius non est cõmissa Episcopo in Iure. Vnde facilè constat, assertionem procedere de quacũq; pensione spirituali super quodcunque beneficium imposita, quia quãdo illa pro beneficio permutatur, commutatur spirituale pro spirituali, ergo non est prohibita Iure diuino talis commutatio; ergo si fiat auctoritate Papæ, nulla est Simonia. Et idem erit, si Papa det licentiam, quia iam tunc fit auctoritate illius, nec dare illom licentiam est per se malum, quia semper conceditur cum ordine ad approbationem alicuius

C. Quæsitum. Cap. vnic. Clem. vni.

C. Quærenti.

Obiectio.

D

Ius Prælati, vel Clerici, cui Papa committat vices suas.

4. An Episcopus possit hãc permutationem facere.

De secunda verò parte assertionis est nonnulla controuersia, An Episcopus possit hanc permutationem iure ordinario facere, & probare. Aliqui enim affirmãt, quia pensio spiritualis licet in rigore beneficium non sit, venit tamen nomine beneficij latè loquendo,& in ordine ad fauores, argum. *c. Postulasti*, vbi is, qui habet ab Ecclesia congruentem sustentationem ex titulo spirituali, scilicet vicariæ perpetuæ, censetur habere beneficium ecclesiasticum; ergo idem dici potest de pensione, ergo sub potestate,quam habet Episcopus ad approbandam permutationem, comprehẽdi potest hæc permutatio beneficij cum pensione. Sed nihilominùs probabiliorem existimo partem propositam,quam intendit Bellam.suprà,&eandem tenet Paul.Rom. suprà referens multos. Affert autem multas rationes, quarum aliquæ procedunt de pensione merè temporali;aliæ tales sunt, vt etiam pensiones datas in titulum beneficij comprehẽdere videantur; aliæ videntur eò tendere, vt etiam Pontifici hæc potestas negetur contra priorem partem nostræ assertionis, ac denique nonnullæ ex illis rationibus magis ad nomen permutationis, quàm ad rem pertinere videntur, vt in sequentibus attingam. Ratio ergo vnica huius partis est, quia licet pensio hæc spiritualis sit, non tamen est beneficiũ, nec est perpetua, nec natura sua transfertur in alium, nec per Canonicam institutionem confertur, inferioribus autẽ Prælatis tantum cõcessum est,vt permutationes beneficiorum facere, & tractatus, seu conuentiones permutare volentiũ approbare valeant, eisque auctoritatem dare,ergo non possumus Iura extendere ad permutationem beneficij cũ pensione.

Cap. Postulasti.

Negatiua pars eligitur. *Bellam. Paul.*

5. Obiectiones contra priorem partem cõclusionis. *Paul. Rom.*

Sed contra priorẽ partẽ obiici potest ex Romano suprà, quia Papa non potest mutare naturam pensionis, & permutationis; sed natura pensionis est, vt eo ipso quòd pensionarius illi renunciat, extinguatur, & nihil sit, ad permutandũ autẽ necesse est renunciare pensioni,quæ eo ipso nihil est;ergo nó potest cum illa perfici permutatio;nam permutatio debet esse cum re aliqua, non cum nihilo. Et licet Papa possit renuncianti beneficium aliam pensionẽ conferre,nõ verò illammet numero, quæ antea erat,& ita nó fit permutatio. Confirmat hãc rationem ex aliis multis cõditionibus permutationis quæ nõ possunt in pensionẽ conuenire,vt quòd sit inter res eiusdem speciei, & in præsenti, quòd fiat per reciprocã renunciationem,& collationem, & similia;ergo ex natura talium rerũ repugnat esse inter eas verã permutationem, & ideò mirum non est,quòd etiam per Papam fieri non possit.

6. Soluuntur obiectiones.

Sed hæc apud me patũ vrgent, facilè enim possunt expediri, quatenus ad rem spectant, & de nominibus non est contendendum. Possunt ergo duo volentes sic permutare ita conuenire,&consentire inter se,vt si Papa velit facere, vt beneficium vnius transferatur in alterum, & pensio huius in illũ, ipsi consentiant, & hoc modo renunciabunt iuribus suis, & non aliter. In hoc enim nulla est Simonia, cũ totum referatur ad cõsensum Pontificis,& totũ versetur in materia spirituali. Certũ item est,posse Pontificem illas renunciationes illo modo admittere,& effectum præstare, quod ille auctor non videtur negare,& videtur ex se euidens,quia vtraque pars per se spectata subiacet potestati Pontificis,& in coniunctione earum nihil est contra Ius diuinũ cũ tota materia spiritualis sit ex vtraque parte.Iam ergo disputatio est de nomine, negando, ibi fieri permutationẽ. Addo verò nihil ibi necessariò immutari de proprietate permutationis. Quia falsum est, pensionem extingui per illam renunciationem, quia non est absoluta,sed cũ tali conditione, quòd in alterum transferatur,& ita si conditio impletur, non extinguitur,& si non impletur,permanet, sicut anteà. Falsum item est,pensionem translatam in aliam personam,non esse eandem numero, quia pẽsio (vt sic dicam) non accipit suam indiuiduationem à persona,cui soluenda est,sed à beneficio, cui inhæret ex vi talis impositionis, & quasi diuisionis priùs factæ in tali præbenda. Et licet prior impositа fuerit pro vita talis pensionarij, & posteà prolõgetur, vel in aliam vitam transferatur, non est alia pensio,sed eadem. Denique vera permutatio etiam potest subsistere inter res specie diuersas, vt tradit Decius in Leg. 2. ff. *Si certum petatur*, latè Pinel. Cod.de Rescin.vendi.in Rub.par.2.cap.2. num. 9. Et in præsenti,vt talis permutatio vera, & licita sit, sine dubio sufficit, vt vtraque res spiritualis sit, & vicissim conferatur auctoritate Superioris habentis potestatẽ,siue detur per institutionem, seu collationem Canonicam, siue alio modo, & siue sit perpetua, siue temporalis, dummodo in alterum transferri possit, saltem ex concessione Prælati approbantis permutationem.

Decius. Leg. 2. Pinel.

Contra alteram partem etiam obiicitur, quia permutatio beneficiorum fauorabilis censetur, vt tradit Feder. de Sen. dicto Tract. q. 18. cum Glos. in cap.vnic.de Rer.permut.in 6.Glos.2. & sequentibus vsque ad 6.Ergo debemus verba Iurium,quæ ad illam pertinent,amplè interpretari, facultas igitur quæ conceditur Episcopo approbandi permutationem beneficiorum,amplè est intelligenda; ergo comprehendet etiam pensionem spiritualẽ,quæ largo modo sub beneficio comprehenditur. Respondeo in primis (quidquid sit de antecedenti)negando consequentiam: tum quia ampla significatio ad summum extendi debet intra proprietatem verborum; beneficium autem in propria significatione sua non comprehendit talem pensionẽ, quia nec definitio,nec proprietates beneficij illi conueniunt,vt constat, tum etiam quia siquis consideret verba capit. *Quærenti* (in quo textu maximè conceditur hæc potestas Episcopis) facilè intelliget, sermonem esse de propriis beneficiis, quæ ad Ecclesiarum vtilitatem, vel necessitatem instituta sunt, pensiones autem huiusmodi non sunt. Et similiter in d.c.vni.sermo est de beneficiis, quæ per propriã collationem Episcoporum dari possunt. Et confirmatur, quia aliàs posset etiam Episcopus approbare permutationes pensionum inter se, si pensio in his Iuribus veniret nomine beneficij: consequens autem communiter non admittitur, quia cum pẽsionum collatio, seu consignatio ad Episcopũ non pertineat, neq; illarum commutatio ad illum pertinet:sed solus Papa,qui potest illas præstare, & licentiam ad illas transferendas tribuere, potest etiã commutationes approbare. Et quamuis det licentiam simpliciter transferendi pensiones, non censetur dare licentiam cõmutandi, quia hoc est contra Ius commune, & ideò si commutatio fiat, cum illius approbatione facienda est.

7. Obiectio contra alteram partem assertionis. *Feder. Gloss.*

Satisfit.

C. *Quærenti.*

Cap. vnic.

Deinde addo propter antecedens assumptum, materiam permutationum beneficiorum nõ videri mihi simpliciter fauorabilem, sed potiùs odiosam, & ideò extendendam non esse. Glossa citata oppositum dicit, non loquitur enim de permutatione simpliciter, & per se spectata, sed respectu expectatiuarum, & sic dicit esse fauorabilem respectu expectatiuæ, quod per se pertinebat ad textum illum,qui peculiariter conditus fuit, vt effectus per-

8. Materia permutationũ odiosa potiùs quàm fauorabilis videtur. *Gloss.*

mutationem propter expectatiuas non impedire- A tur, maiorem fauorem præbens permutationibus, quàm expectatiuis. Et meritò tum quia permutantes habent proprium quoddam, & quasi intrinsecũ Ius, expectantes verò valdè extrinsecum, & diminutum, tum etiam quia expectatiuæ sunt simpliciter odiosæ,& ideò per Concil. Trid. sess. 24. c. 19. de Refor. sublatæ sunt, permutationes verò tolerãtur, & non habent tot incommoda, & interdum possunt esse Ecclesiis vtiles. Simpliciter verò,& ex suo genere (vt sic dicam) non sunt fauorabiles, vnde non sunt valdè antiquæ,& ita continent relaxationem quãdam antiqui rigoris, & quasi dispensationem communis Iuris de vitandis pactionibus in spiritualibus, & ideò non est facilè admittenda tã- B ta ampliatio Iurium,quæ de illis loquuntur,sed satis est quòd ad omnia illa,quæ in proprietate,& rigore,verborum continentur,extendantur.

Conc. Trid.

9
Permutare pensionem temporalem cũ beneficio est Simonia contra Ius diuinum, nec fieri potest.
Zabar. Imol.

Dico tertiò. Pensio merè temporalis non potest cũ beneficio permutari absque Simonia contra diuinum Ius, vnde nec à Summo Pontifice fieri potest per modũ permutationis, licet alio modo possit Pontifex eundem effectum efficere. Prima pars communis est omnium Doctorum, quos retuli,& aliorum pluriũ,quos ipsi allegant. Præsertim Imol. in Clement. 1. §. *eadem* de Supplen. neglig. Prælat.& ibi Zabar. q. 8. Ratio verò vnica est, quia in tali permutatione venditur beneficium pro re temporali, sed hoc est contra Ius diuinum, vt suprà vidimus, C ergo. Maior patet, quia talis pensio,vt supponitur merè temporalis est, vnde quantũ est ex se,est pretio æstimabilis,& vendibilis,ergò habet propriam rationem pretij,si pro beneficio permutetur. Aliæ rationes adduntur, videlicet, quòd pensio est tantùm ad vitam pẽsionarij,vnde si pro beneficio permutaretur, posset contingere eum qui beneficium dat,& pensionem accipit, priuari omnibus reditibus,si alter priùs moreretur. Sed hæc ratio non cogit,tum quia Papa potest facere, vt pensio transferatur ad vitam permutantis, tum etiam quia inde non colligitur Simonia, sed quædam inæqualitas pertinens ad summum ad iniustitiam, quæ tolleretur, si permutans sciens,& volens se exponeret tali D periculo. Et similes sunt aliæ rationes, quas propterea omitto,& quia proposita sufficit. Et eadem probat secundam partem, quia non potest Papa contra Ius diuinum agere, nec in eo dispensare. Et hanc partem latissimè prosequitur Romanus suprà, sed vt dixi, aliæ viæ quibus illam probare conatur,mihi non satisfaciunt,& nimium probarent, si essent efficaces.

Roman.

10.
Quomodo possit Pontifex eundem effectum præstare.

Vltima pars explicanda,& probanda est eodem modo, quo suprà diximus, & declarauimus, quomodo possit Pontifex facere,vt relinquens beneficium aliquam pecuniam accipiat, non dãdo vnum pro alio, sed relinquendo beneficium in manibus Pontificis, petendo ab illo, vt sua potestate, & pro suo munere, ac pastorali cura ipsi prouideat de aliquo sustentationis subsidio. Hoc ergo modo fieri E potest in præsenti tantò faciliùs,quantò reditus pẽsionum ex bonis ecclesiasticis soluuntur, quorum habet Pontifex supremam dispensationem. Potest ergo,& vni dare beneficium alterius & pensionem, quam alter habebat, etiamsi temporalis sit,transferre in alterum, non tanquam pretium beneficij, sed tanquam alimentum quod ipse confert sua potestate. Et ita etiam intelligitur, ibi non interuenire propriam permutationem inter partes,quia non possunt reuera dare vnam rem pro alia, sed tantùm se constituere in manu Pontificis, declarando desiderium suum,& necessitatem. Quare tunc non videtur renunciatio facienda sub illa clausula, *Non aliter,nec alio modo*, sed simpliciter totum negotium constituendo in prouidentia Pontificis, alioqui nõ video,quomodo possit permutatio à labe Simoniæ purgari; quia necessariò includeret pactum cõmutandi spirituale pro temporali. Posset autem dici, quòd per intentionẽ posset Simonia separari; quia non intendo per temporale emere spirituale, vel è contrariò,sed tãtùm me indemnem seruare, & necessitati meæ prouidere, intuendo ad temporalia tantùm, quæ in vtraque parte inueniuntur, & illa inter se cõmutando ex consensu Pontificis, & nullo modo dando temporale pro spirituali,licet illud quasi concomitãter comparetur. Et fortasse potest hoc probabiliter defendi, vt supra etiam tactum est. Tamen priorem modum iudico securiorem,& seruandum, & ita in eo nulla est difficultas. Quia Papa potest ex officio suo nolle dare beneficium vni,nisi renunciet pensioni, non quia det pro pensione, sed quia non vult illum habere tot reditus ex bonis Ecclesiæ, quod iustissimè facere potest, quod si ille relinquat pensionem, etiam potest Papa illam conferre alteri,vt habeat, vnde viuat. Et tunc haberet locum ratio suprà facta, quod illa nõ sit permutatio,quia prior pensio extinguitur, & altera de nouo creatur auctoritate Pontificis. Et ita permutantes inter se nihil sibi inuicem donant. Et consequenter omnis ratio,& fundamentum Simoniæ tollitur.

Ratio fundamentalis.

11.
An commẽda cum beneficio permutari possit.
Victor. Adrian.

Et iuxta hæc similis quæstio de Commenda definienda est, An possit pro beneficio comutari,quã tractat Victor. dicta Relect. num. 46. Et defendit non posse. Et idem dicit de officio temporali, vt notariatu,&c. Reprehenditque sententiam Adriani,qui in d. Quodlib. 9. ad 5. dixit auctoritate Pontificis fieri posse, quia Pontifex potest separare fructus præbendæ à Iure spirituali, & ita concedere commutationem inter illos,& commendam. Contra quod obiicit Victor. quia falsa est fictio, nam reuera ille, cui datur præbenda, non percipit fructus, nisi in vi spiritualis Iuris. Cuius signum est, quia si non recitet, non faciet fructus suos, & grauiter peccaret ratione beneficij etiam si ordinem sacrum non habeat. Quæ ratio iudicio meo benè probat, non posse fieri propriam commutationem etiam à Papa, vnius rei pro alia, non verò probat, quominùs Papa vt Superior Prælatus, & dispensator conferre possit beneficium cum onere dandi alteri sustentationem, vel aliquid loco eius, quod potest esse vel commenda, vel aliquod officium ecclesiasticum. Nec etiam probat, non posse Papã in se suscipere renunciationẽ, & prouisionem illarum rerum,& postea illas distribuere,prout sibi videbitur expedire: in hoc enim nulla emptio, aut venditio inter partes interuenit.

CAPVT XXXIV.

Vtrùm permutatio inæqualitum Beneficiorũ fieri possit, facta temporali recompensatione absque Simonia: Et concluduntur conditiones necessariæ ad puram permutationem.

1.
Omnia beneficia, quæ propriè talia sunt, possunt inter se permutari.

SVppono,omnia illa beneficia, quæ propriè talia sunt, posse inter se simpliciter permutari in manibus Superioris sine Simonia,siue simplex pro curato siue curatum pro dignitate, vel Canonicatu,siue tenue pro pingui,siue è cõtrariò,& siue vnũ pro vno,siue pro multis permutetur. Iura enim in hoc nihil distingunt, & ideò nec nos distinguere debemus cum nulla cogat ratio, neque ex natura rei vnum sit magis intrinsecè malum, aut magis nociuum

nociuum Eccleſiæ, quàm aliud. Et ita in hoc conueniunt Doctores allegati cap. præced. Panorm. Deci. & alij in capit. *Cum venerabilis*, de Exception. Zabar. cum Paulo in dicto Clement vnic. quæſt. 2. numer. 10. Idem Rebuff. in Pract. titul. de Permut. numer. 40. & 49. Feder. Senen. in tractat. de Benef. permut. quæſt. 12. num. 2. Qui rectè aduertit hanc regulam intelligi, quantum eſt ex vi permutationis: nam ſi aliundè requiratur diſpenſatio ad plura beneficia obtinenda, licet qui eatenet, ſit diſpenſatus, non poterit permutando vtrumque dare alteri non diſpenſato, quia non poteſt diſpenſationem in alium transferre, ſed neceſſarium erit, vt ſupponatur in alio diſpenſatio, quod per ſe ſatis clarum eſt. Vt latiùs proſequitur Ægidius de Bellam. in tract. de Perm. benef. 3. part. quæſt. 10. à num. 7.

Panor. Deci. Zabar. Paul. Rebuff. Feder.

Bellam.

Ex hac ergo regula colligitur, beneficia, inter quæ fit permutatio; interdum eſſe poſſe æqualia in omnibus, ſcilicet tã in dignitate, & titulo ſpirituali, quàm in munere, & in præbenda, & reditibus, interdum verò eſſe inæqualia, quod poteſt accidere variis modis. Primò vt vnum ſuperet aliud in omnibus, ſcilicet in ſpiritualibus, & temporalibus. Secundò vt ſe habeant, ſicut excedens, & exceſſum, quia ſcilicet vnum in ſpirituali, aliud in temporali ſuperat. Tertiò quod ſint inæqualia in ſpiritualibus, & æqualia in temporalibus. Quartò è contrario vt in ſpiritualibus æqualia ſint, ſed in temporalibus aliud ſit dignius. Quando ergo beneficia ſunt omni ex parte æqualia, nulla eſt difficultas, quia tunc per ſe loquendo ſimpliciter, & ſine vlla adiunctione ex alterutra parte cõmutari debẽt, nam id ratio æquitatis poſtulat præter Religionis, ac Simoniæ rationem, de qua ſtatim dicetur, & ita videtur in ipſo facto, vſu ſeruari. Quædam verò difficultas, quæ hic excitari poſſet inferiùs expedietur commodiùs.

2. 4. modis beneficia ſunt inæqualia.

At verò quando beneficia ſunt inæqualia, nonnulla dubia oriuntur. Vnum eſt, an liceat inæqualitatem compenſare, data pecunia, vel aliquo dono temporali æquiualente: Aliud eſt, an ſaltem hoc liceat, imponendo penſionem ſuper alterum ex beneficiis. Circa primum, vnum eſt certum, videlicet, quando exceſſus eſt in ſpirituali, non licere illum ſupplere, dando pecuniam, vel aliquid æquiualens temporale, Ratio eſt clara, quia tunc venderetur ſpirituale pro temporali ſaltem ex parte. Vnde talis Simonia iam non eſſet contra Ius poſitiuum, ſed diuinum, iuxta ſuperiùs dicta de beneficiis, quatenus ſunt materia Simoniæ. Et ita hoc eſt indubitatum apud omnes, quos ſtatim referam. Vnde bene intulit Sylueſt. in verb. *Permutatio* 2. quæſtion. 6. cum Archidiacono etiam cum auctoritate Prælati id non poſſe fieri, quia cum ſit contra Ius diuinum, parùm prodeſſe poteſt Prælati auctoritas. Hinc verò colligunt aliqui, quoties beneficium dignius, & tenuius pro pinguiori, & minus digno commutatur, Simoniam committi, quia exceſſus dignitatis cum exceſſu fructuum compenſatur. Sed hoc ad præſumptionem tantùm pertinere poteſt, non neceſſariò ad veritatem. Nam ſi recta intentione fiat poterunt talia beneficia ſimpliciter, vnum pro alio commutari, ſine reſpectu ad pretium temporale pro re ſpirituali: & ita nec in foro exteriori præſumetur Simonia, ſi nudè, & purè fiat permutatio in manibus Prælati, quia ibi per ſe non eſt malum aliquod, & ideò potiùs præſumitur bene factum, quod non probatur malum. Imò etiam in foro interiori licet quis ſumat occaſionem permutationis ex temporali commodo, & ab illo ita moueatur ad volendum permutare, vt ſine illo non eſſet permutaturus, non ideò eſt coram Deo Simoniacus, quia nihilominùs non intendit emere rem ſpiritualem, hæc enim duo non repugnant, vt in quarta deciſione latiùs dicemus.

3. An liceat inæqualitatẽ beneficij, tẽporali dono compenſare?

Quando exceſſus eſt in re ſpirituali, non licet.

Sylueſt. Archid.

An poſſit vnum beneficiũ dignius, & tenuius, propinquiori, & minus digno commutari ſine Simonia?

Punctum ergo difficultatis ſolùm eſt, quando beneficia ſunt inæqualia in fructibus temporalibus, an liceat per numeratam pecuniam illum inqualitatem reficere, nullo modo intendendo dare pretium pro ſpirituali titulo, ſiue dignior ſit, ſiue non ſit. In quo puncto fuit multorum opinio, hoc non eſſe intrinſecè malum, neque prohibitum, ſi interueniente auctoritate Prælati fiat, & ideò tunc non eſſe Simoniam. Ita tenet Caietanus dicta quæſtione 100. art. 4. Panormitanus pro eadem ſententia refertur in cap. *Ad quæſtiones*, de Rerum permutatione numer. 3. quem ſequitur Sylueſt. verb. *Permutatio* ſecundò quæſtione 6. Angel. eodem numer. 6. Tabien. Beneficium 3. numer. 15. Ratio eorum ſolùm eſt, quòd licet ibi ſint coniuncta ſpirituale, & temporale, intentione diſtingui poſſunt, & cum proportione ſpirituale pro ſpirituali, & temporale pro temporali permutari, licet vno actu, & contractu vtrumque ſimul fiat; ergo ſimiliter poteſt per intentionem rectam fieri, vt pecunia detur pro temporali, & non pro ſpirituali. Confirmatur primò ex dicto capit. *Ad quæſtiones*, vbi Pontifex dicit, poſſe Eccleſiam pro Eccleſia permutari, & poſſeſſiones vnius Eccleſiæ pro poſſeſſionibus alterius, addita pecunia pro ſupplenda inæqualitate poſſeſſionum, dummodo contractus non miſceantur. Secundò confirmari poteſt ex dicto capite *Quæſitum*, eodem. Vbi priùs dicitur, permutationes beneficiorum, præſertim pactione interueniente, Iure eſſe prohibitas; poſtea verò dicitur, auctoritate Epiſcopi poſſe fieri, ergo licet pactio intercedat dandi pecuniam ad ſupplendum temporale, non erit prohibita, ſi auctoritate Superioris fiat.

4. Quando beneficia ſunt inæqualia in fructibus. An liceat per pecuniã inæqualitatem reſarcire? Pars affirmatiua. *Caiet. Panor. Sylueſt. Angel. Tabien.* Fundamentum.

Ad quæſt.

C. Quæſitum.

Alia verò ſententia ſimpliciter negat, hoc eſſe licitum. Hanc tenet Adrian. Quodlib. 9. artic. vltim. ad 5. Vbi de Angelo dicit, & grauiter erraſſe, & Panormitano falſum impoſuiſſe. Et in hoc ſecundo, videtur meliùs intellexiſſe Panormitanum. Nam verba eius ſunt. *Nota, quòd Eccleſia pinguior non poteſt permutari cum Eccleſia tenui, interueniente pecunia ſimpliciter ex ea parte, quia videretur pecunia data pro reditibus ſpiritualibus, vel pro re ſpirituali obtinenda.* Vbi ponderanda eſt vltima cauſalis propoſitio, in qua duo diſtinguit Panormitanus ſcilicet reditus ſpirituales, & rem ſpiritualem: Vbi non poteſt reditus ſpirituales vocare, niſi reditus beneficiales (vt ſic dicam) qui ſpirituales vocantur, quia titulo ſpirituali comparantur, & illi diſtinguntur ab ipſo titulo tanquam à re ſpirituali, nec poteſt intelligi, quo alio modo illa duo diſtinguantur. Et tamen de vtroque negat Panormitan. poſſe pecunia redimi, vel compenſari, & ita intelligit textum illum. Vnde ſubiungit. *Debet ſeruari cautela, quam tradit iſte textus vt pecunia ſuppleatur, non propter reditus ſpirituales* (id eſt, beneficiales, vt declaraui) *ſed propter complures reditus temporales alterius Eccleſiæ.* Id eſt, propter reditus aliarum poſſeſſionum Eccleſiæ, quæ patrimoniales dicuntur, quarum reditus non ſunt annexi ſpirituali officio, aut titulo, ſed ſunt temporalia bona Eccleſiæ ad ſuſtentanda eius onera, & in caſu illius textus ad Monaſteria illa, quæ permutationes faciebant, pertinebant.

5. Pars negatiua *Adrian.*

Et ita declaratus ille textus nihil facit pro prio- A
ri opinione. Imò fauet posteriori, pro qua subinde
Panor. meritò potest Panormitanus allegari. Et ita etiam
idem sensit in capite *Ad quæstiones*, de Rerum per-
mutat. numero tertio, & in capite *Cum venerabilis*,
de Exception. notab. quarto, numer. quarto eodem
modo exponens textum illum, ibi *Theodosius Episco-
pus cum suorum sacerdotum assensu prædictam Ecclesiam
Sancti Viti pro quibusdam Ecclesiis, & rebus aliis in cam-
bium, vestro duxit monasterio concedendam.* Nam si illæ
res aliæ temporales fuerunt (ait Panorm.) data sunt
non pro bonis alterius Ecclesiæ, quæ habebantur
in titulum, sed pro aliquibus quæ habebantur
in proprietatem: nam priùs dictum fuerat, Mona-
sterium illud prætendisse illam Ecclesiam in spiri-
Cardin. tualibus, & temporalibus ad se pertinere. Atque B
Imol. hoc modo hanc etiam sententiam tenent Cardin.
Anchard. Imol. & Anchar. Item Nauar. d. cap. 23. num. 100.
Nauar. ver. *Tertio.* Vbi eandem interpretationem cap. *Ad*
Gregor. *quæstiones*, indicat. Idem Gregor. Lopez in Leg. 2. tit.
Lopez. 6. partit. 5. Couarru. libr. 1. Variar. capit. 5. num.
Couar. 8. & 9. licet malè alleget Panormitanum in con-
Sot. trarium. Et idem videtur tenere Sot. dicto lib. 9.
quæst. 5. art. 2. & quæst. 7. artic. 2. quamuis varia
dicere videatur. Priùs enim apertè dicit, hoc esse
contra Ius diuinum, ideóque nec per dispensatio-
nem Papæ posse licere. Et tamen in posteriori loco
in fine respondendo ad argumenta, videtur planè
approbare opinionem Caietani, imò extendere il-
lam, vt infrà videbimus. Posset autem in hoc vlti-
mo loco exponi, vt loquatur de pensionibus, non C
de pecunia numerata, nam argumentum, cui re-
spondet, de pensionibus procedebat, quia diuerso
modo de his locutus fuerat, & quia non est verisi-
7. mile in eodem articulo docuisse contraria.
Fundamen- Fundamentum huius sententiæ est, primò quia
tum partis non potest talis compensatio per pecuniam fieri,
negatiuæ quin vendatur id, quod est spirituale in beneficio,
ergo non potest id fieri sine Simonia contra Ius di-
uinum. Consequentia patet ex suprà dictis: & ante-
cedens probatur, quia ille contractus partim per-
mutationis est, partim emptionis, & venditionis.
Panorm. Quamuis enim Iuristæ disputent, an contractus
similis sit venditio, vel permutatio) vt videre licet
in Panormitano dicto cap. *Ad quæstiones* num. 4.)
tamen vt tollatur quæstio de nomine, & explice- D
tur res in ordine ad forum conscientiæ, rectè dice-
mus, ibi esse contractum mistum. Nam quatenus
spirituale pro spirituali, & fructus integri beneficij
tenuis cum parte æquali fructuum pinguioris be-
neficij datur, permutatio fit, quatenus verò datur
certa pecuniæ summa pro reliquo excessu fructuũ,
est emptio illius partis fructuum: ergo ex illa parte
necesse est emi spiritualem titulum. Probatur con-
sequentia, quia illa pars fructuum non emitur ni-
si vt annexa spirituali titulo, & comparanda per
spiritualia munera, quia hanc habet annexionem,
nec potest à permutantibus separari, ergo illa par-
Cap. *Siquis.* te vendita, necesse est titulum spiritualem ven-
di, iuxta caput *Siquis obiecerit* 1. quæst. 3. & om-
nia suprà dicta de annexis consequenter ad spiri- E
8. tualia.
Ratione ef- Secundò est optima ratio, quia aliàs etiam lice-
ficaci cõfir- ret dare alteri beneficium, non causa permutatio-
matur. nis, sed simplicis renunciationis, dando illi gratis
titulum spiritualem, & recipiendo ab illo recom-
pensationem fructuum in pecunia numerata, sal-
tem quatenùs excederent congruam sustentatio-
nem: at hoc esset vendere beneficium, etiam quo-
ad spirituale, solùm propter connexionem, ergo
idem est si pro parte fiat similis emptio. Et eadem
ratione si vnum beneficium nullos haberet fructus, A
& aliud haberet, possent commutari, dando æqui-
ualentem pecuniam pro fructibus omnibus alte-
rius beneficij. Quam sequelam conatur Caietanus
negare assignando differentiam inter partem, &
integros fructus. Quia quando vtrumque benefi-
cium (ait) habet fructus, potest fieri inter eos com-
mutatio; & compensatio excessus est quasi quid
consequens, & accessorium, quando verò alte-
rum beneficium non habet fructus, non potest
fieri permutatio fructuum, sed venditio. At certè
hoc nihil ad causam refert, quia si venditio fru-
ctuum (etiamsi mente, & intentione per se spe-
ctentur) est illicita, etiam permutatio eorum cum
adiuncta venditione partiali est illicita. Probatur,
quia si venditio est illicita, ideò est, quia fructus il- B
li in re ipsa venduntur, vt annexi titulo spirituali
consequenter ad illum, & ideò necessariò etiam
venditur ipse titulus, sed hæc eadem ratio habet
locum in permutatione, quæ habet admistam par-
tem pretij, vt euidenter probatur in dicto cap. *Ad* C. *Ad quæs.*
quæstiones, & ratio conuincit, quia illa est quædam
partialis emptio vt declaratum est, ergo. Vnde è
contrario si fructus cum permutantur possunt ita
mente separari, vt tanquam res merè temporales
tractentur, & in temporalem recompensationem
trahantur, profectò etiamsi integri considerentur,
poterunt eodem modo separari, ac subinde vendi.
Hoc autem fateri, videtur valdè absurdum, quia sic
licitè fiet beneficiorum venditio, ergo. Vltimò præ-
ter Ius diuinum quod rationes factæ ostendere vi-
dentur, videtur ille contractus omninò prohibitus
per generalem regulam Iuris Ecclesiastici in capit. C. *Cum pri-*
Cùm pridem, & c. vlt. de Pactis, & cap. *Quamplo* 1. q. *dem.*
2. & c. *Cùm olim*, & cap. *Cùm vniuersorum*, de Rerum Cap. vlt.
permu. cum similibus, in quibus pactiones de tem- C. *Quamplo.*
poralibus pro spiritualibus, vel spiritualibus anne- C. *Cum olim.*
xis prohibentur. C. *Cum vni-*
uersorum.

Inter has sententias, hæc posterior simpliciter, 9.
ac moraliter loquendo vera est, & omninò tenen- Secũda sen-
da; prior verò solùm in vno casu extraordinario tentia vera
posset aliquo modo locum habere. Ad hoc ergo iudicatur.
explicandum dico primò. Permutare pingue be-
neficium pro tenui cum pecunia quocumque mo-
do, & intentione fiat sine auctoritate Superioris,
Simonia est non solùm contra Ius positiuum, sed
etiam contra diuinum. Hoc probant clarè rationes
factæ pro secunda sententia; & quoad primam [Permutare
partem non negatur ab Auctoribus primæ senten- benefi. pin-
tiæ; quoad postremam verò pendet ex dictis suprà gue pro te-
de materia Simoniæ contra Ius diuinum, sub qua nui cum pe-
ostendimus comprehendi Ecclesiastica beneficia, cunia sine
ex quo principio apertè deducitur hæc pars, vt auctoritate
ostensum est. In hoc ergo differt hæc Simonia, seu Prælati est
permutatio ab illa, quæ simpliciter fieri potest pri- Simonia cõ-
uatim inter beneficia pura, illa enim non est Si- tra positiuũ
monia contra Ius diuinum, sed contra huma- & cõtra di-
num. vt dictum est, hæc autem etiam contra di- uinum.
uinum.

Dico secundò. Permutatio beneficiorum inæ- 10.
qualium in fructibus cum adiectione pecuniæ ex Eadem per-
parte tenuioris, etiamsi fiat in manibus cuiuscun- mutatio si
que Prælati inferioris Summo Pontifice, Simonia- fiat in mani-
ca est. & contra legem Ecclesiæ, & contra diuinam. bus Prælati,
Hæc assertio, de propria permutatione intelligen- qui non sit
da est, nam de transactione infrà dicitur, habet Sum. Pontif.
enim specialem rationem. Hæc autem conclusio Simoniaca
quoad primam partem de Iure positiuo non vide- est cõtra hu-
tur negari à priori opinione, præsertim à Caietano manũ. & di-
vt statim dicam; alij enim Summistæ nihil decla- uinum Ius.
rant, sed absolutè loquuntur. Hanc etiam partem *Caietan.*
Gloss.
expressè

expreſsè docuit Gloſſ. ibi communiter probata in dicto cap. *Cùm pridem* de Pact. Probaturque ſufficienter vlt. argumento facto pro ſecunda ſententia, quia commutatio ſpiritualis rei pro materiali, & maximè pro pecunia, ita eſt in Iure prohibita, vt nullius Superioris auctoritate honeſtari poſſit, vt apertè colligitur ex capit. vlt. de Rerum permut. Vbi pactio facta iudicum arbitrorum auctoritate illicita iudicatur propter interuentum rei pecuniariæ: & in capit. *Cùm pridem*, de Pact. pactio rei ſpiritualis pro materiali adeò turpis iudicatur, vt nec Papa ipſe illam ſoleat tolerare, aut admittere. Denique prohibitio ſimilis pacti valdè abſoluta eſt in Iure, vt (præter citata Iura) habetur in cap. *Nemini*, 19. quæſt. 7. vbi dicitur. *Nemini Regum: aut cuiquam hominum liceat, &c.* Et nullibi inuenitur conceſſa facultas Epiſcopis, vel aliis Prælatis agendi, vel admittendi permutationes contra hanc Apoſtolicam prohibitionem, ergo non poteſt per Epiſcopos in hoc diſpenſari; nam inferior non diſpenſat in lege Superioris in caſibus ſibi non conceſſis, capit. *Cùm inferior*, de Maior. & obed. Neque eſt verum, quod in dicto capit. *Quæſitum* detur talis facultas Epiſcopo: tum quia (vt ſuprà oſtendi) in illo textu non eſt ſermo de permutatione ſpiritualis pro temporali, ſed de pura beneficiorum permutatione, tum etiam quia potiùs ibi videtur limitata poteſtas Epiſcopi ad transferendas perſonas ab vno loco ad alium propter neceſſariam, vel vtilem cauſam, nullo autem modo propter pecuniam. Ergo ad ſummum poteſt extendi eius facultas ad permutationem puram beneficiorum, ſeu ſpiritualium inter ſe, vt ſuprà explicuimus. Ratio autem huius partis magis patebit, probando ſecundam.

Cap. vlt. *C. Cùm pridē* *C. Nemini.* *C. Cū inferior* *C. Quæſitum.*

11. Probatur eſſe cōtra Ius diuinum.

Quod ergo tunc Simonia ſit cōtra Ius diuinum, probandum eſt ex dictis ſuprà de materia Simoniæ quoad beneficia, quia Epiſcopus non poteſt diſiungere fructus annexos officio à titulo beneficij: imò nec poteſt beneficium cum diminutione conferre, vt ſtatim dicetur. Ergo non poteſt facere, quin pecunia quæ datur in compenſationem exceſſus fructuum detur pro illis vt annexis ſpirituali titulo, ergo nec poteſt efficere, quin detur pro ipſo titulo, iuxta regulam textus in cap. *Siquis obiecerit* 1. qu. 2. quòd vbi eſt talis connexio, qui vnum vendit, nihil inuenditum relinquit. Quod maximè, ac neceſſariò procedit in his temporalibus, quæ conſequenter, ac dependenter ſunt annexa ſpiritualibus. At verò dare pecunias pro ſpirituali titulo, eſt contra Ius diuinum, ergo licet fiat ex auctoritate Epiſcopi, eandem malitiam retinet.

C. Siquis.

12. Probabile eſt hoc poſſe fieri ſine Simonia auctoritate Papæ.

Dico tertiò. Nihilominùs probabile eſt, hoc poſſe fieri abſque Simonia auctoritate Papæ, non per modum propriæ permutationis, nec per propriam diſpenſationem, quæ in Ius diuinum non cadit, ſed permutationem factam ex parte materiæ, & quaſi nouum Ius ex parte ipſarum rerum, inſtituendo. Ita videtur explicare mentem ſuam Caiet. vt patet ex ſecunda obiectione, quam facit cum reſponſione, ſupponit enim debere interuenire Papæ auctoritatem. Idem ſupponit in ſecunda reſponſione ad primam obiectionem, vbi loquitur de illo caſu, in quo beneficium nullos habens reditus pro beneficio illos habente permutatur, recompenſatione facta per pecuniam, cenſet enim, fieri poſſe ex plenitudine poteſtatis Papæ, & non aliàs. Vnde idem ſentit etiam, quando recompenſatio eſt pro parte fructuum, aliàs illo modo non ſatisfaceret obiectioni. Præterea hoc tenet apertè

Caiet.

Gloſſ. in dicto cap. *Cùm pridem*, & omnes Canoniſtæ, qui putant, Simoniam in venditione beneficiorum ſolùm eſſe contra Ius poſitiuum. Nos autem eo modo, quo ſuprà diximus, licet vendere beneficium formaliter ſit contra Ius diuinum, nec Papa poſſit in eo diſpenſare, nihilominùs poſſe per Papam fieri, vt pecunia intercedat ſine emptione; ita hîc dicimus, fieri non poſſe, vt ſpirituale pro tēporali permutetur, neque in hoc cadere diſpenſationem, & nihilominùs poſſe mutare materiam illam, ſeparando à pinguiori beneficio partem fructuum, & applicando illos in ſuſtentationem alterius, qui tenue beneficium recipit, & concedendo, vt fructus ſic ſeparati pecunia compenſentur. Vel etiam poteſt permittere, vt alter, qui beneficium pingue recipit, det aliquid alteri, non in compenſationem, vel permutationem pro fructibus, ſpiritualibus, ſed in congruam ſuſtentationem eius, qui tenuius beneficium recipit. Eſt enim in poteſtate Pontificis diſpenſatio, & applicatio talium fructuum, & ad eum pertinet, prouidere modum, quo vterque retineat congruentem ſuſtentationem, vel ſtipendium proportionatum, & ideò poteſt denudare talem pecuniam à ratione pretij, & illam admittere loco ſtipendij ſuſtentationis. Quo Iure cōſtituto per Pontificem, ſi pura ſit intentio, ceſſat Simonia, quia ceſſat venditio. Quia tamen hoc periculoſum eſt, & malā ſpeciem habet, ideò non conſueuerunt Pontifices ordinariè hoc permittere, vt ſuprà dixi, & ex Iuribus proximè citatis conſtat.

Gloſſ.

13. Satisfit rationibus primæ ſententiæ.

Ratio ergo prioris ſententiæ ſolùm habet locū, ſuppoſita huiuſmodi conceſſione, & mutatione facta per Pontificem, illa verò ſecluſa, non valet ſola intentione purgare Simoniam, quia nō poteſt mutare naturam talis materiæ, nec diſſoluere annexionem fructuum ad talem ſpiritualem titulum, nec nouam facere. Caput autem, *Ad quæſtiones*, vel non eſt ad rem, vel potius probat contrarium. Ibi enim non agebatur de permutationibus beneficiorum, ſed Eccleſiarū, quę erāt vnitę duobus Monaſteriis, & conſequenter ab eis poſſidebantur, non titulum beneficij, ſed in proprietatem ad ſuorum conuentuum ſuſtentationem, vt Couar. & antiquiores ſuprà citati aduertunt. Et in vniuerſum dicunt Iuriſtæ, beneficia perpetuò vnita Monaſterio iam non reputari, vt beneficia, ſed vt bona propria Monaſterij, cui vnita ſunt, vt videre licet in Ludou. Gomez in Regul. de Infirmis, quæſt. 15. & Mand. quæſt. 10. & aliis in Clemen. vnic. de Reſcript. & in Clement. vnic. de Sequeſtrat. poſſeſ. Quia verò Eccleſiæ licet vnitæ habent duplicia bona quædam pertinentia ad Ius Decimarum, quod ſemper ſpirituale eſt, & propriè pertinet ad Eccleſiam vt talis eſt, alia pertinentia ad poſſeſſiones, quæ ſimpliciter ſunt bona temporalia immobilia, & per ſe non habent annexionem aliam ad titulum ſpiritualem, ſed ſolùm ſunt ſub dominio temporali Eccleſiæ, ideò dixit ibi Pontifex, Eccleſiam pro Eccleſia eſſe ſimpliciter commutandam, in quo noſtræ ſententiæ fauet, & inter poſſeſſiones, ſi permutentur, poſſe fieri recompenſationem in pecunia, ſi inæquales ſint, quia illæ merè ſunt temporales, quod nihil facit contra ea, quæ diximus. Imò addit Pontifex ita eſſe illam duplicem permutationem faciendam, vt contractus non miſceantur; vbi non prohibet, quin poſſint ſimul fieri, & vnus non ſine alio, quia non propterea miſcentur, licet concomitanter fiant, & liberum ſit contrahentibus non facere vnum ſine alio; nec prohibet, quin poſſint fieri per modum vnius virtute continentis plura partialia, quia

Gomez. *Mand.*

quia hoc non pertinet ad Simoniam, sed prohibet, A ne compensatio, quæ datur pro temporali, extendatur ad spiritualia, nec etiam aliquid amplius detur hoc titulo; tunc enim propriè miscerentur contractatus, & sic nulla est in illo textu difficultas. De capitulo autem *Quærenti*, iam satis diximus.

14. Rationes secũdæ sententiæ non officiunt tertiæ assertioni.

Rationes autem sententiæ posterioris probant primas duas assertiones nostras, & non procedunt contra tertiam, quia fatemur, iuxta illam non fieri permutationem temporalis pro spirituali, vel annexo spirituali, sed aut fieri pro redemptione temporalis oneris iam separati à titulo spirituali, vel applicari per Pontificem aliquid temporale ad sustentationem, & stipendium habentis tenue beneficium, eamque meritò exigi ab eo, qui beneficium pingue ab Ecclesia recipit. Et ita cessant alia incommoda, quæ ibi inferuntur. Illa enim simpliciter non licent; interueniente autem Pontificia auctoritate, & facta modo debito, & non per modum venditionis, aut propriè commutationis possunt sine inconuenienti fieri, vt explicatum est, & ex sequentibus illationibus magis constabit.

15. Permutatio beneficiorũ imponendo pensionem propria auctoritate, est Simoniaca contra Ius positiuum, & diuinum. *Sot.*

Ex dictis ergo facilè intelligi potest, an permutatio beneficiorum, imponendo pensionem alteri eorum, Simoniaca sit. Dicendum enim est primò, si propria auctoritate fiat, esse apertam Simoniam, etiamsi ad permutanda beneficia Prælati auctoritas interueniat, qui de pensione nihil nouit. Hoc est certum apud omnes, quia ibi interuenit pactio euidenter prohibita in Iure, vt visum est. Vnde inferunt aliqui talem Simoniam esse de Iure positiuo, C vt sentit Sot. Credo tamen esse contra Ius diuinum, quia euidenter datur spirituale pro temporali, talis enim pensio propria auctoritate imposita merè temporalis est, & pretio æstimabilis.

16. Idem dicendum si talis permutatio fiat ex auctoritate Prælati inferioris Papæ. *Sot.*

Secundò est idem dicendum, etiamsi talis permutatio, & pactio fiat cum auctoritate Prælati inferioris Papæ, quia illi concessum non est, vt possit permutationem facere, nisi purè, & simpliciter vt paulò anteà probatum est. Et tradit Quinti. Mandos. de Signatur. gra. tract. de Permut. in fine, & Sot. dicta quæst. 5. art. 2. & quæst. 7. art. 2. & colligitur ex cap. vnic. de Rerum permut. in 6. ibi, *Liberè, & sine fraude.* Et ratio est, quia Episcopus non potest facere diuisionem in beneficio iuxta tit. Vt beneficia sine diminutione conferantur. Et caput. D *Nisi essent*, de Præb. ibi *Ne fortè circa prouentus aliqua videatur facta sectio prioratus.* Vnde fit argumentum; nam vel pensio imponitur beneficio, & hoc ordinario Iure non cadit sub Episcopi potestatem, vt probant dicta Iura, & est communior sententia, & praxis, ac stylus Curiæ: vel imponitur personæ beneficiari, & sic est onus merè temporale, quod imponi non potest in commutatione beneficij, vt ostensum est. Sed obiiciunt aliqui ex dicto capite *Ad quæstiones*, de Rerum permutat. Nam illud de pensione intelligit Sot. & tamen Papa ibi non constituit pensionem, sed approbat ab Episcopo impositam. Sed textus ille non inducitur ad rem; tum quia vt dixi, non est in eo sermo de permutatione beneficiorum; tum etiam quia nulla mentio E fit de impositione pensionis, sed de compensanda per pecuniam inæqualitate possessionum; tum etiam quia si ageretur de pensione, non oporteret distinguere contractus, & res permutatas, sicut Pontifex ibi monuit. Patet, quia pensio auctoritate Superioris posset super Ecclesiam, & super spiritualia Iura imponi, vt statim dicemus. Quocirca illa compensatio pecuniaria, quæ ibi probatur, non pertinet ad potestatem imponendi pensionem in beneficio, sed ad potestatem alienandi possessionem temporalem Ecclesiæ in vtilitatem eius.

Obiectio. Soluitur.

Tertiò, dicendum est, permutationem beneficiorum inæqualium in temporalibus prouentibus factam cum onere pensionis in pinguiori beneficio, si auctoritate Pontificis fiat, nullam habere labem Simoniæ. Hoc etiam certum est ex sententia omnium. Et constat ex vsu quotidiano. Et ratio est, quia si attendamus Ius canonicum, Pontifex potest secum dispensare, vel certè non obligatur illo, hac maximè in parte, quia prohibitiones latæ in hac parte, ad inferiores Prælatos referri videntur, vt colligitur ex capite *Prohibemus*, de Censibus. Si verò attendamus Ius diuinum, hîc non interuènit respectu Pontificis, vel quia pensio ab eo imposita causa permutationis, spiritualis censenda est, quia datur cum spirituali onere, & ratione illius, & ita semper commutatur spirituale pro spirituali. Vel certè quia, esto imponat illam simpliciter vt temporale quid, potest illam separare à beneficio pinguiori, & illam conferre, vt merè temporale commodum eius, qui renunciat pinguiori beneficio: non tanquam pretium renunciationis, sed dispensatorie illam conferendo in vitæ subsidium. Et ita nullam habet rationem pretij, quia non ex permutantium commutatione, sed ex prouidentia supremi Pastoris confertur. Et in hoc est magna differentia inter Papam, & inferiores Episcopos: nam inferiores non possunt ita dispensare Ecclesiasticos reditus ad suum arbitrium etiam prudens, sed solùm iuxta concessiones Canonum, & ideò quando hos limites transgrediuntur, nihil faciunt. Et consequenter admittendo illicita pacta, non solùm peccant contra Ius humanum, sed etiam contra diuinum. Sicut dispensando in voto castitatis, non solùm contra Ius humanum, sed etiam contra diuinum peccant, quia vsurpãt iurisdictionem, quam non habent: Pontifex autem vtendo sua potestate, potest tollere materiam Simoniæ, vel annectendo temporalia spiritualibus, vel illa separando, & alio iusto titulo ea conferendo; qua mutatione facta, nec contra humanum, nec contra diuinum Ius peccat. Atque ex hac assertione constat, nihil peccare permutantes, si inter se priùs tractent, & conueniant de pensione imponenda cum ordine ad consensum Pontificis; vt patet ex dictis in capite superiori, quæ hîc possunt applicari cum eisdem Auctoribus.

17. Permutatio beneficiorũ cum pens. ex auctor. Papæ non est Simonia.

Sed quid, si vnum beneficium sit dignius alio in spiritualibus, poterit ne Pontifex acceptare permutationem, imponendo pensionem super dignius beneficium? Respondeo, factum hoc magnam præ se ferre speciem Simoniæ, quia qui præbet alteri beneficium dignius, non videtur exigere pensionem, nisi ad compensationem sui beneficij, vnde cum ille excessus spiritualis sit, spirituale pro temporali commutatur, quod ita est contra Ius diuinum, vt per potestatem Papæ honestari non possit. Neque ibi habet locum mutatio materiæ, quia nec illa maior dignitas spiritualis, potest separari ab vno beneficio, & alteri coniungi, nec temporalis pensio, quantumuis spiritualis fiat, censetur compensare illum excessum, nisi ratione suæ temporalis commoditatis. Aliunde etiam videtur esse illa quædam indebita distributio Ecclesiasticorum reddituum, quia maior dignitas ex se postulat pinguiores fructus, vt modo conuenienti sustentetur, & cum decore; ergo contra rationem est dare alteri beneficium dignius, & illi pensionem imponere solùm propter maiorem dignitatẽ.

18. Si beneficiũ vnum sit dignius in spiritualibus, videtur species Simoniæ, si super id pẽsio fiat.

Sed

Non tamen hoc semper damnādum, nec intrinsecè est malū.

Sed nihilominùs hoc non apparet intrinsecè malū, nec semper damnandum. Nam in primis si dignius beneficium est etiam pinguius, non erit absurdum, moderatam pensionem illi adiicere, dummodo pro qualitate dignitatis, & oneris sufficientes reditus beneficio relinquantur; tūc enim succurrere potest Pontifex incommodo temporali alterius sine respectu ad digniorem qualitatem beneficij. Deinde licet in quantitate redituum non excedat, si aliunde honesta causa intercedat, quæ possit mouere Pontificē, præter excessum in qualitate spirituali beneficij, vt quòd persona, quæ illud dimittit, magis indiget, vel quod aliàs est dignior, & magis de Ecclesia benemerita, vel etiam quòd beneficium aliud non solùm minùs dignum est, sed etiam magis laboriosum, & onerosum, tunc fieri potest, vt non solùm Simonia non intercedat, verum etiam nec sit iniusta distributio, vel illicita dispensatio. Quia vitium Simoniæ purgatur eo ipso, quòd pensio non datur intuitu compēsandi spiritualem dignitatem, & pensio fit iusta ex causa honesta.

19. Summa dictorum.

Atque ex dictis in hoc, & præcedentibus capitibus concludere possumus conditiones necessarias, vt permutationes in materia beneficiorum, purè, & absq; Simonia fiant. Possunt enim ad quatuor breuissimas reuocari. Prima est vt res ipsæ permutabiles sint natura sua, & quòd Iure Ecclesiastico prohibitæ nō sint permutari, & huc spectat, quod vtraque sit spiritualis, & transferibilis in alium, &c. Secunda est, vt permutatio fiat auctoritate superioris Prælati, ad quem de Iure id spectat. Tertia, vt sine auctoritate Pontificis nullum onus imponatur, neque aliqua exactio fiat. Quarta, vt nullum pactum inter partes priuatim fiat, nisi in ordine ad consensum Pontificis, vel Prælati, qui possit illi auctoritatem dare. Et huc spectat, vt non fiant pacta, quod vnus soluat omnes expensas, vel expediat suis sumptibus Bullas ad vtrumque permutantium pertinentes, & similia, quæ Simoniaca sunt, nisi Pontifici declarentur, & ipse consentiat. Vide Nauarrum lib. 5. Cons. tit. de Simon. Cons. 50. & 51. de aliis verò conditionibus, quæ ad iniustitiam, vel honestatē integram talis permutationis necessariæ sunt, vt quòd fiat voluntariè sine vi, & fraude, & ex iusta causa, & similibus hic non agimus; quia hic non tractamus per se de beneficiis, & eorum permutatione, sed solùm quatenus in ea cauenda sit Simonia, reliqua in proprium locum remittimus.

Simonia est si vnus tantùm soluat expēsas Bellarū. nisi id Pōtifici manifesterur, & ille consentiat. *Nauar.*

CAPVT XXXV.

An renunciatio beneficij in fauorem tertij, Simoniam contineat.

1. Renūciatio beneficij quid sit.

SIcut proximè de permutatione dicebamus, ita in præsenti nō est à nobis tractanda tota materia de resignatione, seu renunciatione beneficiorū, sed solùm quatenùs in huiusmodi actione Simonia interuenire potest. Dicitur ergo renunciatio beneficij abdicatio voluntaria, qua quis se liberè spoliat beneficio suo, illúdve dimittit; agimus enim de expressa renunciatione; nam tacita ad præsentem materiam nihil refert. Huiusmodi autem renunciatio interdum fit causa permutationis, de qua in superioribus capitibus dictum est; aliquando verò per seipsa gratia sui, vt sic dicam, soletque dici renunciatio simplex, de cuius ratione, vt valida esse possit, etiam est, vt in manibus Prælati fiat, qui eam accepter, iuxta c. *Admonet*, &c. *Quod in dubiis*, de Renunc. Quatuor autem modis potest hæc renunciatio fieri

Quot modis fiat renūciatio simplex in man. Prælati.

in manibus Prælati. Primo purè, & absolutè, id est, sine onere pensionis, & sine designatione personæ, cui conferatur: Secundò purè, & non absolutè, sed sub conditione, vt detur Petro beneficium: Tertiò nec absolutè, vt detur tali cum tali pensione: Quartò absolutè, & non purè, sed cum pensione. De primo modo nulla est difficultas, quia nec per se malus, nec prohibitus. Et potest fieri nō solùm in manibus Papæ. sed etiam inferiorum Prælatorum, exceptis Episcopatibus, vel similibus. Et licèt Pius V. interdum suspenderit omnes has resignationes, & sibi reseruauerit Const. sua 43. in ca. *Officium*, postea absstulit suspensionem cum certis limitationibus, vt infrà videbimus. Itaque hæc renunciatio nihil ad Simoniam pertinet: nisi fortasse quatenùs pro illa facienda pecunia interuenire potest, sic enim materia est Simoniæ, vt suprà dictum est.

Primus modus, & est licitus.

Pius 5. Cōst. 43. in c. officium.

De secundo modo renunciationis sub conditione, certum existimo, non continere Simoniam cōtra Ius diuinum. Ita suppositit Sot. tāquam clarum in hac materia in d. qu. 7. art. 2. in principio, Couar. latè lib. 1. c. 5. num. 3. & 5. Syluest. verb. *Renunciatio*, q. 6. & ver. *Simonia*, q. 13. dict. 6. Anton. 2. p. tit. 1. cap. 5. §. 11. Ratio verò est, quia in illa renunciatione sub conditione non datur spirituale, pro temporali, imò pro nulla re datur, sed gratis offertur, non tamen cuilibet, sed solùm huic certæ personæ, in cuius fauorem resignatur. Hoc autem non est contra, nec præter verba Christi; *Gratis accepistis, gratis date*, nec enim dixit, date omnibus, nec prohibuit dare huic potiùs, quàm illi, sed solùm iniunxit, vt cui daretur gratis daretur. In illa autem renunciatione donatio gratuita est, tamen renuncians, quantum in se est, non vult dare, nisi huic, nec vult spoliari; nisi in gratiam eius. Talis ergo renunciatio ex vi Iuris diuini Simoniaca non est, imò nec per se mala, si alias circunstantias honestas habeat, vt quòd fiat in fauorem dignæ personæ, & propter honestum finem, sine Ecclesiæ offensione, vel proximorum. Denique si ipse renuncians per se posset spoliare se beneficio, & transferre illud in Petrum dignum, non malè faceret, volendo illud dare Petro, & non alteri, nunc autem quia nec per se potest se spoliare beneficio sine auctoritate Prælati iuxta caput. *Nisi cum pridem*, cum aliis de Renuncia. nec potest conferre beneficium Petro nisi per Prælatum. ideò renunciationem illo modo facit in manibus Prælati, nihil ergo peccat ex natura rei loquendo.

2. Nec 2. continet Simoniam 2. Ius diuinum. *Sot. Couar. Sylueſt. Anton.*

C. *Nisi cùm pridem.*

De Iure autem Ecclesiastico communiter dicitur, hoc esse prohibitum, & ita hanc numerant inter Simonias de Iure positiuo Gloss. in cap. *Ex parte* 1. de Offic. deleg. verb. *Dimittere*, quam ibi sequitur Abbas num. 4. & alij. Idem Gloss. 1. in cap. *Dilecto*, de Præbend. Idem sentit Panormitanus in cap. *Non satis* de Simon. Archid. in cap. *Quicumque* 1. quæst. 1. Præposit. in cap. *Ordinationes* num. 33. ita exponens Glossam ibi, & eodem modo loquitur Angel. ver. *Simonia*, 3. num. 39. & Syluest. ver. *Permutatio* q. 6. dub. 2, Redoan. 1. part. cap. 25. & part. 2. cap. 10. vbi alios refert Anton. 2. part. tit. 1. cap. 5. §. 11. Nauar. cap. 23. num. 107. *Ad decimum*, Rebuffus in Pract. tit. de Renun. condi. num. 1. Vgolin. tab. 1. cap. 28. §. 2. Potest autem probari illa prohibitio ex generalibus regulis Iuris, quod in his spiritualibus non debet interuenire pactio, modus, vel conditio. Negari enim non potest, quin in tali renunciatione interueniat conditio, nam sub illa fit, vt detur huic, & non aliàs, & consequenter interuenit pactum, Facio, vt facias, scilicet, Renuncio, vt nepoti conferas. Præterea ad hæc inducitur

3. De Iure Eccles. dicitur hoc esse prohibitū Glos. in c. ex parte. *Abbas. Panor. Archid. Angel. Sylueſt. Redoan. Anton. Nauar. Rebuff. Vgolin.*

textus

textus in cap. vnic. de Rer. permut. in 6. ibi, *Secundum formam Iuris*, indicat enim illam esse quandam Iuris permissionem, quæ prohibitionem supponit. Item ibi, *æquitatem præferentes in hac parte rigori*. Quibus verbis significatur, in rigore Iuris resignationem factam sub illa conditione posse acceptari ab Episcopo, reiecta conditione tanquam inutili, & contra Ius. Et licet ibi sit sermo de resignatione facta ad permutationem, eadem ratio est de simplici renunciatione; tum quia ratio illius textus est, quia renuncians non esset suum beneficium resignaturus, nisi gratia talis permutationis; hæc autem ratio locum etiam habet in eo, qui non esset renunciaturus, nisi in gratiam talis personæ; tum quia non est digna maiori fauore renunciatio propter permutationem facta, quam facta propter liberalem beneficentiam. Fauet etiam Clem. vnic. eod. ibi, *Ne concessione Iuris vtentibus*. Vbi Gloss. sentit, esse Ius nouum mitigans antiquum rigorem. Affertur etiam pro hac sententia cap. *Dilecto*, de Præbend. ibi, *Liberaliter resignauit*, scilicet in manibus Archiepiscopi intendentis nepoti renuncantis prouidere. Vbi ex parte Episcopi supponitur intentio, cui renuncians ponit se conformare. Videtur autem tanquam necessarium supponi, quòd liberaliter renunciauit. Accedit moralis ratio non contemnenda; quia hæ renunciationes in fauorem tertij expositæ sunt multis fraudibus, & deceptionibus, vnde præsumuntur Simoniacæ ex alio capite, nimirum quia non præsumitur aliquis sponte renunciare iuxta capit. *Super hoc*, de Renunc. & multa, quæ congerit Tiraquel. in leg. *Si vnquam*, verb. *Donatione*, num. 206. & sequentibus. Vnde præsumitur non gratis facere, sed cum aliqua pactione illicita, & ideò ad vitanda hæc pericula meritò potuit Ecclesia talem renunciationē in vniuersum prohibere. Accedit, quòd in his renunciationibus solet esse quædam imago hæreditariæ successionis à patruis ad nepotes, quam Iura maximè oderunt.

Clement. Gloss. B

Cap. Dilecto.

C. Super hoc. C

4. Hęc Iura nō ostēdūt omnino vniuersalē prohibitionem scriptam.

Hæc verò Iura non videntur satis ostendere vniuersalem prohibitionem scriptam; nam generalis prohibitio pactionum non extenditur ad hanc renunciationem, quia in illa, per se loquendo non solet interuenire pactum, sed sola declaratio, & limitatio voluntatis resignantis, quæ cùm sit libera, potest limitato modo velle resignationem, quam gratis, & sine vllo pacto facit, vt dixi. In cap. autem vnic. de Rerum permut. in 6. non est sermo de renunciatione simplici, sed de permutatione, quæ magis odiosa videtur, & de illa dicitur *secūdum formam Iuris*, non permittentis, sed ponentis conditiones in permutatione seruandas, iuxta cap. *Quærenti*, quod ibi Glossa adducit. Illa autem verba *æquitatem præferentes rigori*, non propter renunciationem acceptandam, sed propter excludendas expectatiuas, posita sunt, de illa enim re in illo capit. agebatur. Similiter etiam in dict. Clem. vnic. non est sermo de concessione Iuris ad renunciandum simpliciter, nullibi enim talis concessio in Iure reperitur, vt dixi. Est ergo sermo de concessione permutationum, quæ in Iure expressè facta est, & illa fortasse est Iuris noui contra antiquum rigorem, inde verò nullum probabile argumentum sumitur ad præsentem causam. In dicto autem cap. *Dilecto*, in verbis allegatis solùm narratur factum, & fortasse per illam vocem *liberaliter*, non excluditur, conditio, seu designatio personæ, sed pactum onerosum quod certum est esse prohibitum, vt dicemus. Ex Iure ergo scripto nihil habemus, quin potiùs dictis Iuribus opponi posset capit. *Cùm vniuersorum*, de Rerum permut. vbi ab vno Clerico facta in fauorem nepotis alterius, & non improbatur, qui tamen textus etiam nihil probat in contrarium, quia licet factum referatur, non approbatur, nec examinatur, quia non pertinebat ad causam.

C. Quærenti.

C. Cùm vniuersorum. D

Vt ergo hanc rem declarem, suppono duplicem sensum habere posse conditionem illi renunciationi oppositam. Vnus est, vt retineat rigorosam naturam conditionis, quæ est suspendere actum, ideóque possumus illam vocare conditionem suspensiuam renunciationis. Quia qui sic renunciat, non absolutè renunciat, nec renunciatio consequitur effectum, donec conditio impleatur. Item talis conditio de se inducit obligationem Prælato, in cuius manibus fit renunciatio, vt non possit dare beneficium alicui, nisi implendo conditionem, quia aliàs renunciatio non habet effectum, ideóque non potest renuncians priuari beneficio suo. Alius sensus est, vt conditio sit tantùm modus, qui non suspendit effectum actionis, seu renunciationis, sed apponit modum seruandum in prouisione beneficij post factam renunciationem. Qui potest intelligi additus, vel tanquam necessarius, & sub obligatione, vel solùm vt inductiuus Prælati ad illum modum seruandum, quantùm renuncians possit inducere. 5.

Dico ergo in primis, renunciationem sub conditione rigorosa, & suspensiua (vt declaraui) fieri non posse, nisi in manibus Papæ, ab inferioribus autem Prælatis admittendam non esse. Hoc videtur esse contra Sotum, & ex parte contra Couar. est tamen iuxta communem sententiam. Potest verò probari, primò ex generali prohibitione paciscendi in his rebus sacris, quia illa conditio in tanto rigore sumpta, videtur pactum inducere. Sed hæc probatio non est vniuersalis, quia reuera potest fieri sine pacto, quia cum eo, in cuius fauorem fit resignatio, nulla pactio procedit, vt supponimus, agimus enim de pura, & simplici renunciatione. Nec enim cum Episcopo, quia potest ille non consentire, & absque vlla conuentione procedere. Secundò ergo probatur ex perpetua, Ecclesiæ traditione & consuetudine, quam omnes dicti Auctores referunt, quæ habet, vt inferiores Prælati tales renunciationes non admittant, vel eis non obligentur, vt etiam Couar. fatetur. Quæ consuetudo declarat, Pontificem sibi reseruasse has renunciationes propter earum periculum. Vnde sicut votum Castitatis, verbi gratia, est reseruatum Papæ quoad dispensationem ex vsu non scripto, ita dicere possumus has renunciationes esse Papæ reseruatas, & consequenter non posse ab inferioribus exerceri. Tertiò ita hoc declaro, Quia secundum commune Ius non potest beneficium aliquod conferri alicui de nouo, nisi priùs vacet, sicut in permutationibus videmus iuxta c. vnic. & Clem. vnic. de Rer. permut. at in eo casu non vacat beneficium donec alteri designato beneficium conferatur, quia non priùs impleatur conditio, vt benè intellexit Rebuffus suprà, ergo non potest fieri sine auctoritate Papæ. Denique coniecturæ suprà adductę, propter quas est conuenientissima Ecclesiæ hæc prohibitio, suadent, non defuisse Ecclesiæ hanc prouidentiam, & idem videtur supponere Pius V. in Motu statim citando. 6. Renūciatio sub condit. rigorosa vt huic detur, solū potest fieri in manibus Papæ. *Rebuff.* *Pius V.* 7. Interueniēte tali pacto, si fiat talis renunciatio in manu Episcopi, est Simoniaca.

Sed quæres, an illud peccatum contra talem prohibitionem commissum sit Simonia, quia prohibita. Respondeo 1. si præcedat pactum cum Episcopo, verbi gratia, quod ipse acceptabit renunciationem, & conferat beneficium personæ designatę, sine

Episcopi est Simoniaca.

sine dubio est Simoniaca renunciatio: & in hoc casu videtur posse interpretari Angel. Sylvest. & multi ex aliis auctoribus, nam solùm damnant hanc renunciationem factam cum pacto. Quòd verò hoc sit Simonia, saltem quia prohibita, sufficiẽter probatur ex Iuribus prohibẽtibus pacta illicita in hac materia. Item illa obligatio ex parte Episcopi videtur esse quasi quoddam onus, vel obsequium pretio æstimabile, & ex hac parte censeri potest illa Simonia contra Ius diuinum, suppositа institutione humana circa prouisionem beneficiorum. At verò si pactum non præcedat; sed resignans, temerè intentet talem renunciationis modum, licet malè faciat, non videtur propriè Simoniacus, vt probat ratio Soti, & Couar. quia ibi non est commutatio vnius pro alio, nec realis, nec mentalis, nec expressa, nec tacita, Simonia autem solùm in voluntariis commutationibus, quæ aut venditiones sint, vel imaginem earum habeant, inuenitur. Item ibi nullus est contractus onerosus, sine quo non est vera Simonia. Assumptum patet, quia ibi tantùm est voluntas donandi limitata ad talem personam, & non est onerosa Episcopo, quia potest illam non acceptare, si voluerit.

Sotus. Couar.

2. *Obiectio soluitur.*

Dices, Imò ibi etiam videtur esse onus pretio æstimabile, quia obligatur Episcopus ad non dandum alteri beneficium, sed tantùm huic. Respondeo simpliciter non obligari, cum possit non acceptare renunciationem, si autem illam acceptet, quando potest, licet coarctetur eius potestas ad istum, id non est ex obligatione illi imposita, sed solùm ex natura, & modo talis resignationis, & ex conditione illi adiuncta. Nam ante renuntiationem nulli poterat dare tale beneficium, inuito possessore, & ideò quòd ex voluntate eius possit dare illud huic, & non alteri, non est onus, nec obligatio illi imposita, sed solùm limitatio consensus ex parte habentis beneficium. Vnde etiam in Papa hoc locum habet, vt statim dicetur, tamen nulla obligatio, vel onus Papæ imponitur. Adde totum id non esse pretio æstimabile ex parte Prælati, si persona designata sit digna, quia solùm est vsus quidam legitimus spiritualis potestatis. Dices, In hoc est ille Simoniacus, quia vult disponere de suo beneficio, ac si esset eius absolutus Dominus. Item ille peccat contra Religionem, & non alio genere irreligiositatis. Respondeo, probabiliter posse hoc defendi; tamen in rigore magis videtur illud peccatum, genus quoddam iniustitiæ in materia Religionis, quæ sacrilegium includit; quia ille vult vsurpare iurisdictionem, & potestatem dispensandi beneficia Ecclesiastica cõtra dispositionẽ Iuris. Quamuis enim non velit ille conferre beneficium sine auctoritate Prælati, vult tamen restringere, & limitare potestatem eius, & sibi successorem disignare contra reuerentiam debitam rebus sacris, & contra Prælati iurisdictionem. Magis ergo videtur illa quædam irreligiositas cum attentata iniustitia, quàm propria Simonia. Accedit quod in nullo Canone hæc vocatur Simonia. De pœnis autem Simoniæ, an illas tunc incurrat, infrà videbimus.

9. *An Episcopus possit acceptare talem renũciationem. Couar. Soto.*

Sed quæres, An possit Episcopus renunciationem illam acceptare absque Simonia, item quid facere possit, vel debeat, si illam acceptet: Circa primum Couar. suprà cum Sot. ait, quòd licet Prælatus illam acceptet, nullum aderit vitium saltem Simoniæ. Imò addit, nihil agere contra Iuris prohibitionem, eam acceptando, dummodo cõditionem non approbet. Ego verò existimo quidem non fore Simoniacum Prælatum, etiamsi acceptet

Resolutio.

renuntiationem, & conferat beneficium personæ nominatæ à renunciante, dummodo id faciat non ex obligatione, aut pacto, sed mera, ac libera voluntate. Probatur ex dictis, quia si renuncians non est Simoniacus, nec Prælatus erit consentiens illi, quia nec consentit Simoniæ, nec cooperatur illi, nec etiam per se nouam Simoniam operatur, quia nihil spirituale cõfert propter temporale, nec ex aliquo oneroso contractu. Nihilominùs tamen existimo non bene agere, vt ex secundo patebit.

10. *Couar. sententia.*

Circa secundum ergo Couar. suprà multa dicit. Primò posse Prælatum licitè, & validè, ac firmiter, & sine periculo irritationis, dare beneficium personæ designatæ è renunciante, si aliàs idonea, & digna sit, quia nullo Iure hoc illi est prohibitum, sed solùm vt non det beneficium tanquam obligatus ex conditione resignantis, vel ex alio pacto. Si autem aliàs iudicauerit talem prouisionem beneficij esse congruam, & iustam, nullo Iure prohibetur, illam non facere. Nam eam faceret honestè, si renuncians non errasset in modo renunciationis, cur ergo debet vel ipse priuari libertate sua propter errorem alterius; vel persona illa tertia puniri in eo, quod non deliquit, maximè si delicto renunciantis cooperata non est? Secundò dicit, posse Prælatum (si velit) reijcere conditionem, & acceptare renunciationem, vt absolutam, & puram, & dare beneficium alteri digno, collationémque futuram esse validam. Probat, quia ipse non tenetur acceptare conditionem. Adde, quòd hæc conditio habetur pro non adiecta, vt Boer. dixit in Tract. de Dignitate legatorũ q. 2. Qui potest pro hac sententia referri, pro qua etiam Couar. refert Ioan. Staphilæum de Litet. grat. & iust. Tertiò addit licet talis collatio alteri facta ex rigore Iuris rescindi non possit, ex æquitate rescindendam fore à Papa vel iudicibus ab eo designatis, iuxta Clem. vnic. de Rerum permutat. & cap. *Inter cætera*, de Præbendis.

Boer. *Couar. Ioan. Staphil.* *Clem. vnic.*

11. *Probabilius est nõ posse Prælatũ alicui sine Papæ licentia, talem renũciationẽ acceptare.*

Nilominùs in hoc puncto probabiliùs videtur non posse Prælatum inferiorem sine licentia Papæ acceptare licitè talem renunciationem, & dare beneficium iuxta conditionem appositam à renunciante, etiam si id non faciat ex vi illius, sed suo arbitrio. Ita videntur supponere omnes Doctores, qui damnant vt illicitas has renunciationes, maximè cum illas damnent vt Simoniacas; nam actus Simoniacus est inualidus, vnde in virtute illius nihil fieri potest. Deinde esto, non sit in rigore Simoniaca renunciatio, est ab Ecclesia prohibita, ne fiat in manibus Prælati Papæ inferioris sine eiusdem Papæ concessione. Vnde consequenter prouisio beneficij secundùm talem renunciationem, est Papæ reseruata, ergo malè facit Episcopus vsurpãdo illam. Præterea illa renunciatio, & ex vi prohibitionis est nulla, ita enim communi vsu, & sensu Doctorum illa prohibitio intellecta est, & ex vi conditionis suspendit effectum, ita vt beneficium non vacet, donec cum affectu alteri conferatur; ergo non potest Episcopus conferre tale beneficium, quasi implendo conditionem, vt beneficium vacet, & conferri possit, nam hoc excedit potestatem eius, vt dictum est. Et quantumuis dicatur non operari ex conditione appositа renunciationis, negari non potest, quin in effectu id faciat (quicquid sit de intentione eius) vt magis ex sequenti assertione patebit, & sentiunt Auctores in ea citandi.

12. *Secunda cõclusio.*

Secundò ergo assero, non posse Episcopum acceptare renunciationem illam tãquam absolutam

reiecta conditione, & consequenter nec posse licitè, aut valide dare beneficiũ alteri. Ita tenet contra Boer. Rebuf in Pract. tit. de Resignat. condit. nu. 7. & sequentib. Et probatur primò ex d. Clem. vnic. Quia sicut in permutatione non valet actus, nisi beneficia conferantur permutantibus, ita in resignatione conditionali non valet nisi impleatur cõditio. Secundò quia actus factus cum aliqua qualitate, & adiectione nõ potest acceptari quoad vnam partem, & nõ quoad aliam, quia si diuidatur, omninò mutatur, quod ibi latè probat ab auctoritate. In præsenti autem fit renunciatio non simpliciter, sed cum aliqua adiectione per modum vnius, vt constat. Falsúmque est illam conditionem haberi pro non adiecta, quia hoc nullo Iure probatur imò quia est adiecta, reprobatur talis renunciatio.

Rebuff. *Clem. vnic.*

A B

13. Vnde addit vlteriùs ipse Rebuf. n. 16. neque Papam ipsum posse id efficere; nã potest quidem resignationem reiicere, & nõ acceptare, tamen si illam acceptet non potest iustè dare beneficium, nisi ei, in cuius fauorem facta est resignatio: aliàs priuaret renunciantem inuitum suo beneficio sine iusta causa quæ ex tali actu resultet, cum sic renuncians in manibus Pontificis nihil peccat, quandoquidem Pontifex valet, & solet illam renunciationem acceptare. Nulla ergo iusta ratione potest Papa tunc priuare suo beneficio inuitũ, & innocentem, cum debeat agere vt fidelis dispensator, non vt dominus. Quæ sententia mihi valdè placet, licet cõtrarium doceat Redoan. 2. p. de Sim. num. 8. & seq. sequens Boer. de Potest. Legati, q. 2. qui idem affirmauit de legato Papæ. Sed est etiam falsum, & sine fundamento, vt latè Rebuf. suprà. Nec oportet distinguere, an legatus habeat potestatem acceptandi talem renunciationem, necne; non est enim dubium, quin possit Papa illam facultatem committere, licet ordinariè non faciat. Vel ergo legatus habet talem potestatẽ, & tunc si acceptet illam debet cõferre beneficium personæ designatæ, quia si Papa ipse non potest aliud iustè facere, neque ipse poterit vice Papæ. Si verò nõ habet talem potestatem, non magis id potest, quàm Episcopus, vel quilibet alius, vt constat.

Nec Papa potest acceptare renunciationẽ quę fit in gratia tertij, nisi donando ei beneficium.

Redoan. *Rebuff.*

C

14. Tertiò, hinc colligo propriam rationem, cur id non possit facere Episcopus, esse, quia illud beneficium per talem renũciationem non vacat ante impletam conditionem, quia voluntas renunciantis fuit suspensa, & non fuit voluntas simpliciter, sed secundum quid, & ita non potuit habere effectum. Quo ergo iure potest Episcopus spoliare renunciãtem beneficio suo contra voluntatem eius? Dices, fortasse posse id facere in pœnam, & temeritatem suæ renunciationis malè factæ. Sed contrà, quia in primis nullo iure cauetur, vt sic renuncians priuetur beneficio. Deinde multò magis alienum à Iure est, vt statim ipso facto, & sine examinatione causæ absque sententia contra eum lata, beneficio priuetur, cum nullum sit Ius talem ferens sententiã contra sic peccantem, vt expressè docuit Nauar. dicto cap. 23. nu. 105. in fine. Poterit ergo Episcopus cõtra illum procedere, & punire, vel si iudicauerit delictum dignum priuatione beneficij, tunc etiam poterit illam pœnam imponere, vt Nauar. ait, & consequenter poterit prouidere beneficium iam vacans per priuationem pœnalem, non tamen ex vi renunciationis. Et fortasse ita intelligendum est, quod refert Flamin. lib. 1. de Resignat. q. 3. num. 65. esse à Rota decisum, vt si renuncians non ignoret, suam resignationem esse contra stylum Curiæ, ac subinde inualidam, possit acceptari ab Episcopo; reiecta conditione. De quo mihi non constat: tamen si ita est, intelligi debet in pœnam, & consequenter seruato ordine, & cognita causa. Aliàs certè non potest Episcopus talem renunciationem acceptare licitè, vt in priori puncto dicebam. Quia vel acceptaret illam vt absolutam, & ad dandum beneficium, cui voluerit: & hoc excedit potestatem eius éstque contra iustitiã, vt ostensum est. Vel acceptabit illam vt conditionatam, & ad conditionem implendam, & hoc est cõtra concessionem, ergo omninò debet illam refutare, & prout expedire iudicauerit, sic renunciantem punire.

Flamin.

D

E

Vltimò dico: In hoc puncto si conditio addatur non in vi rigorosæ, & suspensiuæ conditionis, sed tanquam modus quasi posterior, & coniunctus renũciationi absolutè factæ iuxta explicationem supra datam, tunc longè aliter esse de tali renũciatione iudicandum. Nam in primis renunciatio illa, si ab Episcopo acceptetur, statim valida est, & habet effectum. Patet, quia absoluta est, & quia modus non suspendit effectum, vt est notum. Vnde fit, vt Episcopus possit talem renunciationem acceptare sine vlla culpa, & animo, vel vtendi modo, si iudicauerit expedire, vel non vtendi, si non fuerit conueniens. In hoc enim nulla apparet deformitas ex natura rei, nec inuenitur aliquo Iure prohibitum. Deinde in eo casu existimo, posse renũciantem nihil peccare in illo modo renunciandi, stando in Iure communi. Dico autem posse, quia si adiiciendo modum illum, velit obligare Episcopum, vt omninò teneatur dare beneficiũ, cui ipse vult, & stultè errat, & consequenter peccat tentando imponere obligationem, quam non potest, & in re nihil facit. Sicut qui relinquit legatum sub modo, ad cuius executionem obligare non potest, etiamsi intenderet obligare, nihil faceret.

15. Vltima conclusio.

16. At verò si tantùm intẽdat inducere Episcopum, vt tali personæ beneficium cõferat, per se loquendo nihil peccat: suppono enim personam, quam offert, esse dignam; ergo ex natura rei nõ est renuncianti prohibitum illum animũ ostendere, & Prælatum inclinare, quãtum honestè potest. Nec etiam est Iure communi prohibitum; nam inter scripta Decreta, & Iuri inserta nullum tale reperitur. Nec consuetudo ad hoc obligat. Nam communior, & verior sententia habet, posse renunciantem, facta renunciatione pura, & absoluta, rogare Prælatum, vt det beneficium tali personæ, vt patet ex Nauar. d. num. 107. Redoan. d. c. 25. qui alios allegant. Imò addunt, non peccare, etiamsi à principio illa spe renunciet, dummodo pactum non faciat, nec rigorosam conditionem adhibeat, sed solam interiorem intentionem habeat, vt Nauar. d. n. 107. & in cap. *Si quando* de Rescrip. except. 4. docet contra Abbat. Decium & nonnullos alios in dicto capit. *Ex parte* 1. de Officiis delegatorum. Vbi Glossa, & Doctores frequentiùs opinionem Nauar. docent. Item Glossa in dicto cap. *Ordinationes*, éstque verior sententia, vt in pũcto sequenti latiùs dicã. Ergo etiam si in ipsamet renunciatione inferat aliqua verba, quæ hunc animum ostendant, dummodo non sint talia, quæ cõditionem suspensiuam declarent (qualia sunt illa vsitata, *& non aliter, nec alio modo*) non apparet in eo facto graue peccatum, neque vllum per se loquendo.

Potest renũcians, facta absoluta renunciatione rogare Prælatũ vt huic det beneficium. *Nauar.* *Redoan.*

17. Vltimò, dicendum est, in eo casu posse Episcopum liberè conferre beneficium, acceptata renunciatione, quia iam vacat; vt dixi, & credo posse sine peccato dare illi, qui renunciante postulatur dicto modo, quia cum ille non peccet, neque Episcopus malefaciat, conueniendo, si aliàs collatio in tali persona facta, per se iusta est. Nihilominùs tamen ad hoc non tenebitur, & potest dare alteri, & in ri-

Renũciatione libera facta, potest Prælatus libere beneficium conferre.

in rigore collatio valebit, quia alter (vt supponitur) A absolutam fecit renunciationem, & non potuit obligare Episcopum, nec est vllum Ius, vnde obligetur.

18. Ius nouum circa hoc.

Hæc autem dicta sunt iuxta cõmune antiquum Ius: extat enim nouum Ius Pij V. in Motu proprio §8. incipiente, *Quanta Ecclesiæ Dei, &c.* Vbi abstulit suspensionem, quam antea fecerat, & ponit casus, & causas, ob quas possunt beneficia simpliciter renũciari in manibus inferiorum Prælatorum, & subiungit hæc verba, *Caueant autem Episcopi, & alij prædicti itémque omnes electores, præsentatores, & patroni tam Ecclesiastici, quàm Laici, quicunque sint, ne verbo quidem aut nutu futuri in huiusmodi beneficiis, & officiis successores ab ipsis resignantibus, aut* B *aliis eorum significatione, vel hortatu designentur, aut de his assumendis promissio inter eos, aut intentio qualiscunque intercedat.* Et statim *præcipit*, atque *interdicit*, ne collatores talium beneficiorum ea conferant suis, aut resignantium consanguineis, affinibus, aut familiaribus. Et quicquid contra hoc fuerit attentatum, irritum decernitur, & inane. Hæc ergo institutio nunc seruanda est, iuxta quam constat, iam esse de Iure scripto, quod antea non inueniebatur scriptum, sed traditione quadam habebatur. Solúmque indiget declaratione verbum illud; *aut intentio.* Videtur enim ibi approbari, vel denuò stabiliri opinio Abbatis, & Decij suprà citata, nimirum peccare renunciantem, si resignet C beneficium spe, & intentione, vt Petro detur, etiam si dignus sit. Nam Pius V. prohibet ne intentio talis intercedat. Neque obstabit, quod intentio sit actus interior, quam lex humana prohibere non solet: nam licet hoc verum sit directè, tamen interdum prohibet exteriorem actum hac, vel illa intentione factum, vt ex amore, vel odio, Clem. 1. de Hæret. Ergo similiter potest prohiberi resignationem fieri tali intentione, idque videtur fecisse Pius V. Dico tamen per illa verba neque dictam opinionem approbari, nec talẽ prohibitionem ferri. Quod facilè intelligetur considerando Pontificem in omnibus illis verbis relatis, nõ dirigere sermonem directè ad resignantes, sed ad Prælatos, sic D enim habet, *Caueant Episcopi, &c.* Illi autem non possunt cauere ab intentione resignantis merè interna, ergo non loquitur de illa. Item ponderanda sunt illa verba, *aut de his assumendis promissio inter eos, aut intentio qualiscunque intercedat.* Ex quibus simile concluditur argumẽtum: nam promissio merè interna non potest esse *inter eos*, loquitur ergo de intentione, quæ aliquo modo exterius proditur, & tacitam petitionem offert, hanc ergo solùm voluit prohibere Pontifex, vt ferè in simili intellexit Nauarrus dicto capit. 22. num. 110. ver. *Sexto.* Neque in intentione, vel spe merè interna malitia aliqua per se inuenitur in tali facto, cum licitum sit interius desiderare, quod ab alio licitè fieri potest, etiam si aliquando non liceat petere: neque etiam est, cur lex humana præsumat malitiam in tali inten- E tione, quando exterius nullo signo prohibito manifestatur.

Obiectio.

Abbas. Decius.

Clement. 1.

Soluitur.

Nauar.

19. Renũciationes reciprocæ non habent locum coram ordinariis titulo permutationis.

Ex quibus à fortiori infertur renũciationes reciprocas non habere locum coram ordinariis titulo, & colore permutationis, vt quòd ego renunciem in fauorem tui nepotis, vel amici, & tu in fauorem mei. Licet enim hæc videatur esse quædam permutatio, tamen non est pura, sed mista cum resignatione in fauorem tertij. Et ideò non intelligitur in Iure nomine permutationis, Episcopis autem non est permissa potestas, nisi ad puras permutationes approbandas, vt suprà osten-

sum est. Et ideò cum additur illa duplex resignatio in fauorem tertij, excedit potestatem Ordinariorum, seu quorumcunque inferiorum Prælatorum. Item ibi intercedit pactio renunciandi in fauorem tertij pro alia simili; in Iure autem omnis pactio vetita est, etiam in ordine ad Superioris approbationem, præter solam permutationem puram, & in ordine ad ipsos permutantes. Vnde à fortiori idem dicendum est de renunciationibus, quæ inter tres fieri solent, vt si Petrus habet Canonicatum, Paulus beneficium Curatum, & Ioannes simplex: Petrus renunciat Canonicatum in fauorem Pauli: Paulus Curatum in fauorem Ioannis; & Ioannes simplex in fauorem Petri. Hæc enim nisi in ordine ad Pontificem, fieri non possunt, neque ab alio possunt approbari. Nam illæ tres resignationes reducuntur ad duas permutationes quoad effectum: nam idem sequeretur, si priùs Petrus cum Paulo, & postea cum Ioanne permutaret: Tandem modus est longè diuersus, & magis prohibitus, & plura pacta requirit, quæ permissa non sunt cum ordine ad solum inferiorem Prælatum. Imò etiam illæ duæ permutationes, licet sigillatim, & diuisim fieri possint, si tamen fiant cum colligatione earum inter se, & accipiendo vnum beneficium primi permutantis solùm ad permutandum cum alio tertio, & præmissa pactione cum vtroque, non parùm auget difficultatem pactionum, & fortasse excedit facultatem ordinarij totam illam negotiationem approbare, quamuis quia in rigore non excedit rationem permutationis, & non inuenitur prohibitum Episcopo, probabile sit, non excedere facultatem eius.

20. Dubij expeditio.

Secundò, ex his potest expediri dubium, quod attigit Rebuffus in Pract. tit. de Permut. titul. 14. & 15. An liceat permutationem fingere, vt renunciatio beneficij, quod alter in mei gratiam cupit resignare, ab Episcopo acceptetur tanquam facta causa permutationis, & non simpliciter. Fictio autem erit, si quis dicat renũciare se alteri beneficio, quod reuera non habet: nam Rebuffus suprà docet, re- *Rebuff.* nunciationem, & collationem talem esse validam, licet is, qui renunciauit vero beneficio, postea possit agere, vt vel permutatio compleatur, vel sibi suum beneficium restituatur. Quod si velit gratis consentire, tunc nullam patietur iniuriam. Alij dicunt, quod si renuncians vero beneficio, nesciuit fraudem, & bona fide renunciauit, fuit valida renunciatio & collatio propter bonam fidem, si verò sciuit fraudem, non valere renunciationem, neque collationem, quia facta est per errorem cum mala fide.

Dico tamen vtramque sententiam falsam esse, & totam illam actionem esse iniquam, & nullam. Probatur primò, Quando is, qui habet beneficiũ, vero animo, & bona fide suo beneficio renunciat putans se illud permutare, tunc enim grauiter decipitur, quod est iniustum: item per errorem renũciat: ergo inuoluntarius est: ergo non est valida renunciatio, & consequenter neque collatio. Secundò probatur quando ex certa scientia vtriusque fictio fit, quia licet tunc neuter patiatur iniuriam ab altero, Ecclesia tamen patitur iniuriam ab vtroque: nam volũt contra Canones, & ordinationes Ecclesiæ per deceptionem, & apparentem permutationẽ, facere veram, & validam, odiosam renũciationem simplicem in fauorẽ tertij est ergo illud pernicio sum mẽdaciũ. Atque hinc fit, vt ex parte Prælati acceptatio renunciationis sit per graue, & substantialem errorem, putat enim se acceptare renunciationẽ gratiâ permutationis factam, & reuera acceptat simpli-

cem in fauorem tertij, ergo ex defectu consensus A in Prælato est illa renunciatio inualida, & consequenter etiam collatio, quæ valorem resignationis supponit, & ab eo pendet, & quia illa etiam est simpliciter inuolũtaria: est ergo tota illa actio subreptitia, & nulla.

12. De pẽsione. Tertiò, ex his, quæ de pura renunciatione diximus, facilè expediri potest, quod de renunciatione facta cum onere pensionis desiderari potest, & idem intelligendum cum proportione de alio quouis onere regressus, vel reseruationis, vel (vt dici solet) de quacunque renunciatione qualificata, seu onerosa. Potest igitur onus, seu pensio adiungi vel renunciationi factę in fauorem tertij, vel renunciationi absolutè. Si de priori sermo sit, difficultas ad- β ditur difficultati; vnde cùm constet ex dictis, talem renunciationem puram non posse fieri, nisi in manibus Pontificis, à fortiori non poterit, si illi addatur conditio pensionis. Est ergo hæc reseruata Pontifici. Ab illo verò concedi potest, quia ipse potest imponere pensionem, vt statim dicam; & potest resignationem in fauorem tertij acceptare, vt etiam dictum est: ergo licet illæ duæ conditiones simul coniungantur, & ideò reddant difficiliorem acceptationem, tamen non est vnde excedant potestatem Pontificis, vt per se constat. Loquendo verò de renunciatione simpliciter facta cum reseruatione pensionis, certum est, non esse per se malam, si fiat coram habente auctoritatem ad impo- C nendam pensionem simul cũ potestate acceptandi renunciationem. Et quoniam iam dictum est, non tantùm Papam, sed etiã inferiores Prælatos habere potestatem acceptandi has renunciationes iuxta secundum Motum Pij V. suprà citatum: solùm pendet hæc quæstio ex alia; Quis possit imponere pensiones: quæ in superioribus tacta est, & illius exacta tractatio ad præsentem materiam nõ spectat. Suppono ergo iuxta Canones, & iuxta stylum Curiæ Episcopum regulariter non posse has pẽsiones imponere, quia non potest beneficia diuidere, Papam autem posse contraria ratione. Addit verò Rebuffus d. tit. de resignat. cõdit. n. 12. etiam legatum Papæ posse hanc pensionem imponere, sed existimo, D hoc pendere ex facto, & ex commissione illi facta: nam quod Iure ordinario hoc habet, mihi non cõstat. Quando ergo illam habuerit, sub Papa comprehenditur, quia ipse operatur, quando committendo specialiter vices suas, per alium operatur.

Episcopus non potest pensiones imponere. *Rebuff.*

An possit legatus.

Hinc ergo dicendum est primò Simoniam committi, si renunciatio beneficij fiat cum reseruatione pensionis in manibus solius Episcopi, etiam si ipse illam approbet, nam in hoc etiam Simoniacus erit. Ita docent omnes, & res est per se clara ex principiis positis, & à fortiori sequitur ex dictis de permutatione cum onere pensionis. Vnde licet Sotus suprà dicat, hanc Simoniam esse contra Ius positiuum, nihilominùs consequenter loquendo E dicendum est, esse contra Ius diuinum. Quia illa consistit in expressa, & clara commutatione temporalis pro spirituali, nam pensio illa purè temporalis est, quia solùm est quoddam pecuniariũ onus absque titulo spirituali, imò facto potius iniquo, quàm Iure impositum. Item si illud onus fuisset numeratæ pecuniæ, Simonia esset cõtra Ius diuinum, vt Sotus fatetur; ergo idem dicendum est de pensione, quæ nihil aliud est, quàm pecunia numeranda cum obligatione soluendi illam, quæ pretio etiam æstimabilis est.

13. Est Simoniaca renunciatio cũ pensione facta in manibus Episcopi.

Sotus.

24. Honestè tamẽ fit in manibus Põtif.

Secundò, nihilominùs dicendum est, hunc modum renunciationis cum conditione pẽsionis honestè, & licitè fieri in manibus Põtificis. Hoc etiam docent omnes, vt patet per Felin. in ca. *Ad audientiam*. 2. de Rescrip. Redoan. d. 1. p. cap. 25. & 2. p. ca. 12. & sequentibus, Nauarr. d. c. 13. num. 108. Sot. d. quæst. 5. Adrian. dicto Quodlib. 9. & alij Theologi in 4. d. 25. Qui omnes consequenter asserunt, vitari in hoc, & similibus casibus labem Simoniæ inter paciscentes, si omnia referant ad consensum Pontificis, & postea in petitione omnia integrè narrẽt: nam hic tractatus inter eos necessarius est, vt suprà diximus, & relatus ad consensum Papæ, nihil per eos fit, sed proponitur auctoritate Papæ faciendũ. Ratio autem, cur per Papam fieri possit, facilis est ex dictis, nam etiam potest pensionem imponere sub titulo spirituali, & ita tota commutatio fiet inter spiritualia. Et potest Papa auctoritate sua tale onus imponere beneficio priùs, quàm illud conferat, & illud sic oneratum dare personæ, in cuius fauorem facta est renunciatio, vel cui voluerit, si renunciatio simpliciter facta est. Neque in hoc occurrit noua difficultas: solùm est cauendum, ne priuatim adiiciantur onera, quæ non sunt inclusa in pensione, nec approbantur à Pontifice, vt si ex pacto antecedente obligetur is, qui accepturus est beneficium, ad dandam cautionem laicam de pensione soluenda, vel ad dandam aliquam anticipatam solutionem: hæc enim, & similia sunt pacta prohibita, & ad minus indicant Simoniam contra Ius humanum, nisi Papa illa approbet. Et C existimo, non posse approbari ab alio, etiam si aliunde habeat commissionem imponendi pensionem, nisi aliud in ipsa commissione specialiter exprimatur.

Felin. *Redoan.* *Nauarr.* *Sot.* *Adrian.*

Priuata onera prohibentur.

25. Dubium enodatur.

Vnde facilè expediri potest dubium hîc incidẽs, An is, qui beneficium habuit litigiosum, & multas facit expensas litigando, & tandem pacificè illud obtinet, possit illud renunciare sub conditione, & pacto, vt prouisus in illo sibi soluat expensas: Quibusdam enim videtur, id fieri posse, quia dans beneficium, non petit lucrum, sed solùm se conseruat indemnem, & beneficium gratis tribuit. Dico tamen pactionem illam esse Simoniacam, nisi à Superiori competente approbetur. Ita dixit Flami. Libro 14. q. 7. n. 1. Ratio est, quia omnis huiusmodi pactio reprobata est in Iure, vt sæpè allegatum est: & illa videtur esse contra Ius diuinum, quia illud onus soluendi tales expensas, non est annexum beneficio, sed est extrinsecum, & accidentarium, & illud non imponitur, nisi quia datur beneficium: ergo exigitur pro beneficio. Dices, Obiectio. Sicut onus illud per accidens est ad beneficium, ita expensæ ipsæ fuerunt per accidens factæ, & ita illud onus non exigitur pro beneficio, nec pro aliquo beneficio annexo, sed pro labore, vel damno accidentario, pro quo licitè pecunia exigitur, vt suprà dictum est.

Flaminius.

26. Solnitur obiectio.

Sed contra: Nam tunc licet pro accidentario labore exigere aliquid, quando labor ille adiungitur per accidens illi operi spirituali, quod pro alio fit, vt Missæ, vel officio diuino, &c. vt suprà declaratum est. At verò expensæ, de quibus tractamus, non fiunt in renunciando, vel conferendo beneficio ei, cui datur, sed factæ fuerunt in litigando, vnde nullo modo, nec per accidens, nec per se coniũgitur spirituali beneficio, vel collationi eius, quæ nunc præstatur, ergo non potest exigi ab eo, cui spirituale datur. Et explicatur amplius: nam illæ expensæ factæ fuerunt in vtilitatem, & commodum eius, qui tunc litigabat, & habebat beneficium, & ille, cui postea beneficium cõfertur, non fuit causa talium expensarum; ergo nullo Iure possunt ab illo exigi; ergo si petuntur, est ratione benefi-

beneficij. Item si lis fuisset de possessione rei temporalis, verbi gratia, domo, non posset postea vendi domus illa exigendo expensas litis vltra iustum valorē domus; ergo in præsenti nihil potest propter expensas peti, & ideò si petuntur, pro beneficio petuntur. Denique aliàs, qui absque lite multis laboribus, & expēsis beneficium obtinuit (iuxta c. *Super hoc*, de Renunc.) posset exigere expēsas ab eo, in cuius fauorē illud renunciat; cōsequens est apertè falsum, vt ex eodem c. *Super hoc*, constat; ergo. Sequela patet, quia valdè extrinsecum, & accidētarium est, quòd expensæ sint factæ in lite, vel in itineribus, aut aliis actionibus.

c. Super hoc.

27. Atque ex his infertur clarè, non posse talem pactionem per quemcunque Episcopum, seu inferiorem Prælatum approbari, hoc enim ex generali regula suprà tradita constat, quia Episcopis non est concessum, nisi vt puram permutationem beneficiorum approbare possint, & non alia pacta. Maximè verò approbare nō possunt illa, in quibus temporale pro spirituali datur, vt in illo casu contingit, & quoties nullus alius iustus titulus exigendi temporale allegari potest. De Summo autem Pontifice dubitari potest: nam certè rationes factæ etiam de illo videntur probare, quia talis Simonia videtur esse contra Ius diuinum: & quia cogere aliquem ad soluēdas illas expensas factas in vtilitatem alterius, & quarum ipse non fuit causa, est contra iustitiam. Et ita ego existimo hoc titulo non posse fieri etiam Pontifice, si tamē ea occasione indigeret is, qui beneficio renunciat, posset Pontifex aliquo ex modis suprà positis separare pensionem de beneficio in fauorem eius, vel permittere, vt aliquid ei in sustentationem detur eo modo, quo posset id facere, etiamsi expensæ non præcessissent.

Renuncians non potest pensionē imponere ob expensas factas circa beneficiū litigiosum sub hoc titulo, etiā per Sūmum Pontificem.

CAPVT XXXVI.

Quando temporale donum censetur habere rationem pretij rei spiritualis.

1. HActenus explicuimus, quale debeat, vel possit esse donum, quod per modum pretij in Simonia interuenit, vel ex natura rei, vel suppositā ecclesiastica lege. Nunc supereſt declarandū, quando id quod datur, habeat, vel habere censeatur rationem pretij. Et ratio dubitandi est; quia non sufficit quòd aliquid detur ei qui spiritualia tribuit, nec etiā satis est quòd donū sit tēporale vel ex se, vel ex Iuris æstimatione; ergo necesse est, vt aliquo peculiari modo, vel sub aliqua habitudine detur, quæ ad Simoniam sufficiat: illa ergo erit formalitas pretij, vt sic loquamur, & illam inquirimus. Vt autem illam explicare possimus, præmittere oportet, quibus modis possit dari temporale donum ei, qui præbet spirituale, absque Simonia; sunt enim varij modi, sed omnes reducuntur ad duos.

Quibus modis potest dari temporale donum sine Simon.

2. Primus est, Quoties temporale donū gratis datur, non habet locum Simonia saltem ex natura rei. Hoc constat ex cap. *Quampio*, 1. q. 2. in fine, & clariùs in cap. *Sicut Episcopus*, eod. In quibus Iuribus dicitur non esse Simoniam recipere aliquid gratis oblatum, quando gratia, seu spirituale officium, aut donum iam gratis collatum est. Verūtamen licet donum antecedat, si gratis detur, & purè coram Deo non erit Simonia, vt colligitur apertè ex cap. *Et si quæstiones*, de Simonia. Vbi quando donū priùs datum gratuitum præsumitur ex occurrentibus circunstantiis, & coniecturis, nihil nocere dicitur. Item etiamsi in ipso actu simul cum spirituali temporale offeratur gratis, recipi posse dicitur in cap. *Placuit*, 2. aliàs 103. 1. quæstione 1. & in ca. *Dilectus*, 2. eod. indifferenter dicitur, *Illud grauiter recipi poterit, quod fuerit sine taxatione gratis oblatum.* Idem in capite *Tua nos*, eod. Vbi Glos. & Doctores, & in capit. *Cum M.* de Consti. vbi Innoc. & Panor. nu. 26. Felin. nu. 19. qui alios referunt. Ratio vero est, quia si temporale gratis donatur, non est pretium rei spiritualis: nam pretium, & gratuitum donum contradictorias inuoluunt conditiones, ergo non fit Simonia saltem ex natura rei. Quid verò dicendum sit de Iure positiuo, infrà dicam. Item si temporale donum gratis datur, ergo & spirituale etiam gratis datur, quia non venditur, nec datur per onerosum contractum, ergo. Vnde colliges, in foro conscientiæ non referre, quòd temporale donum antecedat, vel sequatur, si reuera intentio sit pura, & gratis fiat donatio sine vllo pacto, vel tacita illius intelligentia. Est tamen mala præsumptio, quando temporalia munera præcedunt, & ideò maximè cauenda sunt, præsertim quando iustitia distributiua, vel commutatiua exercenda est, quia solent præcedentia munera multùm inclinare animum, vel corrumpere. Et ideò in Scriptura beatus dicitur, qui excutit manus ab omni munere, Isa. 33. quia munera excœcant oculos iudicum, & prudentum; vt dicitur, Exod. 33. & Eccles. 20. Sed nihilominùs si recta intentio seruetur, non erit Simonia. Et eadem ratione licet postea spirituale detur ex gratitudine, non erit Simonia: quia gratitudo non respicit pretium, sed beneficium, nec soluit debitum iustitiæ, sed antidorale, seu morale, quo nō excluditur, quin simpliciter gratis detur, ideóque ad Simoniam non sufficit. Vt benè notauit Nauar. dicto ca. 23. n. 106. *Ad quartum*, Couar. lib. 1. Variar. ca. 20. nu. 4. & infrà latiùs dicetur.

Ca. Placuit. *Ca. Dilectus.* *Ca Tua nos.* *Glos.* *Innoc.* *Panor.* *Felinus.* *Isai. 33.* *Exod. 33.* *Eccles. 20.* *Nauar.* *Couar.*

Secundò potest dari temporale ex obligatione, & non vt pretium, si nōn detur in commutationem rei, sed in sustentationem personæ, tanquam stipendium ex iustitia debitum operario. Hoc certum est ex verbis Christi Matth. 10. Vbi simul dixit: *Gratis accepistis, gratis date*, & *Dignus est operarius cibo suo*: Et idem docet: ac probat Paul. ad Roman. 15. 1. Cor. 9. 1. Timoth. 5. Et habetur in capit. *Charitatem*, 12. quæst. 2. cap. *Cùm secundum*, de Præben. Tradit D. Thom. dicta quæst. 100. artic. 2. & omnes, & vsus Ecclesiæ id satis confirmat. Ratio verò est clara, quia ibi non fit commutatio, nec compensatio rei ad rem, & ita spirituale non pretio æstimatur, sed gratis datur: obligatio verò nascitur ex natura rei ad personam. Quia illa indiget sustentatione: vnde ratio postulat, vt detur ab eo, in cuius vtilitatem laborat, & occupatur, etiamsi labor, & spiritualis fructus eius spiritualis sit. An verò liceat, hoc stipendium sustentationis taxare, vel de illo paciscī, infrà circa quartam diuisionem dicemus. Et ad hoc genus reuocantur omnes piæ oblationes, etiamsi iam ex pia consuetudine debeantur, quia omnia sic oblata pertinent ad stipendia, & subsidia Clericis data ad sustentanda suorū officiorum, & personarum onera. Et eōdem pertinent iustæ leges Ecclesiasticæ, quæ pro certis muneribus aliquid dari disponunt, vt infrà videbimus: omnia enim illa ad stipendia sustentationis pertinent. Denique potest aliquid dari per modum pretij pro aliquo comitante donū spirituale & non esse pretium rei spiritualis, quia non pro illa, sed pro labore extraordinario, vel damno accidentario, aut obligatione temporaliter onerosa datur iuxta superiùs dicta. Idem tetigimus suprà, & inferiùs dicetur de eo, quod datur ad redimendam vexationem.

3. 2. Modus si detur in sustētationem personę, &c. *Matth. 10.* *ad Rom. 15.* *1. Cor. 9.* *1. Tim 5.* *C. Charitatē.* *D. Thom.*

Varij modi quibus potest temporale donum interuenire.

4. Qua ratione cõstituatur donũ in ratione pretij.

Cum ergo tot modis possit temporale donum A interuenire, & non habere rationem pretij respectu rei spiritualis, necessarium est, vt per aliquem peculiarem respectum constituatur in ratione pretij. Respectus autem hic non est alius, nisi vt detur pro ipsa re spirituali, & in cõmutationem eius.

Nauar. Archid. Ita sentit Nauar. in c. 23. n. 100. ver. *Quarto*, Cũ Archid. in c. *Iudices*. & c. *Ordinationes*, 1. q. 1. vbi etiam Præpositus. nu. 5. referens eundem Archid. in cap. *Agatho*, dist. 63. Et ita censent hi Auctores intelligenda esse Iura Canonica vtentia illa particula, *Pro*, ad explicandam labem Simoniæ, vt in capit. *Placuit*, 102. & sequent. 1. quæstione 1. capit. *Non satis* ibi: *Pro earum commissione nullum pretium exigatur*. Capite *Cum in Ecclesia*, ibi *Pro Episcopis*, &c. B & capit. *Sicut tuis*, ibi. *Pro facto huiusmodi aliqua pecunia offerretur*, de Simon. Necesse est enim; vt in his, & similibus locis particula illa in ea proprietate accipiatur. Tum quia illã præ se fert in omnibus commutationibus. & legibus, nisi aliunde distrahatur ex circunstantiis. Tum etiam quia per illam explicatur irreuerentia, quæ fit rei sacræ per Simoniam: consistit enim in commutatione, quæ inter illam, & rem temporalem fit; tum etiam quia per illam particulam, *pro*, indicatur talis habitudo, quæ omninò excludat gratuitam donationem rei spiritualis, & inducat onerosum contractum respectu illius; non explicat autem hanc conditionem largitionis, nisi in illa proprietate acci- C piatur. Vnde confirmatur assertio ex definitione Simoniæ, quæ per emptionem, & venditionem traditur ad declarandum debere esse talem commutationem, quæ gratiæ opponatur, vt sumitur etiam ex ca. *Gratia*, ca. *Gratiam*, ca. *Placuit*, cum similibus, 1. q. 1. Et declarauit Diuus Thomas dicta quæ. 100. artic. 1. Venditio autem, & emptio in proprietate rigorosa dicit commutationem alicuius rei pro pretio, extenditur autem, vt dixit D. Thomas, ad omnem commutationem rei spiritualis pro alia, quæ subeat locum pretij, ergo, constituitur in ratione pretij per habitudinem talem ad rem spiritualem, vt pro illa commutetur. Denique confirmatur, quia discurrendo per alias habitudines, non D sufficiunt ad rationem pretij spiritualis rei, quia directe respiciunt alium terminum, & fundantur in alia proportione.

Ca. Placuit. *Cap. Cum in Eccles.* *C. Sicut tuis.* *Ca. Gratia.* *Ca. Gratiam.* *Cap. Placuit.* *D. Thom.*

5. Obiectio.

Dices: Ergo tota ratio Simoniæ reducitur ad solam interiorem intentionem, nam si quis non intendat dare temporale pro spirituali illo modo, & cum ea proprietate, & rigore, non committet Simoniam, etiam si temporalia tribuat ei, qui daturus est spiritualia: Consequens habet multa incommoda, ergo. Sequela patet, quia sine pretio non fit Simonia, & tota ratio formalis pretij pendet ex intentione dantis, & materialis res non sufficit, vt ostensum est. Minor autem patet; tum quia aperitur via ad acquirendas res spirituales per temporales, vitando Simoniam, non intendendo dare pecuniam, vt pretium, sed solùm ad conciliandam E beneuolentiam, vel similem excusationem illius prætendendo. Vnde nemo poterit rationabiliter iudicari Simoniacus, etiamsi temporalia tribuat, quia de intentione iudicium ferre non licet.

6. Soluitur obiectio.

Respondeo: Aut loquimur in foro interiori, & conscientiæ, aut in foro externo Ecclesiæ. Quoad priùs, fatemur propriam Simonię malitiam maiori ex parte pendere ex intentione operantis, vt ratio probat, & optimè confirmat textus in capit. *Tua nos*, de Simon. ibi. *Si tamen is, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur*, &c. Et fortasse ideò definita est Simonia, vt sit studiosa voluntas, quia ex intentione voluntatis maximè pendet eius malitia. Hæc autem intentio dupliciter haberi potest: vno modo formaliter, vt quãdo quis directè intendit dare hanc rem temporalem pro illa spirituali, verbi gratia, pecuniam pro beneficio, id est, vt loco illius, & propter æstimationem eius velit beneficium obtinere, & tunc est formalissima Simonia. Nec enim necesse est, vt formaliter intendat, hanc rem esse pretium illius quasi in actu signato, quia nec ad contractum onerosum, nec ad iniuriam faciendam rei sacræ necessarium est, satis ergo formaliter intendit pretium, qui habet intentionem constitutiuam pretij, vt sic dicam, nam per illam intẽtionem sufficienter resultat in tali re habitudo moralis suprà explicata, per quam constituitur in ratione pretij.

7. Secundo modo potest haberi hæc intentio virtualiter, & secundum moralem imputationem sufficiẽtem, per solam voluntatem dandi rem temporalem proximè, & immediatè ad obtinendam spiritualem, sine interuentu alterius motiui veri, & honesti, propter quod temporale detur. Probatur hoc in primis ex generali principio, quòd ad peccatum, & malitiam sufficit voluntas operis, cui est adiũcta deformitas, etiamsi deformitas, vel ratio eius formaliter non intendatur, nam ita contingit in præsenti, quia per talem voluntatẽ dandi, & accipiendi talem rem, acceptatur obiectum tali modo, vt illi insit deformitas Simoniæ, etiamsi formaliter non intendatur. Declaratur præterea ex d. cap. *Tua nos*, vbi loquens de eo, qui donans bona Ecclesiæ suæ rogans admitti ad Canoniam, & permitti habere sua pro præbenda, & de Canonicis illum admittentibus, ait Pontifex. *Si tamen is, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, vt per temporalia bona, spiritualia valeat adipisci, & Clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri, sine dubio tam isti, quam ille apud districtum iudicem, culpabiles iudicantur.* In quibus verbis de vera culpa Simoniæ coram Deo sermo est, & ad illam non requirit Pontifex formalem intentionem commutandi vnam rem pro alia, aut emendi, & vendendi, sed sufficere iudicat virtualem inclusam in intentione obtinendi spiritualia per hoc medium, vel dandi illa solùm intuitu illorum. Dixi autem necessarium esse, vt in re ipsa non interueniat alia honesta causa dandi, vel recipiendi temporalia, aut certè quòd ab operante non intendatur, quia secluſa ista conditione, ex illa conditione negatiua, quòd sine commodo temporali non esset quis daturus spiritualem rem, non colligitur sufficienter virtualis intentio Simoniæ; nam Sacerdos ita applicat Missam pro illo, qui stipendium dedit, vel daturus est, vt non esset sic oblaturus, nisi accepturus esset stipendium, & nihilominùs non est Simoniacus, quia habet honestam causam intendendi stipendium vt conditionem necessariam, sine qua Missam non diceret, vel illam tali personæ non applicaret. At verò si Clericus teneatur Missam pro populo dicere ratione beneficij, & nihilominùs nouum stipendium ab illo exigat, vt pro illo dicat, aliàs non dicturus, virtualiter vult Missam vendere, quia cùm non habeat Ius petendi stipendium, moraliter conuincitur exigere vt pretium, seu in commutationem rei spiritualis. Vt notauit Diuus Thomas dicta q. 100. artic. 3. ad 3. Quoties ergo nec ratio stipendij locum habet, nec ratio vexationis sufficientis ad honestam redemptionem eius, nec aliæ extrinsecæ rationes accidẽtarii laboris, aut obligationis, aut pietatis, vel honestæ amicitiæ, & vrbanitatis,

Non est Simonia accipere stipendiũ pro Missa alias non debita, si sit nomine eleemosynæ.

D. Thom.

tatis, & nihilominùs temporalia dantur solo intuitu obtinendi spiritualia; vel è contrariò spiritualia dantur solo intuitu recipiendi temporalia, illa intentio sufficit, vt illud temporale habeat veram rationem pretij rei spiritualis. Quod in sequẽtibus, descendendo ad particularia, magis declarabitur.

1. At verò in ordine ad forum externum primum omnium considerandum est, an datio, & acceptio tali modo, & in tali materia sit prohibita intuitu Religionis, & in reuerẽtiam rerum sacrarum. Nam tunc qui contra prohibitionem legis voluntariè recipit temporalia, ministrando, vel dando spiritualia, Simoniam committit, saltem in ecclesiastico foro, in quo iam non spectatur alia intentio eius, sed sola voluntas accipiendi temporale pro spirituali contra prohibitionem. Præsumitúrque, ibi interuenire commutationem vnius pro alio eo ipso, quòd contra legem fit. Nam lex ipsa prohibet talem largitionem propter præsumptionem, & occasionem Simoniæ. Ideóque ex vi talis prohibitionis actio illi contraria Simoniaca censetur. An verò in re illud sit semper Simonia, si intentio dantis, & accipientis non sit, qualis præsumitur, infrà videbimus. Deinde si largitio non sit specialiter contra legem humanam, considerandum est, an pactum intercesserit: nam quando intercedit pactum, maior est præsumptio Simoniæ, quàm cum simpliciter fit largitio, quia Iura multùm detestantur pacta in huiusmodi negotio. Nihilominùs tamen non sufficit pactum, vt statim damnetur actio, quia possunt esse pacta honesta, vt ad redimendam vexationem, & ad compensandum accidentalem laborem, & ad securitatem stipendij, vt infrà dicemus. Sicut etiam è contrariò licet non appareat pactum expressum, ex circunstantiis potest præsumi tacitum.

Non semper pacta circa hoc debent damnari.

9. *Si in pacto interuenit causa quæ honeste largitionẽ, non debet præsumi Simo. Cap. vltim.*

Vlteriùs ergo oportet considerare, an in tali facto possit interuenire aliqua ex causis quæ possunt, & solẽt honestare largitionem temporalium, nam si possit, non debet præsumi Simonia, nisi aliæ circunstantiæ, & coniecturæ moraliter cogant, si autem non possit, præsumitur. Probatur prior pars, quia tenemur interpretari factum proximi in meliorem partem, & intentionem, si est capax eius iuxta Regulam secundam, extra de Regul. iur. & cap. vlt. de Præsumpt. in vltimis verbis eius, & iuxta communem doctrinam Theologorum cum Diuo Thoma 2.2.q.60. art. 4. & Iuristarum in citatis locis; & in leg. *Merito*, ff. Pro socio. Et ratio est, quia vnusquisque habet Ius ad famam suam, & bonam opinionem, quandiù factum eius malũ non ostenditur. Sed quãdo largitio rei temporalis potest habere honestam causam, & alienam à Simonia, ex facto ipso non potest sufficienter colligi intentio Simoniaca; ergo si alio modo non manifestatur, præsumi non debet. E conuerso autem probatur altera pars, quia quando tale est factum, vt non sit capax alterius causæ honestæ, tunc ex ipso facto satis colligitur praua intentio, nisi aliunde ignorantia, & bona fides probetur.

D. Thom. Leg. Merito.

10. *In dubio circa pactum, coniecturis est vtẽdum.*

Denique quando factum potest in vtramque partem interpretari, quia est capax bonæ, ac malæ intentionis, & quia potuit interuenire pactum, & esse occultum, tunc coniecturis vtendum est, non solùm ad iudicandum in foro externo, sed etiam ad sedandas conscientias, iuxta cap. *Et si quæstiones*, de Simonia. Et ideò de his coniecturis pauca breuiter notanda sunt. Et in primis distinctione vti oportet inter duos modos honestandi, & iustificãdi largitionem, suprà positos. Vnus erat ex ratione gratuitæ donationis, alius ex aliquo titulo iustitiæ, vel obligationis ex lege, vel consuetudine, &c. Quando ergo interuenit probabilis titulus honestus, inducens obligationem, tunc facilis est præsumptio, quod ex tali causa datum sit donum temporale, & nõ pro spirituali opere, aut beneficio, & ita videtur iudicandum in foro interno, & externo, nisi oppositum planè constet, propter rationes suprà adductas. Dico autem, etiam in interno, quia licet respectu vniuscuiusque operantis in illo foro, non agatur coniecturis, nec attẽdatur præsumptio, sed rei veritas, nihilominùs quia in hoc negotio datio, & ecceptio sunt reciprocæ, & ideò potest accipiens dubitare de intentione dantis, & è conuerso, hoc modo dicimus, vtique licere in foro conscientiæ hac regula vti. Similiter accidere potest in Simonia, vt sine culpa recipientis beneficium, fuerit collatio inualida propter culpam à tertio commissam, vt infrà videbimus, quando ergo aliquis incipit dubitare de sua obligatione propter factum alterius, poterit eadem regula vti propter eandem rationem, & idem est obseruandum in similibus.

Si verò nullus talis titulus obligationis interueniat, & solùm sit dubium de gratuita donatione, tunc coniecturis vtendum est, quæ interdum possunt inducere præsumptionem liberalitati contrariam, interdum fauorabilem, aliquando dubiam, seu neutram. Prioris generis est in primis pactio. Nam si hæc interueniat, & de illa constet, non poterit præsumi gratuita donatio, tum propter Iura prohibentia pactiones de temporalibus in largitione spiritualiũ, tum etiam quia pactio inducit obligationem repugnantem gratuitæ donationi, vt infrà circa quartam diuisionem latiùs explicabo. Deinde si intercedat taxatio temporalis rei tribuẽdæ, indicium est onerosi contractus iuxta caput. *Dilectus*, de Simon. ibi. *Quod fuerit sine taxatione gratis oblatum.* Vbi Glossa notat, hoc ideò dici, quia taxatio virtualis quædam pactio, & venditio reputatur. Maximè quia nõ potest illa taxatio fieri sine aliqua conuentione, quæ vniuersè prohibita est capit. *Tua nos*, eod. Item si donum temporale non sit sponte oblatum, sed exactio aliqua intercesserit, malam speciem habet, & indicium est non gratuitæ donationis, vt significatur in Extrauag. 1. de Simon. inter communes, quatenus prohibet, *petere, & exigere*, & permittit, *petere, & sponte oblatum recipere.* Quia petitio, & maximè si antecedat, multum derogare solet spontaneæ donationi, & ideò contra illam etiam videtur esse Iuris præsumptio, ac prohibitio. Hæc igitur videntur esse potissima indicia largitionis non gratuitæ. Quod optimè potest confirmari ex cap. *De Elogiis* 18. d.

11.

C. *Dilectus.*

Gloss.

C. *Tua nos.*

Extrauag *1.* de Simonia.

C. *De Elogiis.*

12. C. *Et si quæst.*

Radices cõiecturarum.

At verò quando nulla sunt talia indicia. vtẽdum est in instructione Iuris, quæ habetur in d. cap. *Et si quæstiones.* Vbi tria spectanda esse dicuntur, scilicet, *Personæ dantis, & accipientis qualitas, quantitas muneris; & tempus*, seu occasio largitionis. Nam ad has circũstantias possunt reduci omnes, quæ ab homine ibi cognosci, & ponderari possunt, nam locus valdè extrinseca circunstantia est, vt in præsenti possit ab illa coniectura sumi; vel si aliquãdo quidpiam confert, cum tempore coniungitur, vt explicabimus. *Propter quid* est valdè interna, & potiùs de illa sit coniectura, & similiter inuestigatur circunstantia, *Quomodo*, id est modus actionis, quatenus ab interna etiam intentione pendet, scilicet, An fuerit gratuita donatio, nec ne: Alius autem modus, de quo exteriùs potest constare, iam supponitur, scilicet, quòd sine exactione, pactione, obligatione, aut alio simili modo, datio, & receptio

facta sit. Reliquæ autem circunstantiæ in dictis tribus comprehenduntur. Nam sub persona comprehenditur *Quis*, & *Circa quem*. Et in vtroque desiderandum (vt dicitur in alio textu) an sit dives, vel pauper, nam quantitas donationis ex habitudine ad personam pendet, quia non solùm est spectanda quantitas absoluta, sed etiam respectiua, sæpè enim quod parùm est respectu diuitis, est multùm respectu pauperis, vt per se notum est. Vnde eadem ratione nobilitas personæ consideranda est; nam vt dicitur in cap. de Donat. *Hanc sibi quodammodo nobilitas legem imponit, vt debere se, quod sponte tribuit, existimet. Et nisi in beneficijs suis creuerit, nihil se præstitisse putet.* Vnde respectu ad talem personam quantitas doni maximè augetur, vel minuitur cæteris paribus, & ipsa nobilitas per se est indicium gratuitæ donationis. De quo videri potest Tiraquel. de Nobilit. cap. 29. num. 37. Ponderari etiam potest vinculum personarum inter se nam si aliàs intercedat inter eos magna amicitia, vel consanguinitas, facilius præsumitur liberalis donatio inter ipsos facta, argument. cap. *Requisisti*, de Testament. Denique etiam est obseruanda virtus, & integritas personæ, nam si est honestis moribus, timoratæ conscientiæ, & præsertim si est liberalis, vel diuitiarum cõemptrix, multum auget bonam præsumptionem. E contrariò verò ex contrariis qualitatibus personæ, contraria præsumptio sumitur, nam contrariorum eadem est ratio.

Cap. 1. de Donat.

Doni quantitas sumenda per ordinem ad personam. *Tiraquel.*

Consideratur etiam necessitudo personarum.

C. Requisisti.

Deinde spectanda dicitur circunstantia *Quantũ*, quæ solet etiam dici *Circa quod*, nam donũ est materia, circa quam hæc actio versatur, & ideò illius qualitas consideranda proponitur in dicto textu. Quod in primis intelligendum est de quantitate absoluta, nam si nimis magna sit, non præsumitur liberalitas, quia nemo præsumitur bona sua prodigere, vt significatur in cap. *Super hoc*, de Renun. & tractat latè Tiraquel. in leg. *Si vnquam*, ver. *Donatione*, à num. 205. Si verò res sit nimis exigua, & vilis, sine alia consideratione quasi nihil reputatur, quia non est verisimile dari pro re tam excellenti, vt est res spiritualis, nec ad mouendum animũ eius, à quo spirituale aliquid desideratur. Quando autem quantitas absolutè spectata, mediocris est, & dubia, tunc est consideranda quantitas respectiua ex relatione ad vtramque personam, vt dictum est. Et præterea addo, etiam posse spectare ex comparatione ad rem spiritualem, nam quò illa fuerit dignior, & excellentior, & quantitas doni temporalis minor, eò magis poterit coniectari, vnum non esse datum in commutationẽ alterius. Materia insuper temporalis doni cõferre ad hoc potest. Nam si res donata sit numerata pecunia, malam secum affert speciem, etiam si in parua quantitate sit. At verò si res sit pertinens ad cibum, vel potum, & in parua quantitate, quasi nihil æstimari, solet, vt in eod. capit. *Et si quæstiones*, significatur: & sumitur etiam ex cap. *Statutum*, §. *Insuper*, de Rescript. in 6. Quando verò sunt res mediæ qualitatis, ex earum æstimatione pensandæ sunt.

Consideratur item cõditio personæ.

13. Considerãda etiam est circunstantia, circa quod.

C. Super hoc. Tiraquel.

Tandem dicitur considerandum tempus, in quo (vt ibidem significatur) potissimè contemplanda censetur occasio, scilicet quia Prælatus Ecclesiasticus hîc, & nunc indigebat, & aliter sibi prouidere non poterat; tunc enim censetur esse subuẽtio necessitatis, non emptio spiritualis actionis, aut beneficij. Ad hanc item circunstantiam pertinet considerare, An munus detur ante receptam rem spiritualem, vel in ipsa receptione, vel post ipsam. Nam si temporalia donentur post receptionem spiritualium, & præsertim si interuallum temporis intercessit, tunc facilius præsumitur esse mera liberalitas, & gratitudo, vt supponitur in cap. *Quàm pio*, in fine, & sumitur ex cap. *Sicut Episcopus*, 1. quæst. 2. At verò si in continenti detur, maiorem habet speciem recompensationis, si autem præcessit, videtur inducere quandam necessitatem, vel posse mutare animum, & ideò multùm minuitur præsumptio liberalitatis, vt in dictis Iuribus indicatur, & optimè confirmat Concilio Eliberti. in cap. *Emendari*, 104. 1. quæstion. 1. Prohibet enim, *Ne in Baptismo munus in concham mittatur, ne Sacerdos, quod gratis accipit, pretio dare videatur.* Et idem sumitur ex cap. *Sicut Episcopus*, 1. quæst. 2. Et notant his locis Gloss. Archid. & alij. Non est autem hæc præsumptio per se sufficiens, nisi prohibitio Ecclesiastica interueniat, quia in quolibet tempore potest intentio esse pura, & donatio gratuita, quod solùm voluerunt Glos. Abb. & alij, in cap. *Tua nos*, de Simon. Innoc. & alij in cap. *Cum maior*, de Constit. Qui volunt, solam illam circunstantiam temporis non esse satis, vt præsumatur factum Simoniacum. Non potest tamen negari, quin aliquid iuuet, & ideò expendenda cum aliis sit ad iudicandum, vel coniectandum, an munus datum, pretij rationem habuerit.

C. Quam pio. C. Sicut. Conc. Elib. C. Sicut. Gloss. Archid. Abbas. Innoc.

CAPVT XXXVII.

An sufficienter diuidatur pretium Simoniæ, in manus à manu, à lingua, & ab obsequio.

1.

HÆc diuisio frequens est in Iure, & ideò à nobis est hoc loco explicanda, quod fecit Diuus Thom. dicto ar. 5. & faciunt Doctores omnes in hac materia. Habetur ergo illa diuisio in c. *Sunt nonnulli*, 114. 1. q. 1. Vbi Greg. Papa accommodans ad hæc spiritualia, illud Isaiæ 33. Vbi de viro iusto dicitur, *Excussit manus suas ab omni munere*, subiungit Greg. dixisse *ab omni, quia aliud est munus ab obsequio aliud munus à manu, aliud munus à lingua.* Et hæc definiens subdit. *Munus ab obsequio est indebitæ seruitutis munus à manu pecunia est, munus à lingua fauor.* Eadémque distinctio habetur in c. *Ordinationes*, & c. *De ordinationibus*, ead. & in c. *Saluator*, 1. q. 3. Et ita hac partitione omnes auctores vruntur.

D. Thomas. C. Sunnnonnulli. Greg. Papa. Isaias. 33. Quæ sint hæc munera C. Ordin. C. De ordin. C. Saluator.

Circa hanc verò partitionem, duæ dubitationes occurrunt. Prima est, quia non apparet, quomodo munus à lingua, & ab obsequio sint vera pretia Simoniæ, quia preces non habent rationem pretij, nam quod propter preces datur, gratis datur. Et ita nihil frequentius est in Ecclesia, quàm postulari spiritualia, & propter preces dari, & tamen preces sunt munus à lingua. Similis est difficultas de obsequijs, nam quotidie videmus, Prælatos dare beneficia obsequentibus sibi, & Reges præsentare ad beneficia, & Episcopatus in remunerationẽ seruitiorum. Sed hæ difficultates expedientur melius in tribus capitibus sequentibus tractando, & declarando singula diuisionis membra. Nunc satis sit dicere, obsequium, & preces in tantum posse habere rationem pretij, in quantum aliquo modo æquiualent muneri à manu seu pecuniæ. Quando autem talia sint, posteà dicetur. Et ideò in titulo huius capitis solùm proposui dicere de sufficientia diuisionis.

1. Dubitatio duplex.

Est ergo difficultas, quia non videtur illa diuisio omnia comprehendere. Primò quia cõsanguinitas, si sit ratio dandi beneficium est sufficiens ad Simoniam, iuxta cap. *Nemo*, de Simon. Et tamen non continetur in illa diuisione. Et auget difficultatem cap. *Siquis neque*, 115. 1. q. 1. Vbi idem Gregor. repetens

tens illa membra, addit quartum his verbis, *Iniusto cordis amore*, id est, carnali affectu, qui maximè solet esse ad consanguineos: eadem verò ratio erit, si sit ad humanos amicos; vt Glossa ibi significat. Secundò quia timor est quidpiam distinctum ab illis tribus, & tamen potest esse sufficiens causa Simoniæ, si propter vitandum temporale malum, quod timetur, spirituale aliquid detur, vt communiter sentiunt Doctores. Tertiò humanus honor etiam est quid distinctum ab illis tribus, nam est quid nobilius omnibus illis, & tamen si quis daret alteri beneficium propter honorem ab eo exhibendum, Simoniam committeret. Quartò obiici etiam potest fauor, vel humana gratia; præsertim ad temporalia beneficia nam aperte distinguitur à munere à manu, & ab obsequio, nec cum precibus conuertitur, nam longè diuersum est aliquid facere ad comparãdum fauorem humanum aliud flecti precibus, & tamẽ dare beneficium propter humanum fauorem obtinendum videtur esse Simonia, iuxta cap. *Nemo*, de Simon. ibi. *Gratia, vel fauore*, ergo. Quintò potest in genere aliquid temporale pro spirituali offerri, non determinando, quid, vel quale illud futurum sit, & ita videtur esse posse Simonia ex vi solius generis, non descendendo ad aliquam ex illis speciebus, cum tamen hęc sub illis non contineatur, ergo.

C. Nemo.

Nihilominùs dicendum est, nullum esse pretium ad Simoniam sufficiens, quod ad illa membra conuenienter non referatur, & hoc modo partitionem esse sufficientem. Assumptum declaratur quia omnia bona humana, & temporalia, quæ homines inter se communicare, seu dare, vel accipere possunt, reducuntur vel ad bona fortunæ, & externa, quæ nomine diuitiarum significantur, vel sunt opera, & actiones humanæ, quæ per membra corporis exhibentur, vel sunt fauores, intercessiones, & similia, quæ per verba fieri solent. Neque facilè poterit excogitari aliquod bonum humanum, & temporale, quod vnus homo possit alteri conferre; quod ad hæc nõ reuocetur. Loquor autem semper de bono communicabili inter homines, quia tale oportet esse pretium: vnde salus, vita, scientia, & alia similia bona non possunt secundùm se subire rationem pretij, per actiones autem suas, & labores, ac vigilias suo modo possunt, iam verò sub illa ratione ad obsequia, vel munera linguæ pertinent. Ad hæc etiam tria capita pertinent promissiones, & obligationes eorũ: tum quia promissio, & obligatio non variat pretium, sed modum solutionis, quasi differẽdo illam, tum etiam quia talis promissio includit contractum onerosum, & dat Ius ad talem rem, quod Ius ad bona eiusdem ordinis pertinet. Et ideò in Iure æquè prohibentur hæc dona promissa pro spiritualibus rebus, ac de præsenti donata, vt constat. Denique ad hæc etiam tria genera bonorum reducuntur mala contraria, vel onera illis repugnantia, quæ aliquis voluntariè patitur, aut in se suscipit ratione alterius, quia eodem modo sunt moraliter æstimabilia, vt in particulari melius declarabitur.

4. Sufficiẽs est partitio pro posita.

Magis verò constabit sufficientia huius diuisionis, respondendo ad difficultates propositas. Prima erat de consanguinitate. De qua fuit aliquorum sententia, esse Simoniam dare alicui beneficium v. g. solo titulo consanguinitatis. Hanc opinionem tenuit Cantor Parisiens. vt refert Altis. cui etiam solet hæc opinio tribui sine causa. Refertur etiam Banaueh. 4. d. 25. dub. 6. circa litteram, sed ipse fatetur, non esse Simoniam propriè, sed generali, & æquiuoca significatione, quatenus Simonia dici

5. Nõ consanguinitas red dat Simoniam.

Altis.

Banau.

potest omnis indigna prouisio, vel acceptio personarum in spiritualibus. Eandem opinionem indicat Gloss. referens Lauren. in c. vnic. vt ecclesiastica beneficia & c. ver. *Carnalitatem*. Quæ allegat. d. c. *Siquis neque*. Vbi Gloss. in prima expositione hoc sequitur, licet statim aliam subiungat. Citat etiam c. *Nemo*, cap. *Veniens*, cap. *Tua* de Simon. Clarius verò, & fusiùs defendit hanc sententiam Maior. 4. distin. 25. quæst. 3. ad 1. & fatetur, contrariam esse communem Theologorum, etiam Altissiodor. Vnde apertè loquitur de propria Simonia. Rationes verò, quas adducit, omnes procedunt ex fundamento malè intellecto, quòd solæ preces ad Simoniã semper sufficiant. De quo infrà videbimus. Fundamẽtum ergo esse videtur, quia non minùs est temporale bonum consanguinitas, quàm fauor humanus sed dare propter fauorem humanum spirituale beneficium, est Simonia, ergo. Confirmatur, quia dare beneficium alicui cum onere alendi consanguineum, Simonia est, ergo multò magis erit dare beneficium ipsum consanguineo, solùm quia consanguineus est. Denique cõfirmatur, quia illo modo tractatur res spiritualis vt hæreditaria, & carnalis, seu temporalis, in quo ratio Simonię maximè consistit. Vnde ad difficultatem positam fatebatur Cantor. Diuisionem esse insufficientem, & addendum esse illi hoc membrum simul cum alio, de quo infrà.

Gloss.

Fundamentum partis affirm.

Dicendum verò est, illam non esse Simoniam, & ita membrum illud non fuisse necessarium. Ita respondet D. Thom. dicta q. 100. art. 5. ad 3. Docuit Altis. lib. 3. Sum. trac. 27. c. in princip. Adrian. Quodlib. 6. ad 3. Victor. d. Relect. num. 16. Sotus q. 7. art. 3. ad 2. Couar. lib. 1. Var. c. 5. nu. 4. vbi alios refert. Ratio est, quia vel hæc est Simonia contra Ius diuinum, vel contra humanum: neutrum dici potest, ergo. Minor quoad priorem partẽm probatur, quia qui dat consanguineo beneficium, nõ dat spirituale pro temporali; nihil enim temporale à consanguineo recipit, ergo nulla est ibi Simonia contra Ius diuinum. Item talis Simonia non committitur sine pacto, ibi autem nullum interuenit pactum, vt constat. Item donum datum consanguineo, quia consanguineus est, gratuitum nihilominùs est, si dans nihil à consanguineo recipiat, vel expectet, quia consanguinitas non datur, nec recipitur propter tale donum, sed supponitur ad illud, nihil ergo impedit liberalem donationem. Alias non posset quis esse liberalis cum suis cõsanguineis, quod planè absurdũ est. Item offerre orationes meas, vel satisfactiones pro consanguineo, quia consanguineus est, non est Simonia, imò per se est bonum opus, & secundùm ordinem charitatis, ergo idem est de quocunque dono spirituali. Denique æquiuocatio est magna in particula *pro*, seu *propter*. Nam dare spirituale consanguineo propter consanguinitatem, non est dare pro pretio, vel propter cõmutationem aliquam, sed est dare propter inferiorem quendã finem, & motiuum, quod ad Simoniam non spectat. Et idem dicendum est de motiuo amicitiæ humanæ, & de motiuo fauoris antecedentis ad collationem, vt posteà explicabimus. Et ita respondetur est ad rationem in contrarium. Prima verò confirmatio non benè colligit, quia quando datur beneficium cum onere soluendo consanguineo, iam datur spirituale pro temporali, quod non fit, quando simpliciter datur consanguineo. Secunda verò confirmatio ostendit, posse esse illud illicitum, non verò Simoniam.

6. Pars negat. præfertur. *D. Thom. Altissiod. Adrian. Victor. Soto. Couar.*

Respõdetur ad primam confirmationem.

Altera verò pars de Iure positiuo probatur, quia nulla inuenitur in Iure prohibitio, quod facilè patebit

7.

tebit, discurrendo per Iura, quæ allegantur. Primum erat extra. *Vt ecclesiastica beneficia, &c.* Ibi verò, solùm dicitur, reprehensibilem fuisse Episcopum, quia beneficium contulerat ex carnalitate. Et ratio culpæ explicatur his verbis, *Quia non ex affecta carnali, sed discreto iudicio debuisti ecclesiasticum officium, & beneficium in persona magis idonea dispensare.* Culpa ergo acceptionis personarum, non Simoniæ illa fuit. Quòd verò Mai. dicit, omnem electionem digni ad beneficium Ecclesiasticum, prætermisso digniori, esse Simoniacam, vanum est, & improbabile, nam est confundere vitia, & virtutes. Secundò inducebatur dicto capite, *Si quis neque.* Nihil verò ad rem facit, quia ibi coniunguntur omnes modi quærendi, & obtinendi beneficia peccaminosi, & licet aliqui ad Simoniam pertineant, non tamen omnes: & ita in illo textu nulla mentio fit Simoniæ, sed concluditur eum, qui aliquo ex illis modis ecclesiasticum beneficium accipit, fore damnandum nisi verè pœniteat. Accedit quòd illud verbum, *iniusto cordis amore*, non refertur ad consanguineos, sed ad seipsum, vt ex textu constat, & Glossa notauit. Vnde possumus retorquere argumentum, quia sequitur, esse simoniacum illum, qui cùm indignus sit, ex nimio sui amore beneficium recipit, etiamsi gratis petat, & accipiat, quod est ridiculum. Sequela verò est euidens, quia etiam illud motiuum est humanum, & carnale. Ex Iuribus verò, quæ allegantur sub tit. de Simon. capit. *Veniens*, & cap. *Tua*, nihil omninò ad causam faciunt, & ita nihil ad ea respondere necesse est. Cap. autem *Nemo* videtur habere aliquam difficultatem. Nam priùs dicitur, non esse crimen proximi Episcopo occultandum propter respectum consanguinitatis, & in fine ita concluditur, *Quia simoniacum est vtrumque.* Sed iam suprà cap. 22. ostendimus, hæc vltima verba illius textus non referri ad priorem partem eius, vbi illud de respectu consanguinitatis cõtinetur. Imò Hostien. & alij, qui verba illa vltima referunt ad totum textum, consequenter dicunt, illa non intelligi de propria Simonia, sed de similitudinaria, & impropria. Vnde addo, fieri non posse per prohibitionem Ecclesiæ, vt talis actio Simoniaca sit, licet alio modo possit fieri illicita, quia ibi nec est vera commutatio rei spiritualis pro temporali nec vmbra, aut specimen eius: & ita non est ibi fundamentum Simoniæ, etiam quia prohibita.

Tandem hinc colligit Couarruuias suprà, dare beneficium consanguineo, alioqui digno simpliciter, vel etiam comparatione aliorum, non esse peccatum vllum, etiamsi illum præferat ratione solius consanguinitatis, quia illa neque est Simonia, vt ostensum est, nec est iniustitia, vt supponitur, quia nullus dignior propterea prætermittitur, nec etiam est ex immoderato affectu carnali, quantum ex vi illius actus, quia nullam habet inordinationem, quæ indicet immoderatum affectum. Quæ sententia vera est, per se loquendo. Sed nihilominùs cauendum est scandalum aliorum, quod sæpe nascitur ex huiusmodi prouisionibus cõsanguineorum, & ideò oportet, vt non omnia beneficia illis conferantur, nec frequentiùs: & vt decorum sufficientia, & dignitate publicè constet, si prouisio publica est. Cauere etiam debent Prælati scandalum proprium, vt sic dicam, facilè enim duci possunt animo affectu, vt dignum, vel digniorem iudicent consanguineum, qui reuera non est, & possunt in hoc peccare ex culpabili ignorantia, erit tamen ita tale peccatum contra iustitiam distributiuam, vel legalem, non verò cõtra Religionem, nec Simoniam.

In secunda obiectione tangitur difficultas de timore. Aliqui enim existimant, hoc membrum fuisse addendum illi diuisioni, quia sufficit ad Simoniam. Ita dixit Cantor Parisiensis, vt refert suprà Altis. & sequitur Maior. loco citato, dicens, *Non solum sanguis, sed timor incussus à tyranno, & cætera id genus, quæcumque fuerint, causant Simoniam. Nec de illa diuisione trimembri curandum est, nam plura sunt alia membra.* Hæc ille. Imò Diuus Thomas eadem distinctione 25. quæst. 3. artic. 3. ad 4. idem expressè docet, & reducit hoc motiuum ad præces, quas armatas vocat, & ita tacitè soluit difficultatem à nobis positã. Et sequitur ibi Durandus q. 4. num. 6. citatur etiam Bona. ent. in dicto dubio 6. circa liter. Sed ille generaliùs loquitur, & in rigore potiùs tenet contrarium, loquendo de propria Simonia. Eandem verò sententiam tenet Adrian. dicto Quodlib. 9. artic. 2. dubio vltim. illius. Fundantur, quia dans beneficium ex metu temporalis nocumenti, dat propter vitandum illud malum, sed vitare illud malum, est quidpiam pretio æstimabile; ergo subit rationem pretij tàlis timor, ergo sufficit ad Simoniam. Probatur minor (cætera enim clara videntur) tum quia vitare malum temporale est quoddam temporale bonum, sub tali enim ratione appetitur, tum etiam, quia sæpè redimitur temporali pretio cum æqualitate rei ad rem, ita vt ex hac parte non committatur iniustitia; ergo signum est, ipsum esse quoddam commodum pretio æstimabile.

Alij verò distinctionibus vtuntur, vt videre licet in Victor. suprà à numero 22. & Sot. quæst. 7. articulo 2. quas non iudico necessarias, vt ex discursu patebit. Et ideò illis omissis dico primò. Dare beneficium, vel facere aliquid spirituale ex metu imminentis mali, non est Simonia per se, & ex vi talis motiui, nisi quando metus inducit ad dandum aliquid spirituale pro munere ab obsequio, vel simili. Hæc limitatio infrà declarabitur. Ita tenet Victor. suprà, qui refert Caietanum in Sum. verb. *Simonia*, apud quem expressè non inuenio, licet sumi possit ex declaratione istius trimembris diuisionis, quam in fine illius verbi tradit. Idem sentit Angel. verb. *Simonia*, 3. numero 38. (licet Victor. illum in contrarium alleget) tenet etiam Sot. quæst. 7. artic. 3. Et idem sentit Bonauen. vt dixi. Probatur autem quia ibi nec est Simonia de Iure naturali, nec de Iure positiuo; ergo. Prior pars probatur primò, Quia operari ex metu, non est opetari pro pretio, ergo ex illo solo motiuo non potest esse Simonia, quia de ratione Simoniæ est prætium, vt sæpè diximus, & maximè habet verum ex vi Iuris naturalis. Antecedens probatur ex dictis in præcedenti puncto, quia aliud est operari propter aliquod motiuum, aliud pro aliqua re, quasi in commutationem eius. Qui autem dat rem spiritualem propter metum, quamuis illo motiuo inducatur, non dat pro aliqua re, quæ habet rationem prætij, cum qua commutare intendat rem spiritualem. Dices, vitatio damni est ibi intenta, & illa potest habere rationem pretij. Sed contra; nam ex vi metus non ita intenditur, sed solùm intenditur remotio causæ, quæ potest inferre tale malum, hoc autem licitè intendi potest per se loquendo per spirituale medium, etiamsi malum vitandum sit temporale.

Confirmatur primò, quia inducere ad spirituale opus faciendum per cõminationem mali temporalis, non est Simonia, nec malum, imò est à Deo, Ecclesia, & legitimis potestatibus vsitatum: ergo è conuerso opus spirituale facere ad vitandum comminatum malum, non est Simonia. Quod si hoc verum

A

B

C

D

E

9. An datio benef. per timorẽ sit timor.

Cant. Paris. Altis. Maior.

D. Thom.

Durand. Bonau.

Adrian.

Fundamentum partis affirmat.

10. Pars negatiua præfertur

Victor. Caiet.

Angel.

Sot.

Bonau.

Fundamentum.

Obiectio.

Soluitur.

Non omnis electio digni prætermisso digniore est Simoniaca.

C. Nemo.

Hostiens.

8. *Couarru.*

Prælati dando cõsanguineis qui non possunt peccare contra iustitiam.

Cauendum tamen propter scandalum.

verum est in malis comminatis per legem, idem erit in malis comminatis per hominem,siue iustè,siue iniustè: item idem erit, siue malum comminatum sit vitæ, corporis, famæ, vel honoris, siue sit in bonis fortunæ. Nam ratio facta eodem modo procedit,& comminationes legum de his omnibus fieri solent,& nulla sufficiens ratio differentiæ reddi potest. Nam quòd quidam dicunt, vitam, & famam esse bona superioris ordinis, & inæstimabilia pretio, inferiora verò pretio æstimari, parum ad rem facit. Tum quia in præsenti nulla bona ex illis intenduntur vt pretium, vt discursus facti generaliter probant. Tum etiam quia falsum assumitur, nam homo æstimatur pretio, & fama potest vendi, aut emi de facto, & si hîc intenderetur vt pretium: esset vera Simonia,vt mox dicemus. Atque eadem B ratione idem est, si timor sit de damno emergente in bonis possessis,siue de carentia lucri denuò comparandi, & siue iniustum sit damnum, siue non, quia in nullo istorum cogitur operans ex metu intendere aliquid vt pretium,vt ex discursu facto cõstat, & ideò dixi distinctiones has, vel similes non esse necessarias.

12. Et confirmatur secundò, quia dare aliquid spirituale ex motiuo amicitiæ,quæ iam habetur, non est Simonia, ergo nec dare illud ex motiuo acquirendi amicitiam, vel beneuolentiam alterius, est Simonia: ergo nec dare id ad placandam iram alicuius, & vt deponat odium, & voluntatem inferendi malum, est Simonia; at hoc solùm intenditur ex vi metus, ergo. Primum antecedens com- C mune est,& patet ex dictis de cõsanguinitate, procedunt enim in vinculo amicitiæ rationes omnes, quæ de consanguinitate factæ sunt, vt ibidem adnotauimus. Prima verò consequentia patet, tum quia eiusdem rationis est conseruare, vel fouere amicitiam, & generare illam, tum etiam quia illa amicitia non intenditur, vt pretium nec ibi interuenit pactum,nec intentio eius, sed solùm effectus, qui veluti ex natura rei sequi solet ex beneficentia, qui est beneuolentia, & amor: vnde hæc intentio etiam in muneribus, & obsequiis haberi potest, vt cap.sequenti videbimus, & ita reliquæ consequentiæ per se notæ sunt.

13. Probatur iam altera pars de Iure positiuo, quia nullum tale Ius inuenitur, quod inter pretia Simo- D niæ metum ponat.Imò inde sumi potest argumentum ad confirmandam vtramque partem;nam si talis actio est Simoniaca de se, aliquando prohiberetur in toto Iure Canonico, ita enim detestatur Ius hoc vitium, vt nullum modum committendi illud absque prohibitione prætermittere videatur; si autem actio illa esset Simoniaca,quia prohibita,multò magis deberet expresè prohiberi.Confirmatur, quia Iura canonica,quę attingunt similes actiones, vel collationes rerum spiritualium factas ex metu, non improbant illas vt Simoniacas; sed potiùs fauent, & defendunt eos, qui ex iniusto metu sic operari coacti sunt. Assumptum patet ex capit. *Ad audientiam*, de iis, quæ vi, &c. Vbi Innocent. 3.declarat, resignationem beneficij factam ex gra- E uissimo metu à rege immisso, & cadente in constantem virum, irritari debere, & beneficium resignanti restitui,quod non præcepisset, si actionem illam resignandi reputasset *Simoniacam*, ideóque talis criminis nulla ibi mentio fit. Similiter in capit. *Ad aures*, eodem.Clemens 3. dicit renunciationem electionis metu factam non obstare, quominus electus Ius suum obtinere debeat.Idem respondet Alexand. in 3.cap. *Abbas*, eodem, de renunciatione beneficij facta metu amittendi patrimonium. Vndé constat verè dictum esse, non solùm hoc non esse Simoniacum in timore vitæ, aut infamiæ,sed etiam in metu amittendi bona fortunæ, seu externa.

C. *Ad audiẽtiam.*

C. *Ad aures.*

Alex. Abbas.

14. An sit licitũ dare beneficiũ inimico ne officiat?

Sed supereſt difficultas: Nam sequitur, esse licitum dare beneficium inimico, si se obliget ad non gerẽdam inimicitiam mecum,nec malum inferendum: consequens est falsum, ergo. Minor patet, quia ibi directè includitur pactum, Do, v facias, vel, vt non facias, quod est maximè in spiritualibus prohibitum.Probatur autem sequela,quia perinde est, comminanti mortem, Nisi beneficium dederis,illud dare ad euitandam mortem, ac obligare malefactorem, ne mihi noceat, dato beneficio; quia sicut in hoc secundo interuenit pactum ita in illo primo; nam do spirituale cum pacto,& sub conditione,ne mihi noceas. Respondeo in primis aliud esse loqui de obligatione non inferendi malum,aliud de sola cessatione in præsenti ab actu imminenti, id est,ab alicuius nocumenti illatione. Nam quæ hactenus diximus, procedunt in posteriori sensu, scilicet quando sine alio pacto,& obligatione datur res spiritualis malefactori, vel comminanti malum, ea intentione, vt cesset,& beneuolus reddatur. Et quidem si hoc fiat sola intentione interna,res est clarissima ex dictis quia tunc nec est Simonia conuentionalis, vt supponitur, nec etiam est mentalis, quia illa intentio non est de pretio,sed de beneuolentia concilianda illo medio, vt declaratum est. Imò hoc per se non est malum, nisi aliàs res spiritualis, vt Sacramentum, aut beneficium detur indigno, & tunc erit aliud genus sacrilegij vel iniustitiæ,non verò Simonia. Addo verò quòd licet hæc intentio verbis exprimatur, si alioqui iusta sit, non erit Simonia. Potest autem duobus modis verbis exprimi, primo incipiendo (vt si dicam) ab ipso hoste,seu malefactore, vt quãdo comminatur mortem,nisi beneficio renũciaueris, vel illud dederis,&c. Et tunc res etiam est clara ex dictis,& ex Iuribus allegatis, & ex similibus cõminationibus,quæ interdum iustè fiunt. Item quia euasio mali non intenditur vt pretium, sed vt effectus consequens ex meo actu spirituali tanquam ea necessaria conditione, vel ad implendum præceptum,vel ad cor alterius molliendum,& beneuolũ, ac mansuetum reddendum. Item quando comminatio est iniusta,directè immissa ad extorquendum spirituale munus,vel opus,est bona ratio,quia tunc alter non tàm moraliter donat, quàm permittit ab alio surripi,nec cẽsetur aliquid tunc recipere, quia licet non pati malum sit bonum,tamen non est bonum collatum ab eo, qui cessat iniuriam inferre, nec æstimabile pretio respectu illius.

Si nõ sit pactũ internũ sed tantùm cõditio mentalis,non est Simon.

Imò si intẽtio verbis exprimatur, si alioqui iusta sit, nõ est Simon.

Ob euitandũ graue intentum malum dare benef. non est Simon.

15. Alio modo potest verbis exprimi illa intentio, incipiendo ab eo, qui patitur metum, ita vt ipse inuitet alium,& offerat aliquid spirituale,rogando illum, vt cesset; & tunc nonnulla maior est dubitandi ratio; tum quia videtur illa esse inductio ad malum: tum etiam quia videtur ibi esse expressior pactio. Sed nihilominùs si malũ iniustè inferatur, & pactum proprium non intercedat dandi vnam rem pro alia, sed solùm fiat largitio rei spiritualis, rogando, vt cesset ab iniuria inferenda, & in amicitiam reconcilietur, in rigore non est Simonia,sed est quædam ablatio vexationis temporalis per medium spirituale,quæ non fit vendẽdo rem spiritualem,sed gratis illã dando,& offerendo,vel promittendo,vt alter ita inducatur amicabiliter ad cessandum à vexatione. Vnde nec per se malum hoc videtur,etiam alio genere malitiæ,si aliàs spiritualia nõ dentur indignis, aut profano modo tractentur,

quia

quia non est malum vti spiritualibus ad temporalia mala auertenda, quando aliunde malitia non miscetur, sicut vtimur orationibus, & sacrificiis ad famem, vel ad pestem auertendam.

16. Si intercedat pactum non inferendi malum, tunc erit Simon. *Victor.*

At verò si in his casibus homo non tantùm operetur, sed etiam pactum faciat cum alio, obligando illum in futurum, & nouo modo ex vi pacti ad non inferendum malum, & ea ratione beneficium conferat, Simoniam committet. Ita sentit Victor. suprà, Conclusione tertia, numero 25. Et hoc modo posset explicari prior sententia. Et de Iure positiuo videtur res clara, præsertim in materia beneficiorum, in qua omnes pactiones prohibitæ sunt.

Responsio.

Sed ad hoc dici posset, prohibitionem illam, vt positiua est, non obligare, vrgente metu cadente in constantem virum, argument. dict. cap. *Ad audientiam*, cum similibus. Sed contra hoc instari potest, quia licet talis metus excuset in his, quæ necessaria sunt ad euitandum malum, quod imminet, non verò in his, quæ necessaria non sunt, obligatio autem in futurum non est necessaria, nec pactum aliud præter actualem cessationem à malo inferendo, ergo non obstante metu, obligat prohibitio Ecclesiastica de pactione in spiritualibus facienda. Vnde etiam potest idem probari, stando in Iure diuino, quia obligatio illa æstimabilis est pretio. Item quia ibi non tantùm intenditur vitatio mali præsentis, sed etiam quædam securitas in futurum per obligationem alterius, illa autem securitas est temporale bonum pretio æstimabile, ergo.

Refutatur.

Instantia Soluitur.

Dices: Etiam quando in præsenti datur spirituale, ne malum inferatur, intercedit ibi quædam mutua obligatio. Respondeo 1. negando assumptum, sed intercedit quædam reciproca actio, seu omissio actionis per se debita, & non æstimabilis pretio. 2. dicitur, quando exactio est præsentanea, non æstimari obligationem vt quid distinctum ab actu, secùs quando est in futurum, vt constat in mutuo, licet enim non mutuare vnam rem, nisi mutues aliam: non tamen licet mutuum dare exigendo obligationem mutuandi in futurum, vt tradit D. Thom. 2. 2. quæst. 78. art. 2. ad 4. ergo in præsenti.

Licet mutuũ dare cũ obligatione reciprocę mutuationis in præsens, non in futurum.

17. An liceat dare beneficiũ ad petitionẽ principis? *Sot.*

Atque ex his expediuntur nonnulli casus in particulari, ex quibus doctrina data magis clarescet. Vnus est de Episcopo, qui dat beneficium alicui ad petitionem Principis, ne illum offendat, & ideò non possit ascendere ad pinguiorem Episcopatum, Nam Sotus absolutè damnat illam collationem, vt Simoniacam. Imò indicat, timorem damni emergentis non inducere Simoniam, timorem autem solius lucri cessantis semper illam inducere, quia tunc non est timor de malo, sed de non acquirendo lucro, quod perinde est, ac operari pro lucro temporali. Victoria vero licet priùs dicat se hoc credere, statim subdit, non esse certum, maximè si iste finis sit mediatus. Existimo igitur, totum hoc pendere ex modo, & ex intentione: nam si pactum interuenit, quo alius obligetur, vt lucrum alteri non cesset, clara est Simonia, neque tunc prouenit propriè ex metu, sed ex promissione lucri, quæ ibi inuoluitur; si verò nullum interueniat pactum, & intentio non sit de obtinendo lucro pro hac re spirituali, sed immediatè tantùm de vitanda offensione, vel indignatione talis personæ, à qua spero vel temporalia commoda vel augmentum dignitatis, non erit Simonia, sed poterit esse aliud peccatum, vel nullum iuxta circunstantias varias, quæ possunt esse in tali actione. Et vtrumq; facile probari potest ex dictis, & videtur hoc intendisse Victor.

Victor.

Resolutio.

Differentia inter damnũ imminẽs, & lucrum cessans ad hoc.

Actor. Quare inter damnum imminens, & lucrum cessans, hæc sola differentia notari potest, quòd cessatio damni iniusti exprisè postulari potest, & in præsenti sub conditione peti, quia nihil petitur pretio æstimabile, nec quod alter facere non tenetur ex iustitia; at verò non potest postulari hoc modo, vt lucrum non cesset, quia hoc est postulare, vt detur, & ita petitur aliquid pretio æstimabile, & quod alter facere non tenetur. Et quoad hoc procedit, quod Sot. docuit.

18. Vtrum sit Simon. cõferre beneficiũ debitori ex timore amittendi debitum? *Angel.*

Alter casus est, si Episcopus beneficium conferat debitori ex timore amittẽdi debita: aliqui enim damnant hoc, vt Simoniacum, quia resoluitur in lucrum temporale comparandi pecuniam sibi debitam, hoc enim pretio æstimabile est. Angel. verò suprà negat, hanc esse Simoniam, argumento sumpto ex cap. 1. de Vsur. Vbi dicitur, non esse vsuram mutuare sub cõditione, vt aliàs debita soluãtur. Sed argumentum sumptum à simili ab vsura in hac materia non est semper efficax, vt c. seq. dicam. Igitur media sententia vera est, quia in nostro casu si nullum pactum intercedat cum noua obligatione in futurum, non erit Simonia, quia talis Episcopus non intendit lucrum, sed quod suum est, ergo illa intentio nõ obstat quominùs gratis det, & alioqui non imponit nouam obligationem; ergo. Item ponamus, debitorem non esse soluendo propter paupertatem, & Episcoporum dare illi beneficium, vt habeat, vnde viuat, & soluat debita sua, certè nulla est Simonia, vt constabit apertè, si ponamus, non ipsum Episcopum, sed alios esse creditores, ergo idẽ erit, licet ipse sit creditor, quia non debet esse peioris conditionis.

Resolutio.

At verò si beneficium daretur cum nouo pacto, & obligatione soluendi, esset Simonia ad minimum contra Ius Ecclesiasticum, & contra diuinum, si noua aliqua obligatio, vel securitas in futurum adderetur, nam illud est onus æstimabile pretio. Et quoad hoc non procedit omninò exemplum de vsura, tum quia ibi non est prohibitio positiua, tum quia purior esse debet spiritualis donatio, quàm mutuum, vt cap. sequent. dicam.

19. Vtrũ timor iustæ punitionis faciat Simon.

Quapropter etiam de præsenti non approbarem hunc modum dandi beneficium, debitori sub conditione vt priùs, vel statim soluat debitum, quia videtur aliqua irreuerentia, vti dono spirituali ad recuperandum temporale, etiam proprium. Posset tamen excusari, si alter faceret vim, vel claram iniustitiam non soluendo, & differendo solutionem esset euidens periculum eiusdem vexationis, nam tunc posset dari spirituale non pro pretio, sed ad inducendum illum ad bonum, & ad iustitiam faciendam, & ita vexationem tollendam.

Resoluitur esse Simoniam si interuenit pactum, &c.

Tandem proponi potest casus, quando timor non est ex violentia, vel iniuria, sed ex iusta punitione, quæ imminet, an sit Simonia, dare spirituale, vt v.g. præsentare ad beneficium filium iudicis vt reum absoluat, vel mitiget pœnam plusquam iustè potest. De quo facto non est dubium, quin sit iniquum, & iniustum, & sacrilegium, quia inducit alium ad iniustitiam interuentu rei spiritualis, sed an sit Simon. Videtur enim posse excusari illo prætextu, quod non datur spirituale pro illa omissione, vel actione temporali tanquam pro pretio, sed solùm ad captandam beneuolentiã, &c. Sed dico esse Simoniam, si interueniat pactum, vel promissio rei spiritualis sub tali conditione, nam illa conditio æstimabilis est pretio, & sæpe vendi solet licet iniquè, & ita ibi venditur pro re spirituali, vel è conuerso per illam emitur res spiritualis. Item si quis daret creditori beneficiũ sub cõditione, vt nõ petat debitum;

debitum, clara est Simonia; ergo similiter qui dat A Iudici, vel Prælato, vt pœnam debitam non exigat. At verò si tantùm mente concipiatur intentio, magis potest esse dubium de Simonia mentali: nam potest quis intendere solùm amicitiam alterius, ordinando illam ad iniquam actionem. Et tunc licet actio esset sacrilega, non videtur fore Simonia. Atque ex his omnibus satis declarata manet assertio, & limitatio in illa posita, scilicet quòd metus interdum inducit ad actionem Simoniacam: tũc autem non metum ipsum habere rationem pretij, sed obsequium aliquod vel obligationem, vt explicatum est, & ideò ex hoc capite non oportuit speciale mẽbrum addere in dicta diuisione: nam illa tria membra conferri possunt tàm ex metu, quàm ex concu- B piscentia, vt bene Bonauent. suprà notauit.

10. Respõdetur obiectionibus de honore, & fauore, & promissionibus. Vgolin.

Alia tria in principio obiecta, difficultatem non habent. Nam honor, & fauor humanus, quæ tertio, & quarto loco proponebantur, ad munus ab obsequio, & à lingua pertinent, vel reducuntur, vt in capitibus sequentibus exponemus. Quintum verò de generali promissione petit in primis, An id sufficiat ad Simoniam, quod benè attigit Vgoli. Tabul. 1. c. 54. §. 1. Et meritò affirmat sufficere, quia est verè cõtractus onerosus de temporali dãdo pro spirituali, & hoc satis est ad Simoniam, etiamsi determinatio rei temporalis soluẽdæ relinquatur arbitrio alterius contrahentis. Quia hoc licet fortasse in ordine ad ciuile forum, seu Ius, tollat rigorosam ra- C

L. Quod sæpe. tionem emptionis, & venditionis iuxta L. *Quod sæpè*, §. 1. ff. de Contrahend. empt. tamen negari non potest, illum esse aliquem contractum onerosum, quod ad præsens sufficit, quia etiam illo modo spiritualis res nõ gratis datur, & vili pretio æstimatur. Ad difficultatem verò positam respõdetur, sub illo confuso pretio disiunctim contineri illa tria membra, & ideò non augeri partitionem, sed explicari quendam peculiarem modum paciscendi de illis pretiis, sicut etiam posset promitti, vel pecunia, vel tale obsequium. Dici etiam potest, per illa confusa verba: *Aliquid tibi dabo*, regulariter solere intelligi aliquod munus à manu.

D

CAPVT XXXVIII.

Quid per munus à manu intelligatur.

1. Primo loco ponitur pecunia.

NOn inquirimus, quando munus à manu induc at rationem pretij, hoc enim ex dictis in cap. 36. petendum est; sed quid, vel quale esse oporteat, vt si pro spirituali reddatur, possit habere rationem pretij ad Simoniam sufficientis. Primum ergo locum inter munera à manu tenet pecunia: Nam ipsa est, quæ in emptione propriissimè rationem pretij habet, iuxta §. *Item pretium*, Instit. de empt. & vend. Vbi pretium in pecunia numerata consistere dicitur, non tamen semper requiritur numerata, quia E promissa, & condicta in rigore sufficit, §. 1. Institut. eod. Sic ergo in præsenti materia pecunia est primum (vt ita dicam) & detestabilius munus à manu, quod in Simonia interuenire potest, iuxta verbum

Instiut.

C. Si quis præbend. Petri, *Pecunia tua tecum sit in perditionem*, & cap. *Si quis præbendas*. 1. q. 3. & cap. 2. cum similibus de Simon. Nec requiritur semper numerata, sed promissa sufficit iuxta c. *Nobis* (vt ibi omnes notant) de Simon. & cap. *De hoc*, cap. *Cùm essent*. cap. *Tua nos*, & similibus. Vbi omnis pactio, & conditio pecuniæ, ad Simoniã sufficere dicitur, & est res per se clara, an verò pecunia numerata sit necessaria ad realem Simoniam infrà dicetur.

Cap. Nobis. Ca. De hoc. Ca. Cùm essent. Ca. Tua nos.

2. Secundò addendum est, pecuniam in quacunque quantitate, etiam minima, sufficere ad rationem pretij Simoniaci, si pro re spirituali detur. Hoc suprà etiam diximus agentes de grauitate peccati Simoniæ, vbi ostendimus, non solùm non impediri malitiam Simoniæ, verum etiam neque desinere esse grauem, & moralem propter pretij paruitatem. Quam sententiam docuit expressè Maior 4. distinctione 25. quæstione 3. conclusione 7. & ibi Durandus quæst. 4. numero 6. Palud. qu. 5. numero 23. Glos. vlt. in cap. *Plerique*, 14. quæst. 3. Item Gloss. in cap. *Ex tua*, de Simon. vbi etiam Panorm. Felin. & alij, & Anton. secunda parte, titulo primo, cap. 5. Idem sentit Nauarr. in Manual. cap. 23. num. 101. & Concil. 52. de Simon. Quamuis enim interdum dubitare videatur, an hoc peccatum sit veniale ex paruitate pretij, tamen contrariam partem apertè probat, & distinctio, qua ibi vtitur quoad excommunicationem, habere posset locum, quando aliquis per ignorantiam inuincibilem putaret, non esse mortale peccatum, sed veniale paruam quantitatem dare; tunc enim posset per ignorantiam excusari à culpa mortali, tamen verè, & secundùm se quælibet quantitas sufficit ad grauem Simoniam. Quod non parùm confirmat dictum caput, *Ex tua*, vbi Clericus, qui sex tantùm solidos pro sua præsentatione ad ordines dedit perpetuò deponendus ab ordine, & in Monasterium recludendus dicitur; quæ quantitas satis parua videtur, vt expositores ibi notant. Facit etiam capit. *Placuit*, 102. 1 quæstione prima ibi, *Quia singuli tremissem exigere solent*. Item facit exemplum ex facto Esaü: Nam omnes supponunt tanquam certum, ex parte pretij fuisse sufficiens ad grauem Simoniam, cùm tamen satis vile fuerit. Idem supponit Hieronymus Malach. 13. (& habetur in capit. *Iudices*, 1. questione prima.) de quarta parte sicli inuenta in manu pueri Saülis, quòd illa fuerit sufficiens quantitas ad Simoniam committendam, & ideò Samuelem defendit, quòd vel illam non acceperit, vel non vt pretium, sed vt oblationem Sanctuarij. Ratio verò est, quam suprà tetigimus, & tradit Nauarrus, quia licet pecunia sit parua, irreuerentia est magna; nam res spiritualis venalis efficitur, imò quò minori petio datur, eò viliùs æstimatur. Obiici verò contra hoc solet caput, *Et si quæstiones*, de Simonia. Sed illud suprà est à nobis explicatum. Non enim dicitur ibi, paruam pecuniam non sufficere ad Simoniam, si pro pretio detur, sed dicitur, quando datur paruum munus, & non constat datum esse pro pretio, tunc non præsumi tali intentione datum, præsertim quando aliæ circunstantiæ non iuuant ad præsumptionem: loquitur ergo quoad præsumptionem in foro externò; hîc verò de veritate, & de foro conscientiæ tractamus, & ita notarunt Glossæ allegatæ.

Pecunia quæcunque sufficit ad Simoniam.

Durand. Palud. Gloss. Nauar.

Nauar.

3. Sub munere à manu comprehenduntur quæuis res tẽp. pretio æstimabiles.

Tertiò, dicendum est, sub hoc munere à manu comprehendi omnes res temporales pretio æstimabiles, cuiuscunque generis sint, id est, siue sint, bona mobilia inanimata, siue se mouentia, siue immobilia corporalia, siue incorporalia Iura, seu census. Totum hoc constat ex Iure: nam in cap. *Totum*, 6. 1. quæstione prima, sic ait Augustinus: *Totum, quicquid homines possident in terra: omnia, quorum Domini sunt, pecunia vocatur: seruus sit, vas, ager, arbor, pecus, quicquid horum est, pecunia dicitur.* Idémque supponitur in variis Decretis de Sim. cap. *Et si quæstiones.* capit. *Tua nos.* capit. *In tantùm.* vbi de equo, de vacca, déque omnibus bonis sermo est: & in vsura constat, si aliquid huiusmodi vltrà sortem exigatur, vt dixit Ambros. libro de Tobia, &

D. Aug.

C. Et si quæst. Ca. Tua nos.

habetur in cap.penult.14.q.3. Ratio verò est, quia secundùm moralem æstimationem eadem deordinatio est in commutãda re spirituali pro re temporali pecunia æstimabili, quæ est in rigorosa venditione pro pecunia. Dices, quando beneficium, verbi gratia,datur pro fundo, vinea aut re alia immobili, cur magis res temporalis est pretium rei spiritualis, quàm è conuerso?Hoc enim argumento vtitur Imperator in illo §. *Item pretium* instit. de emptione,& venditione,vt probet permutationem vnius rei pro alia, non esse venditionem, quia nihil ibi interuenit, quod habeat rationem pretij, aliàs vtraque res esset alterius pretium, quod ibi reputatur absurdum. Sed hoc, quantum ad præsens spectat, nihil refert ad mores, & ad quæstionem de nomine pertinere potest. Parùm enim refert, siue dicatur res spiritualis dari pro re temporali tanquam pro pretio, siue è contrario dari rem spiritualem vt pretium ad emendam rem temporalem, nam in idem redit,& malitiam eiusdem rationis continet. Et similiter nihil interest; siue contractus ille venditio, & emptio appelletur, siue permutatio, nam moraliter, & in re ipsa, eandem deordinationem habent, & contractus etiam inter res temporales eandem vim habent, si partes consentiant:nam vt dicitur in leg. *Pretij*,C. de Rescind. vend. *Pretij causa non pecunia numerata, sed pro ea pecoribus in solutum consentienti datis, contractus non constituitur irritus.* Quia nimirum in idem reuoluitur.

Obiectio.

Soluitur.

L. *Pretij.*

4. Debitum remissum huc spectat. Cap. *Veniens.* *Gloss.* *Panor.*

Quartò,hinc à fortiori constat, ad munus à manu pertinere, siquis pro re spirituali obtinenda debitum remittat, aut se remissurum promittat. Nam sine dubio id sufficit ad Simoniam, vt clarè supponitur in cap. *Veniens*,10. de Testib. & ibi notant Glossa,Panorm.& alij Doctores. Idémque sumitur ex cap. *Talia*,8.q.3. vbi id notat etiam Glossa.Et ratio est clara,quia qui remittit debitum,moraliter donat rem, vel pecuniam debitam, & cui remittitur, accipit vt dicitur in leg. 2. ff. de Calumniator. & in l. *Si mulier*, ff. de Condiction. caus. dat. Item manifestum est, eum, qui dat propter remissionem debiti, non dare gratis, sed ex oneroso contractu, & commutando rem spiritualem cum temporali; ergo. Vnde non solùm quando aliquis remittit rem iam sibi debitam, sed etiam quando illam remittit priùs quàm debeatur, vel promittit remittere pro eo tempore, in quo posset deberi, quia censetur moraliter illam dare, vel promittere; vnde totum id sub munere à manu continetur, talis enim est casus in d. cap. *Veniens*, nuper citato. Et est casus expressus in capit. penultim. de Simon. vbi qui ordinat, vel ad ordinem præsentat aliquem, promissionem ab illo recipiens, quòd nihil ab eo postulauit, vtique in debitam sustentationem, tanquam Simoniacus suspenditur, tàm ordinans, & præsentans; quàm ordinatus, vtique propter Simoniam commissam in remissione futuri debiti,ex tunc promissa.Quale autem sit hoc debitum in Episcopo ordinante, vel in præsentante, non est huius loci exponere, sed supponendum est, Episcopum si aliquem ordinet sine titulo,teneri ad alendum illum cap. *Cum secundum*, de Præb. Præsentans verò ibidem dicitur, qui ordinãdo titulum constituit, vel consentit ordinari ad titulum alicuius beneficij, iuxta cap. *Per tuas*, 3. de Simon. Et in his casibus, promissio nihil petendi Simoniaca est iuxta illa Iura.

Itẽ promissio remittẽdi.

Ca. *Cum secundum.*

Ca. *Per tuas.*

5. Titulus itẽ sine re facit Simon.

Et idem est, quoties aliquis ex suis donis alteri constituit titulum, ad quem ordinetur ab illo recipiens promissionem, quòd nihil postulabit; non enim tunc solùm committitur peccatum indebitæ ordinationis per falsum titulum, sed etiã Simonia, quia illa est præsentatio ad ordinem,& consequenter spirituali annexa,non minus quàm Ius patronatus;ideóque illa pactio Simoniaca est, sicut esset in Patrono præsentatio ad beneficium sub promissione non petendi reditus. Et ita sentit Nauar. ca.27. num.158.& dixi in 5.tom.disp.31.sect.4.à num.23. & disp.63.sect.4. in principio. Præterea est simile, siquis prętendens eligi in Canonicum,promitteret Canonicis electoribus, se remissurum dimidiam partem prębendæ,aut si volens fieri Parochus promitteret se remissurum Decimas nominantibus ipsum,vel procurantibus, &c. Nam totum hoc est quædam virtualis donatio, & iniqua pactio. Imò non solùm, qui propria debita, sed etiam qui debita Ecclesiæ, vel rapinas remittere promittit, si fiat Episcopus,Simoniacus est:hic enim est casus d. ca. *Talia*, & est manifestum, quia ibi etiam est illicita pactio dandi rem temporalem pro spirituali. Et licet tunc non videatur quis sua condonare,sed aliena,tamen virtute censetur illa rapere ad donãdum, & ita munus à manu confert licet de re aliena. Potest autem hîc quæri, An solùm concedere dilationem in solutione debiti, ad Simoniam sufficiat. Item, An dare spirituale pro recuperanda pecunia aliàs debita,vel, vt anticipetur eius solutio, sit sufficiens munus à manu pro crimine Simoniæ.Sed in his videtur eadem ratio, quæ in mutuo, & ideò simul expedientur.

Ca. *Talia.*

6. Mutuatio pecuniæ pro accipiendo benef.vtrum sit Simon.

Quintò,ad munus à manu pertinet mutuare pecuniam pro accipiendo beneficio, vel simili re spirituali, vel è conuerso dare beneficium sub conditione pecuniæ mutuandæ tantùm. In quo puncto videri potest dubium,an hoc sufficiat ad Simoniam, communiter enim Doctores dicunt, pretium necessarium ad Simoniam,esse pecuniam,aut aliquid pecunia æstimabile, vt patet ex Diuo Thoma d.q.100.art.2. & 5. & ibi Soto, & aliis, & Summistis communiter verb. *Simonia*, at qui mutuum tantùm petit pro re spirituali, non pecuniam petit pro re spirituali,sed pro æquali pecunia,quam posteà soluturus est, solam ergo mutuationem petit; quæ non est aliquid æstimabile pecunia, ergo non sufficit ad Simoniam. Et confirmatur, quia mutuum non sufficit ad vsuram, nam qui non vult mutuare pecuniam, nisi sub conditione accipiendi mutuatum triticum,per se loquendo,non committit vsuram,vt suprà ex D.Thoma retuli.Et ratio est, quia nihil pretio æstimabile vltrà sortem petit: ergo similiter in præsenti id non est sufficiẽs pretium ad Simoniam.

D. Thom. *Soto.*

7. Resolutio affirmat.

Nihilominùs dicendum est, mutuum ex se esse sufficiens munus à manu ad committendam Simoniam dando spirituale principaliter pro illo,seu in recompensationem, & commutationem eius. Hæc videtur esse communis Doctorum sententia, quam magis videntur vt notam supponere, quàm disputare. Illam planè supponit Nauarrus in d.capit. 23. numer. 101. in fine, dum ait, non incurrere Simoniam, qui Episcopo indigenti pecuniam mutuat principaliter, vt ei subueniat, eúmque beneuolum habeat, licet mediatè, & remotè speret se posteà aliquòd spirituale beneficium ab eo esse accepturum: quod esset verum, etiamsi omninò donasset eadem intentione, vt ipse ibi docet, & constat ex dictis suprà capit. 36. & in sequentibus etiam dicemus.Supponit ergo Nauar. vt indubitatum, quòd si ille mutuum daret principaliter pro re spirituali, & cum pacto, vel tacita promissione eius, esset Simoniacus. Et idem repetit

Nauar.

Nauar.

Nauar.conſ.14.num.6.de Simon.& in conſ.23.num. A
2. Vbi etiam addit, non eſſe Simoniam, petere mutuum ab eo, cum quo beneficium permutatur, ad expediendas Bullas, quando nullum pactum præceſſit, ſed gratis poſteà fit, ſentiens, fore Simoniam, ſi de mutuo pactum præceſſiſſet. Idem ſentit Vgolin. Tab. 1. capit. 9. §. 5. num. 2. & clariùs affirmat Leonard. Leſſius libr. 2. capit. 20. dub. 9. Et quidem ſtando in iure Eccleſiaſtico, eſt res clara, quia eſt prohibita omnis pactio in permutatione rerum ſpiritualium pro temporalibus: non poteſt autem negari, quin mutuum pecuniæ, vel rei æquiualentis ſit quoddam temporale commodum, etiamſi pretio æſtimabile non ſit. Et hinc ſumitur ratio, etiam ſtando in iure naturali, quia non minor iniuria fit B rei ſacræ, commutando illam cum re materiali pretio non æſtimabili, quàm cum æſtimabili, imò quodammodo maior, vt ſuprà dicebam de vili pretio: quia quò res datur pro alia minoris, vel nullius æſtimationis, eò vilior reputari videtur. Et confirmatur, nam quod datur cum pacto, vel ſub conditione mutui, non gratis omnino datur, ſed ex pacto oneroſo: ergo id ſatis eſt ad rationem Simoniæ. Antecedens videtur per ſe manifeſtum, quia onus mutuandi temporale eſt, & interdum reputatur graue. Potéſtque hoc optimè confirmari ex leg. *Quiſquis*, C. ſi certum petatur. Vbi qui mutuat iudici, exilio punitur, *quaſi emptor legum, atque prouinciæ.* Itaque propter ſolum mu- C tuum emptor reputatur, ergo multò magis in præſenti. Et inde ſumitur alia ratio optima, quia mutuum tale reputatur moraliter, vt ſufficiat ad corrumpendum iudicis animum, in hoc enim lex illa fundatur. Vt ibi notat Balm. & in l. 1. ff. de Calumniat. rationem reddit, quia illa eſt vtilitas temporalis, ſic ergo in præſenti licet mutuum non ſit æſtimabile pecunia, tamen eſt moraliter, & humano modo multum appetibile propter vtilitatem temporalem: ergo id ſatis eſt, vt in materia Simoniæ habeat rationem pretij, nam & ſufficit ad corrumpendos animos eorum, qui ſpiritualia diſpenſant, & res ſpiritualis vileſcit, cum pro vtilitate temporali commutatur. D

8. Ad rationem ergo dubitandi reſpondetur, quòd licet in mutuo pecunia detur integrè poſteà ſoluenda, & ita illa, vt ſic, non detur gratis, quia re vera non donatur: nihilominùs vtilitas illa, quæ eſt in præſenti vſu pecuniæ, aliquid eſt temporaliter vtile, & illud, ſi ſpectetur vt pretium rei ſpiritualis, ſufficit ad Simoniam, licèt id non ſit peculiari pretio æſtimabile, ſed eodem, quo ipſa pecunia, quia ad inordinationem Simoniæ ſufficit, vt dixi, illa commutatio vtilitatis temporalis cum re ſpirituali. Nec in omnibus comparanda eſt vſura cum Simonia, nam multæ conuentiones, & permutationes licent in vſura, quæ non licent in Simonia, quia non tanta puritas, & gratia E requiritur in mutuo præſtando, quanta in ſpiritualibus diſpenſandis, quia in mutuo non attenditur aliqua ſpecialis dignitas, vel ſanctitas talis operis, ſed ſolùm quod non eſt dignum peculiari pretio æſtimabili pecunia vltra ſortem, & ideò ſi nihil exigatur æſtimabile pretio, etiamſi alia commoda eiuſdem ordinis, & pretio non æſtimabilia petantur, non eſt vſura, vt apertè colligitur ex cap. 1. de Vſur. In largitione autem ſpiritualium rerum conſideratur præcipuè dignitas doni ſpiritualis, quod eſt ſupra omnem temporalem æſtimationem, & ideò cum nullo commodo temporali permutari poteſt, ſiue illud æſtimabile ſit pretio, ſiue non.

Atque hinc facile eſt reſpondere ad alias interrogationes ſuprà factas. Ad 1. dico, non licere vllo pacto petere dilationem ſolutionis debiti pro re ſpirituali, illúdque reduci ad munus à manu. Probatur, quia illud eſt quoddam mutuum; ſuppono enim, me teneri ad ſoluendum hodie debitum, & ratione ſpiritualis beneficij mihi concedi vt non tenear ſoluere per annum, ergo ex vi illius contractus mihi mutuò datur illa pecunia pro illo tempore. Item illa conceſſio dilationis quoddam temporale commodum eſt, & de ſe ſufficiens ad corrumpendum debitorem, ſi ſit iudex, ergo ſufficit ad Simoniam. Ad aliam verò interrogationem de recuperando debito, media donatione aliqua ſpirituali, diſtinguendum eſt. Nam ſi detur ſpirituale pro anticipata ſolutione debiti, ſine dubio procedit eadem ratio, quia illa anticipatio vel eſt quædam virtualis mutuatio, vel illi æquiualet, & in ea procedunt rationes factæ, quia eſt vtilitas temporalis, & quæ multum ſolet mouere homines, etiamſi ſpeciali pretio æſtimabilis non ſit per ſe loquendo. Si verò non ſit anticipatio, ſed rigoroſa ſolutio rei debitæ pro tempore, in quo iam ex obligatione iuſtitiæ ſoluenda eſt, vel quia eſt reſtitutio rei iniuſtè ſublatæ, quæ ſtatim ſoluenda eſt, ibi certè minor ratio Simoniæ interuenit, vt cum Angelo dixi cap. præced. Quia ibi nec res petitur, nec mutuatio eius formalis, vel virtualis, ſed ſolùm ceſſatio ab iniuria inferenda, & ita non imponitur noua obligatio, ſed ea, quæ inerat, quod ſæpe licitum eſt, vt infrà dicemus; in illo ergo caſu ſeruanda ſunt, quæ ſuperiori cap. diximus.

9. Reſpõſio ad interrogationes ſuprà factas.

Sextò: Pertinet ad munus à manu penſio impoſita ei, cui datur beneficium, vel collatori, præſentanti, renuncianti, vel aliter procuranti ſoluenda: ſiue ex ipſo beneficio: ſiue aliunde: quia illa eſt pecunia æſtimabilis, imò eſt promiſſio certæ pecuniæ ſoluendæ, quæ eſt manifeſta Simonia. Et ad hanc ſpeciem ſpectat caſus, quando Epiſcopus dat beneficium, reſeruans ſibi, vel conſanguineo, &c. penſionem, ſeu partem fructuum, exigens priùs conſenſum, & acceptationem ab eo, cui beneficium præbet. De quo videri poteſt textus in cap. Vnic. Vt beneficia Eccleſ. vbi Pontifex diſtinguit an Epiſcopus, qui dat beneficium, fructus eius ante donationem percipiat, vel non: Et ſi anteà non percipiebat, & dando beneficium pro conditione ponit, vt ſibi donentur fructus: *Non eſt dubium* (inquit) *intercedere Simoniacam prauitatem.* Et hoc membrum ſpectat ad præſentem caſum. Addit verò ibi quod ſi Epiſcopus percipiebat prouentus beneficij, antequam illud donaret, poterit quidem id licitè facere vtendo ſua poteſtate, & ſine vlla pactione conſtituendo ad tempus penſionem, vel reſeruando fructus ad tempus pro cauſa iuſta, & neceſſaria, & tunc conferre beneficium ſic oneratum ſine vllo pacto: non licere tamen ex conuentione cum eo, qui accepturus eſt beneficium, vel cum aliquo mediatore illam impoſitionem, vel reſeruationem facere, quia cum conſenſus eius, cui dandum eſt beneficium, nihil poſſit ad legitimam reſeruationem operari, præſumitur intercedere iniqua pactio, quando poſtulatur: vt Gloſſa ibi, & Doctores ſentiunt. Itaque aliud eſt, reſeruare fructus beneficij vacantis, vel partem eorum, aliud cum alio paciſci, vt penſionem ſoluat, ſolùm pro collatione beneficij. Et hoc poſterius dicimus pertinere ad munus à manu, prius autem nullo modo, ſuppoſita legitima poteſtate reſeruandi fructus, quam (vt ſuprà diximus) regulariter ſolus Papa habet, interdum verò licere Epiſcopis ad tempus in illo cap. definitur: Et ibi com-

10. Pẽſio quam ſibi vel conſanguineo reſeruat dãs beneficium eſt Simon.

C. Si propter. Gloss. Clem. 2. muniter traditur, & in cap. *Si propter*, de Rescript. in 6. vbi Gloss. verb. *Concedatur*, Et in Clement. 2. de Reb. Eccles. non alien. vbi Glossa verb. *Defensor*. Ad hunc etiam Simoniæ modum pertinent varij casus, quos tractat Nauarrus in variis Consiliis de Simonia, vt in 47. de illo beneficij prætensore, qui cum aliquo Curiali conuenit, vt sibi auxilium ferat ad beneficium obtinendum sub conditione soluendi illi pensionem: & in 57. de alio, qui cum Aulico pacisci tur, vt sibi de vacantibus beneficiis statim notitiam præbeat, promittens se consensurum pensioni imponendæ in fauorem eius. Nam tunc pensio illa, vel, quod perinde est, obligatio ad illam, est pretium, & licet videatur dari pro quodam temporali obsequio, tamen quatenus per illud paratur via ad beneficium, pro ipso beneficio dari censetur. Et similes casus legi possunt in eodem, Cons. 59. & sequentibus, & in manuali, cap. 23. num. 107. §. *Ad septimum*.

Nauar.

Hùc spectat promissio pẽsionis admittendæ.

A

B

11. Vltimò, addere possumus, sub munere à manu contineri omne donum, quod iure positiuo prohibitum est, dari pro re spirituali, consistens in iure aliquo habente emolumentum temporale, quod dici potest munus temporale æstimatione iuris, etiam si in se aliquid spirituale sit habens temporale annexum. Vt est beneficium datum pro altero beneficio, & similia. Hoc satis constat ex dictis in superioribus de permutationibus prohibitis rerum spiritualium; nam in eis interuenit etiam aliquid per modum pretij, quod non consistit in obsequio, vel officio linguæ, vt constat. Ergo si velimus in hac partitione comprehendere omnem Simoniam, etiam de iure positiuo, rectè reuocabimus hoc pretium ad munus à manu. Et confirmatur, nam illa bona seruant proportionem cum externis bonis fortunæ, seu temporalibus, præsertim cum iuribus, quæ incorporalia dicuntur, quæ propriè sub munere à manu comprehenduntur.

C

CAPVT XXXIX.

Quid sub munere ab obsequio comprehendatur?

D

1. Duplex obsequium.

DVplex obsequium distingui solet in præsenti puncto, temporale scilicet, & spirituale, nec immeritò, quoniam diuersam habent naturam, & æstimationem; & ideò etiam in præsenti puncto diuersum esse debet de illis iudicium. Obsequium enim temporale dicitur omne opus hominis, quod ad vsus, & commoditates hominis, siue corporis, siue animi, in sua tantùm naturali perfectione spectatæ, ordinatur. Spirituale autem obsequium est omnis functio spiritualis, prout à nobis explicata est inter materiam Simoniæ pertractandam. Inter quæ duo genera tanta est differentia, vt primum pretio sit æstimabile, & vendi possit pro pecunia sine vlla malitia: secundum autem sit omnino inuendibile, & inæstimabile pretio, vtrunque enim horum ex dictis de materia Simoniæ satis probatum relinquitur.

Obsequium temporale.

Differentia inter hoc, & spirituale.

E

2. Obsequium tẽporale de se est sufficiens ad Simon.

Hinc ergo manifestum est primò obsequium temporale, quantum est ex se, sufficiens pretium Simoniæ esse posse, si in modo faciendi illud pro re spirituali, vel è conuerso, si in modo dandi rem spiritualem pro tali obsequio, formalis habitudo pretij suprà explicata saluetur. Patet, quia sicut omnis res permanens pecunia æstimabilis ex se, est sufficiens ad pretium iuxta dicta cap. præcedenti, ita omnis actio pretio æstimabilis, si pro re alia tribuatur, & secundùm condignam æstimationem cum illa commutetur, habebit rationem pretij, si cut è contrario si huiusmodi actiones pro pecunia vendantur, habent rationem mercium & ita per locationem & conductionem suo modo venduntur, & emuntur, vt suprà dictum est. Sic ergò dubium non est quin tale obsequium possit veram rationem pretij subire, si pro re spirituali obtinenda per se fiat, & offeratur, vel è conuerso poterit habere rationem rei venditæ pro re spirituali subeunte rationem pretij, si pro obtinendo tali obsequio res spiritualis tradatur. Nam hæ denominationes pretij, & mercis inter res, quæ permutantur, quando propria pecunia non interuenit, reciprocæ esse possunt, vt dixi, & ex intentione contrahentium pendere potest vnius, vel alterius applicatio ad rem vnam potius quam ad aliam. Vnde etiam dubium non est, quin dare spirituale donum propter obsequium temporale sub hac formalitate spectatum sit Simonia, quia hoc clamant omnia Iura suprà allegata, & ratio naturalis, quæ ex dictis oritur, id conuincit, suppositis principiis statutis de malitia Simoniæ: nam illa est vera venditio, seu conditio, seu commutatio rei temporalis pro spirituali. De hoc ergo nulla est controuersia, sed propter vsum, & casus morales oportet exponere, quando & quomodo possint obsequia hæc fieri, & spiritualia obsequentibus præstari sine labe Simoniæ.

3. Non ita spirituale.

Secundò, de obsequio spirituali est etiam certum illud secundùm se spectatum, & ex natura sua non posse esse pretium rei spiritualis ad Simoniam sufficiens, quia suprà ostensum est in commutatione rei spiritualis pro alia spirituali non committi Simoniam, ac subinde rem spiritualem datam pro altera spirituali, vt sic, & ex se, non esse pretium Simoniacum. Obsequium autem spirituale eandem conditionem, & dignitatem quoad hoc habet, quam aliæ res spirituales, & ideò natura sua non est æstimabile pretio, ideóque suprà dictum est sine Simonia vendi non posse pro re temporali. Ergo è conuerso in præsenti, quamuis pro alia re spirituali fiat, vel aliquid spirituale donetur, vt tale obsequium fiat, & pro illo, etiam sub expressa conditione, & pacto, non est Simonia ex natura rei: ergo nec tale obsequium ex se habere potest rationem pretij simoniaci respectu alterius rei spiritualis. Et in hoc etiam nulla est controuersia. Quia verò iure ecclesiastico multæ commutationes inter spiritualia prohibitæ sunt vt simoniacæ, ideò necessarium est exponere, quando, & quomodo committi possit Simonia propter obsequium spirituale impositum, vel solutum per retributionem aliquam spiritualem: nam tunc illud obsequium habebit rationem pretij ad Simoniam sufficientis saltem ex iure positiuo. Hæc ergo duo à nobis exponenda sunt.

4. 1. Cõclusio.

Vlteriùs verò aduertendum est, duobus modis posse beneficium (de hoc enim semper loquimur, quia frequentiùs accidit, cum proportione verò idem est de reliquis spiritualibus donis) dari propter obsequia, primò propter præcedentia obsequia, secundò propter sequentia, seu imponendo onus alicuius obsequij in futurum. Potestque rursus tale opus adiungi ipsi beneficio, vel potiùs beneficium annecti oneri tanquam officio propter quod datur, vt propter legẽdam Grammaticam, vel Theologiam, vel ad Concionandum. Vel potest imponi ipsi personæ, dando illi beneficium cum onere, & obligatione faciendi tale obsequium, ad quod ipsum officium non obligat, vt ad Docendum, vel Concionandum, &c.

5.

Dico iam primò: Dare & accipere beneficium spirituale propter obsequia, & beneficia temporalia

iam

iam facta in eorum recompẽsationem, & quasi solut. oneri debiti, & obligationis ex iustitia ad condignam mercedem tribuendam, Simonia est, moueri autem ex huiusmodi seruitiis ad dandum beneficium gratis, & vltrà omne debitum, non est Simonia. Est communis, & clara ex D. Thom. d. q. 100. art. 5. Sot. lib. 9. qu. 7. art. 3. Vict. supra num. 36. Adrian. d. Quodlib. 9. art. 2. & aliis Theologis. 4. d. 25. Glos. in cap. *Cum essent*. de Simon. quam ibi Panorm. & alij approbant. Item Glos. in ca. *Sunt nonnulli*, 114. 1. q. 1. ibidem probata ab aliis. Patétque prima pars, quia tunc datur beneficium in solutionem cuiusdam debiti temporalis, diximus autem præced. capit. esse Simoniam dare beneficium pro remissione debiti pecuniarij, ergo idem est in præsenti, parùm enim refert, quòd tale debitum resultet ex obsequio, nam tandem in pecuniarium resoluitur. Vnde colligitur obiter, nihil referre, quòd talia obsequia fuerint honesta, vel turpia, sed pensandum esse, an ex illis orta fuerit vera obligatio iustitiæ ad cõdignam compensationem temporalem, quia tunc proximè datur beneficium ad extinguendum temporale debitum, & ideò impertinens est, quòd ex honesta, vel turpi radice duxerit originem. Vnde obiter addo, idem esse dicendum, licet obsequium, à quo orta est obligatio, fuerit spirituale, si debitum inde resultans est de dando competenti stipendio sustentationis, vt V. G. Episcopus habet vicarium ad spiritualis iurisdictionis vsum, cui tenetur dare singulis annis cõpetens salarium, nihil tamen confert per aliquot annos, & posteà dando illi beneficium, vult liberari omni debito. Planè Simoniam committit, quia debitum illud, licet ortum fuerit ex ministerio spirituali, iam est merè temporale, & pro illius remissione datur beneficium.

D. Thom. Sot. Victor. Adrian. Glos.

6. Secunda verò pars probatur ex dictis capit. 36. de consanguinitate: nam tunc obsequia non habent rationem pretij, sed solùm conciliãt beneuolentiam, à qua procedit gratuita beneficij collatio ergo. Declaratur: Nam Episcopus conferens hoc modo beneficium famulo, nihil recipit ab ipso pro beneficio, si enim aliquid reciperet, maximè obsequium, sed hoc non, quia vt supponitur, vel nihil ratione illius debet famulo, quia illi conuenientem sustentationem, & stipendium dedit, vel si aliquid debet, non intendit liberari ab illo debito per collationem beneficij, alioqui non intenderet gratis, & ex beneuolentia dare, vt in casu supponitur. Quapropter vt hic modus conferendi beneficium propter obsequia, locum habeat, moraliter loquendo necessarium est, vt talis famulus habeat à Patrono iustam recompensationem temporalem suo seruitio proportionatam: tunc enim sine vllo scrupulo Simoniæ datur beneficium famulo, quia datur vltrà omne debitum iustitiæ, ac subinde gratis: nam licet gratitudo aliqua, vel amicitia, seu beneuolentia ex seruitio familiari conciliata intercedat, non tollit rationem gratuitæ donationis. Vnde etiam infero, non oportere hîc distinguere de turpi, vel honesto obsequio, vel in priuatam, vel publicam vtilitatem, aut in corporale, vel spirituale commodum. Ita docet expressè Sotus d. qu. 9. art. 3. & sentit Victor. num. 36. 37. & Caiet. d. art. 5. Alij verò Auctores interdum his distinctionibus vtuntur, vt patet ex D. Thom. dicto art. 5. ad 1. & Anton. 2. part. tit. 1. capit. 4. §. 2. & c. 5. §. 5. & Glossis, & Canonistis citatis, Syluest. verb. *Simonia*, quæst. 16. §. *Quartum*, Tabien. numer. 12. Sed reuera si loquamur de Simonia propria, non refert, quòd obsequium sit ad bonum, vel malum finem iustum, vel iniustum: nam si respiciatur in ratione pretij, semper facit Simoniam, vt in superiori puncto dixi. Si verò non sit pretium, sed tantùm moueat dicto modo ex quadam gratitudine licet humana, & indiscreta, non faciet propriam Simoniam, quia non obstat, quominùs beneficium gratis tribuatur. Poterit autem illa distinctio conferre, vt prouisio sit iusta, vel iniusta, & personarum acceptio, aut infidelis dispensatio, aut turpis etiam carnalis affectio, iuxta varias enim circũstantias possunt varia vitia committi; & hoc intendunt dicti Auctores, & latè vtuntur nomine Simoniæ pro quacunque indigna, & carnali prouisione beneficij, maximè quia præsumptio esse potest de illo, qui sic confert, quòd etiam Simoniacè conferat.

Tol. Victor. Caiet. D. Thom. D. Anton. Sylvest. Tabien.

7. Obiectio de obsequentibus Prælatis, & Principibus.

Sed contrà, Quia frequens est consuetudo, quòd multi præstant varia obsequia, & comitatus Ecclesiasticis Prælatis sine vlla mercede, vel recompensatione temporali, sed tantùm spe beneficij alicuius, vel fauoris ad illud obtinendum, & posteà Prælatus conferendo beneficium satisfacit suæ obligationi sine vllo scrupulo Simoniæ, ergo non semper est necessarium ad vitandam Simoniam, vt obsequia condigno stipendio temporali præmientur. Imò temporales Principes habentes Ius præsentãdi, solent habere magnam familiam seruientium, ferè pro nihilo, & præsentando ad beneficia remunerant seruitia absque alia temporali satisfactione. Respondeo, dupliciter fieri posse illa obsequia, vel seruitia ex parte obsequentium; primò sine vllo pacto expresso, vel tacito inter Prælatum, seu Principem, & seruientem, seu obsequentem, ita vt ex obsequio nulla obligatio iustitiæ oriatur in Prælato ad tribuendam sustentationem, vel mercedem; & tunc ex vtraque parte potest fieri obsequium, & beneficij collatio, vel præsentatio, aut procuratio sine Simonia, quia vtrumque fit simpliciter gratis, licet cum aliquo respectu gratitudinis. Quod etiam in munere à manu locum habet, nam conferre antecedenter aliqua munera sine vllo pacto solùm ad conciliandam beneuolentiam, licet fiat spe gratitudinis, Simoniacum non est, vt capite 36. diximus, & consequenter dare beneficium ex intentione gratitudinis sine alio respectu pretij, Simonia non est, vt infrà dicam, idem ergo est in prædictis obsequiis. Alio verò modo cõtingit seruire Principi, aut Prælato in officio, vel seruitio necessario, vbi necesse est, intercedat pactum saltem implicitum: nam tales famuli ex officio seruiunt, & ex ipso seruitio voluntario acceptato nascitur intrinsecè obligatio iustitiæ ad reddendam mercedem operatiis. De hoc ergo genere obsequij procedit conclusio posita. Neque video, quomodo possint excusari à Simonia, qui volunt ab his famulis seruiri, & ministrari, sola, vel ferè sola spe spiritualis remunerationis, cum solo futuro commodo temporali annexo spirituali, quia necesse est, vt temporale obsequium, & debitum per donum spirituale persoluant. Necesse est ergo, vt hi Principes, vel Prælati tribuant iustum stipendium, saltem minimum in ea latitudine, tunc enim habere poterunt locum aliæ gratuitę remunerationes, & non aliàs.

Respõsio.

8. 2. Cõclusio.

Dico secundò: Si beneficium detur cum onere, & sub conditione exhibendi aliquod obsequium temporale non annexum beneficio, Simonia est, & tunc obsequium respicitur vt pretium, saltem promissum. Hæc assertio sequitur ex præcedenti: nam eadem ratio est promissionis in futurum, &

solutionis præexistentis debiti, & ita Iura, quæ A vnum prohibent, aliud etiam consequenter vetant.

Ca. *Cum essent.* Probatur ergo assertio ex capite *Cum essent*, de Simonia, vbi promissio cuidam facta de beneficio illi præstando, si negotium quoddam promittentis in Romana Curia promoueret, Simoniaca censetur: quia beneficium dãdum erat pro munere ab obsequio, ergo si daretur antea sub illa conditione, & obligatione, vel si post exhibitũ obsequiũ, impleta fuisset promissio, collatio fuisset Simoniaca; nam hæc omnia eiusdem sunt rationis. Et ita notant ibi

Victor. Glos. & Doctores. Atque sic dixit Victor. d. Relect. nu. 6. Quòd siquis daret beneficium, vt doceretur sibi Geometria, esset Simoniacus, quia labor ille docendi Geometriam temporalis est, & vendibilis, B & non est annexus beneficio, & idem sentit de doctrina Theologiæ. Et à fortiori de qualibet alia simili actione, vt expressiùs declarauit Sot. quæst. 5. articulo 1. verb. *Ex his.* Hæc autem, & tota conclusio intelligenda sunt cum proportione ad assertionem præcedentem. Nam si Episcopus det beneficium alicui homini docto, vel industrio gratis, & sine vllo pacto cum intentione habendi illum benevolum, & familiarem & cum spe, quòd posteà ab eo docebitur, vel iuuabitur ex sola gratitudine, & amicitia, non erit Simoniacus mentalis, dans beneficium cum hac intentione, nec realis posteà accipiens obsequia gratuita, & eadem intentione collata. Est enim quoad hoc spiritualium donorum, C & temporalium eadem ratio; nam etiam spiritualia dari possunt cum spe gratitudinis, quia hoc non tollit, quin gratis dentur, sicut de mutuo dixit D.

D. Thom. Thom. 2. 2. quæst. 78. art. 2. ad 2.

9. Dico tertiò: Quando obsequium temporale est

3. Cõclusio. annexum rei spirituali, vt beneficio, licitum est, illud dare cum obligatione talis oneris. Vnde dum beneficium vacat, licitum etiam est, illi de nouo annectere aliquod obsequium Ecclesiæ etiam temporale, & sic dare beneficium acceptanti tale onus, & non aliàs, nec erit Simonia, dummodo annexio facta sit ab eo, qui habet potestatem. Tota conclusio est certissima ex vsu Ecclesiæ, & ex Iure cap. 1. & 4. de Magist. vbi præcipitur dare beneficium ad legendam Grammaticam, & Theologiam. Et idem

Concil. Trid. statuitur, & confirmatur in Trid. sess. 5. ca. 5. de Reformat. & sess. 23. cap. 18. Constat autem ex suprà dictis munus docendi temporale esse, & vendibile. Et eadem ratione solent dari beneficia cum onere cantandi, aut ministrandi in officio Sacristæ, aut Thesaurarij, & similibus obsequiis, quæ temporalia sunt. Ratio verò est, quia reditus Ecclesiastici non solùm sunt ad spiritualia ministeria, sed etiam ad temporalia necessaria Ecclesiæ, & ideò sicut potest præbenda, quatenus temporalis est, annecti spirituali muneri, ita etiam, quantum est de se, dari potest propter obsequium temporale. Vnde etiam potest vna, & eadem præbenda conferri propter vtrũque ministerium temporale, & spirituale, quia potest habere reditus vtrique ministerio proportionatos, & ipsa ministeria possunt inter se esse compatibilia & diuersis tẽporibus fieri. Sic ergo beneficium habens annexum ministeriũ temporale, potest conferri sub expressa illius oneris conditione, quia illud non est pretium, sed est opus pro quo simul cũ spirituali ministerio datur stipendiũ. Vnde licet illa conditio in ipsa collatione exprimatur, nõ officit, quia in ipso beneficio inest. Atque ita etiã constat, quòd licet beneficiũ antea non habeat tale onus annexum, potest dum vacat, ei adiungi, si ad bonum Ecclesiæ ita expediat, vt ex Concil. Triden. suprà apertè constat. Quia institutio beneficij ad hoc, vel illud ministerium, humana est, & per Ecclesiæ Pastores mutari potest; nam ad illos pertinet dispensatio talium bonorum. Facta ergo illa annexione, clarum est, posse beneficium sub tali onere conferri, etiã sub expressa conditione, quia nihilominùs gratis beneficium confertur secundum id, quod est, & per conditionem expressam, nihil additur, nec exigitur pro beneficij collatione.

Ex dictis verò non obscure colligi potest, hoc 10. genus annexionis, & quasi impositionis non habere locum, nisi vbi res spiritualis, quæ principaliter confertur, habet annexa temporalia commoda, quibus temporale obsequium proportionatum sit. Nam dare aliquid purè spirituale, adiungendo illi temporale obsequium, planè esset dare spirituale pro temporali, tanquam pro pretio. Quia obsequium oneroſum non potest habere rationem stipendij sustentationis, nam potiùs ipsum meretur tale stipẽdium: ergo datur ipsum spirituale bonum tanquam in satisfactionem pro temporali obsequio, quod Simoniacum est. Exemplo res declaratur, quia Ius eligendi, verbi gratia, est purè spirituale, & Ius præsentandi suo modo, quæ Iura nullos habent reditus annexos vt supponimus: si ergò alicui daretur Ius eligẽdi sub conditione gerendi negotia Ecclesiæ temporalia gratis, & sine vllo stipendio, certè venderetur spirituale Ius pro temporali obsequio, secùs verò est in beneficio, quod habet fructus. Declaratur etiam optimè ea pecuniaria pensione, nam imponere illam super Ius, vel spirituale officium, vel ministerium, nullos habentia temporales reditus, planè esset Simoniacum, ergò idem est in temporali obsequio, nam æquiualent, vt dixi. Quis autem possit facere hanc annexionem, non spectat ad hunc locum: certum est autem, posse fieri à Papa vniuersaliter: ab Episcopis autem in casibus sibi à Iure, vel consuetudine concessis. Certum item est, non posse Ad quẽ spectet hæc annexio. Episcopum regulariter loquendo sua auctoritate facere hanc annexionem in suam peculiarem commoditatem, applicando beneficiorum reditus ad priuata obsequia domus, vel familiæ suæ, D quia ad hoc habet reditus sui Episcopatus, nec potest talia onera beneficiis imponere, vt patet ex cap. *Prohibemus* de Censib. & argumento c. vlt. 1. q. 3. Ca. *Prohibemus.* Quæ regula generalis est, licet in casu possit habere exceptionem modo præscripto in ca. vnic. Vt Cap. *vnic.* ecclesiastica benef. &c. in fine, & vt sumitur ex capit. *Constitutus* de Religiosis dom. Secùs est de Pontifice, qui vniuersalem habet administrationem, & Ca. *Constitutus.* potest nouum Ius concedere, & ad proprios vsus reditus applicare, dummodo id faciat vt fidelis dispensator, & prudens. Et hæc de temporali obsequio.

Dico quartò; Obsequium spirituale iam exhibi- 11.
tum non potest habere rationem pretij ad Simo- 4. Cõclusio.
niam sufficiẽtis, nisi in aliquid temporale resoluatur, vel præcesserit pactum per Ecclesiam prohibitum. Prior pars declaratur ex suprà dictis. Primò, quia cõmutatio inter spiritualia, vt talia sunt, non est Simoniaca de Iure naturæ, nec in hac specie, de qua nunc tractamus, inuenitur prohibita, vt supponitur ergo. Declaratur amplius, & probatur posterior pars: nam si obsequium spirituale iam supponitur exhibitum, vel fuit merè voluntariè factũ, sine vllo pacto, vel conuentione, & tunc iam non potest habere rationem pretij, quia nihil potest pro illo ex iustitia exigi, vt constat, vel factum est ex aliqua cõuentione pro alia re spirituali, & sic siue res promissa exhibeatur, siue alia æquiualens etiã spiritualis semper manet cõmutatio inter spiri-

tualia

tualia, & sic non interuenit propria ratio pretij, seclusa prohibitione. Potest autem cõtingere, vt spirituale obsequium sit priùs exhibitum cum conditione, naturali Iure ibi contenta recipiendi stipendium sustentationis iustum, & proportionatum. Si quis ergo tunc vellet per spirituale beneficium exhibitum satisfacere priori obliganti, & libera à debito stipendij, iam daretur spirituale pro temporali: quia præcedens obsequium, licet spirituale fuerit, peperit obligationem de re temporali, vt in precedenti puncto declaraui; & sentiunt Victor. & Sot. locis citatis, & in sequenti assertione exempla eorum adhibebimus. Nam quoad hoc, eadem est ratio de pacto in futurum, & de solutione præcedentis obsequij, quia necesse est fieri ex tacito pacto, vel conuentione partium. Addidi etiam, *Nisi præcesserit pactum prohibitum*, quia ex hoc capite potest interuenire Simonia, vt suprà dictum est, & in sequenti etiam puncto dicetur.

11. 5. Cõclusio. Dico ergo quintò, obligari ex pacto ad obsequiũ spirituale pro spirituali beneficio, licet non sit Iure naturæ prohibitum, tamen Simonia est contra Ius ecclesiasticum, & ita dare beneficium, imponendo personæ tale onus obsequij spiritualis, quod non est beneficio coniunctum, Simonia est saltem contra Ecclesiasticum Ius. Prima pars de Iure naturæ supponitur ex principio sæpè repetito, nam eadem est ratio de permutatione rerum, aut Iurium spiritualium inter se, & de permutatione spiritualis Iuris pro spirituali obsequio. Exempla sunt, si Episcopus vicario suo promittat beneficium, si priùs per aliquot annos in spiritualibus sibi ministret, & similia, talia enim pacta non sunt contra Ius naturæ iuxta suprà dicta. Dico tamen nunc esse contra Ius ecclesiasticum. Simile esset, si daret Episcopus vicario beneficium cum onere ministrãdi in spiritualibus, (quæ ad beneficium non pertineant) solùm ratione beneficij, & sic de aliis. Hoc ergo modo obsequium illud, licet spirituale subit rationem pretij. Assertio hæc sic declarata sumitur ex communi sententia Canonistarum dicentium absolutè spiritualia non posse conferri sub modo, id est sub obligatione personali, vt sic dicam, & non reali, quæ talibus spiritualibus annexa non sit. Ita Glos. in cap. *Tua nos*, de Sim. ver. *Conuentio*, & in cap. vnic. Vt Eccles. benef. & c. ver. *Sub modo*: item in c. *Ex parte* de Offic. deleg. Redoan. 2. p. cap. 6. Rebuff. in Pract. tit. de Requisit. ad collat. benef. num. 2. Isti tamen auctores loquuntur in generali de modo, & conditione.

13. In particulari verò etiam de modo spiritualis obsequij videtur loqui Panor. in c. *Significatum* de Præb. num. 7. in fine, & alij ibi, expressiùs idem Abb. in cap. *Cùm essent* de Simon. num. 5. Anton. 2. p. tit. 1. c. 4. §. 2. & ca. 5. §. 5. Sylvest. dicta q. 16. Melius Victor. dicta Relect. num. 36. vbi non probat pacta, quæ aliqui Episcopi facere solent cum vicariis, vel ministris suis. Dabo tibi salarium quinquaginta aureorum, donec dedero, vel nisi intrà tale tempus dedero tibi beneficium centum aureorum. Quod priùs docuit Maior. 4. dist. 25. quæst. 3. concluf. 6. contrà Hostiens. in dicto capite. *Cùm essent*, de Simon. num. 112. & 3. Nauarr. autem in Manual. cap. 25. nu. 113. dicit, Maiorem, consentire Hostiensi, existimantem se contradicere illi, exponitque dictum Hostiensis esse intelligendum, modo nullum pactum intercedat de gratis seruiendo post beneficium collatum. Et à fortiori nec de remittenda pensione debita pro seruitio facto ante receptum beneficium. Sed neque Hostiens. satis hoc explicat, neque communis sensus illorum verborum videtur talis esse, aliàs superfluè adderetur illa conditio, sed non oportet de facto contendere, quando de Iure cõstat. Probatur ergo assertio prima exemplis; nam si Patronus beneficij præsentaret aliquẽ, sub onere dicendi tot Missas pro se, vel sua intentione, ad quas beneficium non obligat, sine dubio peccaret grauiter. Item si quis daret beneficium alicui sub conditione recitandi quotidie litaniam pro se, vel quidpiam simile. Nec obijciatur consuetudo Episcoporum, qui illis, quibus ordines conferunt, certas Missas, vel precationes imponunt, quia non dant ordinem sub tali conditione, vel modo, sed vel illa petunt quasi ex gratitudine, vel vt Ecclesiæ Pastores habent ex consuetudine iurisdictionem ad imponendum illud onus, vel præceptum, quod censeri potest iam esse quasi consuetudine annexum ordinationi. Præterea, hûc spectant multa exempla suprà insinuata, tractando de permutatione spiritualium inter se: nam si Patronus præsentet, imponendo alteri onus eligendi, illud dici potest esse munus ab obsequio spirituali, & tamen simoniacum est. Idem est si duo, vel tres electores inter se conueniant, vt sibi inuicem obsequantur, nunc vnius amicum eligendo, posteà amicum alterius, & sic de cæteris: hæc enim, & similia simoniaca sunt, saltem quia prohibita, vt suprà diximus; & reducuntur ad hoc munus ab obsequio.

Non licet electoribus inuicem pro amicis ex cõuentione assentiri.

Et hoc modo est de hac re textus expressus in c. *De hoc*, de Simon. vbi promittere beneficium pro electione ad Episcopatum, Simoniam esse declaratur. In qua si conderetur beneficium vt pretium datum pro electione, est Simonia à munere à manu; si verò consideretur vox electionis vt data pro beneficio, & munus ab obsequio, & tamen sicut beneficium spirituale est, ita etiam vox electionis, vt notauit Panormitanus in cap. *Matthæus* eod. Hùc accedunt omnia Iura, quæ prohibent pacta, conuentiones; & modos in spiritualibus, præsertim in his, quæ ad beneficia ecclesiastica spectant, sub quibus comprehenduntur omnia obsequia, seu ministeria ecclesiastica ad eorum prouisionem ordinata, vt suprà videmus. Ergo dare ex pacto aliquid spirituale pro his obsequiis, vel obsequia ipsa præstare pro beneficio, vel alia simili re obtinenda sub his prohibitionibus continetur. Accedit, quòd ordinariè talia obsequia habent annexum aliquid temporale, vel debitum eius, saltem per modum stipendij sustentationis, & sic cùm talia obsequia præstantur pro re spirituali: remittendo temporale annexum, virtute datur temporale pro spirituali, & tunc iam Simonia esset contra Ius naturale, si hoc esset principaliter intentum. Denique in his pactis semper interuenit obligatio cum magno onere temporali, & pretio æstimabili, ergo illam assumere ex promissione beneficij Simonia est.

14. Promissio beneficij pro electione dã natur.

Panor.

15. Et ideò dixi in assertione, *obligari ex pacto*, quia si nulla interueniat conuentio, & aliquis ministret Prælato in spiritualibus animo gratuito, licet speret promotionem ab illo gratis etiam faciendam, nulla est Simonia, vt à fortiori sequitur ex pactis de obsequio temporali. Semper autem videtur necessarium, vt si ex officio ministrat, alatur ab Episcopo, sufficientemque sustentationem recipiat, aliàs censeretur Episcopus pro beneficio, quod illi confert, recipere, quicquid in bonis suis lucratur, nullum conferendo salarium seruienti, etiam in spiritualibus. Sicut etiam Simoniam committeret examinator, vel vicarius Episcopi, qui habens curatum beneficium, à quo abest, curam suæ Ecclesiæ

committeret alicui Clerico, tacitè, vel expressè illi promittens obtentionem alterius beneficij, vt ipse sine salario sustentationis inseruiat. Hæc enim, & similia expressè sunt contra Ius ecclesiasticum, & quatenus resoluuntur in temporalia commoda, proximè accedunt ad Simoniam contra Ius diuinum.

16. 4. Cõclusio. Dico sextò. Si obsequium spirituale annexum sit beneficio, aut dignitati spirituali, non potest habere rationem pretij, nec erit Simonia conferre beneficium sub tali onere, & conditione expressa. Quod verum habet, siue annexio illa sit antiqua ab institutione beneficij, siue denuo facta sit, beneficio vacanti, ab eo, qui legitimam potestatem habet. Prima pars est per se euidens ex ipsa natura talium rerum, & quia ibi nullum interuenit pactum, sed transit res cum suo onere, vel si pactum exprimatur, nihil per illud additur, sed explicatur id, quod inest, quod non nocet, & potest prodesse ad tollendam omnem ignorantiam, & tergiuersationem. Denique ex posteriori parte à fortiori concluditur prior, illa autè posterior pars expressè traditur in cap. *Significatum* de præbendis, vbi Glossa. Panormit. & omnes id notant. Item Abbas in cap. *Iacobus* num. 3. de Sim. Innoc. in c. 3. *Ne Prælat. vic. suas*, & Diuus Thomas ita etiam exposuit textum illum in 4. dist. 25. quæst. 3. art. 3. q. 1. ad 5. Et potest optimè, & facilè ita intelligi.

C. Significatũ *Panor.* *Abbas.* *Innoc.* *D. Thom.*

17. Si tamen textus ille attentè consideretur, non videtur onus illud *dicendi quotidie Missam de sancta Maria*, fuisse annexum præexistenti beneficio habenti alia spiritualia onera, sed potiùs præbendam quandam fuisse ab aliis spiritualibus functionibus, & fortasse à numero Canonicorum separatam, & applicatam ad illud obsequiũ Missæ quotidianæ, & ita fuisse quasi nouum beneficium institutum, cuius præbenda annexa fuit illi officio Missæ quotidianæ, quod significant verba illa Papæ. *Quam siquidem institutionem eatenus confirmamus.* Et ita manifestum est, institutionem fuisse sanctam, & puram (suppositâ potestate instituentium) quia illo modo sunt omnia beneficia ecclesiastica instituta, & hæc est natura eorum, orta ex illo principio, *Dignus est operarius mercede sua.* Et sic etiam in rigore nullum fuit ibi necessarium pactum, sed quia noua erat institutio, illam explicare opportebat, & hunc sensum videtur ibi amplecti Panormit. num. 7. Decius, & alij. Verumtamen etiam si ibi non fuisset proprium beneficium institutum, sed præbenda illa applicata pro illo ministerio, optima fuisset conditio, quia non dabatur præbenda in pretium Missarum, sed partim in stipendium sustentationis, partim propter obligationem tam grauem quotidie dicendi talem Missam, & nunquam dimittendi illam Ecclesiam sine consensu Præpositi, & capituli eius. Et hac ratione licet ibi pactum interuenisset, nulla esset Simonia, vt suprà dictum est. Et hoc vltimò modo videtur intellexisse textum illum, Maior 4. distinct. 25. quæst. 6. ad 1. in fine; & omnia sunt vera, quicquid sit de intentione textus, quæ magis fuisse videtur, quam secundo loco posui. Ex illa tamen optimè colligitur, etiam potuisse onus illud spirituale adiũgi priori beneficio, habenti alia spiritualia onera, si aliàs secundùm prudentem æstimationem nimia non sint, in quo esse posset aliqua imprudentia, vel iniustitia, non tamen Simonia, si alioqui annexio fit ab habente potestatem, quia non est maior ratio de additione, quàm de noua institutione, & ita semper ille textus probat hanc veritatem. Quam à fortiori etiam confirmant omnia, quæ de temporali obsequio in tertia assertione dicta sunt. Potest autem hîc etiam inquiri, Quis habeat hanc potestatem addendi beneficiis noua spiritualia onera. Sed hoc ad materiam de beneficiis spectat, ordinariè autem ad Episcopum hoc spectat, vel Prælatos habentes iurisdictionem Episcopalem, vel solos, vel cum Capitulo, iuxta dictum capitulum *Significatum*, & alia, quæ habentur decimo, quæstione prima. Et fauet Trident. sessione 24. capite 10. de Reformatione.

18. Vlt. dubium Sed quæri tandem hîc potest, An spirituale obsequium possit etiam annecti rei temporali, vel res temporalis Ecclesiæ relinqui sub conditione, vel modo præstandi aliquod obsequium spirituale. Innocentius in capite tertio. *Ne Prælat. vices suas* negat, posse id fieri sine Simonia, quia iam obsequium illud venderetur, & in pactum reduceretur pro re temporali, quod & per se malum est, & Iure prohibitum. Quam sententiam sequuntur alij Canonistæ, vt Anan. & Anchar. in dicto capit. tertio. Panormitanus d. c *Significatum*, numero 7. Et iuxta hanc sententiam dixit Richard. in 4. distinct. 25. artic. 3. q. 2. ad 2. non licere dare pecuniam Ecclesiæ cum pacto de anniuersario celebrando, sed debere simpliciter dari, & tunc Ecclesiam teneri quasi in gratitudinem. Sed in hoc nullam video difficultatem, sed solùm in verbis posse esse dissensionem. Dico ergo sine dubio licitum esse, temporale aliquid dare Ecclesiæ cum onere alicuius obsequij spiritualis, obligando ad illud non tantùm ex gratitudine, sed etiam ex iustitia, imò adhibendo expressam conditionem, vt aliàs non detur, vel quòd si Ecclesia non adimpleuerit conditionem, seu modum, priuetur tali re temporali, seu legato. Totum hoc est tàm clarum ex vsu Ecclesiæ, vt non possit in controuersiam adduci. Exempla sunt, si fundus donetur Ecclesiæ, vt ibi sacellum ædificetur, & non aliàs, vel si legetur annuus census, vt tale anniuersarium fiat, vel si non fiat, detur pauperibus, vel hæredibus, & sic de similibus, nam in his nulla interuenit Simoniæ vmbra.

Innoc. *Anchar.* *Panor.* *Richard.* Resolutio.

19. Probatur. Quia nec est Simonia contra Ius diuinum, nec contra Ecclesiasticum, ergo nulla. Prior pars probatur, quia ibi non emitur spirituale per temporale oblatum, sed relinquitur, seu donatur temporale ad certum vsum spiritualem, quem licitè, & sanctè habere potest. Cùm ergò vnusquisque possit sua temporalia bona relinquere, & donare cum quacunque conditione, vel modo aliàs honesto pro suo arbitrio, etiam omnes illæ dispositiones licitæ sunt, & sine vlla vmbra Simoniæ. Assumptum patet, quia res temporalis sanctè consecratur ad spiritualem vsum; ergo licitum est habenti argentum, illud donare Ecclesiæ, vt ex illo fiat calix, & dicetur Diuino cultui, & non aliàs, & fundus, vt in Ecclesiam dicetur, & non aliàs. Item licitum est vineam, aut villam deputare, vt fiant Ecclesiastica bona, ex quibus alantur Clerici, ergo licitũ est sub illo modo relinquere talia bona Ecclesiæ, & non aliàs. Denique dare stipendium in eleemosynam, vt Missæ dicantur, obligando ex iustitia Clericum, qui potentiam recipit, vt Missam faciat, non est Simonia, vt infrà dicetur, sed hic est legitimus sensus illarum dispositionum (vt benè aduertit Anton. corrigens tacitè, vel declarans dictum Richard. 2. part. tit. 1. capit. 5. §. 16. ver. *Pro celebratione*) ergo nulla ibi interuenit Simonia. Erit autem de nomine quæstio, An tunc dicenda sint obsequia spiritualia annecti rebus temporalibus, quod videntur Canonistæ horruisse, vel potius dicendum sit tunc temporalia relinqui, vt sint annexa, & per

Præla-

Prælatos Eccleſiæ annectantur ſpiritualibus, ſeu vt talia acceptentur, & non aliàs. Et hic poſterior modus loquendi caſtior eſt, & omnem tollit difficultatem.

Altera verò pars de iure Eccleſiaſtico probatur, quia nullum eſt tale ius prohibens, imò ſunt multa quæ huiuſmodi facta approbant, vel licita eſſe ſupponunt, Nam in capit. *Olim* de Reſtitut. ſpoliat. iuſta cenſetur fuiſſe conceſſio domus ſub conditione inſtituendi in illa Oratorium, & aliis conditionibus quæ ibi narrantur, & in cap. *Verum* de conditionibus appoſit. Supponitur poſſe aliqua donari Eccleſiæ ſub conditione, & ſeruandam eſſe conditionem, ſi tamen non impleatur, non poſſe reuocari donationem, niſi id ſit expreſſum in donatione. Loquitur autem ſine dubio de conditionibus conſuetis in Eccleſia, quæ eſſe ſolent de his ſpiritualibus oneribus. Et in capit. vltim. de Teſtamentis non ſolùm approbantur ſimilia legata, ſed etiam tanquam pia ab onere quartæ funeralis eximuntur. Et idem habetur in cap. *Ex parte* 3. verſ. *Sign.* Et eadem legata approbantur in Clemen. *Dudum* de ſepul. licet illa exemptio à quarta limitetur quoad mendicantes, quod ad præſens non ſpectat. Atque ita hæc ſententia communis eſt, quam tenet apertè Maior. dicta quæſt. 6. ad 1. & 2. Gabr. Lect. 28. in Canone lit. L. & ſequentibus referens Scot. Quod l. 20. diuus Thom. etiam d. quæſt. 100. art. 3. ad 2. hæc omnia approbat, & declarat intelligendo eſſe in ſenſu ſupra dicto, quòd dantur talia in ſtipendium non in pretium.

Maior. Gabriel. Scotus. D. Thom.

21.

Sylueſt.

Addit verò D. Thom. obſcurum verbum, *Si autem huiuſmodi pacto interueniente, fiant, vel intentione emptionis, & venditionis*, committi Simoniam. Vnde Sylueſt. verſ. *Simonia*, quæſt. 9. verſ. *Tertium*, & *Septimum*, & latiùs in Roſ. aur. caſu 58. ait, licèt ex natura rei hæc non ſit Simonia, tamen interueniente pacto, eſſe contra ius Eccleſiaſticum. Sed hoc poſterius falſum eſt, vt dixi. Nec exiſtimo illum fuiſſe ſenſum D. Thom ſed priora eius verba intelligenda eſſe iuxta poſteriora, vtique de pacto emptionis, & venditionis. Explicuit enim quomodo poſſit ibi committi Simonia conuentionalis, vel mentalis; vnde ſicut mentalis non eſt, niſi venditio, & pretium intendatur: ita nec conuentionalis erit propter quodcunque pactum, ſed propter contractum emptionis, vel alium illicitum, qui in ipſamet conditione, ſeu donatione tali modo facta intrinſecè non inſit, hoc enim ſeparare impoſſibile eſt, & ita verbum illud Diui Thom. aliter intellectum deſtrueret poſitionem. Denique infrà oſtendemus, pactum de ſtipendio non eſſe per ſe illicitum, neque prohibitum: hoc autem pactum, quod hîc interuenire poteſt, eiuſdem rationis eſt, vt conſtat. Et ita omnes Auctores, quos ibi referemus in hanc ſententiam conſentiunt, & ex ibi dicendis ampliùs explicabitur, & confirmabitur.

CAPVT XL.

Quid ſub munere à lingua comprehendatur?

1.

HOc loco non oportet diſtinguere de ſpirituali, & temporali munere à lingua: nam licet etiam lingua ſuum habeat ſpirituale munus, illudque honeſtiſſimum, vt voce orare, cantare, & laudare Deum, tamen illud ad obſequia ſpiritualia pertinet, quæ Deo exhiberi poſſunt, & Eccleſiæ, & quæ vnus fidelis poteſt in aliorum vtilitatem ſpiritualem præſtare: hoc ergo munus ſpirituale ſub munere ab obſequio comprehenſum à nobis eſt. Munus ergo à lingua quod nunc conſideramus, temporale eſt, & vt propriè loquamur, merè humanum, complectens humanas preces, ſupplicationes, & interceſſiones, laudes, adulationes, &c. Vt tamen diſtinctiùs procedamus, de precibus loquemur, & poſteà facilè ad omnia linguæ obſequia, reſolutionem applicabimus. De precibus ergo duæ poſſunt referri opiniones. Prima ſimpliciter affirmat, dare beneficium propter preces, ita vt formale motiuum, & ratio dandi ſint preces, eſſe Simoniam. Ita ſentit Adrian. dicto Quodli. 9. art. 2. dub. 1. & dicit eſſe opinionem Theologorum illam enim tenent in 4. d. 25. Durand quæſt. 4. dicens, eſſe Simoniam, etiam ſi digno detur beneficium, ſi detur propter preces principaliter, & incurri pœnas Simoniacorum, idem Palud. quæſt. 5. & Maior. quæſt. 3. Imò idem ſentire videtur ibi D. Thom. quæſt. 3. art. 3. & 22. qu. 100. art. 5 ad 3. & ſequitur Sylueſt. verb. *Simonia*, quæſt. 16. §. *Tertium*: Citatur etiam Armacha. lib. 10. art. 18. Idémque ſenſit Gloſſ. ex cap. *Ordinationes*, 113. 1. quæſt. 1. Addit verò limitationem, dicens ſi preces fiant pro indigno, vel pro ſe, & tunc, propter illas dare ordines, eſſe Simoniam, aliàs non. Sed eſt diſtinctio valdè materialis, & impertinens, vt ex dicendis patebit. Fundamentum huius ſententiæ eſſe poteſt diſtinctio trimembris poſita in cap. 36. & Iura, ex quibus ſumitur, nam illa probant hoc munus à lingua eſſe ſufficiens ad Simoniam. Ratio reddi poteſt, quia preces quaſi intrinſecè afferunt promiſſionem fauoris temporalis, & humanæ amicitiæ, quæ ſunt æſtimabilia pretio.

Vtrum dare beneficium propter preces ſit Sim. 1. Opinio. affirmat ſimpliciter. *Adrian. Durand. Palud. Maior. D. Thom. Sylueſt. Gloſſ.*

Fundamentum.

Secunda ſententia ſimpliciter negat preces ſufficere ad Simoniam, etiam ſi propter illas detur beneficium, vel aliud ſpirituale; Hanc tenent Canoniſtæ communiter, in cap. *Tuam*, de Ætat. & qualit. Gloſſ. Innocent. Hoſtienſ. Cardinal. & latè Abbas num. 3. Irem Gloſſ. in cap. *Filius* §. *Non itaque*, verb. *Ordinandi*. 1. quæſt. 1. Et idem ſentiunt Tabien. verb. *Simonia*, num. 11. Supplem. Gabriel, 4. d. 25. artic. 3. dub. 4. præſertim not. 2. Et in eandem ſententiam inclinat Redoan. part. 1. cap. 26. præcipuè in fin. Maximè verò docuit hanc ſententiam Caietan. verb. *Simonia*, verſus finem, verb. *Quintò nota*, quem ſequuntur Victor. d. Relect. à num. 36. & Soto d. quæſt. 7. art. 3. & Nauar. cap. 23. num. 102. verb. *Decimo*, & numer. 107. in princip. Qui diſtinguunt de precibus permanentibus in propria natura, vel tranſeuntibus in rationem pretij. Et priori modo aiunt non ſufficere ad Simoniam, poſteriori autem modo ſufficere. Quæ reſolutio vera eſt. Sed oportet duas expedire difficultates. Vna eſt, quomodo diſtinguantur illa duo membra. Alia eſt, quomodo munus à lingua diſtinguatur à munere ab obſequio, quando tranſit in rationem pretij. Vt ergo rem per ſe facilem, & à multis auctoribus prolixè, & confusè tractatam breuiter, & dilucidè explicemus, ſupponamus ſermonem eſſe de ſolis precibus, quæ non includunt promiſſionem alterius extrinſeci boni pertinentis ad munus à manu, vel ab obſequio, nec etiam comminationem: Nam ſi habeant promiſſionem adiunctam expreſſam, vel tacitam de alio munere, iam tunc motiuum dandi non ſunt preces vt preces, ſed eſt munus à manu, vel ab obſequio, & per ea, quæ de his diximus, regulandæ ſunt: ſi verò contineant comminationem alicuius mali extrinſeci ad preces, redundant in metum, & ex his, quæ de illo diximus, iudicandæ ſunt. Preces autem ſimplices adhuc poſſunt diſtingui duplices, quædam oblatæ Prælato, verbi gratia, collatori beneficiorum ad obtinendum ab illo, vt conferat beneficium, vel ipſi petenti, ſi pro ſe petat, vel alteri ſi pro alio petat;

2. Sententia negat ſimpliciter. *c. Tuam. Gloſſ. Innocent. Hoſtienſ. Abbas. Tabien. Gabriel. Redoan. Caietan. Victoria.*

Duplex difficultas.

petat: aliæverò esse possunt postulatæ ab ipso Prælato A in suam vtilitatem, vel suorum consanguineorum, vel amicorum.

3. 1. Conclusio. Dico ergo 1. Postulare ab aliquo Prælato (& idem est de aliis) vt conferat alicui beneficium sine promissione alia, vel pacto, nunquam est sufficiens ad Simoniam, nec illæ preces habent rationem pretij, nec Prælatus propter illas principaliter conferens beneficium, Simoniam committet, licèt aliàs peccare possit. Hæc est nunc communis, & recepta sententia cum auctoribus posterioris sententiæ, cui fortasse in hoc non contradicunt priores, vt videbimus. Probatur autem ratione, qua vti solemus. Quia vel illa Simonia esset contra ius diuinum, vel contra ius Ecclesiasticum: Neutrum dici potest: ergo nulla est. Probatur prior pars minoris. Primò B quia dare propter preces, non est vendere, nec recedit à gratuita donatione: ergo nec petere, & precibus obtinere est emere, vel per onerosum contractum rem obtinere: ergo ex natura rei ibi non est Simonia. Posterior illatio nota est ex fundamento Simoniæ, præsertim contra ius naturale. Prior etiam per se nota, quia illa duo correlatiua sunt. Antecedens verò probatur, primò ex Iure ciuili, in quo longè diuersum est, precibus aliquid obtinere, quod precarium appellatur, aut emere aliquid, quod requirit proprium pretium, vt constat ex titulo de Emptione & venditione, & de Precario. Item ex Iure canonico, in quo etiam in præsenti materia tanquam distincta ponuntur, vendere ordines, aut precibus illos conferre vt in capit. *Pueri* 120. ait Gregor. *Nulla sit in ordinatione venalitas, potentia, vel supplicatio personarum.* Et infrà, *Si ex fauore, aut ex venalitate.* Vbi planè hæc duo vt distincta ponuntur: fauor autem respondet precibus, vel est idem. De electione etiam est optimum Decretum eiusdem Gregor. in cap. 1. 8. quæst. 2. Vbi sic dicitur. *Illud quidem præ omnibus tibi curæ sit vt in hac electione nec datio quibuscunque modis intercedat præmiorum, nec quarumlibet personarum potentium patrocinia conualescant:* Aliud est ergo donare, aliud precibus incercedere: quia illud prius longè deterius est, manifestámque habet Simoniæ prauitatem, nullam de priori membro rationem adiungit Gregorius, de posteriori autem quandam addit, quæ pro causa præsenti ponderanda est. *Nam si quorundam patrocinio* (inquit) *fuerit* D *quisquam electus, voluntatibus eorum cum fuerit ordinatus obedire reuerentia exigente compellitur, sicque fit, vt & res illius minuantur Ecclesiæ, & ordo Ecclesiasticus non seruetur.* Non ergo propter Simoniæ malitiam illud prohibebat, sed propter incommoda alia, quæ inde Ecclesiæ proueniunt.

4. Atque hinc probatur altera pars de iure positiuo, tum quia nullibi inuenitur talis prohibitio, tum etiã quia potiùs inuenitur expressa approbatio in cap. *Tua nos*, de Simon. ibi. *Rogans humiliter: vt in Canonicum admittatur.* Et infrà concluditur. *Fieri poterit absque scrupulo simoniacæ prauitatis.* Deinde facit capit. *Latorem*, & capit. *Filium.* 121. & 122. 1. quæst. 1. Vbi Gregorius ipse fatetur se precibus fuisse inductum ad E quosdam ordinandos. Vbi Gratianus inde concludit ordinationem precibus factam non semper malefieri, si preces iustæ sint: quod non haberet locum, si preces, vt tales sunt, Simoniam inducerent. Potest etiam hoc declarari ex eisdem capitibus, in quibus inter pretia Simoniæ ponitur munus à lingua, nam preces porrectæ simpliciter ipsi ordinatori vel collatori, non habent rationem muneris: non sunt ergo illæ munus à lingua, ergo non sufficiunt ad Simoniam. Antecedens patet, nam qui petit ab alio homine, non donat illi aliquid; quando enim à Deo petimus, non donamus illi, sed donari nobis cupimus. Et licet orando Deum, præstemus illi obsequium, & cultum Religiosum: in petitione ad homines, non habet locum hæc consideratio, quia petitio ad hominem non fit ad honorandum illum, cui petitio offertur, sed tantùm ad vtilitatem petentis, vel eius, pro quo intercedit per se loquendo: Igitur petitio ad hominem ex ratione sua non habet rationem muneris. Præterea confirmatur, quia quod datur ex solis precibus, gratis simpliciter datur, & qui recipit, obligatus manet ex gratitudine, seu antidotali obligatione, vt constat ex communi sensu omnium hominum: ergo non est venditio; nam qui emit, non manet ex gratitudine obligatus, nec censetur recipere beneficium per se loquendo, quia est contractus onerosus, nam quod ex tali contractu datur, non datur gratis. Denique confirmatur, quia petere alia spiritualia, vt Missas, orationes suffragia, & à Pontifice precibus indulgentias obtinere, & priuilegia, vel propter preces hæc conferre, nulla est Simonia, nihilque est in Ecclesia magis vsitatum: ergo idem est ex vi precum in quocunque alio spirituali dono. Item mutuare propter preces, non est vsura, quia gratis nihilominùs mutuatur, ergo similiter, &c.

Sequitur primò hoc verum esse, non solùm 5. quando preces pro alio offeruntur, sed etiam quando aliquis pro se postulat dignitatem, vel beneficium, aut aliam rem spiritualem. Hoc inferimus propter Gloss. quæ in hoc fine causa distinguit in d. cap. *Ordinationes*, quam Sylvest. supra sequi videtur. Et refertur etiam Hugo antiquus Canonista à Gloss. in d. cap. *Tuam* de Ætat. & qualit. Et patet, quia rationes factæ tàm vrgent in petitione pro se facta, quàm pro alio. Item vel tales preces habent rationem pretij, vel non habent. Si non habent etiam pro se oblatæ non reddent obtentionem Simoniacam: si habent etiam pro alio habebunt, sicut munus à manu, vel ab obsequio tàm pro alio, quàm pro se facit actionem simoniacam. Item exempla de aliis rebus spiritualibus hoc conuincunt: nam petere indulgentiam pro me, vel spirituale priuilegium, aut dispensationem, non est simoniacum, cum tamen hæc mihi emere Simoniacum sit, ergo idem erit etiam de beneficio, & quacunque re alia. Sed aiunt, qui pro se petit, præsumptuosus est, & ambitiosus: ergo Simoniam committit. Profecto quicquid sit de antecedenti, illatio frigida est, nam est à diuersis, seu disparatis. Sunt enim hæc diuersissima vitia, nec ex vno sequitur aliud, aliàs Simoniacus esset, qui cum sit indoctus, vel malus, acceptat beneficium gratis oblatum, & non petitum, quia etiam illud est præsumptuosum, & iniustum, & potest esse ex auaritia vel vanitate. Vnde diuus Thomas 22. quæst. 100. artic. 5. ad 3. licet dicat, non esse licitum, pro se petere beneficium curam animarum habentem, vel Episcopatum, propter præsumptionem, si se reputet dignum, vel propter iniustitiam, si se reputet indignum: non tamen dicit esse Simoniam, quod illi falsò imponit Sylvest.

Obiectio exponitur.

D. Thom.

Vlteriùs verò affero, etiam de antedecenti pos- 6.
se satis dubitari, & esse opiniones controuersas: sed non expectat ad hunc locum, sed ad materiam de beneficiis, & de statu Episcoporum, quam in 6. tomum 3. partis (qui erit, Deo dante, de toto ordine Ecclesiastico) reseruamus. Nunc breuiter asse ro. Siquis sit indignus, peccat pro se petens beneficium, quia petit rem, quæ non potest iustè fieri, sed

Indignus peccat pro se petens beneficium.

ſed hoc modo etiam eſt ſimile peccatum pro alio indigno petere. Item ſi quis ſit dignus, & ſimplex beneficium petat, non peccat, quia nec eſt per ſe malum, nec prohibitum. Aliqui verò præter dignitatem requirunt, vt egeat: nam ſi non egeat, nõ putant, licitè poſtulare, & hoc ſignificat Diuus Thomas in illa ſolut. ad 3. dicens, *ſi ſit indigens.* Sed hoc verum puto ad ſummum, quando vt clericus non indiget, id eſt, quando habet ſufficientes reditus eccleſiaſticos, ſi verò temporaliter diues, non credo, eſſe peccatum, per ſe loquendo, petere ab Eccleſia beneficium, quo ſufficienter ſuſtentari poſſit, ſi velit eſſe Clericus, quia hoc nec eſt intrinſecè malum, cùm aliæ diuitiæ accidentariæ ſint, nec inuenitur ab Eccleſia prohibitum, imò valdè toleratum, nec facilè debemus damnare cõmunia facta tolerata, & permiſſa ſine cogente ratione. Imò in priori caſu quando quis non eget vt clericus, tota ratio malitiæ orietur ex prohibita pluralitate beneficiorum, nam ſi quis procuret ſimplex beneficium pinguius, dimiſſo tenui, non videtur per ſe malum, nec prohibitum. Hæc ergo, & ſimilia ex obiecto indifferentia ſunt, & licet ordinariè non fiant ſine aliquo exceſſu, vel culpa, ſimpliciter pendent ex intentione operantis, & aliis circunſtantiis.

D. Thom. Vtrũ ſit neceſſarium egere ad petitionem beneficij.

7. Propter quæ vlteriùs dico nõ eſſe abſolutè peccatum, petere pro ſe curatum beneficium, ſi quis moraliter, & ſine temeritate ſe reputet dignum, quia video, in vniuerſa Eccleſia id fieri, & tolerari, imò aut vix, aut nunquam aliter conferri hæc beneficia, imò Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 18. de Reformat. dum ordinat, hęc beneficia per concurſum prouideri, tacitè vult, inuitari homines vt ſe offerant, & opponant ad hæc beneficia, quod eſt, illa petere. Et ratio eſt eadem, quia hoc non eſt prohibitum, nec eſt per ſe malum, potéſtque bona intentione fieri, & ſine præſumptione, quia poteſt quis non ſolo iudicio ſuo, ſed aliorum etiam conſilio duci, & quia non oportet, vt ſe præferat omnibus aliis ſimpliciter, ſed ſolùm illis, quibus in tali loco, & tempore poteſt tale beneficium conferri. Imò nec illis omnibus neceſſe eſt, vt ſe præferat poſitiuè, ſed ſatis eſt, quòd ſe reputet dignum, & non habeat principia ſufficientia, vt alium iudicet digniorem. In Epiſcopatu verò maior eſt difficultas, & ideò ſine maiori diſcuſſione nihil dicendum de illo exiſtimo vſque ad deſignatum locum.

Conc. Trid.

8. Secundò infero, idem dicendum eſſe, ſiue preces pro digno, ſiue pro indigno fiant, inter quos etiam diſtinxit Gloſſa ſuprà citata, imò etiam D. Thom. videtur ita diſtinguere in d. ſolut. ad 3. Probatur verò illatio, quia de petitione pro digno omnes cõcedunt, nec petitionem, nec collationem eſſe ſimoniacam, quod etiam ex aſſertione poſita, & rationibus eius manifeſtum eſt, imò etiam poteſt facilè probari, per ſe non eſſe illicitum, quia eſt petitio de re iuſta, in qua exaudire petentem, & velle ibi beneficium præſtare, malum non eſt, imò per ſe eſt bonum. Hoc etiam conuincunt d. capite, *Tua nos*, & d. cap. *Latorem*. Inde verò idem concluditur de petitione pro indigno; nam licet illa ſit iniqua, & ſacrilega, non eſt tamen ſimoniaca, quia preces non ſunt pretium, vt oſtenſum eſt. Item procurare beneficium alteri per munus à manu, Simonia ſemper eſt, ſiue ille ſit dignus, ſiue indignus, pauper, aut diues, quia malitia Simoniæ non oritur ex qualitate perſonæ, cui beneficium procuratur, ſed ex modo emendi, ſi ergo obtinere beneficium precibus eſſet modus ſimoniacus, etiam pro digno eſſet, vel ſi pro illo non eſt, nec pro indigno eſt. D. Thom. autem dixit, eſſe factum ſimoniacum, dare beneficium indigno pro precibus, non quia ſemper ita ſit, ſed quia quantum eſt ex qualitate facti ita præſumitur. Nam cùm collator non moueatur ex dignitate perſonæ, cui prouidet beneficium, indicium eſt, moueri aliquo intereſſe, quod poſſit habere rationem pretij, modò infrà explicando. Et eadem ratione inferre poſſumus, non eſſe Simoniã, etiamſi preces fundantur pro conſanguineo, vel amico, aut alio quocunque ſimili, quia rationes factæ eodem modo procedunt. Et iſtæ qualitates, vel coniunctiones, ſi aliàs perſona ſit digna, nihil obſtabunt, quominus precatio eſſe poſſit omni ex parte licita, quia illæ circunſtantiæ per ſe malæ non ſunt, nec prohibitæ. Si verò ſit indigna perſona coniuncta, tunc erit precatio aliàs iniuſta, & ſacrilega, non tamen ſimoniaca, ſi rationem ſimplicium precum non excedat. Et ideò non refert ad propoſitum diſtinctio Gloſſarum de precibus ſpiritualibus, aut carnalibus: nam hæc eſſet accommodata diſtinctio, ſi ageremus de iuſta, vel iniuſta collatione beneficij; non autem de hac agimus, ſed de ſimoniaca, & hanc non faciunt etiam preces carnales, ſi tantùm preces ſunt, vt patebit facilè applicando diſcurſum factum.

Gloſſ. D. Thom.

9. Tertiò, colligitur ex dictis non eſſe Simoniam, precibus inducere potentem virum, aut familiarem Papæ, vel Epiſcopi, vt mihi ab illo impetret beneficium cùm tamen certum ſit, & infrà dicemus, Simoniam eſſe, pecunia aliquem conducere, vt preces pro me fundat ad beneficium obtinendum. Et hoc exemplum optimè declarat differentiam inter pecuniam, & preces. Prior ergo pars indubitata eſt ex dictis; nam ſi pro beneficio non faciunt Simoniam, multò minùs efficient preces precum. Item vſus ipſe hoc ſatis confirmat; omnes enim, etiam docti, & timorati hoc faciunt ſine vllo ſcrupulo. Poſterior verò pars hîc ſupponitur, & ratio eius eſt quia tunc emitur, beneficium, ſaltem in cauſa morali, quæ licet non ſemper ſit efficax, eſt tamen in ſuo ordine ſufficiens, & ſi contingat eſſe efficacem, iam tunc cum effectu emitur beneficium. Nec etiã obſtat quod beneficium liberaliter cõferatur à Papa, vel Prælato, quia id eſt ratione ignorantiæ, vnde licet ipſe non vendat, alter emit. Nec ibi deeſt venditor, nam qui vendit preces, virtute vendidit beneficium quantum eſt in ſe, ſed de hoc plura infrà.

10. Obiectiones

C. Nemo.

Obiici verò poteſt c. *Nemo presbyterorum*, de Simonia, vbi presbyteri prohibentur, *Ne quemquam pœnitentem, vel minus dignè pœnitentem gratia, vel fauore ad reconciliationem adducat*: & concluditur. *Simoniacum enim eſt vtrumque*. Per gratiam autem, & fauorem intelliguntur ibi preces, quia preces in fauore, & gratia niti ſolent. Et in dicto cap. *Ordinationes* 1. quæſt. *Ordinationes factæ precibus falſæ dicuntur ſicut factæ pecunia*. Item, qui petit aliquid ſpirituale, præſertim ſi petat beneficium pro indigno, vult, vt propter preces omninò detur, preces autem ſunt temporale quid, ergo vult dari ſpirituale pro temporali, quod eſt Simonia. Vnde ſaltẽ quando in obiecto non eſt alia ratio dandi, neceſſe eſt vt collator beneficii det illud tantùm intuitu precum, ergo ſaltem erit Simoniacus mentalis, ſi pactum non præceſſit.

C. Ordin.

11. Reſpõſio ad obiectiones.

Ad primum cap. multi Canoniſtæ reſpondent ibi eſſe ſermonem de Simonia latè ſumpta, vt ſuprà vidimus, ſed quia nos ſuprà diximus ſaltem in poſteriori parte capitis (in qua ſunt illa verba) ſermonem eſſe de propria Simonia; reſpondemus per gratiam, & fauorem ibi intelligi, nõ gratiam, quam facit

facit ille, qui exaudit preces, sed quam prætendit, A nec fauorem, quem exhibet, sed quem sperat, & tũc preces transeunt in rationem promissionis, iuxtà dicenda in secunda assertione, iuxtà quam intelligendus est ille textus. Et eodem modo potest intelligi cap. *Ordinationes*, quamuis in illo non sit sermo de Simonia in specie, sed in genere de illicitis modis conferendi ordines. Ad rationem respondetur, qui petit, ex vi precum, velle quidem, vt res postulata detur propter preces, sed non propter illas, vt pro pretio, sed tantùm pro quodam motiuo beneuolentiæ, & gratiæ præstandæ ab alio, ad quem fit petitio, & eodem modo potest hîc dare intuitu precum, non tamen vt pretij, sed vt sufficientis motiui ad ostendendam oratori beneuolentiam. Hoc autem modo dare spirituale intendendo ad aliquid B temporale non sufficit ad Simoniam: vt suprà dictũ est. Et constat, quando datur beneficium in ostensionem gratitudinis, etiam propter obsequia temporalia, & aliam quamcumque obligationem antydoralem, vt in sequentibus latiùs dicemus. Quocirca cauenda est æquiuocatio, quæ sæpè ab auctoribus committitur in particula, *propter*, ex illa quocumque modo sumpta inferẽdo Simoniam vel externam, vel saltem mentalem, si intentio cadat in temporalem respectum, quæ tamen collectio bona non est, quia necessarium est, vt intentio feratur ad pretium, & hoc significatur per particulam, *pro*, rigorosè sumptam, vt explicatum in superioribus est. Hîc autem preces non possunt habere hunc respectum, nisi transcendant rationem precum, vel nisi C contractum aliquem expressum, vel tacitum supponant, vt in sequenti conclusione explicamus.

13. Dico secundò. Si per collationem beneficij, vel
2. Cõclusio. alterius rei spiritualis collator intendat obligare alium ad preces pro se fundendas, tunc propriè recipit munus à lingua: vnde si recipiat sub pacto expresso, vel tacito, Simoniam committit, idémq; est quoties preces, & intercessiones præcesserunt sub pacto, vel promissione beneficij, si fierent. Hæc assertio communis est, & iuxta illam posset procedere prima sententia, imò illam maximè explicant
Caiet. Victor. Caiet. & Victor. Et probatur præsertim quoad priorem partem primò ex Iuribus canonicis ponẽtibus inter hæc pretia munus à lingua, quia oportet in aliquo vero sensu intelligi; nullus autem alius appa- D ret probabilis, hic autem est proprius. Nam, vt suprà põderabam, munus à lingua debet esse munus respectu eius, qui Simoniam censetur committere ratione illius; sicut cõtingit etiam in munere à manu, & ab obsequio, & ratio est, quia aliàs ipse non emeret. Preces autem tunc sunt munus conferentis rem spiritualem, quando pro illo offeruntur, non quando illi offeruntur, ergo de illis propriè loquũtur dicta Iura. Et põderari possunt verba c. *Sunt nonnulli* 1. q. 1. *Sunt* (inquit) *nonnulli, qui munerum præmia ex ordinatione non accipiunt, & tamen sacros ordines pro humana gratia largiuntur.* Quia nimirum sperant sibi fore cõciliandam gratiam precibus, & intercessione eorũ, quos ordinant. Vnde subditur infrà. *Hi nimirum quod gratis acceptum est, gratis non tri-* E *buunt, quia de impenso officio sanctitatis, munera expetunt fauoris.* Ordinant ergo preces ad se, & ad suum lucrum. Et infrà. *Munus à lingua fauor*, nõ certè quem ordinans facit, sed quem recipere sperat, vt constat: sic ergo intelligendæ sunt etiam preces. Secũdò sic intellectis precibus, facilè potest reddi ratio huius Simoniæ, etiam stando in Iure diuino. Quia preces huiusmodi sunt quid temporale, & æstimabile pretio, & fiunt in gratiam, & lucrum eius, qui propter illas spirituale præbet, ergo reuera sunt quoddam obsequium pretio æstimabile, ergo si pro illo vt sic spirituale detur, est clara Simonia. Vt autem hæc ratio prætij interueniat, necesse est, vt promissio, vel pactum intercedat, nam si absque obligatione tales preces antecedant, & sequatur beneficij collatio ex sola gratitudine, vel è conuerso præcedat spirituale donum, & sequatur intercessio pro donatore ex sola gratitudine, non est Simonia, quod totum explicandum est, sicut de obsequio, quia est omninò eadem ratio.

Et hinc facilè declaratur posterior pars assertionis. Nã si Episcopus petat ab aliquo, vt apud Principem pro se intercedat, promittens beneficium, si id faciat, clara est Simonia conuentionalis, & realis, & posteà executioni mandetur; tunc autem temporale, quod confertur, est munus à lingua consistẽs in precibus pro illo collatore factis. Contingere itaque potest, vt Episcopus nolit conferre beneficium, nisi à tali persona rogatus, vt habeat occasionem illam obligandi, & tunc si ita pacisca- Collatio beneficij, dummodo à certa persona petatur, est Simonia.
tur. Fac, vt ille petat, & ego dabo, censeo esse Simoniam, tum quia inuoluit pactum prohibitum Iure saltem Ecclesiastico, tum etiam quia per promissionem beneficij ille negotiatur fauorẽ temporalem alterius, vel amicitiam humanam cum illo, & ad eam comparandam obligat illum, cui beneficium promittit, vt ab alio obtineat precationem, & intercessionem pro se. Quæ negotiatio ex parte desiderantis beneficium, est pretio æstimabilis, & reducitur in quandam intercessionem pro ipsomet Prælato, quatenus procurat, vt alter illi se submittat, & obnoxium, ac obligatum reddat, ergo quoties tales preces, vel præcedunt, vel sequuntur ex vi pacti, aut promissionis, tunc sunt pretium, & munus à lingua, quo Simonia committitur, si verò tales nõ sint, nunquam ad hoc sufficiunt. 13.

Præterea ex dictis facilè est applicare doctrinam 14.
ad alia genera verborum, intercessionum, adulationum, laudum, signorum beneuolentiæ & honorum, vel potius fictionum, vel si aliqua alia cogitari possunt. Nam intercessiones omnes, preces quædam sunt, & ideò per duas regulas, seu assertiones positas iudicandæ sunt. Nam sit ex pacto, vel promis- Summa dictorum.
sione cum collatore, & in fauorem, seu vtilitatem eius, vel alterius ex consensu, & tacita exactione eius, fiant munus à lingua sunt, & ad Simoniam sufficiunt, siue pro digno, siue pro indigno fiant, quia hæc non variant rationem Simoniæ, vt dixi. Si verò intercessio simpliciter fiat sine vllo pacto, obligatione, nunquam inducit Simoniam, licet multa alia peccata possit habere adiuncta. Laudes item, si exigantur ex pacto, & obligatione, munus sunt à lingua, quamuis Victoria dubitet, sed nullum est dubium, quando ex tacita conuentione fiunt: & idem est de signis alijs honoris & beneuolentiæ, nam hæc omnia sunt pretio æstimabilia, & multò ma[illegible] obligatio ad illa. Itaque si ista exigant vt coram alijs fiant ad acquirendam famam, vel beneuolentiam apud illos, & sic tacitè, vel expressè promittam alicui beneficium, vel spirituale donum vt hoc officium pro me sumat, clara est Simonia: si autem voluntate assumas officium laudandi Prælatum apud alios, vt ipsum beneuolum tibi reddas, sperans inde beneficium sine pacto, licet sit munus à lingua, tamen non habet rationem pretij ex defectu conuentionis, & ideò non sufficit ad Simoniam, sicut de alijs muneribus dixi. Potest item laus fieri coram ipso, qui laudatur, & tunc habet rationem adulationis, maximè si falsa sit, & tunc regulariter non fit ex conuentione tamen si fieret, etiam esse pretium sufficiens, vt constat.

Denique

Dans beneficium, vt nobilis reputetur, Sim. committit.

Denique etiam possunt excogitari humanæ fictiones,& mendacia, vt si Episcopus daret viro illustri beneficium,tacitè paciscens cum illo, vt se profiteretur, & recognosceret consanguineum suum, vt ipse etiam illustris reputaretur, Simonia esset, pertinens ad hoc munus à lingua, & sic de aliis iudicandum est. A

§.

Tandem iuxtà hæc expedienda est difficultas suprà insinuata, quia iuxta hanc interpretationem nõ videtur munus à lingua distingui à munere ab obsequio, quia reuera munus à lingua sic explicatum, nihil aliud est,quàm obsequium quoddam. Dicendum enim est,posse quidem hoc munus vocari obsequium quoddam, sicut cantare suauiter munus à lingua dici potest, & est quoddam obsequium, & officium scurræ,obsequium est, quod lingua exercetur, & vtrumque sufficere posset ad Simoniam muneris ab obsequio, imò & munus docendi inter obsequia computatur. Tamen specialiter distinctum est munus à lingua, propter ea munera linguæ,quæ non per modum seruilis obsequij,aut ministerij fieri solent,nec vendi solent,aut locari, regulariter loquendo,& ideò non tantùm à seruis, & ministris, sed etiam à dominis, nobilibus, & Principibus exerceri solent, ideóque magis occultam habere videntur rationem pretij. Ha: ergo ratione meritò fuit hoc munus à lingua separatim ab aliis numeratum. Et hactenus de tota hac diuisione dictum sit. B

Distinctio muneris à lingua, ab obsequio.

C

CAPVT XLI.

Vtrùm Simonia conuenienter, ac sufficienter diuidatur in mentalem, conuentionalem, & realem?

1. Quarta diuisio incipit declarati.

TRia diximus in Simonia interuenire, quæ in omni emptione,ac vẽditione,seu cõtractu illi proportionato necessaria sunt, scilicet pretium,res vendita,& cõtractus, qui est veluti proxima materia, seu subiectum malitiæ Simoniæ, sicut ergo ex primis duobus capitibus Simonia multiplex est, ita est ex tertio; & ideò explicatis partitionibus, quæ ex illis nascuntur, de variis modis Simoniæ qui ex modis contrahendi nascuntur, dicendum supereſt. Quamuis enim in superioribus multa de hoc attigimus, vel quia sine illis non poterant materia,& pretium Simoniæ declarari, vel quia coniunctissima erant cum his, quæ tractabantur, hîc tamen tanquam in proprio loco materia hæc explicanda est, vbi occurrerint iam dicta illa remittemus. Quarta ergo magistralis diuisio Simoniæ, & prima in hoc loco est in titulo proposita,qua diuiditur Simonia in mentalem, conuentionalem, & realem. Quæ habet fundamentum in Iure; nam omnia illa membra in illo inueniuntur. De mentali est optimum caput vlt. de Simon. ibi. *Quæ nullo pacto sed affectu animi præcedente vtrinque taliter acquiruntur.* Et in eisdem verbis indicatur realis per locum à contrario, scilicet quando ex pacto vtrinque acquiritur. Eadem etiam mentalis indicatur in cap. *Tua nos*,eod. in §. *Licet autem taliter duximus respondendum, quia nobis datum est de manifestis tantummodo iudicare, si tamen is, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur,&c.* Et ita Simonia conuentionalis in eodem textu in principio eius explicatur. Et de illa loquitur etiam cap. *Cùm essent*,eod.& ca. *Cùm pridem*, de Pactis. De reali verò loquuntur,regulariter loquendo cætera Iura,quæ Simoniam puniũt, vt patebit infrà,tractando de pœnis. Duo ergo circa diuisionem hanc breuiter explicanda sunt: primum, An sit conuenienter data, & quomodo illa membra distinguantur: secundum, An sit sufficiẽs, vel addendum sit quartum membrum Simoniæ fictæ,vel confidentialis. D

Cap. vlt.

Ca. *Tua nos.*

Ca. *Cũ essent.*

Circà primum, multi solùm per duo membra solent hanc diuisionem tradere in Simoniam mentalem,seu interiorem, & conuentionalem, seu externam. Ita significat Archid. in capit. 1. 1. q. 1. & alij,quos refert Redoan. 1. p. capit. 2. num. 11. Frequentiùs tamen vtũtur Theologi hac diuisione, vt sumitur ex Caietano in Sum. verb. *Simonia* in 2. & 3. memb. Sylvest. q. 20. Sot. dicto lib. 9. q. 8. art. 1. Victor. in 2. p. Relect. num. 1. Et potest sumi ex Extrauag. 2. inter communes de Simon. ibi. *Affectantes, vt horum pestiferum vitium, non ex vsu solùm, sed etiam ex mentibus hominum saltem propter pœnarum metum penitùs euellatur.* Ratio esse potest, quia omne peccatum est, aut internum, aut externum; illa enim duo membra contradictoriè opponuntur, vnde nõ videntur habere mediũm,idem ergo erit de Simonia. At verò Canonistæ faciunt hanc diuisionem trimembrem.Potestq; referri Abbas in cap. *Nemo*, de Simon. num. 6. Nam expressè dicit,triplicem esse Simoniam: posteà verò solùm mentalẽ, & conuentionalem declarat. Expressiùs, & latiùs tradit illam diuisionem Redoan. suprà num. 12. & iuxtà illam tres primas partes sui tractatus distinguit. Eandem habet Gomez. in Regul. de Triennal. possessio. q. 12. §. *Cùm igitur* Nauar. dicto cap. 23. num. 103. & sequentibus. Et in Comment. capit. *Mandato*, de Simon. nu. 7. Adrian. autem dicto Quodlib. 9. art. 2. quatuor membra enumerat, sed si attentè legatur, non recedit à priori diuisione trimembri, sed mentalem diuidit in duas, quas statim exponemus, & conuentionalem in alias duas, implicitam, & expliciram, quæ nos cum cæteris omnibus non distinguimus, quia solùm materialiter differunt. Vnde prior etiam dissensio parui momenti est, quia non est de re, sed de modo loquendi. Nam in re constat, posse reduci omnem Simoniam ad illa duo membra mentalis,& conuentionalis Simoniæ. Certum item est, conuentionalem Simoniam posse esse magis, & minùs completam, & secundùm has diuersas rationes posse subdistingui in duo membra, & consequenter totam latitudinem Simonię illa tria membra complecti,quæ posterior opinio distinguit. Vnde quia hæc diuisio potissimùm ordinatur ad explicanda Iura, præsertim pœnalia, quæ de Simonia loquuntur, ideò trimembris partitio aptior nobis est,& illa vtemur. Vt autem res ipsa constet, oportet exactè declarare illas voces,& quid vnaquæque significet,& sub se complectatur,vnde constabit,quomodo inter se distinguantur.

Archid. Redoan. *Caiet. Sylvest. Sot. Victor. Extrauag.* *Abbas.* *Redoan.* *Gomez. Nauar. Adrian.*

3. Mẽtalis Simoniæ duplex acceptio.

Mentalis ergo Simonia duobus modis accipi potest. Primò pro nudo proposito, seu desiderio interno committendi Simoniam, etiamsi in nullum actum exteriorem prodeat, quomodo in omni genere vitij, etiam ex his, quæ exteriùs consumantur, dàtur mentale vitium, seu peccatum, vt mentalis fornicatio, homicidium, &c. Non tamen sumitur in præsenti hoc modo Simonia mentalis, vt omnes supponunt, & præsertim declarant Redoan. & Nauar. Tum quia cum Simonia sit vitium de se externum, seu quod exteriùs consummatur, explicato ipso peccato externo, nihil peculiare habet propositum eius, præter ea, quæ generalia sunt mentalibus vitiis. Tum etiam quia hæc distinctio, vt dixi, potissimè datur ad explicãda Iura, & pœnas Simoniæ: hæc autem in hanc Simoniam merè mentalem cadere non possunt, quia Ecclesia de occultis non iudicat. Igitur in illa

Redoan. Nauar.

Simonia verò mentalis quæ.

diuisione diuisum esse debet Simonia aliquomodo A externa habens aliquem effectum, vel actum sensibilem, & humanum circà alterum, nam consistere debet in aliquo genere contractus, & dationis, ac receptionis. Hæc autem Simonia mentalis dicitur, quando actus exterior, qui in illa interuenit, talis est, vt in illo non statim appareat malitia Simoniæ, nec ex his, quæ circunstant actum, probari possit, fit autem praua, & Simoniaca intentione, cuius est capax. Et tunc dicitur mentalis, quia licet externum actum, vel effectum habeat; malitia tamen ipsa non exterius se prodit, sed in mente manet, sicut tactus externus de se indifferens, factus impudica intentione, dici potest mentalis impudicitia, quamuis reuera externum actum habeat. Et hæc B

Cap. *Tua nos.* explicatio sumitur ex dicto capite *Tua nos*, & vlt. de Simon. Vnde fit, vt hæc Simonia mentalis sæpe contingere possit ex parte alterius extremi, seu personæ, aliquando verò ex vtraque parte, quod cum accidit, veluti casu, & contingenter accidit, non ex conuentione contrahentium. Nam cum hæc Simonia non prodeat in actum exteriorem conuentionis mutuæ nec expressæ, nec tacitæ, non intercedit in illa mutua inductio ad prauam intentionem, seu ad voluntatem, & consensum vendendi, vel emendi rem spiritualem, sed sola traditio rei temporalis ex vna parte, & spiritualis ex altera, gratuitum animum ex vtraque parte ostendens: intentio verò praua animo retinetur, C & ideò potest talis intentio esse in vno tantùm, vel in alio; aliquando verò in vtroque, quia contingit vtrumque esse prauum, vel mentem alterius diuinare, aut suspicari, & cum illa conformari.

4. Conuentionalis Simon. quæ sit.

Conuentionalis Simonia dicitur illa, in qua fit pactum dandi spirituale pro temporali, & è conuerso, nondum tamen ad executionem perducta est per traditionem aliquam: vt citati auctores definiunt. Estq; necessarium, vt distinguatur ab aliis duobus membris, à mentali per additionem exterioris contractus, à reali per carentiam traditionis.

Caiet. Quare Caietan. in Summ. hanc vocauit mẽtalem. *Quoties* (inquit) *per pœnitentiam, impotentiam, vel* D *quamuis aliam causam recedatur à contractu, ita vt vel nulla res, vel saltem spiritualis non tradatur.* Quia ita loquitur, quia duo tantùm membra distinguit, & ideò sub mentali vult, conuentionalem comprehendi: tamen cùm de exteriori contractu constare possit, & illum possit Ecclesia punire, non dicitur propriè mentalis in ordine ad forum Ecclesiæ, vt ex citatis Iuribus apertè colligitur. Et hæc etiam dicitur exterior Simonia quodammodo imperfecta, quia nondum est consummata per rei traditionem: tamen quoad contractum de se perfecta est, licet quoad effectum, vel vsum nondum fuerit consummata, sicut de emptione, & venditione dicitur Instit. in princ. illius titul. vel sicut matrimonium ratum perfectum est quoad contractum, licet nondum fuerit consummatum. Consumma- E tio ergo huius Simoniæ est traditio rerum, de quibus facta est conuentio; An verò requiratur vtriusque traditio, vel alterius sufficiat, dicetur in puncto sequenti.

5. Realis Simoniæ quæ.

Realis ergo Simonia, addit vltrà conuentionalem traditionem rei, vel rerum, de quibus conuentio facta est, Hæc autem traditio potest esse triplex; scilicet, vel ex parte pretij tantùm, vel ex parte rei spiritualis tantùm, vel ex parte vtriusque, vt per se constat. Quando ergo ex vtraque parte facta est traditio, certum est illam esse Simoniam, maximè realem, seu conuentionalem, maximè consummatam: hæc enim duo idem sunt: Nam realis Simonia conuentionalem includit. Propter quod dicunt aliqui, non rectè distingui hæc membra, quia non distinguntur specie. Sed si ratio esset valida, etiam non esset distinguenda Simonia mentalis à conuentionali, quia non differunt specie, sicut peccata cordis, oris, & operis non distinguntur specie iuxtà doctrinam diui Thomæ 12. quæstione 72. articulo 7. ita enim comparantur inter se Simonia mentalis, & conuentionalis, vt rectè dixit Nauarrus in dicto Comment. numer. 7. & Maior in 4. d. 25. quæstione 7. in fin. Et est per se clarum, quia tota malitia exterioris Simoniæ ab interiori, & mentali prouenit. Sicut ergo illa duo rectè distinguntur, vel propter maiorem, vel minorem consummationem peccati, vel in ordine ad varios effectus morales, ita etiam propter easdem rationes rectè distinguntur conuentionalis, & realis Simonia, licet non distinguantur specie, imò potiùs se habeant, vt includens, & inclusum; sicut distingui solet matrimonium ratum, & consummatum, & similia. Atque ita sunt intelligendi aliqui Auctores, cùm has vocant tres species Simoniæ, vt interdum loquitur Nauar. suprà; vocantur enim quasi species accidentaliter distinctæ, & in ordine ad morales effectus, vt posteà videbimus.

Vgolin. Tabien. 1. c. 01. §. 1.

D. Thom. Nauar.

6. An alterius tantũ rei traditio sit Simon. realis.

Verumtamen de aliis duobus membris, scilicet quando conuentionalis Simonia per traditionem alterius rei tantùm, est consummata, dubitari potest, An sit dicenda conuentionalis, vel realis, & certè vocari posset semirealis: tamen quia Auctores non ita loquuntur, ideò oportet reducere hos modos Simoniæ ad aliquod, vel aliqua ex dictis tribus membris, præsertim cum hæc distinctio tota ordinetur ad pœnas Simoniæ explicandas. Quando ergo post conuentionalem Simoniam sola traditio pecuniæ facta est, omnes Auctores videntur in hoc cõuenire, quòd illa Simonia vocanda sit tantùm conuentionalis, & non realis, vt constat ex Caietano, & ex Nauarro suprà, & ex aliis, quos referemus infrà capit. 55. & 56. Vbi ostendemus, per hanc Simoniam nõ incurri pœnas ipso Iure latas, quæ incurruntur per Simoniam realem. Propter hoc ergo meritò hæc censetur intrà limites conuentionalis Simoniæ contineri. Et ratio etiam reddi potest, quia quandiu res, quæ venditur, non est tradita, non censetur venditio plenè consummata, quoad effectum, quia adhuc manet sub dominio venditoris, vt Iura docent. Sic ergo in præsenti venditio rei spiritualis non censetur realiter consummata, quandiù res ipsa spiritualis tradita non est. Et similiter iniuria illa, quæ fit rei sacræ per venditionem eius, non est etiam consummata, quandiù res ipsa spiritualis cum effectu non est data vel accepta, vel (vt sic dicam) Simoniacè contractata. Et ideò Iura, vt infrà videbimus, maximè explicant Simoniam perfectam per dationem, vel acceptionem Simoniacam rei spiritualis.

Traditio pecuniæ tantũ conuentionalis Simon.

Caiet. Nauar.

Propter hanc ergo causam graues Auctores contrario modo sentiũt de Simonia, quæ post pactum processit ad traditionem rei spiritualis sub promissione pretij, ante traditionem eius, putãt enim, esse Simoniam simpliciter realem, & consummatam. Quod tenent Caietan. in Summa, & in Opusculo de Simon. & Sot. dicto libr. 9. quæstione 8. articulo primo. Et hoc videntur sequi multi antiqui Canonistæ, quos dicto capit. 56. referam. Vnde definire solent Simoniam realem esse receptionem, vel largitionem rei spiritualis, præcedente

7. Traditio rei spiritualis solũ dicitur Simo. realis simpliciter.

Caiet. Sot.

Solita definitio Simoniæ realis.

cedẽte pacto promiſſionis cuiuſuis temporalitatis, A vt videre licet in Hoſtienſi, in Summ. titul. de Simon. §. Archidiac. in capit. *Quicumque* 1. quæſtione prima Redoan. 3. part. capit. 1. in princ. vbi plures alios refert. Sentiunt ergo ad Simoniam realem, neceſſariam eſſe rei ſpiritualis traditionem, & illam ſufficere, ſi promiſſio præcedat. Ratio autem reddi poteſt primò ex natura contractus venditionis: nam perficitur ſimul atque contrahentes de pretio conuenerint, quamuis nondum pretium numeratum ſit, leg. 2. ff. de contrahen. empt. & §. primo Inſtit. de empt. & vendit. Quæ tamen non cenſetur ita conſummata, quandiù res vendita tradita non eſt.

Et ratio reddi poteſt; quia propria materia illius B contractus, videtur eſſe res venalis, & quod per ſe ibi intenditur, eſt trãſlatio illius rei ab vno in aliũ, pretium autem eſt quaſi inſtrumentum ad illam mutationem faciendam, & ideò quandiù illa facta non eſt, non cenſetur venditio perducta ad effectũ: Quando verò res, quæ venditur, tradita eſt, cenſetur plenè conſummata venditio, etiamſi pretium non ſit traditum, ſi de illo ſufficiens promiſſio facta ſit. Ergo applicando hanc rationem ad Simoniam, ſi traditio rei ſpiritualis cum promiſſione temporalis facta eſt, plenè conſummata eſt venditio: Item plenè conſummata eſt irreligioſa contrectatio rei ſacræ, ergo. Secundò, ipſamet promiſſio eſt quid temporale, & quãdo fit, ſuo modo tra- C ditur, quantum poteſt, vel ſaltem datur alteri Ius quoddam temporale: eſt ergo completa Simonia realis. Et hoc modo dicunt multi, promiſſionem pecuniæ, & pecuniam pro eodem reputari quoad rationem pretij, vt videre licet in Redoano 4. p. ca. 9. in princ. & quos ipſe allegat. Tertiò, & maximè, videntur huic ſententiæ fauere: Iura, quæ explicãt hanc Simoniam ex traditione, vel acceptione rei ſpiritualis pro temporali, quocunque modo detur, vel promittatur, qui ſufficiat ad reddendam largitionem doni ſpiritualis non gratuitam, vt in cit. loco videbimus.

9. *Nauar. Vgolin.* Alia opinio negat præcedentem diſtinctionẽ. Nihilominùs Nauar. in dicto comment. & d. c. 23. nu. 105 & ſequentibus, quem ſequitur Vgolin. D Tab. 3. c. 5. & alij infrà citandi cenſent, non eſſe in hoc faciendam diſtinctionem, inter traditionẽ rei temporalis, vel ſpiritualis. Nam licet ſpiritualis data ſit, ſi pretium non ſit numeratum ſaltem ex parte, non putant ſufficere ad Simoniam realem, ſed omnem hanc comprehendunt ſub conuentionali. Ratio reddi poteſt, quia nulla differentia ſufficiens aſſignatur: Nam ſicut datur venditio credita pecunia, ita etiam dari ſolet pecunia anticipata, & vtraque eſt conſummata quoad ſubſtantiã contractus, & ſimiliter vtraque eſt mutila, ſeu imperfecta quoad executionem in alterutra parte: eſt ergo eadem ratio. Imò in c. *Intantum*, de Simon. dicitur expreſſiùs exprimere venditionis ſpeciem, qui priùs pre- E tium accipit, quam rem conferat precioſam, ergo magis videtur compleri Simonia, quando pretium antea tradetur, quam cũ priùs datur res ſpiritualis. Denique quamuis res ſpiritualis data ſit, augetur ſine dubio eius irreuerentia, quãdo poſteà pretium accipitur, ergo non eſt plenè cõſummata Simonia prauitas, donec ex vtraque parte traditio facta ſit, ergo ſola illa eſt propria Simonia realis.

Cap. *Intantum.*

10. Deciditur quæſtio. Hæc diſſenſio, ſi ſolùm reſpiciamus ad delictũ, & ad conſummationem eius, videtur eſſe tantùm de modo loquendi, ſi autem reſpiciamus ad pœnas ipſo Iure Simoniæ inflictas, ita vt per nomen Simoniæ realis, illa ſignificetur, per quam illæ pœnæ incurruntur, ſic erit quæſtio de re ſatis graui. Quod ergo ad primum ſpectat non eſt multũ de vocibus contendendum, & facilè defendi poteſt ſententia Nauar. Non videtur tamen poſſe negari, quin per traditionem rei ſpiritualis ſub promiſſione ſit magis completa Simonia, quàm per ſolam anticipatam pretij ſolutionem, vt videntur conuincere rationes, priori loco factæ. Neque contra hoc benè inducitur dictum c. *In tantum*, quia in eo non fit cõ- Cap. *In tan-* patatio inter traditionẽ anticipatã pecuniæ ſolius, *tum.* & traditionẽ ſolã anticipatã rei ſpiritualis, de qua cõparatione nunc loquimur, ſed fit cõparatio inter vẽditionẽ chriſmatis, de qua ibi eſt ſermo, quæ fit, recipiendo priùs pecuniam, vel poſteà; Et hoc modo rectè dicitur, magis exprimi venditionem, exigendo priùs pretium, quàm expectando poſteà dãdum. Quòd verò attinet ad ſecundũ punctum, non poſſumus hic rem definire vſque ad tractatum de Pœnis, vbi eam definiemus. Et ibi etiam dicemus de Simonia in permutationibus beneficiorum, quę ex altera tantùm parte completa eſt.

CAPVT XLII.

De Simonia ficta.

1. Simonia ficta quæ.

DIximus de diſtinctione inter membra præcedentis diuiſionis, nunc oportet circà eius ſufficiẽtiam duas difficultates expedire, quæ ex Simonia ficta & confidentiali oriri poſſunt; Et de priori dicemus in præſenti cap. de poſteriori verò in ſequenti. Dicitur autem Simonia ficta, quando fit exteriùs promiſſio rei temporalis pro ſpirituali, vel ſpiritualis pro temporali ſine intentione implendi promiſſum, aut ſe obligandi: hæc enim fictio intercedere poteſt in quolibet contrahentium, vel in vtroque. De hac ergo Simonia quæri poteſt, ſub quo illorum membrorum comprehendatur. Potéſtque eſſe duplex modus dicendi.

2. Vnus eſt, ſub nullo illorum comprehendi, nec propterea diuiſionem eſſe diminutam. Ratio eſt, quia illa non eſt Simonia, ſicut fictum aurum non eſt aurum, licet appareat, vel ſicut prolatio hæreſis ſine mente hæretica non eſt propriũ peccatũ hæreſis ſed alterius rationis, diuiſum autem in illa diuiſione eſt vera Simonia. Et confirmatur, quia non eſt Simonia mentalis, quia deeſt intentio vendendi vel emendi, cùm deſit intentio pretij ſoluendi, ergo nec poteſt eſſe conuentionalis, quia hæc intrinſecè ſupponit mentalem, & conſequenter nec realis erit, quia hæc ſupponit cæteras. Deniq; nullus contractus factus ſine intẽtione, & cõſenſu interno verus contractus eſt, neque in genere, neque in ſua ſpecie, vt patet de matrimonio facto ſine cõſenſu; & de voto, aut profeſſione, facta ſine intẽtione vouendi. Ergo ſimiliter in præſenti cũ illa fictione non fit verus contractus, & conſequenter nec vera Simonia. Quæ ratio probat ad hãc fictionem ſufficere quòd ex alterutra parte intercedat fictio, vt in matrimonio ſufficit defectus cõſenſus in vno coniuge, vt totum matrimonium fictum, & nullum ſit, quia pendet ab vtroq; & à ſingulis, & ideò licet qui bona fide contrahit, poſſit dici in affectu ſuo non fictè contrahere, quia putat, ſe conſentire in verum matrimonium, tamen in re ipſa non conſentit, niſi in fictum: ita ergo cum proportione in præſenti licet alter paciſcentium Simoniacè, ſi habeat intentionem implẽdi promiſſum, veram culpam Simoniæ committat quoad affectum, & mentem, tamen in re non exequitur veram Simoniam externam, de qua tractamus, ſed tantùm apparentem. & putatam. Hæc eſt opinio Caiet. to. 1. Opuſc. *Caiet.* tract. 9. q. 2. quem ſequuntur Sot. lib. 9. q. 8. artic. 1. *Sot.*

Tolet. Petrus Naua.

Tolet. in Instruct. lib. 5. c. 90. num. 4. Petrus Nauar. lib. 2. de Restit. cap. 4. n. 1. Qui consequenter aiunt, per hanc Simoniam non incurri pœnas contra Simoniam latas ipso iure, quia non cadunt, nisi in verum delictum talis speciei, sicut qui transibrans idola externus sine intentione colendi, non incurrit pœnas hæreticorum.

Dici potest Simonia ficta esse vera Simonia iuxta sentẽtiam Nauar.

5. Secundus modus dicendi est, illam esse veram Simoniam, & comprehendi in illa diffinitione sub Simonia conuentionali, quam tenet Nauarrus in Comment. ad caput vltim. de Simon. numer. 10. dicto cap. 23. numer. 106. §. *Ad tertium*. Ratio eius est, quia licet promissio fuerit ficto animo facta, nihilominus communicatio rei spiritualis pro temporali fuit vera: & quamuis circa vnum pretium (vt sic dicam) intercesserit fictio, & ideò respectu illius sit tantum ficta emptio, & venditio; nihilominus consideratis ibi potest aliud pretium, seu aliquid temporale datum pro re spirituali, ratione cuius intercedit ibi vera Simonia. Declaratur hoc vltimum, quia illa actio promittendi, etiã si facta sit, est vera actio realis, & temporale quid, & potest censeri pretio æstimabilis: nam reuera qui sic promittit etiã fictè, aliquid facit valdè onerosum, & non paucis periculis expositum, sub qua ratione æstimabile pretio est: per hoc autem temporale intendit consequi beneficium, quod ad Simoniam veram sufficit, ergo est illa vera Simonia: nam licet ex vna parte intercedat fictio, ex alia intercedit veritas, & realitas (vt sic dicam) Et potest cõfirmari hæc Nauarri sententia. Nam si quis promitteret centum aureos pro beneficio, intentione tradendi illos fictos ex aurichalco, veram Simoniam conuentionalem committeret, & si re ipsa solueret illos fictos aureos, consummaretur Simonia realis, quia reuera datur, & recipitur aliquid temporale pro spirituali, etiamsi temporale non sit tale, quale à recipiẽte putatur; hoc enim necessariũ non est ad veram Simoniam, nam in quocũque vili pretio committitur, vt supra dictũ est, ergo similiter qui confert verba promissoria per instrumentum promissionis animo non implendi, aliquid temporale confert pro spirituali, quod satis est ad veram Simoniam. Et confirmatur secundò: Nam illa largitio, vel acceptio rei spiritualis non est gratuita, sed sub onere promittendi, quod licet exterius tantùm fiat, onerosum est, vt dicebam, & si vnus ab alio peteret, vt pro se exterius obligaret licet fictè, posset sine iniustitia pro tali exteriori facto, & obligatione pecunia postulari; sed datio, & acceptio rei spiritualis non gratuita est vera Simonia; ergo. Tandem confirmatur, quia qui per fictas laudes, vel alia falsa signa honoris tanquam per pretium obtinet beneficium, veram Simoniam committit, vt suprà dictum est, ergo idem est in præsenti: nam videtur eadem proportio. Addit nihilominùs Nauarrus, hanc Simoniam non sufficere ad pœnas ipso iure latas incurrendas, ex alio principio, quod illæ non incurruntur, nisi per realem Simoniam ex vtraque parte completam; hæc autem non completur ex vtraque parte, cum pecunia non tradatur.

Confirmatur 1.

Confirmatur 2.

4. Resolutio.

In hac re duo videntur mihi certa, & tertium esse aliquo modo dubitabile. Primò ergo quando fictio intercedit ex parte eius, qui daturus est rem spiritualem, sine dubio nulla committitur vera Simonia externa, sed tantùm fictio, & mendacium illius. Probatur, quia ille, qui sic promittit fictè rem spiritualem, nullo modo intendit dare rem spiritualem pro temporali, neque ad id se obligare, & consequenter neque habet animum faciendi verum pactum, ergo neque in mente committit veram Simoniam, neque exterius veram conuentionem Simoniacam. Et hoc ex dictis conuincunt argumenta facta pro primo Caso. Ille ergo tantùm peccat mendacio permultoso, scandaloso, & sacrilego, quia in mutuam fraudem sacris in illis abutendo. Haberet etiam iustitiam, & rapinam committere, si mendacium illum quo peduniam ab altero oppressit promittendi ex parte sua non impleret. Ex parte verò alterius, qui mutuo promittit temporale vero animo implendi, mentitur quidem vera Simoniam non committit ab vtraque tamen tali fundata in falsa existimatione de mutua intentione alterius, tamen actio exterior vtrobique illo sit, etiam non est vera Simonia conuentionalis, ipsa ratio id putat, quia vera conuentio non potest esse ex vna parte fictum, vt etiam probant rationes factæ circa primam opinionem. Hinc secundò patet, quando fictio intercedit ex vtraque parte, nullam veram Simoniam committi, quia si defectus intentionis in vno contrahentium sufficit ad impedendam Simoniam, multo magis id vtroque in illo quo tunc in nullo eorum contrahentium qui vera Simonia mentalis, vel fortasse ex conscientia tenetur, & per modum scandali, quatenus vterque existimat decipere alium, & inducere illum ad veram Simoniam committendam, tamen directe neuter intendit facere veram Simoniam, ergo neque actus exterior potest esse vera Simonia conuentionalis, aut realis.

Cum fictio est ex vtraque parte, non datur vera Sim.

Dico tertiò: licet opinio Nauarri non careat omni specie probabilitatis, nihilominùs vera sententia est, quamuis fictio intercedat tantum ex parte promittentis pecuniam, illam non fore Simoniam conuentionalem, nec per illam fuisse incurredas pœnas ipso iure latas, etiamsi contra Simoniam conuentionalem, vel ex altera tantum parte completam, latæ essent, vt de facto est, multorũ opinio. Probatur ratione facta, quia ibi non intercenit vera contentio, neque emptio, aut venditio. Nec satisfacit quod Nauarrus ponderet, distinguendo inter emptionem, & venditionem, & promissionem spiritualis pro temporali, hæc enim duo in præsenti materia videntur conuerti, vel potius se habere tanquam definitio, & definitum, vt constat ex dictis suprà in definitione Simoniæ: si ergo ibi non intercenit emptio ex defectu intentionis, nec vera comutatio, aut pactio dandi spirituale pro temporali intercenire potest. Et explicatur, nam licet ille deceptor intendat, mediante illa promissione falsa, obtinere beneficium, non tamen intendit dare ipsam met promissionem vt pretium beneficij, sed solum fictè offerre id, quod alter putat esse futurum pretium. Vnde etiam alter non intendit dare beneficium pro promissione, sed pro re promissa, & promissio tunc se habet tanquam conditio conferens certitudinem de pretio: ergo licet illa promissio aliquid temporale sit, non satis est ad Simoniam veram, nam etiam preces sunt aliquid temporale, non sufficiunt ad Simoniam, quia non offeruntur vt pretium, ita ergo illa promissio non offertur in pretium. Et cõfirmatur ad hominẽ, contra Nauarrũ, nam quãdo promissio est vera, nõ potest illa promissio dici pars pretij, alioquin eo ipso quod daretur beneficium in virtute promissionis, esset Simonia realis ex vtraq; parte cõpleta, quia iã esset soluta pars pretij quod sufficit ad cõplementũ Simoniæ realis, vt ipse Nauarrus aliàs fatetur, cum tamen neget, promissionem etiam veram sufficere, non ergo pars pretij secundum illum, ergo multò

5. Si fictio sit tantùm ex parte promittentis pecuniam non erit etiã vera Simon.

Non est hæc in rigore Simonia cum se habet ex parte dantis spirituale.

minùs

minùs promissio ficta potest dici pretium, aut pars pretij, ergo non datur beneficium pro illa tanquam pro pretio, ergo non committitur vera Simonia, etiam siquis vtatur illo medio tanquam via (vt sic dicam) seu praua industria ad obtinendum beneficium, quia hoc non pertinet ad commutationem vnius pro alio. Est ergo illud graue peccatum iniustæ deceptionis, scandali, vel cooperationis ad Simoniam mentalem alterius, & in foro exteriori puniri poterit per iudicem, & propter dictas malitias, & propter præsumptam Simoniam; directè autem, & propriè non est vera Simonia.

6. Rationes pro Nauarro soluuntur.

Fundamentum ergo Nauarri ex dictis solutum est. Exemplum autem adductum in prima confirmatione, non est simile, quia in illo interuenit vera intentio soluendi saltem aliquid pretij, quod licet sit quid minimum, & vile respectu pretij commissi, sufficit ad veram Simoniam. Ad secundam verò confirmationem respondetur, collationem beneficij ex parte recipiẽtis accipi reuera vt gratuitam, quia non habet animum aliquid soluendi pro beneficio, ex parte verò dantis non est gratuita ex vi intentionis eius, procedit tamen ex falsa existimatione, & ideò in re ipsa non constituit veram conuentionalem actionem, nec largitionem ex illa procedentem, sed tantùm existimatam. Vltima verò confirmatio, ex dictis expedita est.

CAPVT XLIII.

De Simonia confidentiali.

1. HÆc est secunda difficultas circa superiorem diuisionem; nam hæc Simonia, quæ confidentialis dicitur, vera Simonia est, vt omnes Doctores supponunt, & constat ex Constitutionibus Pij IV. Pij V. & Sixti V. contrà illam; tamen sub illa diuisione non comprehenditur, vt videtur etiam clarum, quia numeratur vt specialis, & proprios habet, ac peculiares effectus, vt infrà videbimus. Hæc verò difficultas facilè expedietur, declarando terminos, & qualis sit hæc Simonia, & quibus modis committatur; ad hunc enim finem difficultatem hanc proponimus: est enim necessarium hæc præmittere, vt ad pœnas, vel obligationes, quæ Simoniam consequuntur, explicandas, via sit expedita.

2. Vbi hæc Simonia reperiatur.

Simonia ergo confidentialis specialiter inuenitur in renunciationibus, aut collationibus beneficiorum: estque Iure humano introducta, vt patebit. Committitur ergò hæc Simonia vel à priuatis renunciantibus vel à prouidentibus aliquo modo beneficia, & ab illis, qui tali modo illa recipiunt. A priuato habẽte beneficium, committitur, quando renunciat beneficium in fauorem alterius cum certa confidentia, quòd ille postea renunciabit illud conuenienti tempore, vel eidem renuncianti, vel in fauorem alterius tertij, vt nepotis, aut filij primi renunciantis, quando renuncians intendit, vt ad se redeat beneficium, solet vocari confidentia regressus, quia facta resignatione beneficij, retinetur quasi Ius quoddam regrediendi ad illud. Ingressus autem vocatur, quando habens beneficium sibi iam collatum, & nondum possessum illud alteri renunciat, reseruando per similem confidentiam simile Ius ingrediendi postea in possessionem eius, facta sibi alio renunciante in certa condicta occasione, vel conditione.

Confidentia regressus. Confidentia ingressus.

3. A prouisoribus autem beneficiorum, vel ab his, qui ad prouisionem aliquo modo concurrunt, vt præsentando, nominando, eligendo, conferendo, commendando, &c. committitur hæc Simonia, quando aliquam ex his actionibus faciunt cum eâdem confidentia, quòd ille, quem eligunt, præsentant, confirmant, instituunt, vel cui conferunt, aut commendant, posteà illud renunciabit, aut dimittet aliquomodo in alterius fauorem, vel fructus eius, aut partem eorum illi persoluet. Et quia sæpè fieri solebat hæc Simoniaca confidentia: vt Prælatorum consanguinei, (qui fortasse propter defectum ætatis, vel aliud simile erant incapaces beneficij eo tempore, quo vacabat, vel conferendum erat) obtinere tandem illud possent per accessum (vt vocant) ad beneficium; ideò specialiter in dictis Bullis damnantur isti accessus, idest, collationes beneficiorum sub hac confidentia factæ, vt postquam alij peruenerint ad congruam ætatem, ad talia beneficia quasi Iure suo accedant, & alij illa dimittãt: hoc enim prohibitum est fieri, nisi Pontificis Summi auctoritate, & si aliter fiat, Simonia est ex vi Iuris communis prohibentis omnia pacta, conditiones, & modos huiusmodi in beneficiis conferendis, & specialiter est Simonia confidentialis per dicta Iura Piorum. Hæ namque confidentiæ censentur Ecclesiæ valdè nociuæ propter imaginem hæreditariæ successionis, quam præ se ferunt, vt dicitur in Concil. Thrid. sess. 25. ca. 7. de Reform. & ideò meritò prohibentur fieri, & si per Simoniam fiant, specialiter puniuntur. *Concil. Trid.*

4. Materia huius Simon.

Ex his intelligitur 1. materiam huius Simoniæ esse tantùm beneficia Ecclesiastica, quæ in Bullis vocantur, *Ecclesiæ, Monasteria, & alia huiusmodi Ecclesiastica beneficia.* Vt significetur, omnia beneficia, cuiuscunque ordinis sint, simplicia, aut curata, maiora, aut minora, regularia, aut secularia sub hac materia comprehendi. Dubitari verò potest de pensionibus, an possint esse materia huius Simoniæ. Videtur enim posse in eo casu, in quo habens pensionem cum facultate illam transferendi in alium, id facit, confidendo, quòd fructus eius, vel partem eorum sibi semper donabit. Hæc enim Simonia est, quia, vt suprà dixi etiam pẽsio est materia Simoniæ, & ibi cum pacto illicito datur sub confidentia, est ergo confidentialis. Dico tamen, non dici Simoniam confidentialem omnem illam, quæ per confidentiam illicitam fit, sed illam, quæ specialiter punitur in illis Bullis: & sic assero, pensionem non esse materiã Simoniæ confidentialis. Tum quia in dictis Bullis non nominantur sub hac materia in particulari pensiones, nec sub generalibus verbis beneficiorum comprehenduntur, præsertim in materia odiosa. Tum etiã quia pensiones ex natura sua non renunciantur in fauorẽ alterius, nec per collationem, aut canonicam institutionẽ conferuntur, de quibus actionibus tantùm ibi fermo est, quòd autem interdum ex priuilegio possit pensio transferri in alium, singulare est, & extraordinarium, & ad finem illarum legum parùm referebat, & ideò hæc materia non est ibi comprehensa, neque illius habita est ratio. Vnde à fortiori constat, alias res, vel actiones spirituales non esse comprehensas sub hac materia, etiamsi possint sub aliqua illicita, vel Simoniaca cõfidentia tribui, quia non cõtinentur in illis Iuribus. Denique hinc etiam obiter colligatur, quod suprà dicebam, hanc Simoniam, vt talis est, de Iure positiuo esse, quia solùm denominatur talis, quatenus per tales leges sub talibus pœnis prohibita est, vt verò Simonia est, regulariter est contra commune Ius canonicum, quatenus prohibet omnia pacta in beneficialibus, etiam inter spiritualia, si autem confidentia extendatur ad commutationem spiritualis pro

An pensiones sint materia huius Simoniæ.

Resoluitur negatiuè.

Hæc Simonia spectat ad Ius positiuum.

re merè temporali,erit contra diuinum Ius,vt constat.

5. Quale pretium possit hic intervenire.

Secundò, intelligitur ex dictis, quale sit quasi pretium; quod in hac Simonia interuenire potest, & debet, vt talis sit. Duplex enim tantùm esse potest: Vnum,&idem beneficium,quod renunciatur, vel confertur vt eidem renuncianti, vel conferenti, vel alteri reddendum, & quasi restituendum: Aliud est fructus eiusdem beneficij, vel pensio, seu pars eorum, eisdem conferenda, quando enim de his confidentia interuenit, est propria Simonia confidentialis, si verò de aliis rebus etiam merè temporalibus, vel spiritualibus reddendis, vel renunciandis confidentia illicita interueniat, non erit Simonia confidentialis, etiamsi aliàs Simonia sit. Ratio non est alia, nisi quia pœnæ illorum Iurium non imponuntur, nisi in hoc genere confidentiæ,& quasi pretij, vnde licet aliquis renunciet in alium, beneficium suum,confidens illum daturum alteri tertio beneficium aliud, quod ipse possidet,erit quædam Simoniaca permutatio reciproca, vel triangularis, non tamen erit confidentialis. Et differentiæ ratio videtur cõsistere in hoc, quòd Simonia cõfidentialis specialiter prohibetur,propter renunciationes beneficiorum, vt veræ, integræ, ac perpetuæ sint, ad euitandas infinitas fraudes, & imaginem successionis hæreditariæ, quæ per illas introducebantur, quasi transmittendo beneficium per vnum ad alios, vel cognatos, vel inhabiles, vel defraudando cameram Apostolicam, vel retinendo fructus beneficij in statu inhabili ad ipsum beneficium, & similia, quæ in dictis Bullis latè explicantur. Hæc autẽ incommoda non sequuntur, quando renunciatio beneficij verè, & integrè, ac perpetuò fit sine confidentia, quæ circa ipsummet beneficium, vel fructus eius versetur;& ideò confidentia aliarum rerum, vel donorum, ad hanc particularem Simoniam non spectat. Vnde obiter noto,rectè quidem dixisse Nauar. d.c.23.n. 109.in fin. per Bullas Piorum non esse prohibitas, nisi confidentias illicitas, & Simoniacas: sed potuisset etiam addere non omnes Simoniacas confidentias, sed illas, quæ circa talem materiam, & sub tali quasi pretio herent, vt ex puncto sequenti patebit,etiam ex sententia eiusdem Nauarri.

Nauar.

6. Dubium circa pensiones.

Sed circa pensionem, seu fructus, occurrit speciale dubium, quia solet constitui differentia inter ipsum beneficium & pensionem: quod in beneficio sufficit ad confidentialem Simoniam,quòd Ius recuperandi illud tibi, vel alteri reserues. De pensione verò secùs censetur,nam si alteri reserues,illo modo erit Simonia confidentialis, si verò tibi renuncianti, vel conferenti beneficium, soluenda sit pensio, erit quidem Simonia,sed non confidentialis. Differentia hæc fundatur in verbis Pij V. nam de beneficio dicit, *Eidem dimittenti, vel alteri*; de pensionibus verò ait,*alij,vel aliis concedantur*.Ex qua mutatione verborum colligi videtur, quòd si pensio soluenda sit eidem dimittenti, non sit Simonia confidentialis. sed solùm quando alij, vel aliis designatur quia verba legis rigorosæ non sunt extendenda, & quia non sine causa facta est illa mutatio locutionis. Atque ita sensit Nauar. Conf.33. num.4.& Conf.76.de Simonia,n.6.quem sequitur Vgolin.Tab.1.c.22.§.1.n.8.

Nauar. Vgolin.

7. Resolutio.

Nihilominùs contrarium censeo verum. Primò,quia vt idem Nauarrus docet in Man.d.ca.23. num. 119. Pius V. de eadem omninò confidentia disponit, de qua Pius IV. vt tàm ex proœmio, quàm ex contextu colligitur, non ergo coarctat illam; at Pius IV. loquitur clarè de pensionibus eidem reseruatis, ibi: *Ac sibi pensiones annuas,ac fructus, &c.* Secundò quia Pius V. post illa verba sic habet, *Siue vt de eo prouisus fructus illius,vel partem ad vtilitatem, vel libitum conferentis, vel cedentis, aut alterius relinquat, & remittat, seu pensionem illi, vel illis, quem, vel quos idem collator, aut cedens, vel alius, &c. iusserit.* Tertiò quia priora verba, *alij, vel aliis*, non debent intelligi respectu conferentis, vel renunciantis, sed respectu accipientis, beneficium cum confidentiali onere soluendi pensionem alij, vel aliis; renuncians autem etiam est alius ab accipiente beneficium; ergo etiam comprehenditur sub illo relatiuo,imò singulare videtur pro illo positum, & plurale pro aliis. Et ita in re non est mutatio in sermone, sed ne repeterentur illa verba longiora,*Eidem dimittenti,vel alteri*,breuiùs dictum est; *alij, vel aliis.* Assumptum constat ex contextu: sic enim habet. *Statuimus, vt siquis quacunque auctoritate, &c. Ex resignatione, vel cessione cuiuscunque personæ, &c. receperit, vt illa, &c. vel eorum fructus, aut pars alij, vel aliis.* Loquitur ergo de accipiente, & aliis ab ipso;renunciantem autem esse alium nemo negabit.

8.

Quartò, quia nulla probabilis ratio reddi potest alterius dispositionis, aut varietatis maximè cùm frequentius sit facere reseruationem fructuũ confidentialem pro ipsismet resignantibus, quam aliis; & ideò magis pernicioſum sit illud tolerare. Sed ait Nauarrus, quòd *Dare, vel promittere eidem renuncianti fructus, aut pensionem arguit Simoniam,sed non confidentiam, sicut dare, vel promittere fructus alij, vel alis. Quia hoc arguit, quòd resignans confidit resignatario, & conuenit cum eo, vt daret illi.* Hoc autem non video,qua ratione dictum sit. Cur enim dare, vel promittere alteri, arguit, quòd resignans conuenit cum resignatario, vt daret illi, & n det ipsi resignanti, non arguit, quòd ipsemet conuenit cum resignatario, vt daret sibi? Profecto non video, nec etiam video, cur in hoc posteriori casu magis indicet Simoniam,quàm confidentiam,imò non video, quomodo possit arguere Simoniam, nisi arguat confidentiam. Nisi forte sensus prioris partis sit,quòd non arguit Simoniam illa lege prohibitam, & hoc est petere principium, stando in ratione; nam ex verbis legis ostensum est, id non colligi. Et ita idem Nauar. Constitut. 78. fatetur ex simili solutione pensionis facta idem cedenti, præsumi talem confidentiam,& ibidem,& constitutio. 75. docet, contineri sub prohibitione Pij V. Et licet in scholio dicatur, varietatem hanc in resolutione Nauarri ortam fuisse ex varia lectione verborum Pij V. Nihilominùs hæc posterior resolutio mihi verior videtur, etiam stantibus verbis, prout nunc leguntur. Et hoc intelligo in rigore illius Iuris; si autem consuetudine aliud receptum est (vt ferunt,mihi enim non constat) potuit contra humanam legem prævalere, vel ita illam interpretari.

9.

Tertiò, intelligitur ex dictis, in quibus actionibus hæc confidentia committi possit, nimirum in renunciationibus, & prouisionibus beneficiorum factis, & in acceptionibus beneficiorum, quæ per illas dantur cum aliquo pacto, tacito,vel expresso, quod illam confidentiam includat. Primum patet ex eisdem Iuribus, nam de his tantùm actionibus loquuntur, & sub prouisionibus numerant præsentationes, collationes, & similes actiones,& addunt verba vniuersalia, quæ omnes alias comprehendunt. Quòd verò pactum requiratur, ex generali ratione Simoniæ supponitur, quia ibi (vt Nauar. notauit, ex verbis Pij IV. constat) non fit

noua

noua probatio, sed antiqua qualificatur, vt sic dixerim: antea verò in tantum erat in hoc aliqua prohibitio, in quantum omnis pactio, modus, & conditio in hac materia prohibita erat; & ita etiam expressit Pius V. in verbis statim referendis.

10. Dubium suboritur.

Dubitari verò potest, An similis confidentia commissa in permutationibus beneficiorum, constituat Simoniam confidentialem. Videtur enim committi, quia Pontifices loquuntur verbis valdè generalibus: *De beneficiis in suum fauorem resignatis, cessis, vel aliàs dimissis.* Sed in permutatione includitur duplex renunciatio in fauorem permutantium, & possunt eodem modo pacisci de dissoluenda iterùm permutatione, & regrediendi ad priora beneficia, si hæc, vel illa occasio occurrat, vel de resignandis iterùm beneficiis in fauorem nepotum, vel aliorum, vel de reseruandis fructibus, aut parte eorum, sibi, vel aliis; ergo & verba illorum Decretorum propriè cadunt in talem confidentiam, & in ea reperitur eadem ratio prohibitionis, & punitionis.

11. Solvitur dubium.

Nihilominùs probabilius iudico non comprehendi. Quia lex est pœnalis, & non est extendenda, in illa autem tota, nulla fit mentio de permutationibus, sed Pius IV. semper loquitur de accipientibus beneficia sub huiusmodi confidentia à collatoribus, vel renunciantibus, & Pius V. Expresè loquitur *de accipientibus ex resignatione, vel cessione, &c.* aut: *Si Ordinarius, vel alius collator contulerit, vel conferat beneficium quouis modo vacans, ea conditione tacita, vel expressa, &c.* Nomine autem *resignationis*, aut *cessionis*, nō intelligitur permutatio iuxtà communem modum loquendi Iurium, & Iuristarum, quia licet in permutatione resignentur beneficia, non tamen simpliciter, sed per aliud genus contractus. Et præterea illæ resignationes simplices in fauorem tertij, multò magis odiosæ sunt, vt ex suprà dictis patet, incommoda etiam, quę ex his confidentiis sequuntur, & mouerunt prædictos Pontifices, non ita habent locum in permutationibus, sicut in aliis resignationibus, & cessionibus beneficiorū, & ideò non est illa prohibitio extendenda, Quod etiam sensit Nauar. conſ. 77. de Simon. Hoc autem intelligo quoad permutantes inter se, si per aliquam conuentionem similis confidentiæ delinquant, quia non credo incurrere in illos Canones: & hoc modo dico, non committere confidentialē Simoniam, sed communem. Secùs verò censeo de Episcopo, seu collatore talium beneficiorum: nam si ille cum aliquo ex permutantibus, vel cum vtroque conueniret sub confidentia, de fructibus, vel parte eorum sibi, vel alteri reddenda, propter admissam permutationem, vel collationem factam, crediderim, committi Simoniam confidentialem, quia verba Pij V. quoad collatores, sunt valdè vniuersalia de beneficiis quouis modo vacantibus, eorúmque collatione, per permutationem autem reuera vacant beneficia, & conferuntur de nouo, ergo etiam illa collatio ibi comprehenditur.

12. Simonia confidentialis non facit quartū membrum in generali Simonia.

Quartò, intelligitur ex dictis propter hanc veluti speciem Simoniæ (sic enim illam appellat Pius IV.) non augeri trimembrem diuisionem suprà positam, sed omnes illos tres modos Simoniæ hîc posse reperiri, & ita illam esse generalem diuisionem, quæ in singulis speciebus, seu materiis Simoniæ inueniri potest. Declaratur autem breuiter in præsenti: quia si nulla pactio tacita, vel expressa intercedat exteriùs inter resignantem, & resignatarium, vel collatorem; interiùs verò sit praua intentio, poterit committi Simonia tantùm mentalis in hac specie. Vt autem intentio sit praua in hac specie non est satis, quod resignans speret, resignatarium fore gratum subueniendo consanguineis resignantis, vel per partem fructuum, vel per beneficium; nam si hoc tantùm intercedat, & speret vt beneficium gratuitum, & sine obligatione, quam intendat imponere, vel nullum erit peccatum si intentio sit de re per se non mala, vel si sit de re iniusta, vt de dando beneficio indigno, erit aliàs illicita, non tamen Simoniaca, nec in illis Iuribus comprehensa, vt benè Nauarrus dicto capite vigesimo tertio notauit, & sequitur Vgolinus suprà. Et est clarum ex generali regula Simoniæ suprà declarata, quæ quoad hanc partem non extenditur in illis Bullis, quia tantùm prohibent aliàs illicita, & Simoniaca, vt cum Nauarro etiam diximus. Tunc ergo erit mētalis talis Simonia quando confidentia interna fuerit cum intentione imponendi alteri obligationem, & quòd ipse illam intelligat ex vi beneficij in eum collati absque exteriori significatione. Hæc tamen non dicetur propriè confidentialis Simonia, quia non damnatur specialiter, nec punitur in prædictis Bullis. Erit autem conuentionalis tantùm hæc Simonia, quando pactum confidentiæ expressum, vel tacitum exteriùs est sufficienter significatum, nondum verò executio facta est. Hoc per se constat, & sumitur ex Nauarr. conſ. 31. & 32. de Sim. Realis autem erit hæc Simonia, quando pactum expressum, vel tacitum fuerit ex vtraque parte completum; si verò solùm cœptum fuerit compleri, quia nimirum iam renunciatio beneficij facta est, & beneficium in confidentiam receptum, nondum verò effectus confidentiæ ad executionem peruenit, tunc eadem quæstio est in hac Simonia, quæ in aliis, An conuentionalis tantùm, vel realis, aut semirealis dicenda sit.

Nauar. *Vgolin.* *Nauar.*

Verumtamen hoc est singulare in hac Simonia, vt in ordine ad eius pœnas nihil referat hæc dissensio. Et ideò breuiter hîc annotabimus eius pœnas, vt possimus posteà generaliter loqui, & ad hanc Simoniam, vel exceptionem non ampliùs reuerti. Igitur Pius IV. quoad Episcopos, & omnes Superiores Prælatos pœnam interdicti ab ingressu Ecclesiæ posuit; quoad inferiores verò, pœnam ponit excommunicationis latæ sententiæ Pontifici reseruatam. Secundò resignationem, & collationem beneficij, in quo commissa est talis Simonia, annullat, & inhabilitatem inducit ad idem beneficium, & ad omnia inde secuta. Tertiò priuat omnibus beneficiis, & pensionibus anteà obtentis, & inhabilitatem inducit ad quæcumque alia obtinenda. Quartò, talia beneficia, in quibus hæc Simonia committitur, reseruantur Sedi Apostolicæ, ita vt ab inferioribus validè conferri non possint, & similiter fructus eorum malè percepti Cameræ Apostolicæ applicantur. Circa quas pœnas nihil specialiter occurrit annotandum; nam omnes incurruntur ipso facto, & eodem modo, quantum apparet, ex rigore verborum: nihilominùs tamen pœna priuationis beneficiorum priùs legitimè obtentorum non censetur ita incurri ipso facto, vt teneatur quis se ipsum spoliare suis beneficiis, donec condemnetur, saltem per sententiam declaratoriā criminis, nam iuxta regulam generalem, & communiter receptam quando aliquis per pœnam priuatur re sua, non obligatur ad executionem ante sententiam, aliæ verò pœnæ censurarum, aut inhabilitatum statim incipiunt habere effectum suum. Nam licet idem fortasse sit verbum legis dicentis *ipso Iure*, vel, *ipso facto*, accommodatur pœnæ secundùm capacitatem eius.

13. Pœnæ Simoniæ confidentialis.

14. Ad incurrendum has pœnas non opus est Simonia vtrinque completa. Nauar.

In hac ergo Simonia certum est, ad incurrendas has pœnas non esse necessarium, Simoniam esse ex vtraque parte completam, sed eò ipso quòd beneficium ab vno est datum, & ab alio receptum in confidentiam, ab vtroque incurri prædictas pœnas. Et hoc sensu dixit Nauarrus dicto capite 23. num. 110. ver. *Secundo nota.* Simoniam conuentionalem confidentiæ, esse peiorem (vtique quoad pœnas) quàm omnem aliam, & ideò dixi, in hac Simonia parùm referre illam sic inchoatam quoad executionem vocare realem, vel conuentionalem. Et fortasse meliùs vocabitur realis, ne quis putet, per hanc Simoniam confidentialem, & purè conuentionalem pœnas incurri, quod verum non est, quia nullibi declaratum est, imò ex Bulla colligitur necessarium esse, vt beneficium sit in confidentiam acceptum; oportet ergo, vt sit aliquo modo realis. Nec mirandum est, Simoniam hanc, licet fortasse non sit omnium grauissima, nihilominùs grauioribus pœnis, & modo magis rigoroso, latis affici; nam id fieri potuit, vel propter maiorem corruptelam in hoc genere Simoniæ, vel quia latentiori modo committitur, & ideò difficiliùs potest per iudices puniri. Et hoc est animaduertendum, ne ex his quæ sunt singularia in hac Simonia sumantur argumenta ad alia, quæ per alias leges, vel generales, vel proprias regulanda sunt, vt posteà videbimus.

15. Nauarrus explicatur.

Ex quibus tandem colligo, quomodo accipiendum sit, quod Nauarrus d.n.110. §. *Adde nouem*, circa hanc Simoniam adiungit, scilicet, *quod mediator confidentiæ vetitæ à præfatis Piis ipso facto est excommunicatus.* Hæc enim extensio non habetur in prædictis Bullis, neque ex vi illarum fieri posset. Non est ergo illa excommunicatio lata à Pio IV. Oportet ergo, vt intelligatur de excommunicatione lata à Paulo II. in Extrauag. 2. de Sim. Vbi excommunicat mediatores Simoniæ in beneficio; quia ergo Simonia confidentialiter prohibita à Pio, Simonia est beneficialis, ideò mediator eius contra legem Pauli delinquit, eiúsque excommunicationem incurrit, ita enim colligit expressè Nauar. In qua collectione supponit, Simoniam, quæ talis est, solùm ex prohibitione Ecclesiæ, si sit circa beneficium, sufficere ad censurã illius Extrauagantis incurrendam, quod non omnes admittunt, ego autẽ verum esse existimo, vt infrà tractabo: & ita etiam veram esse censeo hanc sententiam Nauarri. Aduerto tamen, illam censuram Pauli non incurri, nisi per Simoniam realem vtrinque completam, & ideò mediatores in confidentiali etiam, non incurrent illam, donec confidentia vtrinque compleatur, quia vt dixi, non puniuntur per leges Piorum, sed per legem Pauli, & in illa non sunt peioris conditionis mediatores, quàm contrahentes, vt per se constat.

CAPVT XLIIII.

An sufficiat ad mentalem Simoniam principaliter intendere temporale, medio spirituali, vel quæ intentio necessaria sit?

1. EXplicata trimembri diuisione, eiúsque sufficientia, de singulis membris aliqua dicenda sunt, quibus, & illa magis explicentur, & nonnullæ graues quæstiones expediantur: Circa mentalem ergo, quoniam præcipuè in actu interiori cõsistit, vt imperante aliquem exteriorem, oportet exponere, quodnam internum propositum requiratur ad hanc Simoniam, & quod obiectum habeat, & maximè declarare necesse est, sub qua ratione debeat in illud tendere, vt propositum Simoniacum sit, ac subinde Simoniam mentalem contineat. Nam incipiendo à materiali obiecto, clarum est, debere esse donationem aliquam rei spiritualis, vel operationem spiritualem cum aliqua habitudine ad acquirendam aliquam rem temporalem, mediante illa, vel è conuerso largitionem aliquam temporalem vt relatam ad aliquid spirituale obtinendum. Loquor autem semper de spirituali, & temporali, vel secundùm naturam rei in Simonia contra Ius diuinum, vel secundùm æstimationem, & prohibitionem Ecclesiæ in Simonia contra Ius humanum. Sic ergo constat, necessarium esse vt in obiecto Simoniæ mentalis, illa duo intercedant cum aliqua habitudine inter se, quoniam aliàs non intercederet ibi materia Simoniæ, vt ex dictis manifestum est. Ex quo etiam colligitur, necessariam esse intentionẽ accipiendi spirituale, medio temporali; vel è conuerso, quia verò talis intentio non semper sufficit ad Simoniam, vt ex dictis in capit. 30. constare potest, & ex dicendis clariùs fiet, ideò explicandum proponimus, qualis debeat esse hæc intentio, vel qualis habitudo intenta inter illas duas res, vt mentalis Simonia committatur.

Dubiũ mentalis Simon.

Ratio autem dubitandi est, quia sæpissimè legimus apud auctores tàm Theologos, quàm Canonistas, Simoniam mentalem committi, quoties per spiritualem actionem, vel dationem principaliter intenditur acquisitio alicuius commodi temporalis, vel è conuerso, quando temporale datur principali intentione ad acquirendum aliquid spirituale, mediãte illo. Itaq; tenet Glossa in capite vnico de Cler. non resident. in 6. ver. *Recepent*, & loquitur in particulari de Canonicis, qui principali intentione ad Chorum eunt propter distributionẽ, & idem est de quocunque recitante officium, vel dicente Missam, principali intentione propter stipendium. Sumpsit illam opinionem Glossa, & Hostiens. in ca. *Olim*. de verborum significat. num. 2. & eam secuti sunt alij Canonistæ in cap. *Suam*, de Simonia. Vbi Panormitanus, Felinus, & reliqui, & etiam Glossa in cap. *Cùm essent*, eodem, loquens de illo, qui seruit Episcopo, vel gerit negotium temporale alterius intendens principaliter aliquid spirituale. Item Glossa in capit. *Cùm ad nostram* de electionẽ. ver. *Nullam spem* agens de illo, qui fit Monachus principali intentione sperans Abbatiam. Item Panormitanus in cap. *Significatum*, de Præbend. in cap. *Ex parte* 1. de Officiis delegatorum, & in cap. *Consuluisti*, de celebratione Missarum. Et eam declarat, & sequitur Nauarrus in cap. *Fratres*, de Pœnit. distinct. 5. num. 56. & Couar. lib. 1. Varro cap. 20. nam. 2. & 5. Non explicarunt tamen priores Canonistæ, quid intelligerent per intentionem principalem. Nauarrus autem in citato loco breuiter dicit, non esse principalem finem omnem illum, sine quo non esset homo aliquid facturus, sed illum, qui apud aliquem est præcipuus, & in maiori æstimatione. In hac autem principalitate, & maiori æstimatione explicanda, multùm laborauit in Comment. de Orat. cap. seu notab. 6. num. 12. & sequentibus, & in cap. *Inter verba*, conclus. 5. præsertim à num. 22. & in Comment. de finib. human. actio. num. 7. & in Man. cap. 19. num. 19. & cap. 23. n. 100. quæ hic necessaria nobis non sunt: ex illis tamen colligo duo, quæ ad rem præsentẽ referunt. Vnum est ad Simoniam mentalem non sufficere, vt temporale sit ita intentum, quòd sine illo spirituale non fieret, aut non daretur, quod mihi est certissimum, & à fortiori patebit ex dicendis. Et ex vsu est manifestum; alioqui omnes Canonici, & benefi-

In quo consistat mentalis Simonia.

Gloss.

Hostiens.

Nauar. Couar.

Duo notanda.

beneficiati essent Simoniacè: nam ita intendunt ministrando, eundo ad Chorum, quod nisi haberent emolumentum temporale, reuera non irent. Aliud est sufficere ad Simoniam, quod temporale sit principaliter intentum, propter spirituale tanquam finis principalis.

3. Ex Theologis videtur dubitasse eandem sententiam D. Th. Quodlib. 8. art. 14. Et clarius Caiet. in Sum. §. *Circa rectum tapiæ*. Vbi Simoniam mentalem committi dicit, *quandocunque quis intendit pro spiritualibus temporalia habere, aut è contrario, tanquam pro pretium denotet*: & *similiter quandocunque principalis intentio ad temporale habendum ex collatione spiritualis, aut è contrario tendit*. Vbi illos duos modos intentionis ponit tanquam distinctos, vnum intendendi pretium, alium intendendo finem principalem. Eandem sententiam tenet expressè Maior 4. dist. 15. q. 19. ad 5. & dist. 25. q. 2. ad 2. indicat Durand. quodlib. 12. q. 4. num. 7. in fine, cum enim dixisset, Simoniacus eo animo dando spirituale habendi respectum ad temporalia, subdit: *Habetur autem respectus ad hoc quando principaliter esset alias collaturus*: (quod videtur rigorosum est) Significat etiam Bonau. in 4. dist. 1. q. 2. ad arg. 4. licet solum dicat, intendere principaliter temporalem, non esse iustitiam, sed auaritiam, & auaritiam. Alens. 4. p. memb. 3. art. 2. Abrissiod. 3. p. tract. 27. c. 2. quæst. 2. tenet Adrian. dictus Quodlib. 9. qu. 2. ad fin. Antonin. dict. cap. 7. §. 17. Cordub. lib. 1. q. 32. art. 1. in fin. Fauet Gerson. tract. de intent. ac fin. actionum regul. 3. & 7. Alphab. 30. Et Summistæ frequenter videntur eodem modo loqui. Fundamentum esse potest, quia is qui principaliter intendit temporale obtinere per spirituale, intendit commutare vnum pro alio, sed hoc est Simoniacum, ergo mentio illa Simoniaca est, ac subinde ad Simoniam mentalem sufficiens. Confirmatur, quia pretium est finis principalis venditoris, seu venditoris in tali actione, quia per illam makinè intendit acquisitionem pretij, propter quæ emendat rem, quam vendit: ergo similiter, quando opus spirituale propter capiendum lucrum temporale principaliter necesse est, vt intendat temporale commodum aliquam pretium sui operis, quia non potest aliter ratio pretij declarari. Et eadem argumentum potest è contrario fieri, si temporale detur solo animo comparandi spirituale immediatè: nam illa intentio resoluitur in voluntatem emendi rem spiritualem per temporale pretium. Fauent denique huic sententiæ cap. *Tua nos*. c. *Nouimus*, de Simon. c. *Quamplures*. 1. quæst. 2. cum similibus.

4. Explicatur magis obiectum mētalis simoniæ.

Sed hæc sententia, vt notauit Sot. si non rectè explicetur, potest scrupulos inijcere, & ideò oportet distinctius explicare proprium obiectum, & rationem Simoniæ mentalis. Oportet ergo cauere, ne confundantur ratio pretij, & ratio finis principalis, quamuis enim hæ duæ rationes possint interdum in eadem actione, seu proposito coniungi quia vendens rem, potest per suam venditionem principaliter intendere pretium, non tamen coniunguntur, imò possunt ad inuicem separari. Quod patet primò exemplis, nam qui sumit potionem amaram principaliter propter sanitatem, non dicetur respicere sanitatem, vt pretium sumptionis, licet illam respiciat vt finem proximum primum principalem. Item qui operatur aliquid propter honorem, vt principalem finem suæ intentionis, non respicit honorem vt pretium, sed vt præmium altioris ordinis, & vt finem accommodatum tali medio. Item qui eleemosynam petit, habet pro fine principali suæ petitionis, & proximo, pecuniam, quam separat, accipere, vt constat, & tamen non quærit illam, vt pretium suæ actionis, vt videtur etiam per se notum. E contrario verò is, qui vendit rem aliquam licet habeat respectum ad pretium, vt pretium, sine quo suam rem non daret, nihilominus potest non vendere rem propter pretium tanquam propter finem principalem, sed ex charitate, vt si quis vendat triticum indigenti, & tempore famis principaliter vt illius necessitati subueniat illo modo, & seruando se indemnè. Potest hoc optimè declarari in præmio, & merito, nam meritum est quasi pretium præmij, & seruat cum illo habitudinem rei ad rem, sicut pretium ad merces, & nihilominus necesse non est, vt Deus, qui dat præmium propter meritū, & mō alias intendat, vt finem principalem ipsum meritum sed gloriam suam, imò etiam loquendo de fine quem potest Deus proximè ex se intendere, principalius intendit in eo operè beatitudinem, & bonum hominis recipientis præmium, quam meritum eius. Sicut ergo ibi est longè diuersa habitudo meriti, & finis, ita hic habitudo pretij & principalis finis.

5. Vnde vlterius declaratur ratione hæc diuersitas, nam finis dicit tantum respectum ad appetitum, & ad media: ad appetitum, vt bonum propter se expetendum, si propriè finis sit ad media, vt bonum, propter quod alia appetuntur, vt ex philosophia cōstat. Hic autem finis potest dici principalis multis modis. Primò simpliciter, & in omni genere: & hoc modo solus finis vltimus est principalis: & de illo videtur loqui Mal. locis citatis, vbi dicit, vt talis finis sit honestus, debet esse solus Deus, nam amare creaturam vt finem vltimum, turpissimum est. Censetur autem amari vt finis vltimus, quando propter creatum finem Deus deseritur, peccando mortaliter, vel quando homo est in tali animi præparatione ex vi amoris creaturæ. Aliter verò potest finis principalis esse tantùm proximus, & hic interdum potest esse principalis finis respectu operis, & non respectu operantis, quia licet opus natura sua tendat proximè, ac præcipuè in talem finem, operans nihilominùs ab illo non mouetur. Vt docere de se habet pro fine præcipuo illuminare auditorem, docens autem potest non inde moueri, sed ex suo cōmodo honoris, vel lucri. Vnde fit etiam è contrario vt aliquando finis fit principalis operantis, & non operis, vt eisdem exemplis constat. Et ratio est, quia finis operis est intrinsecus, & quasi cōnaturalis: finis verò operātis variari potest ad arbitrium eius: vterque autem finis principalis, isto modo potest esse subordinatus vltimo fini, vel ex se, si non habeat repugnantiam cum illo, vel ex intentione operantis, qui potest etiam respectum hunc intendere, quia de se nō repugnant, cum possint duæ causæ eiusdem generis esse principales respectu eiusdem effectus, vna vt proxima, alia vt vniuersalis, seu prima.

6. Denique etiā ex parte operantis contingit multis modis aliquem esse finem proximum principalem respectu intentionis eius. Primò totaliter, quia solus ille immediatè propter se appetitur, & alia appetuntur propter ipsum, vt est sanitas respectu totius curationis, vel esse potest scientia respectu totius laboris in studio, & sic de aliis. Secundò principaliter ex æquo, vt si quis comedendo, æquè delectationem, & vitæ conseruationem intendat, vel dando eleemosynam æquè intendat subleuare miseriā pauperis, & satisfacere Deo pro peccato. Tertiò potest etiam esse partialiter non tamen ex æquo partialiter quidem, quia finis proximè intentus non est talis res sola, sed simul cum alia etiam propter se intenta, & per tale medium, non tamen ex æquo,

Obiectio

Solutio obiectionis

Probatur conclusio. D. Thom.

Distinctio inter finem, & pretium.

æquo, quia vna magis amatur, & desideratur per A tale medium, quæ sine dubio benè dici potest principalis finis comparatiuè, seu intensiuè respectu alterius boni intenti: Simpliciter verò, & absolutè nó est principalis, nam principalior finis est ipsum totum, seu aggregatum ex vtroque fine, qui dici potest adæquatus. Omnibus autem his modis finis principalis de se abstrahit à ratione pretij, etiamsi res ipsa, quæ intenditur vt finis, sit temporalis, & intenta per actionem temporalem, vel spiritualem, vt exemplis declaratum est, & ampliùs constabit ex dicendis.

7. Pretium nõ semper intẽditur propter se.

At verò ratio pretij in primis non postulat, vt intendatur tanquam bonum propter se amabile, imò si honestè intendatur non debet ita intendi, B quia potissima ratio pretij in pecunia inuenitur, quæ non debet propter se intendi, sed potiùs vt instrumentum vtile ad alia bona. Deinde, non est de ratione pretij, vt aliquid propter ipsum intendatur tanquam propter finem principalem, quia licet in commutatione rei pro pretio, necessariò pretium intendatur vt habens æquiualentiam cum tali re, & vt dandum loco illius, tamen hoc totum potest esse materialiter volitum, & non vt principalis finis; sicut in exemplo vẽditionis tritici suprà declaratum est. Et in mutuo honestissimè facto intelligi etiam potest, nam qui mutuat, intendit reuera, iterum recuperare rem, quàm mutuat; illa verò recuperatio, seu pecunia recuperãda, non potest dici finis principalis mutuãdi, sed hic potest esse ratio misericordiæ, vel amicitiæ, vel alia similis. Igitur ratio pretij C non est cum ratione finis confundenda. Sed ratio pretij (illam explicando accommodatè ad præsentem materiam) consistit in hoc, quod res temporalis detur pro re spirituali in commutationem, & permutationem eius cum habitudine rei ad rem, quam iustitia commutatiua respicit: Et consequenter inuoluit hæc ratio pretij, vt per illud soluatur obligatio orta ex re accepta, vel ex opere præstito, respiciendo ad valorem, & æstimationem eius, vel è conuerso vt per datum pretium oriatur in alio obligatio dandi rem, vel opus spirituale sub proportionali habitudine rei, vel operis sufficienter æstimati, & recompensati propter tale pretium. Hęc descriptio sufficienter constare potest; tum ex ipsa verborum declaratione, & vsu communi tam Iu- D rium, & Legum, quæ de pretio loquuntur, quàm omnium vendentium, & ementium: tum etiam ex dictis suprà capit. 36 vbi hanc ipsam rem latiùs declarauimus absolutè, nunc verò necessarium fuit, illam resumere ad conferendam illam cum ratione finis propter explicandam communem illam Auctorem locutionem.

Ratio pretij in quo consistat ad Simoniam.

8. 1. Conclusio.

Dico ergo primò, Simonia mentalis externa cõstituitur per internam voluntatem, & propositum dandi rem temporalem, vt pretiũ rei spiritualis, & tanquam ex contractu oneroso, & inducente obligationem, cum opere subsecuto, accipiendi videlicet eodem animo rem spiritualem pro temporali, siue res temporalis intendatur vt finis principalis operantis, siue non. Hanc assertionem sumo ex E Vict. d. Relect. nu. 33. & 34. & latè illam probat Valentia, & distinctiùs quam cæteri, explicuit Sot. lib. 9. de Iust. q. 1. art. 2. §. *Postremum dubium*. Vnde ob eandem causam q. 8. art. 1. volens præscribere regulam ad mentalem Simoniam declarandam, sic inquit. *Lubrica fallaxq; est illa regula, quod principaliter intendatur pretium, aut minùs principaliter, sed est philosophico more, ex obiecto res perpendenda. Nimirum vt illa præcisè Simonia mentalis censeatur, cuius obiectum est Simonia realis, scilicet intentio dandi, recipiendiue spirituale quid pro pretio temporali.* In quibus verbis: quod dicit de Simonia reali, sano modo intelligendum est; nam Simonia realis, vt pactum, vel cõuentionem ordinariè supponit, non est de ratione Simoniæ mentalis, etiam tanquam obiectum eius; nam qui mentaliter Simoniacus est, nó intendit facere pactum, sed intendit dare, & accipere eo modo, quo solet fieri per pactum, & sub eadem habitudine: & in hoc sensu dicitur habere Simoniam realem pro obiecto. Dices; Qui fieri potest, vt nullo Obiectio. interueniente inter partes exteriori pacto, nec conuentione expressa, vel tacita habeat quis intentionem dandi, vel accipiendi sub eadem habitudine pretij, vel obligationis, cum hæc quasi essentialiter Soluitur obiectio. à pacto pendeat? Respondeo, licet obligatio personalis pendeat ex pacto, tamen interdũ cogitari, aut æstimari posse tanquam ortam ex re ipsa: & ita posse intendere aliquem ab alio accipere rem spiritualem tanquam debitam sibi ratione rei, vel obsequij temporalis à se exhibiti, & ita posse intẽdere vnum accipere pro alio, & in compensationem eius, & ita posse intendere vt pretium, seu vt rem pretio emptam, & ratione illius debitam, etiam si pactum non precesserit. Vel etiam potest contingere, vt licet inter dantem, & accipientem rem temporalem nulla pactio exterius significetur, vnus de alio credat, vel suspicetur dare vnam rem pro alia compensando illam, & pro illa satisfaciendo, & ita alter etiam vicissim velit, & intendat eodem modo accipere spirituale pro temporali: his ergo modis potest talis intentio concipi, & exvi illius exterior datio, vel acceptio imperari.

9. Probatur cõclusio. *D. Thom. Sylvest. Anton. Caiet.*

Supposita ergo tali intentione; facilè probatur conclusio posita; nam quòd illa sufficiat ad Simoniam mentalem, omnes fatentur, expressè D. Thomas in dicto quolibet. Et Sylvester eum sequens, verbo, *Simonia*, quæstione 9. Anton. suprà, Caietanus, & omnes. Et probatur, quia illo modo Simoniæ priuatas est animo concepta, & intenta, ergo est Simonia mentalis. Consequentia clara est & antecedens patet, quia prauitas, Simoniæ exterioris, consistit in commutatione rei spiritualis pro pretio temporali, hoc autem est obiectum talis intentionis, ergo Er hinc vlteriùs facilè probatur, hunc modum intentionis esse quasi formale constitutiuum Simoniæ mentalis, quæ externa fit, quando ex tali intentione, & proposito imperatur externa datio, & receptio, at subinde talem intentionem necessarium esse ad Simoniam mentalem, quia Simonia mentalis, quoad internam malitiam, & veram rationem peccati, eiusdem speciei est coràm Deo cum Simonia reali: ergo debet habere idem obiectum, in quo fundatur malitia Simoniæ, sed tota ratio prauitatis in obiecto Simoniæ est, quòd res spiritualis pro temporali pretio datur, ergo intentio pretij est de necessitate Simoniæ mentalis.

10. Non est de ratione Simoniæ vt pretiũ principaliter intendatur.

Vnde tandem probatur vltima pars, quia ad rationem pretij, per accidens est ratio finis principalis, aut secundarij, seu accessorij quoad intentionem operantis. Nam licet is qui spiritualiter ministrant, non intenderet temporalem mercedem vt principalem finem, sed vt secundarium, vel (vt alij aiunt) vt causam tantùm impulsiuam, seu excitatiuam, nihilominùs si intẽderet vt pretium, esset Simoniacus, quia quacumque ratione intendatur id, quod malum est, sufficit ad contrahẽdam in mente malitiam ex tali obiecto. Nec repugnant illa duo, scilicet intendi vt pretium, & secundariò, nam miles potest principaliter militare propter defensionem patriæ, & minùs principaliter propter stipen-

Victor. Valent. Sot.

stipendium vt pretium suarum operarum. Et idem cum proportione est in eo, qui inseruit. Hospitali propter pretium, quia potest nihilominùs principaliter intendere benefacere infirmis, & isti nihil peccarent. Si tamen Sacerdos intenderet stipendiũ Missæ vt pretium, licet non in eo poneret principalem finem suum, Simoniacus esset; ergo intentio pretij vt principalis finis, non est de necessitate Simoniæ mentalis.

II. Cõclusio. Ex his ergo infero, & dico 2. Quamuis temporale commodum sit principaliter intentum per ministerium spirituale, vt finis operantis, si non intendatur vt pretium, sed sub alia ratione stipendij vera, & possibili, non est Simonia, etiamsi aliquod aliud peccatum per illam intentionem committi possit. Prior pars sequitur necessariò ex dictis, quia vbi non est intentio pretij, non est Simonia mentalis, vt ostensum est, & docent omnes, quotiescunque de munere ab obsequio, & à linqua loquuntur, & de stipendio, & similibus. Vt maximè videre licet in Victoria suprà, Sylvestro, quæstione 3. Regul. 3. Caietano, verbo, Simonia, circa finem, & in Nauarro dicto cap. 23. num. 100. vers. *Quarto*, & num. 101. vers. *Nono*, & *Decimo*, ergo qualiscumque sit intentio rei temporalis, etiam principalis, si non attingit rationem pretij, non erit Simonia. Quòd autem hæc duo sint separabilia, declaratur primò exemplis. Nam Sacerdos potest intendere per ministerium Missæ aliquid temporale, vt stipendium suæ sustentationis: ergo etiam potest hunc finem principaliter intendere, quia hoc pendet ex libertate eius, potest per hoc medium hîc, & nunc nolle aliud bonum consequi, etiamsi semper velit illud vt stipendium, non vt pretium: ergo potest optimè separari intentio principalis à pretio. At in illo casu non committit Clericus ille Simoniam, quia non habet voluntatem emendi, nec vendendi, nec habet pro obiecto venalitatem (vt sic dicam) rei sacræ, in quo malitia Simoniæ posita est. Et reuera Sacerdos, qui est in peccato mortali, vel non ieiunus, & nihilominùs vult facere sacrum, ne stipendium perdat, illud videtur principaliter intendere; Nam si intenderet principaliùs Dei cultum, & honorem, potiùs abstineret; Nemo autem dicet, huiusmodi Sacerdotem, & omnes similes esse Simoniacos. Idem argumentum est de Concionatore, qui habet pro principali fine suæ cõcionis dignitatem, quam ambit, vel famam, & vanam gloriam, quam aucupatur; nihil enim repugnat, hunc esse finem principalem operantis, & vtinam non sæpè esset, ille ergo per se spirituale ministerium principaliter intendit temporale commodum, & nihilominùs non est Simoniacus, vt probant discursus facti, & omnes fatentur: ergo. Denique probatur à contrario: Nam qui dat Sacerdoti temporale stipendium, reuera principaliter intendit, vt sacrum faciat; intendit ergo principaliter spirituale per illud temporale, sed tamen quia illud non dat vt pretium Missæ, sed ad sustentationem personæ, illa intentio non facit actionem simoniacam, imò nec malam: ergo idem potest esse è contrario.

Victor. Sylvest. Caiet. Nauar.

12. Altera verò pars de malitia illius intentionis ita declaratur. Nam si finis ille sit ita principalis, vt sit vltimus, mortale sacrilegium in tali actione committitur, dum actio sacra ad mortiferum finem ordinatur, vt in illo exemplo de Sacerdote in peccato sacrificante ex affectu ad stipendium, ille peccat speciali peccato sacrilegij, non solùm quia in peccato sacrificat, sed etiam quia ordinat tantùm sacrificium ad finem temporalem inordinatè æstimatum, & delictum; nam reuera ille tunc cõstituit vltimum finem in illo lucro, non per Simoniã, sed per immoderatam auaritiã. Idem esset de Concionatore, si vltimum finẽ poneret, in honore per concionem acquirendo; cẽseretur autem vltimum finẽ in illo constituere, quando esset paratus ad quærẽdum illum, etiam grauiter transgrediendo præceptum Dei. At verò si temporalis finis non sit vltimus, sed tantùm proximus, & non sit de re intrinsecè mala, sed indifferente, vt est honor, familiaritas cum Principe, bona existimatio apud alios, licet esset hic finis proximus principalis, non ordinatus ab operante ad alium honestum, non esset peccatum mortale facere opus spirituale propter hunc finem, esset tamen veniale. Ratio est, quia licet ordinare rem spiritualem ad temporalem, sistendo in illa, sit deordinatio, & culpa; si tamen illa res temporalis non habet intrinsecam malitiam grauem, nec ponitur in illa affectus vt in vltimo fine, non est grauis deordinatio, nec materia peccati mortalis. Aliàs multa peccata mortalia committerentur ab hominibus vanis, qui ex vana gloria dicto modo multa operantur, de quibus dixit Christus Dominus, *Receperunt mercedem suam*, non tamẽ dixit, in æternum damnabuntur. Nec ibi est ratio Simoniæ mentalis, quia non interuenit vlla intentio pretij, vt explicatum est. Quocirca quod aliqui dicunt, vt Tabien. num. 18. Concionari ad consequendam laudem, vel honorem humanum principali intentione esse Simoniam mentalem, non propriè, sed latè & metaphoricè intelligendum est, vt loquitur etiam Beda citatis in c. *Non solum*, 1. q. 3. Quin potiùs addo, quòd si intẽtio rei temporalis non sit mala, sed ordinata ad finem honestum, tunc non erit malum ordinare spiritualem actionem ad finem temporalem, & humanum proximè, quia res superioris ordinis potest honestè ordinari ad finem inferiorem, dummodo non in illo sistatur, sed per illum ad finẽ alium honestum tendatur, vt Nauarrus etiam suprà fatetur, licet Gerson suprà oppositum sentiat: sed de hoc latius in prima secundæ.

Quando cẽseatur vltimus finis poni in opere.

Concionari ad consequẽdam laudem an sit mortale.

Nauar. Gerſ.

D Vnde obiter infero, sine causa laborare in præsenti aliquos ex dictis Auctoribus, distinguẽtes inter causas finalem, & impulsiuam, negantésque impulsiuam esse finalem, licet sit motiua. Vt ita declarent, intendere temporale vt causam impulsiuam, vel potius moueri ex illa, non esse Simoniam, secùs verò si sit causa finalis, illa enim distinctio, licet alias sit satis vsitata à Iurisperitis, & ab aliquibus Theologis in hac materia, & de Vsuris, & videre licet in Nauar. & Couar. suprà, Couarruuias etiam in lib. 1. Var. cap. 20. num. 4. Aragon. 22. quæst. 100. artic. 2. reuera non est necessaria, nec in se satis constat, nisi sano modo declaretur. Nam causa impulsiua moralis de qua tractamus, non potest esse nisi respectu intellectus, vel respectu voluntatis. Et priori modo est tantùm causa consulens, persuadens, imperans, & rogans, quæ causalitas, ad efficientem reducitur, vt Arist. dixit. At verò respectu voluntatis, non potest esse impulsiua, nisi per modum finis, quia nihil mouet, seu impellit voluntatem, nisi medio intellectu; intellectus autem non impellit voluntatem, nisi proponendo obiectum, & tota persuasio, vel motio, quæ in intellectu præcedit, eò tendit, vt proponat voluntati in tali obiecto plures, & maiores rationes conuenientiæ, & amabilitatis; quod autem proximè mouet voluntatem, est obiectum, ipsum, sic propositum, vt tale iudicatum est. Ideóque causa impulsiua, respectu voluntatis, de qua nunc loquimur, non potest non esse aliquo modo finalis, vel

Distinctio inter causas impulsiuam, & finalẽ, nõ habet locũ hîc.

Nauar. Couar. Aragon.

Arist.

prima

primaria, vel secundaria. Hæc autem distinctio ex parte finis operantis, & non spectata ratione pretij, non refert ad rationem Simoniæ, quia (vt dixi) etiamsi temporale sit in illo sensu causa tantùm impulsiua, si moueat in ratione pretij, erit Simonia: si verò non moueat in ratione pretij, sed in ratione stipendij, aut gratuiti beneficij ex gratitudine conferendi, licet sit principalis finis, non erit Simonia, vt in sequent. etiam capitulis magis constabit.

14. Obiectio. Dices: Quid ergo voluerunt tot Auctores, (& præsertim Diuus Thomas) loquentes de fine principali, & per illum explicantes mentalem Simoniam? Respondetur, fortasse illos non fuisse locutos de sola propria, & rigorosa Simonia, sed sub illa comprehendisse omne sacrilegium, quod potest committi, dando, vel accipiendo rem spiritualem intuitu temporalis, vel è conuerso, dando rem, vel obsequium temporale cum intentione obtinendi illa via, rem spiritualem. Et ideò sub distinctione interdum loquuntur de intentione pretij, vel de intentione principalis finis: nam prior constituit propriam Simoniam mentalam; posterior verò constituit Simoniam latè, id est, sacrilegium conueniens aliquo modo cum Simonia in materiali actione: Quamquam hoc etiam posterius non sit vniuersaliter intelligendum, sed quando talis est intentio, vt sistat in temporali propter se apperendo, & in hoc sensu sumatur intentio principalis. Et hoc responsum indicat Sot. dicto articulo secundo.

Occurritur obiectioni.

Sot.

15. Occurritur secundò. D. Thom. Secundò, potest alia responsio colligi ex verbis Diui Thomæ, quæ sic habent. *Simoniam committit, qui huiusmodi actum* (vtique celebrandi) *vendere intendit. In qualibet enim venditione pretium accipitur quasi finis: & ideò in prædicto casu distinguendum est. Si enim huiusmodi distributiones recipit, quasi finem sui operis principaliter intentum, Simoniam committit, & ita mortaliter peccat: Si autem habet principalem finem Deum in tali actu, ad huiusmodi autem distributiones respicit secundariò, non quasi in finem, sed sicut in id, quod est necessarium ad suam sustentationem: constat, quòd non vendit actum spiritualem, & ita Simoniam non committit, nec peccat.* Primùm ergo omnium requirit D. Thomas intentionem vendendi, quam nos contendimus, semper esse necessariam, & sufficere. Deinde verò explicat hanc intentionem finis, indicans vnam conuerti cum alia. Sed expendo illa verba, *Si recepit, quasi finem sui operis*, & ex illis colligo, non loqui de quocunque fine, etiam principali operantis, sed de illo, qui intenditur, quasi proportionatus opeti, & commensuratus illi; sic enim dici potest pretium, finis proprius laboris corporalis, & quasi fructus ex illo natus, & commensuratus illi. De hoc ergo fine rectè intelligitur dictum, quòd intendere temporales distributiones, tanquam fructum proprium, & commensuratum spirituali ministerio, virtute est intendere, vendere illud, & consequenter est intendere illum finem, vt pretium. De hoc ergo fine principali, possunt exponi aliqui Auctores ex suprà citatis. Præsertim id explicuit Gerson, Alph. 24. lit. P. vbi sic exponit intentionem: *Faciens opus spirituale, inde expectans temporalem mercedem, aut è contra, quasi vnum sit rationabile pretium alterius.* Et subdit, licitum esse, intendere sustentationem, cauendum autem esse, ne ibi statuatur principalis finis, *sed subordinatus Deo, aut non contra Deum.* Et eodem ferè modo explicat rem hanc Gregor. de Valent. 3. tom. disput. 6. quæstion. 16. punct. 3. quæstio. secunda. Omnes autem Auctores non possunt in hunc sensum adduci, nam aliqui apertè distingunt finem principalem à pretio, & putant sufficere. Quod potest sustineri in priori sensu, non enim omnes in rigore loquuntur: nos autem propriam, & rigorosam rationem Simoniæ mentalis explicamus. Et loquimur de fine principali, respectu intentionis operantis, qui vtitur opere spirituali, tanquam medio ad illum finem, non quia illum respicit vt proprium, & commensuratum finem operis, sed quia est id, quod tunc principaliter ipsum mouet, etiamsi improportionatum sit, & hoc diximus, non sufficere ad veram Simoniam, etiamsi ad aliud genus vitij pertinere possit: quamuis neque hoc semper necessarium sit, quia ille finis operantis non semper est malus, & non excludit finem proprium intrinsecum, & obiectiuum; ipsius operis, vt est in oratione laus, seu cultus Dei, sed coniungit alium finem, qui tunc plus mouet operantem, de quo Aristot. dixit, *Qui furatur propter mœchiam, magis est mœchus, quàm fur.*

Aristot.

Tandem ex his obiter colligo, hanc Simoniam mentalem non solùm posse committi in Simonia prohibita, quia talis est, sed etiam in illa, quæ est talis, quia prohibita. In quo non rectè sensit Glossa in cap. *Ex parte* 2. de offic. deleg. ver. *Dimittere*, vbi Simoniam quia prohibitam negat, contrahi etiam mentaliter per intentionem prauam, sed solam illam Simoniam, quæ de se mala est, & in vtroque Testamento fuit prohibita. Moueri fortasse potuit, quia lex ecclesiastica non cadit in actus interiores. Et pro hac parte refert multa dicta Doctorum Canonistarum Caccialup. de Pension. quæst. 19. à num. 7. vsque ad 13. Ex quibus vix potest colligi, quid clarè sentiant, nam hinc inde citantur. Sed sine dubio dicendum est, posse veram culpam Simoniæ mentalis committi in his, quæ sunt talia, quia prohibita. Ita sentire videtur idem Caccialup. cum aliis relatis ab ipso, & Gigas quæst. 4. de Pension. num. 3. qui etiam alios refert. Clariùs, licet breuiùs Adrian. d. Quodlib. 9. articul. 2. explicando definitionem Simoniæ, quòd est studiosa voluntas, &c. Quæ in vtramque Simoniam conuenit. Et optimam rationem reddit: Quia non refert (ait) an loquamur de prohibito, quia Simoniacum, vel de Simoniaco, quia prohibitum, quia voluntas faciendi, quod Ecclesia prohibet, mala est, & malitiam continet, licet non progrediatur in opus.

16. Simonia mentalis vbi cõmittatur. Gloss.

Adrian.

Et ita soluitur fundamentum contrarium, nam licet lex Ecclesiæ non cadat directè in actum internum, tamen prohibendo externum, mutat obiectum voluntaris internæ, ratione cuius ipsa est mala. Et ita velle furari in Ecclesia, sacrilegium est mentale: ita est ergo de Simonia. Et patet in Simonia mentali pura: nam habere propositum emendi ecclesiasticum officium prohibitum, vel permutandi beneficia sine auctoritate Superioris, Simonia mentalis est pura, quia est peccatum, & non alterius speciei, ergo si ex illa intentione imperetur actus externus sine pacto externo, erit Simonia mentalis externa. Glossa verò, & Canonistæ exponi possent de Simonia, quàm punit Ecclesia: Sed hæc expositio difficilè accommodatur ad distinctionem Glossæ: nam etiam Simonia mentalis contra Ius diuinum, non punitur ab Ecclesia. Aliter dici potest, sententiam Canonistarum habere locum, quando Ecclesia solùm prohibet facere aliquid cum pacto, vel sub conditione exteriùs intimata, vt prohibet renunciare beneficium in fauorem tertij sub conditione. Tunc enim licet fiat renunciatio cum desiderio, vt detur bene-

17 Soluitur fõdamentum eõtrarium.

Gerson.

Valent.

beneficium tali personæ, non est Simonia mentalis, quia intentio nō opponitur præcepto, quod verum est, vt etiam suprà dixi, & idem erit in omni simili casu. Nihilominùs tamen sæpe intentio opponitur præcepto Ecclesiæ, vt in permutatione beneficiorum, & similibus, & hoc satis est, vt detur Simonia mentalis, quia prohibita.

CAPVT XLV.

Vtrum intentio remunerandi dono spirituali antidoralem obligationem, ortam ex temporali, faciat Simoniam mentalem, & an liceat talem obligationem in pactum deducere?

1. DIximus, intentionē rētributionis quasi debitę ratione rei acceptę, & sub ratione pretij, constituere Simoniam mentalem; videndum cōsequenter est, an intentio remunerationis ex pura gratitudine ad eandem Simoniā sufficiat. Vt v.g. an sit Simoniacus Episcopus dans famulo, aut benefactori suo beneficium, vt obsequia, aut alia officia réporalia ex gratitudine repēdat, vel è cōtrario an famulus seruiens cum ea intentione obligandi aliū ex mera gratitudine, & sperādi ex eadem spirituale beneficiū, sit mente Simoniacus. Consequenter verò etiā exponemus, an deducere hoc gratitudinis officiū in pactum, ad cōuentionalem simoniā pertineat, hæc enim duo ita sunt coniuncta, vt separari non debeāt.

2. Videtur ergo illa intētio inuolucre mentalē Simoniā, 1. quia quod datur ex obligatione antidorali, non gratis datur, ergo mens illa est cōtra Christi verba: *Gratis accepistis, gratis date.* Antecedens patet, tū quia repugnat dari ex obligatione, & dari gratis; tum etiam quia dona Dei nō tantùm sunt gratuita, excludēdo debitū iustitiæ, sed etiā excludendo debitū antidorale, vt in materia do Gratia ostēditur. Hac enim ratione nōpotest gratia prima cadere sub meritū, etiā de cōgruo, quia iam esset debita, saltē obligatione antidorali, & sic *gratia nō esset gratia*, vt argumētatur Paulus. Et in eodem sensu subiungit: *Quo prior dedit illi, & retribuetur ei?* Sed Christus voluit nos ita dare gratis spiritualia dona, sicut illa recipimus, ergo sicut illa recipimus nō debita, etiam antidorali obligatione, ita dare debemus sine intuitu illius. Alioqui cōtra Christi præceptū, & contra naturam gratia agimus, in quo tota ratio Simoniæ cōsistit. Secundò si esset licitū, hanc obligationē intendere, aut retributionē eius, esset etiā licitum illā procurare, imò & in pactum deducere; consequēs falsum est, ergo. Sequela patet; tum quia quod licet intendere, & desiderare, licet etiā petere, & procurare, hac enim ratione licet petere stipēdium, quia illud licet intendere; imò hac etiam ratione infrà ostendemus, posse in pactū deduci, ita ergo hîc licebit exigere promissionē de gratitudine seruanda, ipsamet promissionē nō ex iustitia, sed ex gratitudine postulādo; nā sicut opus fieri potest ex sola gratitudine, ita etiā promissio: Tum etiam quia si ex donis tēporalibus potest oriri obligatio gratitudinis ad spiritualia beneficia præstāda, ergo licitum erit, obligationē illam in pactū deducere; nam iuxta cōmunem sententiam Doctorū, pactū in quo tantùm exprimitur id quod de iure inest, nō est Simoniacū, vt patet ex Gloss. in ca. *Ad audientiam*, 2. de Rescri. vèr. *Renunciantes*, & ibi Panor. nu. 6. Felin. à nu 8. Et in additione ad Panor. ibi plures aliæ Gloss. & Doctores ad idem citantur, quæ refert etiam, & sequitur Nauar. in cap. *Accepta*, de Restit. Spoli. oppos. 7. nu. 41. & in Cons. 12. de Simon. & sæpè in illis Cōsiliis: Redoan. 2. p. de Simon. cap. 22. à nu. 6. Angel. *Simonia*, 2. num. 18. & colligi potest ex cap. *Ex insinuatione*, de Simon. vbi conditio illa obtinendi vltimū locum in Choro, & in aliis, non reddit electionem Simoniacā, quia erat de re, quæ per se inerat. Idem probat cap. *Olim*, 1. de Restit. spol. iuxta quādam Gloss. ibi, & Panor. nu. 6. Sumitur etiam eodē modo ex c. *Significatum*, de Præbend. vt ibidē etiam notatur. Si ergo obligatio hæc antidoralis inest de se, etiam poterit in pactum deduci; consequens autem falsum est, sic enim facile esset, omnem Simoniam honestare.

Redoan. Angel. *Cap. Olim. Panorm.* *Cap. Significatum.*

3. In hac re duæ possunt esse extremæ opiniones, prior simpliciter negat, licere spirituale beneficiū benefactori conferre titulo gratitudinis, & vt dans illo modo exoneretur obligatione antidorali, qua illi obnoxius erat. Ita sentit Inno. in c. *Tuæ*, de Ætat. & qualit. dicit enim, esse Simoniā velle obligari alterī, aut exonerari ab obligatione ex seruitio recepto. Et idem refert, & sequitur Sylvest. (ex Director.) ver. *Simonia*, quæ. 16. circa finem. Possent autē hæc intelligi de obligatione iustitiæ. Obstat verò, quia Innocent. videtur explicare etiam de obligatione ad antidora, dicēs: *Ideō enim reputo remittere, quod dare, & benè est remittere, cùm remittit obligationem naturalem, quæ est ad antidora, Argum. ff. de Calūniat. l. 2. in princip. & l. 3. in princip. & ff. de Petit. hæred. l. Sed si quis, §. Consuluit, & 1. quæst. 1. cap. Siquis neque.* Quibus verbis, & priora verba videtur exponere de obligatione antidorali, & rationē reddere suæ sententiæ, quia talis obligatio, & eius remissio aliquid temporale est, & pretio æstimabile. Et hanc sententiā, alios referens tenet Iason, in l. *Ex hoc iure*, ff. de iust. & iur. num. 58. Alia sententia extremè contraria est, non solùm non esse Simoniam intendere obligationem antidoralem, vel remissionem eius, sed etiam licitum esse, talem obligationem in pactum deducere. Ita tenet Couar. lib. 1. Var. cap. 20. nu. 4. Et probat, quia in mutuo licitum est mutuare intuitu accipiendi mutuum in alia occasione à mutuatario, vel aliud beneficium ex pura gratitudine, & talem obligationem ad antidora in pactum deducere, & exprimere, quod etiā tenuit Maior. 4. d. 15. qu. 29. ad 2. & Couar. refert plures alios, dicitque esse communem sententiam, ergo idem licet in hac materia, nam si ibi non committitur vsura, ideò est, quia per totam illam obligationem, siue in ipso actu naturaliter existentem, siue in pacto expressam, nihil æstimabile pretio datur propter mutuum, ergo etiamsi totum illud detur: non est ergo Simonia.

3. 1. Opinio simpliciter negans. *Innoc.* *Sylvest.* *Iason.* *Alia sententia extremè contraria.* *Couar.* *Maior.*

4. Dico primò: Dare quodcunque donum, vel obsequium cū spe gratitudinis, & intuitu remunerationis per spirituale donū, ex pura gratitudine obtinendum & ex hac intentione concepta externum obsequium, vel munus imperare, sine vlla alia obligatione exteriori, nec Simoniacū est, nec (per se loquendo) illicitum. Hæc est trita, & communis sententia omnium tàm in materia de vsura, quàm in hac de Simonia, vt in superioribus sæpè notatum est præsertim ca. 30. tractando de pretio in genere, & in sequentibus, tractando de munere ab obsequio, & à lingua, & ibi citauimus auctores, & statim alios referemus. Et in vsura id docuit expressè D. Thomas, 2. 2. quæst. 78. artic. 2. ad 2. & 3. Ratio verò est, quia hæc obligatio gratitudinis non est (vt ita dicam) voluntaria recipienti beneficiū, sed necessaria, ideò enim naturalis vocatur ab omnibus Iuristis, & Theologis, vnde facere beneficium, & obligare recipientem ad gratitudinem, non sunt duo, moraliter loquēdo, quia vnū ex alio necessariò

4. Prima conclusio. *D. Thom. Fundamentum.*

Rom. 11. — Pars affirmatiua probatur primò. — Secundò. — Gloss. Panor. Felin. — Nauar.

sequitur ergo, qui intendit obligare aliũ beneficio, A non intendit sua voluntate nouam obligationem, vel onus illi imponere, sed quod ipsi beneficio innatum est, ergo non peccat generatim, ac per se loquendo, ergo nec in præsenti materia est Simoniacus. Antecedens per se notũ est, quia obligatio gratitudinis intrinsecè sequitur ex vi beneficij, sicut obligatio pietatis ad parentes naturaliter sequitur ex origine naturali vt eleganter deducit D. Thom. 2.2.q.106.art.3. Prima verò consequentia etiam est per se clara, quia intentio expressa de obligatione, quę inest, non mutat naturam obligationis, vt si pater intendat generare filium, qui sibi sit gratus, & se ex pietate iuuet, non imponit propterea filio obligationem quasi positiuam distinctam à naturali, B quæ inest ex vi originis. Secunda item consequẽtia probatur, quia obiectum illius intentionis non est malum, quia est quasi proprietas naturalis beneficij vnde si beneficium, vel obsequium est honestũ, etiam gratitudo ex illo erit honesta, ergo intentio illius per se non est mala.

5. Obiectio soluitur.

Dices: In hoc videtur inordinata illa intẽtio, quia per se, & directè intenditur id, quod solũ debet esse consequens, & quasi resultans ex beneficio. Respõdetur, hoc non esse inordinatum, si ex honesto motiuo intendatur; nam Deus intendit nobis benefacere, vt simus illi grati, & directè intendit nos obligare per beneficia, & sæpe directè intenditur proprietas, vel passio quæ ad essentiam consequitur, & C sæpè magis ipsa expetitur, quàm rei substãtia per se spectata. Vnde etiam constat vltima consequentia, quia quod non est peccatũ de se, non potest esse Simonia: item per illam intentionẽ non fit venalis res sacra, quia remunerare beneficium ex gratitudine, non est vendere beneficium ex gratitudine collatũ. Deniq; illa non est intẽtio pretij, nec est intentio emẽdi aliquid, vnde natura sua nõ est pretio æstimabilis. Ad quod expendi potest lex *Sed etsi. §. Consuluit.* ff. de Petit. hæred. vbi possessor bonæ fidei donans fructus liberaliter, licet alios antidoraliter sibi obligarit, non censetur ditior factus, nec propterea ad aliquam restitutionem teneri, quia illa obligatio non computatur in bonis temporalibus eius, sed est D in bono affectu eius, qui recipit beneficium, intendere ergo hanc obligationem non est intendere aliquod bonum temporale pretio æstimabile.

L. *Sed etsi.*

6. Secunda cõclusio.

Dico 2. Dare beneficium ecclesiasticũ, seu spirituale donum benefactori temporali ex gratitudine, & ad satisfaciendũ obligationi antidorali inde ortæ, non est Simonia, nec per se malum, si in aliis seruetur iustitia, & reuerẽtia rei spirituali debita. Hæc etiam est communis: illam verò in specie tradit Nauar. in d.c.23.n.106. ad 4. & ex illo Vgol. Tabien. 1. c.58.§.4. & sumitur ex Caiet. ver. *Simonia*, vt benè explicuit Sot. lib.9.q.7.ar.1 & 3. Vbi pro regula statuit, dare spirituale ad referendam, vel ineundam gratiam, non esse intentionem simoniacam, dũmodo liberale sit donum. Ratio in primis sumitur ex præced. affert. Quia sicut eadem ratio est de emente, & de vendente rem spiritualem quoad malitiam Simoniæ, ita eadem est ratio de intendente obtentionem rei spiritualis, media obligatione antidorali ex temporali dono contracta, & de acceptante talẽ obligationem, & volente illam explere: ergo sicut primum Simoniacum non est, ita nec secundum, quia sicut primum non est emere, aut emptionem intendere, ita secundum non est vendere, nec venditionem intendere, imò minus videtur, spirituale donum dare ad gratitudinis obligationem implẽdam, quàm ad inducendam, si ergo primum licet, à fortiori etiã secundum. Secundò declaratur, quia in tali modo donandi rem spiritualem, nõ intẽnit, nec intenditur habitudo ad pretium: ergo nõ est Simonia. Consequentia patet ex dictis, & antecedens probatur, quia nec beneficium habuit rationẽ pretij (non enim hac intentione factum, vel receptum est vt suppponitur,) nec ciuilẽ obligationem induxit, quã pretium solet inducere; nec etiam remissio illa, vel potius extinctio antidoralis obligationis potest habere rationem pretij, imò nec ipsa est pretio æstimabilis, quia sicut obligatio antidoralis non assumitur voluntariè, distincta voluntate ab acceptatione beneficij, ita nec extinguitur spiritali remissione, & voluntate recipientis munus liberale ex gratitudine ortum, sed naturaliter cessat, ergo illa remissio non est pretio æstimabilis, sed potius est ipsa acceptatio muneris ex gratitudine profecti. Tertiò donatio antidoralis gratuita simpliciter est, licet non sit omnibus modis liberalis, id tamen satis est, vt quod sic datur, gratis datur, ergo.

7. Obiectio.

Dicet verò aliquis, gratitudinem ipsam, licet de se honesta, & simpliciter gratuita sit, tamen debere esse ordinatã, ita vt quod datur in remunerationẽ, sit proportionatum beneficio recepto: at verò dare spirituale donũ pro temporali, obsequio, etiã titulo gratitudinis, videri inordinatũ, quia est cõferre spiritualia cum temporalibus, & quasi adæquare illa; nam licet obligatio non sit tãta, sicut in iustitia, tamẽ modus æqualitatis, & proportionis est idẽ, scilicet rei ad rẽ, mercedis ad opus, beneficij remuneratiui ad beneficium præcedens. Respondeo in primis, obiectionẽ non procedere, quando ex liberali dono spirituali speratur gratitudo in similibus bonis, quia tũc omnis illa proportio seruatur & habebit locum etiam in ecclesiasticis beneficiis, quia ad hæc non extenditur Ecclesiæ prohibitio, cum pactum non intercedat, vt supponitur. Deinde dico, inordinatum quidẽ videri per dona, vel obsequia temporalia, velle obligare aliũ immediatè, & definitè, ac in particulari ad beneficia spiritualia, quia reuera tale beneficiũ, per se, & natura sua ad hoc nõ obligat, & nõ potest maior obligatio intendi, quàm naturaliter inest, vt dictum est. Debet ergo generatim intendi, habere aliũ beneuolum, & simpliciter antidoraliter obligatũ, ex circunstãtiis autem personarum, & negotiorũ potest determinari intentio ad talem rem, non quia obligatio de se ad illam limitetur, sed quia vel hîc, & nũc non potest alia retributio à tali persona sperari, vel quia mihi licet desiderare hoc donũ potius, quàm aliud, etiamsi nõ possim alteri imponere talẽ obligationẽ specialem. Vnde vlteriùs, addo ex parte gratificãtis beneficiũ, non esse inordinatũ, per se loquendo, pro tẽporalibus obsequiis aut donis, quæ obligationẽ ex iustitia non induxerũt, velle ex gratitudine dare munus spirituale, sic enim pauper orat pro dante temporalem eleemosynam, & nihil magis est vsitatũ inter E pios, & sanctos viros, & à Prelatis Ecclesię. Et ratio est quia gratitudo nõ tàm respicit datũ, quàm affectum, vt rectè dixit D. Tho. d.q.78. art.2. ad 2. & q. 106. art.5. ad 6. & ideò potest per gratitudinẽ multò nobilius munus, quã fuerit receptũ, sine iniuria, aut vilipẽdio talis muneris, cõferri. Et eadẽ ratione potest præcedere spirituale beneficiũ, sperãdo gratuitũ obsequiũ temporale, quia nõ speratur vt cõmensuratũ beneficio, sed affectui, vel facultati eius, qui donũ spirituale recepit. Addo præterea, quod licet interdũ in hac obligatione gratitudinis persoluẽda per spirituale donũ possit interuenire aliqua deordinatio, illa nõ pertinebit ad Simoniam (vt in superioribus tetigi) sed ad personarũ acceptionẽ, vel aliud simile vitij genus. Vt siquis velit remunerare turpia

Respõdetur obiectioni.

D. Thom.

turpia obsequia per ecclesiasticũ beneficium, de quo A satis suprà dictũ est. Sicut è contrario in gratificãdo obsequio temporali, respicere ad opus virtutis, quod in tali obsequio reluxit, & ad conditionem personæ, quæ per tale obsequium dignior facta est beneficio ecclesiastico, specialem congruentiam, & honestatem habet, vt ex Gregor. notauit D. Thom. d. q. 100. art. 5. ad 1. Illa tamen vt sic non pertinet ad solam gratitudinem, sed maximè ad iustitiam distributiuam, seu fidelem dispensationem,

D. Thom.

8. *Tertia conclusio.*

Dico 3. Quando aliquid gratis donatur ante receptum spirituale donum, aut ecclesiasticũ beneficiũ non est intrinsecè malum, nec Simoniacũ per se loquendo, petere animum gratũ in recipiente donum, vel obsequium, vel suæ obligationis naturalis recoB gnitionẽ ab eo postulare, cauendũ tamẽ est propter periculũ, & specimen pactionis, maximè quando spiritualia, quæ petuntur, habent vtilitatẽ temporalem annexam. Priorem partem huius asser. videntur præcipuè intendere Mai. & Couar. Et si ampliùs velint, eorũ sententia probabilis non est, vt statim dicam. Sic autem intellecta, difficultatem non habet. Prior ergo pars assertionis probari potest 1. ex. D. Thom. d. q. 78. art. 2. ad 3. vbi agens de vsura, inquit: *Si munus ab obsequio, vel à lingua, non quasi ex obligatione rei exhibetur, sed ex beneuolentia, quæ sub æstimationẽ pecuniæ non cadit, licet hoc accipere, & exigere, & expetere.* Et loquitur de beneuolẽtia, per quam debitum gratitudinis, & amicitiæ persoluitur, vt ex argumento, & ex solut. ad 2. C constat. Sicut ergo in materia vsuræ licet hoc debitũ exigere, nec per hoc petitur aliquid vltra sortem, ita in materia Simonię potest hoc peti sine vllo vitio. Secundò in donis merè spiritualibus expetendis nihil est frequentius inter pios, & timoratos viros: Damus enim eleemosynam pauperi, aut Religioso, postulantes ab illo, vt orando pro nobis gratitudinem exhibeat; sæpè etiam, qui hæc temporalia beneficia recipiunt promittunt, se fore gratos in orationibus, & suffragiis suis, per quam promissionem non intendunt, nouam obligationem sibi imponere, sed naturalem obligationẽ gratitudinis recognoscere. Quãquam si voluntariè, & merè gratis maiorem faciant promissionem, nihil peccabunt imò rectè facient, D si hoc totum ex gratitudine faciant. Tertiò, est optima ratio facta, quia licitũ est petere ab alio id; quod ipse tenetur ex naturali obligatione facere, neq; hoc est, pretium exigere, vel aliquam obligationem addere. Addidimus verò cautionem in vltima parte conclusionis, quia licet in rebus merè spiritualibus hoc simpliciùs fieri possit, & soleat; in his, quæ habent temporalitatem annexam, moralis, & ordinaria fragilitas hominum est, vt temporalem vtilitatem in his beneficiis potissimum quærant, & ideò scandalum aliquod præberi potest per huiusmodi petitionem, vel recordationem gratitudinis, maximè quando in particulari beneficium ecclesiasticum postulatur, quasi debitum etiam gratitudine, quia facilè E potest misceri alia intentio, vel suspicio eius præberi. Et præsertim in exteriori foro potest hoc inducere aliquam præsumptionem propter ecclesiasticas leges prohibentes omnem pactionem in huiusmodi materia.

Mair. Couar.

D. Thom.

9. *Assertio.*

Hinc dico quartò, nõ esse licitum deducere in pactum antidoralem obligationem cum speciali promissione implendi illam vel non exhibendo donum, aut obsequium temporale, nisi sub cõditione, & modo implendi talem obligationem. Hoc modo intelligunt aliqui sententiam Innocent. vt ibi in quodam scholio notatur. Et in materia mutui id supponit D. Thom. d. q. 78. art. 2. ad 2. & 3. quem ibi Caiet. & Sot. sequuntur. Et benè Gabriel. in 4. d. 15. q. 11. art. 1. not.

Innoc. D. Thom. Caiet. Sot. Gabriel.

1. Hostiens. in Sum. tit. de Vsur. § *Quæ pœna*, &c. Felin. in cap. *Ad audientiam* 2. de Rescript. nu. 10. Vbi ex sententia plurium Doctorum, ait esse Simoniam, *Deducere in pactũ obligatorium obligationem antidoralem, secùs* (inquit) *vbi sola obligatio naturalis deducitur in pactũ eo modo, quo debitor est obligatus, quia nõ videtur illicitũ.* Sed hoc posterius pactum non videtur esse posse aliud, nisi quod superiori assertione explicatum est, quia reuera non est pactum nouum, sed commemoratio, & recognitio obligationis, quam beneficium ipsum affert. Prior ergo pars intelligitur de verò pacto quod nouã aliquam obligationem adiiciat præter naturalem, quam possumus appellare positiuam ex voluntate contrahentium. Et ita explicat suam sententiam Couar. ideóque D. Thom. & alios in suũ fauorem adducit. Sic ergo probatur conclusio prima: Quia si loquamur de spiritualibus pertinentibus ad ecclesiastica beneficia, in quibus maximum periculum huius materiæ versatur, in illis omnis pactio, conditio, & modus additus eorum colationi, seu donationi est prohibitus iure ecclesiastico, vt sæpè allegatum est, sed hoc pactum est additum, & non inest ex natura rei, vt constat ex declaratione facta: ergo. Et hæc ratio probat etiam ex natura rei hoc non licere, nam pactum inducens nouam obligationem positiuam vltra naturalem, est de re, quæ non inest, & est onerosa, & pretio æstimabilis: ergo est conditio simoniaca. Antecedens patet, quia (vt D. Thom. dixit) ex beneficẽtia non sequitur obligatio ciuilis, sed antidoralis tantùm; ex vi autem talis pacti additur ciuilis obligatio, etiã in foro exteriori, si per sufficientem scripturam, aut alium modum legibus præscriptum de tali noua obligatione constet. Et quamuis non possit ad forum externum deduci, & cogi: satis est, quòd in conscientia talem obligationem adiiciat; imò licet non esset propria obligatio ex iustitia, sed ex promissione obligante in conscientia ratione fidelitatis, & obligante (vt sic dicam) nouo modo humano, esset graue onus, & pretio æstimabile: tum quia hoc vinculũ magis obligat in cõscientia, & fortasse etiam grauiùs, quàm sola gratitudo: tum etiam quia inter homines saltẽ ratione honoris, & famæ magis premit verbi, & promissionis obligatio, quàm soliùs gratitudinis.

Hostiens. Felin.

Couar. D. Thom.

10. *Duæ euasiones.*

Duæ tamen euasiones excogitatæ sunt ab aliquibus, qui in contrariam sententiam inclinant. Prior est communis Simoniæ, & vsuræ, nimirum hanc rationem procedere, quãdo talis promissio de antidorali obligatione seruãda, tanquã ex iustitia debita ratione beneficij accepti postulatur, vt ratione mutui, vel ratione doni spiritualis, tũc enim clara est iniustitia; secùs verò esse, quando solùm postulatur ex beneuolentia. Nam potest promissio etiam gratis fieri vt per se constat: licet ergo illam postulare, non tanquam debitam, sed ex beneuolentia tantùm conferendam. Nam si ego beneficium de præsenti alteri facio, vel mutuando, vel aliud donum liberale exhibendo, cur non potero petere, vt vicissim alius mihi liberalem promissionem faciat, ita vt si ipse nolit facere, ego etiam profiteat, me non esse tale beneficium in eum collaturum? Respondeo in duobus modis posse hoc *Occurritur primæ.* beneficium promissionis in præsenti materia, vel in mutuo postulari. Vno modo post factum liberaliter, & absolutè beneficium mutui, vel alterius obsequij purè, & sine vlla conditione, & modo. Et tunc verum est ex vi obiecti, & secluſa iniqua palliata intentione, non esse vsurarium, vel Simoniacum talem promissionem postulare; nam sicut postulari potest aliud donum ex liberalitate conferendum, ita promissio ipsa potest vt donum quoddam liberale postulari. Posset item peti vt debita ex gratitudine, si

iudicio prudentum tales occurrerent circunſtantiæ, A cum quibus gratitudo obligaret ad talẽ promiſſionem faciendam propter aliquã ſpecialem neceſſitatẽ benefactoris, vel aliã ſimilem cauſam. Ordinariè verò nõ ſolet gratitudo obligare ad talẽ promiſſionẽ faciendam, quia gratitudo de ſe nõ obligat pro ſemper, nec ad omnia officia, quę benefactor reputat ſibi vtilia; & iſtæ promiſſiones poſſent eſſe oneroſæ valdè, & in materia ſpirituali, præſertim beneficiali periculoſæ, & ideò ordinariè nõ cadunt ſub obligationem etiam gratitudinis, & cõſequenter neque poſſunt licitè ita poſtulari, ſi tamẽ petantur vt beneficia liberalia, & apta ad oſtendendũ animũ gratum; eſto, non ſint neceſſaria etiam ex vi gratitudinis, non apparet ibi malitia intrinſeca, per ſe loquendo. B

11. Nõ licita eſt hæc conditio, do liberaliter, vt des liberaliter.

Alio verò modo poteſt illa promiſſio poſtulari ante præſtitum obſequium, vel mutuum, & vt cõditio neceſſaria, ſine qua non fiet, addendo ſemper ſolùm liberaliter poſtulari, tamen ſi non concedatur, etiam non eſſe mutuum, vel beneficiũ præſtandum. Et hãc dico eſſe non palliatam, ſed manifeſtãSimoniam, vel vſuram, & contrarium aperire viam, & ianuam latiſſimam vſuris, & Simoniis. Probatur, quia illa eſt rigoroſa exactio, & pactio. Faciã, ſi feceris, & mutuabo, ſi promiſeris, non ſeruiam, niſi beneficiũ promiſeris. Quo enim modo poteſt contractus expreſſiùs fieri? Vnde quando additur; niſi facias liberaliter, nõ faciam liberaliter, propoſitio (vt ita dicam) eſt ſe falſificans; nam eò ipſo, quòd ſic facis, & exigis; nec li- C beraliter agis, nec liberale donum exigis. Confirmatur, quia aliàs hoc modo poſſet Epiſcopus dicere; ego liberaliter tibi dono beneficium, ſed peto amicè, vt liberaliter tu mihi dones centum aureos; quod ſi tu nolueris hanc liberalitatem mecũ facere, ego etiã à liberali beneficentia abſtinebo, & idem de mutuãte. Si autem hoc licet, omnis vſura, & Simonia licet. Sequela patet, quia idem eſt, petere illo modo rem æſtimabilem pecunia, & petere pecuniam ipſam, vt per ſe patet, ſed promiſſio eſt pecunia æſtimabilis, ergo ſi licet illo modo extorquere promiſſionẽ ſub titulo, vt liberaliter fiat, licebit etiam pecuniam, vel quamcunque rem aliã petere. Vnde ſiquis à me peteret; vt librum donarem liberaliter, & ego reſponde- D rem, donabo quidem, ſed tu mihi ſimili liberalitate dona tale vas, aliàs neq; ego donabo, profectò verbis dicerẽ, me velle donare, re tamen vera permutare, & vendere, & tunc licet fortaſſe nulla eſſet iniuſtitia, quia vtraq; res eſt pretio æſtimabilis, & poſſunt eſſe æquales, tamen nulla eſſet ibi vera liberalis donatio. Idem ergo eſt, ſi pro donatione rei petatur promiſſio ſub ratione liberalis doni, ſine quo aliud non eſt donãdũ. Et ideò in mutuo ſi id fiat, eſt iniuſtitia; in preſenti verò materia eſt Simonia; quia promiſſio illa pretio æſtimabilis re ipſa extorquetur pro ſpirituali beneficio, vel è cõtrario per obſequiũ tẽporale extorquetur promiſſio beneficij, quod eſt emere ipſum beneficiũ. Et hæc ratio probat etiã de Iure naturę, nã de Iure eccleſiaſtico, manifeſtum eſt talem modũ exactionis eſſe prohibitum in eccleſiaſticis beneficiis. E

12. Alia euaſio.

Alia euaſio eſt, quia ratio facta ad Summum procedit, quãdo in particulari exigitur promiſſio beneficij eccleſiaſtici, vel alterius rei ſpiritualis, etiam ex gratitudine exhibendæ, hoc enim non licet propter rationem factam. Et præterea quia (vt dicebam) gratitudo nõ obligat determinatè ad dandũ beneficiũ ſpirituale, ſed in cõmuni ad benefaciendum, quãdo, & quomodo oportuerit, & ideò limitare obligationem ad beneficium eccleſiaſticum v. g. media promiſſione, iam eſſet Simoniacum. At verò nõ ita erit, ſi tantùm exigatur promiſſio perſoluendi obligationem antidoralem generatim, & indifferenter, tunc enim non petitur pro temporali aliquid ſpirituale, nam promiſſio illa de ſe indifferens eſt, & poteſt per temporalem retributionem impleri. Sed hoc in primis moraliter loquendo non excuſat, quia licet talis promiſſio nõ ſit expreſsè determinata ad gratificandum in tali genere bonorum, nihilominùs tacitè, & ex circũſtãtiis ſatis determinata intelligitur, & ideò eiuſdem eſt malitiæ, totúmque pertinet ad palliationẽ Simoniæ, & ad pacta prohibita. Præterea eſt hoc manifeſtum, quando beneficium eccleſiaſticũ præcedere debet, & antequam detur, ſeu ad illud dandũ exigitur promiſſio gratitudinis, nam tunc ſiue promiſſio intelligatur eſſe de temporali obſequio, ſiue de alio beneficio ſpirituali, datio beneficij eſt Simoniaca, ex vno capite contra Ius naturæ, & ex altero contra eccleſiaſticum. Denique quando è contrario temporale donum, vel obſequium præcedere debet, & ad illud exhibendum exigitur illa promiſſio, eò ipſo (vt dicebã) extrahitur debitum à præciſa ratione gratitudinis, & additur obligatio promiſſionis oneroſæ, & ſub tali cõditione, & comparatione rei ad rem, quæ eſt obligatio iuſtitiæ. Et ideò, vel limitada eſt ad retributionem temporalem pro tẽporali beneficio, & ita erit extra præſentem materiam; vel ſi fit indifferenter ad retributionem per donũ temporale ob beneficium eccleſiaſticum, vel è conuerſo, non excuſatur Simonia, quia veluti ſub diſiunctione obligatur quis ad dandum ſpirituale, vel temporale in retributionem temporalis obſequij, quod Simoniacum eſt, vt ſuprà vidimus: & eſt manifeſtum, quia in ea æſtimatione æquè offertur ſpirituale, ac temporale in remunerationem non gratuitam, ſed oneroſam obſequij temporalis. Denique facta tali promiſſione, iam non datur poſteà beneficium ex ſola gratitudine, ſed etiam ex obligatione iuſtitiæ, aut fidelitatis, atque adeò ex vi pacti, quod licet determinatè non obligaret ad talem rem, per illam ſufficiẽter impletur, hoc autem ſatis eſt, vt beneficium iam non donetur purè, & ſine conditione, ac gratis, ergo non ſatis id eſt ad purgandam Simoniam.

Occurritur euaſioni.

13. Vltima concluſio.

Vltimò dico, Poſt receptum purè, & ſine conditione obſequium, vel donum, ex quo nata eſt obligatio antidoralis, non eſt Simonia, dare ſpirituale, vel eccleſiaſticum beneficium, non ſolum intẽtione explendi talem obligationem, ſed etiam verbis explicando illam intentionem, imò etiam ab alio poſtulando, vt talem obligationem remittat, quando prudenter exiſtimatur beneficium ſufficiens pro ratione obligationis, & perſonæ. Hanc aſſertionem ſpecialiter docuit Nauar. d. nu. 106. & credit, eſſe contra Innocent. ſed veram. Et eandem à fortiori tenẽt Maior. Couar. & Vgolin. & alij non contradicunt. Imò neceſſariò ſequitur ex illo principio generaliter recepto, quòd exprimere ea, quæ inſunt, nõ facit Simoniã, in caſu enim propoſito ſolùm exprimitur, id, quod ineſt. Probatur, quia ſicut ex beneficio naturaliter ſequitur antidoralis obligatio, ita per donũ ſufficiens, & intentione datum extinguitur illa obligatio: ergo licet hic effectus, & intentio eius exprimatur nihil additur, & licet a balio exigatur remiſſio, nihil petitur æſtimabile pretio, quia reuera nihil noui ab eo petitur, ſed ſolùm vt recognoſcat effectũ, qui in re ipſa ineſt, ergo nullum pretio æſtimabile, neque pactum prohibitum ibi interuenit.

Nauar. *Maior. Couar. Vgolin.*

14. Reſpõdetur rationibus dubitandi ſuprà poſitis ad primam.

Prima igitur ratio dubitandi probare poteſt concluſionem quartam, cõtra cæteras verò nõ procedit, falſum enim eſt, nõ gratis dari, quod ex ſola gratitudine datur, etiamſi tanta ſit obligatio gratitudinis, vt inducat præcepti obligationem ad illã virtutẽ pertinentis, vt contingere poteſt, quia etiam ingratitudo poteſt eſſe peccatum, vt tradit D. Thom. 2. 2. q. 107.

D. Thom.

q. 107. Nam eleemosyna sub obligatione, & nihilominùs gratis datur. Igitur gratuitum donum non excludit omnem obligationem, sed debitum iustitiæ, & in præsenti maximè excludit illam obligationem, quæ oriri solet ex valore rei acceptæ; gratitudinis autem obligatio non est huiusmodi, sed respicit magis bonũ affectum, cui alter similis debetur. Neq; oportet, vt eodem modo homines inter se gratis sibi cõmunicent spiritualia dona, quo Deus nobis donat gratiam suam primam: quia non est eadem inter illos cõparatio, Deus enim non potest ab hominibus vllo modo obligari, nisi in virtute gratiæ, & promissionis suæ, & ideò necesse est, vt aliqua prima gratia antecedat omninò gratis data, ante omnem retributionem antidoralem ex parte Dei, vel meritum ex parte hominis: homines verò suis beneficiis possunt se inuicem onerare, & obligationem ad antidora inducere ante omnem gratiam ab alio receptam, & ideò ex hac parte non repugnat, vt præcedat talis obligatio ante doni spiritualis retributionem; suppositа autem illa obligatione, non est contra rationem doni spiritualis vt possit illius intuitu dari, sicut Deus supposito vno dono gratiæ, alia confert ex aliqua simili obligatione. Ad secundum latè respondsum est: duo enim in illo deducebantur, vnũ, quòd liceat procurare talem retributionẽ gratuitam, aliud, quod liceat in pactum deducere. Primum concedimus post factũ purè beneficiũ, seu obsequium; & hoc solum probat ratio ibi facta. Secundum autem negamus, quia per pactum extrahitur obligatio à gratitudine, & ad iustitiam, & rerum commutationem transfertur, vt declaratũ est. Et ita non habet locum principium illud, licere exprimere; quod de iure ineſt; intelligitur enim, quando per expressionem non additur noua obligatio naturali obligationi existenti, vt Auctores omnes ibi citati declarãt, præsertim Felinus, qui varias glossas, & Doctores allegat, & ex capitibus ibi citatis manifestum est; hîc autem adderetur, & extorqueretur noua obligatio, vt declaratum est. Petebatur autem ibi specialis difficultas de stipendio sustentationis, quam in capite sequenti expediemus.

Ad secundum.

Felinus.

CAPVT XLVI.

An sit Simonia conuentionalis deducere in pactum stipendium sustentationis pro spirituali functione, quæ ex officio non incumbit?

1. HÆc quæstio pertinet ad explicationem secundi membri diuisionis datæ. Circa quod supponimus, quoties fit conuentio de re temporali pro spirituali sub ratione pretij, tunc esse propriissimam Simoniam conuentionalem contra ius diuinum, & humanum. Et ideò circa hoc nulla mouetur quęstio; sed difficultas tota est, quando sit pactum de temporali pro spirituali tribuendo, & non sub ratione pretij, sed sub ratione stipendij. In qua quæstione supponimus primò, stipendium sustentationis licitè dari ministrantibus spiritualia, & ab eis licitè accipi. Hoc est de fide, Matth. 10. Luc. 10. 1. Corinth. 9. Et constat ex vsu Ecclesiæ in Iure canonizato, 1. q. 1. 2. & 3. 12. q. 2. 16. q. 1. in tit. de Præbend. per multa capita; & ex ipsa institutione Decimarum, & præbendarum Ecclesiæ, id manifestum est. Et ratio naturalis id docet, quia *dignus est operarius cibo suo*, vt Christus dixit, & quia *nemo militat suis stipendiis*, vt dixit Paulus. Secundò suppono, hoc stipendium nihil obstare, quominùs spiritualia gratis ministrentur: Christus enim vtrumque coniunxit, gratis date, & cibum sumite. Et ratio etiam suprà tacta est, quia hoc stipendium non datur (vt ita dicam) ratione rei, sed ratione subiecti, id est, non datur vt pretium commensurandum, vel commensurabile ministerio, vel labori operantis, sed conditioni personæ indigenti sua, & familiæ sibi proportionatæ congrua sustentatione, vt satis per se clarum est.

Stipendium sustentationis licitè accipitur, & datur.
Matth. 10. Luc. 10. 1. Corinth. 9.

Ex his ergo nascitur ratio dubitandi circa quæstionem propositam, quia si Clerici ita recipiunt stipẽdium, vt nihilominùs gratis ministrent, etiam Laici ita recipiunt hæc spiritualia, vt nihilominùs gratis dent stipendium sustentationis; nam hæc sunt quasi correlatiua, & ideò pariformitatem inter se seruant, ergo non potest absque Simonia tale stipendium in pactum deduci. Probatur consequentia, tum quia ex vi pacti destruitur illud gratis, quia quod ex pacto fit, iam non gratis fit, nam quod gratis fit, non fit ex debito iustitiæ, quod autem fit ex pacto, eò ipso fit ex debito iustitiæ, tum etiam quia in his spiritualibus non est licitum deducere in pactum id, quod non ineſt, vt præcedenti cap. dictum est, sed hoc peculiare debitum, quod oritur ex promissione, vel pacto, non ineſt ex vi ministerij spiritualis, vt constat, nec ratio sustentationis illam obligationem includit: ergo non licet illam addere, nam additur aliquid pretio æstimabile, & consequenter Simonia committitur. Vnde ad hoc confirmandum valent Iura vulgaria prohibentia omnia pacta in his spiritualibus, cap. vlt. de Pact. cap. *Quàm pio*, 1. quæ. 2. Tertiò valent Iura, quæ permittunt hæc stipendia recipere sponte oblata, non tamen exigere cap. *Quicquid* 101. cum seq. 1. q. 1. cap. *Placuit*, cap. *Sicut Episcopus*. 1. q. 2. & facit cap. *De Eulogiis* distinct. 18. Item valent Iura, quæ dicunt ratione pacti non licere, quod sine illo licet, cap. *Cùm essent*, de Simon. & præsertim induci possunt d. cap. *Sicut Episcopus* 1. qu. 2. & cap. *Tua nos*, de Simon. in quibus significatur, non fieri gratis, quod ex pacto fit. Denique in hoc pacto videtur esse species mali, quæ cauenda est in Simonia iuxta cap. *Audiuimus* eod. In contrarium verò est vsus Ecclesiæ non reprobatus, sed toleratus ab ipsa.

2. Ratio dubitandi.

Cam. *Quam pio.* Cap. *Quicquid.* Cap. *Placuit.* Cap. *Sicut.* Cap. *De Eulogiis.* Cap. *Cùm essent.*

In hac quæstione tres inuenio sentẽtias. Prima simpliciter negat, posse fieri hoc pactum sine Simonia conuentionali, quæ in realem transibit, si pactũ executioni mãdetur. Ita videtur sentire D. Tho. d. q. 100. art. 3. ad 2. Nam post declaratam doctrinã de stipendio sustentationis subdit. *Si autem hæc, pacto interueniẽte fiant, aut etiam cum intentione emptionis, & venditionis, Simonia esset.* Et ita intelligit, & sequitur Anton. dicto cap. 5. §. 3. 14. & sæpè in aliis, Sylvest. ver. *Simonia*, qu. 9. § 3. & 7. & quæst. 3. regul. 3. & in Rosaur. casu. 58. dicit esse communem Theologorum, Richard. distinct. 25. art. 3. quæst. 2. ad 2. Viguer. de institutio. ca. 5. §. 9. ver. 9. Ex Canonistis potest pro hac sententia referri Hostiens. in cap. *Significatum* de Præbend. nu. 3. & 4. Quamuis ille in re pactum admittat, & verbis tantùm neget, & ad eum modum alij loquuntur ibi. & in cap. *Suam* de Simonia. Clariùs id affirmat, Cardin. in cap. *Tua nos*, de Simonia num. 2. Secunda opinio distinguit inter pauperes Clericos, & diuites, nam pauperes possunt sine Simonia pacisci de stipendio sustentationis, non autem diuites. Ita sentit Glossa in d. c. *Suam* ver. *Pro exequiis*. Idem de Innocentius in cap. *Quoniam. Ne Prælat. vic. suas.* & in cap. *Significatum*, de Præbend. Et in idem inclinat Host. ibi, & Caietan. ver. *Simonia* regul. 4. saltem ex Iure positiuo. Fundamentum huius Simoniæ esse debet, quia Clericus diues non habet Ius recipiendi aliquid pro spiritualibus, etiam sub ratione stipẽdij, nec potest illud recipere, ergo si de illo pactum faciat, reuera non pacisci tur de subsidio sustentationis, sed de pretio laboris, ac subinde Simoniacus est. Tertia

3. 1. Opinio. D. Thom. Anton. Sylvest. Richard. Viguer. Hostiens. Gloss. Innoc. Hostiens. Caiet. 2. Opinio. 3. Sententia.

sententia est, paciſci de ſtipendio ſuſtentationis per A
ſe, & ſalua recta intentione, non eſſe Simoniacum,
nec illicitum; ſiue Clericus indigeat, ſiue non, dum-
modo aliàs non teneatur ex officio miniſtrare: nam
tunc poterit contra iuſtitiam peccare. Et hæc ſenten-
tia vera eſt, quam in particulari tractaui de ſtipendiis
Miſſarũ in 3.tom.3.p.diſp. 87. hic verò generaliùs, &
ſub diuerſa ratione tractabitur, ſemperque remitte-
mus ea, quæ ibi dicta fuerint, quoad fieri poſſit.

4. Prima aſſer-tio.

Dico ergo primò: Exigere ſtipendium ſuſtentatio-
nis, etiam præmiſſo pacto, non eſt Simonia. Hæc eſt
nunc communiter recepta ſententia. Illam tradit
Gloſſ. in cap. *Significauit*, de Præbend. & ibi Panor.
num. 8. & in dicto cap. *Suam* num. 12. Et ibi Anan.
num. 8. Item Gloſſ. in cap. vlt. 21. q. 2. per textum ibi, B
quæ ſupponit, Clericos poſſe conduci ad ſpiritualia
miniſtranda, quamuis ordinaria animarum cura non
ſit eis committenda. Eandem ſententiam tenent
Caiet. dicto art. 3. Sot. q. 6. art. 2. Victor. 2. part. nu. 20.
Nauarr. dicto cap. 23. Redoan. part. 2. cap. 27. vbi alios
refert. Et probatur ſolito diſcurſu: quia talis rece-
ptio, vel ex pretio ſtipendij ſub pacto, nec eſt Simonia
contra diuinum Ius, nec contra humanum: ergo non
eſt vlla Simonia vera. Probatur prima pars antece-
dentis primò; quia ſupponimus, pactum ipſum cade-
re ſupra ſtipendium formaliter, vt eſt ad ſuſtentatio-
nem perſonæ, non vt pretium, ergo non obſtante
pacto retinet ſuam rationem ſtipendij, & non fit pre-
tium, ergo ex vi talis pacti nõ venditur ſpirituale pro C
temporali, nec intentio ſtipendij ſic debiti, eſt inten-
tio pretij, ac ſubinde non eſt Simoniaca. Et cõſequen-
ter conuentio illa non facit Simoniam conuentio-
nalem, quia non procedit à Simonia mentali, nec in-
ducit venditionem, nec obligationem repugnantem
cum gratuita miniſtratione ſpiritualium, quia ſtipen-
dium vt ſic, quantumuis ſit debitum non excludit,
quin ſpiritualia gratis dentur, vt declaratum eſt. Se-
cunda ratio optima eſt, quia per hoc pactum non ad-
ditur aliquid, ſed exprimitur, quod ineſt ex natura
rei, ſed tale pactum non inducit Simoniam, vt cap.
præced. dictũ eſt, ergo. Maior patet, quia ſtipendium
ſuſtentationis debetur ex naturali iuſtitia, vt diſer-
tè probat Paulus cit. loco; & tractando de Decimis D
latè diximus. Pactum verò non auget intenſiuè (vt
ſic dicam) hanc obligationem, ſed quia quantitas ſti-
pendij iuſti non eſt ex natura rei determinata, nec
ſemper eſt lege taxata, ideò per pactum, & conuen-
tionem partium determinatur, quod per ſe non eſt
malum, ſed interdum, ac ſæpe eſt neceſſarium, quam-
uis iuxta qualitatem materiæ obſeruandum ſit, vt de-
center fiat, & ſine vlla ſpecie mali, & nimiæ auari-
tiæ, vt infrà dicam.

Caiet. Sot. Victor. Nauar. Redoan.

Gloſſ. Panorm.

5. Altera verò pars de Iure poſitiuo probatur, primò
quia nulla ſpecifica prohibitio Iuris canonici circà
hoc reperitur; neq; etiam generalis ſufficit; tum quia
conſuetudo eſt optima legum interpres, & conſue-
tudo ipſa declarauit, non eſſe hoc ex pactis prohibi- E
tis: tum etiam quia ſolùm prohibentur pacta inho-
neſta, id eſt, quæ repugnant cum gratuita donatione
ſpiritualium, & per quæ ſpiritualia pro temporali-
bus commutantur, vt expoſuit Gloſſ. in cap. vlt. de
Pact. verb. *Ceſſare*, & in cap. *Quàm pio*, q. 2. Quam ibi
ſequuntur Doctores, & in cap. 2. de Tranſact. At ve-
rò in præſenti, pactum de ſuſtentatione non repu-
gnat cum gratuita ſpiritualium adminiſtratione; vt
declaratum eſt, nec etiã pactum cadit ſupra aliquam
permutationem ſpiritualis pro temporali, imò nec
circa rem temporalem ita verſatur, vt maiorem obli-
gationem ad illam exhibendam inducat, quàm ratio
ſtipendij ſuſtentationis ex natura rei ſecum afferat;
ſed verſatur pactum circa determinationem ſtipen-

Gloſſ.

dij, & quaſi actuale exercitium operis, vt ita dicam.
Vnde confirmatur, & declaratur hæc pars, quia vix
poteſt humano modo inter homines fieri hæc datio
ſpiritualium per modum miniſterij, & datio tempo-
ralium per modum ſtipendij, niſi conuentio virtua-
lis, ſeu (vt ſic dicam) in actu exercito intercedat: ergo
etiamſi fiat explicitè, & clarè, non variat honeſtatem
actus. Antecedens patet ex ipſo vſu, nam ſi quis det
Sacerdoti decem aureos in ſtipendium Miſſarum,
neceſſe eſt, vt illud explicet tali modo, vt recipiens
maneat obligatus ex iuſtitia ad illas dicendas, aliàs
cogitare poterit, eſſe donationem abſolutam, vel è
contrario ſiquis petat à Sacerdote, vt decem dicat
Miſſas, daturus poſteà ſtipendium, neceſſe eſt, illis
verbis vti, quib. Sacerdos intelligat, illũ manere ſim-
pliciter; & ex iuſtitia obligatum ad dandũ poſteà ſti-
pendium, aliàs nec dicere auderet, nec deberet, mora-
liter loquendo. Hic eſt ergo modus neceſſarius, &
quaſi naturalis, in quo virtualis conuentio interuenit,
magis, aut minùs expreſſa iuxta conditionem perſo-
narum, & varias cõſuetudines, ergo licet clarè exprí-
matur, nõ poteſt eſſe Simonia: nam expreſſio eorum,
quæ inſunt à Iure, vel ex natura rei, non mutat naturã
actionis, nec facit Simoniam, vt ſuprà oſtenſum eſt,
nec variare ſolet diſpoſitionem, vt ſumitur ex l. 3. ff.
de leg. 1. Et meritò, quia obſcurior, vel clarior locu-
tio parùm refert, ſi per vtramque eadem intentio
explicatur.

6. Obiectio. Dices, per pactum plus exprimi, quàm inſit in re
ex ſola rei natura. Patet, quia ex natura rei ſolùm ge-
neratim ſequitur obligatio ſtipendij ex miniſterio
ſpirituali, per pactum verò determinatur ad tantum,
vel tantum ſtipendium: ergo aliquid additur, ergo
non licet: Taxatio enim hæc prohibita in ſpirituali-
bus eſt, cap. *Dilectus*, 2. de Simonia, ibi. *Sine taxatione.* Cap. *Dilectus.*
Reſpondeo, imò hinc magis probari neceſſitatem Reſpondetur obiectioni.
conuentionis claræ, vbi à lege non eſt taxatum ſti-
pendium, quia quãdo Laicus petit à Clerico ſpiritua-
le miniſterium, pro quo debet ſtipendium reddere, ſi
de modo, vel quantitate ſtipendij non conſtet ex cõ-
ſuetudine, vel lege, neceſſe eſt, vt ſaltem ex conueniẽ-
tia inter partes determinetur, alioqui maneret totum
in arbitrio dantis, quod ſæpè non expedit. Neque hoc
eſt vlla lege prohibitum in his rebus, quæ ex debito
dantur per modum ſtipendij, ſecùs in his quæ tantùm
per liberalem donationem conferri poſſunt, de qui-
bus loquitur dictum cap. *Dilectus*.

7. Secunda aſ-ſertio. Dico ſecundò. Prædicta regula generaliter vera
eſt non ſolùm in pauperibus Sacerdotibus, ſed etiam
in diuitibus, tàm ex temporalibus bonis, quàm etiam
eccleſiaſticis, quando ratione illorum ad tale mini-
ſterium non tenentur ex officio. Ita ſentiunt omnes
Auctores in præcedenti aſſertione allegati. Et ſumi-
tur ex D. Thom. Quodlib. 6. art. 10. Et probatur, quia D. Thom.
licet Clericus paciſcens de ſtipendio diues ſit, non Limitatio nonnullorũ.
petit illud vt pretium, ergo non eſt Simoniacus, quia
non vendit miniſterium. Dicunt verò aliqui, quòd
licet non ſit Simoniacus, nihilominùs peccat. Ita ſen-
tit Richard. in 5. diſt. 45. art. 3. q. 1. ad 2. qui dicit, eſſe Richard.
illicitum Sacerdoti diuiti recipere ſtipendium, etiam
ſine pacto, nam cum pacto etiam de paupere negat
in q. 2. vt allegaui. Et eodem modo videtur procede-
re Sylueſt. d. q. 9. Angel. etiam *Simonia* 2. num. 6. abſo- Sylueſt. Angel.
lutè dicit, non licere, ſi Clericus aliunde habet neceſ-
ſariam ſuſtentationem, quia eſt turpe lucrum, vel
auaritia, licet non ſit Simonia. Conſentit Caiet. d. q. Caietan.
100. art. 3. dub. 2. Significans, etiam mendacium ibi
interuenire, quia talis Sacerdos ſe pauperem fingit.
Sed hæc ſententia vera non eſt, nec habet fundamen-
tum ſolidum, quia hoc ex natura rei malum non eſt, Reiicitur hæc limita-tio.
nec etiam inuenitur prohibitum. Primum patet, quia
nemo

nemo suis stipendiis militare tenetur, etiamsi diues A
sit, ergo licet sit diues, non peccat accipiendo stipendium. Item ille non peccat contra Religionem, quia non est Simoniacus, vt Angel. & Caiet. fatentur, & probatum est neque alio modo irrogat iniuriam rebus sacris, nec etiam peccat contra iustitiam, quia, vt dixi, nemo tenetur suis stipendiis militare, vnde seruat æquitatem ministrando, & recipiendo sustentationem. Nam quòd possit aliunde habere, est per accidens. Nec etiam peccat contra veritarem, aut mentitur, quia petendo stipendium, non profitetur, se esse pauperem, sed velle ex altari viuere, & alia bona, quæ habet, sua voluntate dispensare. Nec in hoc etiam est necessariò auarus; vel aliàs iniquus, quia potest bono fine id facere. Aliàs omnes Canonici, qui vltra pingues præbendas, quibus sufficientissimè B sustentari possent, recipiunt distributiones quotidianas, & anniuersaria, & similia, essent auari, & iniqui, quod dicendum non est. Vnde non video, quo fundamento aliqui hoc vocent turpe lucrum in Clericis diuitibus, nam licet fortè non sit perfectius, nec ordinariè magis consulendum, non potest tamen dici turpe, cùm vitiosum non sit, nec in vitioso actu fundetur.

Stipendium pro muneribus debitis vtrum licitũ sit?

1. Altera verò pars de Iure positiuo satis probatur ex vsu, & quia nulla est lex Ecclesiastica, quæ hoc prohibeat. Imò in Concil. Agath. cap. 36. & habetur capit. vlt. 1. q. 2. vniuersaliter, & sine restrictione dicitur. *Clerici omnes, qui Ecclesiæ vigilanter deseruiunt, stipendia sanctis laboribus debita, secundùm seruitij sui meritum, secundùm ordinationem Canonum à Sacerdotibus conse-* C *quantur.* Vndè licet 1. quæst. 2. cap. *Clericos*, cap. *Pastor*, & sequæst. & 12. quæst. 1. *Illa autem*, cap. *Si priuatim*, & 16. quæst. 1. cap. vlt. dici videatur, non licere Clericis habentibus propria, de bonis Ecclesiæ sustentari; illæ tamen in primis non sunt Ecclesiasticæ leges, sed dicta quædam Hieronymi, Augustini, & Prosperi, quæ legem positiuam non faciunt, sed declarant ea, quæ magis decent statum Clericalem. Et licet interdum vtantur verbis significantibus grauem culpam, non ideò ita loquuntur, quia id per se malum sit, sed quia in tali statu facilè committi potest, si Clerici magis ad congregandas diuitias, quàm ad subueniendum pauperibus, Ecclesiasticis reditibus vtantur. Vnde illæ sententiæ magis habent locum in ipsis Ecclesiasticis beneficiis, & eorum reditibus, quàm priua- D tis stipendiis: & videntur fuisse scriptæ iuxta morem antiquum; quando Ecclesiastici reditus in communi possidebantur, & inter ministros Ecclesiæ non tàm iuxta eorum laborem, quàm pro singulorum indigentia, distribuebantur. Nunc autem videmus beneficia æquè dari diuitibus, ac pauperibus, si aliàs æquè digni sint, & sua ministeria exerceant. Et ita intelligunt sententias illas Gloss. & Doctores eisdem locis, & alij Doctores suprà citati, Præsertim verò Innoc. & Host. & latiùs Panor. in c. *Episcopus*, de Præb. & in lib. Variarum Quæst. q. 4. à num. 12. Quapropter nunc dubiũ non est, quin diuites licitè stipendia accipiant, & petant, & consequenter de illis conueniant, quando ex vi legis consuetudinis, seu beneficij definita non sunt. Et ad hoc parùm refert, quod Clericus sit locu- E ples ex Patrimonialibus bonis, vel ex reditibus beneficij, ratione cuius non tenetur ministrare, vt in d. 3. tomo disp 86. sect. 3. dixi, quia etiam ille non tenetur ex iustitia aliud ministerium exhibere, & ideò non cogitur sine stipendio ministrare, neque de illo pactum faciens magis pacisci tur de pretio, quàm si beneficium non haberet, sed tantùm de stipendio, & ideò nulla est ibi ratio Simoniæ, nec alia intrinseca malitia, aut prohibitio.

Concil. Agat.

2. Secùs verò est, vt in tertia parte assertionis indicaui, quando Parochus, aut alius Pastor Ecclesiæ ex vi sui officij, & beneficij tenetur Sacramenta ministrare, concionari, sacrificium offerre, visitare, & similia opera facere, ratione quorum recipit fructus beneficij, & alios prouentus ratione officij sibi debitos: nam tunc pro illis paciscì de nouo stipendio iniquum est, quia repugnat saltem iustitiæ. Quomodo autem hoc intelligendum sit, & quale peccatum in hoc committatur in cap. sequenti dicemus commodiùs. Dubitari autem potest, an Simoniacum sit; videtur enim non esse, quia etiam tunc non accipitur vt pretium, sed vt stipendium, vt supponitur, & ita non interuenit ibi Simonia mentalis, vnde nec conuentionalis, aut realis interuenire potest. Respondeo in primis, ad minus illam esse Simoniam præsumptam, vt optimè docuit Diuus Thomas d. quæstion. 100. artic. 3. ad 2. vbi de his, qui ex officio tenentur ad hæc ministeria, & pro illis habent statuta stipendia ex reditibus Ecclesiæ, si aliquid exigant, ait: *Non intelliguntur locare operas suas, sed vendere vsum spiritualis potestatis.* Deinde dico, solere in his exactionibus committi Simoniam veram propter Ecclesiæ prohibitiones, quæ de nonnullis exactionibus solent esse speciales, & intuitu vitandi Simoniam. De quibus nonnulla exempla in sequenti cap. subiiciemus.

Resolutio dubij. *D. Thom.*

10. Respõdetur argumentis initio positis.

Ad rationem dubitandi in principio positam respondetur, concedendo, quòd sicut ministri Ecclesiæ gratis ministrant, ita fideles gratis illi præbent stipendium sustentationis, quia sicut illi non vendunt sua ministeria, ita nec isti illa emunt, quia nec isti dant pretium pro re spirituali, nec illi recipiunt. Itaque per comparationem rei ad rem gratis vterque dat, & recipit, quia non dat rem vnam pro alia: Nihilominùs tamen vterque ex debito iustitiæ, quod sui muneris est, exhibet; nam ipsa æquitas iustitiæ postulat, vt si vnus ex officio, vel conuentione, aut ratione stipendij obligatur ex iustitia ad ministrandum, alius teneatur ex eodem iustitiæ debito ad alendum sibi ministrantem. Certum est autem, ministros Ecclesiæ teneri ex iustitia ad implenda sua munera, pro quibus ab Ecclesia aluntur: ergo etiam fideles tenentur ex iustitia dare stipendia. Et in hoc fundantur Decimæ Ecclesiasticæ, & oblationes, & alia similia, quoad iustitiæ obligationem, vt suprà visum est. Et ita supponit apertè Diuus Thomas d. Quodlib. 10. art. 6. & docuit Scot. Quodlib. 20. Cordub. referens alios lib. 1. Quæst. q. 4. dub. 2. & omnes scribentes in hac materia. Errantque valde, qui existimant, hæc stipendia solùm ex ex gratitudine deberi, tunc enim reuera pactum non haberet locum, vt in cap. præced. dictum est: illud tamen fundamentum falsum est, vt probat ratio facta, & à posteriori patet, quia aliàs non tenerentur fideles restituere Decimas, vel alia stipendia, quæ iniquè retinet, quod apertè falsum est. Intercedit ergo ibi debitum iustitiæ, quod non excludit, quominùs stipendium gratis detur in sensu explicato, id est, vt subsidiũ personæ, non vt pretium ministerij. Hac ergo ratione non obstat pactum, quominus largitio, & acceptio temporalium purè fiat. Et sic etiam per pactum non additur noua obligatio, sed explicatur, & declaratur, quæ inest, vt explicatum est.

D. Thom. Scot. Cordub.

11. Ad Iura primo loco adducta quidam respondent, hoc pactum fuisse prohibitum ex vi illorum Iurium, tamen per contrariam consuetudinem esse derogatum illud Ius. Tamen, vt dixi in d. loco tomi tertij non est vera hæc sententia, quia illæ generales prohibitiones non extenduntur ad iusta stipendia, vt hîc etiam declaraui. Vbi autem inuenta fuerit specialis prohibitio, qualis est in Iuribus secundo loco citatis, eo ipso Ecclesia declarauit, illa, quæ gratis oblata

recipi possunt, & non extorqueri, non esse stipendia debita, quia sine illis habent ministri Sacramentorum sufficientes reditus Ecclesiæ ex Decimis, & beneficiis. Et ita etiam illa regula, quæ tertio loco ponitur, quòd pactum facit illicitum, quod sine illo esset licitum, habet locum in pacto de pretio, vt est manifestum in casu cap. *Tuanos*, & in c. *Sicut Episcopum*, in 1.p.illius, vel etiam de exactione improba, & contra iustitiam, quæ per pactum fit de aliqua re, quæ de iustitia non debebatur etiam vt stipendium, & gratis oblata recipi posset, de qua loquitur d. c. *Sicut Episcopum*, in 2. part. illius, & dictum c. *Placuit*, vel intelligitur etiam de pacto dandi rem spiritualem quasi in pretium, vel stipendium obsequij temporalis, quod est clara Simonia, de qua loquitur apertè caput. *Cùm essent*. Ad vltim. verò de specie mali, respondetur, in accipiendo, vel petendo stipendio spiritualis ministerij, nec malum esse, nec speciem mali, cùm sit fundatum in Euangelio, & in ratione naturali. Vnde fit, vt neque in pacto esse possit species mali per se loquendo, cùm hoc in ipsa ratione stipendij aliquo modo contineatur, vt explicaui, cúmque consuetudine receptum hoc sit, quæ sufficit ad omnem similem vmbram tollendam, nisi nimia imprudentia, & auaritia intercedat. Ex quibus sæpè interuenire potest species mali, vel propter inordinata verba, vel propter inordinatum modum. Vnde quantum ad verba, obseruandum est, ne absolutè dicatur dari pecunia pro Missa, vel pro exequiis, funere, &c. Nam hæc verba in rigore sonant venditionem, & licet possint habere alium sensum commodum apud intelligentes, vt latè declarat Vgolinus Tab. 1. cap. 44. §. 11. nu. 9. cum Siluest. q. 5. de Simonia, & Nauar. cap. 23. n. 100. ver. *Quarto*. Nihilominùs ad cauendam speciem mali optimum est exprimere talem pecuniam offerri, vel relinqui ad sustentationem ministrorum, vt admonuit Innoc. quem imitatur Panor. in c. *Significatum*, de Præb. Quantùm ad modum autem, obseruare oportet, vt res simpliciter, & purè transigatur sine contentione nimia, ne res spirituales pro mercatione exponi videantur.

Ca. *Tuanos.*

C. *Sicut Episcopum.*

Cap. *Placuit.*

Cap. *Cùm essent.*

Vgolin. Sylvest. Nauar.

Innoc. Panor.

12. An stipendium hoc possit lege taxari?

Ex hac resolutione expeditur alia quæstio huic annexa, videlicet, An stipendium hoc, possit lege taxari. Quam quæstionem tractaui tom. 3. disput. 87. sect. 2. Et ideò breuiter concludo ex dictis, posse quantitatem stipendij lege definiri. Probatur, quia si potest ex pacto priuato, multò magis ex lege: item potest etiam definiri consuetudine, nam licet hoc stipendium non sit pretium, seruari tamen debet in eo æquitas secundùm proportionem ad sustentationem competentem, quæ optimè iudicatur iuxta communem æstimationem, quam consuetudo declarat, secluſa lege: ergo & per legem fieri poterit. Vnde per statuta Episcopalia ita fieri solet, & ex Iure communi possunt aliqua exempla sumi, quæ infrà insinuabimus. Ratio verò est, quia iurisdictio non deest in Prælatis Ecclesiæ, & in ipsa actione nihil mali est ex obiecto, & alioqui potest esse vel necessaria, vel conueniens ad pacem, & Religiosum modum seruandum in his exactionibus, & ad subueniendum etiam necessitatibus Clericorum, præsertim pauperum, & mercenariorum.

13. Dupliciter potest fieri hæc taxatio.

Vt verò citato loco notaui, duobus modis potest hæc taxatio fieri, vno modo quoad augmentum, vt scilicet possit exigi vsque ad tantam quantitatem, vel summam, & non maiorem, alio modo quoad diminutionem, vt non minus detur, vel accipiatur. Certum est ergo, priori modo stipendia hæc conuenientissimè taxari, quia in ea taxatione præcisè spectata sola negatio maioris quantitatis rei temporalis præscribitur, in qua limitatione minuitur fomẽtum auaritiæ, & per eam fit, vt spiritualia cum minori onere temporali recipientium ministrentur. Et ita hic modus videtur esse magis vsitatus in Iure. De posteriori autem modo taxationis, solet esse controuersia: nã diuus Thomas dicto artic. 3. ad 2. videtur improbare statuta, in quibus ita taxantur stipendia funerum verbi gratia, vt cum minoribus non admittantur. Et Vgolinus Tab. 1. c. 44. §. 1. num. 7. certum esse putat, tale statutum esse nullum, & continere Simoniam, & refert. Sylvest. ver. *Simonia*, quæstion. 12. verb. *Quinto*, Tabien. num. 18. verb. *Decimo septimo*, Angel. *Simonia* 3. num. 10. Et rationem adhibet, quia per talem taxationem fit venalis Missa, vel suffragium, quia propriũ pretij est sic esse taxatum, §. 1. de Instit. de emptione, & venditione.

D. Thom.

Vgolin. Tabien.

Angel.

Sed nihilominùs veram omninò esse existimo sententiam, quam in eodem loco tradidi, statutum taxans pretium quoad quantitatem minimam, scilicet vt non minor sit, si respiciat dantes, & non accipientes, & illis præcipiat facere iustitiam, & his non prohibet gratiam, nec Simoniacum esse, nec illicitum, sed posse esse honestum, & conueniens. Vt rectè docuit Corduba lib. 1. Quæst. q. 4. dub. 4 Et in primis non interuenire ibi Simoniam probatur, quia per tale statutum nihil præcipitur dari tanquam pretium, sed solùm in eo agitur de stipendio sustentationis, vt tale est, quatenus illud esse potest minus, quàm par sit, & quàm necessarium sit, vt Sacerdotibus decenter subueniatur. Probatur præterea, nam per pactum, in quo de stipendio conuenitur inter partes, illo modo fit taxatio, vt tantùm dandum sit, & non minus, idque fit sine Simonia, vt vidimus: ergo licet fiat per legem, non erit Simonia. Atque hæc ratio probat simpliciter hoc non esse per se illicitum, quia si per pactum non est, nec per legem erit, quia obiectum est eiusdem rationis, & sicut in particulari facto possunt concurrere rationes sufficientes, ob quas id sit necessarium, vel conueniens; ita in aliqua communitate, vel diœcesi, possunt similes rationes cum proportione inueniri. Potest enim sæpè id esse necessarium ad honestatem, & decentiam Sacerdotum. Respectu verò vniuersalis Ecclesiæ non intercedit ordinariè hæc necessitas, vel conuenientia, tamen eo modo, quo in legibus vniuersalibus esse potest, non deest, neque illius exempla. Nam lex Decimarum taxat quotam, vt à fidelibus minor dari non possit in sustentationem ministrorum, quantum est ex vi illius Iuris. Item Canones sub titulo de Censibus non solùm prohibent, ne procurationes vltrà certam quantitatem accipiantur, sed etiam statuunt, quid dari debeat, & ex vi illorum Iurium possunt cogi subditi à Prælatis, vt integrè, & sine diminutione illud tribuant: licet ipsi Prælati moderari id possint, & debeant quando oportuerit, vt in eisdem Iuribus admonentur. Præterea, statuunt Iura Canonica, vt Clerici non ordinentur, nisi habeant, vnde sustententur congruenter. Et Concilium Tridentinum sæpè prouidet, vt vicariis tàm perpetuis, quàm conductitiis congrua fructuum portio semper assignetur, vt videre licet sessione 6. capit. 2. de Reformatione, sessione 7. cap. 5. & 7. & sæpè alibi. Vnde Summi Pontifices in vnionibus beneficiorum, quando illas concedunt, taxare solent stipendium dandum vicario, vt non sit infrà certam quantitatem. Denique consuetudine sæpè ita introducitur hæc taxa, vt non censeatur iustum stipendium Missæ, si minus sit, & infrà vsitatam quantitatem, ergo idem fieri poterit per statutum: hæc enim regulariter æquiparantur in his, quæ contra commune Ius non sunt.

14.

Cord.

Conc. Trid.

Dixi autem, debere statutum, quoad hanc partem, dirigi ad dantes, quia ad illos pertinet congruam sustentatio-

15.

ſtentationem dare miniſtro ſpirituali pro ratione ſui muneris, & ſtatus, & hanc congruam ſuſtentationẽ poteſt ſtatutum arbitrari, & determinare, & tunc imponit neceſſitatem dantibus, vt tantùm ſtipendiũ tribuant, & aliàs æquitatem, & iuſtitiam ſeruare non cenſeantur. Si enim iudex poteſt hoc arbitrari, & cogere ad ſoluendum poſt miniſterium factum, vt reuera poteſt, cur non poterit lex, anticipata taxatione ad tollendas extorſiones Laicorum, vel alia ſcandala? Cum ipſis autem miniſtris non eſt, quòd talis lex loquatur, per ſe, ac regulariter loquendo, quia illi poſſunt cedere Iuri ſuo, & gratis miniſtrare, ſi velint, & conſequenter etiam poſſunt partem taxati ſtipendij remittere, neque eſſet rationabile, hoc eis
D. Thom. prohibere, quia eſſet (vt D. Dhom. dixit) præcludere
D. Thom. viam *gratis officium pietatis impendendi*. Et ita D. Thom. ſolùm de hoc vltimo puncto locutus eſt, & non fundat illud in ratione Simoniæ, quia reuera in hoc nulla eſſet, ſed in irrationabili prohibitione, & contra charitatem, vt patet ex verbis citatis, nec alij Auctores aliud intendunt, niſi quod Diuus Thomas dixit,
D. Thom. Syluest. vt patet ex Siluest. quæſtion. 11. ver. *Quintum*, vbi prius incautè Simoniã vocat, in fine verò concludit, quod ſi recta ſit intentio in ſtatuentibus, non erit
Tabien. D. Thom. Simonia. Tabiena etiam ſolum tranſcripſit verba Diui Thomæ num. 16. §. *Nunc dicendum*, & idem habet Angelus loco citato. Et idem eſt de aliis Auctoribus, vt citato loco dixi. Vbi etiam addidi, hoc vltimum non eſſe ita intrinſecè malum, quin aliquando in communitate aliqua poſſit eſſe conueniens, imò, & vſitatum, vt ibi declaraui, & confirmat etiam Corduba citato loco.

16. Ad argumenta ergo in contrarium, negatur per huiuſmodi taxationem fieri venale ſpirituale miniſterium, quia non omne, quod taxatur, pretium eſt, quamuis enim de ratione pretij ſit, vt ſit taxatum, id eſt, definitum, & certum, vel ex conuentione partium, quod ſolùm dicitur in illa lege ciuili, non tamen è conuerſo quicquid taxatur, pretium eſt, nam etiam congrua ſtipendia taxari poſſunt, quia in illis debet etiam ſeruari certa æquitas, quæ aliqua certa menſura indiget. Taxatio ergo ſolet eſſe indicium pretij. quando non ſubeſt alius titulus honeſtus, & rationabilis iuxta cap. *Dilectus*, 2. de Simonia, quando autem ſubeſt titulus, & interuenit, vel publica conſuetudo, vel auctoritas Prælati ſtatuentis ex rationabili cauſa, ceſſat non ſolùm vera ratio pretij, verum etiam omnis præſumptio illius.

CAPVT XLVII.

Vtrùm exigere ſtipendium pro functione ſpirituali debita ex officio, vel beneficio, ad veram Simoniam conuentionalem pertineat?

1. DIximus obiter in capite præcedenti non eſſe licitum, paciſci de nouo ſtipendio, quando miniſterium ſpirituale ex officio debitũ eſt, quod officium habet annexum beneficium, nihilominùs tamẽ ſolent in hoc fieri exactiones aliquæ, quæ vim habẽt pactionum, & conuentionum, quia vt fiat miniſterium, aliquid temporale exigitur, ita vt vel expreſsè, vel tacitè interueniat conditio: faciam, ſi dederis vel non faciam, niſi daturus ſis, quæ vim habent pacti, vt conſtat, & ideò declarandum eſt, quando huiuſmodi exactiones Simoniam conuentionalem inuoluant. Exempla ſunt multa in Iure, quando pro Baptiſmo, benedictionibus, & aliis Sacramentis, vel Sacramentalibus aliquid temporale exigitur: item in ingreſſu beneficij, vel Canonicatus, &c. ſolet aliqua exactio fieri, vt ex vſu conſtat, & ex Iuribus referendis. Quamuis autẽ ex ſuperioribus conſtet, hoc non poſſe pretio vendi, defendi nihilominùs ſolẽt huiuſmodi exactiones titulo ſtipendij, vel alio ſimili, quod neceſſariò ad hoc reducendum eſt, vt infrà dicam. Et ideò exponere neceſſe eſt, quando hęc ratio exactionis ab iniuſtitia, vel Simonia excuſet. Pro cuius reſolutione aduerto, interdum id, quod ſic exigitur, eſſe Iure Eccleſiaſtico permiſſum, vel conceſſum, aliquãdo verò eſſe prohibitum: aut tertiò poteſt eſſe, vel conſiderari ſecundùm ſe vt non conceſſum poſitiuè, nec prohibitum Iure poſitiuo.

2. Dico ergo: temporalia commoda, quæ Iure Eccleſiaſtico conceſſa ſunt miniſtrantibus ſpiritualia ex officio, iuſtè, & abſque Simonia exigi poſſunt. Ratio eſt, quia Eccleſia habet Ius, & poteſtatem ad ſtatuendum, quid ſuis miniſtris dandum ſit ad conuenientem ſuſtentationem, cuius iudicium ad ipſam pertinet, non ad ſubditos, quibus miniſtri Eccleſiaſtici inſeruiunt: & ad hoc Ius, & poteſtatem Eccleſiæ, ſpectant præcepta Decimarum, & Primitiarum: ergo quoties aliquid ſimile per Eccleſiaſticam legem conſtitutum eſt, iuſtè exigitur tanquam debitum. Quam rationem attigit D. Thom. dicta q. 100. art. 3. ad 3. Duobus autem modis inuenimus hoc ſtatutum ab Eccleſia vltrà Decimas, & Primitias. Vnus eſt non tàm pręueniendo fideles per pręceptum, quàm acceptando eorum ſpontaneas voluntates, & ſecundùm illas Ius conſtituendo. Et tale eſt Ius Oblationum ſtatutum in cap. *Ad Apoſtolicam*, de Simon. Nam ſuppoſita voluntaria conſuetudine fidelium offerendi pias oblationes, Eccleſia vult laudabilem conſuetudinem obſeruari, & conſequenter confert Ius miniſtris ſuis ad petendas illas: in modo tamen exigendi honeſtam adhibet moderationem, vt non extorqueantur priuata auctoritate, ſed per Prælatos, vbi negatæ fuerint, vt ſuprà tract. 2. lib. c. notauimus cum D. Th. 22. q. 86. ar. 1. Si autem in hoc modo exigendi excedatur, non videtur pertinere ad Simoniam, niſi ratione ſcandali, vel præſumptionis, ſed propriè videtur pertinere ad vſurpatam iuriſdictionem, vt ſentit Caiet. verb. *Simonia*, circa 2. cap. ver. *Quartò nota*, Nec de his oblationibus plura hîc dicenda ſunt, cùm in ſuperioribus ſint dicta.

1. Aſſertio.
D. Thom.
Caiet.

3. Alius modus imperandi hæc temporalia onera, eſt abſolutus, & independens à voluntaria oblatione fidelium, ſed per ſe ex poteſtate Eccleſiæ. Et de hoc modo inueniuntur nonnulla exempla in Iure, licet pauca. Vnum eſt de quodam quaſi tributo, quod in Iure præcipitur ſolui Epiſcopis, & *Cathedraticum*, appellatur, quia in honorem cathedræ datur, vt latè exponitur 10. q. 3. per totam, & *Synodaticum*, etiam dicitur, quia pro Synodo cogenda præſcribi ſolebat, vt ſumitur ex c. *Conquerente*, de Offic. Ordi. vbi inter Epiſcopalia iura hoc numeratur, & ad duos ſolidos taxatur, quos à ſingulis Eccleſiis poſſit Epiſcopus accipere vltra alios prouentus. Sed in hoc iam ſeruãdæ ſunt conſuetudines, vt Innoc. Abb. & alij Doctores ibi notant, & Archid. c. 1. de Præb. in 6. Aliud exemplum eſt de procurationibus, ſeu certis ſtipendiis, quæ viſitantibus Prælatis dari præcipiũtur in d. cap. *Conquerente*, & ferè per totum titulum, extra de Cenſib. præſertim cap. *Cùm Apoſtolus*, c. *Cùm venerabilis*, c. *Procurationes*: & in lib. 6. c. 1. §. 1. & penult. & cap. *Relatum*, cum aliis 10. q. 3. Quamuis enim intentio horũ Iurium præcipuè dirigatur ad moderãdas huiuſmodi procurationes, ne viſitantes Prælati nimium ſint ſuis ſubditis graues, & oneroſi, nihilominùs in eis ſupponitur aliquid conſuetum, vel moderatum viſitantibus dandum eſſe, quod nomine procurationum ſignifi-

Tributum cathedraticum.
Ca. *Conquerente*.
Innoc. Abbas. Archid.
Ca. *Cùm Apoſt.*
C. *Cùm venerabi.*
C. *Procurationes.*
C. *Relatum.*

significatur. Et ex eisdem Iuribus constat has procurationes ad sustentationem Prælatorum dari, & ita stipendij titulo honestè recipi, ac præcipi, & consequenter ab ipsis Prælatis exigi posse.

4. Obiectio. Sed obiici potest, quia Decimarum solutio videtur sufficiens stipẽdium pro omnibus ordinariis ministeriis, quæ ex officio conueniunt Ecclesiæ Pastoribus, ergo non possunt Iure communi pro priuatis aliquibus functionibus speciales prestationes imponi. Vt, si in particulari loquamur de procurationibus, Episcopi non minùs tenentur visitare diœcesim ex officio, quàm alia Pontificalia exercere, vt signare, seu confirmare infantes, ordinare, iudicare, & similia, & pro toto suo munere præstando recipiunt pingues reditus Episcopatus, ergo titulus sustentationis in exigendis procurationibus fictus est, & consequenter insufficiens ad purgandam labem Simoniæ.

Sot. Propter hoc Sot. q. 7. art. 2. ad 3. putat, Episcopos diuites non posse tuta conscientia petere procurationes sibi à Iure concessas, sed immeritò in hoc iniicit scrupulum. Nam Iura nihil distinguunt, vnde nec nos distinguere debemus, nam si Iura voluissent solùm pro pauperibus Episcopis illas procurationes concedere, omninò debuissent id indicare. Accedit, quòd Concil. Trid. Concil. Trid. sess. 24. c. 3. de Reformatione cùm non ignoraret plures Prælatos habere pingues reditus, & in rigore sufficientes ad suam sustentationem, nihilominùs eis permittit accipere victualia procurationum loco, dum visitant, saltem vbi hoc habet consuetudo, hæc ergo constitutio ab omnibus indifferenter seruari potest. Ad difficultatem verò respõdemus, hoc stipendium sustentationis non consistere in indiuisibili, nec limitari ad solas Decimas, alias vbi Decimæ essent copiosæ, non liceret recipere alias oblationes, nec prædiorum Ecclesiasticorum reditus, & alios similes fructus. Et ideò vltra Decimarum prouentus interdum imperantur alia stipendia specialia, vbi speciales rationes occurrunt, & specialiter in visitationibus hoc factum videtur propter accidentales, & extraordinarias expensas, quas in illis facere necesse est, item vt Episcopi non excusentur, sed promptiores sint ad illas faciendas, & fortasse in principio id factum est, quia Episcopatus erant tenuiores, licet autem postea creuerint, Ius non mutatur, sicut de aliis prouentibus constat, sed ipsi Episcopi obligantur magis ad pia opera, & ad subueniendum pauperibus, quò plura habent suæ sustentationis subsidia.

5. §. Assertio. Dico secundò. Quando Iure cummuni prohibentur aliæ exactiones pro ministeriis, vel actionibus spiritualibus, graue peccatum est, temporalia stipendia petere pro huiusmodi actionibus, quandiù tale Ius derogatum non est. Vtraque pars est per se satis clara: nam illa prohibitio non excedit potestatem legislatiuam Ecclesiæ, & ratio prohibitionis est honestissima, & consentanea iustitiæ, & Religioni: ergo obligat in conscientia sub graui culpa, oportet autem, vt tale Ius in sua vi conseruetur, nam si derogatum sit, iam non est Ius, quomodo autem derogari possit, infrà dicemus. Sunt autem multa exempla huius prohibitionis, præsertim sub titul. de Simonia c. *Non satis*, ibi autem fit prohibitio sub nomine pretij, & ideò non multum probat. Tamen in c. *Cùm in Ecclesiæ*, districtiùs fit prohibitio, *Ne aliquid exigatur* pro benedicendis nubentibus, seu aliis Sacramentis conferendis, seu collatis: & in ca. *Sicut pro certo*, damnantur extorsiones, & exactiones turpes, & prauæ, & taxationes de his, quæ danda sunt pro consecrationibus Episcoporum. Abbatum benedictionibus, & Clericorum ordinationibus, & prohibetur; *ne quocumque prætextu hæc fiant*. Vnde etiam sub titulo sustentationis prohibentur. Et in capit. *Iacobus*, prohibetur exactio prandij in receptione noui Canonici. Et in c. *In tantum*, in fine, reprobatur consuetudo, *exigendi marcham argenti in Archidiaconi inuestitura*, vel aliam rem temporalem, aut pecuniæ quantitatem minorem in minoribus præbendis. Similes prohibitiones inuenientur in c. *Quicquid* 101. cum sequentibus 1. quæst. 1. & in cap. *Ex multis*, cum aliis 1. quæst. 3. Si quis enim attentè consideret omnia dicta Iura, quando prohibent exigere, vel petere aliquid pro ministerio Ecclesiastico, loquuntur de Prælatis, vel aliis Clericis, qui ex officio tenentur Ecclesiæ ministrare, & ad hoc sufficientes reditus, & præbendas recipiunt, & ideò meritò prohibentur exigere quidpiam aliud, quia petere aliud stipendiũ iniustum est, & alius titulus non supereſt, nisi pretij, qui est Simoniacus. Vbi autem non proprium ministerium spirituale exercetur, sed sola admissio ad possessionem beneficij, aut dignitatis, vel præbendæ, ibi vix ratio stipendij iusti interuenit, & ideò exactiones illæ non habent iustum titulum, & pro ipsis beneficiis spiritualibus fieri censentur, & sub ea ratione prohibentur.

Cap. *Iacobus*. Cap. *In tantum*. Cap. *Quicquid*. Ca. *Ex multis*.

Sed quæri circa hoc potest. An peccatum contra has prohibitiones commissum, sit propria Simonia, supponendo, has leges derogatas non esse, sed obligare. Videri enim potest, non esse Simoniam, quia illæ exactiones non fiunt sub ratione pretij, & de hoc constat dantibus, & petentibus, sed vel ratione consuetudinis, quæ potuit augere stipendia, etiamsi alij darentur reditus, vel ratione extraordinarij laboris, vel certè interdum ad quandam amicabilem communicationem, vt in prandiis pro admissione Canonici, vel denique ad aliquod pium opus, vel pro frabrica, aut supellectilibus Ecclesiæ, ergo in rigore non est Simonia, quicquid sit de alio genere culpæ. Respondeo, secluſa consuetudine, de qua statim, ex natura rei videri iniustitiam, quãdo exigitur aliquid, vt debitum, quia nulla interuenit ibi iusta ratio faciendi tales exactiones, vt constat ex declaratione dicta. Vnde ex natura rei est etiam ibi præsumpta Simonia, vt superiorĩ cap. dixi. Imò est valdè probabile, esse etiam Simoniam veram ex natura rei, quoties per exactionem extorquetur temporale, denegãdo spirituale debitum, nisi temporale detur, quia tunc licet quis dicat se non habere intentionem vẽdendi, sed gratis recipiendi, in ipso vsu, & exercitio contrarium profitetur, quod satis est ad Simoniam, sicut suprà dicebam de exigente obligationem dãdi aliquid colere gratitudinis. & in aliis similibus. Addo verò, certius multò esse positis illis legibus, esse veram, & propriam Simoniam, per earum violationem extorquendo temporalia pro spiritualibus, modis ibi prohibitis. Ratio est in superioribus sæpè repetita, quia prohibitio illa fit intuitu Religionis, & vitandi Simonias in tali materia, vnde constituit illam materiam in tali genere virtutis, ac vitij, etiamsi anteà de se non esset, quam rationem in cap. seq. magis prosequemur.

6. An peccatũ contra has prohibitiones sit Simonia.

Reſpõdetur quæstioni.

7. An consuetudo possit hoc honestare? Resolutio.

Secundò, quæri potest circa eandem partem, An hæc, quæ sic sunt prohibita Iure communi, possint honestari per statuta Episcopatuum particularium, aut Prouinciarum, sine antecedente consuetudine, nam de hoc statim dicemus. De hoc puncto latè disputant Canonistæ in cap. *Cum Monachorum*, de Constitutione. Et in capit. *Iacobus*, de Simonia. Sed breuiter assero, stante Iure communi, talia statuta si sint ei contraria, iniqua esse, & nullam vim habere in virtute statutorum (vt à consuetudine nunc abstineam) siue exactio sit ad pios vsus, siue ad alios humanos sumptus, vel vtilitates accipientium. Probatur, quia inferior

inferior non potest statuere contra Ius Superioris, A alioqui nullum est statutum, sed talia statuta sunt contra Ius commune: ergo. Respondent aliqui, Ius cõmune loqui de proprijs exactionibus, in quibus aliquid vt pretium accipitur, & per modum venditionum fiunt. Re tamen vera si iura attentè legantur, non recipiunt hanc interpretationem, quia generaliter prohibent omnem turpem extorsionem, & exactionem, & quocunque prætextu. Et hæc assertio communis est Doctorum in dictis locis, & videri præsertim possunt Host. Abb. & Felinus dicto c. *Iacobus*, Abb. in dicto c. *Cum maioribus*, n. 16. & 25. Dec. n. 28.

s. Dixi autem, si sint Iuri communi contraria, nam si tantùm sint diuersa, vel in alia forma feratur, poterũt esse honesta, & valere iuxta ea, quæ statim dice- B mus de consuetudine, nam quoad hoc eadem est ratio. Sic ergo limitant assertionem Innocentij, & alij Doctores, vt procedat, quando statutum ipsum præcipit exactionẽ facere, non verò si tantùm præscribat, quid recipiendum sit, si alter sponte dare id velit sine exactione, vel vi aliqua denegando illi spiritualia, vel aliter illi molestiam inferendo. Quæ limitatio mihi vera videtur, quia posita illa, iam statutum non erit contra Ius commune, quia dicta iura, vt vidimus, tantùm prohibent exactiones. Sed

Obiectio. obiici potest c. *Delectus*, 2. de Simon. quatenus in eo permittitur, aliquid gratis oblatum recipi, dummodo sine taxatione oblatum sit, vbi autem statutum intercenit, iam taxa præcedit. Respondeo in

Soluitur. primis c. illud loqui solùm de ingressu Religionis, C & non oportere extendi ad alia, cùm reuera nõ sint in omnibus similia. Deinde dico, si statutum non ordinat exigendum, sed quasi proponat quid acceptari possit, si sponte detur: tunc non propriè taxare, quid dandum sit, sed potiùs quid non dandum sit, id est, vt alia, vel maiora non petantur, seu proponantur. Nam cùm illud ipsum, de quo statutum disponit, possit minui, sicut & negari ab eo, à quo sic petitur, non potest dici propriè, & in rigore esse taxatum. Itaque in hoc statuto non video malitiam, nec contrarietatem cum Iure communi, si rigorosam exactionem nõ imponat. Tunc autem sine dubio ad minus est contra Ecclesiasticum Ius. Posset autem quæri, an hæc prohibitio sit purè Ecclesiastica, & an possit per contrariam consuetudinem a- D brogari, sed hæc dicentur melius cap. sequenti.

9. Dico tertiò, vbi nec approbatur, nec prohibetur
3. Assertio. Iure communi, huiusmodi exactio temporalis muneris in administratione spiritualium, ab his qui ex officio tenentur illa ministrare, nisi fiat ex iusta causa publica auctoritate probata, illicita est, & iniusta, & Simonia saltẽ præsumpta. Hæc assertio est communis Doctorum. Et sumitur ex D. Thom. dicta q. 100. art. 3. ad 3. & ibi Sot. & aliis. Et hoc etiam probant Iura suprà allegata, damnant enim hanc exactionem tanquam per se improbam, vt sequenti c. latiùs dicam. Ratio verò est suprà facta: quia ministrantes spiritualia ex officio, habent ab Ecclesia

D. Thom. Sot. consignatos reditus suæ sustentationis, ergo non possunt licitè extorquere aliquid aliud per modum E stipendij, alioqui manifestam iniustitiam committunt, necverò habent alium iustum titulum exigendi, ergo illicitè, & Simoniacè exigunt, quia cùm nõ habent iustum titulum, conuincuntur illud exigere pro ipso spirituali ministerio, seu beneficio, & ex illo, ac per illud temporalem quæstum facere, quod vel est propria Simonia, vel saltem præsumitur, & tale sacrilegium est, vt ad Simoniam meritò reducatur.

10. Dices: Possunt hoc postulare non ad propriã vtilitatem, sed ad pium aliquod opus. Respondeo primùm hoc non excusare iniustitiam, quia non habet minister Ecclesiasticus Ius cogendi alium, vt suis sumptibus opus piũ faciat, supponimus enim aliàs nõ teneri, sed propter solam receptionẽ spiritualiũ ad hoc cogi, & hoc planè est iniustum, vt cap. seq. latiùs dicemus. Deindè dico, non omninò purgari suspicionem Simoniæ illo titulo quia ordinariè nõ procurant Prælati, vel alij ministri spiritualium hęc pia opera per talia media, nisi vt se exonerent ab aliqua obligatione faciendi suis sumptibus talia opera, vel vt alienis sumptibus videantur, vel Ecclesias ornare, vel subuenire pauperibus, & ita semper opus refunditur in aliquam propriam vtilitatem, quamuis autem non redundaret, & intentio esset bona, medium est iniustum, vt dixi.

Obiectio Expeditur.

11. Dices: Contingere potest, vt reditus Episcopatus, præbendæ, aut beneficij sint tenues, & non sufficiãt ad sustentanda onera personæ, status, & officij, ergo tunc licitum erit aliquid exigere hoc titulo. Respõdeo, propter hanc solam exceptionem additum à nobis esse in assertione, *Nisi fiat ex iusta causa*. Nam hæc sine dubio iusta causa est. Addidimus autem oportere, vt talis causa auctoritate publica probata sit, quia inordinatũ esset, vniuscuiusque priuati Parochi arbitrio hoc relinquere, aliàs vnusquisq; causari posset indigentiam, & insufficientiam sui beneficij ad suam sustentationem. Oportet ergo, vt aliqua lege, vel statuto, aut consuetudine id declaratum sit iuxta dicenda in cap. seq. vel certè vt Prælati auctoritas interueniat. Vnde licet Glos. in c. *Suam*, *Gloss.* de Simon. absolutè dicat, in simili casu posse Sacerdotem aliquid exigere, si ei sumptus desint, vel intelligenda est de Sacerdote, qui ex officio ministrare non tenetur, vel certè addendum est, posse id facere, causa approbata à Prælato, ad quem spectat prouidere, vt inferiores pastores populorum ab eisdem alantur sufficienter, vt in eodem c. Panor. notauit. n. 10. Et idem habet Felin. ibi n. 3. allegans *Panor.* *Felin.* alios. & dicens esse communem sententiam. Attingitque rationem traditam, *quia sequitur* (inquit) *absurdum, quod iudicaret in facto proprio*. At verò si indigentia similis in ipsomet Prelato, seu Episcopo fuerit, crediderim, ipsum posse statuere modum, quo sibi sufficienter per oblationes fidelium vel similia subsidia prouideatur. Ita enim in simili notatur à Doctoribus in c. vnic. Vt beneficia sine diminutione conferantur, per textum, & in c. *Conquerente*, de *Ca. Conquerente.* offic. ordin. & in c. *Cùm Apostolus*, §. *Prohibemus*, de *C. Cùm Apostolus. §. Prohibemus.* censib. vbi specialiter id notat Card. Requiritur tamen iuxta illum textum, vt causa rationabilis manifesta sit, alioqui si sit dubia, probanda erit per superiorem, vt ibi notat Gloss. Denique iuuat Concil. Trid sess. 24. cap. 14. de Refor. quatenus Episcopis committit, vt examinent statuta permittentia huiusmodi exactiones, & si iusta esse cognouerint, illa sustineant. Est ergo in Episcopis potestas ad probandam iustam causam talium exactionum. Et tũc non censentur contraria Iuri communi, quod loquitur de ministris habentibus ab Ecclesia sufficientem sustentationem, vt omnes intelligunt. In modo autem exigendi, oportet seruare regulas à Iure statutas, vt in sequenti capite dicemus.

Cardin. Gloss. Concil. Trid.

CAPVT XLVIII.

An exactiones temporalium pro spiritualibus, consuetudine possint honestari, ita vt propter solam illam, à labe Simoniæ conuentionalis excusentur?

Vt in

1. Explicatur difficultas.

VT intelligatur, quid in hoc puncto possit habere difficultatem suppono primò nulla consuetudine introduci posse, vt licitum sit, dare temporale pro spirituali per modum pretij. Hoc per se est euidens, quia illud est intrinsecè malum, & contra Ius diuinum, ergo nulla consuetudo potest contrarium inducere, aut honestare. Et hoc confirmant à fortiori multa Iura, quæ similes cõsuetudines, vel etiam minùs mala reprobant tanquam corruptelas, quæ Iura paulò inferiùs indicabimus. Suppono secũdò, ita esse licitũ accipere aliquid temporale pro spirituali per modum stipendij sustentationis, vt ad honestandam talem receptionem, vel petitionem, nulla consuetudo necessaria sit, nec ab illa pendeat. Quia Ius ipsum diuinum non solùm hoc approbat, sed etiam præcipit, ergo in hoc nihil potest operari consuetudo: sed ad summum poterit deseruire vel ad tollendam omnem suspicionem, quia consuetudo declarat illud peti vt stipendium iustum, & non vt pretium, vel ad derogandum alicui prohibitioni merè positiuæ, si in modo exigendi stipendium lata sit. Sicut aliqui dixerunt de his Clericis, qui absque obligatione officij ministrãt quoad faciendum pactum de stipendio. Licet enim exemplum in re verum non sit, vt suprà vidimus, non repugnat tamen ita fieri. Quocirca proposita quæstio non habet locum in his simplicibus ministris, quia illi, quod ad Ius attinet, nihil plus possunt ratione consuetudinis, quàm iure naturæ possint: sed quod spectat ad factum poterunt ratione cõsuetudinis plus, vel minus exigere, & in modo exigendi poterunt etiam toleratam consuetudinem sequi, quia in his nihil circà illos Ius commune disposuit.

2. Versatur ergo quæstio de his, qui ex officio spiritualia ministrant, de quibus suppono tertiò, posse per laudabilẽ consuetudinem acquirere Ius ad aliquas oblationes fidelium extraordinarias, id est, nõ pertinentes ad Iura Decimarum, vel alios stabiles reditus Ecclesiarum, aut beneficiorum. Id constat ex c. *Ad Apostolicam*, de Simonia. In earum tamen exactione seruanda est forma præscripta, vt tetigi c. præced. & latiùs in superioribus. Vnde hoc modo clarum est consuetudine honestari petitionem aliquam temporalis doni pro administratione spiritualium quæ sine consuetudine honestè non fieret, & labem, vel suspicionem Simonię haberet, hoc autem non fit per talem consuetudinem mutando Ius diuinum, vel humanum, sed solùm mutando materiam Iuris, quia nimirum per consuetudinem fit debitum stipendium, quod absque consuetudine non fuisset. Habet autem locum hæc consuetudo citra omnem cõtrouersiam in oblationibus voluntariis, quæ ad diuinum cultum fiunt, vel immediatè, & directè, vt in his, quæ ad altare offeruntur, vel ex relatione offerentium mediatè, vt in his, quæ ad sustentationem ministrorum, vel sumptus templorum à fidelibus sponte offeruntur. Quæ omnia per se satis constant ex dicto c. *Ad Apostolicam*, & ex suprà dictis de his oblationibus.

Ca. *Ad Apostolicam.*

3. Dubiũ principale.

Difficultas ergo tantùm superest, an aliæ exactiones temporalium pro spiritualibus actibus possint consuetudine honestari, non quidem mutando Ius diuinum, vel in illo dispensando, quod fieri non poterit, sed vel mutando obiectum illius Iuris, & faciendo, vt sit stipendium debitũ id, quod non erat, vel certè derogando in ea parte Iuri humano, si in aliquo obstiterit. Ratio autẽ difficultatis est, primò quia per consuetudinem possunt abrogari humanę leges: illa ergo omnia, quæ in hac materia tantùm sunt prohibita Iure humano, possunt per contrariã consuetudinem licita fieri: In quo est magna differentia inter consuetudinem, & statutum, etiamsi vtrumq; in vnius prouinciæ tantũ, vel Episcopatus quod per statutum non potest derogari Iuri communi, per consuetudinem verò potest. Et ratio differentiæ est, quia statutum fit sola inferioris potestate, & ideò non potest præualere contra legem Superioris, consuetudo verò supponitur nota Superiori, & per illum approbata, saltẽ tacitè, & ideò in tali loco potest derogare illius legi. Vnde si statutum particulare esset approbatum per Pontificem, tunc esset æquiparatio. Secundò piæ consuetudines in hac materia obseruandæ sunt iuxta c. *Ad Apostolicam*, de Simon. sed non repugnat, has exactiones temporalium munerum pro spiritualibus ministeriis esse pias, quia possunt peti non in pretium, sed in subsidium, ergo si piæ fuerint, seruandæ erunt. Tertiò hoc maximè confirmat Concil. Trid. sess. 24. c. 14. nam supponit aliquas cõsuetudines huiusmodi esse prauas, & alias pias. Et ideò præcipit examinari, & discerni, vt piæ retineantur, aliæ auferantur: ergo sunt aliquæ consuetudines, quæ possunt hanc exactionem honestare.

Differimen inter consuetudinem, & statutum.

Conc. Trid.

4. In contrarium verò est, quia consuetudo reprobata per legẽ, non potest vires resumere, nec dare Ius, nec præualere contra legẽ, vt latè docet Couar. plures referens lib. 3. Var. c. 13. n. 4. Greg. Lop. in Leg. 3. tit. 2. p. 1. Glos. 6. & Nauar. in Comm. de spol. §. 14. n. 8. Et ratio est, quia tũc consuetudo dicitur reprobata per legem, quando non solùm simpliciter prohibetur, sed etiam prohibetur, quia ipsa est per se iniqua, & bonis moribus contraria, sed in præsenti materia leges Canonicæ ita prohibent has exactiones, vt consuetudines illarum omninò reprobent vt malas: ergo non possunt præualere, aut dare Ius. Minor patet ex c. *Non satis*, ibi, *Nec sub obtentu cuiusquam consuetudinis*. Et additur ratio: *Quia diuturnitas temporis non diminuit peccatum, sed auget.* Quæ ratio supponit, consuetudinem esse de re per se mala, alias potuisse consuetudine purgari. Idem in capite, *Cùm in Ecclesiæ.* & in cap. *In tantùm*, ibi, *Prauam illam consuetudinem*, &c. Et clariùs in cap. *Sicut pro certo*, ibi. *Tantùm abolere volentes, abusum, consuetudinem huiusmodi (quæ magis dicenda est corruptela) penitùs reprobantes.* Et confirmantur hæc valdè ex cap. vlt. de Consuet. Vbi his modis explicatur, quando consuetudo per se mala sit, & Iuri diuino contraria. Videntúrque hæc Iura in hoc fundari, quòd talis exactio est iniusta, cùm Ecclesia deputauerit sufficientes reditus pro sustentãdis his ministris, omnibúsque oneribus eorum: & ideò non caret vitio, aut vehementi suspicione Simoniæ.

Couar. Greg. Lop. Nauar.

Cap. *Cùm in Eccles.* C. *In tantùm.* C. *Sicut pro certo.*

5. In hoc puncto Doctores conueniunt non omnẽ cõsuetudinem in hac parte reprobandam esse, quãuis sæpè iniqua esse possit, & suspicionem habere possit Simoniæ, saltem in Ecclesiastico foro, nisi ex circunstantiis, & adiunctis præsumptio purgetur. Hanc sententiam communiter docẽt Auctores statim referendi. Et videtur conuinci rationibus pro vtraque parte factis: & maximè auctoritate Concil. Trid. Ratione etiam declarari potest, quia materia talium consuetudinũ non est intrinsecè mala, quia in illa nihil aliud est intrinsecè malum, nisi vel accipere temporale vt pretium rei spiritualis, quod est Simonia, vel exigere non debitum tanquam debitum, quod est iniustitia: sed neutrum est intrinsecè connexum cum tali actione, non est ergo intrinsecè mala. Minor quoad priorem partẽ probatur, quia potest temporale peti non vt pretium, sed vt subsidium sustẽtationis, vel interdum pro expensis, quas fieri contingit. Et similiter probatur quoad alteram partem, quia vtroque titulo accidere potest, vt illud

In quo Doctores conueniant.

C. *Non satis.*

vt illud quasi tributum imponatur iustè ab habente potestatem. Hinc ergo fit, vt talis consuetudo sæpè possit esse iniqua, saltem ex iniustitia, & ex turpi auaritia (quæ in Ecclesiasticis personis maximè detestanda est) & consequenter propter speciem Simoniæ, & vehementem suspicionem, quam illæ radices inducunt. Et augetur valdè ex repugnantia Iurium, quando contingit, consuetudinem versari in eisdem rebus, seu actionibus, de quibus prohibitiones Iurium loquuntur. Nihilominus tamen non repugnat, tales occurrere circunstantias, quæ ostendant, consuetudinem iusto titulo, & ratione esse fundatam, & consequenter omni Simoniæ suspicione carere. Cui etiam fauet, quòd similes consuetudines non introducuntur, nec conseruantur sine auctoritate Prælatorum Ecclesiæ, de quibus rectè semper est præsumendum, nisi contrarium constet; ergo non possunt in vniuersum damnari tales consuetudines, argumento capitis. *Mos antiquus*, cum aliis. 65. distinct.

6. Quæ cõsuetudo in hac materia pro bona sit. *Tabien.*

Difficultas verò est in explicando, quæ consuetudo in præsenti materia pia, & honesta iudicanda sit, quæ verò reprobanda. Ad hoc respondet Vgolin. Tabien. primo cap. 9. §. 11. num. secundo, illam consuetudinem esse laudabilem, quæ Simoniam non inducit, nec Simoniam sapit, intelligit etiam nec sordidam auaritiam, aut iniustitiam. Verumtamen hoc est, quod inquirimus; quando consuetudo censeri poterit immunis ab his sordibus, & qualiter discerni poterit. Ad hoc ponit idem Auctor alia duo signa in §. 10. num. octauo: Vnum est, tunc consuetudinem aliquid accipiendi esse liberam à suspicione Simoniæ, quando sine consuetudine posset absque Simoniæ vitio, vel suspicione idem dari in eadem occasione, seu pro eodem ministerio, & accipi recta intentione. Verumtamen hæc regula esset optima ad discernendas consuetudines laudabiles, quæ introductæ censentur ex spontanea voluntate offerentium, de quibus iam diximus: hîc autem de illis agimus; quæ per viam tributi, impositi, & exactionis semper, & ab initio impositæ fuerunt. Et ideò non potest etiam ad hunc casum aptari secundum signum, quo etiam frequenter Canonistæ vtuntur, distinguentes laudabiles consuetudines à non laudabilibus, ex eo, quòd priores à pia, & religiosa dantium liberalitate originem ducunt, posteriores verò ab exactione, & necessitate. Vt tradunt Glossa, Hostiensis, Abbas, Felin. Socin. & alij in cap. *Ad Apostolicam*, & cap. *Suam*, de Simon. & in capit. *Cum Mat.* de Constit. & fauet etiam D. Thom. dicta quæst. 100. artic. 3. Sot. quæstione nona, articulo 2. Anton. dicto cap. 5. §. 22. Syluester quæst. 11. Hæc enim distinctio optimè accommodatur ad eas consuetudines, quæ sunt de oblationibus piis, & sacris, & directè ad diuinum cultum ordinatis; quæ quidem habere debent spontaneam originem, vt docuit D. Thomas quæst. 86. art. 1. & supponitur in dicto cap. *Ad Apostolicam*, & regulariter præsumuntur illam habere, nisi certis indiciis oppositum constet. Nunc verò non de his consuetudinibus agimus, sed de illis, quæ meram exactionem præ se ferunt, & eandem habuisse originem dignoscuntur. De his enim loquitur apertè Concilium Trident. Nam quæ solui solent in electione præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, & collatione, & similibus, de quibus Concilium loquitur, non solent solui spontaneè, nec præ se ferunt tale initium: & tamen de eisdem iubet Episcopis, *Vt de consuetudinibus super prædictis cognoscant*. Et inter eas supponit, esse posse aliquas laudabiles, quæ excipiendæ sint, aliis reprobatis.

Duo signa.

Aliud signũ.

Glossa. Hostiens. Felin. D. Thom. Sot. Anton. Sylues.

7. Aliter etiam videntur iidem Canonistæ inter has consuetudines ex fine illarum sumere distinctionem. Nam interdum tales exactiones fiunt ad pios vsus, vt ad subuentionem pauperum, ad ornatum Ecclesiæ, vel similes: interdum ad solam vtilitatem extorquentium: priores censent esse pias consuetudines, posteriores prauas, & detestandas. Et ideò priores non reprobari, & posse prævalere contra ipsum Ius; posteriores autem minimè, sed potiùs esse reprobatas ipso Iure. Ita ferè Panormitanus, Felin. & alij in dicto cap. *Iacobus*, & in dicto cap. *Cum Maior*. & Proposit. in dicto cap. *Ex multis*, primò, quæstione secunda, & idem sentit Sylvester quæst. 13. verb. *Quintum*: nam sequitur Panormitanum. Et quamuis tandem non videatur probare distinctionem, intelligit quoad statutum, non quoad consuetudinem. Ita enim Panormitanus distinxit. Et illam distinctionem esse communiter probatam docet Nauarrus dicto capit. 23. num. 102. verb. *Vndecimo*. Vbi etiam sentit, Concilium approbasse illum modum distinguendi inter laudabiles, & reprehensibiles consuetudines. Et idem habet Constit. 18. de Pœnitent. & remis. num. 5. & Vgolin. suprà, & colligitur ex illis verbis, *Vt quæcumque huiusmodi in pios vsus non conuertuntur*, & ratio reddi potest, quia si temporale petitur ad pias causas, eò ipso spirituale fit, & ita tollitur labes Simoniæ; nam spirituale pro spirituali commutatur: si autem petatur ad propriam vtilitatem, manet purè temporale. Nihilominùs distinctioni, si ei aliquid addatur, non videtur satisfacere. Primò, quia dicta Iura indistinctè loquuntur, & damnant omnem exactionem, & in ea ponunt rationem improbitatis, & non tantùm in fine, ad quem petuntur temporalia, quia illa exactio præ se fert Simoniam, vel speciem eius quæ cauenda dicitur in dicto cap. *In tantum*, & cap. *Audiuimus*. Secundò, quia in dicto cap. *Ex multis*, in particulari reprobantur exactiones etiam ad pios vsus. Tertiò, addi potest ratio, quia vt sit licita exactio, quæ tanquam debita, & necessariò soluenda postulatur, non satis est, quod ad pium vsum postuletur, sed oportet supponere iustum titulum petendi, vt probat apertè dictum caput *Ex multis*, Vnde licet Concil. Trident. iudicet exactiones ad pios vsus faciliùs posse præsumi iustas; non tamen dicit id sufficere. Et ratio reddi potest, quia nemo potest iustè cogi ad expendendum in pios vsus, quæ non tenetur; nec consuetudo sola sine alio titulo potest hoc iustificare, quia est contra Ius naturale, & contra iustitiam. E' contrario etiam quòd petitio fiat ad propriam vtilitatem petentium, non videtur esse sufficiens signum consuetudinis ita prauæ, vt reprobanda statim sit, tanquam corruptela, quia potest illa vtilitas esse rationabilis, vt si consuetudo introducta sit propter necessitatem ministrorum, vel propter aliquem extraordinarium laborem, vel per modum cuiusdam distributionis, vt in tali actu assistant, & ad illum libentiùs inuitentur.

Panor. Felin. *Sylvest.* *Nauar.*

8. Conclusio. Dico ergo, consuetudinem hanc vt Iuri cõtrariam nunquam posse honestari, nec contra illud prævalere ad derogandum ipsum: posse tamen tot circunstantiis, & conditionibus vestiri, vt non sit Iuri contraria, sed honesta, ideóque retineri possit, non quia deroget Iuri Ecclesiastico, sed quia non est contra illud. Hæc resolutio sequitur ex priori assertione, communi sententia probata. Et prior pars ostenditur sufficienter rationibus priori loco suprà positis. Et declaratur in hunc modum, nam Iura suprà citata non prohibent in hac parte, nisi vel id, quod per se malum est, vel quod magnam habet mali speciem & suspicionem. Quandiù ergo consuetudo fuerit de re per se mala, siue ratione Simoniæ, siue ratione

iniuſtitiæ, clarum eſt, non poſſe præualere. Idem autem eſt, quandiù habuerit mali ſuſpicionem, & ſpeciem Simoniæ, vel turpis auaritiæ in materia ſacra, & ſpirituali: nam meritò eccleſiaſticum Ius talẽ conſuetudinem ſimpliciter, & abſolutè reprobat tam in præteritum, quàm in futurum, quia licet non videatur tam intrinſecè mala ratione iniuſtitiæ, vel Simonię, nihilominùs tamen ratione ſcandali, & mali exẽpli, & cuiuſdã irreligioſitatis habet quandam intrinſecam deformitatem, ratione cuius poteſt abſolutè, & omninò prohiberi, & conſtitui in ratione ſacrilegij, & Simoniæ ita prohibitæ, vt nunquam poſſit honeſtari, ſi eandem ſuſpicionem, & ſpeciem mali ſecũdùm ſe retineat. Hoc ergo modo veriſſimum eſt, cõſuetudinem illam vt Iuri contrariam, nunquam poſſe præualere.

2. Atque hinc concluditur, ad honeſtandam conſuetudinem, vel materiam eius, neceſſarium eſſe, vt tales conditiones, ac circunſtantiæ occurrant, quæ non ſolùm veram malitiam ex obiecto auferant, ſed etiam ſpeciem, & ſuſpicionem mali ſufficienter purgent. Si enim conſuetudo has duas proprietates habuerit, iam non erit reprobata per legem, quia non eſt, cur reprobetur, vt priora etiam argumenta oſtendunt: ſi autem aliqua illarum caruerit, & malitiam, vel ſpeciem eius retinuerit, ſemper erit reprobata, vt poſteriora etiam argumenta conuincunt. Et apertè ſenſit Concil. Trid. dicto cap. 14. ibi. *Ingreſſus eos, qui Simoniacæ labis, aut ſordidæ auaritiæ ſuſpicionem habent, fieri non permittant.* Supponit ergo ſufficere talem ſuſpicionẽ, vt talis conſuetudo reprobanda ſit. Et è conuerſo cum hæc ponatur veluti adæquata cauſa reprobationis, ceſſante illa, non erit conſuetudo ex reprobatis à Concil. & conſequenter neq; à Iure communi, quod ipſummet Concilium paulò inferiùs renouat. Quod etiam confirmant verba eiuſdem Concilij, nam facta exceptione laudabilium conſuetudinum, ſubiungit. *Reliquas vt prauas, ac ſcandaloſas reiiciant, & abolcant.* Ergo excipit illas conſuetudines, quæ nec prauæ ſunt, nec ſcandaloſæ: tales autem ſunt, quæ non ſunt per ſe malæ, nec ſuſpicionem mali habent; ergo quando has duas conditiones habuerint, retineri poterunt. Vt autem has duas conditiones habeant, vel habere præſumantur, tria videntur neceſſaria. Primum, vt petitio iuſtè reduci poſſit ad ſtipendium ſuſtentationis debitum, non ratione ſolius conſuetudinis, ſed etiam ratione ſuæ originis, quia nimirum à principio propter indigentiam miniſtrorum cœpit tale onus imponi: nam præter hunc, nullum alium inuenio iuſtum titulum, quo talis exactio ab iniuſtitia, & à Simonia ſaltem præſumpta (etiam ſeclusa poſitiua prohibitione) excuſari poſſit. Nam exactio ad pium opus, niſi credatur eſſe onus reale beneficio impoſitum, (vt eſſe aliquando poteſt, vt in ſuperioribus dixi) non poteſt iuſtè imponi perſonæ, niſi reducatur ad leuamen, & ſubſidium miniſtrorum, quibus cura talium operum incumbit, nam aliter non eſt iuſta, & conſequenter non caret ſpecie Simoniæ. Loquor autem ſemper de exactione, quia in oblatione pia, quæ ſpontaneam habeat originem, ſecus eſt, vt dixi.

10. Interrogatio expeditur. Dices: Quomodo poterit cognoſci talis origo poſt inueteratam conſuetudinem? Reſpondeo, in primis ex materia ſubiecta poſſe ſatis veriſimiliter coniectari, nam ordinariè non ſolent homines talia munera ſponte offerre, ſed aliqua neceſſitate coacti. Deinde adhibẽt Canoniſtæ, diſtinctionem aliam inter Clericos, & Laicos, nã Laici ſolẽt ſponte facere pias oblationes Clericis; & ideò quãdo conſuetudo eſt Laicorum in ordine ad Clericos, præſumitur habere ſponteneum initium; Clerici autem non ſolent has oblationes voluntarias facere aliis Clericis, nec in Eccleſiis, & ideò quando aliquid temporale pro ſpirituali conferunt ex conſuetudine, ſignum eſt, nec eſſe, nec fuiſſe vnquam illam contributionem ſpontaneam, ſed impoſitam. Quæ coniectura formaliter intellecta probabilis eſt, licet non ſit vniuerſalis. Dico autem formaliter, quia interdũ Clericus offerre poteſt more Laicorum vt in funeribus. Dico etiã, non eſſe vniuerſalem, quia etiam in Baptiſmo, & aliis Sacramentis, quæ conferuntur Laicis, ſolent fieri interdum ſimiles violentæ exactiones, quæ in Iure prohibentur, vt patet ex ca. *Placuit*, 2. & cap. *Emendari*. 1. q. 1. Et interdum etiam Clerici ſolent Clericis aliquid ſponte offerre, vt ſumitur ex cap. *De Eulogiis* 18. diſt. Maximè ergo ſpectanda eſt materia, & occaſio muneris cum aliis circunſtantiis locorum, & perſonarum; ex quibus etiam coniectandum eſt, an iuſtus titulus ad talem exactionẽ ſub eſſe potuerit, quod ſi probabiliter potuit interuenire, præſumendus eſt iuxta rectam rationem, & communes regulas.

Cap. Placuit. Cap. Emendari. Cap. De Eulogiis.

11. Præterea, neceſſarium eſt, vt talis impoſitio ſufficienti auctoritate, & poteſtate facta ſit; quia non poſſunt priuatæ perſonæ, etiamſi indigeant, imponere huiuſmodi onera his, qui ſpiritualia recipiunt, vt in cap. præced. dictum eſt, & ex natura rei conſtat. Difficile autem eſt hanc etiam conditionem in ipſa origine agnoſcere, tamen ſi res ipſa rationabilis appareat ex parte materiæ, & aliarum circunſtantiarum, ipſa conſuetudo eſſe poteſt ſufficiens teſtis huius conditionis. Et præſumi debet, niſi aliud obſtet. Vt ſenſit Nauarrus Conſ. tertio de Simon. & notat latè Felin. alios referens in cap. *Ex parte*, primo de officio deleg. Maximè verò poterit obſtare indebitus modus exigendi. Et hæc eſt tertia conditio in primis neceſſaria ad honeſtandam cõſuetudinem, nimirum vt exactio non ſit conſueta fieri modo ſpecialiter prohibitio in Iure, qualis eſt extorquere temporalia, negando ſpiritualia, niſi priùs temporalia dentur, vel (quod idem eſt, quicquid aliqui dicant) certa cautio eorum; hunc enim modum maximè Iura deteſtantur, quia ſpeciem habet mali, vt dicitur in cap. *Audiumus*, & imaginem venditionis in ca. *Intantum*. ideóque prauæ exactiones dicuntur in ca. *Ad Apoſtolicam*. Et ita ſi quis rectè conſideret allegata Iura, ſemper inueniet aliquem ex his defectibus in exactionibus ibi prohibitis. Quando ergo has conditiones habet, conſuetudo tolerari poterit, debet autem priùs examinari ab Epiſcopo, & permitti iuxta decretum Cõcilij Tridentini. Non omittant etiam aduertere, in hac materia maius eſſe periculum in exigentibus, quam in ſoluentibus, quia qui ſoluere coguntur ab iniuſtitia, immunes ſunt, nam ſi qua interuenit, illam patiuntur, non faciunt; à Simonia autem ſola recta intentione liberari facilè poſſunt, quia non intendunt dare pretium, ſed onus vel rei impoſitum, vel ſibi imperatum ab eo, qui poteſt; & cuius factum ipſi examinare non tenentur. Et ideò facilè excuſari poterunt à prohibitione poſitiua, ſi qua fuerit, quia bona fide credunt, conſuetudinem non eſſe Simoniacam, & quia ordinariè Iura prohibentia has exactiones magis loquuntur cum exigentibus, quam cum ſoluentibus.

Nauar. Felin.

Cardin. in c. Iacobus & c. Ad Apoſtolicam de Simon.

12. In hac materia ferè æquiparatur ſtatutũ conſuetudini. Ex quibus tandem colligitur, in hac materia ferè æquiparari ſtatutum conſuetudini. Quod ſentit Ludou. Gomez. in regul. de Triennali poſſeſſ. q. 12. Vbi alios allegat. Et iuxta dicta eſt intelligendum. Quia licet differentia ſuperiùs aſſignata inter arguendum vera ſit, hîc non rectè applicatur, quia non admittimus conſuetudinem, quaſi derogantem Iuri communi ex tacita approbatione Pontificum per ſcientiam, & patiẽtiam: quia reuera nulla interuenit talis deroga-

Quid requiritur ad bonitatem cõſuetudinum circa hoc.

derogatio, nec Iura citata illam permittunt; ſolùm ergo toleratur conſuetudo, quando talis eſt, vt ex parte materiæ, & modi non ſit communi Iuri contraria. At verò hoc modo etiam ſtatutum erit validũ, ſi non ſit contra Ius commune, ſicut eſſe poteſt, ſi in illo concurrant conditiones propoſitæ: ergo æquiparantur. *Concil. Trid.* Atque hoc etiam ſumi poteſt ex Concil. Trid. dicto cap. 14. nam pariformiter loquitur de conſuetudinibus, & ſtatutis. *Nauar. Vgolin.* Quod notauit etiam Nauar. cap. 23. nu. 102. verb. *Vndecimo.* Et Vgolin. d. cap. 9 §. 11. Dixi autem ferè, quia licet conſuetudo in hoc conueniat cum ſtatuto, quòd debet verſari circa materiam iuſtam, & à ſuſpicione Simoniæ alienam; ſuperat tamẽ in hoc, quòd pluribus titulis honeſtari poteſt ex parte materiæ; poteſt enim eſſe indicium realis oneris, & non perſonalis, cum tamen reale onus non poſſit fortaſſe per particulare ſtatutum beneficio imponi; per conſuetudinem, etiam poteſt præſumi auctoritas Papæ, ſi neceſſaria ſit, vt in d. Conſt. 3. Nauar. attigit, per *Nauar.* ſtatutum autem minimè, niſi de expreſſa confirmatione conſtet.

CAPVT XLIX.

Vtrùm vera Simonia, ſaltem prohibita, committi poſſit per gratuitã largitionem ſine conuentione tacita, vel expreſſa, vel eius intentione; & conſequenter an poſſit eſſe Simonia realis ſine conuentianali?

1. QVæ hactenus diximus de Simonia conuentionali, communia eſſe poſſunt Simoniæ reali; nam omnis Simonia conuentionalis, ſicut includit mentalem, ita ſi ad effectum perducatur per traditionem, & acceptionem rerum, in realem tranſit. Præſens autem quæſtio propria eſſe videtur Simoniæ realis; nam virtute inquirit, an poſſit interdum committi vera Simonia realis ſine propria conuentionali. Quæ ſanè quæſtio non videtur habere difficultatem, nec rationem dubitandi, ſi ex ſola rei natura, & ſecluſa Eccleſiæ prohibitione, pertractetur. Quia pars negans videtur manifeſta. Nam temporale donum gratis datũ non habet rationem pretij, vt ſuprà declaratum eſt; ſine temporali autem dono habente rationem pretij rei ſpiritualis non committitur Simonia contra Ius naturale; ergo ex natura rei non poteſt committi Simonia, vbi largitio rei temporalis eſt merè gratuita. Ergo nec poteſt eſſe Simonia realis ſine conuentionali ſaltẽ tacita & intenta. Probatur hæc vltima conſequentia, quia vbi nulla eſt cõuentio ſeu pactio, nulla eſt commutatio vnius rei pro alia, nec etiam eſt onerosa datio, vel acceptio: ergò tantùm eſt gratuita donatio, ergo ſecluſa omni conuentione intelligi nõ poteſt, quòd realis largitio Simoniaca ſit. Quod etiam in cap. 36. latè probauimus.

2. An gratuita largitio poſſit prohiberi.

Hoc ergo naturali Iure ſuppoſito, difficultas eſt, an per prohibitionem Iuris Eccleſiaſtici fieri poſſit, vt aliqua largitio, & acceptio temporalis muneris, facta occaſione ſpiritualis miniſterij, & non pro illo, nec ex vllo pacto, aut intentione eius, ſit vera Simonia quia prohibita.

3. Pars affirmatiua.

Pars enim affirmans videtur probari ex Iure in cap. 1. de Simon. Vbi prohibetur ominnõ aliquid dari ab eo, qui ordinatur, vbi etiam gratuita donatio videtur prohiberi: ſed illa prohibitio magis declarata eſt in cap. *Cap. Sicut Epiſcopum.* *Sicut Epiſcopum.* 1. q. 2. vbi non prohibetur ordinato, quin poſſit aliquid dare ſponte oblatum, & non poſtulatum, ſed tantùm Epiſcopi, & miniſtri eius petere prohibentur. Et inde etiam ſumitur argumentum, quia petitio per ſe non excludit gratuitum donum, & nihilominus ſi petatur, & detur etiam gratis, ſuppoſita prohibitione, erit Simonia. Tamen illa prohibitio renouata, declarata, & aucta eſt in Trident. ſeſ. 21. ca. 1. de Reformat. ibi. *Etiam ſponte oblatum.* Secũdò videtur fieri ſimilis prohibitio in ca. 1. §. Penult. de Cenſib. in 6. vbi de Prælato viſitante ſuam diœceſim dicitur: *Caueat, ne ipſe, vel quiſque ſuorum aliquod munus, quodcunque ſit, & qualitercumque offeratur, præſumat recipere.* Prohibetur ergo acceptare etiam gratuitam donationem, ergo ſi recipiat illam, Simoniam committit. Et ita declaratur illa prohibitio, eique pœna interdicti, vel ſuſpenſionis adiicitur in cap. 2. eiuſdem tit. Et ſimilis prohibitio habetur in cap. *Statutum.* §. *Inſuper*, de Reſcript. in 6. Vbi ponderandum eſt verbum *qualitercumque.* Tertiò ſunt multa Iura, quæ prohibent antecedentem receptionem rei temporalis ante ſpiritualem datam, vel etiam concomitantem, non autem conſequentem, vt in cap. *Quàm pio*, & in cap. *Sicut Epiſcopum*, 1. quæſt. 2. Et tamen etiam antecedens largitio poteſt eſſe gratuita, ſi verò prohibita ſit, erit Simoniaca. Item in cap. *Renouari*. 1. q. 1. Videtur prohiberi etiam ſpontanea oblatio in Baptiſmo facta. Ac denique in Trident. ſeſ. 24. cap. 18. de Refor. Videtur etiam gratuita largitio, & acceptio prohiberi: & additur, *Alioquin Simoniæ vitium incurrant.*

Cap. Quàm pio. *Cap. Sicut Epiſcopum.* *Cap. Renouari.* *Concil. Trid.*

3. Pars negatiua.

In contrarium verò eſt, quia tam intrinſecè repugnat rationi Simoniæ per ſolam gratuitam donationem, & receptionem committi, vt non videatur eſſe ſub poteſtate legis humanæ facere, vt talis modus Simoniæ reperiatur, quia de ratione Simoniæ eſt contractus oneroſus tacitus, vel expreſſus, quo ſpirituale pro temporali commutetur, vt patet ex definitione ſuprà data, & ex Gloſ. 1. in cap. vlt. de Pact. Item Gloſ. in cap. 1. de Simon. ver. *Vendere*, ibi communiter probatæ. Et ſumitur ex cap. *Gratia*. ca. *Gratiam*, cum ſimilibus 1. q. 1. Declaratur à ſimili, quia vbi mutuum nõ intercedit, non poteſt facere humana prohibitio, vt vitium vſuræ committatur in receptione alicuius rei, nam licet poſſit illam receptionem prohibere, & facere, vt ſit iniqua, vel aliàs iniuſta, tamen quòd ſit vſura, facere non poteſt, ſi mutuum non ſupponitur, quia deficit fundamentum vſuræ, quod eſt mutuum: nam ſi mutuum non eſt, nec vendi poteſt: ergò nec committi vſura, quæ conſiſtit in venditione mutui. Ergo ſimili modo in præſenti abſque oneroſa præſtatione non poteſt facere prohibitio humana, vt inſurgat Simonia per ſolam gratuitam largitionem, vel acceptionem, etiam ſi poſſit facere, vt illa ſit aliàs mala, vel iniuſta ratione prohibitionis. Et ratio proportionalis eſt, quia etiam deficit fundamentum Simoniæ, quod eſt venditio, ſeu commutatio rei ſpiritualis pro temporali; nam qui gratis donat, non vult commutare, nec poteſt facere prohibitio, vt gratuita donatio non ſit gratuita, licet poſſit facere, vt ſit mala, ergò non poteſt facere, vt ſit Simoniaca, quia illa duo ſimul eſſe repugnant. Nam ſi temporale eſt gratuitum, etiam ſpirituale erit gratuitum, & conſequenter nullo modo venditum; tollitur ergo Simoniæ fundamentum.

Gloſſ.

4.

In hoc puncto dicendum eſt priùs de poſſibilitate huius Simoniæ quia prohibitæ, & deinde de facto an ſit aliqua talis, & quando poſſit ex prohibitione Canonum colligi. In priori enim puncto aliqui exiſtimant, in hac ſpecie non poſſe veram Simoniam intercedere, etiam ex vi Eccleſiaſticæ prohibitionis, non quia in vniuerſum nulla ſit vera Simonia cõtra Ius poſitiuum, vt dixit Durandus, ſed quia licet aliis modis, vel in aliis largitionibus dari poſſit, non tamen in hac ſpeciali materia propter rationem factam. Alij verò per contrarium extremum opinari, poſſunt, quoties Ius Canonicũ prohibet aliquid gratis recipere pro aliquibus functionibus, aut rebus,

cõstituere actum prohibitum intra proprium vitium Simoniæ. Quia non videtur posse negari hæc potestas Canonicæ prohibitioni, semel autem data potestate, & stante prohibitione, non potest cum fundamento fieri discretio inter peccata commissa contra huiusmodi prohibitionem, & ideo generaliter dicendum erit, malitiam illam esse Simoniam. Sed media via tenenda est.

5. 1. Assertio. Dico ergo primò, posse per legem Canonicã prohiberi gratuitam largitionem, & receptionem ratione spiritualis beneficij, aut ministerij, seu intuitu illius factam, constituendo contrarium actum in vera specie Simoniæ, etiamsi dans, quantum in se est, re vera non intendat, nisi ex liberalitate, vel gratitudine donare. Hanc assertionem probant multa ex Iuribus citatis: & sumitur etiam ex interpretibus illorum, & ex Doctoribus suprà allegatis contra Durandum, nam inter aliàs Simonias contra ius humanum, hanc ponunt, & alios statim commemorabimus. Potestque suaderi ex dictis de materia, & de pretio Simoniæ: nam ex illis capitibus potest dari Simonia quia prohibita, ergo etiam ex parte venditionis, nam est eadem ratio, sicut enim ibi per prohibitionem aliquid constituitur in ratione materiæ Simoniæ, quod natura sua non erat, & aliquid in ratione pretij, quod non erat tale ex natura rei: ita aliquam commutationem, vel pactionem, seu largitionẽ temporalem cum ordine ad spiritualem receptionem, potest prohibitio efficere proximam materiam Simoniæ, quæ de se talis non erat: nulla enim sufficiens ratio dissimilitudinis reddi potest. Quòd si aliqua talis actio, vel cõpositio inter spirituale, & materiale de se non Simoniaca potest per legem Canonicã prohiberi vt Simoniaca, profectò etiam gratuita donatio facta ratione rei spiritualis tali, vel tali modo licet de se iniqua non sit, potest ex vi prohibitionis fieri Simoniaca. Probatur consequentia, quia potest interuenire eadem ratio prohibitionis in eadem materia Religionis, & eodem intuitu. Et hoc etiam confirmant dicta in præcedenti cap. 9. Nam lex Ecclesiastica prohibet aliquas exactiones temporalium rerum pro spiritualibus, etiamsi non petantur vt pretia, sed vt stipendia, vel pia opera, si habeant suspicionem Simoniæ, vel turpis auaritiæ: qua prohibitione stante, actio est vera Simonia, etiamsi intentio non dirigatur ad pretium, nec largitiones illæ sint extra latitudinem gratuitarum remunerationum; ergo stante simili causa, & ratione, poterit talis prohibitio extendi ad dona gratuita non extorta, sed omninò oblata.

6. Declaratur autem hæc ratio, & simul contraria soluitur. Nam licet gratuita donatio vt sic, non sit contractus onerosus, nec permutatio vnius rei pro alia, tamen quando res non donatur, nisi aliqua alia recipiatur, ita vt vel ex modo, & occasione donationis cõstet, vel saltem verisimiliter appareat, donationem illam non fieri sine respectu, & ordine ad aliam: tunc licet fortè in re ipsa, & coram Deo talis donatio gratuita sit, corã hominibus habet quãdam vmbram, & suspicionem permutationis, ergo meritò potest lex ecclesiastica propter reuerentiam rerum sacrarum, & ad vitanda pericula Simoniæ, illam dationem tanquam Simoniacam prohibere. Patet consequentia, quia stante prohibitione, sub illo intuitu actio illa est contra Religionem, & iniuriosa rei, vel actioni sacræ per modum cuiusdam commutationis, saltem apparentis, & ea ratione prohibitæ, ergo habet malitiam contra Religionem, quæ ad aliud vitium eius non spectat nisi ad Simoniam. Vnde licet illa non sit vera venditio, potest esse vera Simonia, quia satis est, quod sit apparens vẽditio, seu præsumpta, aut suspecta venditio rei spiritualis, & quòd eo titulo sit lege prohibita. Et ita est intelligenda Simoniæ definitio, sicut de aliis particulis diximus, scilicet vt sit venditio, aut vera quoad Simoniam contra ius diuinum, aut reputata per legem quoad Simoniam prohibitam. Dices; erit ergo talis Simonia non vera, sed putata, vel præsumpta. Respondetur, negando consequentiam, quia præsumptionem, & apparentiam habebat talis actio de se, & ante prohibitionem Ecclesiæ; per prohibitionem autem constituitur in ratione veræ Simoniæ, quia iam est actio verè prohibita sub tali ratione, & ita imago illa venditionis supponitur ad prohibitionem, & ex quasi motiuum eius; malitia autem Simoniæ sequitur ex prohibitione. Vnde licet quantum ad materialem actionem possit Simonia quia prohibita, dici impropria, & non vera respectu venditionis rei spiritualis, quæ verè talis est, & per se mala: nihilominùs quoad malitiam, vera Simonia est, & fortasse eiusdem rationis.

7. 2. Assertio. Dico secundò. Non omnis prohibitio gratuitæ donationis facit actionem Simoniacam, sed illa tantùm, quæ fit intuitu Religionis in tali materia, quæ aliquo modo spectat ad commutationes voluntarias sacrarum rerum, vt tales sunt, cum temporalibus, cum vilipendio, & iniuria rerum sacrarum. Hæc assertio constat ex dictis, quia talis prohibitio sufficit ad constituendam actionem Simoniacam, vt ostensum est, aliæ verò, quæ sub aliis rationibus fieri possunt, non sufficient, quia in eis cessat prædicta ratio, & ita semper constituent actus in alio vitiorum genere. Et vtraque pars declarabitur magis discurrendo per Iura in prioribus rationibus dubitandi allegata. Nam in primo argumento afferebatur cap. *Sicut Episcopum.* Per quod illa petitio, & exactio sine dubio prohibita est vt Simoniaca, & consequenter etiam datio, *quæ ex ambientis petitione procedit.* Vt ibi dicitur, nam illa non caret macula, vt ibi significatur, vtique Simoniæ, nam de hac tantùm ibi sermo erat, & hoc intuitu fit illa prohibitio, ne ordinario vendi videatur. Vnde ab illo capite sumptum est caput primum sub titulo de Simonia collocatum, quod proinde veram Simoniam prohibet, & in eodem sensu accipiendum est, vt prohibeat non absolutè omnem donationem gratis oblatam, sed petitam, & exactionem eius. In Concil. autem Trident. vt notaui, augetur prohibitio etiam ad sponte oblata, ibi tamen non ita clarè explicatur Simoniæ ratio; solùm enim dicitur. *Quoniam ab ecclesiastico ordine omnis auaritiæ suspicio abesse debet.* Tamen infrà vocat contrarios *abusus & corruptelas Simoniacæ prauitati fauentes.* Vnde verisimile est, etiam spontaneas oblationes, seu donationes ex vi illius iuris esse prohibitas vt Simoniacas, vnde eisdem pœnis Iuris illas subiicit, iuxta cap. *Placuit vt de* 22. 1. q. 1. vbi de Simonia sermo est. Et hanc partem confirmãt etiam Iura in tertio loco citata; nam sine dubio in illis est sermo de Simonia, & maximè id expressit Concil. Trid. Et idem dicendum est de omnibus Iuribus, in quibus materia ipsa, & verba legum id postulant, vt sunt multa sub titulo de transactionibus, quæ postea tractabimus: & maximè iuuant, quæ sub titulo de Simonia inuenta fuerint.

Cap. *Sicut Episcopum.* Concil. Trid. Ca. *Placuit.*

8. At verò Iura, quæ secundo loco afferebantur, alteram conclusionis partem declarant, & suadent. Nam prohibitio facta in cap. 1. de Censib. in 6. non videtur ad Simoniam pertinere, quia nec illa prohibitio continetur sub titulo Simoniæ, nec materia, vel ratio eius, nec verba legis id postulant. Prohibet enim visitatoribus Ecclesiasticis, & eius familiaribus, ne aliquid vltrà debitas procurationes recipiãt. Et pro ratione reddit, *vt non quæ sua sunt, videantur quærere, sed quæ Iesu Christi.* Quæ ratio ad Simoniam non spectat, nec ibi inuenitur aliud verbum, quod illam indicet.

Pertinet

Pertinet ergo illa prohibitio ad iuſtitiam, & ad vitandam auaritiam, ac turpem quæſtum. Idem cenſeo de cap. *Statutum* de Reſcript. Quamuis enim in principio illius §. *Inſuper* dicatur: *vt gratis, & cum omni puritate iudicium coràm ipſo procedat*: per quæ verba videri poteſt prohibitio fieri intuitu vitandi Simoniam: nihilominùs receptio contra illam prohibitionem non videtur eſſe Simoniaca, ſed iniuſta, ac turpis quæſtus. Nam illa prohibitio pertinet ad iudices à Sede Apoſtolica deputatos, & per illam non intenditur cultus Religionis, aut rerum ſacrarum, ſed integritas, & puritas iudicij, & vt acceptiones perſonarum, & corruptiones iudicum, & omnia onera litigantium euitentur, & ideò prohibitio illa alterius rationis exiſtit. Idem ergò dicendum eſt de omnibus ſimilibus prohibitionibus, in quibus ratio Simoniæ ſufficienter non exprimitur. Et ratio moralis eſt, quia per gratuitam donationem, non incurritur Simonia ex natura rei, vt dixi: ergo ſi non inuenitur prohibitio ſatis expreſſa, non erit aliqua Simonia; eſto, ſit aliud vitium, eò vel maximè quod Simonia eſt grauiſſimum vitiũ, magiſque pœnis expoſitum, & ideò non debent de illo intelligi iura, niſi vel materia cogat, vel verbis legis ſatis declaretur, quia in dubio, benignior interpretatio adhibenda eſt iuxtà vulgares regulas Iuris.

CAPVT L.

An pactio, & traditio rei temporalis ad obtinendam ſpiritualem excuſetur à Simonia reali, & conuentionali propter intentam redemptionem vexationis?

EXplicuimus in ſuperioribus nonnullos modos, quibus pactio, & conuentio, atque etiam traditio rei temporalis pro ſpirituali obtenta, vel obtinenda, licitè, & abſque Simonia fieri poſſit, quia non pretium, ſed ſtipendium, aut gratuitum donum aliàs debitum honeſto modo, & ſine repugnantia legis accipitur. Nunc ſuperſunt duo alij tituli, quibus hæ pactiones, & largitiones fieri ſolent, non directè ad rem ſpiritualem obtinendam, ſed quaſi per accidens ad remouenda impedimenta, quæ per vexationem, vel per litem occurrere ſolent. Et de priori dicemus in hoc cap. de poſteriori in ſequenti. Attigimus autem hanc materiam de redemptione vexationis ſupra cap. 12. de vexatione circa receptionem Sacramentorum, & ex natura rei magis, quàm ex iure poſitiuo diximus: hîc verò potiſſimè tractanda eſt in materia beneficiorum, & magis iuxta Canonicum Ius, quàm ex ſolo naturali, quamuis neutrum ſit prętermittendum. Sunt autem in hac materia duæ magiſtrales regulæ, quas D. Thom. poſuit d. quæſt. 100. art. 2. ad 5. & communiter receptæ ſunt, quas explicando materiam hanc expediemus.

D. Th. duas regulas aſſignauit circa hanc tem.

2. Prima regula.

Prima regula eſt poſt ius acquiſitum, ſeu obtentum beneficium, aut aliud ſpirituale donum, non eſt Simonia, redimere vexationem, quæ pro iure tollendo iniuſtè infertur, vel probabiliter timetur. Ita D. Thom. ſuprà, concordántque ibi Caietan. Sot. & alij expoſitores. Et Palud. Maior. & alij. 4. d. 25. cum multis, quos retuli d. cap. 12. Idem docet Gloſſ. in capit. *Nullus Epiſcopus*, 124. 1. quæſt. 1. verb. *Reſtituat*, & in cap. *Quæſitum*, 1. 1. quæſt. 3. verb. *Redemptione*, & Gloſſ. 1 in cap. *Decimas*, 3. 16. quæſt. 7. Item Gloſſ. 1. & 2. in cap. *Dilectus*, 1. de Simon. vbi eſt hæc communis ſententia Innocent. Panorm. & aliorum, Præpoſit. 1. q. 1. in princip. num. 27. Turrecr. in d. cap. *Quæſitum*, & cap. *Altaria*, 1. quæſt. 3. Paul. Burgenſ. de Irregular. tit. de Simon. num. 58. Nauar. d. cap. 13. num. 102. verb. *Octauo*. Silueſt. verb. *Simonia*, quæſt. 3. Regul. 3. & qu.

D. Thom. Caietan. Sot. Palud. Maior. Gloſſ.

Innocent. Panor. Turrecr. Paulus. Burgenſ. Nauar. Silueſt.

13. in principio Angel. ver. 2. num. 13. Anton. d. cap. 5. §. 13. Redoan. 2. p. cap. 31. num. 48. & 3. p. cap. 2. num. 5. Rebuff. in praxi, tit. de Simon. in renun. a num. 18. & omnes Summiſtæ. Probatúrque ſatis clarè in cap. *Dilectus*, 1. de Simon. vbi Præpoſitus quidam alteri pecuniam dedit ſub promiſſione non inferendi ſibi iniuſta grauamina, & non cenſetur Simoniacus, imò Papa cenſuit, ſeruandam fuiſſe promiſſionem. Item probatur ex d. cap. *Quæſitum*. Vbi quidam Religioſi redimentes vexationes quas patiebantur in Eccleſiis, quas poſſidebant, nihil peccaſſe ſupponuntur, vt omnes notant. Ratio verò eſt, quia ille, qui ſic redimit vexationem ſibi illatam, non dat illam pro aliqua re ſpirituali, ſed pro vitanda iniuria, nec etiam per illam pecuniam aliquid ſpirituale acquirit, nam ſupponitur iam habere, & nihil de nouo acquirere. Vt autem hæc aſſertio, & ratio declarentur, nonnulla obiicienda ſunt.

Angel. D. Anton. Redoan. Rebuff.

Cap. *Dilectus.*

Cap. *Quæſitum.*

3. Obiectio prima.

Primò obiici poteſt cap. *Matthæus*, de Simon. Vbi quidam legitimè electus à maiori parte eligentium, qui pecuniam dedit paucis, qui in electionem non conſenſerant, ne ſe vexarent, Simoniacus cenſetur, & tamen habebat ius acquiſitum per electionem, ergo. Secundò, ſi ratio facta eſſet valida, ſequeretur licitum eſſe poſſidenti beneficium dare pecuniam ad redimendam vexationem etiam iuſtam, vt v. g. ne priuetur beneficio à Prælato, qui iuſtè poteſt eum priuare, vel ne accuſetur de crimine digno priuatione. Conſequens eſt falſum, vt ab omnibus ſupponitur, ergo. Sequela probatur, quia etiam tunc nihil ſpirituale acquirit, ſed ſolùm remouet impedimenta, parúmque ad Simoniam videtur referre, quòd vexatio ſit iuſta, vel iniuſta, nam ſemper ſola vexatio venditur, & redimitur, & per hoc nihil ſpirituale acquiritur. Tertiò, à fortiori ſequitur non eſſe Simoniam dare alteri pecuniam, ne mihi litem moueat circa beneficium, quod poſſideo pacificè, & bona fide, quia tunc vel vexor non iuſtè, vel ſaltem dubiè. Conſequens eſt falſum, quia poſt litem motam non licet pecuniam dare vt alter deſiſtat, vt cap. ſequent. vidimus, ergo nec anteà licet dare, ne illam moueat.

Secunda obiectio.

Tertia obiectio.

4. Occurritur primæ.

Ad 1. variis modis reſponderi poteſt, primò illam non fuiſſe vexationem omninò iniuſtam, quia fortaſſe licet electio eſſet à pluribus facta, poterat in dubium reuocari, vel propter aliquam incapacitatem electi, vel propter defectum aliquem eligentium, vel in modo eligendi commiſſum. Ita reſpondet Gloſſ. ibi ver. *Paucis*. Quæ doctrinam veram ſupponit, ſcilicet, vt locum habeat redemptio vexationis in iure acquiſito, oportere ius eſſe indubitatum, & certum, & vexationem eſſe manifeſtè iniquam, quod verum eſt vt ſtatim dicam: tamen non videtur applicari ad illum textum cum fundaméto in illo, quia ibi potiùs ſignificatur, vexationem fuiſſe iniuſtam, vt patet ex illis verbis: *Et, qui magiſter diſcordiæ videbatur, certæ quantitatis munus ſoluit: & ſic contradictio conquieuit*. Non enim diceretur magiſter diſcordiæ, ſi iure ſuo vteretur, ceſſatio etiam tàm facilis à contradicendo propter munus receptum, indicat fuiſſe iniuſtam contradictionem. Verumtamen non ſunt hæc verba adeò euidentia, vt omninò cogant, quia non eſt neceſſe, illum magiſtrum diſcordiæ ita vocari, quia iniuſtam faceret contradictionem, ſed quia erat caput illius, qualiſcunque illa eſſet. Vel ſaltem dubium videri potuit, an eſſet clarè iniuſta, vel cum aliquo fundamento probabili. tale enim dubium indicat ſcrupulus, & dubiũ ipſiuſmet electi, qui nullo accuſante, dubium conſcientiæ ſuæ fecit Pontifici proponi, quia fortè dubitabat, qualis fuiſſet contradictio. Et ideò Pontifex eligendo in dubio tutiorem partem, conſulit illi, vt renunciet beneficio. Poteſt ergo hæc

expoſitio textui ſatisfacere, licet communiter non admittatur.

5. Reſpõdetur ſecũ. Secundò reſponderi poteſt, quod licet vexatio eſſet planè iniuſta, redemptio vexationis non erat neceſſaria, & ideò non fuit licita. Primum patet, quia poterat contradictio per acceſſum ad Superiorem, ſeu competentem iudicem ſedari, & tolli: quando autem facilè poteſt vexatio repelli alia via, non poteſt licitè pecunia redimi, argument. cap. *Ad aures*, eodem vbi Ioan. Andr. & docet Rebuffus ſupra num. 20. & 21. referens Abba. in dicto cap. *Dilectus* 1. num. 4. & Felin. num. 3. & ibidem habet Redoan. 3. p. cap. 2. nu. 17. Verumtamen hæc reſponſio ſupponit doctrinam dubiam, & non ſatis probatam, & illam ſine fundamento ad textum accommodat.

Cap. *Ad aures.* *Rebuff.* *Abbas.* *Felin.* *Redoan.*

6. Primum declaratur, quia ſupponitur in illa expoſitione, redemptionem vexationis nõeſſe licitam etiã in tuenda re iam acquiſita, niſi vbi tanta eſt potentia vexantis, vt ſine magno diſcrimine, vel ſtipendio, non poſſit eius moleſtia, & inquietudo remoueri. Hæc autem conditio valde oneroſa, & ſcrupuloſa eſt & D. Thom. ac Theologi illam non ſignificant, nec in ratione, aut iure fundamentum habet, ſine quo non ſunt onerandæ, nec illaqueandæ conſcientiæ. Declaratur aſſumptum, quia nec eſt neceſſaria de iure naturali, nec de iure poſitiuo; ergo. Probatur prima pars, quia licet quis poſſit Superiorem adire, vt eius auctoritate ſe defendat; ſi facilius, & minùs moleſtum ſibi eſſe exiſtimet, pecunia redimere vexationem, re vera non erit Simoniacus, ſtando in ſolo iure diuino, quia non comparat per pecuniam aliquid ſpirituale, vt patet ex dictis; nec etiam eſt iniuſtus, nam potiùs ipſe patitur, nec poteſt dici ſcandaloſus, aut inducens alium ad malum, ſed potiùs ad minus malum, quia alter maiorem iniuriam inferebat, & inducitur, vt ſit contentus minori, qualis eſt accipere pecuniam, & fortaſſe litigando iniuſtè, maiora peccata, & longiori tempore ille committeret.

7. Secunda pars probatur, quia in iure Canonico nulla eſt talis prohibitio, nam in cap. *Ad aures*, nihil tale dicitur, imò Gloſſ. ibi oppoſitum ſentit, præterquam quòd in caſu illius textus res ſpiritualis (ſcilicet abſolutio à cenſura, de qua ibi eſt ſermo) nondum erat comparata, & ideò non eſt ſimile dictum Ioan. Andr. Et alij etiam Auctores loquuntur in diuerſa ſpecie, requirunt enim hanc conditionem, quando ius non eſt omninò acquiſitum, & vexatio redimenda eſt ab eodem, qui ius eſt collaturus, vel completurus, de quo infrà videbimus. Quando autem ius eſt acquiſitũ, & certum, & vexatio eſt planè iniuſta, non requirunt impotentiam moralem reſiſtendi alia via, vt redemptio ſit licita; nec mihi videtur talis conditio neceſſaria, ſed ſatis eſſe exiſtimo, vt redimens vexationem minus diſpendij, aut incommodi ſentiat in illo modo repellèndi vexationem, quàm in aliis. Vnde tandem oſtenditur altera pars quia ex d. cap. *Matthæus*, non poteſt colligi magiſtrum illum diſcordiæ non fuiſſe adeò potentem, aut induſtrium, vt non poſſet multò maiorem moleſtiam inferre, quàm eſſet, donum, aut pecuniam accipere; nec de hoc aliquid affimare quis poteſt, niſi diuinando. Adde quod licet illa conditio eſſet neceſſaria propter debitum ordinem ſeruandum, vel propter vitandum ſcandalum, vel alias cauſas, nunquam eſſet Simonia, illam non ſeruare, & redimere vexationem, quia re vera non eſſet emptio rei ſpiritualis: ergo non poſſet illo modo habere locum reſponſio illius textus, etiam admiſſa illa conditione, eiúſque tranſgreſſione in caſu eiuſdem textus.

Cap. *Matthæus.*

8. Reſpõdetur tertiò. Tertia, & communis expoſitio eſt, illum redemptorem ſuæ vexationis ideò fuiſſe iudicatum Simoniacum, quia erat tantùm electus, & non confirmatus, & ita nondum habebat plenum ius. Ita ſignificat ibi Innocent. qui ſentit, ante confirmationem non licere redimere vexationem etiam iniuſtam, & hoc ſequuntur ibi Panorm. Cardinalis, & alij. Sed hæc ſententia continet difficilem doctrinam, niſi ſano modo intelligatur: Nam ritè electus, & non confirmatus dupliciter poteſt vexari. Primò in ipſa electione, procurando iniquè caſſare illam, & defectum, quem non habuit, calumniari, &c. Secundò in proſecutione, ſeu in confirmatione. Si vexatio ſit priori modo, & ſit clarè iniuſta, ſine dubio poteſt redimi ſine culpa, quia etiam tunc per talem redemptionem nihil ſpirituale acquiritur, ſed ius illud acquiſitum, qualecunque illud ſit, conſeruatur. Et ita dixit Belamera, quem refert Præpoſit. ſupra num. 3. Et licet ipſe dubitare videatur, tandem conſentit. Et ſequitur apertè ex declaratione, quam priùs num. 27. poſuerat, ſcilicet cum dicitur non habens plenum ius non poſſe redimere vexationem ſuam ab aliquo, intelligit, *Quoad illa, quæ reſtant, vel quoad iam facta, quæ iuſtè poterant impugnari.* De qua declaratione infrà videbimus quoad id, quod directè continet; nunc ex illa per argumentum à contrario colligimus, electum ritè, ſi impugnetur iniuſtè in ipſamet electione iam facta, poſſe redimere vexationem ſuam. Item electus, & confirmatus, & inſtitutus in beneficio, licet non ſit poſſeſſionem adeptus, & fortaſſe non poſſit vexationem circa poſſeſſionem redimere, de quo infra, nihilominùs ſi vexetur circa ius acquiſitum per inſtitutionem, vel confirmationem, redimere vexationem poterit ſecundùm omnes, quia non vltrà progreditur, ſed quod habet, tuetur: ergò idem eſt in electo. Imò idem eſt in quocunque iure, quod iam habetur, ſiue ſit in re, ſiue ad rem, ſiue proximum, ſiue remotum: nam pro illo tuendo licitè redimitur vexatio, vt ſi quis violenter detineatur, ne intra terminum præfixum poſſit beneficio opponi, poteſt redimere vexationem, quia non emit beneficium vllo modo, ſed libertatem redimit, in qua habet ius. Item ſi legitimè præſentatus in ipſa præſentatione vexetur, impugnando iniuſtè illam, &c. & ſic in cæteris. Ratio clara eſt, quia eadem eſt proportio defenſionis cuiuſcunq; iuris ad illam, ſi ius illud ſolùm conſideretur vt quid poſſeſſum, & habitum, ſicut re vera eſt; tunc enim idem ius procedit, ſi redemptio ſiſtat in defenſione talis iuris.

Innocent. Panorm. Cardin.

9. Non poteſt ergo cap. *Matthæus*, intelligi de redemptione vexationis in ipſa electione. Debet ergò intelligi in proſecutione illius, & in hoc ſenſu rectè procedit ſententia Innoc. & communis, vt mox dicemus. Et quãuis in textu non expreſsè habeatur, fuiſſe hunc vexationis modum, tamen & à ſufficienti enumeratione poteſt veriſimiliùs colligi & ex materia, & ex verbo illo, *Voluntate turbata*, nam cùm electio ſupponeretur facta à maiori parte, & pauci eſſent, qui contradicerent, veriſimilius eſt, iam non electionem, ſed confirmationem impugnare voluiſſe, & ideò electum multùm timuiſſe, id enim ſignificat verbum illud, *Voluntate turbata*, ac ſubinde voluiſſe redimere vexationem, ne progreſſus electionis ſui ad confirmationem impediretur, & ita ille textus nihil facit contra ſuperiorem regulam.

10. Occurritur ſecundæ obiectioni ſuprà poſitæ. Et ex his facilis eſt reſponſio ad alias obiectiones. Ad 2. enim de vexatione iuſta, reſpondetur negando conſequelam, & ſimilitudinem rationis. Omnes enim Doctores conſtituunt diſcrimen in hoc inter vexationem iuſtam, & iniuſtam, vt hanc liceat redimere, non illam. Ita Panor. Felin. & alij ſupra citati, & hoc ſupponit vt certum Gloſſ. citata in d. c. *Matthæus*, quæ quoad hoc ab omnibus approbatur. Idem Nauarr. conſ.

Panor. *Felin.* *Gloſſ.* *Nauar.*

Redoan. conſ. 41. de Simon. num. 2. & Redoan. 3. p. cap. 22. num. vltimo. Qui rationem reddit, quia iuſta vexatio, non eſt vexatio, ſed correctio, & ideò illam vendere, aut emere non licet. Quæ tamen ratio non eſt vniuerſalis, quia poſſunt eſſe aliæ iuſtæ vexationes, quæ non ſint correctiones, vt ſi quis vexare velit, impetrando beneficium, vel quid ſimile. Et præterea, illa ratio probat, rem eſſe illicitam ex alio capite, ſcilicet quia emitur perſeuerantia in culpa, vel impunitas in peccando, non tamen videtur probare Simoniam. Ideo alij probant hanc Simoniã ex cap. *Nemo*, de Simon. vbi Simonia cenſetur, deſiſtere à correctione propter pecuniam. Sed illa eſt alia ſpecies Simoniæ, quę committitur in emptione omiſſionis ſpiritualis functionis, de qua non eſt certum, eſſe propriam Simoniam, licèt nos id concedamus, vt ſuprà tractatum eſt: non tamen probat illa ratio, nec textus ille de Simonia circa ipſum beneficium, de quo hîc tractamus, & de qua procedit ſecunda difficultas ſuprà poſita. Ratio ergo eſſe videtur, quia quando quis iuſtè vexatur circa beneficium, vel quodcunque ius ſpirituale iam habitum, eo ipſo ius illud non eſt omnino firmum, ſed iuſtè irritabile, vel auferibile: qui ergo redimit talem vexationem, aliquid ſpirituale emit, quia per pecuniam comparare vult conſeruationem beneficij, ſeu firmitatem infirmi iuris, & ideò Simoniam committit. Et ita ad ſecundam obiectionem negatur ſequela: ad probationem autem negatur aſſumptum, nam quando vexatio erat iuſta, per redemptionem eius paratur via ad firmandum ius, & conſeruãdum, quod vel à principio facit infirmũ, vel ſucceſſu temporis factum eſt, vt in caſu illo de volente impetrare beneficium, non enim poſſet eſſe impetratio iuſta, niſi vel collatio à principio habuiſſet defectum, vel poſteà per delictum, vel alio modo fuiſſet ius infirmatum, & idem inuenietur in omnibus ſimilibus.

C. Nemo.

11. Reſpõdetur tertiæ obiectioni.

Vnde etiam facilè patet ſolutio ad 3. de remotione litis futuræ, præueniendo per pecuniam. Aut enim lis, quæ timetur futura, eſt euidenter iniuſta, vel iuſta, aut dubia: in priori caſu licitum eſt, vexationem redimere, ſeu data pecunia litem impedire, ne moueatur. Ita docent omnes citati, & Gloſſa in cap. *Cum pridem*, de Pact. & ibi Abbas num. 9. & patebit à fortiori ex dicendis cap. ſeq. Ratio verò eſt, quia illa eſt iniuſta vexatio, & de facto, non de iure, & circa rem acquiſitam, vt ſupponitur, parúmque refert, quòd vexatio fiat per vim priuatam, vel per iudicem: imò etiam ſi fieret ab ipſo iudice, vel Prælato, liceret illam redimere, vt rectè notauit Præpoſitus ſuprà: ergo idem eſt, etiamſi futura ſit à priuato, vtendo iudice vt inſtrumento quocũque modo. At in ſecundo caſu quando lis eſt iuſta, non eſt locus redemptioni, vt per ſe euidens eſt. Neque etiam in tertio, quando res eſt dubia, tum quia eo ipſo lis eſt iuſta, ſi dubium ſit probabile, tum etiam quia ſi lis eſt dubia, etiam titulus, vel ius ſpirituale dubium eſt, ergo non licet illud pecunia firmare, vt diximus.

Præpoſit.

12. Cõditiones neceſſariæ, vt redẽptio vexationis probetur.

Tandem ex his colligere licet conditiones neceſſarias, vt redemptio vexationis illatæ in iure acquiſito ſit licita. Prima eſt, vt ius ſit certum, & indubitatum, aliàs nondum ſimpliciter habetur, vt notauit Panor. in d.c. *Cum pridem*, de Pact. n. 9. Felin. d.c. *Dilectus*, n. 3. Rebuffus d. tit. de Simon. n. 18. Qui declarat, tunc dici poſſe, aliquem habere ius certum, quando ei à Peritis conſultum fuerit, ius ſuum eſſe præcipuum. Et illum ſequitur Redoan. 3. p. c. 2. num. 16. qui etiam refert Nicol. de Mil. verb. *Simonia*. Intelligendũ autem hoc eſſe videtur, quando in tali ſcientia Periti communiter iudicant, eſſe certum, quòd tale ius ſit præcipuum, nam tunc in dubio debetur habẽti illud.

Prima conditio. Panor. Felin. Rebuff. Redoan.

A Addo etiam circa hanc conditionem, in tantum eſſe neceſſariam, in quantum ad iniuſtam vexationem neceſſaria eſt. Nam ſi quis habeat ius acquiſitum, quod vna via, & titulo infirmari poſſet, & in dubium vocari, & alius non illo modo, ſed per aliam iniuſtam vexationem tentet illud auferre, & moleſtare, certè licitum eſſet, redimere vexationem, quia tunc iniuſtè vexatur in eo, quod verè habet, & comparatione facta ad talem vexationẽ ius illud poteſt dici certum. Idémque eſſet, ſi cum ius ſit dubiũ, vt vnum (vt ſic dicam) alius per vexationem velit illud reddere dubium vt decem, per falſas calumnias, aut impoſturas, & ſic de aliis: nam in his omnibus eadem ratio cum proportione locum habet.

13.

Secunda conditio aſſignari ſolet, vt ius ſit plenum, *2. Conditio.*
B quæ intelligenda eſt modo ſuprà explicato, & de illa dicentur plura in regula ſequenti. Tertia eſt, vt vexa- *3. Conditio.*
tio ſit iniuſta, quæ iam etiam declarata eſt. Quarta, vt *4. Conditio.*
vexatio ſit de facto, & non de iure, ita enim loquuntur dicti auctores. Hæc tamen conditio cum præcedenti coincidit: non enim eſt ſenſus, neceſſarium eſſe, vt vexatio ſit per violentiam facti, vt comminando mortem, inimicitias gerendo, & non per viam iudicij, & litis, quia, vt dixi, ſi lis ſit planè iniuſta, vexatio redimibilis eſt, & de facto eſſe cenſetur, non de iure. Tunc ergo ſolùm dicitur eſſe de iure, quando iniuſta non eſt, & ita eadem eſt conditio hæc cum præcedenti. Vltima additur ab aliquibus, ſcilicet, quòd vexationis redemptio ſit moraliter neceſſaria, ita vt aliud remedium ſine magno diſpendio adhiberi non poſſit.

C Sed hæc conditio non eſt neceſſaria, vt explicaui, ſatis enim eſt, quòd redemptio ſit facilior, & expeditior via, ſecluſo ſemper ſcandalo. Aliam conditionem ſtatim explicabo.

14. An ſit Simoniacus qui recipit pecuniam vt deſiſtat à vexatione inferenda. Præpoſitus. Reſolutio.

Vltimò interrogari poteſt circa hanc regulã, quid dicendum ſit de recipiente pecuniam, vt à vexando ceſſet, an Simoniacus ſit, vel quomodo peccet: In hoc Præpoſ. ſupra n. 30. ſimpliciter dicit, hunc eſſe Simoniacum, & dicit eſſe communem ſententiam in d.c. *Dilectus*, ſed neque Gloſſ. neque Panor. neque Felin. vel alij ibi vocant illum Simoniacum, ſed iniuſtũ, vel iniquum. Vnde aſſero in primis, ex vi acceptionis pecuniæ, illo titulo Simoniam non cõmittere, niſi materia vexationis ſpiritualis ſit. Declaratur prior pars, quia ex vi redemptionis vexationis nihil ſpirituale vendit, qui pecuniam accipit, ſed ſolam omiſſionem vexationis iniquæ, quæ temporale quid eſt. Et ideò oportet, vt non cedat alicui iuri ſpirituali, nam tunc vtrinque eſſet Simonia, quia non redimeretur vexatio facti, ſed iuris: ergo quando vexatio tantùm eſt facti, non vẽditur ſpirituale, recipiendo pecuniã. Item, alter nihil ſpirituale emit, vt oſtendimus: ergo ipſe nihil ſpirituale vendit. Vnde obiter colliges, quòd ſi patiens vexationem talem, non temporale quid, ſed ſpirituale aliquid daret pro redimẽda vexatione, Simoniacus eſſet. Vt ſi is, qui vexatur in pingui beneficio, quod poſſidet, offerat vexãti aliud tenue beneficium, quod habet, vel facere illum Vicarium ſuum, vel procurare illi aliud beneficium, vt à vexando deſiſtat, Simoniam cõmittet. Patet, tum quia dat ſpirituale pro

E temporali, nimirum, vt à vexatione temporali liberetur: tum quia ille, qui vexat tunc Simoniacus eſt, non quia vendit vexationis ceſſationẽ, ſed quia pro re ſpirituali illam vendit, ſeu potiùs quia rem ſpiritualem per illam emit: tum denique quia tunc beneficiũ non purè datur, nec accipitur, ſed cum pacto, & cõditione iniqua. Exẽplum eſſe poteſt in c. *Euphamium, & Thomam*, 2. q. 3. Vbi illi duo vt Simoniaci puniuntur, quia pro relinquenda Epiſcopi accuſatione ordines receperãt. Verum eſt illam non fuiſſe redemptionẽ vexationis, quia accuſatio iuſta erat, vt conſtat ex Gregor.

Cap. Euphemium. Gregor.

lib. 4. Epist. 50. alias cap. 94. Tamen si attendatur ratio Gregorij, non minus fuisset Simonia, etiamsi accusatio fuisset iniusta. *Nam nimis indignum* (ait) *& contra regulas Ecclesiasticæ disciplinæ est, vt honore, quem non ex meritis, sed pro sceleris præmio perceperunt, fungantur.*

15. Vltima conditio.

Atque hinc intelligitur alia conditio (quam suprà hûc remisi) necessaria ad licitam redemptionem vexationis, scilicet vt res, quæ datur pro tollenda vexatione, sit res temporalis, & in commutationem, & pactum humanum licitè trahi possit: alioqui Simonia committetur, non ex parte iuris spiritualis, quod à vexatione liberatur, sed ex parte pretij, vt sic dicam, quo vexatio redimitur. Et hinc tandem facilè patet altera pars huius resolutionis, nam potest vexatio fieri per materiam spiritualem, vt negando alicui absolutionem à censura, aut aliud spirituale ius. Tunc ergo qui recipit pecuniam, vt à vexando desistat, Simoniacus est, & id docent Gloss. & doctores in dicto cap. *Dilectus*, & ita in tali casu videtur loqui Præpositus suprà. Ratio verò est, quia tunc pro re spirituali pecuniam accipit, nimirum pro absoluendo, vel conferendo spirituali iure. An verò tunc redimens vexationem sit Simoniacus, dicemus in sequent. puncto.

16. Addendum tandem est, eum, qui pro desistendo à vexatione iniusta pecuniam recipit, semper esse iniustum, & ad restitutionem teneri. Probatur, quia per iniuriam extorquet pecuniam, & ita sine vllo iusto titulo illam recipit, neque alius voluntariè illam dat, sed per iniuriam coactus, ideoque illam semper repetere potest, vt cum Glossa in dicto capite *Dilectus*, omnes notant. Quanquam ex illo textu nonnulla difficultas circa hoc oriatur; nam de illo, qui pecuniam receperat, vt cessaret à vexando, sub conditione, & promissione non amplius vexandi, ait Pontifex compellendum esse ad illam restituendam, *Si contra promissionem venisse constiterit.* Ex hac enim adiecta conditione videtur subintelligere Pontifex, quòd si seruasset promissionem, non teneretur ad restituendum. Propter hoc Hostiensis, & nonnulli alij ibi putant illam non fuisse redemptionem vexationis, sed transactionem cum auctoritate Superioris. Sed non placet, quia non habet fundamentum in textu, imò repugnat verbis eius, & destruit textum illum, in quo maximè probari videtur hæc redemptio vexationis. Et ideò Felin. cum Cardin. ait, non esse hunc sanum intellectum, ipse verò solùm ait, non posse inde sumi argumentum à contrario, propter absurdum, quod sequitur. At verò Gloss. ibi dicit subintelligendum, vel addendum esse, *Maximè*, quod non displicet Panormit. Ego autem breuiter dicerem, Pontificem ibi solùm respondisse ad ea, quæ interrogata, & proposita erant. Querela autem solùm erat de non seruata promissione, & ideò solùm respondit, vt si constaret, non seruasse promissionem, ad restitutionem compelleretur. Nam si promissionem seruasset ex vi illius petitionis, & processus, compelli non posset, sed oporteret examinare, qualis fuisset vexatio præcedens, & an ex parte vexantis posset aliquo modo defendi, & honestari.

Host. *Felin. Cardin.* *Gloss. Panor.*

17. Obiectio expeditur.

Dices: Ergo iam vertitur in dubium, an fuerit iusta, vel iniusta vexatio. Respondeo in primis, non propriè verti in dubium, sed solùm dici, non fuisse petitionem in hoc fundatam, & consequenter nec fuisse probatum, licèt obiter dictum, & suppositum fuerit. Deinde licèt verteretur in dubium, responsio Pontificis fuisset solida, quia siue iusta, siue iniusta fuerit vexatio, non impleta conditione, pecunia erat restituenda. Et ita etiam supponitur, potuisse pactum esse licitum ex parte redimentis, vt si fuit pura redemptio vexationis iniustæ, quod tunc allegatum directè non est, quia difficiliorem fortasse habebat probationem, & plus moræ, ac periculi. Accedit, quòd illa conditio meritò addi potuit, quia non constabat an nouæ lites motæ ab illo Archidiacono essent iniustæ, necne: nam si iustæ fuissent, non essent contra promissionē, & ideò meritò addita est conditio, quæ virtute continebat examinanda fuisse noua grauamina, an essent contraria promissioni, id est, an essent iniusta, nec ne: nam si essent iusta, non essent cōtraria, & ita non habuisset locum petitio facta illo titulo violatæ promissionis, quicquid esset de alio titulo iniustæ extorsionis, de quo tunc non agebatur. Hinc verò cōfirmatur, quod diximus, non fuisse illam transactionem, sed redemptionē vexationis: nam si fuisset transactio facta super beneficia auctoritate Superioris, nulla lis posset de nouo moueri, vel admitti super transacta, nec in dubium vocari, an nouum grauamen iustum fuisset, vel iniustum: nam eo ipso, quòd esset contrarium transactioni, fuisset iniustum.

18. 2. Regula.

Secunda regula principalis est, nondum acquisito iure, non licere pecunia redimere vexationem, quæ impedit ius acquirendum, sed Simoniam committi, si talis redemptio fiat. In hac regula cōueniunt diuus Thomas, & omnes Theologi suprà citati, Glossa, Innocentius, Panormitanus, & alij in dicto capite *Dilectus*, & dicto capite *Matthæus*, & Summistæ, ac denique omnes suprà relati. Videturque apertè probari ex dicto capite *Matthæus*, iuxta sensum a nobis explicatum. Quia in casu illius textus videtur commissa Simonia propter redemptam vexationem, & non propter vexationem circa ius acquisitum vt sic, vt declarauimus iuxta priorem regulam, ergo propter ius acquirendum. Ratio autem est, quia non habet ius spirituale, quod acquirere intendit, licet redimendo vexationem pecunia, immediatè non det pecuniam pro re spirituali, tamen mediatè vult acquirere ius, mediante pecunia, hoc autem est emere illud, & ideò Simonia committitur. Quæ ratio efficax est, quando impedimentum per pecuniam sublatum non erat iniustum, at verò si erat cum iniuria, & iniustitia, res non caret difficultate. Itaque distinguere etiam hîc possumus de vexatione iusta, vel iniusta. Prior non meretur nomen vexationis, vt suprà dixi, sed est iusta causa, vel iustum obstaculum, quod potest impedire acquisitionem rei spiritualis. Et tunc clarum est esse Simoniam tale impedimentum pecunia tollere: nam dictum est redimere vexationem iustam etiam circa rem iam acquisitam, esse Simoniam, ergo multò magis circa rem acquirendam. Deinde, est optima ratio tacta, quia illud non est redimere vexationem, sed per pecuniam planiorem viam facere ad spirituale acquirendum. Exempla sunt, si quis concurrenti ad oppositionem beneficij pecuniam tribuat, aut pensionem promittat, ne se opponat. Item, si quis illegitimus, vel aliàs irregularis, vel inhabilis ad beneficium, vel ordinem, pecuniam det alicui, ne denunciet illum defectum. Item si quis habens defectum ætatis, pecunia corrumpat testes, qui impedimentum testimonio falso remoueant, vt ita ordines, vel beneficium obtineat, Simoniam committit, & sic de aliis. Vide Nauar. in cons. 39. de Simon. & sequentibus. At verò quando vexatio est iniusta, & proximè quis intendit repellere iniuriam, res non caret difficultate.

D. Thom. Gloss. Innoc. Panor. *Nauar.*

19. Argumentor ergo 1. contra regulam sic intellectā de iniusta vexatione quia vel illa regula fundatur in solo iure diuino & naturali, vel in iure Canonico: neutro autem modo sufficienter probatur, ergo. Probatur minor quoad priorem partem, quia ex natura rei, redēptio vexationis iniustæ licita est, & ita in temporalibus etiam pro acquirendo iure licitè fit, leg. 1. & 4. ff.

& 4.ff.de Condict. ob tur. cau. Sed in his ſpiritualibus non habet ſpecialem rationem intrinſecè malitiæ,ergò. Probatur minor, quia redemptio vexationis ex ſe non eſt emptio rei acquirendæ, quæ per vexationem impeditur, ſed ſola emptio liberationis à tali violentia,vel iniuria, ſeu ceſſationis ab illo affectu, à quo manat talis violentia vel iniuria;ſed in emptione talis ceſſationis non continetur virtualiter, & intrinſecè emptio rei ſpiritualis acquirendæ, vel potius acquiſibilis (vt ſic dicam) nec etiam neceſſarium eſt,vt intentio redimentis ad hoc extendatur, ſed ſolùm ad dandum temporale vt pretium illius ceſſationis, ſeu ad tollendum affectum illum,qui eſt radix eius; ergo ex natura rei non eſt illa emptio rei ſpiritualis, & cõſequenter nec Simonia. Atque hæc ratio confirmatur maximè ex his, quæ cap. 12. diximus de redemptione vexationis in materia Baptiſmi, vel Sacramentorum, vbi hunc diſcurſum latè proſecuti ſumus.

10. Et certè videtur habere eandem formalem vim in materia quacunque etiam beneficiali, & reſpectu actuum futurorũ circa illam. Deinde poteſt confirmari exẽplis: & primum ſit de ipſo Iure ſpirituali acquiſito, quando enim illius vexatio redimitur, negari non poteſt, quin redimentis affectus ſit, conſeruare illud Ius quietum,&pacificum,quod totum ſpirituale quid eſt;& nihilominùs non emitur ipſum ſpirituale, quia intentio dantis temporale, ad hoc non extenditur, nec illud per ſe continetur in tali redẽptione, ſed hæc tantùm ſe habet, ſicut remouens impedimentum; ita verò eſt etiam reſpectu Iuris acquirendi, nam immediatè ſolùm per illam tollitur remotio iniuriæ, nec aliud intenditur ex vi pretij; alia autem acquiſitio ſolùm ſequi poteſt, vt effectus per accidens ex remotione impedimenti, vnde non continetur virtute in tali obiecto. Et declaratur hoc ampliùs, quia ſemper tale Ius poteſt reduci ad Ius acquiſitum, quia ego habeo Ius acquiſitum, vt mihi non fiat vis, aut iniuria, vel habeo Ius, vt me opponam beneficio vel quid ſimile, quod Ius cupio conſeruari liberum, & expeditum,& ad hoc præcisè do pecuniam,vnde nihil aliud emo, quàm immunitatem huius iuris, quòd autem poſteà ſequitur, eſt accidentarium, & merè contingens, per ſe loquendo, & pendens ex libera, & gratuita voluntate collatoris, vt conſtat, ergo ex natura rei non magis eſt in hoc Simonia, quam in tuenda electione facta,vel inſtitutione, & ſimilibus iuxta ea, quæ in ſuperiori puncto dicta ſunt. Denique ad hoc ſpectant alia exempla,nam ſiquis violenter me domi detineat, ne opponar beneficio, poſſum illam vexationem redimere,nec cenſeor emere beneficium, vel oppoſitionem. Item,ſiquis falsò calumnietur, & velit me denunciare, & probare, eſſe irregularem, vel ex genere Iudæorum, cum reuera non ſim, poſſum illam vexationem redimere, nec propterea emo beneficiũ, vel capacitatem,aut idoneitatem ad illud. In his enim exemplis ferè omnes conueniunt(vt videbimus)propter dictas retiones, & tamen eandem vim videntur habere ex natura rei in tota hac materia.

11. Altera vero pars de Iure poſitiuo probatur. Quia nullum Ius affertur, in quo hæc generalis prohibitio feratur;ſolùm enim adduci ſolet d.c. *Matthæus*, quod tamen obſcurius eſſe videtur, quàm vt ſufficiat ad generalem legem prohibentem conſtituendam. Probatur hoc quia fortaſſe illa vexatio tam clarè iniuſta non erat,vt redimi poſſet,etiam circa Ius acquiſitum, vt ſuprà ex Gloſſa retulimus, & non eſſe improbabile diximus, nec textui manifeſtè contrarium. Eò vel maximè, quòd Pontifex non fert legem conſtitutiuã, ſed quaſi declaratiuam, ſupponit enim in illo facto, vel malitiam, quæ ex rei natura, vel ex prohibitionibus antiquioribus ineſſe poterat, vel ſaltem illius malitiæ dubium, & ideò tutiorem partem conſulit, vt patet ex illis verbis. *Multùm tibi conſulis, &c.* Ergò ex illo textu non poteſt colligi ſpecialis prohibitio. Præterea, quòd nulla ſit talis prohibitio generalis, patet,quia iuxta probabilem,&ſatis communem ſententiam Iuriſtarum, in multis caſibus licita eſt talis redemptio vexationis, quo etiam argumento probatur, regulam illam non eſſe generalem, & difficile eſt diſcernere, in quibus caſibus acceptanda ſit. Aſſumptum patet in caſu cap. *Ad aures*, de Simon. iuncta Gloſſ. ibi. Quidam enim excõmunicatus,qui iam paruerat,&ſe ſufficienter ad abſolutionem obtinendam parauerat,illam impetrare non potuit, niſi pecuniam quandam iudici petenti daret, dubitat ergo ibi Gloſſ. an ſine Simonia dare poſſet, & reſpondet potuiſſe ad redimendam vexationem, & tamen ibi agebatur de ſpirituali acquirendo, & non de acquiſito, neque aliam rationem reddit, niſi quia illa vexatio iniuſta eſt, quæ ratio in omni vexatione, de qua tractamus, locum habet. Idem exemplum admittit Gloſſ. in d. cap. *Dilectus*, 1.de Simon. Et addit alia,ſcilicet, *De officio, vel beneficio iniuſtè interdicto, & excommunicatione iniuſta, ſcilicet, quòd non committit Simoniam, qui dat pro ſua reſtitutione officij, vel beneficij, vel abſolutione excommunicationis, vel interdicti.* Hæc Gloſſ. conatur tamen, hæc omnia reducere ad defenſionem Iuris acquiſiti, ſed reuera ordinantur ad aliquid ſpirituale acquirendũ, vt patet de abſolutione à cenſura, de reparatione Iuris ablati, & ſimilibus, ſed quia hæc non emuntur in illis caſibus, non cenſetur Simonia, & ſicut illa fundantur in aliquo Iure acquiſito,ita omnis redemptio vexationis reduci poteſt,vt in argumentis priori loco poſitis videre licet.

C. Ad aures, Gloſſ.

Ca: Dilectus.

22. Hæc argumenta videntur conuincere, illam regulam ita vniuerſaliter ſumptam ſine aliqua moderatione non eſſe certam, nec poſſe ita indifferenter ad caſus morales applicari. Nam loquendo ex natura rei, hoc probat caſus de Baptiſmo, & ſimiles. In Iure autem poſitiuo non inuenitur ſufficiens fundamentum ad damnandam illam redemptionem cum tanta vniuerſalitate. Cenſetur autem hæc redemptio vexationis ex natura rei habere magnam ſpeciem mali,& Simoniæ,vt dixit Gloſ. 1. in cap. *Cùm ab omni*, de vit. & honeſt. cler. Maximè verò in materia beneficiali, vel quæ illam concernit, & ideò Eccleſiaſtico Iure videtur prohibita in ordine ad acquirẽdum ſpirituale Ius præbendarum, maximè quando ab illo redimitur vexatio,qui non ſolùm poteſt nõ obeſſe, ſed etiam prodeſſe. In aliis verò materiis non poteſt certa regula conſtitui, ſed iuxta materiam, & circunſtantias occurrẽtes iudicandum eſt. Vt ergo hanc reſolutionem clariùs, & magis in particulari declaremus, præmittenda eſt vulgaris diſtincto, quæ in ſecunda aſſertione inſinuatur; nam vexatio interdum prouenire poteſt ab eo, qui impedire poteſt, non tamen poteſt iuuare; vel ſi poteſt, non eſt per ſe neceſſarium eius adiutorium,ſeu concurſus in conferendo ſpirituali, nec pecunia ei datur, vt aliquid iuuet, vel conferat, ſed ſolùm vt non vexet,nec male faciat: Aliquando verò prouenit vexatio ab eodem, qui collaturus eſt illud ſpirituale, quod ſperatur, & procuratur, vt in dicto caſu de iudice nolente abſoluere, vel de electore volente eligere indignum.

Gloſſ.

Vexationis diſtinctio.

23. De illo ergo, qui vexat iniuſtè, & impedit, non verò poteſt conferre, crediderim, poſſe generalem regulam conſtitui; non eſſe Simoniam, vexationem iniuſtam ab illo redimere,etiam ante Ius acquiſitum. Hæc eſt communis ſententia recenſiorum Theologorum, & illam approbat Sot. in aliquibus exemplis quæſt. 6. artic. 1. ad 5. & quæſt. 7. artic. 1. in cor. dubit. vlt. Vgolin. Tab. 1. cap. 9. §. 8. num. 3. Probatur autem apertè,

Quomodo poteſt vexatio redimi ab eo qui poteſt vexare & non iuuare.

Sot. Vgolin.

apertè, quia hoc non est intrinsecè malum, nec est emere rem spiritualem, vt probat discursus suprà factus. Item nullum est Ius Ecclesiasticum, quod hoc prohibeat, nam in d. c. *Matheus*, sermo est de pecunia data electoribus, qui per se loquendo prodesse possunt, & electione facta, possunt habere Ius impediendi confirmationem, & possunt etiam ad illam iuuare, desistendo à contradictione: nam eo ipso maiores quasdam vires, maiorem ve certitudinem præbent electioni, hîc autem est sermo de his, ad quos nullo modo pertinet beneficij prouisio, vel rei spiritualis collatio, de quibus nullum Ius loquitur, vel quippiam prohibet, quod ego viderim. Casus autem sunt suprà positi de illo, qui violenter detinet oppositorum beneficij, ne tempore habili accedat, & de illo qui iniustè infamat, quos Sot. dicta quæst. 6. art. 1. ad 5. admittit. Et probat apertè ratio suprà facta: item quia oblatio illius impedimenti est rei veldè remota, & pertinens magis ad habilitatem personæ, quàm ad acquisitionem rei spiritualis, procurare autem interuentu pecuniæ, illam personæ habilitatem, quæ & iusta est, & pretio comparari potest, honestum est, sic enim scientia suo modo emitur, quando præceptori pretium datur, & gradus Doctoratus suo modo emitur, iuxta suprà dicta; & interdum est necessaria conditio ad proximam idoneitatem beneficij. Et licet illa intentione ematur, non est Simonia. Multò ergo minùs erit Simonia, tueri propriam famam, & libertatem ab eo, qui iniustè in his vexat, proximè enim tuetur quis tunc, quod suum est: ordo autem ad futurum spirituale bonum solùm conseruatur permodum cuiusdam capacitatis.

Sot.

24. An liceat subornatorē subornare, vt desistant.

Alius autem casus esse potest, si quis pretio, aut importunis precibus corrumpat electores, cum ipse elector non sit, sed subornator, An liceat illi dare pecuniam, vt desistat. In quo casu Sot. dicta solut. ad 5. existimant, non licere, pecunia redimere illam vexationem: nullam verò rationem adducit, sed quia per solum ambitum non infertur vis, putat non esse sufficientem vexationem pecunia redemib lē. Adde, quòd nec illa est iniustitia propria contra commutatiuam: ergo non est iniusta vexatio, ergo nec potest pecunia redimi sine Simonia cum per illam pecuniam paretur via ab benefibium. Hanc etiam sententiam docere videtur Turrecr. in. cap. *Quæsitum*, 1 quæst. 3. num. 3. vbi ait, quod si aliquis laico nullum Ius habenti in electione, sed malitiosè impedienti det aliquid, vt cesset à tali impedimento, Simoniam committi solùm, quia nondum erat Ius acquisitum. Idem Archid. ibi cum Raimund. licet sub dubio. Citant etiam c. *De hoc*, de Simonia. Sed ibi sermo est, quando datur aliquid iis, qui habent Ius eligendi.

Turrec.

Archid.

25. Contraria ergo sententia placet modernis Theologis, quos Valent. tertio tomo disput. 6. quæstione 16. Punct. 3. & Lessius lib. secundo cap. 35. dub. 18. secuti sunt. Et sine dubio si redemprio sistat in illa negatione, scilicet non corrumpendi electorem, seu non mihi inferendi detrimētum per iniquam subornationem, nulla ibi interuenit Simonia, quia quod proximè emitur, temporale est, & non habet per se connexionem cum spirituali, neque in illo continetur, aut ex illo per se sequitur. Item ex vi illius redemptionis, elector non corrumpitur, nec voluntas eius inclinatur, nec spiritualia malè administrantur, nec denique inuenitur de hoc aliqua prohibitio: ergo nulla est ibi Simonia. Nec refert, quòd illa vexatio facta illo modo, non contineat iniustitiam. Tum quia si eò tendat, vt minùs dignus eligatur, continet iniustitiam, saltem contra iustitiam distributiuam, quod satis est: Tum etiam quia licet non esset absolutè iniusta, est iniqua & mihi veldè nociua, & bono cōmuni, & hoc satis est, vt licitè impediri possit per munera, cum per ea non ematur res spiritualis, vt ostensum est.

Dixi autem, si redemptio sistat in illa negatione, quia si vlterius eò tēdat, vt intercessor ille, vel subornator non solùm cesset, sed etiam in contrarium officium inducatur, inclinādo nimirum electorem in fauorem dantis pecuniam, iam non est sola redemptio, sed emptio electionis, ideóque nullo modo licet. Et hoc fortasse voluit Sot. Simili ratione non censeo esse licitum sed Simoniacū, per subornationem subornationi resistere, id est, emendo contrarium subornationem, redimere vexationem, quæ per oppositam fit, vt verbi gratia, si sint plures electores, & quidam illorum inducantur precibus, vel muneribus ab vno oppositore, vel fautoribus suis, vt apud alios electores pro se intercedant, vel vt eosdem vehementiùs inducant, & immutent. Quia hoc non esset, vexationem redimere, sed electionem emere, & virtute esset emere rem spiritualem, vt infrà de his intercessoribus latiùs declarabimus. Neque hîc habet locum axioma illud, vim vi repellere licet, quia hæc non est vis: neque etiam si esset, posset simili modo repelli. Nam licet vnus eligendorum per amicos moralem vim inferat vni electori, non licet contrario prætensori, per suos fautores similem vim inferre alteri electorum. Meliùs ergo hîc applicatur illud principium, non sunt facienda mala, vt caueantur nocumenta.

26. Nō licet subornationē subornatione auertere.

Supereſt, vt dicamus de illo, qui potest non solùm à vexatione cessare, sed etiam prodesse, eligendo, confirmando, vel aliud spirituale conferendo. Aliqui enim volunt, vt de illo intelligenda sit secunda regula suprà posita: sed adhuc hoc modo non potest esse vniuersalis, sed distinguendæ sunt materiæ, casus, & Iura. Dico ergo 1. in beneficiis, & officiis Ecclesiasticis acquirendis, non licet vexationem redimere ab eo, qui potest prodesse, id est, ad quem spectat dare illud spirituale, quod acquirendum est. Vt, verb. gratia, si sciam, electorem me vexaturum, eligendo indignum, non licet talem vexationem ab illo redimere. Item si sum præsentatus ad beneficium, & Prælatus per iniuriam claram non vult me instituere, non licet redimere, & sic de aliis. In hoc conueniunt omnes Auctores suprà relati. Probari solet, quia tunc per pecuniam paratur via ad obtinendum beneficium directè, & proximè, ac per se, & non tantùm remotè, ac remouendo prohibens, item quia tunc remouere impedimentum, nihil aliud est, quam spirituale conferre, nam vexatio consistebat in non cōferendo institutionem, vel debitam electionem, & hæc vexatio non tollitur, nisi per contrarium actum. Sed responderi potest, negando assumotum, quia directè solùm intēditur, tollere prauum affectum electoris, vel prælati, vel satiare auaritiam eius, vt cesset ab iniuriis, nam si in casu de Baptismo similis responsio locum habet, & acceptatur, cur non hîc? Propter, quod alij fatentur, hanc nō necessariò esse Simoniam veram in re, & coram Deo, sed ab Ecclesia præsumi propter malam speciem quam habet. Ita sentit Adrian. Quod. 9. & indicat Nauar. d. c. 23. nu. 102. Et sequitur Valent. supra. Et re vera ex sola natura rei ita esse videtur, vt patebit statim in speciali casu.

27. Prima assertio respectu illius qui potest nocere, & iuuare.

Reſponſio.

Adrian. *Nauar.* *Valent.*

Nihilominùs tamen simpliciter censeo, esse Simoniam saltem contra ius positiuum: quia propter illam prauam speciem, & ad vitanda multa scandala, & occasiones Simoniæ, quæ in hac materia beneficiali facilè interuenire possent propter vtilitatem temporalem annexam, quā habet, meritò; potuit Ecclesia prohibere talem redemptionem vexationis. Et id fecisse colligitur ex d.c. *Matheus*, quod licet per se spectatū omninò non conuincat, tamen & in rigore literæ magis

28. Occurritur reſponſioni.

magis fauet,& communis ſententia doctorum magis ad hoc inducit. Idem videtur probare c. *Sicut tuis*, de Simon. vbi cum Epiſcopus vexaret quendam ritè electum, nolens illum confirmare,& inſtituere, vt extorqueret pecuniam, Simonia cenſetur, illam dediſſe, vt expreſsè dicitur in fine c. & in toto diſcurſu eius ſupponitur. Idem etiam videtur probari quoad electionem ex c. *De hoc*, de Simon. Maximè verò cogit conſuetudo, quæ eſt optima legũ intetpres, quæ ita textũ illum interpretata eſt. Et quãdo Ius ſcriptum deeſſet, ſtylus Curiæ, & communis vſus, & ſenſus totius Eccleſiæ ſufficeret ad inducẽdum hoc Ius; non eſt enim dubium, quin talis redemptio vexationis ab vniuarſa Eccleſia Simoniaca iudicetur. Intelligendã verò cenſeo hanc aſſertionem (quod benè notauit Leſſius) formaliter (vt ſic dicam) de illo, qui poteſt prodeſſe, ſi quatenus habet talem poteſtatem, per illam vexet, vt electot in non eligendo, collator in non conferendo, & ſic de aliis: ita enim loquuntur Auctores, & procedunt rationes factæ. At verò ſi eadem perſona electoris noceat, & vexet infamando, aut malè inducendo alios electores, denique illis modis, quibus priuata tertia perſona poſſet id facere, ſic non erit corã Deo, & per ſe loquendo Simonia, vexationem ab illo redimere, vt ceſſet ab illa vexatione, ſecundùm quam poteſt, & debet non obeſſe. Quia per talem redemptionem non emitur electio, & conſequenter nec beneficium: vnde eadem eſt ratio de illa vexatione, ac ſi fieret à perſona diſtincta, nam quòd in eandem perſonam incidat, materiale eſt, & per accidens, & intentio diſtinguit actiones, ſicut maleficia. Quod ſi recipiens pecuniam, ex ſua malitia illam recipiat vt pretiũ electionis, vel poſtea ex illa moueatur ad eligendum, eſt per accidens, & hoc periculum, aut talis metus non impedit alium, quin poſſit vti Iure ſuo.

Cap. Sicut tuis. *Cap. De hoc.* *Leſſius.* *Aduertẽtia.* *Maior.* *C. Mathæus.*

29. Duo puncta explicantur.

Duo verò ſuperſunt explicanda circa hanc aſſertionem; Vnum eſt, quantum extendatur hæc regula in beneficialibus. Tria enim per ordinem conſiderari poſſunt, Primum eſt electio, ſeu præſentatio, nominatio, aut poſtulatio: Secundum eſt confirmatio, inſtitutio, aut collatio: tertium eſt poſſeſſio. De primo nulla eſt controuerſia, nam in illo maximè procedit regula, quia ante illud nullum Ius proprium ſupponitur, ſed ad ſummum dignitas, vel idoneitas perſonæ, & licet hæc interdum ſufficiat ad habendũ Ius quoddam ad rem, pertinens ad iuſtitiam diſtributiuam, tamen illud non eſt proprium Ius, ſed eſt quædam proportio perſonæ cum tali muncre, ad quam ſeruandam obligat iuſtitia diſtributiua. Et licet in hoc fiat aliqua iniuria, non poteſt repelli per pecuniam, quia illud primum Ius, quod per electionem, verbi gratia, confertur, quid ſpirituale eſt, & non poteſt pecunia conparari. In ſecundo item eſt etiam magna conſenſio inter Auctores, quia etiam collatio, vel inſtitutio, in beneficio eſt quid ſpirituale, quod confertur poſt electionem, vel præſentationem. De confirmatione verò aliqui dubitant, vt Maior. 4. diſt. 25. q. 5. ad 2. vbi ait, fortè non eſſe improbabile, quod in foro animæ pecunia dari poſſit pro vexatione tollenda circa confirmationem. Sed licet ſtando in ſolo iure naturali, hoc poſſit procedere, nunc ſimpliciter ſtante Iure Canonico admittendum non eſt, quia etiam confirmatio eſt quid ſpirituale, ſicut electio, nam firmat, & quodammodo auget, & ſolidat Ius acquiſitũ per electionem, & ſæpè habet vim collationis, & de illa maximè procedit d.c. *Mathæus*, vt ibi Innoc. & omnes notant & eſt expreſſior de illa textus in dicto c. *Sicut tuis*.

30. An poſſeſſio iniuſtè impedita poſſit redimi.

De poſſeſſione verò inueniuntur contrariæ ſentẽtiæ, ſi poſt collationem, vel confirmationem impediatur iniuſtè, An poſſit vexatio redimi etiam ab iis, qui poſſunt prodeſſe. Aliqui negant, vt Sot. ſaprà, licet ſub dubio. Firmiús id tenet Gloſſa in c. *Decimas*, 2. 16. q. 7. Abbas in c. *Ad aures*, de Simon. n. 6. cum Innoc. ibi, idem in c. *Dilectus*, 1. in fine vbi etiam Felinus n. 3. Tenet etiam Redoan. p. 3. c. 22. n. 2. Præpoſit. 1. q. 1. in principio n. 28. & 29. Vgol. d. §. 8. n. 5. Qui ad hoc adducit in c. *In tantum*, de Sim. Sed nihil iuuat, quia in fine illius ſolũ reprobatur conſuetudo exigendi marcham argenti, de qua ſuprà dictum eſt, nihil verò ibi dicitur, An is, qui vexatur per talem exactionem peccet, dando illam non vt pretiũ, ſed ad redimẽdam vexationem ſuam. Ratio ergo propria huius ſententiæ eſt, quia poſſeſſio eſt aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum: ſed ad acquirendum, quod huiuſmodi eſt, non licet vaxationem redimere, ergo. Maior patet, quia per poſſeſſionem aſſequitur quis exercitiũ ſpiritualium, & ratione ſpiritualis tituli confertur. Et cõfirmari poteſt ex c. *Decimus*, 2. 16. q. 7. vbi prohibentur Epiſcopi, ne Decimas à ſuis ſubditis redimãt, etiamſi ab eis vexentur, & aliter eas ſoluere nolint, quæ prohibitio videtur in hoc fundari, quod Decimæ ſunt ſpiritualibus annexæ.

Sot. *Gloſſ.* *Abbas.* *Innoc.* *Felin.* *Redoan.* *Præpoſit.* *Vgolin.* *C. Decimas.*

Nihilominùs contrariam ſententiam inſinuat D. Tho. d. ſolut. ad 5. quatenus nullam mentionem facit poſſeſſionis, ſed abſolutè ait, acquiſito Iure per collationem, licitum eſſe impedimenta remouere, vtique acquirendæ poſſeſſionis. Nauar. etiam d. n. 102. ver. *Octauo*, ſentit in cõſcientia licitum eſſe, redimere vexationẽ circa poſſeſſionem poſt plenum Ius acquiſitũ in beneficiũ quoad proprietatem. Idem clariùs tenet Cardin. dicens, eſſe cõmunem opinionem in d.c. *Ad aures*, quando vexatio eſt tantum de facto, quem ſequitur Alex. de Neapol. in addit. ad Abb. in d.ca. *Dilectus*, ita exponens Innoc. & Ab. & reuera Ab. & Felin. ibi non contradicunt, addunt tamen limitationem, de qua ſtatim dicam. Tenet etiam Mai. 4. d. 25. q. 5. ad 2. & Sum. Piſana ver. *Simonia*, 1. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia poſſeſſio ſecundùm ſe ſpectata non eſt Ius aliquod ſpirituale, ſed tantùm quoddam factũ corporale, ſolùm ergo eſt ſpirituali annexa: quatenus ex titulo ſpirituali pẽdet: Poſtquàm ergo titulus ſpiritualis planè acquiſitus eſt, iam poſſeſſio non prætenditur vt conſequenda tanquam annexa rei ſpirituali, ſed per ſe, vt quid corporale eſt, & immediatè, ac per ſe debitum: ergo non eſt Simonia redimere vexationem, quæ circa illam fit, quia ſolùm redimitur factum, non Ius. Vnde ſecùs eſſet, ſi Ius ipſum in dubium vocaretur, & ideò non daretur poſſeſſio, tunc enim iam non per ſe ſola poſſeſſio redimeretur, ſed vt annexa Iuri, & per ſe iam Ius ipſum redimeretur, & tunc ad ſuperiores regulas recurrendum eſſet. Et ſimile, ſi habenti, & poſſidenti beneficium, denegarẽtur fructus, nam ſi negarentur, per ſolam vexationem facti non eſſet Simonia, illos redimere, quia licet ſint annexi ſpirituali titulo, tunc non redimũtur, vt annexi, ſed ſecundum ſe, vt latè tractat Turrec. in c. *Altaria*, 1. q. 3. art. 3. & in d.c. *Decimas*, Secus verò eſſet, ſi negarentur, reuocando in dubium probabile Ius ipſum beneficij, ſeu proprietatem eius, tunc enim non magis liceret redimere Decimas, quàm Ius ad illas.

D. Thom. *Nauar.* *Cardin.* *Alex. Neapol.* *Maior.*

31. Limitatio.

Addũt verò Panor. Felin. Alex. & alij limitationẽ, ſcilicet vt hæc redemptio vexationis circa poſſeſſionem locum habeat, quando ſine magno incommodo, periculo, aut mora non poteſt Superior conueniri, qui auctoritate ſua vexationem auferat, & poſſeſſionem conferat, nam ſi detur locus adeundi Superiorẽ ſine magno diſpendio, non licebit per pecuniã poſſeſſionẽ obtinere, cum qua limitatione in eãdem ſententiã deſcendunt Anan. in d.c. *Dilectus*, & Præp. d. n. 26. Rodoan. Vgolin. & Rebuff. d. tit. de Sim. n. 20. & 24. Sed qui cũ hac limitatione ſententiã hanc admittunt, neceſſe eſt, vt ſopponãt, præfationem illam pecuniæ, ſecundùm

Anan. *Præpoſit.* *Redoan.* *Vgolin.* *Rebuff.*

cundùm se spectatam, non esse Simoniacam, nam si esset Simonia, non posset fieri licita propter solā difficultatem adeundi Superiorem, aut propter aliquod detrimentum temporale, sicut non liceret, redimere vexationem circa futuram electionem, vel confirmationem propter similē occasionem. Vnde infero, limitationem illam esse quidem optimā in foro exteriori ad vitandam præsumptionem Simoniæ, simpliciter tamen in foro conscientiæ non esse necessariam, quia nullibi inuenitur à Iure Canonico introducta, & ex natura rei non est per se necessaria, cū illa actio secundùm se non sit Simoniaca, sed iusta redemptio vexationis circa rem quandam, quæ licet sit annexa titulo spirituali, non redimitur secundùm annexionē, quam habet, quia iam supponitur titulus, ratione cuius debetur, sed tantùm redimitur secūdùm se, prout est quid facti.

33. Et ita responsum est ad fundamentum contrariæ sententiæ, quia possessio tunc non redimitur tāquam quid spirituale, & ad c. *Decimas*, respondetur nullam prohibitionem ibi fieri Episcopis, sed potiùs dici ab eis esse prohibendum, ne id fiat, nimirum, *ne Decimæ, quas populus dare non vult, nisi quolibet munere ab eo redimantur.* Potest autem hoc duobus modis prohiberi. primò prohibendo Laicis, ne illā extorsionem faciant, & cogendo illos, & est satis accommodatus sensus, iuxta quem textus ille nihil facit ad causam. Secundò fieri potest prohibitio Clericis, ne in tali casu redimāt Decimas à Laicis, obstinatè detinētibus illas. Quod si in hoc sensu facta est tunc prohibitio, non fuit quia illa redēptio esset Simoniaca, nam reuera non fuisset, vt rectè ibi notant Hugo, & Turrec. Sed vel ne detur occasio Laicis faciēdi Ecclesiæ similes iniurias spe talis lucri, vel propter vitanda alia maiora incommoda animarum, & Ecclesiæ. Denique sicut ipsis Episcopis, non fit prohibitio, ita licet ipsi inferioribus Clericis prohibeant, ne sua auctoritate, & arbitrio talem redemptionem faciant, per hoc non impediuntur, quominus ipsi sua superiori potestate possint talem redēptionem, vel compositionem facere, vt constat.

Hugo. Turrec.

34. Possessor potest redimere iniustam expulsionem. *Vgol.*

Et hinc à fortiori sequitur, si quis habens verum, & certum Ius beneficij, quod possidet, per vim, & fraudē illius possessione priuetur, posse sine Simonia redimere vexationem suam, vt restituatur, licet contrarium dicat Vgolin. suprà num. 6. Sed hoc sequitur apertè ex præcedenti, & certius est, quia sicut turpiùs eiicitur, quàm non admittitur hospes, ita maiori ratione potest quis redimere vexationem circa possessionem, quam semel habuit, quam circa debitam, & nunquam obtentam. Et ita plures Auctores, qui primum negare videntur, hoc posterius affirmant, & expressè Glos. in d. c. *Dilectus*, 1. dum ait, *Non cōmittit Simoniam qui dat pro sua restitutione officij, vel beneficij.* Vbi Felin. referens Sum. Pisanam indicat in fin. limit. 2. ibi *licet videatur loqui in possessione semel habita.* Supponens, in eo casu rem esse certiorem. Sic etiam Præpos. suprà n. 30. in fin. dicit, non peccare, qui dat pecuniam, vt restituatur, quia non acquirit Ius nouum, sed recuperat antiquum. Et idem ob eandem rationem tenet Turrec. in c. *Nullus*, 1. q. 1. cum Hug. ibi, & in c. *Decimas*, 16. q. 7. Ratio autem vera est, quia per iniustam deturbationem à possessione non fuit ablatum, nec diminutum integrum Ius spirituale in re, & ita nihil spirituale propriè recuperatur, sed sola executio proprij Iuris. Et ex dicendis in vltima assertione hoc magis confirmabitur.

Gloss. *Felin.* *Præpos.* *Turrec.*

35. 2. Punctum. Alterum punctum explicandū circa positam regulam est, An patiatur exceptionem in aliquo Iure nondum acquisito. Et communis casus est, si in electione Summi Pontificis vexatio fiat, vt indignus, vel euidenter minus dignus eligatur, An liceat, illam vexationem pecunia redimere, vt electio iustè fiat. Quam quæst. latè tractauit Caiet. to. 2. Opusc. tract. 9. q. 3. & posteà Sot. & alij. In quo primum supponitur ab omnibus, nō suppositā vexatione, nunquam esse licitum, præuenire pecunia, vel muneribus eo colore, vt eligatur dignus, vel dignior, quia tale medium de se non est conueniens, neq; aptum, imò est periculis plenum, & scandalis expositum, & ideò per se loquendo iniquum est. Supponenda ergo est vexatio, & necessitas. Qua suppositā, conueniunt, non esse Simoniam, in eo casu dare pecuniam alicui electori, vt non eligat indignum, quia tunc non datur pro aliqua re spirituali, nec pro vsu spiritualis potestatis, nec pro nō vsu simpliciter, sed pro desistendo ab iniquitate, quod iustū est, sicut suprà diximus, non esse Simoniam, pecuniam alicui donare, vt auertatur à Simoniaca ordinatione, vel alia simili prauitate. Ex quo etiam consequens est, licere in eodem casu pecunia redimere vexationem, vt non eligatur minùs dignus. Est enim eadem ratio, quia etiam est peccatum eligere minus dignum, vnde possumus procurare, hoc peccatum vitare, etiam illo medio, quando vexatio, & iniquitas electoris cogit. Itē per talem largitionē non emitur Pontificatus, nec per se loquēdo paratur via ad obtinēdū illum, sed relinquitur elector in eadē libertate, quā iuxta diuinam legē, & iustitiā habere debet, & potest, ergo nulla est ibi Simonia, nec per se loquendo iniquitas. Tandē Ecclesia habet Ius, non solùm vt non eligatur indignus, sed etiā vt nō eligatur minus dignus, ergo in quocūq; istorū vexationē patiatur, licitū vnicuiq; est Ecclesiæ Ius redimere, & cōmune illius bonū procurare auferendo impedimenta, vt magis ex sequentibus patebit.

Caiet. Sot. *Caiet. Sot. Maior.*

36. An liceat dare pecuniam vt eligatur in cōmuni dignus?

Dices: Ergo erit licitum, dare pecuniam vt eligatur dignus, vel dignior, in communi. Quidam formidant hoc concedere, quia esset dare pecuniam pro munere spirituali, quod etiam in communi non licet, vt pro Missa, vel pro aliquo beneficio, sed nihil est, quod timeatur diuersa locutio, si res est eadem, idem autem est, (iuxta materiam subiectam) non eligere indignū, quod dignū eligere, nam supponimus, electores esse determinatos ad eligendū aliquem, & ita non datur pecunia pro exercitio spiritualis muneris (vt sic dicā) sed solùm pro determinatione quoad specificationē, quæ consurgit ex hoc, quod volūtas eligendis abstrahitur ab obiectis indignis, vel minus dignis, hanc autem exclusionem redimere licet, ergo specificationem illam, solùm quatenus ex hac exclusione sequitur, & ita verba illa in idem redeunt, & quæ obiiciuntur, nó sunt similia. Concedendum est ergo, licitum esse intendere, & dare pecuniam, vt eligatur dignus saltem in communi, vt expressè concedunt Caiet. & Sot. & ante illos Mai. 4. d. 25. q. 5. ad 2. Addo præterea, quòd si aliquis electorum vexaret Ecclesiam, impediendo absolutè, ne electio fieret, vel si omnes electores iniquè differrent nimium electionem cum magno Ecclesiæ dispendio, nec possent nisi muneribus induci ad faciendam electionē etiam quoad exercitium non esse intrinsecè malum, talia munera dare in eum finē per modum redemptionis vexationis vniuersalis Ecclesiæ in quadam grauissima illius necessitate. Nam si hoc licet pro salute vnius in casu suprà tractato de Baptismo, multò magis licebit pro bono totius Ecclesię. Item illa non est Simonia contra Ius diuinum, quia non interuenit intentio pretij, & datur alius titulus honestus dandi rem temporalem pro redimenda vexatione. Nec etiam est contra Ius Ecclesiasticum, quia vel non est, vel non obligat in casu tam singulari, & cum tanto discrimine Ecclesiæ: ergo est licitum.

37 Vtrum liceat subornare vt dignior eligatur.

Sed vrgebis tādem, hinc fieri, etiam esse posse licitum, dare pecuniā, vt talis persona eligatur, si supponatur esse publicum, & indubitatum, illam personam solùm

ſolùm eſſe dignam, vel ſolam eſſe digniorem cæteris omnibus. Ad hoc Sot. d. ſolut. ad 5. diſt. quadam reſpondet: nam vel vnus tantùm eſt dignus, & alius, ſeu alij omnes indigni: vel ſunt plures digni: in priori caſu concedit licitum eſſe, dare pecuniam, vt talis in particulari eligitur: imò inquit tunc licitum eſſe emere ipſam electionem, & conſequenter Pontificatum pro tali perſona: loquitur enim conſequenter ad doctrinam, quam de infante baptizando tradiderat, emptionem rei ſpiritualis non eſſe intrinſecè malam, ſed honeſtari in caſu extremæ neceſſitatis, & talem eſſe putat in eo caſu Eccleſiæ neceſſitatem. Vnde conſequenter in poſteriori caſu, ait non licere dare pecuniam pro digniſſimo eligendo, quia non credit, eſſe illam externam neceſſitatem Eccleſiæ, quandoquidem per electionem digni ſufficienter ei prouideretur, & alioqui non putat, poſſe ibi ſeparari redemptionem vexationis ab emptione rei ſpiritualis. ac ſubinde in eo caſu non honeſtari ſi ad digniorem terminetur.

38. Reſolutio. Sed in primis aſſero, hîc neceſſariò eſſe diſtinguendam redemptiontm vexationis ab emptione rei ſpiritualis, vel Pontificatus, quia hæc re vera nũquam licet, ſatiſque diſtingui poteſt à redemptione vexationis, vt tã in cauſa de Baptiſmo, quàm in toto hoc cap. explicatum eſt. Deinde, ſi multi ſint æquè digni; certum eſt, non licere determinatè pro vnius electione pecuniam dare. Ita Caiet. & omnes, ac meritò, quia eligere alium, non eſſet vexatio, ergo iam non datur pecunia pro redemptione vexationis, ſed pro dignitate, & in fauorem talis perſonæ, & directè inducendo electorẽ, media pecunia, ad illam eligendam, quæ manifeſta eſt Simonia. Tertiò, ſi inter dignos duo, vel tres ſint digniores cæteris, & inter ſe cenſentur æquales, licitum eſt, dare vt non eligatur minùs dignus, ſeu quod idem eſt, vt digniſſimus negatiuè, id eſt, quo nullus ſit dignior, eligatur. Probatur, quia tunc etiam ſiſtitur in redemptione vexationis, & in ſola negatione non faciendi iniuriam Eccleſiæ, vel eligendis, etiam contra diſtributiuam iuſtitiam, hic autem finis optimus eſt, & ſeparabilis ab emptione rei ſpiritualis, & multum pertinens ad commune bonum Eccleſiæ, ergo per ſe licita eſt actio. Item, per illam pecuniam non determinatur voluntas eligentis magis, quàm ſecundùm rectam rationem determinari debeat, ſed tantùm à malo remouetur, & inducitur ad bonum; non emendo ab illa ſuffragium, ſed remouendo prauum affectum eius: vt libera maneat ad iuſtam electionem; ergo habet locum ibi redemptio vexationis, & cauſa illius honeſtiſſima eſt, ſcilicet commune bonum Eccleſiæ ergo.

39. Addo quartò. Etiamſi inter omnes eligibiles, vnus tantùm ſit dignus, licitum eſt vexationem redimere, ne eligatur indignus, vel vt eligatur dignus (quod idẽ eſt, vt dixi) ſi dignus tantùm formaliter ſub ratione digni, & non materialiter ſub ratione Petri; vel Pauli proponatur. De hac vltima parte dicam ſtatim; reliquæ ſequuntur manifeſtè ex dictis, & eas intendit Sotus, & conſentit Nauar. num. 102. ver. *Oſtauo*, in fine nec refragatur Caiet. quia non reſtringit caſum, ſed videtur loqui ſemper, ſupponendo plures eſſe dignos. Probatur autem, quia illa negatio eadem eſt, & idem eſt Ius, quod in eo caſu habet Eccleſia, vt non eligatur indignus, & eadem neceſſitas, eadémque intentio, redimendi vexationem. Vnde etiam affirmatio digni, quæ ex illa ſequitur, formaliter eſt eadem, & de ſe eſt communis, & indifferens Quòd autem per accidens contingat in vna tantùm perſona verificari, materiale eſt, & non variat honeſtatem actionis, & intentio poteſt illa duo diſtinguere, & per verba ipſa poteſt commodè talis intentio explicari: ergo nulla eſt ibi malitia, per ſe loquendo.

Sot. Nauar. Caiet.

Vnde adiungo quintò. Quòd licet plures ſint digni, & inter eos vnus tantùm ſit dignior cæteris, licitum eſt redimere vexationem, ne eligatur minùs dignus, & ſimpliciter procurare, vt eligatur digniſſimus, formaliter etiam in illo ſiſtendo. Probatur, quia eadem eſt ratio, & proportio, ſemper enim diſtingui poteſt redemptio vexationis ab emptione rei ſpiritualis, & cauſa honeſtans, & moraliter inducens videtur ſufficientiſſima: nam licet nõ ſit tam graue malum Eccleſiæ, prouidere illi paſtorem minùs dignum, ſicut indignum, nihilominùs eſt grauiſſimum nocumentum, quia eſt in bono vniuerſali, & ſupremi ordinis. Vnde quod Sot. ait, quando ſperatur eligendus dignus, prætermiſſo digniori, non ingruere Eccleſiæ extremam neceſſitatem, quæ ſola ſufficit honeſtare hanc actionem, fundatur in illo falsò principio, quòd hîc honeſtatur emptio rei ſpiritualis, & ideò poſtulat extremam neceſſitatem, cum tamen re vera etiam extrema neceſſitas illam emptionem non poſſit honeſtare. Supponendo autem, non eſſe emptionem rei ſpiritualis, ſed redemptionem vexationis, falſum eſt, ſolam extremam neceſſitatem illam honeſtare, quia ſufficit grauiſſima neceſſitas, vt ſupra oſtenſum eſt. Sed obiici poteſt, quia tunc non patitur Eccleſia vexationem in iure acquiſito, quia non habet ius ad digniſſimum, ſed illius iuri in rigore ſatis fit, eligendo dignum. Reſpõdeo, eſto, non habeat Eccleſia Ius iuſtitiæ commutatiuæ ad digniorem (cuius oppoſitum multi probabiliter cẽſent) ſatis eſſe, quòd illi ſit debitum quocunque titulo, vel iuſtitiæ diſtributiuæ, vel legalis, vel fidelis diſpẽſationis, & quòd violatio huius debiti cedat in magnum detrimentum vniuerſale, vt ſit licitum; talem vexationem redimere, ſicut ſuprà de ſubornatione dicebamus: Eò vel maximè, quòd hîc directè agitur de aduertenda iniqua electione, & contraria bono communi, & ad hoc ſemper habet Eccleſia Ius acquiſitum, ita vt poſſit cogere ad illud ſeruandum, ſi voluerit.

Obiectio. Reſpõdetur.

Vltimò verò addo, nunquam licere moraliter loquendo, redimere hanc vexationem, vt determinatè, & quaſi materialiter inducatur elector per pecuniam ad eligendam hanc perſonam, hoc colore, quòd illa ſola eſt digna, vel dignior. Hoc præcipuè videtur intendere Caiet. Et mihi videtur veriſſimum, & neceſſarium ad vitandam Simoniam, vel palliationem, & vehementem ſuſpicionem eius. Ratio verò eſt, quia licet in re ipſa contingat, ſolùm Petrum eſſe dignum, vel digniorem, nihilominùs longè aliud eſt, dignum, vel Petrum poſtulare. Nam in primo ſiſtit petitio in qualitate perſonæ eligendæ, & in eo, quod ex natura rei neceſſarium eſt ad cauendam iniuſtitiam; in ſecũdo autem tranſit petitio ad applicationem illius qualitatis ad talem perſonam, & conſequenter per pecuniam petitur ab alio, vt hanc perſonam eligat, vt ſolã dignam, vel digniorem cęteris; hoc autem eſt non ſolùm remouere malum, ſed etiam directè inducere per pecuniam ad electionem, & quaſi determinare voluntatem eligentis etiam ad talem perſonam, quod non videtur poſſe ab in ordinatione & Simonia purgari. Et confirmatur: nam vel conſtat euidenter, talem perſonam eſſe digniorem, ſeu ſolam dignam, & tunc neceſſarium non eſt ad Eccleſiæ bonum ad illam directè, & determinatè inducere, & conſequenter non licet propter rationem factam, & propter ſcandalum, & malam ſpeciem: vel non eſt ita euidens; & multò minùs licet, muneribus id perſuadere: ſemper ergo cauendum hoc eſt, vt benè admonuit Maior vbi ſuprà. & idem intendit Caiet.

41. Vltima aſſertio. Maior. Caiet.

Sed quæres, An liceat, doctrinam hanc ad aliàs electiones ſpiritualium præbendarum, Canonicatuum,

42. An liceat

hanc doctrinam ad alia extendere? *Sot. Nauar. Valentia. Lessius.*

vel etiam Episcopatuũ applicare: Nam Caiet. solùm loquitur in Summo Pontificatu, & ferè eodem modo loquitur Sot. Nauar. paulò generaliùs loqui videtur; Valentia autem, & magis clarè Lessius de omnibus electionibus ecclesiasticis loquuntur. Dubitari tamen non potest, quin de electione ad Summum Pontificatũ sit valdè specialis ratio; tùm propter supremã illius dignitatis potestatem, quæ eminentiam magnam charitatis, & prudentiæ, & magnam animi moderationem requirit, vt dignè, & vtiliter administretur: tum propter necessitatem totius Ecclesiæ vniuersalis, quæ longè maior est; tùm etiam quia error semel commissus in illa electione circa personam, emendari non potest per homines, quia Pontifex semel electus non habet superiorẽ in terris; in aliis verò electionibus si errores graues committantur, possunt per Superiores Prælatos, vel per ipsum Pontificem emendari. Et hinc fit, vt illa electio non possit semper arctari ad generales terminos Iuris cõmunis, sed ad eos tantùm, qui circà illam specialiter à Pontificibus ordinati sunt, & in aliis regulanda sit secundùm rectam rationẽ, & diuinam legem, ita vt omnia, quæ intrinsecè mala sunt, vitentur; & in reliquis, quæ specialiter prohibita non sunt, ea liceant; quæ ad dignam, & puram electionem faciendam, & ad meliùs Ecclesiæ prouidendum conducant. At verò in aliis electionibus præter ea, quæ sunt de Iure diuino, seruanda sunt, quæ per leges Ecclesiasticas sunt statuta, & cauenda, quæ prohibentur. Et ideò non omnia, quæ diximus, possunt ad aliàs electiones applicari. Et in primis si possit esse recursus ad superiorem, nunquam licet vti medio redemptionis, vt à fortiori sumitur ex communi doctrina Canonistarum suprà tradita. Deinde electio frequẽtiùs erit nulla propter pactionem, vel interuentionem pecuniæ, quæ ex parte electoris Simoniaca est, licet ex parte dantis pecuniam, excusetur titulo redimendi vexationem; procurare autem electionem, quæ futura est nulla, regulariter non licet, etiam si fiat spe obtinendi remedium à Pontifice, nisi tanta sit necessitas vitandi aliquod grauissimum damnum alicuius Ecclesiæ, vt excuset: sed hoc rarum est: Et ideò pro regula statuendum est, hoc non licere. Tanta verò esse posset necessitas, tantaque difficultas recedendi ad Superiorem, qui illam impediat, vt permitti possit in conscientia talis redemptio, etiam in inferioribus electionibus, maximè vbi solùm de euitanda indigni electione tractatur.

A

B

C

D

§3. In aliis actibus extra electionẽ non semper prohibetur redemptio vexationis.

Vltimò, dicendum est in hac materia, in aliis actibus nõ beneficialibus, seu merè spiritualibus non esse prohibitam semper redemptionem vexationis, quando cum spirituali detrimento vexatio fit, priuando aliquem iniustè actione, aut remedio spirituali sibi debito. Hæc assertio præter suprà dicta de Sacramentis, maximè locum habet in absolutione ab excõmunicatione, & aliis censuris, quãdo iniustè inferuntur, vel earum absolutio per iniuriam negatur, vel per potentiam, & vim impeditur: & eodem modo applicari potest ad similia. Et ita docuit illam Glos. suprà citata in d.c. *Ad aures*, & c. *Dilectus*, & ibi etiam docuit Ioã. And. cum illa limitatione, scilicet quando per potentiam aduersarij non speratur remedium per Superiorem sine magno dispendio. Et eodem modo id sequuntur ibi Panor. Felin. & alij, & Præpos. 1. q. 1. in princ. nu. 28. & sequentibus: Host. sine vlla restrictione in Sum. tit. de Simon. Turr. cum Hugo. in c. *Nullus Episcopus*, 1. q. 1. vbi Gloss. idem sequitur: & idem tenet Maior, vbi suprà, & idem generaliùs tenet Supplem. Gabr. ibi. q. 2. art. 2. prop. 7. qui reducit hæc ad Ius acquisitum, quia in illis semper supponitur verũ Ius proprium ad talem absolutionem, vel alium similem actum: stante autem tali Iure, nõ solùm licet, redimere vexationem, ab eo, qui Ius ipsum tollere conatur, sed etiam ab eo qui iniustè impedit, ne tali Iure vti possim, & ita etiam dixit Gloss. in Reg. mor. c. de Auar. Alphab. 29. lit. R. Et ratio constat ex dictis, quia hoc non est intrinsecè malum, nec inuenitur in Iure prohibitum, & subest honesta causa, & sufficiens necessitas talis redemptionis: ergò. Contrariam sententiam tenuit de absolutione à censura Innoc. in d. cap. *Ad Aures*, & sequitur Vgol. Tab. 1. c. 44. §. 1. nu. 5. Sed illi supponunt, non separari in his redemptionem vexationis ab emptione rei spiritualis, quod verum non est, & ita non habent solidum fundamentum. Nec cap. *Ad aures*, quòd allegant, quicquam probat, vt legenti facilè constabit.

E

Gloss. Ioan. Andr.

Panor. Felin. Præpos. Hostiens. Turrecr. Hug. Maior. Gabr.

Innoc. Vgolin.

CAPVT LI.

An transactio, seu pactio onerosa ad terminandam litem, habeat locum in spiritualibus absque Simonia.

DE hoc puncto pauca dixerunt Theologi; à Iurisperitis autem latissimè disputatur in variis cap. de Transact. & in ca. vlt. de rerum permut. & in cap. *Nisi*, de Præb. & aliis locis: nos verò breuissimè attingemus, quæ ad conscientiæ forum videbuntur necessaria. Supponimus autem primò, aliud esse compositionem, aliud transactionem: Omnis enim transactio compositio quædam est, non verò omnis compositio est transactio. Compositio enim habet locum in remissione gratuita, & in Iure certo, ac indubitato, & extra omnem litem; transactio verò propriè dicitur pactio non gratuita in dubia, & sub incerta lite constituta, vt constat ex leg. 1. ff. & L. 2. eod. de Transact. Vnde remissiones, & condonationes, quas interdum facit Pontifex de fructibus beneficiorum malè partis, vel de rebus restitutioni obnoxiis incertis creditoribus, licet compositiones communiter appellentur, non sunt transactiones: tum quia ibi nec est ordo ad litem, nec dubium in re debita, vel in obligatione restituendi: Tùm etiam quia remissio, quæ ibi fit, non est propriè onerosa, sed gratuita. Nam licet talis remissio fiat sub conditione faciendi talem eleemosynam, vel subuentionem ad tale opus pium, nihilominùs gratis, & absolutè remittitur reliquum debitum totum, & pars illa, quæ solui præcipitur, non denuò imponitur, debita enim erat, sed solùm ad tale, vel tale opus applicatur. Sic etiam si creditor conueniat cum eo, qui centum sibi debet, vt soluat octoginta, & remittit reliquum debitum, etiamsi nec esset in illo dubium, nec timor litis, non facit transactionem, sed compositionem liberalem. Item, si litigantes inter se conueniant, vt alter omninò cedat actioni, vel rei, de qua litigabatur, sine vlla recompensatione, vel diuisione, sed omninò gratis; dicetur illa amicabilis compositio, non transactio. Ad transactionem ergò tria requiruntur: Primum est, vt Ius, vel res, super quam transigitur, sit incerta, seu dubia, saltem probabili existimatione vtriusque partis, aliàs ab altera parte fieret clara iniustitia; & compositio facta ab altera parte, esset potiùs redemptio vexationis, quàm transactio. Secundum est, vt conuentio sit cum aliquo onere vtriusque partis, aliàs non esset propria transactio, sed donatio. Tertium, vt sit in ordine ad litem componendam, vel dirimendam, siue lis intenta sit, siue controuersia tantùm mota sit, & lis intentari possit, iuxta leg. *Eleganter*, §. *Siquis post* ff. de Condict. indeb. leg. 2. C. de Transact. Ratio autem horum omnium maximè consistit in vsu vocũ, qui ex Iuribus tam Ciuilibus quàm Canonicis, & interpretibus eorum sumendus est.

Compositio & transactio in quo differant.

Leg. 1.

Ad trãsactionem tria requiruntur.

Leg. *Eleganter.*

Ex hac ergo vocum interpretatione facilè intelligi 2.

potest

potest, & occasio præsentis quæstionis, & quid in ea A certum sit, vel de quo possit esse nonnulla difficultas. Constat enim, posse esse inter homines controuersiam, & litem circa materiam spiritualem, vt circa beneficia, iurisdictionem Ecclesiasticam, & similia, & consequenter etiam est clarum, posse similem controuersiam finiri per voluntariam partium compositionem, seu concordiam, imò etiam constat, frequentiùs expedire ita fieri ad tollendas discordias, & litiũ molestias, & expensas. Vnde non est etiam dubium, quin possit aliquo modo licitè fieri, quia cum pax, & concordia maximè consentanea sit spiritualibus rebus, deesse nõ potest aliquis modus honestus faciendi compositionem in controuersia mota circa spiritualia bona, ita vt in tali compositione Simonia non B interueniat, hunc ergo modum hîc inquirimus. Vt autem hæc compositio locum habeat, in primis supponendum est, verum, & legitimum fundamentum illius controuersiæ, quæ componenda sit: fundamentum autem est illud primum, quod proposuimus, scilicet, vt Ius circa rem spiritualem, de qua tractatur, sit aliquo modo incertum, vel dubium, saltem probabili existimatione in vtroque contendente. Nam si vnus habeat Ius certum, & indubitatum, & alius per fraudem, & potentiam, controuersiam moueat, & litem intentet, vel minetur, vt aliquid extorqueat: tunc quidem compositio etiam fieri potest, sed vt dixi, illa non erit transactio, sed redemptio vexationis, etiamsi fiat post litem iam motam, quia hoc non variat spe- C ciem pacti, nec honestatem eius. Et ita de hoc casu nihil tractamus hîc, sed per doctrinam præced. capit. iudicium in illo ferendum est.

3. Variis modis potest esse compositio de re spirituali.

Præterea supponendum est, variis modis posse de facto fieri compositionem super huiusmodi controuersiam de re spirituali. Primò, vt alter contendentium liberè, & gratis omninò cedat Iuri suo in gratiã alterius absque aliqua diuisione rei, vel Iuris, de quo tractatur, vel recompensatione ex parte alterius. Secundò, si res, de qua tractatur, diuisibilis sit, & prudenti arbitrio compositio fiat per diuisionem eius, vel emolumẽtorum eius inter contendentes. Tertiò, vt tota res vni applicetur, ipse verò de aliis rebus, seu bonis suis aliquam recompensationem alteri faciat. D

1. Resolutio. De primo ergo modo nulla est controuersia, quin ibi Simonia non interueniat, quia non interuenit pactio onerosa, & is, qui cedit, si aliquid Iuris ibi habebat, gratis illud condonat alteri, ergo nulla ibi est vmbra Simoniæ. Et ita ille modus compositionis maximè laudabilis est, non est autem transactio (vt dixi) sed vocari solet amicabilis compositio, de qua multa Iura loquuntur, & specialiter illam approbat caput. *Super eo*, de Transaction. Fit autem hæc compositio, vel quando altera pars liberaliter cedit Iuri suo, & litem deserit, vel quando litigantes amicabiliter promittunt stare arbitrio aliquorum prudentum, vt ille omninò gratis causam dimittat, quem minùs probabile Ius habere censuerint. Et tunc non est necessaria Prælati auctoritas ex vi compositionis, secùs ratione nouæ institutionis, aut renunciationis, si fa- E cienda esset post datum arbitrium: nam ad illam necessaria est Prælati auctoritas, vt notat Panor. d. cap. *Super eo*. De hac ergo amicabili compositione nulla est controuersia, sed tota versatur circa secundum, & tertium modum compositionis: in vtroque enim saluatur propria ratio transactionis, quia in vtroque verè intercedit pactio onerosa, seu non gratuita, & de re dubia spirituali, ac lite incerta, quia per talem conuentionem vterque renunciat aliqua ex parte Iuri, quod prætendebat, & non omninò gratis sed aliquid etiam lucrando, & obtinendo, siue de re ipsa, de qua erat lis, siue de alia, hoc enim nihil refert, quominùs

Panor.

pactio gratuita non sit, quandoquidem semper commutatur Ius dubium circa rem totam pro aliquo Iure, vel dono certo.

4. Difficultatis articulus.

Difficultas ergo est, An hæc transactio in spiritualibus semper reprobetur vt Simoniaca. Et ratio difficultatis oritur primò ex dictis, quia omnis pactio in spiritualibus Simoniaca est, iuxta caput vlt. de Pact. & caput *Quàm pio*, cum similibus, primò, quæstione secunda, sed quòd pactio fiat ad finem concordiæ, & pacis, non tollit intrinsecam malitiam talis pactionis, quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona, ergo. Secundò videtur hoc apertè definitum ob hanc eandem rationem in dicto capite. *Super eo*, & capite *Præterea*, 1. & 2. cap. vlt. de Rerum permut. In contrarium autem est, quia hîc modus pacti, & transactionis in spiritualibus videtur & consuetudine, & Iure probatus, præsertim si Prælati auctoritas, & consensus accedat, vt patet ex c. 1. & 2. c. *Veniens*, de Transact. ergo signum est, in se non continere Simoniacam prauitatem, aliàs non posset Prælati auctoritate robur accipere. Imò etiam sine Prælati interuentu censetur valere quoad personas transigentium inter se, quamuis successores obligare non possit, non propter Simoniã (aliàs neque inter transigentes valeret) sed quia priuata conuentio non potuit successores obligare, vt dicitur in dicto capite *Veniens*: ergo.

Cap. *Quàm pio.*

Ca. *Super eo.* Ca. *Præterea.*

5. Distinctiones necessariæ.

In hoc puncto distinguendum est tam de materia transactionis, quàm de re, quæ in compensationem datur. De materia enim supponimus, debere esse aliquo modo spirituale: aliàs transactio, ad Simoniam pertinere non posset. Potest autem esse, aut res merè spiritualis, nullum temporale habens annexum, aut potest esse Ius spirituale, habens annexam rem temporalem consequenter, quam materiam, vocamus beneficium, siue proprium beneficiũ sit, siue illud imitetur in prædicto modo spiritualitatis, vel potest esse spirituale quod quasi adiacens rei temporali, seu habens temporale annexum antecedenter, quod perinde est, vel potest esse temporale spirituali annexum vt sic, id est, retinens annexionem per Ecclesiam factam: vel denique potest esse temporale, quod licet fuerit annexum rei spirituali, possidetur, & habetur vt disiũctum, & separatum à iure spirituali, sicut Decimæ possidentur à Laicis, vel commendæ, Similiter id, quod datur in compensationem potest esse vel aliquid spirituale eiusdem rationis, & ordinis, vel aliquid spirituali annexum, vel aliquid merè temporale. Ad iudicandum ergo de transactione, oportet considerare, quid pro quo commutetur, & applicanda sunt generalia principia de Simonia. Et in hoc sensu dixit Syluester, verb. *Transactio*, vers. *Secundum*, in fin. transactionem licere, vbi non interuenit Simonia, non licere autem, vbi interuenit. Quia verò hoc ipsum est, quod inquirimus, quando scilicet, interueniat, vel non interueniat Simonia, addit hoc per applicationem definitionis Simoniæ iudicandum esse. Quod per sequentes propositiones breuiter fieri potest.

Regula ad hoc iudicãdum.

Sylvest.

6. 1. Cõclusio.

Dico primò: Transactio, in qua Ius spirituale pro aliquo temporali remittitur, vel retinetur, est mala, & Simoniaca. Est certa, & communis sententia: tenet Glos. 1. in c. 2. & in c. *Super eo*, de Transact. & ibi Innocen. Panor. & alij, Maior. in d. 25. q. 5. ad 4. Sylvest. Angel. Tabien. & alij Summistæ, ver. *Transactio*. Et habetur expresè hæc decisio in c. *Cum pridem*, de Pact. & c. 2. de Arbitris, cap. *Præterea*, primo & 2. de Transact. & cap. vlti. de Rer. permut. Ratio verò est clara, quæ in principio facta est, nam in transactione re vera fit quædam permutatio, quæ sub venditione comprehenditur, quando pretium interuenit, ergo si transactio fit remittendo spirituale pro temporali,

Gloss. Innoc. Panor. Maior. Sylvest. Angel. Tabien.

venditur ſpirituale ab eo,qui illud remittit, & è con- A uerſo ſi retinetur, & quaſi firmatur ſpirituale, dato temporali, emitur aliquid ſpirituale: Declaratur ex dictis de redemptione vexationis, diximus enim debere eſſe Ius certum, vt redemptio vexationis locum habeat,quia ſi ſit dubium, non vexatio redimitur,ſed ipſum ſpirituale per pecuniam quaſi confirmatur, & retinetur, ſed in tranſactione ſupponitur Ius ſpirituale dubium, aliàs non eſſet tranſactio, vt diximus, ergo nullo modo licet Ius illud pecunia redimere, quod fieret per illam tranſactionem. Atque hæc regula formaliter applicata habet locum in omni genere ſpiritualium, ſi ſuam ſpiritualitatem retineant, ſaltem per annexionem, nam ſi hanc amiſerint, iam non ſunt propriè ſpiritualia,& quid de illis dicendum B ſit,infrà videbimus.

7. Igitur ſi ſpiritualis iuriſdictio in litem vocetur, nõ
Non licet in tranſactione ſpiritualium dare pecuniam. licet tranſigere, dando pecuniam, nam eſt clara Simonia,de quia in d. cap. *Præterea*, 2. Item ſi beneficiũ ſit litigioſum, non licet componere litem, vel dando pecuniam actori, vt deſiſtat, vel recipiendo ab illo pecuniam iuxta d.c. *Conſtitutus*, & relinquendo illi beneficium. Quomodo autem liceat, acceptando penſionem, tranſigere, infrà dicemus. Item ſi de Iure præſentandi quæſtio ſit ſuborta, non licet tranſigere,
Ca. *Præterea*. dando pecuniam alteri,vt deſiſtat,vt in d. c. *Præterea*, 1. Item ſi de rebus ſacris, ver. grat. de reliquiis controuerſia oriatur, non licebit tranſigere, data vel accepta pecunia, quia eadem ratio Simoniæ interue- C nit, idémque cum proportione eſſet de aliis rebus ſacris, in quibus temporale eſt annexum antecedẽter ſpiritualitati, ſi ratione ſpiritualitatis magis æſtimarentur ad tranſactionem faciẽdam altiori pretio,nam ſi ſolùm materiale in eis conſideretur, ſicut vendi poſſunt, ita etiam ſuper eas tranſigi poterit, vt conſtat. Denique ſi de officio Eccleſiaſtico, quod per Eccleſiam ita eſt annexũm ſpiritualibus, vt ex prohibitione eius vendi non poſſit, lis oriatur, non poterit pecunia componi, quia illa etiam eſt quædam Simonia contra Ius poſitiuum, niſi diſpenſatio Prælati intercedat.

8. Dico 2. Tranſactionem in materia ſpirituali non
2. Cõcluſio. beneficiali cũ aliqua compenſatione per largitionẽ, D vel ceſſionem alterius rei, vel Iuris ſpiritualis proportionati, non eſſe Simoniacam, & ideò fieri poſſe de conſenſu partiũ abſque auctoritate Prælati,quantum eſt ex vi tranſactionis. Hãc aſſertionem ſumo ex
Abbas. Innoc. Abbate in d.c.2.& c.*Super eo*,de Tranſact. cum Inno. & aliis ibi. Probatur autem ratione, quia huiuſmodi tranſactio neque eſt intrinſecè mala tanquam Simonia contra diuinum Ius, nec etiam eſt Iure Eccleſiaſtico prohibita: ergo. Prior pars antecedentis probatur, quia datio, & acceptio ſpiritualis pro ſpirituali non eſt Simonia contra diuinum Ius, vt ſuprà probatum eſt, ſed in hoc modo tranſactionis nihil aliud fit: ergo.Et ſimiliter probatur poſterior pars,quia ſimilis permutatio propria auctoritate facta non eſt prohi- E bita Iure Eccleſiaſtico extra materiam beneficiorum, & ea,quæ illam concernunt,vt ſuprà etiam oſtenſum eſt:ergo idẽ eſt de tranſactione, præſertim quia nulla poteſt aſſignari talis prohibitio ſpecialis.

Potéſtque hæc regula applicari ferè ad omnia exempla proximè data, nam ſi contentio ſit de iuriſdictione ſpirituali, poſſet fieri tranſactio, vt alternis viſitent,aut eligant, aut præſentent, ſi de his Iuribus lis oriatur, vel ſi Epiſcopi contendant de Iure in aliquam Eccleſiam,poſſent conuenire, vt vnus iuſriſdictionem, alius prouiſionem beneficiorum in illa habeat. Similiter ſi de rebus ſacris lis eſſet, vt de reliquiis, poſſent litigantes per tranſactionem illas inter
9. ſe diuidere, vel ſi non expediret diuidere, poſſet res, quæ in litem adducitur,vni applicari ſub conditione, vt aliam reliquiam alteri parti donaret. Non tamen poſſet tunc compenſari per rem ſacram pretioſam ex parte materiæ, quia cenſeretur potiùs dari ratione materiæ, ratione cuius vendibilis eſt,& ideò diximus, in hac tranſactione ſeruandam eſſe proportionem.Item in rebus annexis ad ſpiritualia maximè locum habet hæc tranſactio, vt in Decimis, quando de illis eſt lis,& fit conuentio,vt vnus partem quandam habeat, alius aliam, vel ſi Monaſterium cum Epiſcopo, vel alio Monaſterio litiget de fructibus alicuius Eccleſiæ ſibi vnitæ, poteſt compoſitio fieri, vel partem fructuum relinquendo alteri, vel alterius Eccleſiæ fructus, & ſic de aliis, quæ communia ſunt apud Auctores, quia in illis omnibus non inuenitur commutatio ſpiritualis pro temporali, ſed ſpiritualis pro ſpirituali, & annexi pro annexo cum proportione. Quæ non eſt prohibita in Iure, imò ex multis Iuribus Ca. *Ad quæſtion.* vel apertè, vel per æquiualentiam ſumi poteſt. Vt ex Ca. *Cum venerab.* c. *Ad quæſtiones* de Rer. permut.c. *Cum venerabilis*, de Cenſib ca.*Conſtitutus*, de Relig.dom. ca. *Ex multiplici*, Cap. *Conſtitutus.* de Decim.

Solet autem interdum in his tranſactionibus auctoritas Prælati poſtulari, vt in cap. 2. de Tranſact. 10. Et ad hoc inſinuandum, & exceptionem aliquam faciendam,addidi in aſſertione, *quantum eſt ex vi tranſactionis*,nam illa de ſe,vt careat vitio Simoniæ,non requirit auctoritatem Prælati, tamen vt valeat, poterit aliunde illa indigere. Primò ſi res ſpiritualis, quæ in recompenſationem datur, in dubium non vocetur, ſed extra litem ſit, & ad illam conferendam alteri ſit neceſſaria auctoritas Prælati. Et ideò Prælatus ipſe interdum poteſt Ius aliquod ſpirituale certum alteri dare, vt recedat à lite ſuper alio ſpirituali Iure, inferior autem hoc facere non poterit ſine conſenſu ſui Prælati, vt in vltima parte aſſertionis inſinuaui. Poſtulatur autem hæc Prælati auctoritas,vt talis tranſactio poſſit eſſe perpetua, nam vt valeat inter perſonas,non eſt neceſſaria, vt conſtat ex c. *De cætero*, eod. Continet enim interdum hæc tranſactio quandam alienationem bonorum Eccleſiaſticorum, & ideò,vt firma ſit,auctoritas Prælati neceſſaria eſt,imò,& aliæ conditiones ad talem alienationem neceſſariẽ,poſtulantur,de quibus alibi. Quando autem cum Laicis ſit tranſactio ſuper Decimas,ex ſpeciali Iuris diſpoſitione,Pontificis confirmatio neceſſaria eſt,iuxta c. *Veniẽs*, Cap. *Veniens.* de Tranſact.& c. *Venerabiles*,de Con.vtil.vel inutil.& Ca. *Venerabiles.* c. *Decimas,quas* 16.q. 7. de quo aliquid attigimus cap. Ca. *Decimas quas.* præced. & videri poſſunt dicta ſuprà tract. 2. lib. 1. cap. 15.

11. Dico 3. In materia beneficiali non eſt licita tran-
3. Cõcluſio. ſactio, etiamſi in ea ſpirituale pro ſpirituali tranſigatur, quando illa propria auctoritate litigantium fit, vel ad arbitrium priuatum virorum prudentum, auctoritate autem Prælati poterit honeſtari: Prior pars communis eſt Innocent. Panorm. & aliorum in cap. *Conſtitutus*, & d. c. *Super eo*, qui ita intelligunt illa Iura,quatenus ſimpliciter damnant omnem tranſactionem in ſpititualibus, nam in beneficialibus potiſſimũ loquuntur.Idem Gloſ.in ca. *Si quando*,de offic. deleg. *Gloſſ. Præpoſ. Rebuff. Lambert.* Gloſ.in c. *Ea quæ*, 1.q.3. Idem Præpoſ. in c. *Quàm pio*, 1.q.2.nu.2.Deci. Conſ.436. nu. 18. Rebuff. in Pract. Cancellar. Apoſtol.verſus finem,Lamber.de Iure Patron.lib.3.q.9.art.6. Fundamentum huius aſſertionis non eſt ſumendum ex ſolo Iure naturali,nam ex vi illius, permutatio ſpiritualis pro ſpirituali non eſt Simoniaca, vt ſuprà dictum eſt, eadem autem ratio eſt de tranſactione, vt conſtat, & ſtatim etiam dicetur. Quapropter non mihi probatur ratio,qua in hoc vtitur Sylueſt.nimirum, tranſactionem in beneficiis in- *Sylueſt.* uoluere Simoniam,quia beneficium non eſt purè ſpirituale

rituale, sed habet annexum temporale, vnde si fiat transactio, semper dabitur temporale pro spirituali, vel è contrario. Hæc (inquam) ratio mihi non placet vt per se sufficiens ex sola rei natura, quia permutatio beneficiorum ex natura rei non esset Simoniaca, si non esset prohibita, vt omnes pro comperto habent, & tamen ibi etiam interuenit temporale annexum spirituali, ergo idem est in transactione, ex natura rei loquendo, quia transactio in beneficiis, dando spirituale pro spirituali, nihil aliud est, quàm quædam permutatio facta ad conciliandam pacem, vt exemplis statim declarabimus. Et ratio est, quia licet in beneficio sit temporale, vel non consideratur vt tale, quia accessorium sequitur naturam principalis, vel certè potest seruari proportio, vt spirituale intelligatur dari pro spirituali, & temporale pro temporali, nec oportet, ea miscere, au commutationem inuertere, iuxta cap. *Ad quæstiones*, de Rer. per. Igitur ex vi solius diuini Iuris hæc transactio non est Simoniaca, nec aliter mala, si debito modo fiat.

11. Fundamentum assertionis.

Fundamentum ergo sumendum est ex Iure positiuo, quo talis transactio prohibita est, facta sine auctoritate Episcopi. Quod in primis colligi potest ex c. *Constitutus*. Vbi de transactione in beneficio sermo est, & dicitur habere speciem Simoniæ. Et quamuis in casu ibi proposito non explicetur, qualis fuerit transactio, sed absolutè dicatur, *hinc inde fide præstita*: nihilominùs cum Pontifex respondens nihil distinguat, nec nos distinguere possumus, aut limitare responsionem ad transactionem, in qua temporale datur pro beneficio, sed absolutè de quocumque pacto

Cap. *Super eo.*

oneroso intelligenda est. Et hoc confirmat c. *Super eo*, ibi. *Alias, si gratis, & amicabiliter inter se litigantes componant*. Hæc enim exceptio firmat regulam in contrarium, omnis ergo compositio, quæ huiusmodi non est, prohibita est in hac materia, sed non potest dici compositio gratuita, quæ fit cum onere dandi, & recipiendi aliud beneficium, aut quid simile, ergo. Habet tamen ille textus aliam difficultatem, quam infrà attingam. Confirmari etiam hoc potest ex c. 2. de Transact. ibi, *De assensu Episcopi, vel Archiepiscopi sui*, vbi hæc ponitur vt conditio necessaria, & (vt ita dicam) pertinens ad validitatem, & quasi ad formam transactionis, ergo vbi deest illa conditio, transactio est prohibita. Est autem ibi sermo de transactione super Decimas, multò ergo magis habet locum illa decisio in transactione super beneficia. Denique hoc videtur sufficienter probari ex generalibus regulis, quòd in beneficiis aliquo modo acquirendis omnis pactio, & conuentio, omnisque permutatio etiamsi fit de spirituali ad spirituale prohibita est, sed transactio inter hæc pacta onerosa continetur, vt constat, & per illam acquiritur beneficium aliquo modo, vel quia cum Ius sit dubium, fieri potest, vt in re sit nullum, & per illam pactionem obtineatur, vel si in re est verum, erat infirmum, & dubium, & ita aliquo etiam modo acquiritur, dum fit certum per tale pactum.

13. Tripliciter potest fieri hæc transactio.

1. Modus.

Maior.

Vt autem hæc conclusio magis explicetur, vtile erit, proponere tres modos, quibus hæc transactio fieri potest. Vnus est, quando contenditur de vno beneficio tantùm, & tunc non potest dari spirituale pro transigendo, ex re ipsa, circa quam litigatur, quia beneficium diuisibile non est. Quod si pensio imponatur ex conuentione partium, merè temporale quid erit (quicquid dicat Maior. dicta quæstione 5.) & ita fiet transactio, dando temporale pro spirituali, quod non licet. Posset autem dari aliquid spirituale, quod sit extra materiam litis, vt si litigans pro beneficio pingui det collitiganti aliud beneficium, quod pacificè, ipse possidet, vt sibi pacificum relinquat pingue beneficium, & talis transactio æquiualet permutationi vnius beneficij pro alio, & ideò prohibita est sine auctoritate Superioris. Vel si non sit propria permutatio, erit renunciatio beneficij in fauorem tertij, non gratuita, sed ex pacto, quæ ex illo duplici capite prohibita est. Aliter verò posset super vnum beneficium intelligi hæc transactio, si possidens promitteret alteri, pro dimissione litis, accipere illum in vicarium, si beneficium sit curatum, vel in coadiutorem, si sit Canonicatus, vel si promitteret, prouidere illum de beneficio, aut vicaria, si sit dignitas habens similes prouisiones annexas, aut præsentare illum in alio beneficio, si sit patronus, vel procurare illi aliquid huiusmodi. Et in his omnibus interueniunt pacta prohibita, & magna ex parte reduci possunt ad commutationem spiritualis pro temporali, & posset aliqua ex parte applicari ratio Siluestri suprà facta. Nam pro obtinendo beneficio cum suis reditibus, venditur præsentatio, aut vicaria, &c. Et è contrario promissiones interdum possunt esse pretio æstimabiles. Ita ergo nullus modus occurrit, quo possit fieri transactio circa vnum litigiosum, dando, vel promittendo pro illo aliquid spirituale.

2. Modus.

14.

Aliquando verò potest lis esse super plura beneficia simul, & tunc potest intelligi transactio, si inter se partes conueniant, vt vnum beneficium vni detur, & aliud alteri, quod vnusquisque pacificè possideat, renunciando alij, vel aliis. Et in hoc modo videtur esse minor ratio Simoniæ, quia fit minor permutatio beneficiorum, & videntur pauciora pacta intercedere. Sed nihilominùs ratione conuentionis non gratuitæ, non potest propria auctoritate fieri. Eò vel maximè, quòd cum Ius vtriusque partis dubium sit, non potest per voluntatem transigentium dari, vel renunciari in alium, si fortasse illud non habet, & ideò necessaria est Prælati auctoritas.

15. 3. Modus.

Denique potest transactio hæc tertio modo excogitari, nimirum, si litigantes inuicem sint actores & rei, vt esse poterunt, si vterque proprium beneficium possidet, & vterque vicissim alteri moueat litem super beneficium suum: possunt autem transigere, vel ita, vt conueniant de permutandis beneficiis simpliciter, vt lites cessent, vel certè si vnusquisque contentus suo beneficio, liti cedat, dummodo alter cedat. Prior modus sine dubio non licet sine Prælati auctoritate, quia ipsa permutatio illam postulat, & quòd beneficia sint dubia, non minuit necessitatẽ, sed potiùs auget, quia sola Prælati auctoritas potest reddere Ius certũ. Idemque dicendum censeo, si non petatur beficium ex vtraque parte, sed alter petat beneficium alterius, iste verò ab alio postulet aliud spirituale Ius iurisdictionis, vel simile. Quia etiam permutatio beneficij pro tali Iure, vel renunciatio sub tali conditione, est eodẽ modo prohibita, quia non est pura, sed sub modo, & conditione. Posterior autem modus videtur licitus, & sine specie Simoniæ prohibitæ, quia ibi non tam fit compositio super beneficium, quàm super litem, & licet non sit omninò gratuita, non tamẽ fit dato pretio temporali, sed aliquo spirituali proportionato, quale est prætensum Ius ad beneficium, seu illius absoluta renunciatio pro alia simili, quæ non videtur contenta in prohibitione Iuris, cum ibi nulla permutatio beneficiorum, nec noua acquisitio, aut renunciatio intercedat. Nec etiam antiquum Ius in se melius fit, sed solùm cessatur ab impugnatione ipsius, & tunc vnusquisque transigentium tenebitur consulere conscientiæ suæ, & examinare, quale sit Ius, quod in suum beneficium habet, ad quod etiã teneretur ante litem motã, si dubitatio aliter orta fuisset. Manet ergo res de se in eodẽ statu, in quo ante litem erat, quantũ ad spiritualia Iura, nihil ergo spirituale acquisitũ est,

vel datum, aut acceptum per illam tranſactionem,& ita nec eſt Simonia, nec repugnat concluſioni poſitæ, quia propriè non eſt tranſactio ſuper beneficia, ſed ſuper obligationem non litigandi mutuam, & reciprocam, quæ nullo Iure prohibita eſt in tali materia.

16. Supereſt, vt oſtendamus, hanc tranſactionem fieri poſſe auctoritate Epiſcopi. De quo nulla eſt dubitatio inter Auctores, & ex d.c.2. de Tranſact. ſatis colligi poteſt. Et clariùs ex generali regula ſupra tradita de rerum permutatione. Nam permutatio beneficiorum ex cauſa honeſta fieri poteſt in manibus Prælati, ſed cauſa tranſactionis eſt ſatis honeſta, ergo ſimilis permutatio, vel quæcumque compenſatio ſpiritualis, facta alteri parti pro beneficio dubio, vel Iure ad illud, cui renunciat, ſi in manibus Prælati fiat, valida erit, & libera ab omni Simonia. Quia nec per ſe talis eſt, vt conſtat, nec inuenitur prohibita, facta illo modo, neque vllam habet ſpeciem mali, cum ſpirituale pro ſpirituali detur, & Prælati auctoritas interueniat.

17. Dubitatio prima circa hoc. Sed quæres 1. An poſſit Epiſcopus in eo caſu ordinare, vt vnus retineat beneficium, quod in litem adducit, & de illo ſoluat penſionem alteri parti. Videtur enim non poſſe, quia ibi fit compenſio Iuris ſpiritualis pro temporali onere, quod non licet, vt ex c.2. de Arbitris, & ex cap. vlt. de Rer. per. patet. Antecedens conſtat, quia penſio eſt quid merè temporale. Reſpondeo, duobus modis poſſe hanc penſionem imponi: vno ex mero arbitrio, & prouidentia Prælati, qui ex conuentione partium arbiter conſtituitur ad tranſactionem componendam, quæ nihil priùs inter ſe de penſione tractant, ſed rem totã Prælati arbitrio componendam relinquunt, ipſe verò ſuo arbitrio modum illum compenſionis conſtituit. Alio modo fieri poteſt, vt partes priùs inter ſe de tali modo compoſitionis conueniant per ordinem ad conſenſum & approbationem Prælati, ſicut ſuprà diximus fieri poſſe in permutatione beneficiorum. De priori modo nulla eſſe poteſt controuerſia, quin ſit licitus, expreſsè enim approbatur in c. *Niſi*, de Præbend. vt conſtat ex illis verbis: *Quod autem ordinatum eſt circa reliquum, vt ipſe viginti libras de reditibus capituli, & quadraginta de prouentibus prioratus percipiat annuatim, hoc ſecundum prouidentiam intelligitur eſſe præceptum ex arbitraria poteſtate.* Et ita docent ibi Hoſtienſ. Panor. & alij, & Gigas referens alios q.6. de Penſion. n.3. & 4. Maior. in 4.d.25. q.5. ad 4. Vbi ad argumentum factum reſpondet, negando penſionem eſſe aliquid merè temporale, ſed eſſe aliquid ſpirituale. Quæ reſponſio licet nunc verum fundamentum aſſumat, tamen ante Pium V. fortaſſe non ita erat, vt ſuprà vidimus, & ita ex vi Iuris illud fundamentum neceſſarium non eſt. Vnde dici etiam poſſet, illam tranſactionem non fieri ad compenſandum ſpirituale per temporale, ſed Epiſcopum poſſe auctoritate ſua ſeparare portionem illam à fructibus beneficij, & illam iuſtis de cauſis alteri applicare, vt ſtatim generaliùs explicabimus.

18. Quæſtiuncula ſuboritur. Quæri autem ſolet, An talis penſio imponi poſſit ad vitam eius, cui aſſignatur, vel ſolùm ad vitam perſonæ, vel etiam vt onus beneficij: Diſſenſio eſt inter Auctores, nam in dicto cap. *Niſi*, inſinuatur, ſolùm poſſe imponi vt onus perſonæ, nam cum hac limitatione approbatur in fine textus. & ratio redditur. *Ne forte circa prouentus aliqua videatur facta ſectio prioratus.* Quæ ratio in omnibus beneficiis militat: & ita ſentiunt ibi aliqui interpretes, & poteſt confirmari in ca. *Veniens*, de Tranſact. ibi. *Niſi præfati Monachi tranſactionem præſcriptam auctoritate Apoſtolica confirmatam eſſe, docuerint.* Vbi auctoritas Papæ videtur poſtulari ad ſimilem impoſitionem. Et hanc partem ſequitur Azor, tom.2. lib.8. cap.6. contrarium autem videtur colligi ex cap. *De cætero*, de Tranſact. per argumentum à contrario. Dicitur enim ibi, penſionem impoſitam per tranſactionem iuridicam ſine Epiſcopi auctoritate, non excedere vitam eius, qui penſionem ſoluit: ergo, interueniente Epiſcopi auctoritate poteſt excedere vitam beneficiarij, ac ſubinde ſuper beneficium ipſum imponi. Et ita notant ibi expreſsè Panormitanus, Cardinalis, & alij, quos refert, & ſequitur Gigas dicta r.6. Caccilupus q.5. Gambar. lib.6. de Offic. & poteſt legari à num.77. Atque hæc poſterior ſententia videtur Iuri conformior propter dictum caput, *De cætero*, cui conſonat caput, 3. de Colluſion. detegen. Vbi apertè ſupponitur, per viam tranſactionis, quæ arbitrio Epiſcopi fieri ſolet, poſſe ita penſionem ſuper beneficium imponi, vt penſionario ſoluenda ſit, etiamſi beneficiarius moriatur. Et ita videtur vſus declaraſſe hæc Iura. Quocirca licet Epiſcopus ordinariè non poſſit penſionem ſuper beneficium imponere iuxta commune Ius, vt beneficia ſine diminutione conferantur, nihilominùs regula illa patitur exceptiones aliquas, quando ex Iure, vel conſuetudine ſufficienter colliguntur, & vna illarum hæc eſt. Nec obſtat dictum caput, *Niſi*, quia ibi non fuerat penſio impoſita auctoritate Epiſcopi, ſed aliorum arbitrio, & ita concordat cum dicto cap. *De cætero*. Et ita in hoc præfertur auctoritas Epiſcopi auctoritati aliorum iudicum extraordinariorum, qui in arbitros eliguntur, etiamſi illi ſint Sedis Apoſtolicæ delegati. Caput autem *Veniens*, non facit ad cauſam, quia ibi non eſt ſermo de tranſactione ſuper beneficium, nec de penſione ad vitam penſionarij, ſed de tranſactione ſuper obligationem decimandi, & remiſſione, ſeu diminutione perpetuò duratura, quæ ſine Papæ auctoritate fieri non poteſt.

Cap. De cætero. Cap. Niſi. Cap. Veniens.

19. Iam verò ſupereſt dubium, An poſſit hæc penſio imponi ſecundo modo explicato ex cõuentione partium antecedente, & Epiſcopo propoſita, vt illam approbet, & tranſactionẽ conſummet: Videtur enim hoc etiam eſſe licitum, quia quod poteſt fieri Epiſcopi auctoritate, & arbitrio, poteſt etiam ab ipſo peti, vt fiat, non poteſt autem peti, niſi priùs partes inter ſe in eo conueniant, ergo non erit Simonia, hoc prius inter ſe tractare in ordine ad confirmationem Epiſcopi. Et poteſt hoc ſuaderi omnibus rationibus, quibus ſuprà oſtendimus hunc tractatum licitum eſſe in beneficiorum permutationibus. In contrarium verò eſt, quia talis conuentio inter partes eſſet de dando temporali pro ceſſione Iuris ſpiritualis, ſeu pro retinendo ſpirituali, hæc autem pactio expreſsè reprobatur in dicto cap. *Conſtitutus*, & cap. *Præterea*. 1. & 2. de Tranſactione. Imò ſimilis pactio Pontifici Alexandro III. propoſita vt ab eo confirmaretur, ab eo reiecta eſt, quoniam videbatur illicitæ pactionis ſpeciem continere, vt refertur in cap. *Cùm pridem*, de Pactis. Denique communiter Canoniſtæ ad hoc genus tranſactionis, in qua temporalis penſio vni datur, & alteri beneficium adiudicatur, requirunt vt conditionem neceſſariam, quod id fiat iudicis arbitrio, & non ex præuia conuentione, & petitione partium, quia in dicto cap. *Niſi*, expreſsè honeſtatur talis tranſactio ex eo, quòd ex prouidentia iudicis facta eſt, & in aliis textibus præſertim in dicto cap. *Cùm pridem*, improbatur, quia à partibus incœpit. Atque ita ſentiunt Hoſtienſ. Panormitanus, & alij ibi, & in dicto cap. *Niſi*, & in cap. vlt. de Rerum permutatione, & cap. 2. de Arbitrio.

Cap. Præterea. Cap. Cùm pridem. Hoſtienſ. Panor.

20. Quamuis autem hæc doctrina rectè explicata, vera ſit, poſſumus nunc diſtinctione vti de penſione, aut ſpiritualis eſt aut merè temporalis, diximus enim ſuprà, penſiones, quæ dantur Clericis, vt Clerici ſunt, non

Hoſtienſ. Panor. Maior. Azor.

non conferre nunc Ius merè tẽporale ad fructus pensionis, sed illos etiam esse annexos alicui officio, ac titulo spirituali: & has vocamus spirituales pensiones: merè autem temporales sunt, quæ dãtur sine vllo spirituali titulo ad effectum temporalem, quæ possunt etiam à Laicis possideri. Quando ergo transactio fit cum onere spiritualis pensionis, crediderim, non vitiari, nec Simoniacè fieri, eò quòd fiat priùs conuentio inter partes, quantum est ex parte illarum cum subordinatione ad Prælatum, & sub conditione, si ipse approbauerit, & confirmauerit transactionem. Ratio est, quia tunc non datur, vel accipitur temporalis compensatio pro spirituali beneficio, vel Iure ad illud, sed spirituale quid, nam pensio illa spiritualis est. Et licet habeat temporale annexum, non obstat, vt diximus, quia temporale est accessorium, & sequitur naturam principalis, & quia idem in ipso beneficio inuenitur. In hoc autem modo trãsactionis dandi spirituale pro spirituali, nullum inuenitur Ius Canonicum, quod specialiter, & absolutè illum prohibeat, fieri per partium conuentionem absolutè, & simpliciter, sed inueniuntur tantùm generales prohibitiones permutationum, & pactionum in materia beneficiali, quæ non extenduntur ad eas, quæ in ordine ad consensum Prælati fiunt. Et quamuis renunciatio, vel permutatio beneficij cum pensione regulariter non possit fieri nisi à Papa, tamen propter bonum pacis, & causa transactionis potest per Episcopum fieri, vt diximus, & ideò etiam fieri potest ad petitionem partium, quia nullum est Ius hoc prohibens. Et idem censeo de quacunque transactione super litigiosum beneficium, in qua Ius aliquod, vel ministerium spirituale datur in recompensationem, iuxta varia exempla superiùs posita: est enim eadem ratio in omnibus, vt licet sola voluntate partium consummari non possit transactio, possit tamen tractari & mutuus consensus præstari cum ordine ad Prælatum, cuius arbitrio consummetur.

11. At verò quando pensio est merè temporalis, tunc imponi non potest ad requisitionem partis, nec inter litigantes potest antecedere talis conuentio, quòd si antecedat, eo ipso est à Prælato reprobanda. Ita colligitur ex dicto cap. *Cùm pridem.* Ipse autem Prælatus arbiter ex officio suo, & prouidentia si iudicauerit expedire, poterit talem pensionem imponere, iuxta dictum c. *Nisi*, sic ab omnibus intellectum. Nam ex principio illius colligitur, pensionem ibi impositam fuisse merè temporalem, alias non esset cur Pontifex diceret nisi arbitri fuissent viri prouidi, & honesti, potuisse transactionem videri suspectam, propter perniciem exempli, nam si pensio fuisset spiritualis, nulla esset vmbra mali exempli, supponit ergo fuisse temporalem, & nihilominùs eam approbat, quia ex prouidentia iudicum, non ex partium conuentione imposita est. Ratio autem differentiæ est, quia si conuentio incipiat à partibus speciem prauam habet, quia cum in illa spirituale, ac temporale interueniant, magnum periculum est, vt vnum pro alio detur, quia partes non solent intendere, nisi vtilitati propriæ, & maximè temporali, iudex autem & ratione officij præsumitur habere intentionem rectam, & cum in ea causa constituatur tanquam communis distributor, ei concessum est, vt possit prouidere vtrique parti, etiam de fructibus beneficij, prout sibi magis expedire visum fuerit.

Cap. Cùm pridem.

Cap. Nisi.

12. Quæstiuncula suboritur.

Dices: Quo titulo potest Prælatus in eo casu applicare aliquid temporale parti cedenti Iuri suo, cum illud Ius spirituale sit, licet dubium: nam pro ipsomet Iure non potest dari, nec tanquam pretium illius renunciationis: hoc enim contra Ius diuinum est, vt in prima assertione diximus. Ad hoc solet communiter A respondeti, tẽporale illud dari ex prouidentia iudicis propter bonum pacis: nam hanc causam assignat Pontifex in d.c. *Nisi*, Sed vrgeo vlteriùs, quia hoc bonum pacis in tali casu non est aliud, nisi quod lis cesset, & dissensio, non autem cessat, nisi quatenus vtraque pars renunciat Iuri suo, ergo in effectu dare temporale pro bono pacis, est dare illud pro renunciatione Iuris, per quam talis pax ex illa parte perficitur. Item ipsum bonum pacis videtur esse quid spirituale, nam est proprius effectus charitatis, vt D. Thom. tradit Respondeo primum bonum pacis non solùm esse spirituale bonum, sed etiam esse commodum temporale, & magnam vtilitatem temporalem secum afferre: & ideò posse pecunia æstimari: & ideò in illo textu non B solùm dicitur, *pro bono pacis*, sed additur, *& vtilitatis*, quod ego de temporali vtilitate intelligo: nam sicut lites magnas afferunt incommoditates temporales, ita pax temporales etiam vtilitates adducit, & vt sic, pecunia æstimabilis est. Nec obstabit, quòd ad illam pacem perueniatur, renunciando Iuri, & præsentationi spirituali, nam illud per accidens est, & ad talem compensationem non consideratur, sed solùm ipsum bonum, & vtilitas pacis. Secundò addo in hac impositione temporalis oneris posse considerari ab arbitrariis rationem aliquam iniustitiæ, ob quam meritò possit beneficio, aut beneficiario onus imponi, vel licet non attingat rigorem iustitiæ, quem arbitrator non semper seruare tenetur, vt amicabiliter pacem C componat, potest habere magnam æquitatem: talis autem causa esse potest necessitas alimentorum, ad recipienda ex tali beneficio potest Clericus habere iustam causam, ratione Iuris saltem dubij, quod ad illas habet, vel etiam adiungi possunt labores, expensæ, & aliæ incommoditates, quas in prosecutione causæ passus est, quæ rationes temporales sunt, & possent ab arbitris considirari, vt aliquid temporale alteri litigantium applicent.

Respondetur quæstiunculæ.

Sed adhuc possunt obiici c. 2. de Arbitris, & vlt. de Rerum permut. Nam in illis reprobari videntur similes transactiones cum aliqua prestatione temporali in commodum alterius partis Iuri suo renunciantis. Respondeo, de intellectu horum Iurium multa ab interpretibus tradi, sed quia ad nos non spectant, breuiter dico, in d.c. 2. non omninò reprobari arbitrium, propter solam præstationem temporalem, nam in fine illius dicitur. *Si arbitrium ipsum videris æquitate subnixum, ad obseruantiam illius vtramque partem compellas.* Poterat ergo, vt Panor. notat, esse æquum, non obstante pecuniæ largitione & acceptione, ac impositione. Tamen iuxta narrationem facti, statim illud arbitrium apparebat iniquum, & consequenter magnam speciem habere Simoniæ: nam & à dolo, & fraude acceperat initium, & ex fauore ad alteram patẽm latum fuerat, vnde verisimile erat, ad instantiam eius fuisse latum: & præterà oblata pecunia, coactus est renunciare beneficio ille, qui certum Ius in illo habere videbatur, & per vim illo fuerat spoliatus quod si ita erat, non dabatur pecunia pro bono pacis, sed pro renunciatione beneficij, quod Simoniacum est. Ac denique, cum Clericus ille multo tempore priuatus fuisset iniustè possessione, & fructibus beneficij, & exulare coactus, pro solis quinque marchis argenti iubebatur renunciare non solùm beneficio, sed etiam toti quæstioni, quod non solùm Simoniacum, sed etiam iniustissimum erat. Ex illo ergo textu nullum argumentum ad præsentem materiam sumi potest. In c. autem vlt. de Rer. per. per arbitrium iudicum non tàm fiebat transactio, quàm venditio perpetua Iuris decimandi: vnde fit verisimile, & ortum fuisse arbitrium ex concordia partium, vt ex ipsa facti narratione facilè intelligi potest, & constat etiam arbitrium non

23. Obiectio.

Soluitur.

Panor.

fuisse fundatum in bono pacis, sed in compensanda, & permutanda vna re pro alia, quod non licebat etiã ex arbitrorum prouidentia, & hoc apertè supponit Pontifex, cum decernit irritum illud arbitrium, quia *permutatio de spiritualibus ad temporalia improbatur.*

41. Alia quæstio.

Quæri tandem in hoc puncto potest, An transactio hæc in materia beneficiorum fieri possit absque specie, Simoniæ, absque interuentu Prælati, ad arbitrium aliorum priuatorum iudicum, aut Clericorum, ex cõsensu litigantium. Loquimur autem de transactione propria, nam de amicabili compositione purè gratuita iam suprà dictum est, posse fieri ex solo cõsensu partium, vel cum arbitris, vel sine illis. Sed difficultas est, quando partes amicabiliter conueniunt, vt compositio inter ipsas fiat per arbitratores, sine interuentu Prælati, An illi possint compositionẽ facere per modum transactionis absque Simoniæ specie. In quo in primis supponimus, tale arbitrium non posse nisi in Clericos compromitti, quia materia, & personæ Ecclesiasticæ sunt. Deinde est certum, posse partes, si velint compromittere in iudicem, vel iudices causæ, vt non solùm vt iudices, sed etiam vt arbitratores rem componant, vt constat apertè ex d. cap. *Nisi*. de Præbend. &c. *De cætero*, de transact. Et tunc est certum, posse tales iudices arbitros per modum transactionis rem componere, adiudicando semper beneficium, ei qui verum titulum habet, aut habere magis præsumitur, & probatur: & imponendo beneficiario onus aliquod tẽporale, si ad bonum pacis oportuerit, quamquam non possint super beneficium onus pensionis imponere sine consensu Prælati. Primum sumitur ab omnibus Doctoribus ex d. cap. 2. de Arbitris. Et ratio est, quia esset clara iniustitia, priuare beneficio eum, qui Ius habet in illud, & si id fieret data pecunia, haberet magnam speciem Simoniæ. Secundum autem sumitur ex aliis Iuribus, & explicatum iam est.

Cap. *Nisi*. Cap. *De cætero*.

43. Prætereà potest hoc arbitrium committi, ex consensu partium alicui, qui non sit Prælatus partiũ, nec Ordinarius, aut delegatus iudex causæ, quia hoc non est prohibitum in Iure, & ita omnes Doctores tradunt, posse per huiusmodi arbitrum fieri amicabilem compositionem. Tunc verò difficultas est, An talis arbitrator possit imponere simile onus tẽporale beneficiario, nam in Iure non inuenitur casus similis, in quo talis transactio, seu onerosa compositio approbetur: nam in dicto cap. *Nisi*, & in dicto c. *De cætero*, arbitri fuerunt ipsi iudices delegati. Vnde Anton. in dicto c. *Nisi*, n. 6. concludit, huiusmodi arbitros non posse præcipere dare pecuniam. Sed contrariũ credo verius, & videtur mihi id apertè supponi in dicto c. 2. de arbitris, vt suprà ponderaui cum Panor. ibi n. 10. qui apertè hoc sentit, nam arbitri ibi constituti non fuerant iudices, sed tantùm quidam Clerici, & tamen in illo textu suponitur, eorum arbitrium potuisse esse æquum, & seruandum. Deinde, licet arbitri electi essent iudices, posteà ad componendum possunt vti sola potestate arbitratorum ergo per eandem possent id facere, etiamsi non essent iudices, quia materiale illud est, & nullum est Ius, quod statuat, esse necessariam in tali arbitrio talem personæ qualitatem.

Panor.

CAPVT LII.

An vitium Simoniæ, cadere possit in Pontificem, vel eius Curiam.

1. De causis Simoniæ.

EXplicauimus hactenus Simoniæ vitium secundum se, attingendo omnes species eius, seu modos, quibus committi potest, superest dicendum de causis, & effectibus eius. Causæ autem quædam sunt intrinsecæ, vt materia, & forma, aliæ extrinsecæ, vt finis, & efficiens: Priores eo modo, quo in actu humano inueniri possunt, satis sunt cum ipso actu, seu vitio explicatæ, diximus enim de materia eius, & de pretio, ex quibus coalescit quodammodo proxima materia, quæ est contractus, circa quæ studiosa voluntas versatur, quæ dici potest quasi forma Simoniæ. Quòd si in ipsa voluntate materiam, & formam distinguere velimus, actus ipse realis voluntatis materia est, prauitas autem eius est quasi forma, vel potiùs deformitas eius. Vnde fit vt de finali causa nihil etiã dicendum sit: nam si actus ille consideretur, vt deformis, non habet finem, sed potiùs defectum debiti finis, si verò spectetur, vt realis actus est, pro fine habet suum obiectum intrinsecum, qui est vendere rem spiritualem, & pro illa pretium recipere, vel è conuerso emere spiritualem rem, dato pro illa pretio: de quo fine satis à nobis dictum est. Alij autem fines extrinseci, qui ab operante adhiberi possunt, non cadunt sub scientiam, nec ad illam spectant, quia per accidens sunt, & in infinitum variari possunt, vt etiam in superioribus tactum est. Solùm ergo de efficiẽti causa aliquid desiderari potest, id est, de personis, quę hoc vitium committere possunt: hoc enim ad complementum materiæ moralis, & ad explicandos effectus, seu pœnas Simoniæ necessarium esse potest.

Causarum distinctio.

2. Primò ergo, ac præcipuè tractari solet hæc quæstio de Summo Pontifice, an possit vitium Simoniæ committere. Quam attigit D. Thom. in art. 1. huius materiæ ad 7. & ibi Caiet. Sot. & alij expositores, & alij Theologi in 4. d. 25. Sũmistæ omnes ver. *Simonia*. Canonistæ in c. 1. de Simon. vbi Panor. n. 6. Felin. & alij. Idem Panor. in Repet. c. *Extirpãdæ. §. Qui verò*, de Præbend. n. 53. & 54. Redoan. p. 1. c. 20. Iul. Clar. lib. 1. §. *Simonia*, n. 5. Cauar. in Regul. *Peccatum*. p. 2. c. 8. n. 8. ad finem, qui alios refert. Nauar. d. c. 23. n. 108. est autem considerandum inter hos Auctores interdum inueniri dissensionem quasi materialem, quia circa rem, quæ venditur, dubitant, an sit materia Simoniæ, nécne, vel an sit talis materia de Iure diuino, vel tantùm de humano: formalis autem nulla videtur esse dissensio, & hæc est à nobis consideranda: & ideò breuiter potest hæc res expediri, nam materialis resolutio singularum quæstionũ ex doctrina in superioribus data petenda est, vt hîc breuiter indicabo. Suppono autem non esse quæstionem hîc de potestate committendi hoc peccatum ex parte liberæ voluntatis, vel alicuius priuilegij in hac parte concessi Summo Pontifici, sicut quæri solet, an Pontifex vt priuata persona, possit esse hæreticus, nam quia Simonia solet vocari hæresis, cogitari posset, in illo sensu tractari quæstionẽ hanc: non verò ita est, sed mouetur ex parte materiæ, seu legis Simoniæ, an habere locum possit in persona Pontificis, eámque obligare, nam ex parte voluntatis suæ certum est, defectibilem esse, nec habere contra hoc vitium, specialem in bono confirmationem, magis quàm contra alia, quamuis moraliter loquendo, vix habere possit occasionem ad hoc vitium committendum, vt explicabimus.

D. Thom. Caiet. Sot. Panor. Felin. Redoan. Iul. Clar. Couar. Nauar.

3. 1. Assertio.

Dico ergo primò, in omni materia, in qua Simonia committitur contra Ius diuinum, etiam Põtifex peccabit eodem genere peccati, si illam pro tẽporali vendat. In hac assertione omnes conueniunt: Et patet, quia Pontifex subditus est Iuri diuino. Item, quia illa actio intrinsecè mala est. Potéstque fieri inductio. 1. in Sacramentis, si Papa illa vendat pro pretio temporali: in reliquis sacris: Item, in doctrina fidei, si Papa illam, vel illius definitionem vendere vellet, imò & in ipsamet dignitate Pontificia, si pro regno temporali v. g. tanquam pro pretio illam renũciaret. Idem deniq; est in omni simili materia, quæ de se, & natura sua, seu diuina institutione spiritualis est. Addo verò, idẽ esse de rebus sacris, quæ ex institutione Ecclesiæ sacræ sunt

ſunt, vt ſi Pontifex vẽderet Agnos Dei, vel grana benedicta maiori pretio, quàm valeant ratione materiæ, ſolùm propter conſecrationem, vel benedictionem, quam ipſe adiunxit, ſine dubio nõ minùs eſſet Simoniacus, quam quilibet alius id committens: quia (vt ſuprà dictum eſt) licet illa ſpiritualitas ſit ex poſitiua inſtitutione, tamen, hac ſuppoſita, Simon. quæ in illa committitur, contra Ius diuinum eſt. Circa beneficia autem Eccleſiaſtica, ſicut ſunt opiniones, an illa vendere, ſit Simonia contra Ius diuinum, vel humanum, ita etiam ſunt de actu Pontificis. Veritas nihilominùs eſt, quòd ſi ſpirituale Ius beneficij à Pontifice vendatur, Simonia committetur. Iuxta hanc ergo concluſionẽ locutus eſt D. Thom. in illa ſolut. ad 7. qui ampliat illam, ſiue Pontifex accipiat pro re ſpirituali pecuniam, vel bona temporalia ex fructibus beneficiorum, vel reditibus Eccleſiarum, ſiue ex bonis Laicorum. Quod veriſſimum eſt, ſi pecuniam illam accipiat vt pretium rei ſpiritualis, quia tunc alia differentia materialis, & accidentaria eſt. Veruntamen hoc habet ſingulare Pontifex, quod poteſt multis iuſtis titulis, & modis pecuniam accipere, vel aliis applicare, cum alicui dat beneficium, ſine venditione illius, & ſine intentione pretij, & conſequenter etiam ſine Simonia. Et ideò dixi, vix poſſe Pontificem habere occaſionem committendi hoc vitium, quia ſine venditione poteſt ferè omnes effectus efficere ex paſtorali prouidentia ſuprema, qui moraliter illi occurrere poſſunt: alij verò poſſibiles, qui excogitari poſſunt, moraliter non occurrunt, vt ex inductione facta, & ex dictis in ſuperioribus facilè conſtare poteſt. Et in hoc fundati ſunt, qui prudenter dixerunt, in Romanum Pontificem vix aut nullo modo cadere poſſe ſuſpicionem Simoniæ, vt videre licet in Redoan. & Iul. Clar. locis citatis, & aliis.

4. Aſſertio ſecunda.

Dico ſecundò, Pontificem Summum poſſe facilè vitare Simoniæ vitium, etiamſi venditiones, vel contractus faciat circa res ſpirituales, qui Iure tantùm Eccleſiaſtico Simoniaci effecti ſunt. Hæc etiam aſſertio eſt communis: Poteſt autem explicari duobus modis. Primò ſi dicamus, Iura prohibentia Simoniam, quæ de ſe talis non eſt, non obligare Pontificem: nam hoc ſuppoſito, euidens eſt, non ſolùm poſſe Pontificem illos actus efficere, vitando Simoniam, ſed etiam non poſſe illam committere, quia non poteſt peccare contra illas leges, cum illis non obligetur. Illud autẽ fundamentum non debet niti in alio generali principio, quòd Princeps ſupremus non poſſit ſuis legibus obligari, hoc enim verum non eſt, vt ex materia de Legibus ſupponimus, ſed ſpecialiter debet fundari in hoc, quòd materia talium legum non ſpectat ad Pontificẽ: conſtat autem, quòd licet Princeps poſſit ſua lege obligari, quando materia eius vniformiter ad ipſum pertinet, non tamen obligatur quando materia non eſt vniformis, ſed ex peculiari ratione, & habitudine pertinet ad inferiores, vt tales ſunt, vt benè notauit Sot. lib. primo de Iuſt. quæſt. 6. art. 7.

Sot.

5.

Quòd ergo talis ſit materia illarum legum Eccleſiaſticarum, quæ poſitiuam Simoniam prohibent, inductione quadã oſtendi poteſt. Primò enim inter eas leges, illæ præcipuæ cenſentur, quæ per mutationes beneficiorum, vel renunciationes ſub conditione, & modo, vel cum penſione aliqua fieri prohibent: at omnes iſtæ leges includunt conditionem, niſi in ordine ad Pontificis cõſenſum, & auctoritatem, vel niſi in manibus eius, & ſimiles: ergo ex ipſa forma legum cõſtat, non obligare Pontificem. Vnde ſi fortè ſine rationabili cauſa, vel contrà bonum Eccleſiæ Pontifex admitteret aliquam permutationẽ, ſeu renunciationẽ eiuſmodi, vel imponeret penſionem iniuſtam, licet peccaret contra iuſtam, vel fidelem diſpenſationem, non tamen Simoniam committeret contra leges prohibentes tales contractus, nam prohibent illos inferioribus, non tamen Papæ, à quo non fiunt per modũ contractuum: ſed per modum paſtoralis prouidentiæ, ac diſpenſationis. Idémq; iudicium eſt de illis legibus quæ prohibent confidentialem Simoniam, nam hæc in Pontifice locum non habet. Idẽ eſt de legibus prohibentibus exactionem ſtipendiorum pro muneribus ſpiritualibus, aliàs debitis. quia illæ, vt prohibent iniuſtitiam, naturalem legem continent, & ita obligant Pontificem, ſed non pertinent ad prẽſens, vt verò prohibent imaginem, & ſuſpicionem Simoniæ, non ſpectant ad Pontificem, qui nulla habent certa ſtipendia pro ſuis muneribus, niſi quę ipſe definit, & præſcribit. Idem eſt de legibus prohibẽtibus aliquas largitiones, etiam gratuitas, nam ferè omnes illæ diriguntur ad Epiſcopos, & Prælatos Ordinarios, vt videre licet in Tridentino ſeſſ. 21. c. 1. de Refor. ſub quibus non ſolet Summus Pontifex comprehendi.

Concil. Trid.

6.

Hic ergo modus dicẽdi valdè probabilis mihi videtur: & certè in omnibus legibus adductis verus apparet, & rationi conformis, quia omnes illæ leges fundantur vel in tollendis priuatis pactionibus, & negotiationibus circa res ſpirituales: vel in cauenda omni ſuſpicione Simoniæ: prior verò ratio per ipſammet Põtificis auctoritatẽ ceſſat, poſterior autem vix in illũ cadit (vt dixi) propter eminẽtiam ſui ſtatus, & dignitatis: non videntur ergo leges illæ Pontificem comprehendere. Solùm poſſet inſtari de legibus prohibẽtibus vẽditiones officiorum quorundam temporaliũ Eccleſiæ. De illa verò prohibitione, & eſt valdè dubiũ, an pertineat ad Simoniam, & probabile eſt, non eſſe receptam à Pontificibus pro ſua Curia, vt ſuprà dixi. Imò ex formaverborum legis videtur non comprehẽdere Pontifícẽ: Illa enim prohibitio maximè habetur in Conc. Chalc. c. 2. quod citat, & probat Vrb. Papa, c. *Saluator*, 1. q. 3. & tamẽ in eo generaliter dicitur, *Siquis Epiſcopus*, &c. ſub qua generalitate non ſolet comprehendi Pontifex. Et materia ipſa talis legis hoc poſtulat, quia nullus Rex, vel ſupremus Princ. Reip. prohibetur vendere officia vendibilia ſuæ Reipublicæ: Imò illi ſoli hoc ſolet licere, dummodo naturalem iuſtitiam in eo ſeruet, & rationem habeat communis boni, ergo in Repub. Chriſtia. nõ debuit hoc prohiberi ſupremo Principi, ſed eius diſpoſitioni, & prudentiæ relinqui. Et ita videtur ſentire ſpecialiter de illa lege Anton. d. 5. §. 2. ver. *Quod autem de Papa*, citans Hoſt. & Anton. de Butr. & ſequitur Tab. Verb. *Simonia*, n. 4. Itaque ex vi materiæ talium legum, & ex verbis, & rationibus earum, eſt mihi valdè veriſimile, non poſſe Pontificem Simoniam poſitiuam committere.

Quæſtiuncula ſoluitur.

Concil. Chalced. Vrban. Pap.

D. Anton. Tab.

7.

Secũdus modus defendendi concluſionem.

Secũdo tamen modo defendi ſolet cõmuniter hæc ſententia, quia licet Põtifex obligetur his legibus, poteſt ſecum facilè diſpenſare, & ita non cõmittere Simoniam contra tales leges. Ita vidẽtur ſentire Panor. Fel. & alij Canoniſtæ in d. c. 1. de Sim. & in c. *Ex parte* 1. de offic. de leg. Sylueſt. ver. *Simonia*, q. 4. Sot. lib. 9. q. 5. art. 2. ad 2. Ratio verò eſt, quia per diſpenſationem tollitur obligatio legis, & conſequenter vitatur culpa Sed obiici poteſt primò, quia fieri poteſt, vt Pontifex non habeat animum diſpenſandi ſecum, ſed parui pendat obligationem legis. Reſpondetur primò, ideò in concluſione dictũ non eſſe, Papam non poſſe hanc Simoniam cõmittere, ſed poſſe illã non cõmittere, in illo ergo caſu Simoniã cõmitteret ex pura voluntate, nõ quia non poſſet id facere ſine tali culpa. Vnde addimus, illum caſum eſſe moraliter impoſſibilem, quia niſi directa, & expreſſa volũtate dicat Põtifex, ſe nolle ſecũ diſpẽſare, ſed velle trãſgredi legẽ, quantumuis obliget, eo ipſo quòd vult ſic operari, ſciens ſe poſſe diſpẽſare in lege, cẽſebitur ſecũ diſpenſare, ille autem

Panor. Felin. Sylueſt. Sot.

Obiectio.

Soluitur.

alius

alius modus operandi tam est inordinatus,& voluntarius, vt cadere non possit, nisi in deprauatissimam voluntatem,quæ velit frangere legem,solùm vt frangat illam,& ideò moraliter loquendo,potest dici impossibilis ille peccandi modus.

8. Alia obiectio. Victoriæ. responsio.

Potest tamen secundò obiici, quia licet hoc rectè procedat,quãdo Papa secum ex causa rationabili dispensat;non verò si absq;causa rationabili velit secum dispensare:nam in hoc ipso grauiter peccat,tunc ergo etiã peccabit peccato Simoniæ.Ad hoc Vict.Vtrunq; concedit, & probat à simili:nam si comederet carnes in die Veneris,secum sine causa dispensando,esset intemperatus. Sed eadem est difficultas. Videtur ergo supponere Victoria dispensationem legis positiuæ sine causa datam esse inualidam,& non tollere obligationem legis.Hoc autem in vniuersum verum nõ est, vt suppono ex materia de Legibus : Posset autem dici non improbabiliter, quòd licet respectu inferiorum sit valida dispensatio, quia respectu illorũ legis obligatio omninò pendet ex voluntate Principis,respectu ipsius Principis est inualida, quia nõ tam propria voluntate,quàm ex vi naturalis legis suæ legi subiicitur, & ideò vel non potest absque causa secum validè dispensare,vel certè nec dispensare secum potest,sed declarare,se nõ obligari lege,existente tali causa: Neque mirum est,quòd in hoc sit quodammodo strictior eius obligatio,quia etiam necessitas,& ratio maior est. Alij verò dicunt,peccare tunc Principem,sic secum dispẽsando,contra iustitiam distributiuam , & bonam gubernationem,stante verò dispensatione, iam non cõmittere Simoniam,quia dispensatio valida fuit,& abstulit obligationem, qua sublata, illa non est materia Simoniæ. Imò addunt aliqui, tunc non peccare mortaliter, sed venialiter , secluso scandalo, & iniustitia, quia solùm peccat,non se conformando toti corpori in obseruatione talis legis.Sed hoc vltimum non credo,quia grauiter peccat secum dispensando sine causa, & eam dispensationem quasi conseruando , aliàs parui momenti esset obligatio Principis ad suam legem seruandam.Hoc autem supposito, non est magni momenti illa opinionum diuersitas,&vtraque opinio est probabilis. Quia verò pendet ex fundamento illo generali pertinente ad materiam de Legibus , ibi dicemus, generaliter, quid nobis videatur probabilius.

Victoria.

Resolutio vera.

9. Assertio tertia.

Dicò tertiò,Pontificem Summum non incidere in pœnas contra Simoniacos latas , etiamsi Simoniam, vel contra diuinum Ius,vel contra humanum cõmittat.Conclusio est communis omnium, quos retuli, & cæterorum scribentium , quos in re clara referre, necessariũ non est.Fundamentum autẽ est, quia hæ pœnæ Iure tantùm ecclesiastico sunt latè (nam de pœna debita in foro Dei non agimus) Princeps autem supremus quoad vim coactiuam non subiicitur suis legibus,vt D.Thom.tradit 1.2.q.96. & ibi latiùs disputatur , & breuiter attigimus tom. quinto de Censur. disp.5.sect.1.num.27.Vnde à fortiori constat,in causa Simoniæ non posse Papam ab aliquo iudicari,etiamsi Simonia lato modo hæresis appelletur. Quod attigit Panor.in c. *Cum venissent*,de Iudic.n.7.vbi in additione,verb. *De delicto Simoniæ*,multa referuntur.Sed hæc in materia de Pontifice tractanda sunt,quanquam per se sint notissima. Consequenter verò solet hîc quæri, quoniam Simoniam cum alio committitur,si contingat, Pontificem facere contractum Simoniacum, an eo ipso eximat illũ à pœna Simoniæ:& similiter quæri posset,si talis Simonia sit contra Ius humanum , an contrahendo cum alio,censeatur dispensare cum illo in prohibitione humana. Sed de his dicemus meliùs in c.vlt.huius libri.

D. Thom.

Panor.

10. Circa Romanam Curiam decidit quæstionis pars.

Vltimò, quærunt circa hoc Canonistæ , an in Romana Curia committi possit Simonia. Sed vix est locus quæstioni , etiamsi opiniones variæ referantur. Conueniunt itaque omnes contra diuinum Ius , non minùs in Romana Curia,quàm vbique gentium posse Simoniam committi. Hoc probare non est necesse, imò fortasse ibi sunt plures occasiones illam committendi,propter frequentiorem vsum dandi,& accipiẽdi spiritualia,præsertim beneficialia, circa quæ etiam committitur Simonia contra Ius diuinum , vt suprà visum est. Eadem item committitur circa dispensationem indulgentiarum,& aliarum gratiarum,& circa reliquias Sanctorum , & res sacras , quæ omnia in Curia frequentiùs procurantur , & ideò possunt ibi frequentiùs prauis mediis , quæ labem Simoniæ contineant, procurari. Nam licet cum ipsomet Pontifice non committatur, potest ab ipsis appetentibus spiritualia,& de illis contrahentibus,vel etiam à ministris, & interessoribus committi,vt in cap.seq. generaliter explicabimus. Vnde vlteriùs certum est, posse ibi cõmitti Simoniã cõtra Ius Ecclesiasticũ,inscio,& ignorante Pontifice. In hoc etiam omnes conueniunt , & eodem ferè discursu declarari potest : Imò quædam sunt Simoniæ species quasi propriæ illius loci , maximè verò Simonia confidentialis , vt colligitur ex Bullis Pij.4.&Pij.5.contra illam.Possumus autem aduertere, dupliciter posse Simoniam committi in Curia: vno modo quasi materialiter, quia contingit eos, qui pacta Simoniaca faciunt,ibi commorari, & ita nulla est difficultas , nec de illa Curia potest esse specialis quæstio. Alio ergo modo potest committi in Curia formaliter,& quatenus talis est,id est, ab officialibus, & cum officialibus,qui quodammodo talem Curiam constituunt.& sic intelligenda sunt,quæ in hac materia dicuntur.Sunt ergo Iura quædam positiua, prohibentia Simoniam, quæ principaliter feruntur pro Curia,vt illa de Simonia confidentiali,de quibus non est dubium , quin ibi maximè violentur per Simoniam prohibitam, præsertim non interueniente tacita , vel expressa dispensatione, aut conniuentia Pontificis. Alia verò sunt Iura generalia, de quibus magis posset dubitari:Veruntamen etiam hæc sine dubio obligant in Curia Romana,nisi constet, contraria consuetudine esse derogata:& ita contra illa etiam poterit in illa Curia Simonia committi , quando tacitus consensus Pontificis non interuenit.

11.

Auctores ergo,qui ita loquuntur,vt negent,Simoniam solo Iure positiuo prohibitam,habere locum in Curia:maximè loqui videntur quando,sciente,& dissimulante Pontifice , exercetur , qui tunc videtur tacitè dispensare. Ita sensit. Ioan. de Lignan. in c. 1. de Sim.vt refert, & sequitur Sylvest.d. c.4. Quia in Curia Principis non habet locum lex Iulia de ambitu, de qua sententia videri possunt multa per Abb. cum additione ad illum in c. 1. de Simon.n. 5. & 6. & ibi. Felin. Sed illi Auctores videntur loqui de Siminiis cõmissis in Curia cum ipsomet Papa, seu cooperante ipso,nam ita cum proportione loquitur lex de ambitu : Atque ita dicti Doctores erpressè loquuntur de Simon.in beneficiis,vnde magis quoad excusationem pœnæ,quàm culpæ loqui videntur,quam quęstionem infrà tractandam remisi. Loquendo autem de culpa Simoniæ, etiam contra legem Ecclesiasticam vniuersalem.non est sufficiens signum dispensationis, quòd Papa sciat contrarium fieri in Curia , & toleret , quia potest tolerare quoad non inferendam pœnam , quia fortasse non denunciatur , vel quia non semper expedit , omnes pœnas exequi , vel certè quia in hoc potest esse aliqua negligentia , & non propterea factum approbari. Igitur nisi talis sit scientia , & patientia Pontificis , talisque consuetudo , vt communi iudicio prudentum censeatur lex ibi abrogata , sine dubio committetur etiam ibi Simonia in talis

Ioan. de Lignan. Sylvest.

Abbas. Felin.

Non quæuis tolerantia Pontificis Simoniam tollit.

talis legis transgressione, quia de obligatione legis A constat, & de abrogatione non constat.

CAPVT LIII.

An, & quomodo inferiores Prælati, vel eorum officiales, familiares, aut intercessores apud illos Simoniam committant?

1. QVòd ab his omnibus personis vitium hoc committi possit, certius est, quàm vt probatione indigeat; nullus enim est personarum status in Ecclesia, qui ab hac labe immunis sit; quod iura omnia contra Simoniacos lata testantur: singulariter verò Extrauagans 2. de Simonia inter communes, vbi nominat B Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, &c. Et ratio est clara, quia illi possunt dare, & accipere spiritualia: & sunt homines, qui auaritia, ambitione, & similibus affectibus vinci possunt, & ad committendam Simoniam induci.

Extrauag. 2.

2. Secundò hinc facilè intelligitur, omnes prædictas personas posse Simoniam committere, & contra Ius diuinum, vt per se constat, & contra humanum, quia illi subiectæ sunt; & regulariter Iura prohibentia Simoniã, etiam positiua, ita loquuntur, vt omnes personas Ecclesiasticas cõprehendant vsq; ad Cardinales, nisi ex verbis aliã limitatio colligatur. De quo videri possunt, quæ in simili congerit Nau. de Datis, & promis. n. 11. §. *Sexto noto.* Vnde etiã sequitur, hæc procedere non solùm de Simonia quoad culpam, sed etiam C quoad omnes pœnas, quia omnes hæ personæ, quantumuis sacræ, & eminentis status esse videantur, subiiciuntur Ecclesiasticis legibus, non solùm quoad vim directiuam, sed etiam quoad coactiuam, quia sunt plenè, & perfectè subditæ, & constitutionibus Ecclesiæ omnes obligantur, ac ligantur iuxa cap. 1. & vlt. de Constit. Quomodo autem pœnæ Simoniacorum ad singulos applicendæ sint, infrà videbimus.

Nauar.

3. Tertiò addendum est, non solùm inferiores Prælatos, sed etiam eorum ministros, seu officiales posse Simoniã committere, vel cooperando Prælatis ipsis vel per se illã committendo. Quod ita declaro; Nam duobus modis potest ab his personis committi Simonia, scilicet, dando, & recipiendo spiritualia. Posteriori modo non committitur ab eis, vt Prælati sunt, id est, D vt potestatem aliquam exercent, sed vt homines sunt capaces spiritualium bonorum, aut dignitatũ, & ideò de hoc nihil speciale hîc adnotandum occurrit, vel circa principaliter delinquentes, vel circa cooperantes; nam ad vtrósque applicandæ sunt generales doctrinæ, vel in superioribus traditæ de Simonia in particulari, vel quæ dari solent in generali de cooperantibus ad aliena peccata. Et in particulari pro legibus prohibentibus vel punientibus Simoniam, ponderãda sunt verba legum, ex quibus colligendum est, an pœnæ ad cooperatores extendantur. Priori modo, scilicet, ministrando spiritualia, committitur Simonia propriè, ac principaliter à Prælatis, vt Prælati sunt, nã licet alij Clerici possint, etiam ministrãdo spiritualia, Simoniam committere, nunc solùm de Episcopali E ministerio tractamus. Sic ergo dicimus, etiam à Prælatorum ministris, seu officialibus posse committi: Quòd patet, quia etiam ipsi suo modo ministrant, & consequenter possunt contra diuinum Ius peccare, pretium pro ministerio, vel participatione eius recipiendo, vel etiam contra Ius Ecclesiasticum transgrediendo prohibitiones ad ipsos pertinentes, vt ex discursu totius materiæ constat.

4. Ministeria Episcopalia quæ.

Vt autem nonnulla breuia dubia circa hoc occurrentia explicemus; tria, vel quatuor ministeria principalia Episcoporum distinguere possumus. Sacramenta Pontificalia, & præcipuè ordines tribuere, spirituales, seu Ecclesiasticas causas dicere, ac iudicare: dispensationes, & alias gratias voluntariæ iurisdictionis exercere; & beneficia Ecclesiastica cõferre. In quibus omnibus potest Ius diuinũ intercedere, & humanum. Et de diuino nihil addendum occurrit, sed applicandum est iuxta regulas superiùs traditas, & ab vnoquoque est seruandum quoad eam partẽ, quæ iuxta suum ministerium recta ratione pensatum, ad illum pertinuerit. Circa humanum verò Ius aliqua notanda occurrunt circa nonnulla ex membris numeratis.

5. Circa ordines prohibitio.

Et primò circa ministeriũ Ordinum extat Ius Canonicũ in c. 1. de Simon. quod sic habet. *Sicut non debet Episcopus manum, quam imponit, vtu nec minister, vel Notarius in ordinatione eius vocem, vel calamum vendere. Pro ordinatione igitur, vel vsu pallij, seu chartis, atque pastellis eum, qui ordinatur, omnino aliquid dare, prohibemus.* Habetúrque ferè idem Ius in cap. *Nullus Abbas*, & cap. *Sicut Episcopum*, 1 q. 2. In quibus locis explicatur, nomine ministri intelligi eum, qui Euangelium in ordinatione legit, vnde vocem vendere idem est, quòd vendere sacram lectionem Euangelij: atque ita exposuit Goffre. vt refert Panormitan. & ipse fatetur, esse magis consentaneum antiquæ lectioni. Addit verò, etiam posse intelligi de illa voce, qua Archidiaconus vocat promouendos, vel de illa voce, qua respondet in scrutinio, testimonium præbendo, dignum esse promouendum, iuxta cap. vnd. de Scrutinio Gloss. verò intelligit de Archidiacono, ad quem pertinet examinare ordinandos, & approbatos præsentare Episcopo, iuxta cap. *Ad hæc*, verb. *In quadam*, de offic. Archid. Idémque est de quocunque alio, qui officium examinatoris exercet, vt in superioribus tactum est. Et quamuis Gregorius sine dubio de voce Euangelicæ lectionis loquatur, vt ex Originali constat lib. 4. epist. 44. Nihilominùs illa omnia, quæ declarata sunt, imò quodcúmq; ministerium sacrum ibi exhibitum sub eadem regula comprehenduntur, quia prohibitio illa quoad hanc partem est de re per se mala, nam totum illud ministerium spirituale est, quod vendi non potest, vt etiam Panor. notauit. Et hoc magis declaratum est in Concil. Trid. sess. 21. cap. 1. vbi sic dicitur: *Nihil pro collatione quorumcúnque ordinum, nec pro literis dimissoriis, aut testimonialibus, nec alia quacúnque de causa, etiam spõte oblatum Episcopi, & alij Ordinum collatores, aut eorum ministri, quouis pretextu accipiant.* Nàm per verba illa: *Quacúnque de causa*, & illa, *aut eorum ministri*, quamcunque vocem, vel actionem ministrantium collationi ordinum comprehendit. Et consonat c. *Sicut pro certo*, de Simonia.

Cap. Nullus. Abbas. C. Sicut Episcopum.

Panor. Concil. Trid.

6. De Notariis.

De Notario verò solet dubitari, an Simoniam cõmittat legem illam transgrediendo. Multi enim censent, illum non fore Simoniacum, quia nihil spirituale confert, sed temporalem operam, quæ de se posset pretio æstimari; prohibetur autem vendi propter tollendam speciem mali; vel quia erat turpe lucrum, cum Notarij habeant proprium sui muneris stipendium. Et confirmatur hæc sententia, qùia Concil. Tri. sess. 21. c. 1. limitauit illam prohibitionem, permittendo, vt Notarij decimam partem aurei pro literis accipere possint, cum tribus conditionibus, vna, vt solùm hoc liceat, vbi non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi; alia, vt Notarius non habeat stipendium pro officio exercendo; tertia, vt nihil ex illo lucro ad Episcopum redundet, alias decernit Notarium teneri, gratis suas operas præstare.

Conc. Trid.

7. Sed priùs videndum est, an peccet, deinde quo genere peccati. Quoad 1. communis distinctio est, quòd si habet salarium pro officio suo, non potest aliquid accipere, si verò non habet, potest. Ita Panor. ibi, Sylvest.

Panor. Sylvest.

Silueſt. q. 8. & alij referendi. Ratio prioris partis eſt, tũ quia eſt contra iuſtitiam vendere id quod ratione ſtipendij tenetur ex officio gratis facere; tum etiam quia ſaltem tunc procedunt Iura prædict. Ratio verò alteriùs partis eſt, quia Notarius non tenetur gratis miniſtrare. Dices: Tenetur Epiſcopus ſalarium dare, & hoc videntur intendiſſe dicta Iura ad tollendos abuſus, vnde Suppl. Gabr. 4. d. 25. q. 2. art. 3. dub. 6. etiam in eo caſu negat. poſſe Notarium aliquid recipere. Sed nimis rigoroſum hoc eſt, & contra communem ſententiam. Dico ergo quòd licet Epiſcopus debeat dare ſtipendium, tamen ſi de facto non det, Notarius nõ peccat, illud accipiendo ab eo, cui ſeruit. Deinde fortaſſe Epiſcopatus eſt tenuis, & Epiſcopus non poteſt commodum ſtipendium dare. & ita præſumendum eſt. Ac denique in his multùm valet conſuetudo, nec damnãdi ſunt Epiſcopi, qui non conſueuerunt ſalarium dare Notariis. Et ita videtur rem hanc declaraſſe Trid. loco nuper citato, permittens, vt Notarij decimam partem aurei pro literis accipiant, vbi nec ſalarium habent, nec eſt contraria conſuetudo.

Gabr.

A

B

8. Quãdo Notarius ſit Simoniacus.

Ad alteram partem, quando gratis tenetur miniſtrare, & aliquid recipit, videtur certè contra iuſtitiã peccare, non verò Simoniam committere, propter rationem ſuprà factam. Nihilominùs dico, ſi intendat Notarius vendere ſuas operas, pretium earum accipiẽdo, Simoniam committere. Ita ſentit Silueſt. ſuprà, & Durand. 4. d. 25. q. 3. & Sot. d. lib. 9. q. 6. ar. 1. Ratio eſt, quia illa actio, licet temporalis videatur, eſt annexa ſpirituali muneri quaſi conſequenter, ſcilicet ordini ſuſcepto, cui teſtimonium illud debetur, vt cõmodè exerceri poſſit. Vnde ab illo etiam habet totam æſtimationem ſuam, teſtimonium enim illud pro nihilo æſtimaretur, niſi ordo ipſe, qui per illud probandus eſt, in ſua æſtimatione haberetur, vnde ſicut ordo non debet pretio æſtimari, ita nec literæ teſtimoniales. Quando ergo Cõcilium permittit aliquid recipi cum illis conditionibus, intelligit per modum ſtipendij, non per modum pretij. Vnde vlteriùs addo, quòd ſi Notarius aliquid recipiat contra prædictam prohibitionem, licet dicat, ſe non accipere vt pretium, ſed vt ſtipendiũ, non ſolùm peccat contra iuſtitiam, ſed etiam contra Religionem, cuius intuitu illa prohibitio facta eſt, vt conſtat ex verbis Iurium, & ideò licet illa in rigore non ſit ex ſe, niſi præſumpta Simonia, ſuppoſita prohibitione, valdè probabile eſt, eſſe Simoniam vt in ſimilibus ſæpè dictum eſt.

Silueſt. Durand. Sot.

C

D

9. Circa aliud munus Epiſcoporum exercendi iuriſdictionem tam voluntariam, quàm inuolũtariam, nihil inuenio ſpecialiter diſpoſitum Iure poſitiuo, quod peculiariter pertineat ad eos, qui miniſtrant, vel aliquo modo cooperantur Prælatis, vel iudicibus Eccleſiaſticis in his cauſis. Dubitari autem ſolet de Aduocato, & teſte in cauſa ſpirituali, An Simoniam committant, vendendo operas ſuas. Sed de Aduocato certum eſt, poſſe vendere ſuum patrocinium, etiãſi cauſa ſpiritualis ſit. Quia hoc nec eſt Simonia ex natura rei, nec eſt prohibitum Iure Eccleſiaſtico. Primum patet, quia officium Aduocati tantùm eſt, vel illuminre, & informare, vel factum aperiendo, vel Ius oſtendendo, & informando intellectum iudicis: hoc autem totum etiam in materia ſpirituali vendibile eſt. Vel ſi ſit procurator ad eum ſpectabit, ſollicitare negotium, qui labor merè temporalis eſt, & quaſi per accidens, & antecedenter eſt annexus cauſæ ſpirituali. Secundum etiam patet, quia nullum eſt Ius Canonicũ hoc prohibens; imò ſententia Auguſtini, licere Aduocato, patrocinium ſuum vendere, relata in c. *Non ſanè*, 14. q. 5. indifferenter de patrocinio in quacumque cauſa intelligitur. Et ita habet totiùs Eccleſiæ conſuetudo; nec de hoc eſt vlla controuerſia inter Auctores.

De Aduocato.

C. Non ſanè.

E

De teſtibus verò in cauſa ſpirituali communis ferè ſententia eſt, Simoniam committere, ſi pretium pro teſtimonia accipiunt. Ita tenet Richard. 4. d. 25. artic. 3. quæſt. 2. 5. Anton. d. cap. 5. § 17. notab. 1. Idem Panormitan. in cap. *Tuã nos*, num. 6. de Simon. vbi cum Hoſtienſ. æquiparat teſtem iudici quoad hoc, quòd qui corrumpit illum pecunia in cauſa ſpirituali, eſt Simoniacus, propter quandam connexionem cum rebus ſpiritualibus. Addit verò, *vel quaſi Simoniacus*. Idem Felin. ibi, num. 4. referens Gloſſ. in cap. *Vendentes*, 1. quæſt. 3. ver. *Iuſtitiam*, quæ de ſolo iudice loquitur. Tabiena verò nu. 47. abſolutè ſequitur doctrinam Panor. Potéſtque ita ſuaderi, quia qui corrumpit iudicem in cauſa ſpirituali, dando ei pecuniam, eſt Simoniacus, vt ſuprà viſum eſt; ſed qui corrumpit teſtem, mediatè corrumpit iudicem quoad effectum, licet non quoad culpam, quia tenetur ſecundùm allegata, & probata iudicare, ergo. Confirmatur, quia qui daret interceſſori pecuniam, vt à iudice ſententiam obtineret, eſſet Simoniacus, ſed hoc idem facit, qui per pecuniam teſtem corrumpit, licet diuerſo modo, ergo. Eſt ergo hæc ſententia valdè probabilis, maximè quando per pecuniam corrumpitur teſtis in cauſa ſpirituali.

10. De teſtibus. Richard. D. Anton. Panor. Hoſtienſ.

Felin.

Tabien.

Quando verò non corrumpitur, ſed ad veritatem dicendam, inducitur; quia non vult aliter teſtificari, non erit Simonia ex partè dantis, ſed redemptio vexationis, quam facit teſtis, negando teſtimonium ſuũ, niſi detur ei pecunia. Et hoc eſt aliud exemplum, in quo licitum eſt, redimere vexationem propter Ius ad teſtimonium, licet nondum ſit quaſi poſſeſſum, quod exẽplum admittit Vgol. Tab. 1. c. 53. §. 1. n. 2. Ex parte autem recipientis tunc eſt iniuſtitia iuxta doctrinam Aug. in d. c. *Non ſanè*, 14. q. 5. & D. Th. 22. q. 71. art. 4. ad 3. quam omnes Theologi ſequuntur, & Iuriſperiti in cap. 1. & cap. *Sicut nobis*, de Teſtibus, & Turr. in cap. *Qui recte*, 11. q. 3. An verò committat etiam Simoniã pecuniam recipiendo in cauſa ſpirituali, dicendum videtur, ſi directè accipiat illam vt pretium, & ad promouendam cauſam ſpiritualem, tunc Simoniam cõmittere, quia eſt clara connexio, & æſtimatio ſumitur à re ſpirituali; ſi autem accipiat vt ſtipendium, vel etiam vt pretium ſui laboris, non apparere Simaniam, quia nec ex natura rei talis eſt, neque in hoc inuenitur ſpecialis prohibitio. Imò poteſt excuſari ab iniuſtitia, ſi non pro veritate dicenda, nec vt faueat vni parti, ſed præcisè pro labore, vel alio incommodo compenſando mercedem accipiat.

11.

Vgol. Tabien. C. Non ſanè. D. Thom. Turrec.

Tandem circa miniſtros, qui intercedunt in collationibus beneficiorum eadem quæri poſſunt, quæ in collationibus ordinum, & cum proportione eſt reſpondendum: Aduertendo ſolùm, de Notariis, & ſimilibus non inueniri ſpecialem prohibitionem in collationibus beneficiorum. Et ideò in illis ſolùm cauendum eſt, ne talia miniſteria cariùs vendant ratione ſpiritualis materiæ, circa quam verſantur, quia ſi hoc obſeruent, non erunt Simoniaci, poterunt autem eſſe iniuſti, ſi ratione muneris, vel ſalarij tenentur gratis literas dare, vel ſi excedant ſtatuta, vel conſuetudinem, vel alias extorſiones faciant.

12. Officiales.

Maximè verò in his dubitari ſolet, an ſit Simonia, dare pecuniam familiaribus, vel priuatis amicis Prælatorum, vt ab eis beneficium danti obrincãt, & idem cum proportione eſt, ſi detur ad obtinendam diſpenſationem, vel aliam ſimilem gratiam, vel iuſtitiam. Videri enim poteſt, nullam in hoc committi Simoniam, nam ſupponimus, interceſſorem illum nihil daturum eſſe Prælato, ſed ſolam gratiam, & amicitiam ab illo poſtulaturum, faciendam non ſibi, ſed alteri gratia ſui. Tunc enim Epiſcopus concedens beneficium, vel gratiam, non eſt Simoniacus, vt ex ſuprà dictis

13. Interceſſores.

dictis constat: ergo nec intercessor, illam postulando nec vendendo illam postulationem, seu intercessionem, committit Simoniam; quia vendit laborem suum, vel actionem, & fauorem humanum pretio æstimabilem; ergo nec qui dat pecuniam, committit Simoniam, quia licet intendat per illam viam consequi beneficium, non tamen emendo illud, sed gratis obtinendo, emendo autem aliquid temporale, quod potest conducere valde remotè, & non per modum pretij ipsius beneficij, sed solùm per modum amicitiæ, & benevolentiæ. Sicut potest quis pecunia emere aliquid, quod doner Episcopo, vel suis sumptibus illi seruire spe beneficij, non tamen cum intentione pretij, vel obligationis, sed solùm vt eum benevolum sibi reddat: ita ergo emit intercessionem alterius, qua illi sibi benevolum reddat, non est ergo hæc Simonia. A B

14. *D. Bonau.* Nihilominùs communiter Doctores hanc negotiationem vt Simoniacam damnãt. In hoc enim sensu videtur dixisse Bonauẽt. in 4. d. 25. circa litter. dub. vlt. Simoniam committi, *Dando collateralibus, licet non detur Episcopo.* Quod magis explicauit Maior. qu. 3. ad 2. Supplem. Gabr. qu. 2. art. 3. dub. 4. circa finem, Arm. lib. 10. de Quæst Arm. c. 18. Sylvest. ver. *Simonia*, q. 6. Tab. nu. 8. Angel. *Simonia*, 3. nu. 25. & reliqui Summistæ. Latiùs quam cæteri Nauar. d. c. 23. nu. 106. verb. *Ad quintam*, vbi refert Innoc. Anton. Panorm. & Felin. in c. *Tuam*, de Ætat. & qualit. & in c. *Tanta*, de Simon. Idem Nauar. in Comment. de Datis, & promiss. not 32. n. 45. & cons. 56. & 57. de Simon. Sot. d. lib. 9. q. 7. art. 3. Et sumi potest hæc sententia ex D. Tho. d. q. 100. ar. 2. ad 5. vbi docet ante Ius acquisitum in beneficiũ, Simoniam esse, per pecuniam sternere viam ad illud obtinendum, tollendo impedimenta. Ergo à fortiori directè procurando, & influendo. Potest autem hæc resolutio intelligi vel de Iure diuino, vel de Iure positiuo, & vtroque modo videtur affirmari à dictis Auctoribus, & meritò. C

Maior. Gabr. Sylvest. Tabien. Angel. Nauar. *Sot. D. Thom.*

15. Probatur intercessores pretium nõ posse accipere absq; Simon. Probatur ergo 1. ratione, quam indicat Innocen. quia perinde est per pecuniã beneficium immediatè à collatore obtinere, vel medio intercessore, quia vtroque modo per pecuniã obtineo, & consequenter emo beneficium. Et declaratur, nã quando in effectu datur beneficium, nõ à solo collatore, sed ab intercessore etiam quodammodo datur, quia causa inducens est vera causa moralis, ergo saltẽ emitur collatio, vt manat moraliter ab intercessore. Secundò argumentatur Sot. quia non solùm dare, sed etiam recipere beneficium pro pecunia Simoniacum est, sed licet tunc Prælatus non conferat beneficium pro pecunia, alter pro pecunia recipit: ergo est Simoniacus. Hæc verò ratio supponit præcedentem, quia nemo recipit pro pecunia, nisi aliquis det pro pecunia, saltem in Simonia reali, & completa, qualis hęc est: ideò ergo iste recipit pro pecunia, quia ex parte dantis consideratur etiam intercessor, qui per pecuniam suo modo dat. Tertiò ex Nauar. 2. loco suprà cit. Quia hæc intercessio virtualiter est quidquid spirituale, quia non emitur nisi vt virtute continens collationem beneficij, nec alia ratione in æstimatione haberetur. Et declaratur tãdem, quia siquis intercessori promittat decem pro precibus, non simpliciter, & absolutè, sed sub conditione, si fuerint efficaces, id est, si cum effectu obtinuerint dispensationem, aut beneficium, tunc clarissima est Simonia, vt omnes fatentur, & specialis declarauit Supplem. Gabr. quia euidenter tunc emuntur preces, vt habentes effectum spiritualem, & non aliter; atque adeò ratione illius, & ipse principaliùs; Ergo idem est, si emantur vt sufficientes ad obtinendum eundem effectum, quia similem connexionem habent, licet non omninò eandem. D E

Denique ex Iure Canonico probari potest hæc sententia ex cap. *Statuimus.* 2. 1. q. 1. Vbi Nicolaus Papa numerat tres species Simoniacè ordinatorum, & vna est, quando *Simoniaci à non Simoniacis, Simoniacè ordinatur.* Qui modus Simoniæ tunc videtur cõmitti, quando ordinanti nihil datur, sed mediatoribus, vt Turrecrem. ibi, & alij notarunt. Item quoad Simoniã ab ordine apertè probatur ex cap. *Præsentium.* 1. quæst. 5. vbi Vrbanus Papa agnoscit Simoniam commissam per pecuniam, *non Episcopo, sed cuidam principum eius datam.* Per quæ Iura magis videtur declarari naturale Ius, quàm nouum statui, quando verò illud esset obscurius, de Ecclesiastico Iure dubitari non potest. Et confirmari potest congruentia, ex necessitate talis prohibitionis; quia per hunc modum emendi ordines, aut beneficia, maxima mala Ecclesiæ proueniũt: nam promouentur indigni, si pecuniis abundent, & digni relinquuntur; & ita non minùs fiunt venalia beneficia, & alia similia, quàm si ab ipsis Prælatis emerentur. Præsertim quia interdum tantùm valent apud Patronos hi rogatores, vt moraliter perinde sit, ab eis emere, quòd ab eorum Patronis. Ratio autem dubitandi, ex dictis soluta relinquitur.

16. Cap. *Statuimus.* *Turrecr.* Cap. *Præsentium.*

Aduertunt autem omnes, quòd si familiaris intercessionem non interponeret, sed tantùm aperiret ianuam, aut facilem aditum tribueret, vt ipse orator posset petere à Prælato, licet de hac causa daretur pecunia, non committeretur Simonia, quidquid sit de turpi lucro, vel iniustitia ex parte accipientis, quam interdum committere posset, si nimium vexaret; secùs si oblatam acciperet, vel si aliquid faceret vltrà id, quod teneretur. Ita ferè Adrian. suprà, & Palud. q. 5. Addit etiam Nauar. d. n. 106. non esse Simoniam, si aliquid detur pro labore suscepto, eundo, & redeundo ad collatorem, vel in recompensationem alicuius damni, quod ea de causa patitur, aut alterius lucri, quod amittit. Quod in rigore verum est, quia hæc accidentalia etiam in spiritualibus actionibus compensari possunt, sed cauendum est, ne sub hoc colore aliquid accipiatur vltrà æstimationẽ talis valoris, vel damni secundum se spectati; aliàs Simonia non euitabitur. Addit denique Adrianus, si mediator ille solùm assumat curam informandi Prælatum de meritis talis personæ, licet pro illo labore pecuniam accipiat, non fore Simoniacum. Quod mihi videtur speculatiuè verum, practicè autem periculosum, nisi magna cautela, & recta intentione fiat. Ratio prioris partis est, quia ille non se gerit vt intercessor propriè, sed vt Aduocatus docens, & instruens iudicem de meritis causæ, seu partis suæ in tali causa, ita ergo potest mediator informare electorem, vel collatorem de partibus, & dignitate talis personæ, quod officium merè temporale est, & dignum mercede: Erítque securius, si per modum stipendij potiùs, quàm pretij accipiat. Periculum verò est quia mediator iste sæpe excedit officium informantis, & assumit officium exhortantis, & inducẽtis plusquàm obiectum ipsum per se posset inclinare; tunc autem iam exercebit officium intercessoris, & incidet in Simoniam, ratione iam dicta. Debet ergo & in actione seruare modum, vt puram informationem tribuat sine laudatione, & exaggeratione; & in intentione, vt non intendat per se inducere, sed tantùm tollere ignorantiam obiecti, vt ipsum per se moueat, quod iustum est. 17. Aduerte nudum. *Adrian. Palud. Nauar.* Secundum aduertendũ.

CAPVT LIV.

Vtrùm omnes homines cuiuscunque status, & conditionis, etiam infimæ possint vitium Simoniæ committere?

1. IN hoc capite nulla ferè occurrit difficultas alicuius momenti, sed ad complementum materiæ illud propono; & vt summatim colligamus modos omnes, quibus à singulis hominibus vitiũ hoc committi possit. Suppono autem, dupliciter hoc vitium committi, scilicet, dando spiritualia pro tẽporalibus; vel dando temporalia ad recipiendum spiritualia: & ordinariè qui priori modo peccat, dicitur vendere spiritualia, posteriori autem modo emere.

2. 1 Conclusio circa Clericos.

Dico ergo primo. Clerici omnes, in quocunque gradu sint à Sacerdotio vsque ad primam tonsuram (nam de Pontificibus iam diximus) committere possunt Simoniam, obtinendo Simoniacè, seu emendo spiritualia, & ministrando illa, seu vendendo. Loquor formaliter de Clericis, vt Clerici sunt, quia si materialiter spectentur tales personæ, illis erunt communia omnia, quæ de Laicis dicemus. Et hoc modo intellecta assertio, non satis probatur ex infinitis Iuribus, in quibus Clerici omnium graduũ vt Simoniaci puniuntur, vt patet ex titulo de Simonia extra, & in Extrauagantibus: Probabitur autem ex illis, adiuncta ratione. Quoad priorem quidem partem, quia Clerici, vt Clerici sunt, multa spiritualia recipiunt; quæ ad Laicos non spectant, vnde si illa emant, proprium Clericorum peccatum committunt. Et in primis hoc apparet in ipsis ordinibus recipiendis: nam etiam de recipiente primam tonsuram per pecuniam certum est committere Simoniam, vt supra est ostẽsum. Dubitari autem potest, an tale peccatum potiùs sit laici, quàm clerici, quia ille, qui Simoniacè tonsuratur, prius est Simoniacus, quàm clericus. Sed non est curandum de modo loquendi satis enim est, quòd ille in eodem instanti, in quo cõsummat suum peccatum, est clericus, vt pœnam propriam clericorũ incurrat: nam ad hoc sufficit, quod peccatum illud dicatur esse in clerico, vt clericus est. Deinde, possunt clerici peccare, emendo sibi beneficia, quia per se sunt capaces eorum, idémque est de ecclesiasticis officiis, & omnia, quæ ad hæc obtinenda ordinantur, vt electiones, præsentationes, &c. vt ex suprà dictis satis constat. Dico autem, *emendo sibi*, quia emendo aliis beneficia, etiam laici possunt Simoniam committere, vt per se etiam est clarum, tamen emendo sibi, seu recipiendo beneficia per pretium, clerici propriè peccãt, vt clerici sunt. Altera verò pars de Simonia, quæ in ministrando committitur, petenda est ex suprà dictis de functionibus clericorum; nam secundum illas est hic modus committẽdi Simoniam proprius clericorum. Quod si quis obiiciat, clericũ solius primæ tonsuræ non posse hoc modo delinquere. Respondeo, licet non possit quoad functiones potestatis ordinis, posse quoad functiones potestatis iurisdictionis spiritualis, cuius ipse capax est, & non laicus. Item, potest etiam vendere beneficia, quorum est capax, & nõ laicus, quamuis hoc peccatum suo modo committi possit etiam à laicis, vt statim dicemus.

3. 2. Conclusio circa Religiosos.

Dico 2. Religiosi, vt Religiosi sunt, propriis, & peculiaribus modis possunt in hoc crimen Simoniæ incidere. Declaratur breuiter, nam Religiosus tribus modis considerari potest, vt homo, vt Clericus, & vt Religiosus. Secundum primum respectũ potest hoc vitium committere eo modo, quo alij quicunque fideles, de quibus statim dicemus, quia in omni spirituali materia, in qua possunt alij prauè negotiari, possunt etiam religiosi, quantum ad factum attinet, licet in aliquibus materiis pauciores occasiones habeant, vt constat. Secundo autem modo spectati Religiosi, possunt peccare eo modo, quo alij Clerici, seruata proportione. Nam quoad functiones ordinis, eadem est omninò ratio, vnde nec vendere possunt confessiones, nec emere licentiam, vel potestatem illas audiendi, nec approbationem Episcopi, nec præsentationẽ sui Prælati, vel similia, quæ & spiritualia sunt, & ad spiritualia ordinantur. Idem est omninò de Concione, de sepultura, seu funere, & similibus. Item de potestate iurisdictionis spiritualis: & de beneficiis, eo modo, quo religiosus capax esse potest beneficij regularis, aut vicariæ, nam in omnibus his est eadem ratio de Religioso Clerico, ac de non religioso. Cũ proportione verò idẽ est quoad officia Ordinis, quatenus vel iurisdictionẽ spiritualem habẽt, vt Prælationes, Abbatiæ, Prioratus, de quibus interdum fit in iure expressa mẽtio, vt in c. *Non satis*, & c. *Mandato*, de Simon. & in c. 2. §. *Prioratus*, de Statu Monach. & in c. *Quàm pio*, 1. q. 2. Vel etiam quatenus aliquo modo Ecclesiastica sunt, vt Sacristæ, Procuratoris ordinis, & de similibus: nam in his etiam procedit prohibitio. ca. *Saluator*. 1. q. 3. cum generalis sit. Itaque quoad has materias nulla est specialis cõsideratio de Religiosis.

Ca. Nõ satis. Ca. Mãdato. Ca. Quã pio.

4. Ipse Religionis ingressus quãdo sit Simoniacus.

Solùm ergo in his, quæ spectant ad professionem religiosam, vel habitus susceptionem, quatenus hæc vendi, vel emi Simoniacè possunt, potest dici hoc peccatum pertinere specialiter ad religiosos, vt religiosi sunt, vel fiunt, hoc enim vltimum addere oportet propter eos, qui emunt ingressum religiosum, priusquàm Religiosi sint, de quibus eodẽ modo proportionali loquẽdum est, sicut suprà diximus de Clerico emente primam tonsuram. Possunt ergo in hoc peccare Religiosi, vel dando, vel recipiendo id, quod spirituale est, pro tẽporali pretio. Dando propriè peccãt, qui pro pretio religiosum recipiunt, nã licet personam recipiant, conferunt habitũ, vel professionem. Et hoc modo peccãt omnes, qui aliquo modo ad professionem talem dandam cõcurrunt, siue suffragium dando pro pecunia, siue ad professionẽ admittendo. Quoniam autem hic modus peccati solet committi à Capitulo, quæri potest, quomodo à singulis de Capitulo participetur, sed de hoc dicam in assertione sequenti. Religiosus autem, qui religionem suscipit, Simoniam committit, recipiendo, nam licet ipse se ipsum det, & tradat religioni, tamẽ ipse solus est, qui spiritualia recipit, scilicet statum, & professionem religiosam, nihilominùs tamẽ vtraque pars potest peccare, vendendo, & emendo spirituale, interdũ enim conuentus vendit ingredienti statũ ipsum, & professionem, & ipse emit, dando, vel promittendo temporalia, vt recipiatur. Aliquando verò è cõtrario religio emit, & recipiendus vẽdit, quia pretium aliquod, vel munus, aut promissionem eius recipit, vt religiosus fiat. Et tunc videri potest non cõmitti Simonia, quia religiosi dantes nõ emunt spirituale aliquid, sed personam illam, quæ secundum se pretio æstimabilis, & solũ antecedenter est annexa, vel annectenda rei spirituali, scilicet professioni, vnde illam emere non videtur Simoniacũ, sicut qui emit calicem, vt illũ conficeret, Simoniam non committit. Vnde nec recipiens pecuniam, vt fiat Monachus videbitur Simoniã committere, quia non vendit aliquam rem spiritualẽ, sed potiùs illam acquirit, nõ solùm gratis, sed etiam pretio sibi dato pro persona sua. Sed nihilominùs certũ est, ex vtraque parte committi illo modo Simoniam, vt expressè habetur in d.c. *Quàm pio*. Et ratio est, quia solum emitur persona, vt de se faciat spiritualem sui traditionem, & vt consentiat in spirituale vinculum cum religione, quæ spiritualia sunt, & ideò tã ex parte ingredientis Simonia est vendere hanc traditionem, & consensum, quàm ex parte religionis illam emere. Sed de hoc genere peccati, quando, & quomodo committatur, vel excusetur, supra satis dictum est; de pœnis autem propriis eius infrà dicemus.

5. 3. Cõclusio circa Laicos.

Dico tertiò. Etiam homines Laici, & in vniuersum omnes homines, etiam infideles possunt Simoniam committ-

committere. Hoc non indiget speciali probatione, A sed declaratione. Vnusquisque enim,quatenus capax est recipiendi spiritualia ab aliis hominibus, vel illa eis tradendi,eatenus esse potest capax Simoniæ, quia libertatem habet ad vtrumq; faciendum pro pretio, & non gratis: loquimur enim de adultis, & seclusis impedimentis, & ita res est per se nota. Possunt autem Laici dare spiritualia aliquo modo,vt Baptismum sine solemnitate; præsentationem ad beneficium, si sit patronus: Notarius etiam Laicus potest dare spiritualibus annexa, vt antea vidimus. Sic ergo possunt committere Simoniam, dando, & vendendo aliqua spiritualia. Possunt etiam illam committere,vendendo sua bona opera, quatenus spiritualia sunt, & vim habent impetrandi, vel satisfaciendi, vt suprà declaratum est. Item vendendo res sacras cariùs ratione spiritualitatis,vt constat. Denique, recipiendo spiritualia pro pretio, frequentiùs possunt hoc delictum committere, vt ex hactenus tractatis manifestum est. Omnes ergo fideles Laici, cuiuscunque conditionis sint,in hoc vitium cadere possunt, atque ita supponitur clarè in d. Extrauag. 2. de Simon. & in tit. de Simon.& 1.quæst.1.2.& 3.per multa capita.

Extrauag. *6.*

Ad hunc etiam modum committendi Simoniam Laicis communem spectat, vendere cooperationem ad functiones spirituales,vt tales sunt,sicut de priuato ministro sacrificij Missæ.cap. 13. dictum est. Et simile quid notat Vgolin.Tab.1.cap.37.§.4. de Patronis, qui in solenni administratione Baptismi, & in C Cõfirmatione interueniunt, & aliquam cooperationem habent; dicens, Simoniam esse, pro exercendo illo munere pretium dare, vel accipere: quod mihi valdè verisimile videtur, quia munus illud aliquo modo spirituale est, vt colligi potest ex obligatione instruendi susceptos in rudimentis fidei, quæ ex illo nascitur per se loquendo, & quantum est ex vi muneris,vt ex dictis in 3.tom.circa illa Sacramenta suppono: Item ex effectu cognationis spiritualis, quæ in quodamvinculo spirituali fundatur.Nec refert,quòd hæc sint per Ecclesiam instituta; nam suppositа institutione spiritualia sunt,quod ad Simoniam sufficit.

Vgolin.

7. Alio etiam modo possunt Laici omnes committere Simoniam omnibus hominibus communi, & in D qualibet materia etiã aliena (vt sic dicam) ab eorum statu,scilicet,cooperando aliorum peccatis, vel consentiendo,aut non resistendo,quando possunt, & tenentur; hic enim peccandi modus sicut in aliis vitiis locum habet, ita & in hoc. Vnde Hormisda Papa in epist.1.ad Episcopos Hispaniæ,cap.2. damnans ordinationes pretio factas,inquit: *Nisi ille se à culpa æstimet alienum,qui,& si ipse quidem à redemptione liber,initiauerit benedictione mystica Sacerdotem, tamen ad alterius redempti voluntatem, vel sponte in hoc, vel necessitate consenserit. Quid prodest illi,suo errore non pollui, qui consensum præstat erranti?* Hic ergo modus peccandi licet maximè locum habeat in Clericis, Laicis etiam communis est; nam eadem ratio in illis locum habet. Sic ergo peccare potest Laicus consulẽdo Clerico emptionem beneficij, vel vendendo intercessionem ad beneficium consequendum; nam tunc est cooperator ad Simoniacam obtentionem: Item,sciens quis ab alio dari pecuniam,vt sibi tribuatur Ius patronatus, & tacitè,vel expressè consentiens, Simoniam committere censetur,argum.cap. *Matthæus*, & cap. *Sicut tuis*, de Simon. Nam in his, & similibus eadem est ratio de Clericis,& Laicis,si ex parte concursus, & cooperationis idem moralis influxus intercedat, siue fiat consulendo,siue mandando,siue ratum habendo iam factum suo nomine,iuxta cap. *Sicut tuis*,vbi Panorm. & alij de Simon.& iuxta cap.pen. vbi Glossa, & Doctores extra de Election.

Hormis.Papa. *E* *C.Matthæus.* *C. Sicut tuis.* *Panor.*

Tandem hinc intelligitur,quod in vltima parte assertionis dixi, etiam in infidelibus posse hoc vitium reperiri, non enim agimus de modo, quo ipsi in propria materia, vel ex conscientia erronea possunt Simoniam quodammodo participare, de hoc enim satis in superioribus dictum est, sed de modo, quo in vera,& spirituali materia,quæ solùm intra Ecclesiam reperitur, propriam Simoniam possunt committere. Nam etiam hoc modo possunt delinquere, nõ tamen inter se, sed cum fidelibus contrahendo, vel eorum peccatis communicando. Sic posset gentilis peccare emendo Baptismum, quanquam si emeret sibi, peccatum illud vt cõsummatum, iam esset Simonia hominis Christiani, posset tamen emere non sibi,sed filio,sic etiam Princeps infidelis (v.g.nunc in Iappone) posset emere Episcopatum pro amico fideli, veramq; committeret Simoniam, per se loquẽdo, licet posset per ignorantiam excusari. In hoc autem genere peccati nihil est,quòd immoremur, quia de his, qui foris sunt,nihil ad nos.Et hac ratione ordinariæ pœnæ Ecclesiasticæ ad eos non pertinent, ipsa autẽ facta, quatenus circa res Ecclesiæ versantur,possunt ab Ecclesia prohiberi, & irritari iuxta materiæ capacitatẽ, & ita fit de facto, vt videbimus. Et si tales infideles essent Ecclesiæ subiecti temporaliter, possent ratione talis delicti puniri,imò & in non subditis posset puniri talis iniuria facta Ecclesiæ,& sacris rebus,si commodè, & sine maiori perturbatione Ecclesiæ fieri posset.

8. Circa infideles.

Dico vlt. Non solùm singulæ personæ, sed etiam Capitula,seu Collegia, quæ personæ mistæ dicuntur, seu mystica corpora,possunt Simoniam committere. Res est clara, quia talis communitas delinquere potest,vnde & censuræ capax est, vt alibi diximus; ergo etiam delinquere potest in Simonia, quia & potest vendere,& emere,vt est per se notum,& potest habere materiam spiritualem, circa quam hos contractus prauè exerceat; nam potest iurisdictionem spiritualem exercere, & Ius præsentandi ad beneficia habere,& beneficia dare, vel recipere, eligere, & similia, quæ communia sunt Capitulis secularium Clericorum, & Regularium. Conuentus autem regulares tam virorum, quàm mulierum peculiariter peccare possunt in receptione Simoniaca ad religionem, vt paulò anteà dictum est. Et ideò ipsa Capitula regularia speciali pœna pro tali crimine puniuntur in Extrauag.1. de Simonia, vt in sequentibus videbimus. Tunc autem censetur Capitulum vt Capitulum, hoc vitio delinquere,quando & actio illa, quæ Simoniacè fit,à solo Capitulo exerceri potest, & pretium pro illa à toto Capitulo,vt tale est,acceptatur. Quia nisi ita pactio fiat, licet fortè multi, vel omnes de Capitulo per se,ac sigillatim suffragium suum vendant,nõ delinquit Capitulum: tunc autem censetur Capitulum,vt Capitulum, rem peragere, ac delictum committere, quando, communicato cõsilio,& conuocatis omnibus, ac consueto modo congregatis, contractum,vel aliquid simile efficiunt, vt latè tractant Abbas,Felin.& alij in cap. *Dilectus*, 2.de Simon. Sylvest. verb. *Excommunicatio*,7.num.47.Iul.Clar. lib. 5.§. vlt. q.16.num.8.

9 Vltima conclusio de Capitulis, seu Collegiis.

Abbas. Felin. Sylvest. Iulius Clar.

Dices: Capitulum,vt Capitulũ, non est capax Simoniæ,nisi ratione singulorum quia Simonia est studiosa voluntas, & Capitulum non habet voluntatem,nisi quatenus singuli habent; ergo si singuli sunt Simoniaci, Capitulũ est Simoniacum, & licet maior pars Capituli, vel Collegij consentiant Simoniæ, qui resistunt, non sunt Simoniaci, licet non prævaleant. Respondeo, Capitulum nõ committere Simoniam, vel aliud delictum, nisi quatenus actio praua, voluntariè prouenit à Capitulo per modum vnius, & licet totum Capitulum verè non habeat vnã voluntatem,

10. Obiectio.

Respõdetur.

oportet tamen, vt per modum vnius concurrant, atq; adeò quòd ex multis voluntatibus vna moraliter fiat. Quando autem singuli per se consentiunt, aut pecuniam recipiunt, non operantur per modum vnius voluntatis, & ideò non delinquit Capitulum, nec pœna in illud lata tunc comprehendit illud. Et ita ad argumentum respondetur, distinguendo antecedens: Capitulum non committit Simoniã, nisi ratione singulorum per se, & separatim spectatorum, negatur antecedens, ratione singulorum, vt per commune consiliũ inter se vnitorum, sic conceditur antecedens. Et tunc negatur consequentia, quod priorẽ partem consequentis, nisi cum proportione sumatur. Circa 2. autem partem aduertendũ est, aliud esse, loqui de peccato coràm Deo, aut quoad quandá imputationẽ in ordine ad pœnas Ecclesiasticas. Priori modo verũ est, non esse Simoniacos singulos non consentientes, sed resistentes, quoad possunt; quod nõ obstat, quominùs totum delinquat ratione maioris partis. At verò posteriori modo solent Innocẽtes participare delictum totius corporis, quoad pœnam propter coniunctionem cum illo. Quomodo autem hoc sit applicandum ad pœnas Simoniæ, in sequentibus dicemus.

CAPVT LV.

Pro quibus Simoniis nullæ pœnæ impositæ sint.

1. De effectibus Simon.

QVamuis omnis Simonia in diuino iudicio puniatur; (de quo iudicio, & pœnis eius agere, ad hunc locum non spectat) non tamen omnes puniuntur Ecclesiastico Iure, cuius pœnas, quæ sunt veluti effectus Simoniæ, nunc explicare aggredimur, & ideò in hoc capite excludemus priùs omnes modos committendi Simonias, quæ pœnis non subiiciuntur, vt expeditior sit doctrina de cæteris pœnis, quæ pro aliquibus Simoniis latæ inueniuntur. Quoniam ergò Simoniæ distinctæ sunt à nobis, & ex parte legis, & ex parte materiæ, & ex parte modi, seu imperfectionis actus, & ex parte pretij, seu permutationis, ideò de singulis dicendum est. Quia verò circa Simoniam contra Ius diuinum nulla est difficultas, ideò primum membrum cum aliis coniungemus, & de aliis tribus sigillatim dicemus. Suppono autem sermonem præcipuè esse de pœnis ipso Iure latis; nam illæ sunt, quæ ad forum conscientiæ maximè pertinent, aliæ verò, quæ per sententiam imponendæ sunt, à Iuristis maximè considerantur. Et ideò de prioribus ex professo loquemur, aliàs verò attingemus saltem vt ab aliis eas distinguamus.

De quibus pœnis sit agendum.

2. Primò ergò ex parte materiæ dubitari potest, An pro Simonia, in quacunque materia cõmissa aliqua pœna incurratur. In quo dubio certum est, nullo Iure antiquo, (scilicet, quod præcesserit, ante Paulum secundum, qui ferè ad te centum quinquaginta annos præfuit,) fuisse latam ipso Iure pœnã aliquam contra omnes Simoniacos. Et omissa pro nunc Simonia in ordine, & beneficio, de cæteris certum hoc est, quia nec in tota causa prima Dec. acti, neque in tit. de Sim. talis pœna inuenitur. Pœna autem ipso facto non incurritur nisi vbi expressis, vel sufficientibus verbis in lege ita declaratur, vt suppono ex dictis in materia de Censur. & de Legib. neq; in his admittendum est argumentum à simili per æquiualentiam, vel excessum delicti, quia in pœnalibus non habet locum extensio iuxta vulgata Iura, c. *Statutum*, de elect. in 6. ca. *Pœna* de Pœni. d. 1. ca. *Odia*, de Reg. iur. in 6. & in eisdem locis allegatis tractatur. Et in specie tradidit Gloss. in Clement. vnic. de Consang. & affin. ver. *Eos*. Pœnæ autem per sententiam ferendæ, sæpè imponuntur in Iure tam contra Clericos, quàm cõtra Laicos, vt videre licet in cap. *Reperiuntur*, & ca. *Quidquid*, cum aliis 1. q. 1. cap. *Sicut Simoniaca*, cap. *De hoc*, cap. *Veniens*, cum similibus, de Simonia.

Ca. *Statutũ*. Cap. *Pœna*.

Ca. *Reperiũtur*. C. *Quidquid*.

Cap. *Sicut Simoniaca*.

Solùm video, dubitari posse circa hanc regulam, quia licet in Simonia occulta certa sit, in publica videtur deficere, semper enim publicus Simoniacus, in quacunq; materia talis esset, eo ipso fuit suspensus, & quoad se, & quoad alios, ita vt nec illi celebrare, nec aliis eius sacris officiis interesse, vel cum illo communicare licuerit; ergo hæc pœna semper fuit ipso Iure imposita Clericis, saltem stante illa conditione de publicitate delicti. Assumptum patet ex verbis Vrbani II. & Gregorij VII. quæ refert Gratianus distinct. 32. §. *Verum*, ibi. *Officium Simoniacorum*, &c. absolutè enim dicit *Simoniacorum*, non determinando ad hanc, vel illam materiam. Intelligendum autem id esse de Simoniacis (quidquid ibi Gloss. dicat) verius est, vt Hugo, Turrecr. & alij exposuerunt. Et constat, quia eodem modo est ibi sermo de Concubinario, & Simoniaco. Ad hoc in primis dicitur, quòd licet illam sententiam admittamus, quam tenet Turrecrem. in dict. cap. *Præter*, referens alios, nihilominùs illa non est pœna Simoniacorum propria, sed est generalis quorundam enormium peccatorum publicorum. Deinde addimus, illam pœnam nec fuisse propriam suspensionem, vel irregularitatem, nec aliam similem inhabilitatem Canonicam, nec etiam nunc incurri ipso facto, donec sententia iudicis intercedat, vt in quinto tomo disput. 31. sect. 4. à num. 4. latè tractatum est. Igitur de illo antiquo tempore, hæc sufficiunt.

3. Dubitatio circa hãc regulam posita.

Vrban. 2. Gregor. 7. Gratian.

Respõdetur dubitationi.

Hugo. Turrecr.

At verò post Extrauagantem secundam de Simonia, inter communes, censent aliqui per Simoniam in quacunque materia consummatam incurri pœnã aliquam saltem alicuius censuræ. Quod dupliciter ex illo textu colligi potest. Primò ex principio eius, in quo confirmantur, & innouantur omnes, & singulæ excommunicationis, suspensionis, priuationis, & interdicti sententiæ, censuræ, & pœnæ à Summis Pontificibus contra Simoniacos quomodolibet latæ, & extenduntur ad omnes Simoniacos, cuiuscunque status, aut eminentiæ fuerint, tam publicos, quàm occultos, & additur. *Quas ipso facto eos incurrere volumus*. Hinc ergo concluditur ratio, quia pœnæ ferendæ pro delicto Simoniæ, latæ sunt in Iure antiquo Pontificio in omni materia Simoniæ, sed omnes illæ nunc incurrunt ipso facto ex vi prædictæ Extrauagantis, vt ex vltimis verbis constat, ergò. Consequentia cum minori patet: maior autem haberi potest ex multis Iuribus 1. quæst. 1. Nam in cap. *Erga* 110. 1. q. 1. de Simoniacis absolutè dicitur, *Eos omninò damnamus, ac deponendos esse Apostolica auctoritate sancimus*. Et in cap. *Quidquid* 101. Excommunicatio ferenda imponitur Clericis vendẽtibus Baptismum, Chrismatis collationem, seu consignationem, & promotionem Clericorum: ex Concil. Tolet. 11. & in c. *Nullus Episcopus*, de vendente communionem dicitur. *Deponatur*, ex 6. Synodo, & in ca. *Baptizandis* 99. dicit Gel. Papa de his, qui Baptismum vendunt, *Certum habentes*, &c. *quòd periculum subituri proprij sint honoris*. Et in cap. vlt. 1. quæst. 3. Innocent. II. contra committentem Simoniam in beneficiis commissam, & in Sacramentis Chrismatis, & sancti olei, & in consecrationibus, *honore* (inquit) *acquisito careat, & emptor, atque venditor nota infamiæ percellantur*. Et aliæ similes comminationes, vel ferendarum pœnarum impositiones in antiquo Iure inueniuntur. Omnes ergo illæ nunc ipso facto propter Simoniam in quacunque materia incurruntur. Secundò de excommunicatione in particulari idem colligitur ex eadem Extrauag. §. *Statuentes*, sic enim habet, *Vniuersi, & singuli, qui quomodolibet dando, vel recipiendo,*

Cap. *Erga*.

C. *Quidquid*.

Concil. Tolet. Cap. *Nullus Episcopus.* *6. Synod.* Cap. *Baptizandis.* *Gelas. Papa.*

4. An nunc Simoniæ pœnę ipso facto incurrãtur.

Simo-

Simoniam, commiserint, aut quòd illa fiat, mediatores extiterint, seu procurauerint, sententiam excommunicationis incurrant. Et statim Summo Pontifici reseruatur. Propter quæ verba Sot. dicto lib. 9. q. 8. art. 2. dicit, per omnem prorsus Simoniam incurri hanc Papalem excommunicationem, & magnam vim facit in verbo, *Quomodolibet*, propter quod, inquit, *Nullius prorsus Simoniaci conscientiam pacare auderem, antequam Summum Pontificem, veleius vicarium adierit.* Et pro hac sententia citatur Redoan. 4. p. cap. 9. num. 19 sed oppositum docet, refertur etiam Paulus Burg. de Irregul. tit. de Simonia, num. 92.

Sot.

Redoan. Paulus. Burg.

5. Vera sententia negat incurri ipso facto Simoniæ pœnas, exceptis tribus. Angel. Sylvest. Redoan. Caiet. Tabien. Nauar. Armil. Vgolin.

Nihilominùs vera, & secura sententia est, pro nulla Simonia incurri pœnam ipso Iure ex parte materiæ, nisi in tribus, scilicet ordine, beneficio Ecclesiastico, & ingressu Religionis. Hæc est communis sententia eorum, qui post dictam Extrauag. scripserunt, Angel. verb. *Simonia* 16. num. 9. Sylvest. quæst. 19. Redoan. transcribens verba Angeli loco citato Caietanus in Summa verb. *Excommunicatio* cap. 72. Tabien. num. 72. Nauarrus dicto cap. 23. num. 111. vers. *Sexto, & Septimo*, Graffis in decisionibus, lib. 2. cap. 97. num. 3. licet in n. 2. videatur cum Sot. sentire, Armil. verb. *Excommunicatio*, in 59. & 60. excommunicatione, & verb. *Simonia*, num. 56. Idem Vgolin. Tab. 1. cap. 12. & Tab. 4. cap. 3. in princ. &, si attentè legatur, idem sequitur Felin. in cap. *De Simoniacè*. de Simon. in fin. Et quidem quod ad exceptionem, seu affirmantem partem exclusiuè pertinet, res est certa, & patebit cap. seq. solùm aduerto, multos ex dictis auctoribus solùm excipere Simoniam in ordine, & beneficio, vt Angel. Sylvester, & Nauar. alij verò, quod in vno loco omittunt, in alio addunt, vt Armil. Vgol. & Graffis. Vnde vel ingressum Religionis sub beneficio comprehendunt, quia Religiosus spirituale officium, & suam præbendam lato modo habere dicitur; vel certè loquuntur specialiter de extrauag. Pauli secundi, & aliam reseruant in suum locum, vt Caiet. suprà aduertit, vel forsasse aliqui eorum indicant, quoad ingressum Religionis reuocatas esse pœnas, quod posteà videbimus, nunc commodiùs, & securiùs illa tria membra excipimus, quæ posteà exponemus, declarando, quid sub singulis comprehendatur.

Sot.

Redoan. Paulus. Burg.

Vgolin.

Felin.

6. Pars negans probatur.

Quoad partem autem negantem de omnibus aliis materiis Simoniæ, nō aliter eam probamus, nisi quia ante dictam Extrauagantem nulla pœna ipso facto incurrenda inuenitur, lata pro Simonia in vniuersum in Iure communi; vt omnes supponunt, & constat ex allegatis textibus, sed in illa Extrauag. lata non est, ergo nullibi. Vt hæc consequentia sit solida, oportet aduertere plures aliàs referri Extrauagantes, vel constitutiones Pontificias: nam Angelus suprà, & Felinus referunt duas Martini V. Vna habetur in Concil. Constantiensi, session. 43 Et incipit, *Martinus*, &c. *Multæ*. Sed illa tractat solùm de Simonia in ordine, beneficiis, & officiis Ecclesiasticis, & ita nihil refert ad causam præsentem. Alia fuit ab eodem posteà edita Mantuæ, & incipit, *Damnabilem*, & habebat clausulam generalem similem priori, quam ex Paulo II. retulimus, vt referunt, ipsam enim videre non potui, nec extat; & fuisse reuocatam ab eodem, refert Felin. suprà ex Antonino. Alia similiter refertur ex Eugenio quarto incipiens: *Cùm detestabile*, Sed illa est eadem, quæ sub nomine Pauli secundi legitur inter Extrauagantes communes, vt notat Redoan & quædam additio ad Felinū, & ita per aliquem errorem, vel æquiuocationem attribuitur Eugenio. Aliam etiam Extrauag. refert Felinus ex Vrbano 4. & posteà videtur referre aliam (nisi error sit in numero propter inuersum literarum ordinem) sed est tantùm vna, quæ est

Extrauagantes variæ recensentur.

1. Concil. Constantiense.

2.

3.

A 1. de Simon. inter communes, & non generaliter, sed specialiter loquitur de Simonia in ingressu Religionis commissa. Ergo quoad hanc partem nulla ratio habenda est Extrauagantium, quæ præcesserunt ante illam Pauli II. Post illam verò, aliam constitutionem edidit Pius V. quæ incipit. *Cùm primum*, & est quinta inter eius constitutiones in Bullario; sed in ea nihil habet, quod ad præsentem rem faciat, nisi quòd præcipit, Extrauagantem Pauli II. inuiolabiliter seruari; posteà verò de Simonia in ordine, & beneficiis specialiter loquitur.

Pius V.

Supereſt ergo probanda minor rationis factæ, quæ probanda est, explicando dictam Extrauagantem quoad duo puncta tacta in fundamento contrariæ B sententiæ, quæ tractaui in 5. tom. disput. 22. sect. 5. à n. 22. Et de priori puncto dixi, non esse verisimile ex vi illorum verborum. *Quas ipso facto eos incurrere, volumus*, nunc incurri ipso facto omnes pœnas ante illam Extrauagantem in Iure antiquo impositas, vt ferendas per sententiam hominis. Quę interpretatio aliquibus difficilis videtur, quia iuxta illam videntur verba illa superflua esse, & nullum habere effectum, nam si antiquæ pœnæ non magis nunc incurruntur de facto, quàm anteà, quid est, quod voluit Papa, cum dixit: *Volumus, eas incurrere ipso facto*? aut quem effectum habuit illa voluntas? Non enim est inefficax, cum potestas Pontifici non desit. Item Martinus V. in 2. Extrauag. ita confirmauit antiquas Simoniacorum excommunicationes, suspensiones, &c. vt voluerit, *eas* C *incurrere ipso facto omnem Simoniacum occultum, vel manifestum, vbicunque Simoniam commiserit.* Ita refert Angelus sentiens, hac intentione fuisse illa verba addita, & in eodem sensu putat, similia verba posita esse in d. Extrauag. 2. seu, *Cùm detestabile*. Et eodem modo loquuntur Sylvest. & Redoan. Propter quod aliqui viri docti sentiunt ex vi illorum verborum omnes pœnas antiquas Simoniacorum, quæ tantùm erant ferendæ, hodie esse latæ sententiæ.

7.

Martin. V.

Angel.

Sylvest. Redoan.

Sed hoc mihi incredibile est, & contra omnē vsum, & omnes Auctores, alias omnes Simoniaci in ordine essent nunc depositi ipso facto, & omnes Simoniaci in beneficio essent priuati ipso Iure omnib. beneficiis, D & sic de aliis, quæ incredibilia sunt, & contra communem sententiam Doctorum, etiam qui post illam Extrauagantem scripserunt, vt ex allegatis patet, & ex dicendis ampliùs constabit. Vnde si verba illa cogerent, dicendum potiùs esset, non esse in illo rigore communi vsu recepta, aut ita intellecta, quod satis est, vt non habuerint suum effectum, vel quia consuetudo illis derogauit, vel quia est optima legum interpres. Addo verò ex Felin. suprà, per illam Extrauagantem solùm esse factam ampliationem pœnarum ad Simoniacos occultos, nam immediatè præcedunt hæc verba: *Et eorum quemlibet tàm manifestum, quàm occultum.* & ideò subiungitur: *Quas ipso facto eos incurrere volumus.* Olim enim licet aliquæ pœnæ essent latæ E ipso facto, non tamen nisi pro publicis Simoniacis, vt erat communior opinio. Voluit ergo Pontifex extensionem facere ad occultos Simoniacos. Non ergo voluit, vt nunc essent censuræ, vel priuationes latæ sententiæ omnes, quæ antea erant tantū ferendæ, sed voluit, vt quæ erant latæ sententiæ pro solis publicis Simoniacis, nunc etiam ipso facto comprehenderent occultos. Et idem sensus optimè quadrat ad verba Martini, qui etiam videtur aliam ampliationem fecisse: nam quia aliquæ pœnæ latæ inueniebātur contra committentes Romæ Simoniam, ille ampliauit eas ad omnia loca, sed illa constitutio, vt diximus reuocata est. Atque hic sensus confirmatur, quia est sufficiens ad proprietatem verborum, & satis explicat effectum eorum, & est mitior; est ergo præferendus

Felin.

8.

in constitutione adeò rigorosa,& pœnali:Et hic addi possunt coniecturæ, quas in citato loco adduxi.

9. Ad 2.punctum respondetur, verba illus §.*Statuentes*, intelligenda esse iuxta subiectam materiam, & inde limitari, etiamsi formalem limitationem non contineant, quia principalis intentio Pontificis ibi fuit, punire hæc duo genera Simoniæ, in ordine, scilicet,& beneficio,vt patet ex clausulis præcedentibus & ex sequenti:in quo notandum est verbum *huiusmodi*, bis in eo additum,scilicet,*& vt huiusmodi labes contagio*, & infrà : *Quos Simoniam huiusmodi commisisse, vel procurasse*.Nam in his vltimis verbis euidens est,limitari Simoniam ad illam tantùm, quæ est in ordine,& beneficio, quia non potest aliud significare, & quia præceptum ibi positum de reuelandis Simoniacis, nunquam est de aliis intellectũ ; ergo in eodem sensu additur priori loco,cum dicitur: *Et vt huiusmodi labes contagio*, *&c.* Ergò signum est etiam in præcedenti, eodem modo sumi Simoniam, & eandem limitationem esse subintelligendam, etiamsi expressè addita non fuerit; nam per verba prædicta refertur vitium, de quo immediatè sermo præcesserat. Quod etiam optimè confirmatur, (vt in allegato loco notaui) ex eodem Paulo II.in Extrauag. *Et si Dominici*, 1.de Pœnit. & remiss.vbi solam Simoniam in ordine,& beneficio ponit inter casus peculiariter sibi reseruatos, quod postea etiam declarauit Sixtus IV. in alia Extrauag.*Et si Dominici*,eod.tit.Ergò signum est,excommunicationes reseruatas latas à Paulo in d. Extrauag. 2. Solùm fuisse contra Simoniacos in illis materiis. Tandẽ expendere possumus, quod Pius V. in d.Constit.post illa verba: *Vt Simoniacæ prauitatis labes prorsus aboleatur, constitutiones omnes nostrorum antecessorum contra Simoniacos editas,& præsertim Pauli II. inuiolabiliter obseruari, mandamus.* immediatè subiungit : *Et delinquentes tam in Sacrorum ordinum,quàm in beneficiorum assecutione statutis etiam inferiùs pœnis affici volumus*.In quibus verbis satis significatur,intentionem Pontificum fuisse semper grauiùs has Simonias, quàm cæteras punire, propter maius detrimentum,quod in vniuersali bono Ecclesiæ ex illis nascitur.

Paulus 2. *Sixtus 4.* *Pius 5.* *Paulus 2.*

10. Circa tria quæ excipiebantur. Circa secundum membrum de modo Simoniæ præcipuè considerandа est distinctio in mentalem, conuentionalem,& realem,applicando illam ad illas tres materias ordinis, beneficij, & Religionis: nam reliquę omnes iam excluſæ sunt.Supponendũ deinde est, sermonem esse de vera Simonia ; nam ficta sicut Simonia non est,ita nec pœnis Simoniæ subiecta est, vt rectè dixit Caiet.q.2.de Simon. Nec Nauarr. contradicit,licet ex alio principio,vt suprà visum est.Præterea de mentali si sit purè interna,ita vt nullum opus externum sit ex illa subsecutum,certum est non comprehendi sub pœnis Ecclesiasticis,imò nec esse capacem illarum, quia iurisdictio humana, etiam Ecclesiastica non extẽditur directè ad actus purè internos, vt nunc supponimus. Si verò mentalis Simonia in externum actum prodiit, dando, vel recipiendo aliquid mente Simoniaca sine vllo pacto tacito, vel expresso,licet valdè probabile sit, posse tale factum per Ecclesiam puniri, de facto tamen non punitur, vt constat ex cap. vlt.de Simon.iuxta verum sensum eius infrà tractandum.

Caiet. Nauar. De Simonia mentali parte interna.

11. De Simonia conuentionali. At verò de Simonia conuentionali pura, dubitari potest, an illa puniatur Ecclesiasticis pœnis. Et ratio est,quia illa est sufficiens materia pœnæ Ecclesiasticæ, vt patet, quia est actus externus,& grauissimum peccatum Simoniæ, ergo de facto punitur per eas leges, quæ puniunt Simoniam circa talem, vel talem materiam.Probatur cõsequentia,quia verba legis in omni proprietate & rigore sumpta, comprehendunt talem actionem, & personas illam committentes. Nam si lex punit Simoniam ; ille contractus essentialiter, & perfectè Simonia est,nam contractus in conuentione ipsa essentialiter consummatur, vt constat Instit. de Emption. &, vendit. in princi.vnde,cum Simonia sit emptio, & venditio, illa conuentio Simonia est: & consequenter sic contrahentes sunt Simoniaci, ac subinde si lex puniat Simoniacos, illos etiam punit. Atque ita sensisse refertur Tancred.inGloss.c.*Tua nos*, de Sim. verb. *Culpabiles*, à qua ipsa non dissentit. Et hanc sententiam sequi videtur Redoan.4.p.c.9.nu.2. & sequentibus, ex quo multa argumenta pro illo depromi possunt ; vnde illam satis rationabilem appellauit Caiet. tom. 2. Opusc.tract.9.q.2.Et contrariam dicit, sola auctoritate fuisse introductam.

Tancred. *Redoan.* *Caiet.*

12. Non incurritur ipso facto. Nihilominùs dicendum est, Simoniam purè conuentionalem non puniri pœnis Iuris ipso facto latis cõtra Simoniacos, ac propterea per hanc Simoniam, conuentionalem non incurri censuras, inhabilitates, vel priuationes, si quæ sunt ipso Iure latæ contra Simoniacos.Hæc est cõmunis sententia Theologorum, & Iuristarum, quos infrà in puncto controuerso de Simonia reali referemus ; nam hîc in re clara non est necesse. Videtúrque mihi non solùm fundata auctoritate scribentium, sed etiam auctoritate Iuris, & ratione. Vtrumque ostendo in hunc modum;quia Iura punientia Simoniam non vtuntur verbis significantibus conuentiones Simoniacas solas, sed dationes, vel receptiones ex talibus conuentionibus procedentes ; seu regulariter non vtuntur verbis indicantibus solùm Simoniæ vitium, sed actionem Simoniacam; ergo ex vi talium Iurium non incurruntur pœnę illorum per Simoniam merè conuentionalem. Antecedens declaratur optimè in Extrauag.2.de Simon.qui textus, vt videbimus, est præcipuus inter omnes, qui de pœnis Simoniacorum loquuntur. In illo ergo punitur. Simonia in ordine hoc modo: *Qui Simoniatè ordinati fuerint,&c.* qui autem fecit conuentionem de recipienda ordinatione Simoniacè, quandiù non ordinatus est,non deliquit formaliter,& cõpletè contra illam legem.Simili modo punitur Simonia in beneficio,directè exprimendo actionẽ. *Per electionem,postulationem,confirmationẽ,&c.*Et infrà devtraque. *Qui quomodolibet dando,vel recipiendo Simoniam commiserint, &c.* Et similiter in Extrauag.1.circa ingressum Religionis priùs prohibentur actiones exigendi, vel petendi aliquid pro ingressu, & subditur. *Sed eas potius cum omni pietate recipiat*, & posteà , *qui secùs egerit* ; donec ergo intercedat receptio non gratuita , non fit formaliter, & completè contra illam legem.

Extrauag. 2. *Extrauag. 1.*

13. Cap. *Presbyter.* Cap. *Quisquis.* Cap. *Quos constiterit.* Cap. *Reperiuntur.* Similiter loquuntur antiqua Iura 1.q.1.c. *Presbyter si per pecuniam Ecclesiam obtinuerit*,& c. *Quisquis per pecuniam ordinatur*:& c.*Quos constiterit*,*&c. Sacram mercatos esse pretio dignitatem.* In c. autem *Reperiuntur*, cum dictum esset, multos velle mercari gratiam Spiritus S. ita statim explicatur: *Dum vile pretium donant, vt Pontificalis ordinis sublime culmen accipiant*,& infrà: *Quicunque propter accipiendam Sacerdotij dignitatem* (vtique quam de facto habet) *quodlibet præmium fuerit detectus obtulisse*. Quod magis infrà declaratur, dum dicitur: *Ille, qui hunc ordinem munerum fuerit datione lucratus*. & cap sequent. *Si quis Episcopus per pecuniam ordinationem fecerit*. & infrà : *Aut promoueri per pecuniam, dispensatorem, aut defensorem*, *&c.* & cap. 100. *Nullus Episcopus, aut Presbyter , aut diaconus, qui sacram dispensat communionem* & infrà : *Si quis ab eo, qui Sacram communionem dispensat, aliquod pretium exegerit , &c.* Et multa in q. similia sunt in Decretis sequent.&1.q.2.per totam,& etiam 3. præsertim cap. 1. *Qui sub munerum datione, vel acceptione Dei Ecclesias , vel earum sibi beneficia vsurpant.* & cap. *Saluator. Qui easdem res ad propria lucra largitur,vel adipiscitur*,& cap. *Ex multis. Hoc malum inualuisse*

Ca. *Saluator.* Ca. *Ex multis.*

tualuisse cognouimus, vt nulli beneficium Ecclesiasticum concederetur, nisi ei, qui profano pecuniæ munere illud emere studuisset. Neque aliter loquuntur Iura Decretalium de Simonia. Licet enim interdum vtantur verbo vendendi, attentandi, vel similibus; quando veniunt ad pœnas imponendas etiam per sententiã, vtuntur his, vel similibus verbis: *Tam ille, qui dederit, quàm ille, qui receperit*, c. *Non satis*, vel, *si qui fuerint, quos in prædictis Ecclesiis publicum, ac notorium sit Simoniacè intrasse*, vt dicitur in cap. *Insinuatum*. Et in alio dicitur: *De Simoniaco ordinatis §.* De Simon. Et similia multa sumi possunt ex aliis, ex quibus satis constat, Ius punire directè actiones ipsas Simoniacas, non puros contractus per quæ Iura explicanda sunt alia, si aliis verbis loquantur.

Cap. Non satis. Cap. Insinuatum.

14. Prima verò consequentia probatur, quia pœna per legem imposita non incurritur, donec actio mala eo modo, quo per legem exprimitur, & punitur, committatur, & compleatur, sed actio prohibita, & punita per hæc Iura, non completur in sola conuentione, ergo per illam solùm non incurruntur pœnæ Simoniacorum. Et hæc ipsa est ratio à priori conclusionis, quia leges pœnales sunt stricti Iuris, & ideò in eis, vt pœna incurratur, non attenditur sola culpa, vel malitia apud Deum, sed etiam actio ipsa materialis peccati, quatenùs per verba legis significatur, imò si verb. significant actionem cum effectu consummato, non intelligitur pœna incurri, donec effectus subsequatur; ergo etiam in præsenti materia leges pœnales ita interpretandæ sunt, nam est eadem ratio: Ostensum est autem, verba legum non tantùm significare culpam Simoniæ, sed postulare etiam determinatas actiones, quæ vltra conuentionem dicunt executionem; ergo sola conuentio Simoniaca non est materia talium pœnarum. Consequentiæ sunt claræ. Primum verò antecedens in se includit probationem, scilicet, quia hæ leges sunt odiosæ, ideóque restringendæ. Et quoad pœnas, quæ ipso Iure incurruntur, vt sunt Censuræ, Irregularitates, & similes, in tom. 5. de Censuris ostensum est; éstque quasi commune axioma ab omnibus receptum: Hac enim ratione non fit irregularis, qui ex parte sua vulnus ad mortem sufficiens intulit, donec effectus re ipsa sequatur, & sic de aliis.

15. Soluitur fundamentum contrarium. Atque ita facilè solutum est fundamentum prioris sententiæ: Verum enim est, Simoniam conuentionalem posse ab Ecclesia puniri, dicimus tamen, hactenus non esse punitam saltem per pœnas ipso facto incurrendas, quia verba legum non loquuntur de Simonia, aut peccato Simoniæ vtcunque, sed sub verbis significantibus executionem Simoniacã, vt ostensum est. Quoad pœnas verò per iudicem imponendas (licet hoc ad nos non pertineat) non est dubium, quin possit iudex Ecclesiasticus conuentionem Simoniacam, si publica sit, vel ad eum deferatur, & probetur priùs, quàm executioni mandetur aliquo iusto modo punire, quia illud est graue delictum, & contrarium moribus honestis Ecclesiæ, & scandalosum, & ideò per Ecclesiasticum iudicem corripi, & puniri potest, iuxta ca. 1. de offic. ordin. Tamen non poterit pro illo imponi ordinaria pœna Simoniacorum, sed arbitraria iuxta qualitatem, & circunstantiam delicti, quia illud delictum non est consummatum in ratione Simoniæ Ecclesiasticæ (vt sic dicam) sed quasi attentatum, seu inchoatum, pro delictis autem huiusmodi non debet imponi ordinaria pœna nisi vbi lex id exprimit, vt constat.

16. Non sufficit datum pretium ad pœnas incurrendas ipso facto. Caiet. Sot. Nauar. Imò vlteriùs ex dictis infero, quòd licet Simonia conuentionalis ad executionem processerit ex parte ementis, & non ex parte vendentis rem spiritualem, id est, licet datum sit pretium, si res spiritualis non est data, vel accepta, nondum est sufficiens ad pœnas Simoniæ ipso facto incurrendas. Ita etiam docent Caiet. Sot. Nauar. & plures alij infrà referendi, neque in hoc est iam controuersia. Potéstque ex dictis probari, quia talis Simonia simpliciter censetur tantùm conuentionalis, vt suprà vidimus, sed per conuentionalem Simoniam non incurruntur pœnæ, vt proximè diximus, ergo. Secundò videtur probari efficaciter ex dictis Iuribus, semper enim requirunt traditionem rei spiritualis, vt patet ex illis verbis: *Qui ordinati Simoniacè fuerint, qui pretio Ecclesiã obtinuerint*, & similia: vnde quoties dicitur, *dantes*, vel *accipientes*, intelligitur maximè de dantibus, vel recipientibus spiritualia, vt ex contextu constat, & ex directa intentione Iurium, quæ est, impedire hanc sacrilegam acquisitionem rerum spiritualium, eámque punire. Et ratio etiam potest ex suprà dictis reddi; quia donec res spiritualis contractetur (vt sic dicam) non est satis completa irreuerentia, quæ contra illam fit. Sicut in percussione Clerici, licet actio ad percussionem tendat, vel iaculatio in eum directa sit, si cum effectu illum non attigit, licet sit sacrilega, non sufficit ad pœnas Canonis, ita ergo est cum proportione in præsenti.

17. Vtrum res spiritualis data ante pretij accepti-onem sufficiat ad Simoniam. Maior verò difficultas est, quando è contrario Simonia est consummata ex parte vẽdentis, seu ex parte rei sacræ, non verò ex parte pretij, quia nimirum ordo, aut beneficiũ collatum est sub pacto, & promissione rei temporalis, pretium autem nondum est solutum. Nam si ex vtraque parte sit consummata, extra omnem controuersiam est, illam esse propriam Simoniã punibilem, seu cum effectu punitam ab Ecclesia, quia nihil ampliùs desiderari potest. Et quia tunc verba legis integrè, & secundùm completam, & rigorosam significationem applicantur, & executioni mandantur. Imò addit Nauar. & omnes, qui ex vtroque capite complementum postulant, sufficere, quamcunque partem pretij esse solutam ad complementum Simoniæ punibilis, etiamsi nondum totum pretium solutum sit. Et ratio reddi potest: Quia ad actionem completè Simoniacam satis est, quòd pro pretio fiat, siue paruo, siue magno, quòd enim spiritualis res cariùs, aut viliùs vendatur, id non variat rationem eius, maximè in ordine ad Ecclesiasticas pœnas, quando autem pretium cœptum est solui, etiam pro minima parte, & res spiritualis est tradita, iam vendita est pro aliquo reali pretio accepto: consummata ergò est ex vtraque parte Simonia, non minùs quàm si à principio conuentum esset de sola illa minima quantitate pecuniæ, & soluta esset tanquam integrum pretium. Sicut è contrario si pactio esset facta de conferendis septem ordinibus pro centum aureis, & illis solutis, inciperet ordinatio fieri, statim in primo gradu esset consummata Simonia, & pœnæ incursæ, non minùs, quàm si pro illo solo totum illud pretium esset receptum. Igitur Simoniam realem ex vtraque parte consummatam quoad totam materiam, vel quoad quamcunque eius quantitatem ex vtraque parte, certum est sufficere ad pœnas, quæ ipso facto imponuntur. Tota ergò difficultas quoad hoc punctum versatur circa Simoniam realem ex parte solius rei spiritualis, quæ tradita est, pretium autem non est numeratum cum effectu, sed promissum. Hæc verò difficultas maximè pendet ex verbis legum Ecclesiasticarum, & ex vsu Ecclesiæ, & ideò non potest commodè tractari, nisi descendendo ad particulares pœnas; quod in sequentibus capitibus faciemus, ibíque rem totam meliùs explicabimus.

Sufficit quæcunque particula pretij accepta.

18. An Simoniacus contra prohibitio-

In tertio puncto de Simonia ex parte pretij, seu permutationis potissima dubitatio occurrit, An Simonia, quæ in permutatione beneficiorum committi

nem Ecclesiæ ipso facto incurrat pœnas.

poteſt, & in vniuerſum omnis illa quæ ſolùm eſt contra prohibitionem Eccleſiæ, ſubiiciatur pœnis contra Simoniacos latis. Aliqui enim Doctores negantem partem defendunt, maximè quoad pœnas ipſo Iure latas. Citantur pro hac ſententia Caſador. deciſ. 5. de Conſtit. Nauar. in c. *Si quando*, de Reſcrip. Except. & in Manual. c. 23. n. 105. in fine. Et Couar. lib. 5. Var. c. 5. n. 3. in fine, & n. 5. Sed omnes hi malè citantur. Quia Caſador. ſolùm ibi defendit, pœnas non incurri ipſo facto, niſi per Simoniam realem. An verò neceſſe ſit, illam Simoniam committi per largitionem rei temporalis, vel ſufficiat permutatio ſpiritualis pro ſpirituali prohibita, non tractat. Couar. autem ibi non agit de pœnis, ſed ſolùm obiter dicit, per renunciationem ſub conditione, vel in fauorem conſanguinei, non committi veram Simoniam, quod alterius quæſtionis eſt, vt ſuprà vidimus c. 35. & infrà de pœna illius nonnihil dicam. Nauar. autem apertè docet contrarium, vt ſtatim oſtendam. Sequuntur ergo hanc partem Aragon. citans dictos Auctores, 22. q. 100. art. 6. dub. penult. Petr. Nauar. lib. 2. de Reſtit. c. 2. n. 436. Et probabilem putant aliqui moderni, licet fateantur eſſe contra communem Doctorum. Dicunt ergo hi Auctores, non eſſe excommunicatos, aut priuatos beneficiis ipſo Iure permutantes beneficia ſine licentia Superioris, etiam ſecuta traditione ex vtraque parte. Imò addit Petr. Nauar. idem eſſe de reſeruantibus ſibi penſionem ſine Papæ auctoritate. Fundamentum eorum eſt, quia verba legis pœnalis reſtringenda ſunt ad ſignificationem omninò propriam & rigoroſam; ſed dictæ permutationes beneficiorum, & ſimiles lapſus contra Ius poſitiuum non ſunt Simonia in omni proprietate, & rigore: ergo.

Mai. 4 d. 25. qu. 2. Paraſi. lib. 4. Conſt. 29. & 30.

Couar.

Nauar.

Aragon.

Petr.

Nauar.

19. Reiicitur pars negatiua.

Hæc verò ſententia mihi non videtur probanda. Non poteſt enim pro generali ſtatui pœnas generatim latas Iure contra Simoniam, ſiue ſint ferédæ, ſiue latæ ſententiæ, non comprehendere Simonias ipſo Iure prohibitas. Imò contrarium cenſeo pro regula ſtatuendum, & addendam eſſe exceptionem, niſi ex verbis legis aliud conſtare poſſit: ſicut è conuerſo, cum generalis regula ſit, pœnas maximè cadere in Simoniam contra Ius diuinum, nihilominùs talia eſſe poſſunt verba legis, vt puniant aliquam Simoniam contra Ius humanum, vel impropriam, & ad aliàs propriiſſimas non extendantur. Probo ſingula: Et in primis regulam illam tradit Gloſſ. communiter ibi probata in c. *Ex parte*, 1. de offic. de leg. loquens in particulari de renunciatione Simoniaca. Et in pœna irritationis collationis Simoniacæ hæc eſt cõmunis ſententia Doctorum, vt infrà videbimus. Et de pœna excõmunicationis apertè id docet Redoan. referens plures 3. p. c. 8. Denique ſententiam hanc clarè ſupponit Nauar. in d. c. *Si quando*, except. 4. nam Ius principio illius proponit factum Simoniacum contra Ius tantùm Eccleſiaſticum, nimirum, pactum conſentiendi in regreſſum factum in fauorẽ vnius ſub obligatione conſentiendi in ſimilem regreſſum alterius præbendæ in fauorem alterius perſonę, quam conſtat eſſe permutationem beneficiorum cum admixtione renunciationum in fauorem tertij, quæ omnia ſunt tantùm contra Ius humanum. Et tamen n. 2. concludit, talem Simoniam puniri in Extrauag. 2. Pauli I I. & in nu. 3. addit doctrinam, quòd illæ pœnæ non habent locum in conuentionali Simonia non completa ex vtraque parte. Et explicat n. 5. excuſationem non cadere in factum, de quo tractat, *quia deuentum fuit* (inquit) *ad dationem promiſſorum, quia cum effectu data ſunt beneficia.* Et in n. 6. obiicit ferè fundamentũ contrariæ ſententiæ, quia ibi non eſt datum temporale pretium, ſine quo non eſt Simonia realis, & reſpondet, negando minorem, nam quando Simonia eſt per illicitam permutationem ſpiritualium, per traditionem vtriuſque partis fit realis, & capax pœnarum. Et addit (quod notandum eſt) *Et hoc Iure ſacræ pœnitentiariæ prætorium vtitur.* In alio item loco cap. 23. n. 105. nihil dicit repugnans: imò generalem doctrinam tradit omnes has Simonias comprehendentem, & ſimiliter de illis generaliter ait, in d. Extrauag. Et ſpecialiter dicit, renũnciationem non valere ex vi dictæ Extrauag. At renunciatio ſolo Iure Eccleſiaſtico prohibita eſt, vt ſuprà vidimus: ergo ſentit, Extrauagantem extendi ad ea, quæ ſunt prohibita Iure Eccleſiaſtico: idque multis exemplis euidẽtiſſimè declarat n. 107. §. *Aduertium*, & ſequentibus. Reliqui Doctores vel indiſtinctè loquuntur de Simonia reali, quando dicunt, per Iura, & potiſſimè per illam Extrauagantem puniri, vel ſupponunt, illam Simoniam, quæ eſt in permutatione beneficiorum, & ſimiles eſſe veras Simonias, vt ſuprà vidimus.

Gloſſ.

Redoan.

Nauar.

A

B

Poteſt igitur ſuaderi hæc ſententia ex Iure antiquo, quatenus in eo ſimpliciter damnantur hæc pacta vt *continentia labem Simoniæ*, cap. *Cùm olim* ca. *Quæſitum*, de Rerum permutatione. Item non parum vrget cap. *De hoc* de Simonia. Vbi perpetua depoſitione punitur Simonia commiſſa per promiſſionem beneficij, pro ſuffragio in electione ad Epiſcopatum, tanquam *grauiſſimum ſcelus*, vtique Simoniæ, & tamen illa Simonia eſt, quia prohibita. Et licet in his antiquis Iuribus hæc Simonia non puniretur cenſura lata ipſo Iure, tamen rectè oſtendunt, de qua cenſura loquantur nouiora Iura, quæ illam imponunt. Vnde probatur ex d. Extrauag. 2. de Simonia, quæ ſic incipit. *Cùm deteſtabile ſcelus Simoniæ tam diuinorum, quàm ſacrorum Canonum auctoritas abhorreat, atque damnet.* Loqui ergo intendit ibi Pontifex de Simonia non ſolùm diuino Iuri, ſed etiã ſacris Canonibus contraria. Deinde ſtatim confirmat omnes pœnas à Romanis Pontificibus contra Simoniacos *quomodolibet latas.* Sacri autem Canones indifferenter puniunt Simonias contra Ius diuinum, & humanum, vt patet ex capitibus allegatis, & aliis, quæ habentur 1. q. 3. Et aduerbium illud *quomodolibet*, multùm ampliat. Denique, eiſdem verbis vtitur, ferendo pœnas, ait enim. *Qui quomodolibet, dando, vel recipiendo, Simoniam commiſerint*, item, *Quas contigerit Simoniaca labe fieri.* His enim verbis vtuntur alia Iura ad explicandã hanc Simoniam: ergo ex vi verborum comprehenditur ſub pœnali lege, ſed nec conſuetudo, nec ſtylus Curiæ, nec antiqui Doctores talem exceptionem fecerunt, ergo non eſt admittenda.

C

D

20.

Cap. *Cùm olim.*

Cap. *Quæſitum.*

Cap. *De hoc.*

Extrauag. 2.

Ratione deinde confirmatur, primò quia licet Simonia ſit contra ſolùm Ius Eccleſiaſticum, nihilominùs eſt vera Simonia, & ſimpliciter talis: ergo in omni rigore comprehenditur ſub generali lege puniente Simoniam in tali materia, quantum eſt parte vocis Simoniæ, ſi aliunde non colligatur limitatio. Sicut lex lata generaliter contra committentes ſacrilegium in loco ſacro, non minùs comprehenderet committentes ſacrilegium cõtra legem Eccleſiaſticam ſolam, quàm contra diuinam. Secundò ſiue ſpeculatiuè illæ Simoniæ diſtinguantur ſpecie, ſiue non, & ſiue vna ſit magis propria, quàm alia, tamen ad intelligendas leges magis eſt attẽdendus vſus Iurium, quàm illa ſpeculatio, at verò Iura Canonica indifferenter vtuntur illa voce, & eiſdem verbis deteſtantur, & exaggerant contractus Simoniacos contra Ius Eccleſiaſticum, & contra Ius diuinum, vt ex ſæpè allegatis cõſtat; ergo. Tertiò, etiam Durandus, qui negat Simoniam contra Ius Eccleſiaſticum veram quoad culpam, dicit ita vocari, quia ſubiicitur pœnis veræ Simoniæ. Denique ſub opinione eſt, An pecuniam exigere pro Eccleſiaſtico beneficio ſit Simonia contra Ius diuinum, vel humanum, & nihilominùs certum eſt, illam eſſe in

E

21.

Iure

Iure propriam Simoniam,& maximè puniri: ergò nõ poteſt cum fundamento illa regula cõſtitui,ſed quòd pœnæ latæ contra Simoniam generatim, nõ comprehendant Simoniam prohibitam ſed contraria potiùs regula ſtatuenda eſt,contra quam nihil obſtat fundamentum contrariæ ſententiæ,vt ex dictis patet.

12. Exceptio in aſſertione poſita declaratur.

Addidi verò exceptionẽ, niſi ex verbis aliqua talis reſtrictio colligatur:nam tunc clarum erit, legiſlatores non voluiſſe,talem Simoniam comprehendere vt v.g. in lege puniente Simoniam in beneficiis rectè dicimus, non extendi pœnam ad venditionem penſionis,non quia illa venditio ſit contra Ius poſitiuum, hæc enim ratio non ſufficeret, ſed quia penſio non eſt ſtrictè beneficium, nec propriè, & lex pœnali reſtringenda eſt ad proprietatem vocis, & ita illa exceptio ſit ex parte materiæ, non ex qualitate Simoniæ B contra Ius diuinum,vel humanum. Qui modus exceptionis non habet locum in permutatione beneficiorum,vt conſtat,multóque improbabiliùs eſt, excipere Simoniam, quæ committitur, dando beneficium pro penſione ex pacto priuato, quia illa Simonia,& eſt in beneficio, & contra Ius diuinum, quia reuera datur beneficium pro pecunia,vt ſæpè dictum eſt. Similiter in lege puniente Simoniam in officiis Eccleſiaſticis, eſt probabile,non comprehendi officia temporalia,vt Oeconomi, Aduocati, quia non videntur eſſe officia Eccleſiaſtica rigoroſè,& propriè,quãuis res ſit dubia. Certius exemplum eſſet de Iure Patronatus,quod ſub tali lege non comprehenditur, non quia ſit Simonia contra Ius Eccleſiaſticum,illud vendere,ſed quia non C eſt officium Eccleſiaſticum.Simili modo potuiſſet dubitari de lege puniente Simoniam in Ordine,An comprehenderet primam tonſuram,etiamſi talis Simonia ſit contra Ius diuinum, quia tonſura in rigore non eſt Ordo,de quo infrà.

25 Tandem addidi ad maiorem explicationem,etiam poſſe è contrario contingere,puniri per legem Simoniam contra Ius humanum,&non contra diuinum,vt conſtat in excommunicatione lata contra Simoniam confidentialem,quæ tota contra Ius humanum eſt, vt ſuprà eſt declaratum, & tamen illa pœna non extenditur extrà illam materiam.Idem eſt de cenſura lata à Pio V. contra renunciantes beneficia aliter quàm ab ipſo præſcriptum fuit, & ſic de aliis. Et ratio eſt, quia interdum Iura puniunt grauiùs quædam delicta contra Ius humanum ,quàm alia contra diuinum, quia D frequentiùs committuntur, vel pernicioſiora ſunt communitati.Concludimus ergò,non eſſe diſtinguẽdam Simoniam punibilem,vel punitam ex parte pretij,ſeu doni,pro quo ſpirituale commutatur, ſi prohibita eſt commutatio,nec ex parte Iuris, quo prohibetur,ſed ex actu prohibito, & materia circa quam verſatur Simonia,conſideratis verbis legis pœnam ferentis.Et hæc videntur in generali ſufficere, iam ad particularia deſcendamus.

CAPVT LVI.

De cenſuris, vel Canonicis impedimentis, quæ, propter peccatum Simoniæ,ipſo Iure incurruntur.

1. OMnes Simoniacorum pœnas, licet variæ numerari ſoleant, ad duo capita reuocamus, ſub E quibus omnes comprehendemus, quas in particulari numerabimus. Primum caput,eſt cenſurarũ, ad quas reuocamus alia impedimenta Canonica,vt ſunt irregularitas,infamia,& ſiqua alia ſunt huiuſmodi.Secũdum caput, eſt priuatio omnium bonorum, ſiue ſpiritualium, ſiue temporaliũ per Simoniam acquiſitorum,ſub quo etiam complectimur priuationem aliorum beneficiorum,ſi fortaſſe hæc per aliquam Simoniã incurritur.Nec verò nunc affirmamus, omnes has A pœnas per aliquãm Simoniam induci,id enim in diſcurſu examinandũ eſt, ſed dicimus, omnes pœnas Simoniæ,de quibus inquirere oportet,ſub his capitibus contineri,nam aliæ, quæ per ſententiam iudicum imponi poſſunt, ad nos non ſpectant, & ordinariè arbitrariæ ſunt,ſi fuerint verò in Iure poſitæ,eas non omninò prætermittemus. In hoc ergo capite de Cenſuris,in ſequentibus de aliis priuationibus dicemus.

Primò ergo dicẽdum eſt,per Simoniam in ordine, 2.
in beneficio,& in ingreſſu Religionis,incurri excommunicationem maiorem, Papæ reſeruatam. Probantur ſingulæ partes. Et primùm de Simonia in ordine dubitari poteſt, An in Iure antiquo lata ſit hæc excommunicatio.Aliqui enim affirmant: Primo ex cap. *Reperiuntur*, 7. 1. qu. Vbi contra ordinatum Simoniacè dicitur, *Ex eodẽ tempore ſe nouerit anathematis opprobrio condemnatum.* Sed in primis Ius illud non eſt Pontificium,ſed ex Ambroſio ibi refertur, habetur autem in Conc.Tol. 8.c. 3.Præterea, in eo non de omni ordine,ſed de ſolo Epiſcopatu videtur eſſe ſermo. Nam in principio ſic dicitur, *Vile pretium donant, vt Pontificalis ordinis ſublime culmen accipiant.* Infrà verò dicitur. *Quicunque deinceps propter accipiendam Sacerdotij dignitatem os.* Videntur autem hæc verba iuxta priora eſſe intelligenda, rectè enim Pontificatus Sacerdotij dignitas appellatur. Ex illo ergo textu non colligitur vniuerſaliter hæc cenſura. Deinde Gloſſ. ibi dubitat, An ibi nomen anathematis propriè ſumatur pro excommunicatione,aut pro ſola,*remotione à participatione corporis,& ſanguinis Domini*:nam hæc fere verba in textu adduntur ad explicandam illam pœnam,quã Gloſſa vocat *ſeparationem à corpore, & ſanguine Chriſti.* Præpoſitus autem ſuſpenſionem vocat, & ita dicit, illum eſſe Canonem latæ ſententiæ, contra Simoniacos, quantum ad ſuſpenſionem, non quantum ad excommunicationem,& preterea,illam etiam ſuſpenſionem ait non incurri,donec delictum publicum ſit,propter illa verba textus. *Ex quo conſtet, execrabile Chriſto præparaſſe flagitium.* Et eandem ſententiam ſequitur ibi Turrec. nu. 3.referens Hugonem Raymund.& Vlricum. *Et concordant* (addit) *alij Doctores.* Ex hoc ergo textu parùm probatur.

1. Aſſertio.

C. *Reperiuntur.*

Concil. Tolet.

Turrec.

Poteſt tamen illa cenſura tàm pro ordinante,quàm 3.
pro ordinato,ſaltem quoad ſacros ordines, ſumi ex c. *Quicunque ſacros* 12.1.q. 1. Quod creditur eſſe Gregorij,aut Paſchalis,& in eodem dicitur. *Scriptum eſt anathema danti; anathema accipienti, hoc eſt Simoniaca hæreſis.* Sed vt verba ipſa præ ſe ferunt, & omnes exponunt, rectè intelligitur anathema ferendum, vt idem ſit, *anathema danti*, ac ſi diceretur,*anathematizetur dãs*, idémque de accipienti.Præterquàm quòd citati Doctores per anathema,intelligunt ſeparationem à Clericali munere, ſeu ab officio altaris. Et eodem modo intelligitur cap. *Placuit* 1. aliàs 22. eadem cauſa, & quæſtion. Ex Concil. Brachar.2.capit. 3. quod eſt antiquius Gregorio, & Paſchali, & tamen in eo etiam antiqua Patrum definitio allegatur, quæ ita ſtatuit, *anathema ſit danti, & accipienti.* Vbi Turrecremata dicit, Patres illos fuiſſe Concilij Niceni,ſed locum non deſignat.Ego ſolùm reperio in Canon.80.illius Concilij ex Arabico tranſlatis in 49. Sic haberi, *Vt nullus audeat ordinare Epiſcopum,aut Sacerdotem,aut diaconum, pro quauis re data, ſiue ante ordinationem, ſiue poſt, & qui ſecùs fecerit,deponatur, & quicunque contradixerit, Synodus eum excommunicat.* Et hic Canon cenſetur allegari in capit. *Peruenit*, 1. quæſtion. 3.& 16. quæſtion. 7.Vbi contra Epiſcopos, qui beneficia, ſeu Iura Decimarum, & oblationum Laicis conferunt, dicitur. *Sicut Nicena ſynodus de Simoniacis cenſuit, & qui dat Epiſcopus, & qui recipiunt ab eo Laici ſiue pretio, ſiue beneficio, æterni incendij ignibus deputentur.* Ex quibus vltimis

C. *Quicunque ſacros.*

Cap Placuit.

Conc. Erach.

Cone. Nicen.

C. *Peruenit.*

Synod. Nic.

vltimis verbis clarè constat, nullam excommunicationem pro illa ferri. In prioribus autem verbum, *Deponatur*, clarè significat pœnam ferendam, illud verò, *Synodus eum excommunicat*, magis videtur continere sententiam latam: sed expendo, non ferri contra sic ordinantem, sed contra eum, *qui contradixerit*, quo verbo significari videtur, qui per hæresim, vel schisma damnationi illius criminis contradixerit. Præterquàm quòd ille Canon vsu receptus non est: imò non est omninò certus. Concludo igitur, ex solo Iure antiquo non satis probari hanc excommunicationē ipso Iure latam, & ideò in tomo de Censuris inter excommunicationes in Decreto latas hanc non posuimus, secuti Nauar. Caiet. Sylvest. & alios. Et ita etiam docuerunt expressè Præpos. & Turrec. cum aliis suprà citatis, & sentit Innoc. in cap. *Tanta*, de Simon.

Præpos. Turrec. Innoc.

Probanda est ergo hæc assertionis pars ex Iure nouo, quod habetur in Extrauag. Pauli II. *Cum detestabile*, de Simonia inter communes. Vbi postquàm de Simonia in ordine mentionem fecerat, subdit censuram excommunicationis latæ sententiæ, & Papæ reseruatæ contra omnes, *Qui quomodolibet dando, vel recipiendo Simoniam commiserint, aut quòd illa fiat, mediatores extiterint, seu procurauerint*. Quæ verba iuxta communem interpretationem cadunt in vtramque materiam præcedentem, vt latiùs diximus in 5. tomo disp. 22. sect. 5. numero 25. Et optimè confirmatur ex dictis, & allegatis in cap. præced. solùm potest hîc inquiri, quid nomine Ordinis in hac materia intelligatur. In quo solùm de prima tonsura potest esse dubium, quia de septem Ordinibus nullum est, nec de Episcopatu esse debet: tum quia probabilius forte est, esse verum ordinem: tum etiam quia Iura maximè de illo loquuntur, cum de Simonia tractant, vt ex citatis constat, & in eodem sensu loquuntur nouiora Iura: tum etiam ratio huius prohibitionis non minùs, imò quodammodo magis vrget in consecratione Episcopi, quàm in aliis ordinationibus.

Extrauag. Pauli. 2.

5. An prima tonsura spectet ad Simoniam.

De Tonsura verò prima videtur esse posse dubium, quia non est verus ordo, & pœnæ sunt restringendæ. Et ita videtur sentire Lessius d.cap. 35. dub. 23. Contrarium verò sine vlla probatione, vel allegatione affirmat Vgolinus, Tab. 4. cap. 3. n. 2. & cap. 4. num. 1. Et mihi videtur verum, quia per primam tonsuram simpliciter constituitur aliquis in ordine Clericorum, & hoc solet intelligi in Iure nomine ordinationis, & in hoc sensu, tonsura est ordo. Item quia Simonia in ordine quoad alias pœnas, comprehendit Simoniam in collatione, vel acceptione tonsuræ, vt statim videbimus. Denique quia verba illius Extrauagantis valdè generalia sunt, quomodolibet dantes, & accipientes. Addit verò Vgolin. extensionem ad Notarium, vel ministrum, qui pro literis dimissoriis, vel sigillo, aliquid accipit, quam sumpsit ex Salzedo id additione ad pract. Bernard. cap. 91. ver. *Quinto*. Qui dicit, ita esse dispositum in Concil. Trident. sess. 21. cap. 1. Sed Concilium ibi nullam talem extensionem ponit, sed concludit. *Qui secùs fecerint tam dantes, quàm accipientes vltrà diuinam vltionem, pœnas à Iure inflictas ipso facto incurrant*. Vbi non imponit pœnam nouam, sed confirmat pœnas à Iure inflictas, vt benè expendit Lessius suprà dub. 24. Non est ergo verisimile, incurrere hanc censuram, qui absque Simonia ordinem suscepit, etiamsi posteà det aliquid pro titulo, cum ex vi dictæ Extrauagantis illam non incurrat, quia non potest dici ordinem Simoniacè suscepisse, nec pro illo aliquid dedisse, & idem censeo de Notario, & similibus. Imò si Episcopus purè ordinem dedit, licet posteà aliquid gratis oblatum accipiat, & peccet contra Concilij præceptum, non tamen hanc excommunicationem incurret, quia à Iure inflicta non est pro illo crimine. Et si Concil. voluisset de nouo illam imponere, certè clariùs expressisset, cum sit grauissima pœna, & valdè dura pro tali delicto.

Vgolin. Lessius.

Lessius.

Secunda pars assertionis, quæ est de Simonia in beneficio facilis est, nam licet pro illo crimine, antiquo Iure non fuerit imposita excōmunicatio ipso facto, in nouo prædictæ Extrauag. 2. de Simonia expressè lata est, & confirmata per dictam Const. 5. Pij V. & non indiget noua declaratione, præter traditam in materia de Censuris. Solùm posset interrogari, quid nomine beneficij in illa materia intelligendum sit, sed hoc explicabimus ca. seq. tractando de nullitate collationis. Nunc solam hanc generalem regulam statuimus, per illam Simoniam in beneficio, excommunicationem illam per se incurri, quæ sufficit ad irritandam beneficij acquisitionem, nam vtraque pœna in eandem materiam cadit, vt ex contextu constat, & ibi ampliùs explicabimus. Dico autem per se, quia sine peccato non incurritur excommunicatio, & ideò si ignorantia excuset à culpa, excusabit ab excommunicatione, esto, non faciat collationem esse validam, vt videbimus. Denique quoad personas, extenditur illa censura ad quoscunque conferentes, & acquirentes, atque etiam ad mediatores: sicut etiam extenditur in Simonia in ordine, vt ex textu constat, & notauit Caiet. in Summa ver. *Excommunicatio*, cap. 72. Addunt præterea Sylvest. & Anton. extensionem huius censuræ ad scientes, & non reuelantes, sed hæc extensio non habetur in illa Extrauag. sed solùm præceptum, de quo in 5. tom. latiùs dixi. Proponit item Nauar. Const. 52. de Simonia, nouam quæstionem (vt ait ipse) An hæc excommunicatio incurratur per Simoniam, quæ videtur esse parua ex parte pretij. Sed nobis non videtur dubium, quin incurratur, quia illa simpliciter est peccatum mortale, vt suprà definitum est, & ideò est causa sufficiens talis censuræ, vt ipse etiam resoluit.

6. 2. Pars conclusionis cit ca beneficia Extrauag. 2. *Pius. 5.*

Caiet. Sylvest. Anton.

Nauar.

Tertia pars assertionis, erat de Simonia in Religione, quæ probatur ex Extrauag. 1. inter cōmunes de Simonia, quam latè explicui in d. 5. to. disp. 22. sect. 5. nu. 5. & hîc ferè nihil addendum occurrit. Præsertim quia quoad Moniales, & conuentus earū, reuocata est illa pœna, vt ibi notaui: In Religionibus autem virorum rarò hæc Simonia committitur, & pro casibus, in quibus committi potest, sufficiunt, quę ibi sunt adnotata. Solùm aduertò, ibi solùm ferri hāc censuram, quando Monasterium aliquid exigit ab ingressuro: non verò, quando ipse sponte illud offert, vt expressè ibi declaratur: Et meritò, quia tunc non est Simonia. Neque etiam incurritur, quando è conuerso ingrediens aliquid exigit à Monasterio, vt ingrediatur, etiamsi in hoc Simoniam committi contingat, quia de hoc modo Simoniæ nulla ibi mentio fit, & lex pœnalis non extenditur vltra casum expressum. Notari etiam potest, censuram hanc incurri, non solùm si tempore professionis Simonia committatur, sed etiam in ipso ingressu, & receptione ad habitum, quia textus absolutè loquitur de volentibus ingredi. Probabile autem est, licet culpa Simoniæ etiam in receptione ad habitum pro pretio committatur, vt suprà diximus; nihilominùs, quia receptio ad Religiosum statum, & traditio rei spiritualis, quæ ibi præcipuè emitur, non consummatur vsque ad professionem, non incurri hanc censuram vsque ad professionem, ita vt licet receptio ad habitum fuerit Simoniaca, si posteà factum retractetur, & pecunia vel non recipiatur, vel reddatur, & professio merè gratis admittatur, non incurratur hæc excommunicatio. E conuerso autem licet receptio ad habitum, gratis facta fuerit, si tempore professionis aliquid exigatur, illud sufficiet, quia ibi actus plenè consummatur.

7. De ingressu Religion. Extrauag. 1.

De

De suspensione.

1. SEcundò dicendum est, suspensionem aliquam ipso Iure imponi propter Simoniam in tribus dictis materiis cõmissam. Et primò (quia breuius expediri potest) in eadem Extrauag. 1. de Simon. suspensio imponitur Cõuentui consentienti in talem Simoniã, circa quam ponderari possunt omnia, quæ de excommunicatione diximus, & non indiget noua expositione, vt etiam dixi in cit. loco 5. tom. sect. 6. in vltimis verbis. Solùm videri potest obscurum quia non declaratur in illo textu, à quo fiat talis suspensio, sed simpliciter dicitur: *Suspensionis sententiis eo ipso decernimus subiacere.* Sed hoc declarandum est iuxta generales regulas suspẽsionum traditas in d. tom. 5. disp. 25. à sect. 2. num. 7. & disp. 26. sect. 1. per totam. Ex quibus probabilius videtur suspendi ibi Capitulum ab omni actu, seu officio capitulari, quod iurisdictionem, vel administrationem Ecclesiasticam requirat; nam illud subiectum non est capax alterius suspensionis, & tota illa in rigore comprehenditur sub absoluta sentẽtia suspensionis. Dicere verò posset aliquis apparenter limitari illam suspẽsionem ex materia, de qua lex illa fertur, ita vt censeatur suspendi capitulũ à sola receptione Religiosorum, quod esset probabile, si in textu daretur aliquod indicium huius limitationis, vel relationis pœnæ ad talem materiam. Quia verò textus nimis absolutè loquitur, & suspensionem illam imponit Capitulo, loco excommunicationis maioris, cuius Capitulum non est capax, ideò priori expositioni omninò standum videtur.

2. Secundò, imponitur hæc censura suspensionis ipso Iure recipientib. ordines Simoniacè, vt expressè habetur in d. Extrauag. 2. de Simon. De qua re sufficiunt dicta in d. 5. tom. disp. 35. sect. 4. à n. 31. Vbi etiam explicui, quando ordinatus maneat suspensus recipiendo ordines à Simoniaco Episcopo, etiamsi ordinatio ipsa Simoniaca non sit. Item, declaraui hanc suspensionem requirere culpam ex parte ordinati, & nõ incurri ab eo, qui bona fide ordinatus est, interueniente pretio per aliquem tertiũ, ipso inuincibiliter ignorãte, quia hæc suspensio est pœnalis, & ideò non incurritur cessante culpa: nec ex Iure aliud colligitur, vt ibi ostendi. Nec videtur probabile, quod quidam dicunt, verba illa dictæ Extrauag. *Qui Simoniacè ordinati fuerint*, &c. intelligenda esse scienter, siue ignoranter, quia si in ipsa ordinatione Simonia cõmittitur ab ordinante, re ipsa alius simoniacè ordinatur, licet ignoret. Hæc, inquam, ampla interpretatio probabilis non est: tum quia est contra generalem regulam interpretandi leges odiosas, & pœnales; tum etiã quia manifesta intentio Pontificis per illa verba fuit punire culpã ordinati: tum denique; quia falsum subsumit, & malè colligit; nam simoniacè ordinari est ordinari, committendo Simoniam, & ideò non sequitur, si collator simoniacè ordinat, alterum simoniacè ordinari.

10. Quia verò in illo loco hanc suspensionem solùm exposuimus, quatenus in corpore Iuris continetur, hic addere oportet, quæ extra corpus Iuris circa illam sunt à Pontificibus addita. Primò ergo Pius V. Pius 5. in d. Const. 5. circa ordinatum simoniacè sit statuit. *Quicunque detestabile vitium Simoniacæ prauitatis conuictus fuerit commisisse in consequendis ordinibus, eo ipso ab illorum executione per decennium sine spe dispensationis sit suspensus, & per annum carceribus mancipetur.* Vbi est notandum, suspensionem hanc ex vi Iuris antiquioris perpetuam esse, nisi absolutio eius à Pontifice Summo obtineatur; non fuit ergo mens Pij, illam reducere ad solum decennium, non enim voluit pœnam lenire, sed augere, vt ex verbis eius constat. Addidit ergo hoc grauamen, vt pro decennio careat sic suspensus spe dispensationis: ita vt ordinario Iure seruato, non sit ei danda licentia, vt tali suspensione absolui valeat. Hoc autem grauamen non incurritur, nisi post sententiam declaratoriam iudicis, vt ex ipsis verbis constat. Vnde si aliquis non est conuictus, nec condemnatus, poterit ante illud tempus absolutionem impetrare; postquàm verò conuictus est, non est dispensandus per decennium, & illo transacto, incipiet quidem habere spem dispensationis, seu absolutionis, non tamen statim manebit liber à censura, sed indigebit absolutione, Pontificis auctoritate conferenda; tum ex vi antiqui Iuris, vt dixi, tum ex vi posterioris à Sixto V. lati in Bulla contra malè promotos, quæ incipit, *Sanctum, & salutare*, In qua extendit omnes pœnas ibi latas contra Clericos aliis modis malè promotos ad promotos per Simoniam: Pœna autem suspensionis ibi fertur his verbis: *Clericos posthac malè promotos ab executione, ministerio, & exercitio ordinum susceptorum, & ab omni spe, & facultate ascendendi ad alios superiores perpetuò suspensos declaramus.* Per quæ verba, non augetur in se hæc pœna vltra id, quod ex Iure communi habet, sed exaggeratur difficultas obtinendi dispensationem eius, præsertim ad ascendendum ad superiores ordines. Et quamuis pœnæ illæ fuerint per Clementem octauum moderatæ, & ad Ius commune reuocatæ quoad alios defectus, non tamen quoad Simoniæ vitium, vt in ea continetur. Et hæc quoad ordinatos. Sixtus. 5. Clem. 8.

11. Circa conferenter ordines. Supereſt, vt dicamus de conferentibus ordines, de quibus quidam dicunt, per Iura antiquiora, quàm dicta Extrauagans, non incurri suspensionem ipso Iure, si fuit Simonia occulta, donec per notorietatem rei, vel per confessionem in iudicio, aut iudicis sententiam, crimen sit publicum. Et in hoc constituunt differentiam inter ordinatos, & ordinantes, quòd illi statim manent suspensi ex vi ordinationis vitiosæ, quam Canones *Irritam*, hoc sensu vocant, quia non dat vsum, seu executionem ordinum, & ideò ordinatus suspensus manet, siue occultus, siue publicus sit: ordinans verò minimè, donec sit publicus Simoniacus. Quæ differentia colligi potest ex cap. *Siquis Episcopus*, primò, quæstione prima. Vbi de ordinatore dicitur. *Proprij gradus periculo subiacebit.* De ordinato verò. *Nihil ex hac ordinatione proficiat:* Sic etiam in capit. *Ordinationes*, 113. ordinationes falsæ dicuntur, & capit. *Siquis*, 108. tales ordines scienter susceptí à Simoniaco dicuntur irriti. Et similia sunt multa Iura, quæ de ordinatis tantùm loquuntur, & ad ordinantes extendi non debent, quia nec est omninò similis ratio, nec si esset, in tali materia haberet locum extensio. Et in hanc sententiam videtur inclinare D. Thom. quæst. 100. artic. 6. ad 1. vt sequitur ibi Sot. quæst. 8. artic. 1. ad 1. dum distingunt inter ordinatum, & ordinantem, & primum dicunt esse suspensum quoad se & quoad alios, secundum verò tantùm quoad se, donec publicum sit crimen. Qua distinctione vsi sunt etiam aliqui ex Canonistis, vt Præpositus in cap. *Statuimus*, 2. 1. q. 1. n. 4. & indicat Innoc. in cap. Penult. de Simon. sequitur Syluest. ver. *Suspensio* q. 7. & sentit etiam procedere post Extrauag. Paul. 2. quod etiam sentit Sot. Cap. *Siquis Episcopus.* Cap. *Ordinationes.* Cap. *Siquis.* *D. Thom.* *Præpositus.* *Innoc.* *Sylvest.*

12. Triplex tempus distinguitur. Dico tamen, nunc non posse admitti distinctionem hanc: Possunt autem distingui tria tempora: Primum antiquius illorum Iurium, quæ habentur in Decreto; & pro eo tempore est probabilis illa distinctio licet dubia. Vt sentit Glos. per textum ibi cap. *Reperiuntur*, in 1. quæst. 1. Nam cap. *Quicunque sacros*, ibidem æquè dicitur: *Qui sacros ordines vendunt, aut emunt, sacerdotes esse non possunt*, vendunt autem ordinãtes pro pretio, emunt ordinati. Et in cap. *Quibusdam*, 117. sicut C. *Quicunq; sacros.* C. *Quibusdã.*

117. sicut de ordinatis dicitur. *Cum Sacerdotalis ordo in* A *hoc cecidit* (id est, in ipsa receptione) *Foràs quoque* (in est, in vsu) *diù stare non poterit*, ita infrà de ordinantibus dicitur. *Qui in templo Dei, columbas vedere præsumpserunt, eorum, Deo iudice, Cathedræ ceciderunt.* Vbi Glossa dicit, ipsos etiam occultos esse ipso Iure suspensos.

13. 1. Tempus. Secundum tempus, est Iurium, quæ habentur in Decretalibus, & de illo tempore non dubito, quin hæc suspensio Iure ipso incurratur, tam in ordinante, quàm in ordinato. Nam id expressè probatur est cap. penult. de Simon. Ibi enim ordinator dicitur manere suspensus, & nihil distinguitur inter occultum, & publicum, vt in dicto loco 5. tomo latiùs expendi. Et ita simpliciter docuerunt ibi Innoc. Panor. & alij. *Innoc. Panor. Abbas.* Item Abb. Anan. & Felin. in cap. *Per tuas*, eod. Præ- B *Anan. Felin.* posit. cum Gloss. in c. *Siquis à Simoniacis*, 1. quæst. 1. & *Præposit. Gloss.* Glossa expressè in cap. *Præter. §. verum*, verb. *Officium*, *Nauar.* 32. distin. Nauar. in dicto cap. 23. num. 111. verb. *Secundò*, idem sentit, quatenus indistinctè loquitur de Simonia in ordine, & adducit cap. *Tanta*, & alij citant cap. *Per tuas*, de Simon. quæ non tam clarè mihi probant, sicut d. cap. penult. Propter quod in cit. loco censui, ex vi Decretalium suspensionem hanc, quæ ab ordinante ipse Iure incurritur, tantùm esse triennalem quia in d. cap. vlt. non ponitur diuturnior; & in alio non videtur satis clarè imponi simpliciter, & ipso Iure, etiamsi Innoc. & Panor. aliter sentiant. Dicunt verò aliqui, illam suspensionem esse specialem in casu illius textus, & nó esse extendendam ad alios. Sed non placet, quia lex illa non nititur in illo casu C materiali (vt sic dicam) sed in Simonia in Ordine, quæ leuior in illo casu apparet. Vnde potiùs Canonistæ ibi frequenter dicunt, in illo casu suspensionem fuisse triennalem, propter diminutam rationem Simoniæ, alioqui verò esse perpetuam. Quod etiam nobis non placuit cit. loco, quia non sunt pœnæ augendæ sine maiori fundamento.

14. 3. Tempus. Tertium tempus, est à tempore Pauli secundi, & de hoc censent aliqui, hanc suspensionem simpliciter, & sine limitatione temporis esse impositam ordinantibus æquè, ac ordinatis Simoniacè. Sed obstat, quod in d. Extrauag. solùm dicitur. *Declaramus, quòd omnes illi, qui Simoniacè ordinati fuerint, à suorum sint ordinum executione suspensi.* Respondent aliqui, verba illa *qui Simoniace ordinati sunt*, non passiuè tantum, sed etiam D activè esse intelligenda. Sed non est verisimile, quia est contra proprietatem verborum; vt per se patet, & cò ntra rationem legis pœnalis, quæ restringenda potiùs est. Apparentiùs posset hoc colligi ex illis prioribus verbis generalibus, in quibus confirmantur pœnæ antiquæ. Et additur. *Tùm manifestum, quàm occultum, quas ipsu facto incurrere volumus.* Sed iam suprà dixi, per hæc verba non esse factum, vt censuræ Simoniacorum, quæ anteà erant tantùm ferendæ, nunc sint latæ sententiæ. Qui autem dicunt, secundum Ius antiquius ordinantem occultum, non manere suspensum ipso Iure, vel dicunt solùm per sententiam fuisse suspendendum, vt dicit Sotus, vel certè licet dicant, quando delictum est publicum, fuisse suspensum quoad alios, E non intelligunt de speciali censura propria Simoniæ, sed de impedimento, quod olim nascebatur ex quouis enormi delicto publico, quod non erat propria censura vel suspensio, vt cap. præced. tactum est. Ergo ex vi illorum generalium verborum, nulla suspensio ipso Iure inducitur. Accedit, quòd si hoc factum esset per illa verba, cur paulò post potiùs de ordinatis, quã de ordinantibus lata esset suspensio ab vsu ordinum simpliciter, & ipso Iure incurrenda; Vnde vel probabilius est, ex vi illius Extrauag. non esse auctam, nec mutatam prædictã suspensionem quoad ordinantes, vel saltem valdè dubium. Pius etiam V. in d. Const. *Pius. 5.* §. licet suspensioni ordinatorum Simoniacè aliquid addiderit, de ordinantibus nihil dixit.

At verò Sixtus V. in dicto Motu proprio valdè il- *15.* lam auxit, Declarat enim ibi, ordinantem in illo casu manere *eo ipso suspensum à collatione quorumcunque ordinum, atque adeò ipsius tonsuræ, & ab executione omnium munerum Pontificalium.* Vbi tres sunt partes, quarum prima est eadem cum communi Iure præter perpetuitatem, vt visum est. Secunda potest esse declaratio eiusdem communis Iuris: nam satis probabile est, absolutam suspentionem à collatione ordinũ, includere etiam primam tonsuram, nam vt suprà dixi, sub hac consideratione solet sub ordinibus comprehendi. Tamen quia hoc poterat esse dubium ex illo principio, quòd pœnæ sunt restringendæ, ideò Sixtus id declarauit, vel etiam addidit. Tertia verò continet satis rigorosam, & amplam additionem pœnæ; nam suspenditur collator ab omni consecratione, Sacramenti Confirmationis collatione, omnique solenni, & Pontificali beneficitione, & similibus, quæ Episcopi propria sunt ordinaria potestate, vt videri potest in Glos. vlt. in *Glos. vlt.* c. *Transmissum*, de Elect. & in Iuribus, quæ allegat, & in c. primo dist. 25. & has pœnas etiam non reuocauit Clem. VIII. in Bulla anni. 1596. In qua pœnas à Sixto *Clem 8.* latas in præd. Constit. abstulit; nam expressè addidit Clem. *Præterquàm contra simoniacè ordinantes, & ordinatos insfictas.* Ex quo obiter notari potest, pœnam latam contra mediatores Simoniæ in ordine in dicto c. pen. de Simon. scilicet suspensionem ab executione suorum ordinum per triennium, non esse auctam per hæc noua Iura, de qua videri possunt, quæ dixi in dicto quinto tomo vbi suprà.

Deniq; potest hîc etiam obiter aduerti, ex eodem *16.* Motu Sixti colligi specialem casum, in quo propter *Aduertendum.* Simoniacam ordinationem incurritur censura interdicti non simplicitur, sed ab ingressu Ecclesiæ, quæ etiam sic limitata distincta est à suspensione, vt declaraui in dicto 5. tom. disp. 35. sect. 4. vbi latè de hac censura disserui. Hanc ergo addit ibi Sixtus respectu ordinantis, non verò respectu ordinati. Et in nullo alio casu incurritur hæc censura propter aliquam Simoniacam actionem, quia in nullo alio, quòd ego sciam, inuenitur in Iure posita, & non incurritur, nisi in casib. in Iure expressis, vt constat. Supererat etiã D hîc dicendum, an propter Simoniacam collationem, vel receptionem beneficij, aliqua suspẽsio ab officio, vel beneficio incurratur: tamen hoc etiam tractaui sufficienter in dicta sect. 4. à n. 42. vbi ostendi, nullam suspensionem ipso Iure latam, nec ab ordine, nec ab aliquo beneficio incurri per hoc genus Simoniæ, *Nauar.* quia in nullo Iure inuenitur, vt tradit etiam Nauar. *Innoc.* dict. c. 25. n. 111. verb. *Tertio*, Cum Innoc. in cap. *Tanta*, *Abbas.* de Simon. quem ibi Abbas, Ananias, & alij sequuntur. An verò collatio Simoniaca beneficij valeat, & an ex illa sequatur priuatio aliorum beneficiorum, infrà dicetur.

Quæri verò potest vlteriùs, an per Simoniam in *17.* Ordine incurratur suspensio à beneficio, aut ab alio *An per Sim.* officio iurisdictionis, aut Ecclesiasticæ administra- *in ordine in* tionis, vel à Simoniacè ordinantè, vel ab ordinato, *currantur* si tale beneficium habeat. Quidam enim viri docti di- *suspensio.* xerunt, etiam incurri ipso facto per hanc Simoniam suspensionem ab officio, & beneficio, quæ amplissima est, & suspendit ab omni vsu iurisdictionis, & à perceptione fructuum, vt suo loco diximus. Fundamentum eorum est, quia licet hæc suspensio non fuerit ipso Iure imposita per antiqua Iura, fertur tamen vt imponenda per iudicis sententiã, vt statim ex Iure allegabimus. At verò Extrauagans Pauli per illa verba generalia, *Quas ipso facto incurrere volumus*, omnes

anti

antiquas, ferendas fecit esse latas: ergo. Sed hæc A sententia singularis est, & noua, & præter cõmunem sensum, & consuetudinem Ecclesiæ, & ex illa sequuntur multa absurda, vt de depositione, infamia, & aliis statim videbimus: sequitur etiam, sic ordinatum non facere suos fructus beneficij, nec posse illos retinere tuta conscientia, quantumuis crimen occultum sit, quia hic est effectus suspensionis à beneficio, vt ex propria materia suppono. Consequens verò est contra ipsam Extrauagantem, vt in simili statim dicam.

18. 1. Assertio. Dico ergo; solam suspensionem ab executione suorum ordinum incurrere illum, qui Simoniacè ordinatur; nam expresè ita limitatur hæc suspensio in dicta Extrauagante. Et certè si per priora verba in- B curreret sic ordinatus suspensionem ab officio, & beneficio; & superfluè, & non sine magna obscuritate, & specie contractionis illa posteriora verba addita fuissent. Item, Sixtus V. non imponit aliam suspensionem sic ordinatis: sed addit, vt si sic suspensi ministrauerint, fiant irregulares, & priuati beneficiis, quoad seculares, quoad religiosos verò, vt sint priuati voce actiua, & passiua: ergo signum est, ex vi solius ordinationis Simoniacæ non esse suspensos ab officio, vel beneficio; aliàs nec eligere possent, nec fructus beneficiorum facere suos. De ordinantibus autem addidit quidem (vt dixi) suspensionem ab omni functione Pontificali, non tamen à iurisdictione, quæ Pontificalem ordinationem, seu consecra- C tionem non requirit, neque ab administratione Ecclesiæ propter eandem rationem, nec etiam à beneficio. Vnde posteà subdit: *Quod si in præmissis se ingesserint, spreta suspensione, & inter dicto, suspensionem incurrant à regimine, & administratione suæ Ecclesiæ, & perceptione fructuum.* Ergo euidens est, per solam ordinationem Simoniacam, non incurrere has posteriores suspensiones.

19. An per Simoniam in beneficio aliqua suspensio incurratur. Similiter expediendum est aliud dubium hic occurrens, an propter Simoniam in beneficio aliqua suspensio incurratur. Nam moderni, qui modo suprà dicto opinantur de Simonia in ordine, idem dicunt de Simonia in beneficio, non propter antiqua Iura, sed propter eandem Extrauagantem in eisdem D verbis generalibus, quæ hîc etiam eodem modo applicantur, quia Iura antiqua ponunt has pœnas ferendas propter Simoniam in beneficio, vt colligitur ex cap. 2. de Confessis, cum aliis statim referendis: ergo nunc incurruntur ipso facto ex vi prædictorum verborum. Sed hoc etiam nouum, & improbabile est. Quoad suspensionem ergo ab ordine certum est, non incurri per Simoniam in beneficio, quia nullibi lata inuenitur, & verba illius Extrauagantis non habent hanc vim, vt sæpè dixi: nec ita recepta sunt communi consuetudine, quæ est optima legum interpres. Quoad suspensionem verò à beneficio, de conferente Simoniacè beneficium nullibi inuenitur talis pœna ipso Iure illi imposita, & ideò illam non incurrit. Idémque in rigore verum est de recipiente beneficium. Sed in illo distinguendum est, aliud esse, E non consequi beneficium, vel illo priuari, aliud suspendi ab illo: nam suspensio supponit proprietatem, & verum titulum beneficij, & priuat vsu, & vsufructus. Item, distinguendum est de beneficio Simoniacè obtento, vel de aliis, quæ contingit licitè habere illum, qui in vnius receptione sic delinquit. Quoad beneficium ergo Simoniacè obtentum, verum est per talem receptionem beneficij non acquiri Ius in illud, nec percipi validè fructus eius, vt expresè dicitur in d. Extrauag. & in seq capite latiùs videbimus. Illa verò non est suspensio, sed pœna alterius rationis, quæ tollit radicem (vt sic dicam) & non relinquit locum suspensioni, vt dixi. Quoad alia verò beneficia de suspensione, ab illis nulla est mentio in Iure, & in d. Extrauag. solùm dicitur, illum non facere suos fructus beneficij Simoniacè acquisiti, & ideò verius est in aliis non incurri suspensionem, vt latiùs dixi d. tom. 5. disp. 31. sect. 4. à n. 42. An verò priuatio aliorum beneficiorum inde incurratur, infrà in proprio cap. videbimus. Præter dictas ergo censuras nulla incurritur lata propter dicta crimina Simoniæ.

Supereſt autem breuiter explicandum, an incurrantur aliæ pœnæ Canonicæ, nam de aliis pœnis quasi temporalibus posteà dicemus. Et quantum colligere possum ex Auctoribus, qui has pœnas recensent, de tribus potest tractari, de Irregularitate, Infamia canonica, & Depositione, vt videre licet in Hostiens. *Hostiens. Præpos. Redoan. Bernard. Diaz. Sylvest.* in Sum. tit. de Simon. & Præposit. in d. cap. *Statuimus*, num. 3. & 4. in cap. *Presbyter*, 1. quæst. 1. & Redoan. 4. p. cap. 9. num. 9. & sequentibus, & Bernardo Diaz in Pract. cap. 9. Sylvest. d. q. 19. Primùm ergo de Irregularitate dicendum est, non incurri per crimen Simoniæ immediatè, & per se. Quod addo, quia mediante infamia, ratione illius poterit incurri irregularitas, vt statim dicam; vel etiam si sic ordinatus, aut ordinans ministret contra suspensionem, fiet irregularis, tum ex Iure communi tum per dictam Bullam Sixti, vbi alias etiam pœnas inhabilitatum, & priuationum in sic celebrantes congerit. Quòd autem immediatè non incurratur irregularitas, probatur; quia irregularitas non incurritur, nisi in casibus à Iure expressis; hic autem expressum non est, vt latè probaui in 5. tom. disp. 43. sect. 4. & docet Turrecr. in c. *Præter*, d. 32. art. 1. n. 4. in fin. cum Gloss. in c. *Nullus*, ead. dist. Nam licet loquantur de publico concubinario, illi censent æquiparari Simoniacum. Neque contra hoc inuenio textum habẽtem difficultatẽ aliquã, vt in loco cit. latiùs sum prosecutus. Dicit tamen Nauar. Consil. 97. de Simon. num. 10. quem sequitur Vgolin. Tab. 4. cap. 4. ordinatum Simoniacè fieri irregularem statim, quia recipit ordines excommunicatus. Sed non rectè, quia priùs recipit ordines, quàm sit excommunicatus, ideò enim excommunicatur, quia Simoniacè ordinatur, & priùs debet compleri Simonia realis, quàm censura incurratur; ergo non potest inde subsequi irregularitas. Vt sæpè in simili dixi in tom. de Censur. & eodem vitio laborat exemplum, quo vtitur Nauar. de illo, qui furtiuè suscipit ordines contra prohibitionem sub censura latæ excommunicationis, de quo etiam dixi in d. tom. Neque etiam quicquam probat ratio Nauar. scilicet, quòd eodem momento, & per eundem actum potest quis fieri excommunicatus, & irregularis, nam est hoc verum, si pro eodem crimine sit lata vtraque pœna; hîc autem non ita est, sed distinguenda sunt duo crimina, vnum Simoniæ, propter quod incurritur excommunicatio, aliud celebrandi, vel recipiendi ordinem ligatum excommunicatione, propter quod irregularitas esset incurrenda: hoc autem delictum reuera non committitur in illa ordinatione, quia iam ordo receptus est, quando excommunicatio incurritur.

20. *Nauar. Vgolin.* *Turrec. Gloss.*

Infamia, inter Simoniæ pœnas ponitur à dictis Auctoribus, Præposit. Redoan. Sylvest. Bernar. Diaz, & Angel. *Simonia*. 6. n. 8. Glos. in cap. *Ex diligenti*, de Simon. verb. *Infamia*, vbi Panor. à nu. 6. & alij Doctores, & in cap. *De Simoniacè*, eod. Potéstque colligi ex cap. *Sanè*. 15. quæ. 3. vbi solùm est sermo de Simonia commissa in obtinenda sede Episcopali, & in conferendis ordinibus, & in eligendo; quæ solùm pertinent ad Simoniam in ordine, & beneficio, non tamen ad omnem modum vtriusque Simoniæ. Citatur etiam ad hoc cap. *Inquisitionis*, de Accus. quod parum probat. Expressiùs, & generaliùs id probat cap.

21. De infamia. *Præposit. Redoan. Sylvest. Bernard. Diaz. Angel. Gloss. Panor.* Cap. *Sanè.*

vlt.2.q.3.vbi nõtantùm de Simonia in ordine,aut beneficio,ſed de multis aliis ſermo eſt. Verba autẽ ſunt. *Emptor,venditor, & interuentor nota infamiæ percellantur.* Ex quibus verbis,& ex dicto c. *Sanè*, & ex ſententia omnium Doctorum conſtat,pœnam hanc non incurri ipſo facto,ſed per ſolam iudicis condẽnationem.Imò in d.cap. *Sanè*, dicitur debere accuſationẽ præcedere, & ſubſequi condemnationem. Hæc ergo pœna non pertinet ad eas, quæ in conſcientia incurruntur, nec nouum affert impedimentum ante ſententiam, quia licet ante illam infamia facti poſſit interuenire, illa non eſt pœna Eccleſiaſtica, ſed effectus, qui ex facto ipſo, præſertim aliis noto naſcitur: infamia autem, quæ eſt pœna,eſt infamia Iuris, & illa eſt, quæ impedimentum canonicum inducit,vnde poſt ſententiam talis infamiæ inducit irregularitatem,quæ tandiù durat, quãdiù durat infamia, de qua latè diſputatum eſt in d.5.tom.diſ. 49. & de hac pœna probabile eſt, pro quacumque graui Simonia in quacumq; materia potuiſſe ſemper ferri;ſicut de ſuſpenſione,& excommunicatione colligitur ex citatis Iuribus, & de depoſitione dicere aggredimur.

22. De depoſitione.

De depoſitione igitur multa ſunt Iura, quæ illam ad puniendos Simoniacos deſignant, vt de Simonia in beneficio,eſt textus clarus in c.2. de Confeſſis, vbi explicatur depoſitio ab omni officio, & beneficio, quæ videtur eſſe maxima. In cap. autem *De hoc*, de Simon. pro quadam Simonia in beneficio imponitur depoſitio perpetua ſolùm ab altaris miniſterio, ſed Gloſ. ibi eandem eſſe reputat, de quo aliàs. In cap. autem *Per tuas*, 1.eod. ſermo eſt de depoſitione ab ordine, & abſolutè de Simoniaca prauitate. At verò in cap. *Erga Simoniacos*, 110.1.q.1. abſolutè dicitur: *Erga Simoniacos nullam miſericordiam in dignitate ſeruanda habendam eſſe, decernimus*, & infrà: *Deponendos eſſe, Apoſtolica auctoritate ſancimus.* Non eſt ergo dubium,quin hęc pœna Simoniacis imponenda ſit. Similiter autem certum eſt, ex vi illorum Iurium non incurri ipſo Iure, ſed per ſententiam imponendam eſſe, vt ex verbis citatis conſtat, & omnes Auctores docent. Nec verò per Extrauag. 2. de Simon. hæc pœna incurritur ipſo facto; id enim nullus Doctorum auſus eſt dicere; & qui de aliis pœnis hoc dicere tentauerunt, hanc cenſent excipiendam, ex benigna interpretatione propter eius grauitatem. Quid autem ſit hæc depoſitio, & an ſit idem, quòd generalis ſuſpenſio perpetua, tractauimus latè in 5. tom.dip.30. An verò ſemper ſit imponenda à Iudice, ſiue via inquiſitionis, ſiue via accuſationis procedatur, & an æqualiter in omni materia Simoniæ, vel quæ circunſtantiæ obſeruandæ ſint,tractatur ab Hoſtienſ. & aliis Canoniſtis locis citat. Et videri poteſt Abbas in d.c.*Inquiſitionis*,& Redoan.d.c.9.à num.25. Item ad hanc pœnam ſolent reuocare ſimilem aliam, quæ imponitur propter Simoniam in ingreſſu religionis commiſſam, in c. *Quoniam*, de Simon. de qua dicemus commodiùs cap. ſeq. Præter has ergo nullæ ſpirituales pœnæ latæ ſententiæ, vel ferendæ circa Simoniam occurrunt.

Hoſtienſ. Abbas. Redoan.

Cap. *Quoniã.*

23. Quando incurrãtur hæ pœnæ.

Vnum verò ſupereſt dubium circa dictas cenſuras excommunicationis, & ſuſpenſionis, quando incurrantur; nam licet ſit certum, incurri ſtatim, ac conſummatur delictum, ſiue occultum, ſiue publicum; tamen hoc ipſum inquirimus, quando conſummetur delictum, quod per has cenſuras punitur. Quod eſt quærere, per quam Simoniam realem incurrantur; nam quòd per mentalem, vel purè conuentionalem non incurrantur, ſupponimus ex cap. præced. Et ex eodem certum eſſe credo, non incurri per realem inchoatam per ſolutionem pretij, ſi ordo, aut beneficium collatum non eſt. Id enim euidenter probari poteſt ex verbis. d. Extrauag. & aliorum Iurium, quæ ſatis in præced. cap. ponderata ſunt. Et de pœna ſuſpenſionis euidens eſt, non poſſe incurri ab eo, qui ordinandus eſt Simoniacè, donec ordinetur, licet priùs ſoluerit pecuniam, quia donec aliquis habeat potentiam ad actum, non poteſt ſuſpendi ab actu, quia ſuſpenſio ſupponit potentiam, vt conſtat. Solùm poteſt pro illo tempore intelligi quædam diſpoſitio ad ſuſpenſionem, quia ſiquis in tali diſpoſitione recipiat ordines, eo ipſo manebit ſuſpenſus, quod eſt clarum, quia tunc eſt conſummata Simonia quoad vtramque partem. Idémque cenſeo de ſuſpenſione ex parte ordinantis, quia ſemper fertur in ordinantem, vt patet ex cap. vlt. de Simonia, quod incipit: *Si quis ordinauerit*, & infrà: *Ordinator,&c.* vtique actualis,id eſt,qui ordines contulit,& ſimiliter loquitur Sixtus V.donec ergo ordines contulerit, ſuſpẽſus non eſt.De præſentante verò,ſeu mediatore ad ordinationem Simoniacam, poſſet nõnihil dubitari, quia in d.cap.vlt.ſub diſiunctione dicitur: *Si quis ordinauerit,vel ad ordines præſentauerit:* Ergo qui recepta pecunia aliquem ad ordines præſentauit, eo ipſo ſuſpenſus manet, etiam antequam ordinatio ſit ſubſecuta, quia quoàd illam perſonam, actus prohibitus, & punitus eſt ex vtraque parte completus. Nihilominùs cenſeo,non incurrere ſuſpenſionem,donec cum effectu ſequatur ordinatio. Quia non cenſetur præſentatio conſummata perfectè, donec effectum conſecuta ſit, debet enim eſſe (vt ita rem declarem) præſentatio ad actualem ordinationem. Item quia textus ille apertè hoc ſupponit,& connectit præſentantem cum ordinato.

Sixtus V.

24. De excommunicatione etiam certum eſſe exiſtimo, non incurri, donec cum effectu Simoniaca collatio,vel receptio rei ſpiritualis,id eſt,ordinis,beneficij aut officij Eccleſiaſtici ſecuta ſit: quia etiam rigoroſa ſignificatio,& proprietas verborum illius Extrauag.hoc poſtulat,ait enim, *Qui quomodolibet dando, vel recipiendo*,(vtique ordines,aut beneficia,vel officia,de quibus Pontifex locutus fuerat) *Simoniam commiſerint.* Non committitur autem Simonia dando, & recipiẽdo,niſi per actualem ordinationem, vel collationem beneficij,aut electionem,vel quid ſimile:Illa ergo excommunicatio non eſt impoſita, niſi propter talem modum committendi Simoniam; non ergo incurritur,donec datio,vel acceptio intercedat. Et indé etiã clarè conſtat, mediatores non incurrere eandem excommunicationem, donec traditio ſpiritualis materiæ facta ſit;nam de illis ſubditur: *Aut quòd illa fiat, mediatores extiterint.Illa*,ſcilicet,quæ per acceptionẽ,& dationẽ deſcripta fuerat.Ante hanc ergo traditionem non incurritur cenſura. At verò ſi traditio pecuniæ præceſſit, & ſequatur datio, vel acceptio: in vtraque cenſura, & in quolibet caſu eius, certum eſt incurri ſtatim,ac ſpirituale datur, quia tunc eſt Simonia maximè realis, & completa ſecundùm omnem rigorem verborum legis.

25. Vtrùm nondum numerata pecunia poſſit incurri cenſura? 1.Opinio. *Nauar. Couar. Vgolin. Salzed. Caſad.*

Difficultas ergo eſt,quando non præceſſit pecunia numerata, ſed promiſſa, & ſubſecuta eſt ordinatio, vel beneficij collatio, an ſtatim incurrantur cenſura, vel quando incurratur. Prima opinio eſt,non incurri ſtatim. Ita tenet Nauar.in d.cap.23.num.103.ca.25. num.68. Couar. in Reg. *Peccatum* 2.p.§.8.nu.7. & 8. Vgol. Tab.3.cap.5. Salzed.in Pract. Bernard.cap.91. §. *Sexto.* Et pro hac parte citantur Gomez, & Caſad. de quibus infrà dicam. Citatur etiam Gloſ. in cap. *Emendari* 1.qu.1. quia dicit,interdum committi Simoniam, quãdo pecunia datur ante ſpiritualem functionẽ vel in ipſa,quæ non committeretur,ſi pecunia poſt rẽ ſpiritualem acceptã daretur. Sed nõ eſt ad rẽ, quia nec de culpa vera, nec de pœna Simoniæ loquitur,

tur, sed de præsumptione, quando non constat pactum præcessisse, nam si pactum intercessit, vt in nostro casu supponimus, & pecunia datur in executionem illius, non est dubium, quin datio sit Simoniaca, siue anteà, siue posteà detur. Potissimùm ergo solet hæc opinio probari ex vsu: nam ita dicitur seruari in Romana Curia, vt Nauar. refert. Potest verò secundò confirmari ex d. Extrauag. quæ dicit, *dando, vel recipiendo*, hæc enim verba restringenda videntur, cum lex sit pœnalis, ergo intelliguntur de dando, vel recipiendo tàm rem spiritualem, quàm pecuniam: quod potest roborari ex c. *De hoc*, de Sim. ibi *si manifestum est, &c. promissa recepisse*. Præterea tertiò potest confirmari à paritate rationis, quia non est perfectior venditio, in qua fit traditio rei anticipata pro pecunia credita, quàm quæ fit, anticipata pecunia cum obligatione tradendi rem post aliquod tempus, ergo si hæc posterior non sufficit ad censuras Simoniæ, nec prior sufficiet. Denique addi quartò potest generalis ratio: quia pœnæ, quando iniunguntur pro aliquibus actibus, intelliguntur de actibus plenè, & ex omni parte consummatis cum effectu, vt de Irregularitatibus, & Cẽsuris, suis in locis diximus: ergo hæc regula est hic etiam applicanda. At non est Simonia plenè consummata donec realis sit dicto modo. Propterea enim vt suprà indicaui isti Auctores non vocant Simoniam realem, nisi quæ ex vtroque capite consummata est, & omnem aliam vocant conuentionalem, quæ ad pœnas non sufficit: ergo.

26. 1. Opinio. His non obstantibus, est secunda sententia affirmans, de rigore Iuris sufficere traditionem rei spiritualis sub promissione, ad incurrendas pœnas, & dictas censuras, licet nondum pretium solutum sit, nec aliqua pars eius. Hæc sententia ex Theologis, & Canonistis sumi potest. D. Thom. Primum ex D. Tho. dicta q. 100. art. 5. & 6. in solutione argumentorum, si attentè legantur, & inter se conferantur; nam in ar. 5. dicit esse Simoniacam ordinationem, vel collationem beneficij, quæ fit cum promissione dandi aliquid ex fructibus beneficij, vel exhibendi aliquod obsequium, in art. autem 6. dicit, per ordinationem Simoniacam incurri suspensionem, & in solut. ad 6. solùm excipit mentalem Simoniam. Caiet. Eandem tenet Caiet. d. art. 6. & in sum. ver. *Simonia*, & opusc. de Simon. qu. 2. Sot. Sot. li. 9. qu. 8. art. 1. Richard. Idem sentiunt in 4. d. 25. Richar. art. 3. qu. 3. in fin. Supplem. Gabr. qu. 3. Palud. Palud. qu. 5. Conc. 2. quatenus ab his pœnis solùm excipiunt, Simoniam mentalem, in qua pactum tacitum, vel expressum non præcessit, extendunt autem illas ad Simoniam, quam pactionalem vocant, quando scilicet ex vi præcedentis pacti, & promissionis, res spiritualis data, vel accepta est: Sumitur etiam ex Abbat. Abbas. in c. *Cum ad nostram*, de Elect. nu. 4. licet enim hi Auctores loquantur de aliis pœnis, seu priuationibus, de quibus posteà; tamen de censuris est eadem ratio. Gloss. Idem videtur sensisse Glossa in dicto capit. *De hoc*, Vbi ad verbum illud, *Si Constituerit promissa recepisse*: addit, *maximè*, sentiens, promissionem suffeciſſe; tamen si impleta fuit, augeri causam pœnæ, præsertim vt per sententiam possit ad perpetuam depositionem procedi, vt in textu dicitur. Præterea in eandem sententiam inclinat Anani. Anani. in c. *Nobis*, de Simon. quatenus dicit, ita reprobari electionem, quãdo promissio pecuniæ præcessit, sicut quando præcessit solutio, & datio, quod etiam sentit ibi Abbas, & in capite *Veniens*, de Simonia, loquens de Simonia in ingressu Religionis, & in ordine ad pœnas notat ex textu, ex sola conuentione dandi spirituale pro temporali, *Simoniam committi spirituali recepto, licet non tradatur temporale promissum*. Et multa in hãc sententiam congerit Redoa. dicto 4. punct. cap. 9.

Potest autem hæc sententia probari duobus modis, textibus scilicet, & rationibus. Et prior modus est efficacior, quia simpliciter loquendo potuit Ecclesia has censuras ferre eo modo, quo Nauar. asserit, quia modus ille nec repugnantiam, nec indecentiam clarã inuoluit, & ex voluntate legislatoris pendet. Quod ergo non ita factum sit, non potest ratione sola conuinci; præcipuè ergo petendum est ex verbis Iuris, & addi poterunt congruentiæ. Primò ergo probatur ex verbis dictæ Extrau. Nam de suspensione sic habet; *Apostolica auctoritate declaramus, quod omnes illi, qui Simoniacè ordinati fuerint, à suorum sint ordinum executione suspensi*. Sed omnes, qui sub pacto, & promissione dãdi aliquid temporale, ordinati sunt, sunt Simoniacè ordinati; ergo ex vi illius declarationis statim sunt suspensi, siue soluerint pretium, siue non. Consequentia probatur, quia pœna legis extenditur ad omne delictum, quod sub verbis legis in omni proprietate, & rigore intellectis comprehẽditur. Minor autem probatur, primò quia illi non sunt gratis ordinati; ergo Simoniacè sunt ordinati. Patet consequentia, & totum argumentum ex ca. *Gratis* 1. 1. q. 1. Cap. *Gratis*. Vbi inter alia dicitur, *Qui non gratis accipiunt gratiam, quæ maximè in Ecclesiasticis ordinibus operatur, illam non accipere, nec illam dare posse*, quia nimirum vsum non recipiunt, & in cap. *Gratiam* 15. *Gratiam* (dicitur ibi) *cum ordinareris, non suscepisti, quia gratuitò eam non meruisti*. Facit etiam cap. *Siquis neque* 115. ibi. *Vel sordidis precibus oris*, illæ enim preces sordidæ dicuntur, quæ promissionem temporalem, & pecuniariam clarè, vel rectè continent, & hæc dicuntur sufficere ad ingressum Simoniacum. Et similia licet colligere ex discursu illius quæst. & sequentium. Vnde Gratian. in fine quæst. 6. §. *Si autem*, pro eodem reputat, *pecuniam esse promissam, vel solutam*. Gratian.

27. Probatur 2. opinio.

Hoc ipsum potest ex Decretalibus suaderi ex capit. penult. de Simonia ibi: *Promissionem, vel iuramentum ab illo recipiens*. Et tamen subditur id sufficere, vt tàm ordinans, quàm ordinatus, eo ipso suspensionem incurrant. Nec eleuat efficaciam huius textus, quod aliqui Iuristæ dicunt, illam non fuisse propriam Simoniam, sed secundum quid, quia non fuit promissio dandi aliquid, sed tantùm non petendi prouisionem, seu alimentum ab ordinante, vel præsentante: nam præterquàm quòd mihi falsum videatur (vt in tom. 5. dixi, quia ad veram Simoniam sufficit remissio debiti etiam futuri, vt in sequentibus declaraui) licet id admittatur, potiùs auget vim illius textus. Nam illa non dicitur à Iuristis impropria Simonia ratione promissionis, sed ratione rei promissæ, quæ non videtur fuisse proprium donum, si ergo remissio illa tantùm promissa, fuit sufficiens ad Simoniacum ingressum dignum suspensione ipso facto à fortiori promissio pecuniæ, vel alterius proprij doni erit sufficiens. Et in cap. *Nobis* eodem, dicitur, electionem factam sub quadam promissione, etiam ignorante electo, fuisse reprobandam propter Simoniacam prauitatem præsumptam, nisi constitisset fuisse malitiosè factam. Supponitur ergo, promissionem cum opere subsecuto ex parte rei spiritualis, sufficere ad Simoniacam prauitatem, quam Ius punit, vel per seipsum, vel per sententiam pro ratione pœnæ. Et idem colligitur ex cap. *Ex diligenti*, & expressiùs ex c. 2. de Confess. ibi. *Quingentorum Saracenorum obligationem receperat*, Vbi Glossa notat solam obligationem sufficere ad Simoniam, licet non sit secuta receptio: oportet autem intelligi de Simonia, quia per Canones punitur, nam ibi depositio ab officio, & beneficio pro illo crimine imposita est, ergo à fortiori sufficit ad incurrendam pœnam suspensionis ipso facto. Ca. *Nobis*.

Atque hæc omnia, quæ de ſuſpenſione adduximus, applicari poſſunt ad excommunicationem, nam eſt eadem ratio. Sed ponderanda etiam ſunt verba Extrauagantis, in qua primùm lata eſt talis excommunicationis pœna, priùs enim locutus fuerat Pontifex de ordine Simoniacè recepto, & de prouiſionibus quas Simoniaca labe fieri cõtigerit, & poſteà ſubdit: *Statuentes, quòd vniuerſi, & ſinguli, qui quomodolibet dando, vel recipiendo Simoniam commiſerint, ſententiam excommunicationis incurrant.* Ergo quam Simoniam voluerat eſſe ſufficientem ad ſuſpenſionem ordinum, vel ad irritationem prouiſionum, voluit etiam eſſe ſufficientem ad excommunicationem ipſo facto incurrendam, nam eodem tenore verborum loquitur, & vt ſuprà dixi, illa excommunicatio ex præcedentibus clauſulis, & materia determinatur, denique eſt eadem ratio. Ad verba autem, quæ in Extrauaganti habentur, & Nauar. ſæpè vrget, *dando, vel accipiendo*, quæ intelligenda eſſe cenſet ex vtraque parte, cum non ſit maior ratio de vna, quam de alia; Reſponderi poteſt, quòd illa diſtinctio non cadit, niſi in rem ſpiritualem, & poſita eſt ad comprehendendum tàm ordinantem, quàm ordinatum, conferentem, & recipientem beneficium. Et ideò qui dat, vel accipit aliquid huiuſmodi per Simoniam, excommunicatur. Vnde ex parte pretij nulla alia datio, vel receptio poſtulatur, niſi illa, quæ ſufficeret ad reddendam Simoniacam, dationem, vel acceptionem rei ſpiritualis. Declarari hoc poteſt ex his, quæ Gomez. tradit in Regul. de Trien. poſſeſ. quæſt. 12. Vbi illa verba Regulæ Cancel. *abſque Simoniaco ingreſſu*, dicit intelligenda eſſe tam de Simonia reali, quàm etiam de conuentionali: ergo idem dicendum eſt cum proportione de dicta Extrauag. Nam verba æquè fauent, vt ponderauimus, & rationes ſunt eædem, vt legenti conſtabit. Imò ideò illa regula ſic extenditur, quia Simoniacus tam vno, quàm alio modo non habet coloratum titulum beneficij, vt ipſe ibi proſequitur; ergo ſignum eſt vtroque modo incurriſſe pœnas.

Gomez.

30. His accedunt coniecturæ: primam ſumo ex ratione textus in dicto cap. 2. de Confeſſis. ibi: *Quoniam vitium huiuſmodi perſequi volumus, & debemus.* Vnde ſic argumentor: nam Iura intendunt perſequi, & impedire ordinationem, prouiſionem Simoniacam, non ſolùm quando in eis præcedit pecuniæ datio, ſed etiam quando præcedit promiſſio, ergo quando imponunt cenſuram ipſo facto incurrendam, intendunt ſtatim, in ipſamet origine (vt ſic dicam) factum illud irritare, & delere, ac punire, quantum per tales pœnas poſſunt, non expectata ſolutione pretij. Secundò quia probabiliſſimum eſt, hanc Simoniam verè, & ſimpliciter eſſe realem, vt ſuprà capit. 41. tractatum eſt, quia eſt datio rei ſpiritualis non gratuita: nam in eo, quod dicitur datio rei ſpiritualis, ſatis oſtenditur eſſe realis ex parte materiæ propriæ Simoniæ, in quo differt multum à datione ſolius pretij, cum verò additur, non gratuita, completur ſubſtantia, & iniquitas Simoniæ. Vnde parum videtur referre, quòd ciuili, vel humano modo loquendo emptio, & venditio non ſit omninò completa quoad executionem ex vtraque parte, quia ad completam rationem Simoniæ, hoc non eſt neceſſarium, ſed quod ſit datio rei ſpiritualis non gratuita. Tertio quia omnes fatentur, non eſſe neceſſarium ad incurrendas has pœnas, vt totum pretium pro ſpirituali re promiſſum, ſit ſolutum, ſed ſufficere, quòd ſit ex parte ſolutum: nam tunc iam aliquid ex vtraque parte traditur, vt in d. c. 41. declaraui, ſed qui promittit rem temporalem, eo ipſo dat aliquam rem temporalem, & alius acceptando aliquid etiam moraliter recipit aliquid temporale, ſcilicet eius ad talem rem: ergo.

Caput 2. de Confeſſis.

Sed inſtat Nauarrus in Commentariis cap. vlt. de Simonia, nu. 29. in fine quòd talis promiſſio eſt irrita, & nullius momenti, & ideò nihil dare videtur, etiam ſi per publicum inſtrumentum illam faciat. Sed contrà, quia ſi ratio hæc eſſet alicuius momenti, nec Simonia vera illa eſſet, quia nihil æſtimabile datur, vel promittitur, quia non validè promittitur. Item, idem argumentum fieri poteſt de datione pecuniæ, quia etiam illa eſt irrita, vt infrà videbimus. Ergo in omni ſententia neceſſariò dicendum eſt, ibi dari verè temporale, & validè, quantum eſt ex parte dantis, quòd autem Ius irritet actum, non tollit malitiam Simoniæ, nec rationem oneroſi contractus, & dationis non gratuitæ. Denique confirmatur, quia multæ ſunt obligationes Simoniacè, quæ licet ex Iure poſitiuo ſint nullæ, ſufficiunt ad veram Simoniam, vt obligatio ad gerendum negotium Epiſcopi ordinantis, vel dantis beneficium, obligatio non petendi alimenti neceſſaria eo caſu, quo Epiſcopus dare tenebatur, vel obligatio non petendi debitum. Et præterea in his vix poteſt aſſignari tempus, in quo completur Simonia realis, quæ punitur, ſi in ipſa datione rei ſpiritualis ſub tali obligatione non conſummatur. Quando enim obligationis actus eſt negatiuus, vt non petendi alimenta, quando illa negatio ſufficit? Idem eſt, ſi eſt de non petendo debito; quòd ſi dicatur, ibi ſtatim fieri remiſſionem, & ideò ſtatim ſequi pœnam, inſtabimus ad hominem, quia illa remiſſio fuit nulla, & irrita, ergo nihil per illam datum eſt. Denique etiam quando eſt actus poſitiuus, videtur incredibile, quòd recipiens beneficium ſub obligatione famulatus, non maneat excommunicatus, & ſeruiendo per diem, vel vnum opus ſeruitij inchoando, iam ſit excommunicatus.

31. Inſtatia Nauarri.

Expeditur.

In hac controuerſia quid ſentiendum ſit quoad priuationem beneficiorum, vel nullitatem collationis Simoniacè, in cap. ſequ. dicam, nunc enim ſolùm de cenſuris agimus. In illis verò aliter de ſuſpenſione, aliter de excommunicatione cenſendum arbitror. Dico ergo primùm ſuſpenſio de ordine, de rigore Iuris incurritur ipſo facto in ipſamet ordinatione, etiamſi datio pecuniæ non præceſſerit, ſed tãtùm promiſſio. Hanc aſſertionem quantum ad ſuſpenſionem de Iure antiquo mihi probat ſufficienter cap. penult. de Simonia. Quoad nouum verò Ius, videtur efficaciter probari verbis ponderatis in dicta Extrauag. adiunctis aliis antiquis Iuribus, & doctrinis, quid autem nunc ſentiendum ſit ſtatim dicam.

32.

1. Aſſertio.

Dico ſecundò, quoad pœnam excommunicationis licet dubia videantur verba dictæ Extraua. & poſſint facilè in vtramque partem trahi, nihilominùs veriſimilius eſt ex vi etiam verborum non incurri excommunicationem illam, donec vtraque ex parte completa ſit Simonia. Hæc aſſertio quoad priorem partem ex relatione dictarum opinionum conſtat. Vltima verò pars ſuaderi poteſt ex his, quæ tractat Caſador. deciſ. 5. de Conſtit. Vbi de pœna priuationis beneficij ex profeſſo diſputat, refertque multa argumenta cuiuſdam Aduocati conſiſtorialis pro ſecunda ſententia quoad illam pœnam, & nihilominùs tam ipſe, quàm Aduocatus & (vt indicat) etiam Rota, vt manifeſtum ſupponebant, excommunicationem illam non incurri vſque ad pecuniæ traditionem, ſupponentes, verba illa, *dando, vel accipiendo*, in pretium cadere. Et ſic etiam Gomez in Regul. de Trien. quæſt. 12. refert, abſolutè voluiſſe Rotam, Extrauag. illam ſolùm habere locum in Simonia reali, per quam intelligit vtrinq; completam, nam aliam conuentionalem ibi vocat. Cum ergo illa

33.

2. Aſſertio.

Caſad.

Gomez.

interpretatio non sit aliena à verborum proprietate, & sit mitior, & magis euitet animarum pericula, præferenda est, Accedit, quòd vt Casad. præcipuè testatur, Simoniam vtrinque realem puniat, quod creditur esse receptum, vidente & consentiente Pontifice, quod sufficeret ad derogandum etiam rigori Iuris, si oporteret, quia stylus Curiæ vim habet Iuris. Vnde licet, quod diximus, de suspensione, sit verum ex vi verborum, nihilominùs consuetudo videtur ampliasse illam derogationem, seu limitationem, non credo tamen restrinxisse Ius commune antiquum, quoad suspensionem in ipso latam.

34. Vltimò verò est aduertendum, posita hac interpretatione, & moderatione, nihilominùs Nauar. suprà adiungere, quando Simonia priùs incompleta per traditionem rei spiritualis, posteà completur per traditionem pecuniæ, incurri censuras, non solùm ab illo temporale, sed etiam à die commissi criminis, per traditionem rei spiritualis sub promissione, ita vt censura retrotrahatur. Et ideò dicere solent aliqui Auctores in traditione solius rei spiritualis, nec fuisse censuram incursam, nec omninò non fuisse, sed fuisse quasi suspensam, vt extunc incurreretur, si posteà realis Simonia compleretur. Sed in primis hæc retrotractio non habet in Extrauag. fundamentum: nam si illa loquitur de Simonia reali vtrinque completa, profectò non infert censuram vsque ad complementum delicti cum effectu, & extunc inducit illam, & nó anteà. Sicut irregularitas ex homicidio tunc contrahitur, quando mors consummatur, & non retrotrahitur ad tempus inflicti vulneris mortiferi. Quare si talis retrotractio vera est, nouo aliquo Iure, vel stylo Curiæ introducta est, de quo mihi etiam non satis constat: nec Gomez, aut Casadorus de illo expressè loquuntur, maximè pro censuris.

Et quo tempore incurratur censura.

35. Secundò, sentio illam retrotractionem non cadere verè, & propriè in censuram, neque in illos effectus, qui ab ipsa censura verè, & realiter contracta essentialiter pendent, sed ad summum posse pertinere ad quosdam effectus, qui sine censura possent incurri, qui in præsenti vix possunt inueniri. Prima pars clara est, quia si censura hæc non imponitur nisi propter Simoniam vtrinque realem, quandiù ordinatus, vel beneficiatus Simoniacè non soluit pretium, in re ipsa, & coràm Deo non fuit suspensus, vel excommunicatus, vt Nauar. & omnes fatentur, & est euidens, posita hypothesi, quia in toto illo temporale non erat completum delictum, pro quo erat censura lata: ergo impossibile est, vt pro illo temporale censura vnquam incurratur, quia ad præteritum non est potentia.

36. Secunda pars declaratur inductione; nam ille sic ordinatus, vel beneficiatus celebrans toto illo tempore, irregularis non fit, vt Nauar. etiam fatetur, & bene confirmat. Item, si ordinatus ille absoluat sacramentaliter, valida est absolutio, sempérque erit: item, si beneficiatus ille iurisdictionem exerceat, actus sunt validi, neque vnquam retractantur: ergo quoad hos effectus non retrotrahitur censura. Ratio verò est, quia hæc retrotractio ad summum est secundum quandam fictionem Iuris, illi autem effectus requirunt realem existentiam censuræ, vt irregularitas ex celebratione non oritur, nisi suppositа vera, & reali censura, & ex peccato violandi illam, vt constat, quod peccatum non est, quando absque censura celebratum est; ergo nec irregularitas; ergo nec posteà pullulare poterit, cum delictum, quod est adæquata eius causa non præcesserit. Similiter nullitas sententiæ, vel absolutionis oritur adæquatè in hoc casu ex reali suspensione, seu ablatione iurisdictionis, hæc autem facta non fuit toto illo tempore Simoniæ realis non completæ. Nec verò illi effectus priùs validi possunt posteà annullari propter complementum Simoniæ additum, quia nec Sacramentum semel validum est irritabile, nec sententia iustè, & validè lata debet annullari, hæc enim iam non esset pœna Simoniaci, sed aliorum innocentium. Eadémque ratio est de similibus effectibus.

37. Tertia verò pars in suspensione ab ordine, est clara, nullus enim effectus in ea cogitari potest, per illam retrotractionem fingi possit pro tempore antecedente. In excommunicatione verò inuenitur priuatio fructuum beneficij v. g. vel inhabilitas ad beneficia acquirenda, &c. Et quoad hos effectus potest retrotrahi pœna, quando consummatur Simonia per traditionem pecuniæ: tamen hoc ipsum fieri posset sine censura, vt constat, & ideò nullam retrotractionem, quoad hoc, fingere necesse est in censura, sed solùm in priuatione beneficij, de qua posteà dicemus. Vnde licet Nauarr. multis exemplis declarare conetur, habere locum hanc retrotractionem in excommunicatione, in illis non immoror, tum quia licet sit possibilis, in præsenti non est necessaria, tum etiam quia si quando videtur fieri hæc retrotractio, re vera non est in censura, sed in aliquo extrinseco, vel temporali effectu, qui potest induci per legem, vel sententiam sine censura, vel loco illius. Supponendo ergo in praxi, hanc sententiam posteriorem obseruandam esse, non oportet, fingere retrotractionem pro censuris, nec rem obscuriorem reddere, sed simpliciter fateri, non incurri censuram, donec pretium ex parte aliqua soluatur, & extunc tantùm incipere: de aliis autem priuationibus posteà dicemus. Vnde etiam concedendum est, esse in potestate Simoniaci, accipere Simoniacè ordinem, vel beneficium, & nunquam incurrere censuram, non soluendo pretium. Neque hoc est inconueniens, quia est in manu eius non consummare peccatum omninò. Quòd siquis dicat, per hoc dari licentiam hominibus liberiùs committendi Simonias conuentionales vsque ad obtentionem spiritualium; Respondetur, licentiam non dari, sed non tam rigorosè vindicari delictum, quod potuit aliis rationibus conuenire.

CAPVT LVII.

Vtrùm actio sacra, vel collatio beneficij Simoniacè facta, sit valida, & quo Iure?

1. PRæter censuras, alteri pœna ipso Iure lata, & potissima in Simonia, est irritatio actus, seu contractus Simoniaci, & obligatio, quæ ex illa nascitur, vel ad non retinendam rem Simoniacè comparatam, vel ad pretium restituendum, ideóque de his dicere aggredimur: & priùs dicemus de re spirituali, posteà de pretio. Possunt autem hi effectus intelligi vel ex natura rei, vel solùm per modum pœnæ, vtrumque tractandum est. Atque hinc fit, vt licet suprà dixerimus, pœnas Simoniæ solùm habere locum in Ordine, & Religione, beneficio, seu officio Ecclesiastico, nihilominùs de hac irritatione, vt ex natura rei esse potest absque pœna, dubitari possit, an habeat locum ex natura rei in aliis spiritualibus rebus, vel actionibus, quæ per Simoniam conferuntur, aut fiunt. Vt ergo generales de omnibus proponere possim, aduerto, omnes res, quæ possunt esse materia Simoniæ, ad duo capita reduci posse. Primum est actionum, seu functionum spiritualium, quæ interdum relinquunt post se effectum per illas denuò

Prænotanda.

factum, & poſt illas permanentem phyſicè, vel moraliter, vt ſunt ordinatio Sacerdotum, conſecratio Epiſcoporum; beneficio Abbatum, aut aliarum rerum ſacrarum: Et in hoc Ordine numerari poſſunt actiones Sacramentorum,& profeſſio Religioſa. Interdum verò nullum relinquunt effectum proprium, præter impetrationem aliquam apud Deum, vt benedictio nubentium, vel ciborum, aut oratio,& ſimiles. Secundum caput, eſt rerum permanentium ſacrarum, ſeu ſpiritualium, quæ non de nouo fiunt, ſed ab vno in alium transferuntur, vel alicui de nouo conferuntur cum anteà vacarent. Nam per vacationem non deſtruuntur, vt poſteà fiant de nouo, ſed manent in ſe, ſeu in bonis Eccleſiæ, & per collationem tali perſonæ applicantur;& ad hunc ordinem reduci poſſunt omnes res ſacræ, etiam corporales, & permanentes, quatenus aliquomodo ſpirituales ſunt, vt Reliquiæ, Calix, &c.

2. 1. Concluſio. Dico ergo primò, Actiones, & functiones ſacræ ratæ, & validæ ſunt, etiamſi factæ ſint Simoniacè, ſuóſque habent effectus, niſi vel irritabiles ſint per Eccleſiam, & lata ſit lex irritans illas, vel talem habeant effectum, qui per prauam diſpoſitionem, ſeu obicem operantis impediri poſſit. Probatur, quia ſola culpa Simoniæ non poteſt ſola vi & natura ſua irritare actiones ſacras, vel impedire effectus earum, pluſquàm alia peccata mortalia grauiſſima, quia nulla eſt maior ratio Simoniæ, quàm aliorum peccatorum; ſed peccata per ſe, & vi ſua non irritant actiones ſacras peccaminosè factas, ſi alioqui omnia, quæ ſunt de ſubſtantia earum adhibeantur, maximè ſi non ſint irritabiles per Eccleſiam. Vel etiam ſi ſint irritabiles, ſi de facto non eſt lata lex irritans: nec etiam poſſunt impedire omnes effectus earum, ſed ſolùm illos, qui ex diſpoſitione, vel obice operantis pendent, quia aliàs ratio culpæ, ſeu concomitantia eius per accidẽs ſe habet ad talem effectum; Ergo idem eſt de Simonia ſentiendum. Hæc tamen generalis regula meliùs intelligetur ad particularia deſcendendo,& illam applicando.

3. Ordinatio Simoniacè facta valida eſt. Sequitur ergo, primò ordinationem Simoniacè factam ratam, & validam eſſe, quoad ſubſtantiam ſuam, & quoad effectum characteris. Probatur, quia, non abſtante culpa Simoniæ, intercedũt omnia, quæ ſunt de ſubſtantia, & valore talis actionis, & effectus. Nec talis actio, quoad hoc, eſt irritabilis per Eccleſiam, nec ille effectus pendet ex culpa recipientis, vel miniſtrantis ordines. Vnde quoties Iura dicunt ordinationes Simoniacas eſſe irritas, Doctores exponunt quoad vſum, & executionem ordinum, ſeu quantum per Eccleſiam irritari poſſunt, quod idem eſt, ac ipſo facto ſuſpendi, vt ſuprà dictum eſt.

4. Idem dicendum de Sacramentis. Secundò, ſequitur hoc extendi poſſe ad omnia Sacramenta, quia omnia per ſe ſunt valida, licet Simoniacè conferantur. Vt de Baptiſmo, & Confirmatione eſt euidens, imprimunt enim ſuum characterem. Conſecratio item Euchariſtiæ ritè facta, licet pro pretio, ſine dubio valida eſt. & quamuis ſumatur Simoniacè Euchariſtia, verè recipitur realiter, & Sacramentaliter Chriſtus; non enim recedit Chriſtus propter peccatum ſuſcipientis, vt ex Fide conſtat; & latis clarè docuit Paul. 1. Corint. 11. Idem eſt ſuo modo de extrema vnctione, licet non imprimat characterem; nõ enim iteranda eſt propter Simoniacam receptionem, vel collationem, ſed agenda eſt pœnitentia peccati. Vnde cauendus eſt lapſus (qui calami fortaſſe fuit potiùs, quam mentis) apud Vgolin. Tab. 1. cap. 17. §. 1. num. 4. Vbi ait, extremam vnctionem receptam à Simoniaco non eſſe validam, quia Sacramentum datum perſeueranti in peccato mortali nullum eſt, quia gratiam non confert, in qua tota vis eius poſita eſt, & ideò illa ablata, nullum eſt Sacramentum, quia, ablato fundamento, reliqua adeſſe non poſſunt. Certum verò eſt, valorem Sacramenti non pendere ex effectu, & gratiam non eſſe fundamentũ Sacramenti, ſed effectum, ideóque Sacramẽtum verè recipi à peccatore, licet non recipiatur effectus; imò pium, & probabile eſt, poſſe illud Sacramentum poſteà habere effectum, recedente fictione. Denique etiam matrimonium, licet emeretur in ratione Sacramenti, validum eſſet, vt conſtat. De his enim omnibus manifeſtũ eſt, non eſſe irritabilia per Eccleſiam, nec ratione indiſpoſitionis, ſi ſubſtantia illorum adhibeatur. Idémque eſt ſuo modo in confeſſione, & abſolutione pœnitentiæ. Sed in hoc Sacramento ſunt duo ſpecialia: Circa pœnitentiam aduertendum.

B Vnum eſt, quòd ſubſtantialis materia pendet aliquo modo ex diſpoſitione pœnitentis, & ex hac parte erit irritum, ſi actu committendo Simoniam recipiatur: ſed hoc commune eſt cuicunque actuali peccato mortali, & ita hoc accidentarium eſt ad rationem Simoniæ. Vnde ſi ponamus à pœnitẽte ipſo non committi Simoniam, ſed à tertio, qui pecuniam dedit ignorante alio; tunc ex parte recipientis, validum erit Sacramentum. Aliud eſt proprium huius Sacramenti, quòd poteſt irritari per Eccleſiam, auferendo à miniſtro iuriſdictionem, veruntamen propter peccatum vendendi abſolutionem, non eſt talis pœna inflicta ab Eccleſia, & ideò ex hoc capite nulla etiam eſt irritatio. Igitur abſolutè Sacramentorum collatio licet Simoniacè fiat, valida eſt, & illos habent effectus, qui ex gratia ſanctificante non pendent; gratiam autem non conferent propter obicem peccati, quod per ipſam Simoniam maximè apponitur. Si tamen ponamus, recipientem Sacramentum excuſari à culpa propter ignorantiam, vel licet prius peccauerit, tunc ſufficienter pœnitere, habebit Sacramentum totum ſuum effectum, quia nihil eſt, quod impediat.

C

5. 3. Illatio. Tertiò, infero idem dicendum eſſe de conſecratione Eccleſiæ, vel Calicis, ac denique de omnibus functionibus ordinum cum proportione, & de omnibus benedictionibus Sacramentalibus, quia in omnibus eſte adem ratio: nam hæc omnia vel non ſunt irritabilia per Eccleſiam, ſtante tali inſtitutione, vel nullibi inueniuntur irritata propter Simoniam in eis commiſſam, cum nulla pœna ipſo Iure afficiantur, vt dictum eſt: imò etiamſi præceſſiſſet ſuſpenſio ab Ordine, vel à muneribus Pontificalibus propter aliud crimen Simoniæ, per ſuſpenſionem non irritarentur tales actiones, vt ex materia de Cenſuris ſuppono,& quia nihil tale in Iure inuenitur expreſſum. Obiici poteſt ca. *Eccleſia*, 1. q. 4. vbi ſic dicitur. *Eccleſia, quæ per pactionem conſecrata fuerit, potiùs execrata, quàm conſecrata dici debet.* Eſt ergo irrita talis conſecratio. Gloſſ. ibi dupliciter reſpondet, 1. conſecrationem illam non fuiſſe factam iuxta formã Eccleſiæ, & ideò reprobari. Cap. Eccleſia. Gloſſ.

D

E Sed hoc dicitur ſine fundamento in textu, imò contra illum, quia ratio execrationis non ponitur niſi in pacto, & alioqui dicitur cõſecrata Eccleſia, 2. ergo reſpondet, illud eſſe dictum in odium, & deteſtationem criminis. Sed non explicat, quomodo verè dicatur. Debet ergo intelligi, quantum eſt ex parte ſic conſecrantis: conſecratio enim ex poteſtate, & auctoritate Eccleſiæ, cuius officium exercetur, valida eſt, quia verò conſecrans, quantum eſt ex ſe polluit Eccleſiam, & vt profanum locum illam contrectat, ideò ex parte ſua execrare illam dicitur.

6. 4. Illatio. Quartò infertur, Actus Eccleſiaſticæ iuriſdictionis per Simoniam factos non fieri inualidos ipſo facto ratione Simoniæ, extra prouiſiones beneficiorum, de quibus poſteà. Ratio eſt eadem, quia nullibi inuenitur facta ipſo Iure talis irritatio. Dixi autem,

ratione

ratione Simoniæ, quia de illa tantùm nobis sermo est. Alia enim quæstio est de generali ratione venditionis, An sententia venalis, id est, ob pretium facta, inualida sit, non ratione Simoniæ, sed venditionis in quacunque materia, etiam temporali, quæ ad præsentem considerationem non spectat. Videríque potest Vgolinus Tab. 1. c. 16.

7. 5. Illatio. Nauar. Cõment. 4. de Regul. n. 25. Sot. q. 8. art. 2. Vgolin. Fab. 1. c. 4.

Quintò, infero professionem Religionis per Simoniam factam, esse validam, vt omnes pro indubitato habent, & in Iure clarè supponitur, vt statim videbimus. Et ratio est, quia licet hæc professio potuerit per Ecclesiam irritari, factum non est, nec inuenitur, nec fuisset expediens. Et hic effectus talis est vt non pendeat ex gratia, vel dispositione operantis, si intentionem profitẽdi habeat. Est tamen aduertendum, quòd licet Ecclesia non irritauerit talem professionem, vetuit nihilominùs Religiosum permanere in eo Monasterio, in quo professus est, aut habere in illo Ius ad suam sustentationẽ, quam aliqui vocant Religiosam præbendam. Et olim quidem præcipiebatur trãsferri in alium locum Religiosum, & arctiorem; sic enim dicitur in c. *De Regularibus*, de Simon. *Respondemus vt locum, quem taliter adepti sunt, omninò dimittant, & solitudines, vel alia strictiora Monasteria adeant.* Et additur, quòd licet, ignorante Religioso, fuerit Simonia commissa in eius ingressu nihilominùs cogatur Religiosus loco renunciare, & postea auctoritate Prælati, vel illuc reduci, si absque scandalo fieri possit, vel in alio Monasterio eiusdem ordinis collocari. Item in cap. *Quoniã*, eod. de Monialibus dicitur; *tam recipiens quàm recepta* (vtique Simoniacè) *sine spe restitutionis de suo Monasterio expellantur, & in locum arctioris regulæ, &c. collocentur.* Et extenditur in futurum ad omnes Religiosos. Denique in c. *Veniens*, eod. solùm dicitur, præcipiendum esse tali Religioso, vt in alio Monasterio studeat in habitu monastico Domino deseruire; & additur, illi esse restituendam pecuniam, non quidem sibi retinendam, sed alteri Monasterio tradendam de quo textu plura inferiùs. Ex his ergo Iuribus satis apertè constat, professionem talem esse validam, pœnamverò illam quasi relegationis à Monasterio à Iure humano esse impositam. Et ita sentiunt ibi communiter Doctores, Innocen. Abb. & alij, quamuis nonnulli in re clara dubitationem mouere voluerint.

Cap. *Quoniam.*

Cap. *Veniens.*

Innoc. Abbas.

8. An illa pœna sit latæ sententiæ. Cap. *Veniens.* Cap. *De regularibus.* *Extrauag.* 1. Respondetur negatiuè.

De illa verò pœna dubitari potest an sit latæ sententiæ, vel ferendæ. Nam in cap. *Veniens*, & *Quoniam*, solùm est ferendæ, quia manifestè postulatur actus hominis, scilicet præceptum, vel sententia: at verò in cap. *De regularibus*, indicatur, ipsum Religiosum teneri in conscientia recedere; id enim significare videntur verba illa. *Locum omninò dimittant.* Et fauet Extrauagans prima de Simonia Vbi dicitur, necessariam esse dispensationem, vt sic receptus possit in Monasterio eodem manere. Sed nihilominùs dicendum est, hanc pœnam non obligare in conscientia, donec per Superiorem legitimè imponatur, quia priora Iura apertè loquuntur, & posteriora non declarant aliud sufficienter: nam sub illis verbis; *Locum omninò dimittant*, rectè subintelligitur, quando illis præceptum fuerit, vel si conuicti, & condemnati fuerint. Dispensatio autem vel necessaria esse potest post condemnationem, vel anteà erit vtilis, vt hominem liberet à periculo illius pœnæ, & condemnationis. Et ita tenent Vgolin. suprà §. 4. Leonar. Les. d. cap. 35. dub. 23.

Vgolin. Les.

9. Nauarri opinio.

Contrarium tamen indicat Nauar. d. n. 25. distinguit enim duo in Religioso: Vnum est substantia status Religiosi, aliud est Ius ad Religiosam sustentationem, & locum in domo, in Choro, & in Capitulo, cum voce actiua, & passiua. Et ait, licet Religiosus acquirat primum per Simoniacam professionem, A non tamen secundum, quia est quoddam Ecclesiasticum beneficium, vt ibi ex multis refert, & ita non potest illud retinere, vel illo vti, aut frui, nisi dispensationem obtineat: At si non acquirit illud Ius profectò tenetur in conscientia ante sententiam illud dimittere. Sed nihilominùs priorem sententiam censeo veram, tum quia Monachatus non est propriè beneficium Ecclesiasticum, sed largo modo, & per quandam imitationem, vnde sine dubio non est irritum illud Ius ex vi Decretorum irritantium collationes beneficiorum Simoniacè factas; vel acquisitas, quia neque vox illa beneficiorum extendenda est in lege pœnali, neque talia Decreta de professione Religiosa loquuntur, vt patebit. Neque etiam est irritum illud B Ius per propria Decreta punientia Simoniam in Religione, quia nullum verbum continent sufficienter irritans, vel inhabilitans personam ad tale Ius acquirendum. Alioqui incurreretur illa pœna, & obligatio etiam per delictum occultum, & cogeretur quis in se ipso exequi pœnam relegationis, & discessionis à suo Monasterio, nullo cogente: vel manendo in illo, non posset tuta conscientia frui commodis, & Iuribus professorum, cum excusare non possit onera eorum, quæ durissima sunt, & non imponenda sine expressis, & ineuitabilibus verbis legis.

Reiicitur.

10. 6. Illatio.

Sextò, possumus è contrariò inferre: Omnem actionem iurisdictionis, vel administrationis, seu Iuris Ecclesiastici, quæ ordinatur ad conferendum offi- C cium, vel beneficium Ecclesiasticum, irritam esse ipso facto, nullúmque Ius, vel effectum conferre. Hoc constat de Iure Ecclesiastico in d. Extrauag. 2. vbi in particulari nominantur electiones, postulationes, confirmationes, prouisiones, seu quæuis aliæ dispositiones, & additur vt viribus omninò careant. Vnde non est dubium, quin ipso Iure sint irritæ. Sed quia hæc irritatio eadem est cum priuatione beneficij Simoniacè acquisiti, ideò simul cum sequenti regula, hæc pars explicabitur.

Extrauag. 2.

11. 2. Assertio.

Dico ergo secundò. Acquisitio spiritualiũ rerum, bonorum, aut beneficiorum, seu officiorum Ecclesiasticorum Simoniacè facta ex natura rei valida est, suúmque habet effectum, nisi per Ius Ecclesiasticum D irrita facta sit, vt in Ecclesiasticis beneficiis & officiis factum est. Ratio regulæ est, quia effectus huius acquisitionis est, vt ex vi talis actionis, qui rem spiritualem tradit, dominio, aut Iure, quod illam habet, se spoliet, & illam in alium transferat quantum in se est, & ita alius illam, & Ius in illam acquiret, acceptando largitionem alterius, & hoc ipsum est, acquisitionem esse validam: Sed totum hoc habet locum ex natura rei, non obstante Simonia: ergo. Probatur minor, quia illa abdicatio, & acquisitio fit per voluntarium consensum contrahentium; sed hic consensus interuenit, vt supponimus, non obstante Simonia: ergo Simonia vt sic, non potest impedire talem valorem, & effectum. Dices: Hoc ad summum Obiectio. habere locum in rebus omninò propriis, de quibus E potest quis priuata voluntate disponere; non verò in Ecclesiasticis beneficiis, quæ nisi per Canonicam institutionem dari, vel acquiri non possunt. Sed hoc non obstat, tum quia poterit committi Simonia cum Expeditur. ipso collatore, cuius voluntas de se efficax est ad conferendum; voluntas autem Simoniaca voluntas est: ergo ex natura rei eundem habebit effectum, tum etiam quia licet inter priuatos intercedat pactio Simoniaca, vt qui possidet beneficium pro pecunia præstet consensum, vel renunciet: nihilominùs collatio fieri posset per Prælatum: tunc ergo valida esset collatio, si Ius Ecclesiasticum non interueniret, quia consensus renunciantis validus est, & voluntas collatoris sufficeret, nec tunc cènseretur surreptitia, aut

inuoluntaria, si Ius non irritaret, quia censetur conferens secundum Ius conferre. Atque hæc etiam regula ad particularia descendendo comprehendetur.

12. Sequela ex hac doctrina.

Ex illa ergo sequitur 1. si res sacræ permanentes Simoniacè acquirantur, validè acquiri; ita vt non teneatur in conscientia ille, qui sic eas acquisiuit, à se abdicare, vel dimittere, aut restituere. Exempla sunt siquis emat grana benedicta, vt talia sunt, augendo pretium eorum propter indulgentiam quam habent: idem est de calice consecrato, & illo titulo cariùs empto, vel de reliquiis Sanctorum, & similibus. Ista enim, & similia validè acquiruntur, licet turpiter, & Simoniacè acquirantur. Ratio est, quia nullum est Ius Ecclesiasticum irritans talem acquisitionem, irritatio enim illa esset pœna quædam ipso Iure lata; Simoniæ autem in his materiis commissæ non puniuntur ab Ecclesia talibus pœnis, vt cap. 54. positum est; non est ergo talis irritatio in Iure. Nec etiam est ex sola rei natura, quia illa acquisitio non est cum iniustitia alteri facta, qui talem rem vendit, imò ex parte eius intercedit sufficiens causa translationis dominij, quæ est voluntas eius, quia supponimus dispositionem talium rerum subesse liberæ voluntati eius, & potuisse illas liberè donare, si vellet; ergo ex hac parte datur sufficiens causa translationis dominij, vel quasi dominij talis rei. Nec est aliqua causa, quæ illam impediat; si enim esset aliqua, maximè voluntas Dei: hæc autem non; quia licet prohibeat illum modum acquirendi tales res, non tamen prohibet acquisitionem simpliciter, & ideò non irritat factum, vt paulò inferiùs soluendo quandam obiectionem, magis declarabimus; ergo nullo ex capite est irrita talis acquisitio. Et consequenter ex illa non nascitur in conscientia obligatio restituendi, vel dimittendi talem rem, nunquam enim res acquisita, est per se, & quasi ab intrinseco obnoxia restitutioni, nisi quando per talem acquisitionem non comparatur Ius in ipsa re. Denique vbi non intercedit iniustitia, licet interueniat turpitudo, non nascitur intrinseca obligatio restituendi, quia restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ, vt suppono ex propria materia, sed in hoc casu talis res sine iniustitia acquiritur, vt constat, ergo.

13. 2. Sequela.

Secundò infero, eum, qui acquirit Ius Patronatus Simoniacè, speciali pretio soluendo illud, nihilominùs verè illud acquirere, nec teneri in conscientia ad dimittendum illud. Ita sentiunt communiter Doctores infrà citandi. Et ratio est, quia talis acquisitio non est irrita ex vi Iuris naturæ propter rationem factam, quæ eodem modo in quacunque materia simili procedit. Nec inuenitur ipso Iure irritata per Ecclesiam, ergo est valida; & consequenter non obnoxia de se restitutioni. Minor constat ex suprà dictis, quia Ius Patronatus non est ex materiis spiritualibus quarum Simoniacas translationes Ecclesia pro Iure punit, quia non est officium Ecclesiasticum. Atque idem eodem modo, & ratione dicendum est de pensione acquisita Simoniacè interuentu pecuniæ, siue detur pecunia Prælato imponenti pensionem, siue beneficiato, vt in illam consentiat, siue tertiæ personæ, vt pro illa obtinenda intercedat. Et idem procedit, quamuis pensio Clericalis sit, quia in rigore non est beneficium Ecclesiasticum, & ita non comprehenditur sub lege Ecclesiastica irritante, & ex natura re non datur talis irritatio. Idem est de Vicaria, quæ ad tempus, seu ad nutum conceditur sine titulo beneficij propter eandem rationem, quia licet sit quid spirituale, non est beneficium, & ita in illa procedit ratio proximè facta.

14. 3. Sequela.

Tertiò, idem dicendum videtur de officiis Ecclesiasticis merè temporalibus, quæ ex natura rei vendi possent, & Iure Ecclesiastico prohibentur in c. *Saluator*, & cap. *Ex multis*, 1. q. 3. Nam horum acquisitio per pecuniam non est irrita ex natura rei, vt constat: etiam est irrita ex vi illius prohibitionis Ecclesiasticæ, qua simpliciter vendi prohibentur, quia multa fieri prohibentur, quæ facta tenent quando scilicet lex prohibens non habet verba irritantia actum, talis autem est lex prohibens vendi hæc officia, vt ex citatis capitibus constat. Item, non habet maiorem vim ad irritandam illam acquisitionem prohibitio illa Iuris Ecclesiastici simpliciter facta, quàm habeat lex naturalis prohibens Simoniam per se malam in aliis materiis, sed ad summum facit, vt cum proportione illa sit Simonia, quia prohibita; ergo ex vi illius solius prohibitionis non impeditur acquisitio. Nec etiam ex vi dictæ Extrauag. Ergo ex nullo alio Iure Ecclesiastico, qua nullum adduci potest, vt constat. Minor probatur ab aliquibus, quia venditio illorum officiorum tantùm est Simonia quia prohibita, & valdè impropria, & ideò non comprehenditur sub illa lege pœnali. Sed hæc ratio nobis non placet: nam cap. præced. ostendimus, pœnas illius Extrauagantis extendi ad Simoniam contra leges Ecclesiasticas, idem paulò post ostendemus. Et in contrarium potest obiici cap. *Consulere*, de Simon. vbi hæc Simonia vt vera reprobatur, & grauiter punitur. Nihilominùs tamen censeo, non comprehendi in illa Extrauaganti, quia loquitur tantùm de officiis Ecclesiasticis, quæ sunt beneficia, & consequenter habent aliquam spiritualem administrationem, functionem, vel iurisdictionem, vt cum Nauarro, & aliis paulò post explicabimus.

Ca. *Saluator.* Cap. *Ex multis.*

Cap. *Consulere.*

15. 4. Sequela.

Quartò, principaliter infertur ex dicta regula, beneficia Ecclesiastica acquisita per Simoniam, secluso Iure Ecclesiastico, & stando in puro Iure diuino, ac naturali, validè acquiri, & tuta conscientia retineri potuisse, sine obligatione in conscientia dimittendi illa, vel restituendi fructus vsque ad iudicis condemnationem. Hanc assertionem tractat Sot. d. q. 8. art. 1. in principio corporis, & ad 6. Et miratur non tractari in specie à Doctoribus quæstionem hanc, an acquisitio Simoniaca beneficij sit nulla ex vi Iuris diuini. Et ipse in vtramque partem ponit argumenta, & dubius est, magis tamen in hanc assertionem inclinat. Eodem fere modo procedit Couar. in Regul. *Peccatum*, p. 2. §. 8. n. 7. vbi oppositum attribuit D. Thomæ, de quo statim dicam. Contra hanc verò Assertionem tenét clarè Henr. Quodlib. 6. q. 26. & Adrian. Quodlib. 9. art. 3. imo Armach. lib. 10. de q. Armen. cap. 13. & 25. dixit, obtentionem beneficij per quodlibet peccatum esse nullam ipso facto ex vi Iuris diuini. Ioan. 10. *Qui non intrat per ostium, ille est fur, & latro.* Sed est erronea sententia contra communem sensum Ecclesiæ; accedítque ad errorem VVicleph, qui dixit, Prælatum existentem in peccato mortali non esse Prælatum: item est contra omnem rationem, vt à fortiori patebit ex dicendis. Nec verba Ioannis quicquam efficiunt; tum quia non afferuntur in sensu intento per parabolam, tum etiam quia potest quis per ostium intrare, & non sine peccato intrare; per ostium enim intrat ad beneficium, qui à Prælato illud recipit, licet non pura mente, vel conscientia illud recipiat.

Sot.

Couar. Henric.

Adrian.

Ioan. 10.

16. *Palud. Sylueſt. Caiet. Victor. Redoan. Rebuff. D. Thom. Auguſt. Chryſoſt.*

Assertio igitur posita, vera est, & conformis communi sententiæ Doctorum, qui ferè illam non disputant, quia tanquam claram supponunt. Tenet in specie Palud. 4. d. 15. q. 5. num. 9. Sylueſt. verb. *Simonia*, quæst. 20. Caiet. eod. Victor. 2. p. Relect. de Simon. num. 4. & 5. Redoan. p. 3. cap. 8. num. 4. Rebuff. in Praxi tit. de Simonia in resignatione, num. 15. Probari potest 1. & à priori ex regula posita, quia propter

propter peccatum Simoniæ non fit persona in capax beneficij ex vi Iuris diuini, nec etiam conferens fit impotens ad conferendum, sed ex parte conferentis (vt supponimus) concurrit voluntas vera, & absoluta conferendi, & ex parte recipientis intercedit etiã voluntatis consensus; ergo tenet datio, & acceptio, si Ius humanum illi non obstet. Maior videtur euidens, quia Simonia nec ex natura rei habet illum effectum, eo quòd peccatum mortale sit; hoc enim damnatum est ab Ecclesia in Vviclepho, nec etiam quia tale peccatum est, quia non habet maiorem repugnantiam ex natura sua cum capacitate beneficij, vel potestate conferendi illud, quàm alia peccata. Minor verò supponitur ex facto.

17. Responsio. Sed responderi potest, Simoniam ex peculiari ratione opponi valori collationis, quia excludit gratuitam donationem, ad quam solam data est à Christo potestas, qui dixit: *Gratis accepistis, gratis date.* Et ita si propriè loquamur, Simonia non aufert potestatem conferendi beneficium, sed supponit in Prælato impotentiam ad sic conferendum, quia solùm potest conferre modo sibi commisso à principali Domino tanquam dispensator eius. Et similiter in recipiente non ponit nouam incapacitatem quasi in pœnam delicti, sed supponit, ex vi Diuini Iuris neminem esse capacem ad talem modum recipiendi, quia solùm data est facultas hominibus ad recipienda hæc gratis, non verò ad emenda illa. Et ideò talis emptio ex natura rei inualida est, vtpotè contraria voluntati principalis Domini; ergo per illam nihil acquiri potest; Quæ ratio si valida est, in vniuersum probat de omni acquisitione Simoniaca rei spiritualis, siue sit beneficium, siue quodcunque aliud spirituale donum quod permanenter (vt sic dicam) acquiri possit. Et huic rationi vires adiicit auctoritas D. Thomæ in d. art. 6. Nam illa ratione præcipuè probat in corpore ea, quæ acquiruntur per Simoniam, dimittenda esse, & loquitur maximè de spiritualibus, vnde videtur sentire, de Iure Diuino esse dimittenda, vt Couar. voluit esse de mente D. Thomæ.

D. Thom. *Couar.*

18. Refutatur responsio. Sed contra hoc est 1. quia lex illa, vel Christi, vel naturalis, *Gratis date*, non prohibet substantiam dationis, sed præscribit modum, vt ex forma verborum constat, non fuit enim voluntas Christi, vt spiritualia non darentur, sed vt non darentur tali modo; sed naturalis lex concedens actionem, & prohibens modum non essentialem, non irritat substantiam actionis, licet modus illi desit; ergo ex vi illius legis non irritatur largitio, nec impeditur acquisitio rei spiritualis sic comparatæ, etiamsi in modo committatur defectus. Maior per se nota est ex verbis legis. Minor autem etiam est nota in materia de Legibus. Et explicatur breuiter, quia lex prohibens non irritat actũ nisi vel expressis verbis id declaret (quod nec in illis verbis Christi fit, nec in lege purè naturali locum habet) vel ex materia legis, & ex natura rei constet, modum esse de substantia, & essentia actus, vt est in matrimonio, quòd traditio sit perpetua, vel aliquid simile; nam si modus sit accidentalis, non est, cur defectus illius irritet actum, quando lex specialiter non exprimit. In præsenti autem modus ille gratis dandi postulatur non propter substantiam actionis dandi, & acquirendi talem rem; nam hæc reuera posita est in voluntaria largitione, & acceptione, sed propter decentiam, sanctitatem rei, vt dignè tractetur; ergo talis defectus non est irritans acquisitionem rei spiritualis ex natura rei.

19. Confirmatur 1. quia etiam lex naturalis dictat, gratis esse mutuandum, & tamen licet quis emat mutuum soluendo vsuras, nihilominùs vere acquirit pecuniam mutuatam, & potest illa vti eodem modo, ac si fuisset gratis mutuò data, quia ille modus non est contra substantiam mutui vt sic, licet sit contra substantiam venditionis ipsius mutui, de qua est alia ratio. Potest etiam id declarari, quia lex illa gratis mutuandi, est in fauorem mutuarij, & non debet conuerti in detrimentum eius; magnum autem esset detrimentum, si emendo beneficium mutui, impediretur acquisitio pecuniæ mutuatæ, & ideò valet mutuatio quoad hanc partem, licet non valeat quoad aliam; ergo similiter in præsenti. Simile est aliud exẽplum, quod adducit Sot. nam si hæres, qui tenetur gratis pia legata implere, nolit id facere, nisi pretio accepto, & ideò pauperes, vel Ecclesia emantab ipso talia legata, verè acquirunt illa, & quoad illam partem tenet contractus, & largitio; ergo similiter in præsenti. Et propria materia sunt multa exempla, nam Baptismus Simoniacè collatus, & Ordo validus est, licet detur contra illud, *Gratis date.* Et electio digni prætermisso digniore, valida est, licet in modo sit contra Ius naturale.

Sot.

20. Præterea confirmatur, quia aliàs etiam Simoniacus mentalis teneretur resignare beneficium sic adeptum, contra capit. vltim. de Simonia. Sequela patet, quia obligatio naturalis cadit in occulta, & interna delicta, si iniusta sunt, & habent eundem effectum. Item confirmatur, quia aliàs etiam obtinens rem spiritualem, data pecunia ad redimendam vexationem, & absque Simonia ex parte sua, non consequeretur illam ex natura rei; quia alter Simoniacè dedit; consequens est planè absurdum: ergo. Sequela patet, quia etiam ille non dat iuxta commissionem Domini, & ita non vtitur potestate ab illo concessa (vt illa sententia falsò assumit:) ideò autem hoc non sequitur, quia licet ille malè vtatur potestate, illa tamen vtitur: ita ergo est in præsenti. Simile argumentem fieri potest, quia si quis bona fide recipiat beneficium Simoniacè collatum, quia alius dedit pecuniam collatori, vel in odium alterius, vel ipso contradicente, valida est collatio, & non tenetur resignare, cap. *Nobis*, & cap. *Sicut*, de Simon. Et tamen collator tunc non gratis dedit, vt constat; ergo signum est, ratione illius modi non fieri irritam collationem ex vi solius Iuris Diuini. Idem argumentum sumi potest ex electione Papæ, quæ valida est, etiamsi fiat Simoniacè, vt infrà dicetur, non posset autem esse valida iuxta contrariam sententiam, quia non gratis fit.

Cap. Nobis. *Cap. Sicut.*

21. Denique incredibile, est quòd si quis emat grana benedicta vt talia, vel reliquias, & similia, non possit illa retinere, sed teneatur à se abdicare, nulla enim ratione hoc fulcitur, quia ille nullam iniustitiam fecit contra commutatiuam, sed tantùm irreuerentiam rebus sacris: non enim fecit iniuriam ei, à quo illa emit, vt videtur per se notum, quia ille voluntariè contraxit, & vendidit; imò si aliquis passus est iniuriam, fuit ille, qui pretium dare coactus est, vt capit. 59. dicemus, nec etiam Deo fecit propriam iniuriam, quia non inuito Deo accepit (vt sic dicam) quoad acceptionem, sed solùm quoad modum irreligiosum, & ideò peccatum illud reuera non est contra iustitiam, vnde non habet, vnde ex natura rei ad dimissionem rei obliget: nec etiam designari potest, cui esset reddenda, quia non debetur illi, qui dedit, seu primo possessori, & non est cur alteri debeatur ex aliqua lege naturali. Nec etiam est cur dimitti deberet in manibus Prælati, si esset beneficium: nam si collatio Simoniaca non esset valida ex natura rei, etiam resignatio Simoniaca non fuisset valida, vnde maneret beneficium apud renunciantem, eique esset reddendum, quod dici non potest, vt ostensum est. Contra hanc verò assertionem inducuntur aliqua Iura, quibus in sequenti puncto satisfaciemus, simúlque

que ad D. Thomam respondebimus.

12. 4. Sequela. Quartò, principaliter infertur, acquisitionem beneficij Ecclesiastici Simoniacam, ex Iure Ecclesiastico nullam esse, nullúmque Ius, aut verum titulum acquirenti conferre. Sententia est D. Thom. d. artic. 3. ad 3. vbi, Vbi omnes, & in 4. distin. 15. & 25. Paludanus, & alij relati præcedenti assertione Medin. Codice de Restit. quæstion. 20. ad 3. Eadem est communis Iuristarum, & videri potest Felinus capit. *In nostra*, de Rescription. numer. 13. & alij infrà citandi. Rebuffus, & Redoanus suprà illam probant, quia committens Simoniam in beneficio est excommunicatus, collatio autem beneficij facta excommunicato, nulla est. Sed hæc ratio parùm probat, quia priùs fit collatio beneficij, ergo non annullatur collatio à tali excommunicatione. Ratio ergo propria B est, quia expresè annullatur in Iure: maximè in dicta Extrauagant. de Simonia. Vbi in distinctis clausulis hæ pœnæ feruntur, & priùs irritantur collationes, prouisiones, electiones, &c. Et posteà fertur generalioribus verbis excommunicatio, tanquam quid etiam posterius. Et hanc pœnam confirmat Pius Quintus in sua quinta constitutione distinctè illam explicans in dignitatibus, & beneficiis. Ratio est optima, quia meritò quis punitur in eo, in quo deliquit, & punitur ipso Iure, quia pœna est in acquirendis, non in acquisitis, & delictum est grauissimum.

Palud. Medin. Felin. *Rebuff. Redoan.* *Pius V.*

13. An hæc pœna sit antiquioris Iuris Canonici? Quæri verò potest, An hæc pœna sit antiquioris Iuris canonici. In quo sententia communis affirmat. C Probaríque solet ex cap. 1. & capit. *Gratiam*, 1. quæst. 1. Vbi fit hæc illatio. Gratis non accepisti, ergo gratiam non accepisti: quæ videtur fauere opinioni dicentium, hoc esse de Iure Diuino: sed ibi est sermo de Simonia in Ordine: vel supponitur suspensio iam tunc lata ab Ecclesia, vel solùm inde concluditur, ordinem sic acceptum non dare gratiam & sanctitatem, vt Ordines sanctè administrentur. Meliùs probatur ex cap. *Si quis Episcopus*, ead. ibid. *Nihil ex hac ordinatione, vel promotione, quæ est per negotiationem facta, proficiat, sed sit alienus à dignitate.* Sed hæc etiam verba possent in rigore exponi de depositione, vel priuatione facienda, vt expresè præcipitur in cap. *Presbyter*, & in cap. *Erga*, At verò capit. *Siquis neque*, non videtur pati expositionem, nam in eo dicitur, quòd si tali modo dignitatem acceperit, *& in vita sua non sponte reliquerit, &c. in æternum peribit.* Sed nihilominùs non probat, tum quia videtur loqui non tantùm de Simoniæ vitio, sed etiam de qualibet indigna acquisitione Ecclesiasticæ dignitatis; tum quia posset intelligi, illum periturum si manens ita indignus, retineant dignitatem, non propter pœnam priuationis, sed quia est in malo statu, cum sit indignus. Vnde nisi vel indignitatem tollat, vel dignitatem relinquat, & ita impœnitens moriatur, (vt dicitur in fine textus) damnabitur. Tum etiam quia clarè loquitur de Simonia in Ordine, vnde ad summum probat suspensionẽ ipso facto propter Simoniam in Ordine, vt ibi Glossa exponit, quòd an sit verum, suprà dictum est. Adducitur etiam caput *Si quis dator.* prima, quæst. tertia. Vbi de hoc Simoniaco ait Gregorian. *Beneficio accepto frustratur, Rationis ergo vigore cogitur, quod iniustè receperit, restituere.* Sed expendenda sunt antecedentia verba. *Perpetua mulctetur damnatione.* Eodem ergo modo frustratur beneficio, & cogitur illud, vel pecuniam (vt Glossa vult.) restituere. Quod verò dicitur, *Rationis vigore*, non ideò dicitur, quia hæc pœna ex vi solius rationis incurratur, sed quia iustissima ratione imponitur.

Sententia communis affirmat. *Cap. Siquis. Episcop.* *C. Presbyter. Cap. Erga.* *Glossa. Cap. Siquis. Greg.*

14. *C. Matthæus.* Meliùs probatur hæc sententia ex cap. *Matthæus*, de Simon. Vbi clarè dicitur, illum, qui ingressum Simoniacum habuit ad beneficium etiam occultum, teneri in conscientia consulere animæ suæ, dimittendo illud. Et licet Pontifex videatur dare consilium, cum dicit, *Consilium petisti*, non est quia non iudicet, id esse necessarium ad salutem, sed quia non imponi ipse nouum præceptum, cum res esset occulta, sed tantùm declarat obligationem, quæ in re ipsa inerat, vt ibi notat Gloss. Optimè etiam probatur ex illius Iuribus, quæ disponunt, etiam illum, qui bona fide recepit beneficium Simoniacè collatum, non posse illud retinere, nisi in certis casibus, vt statim dicetur: nam illa Iura clarè supponunt, talem collationem irritam esse saltem ex ordinatione Ecclesiæ. Videtur ergo dicendum in antiquioribus Iuribus Decretorum, non esse hanc pœnam ipso facto satis expressam: tamen in Decretalibus satis clarè contineri, vt sentiunt Canonistæ citatis locis, & in capit. vltimo de Simonia, ex quo textu per argumentum à contrario id colligitur: nam in Simonia mentali vt speciale dicitur, non oriri obligationem resignandi; ergo supponitur in reali oriri. Et ita docent ibi Abb. Antonius, & alij in cap. *Quod in dubiis*, de Renunciationi. Et videri possunt Redoanus 2. par. cap. 10. numer. 33. Burgas, de Irregularitate titul. de Simonia num. 74. Est ergo hæc pœna insinuata in antiquioribus Decretis, posteà verò in Decretalibus quasi completa est, in dicta autem Extrauagant. expressiùs proposita, & declarata est.

Gloss. Resolutio. *Abbas. Anton. Redoan.*

15. Ad quid teneatur talis Simoniacus? Ampliatur autem, & declaratur hæc pœna multis modis. Primus est, quia tenetur is, qui sic beneficium accipit, ad relinquendum illud cum omnibus fructibus ab illo perceptis, vel sua culpa non perceptis sponte, & in conscientia ante omnem condemnationem, deductis expensis factis in vtilitatem Ecclesiæ, vel beneficij, vel in colligendis fructibus, iuxta generales regulas restitutionum, vt notauit D. Thom. d. art. 6. ad 3. dicunt omnes, & benè explicat Cassad. decis. 6. de Præben. Nauarrus Consil. 9. de Simonia. Et ratio prioris partis est clara, quia ille non acquirit Ius aliquod in beneficium, vt expresè dicitur in illa Extrauagante, nullus autem potest retinere in conscientia rem alienam, in qua nullum habet Ius: ergo. Et inde ex natura rei sequitur altera pars, quia contra iustitiam est percipere fructus rei non suæ. Et præterea, id est expresè declaratum in d. Extrauagan. Quocirca licet hæc priuatio, seu irritatio, sit de Iure Ecclesiastico, tamen illa supposita, obligatio relinquendi beneficium cum omnibus suis fructibus est de Iure Diuino naturali, quia nascitur ex naturali præcepto restituendi alienum.

D. Thom. Cassad. Nauar.

16. Declaratio traditæ doctrinæ. Solùm est aduertendum, sermonem esse de fructibus beneficij, qui sunt omnes illi qui competunt ratione tituli, licet mediante ministerio aliquo competant. Solent autem habenti beneficium prouenire alia emolumenta occasione illius, vt stipendia Missarum, quæ tali personæ commendatur, vel quæ extraordinariè dantur pro suffragiis, & hæc non veniunt restituenda, quia non sunt fructus beneficij, sed stipendia personalium laborum, vt benè Cassadorus, & Nauarrus suprà. Qui idem dicunt de distributionibus quotidianis, quod est probabile, & benigum, quia videntur competere ratione personalis laboris, non caret tamen scrupulo, quia non respondent illi labori vtcunque, sed vt fundato in tali titulo, cur enim non debentur intruso, qui sine titulo vult Choro adesse, & cantare, sicut alij, & cum eadem remuneratione. Certè hoc videtur in rigore veriùs: maximè quia etiam distributiones suo modo inter fructus beneficij computantur de quo aliàs. Addendum est, quòd quia Summus Põtifex supremus est dispensator tàm beneficiorum, quàm fructuum, licitum est compositionem

De distributionibus.

positionem à Summo Pontifice obtinere, qua obtenta, sine surreptione, & fraude tutus erit in conscientia. Si autem compositio non fiat cum Pontifice, fructus restituendi sunt Ecclesiæ beneficij, iuxta commune Ius: quia in illa semper manet Ius ad illos. De quo Sylvest. *Restitutio*, 4. quæstion. 1. Nauarrus capit. 17. numer. 18. & Cons. 72. de Simonia, & tractatu de Spoliis §. 12. numer. 4. Vi addit, posse etiam restitui hos fructus proximè succedenti in beneficio. Sed intelligendum hoc puto, vbi fuerit consuetudo, vt fructus beneficij vacantis reseruentur successori, alioqui successor nullum habet Ius, sed Ecclesiæ, vel illi, ad quem pertinerent, si vacaret beneficium, sunt reddendi. Alij dicunt ex consuetudine restitui Curiæ Apostolicæ: quæ seruanda est, vbi de illa constiterit.

Nisi compositio fiat fructus restituẽdi sunt Ecclesiæ. Sylvest. Nauar.

27. Hæc pœna locum habet tàm in publica, quã in occulta Simonia. *Couar. C. Matthæus.*

Secunda ampliatio est, hanc pœnam habere locum non solùm in publica Simonia, sed etiam in occulta. In quo, vt Couarru. suprà notat, verb. *Apud veteres*, antiqui Doctores solebant distinctione constituere: sed reuera immeritò. Nam dict. capit. *Matthæus*, apertè loquitur de occulta Simonia, & in Iure nulla fit talis distinctio. Sed per nouum Ius Extrauagantis ablatum est omne dubium; nam in ea dicitur. *Et eorum quemlibet, tàm manifestum, quàm occultum.* Nam licet hæc verba sint in principio, & cadant immediatè in generalem renouationem, & ampliationem antiquarũ pœnarum, tamen à fortiori cadunt in pœnas particulares in illamet lege specialiter declaratas. Denique licet nulla esset de hoc specialis declaratio, ex ipsa natura talis pœnæ, sequitur intrinsecè, ac necessariò hic effectus. Quia irritatio collationis efficaciter fit per legem, & lex est absolutè, ac sine distinctione irritans; ergo siue occultè, siue publicè fiat Simonia, semper collatio est irrita. Sed obligatio dimittendi, & restituendi, quæ ex collatione irrita nascitur, intrinsecè etiam sequitur ex natura rei, & nullitate acquisitionis; ergo ad illam nihil refert, quod delictũ sit occultum, magis quàm publicum. Quod si quis obiiciat, contra naturam esse obligare aliquem vt se probat: Respondemus non obligari huiusmodi Simoniacum ad suum delictum prodendum, nec ad infamandum, sed ad renunciandum beneficio, quod potest facere aliquo honesto colore, non declarando suum delictum, & ad restituendos fructus, quod potest facere occultè.

Nõ cogitur Simoniacus se prodere cum cogatur restituere.

28. Tertia ampliatio assertionis.

Tertiò ampliatur assertio, vt locum habeat, non solùm quando Simonia commissa est ab eodem, qui sic consecutus est beneficium, sed etiam si per tertium interuentorem commissa sit. Quod potest contingere variis modis, scilicet vel sciente prouiso, seu prouidendo de beneficio, vel ignorante. Et rursus vterque modus subdistinguendus est, nam esse potest, vel repugnante, & contradicente electo, vel tacente, & non repugnante, nec etiam positiuè concurrente. Primò si alius dederit pecuniam, sciente illo, cui electio vel beneficium procurabatur, & non contradicente; tunc est certum, collationem esse inualidam, quia ille sciens Simoniacam intentionem, deberet resistere; vnde non resistendo, tacitè consentit. Item à fortiori hoc constabit ex dicendis: nam etiam respectu ignorantis, qui nullam præmisit contradictionem, collatio est infirma, vt dicemus: ergo multò magis si sciuit, & non contradixit, quia ille non fuit particeps culpæ, iste verò non potest excusari, quia tacens, & non resistens, cum posset, & deberet, consentire censetur. Et ita sentit Glossa in c. *Sicut tuis* ver. *Præbere* tradunt Vgolin. Burgas. & alij citati.

Varij interueniẽdi modi pro tertio 1. Modus.

29. 2. Modus.

Secundò, si prouisus sciuit Simoniam, quæ committebatur, & contradixerit, ac declarauit, se illi non consentire, dicunt aliqui, illi non nocere quominùs validè consequatur beneficium. Ita sentit citata Gloss. & Burgas. suprà & Vgolin. Tab. 4. capit. 6. numer. 3. & videtur posse colligi ex dicto capit. *Sicut tuis.* Quatenus priùs videtur supponere scientiam ibi. *Cum hæc fieri pro extorquenda pecunia comperisses, &c.* Et posteà subdit, aliud esse non consentire, aliud contradicere, & qui contradit, non debere pati ob peccatum alterius, ergo ex mente Pontificis non obest scientia delicti, si contradicat eligendus. Contra hoc verò obstat idemmet textus, qui duas illas conditiones coniungit, *contra prohibitionem, & voluntatem tuam, & te penitùs ignorante.* Et ita videtur illas requirere, vt delictum non imputetur, nec pœna. Et retione declaratur: nam si quis sciat, Simoniam esse commissam, quantumuis ipso contradicente, commissa fuerit, nihilominùs voluntariè susçipit beneficium per collationem, quam scit Simoniacè fieri; ergo non consequitur validè beneficium, sicut nec obtineret executionem ordinum, si ita Simoniacè ordinaretur. Distinguendum ergo mihi videtur de scientia: nam potest quis scire electorem, vel prouisorem beneficij affectare pecuniam, & habere prauam intentionem, ignorare tamen quod aliquis eam dederit, & tunc si prohibitio, & contradictio eius intercedat, & posteà bona fide nesciens, largitionem fuisse factam, beneficium acquirat, validè acquirit. Et hic est casus dicto c. *Sicut tuis.* Aliter verò accidere potest, vt sciat non obstante sua contradictione, largitionem esse factam, & ita collationem Simoniacè fieri, & tunc credo, non excusari, recipiendo beneficium à sic conferente, vt probant rationes posteriori loco factæ, quia ille reuera Simoniacè recipit, non ignorans, sed sciens, & cooperant aliquo modo Simoniæ saltem quoad executionem eius.

Gloss. Vgol. Burg.

Distinctio ad rei intelligentiam.

Ex his ergo constat tertiò quando ex parte recipientis beneficium, non interuenit scientia delicti, & præcedit contradictio, & repugnantia ex parte eius, quia licet non præscierit delictum, potuit illud timere, vel suspicari, & ideò, quantum in ipso fuit, illi contradixit, tunc collationem esse validam, & firmam, ita vt nihil vnquam possit nocere sic prouiso aliorum peccatum, si ipse nunquam illi consenserit. Hæc enim est expressa definitio dicti cap. *Sicut tuis.* Vbi ratio redditur, quia aliàs contingeret, quod vnius factum fortasse inimici, & insidias parantis alteri, ei noceret, cui penitùs displiceret, & sic aliquis de fraude sua commodum reportaret. Quamuis autem in hac ratione fiat mentio inimici parantis insidias, id factum esse credendum est, vt clariori exemplo vis rationis intelligeretur: idem autem dicendum est, etiamsi mediator ille, qui pecuniam dedit, ex humano, & indiscreto affectu, & amicitia id fecerit, nam ita factum fuerat in casu illius textus, vt ex narratione facti apertè colligitur in illis verbis. *Sed quidam de fratribus, te in consulto, & ignorante.* Et tamen in illo etiam casu non potuit aliorum delictum innocenti, & contradicenti nocere, quia motiuum aliorum odij, vel amoris, parùm refert, quia fundamentum illius decisionis non est, nisi innocentia, & contradictio ex parte alterius. Quamuis quoad præsumptionem exteriorem faciliùs credatur non consensisse, vel repugnasse, quãdo pecunia datur ab extraneo, quàm si detur à consanguineo: & ideò in illo textu imponuntur illa verba. *Præsertim cum nulla sit tibi consanguinitate coniunctus*; non quia id pertineat ad veritatem rei, sed ad præsumptionem.

30. 3. Modus.

Adduntur verò in illo textu hæc verba, *A qua post modum non recessisti*, scilicet à voluntate contradicendi, & iterùm, *nisi posteà consenseris, pecuniam soluendo promissam,*

31.

promissam, aut reddendo solutam. Circa quæ considerandum est, posse mutationem hanc accidere, vel ante obtentum beneficium, vel post. Quando præcedit, manifestum est, per eam reuocari priorem contradictionem, & præberi consensum, & influxum, ac cooperationem ad Simoniam, ac subinde reddere inualidam collationem, non minùs, quàm si contradictio non præcessisset. Et propter hoc videntur addita illa verba priora. *A qua post modum non recessisti,* & tunc constat, eandem culpam, & pœnam incurri. At verò quando consensus subsequitur; quærunt in primis Glossa ibi, & Abbas, An illa sit propria Simonia, nec ne. Et resoluunt cum Tancred. non esse, quia ille soluens pecuniam non emit beneficium, sed consentit venditioni iam factæ. Nec ibi habet locum retrotractio, quia priùs delictum non fuit factum nomine, & auctoritate consentientis posteà, sed absolutè peractum fuit: Sed distinguendum est, nam vel ille soluit pecuniam amico, verbi gratia, qui pro se dedit, non intendens approbare factum eius interiùs, vel exteriùs, sed solùm liberali animo, ne sua causa detrimentum illud patiatur, & tunc clarum est, non committere Simoniam, vt in simili ferè dixit Nauar. Consil. 10. de Simonia, vel soluit quasi approbando, & gratificando factum, & tunc planè inuoluitur vitio Simoniæ, quia quoad intentionem illud habet pro obiecto, & ex illa intentione imperat talem solutionem pecuniæ. Quamuis ergo non possit dici propria causa illius Simoniæ, quo sensu asseritur, nō habere ibi locum ratihabitionem, est tamen approbator Simoniæ, quod ad malitiam illius speciei sufficit. Et ad vtramque optimè induci potest cap. *Cum quis*, de sententia excommunicationis in 6.

Gloss. Abbas. Tancred.

Nauar.

C. Cum quis.

32. Dubiū suboritur, & resoluitur.

Tunc verò oritur optimum dubium circa pœnam illius delicti, An ille sic consentiens priuetur ipso facto beneficio acquisito. In quo licet possint esse opiniones, mihi quidem videtur, non incurrere talem pœnam ipso facto. Primò argumen. d. capit. *Cum quis.* Vbi in simili casu dicitur, non incurri pœnam excommunicationis, & ita credo, neque hic incurri. Secundò, quia ille consensus subsequens iam supponit collationem validam, vt constat, quia bona fide, & cum contradictione perseuerante receptum est beneficium, ideóque non existimo, per subsequens peccatum amitti ipso Iure beneficium, nec collationem fuisse dependentem ex futuro euentu, vt incipiat esse inualida eo ipso, quòd peccatum committitur, quia nullum est fundamentum ad tantum rigorem præsumendum. Illa ergo verba secundo loco posita ad denotandam nouam culpam posteà commissam, addita sunt, quæ in tali facto præsumitur, nisi oppositum clarè probetur, vt sentit Nauarrus suprà. Et ideò probabile est, propter illud delictum posteà commissum, posse per iudicem irritari priorem electionem, aut priuari illum beneficio, quia nouum illud delictum tali pœna dignum est. Quòd verò hæc pœna ipso facto incurratur, ex illo textu colligi non potest: tum quia proximè ante illa verba dictum fuerat: *Nihil debet tibi ad pœnam, vel culpam imputari.* Et posteà subiungitur exceptio, *Nisi posteà consenseris, &c.* Vnde in rigore solùm concluditur, tunc imputari ad culpam, vel pœnam, non verò quod ad vtrumque simul imputetur: Tum etiam quia licet demus, imputandum esse ad pœnam non tamen ad eandem eodem modo incurrendam, cum delictum sit longè diuersum, & status causæ, & materiæ etiam variatus sit. Et hæc fuit opinio Tancredi, vt refert Glossa in dicto capit. *Sicut*, à qua ipsa non recedit. Clariùs tenet Adrianus dicto Quodlib. 6.

Nauar.

Tancred. Gloss. Adrian. Panor.

A artic. 3. Panormitan. etiam in d. cap. *Sicut*, in fin. solùm sub distinctione dicit, quòd iste tenetur dimittere beneficium, vel potest priuari. D Thom. autem d. quæstion. 100. artic. 6. ad 3. absolutè dixit. *Non tenetur ad renunciandum, nisi post modum pacto consenserit soluendo, quod fuit promissum.* Sed intelligendum videtur cum limitatione dicta, si per sententiam ad hoc obligetur.

D. Thom.

Tandem contingit, vt Simonia committatur prorsus ignorante illo, quia consequitur beneficium, & non contradicente, qui nullam occasionem, vel suspicionem habuit ad contradicendum. Et tunc etiam distinctione vtitur D. Thomas suprà, quia vel illa pecunia data est in odium talis personæ, vt quando datur ab inimico solùm ad impediendum ne ille consequatur beneficium. Tunc enim ratio postulat, vt Ecclesia non patiatur, innocentem iniustè pati, ne detur occasio pessimis hominibus iniurias inferendi innocentibus, & dignis, & impediendi promotiones alioqui ritè faciendas. Quæ ratio habetur in dicto capit. *Sicut tuis*, vt suprà retuli, & ita hæc pars satis in illo insinuatur: & expressiùs habetur illa exceptio in cap. *Nobis*, eodem, quibus locis Gloss. & omnes illam admittunt. Vel pecunia illa data fuit in fauorem, & beneficentiam personæ prouisæ, ipsa ignorante, & non contradicente: & tunc ait D. Thomas teneri prouisum statim, ac fuerit de Simonia conscius, relinquere beneficium, & fructus receptos restituere, his exceptis, quos bona fide perceperit. Quam sententiam referunt Couar. & Nauar. Et non audent illi contradicere, tamen quia in fundamento eius non conueniunt, non satis consequenter loquuntur in aliis, vt iam dicam.

33. Vlt. modus.

D. Thom.

C. Sicut tuis. Cap. Nobis.

D. Thom.

Couar. Nauar.

Dubitari ergo potest, An collatio beneficij per Simoniam facta sic ignoranti, valida sit. Nauar. Consil. 95. de Simonia hoc ex professo disputans dicit, non esse irritam ipso facto, seu irritandam; eúmque sequitur Vgolinus, Tab. 4. capit. 7. Fundantur, quia non explicatur hæc pœna in Iure per verba, quæ denotent, ipso facto, vel ipso Iure incurri, sed per verba de futuro, quæ solent postulare condemnationem. Assumptum patet ex capit. *Nobis*, de Simon. Vbi de hac collatione dicitur, *Est penitus reprobanda* id est, irritanda: & in capit. penult. de Electione. Idem probatur ibi. *Si contigerit reprobari*, quia non reprobatur, nisi quod aliquomodo subsistit, malè tamen factum est. *Post liberam resignationem*, quia non resignatur, nisi quod habetur. Denique in Extrauagant. 2. de Simonia solùm irritantur collationes, præsentationes, &c. *dando vel recipiendo* factæ, ac subinde à scientibus receptæ, non ab ignorantibus. Couarruuias etiam in Regul. *Peccatum* 2. part. §. 8. numer. 7. & 8. Fatetur ex Iure positiuo non haberi talem irritationem ipso facto. Tamen quia credit iuxta doctrinam Diui Thomæ necessarium esse fateri, talem collationem esse irritam ipso facto, ideò recurrit ad Ius diuinum, dicens talem collationem ex vi Iuris Diuini non tenere. Sed hoc iam ostensum est, esse falsum in re ipsa. Vnde non credimus etiam, fuisse hanc intentionem Diui Thomæ: sed suppositisse Ius Ecclesiasticum, quod adducit in argum. *Sed contra*, & in corpore reddidisse congruentem rationem illius Iuris, non quia per se sufficiens esse ad inducendam irritationem, nisi accessisset Ecclesiasticum Ius, vt iterùm in fine corporis concludit, & iuxta hanc mentem procedit in solutionibus argument. In quibus vtitur distinctionibus sumptis ex Iure Ecclesiastico, vt si ignorans contradixit, vel non contradixit, si pecuniæ largitio facta est in odium, vel fauorem prouisi, quæ certè

34. An collatio Simoniaca sit valida ignorantis Nauar. Vgolin.

Cap. Nobis.

non

non possunt in solo Diuino Iure fundari, loquitur ergo secundum Ius humanum.

35. Conclusio.

Dico ergo, collationem factam sic ignoranti, esse ipso facto nullam, & consequenter habere hoc ex Iure positiuo. Ita sentiunt, mea sententia, reliqui Theologi cum D. Thom. & sumitur etiam ex Canonistis super Iura citata, quæ nunc ampliùs ponderabimus, præsertim ex Abb. in cap. Penult. de Elect. Cassador. & Ludou. Gomez. apud Nauar. suprà. Probatur ergo assertio ex tribus effectibus ab omnibus receptis. Primus est, quia iste ignorans, cum primùm sciuerit vitium suæ collationis, tenetur in conscientia statim relinquere beneficium, nulla expectata condemnatione, vel sententia, seu ad Superiorem legitimum recurrere, vt de remedio B prouideat. Hoc docet D. Thom. clarè; sequuntur Caietan. Sot. & alij, & Couarru. non audet negare, nec Nauarr. qui expressè hoc docet Cons. 97. de Simon. in principio, & idem sensit in Cons. 95. Fatetur etiam Vgolin. d. cap. 7. §. primo. Et colligitur clarè ex cap. *Ex insinuatione*, de Simon. Vbi id notant Gloss. verb. *Resignasti*, Abb. & alij. Et expressiùs ex d. cap. *Sicut tuis*, sic dicente. *Quamuis secundùm sacrorum Canonum instituta, etiam paruuli, qui cupiditate parentum Ecclesias per pecuniam sunt adepti, eas dimittere teneantur.* Et habetur in cap. *Quicunque.* 1. quæstion. 1. *Postquàm illas omnino dimiserint.* Tenentur ergo eas dimittere in conscientia, etiamsi non cogantur exteriùs. Hic autem effectus C non aliunde prouenit, nisi quia rem alienam, inuito domino, retinere non possunt, vt etiam Nauar. & Vgolin. expressè fatentur, ergo beneficia sic accepta non fiunt recipientis, quia non sunt sua, sed aliena, ideò enim tenetur ea dimittere; ergo collatio fuit nulla: tunc enim dicitur nulla, quando per eam non fit beneficium recipientis. Quæ ratio videtur mihi demonstratio moralis: Nam siquis dicat, beneficia fuisse verè sic possidentis, quàndiù durauit ignorantia, statim verò, ac cognouit vitium, amisisse illa (quod insinuare videtur Nauar. d. Cons. 95. num. ver. *Tertiò*, in vltimis eius verbis) hoc profectò nulla probabilitate dicitur, tum quia multò difficiliùs quis beneficio semel obtento validè, & quod D verè fuit suum spoliatur, quàm impediatur eius acquisitio. Tum etiam quia nullum est Ius declarans magis illam nullitatem ab illo tempore, quàm antea, tum etiam quia noua scientia non attulit per se maiorem culpam, vel rationem priuationis beneficij, quàm anteà fuisset, sed ostendit defectum, qui inerat, & obligationem, quæ ignorabatur. Nec enim dici potest, interueniente scientia, illum fieri dignum priuatione, quia non dimittit, quia vt hæc sit culpa, oportet supponere, quòd ante commissam talem culpam, ipse teneatur dimittere, & quòd aduenies scientia statim ostendi talem obligationem, aliàs non peccaret non dimittens: ergo scientia ostendit, beneficium non esse suum, non facit: ergò à principio non E fuit suum.

Abbas. Cassador. Gomez. Nauar. Qui sit collationem sibi factã fuisse Simon. tenetur statim se habere pro nõ habente. *D. Thom. Caietan. Sot. Couar. Nauar. Vgolin.* Cap. *Ex insinuatione.* Gloss. *Abbas.* Cap. *Sicut tuis.* Ca. *Quicunque.*

36. Non solùm beneficium, sed fructus est restituẽdus.

Secundus effectus, ex quo id euidentiùs ostenditur, est quia tenetur iste talis restituere fructus omnes, non solùm à die vitij cogniti, sed etiam à principio obtentionis beneficij, cum hac differentia, quòd fructus prioris temporis tenetur restituere tanquam bonæ fidei possessor, & ideò non tenetur restituere, quos bona fide consumpsit, nec quos recipit tanquam condignum stipendium sui operis, ac ministerij, etiamsi mediante titulo beneficij obtineantur, vt sunt distributiones quotidianæ, aut personales, quia bona fides totum hoc indubiè operatur, estque maximè consentaneum rationi, & iustitiæ: tenetur tamen restituere fructus alios extantes, vt D. Thom. dixit. At verò fructus posterioris temporis, seu perceptos à scientia vitiosi ingressus, & à mora culpabili in dimittendo beneficio, tenetur restituere tanquam malæ fidei possessor, vel sicut diximus de illo, qui scienter acquisiuit Simoniacè beneficium, in qua doctrina omnes etiam cum D. Tho. conueniunt, Couar. suprà, Nauar. d. Cons. 90. 95. & 97. Cassador. decis. 6. Vgolin. dicto capit. 7. §. 2. Hæc autem obligatio restituendi antiquiores fructus, non potest fundari, nisi in hoc, quòd licet possidens naturaliter beneficium, illos receperit bona fide, tamen reuera recepit ex re non sua, & ideò non fecit illos suos, ac subinde nec retinere illos potest; ergo signum clarum est, collationem à principio non fuisse validam. Nam si fuit valida, ergo recipiens verè possidebat beneficium suum, ergo faciebat suos omnes fructus eius, quo ergo Iure obligatur postea partem eorum extantem restituere, vel potiùs à se abdicare (cum sit sua) nullo cogente. Quin potiùs nec per sententiam posset illis iustè priuari, si statim dimisit beneficium, quia puniretur in re verè sua sine culpa, & sine illo Iure. Nullum enim Ius speciale est positiuum, quod de tali restitutione, vel ablatione horum fructuum disponat, vt fatetur Nauarrus dicto Cons. 95. numero 3. §. *Quartò*, Vbi videtur negare, esse necessarium hanc restitutionem, cum nihil de hoc disponatur. Cum verò posteà, & sæpè aliis locis fateatur esse necessarium cum communi, & certa sententia, videtur ibi intelligere, non est necessariam ex speciali dispositione Iuris; est ergo necessaria ex necessaria illatione alterius Iuris, quod non potest esse aliud nisi annullans collationem, vt ostensum est. Tunc autem restitutio facienda est Ecclesiæ iuxta supra dicta. Sed retorquet argumentum Nauarrus. Nam si collatio beneficij à principio fuisset inualida, non tantùm extantes fructus, sed omnes simpliciter essent restituendi; quia nulla (inquit) ratione excusari posset ab aliqua parte, si collatio non valuisset. Sed hoc nullius momenti est, nam quando obligatio restituendi non ex acceptione, sed ex re accepta oritur, illa non extante, & bona fide consumpta, ita vt ex illa non sit aliquis factus ditior, excusatur restitutio, vt est vulgare, & satis per se notum.

D. Thom. Couar. Nauar. Cassiodor. Vgolin.

Nauar.

Tertius effectus est, quia non obstante ignorantia, recipiens beneficium Simoniacè, manet inhabilis ad illud idem beneficium obtinendum, indiget enim dispensatione, vel Papali in dignitatibus, & curatis beneficiis, vel saltem Episcopali in simplicibus, vt dicitur in cap. Penult. de Elect. in 6. ergo signum manifestum est, relictum fuisse impedimentum ad tale beneficium obtinendum, etiam de nouo; aliàs cur dispensatio, & cum tanto rigore, ac distinctione postularetur? Ergo multò magis erat inhabilis talis persona ad obtinendum validè à principio tale beneficium tali modo, scilicet per Simoniacum ingressum, etiam à se ignoratum. Probatur consequentia, quia longè minùs videtur iterùm recipere beneficium liberè dimissum statim post cognitum defectum ab eo, qui aliàs potest illud conferre gratis, & sine vllo nouo vitio, quàm obtinere illud validè per vitiosum ingressum etiam ignoratum: sed ille ingressus (non obstante bona fide) reliquit impedimentum ad subsequentem collationem validè obtinendam, quantumuis aliàs honestam, & legitimam; ergo multò magis impediuit, ne prior valida extiterit.

37. Accipiẽs beneficium Simoniacè, licet ignoranter, manet inhabilis ad illud.

Neque obstant motiua contraria, imò ex eis hoc ipsum confirmari poterit. Nego enim, hoc non esse satis expressum in Iure. Primò quia sæpe hæ pœnæ per effectus explicantur; sicut dicemus in-

38.

Responsio. Refutatur.

Cap. De hoc. frà de pretio ex c. *De hoc*, de Simon. Secundò verbum *reprobandi* magis indicat declarationem nullitatis, quàm irritationem nouam, præsertim cum in ipsam A

Cap. Nobis. electionem cadat: in dicto cap. *Nobis*, Et cum additur: *penitùs reprobanda*, satis indicatur, ab ipsa origine reprobandam esse, ac subinde declarandam esse nullam. Ex verbis autem *resignationis*, aut *renunciationis* malè colligitur, validam fuisse collationem; nam executionem, & factum significant sæpissimè, etiam in materia Simoniæ, vt patet ex cap. vlt. de Simon. vnde alia Iura vtuntur verbo *dimittendi*, cum dicunt, *teneri ad dimittendum*, &c. Denique circa Extrauag. *Cum detestabile*, primùm nihil referret, quòd in ea non contineretur hæc annullatio, quia ex antiquiori Iure prouenit, quod per illam saltem non est sublatum, vt B constat, imò confirmatum, & auctum per generalem clausulam primam. Deinde etiam hæc annullatio videtur sufficienter comprehensa in illis verbis, *Per electiones*, &c. *quas contigerit Simoniaca labe fieri.* Nam collatio hæc, de qua tractamus, Simoniaca labe facta est, vt constat. Et infrà dicitur. *Vt per eas, cuiquam Ius nullatenus acquiratur*, Vbi non distinguit inter ignorantem, & scientem, sed absolutè dicit, *cuiquam*, nihil ergò excipi potest, nisi quod aliàs Iure est exceptum, scilicet, de contradicente, vel per iniuriam circunuento. Quod verò postea dicitur de, *dante*, & *recipiente*, ponitur in alia clausula pertinente ad excommunicationem, quam constat ab ignorante non posse incurri, & ibi non dicitur, ad alios effectus ne- C cessarium esse, vt ipse, qui recipit spirituale beneficium, det pecuniam, sed sufficit, vt Simonia dando, & recipiendo perfectè completa sit. Ille ergo textus potiùs confirmat positam ampliationem, quam verissimam censeo.

39. Differentia inter ignorantem, & consciũ Simoniæ.

Est tamen differentia notanda inter hunc ignorantem, & alium, qui scienter Simoniacè accepit beneficium: Quòd ille prior, si bona fide illud possideat per triennium, non potest contra illum admitti actio, nec lis super beneficium, iuxta regulem Cancellariæ de Triennali possessore, quamuis res dubia sit, an veram præscriptionem in conscientia acquirat. At verò posterior, qui scienter est Simoniacè ingressus, non gaudet fauore illius regulæ, vt D in ea expressè declaratur, & extenditur iuxta probabiliorem sententiam ad Simoniam conuentionalem ex parte pretij non soluti, vt latè videri potest in Ludou. Gomez. q. 12. in eandem regulam, & in Vgolin. Tab. 4. c. 6. §. 9.

Ludou. Gomez. Vgolin.

40. De Simonia cũ ignorantia collatoris.

Sed quid si collatio sit Simoniaca, ignorante ipsomet collatore, quia nimirum cum mediatore interceßit, ignorante collatore: Respondeo breuiter, sine dubio etiam esse nullam; & in primis si recipiens beneficium, illam non ignorauit, sed expressè, vel tacitè consensit, res est clara, quia tunc ille Simoniacè acquirit. Veruntamen etiamsi ipse ignoret, dummodo non contradixerit, nec in odium eius facta sit, idem est dicendum: quia irritatio directè fertur in E omnem prouisionem, quam contingit Simoniaca labe fieri, & nihil dicitur de culpa conferentis, scientia, vel ignorantia; illa autem acquisitio simpliciter fit per Simoniacam labem; ergo nullas habet vires, nec Ius aliquod confert.

41. 5. Assertionis ampliatio.

Quintò principaliter ampliatur assertio, vt locum habeat tàm in Simonia contra Ius Ecclesiasticum, quàm contra Diuinum. De hac posteriori parte nemo dubitat. De priori verò aliqui dixerunt, vt suprà retuli, pœnas à Iure latas non habere locum in Simonia quia prohibita, hæc autem nullitas acquisitionis vna est ex pœnis, illa ergò non incurritur. Et specialiter refertur pro hac sententia Parisien. lib. 4. Cons. 29. & 30. dicens, non esse nullam acquisitionem

Pariſ.

beneficij factam per pactionem, vel permutationem Simoniacam inter spiritualia, quæ solùm est mala, quia prohibita. Fundamentum est, quia in pœnis benignior interpretatio facienda est, & ideò sunt coarctandæ ad delictum maximè proprium, ac naturale. Item quia Iura nunquam annullant in specie, & in particulari acquisitionem beneficiorum per Simoniacam permutationem, aut aliàs similes pactiones. Tandem ponderatur cap. *Constitutus*, de Transact. Vbi propter Simoniam in transactione commissam non fit priuatio beneficiorum, quia erat Simonia tantùm in hac specie, & contrà Ius humanum, vt ibi Innocentius exponit, & sequuntur Hostiensis, Abbas, & alij.

Cap. Constitutus. *Innoc. Hoſtienſ. Abbas.*

Nihilominùs ampliatio posita, conformis est communi sententiæ Doctorum in cap. *Cum vniuersorum.* de Rer. per. vbi Abb. expresè nu. 6. Idem Præpositus in c. *Ordinationes.* 1. q. 1. nu. 34. & sequentib. Vbi plures alios refert. Rebuf. in Praxi, Tit. de Simon. in resignat. num. 14. Redoan. 3. p. cap. 8. referens plures. Et potest ex Iure antiquo confirmari hæc sententia ex cap. *Cum olim*, de Rerum permut. Vbi quidam spoliantur beneficiis propter Simoniacam permutationem. Nec est mihi verisimile, quod quidam dicunt, illos fuisse sic punitos, non propter solam Simoniam, sed etiam quia sine Canonica institutione permutationem consummarunt, beneficia permutata recipiendo: Hoc enim nullum in textu habet fundamentum, sed oppositum potiùs colligitur, Tum quia pro ratione pœnæ solùm redditur, quia de vno constabat, suum præstitisse permutationi consensum, licet ipse id negaret, & alter id confessus fuerat, de alio verò delicto in intrusione propria auctoritate nihil dicitur: Tum etiam quia si tale delictum commisissent occupando beneficia propria auctoritate, & sine institutione, posset de illo euidentissimè constare, oppositum autem colligitur ex textu: nam potiùs pars quædam allegabat resignationem simpliciter factam & Canonicam receptionem, quæ non reiiciuntur, nisi tantùm quoad negationem pacti Simoniaci. Et ita egregiè intellexit ibi Panor. num. 4. Verùm est tamen, ibi non dici fuisse priuatos beneficiis ipso iure, sed *Curauimus* (inquit Pontifex) *spoliare*, sed tamen ibi non excluditur, quin illa fuerit declaratiua sententia criminis, & executio pœnæ, quam Ius imponit. Nobis verò satis est. Quòd in Iure illa punitur vt vera, & propria Simonia, comprehensa sub Iuribus punientibus Simoniam. Tunc enim necessariò succedit Ius Extrauag. 2. annullantis omnes collationes, & prouisiones Simoniaca labe confectas, vt latiùs suprà expendimus.

Cap. Cum vniuersorum. *Abbas. Præpoſit. Rebuff. Redoan.*

Cap. Cum olim.

Panor.

Extrauag. 2.

42.

43.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ ibidem responsum est, benignam interpretationem habere locum salua verborum proprietate, maximè iuxta vsum Iurium. Vnde ad secundum dicitur, non oportere, vt Iura in particulari exprimant Simoniam contra Ius positiuum, sed satis est, quòd puniant tali modo Simoniam in beneficiis commissam, quia qui omnia punit, nihil excludit, quod sub genere illo propriè comprehenditur. Aliàs verti posset in dubium, an collatio beneficij, pecunia recepta, facta, valida sit: quia sub opinione est, an talis Simonia sit contra Ius Diuinum, vel humanum tantùm? Ad tertiùm ego facilè dicerem in illo capit. *Constitutus*, Simoniam fuisse tantùm conuentionalem, & non processisse ad realem, vt ex casu constat; Nam post transactionem pars quædam retrocesserat, & ideò non merebatur ordinariam pœnam. Item, ibi non fuerat aliquod beneficium ex vi illius transactionis acquisitum, sed solùm fuerat lis sopita, & ideò nõ poterãt litigãtes spoliari beneficiis vt Simoniacè acquisitis

sitis, sed oportebat spoliari beneficiis legitimè acquisitis, quæ pœnâ grauior est, & non imponitur propter quamcunque imperfectam Simoniam, imò in Iure expressa non inuenitur, vt infrà dicam, & pœna depositionis excedebat grauitatem illius delicti. Et in hoc sensu loquuntur ibi Innocentius, & Abbas, & fortasse non aliud sensit Parisius in dictis Consiliis. A

44. Sextò ampliatur simul, & restringitur prædicta regula, vt locum habeat in omnibus beneficiis Ecclesiasticis, & in illis solis. Prior pars manifestè constat ex dicta Extrauagante. Vbi priùs in specie numerantur Ecclesiæ, Monasteria, dignitates, personatus, & officia ecclesiastica: & posteà additur generalis clausula: *Et quibuslibet beneficiis*, nihil ergo licet excipere, quod propriè beneficium sit. Ex contextu autem, & materia constat, ibi esse sermonem de beneficiis infrà Summum Pontificatum de quo statim dicemus. Infrà illum ergo omnia beneficia etiam simplicissima, & infima, & summa comprehenduntur: & à quocunque dentur, vel recipiantur, etiamsi sint Cardinales, Patriarchæ, &c. Vt ibidem dicitur: Et patet, quia Ius illud est suprà omnes illos. Declaratur etiam ibidem, id extendi ad omnes actiones ordinatas per se ad collationes beneficiorum, vt sunt præsentationes, nominationes, &c. B

Sexta ampliatio.

45. Posterior verò pars posita est ad excludenda Iura, vel munera Ecclesiastica, etiam spiritualia, quæ non sunt propriè beneficia. Et ratio generalis est, quia verba legis pœnalis, strictè intelligenda sunt. Vnde excluduntur primò pensiones, quæ in titulum beneficij erectæ non sunt: nam illæ iam sunt beneficia, vt sæpè dixi, & eadem ratione non excluduntur præstimonia, quia sunt verè beneficia, excluduntur ergo propriè pensiones. Et de temporalibus, seu Laicalibus non est dubium. De spiritualibus autem aliqui oppositum sentiunt, quia sunt simillimæ beneficiis, maximè post Motum Pij. Sed cum omnes doceant, per Simoniam commissam circa pensionem non incurri excommunicationem, quia pensio non est beneficium, eadem ratione dicendum est, acquisitionem eius non irritari ex vi illius Extrauagant. propter eandem rationem. Non est enim pensio censenda beneficium quoad vnam clausulam pœnalem, & non quoad aliam; maximè cum generaliùs quoad verba feratur excommunicatio, quàm irritatio, vt ex textu constat. Et ita docuit Nauarrus absolutè loquendo de pensionibus, etiam post Motum Pij dicto capit. 23. num. 111. & Cons. 62. & 63. de Simonia, Vgolin. Tab. 4. capit. 5. & Salzed. suprà. Qui idem asserunt de omni commissione Ecclesiasticæ functionis ad tempus facta, vel sine titulo beneficij, vt est in vicario ad tempus, vel ad nutum amouibilis, siue Episcopi, siue Parochi, ex eodem principio, quòd non est beneficium. C D

Nauar. Pij Motum. Vgolin. Salzed.

46. Difficultas suboritur. Sed in hoc specialis difficultas occurrit, quia in dicta Extrauagante non irritantur solùm pensiones beneficiorum, sed etiam officiorum Ecclesiasticorum, hæc autem videntur esse officia spiritualia, licet non sint beneficia, vt patet ex titulis de officio Vicarij legati, &c. In quo puncto Nauar. d. nu. 111. verb. *Septimò*, dicit, verba illa, *in officiis Ecclesiasticis*, intelligenda esse de officiis, quæ sunt beneficia; quod nulla ratione probat: sed allegantur in margine cap. *Cum accessissent*, de Constit. & cap. *De multa*, de Præb. Sed in hoc capite posteriori nulla fit de officiis mentio, sed de dignitatibus, personalibus, & beneficiis: in prioti autem Primiceriatus dicitur dignitas, personatus, & officium; ex quo aliqui colligunt, illas voces esse synonymas: vnde in hoc sensu videntur à Nauarro allegari: sentit ergo, in illa Extrauag. officium, & beneficium tanquam synonyma accipienda esse. Et hanc sententiam alij multi Moderni secuti sunt, Salzedo ad Bernard. Diaz in Pract. cap. 91. §. *Quarò*, Vgolin. Tab. 4. c. 5. nu. 2. Lessius d. ca. 35. dub. 25. Fundamentum esse potest illud vulgare, quòd lex pœnalis restringenda est, quantum verba permiserint; verba autem illa optimè admittunt dictam restrictionem, cum sæpè soleant officium, & beneficium Ecclesiasticum pro eodem sumi, vt in d. ca. *Cum accessissent*, & in ca. *De multa*, Panorm. & Doctores notant: ergo. E

Nauar.

Ca. Cum accessissent.

Salzedo. Vgolin. Lessius.

Panor.

47. Hæc verò sententia non caret dubitatione, & aliqua explicatione indiget. Nam in primis certissimum est, spiritualia officia Religionum, vt Prioris, Abbatis, Guardiani, Prouincialis, Generalis, & similia, quæ habent iurisdictionē spiritualem ordinariam comprehendi sub illa Extrauagante, quoad hanc nullitatem, & consequenter etiam quoad excommunicationem, iuxta regulam supra positam. Ratio est, quia hæc sunt propriissimè officia ecclesiastica. Item quia illa verba Extrauag. *Electiones, Postulationes, Prouisiones, &c.* Item *in Ecclesiis, Monasteriis, &c.* manifestè comprehendunt hæc officia. Et ita dixit Caiet. exponens illam Extrauagantem quoad excommunicationem, in Summ. ver. *Excommunicatio*, cap. 72. & Armil. cap. 59. Et reuera ratio prohibitionis est eadem, quia hæc officia sunt maximè spiritualia, & ex eorum venditione non minora detrimenta Ecclesiæ sequuntur. Neque existimo, hoc voluisse negare Nauarrum, sed hæc officia comprehendisse sub officiis, quæ sunt beneficia, quia hæc etiam habent suum modum præbendæ: sic enim etiam status Religiosus solet à multis beneficium appellari.

Caiet. Armil.

48. Officia ecclesiastica quæ nō sunt beneficia. Deinde, sunt quædam officia Ecclesiastica spiritualem iurisdictionem habentia, quæ non sunt reuera beneficia secundum loquendi morem, & secundum propriam rationem beneficij, quia non habent propriam præbendam annexam, vt suprà dicebamus de Auditoratu, vel Clericatu Cameræ Apostolicæ. Simile censeri potest officium Inquisitoris; nam Ecclesiasticum est, & valdè spirituale; & quamuis censeatur habere iurisdictionem delegatā potiùs quàm ordinariam, vt dixit Eymeri. in 3. p. Director. qu. 4. cuius sententia communis est, vt ibi latè refert Penna, Comm. 53. nihilominùs, (vt ipse paulò post subiungit) parùm ab ordinaria distare videtur, quia Inquisitores in sua materia valdè vniuersalem habent iurisdictionem, & satis permanentem, & ita vt illam committere possint; videtur ergo illud esse propriè officium Ecclesiasticum: imò etiam officium Legati, Delegati, & Vicarij simpliciter in Iure vocantur Ecclesiastica officia, licet non sint beneficia, in his ergo acquirendis certum est, posse Simoniam committi, siue habeant iurisdictionem ordinariam, siue delegatam, vt ex suprà dictis constat. Meritò ergo dubitari potest, an Simonia talis sub hac clausula derogatoria comprehendatur. Quia simpliciter sunt spiritualia officia; & Extrauagans non sine causa distinctè de officiis, & beneficiis loquitur. Nec est verum, voces illas Officij, & Beneficij esse synonymas secundum proprias significationes; licet enim aliquando lato modo pro eodem sumantur, vt notant Panorm. & alij suprà, tamen officium de se latiùs patet, quàm beneficium, vt exempla adducta ostendunt; beneficium autem dici potest includere officium, quatenus beneficium propter officium datur. Solet etiam officium Ecclesiasticum dici, quod habet aliquam iurisdictionem, vel administrationem Ecclesiasticam, & sic beneficium simplex non tam propriè dicitur officium. Est ergo vtraque vox accipienda in illa Extrauagante in tota sua latitudine,

Penna.

Etiam in his acquirendis interueniet Simonia.

& proprietate, & ideò enim coniunctæ videntur, vt omnia includerentur.

49. *Nauar.* Quod nõ incurratur.

Nihilominùs Nauarrus d. num. 111. §. *Ad decimum tertium*, generaliter loquens de quærente per pecuniam temporalem vicariam, & quamuis iurisdictionem, vel poteſtatem ſpiritualem, etiam ad tempus Epiſcopi, Parochi, vel cuiuſcunque alterius beneficij, ſentit non incurrere in pœnam illius Extrauag. dicit enim, non manere excommunicatum, quia illa non eſt Simonia in beneficio. Et hoc ſequuntur Auctores ſuprà citati: & videntur ſupponere antiquiores, qui abſolutè dicunt, illas pœnas tantùm incurri in Simonia in ordine, & beneficio, vt Sylueſter, Caietanus, Sotus, & alij, quos ſuprà retuli. Quæ ſententia practicè ſequenda eſt, nam eſt benignior in materia pœnali, & quia conſiderando verba dictæ Extrauagantis, ſemper videtur loqui de officiis ordinariis Eccleſiarum, & Monaſteriorum, quæ per Canonicam electionem, aut collationem prouideri ſolent. Et poſt illa officia, addita ſunt illa verba. *Quibuſuis beneficiis*, ad comprehendenda omnia beneficia, etiam ſimplicia, & quæcumque alia, etiam minima, quæ non ſolent officia appellari. Illa ergo officia, quæ ſolùm ſunt commiſſiones pendentes ex arbitrio delegantis, non cenſentur ibi comprehenſa, etiam ſi ſit vicaria Epiſcopi, & ſimilia. Solùm de officio Inquiſitoris mihi ſupereſt aliquis ſcrupulus, quia videtur iam habere quaſi ordinariam inſtitutionem, & prouiſionem; ſed nihilominùs cum tantùm ſit delegatio quædam, & non ſit beneficium, non oportet ſine maiori ratione, vel auctoritate exceptionem facere. Secùs verò eſt de vicaria perpetua, quia illa eſt beneficium, vt omnes aduertunt.

Sylueſt. Caiet. Sot.

50. Notabile.

Addit verò Nauarr. ſuprà vnum valdè notandum, ſcilicet, vicariam etiam temporalem ſic emptam re vera non acquiri, & teneri quemlibet ad illam relinquendam, vt iuſtè poſſit pœnitere, quia *contractus (inquit) eſt nullus.* Sed hoc mihi non videtur conſequenter dictum, quia ſi vicaria illa temporalis non comprehenditur ſub illa Extrauagante, quoad excommunicationem, ergo neque quoad annullationem acquiſitionis eius; ergò etiam non comprehenditur ſub Iuribus antiquioribus, nam etiam loquuntur de beneficiis, vt viſum eſt. Dices, id ſequi ex eo, quòd contractus eſt nullus, iuxta cap. vlti. de Pact. Sed contra; nam ex nullitate contractus ad ſummum ſequitur, non inducere obligationem ad perſeuerandum in contractu, non verò ſequitur, quòd voluntas Epiſcopi, verbi gratia, committentis ſuam iuriſdictionem tali modo irritetur, vt non habeat effectum, nec verè committat vires ſuas. Nec etiam ſequitur ex vi illius nullitatis, quòd partes teneantur reſcindere contractum, ſi velint in illo permanere; ſicut infrà tractantes de pretio iterùm dicemus. Exiſtimo ergò, talem commiſſionem, ſeu delegationem non eſſe nullam ipſo Iure, quamuis teneatur delegans illam reuocare, ſi ratione pretij illam conſeruare, & continuare intelligatur, etiamſi neceſſe ſit, vel pretium totum, vel partem eius reſtituere, nulla interueniente ſententia, ſed reſcindendo pactum iniquum. Sicut etiam licentia verb. grat. data à Parocho ſuo ſubdito ad eligendum confeſſorem, non eſt irrita ipſo facto, etiamſi propter pecuniam data ſit, quia nullo iure facta eſt talis irritatio, licet quãdam delegationem iuriſdictionis contineat. Idem ergò cenſeo, etiamſi delegatio fiat directè ex parte Sacerdotis.

Euaſio claditur.

De licentia eligendi cõfeſſorem data pro pretio.

51. Septima ampliatio.

Septimò ab aliquibus ampliatur hæc pœna ad Simoniam conuentionalem, & ſemirealem ex parte beneficij conſecuti, etiamſi non ſit completè realis, quoad traditionem pretij, vt ſcilicet, etiam tunc collatio ſit ipſo Iure nulla. Ita ſentiunt Caiet. Sot. & alij ſuprà relati. Tamen iuxta ſuperiùs dicta, conſequenter aſſerendum eſt, collationem illam tenere, & eſſe validam, ſi pretium re ipſa non ſoluatur, licet fuerit promiſſum. Ita Nauar. & alij allegati cap. præced. in ſimili puncto de excommunicatione. Et fundamentum eſt idem, ſcilicet, ſtylus Curiæ, & conſuetudo: nam in rigore Iuris aliud dicendum videretur, vt ibi tractaui. Tunc autem inſurgit difficultas ſuprà etiam cum proportione tacta, quid dicendum ſit, quando poſt aliquod tempus pecunia ſoluitur ab habente beneficium, an extunc maneat ipſo facto priuatus beneficio; & an irritatio retrotrahatur: & ſi retrotrahitur, qualis fuerit collatio toto illo tempore antecedenti. In quo puncto Nauar. d.c. 23. nu. 104. & in Comment. cap. fin. de Simon. nu. 31. quem alij Moderni ſequuntur, dixit collationem Simoniacam factam ante pretium ſolutum, nec validam eſſe, nec inualidam, ſed pendentem ex futuro euentu: nam ſi pretium nunquam ſoluatur, manebit valida, ſi verò ſoluatur erit inualida à die factæ collationis. Fundamentũ eſt, quia ita habet ſtylus Curiæ, qui habet vim legis, & potuit derogare regulæ Iuris communis, quæ habet, collationem beneficij nõ debere eſſe pendentẽ ex futuro effectu, ſed ſtatim, ac fit, aut eſſe validam, vel inualidam iuxta cap. 2. de Elect. in 6. Neque reputant, hoc eſſe inconueniens, quia per leges humanas multa ſimilia fiunt, vt variis exemplis declarat Caſſadorus deciſ. 3. & 4. de Locato, & Nauarrus ſuprà, & Vgolin. Tab. 4. cap. 6. §. 3.

Nauar. *Caietan.* *Sot.* *Nauar.* *Caſſador.* *Nauar.* *Vgolin.*

52. Valida probatur collatio ante pretij ſolutionem.

Sed contrà hãc doctrinam obiicere poſſumus ſpeculatiuè, quia ex duabus contradictoriis neceſſarium eſt, alteram eſſe veram; ergò in inſtanti, in quo fit illa collatio, aut eſt valida, aut non eſt valida; non enim poteſt cogitari medium, alioqui darentur contradictoria ſimul falſa. Deinde, cum collatio pendere dicitur, interrogo, an ſuſpenſa maneat, quaſi pendens ex futuri euentus conditione; & ſic verum eſt dicere, nunc collationem non eſſe factam, & conſequenter adhuc eſſe inualidam; ſicut matrimonium factum per conditionatum conſenſum, pendente conditione inualidum eſt, id eſt, non factum. Si verò ſolum pendere dicitur, quia ſemper eſt obnoxia nullitati, ſi realis Simonia compleatur, tunc dicendum erit, fuiſſe validam à principio, infirmam tamen, & retractabilem ipſo facto, etiam à die, quo facta fuit per retrotractionem nullitatis: non ergo dici poteſt à principio ita pendens, vt nec valida fuerit, nec inualida. Tandem, aliàs nunquam illa collatio poterit eſſe valida, quod videtur abſurdum: Probatur ſequela, quia ſolum dicitur futura valida, ſi non ſoluatur pretium promiſſum; at hæc conditio ſemper pendens eſt, nam ſemper ſolui poteſt, etiam ſi per annum, vel duos, aut plures non fuerit ſolutum, & ita etiam collatio ſemper eſt pendens. Denique, moraliter magis rem inquirendo, oſtendo, illam collationem à principio fuiſſe validam; quia ille, quia ſic eſt conſecutus beneficium, ſciens, & videns, tuta conſcientia, illud retinet; ergo verè poſſidet tanquam ſuum, quia rem non ſuam non poteſt, tuta conſcientia, retinere; ergo collatio fuit valida, quia non facit quis beneficium ſuum, niſi per collationem validam. Item, ille etiam verè facit fructus ſuos, & tuta conſcientia illos expendit cum propoſito nunquam ſoluendi pretium Simoniæ; hoc autem etiam videtur apertum ſignum collationis validæ. Item, ille poteſt renunciare gratis tale beneficium in fauorem alterius in manibus Pontificis, & valebit renunciatio, & collatio alteri facta; at renũciatio vera ſupponit validam obtentionem beneficij: ergo.

53. Prima ſupſed poſitio.

In hoc puncto nõ eſt de nominibus contẽdendum,

sed in primis attendendum, quid intendatur per illum modum loquendi, & quos veros effectus habeat illa pœna sic explicata. Primò ergo supponitur, eum, qui ex promissione Simoniaca beneficium accepit, quandiù promissionem non implet, nec realem Simoniam consummat, non teneri in conscientia relinquere beneficium, vel fructus eius, donec condemnetur, quia eadem ratio est de hac pœna, & de excommunicatione, & ideò hoc suppositum eodem modo credendum est, quo suprà diximus idem de excommunicatione. Secundò hoc non obstante, quamprimùm talis beneficiarius soluit pretium, incipit obligari in conscientia, & ipso facto, ad relinquendum beneficium, nulla expectata condemnatione. Ratio est, quia tunc est Simonia realis completa, & ideò incipit habere effectum lex irritans in d. Extrauag. Vnde fit, vt extunc mala conscientia, recipiat fructus beneficij, & vt teneatur illos restituere tanquam perceptos de re non sua; quod est clarum ex dicta hypothesi. Tertiò verò addunt dicti Auctores, illum non solùm teneri ad restituendos fructus perceptos à tempore solutionis pretij, sed etiam à tempore collationis, seu receptionis beneficij, & in hoc sensu dicunt, retrotrahi hanc pœnam vsque ad diem collationis. Hoc autem supponunt ex stylo Curiæ, & ita hoc ex fide illorum credendum est; nec alia est expectanda lex, vel ratio: nam stylus valet pro lege. Quartò addunt alium effectum, quia si intra illud tempus acquiratur aliud beneficium modo legitimo, & posteà compleatur prior Simonia, irritabitur collatio alterius beneficij tanquam facta excommunicato, & inhabili, quia etiam quoad hos effectus retrò trahitur pœna, & ita etiam illa acquisitio alterius beneficij non fuit omninò valida, & firma. Quod etiam ex stylo, & vsu supponitur.

54. His ergo in re suppositis solùm superest quæstio de nomine, quomodo sit vocanda collatio prima, an valida, vel inualida, vel pendens; & videtur quæstio similis illi de hæretico, An amittat dominium bonorum quoad proprietatem à die commissi criminis, licet non perdat possessionem, & vsum. Et certè non videtur posse negari, quin illa prima collatio valida fuerit aliquo modo, vt rationes factæ probant. Potest ergo dici valida, sed infirma, sicut aliqui dicunt dominium hæretici non amitti simpliciter, sed infirmari à die criminis; item dici potest collatio valida pro tunc, non tamen absolutè, sed dependenter à futuro euentu solutionis, ita vt illo posito destruatur: hic enim effectus non est impossibilis, nec superat efficaciam legis humanæ, quam ita explicuit, vel induxit stylus Curiæ. Neque est inconueniens, quod illa collatio semper maneat ita pendens, seu infirma, quandiù effectus non impletur, & nihilominùs habere possit semper omnes effectus, quos habet vera, & firma collatio, si realis Simonia non impletur, nec conuentionalis facta in iudicium deducitur. Et hic videtur mihi clarior modus explicandi hanc pœnam.

55. Dubia circa tradita doctrinam. Semper tamen relinquitur scrupulus, quia videtur iste Simoniacus propter astutiam, vel humanam infidelitatem fieri melioris conditionis. Nam conceditur illi, vt possit retinere beneficium, illóque frui, & non subire onus soluendi pecuniam, in quo ditior fit, & melioris conditionis. Item quia vel ille, qui accepit beneficium, tenetur soluere pecuniam promissam, vel non tenetur: si tenetur, peccat non reddendo, & ita est perplexus, quia si reddat, Simoniacus est, si verò non soluat contra obligationem facit. Si verò non tenetur (vt reuera non potest) tenebitur dimittere beneficium, quia iniustum videtur, quòd vtrúmque retineat, vel saltem ab omni ratione alienum. Ad hoc in primis dico, simile incommodum inferri posse, quando aliquis fictè promisit, & sine animo soluendi, & cum effectu consequitur beneficium: nam tunc valida est collatio extra omnem controuersiam, & non tenetur implere promissionem, nec damnum alterius reparare, quia res accepta non potest temporali dono restitui. Concedo igitur, illum non teneri ad soluendum pretium, quia non potest teneri ad faciendam rem illicitam; nec etiam potest dici, quòd teneatur ad abdicandam à se illam pecuniam, & dandam pauperibus, verbi gratia, vel quid simile; quia hoc nullo Iure fundari potest, & sine positiua lege, illa obligatio ex natura rei non sequitur. Quòd autem is, qui dedit beneficium, vtroque maneat priuatus, nullum est inconueniens, quia sua culpa contraxit, & meruit: Quòd verò alius temporale commodum, aut lucrum consequi videatur, per accidens est: nec possunt leges morales singulis incommodis occurrere, satísque reputatur, quòd ille pœnis maneat obnoxius, si in iudicium deferatur.

Qui Simoniacè pretiũ promisit nõ tenetur soluere, vt neque qui fictè.

56. Ante solutionem pretij non sunt fructus restituendi iuxta aliquos. *Nauar.*

Imò graues Moderni Auctores censent hunc Simoniacum conuentionalem, quamuis soluat pretium, non teneri in conscientia ad restituendos fructus ante solutionem pretij perceptos; nec ad relinquenda beneficia in illo tempore intermedio aliàs benè obtenta, donec condemnetur. Quod sumi potest ex Nauarr. d. num. 104. ver. *Non ignoro.* Ait enim, ibi facilius esse dicere, nullitatem tituli incipere à tempore Simoniæ ex vtraque parte perfectæ, *Nisi contrarium seruaret* (inquit) *stylus antiquus, cui standum est.* At verò stylus non est de interiori foro, sed de exteriori; ergo sentit, in illo tantùm obligare. Et ita sequitur Lessius d. cap. 35. dub. 27. in fin. Et sumitur in simili ex Henri. lib. de excommun. ca. 19. Vgolin. autem d. cap. 6. in fine vult, illam retrotractionem in vtroque foro obligare. *Quia fictio hæc* (inquit) *in vtroque foro locum sibi vendicat, nam à lege fit, quæ Ius hoc habet faciendi.* Et sumit argumentum à præscriptione, quæ in conscientia habet effectum. Sed hoc illi probandum erat, nimirum, fictionem illam hoc sensu esse introductam per legem, vt re ipsa auferat dominium talium fructuum ante sententiam, hoc enim ex solo stylo non videtur satis colligi posse: nec etiam habemus legem scriptam, vnde id colligamus. Nam Extrauag. 2. (vt supponitur) non operatur suum effectum toto illo tempore, quia non est completum delictum, quod ipsa punit, & ideò non inducit excommunicationem, nec verò ipsamet posteà operatur, retrotrahendo suum effectum (quia hoc non est in illa expressum) sed solùm effectum irritandi collationem statim, ac Simonia realis completa est, ergo nullo Iure constare potest illa obligatio in conscientia, donec per sententiam imponatur.

Lessius. Henric. Vgolin.

57. Vltima ampliatio. Cap. *Si quis pecunia.*

Vltimò ampliari posset prædicta regula etiam ad electionem Summi Pontificis, vt ipsa etiam Simoniacè facta nulla ipso Iure sit, iuxta cap. *Si quis pecunia.* 79. distin. Vbi de inthronizato per pecuniam dicitur: *Non Apostolicus, sed Apostolicus habeatur.* Sed siquis rectè consideret, non sola pecuniæ largitio ibi sufficere dicitur, sed additur. *Sine concordia, & Canonica electione Cardinalium, &c.* Itaque ex illo textu non satis probatur, propter solam Simoniam electionem illam esse irritam. Verumtamen id posteà expressè statuit Iulius Secundus, anno millesimo quingentesimo tertio, Constitutione secunda, *Cùm tam diuino.* Vbi & irritat electionem, & concedit, vt contra electum opponi possit de Simonia, sicut de hæresi; & plures aliàs pœnas imponit tam electo, quam eligentibus. Verumtamen Iure communi statutum est

Iulius 2.

Cap. *Licet de euitanda, election.*

Cap. *Vbi periculum, eod. in 6.* propter vitandum maius periculum schismatis, vt contra illam electionem Canonicè factam nulla exceptio admittatur; quod est speciale in ipsa, vt ibidem dicitur, quia Pontifex nullum habet in terra Superiorem, per quem emendari possit error in eius electione commissus. Et hoc Ius nunc suam vim retinet, non obstante Constitutione Iulij Secundi, quæ nunquam videtur fuisse recepta, & per Constitutionem octuagesimam quintam Pij IV. dorogata intelligitur. Et ita hæc potiùs debet esse restrictio, seu exceptio à generali regula.

Clc. *Ne. Romani. eod.*

Pius IV.

CAPVT LVIII.

An recipiens beneficium, vel ordinem Simoniacè, priuetur ipso facto beneficiis priùs ritè obtentis, & fiat inhabilis ad futura?

1. Dispositio Iuris antiq. C. *Presbyter.* C. *Erga.* Cap. *De cætero.* C. *Sicut.* C. *De hoc.*

MVlta Iura antiqua disponunt, vt committens Simoniam, beneficiis priuetur, præsertim Iura illa, quæ Simoniacum deponendum esse tradunt, vt suprà citatum est, & habetur in cap. *Presbyter*, cap. *Erga*, cap. *De cætero*, 1. q. 1. & cap. 2. de Confessis, & cap. *Sicut*, & cap. *De hoc*, cum aliis de Simonia, in quibus interdum est sermo generalis de Simonia, interdum etiam in particulari de Simonia in acquisitione beneficij, & ordinis, depositio autem ab homine lata solet includere priuationem à beneficiis, vel illam habere coniunctam, iuxta varias opiniones, de quibus diximus in 5. tom. disp. 30. sect. 1. num. 13. & sequentibus. Hîc verò, vt sæpè dixi, non tractamus de pœnis ferendis per sententiam condemnatoriam, quia ad hoc forum conscientiæ parùm spectat. Difficultas ergo est, an hæc pœna incurratur ipso facto.

2. Opinio affirmans amitti.

Aliqui Canonistæ id affirmarunt, citatur Gloss. 1. in cap. *Presbyter*. 1. q. 1. sed malè; nam expressè loquitur de priuatione per iudicem, & requirit vt talis Simoniacus sit accusatus, & conuictus, citatur etiam Felinus in cap. *In nostra*, de Rescriptione Corol. 2. num. 13. solùm tamen videtur loqui de beneficiis Simoniacè acquisitis, quia solùm loquitur iuxta Extrauag. Pauli Secundi. Illam tamen opinionem tenet Rebuffus de pacificis possessoribus, num. 265. & in practica beneficiali, titul. de modis amittendi beneficia num. 33. & sequentibus. Tenet etiam Bernardus, Diaz in Practica cap. 131. qui alios referunt. Hæc verò sententia imprimis non potest intelligi de priuatione ipso facto, ad quam exequendam in se ipso aliquis obligetur ante sententiam saltem declaratoriam criminis: tum quia pœna, quæ priuat bonis acquisitis, & legitimè possessis, non solet cum tanto rigore per legem ferri; tum etiam quia ad summum potest Simonia in hoc hæresi comparari, vt Rebuffus vult; sed hæreticus non priuatur illo modo suis bonis ante sententiam declaratoriam, licet illa postea data retrotrahatur iuxta cap. *Cùm secundum leges*, de hæreticis in 6. ergo multò minùs id potest affirmari in vitio Simoniæ.

Felin. *Rebuff.* *Bernard. Diaz.* Hæc opinio non potest intelligi ipso facto.

3. Reiicitur vlteriùs tradita opinio, nisi certis casibus.

Addo verò vlteriùs, etiam isto modo non esse talem pœnam ipso facto incurrendam latam per aliquam Ecclesiasticam legem. Hoc pro regula generali accipiendum est, vt excludamus casus speciales, vt est suprà tractatum de Simonia confidentiali: Item posset esse exceptio de Simonia commissa in electione Papæ iuxta Bullam Iulij II. in vlt. Concil. Lateran. sess. 5. sed illa vel non est in vsu, vel reuocata est, vt suprà dixi. Alia exceptio est in Concil. Trident. sess. 24. cap. 18. de Reformat. de examinatoribus ad beneficia, Simoniam in examine committentibus; nam priuantur beneficiis, quæ quomodocunque anteà obtinebant, ita vt absolui nequeant, nisi illis dimissis, & ad futura inhabiles fiunt. Extra hos verò casus non incurritur dicta priuationis pœna etiam per sententiam declaratoriam criminis: Imò quamuis illa prolata sit, si in ea nulla fit mentio de priuatione beneficiorum, non manet illis priuatus ille, qui punitur.

Iulius II. Concil. Lateran. Concil. Trident.

4. *Abbas. Felin. Præpos. Rebuf. Vgolin.*

Hæc est sententia communis Canonistarum, vt patet ex Abb. in cap. *Cùm clerici*, de Pactis num. 2. Felin. in cap. *Insinuatum*, de Simon. Anton. in cap. *Nisi cum pridem*, de Renunciat. n. 6. & Præpos. it. in d. c. *Presbyter*, num. 6. Rebuf. in Practica c. de Simonia in resignat. num. 13. & alij, quos refert, & sequitur Vgolin. Tab. 1. cap. 19. Et ratio euidens est, quia nullum inuenitur decretum in quo talis pœna feratur, addito ver. *Ipso Iure*, vel *Ipso facto*, aut alio æquiualenti, sine quo nulla pœna censetur lata, nisi in ordine ad sententiam condemnatoriam, vt est regula receptissima omnium Theologorum, & Iuristarum, vt ex materia de Legibus constat, & videri potest latè per Tiraquellum in leg. *Si vnquam* verbo *reuertatur* à num. 206. Afferri tamen posset in cap. *Inquisitionis*, de accusation. Vbi de Simonia in adeptione beneficij dicitur, impedire retentionem beneficij, etiam post peractam pœnitentiam; imò etiam videtur idem dici de Simonia in ordine susceptо. Et videtur intelligendum ipso Iure, quandoquidem beneficium retineri non potest post peractam pœnitentiam. Sed hic textus nihil probat, quia etiamsi intelligeretur de priuatione ipso facto, sufficienter exponeretur de beneficio Simoniacè recepto, sicut ibidem dicitur de Simonia in ordine, impedire executionem ordinis, vtique Simoniacè recepti, quantum est ex vi illius Iuris. Et ita illæ duæ pœnæ suspensionis, & priuationis, non sunt simul applicandæ ad singulas Simonias, sed cum partitione accommoda, vt rectè Panorm. notauit. Vel certè posset intelligi de priuatione beneficiorum per sententiam facienda, nam ibi fit æquiparatio cum homicidio, per quod non incurritur ipso facto talis priuatio, vt statim dicemus. Sed dici vlteriùs potest, virtute contineri hanc pœnam in alia, quæ imponitur ipso Iure propter Simoniam, scilicet in suspensione perpetua ab officio, seu ab altari iuxtà cap. *Tanta*, de Simon. Sed respondetur, & falsum esse, propter Simoniam in beneficio incurri suspensionem ab ordine, vel ab officio, vt suprà visum est, & falsum etiam esse, suspensionem ab ordine etiam perpetuam includere priuationem à beneficiis, cum neque irregularitas illam includat, vt in 5. tom. suis locis ostensum est.

Tiraq. Cap. Inquisitionis. *Panor.* C. *Tanta.*

5. De æquiparatione Simoniæ cum hæresi.

Neque etiam obstat æquiparatio illa Simoniæ cum hæresi; tum quia quoad culpam re vera non æquiparantur quoad æqualitatem, multò enim grauior est hæresis, sed æquiparantur vel secundum quandam imitationem, vel secundum originem Simoniæ vt in principio huius materiæ diximus. Tum etiam quia æquiparatio in pœnis non habet locum, nisi vel in particulari, vel saltem per clausulam generalem sit expressam Iure, neutro autem modo inuenitur in Iure facta talis æquiparatio; nam licet quoad aliquas circunstantias speciales interdum æquiparentur in modo procedèdi circa punitionem vtriusque delicti, iuxta cap. *Tanta*, de Simon. & cap. 1. de Testibus in 6. non licet tamen inde extensionem facere ad æquiparationem in omnibus pœnis. Possumúsque huic æquiparationi aliam opponere, nam Simonia etiam solet æquiparari homicidio; sed homicida non priuatur ipso Iure beneficiis, vt est magis recepta sententia, & sumitur ex cap. *Clericis*, Ne Clerici, vel Mona-

Ca. *Clericis.*

Monachi, ibi, *honore priuentur* (de quo alibi latiùs) ergo.

6. Aliquorum placitum.

Dicunt verò aliqui licet hæc sint vera de Iure antiquo, nihilominùs de Iure nouo hanc pœnam incurri ipso facto per Extrauag. 2. de Simon. quatenus renouat omnes pœnas Simoniæ antiquorum Canonum, & disponit vt ipso facto incurrantur. Nam hæc pœna erat ferenda ex vi Canonum antiquorum, ergo nunc est latæ sententiæ ex vi illius nouæ dispositionis. Sed similem illationem sæpiùs negauimus, & improbauimus in superioribus, & in præsenti maiori ratione admittenda non est. Tum quia pœna priuationis ipso facto beneficiorum legitimè obtentorum est vna ex grauissimis pœnis Iuris, vnde non est verisimile, fuisse de nouo impositam sine ampliori explicatione. Tum etiam quia illa pœna formaliter, & expressè non inuenitur imposita Iure antiquo, etiam vt ferenda, sed quatenus in pœna depositionis perpetuæ vel formaliter, vel radicaliter includitur; sed pœna depositionis non incurritur ipso facto propter sola illa verba generalia dictæ Extrauagant. vt constat ex vsu Ecclesiæ, & iidem Doctores fatentur saltem ex benigna interpretatione Iuris: ergo multò minùs sufficiunt illa verba, vt priuatio beneficiorum ipso facto incurratur. Accedit præterea, quòd in eadem Extrauagant. specialiter declaratur, incurri priuationem beneficiorum Simoniacè acquisitorum, & Pius V. in disp. Constitution. 5. ponens priuationem, priùs restringit illam ad beneficia Simoniacè acquisita, & postea specialiter extendit ad beneficia in posterum acquirenda, vt mox dicemus; ergo satis indicat circa beneficia priùs legitimè acquisita nihil esse innouatum. Ac tandem vsus ipse satis hoc confirmat, & dictam Extrauag. interpretatur. Nemo enim dubitat, quin Simoniacus in beneficio, priusquam de illo crimine condemnetur, possit priora beneficia, quæ legitimè habebat, resignare & administrare tanquam verum Ius in illa retinens. Et ita expressè tenet Nauar. concil. 92. de Simon. & Vgolin. Tab. 4. cap. 6. §. 6. num. 3.

Pius V.

Nauar. Vgolin.

7. Per sequentem actionem Simoniacam non annullatur prior recta.

Vnde obiter colligo eodem modo, ac seruata proportione iudicandum esse de actionibus ordinatis ad perfectam eiusdem beneficij obtentionem, & inter se subordinatis, vt sunt Electio, Confirmatio, Collatio. Nam licet quælibet illarum Simoniacè facta nulla sit, iuxta dictam Extrauag. 2. tamen si prior. v. g. electio ritè facta sit, & confirmatio Simoniacè fiat, nihilominùs sola confirmatio erit nulla, & electio rata manebit, donec per iudicem annulletur. Quamuis contrarium sentire videtur Vgol. Tab. 4. cap. 6. num. 4. §. *At quid*, citans Felinum, & alios in cap. *Sicut tuis*, de Simon. quos intelligendos existimo de irritatione per condemnationem Iudicis, nam in pœnam Simoniæ commissæ in Confirmatione, meritò potest electio aliùs valida irritari. De irritatione autem ipso facto, non credo, id esse verum, quia nullo Iure est expressum, & alioqui ex natura rei potest electio esse valida, etiamsi confirmatio sit irrita iuxta cap. *Si confirmationem*, de elect. in 6. quia prius non pendet ex posteriori. Item quia per electionem acquisitum est aliquod Ius, subsequens autem Simonia non priuat ipso facto Iuribus prius ritè acquisitis, sicut non priuat prioribus beneficiis, nam est eadem ratio. Secùs verò est è cõtrario, si Simonia precedat in actu priori, vt in electione; tunc enim confirmatio nulla erit, etiamsi absque Simonia fiat. Et idem respectu confirmationis. Ratio est, tum quia deest fundamentum, sine quo non potest esse validus subsequens actus: Tum etiam quia per priorem Simoniam manet quis inhabilis ad nouas obtentiones beneficiorum, vt statim dicemus.

Vgolin. Felin.

Cap. Si confirmationem.

Secùs si Simonia fit in actu priori.

A Secundò, colligo ex dictis non teneri Simoniacum in vno beneficio restituere fructus, quos ex beneficiis antea legitimè obtentis percepit, siue illi extent, siue consumpti sint quocunque modo, quia cum retinuerit Ius in sua beneficia etiam fecit fructus suos, quia vt suprà dixi, Simonia in beneficio non inducit suspensionem in prioribus beneficiis; ergo Simonia subsequens non impedit quominùs is faciat illos fructus suos; ergo nec est, vnde obligatio restituendi illos oriatur. Quærunt autem Iurisperiti, an per sententiam possit priuari Simoniacus illis fructibus etiam antea perceptis, quasi retrotrahendo priuationem beneficij, de quo videri possunt Bernardus, Diaz, & Rebuff. vbi suprà, & quos ipsi allegant.

8. Simoniacus in vno beneficio non tenetur restituere fructus alterius perceptos.

An per sententiã possit illis priuari. *Bernard. Diaz. Rebuff.*

B Ego (quia res est aliena) dico breuiter, ex vi sententiæ, qua quis declaratur Simoniacus in beneficio, non priuari illis fructibus, hoc enim apertè sequitur ex dictis. Item etiamsi per sententiam expressè condemnetur in priuatione priorum beneficiorum, si de fructibus priùs perceptis nulla fiat mentio, non teneri ad restituendum illos, nec sub tali condemnatione illos comprehendi. Ratio est, quia illæ sunt pœnæ valdè distinctæ, & ideò talis extensio esset contra omnem rationem pœnæ, vt per se constat. At verò si condemnatio iudicis expressè extenditur ad priuationem talium fructuum, non possumus dicere talem condemnationem semper esse iniustam, quia tanta potest esse grauitas delicti, vt omnem illam pœ-

Resolutio.

C nam mereatur, cum etiam ad pœnas corporales procedi possit, vt Pius V. in dicta constit. expressè statuit; ergo multò magis poterit imponi in pœnam priuatio illorum fructuum. Si tamen res attentè consideretur, illa solùm est tanquam noua quædam pœna pecuniaria, quæ in bonis, etiam quocumque alio modo acquisitis iusto arbitrio iudici, imponi posset. Per se tamen loquendo, & solùm ex eò titulo, quod illi fructus percepti sunt ex beneficiis post commissum delictum consecutis, non existimo posse, vel debere quempiam illis fructibus priuari, quod in generali copiosè tractat Felin. in cap. *De quarta*, de præscript. num. 32. & 33.

Pius V.

Felin.

9. De inhabilitate per Simoniam.

Vltimò addendum est, Simoniacum in beneficio D fieri inhabilem ad obtinenda beneficia. Hoc quidem indubitatum est de ipsomet beneficio Simoniacè obtento; nullo enim modo potest illud retinere, etiã per nouam concessionem, vel collationem sine speciali dispensatione, vt colligitur clarè ex cap. penult. de electione, vbi id notant Panor. & alij expositores, & in cap. *De Simoniacè*, de Simonia. De aliis autem beneficiis Nauar. consil. 91. de Simonia num. 5. & concil. 93. num. etiam 5. ex professo probat hanc inhabilitatem ad futura beneficia non incurri ipso Iure, donec aliquis condemnetur. Et conatur in hunc sensum adducere constitutionem Pij V. Sed aliquantulum confusè loquitur, nihil distinguendo inter beneficium Simoniacè acquisitum, & alia. Et ideò Vgolin. Tab. 4. cap. 6. §. 6. reprehendit Nauar. ac si dixerit Simoniacum in beneficio nõ manere inhabilem etiam ad illud beneficium obtinendum, & quasi senserit, Pium V. in hoc derogasse Iuri communi; quod meritò ipse impugnat, cum in constitutione Pij V. nullum sit verbum reuocans antiqua Iura, imò confirmans, vt expressè constat ex verbis eius, quæ etiam ostendunt potiùs intentionem augeri pœnas, quàm minuendi: Non existimo tamen Nauarrum docuisse contrarium, sed solùm ex vi Motus Pij V. non induci nouam inhabilitatem ipso Iure, quod videndum superest, quo sensu verum esse possit.

Panor.

Nauar.

Vgolin.

10. Quod ergo attinet ad alia beneficia, difficultatem ingeret, quia Pius expressè dicit tam de aquirente dignitates, quàm beneficia Simoniacè, *Illis sit ipso Iure*

priuatus, & perpetuò sit inhabilis ad ea, & quæcunque alia beneficia Ecclesiastica obtinenda. Cum ergo expressè dicat *ipso Iure*, necesse est, vt particula illa aliquem effectum habeat. Et ideò certum existimo, & hanc pœnam esse impositam per illam legem, & incurri ante sententiam condemnatoriam: alias illa particula nullum haberet effectum. Sed dubitari potest, an incurratur etiam ante sententiam declaratoriam. Nam Vgol. suprà affirmat ante omnem sententiam incurri. Tum quia inhabilitas talis pœna est, vt sine actione hominis per ipsam legem immediatè inferri possit; nam est veluti quædam irregularitas, quæ incurritur ex vi legis. Tum etiam quia eodem modo dicit Pius V. *Ipso Iure sit inhabilis ad illa, & alia beneficia acquirenda.* Constat autem ad illa beneficia, quæ Simoniacè obtenta sunt; inhabilitatem incurri, ipso facto, absque vlla sententia; ergo etiam ad alia. Contrariam nihilominùs sententiam tenet Nauarrus d. consil. 92. quam præcipuè fundat in illo verbo eiusdem Constitutionis: *Quicunque detestabile crimen Simoniacè prauitatis commisisse conuictus fuerit in consequendis ordinibus*: Nam hæc verba manifestè requirunt præuium iudicium. Quod si respondeas, illa verba tantùm esse posita in Simonia in ordine: Contra hoc obiicit, quod cum ibi sint tres clausulæ, scilicet, de ordine, dignitate, & beneficio, limitatio in vna posita, intelligitur posita in aliis, quia clausula posita in vna parte dispositionis intelligitur extendi ad totam dispositionem, quando est eadem ratio.

An inhabilitas incurritur ante sententiam declaratoriam.

Nauar.

Sed certè in rigore illius Iuris videtur probabilior prior opinio, nam potiùs ipsa mutatio verborum, & diuersus modus puniendi vnam, vel aliam Simoniam, indicat, verba illa non generaliter pro tota dispositione, sed specialiter pro Simonia in ordine fuisse posita in prima clausula: nam in ea adducitur pœna incarcerationis per annum, quæ manifestè requirit executionem per hominem, quæ pœna non ponitur pro Simonia in dignitate, vel beneficio, & ideò illa limitatio ibi omittitur, & factum ipsum immediatè punitur ipso Iure priuationibus, & inhabilitatibus, ad quas non requiritur factum hominis. Et de priuatione beneficij, & dignitatis Simoniacè acquisitæ, & inhabilitate ad illa, certum est, incurri ante omnem sententiam; ergo signum est, priorem limitationem nõ cadere in posteriores clausulas. Denique in quarta causula, quia contra illos, qui sæpius committunt hoc crimen voluit Pontifex eandem limitationem habere locum, illam repetiuit; ergo signum est, non posuisse illã in principio pro tota dispositione. Dixi autem, *in rigore illius Iuris*, quia Nauarrus ait, illam pœnam, quoad hunc effectum, non esse vsu receptam, quod mihi etiam ex his, quæ intelligere potui, est valdè verisimile, quo posito, non incurretur illa pœna saltem ante sententiam declaratoriam, etiamsi aliæ incurrantur, quia potest consuetudo derogare vni parti legis, & non aliis, Eò vel maximè quòd aliæ pœnæ nituntur etiam Iure antiquiori, quod derogatum non est, vt dixi. Inhabilitas autem ad omnia alia beneficia in futurum acquirenda, omninò noua est, & ideò vbi clare non constiterit Constitutionem Pij Quinti esse receptam in priori rigoroso sensu, existimo posse in praxi seruari tuta conscientia opinionem Nauarri, & non esse necessariam dispensationem ad alia beneficia, quando delictum non est ad forum contentiosum deductum, & in eo declaratum.

CAPVT LIX.

Vtrùm pretium Simoniacè obtentum ex Iure Diuino, & naturali restituendum sit?

1.

VLtima pœna Simoniæ esse potest, vt accipiens temporale pretium pro re spirituali, non possit pretium retinere, sed illud restituere obligetur: quia verò hic effectus interdum consequitur ad actionem ex naturali obligatione absque ratione pœnæ, ideò priusquàm de illo sub ratione pœnæ dicamus, videndum est an sequatur ex Simonia, naturali obligatione. Hæc autem quæstio non habet locum, nisi in Simonia reali ex vtraque parte, quia si pretium non est solutum, clarum est, non posse obligari eum, qui rem spiritualem ex Simoniaco pacto tradidit, ad aliquid restituendum, quia nihil temporale accepit; tenebitur tamen illud non recipere, vel ex iustitia, vel saltem ex Religione, ne Simoniacam actionem perficiat, & consummet, & ne in censuras incidat, iuxta superiùs dicta. Si verò pretium anticipatum accepit, & rem spiritualem nõ tradidit, certum est apud omnes obligari ex iure naturali ad pretium illud restituendum, quia nec potest dare beneficium, quia semper tenetur non complere Simoniam, & multò magis ex parte rei spiritualis, nec etiam potest, retento suo beneficio, retinere etiam pretium, quia nullum habet iustum titulum retinendi. Quia qui illud dedit, non absolutè, vel liberaliter donauit, sed ex pacto oneroso, & sub conditione, vt sibi daretur beneficium, quæ conditio, licet turpis sit, dum non impletur, sufficit, vt voluntas non habeat absolutum effectum transferendi pecuniam in dominium alterius, sed tantùm sub conditione, & sub onere restituendi, si conditio non impleatur: & hoc tanquam indubitatum supponunt Doctores omnes.

Qui dedit sacrum tenetur non recipere pretium. Pretium ante acceptum est restituendũ.

2.

Ex quo est consequenter inferendum in eo casu, & in eo genere Simoniæ restitutionem pecuniæ esse faciendam eidem, qui illam contulit, & non pauperibus, vel Ecclesiæ. Ita Caiet. in Sum. ver. Simonia. Victor. 2. part. Relect. num. 6. Sot. quæst. 8 art. 5. Et eidem sentit Nauarrus num. 104. Et est res clara stando in Iure naturali. Probatur, quia semper in illo mansit Ius ad tale pretium recuperandum, si res promissa ei non daretur. Hoc enim Ius ex vi dominij, quod habebat in illam pecuniam ei conuenit, & nunquam illud à se abdicauit, quia voluntas dandi, quam habuit ad hoc non fuit efficax, vt explicatum est. Præterea ex vi solius Iuris naturalis, aut diuini, pecunia illa non debetur Ecclesiæ, vel pauperibus. Vbi enim est, vel vnde colligi potest tale Ius? Certè nonnisi gratis confingi potest, vt in sequentibus etiam dicemus, ergo cùm non possit retineri à recipiente, vt ostensum est, restituenda est danti, ex vi Iuris naturalis. Sed nec per Ecclesiasticum Ius est ille, qui dedit tale pretium, priuatus Iure suo ad talem rem recuperandam: quia vt suprà ostensum est, per hanc Simoniam conuentionalem completam tantùm ex parte pretij, nulla pœna Ecclesiacista ipso Iure incurritur, illa autem priuatio esset pœna: non ergo incurritur ipso Iure.

Cui fit restitutio facienda.

Caiet. Victor. Sot. Nauar.

3.

Potest verò contra hoc obiici, quia illa datio pecuniæ fuit turpis ex vtraque parte tam dantis, quàm accipientis, ergo non est restituenda danti, iuxta quandam communem doctrinam Iuristarum; quod turpe lucrum, si restituendum sit, non est reddendum danti, quando ille turpiter dedit, iuxta leg. 1. 2. & 3. & leg. *Si ob turpem* ff. de Condict. ob turpem causam. Et lege 2. Codice eodem. Sed de intellectu

Obiectio.

tellectu huius regulæ latè disputatur in materia de Restitutione, & videri potest Couarruuias Regula. *Peccatum* 2. parte §. 2. numer. 7. Medin. Codice de Restitutione quæstion. 19. & 20. Sot. libr. 4 de Iustitia quæstion. 7. articulo 1. Nauarrus in Manual. capit. 17. numero. 30. & sequentibus. Nunc breuiter dico, illam regulam ad summum procedere post sententiam iudicis, quia non potest fundari in sola rei natura, sed in pœnali lege, quæ inducat talem priuationem, quæ ordinariè non obligat ipso facto, sed post sententiam, & in præsenti est certum ex dictis. Per sententiam autem, ille, qui sic dedit pecuniam, posset quidem puniri, & consequenter priuari sua pecunia, & præcipi etiam posset, vt daretur pauperibus, sed hoc nihil ad rem præsentem spectat: solùm ergo supereſt quæstio de Simonia reali.

Couar. Medin. Sot. Nauar.

A

B

4. 1. Opinio asserens vêdentem Simoniacè teneri ad restit. pretij. *D. Thom.*

In qua prima opinio absolutè, & vniuersaliter affirmat, vendentem Simoniacè rem spiritualem, teneri ex Iure naturali ad restituendum pretium. Hæc sententia solet attribui D. Thomæ dicta quæstion. 100. articul. 6. quatenus in corpore probat, obligationem restituendi oriri ex diuino Iure, quia contra voluntatem domini videtur res spiritualis, & ideò quod pro illa accipitur, retineri non potest: Et ita illam acriter defendit Sot. tanquam D. Thomæ sententiam dicta quæstio. 8. artic. 1. & videtur consentire Caietan. in illo artic. 6. saltem quoad Simoniam realem, nam respondendo ad obiectionem primam videtur in hoc constituere differentiam inter Simoniam mentalem, & conuentionalem. Absolutè tenet illam Adrian. quodlib. 9. artic. 3. Item Henric. quodlib. 8. quæstio. 26. qui excipit Simoniam quia prohibitam, quando mentalis tantum est; de qua statim. In hac sententia videtur esse Medina, Cod. de Rest. quæstio. 2. quatenus ait, obligationem restituendi oriri ex eo, quòd pretium accipitur pro spiritualibus, quæ nullam æstimationem habent. Quod etiam approbant Nauar. capit. 17. num. 32. Couarru. in Regul. *Peccatum*, 3. part. §. 2. nu. 32. Couar. in eam propendet Panormitan. in capit. vltim. de Simon. in vltimis verbis.

Sot. *Caiet.* *Adrian.* *Henr.* *Medin.* *Nauar.* *Couar.* *Panor.*

C

5. Fundamentum. 1. 2. 3. 4.

Fundamentum huius sententiæ est, quia illud pretium iniustè accipitur, & ideò ex natura rei est restitutioni obnoxium, consequentia clara est ex materia de iustitia. Antecedens probatur primò, Quia contractus ille venditionis est iniustus, nam Simoniacus vendit rem non suam contrà voluntatem Domini, qui gratis dare præcepit; ergò committit iniustitiã vendendo, ergò & accipiendo pretium. Secundò, ille, qui sic vendit, accipit pretium pro re, quæ non est pretio æstimabilis, sed hoc est contrà æqualitatem iustitiæ; vt constat; ergo. Tertiò, ideò in vsura obligatio restituendi nascitur ex intrinseca rei natura, absque alia pœna, quia venditur in ea aliquid, quod proprio pretio æstimabile non est, sed hoc inuenitur in Simonia; ergo. Quartò, quia aliàs licet quis exigeret centum aureos pro Missa dicenda, vel conferendo Baptismate, non teneretur ex natura rei aliquid restituere: Probatur, quia si non tenetur propter pretium, ideò est, quia res quam dat, alicuius æstimationis est, & ideò non censetur facere contra iustitiam, vendendo illam; ergo nec propter quantitatem pretij tenebitur, quia etiam non facit iniustitiam in illo. Quod probatur, quia res illa maioris æstimationis est, quàm totum illud pretium, Quod si dicas, in æstimatione humana actionem illam non ita æstimari, eadem ratione, ne pro vllo pretio potest iustè dari.

D

6. Secunda opinio contraria negat.

Secunda opinio, extremè contraria negat in vniuersum, sequi ex natura rei obligationem restituendi ex venditione Simoniaca. Hæc est sententia communis Canonistarum in cap. vltim. de Simon. vt affirmat, & sequitur Nauarrus, d. cap. 23. num. 103. & latius in Comment. eiusdem cap. num. 12. Tenet Victor. 2. part. Relect. num. 4. Sylvest. verb. *Simonia*, quæstio. 20. distin. 1. Armil. num. 58. Caietan. eod. ver. circa finem. Sumitur ex Diuo Thoma, disp. quæst. 100. artic. 6. ad 6. vt videbimus. Probatur primò: Quia Simonia mentalis, etiam opere subsecuto, non obligat ad restituendum; ergo nec Simonia realis obligat ex vi Iuris diuini. Antecedens habetur in cap. vlt. de Simon. Consequentia probatur, quia si ex reali Simonia oritur illa obligatio ex natura rei, oportet vt sequatur ex vi ipsius actionis secundum se, & ex iniustitia in illa inuenta, sed eadem est actio, & iniustitia in opere subsecuto ex Simonia mentali, & solùm differunt in modo, quia in vna Simonia intercedit pactum explicitum, vel implicitum, & non in alia, quod parùm refert ad restitutionem, si iniquitas est eadem. Et confirmatur, nam hac ratione vsura mentalis cum opere subsecuto obligat ad restitutionem iuxta capit. *Consuluit*, de Vsur. quia habet eandem malitiam, quam vsura realis: ergò idem est in præsenti.

Nauar. *Victor.* *Sylvest.* *Armil.* *Caiet.* *D. Thom.*

Primum argumentum.

7. Secundũ argumentum.

Secundò, probatur, quia pretium Simoniæ ex natura rei non est restituendum ei, qui illud dedit ergo nulli ergo nec restituendum est. Secunda consequentia est euidens, quia restitutio est actus iustitiæ, quæ est ad alterum, vnde si non datur alter, cui tale pretium debeatur, signum est non esse restitutioni obnoxium. Prima item consequentia probatur, quia naturalis obligatio restitutionis, secluſa lege positiua, per se tendit ad illum, qui est, vel fuit, & esse debet dominus rei restituendę, & si illi nõ debetur, nemini debetur ex vi iustitię, quia nõ est vnde oriatur talis obligatio: in præsenti autem dominus pretij fuit, qui illud dedit, & non alius: ergò si illi non debetur, nemini debetur ex natura rei. Probatur ergò antecedens, quia ille voluntate sua abdicauit à se dominium talis rei, & transtulit in aliud; ergo iam non debetur illi ex iustitia. Dices inuoluntariè dediſſe, quia non potuit aliter habere spiritualem rem. Sed contrà, nam hoc modo omnis, qui emit inuoluntariè dat pretium, quia non potest aliter obtinere merces, nam si posset, mallet certè eas sine pretio habere: ergo hoc inuoluntarium non impedit translationem dominij.

Responsio refutatur.

8. Tertium argumentum.

Vnde argumentor tertiò. Nam alter, qui vendit, factus est dominus illius pretij, ex natura rei loquendo, idque ex voluntate prioris domini absolutè largientis illud, vt nunquam reddendum, dummodò causa largitionis impleatur; ergo qui recipit, non tenetur; illud restituere, quia nec ratione acceptionis, quoniam à vero domino voluntariè largiente accepit, nec ratione rei acceptæ, quia est sua. Antecedens probatur, quia recipiens est capax talis dominij, per nullam enim legem inhabilis factus est, vt supponitur, & acceptat illud ab eo, qui dare potest, quid ergo impedire potuit dominij acquisitionem? Vltimò (in quo solo est punctum difficultatis) accipiens pretium, nullam fecit iniuriam danti, ergo non tenetur restituere. Consequentia supponitur vt clara. Antecedens probatur, tum quia Simonia vt sic, non est iniustitia, sed irreligiositas: tum quia ibi nulla vis, aut deceptio interuenit, sed voluntaria commutatio. Dices in hoc esse iniustitiam, quòd res pretio non æstimabilis pro pretio datur, talis enim est iniustitia vsuræ. Sed contrà, quia res spiritualis non ideò dicitur pretio inæstimabilis, quia nihil valeat; sicut est mutuum in vsura, sed quia est maioris æstimationis, & valoris, quàm sit omne temporale pretium.

E

Vltimum.

Tertia opinio, distinctione vtitur inter Simoniam in-

9.

3. Opinio respondet cum distinctione. *Angel.*

intrinsecè talem, vel solùm quia prohibitam, & de priori affirmat esse de Iure diuino restitutionem, de posteriori verò minimè. Hæc distinctio sumitur ex Angelo verb. *Simonia*, 7. numer. 1. quatenus dicit, Simoniam mentalem contra Ius diuinum obligare ad restitutionem, non verò contra Ius humanum. Rationem differentiæ hanc significat, quia Ius humanum in dicto cap. vltim. de *Simonia*, noluit obligare ad restitutionem in Simonia mentali, quando est tantùm mala, quia prohibita; ergo signum est, restitutionem in illa materia solùm oriri iuxta id, quod perscriptum est de Iure positiuo. Quod autem in alia materia non pendeat restitutio ex positiuo Iure, non tàm probat, quàm supponit, fortasse ex fundamentis primæ sententiæ. Pro hac sententia citatur. Panormitan. in dicto capit. final. Sed ille non adhæret firmiter illi sententiæ, sed in primam magis inclinat, vt suprà dixi. Tenuit autem hanc sententiam Hostiens. ibi, & sequuntur Antonius, & Calderus, & Syluester tribuit illam Innocentio, quod tamen Nauarrus negat. Veruntamen Innoc. in. cap. *Tua nos*, de Simonia contra Ius diuinum solam voluntatem facere Simoniacum, nō verò in Simonia quia prohibita, quod intelligi non potest absolutè de culpa, esset enim intolerabilis error, intelligit ergo de Simonia obligante ad restitutionem, seu punita ab Ecclesia. In cap. autem vltim. ego non inuenio expositionem, quam Nauarr. allegat. Eodem autem modo, quo de Innoc. diximus, potest pro hac sententiam allegari Glos. in c. *Ex parte*, 1. de Offic. de leg. ver. *Dimittere*. Ac denique Henric. in dicto Quodlib. videtur idem sentire. Hæc verò sententia communiter reiicitur, tanquam improbabilis, sed fortasse magna ex parte veritatem cōtinet, licet non integrè.

Panor. *Hostiens.* *D. Anton.* *Calder.* *Syluest.* *Innoc.*

10. Supposit. 1. ad resolut.

Pro solutione suppono, illam pendere ex vnico principio, videlicet, An Simonia contineat iniuriam contra iustitiam commutatiuam ex parte vendentis, respectu ementis. Nam si illam continet, sine dubio obligat ad restitutionem ex diuino Iure naturali: si verò talem iniustitiam non continet, talem obligationem non includit: & vtraque pars tàm in Simonia naturali, quàm prohibita locum habet. Quia restitutionis obligatio non oritur, nisi ex iustitia commutatiua, vnde supponit inæqualitatem factam contra eandem iustitiam; ergo in præsenti regula restitutionis, secluſa lege positiua, sumenda est ex iniustitia commissa. Suppono autem vlteriùs ex dictis suprà ca. quāuis ratio Simoniæ formaliter opponatur Religioni, & ideò malitiam hanc formaliter, & inseparabiliter habeat; Nihilominùs habere posse frequenter malitiā iniustitiæ adiunctam, quamuis non semper, nec necessariò illam habeat, vt illo loco declaraui.

2. Suppositio.

11. 1. Cōclusio.

Iuxta hæc ergo principia duabus regulis propositam quæstionem definiendam censeo. Dico ergo primò: Quoties Simoniacus iniustè agit, rem spiritualem vendendo; ex diuino, ac naturali iure tenetur restituere pretium pro tali re acceptum; non formaliter ratione Simoniæ, sed ratione iniustitiæ. Hæc assertio data hypothesi, scilicet, quod venditio hæc fiat cum iniustitia, est euidens ex principiis positis: suppono enim, semper esse sermonem de iniustitia contra commutatiuam iustitiam. Ex tali enim iniustitia semper nascitur obligatio restituendi, per se loquendo. Et declaratur, nam si ille peccat contra iustitiam, vendendo; ergo exigendo pretium, iniustè agit; ergo & retinendo, quia eadem est vtriusque ratio. Qui autem non potest iustè rem tenere, tenetur illam restituere, vt per se constat; ergo. Solùm superest, vt in particulari explicemus, modos, casus, & rationes huius iniustitiæ, sic enim, & regula, & ratio eius notior fiet.

Primò ergo committit quis hanc iniustitiam Simoniacam (vt sic dicam) quando pro functione spirituali, ad quam præstandam ex iustitia tenetur, pretium exigit. Vt si Parochus qui ratione sui officij, & præbendæ, tenetur ex iustitia confessionem audire suorum subditorū, vel Missam facere, & similia, ipsamet ministeria suis subditis vendat, & sic de aliis. Tunc ergo clara est obligatio restitutionis, quia clara est iniustitia. Addo præterea, in tali casu non solùm ex vera Simonia contra Ius diuinum, sed etiam ex præsumpta, vel vera contra Ius ecclesiasticum, oriri obligationem restituendi. Nam si ille nō exigat nouū illud emolumentum, vt pretium spiritualis ministerij, sed vt stipendium, formaliter, & ex vi intentionis non committit veram Simoniam, sed vel præsumptam, vel contra Ecclesiæ prohibitionem & nihilominùs quia iniustus est, tenetur restituere, quod sic extorquet. Vt similes, vel famulus, qui accepit integrum, & sufficiens stipendium pro malitia, vel seruitio, nolit posteà militare, vel seruire, nisi nouum stipendium accipiat, non erit Simoniacus, sed iniustus, & retinere non poterit, quod sic extorquet: ita ergo erit in præsenti, etiam si per modum stipendij duplicati, vt sic dicam, illud extorqueatur. Ergò à fortiori quando exigitur per modum pretij, eadem nascetur obligatio: nam adiectio malitiæ Simoniæ non potest excusare obligationem ex iniustitia ortam, vt per se constat. Et hæc Assertio procedit in Prælatis petentibus aliquid pro dispensationibus, consecrationibus, & similibus, quæ ex vi sui muneris, & officij præstare tenentur, tam est eadem ratio. Neque oberit, quod fortasse dans pecuniam, etiam Simoniam committat, quia deberet potiùs carere spirituali ministerio, quàm illud emere, quia in hoc non peccat contra iustitiam, sed contra Religionem, & alioqui iniuriam patitur, & qui illam facit, non fit melioris conditionis propter peccatum alterius; ergo illud nihil obstat, quominùs exigens tale pretium, ad restitutionem maneat obligatus.

12. Primus modus iniusti.

Secundò, sequitur Prælatum Ecclesiæ, qui vendit beneficia; vel officia Ecclesiæ, quorum non est Dominus, sed dispensator, vel distributor, teneri ex diuino, ac naturali Iure restituere pretium Simoniacè acceptum. Probatur, quia ille non tantùm contra Religionem, sed etiam contra iustitiam peccat. Probatur, quia ille non est Dominus beneficij, vel officij, neque habet Ius aliquod in illis, sed qui vendit rem non suam, peccat contra iustitiam; ergo. Item Oeconomus, qui à Patre familias haberet potestatem gratis conferendi officia domus suæ, peccaret contra iustitiam, illa vendendo, & teneretur ad restituendum pretium: Similiter hæres, qui ex voluntate testatoris teneretur distribuere dotes Virginum, vel alia legata pia, prudenti arbitrio suo: contra iustitiam peccaret, aliquid exigendo à talibus personis, solùm pro eligendis illis, ad implendam hæredis voluntatem: sed ita se habent Prælati Ecclesiæ in hac distributione, nam sunt meri dispensatores, & nullum habent Ius in illis beneficiis, & officiis, nec ad præoccupandum aliquo modo fructus illorum. Imò hic etiam habet locum ratio facta in præcedenti puncto, quia ex vi sui muneris, & officij tenentur hæc omnia gratis dispensare. Ergo.

13. 2. Modus.

Atque hæc ratio concludit, non solùm oriri hanc obligationem ex venditione beneficiorum, aut officiorum spiritualium, sed etiam ex venditione officiorum temporalium, quæ communi Iure vendi prohibentur, siue in illorum venditione committatur Simonia vera, siue impropria, quia satis est, quod committatur iniustitia, vt reuera committitur. Quia Prælati nullum habent Ius ad vendendum talia officia,

14.

vnde

vnde pretium illorum iniustè accipiunt, & per quandam anticipatam extorsionem, priuant recipientes illa officia, vtilitate, & stipendio integro ipsis dedito, iuxta talem Ecclesiæ institutionem, pro muneribus, & functionibus eorundem officiorum. Et eadem ratione electores ad beneficia, quando ratione alicuius muneris tenentur ad eligendum, ad restitutionem tenentur, si quid accipiunt pro eligendo digno, & non indigno, quia ad illud ex iustitia commutatiua tenentur. Aliqui verò censent, non esse idem, quando aliquis accipit pecuniam, vt eligat digniorem, prætermisso digno, quia ad id non tenetur ex iustitia commutatiua, sed ex sola distributiua, cuius sola violatio non oblibat ad restitutionem. Quod quidem ex hoc capite probabile est; tamen oportet considerare, illum ex officio teneri ad iustam electionem faciendam, & B ideò ex eo capite, quòd munus ex officio debitum vendit, contra iustitiam commutatiuam peccare videtur, & ideò probabiliùs censeo, tunc etiam ad restitutionem teneri.

15. Modus.

Tertiò infertur, eum qui vendit functionem spiritualem, ad quam ex officio, vel iustitia non tenetur, nihilominùs si vendat illam, vt talis est, seu propter effectum spiritualem, quem habere potest, teneri ad restituendum pretium pro illa acceptum ex vi iustitiæ, & naturalis legis. Hæc Assertio in primis declaratur, quia hæ functiones, prout inter homines commutari possunt, nunquam sunt adeò spirituales, quin inuoluant aliquam actionem materialem, seu corporalem, ac merè humanam, quæ secundum se consideraC ta esset pretio æstimabilis, si non esset eleuata ad esse supernaturale, seu spirituale, ratione cuius Simonia

Aduertendum primò.

est, illam vendere, vt suprà dictum est. Nihilominùs tamen existimo, quod si de facto vendatur talis actio, non tamen pluris, quàm ratione sui laboris, vel operis, valere posset, sit tantùm esset quoddam corporale seruitium, licet venditio sit Simoniaca, nihilominùs ex illa non oritur obligatio restituēdi, quia in effectu, & in re ipsa interuenit æqualitas inter actionem illam materialiter spectatam, & pretium, quod pro illa datur. Nam licet coniunctio spiritualis cum illa functione materiali efficiat, vt secundum rectam rationem, illa materialis actio iam non debeat pretio æstimari, quia est sacra effecta: nihilominùs non potest efficere, quin illa materialis actio suam materialitatem, vt ita dicam, retineat, & consequenter suam D æstimabilitatem intra latitudinem iustitiæ; esto, illa non possit exerceri sine sacrilegio, seu Simonia. Hinc ergò fit, vt si in pretio non excedatur vltrà illam materialem æstimationem, non fiet iniustitia, & consequenter nec obligatio restituendi oriatur.

16. Aduertendum secundò.

Deinde aduerto ex superioribus, pro his functionibus posse aliquid accipi per modum stipendij, licet non per modum pretij, si ergo ponamus, aliquem postulasse pretiū sub ratione pretij, non tamen in quantitate, quæ excederet iustum stipendium: dico illum, quamuis Simoniam commiserit, in rigore non teneri ad restituendum, sed tantùm ad mutandam intentionem, & posse retinere illud idem emolumentum per modum stipendij, & eum, qui dedit, non posse esse in hoc rationabiliter inuoluntarium, quia in re ipsa non E fuit facta inæqualitas inter dantem, & recipientem, sed error fuit in intentione, & modo, ex quo non oritur obligatio restituendi, vt constat.

17. In quibus versetur quæstio.

Procedit ergò Assertio, quando in pretio exceditur vltrà valorem materialis actionis præcisè, & secundum se spectatæ, & vltrà omnem considerationem iusti stipendij. Et sic probatur assertio, quia in tali actione nulla relinquitur iusta ratio exigendi tale pretium; ergò est iniusta exactio; ergo ex illa oritur ex natura rei obligatio restituendi. Antecedens patet, quia sola spiritualitas actionis non facit illam æstimabilem maiori pretio materiali, & humano: sed nullus alius titulus augendi pretium ibi interuenit, vt constat; ergo sine iusto titulo fit talis exactio. Maior patet duplici ratione sæpe tacta. Vna est, quia illa spiritualitas, est res alterius ordinis ab omni humano commercio, & consequenter ab omni collatione, & cōparatione cum temporali pretio, vt in ea possit seruari iustitiæ æqualitas. Vnde nec per legem taxari posset pretium pro tali re, ita vt esset iustum, neque per prudentem hominis æstimationem, quod est signum materiam illam esse prorsus incapacem talis æstimationis, ac subinde esse inuendibilem, non solùm ratione Religionis, sed etiam ratione iustitiæ. Quod potest confirmari exemplo vsuræ, ideò enim ex illa oritur obligatio naturalis restituendi, quidquid vltrà capitale exigitur, quia capitale non plus valet ratione solius mutuationis, eo quòd mutuatio secundùm rectam, & prudentem rationem, non est proprio pretio æstimabilis.

18. Responsio.

Sed responderi potest, esto, spiritualitas illa non habeat certam æstimationem per legem, vel communem vsum, nihilominùs ex conuentione partium contrahentium posse pretium constitui, ac designari mutuo consensu, nec fiet iniuria ementi, quia res, quæ illi datur, re vera est magnæ æstimationis, quæ licet sit in valore alterius ordinis, ex conuentione partium ad humanam æstimationem reducitur. Nec erit simile de vsura, quia ibi mutuatio præcisè spectata, non est aliquid pretio æstimabile, nec res alicuius valoris proprij, quia non est aliquid distinctum ab ipsa pecunia, quæ mutuò datur, hic verò spiritualis actio, vt talis est, aliquid est magni momenti, & æstimationis, quæ licet tanta sit, vt non debeat pecunia comparari, nihilominùs si comparetur, non videtur fieri iniuria ei, cui propter pecuniam datur. Vt si Deus daret homini licentiam vendendi has functiones, vel gratias gratis datas, sicut fieri posse in superioribus diximus: tunc certè non faceret ille homo iniuriam aliis, petendo pecuniam, & conuentionem cum illis faciendo de certo pretio, non obstante excellentia rei venditæ.

19.

Propter hanc replicam addendum vlteriùs censeo, hæc officia spiritualia vt talia sunt, non esse sub dominio humano, sed ad solum Deum, vt ad verum dominum pertinere, ipsum autem solùm dedisse hominibus potestatē illa gratis dispensandi, & transferendi, & ideò vendentes tales functiones ratione spiritualitatis iniustè agere contra diuinum, & naturale Ius. Sicut peccat cōtra idem Ius dispensator, aut eleemosynarius Episcopi, aut hæres, qui pia legata, aut eleemosynas, quas Dominus, seu Prælatus misericorditer fieri iubet, vendit, & tenetur ex iustitia totum precium receptum restituere, vt est in confesso apud omnes; est enim in præsenti omninò eadem ratio. Declaratur hæc consecutio, quia Christus Dominus ita instituit has spirituales functiones, vt Sacramenta, sacrificium, & similia, vt omnibus concesserit Ius ad illa gratis obtinenda, solúmque illis imposuit onus alendi ministros, & ipsis ministris non concessit Ius nisi ad stipendium substentationis postulandum, iuxta modum ab Ecclesia præscriptum, vel præscribendum, & ipsa Ecclesia eodem modo instituit alias actiones sacras, quæ ex illius proxima institutione aliquam vtilitatem spiritualem habent, ergo si aliud pretium exigant, hi, qui hæc spiritualia administrant, iniuriam faciunt fidelibus quia, & excedunt Ius sibi datum, & priuant fideles Iure sibi à Christo concesso, ergo tenentur ad restitutionem talis pretij ex vi iustitiæ, quia

sine

sine iusto titulo, imò contra iustitiam illud exigunt. A Vnde obiter considerari potest magna differentia inter dantem spiritualem functionem, & dantem pretium, quòd dans spirituale, exigendo pretium, facit iniustitiam: qui autem recipit spirituale petendo illud gratis dandum, non facit iniustitiam. Item qui pretio emit, non facit contra substantiam (vt sic dicam) voluntatis Domini rei spiritualis, sic recipiendo illam: qui autem illam vendit, agit contra substantiam voluntatis Domini, qui non dedit talem facultatem, sed potiùs vetuit acceptionem pretij. Hoc ergò est precipuum fundamentum restitutionis ex natura rei in talibus rebus, seu actionibus.

10. Instantia. Dices, hoc ad summum procedere in illis ministris, qui ex officio tenentur ministrare hæc spiritua- B lia, nam alij cum ex iustitia non teneantur illa ministrare, non faciunt iniustitiam, pro illis exigendo pretium conueniens, licet peccent contra Religionem, ac subinde non tenebuntur restituere. Respondeo, rationem factam, vniuersalem esse. Nam omnes hi ministri tenentur ex officio, & ex iustitia gratis ministrare, sed diuerso modo, nam præbendati, seu stipendiati ab Ecclesia ad tale munus, tenentur ex iustitia ad exercitium actus, & ad seruiendum gratis, non solùm prout gratis opponitur pretio, sed etiam vt excludit nouum stipendium. Alij verò, qui non sic habent ab Ecclesia stipendium, non obligãtur ex iustitia simpliciter ad exercitium actus, id est, ad ministrandum, obligantur verò ex iustitia quasi ad specificationem actus, id est, vt si ministrare voluerint, C gratis id faciant, nec possunt exigere nisi iustum stipendium. Nam veluti sub hac conditione, est illis concessa potestas ministrandi, & ita non habent Ius aliquod ampliùs exigendi. Sicut si Respublica crearet tabelliones, vel iudices arbitros, & illos non obligaret ex iustitia ad suum officium exercendum, constitueret tamen illis, & præscriberet, quid deberent exigere, & recipere, quando illud exercere vellent, contra iustitiam peccarent, si plus exigerent, etiamsi absolutè possent officium non exercere: sic autem Christus omnibus suis ministris siue necessarijs, siue voluntarijs præscripsit, vt sustentationem possent recipere, & non aliud, vtrique ergo contra iustitiam peccant, si plus exigant. Et hoc etiam confirmari potest ex sensu, & vsu Ecclesiæ, nam sine dubio iniustus D censeretur Sacerdos, qui ad suum arbitrium peteret excessiuum stipẽdium pro vna Missa, vel pro vno Baptismo, vel simili fortasse propter inopiam Sacerdotum, vel aliam similem causam, censeretúrque vexationem iniustam facere; ergò multò magis si vltra stipendium peteret pretium.

11. Vtrùm hæc doctrina locum habeat in rebus sacris permanentibus? Respõdetur affirmatiuè. Sed quæres, An hoc etiam habeat locum in rebus sacris, seu spiritualibus permanentibus, quæ non habent annexam consequenter aliquam temporalitatem, sed tantùm antecedenter vt sunt vasa sacra, grana benedicta, agnus Dei, & similia: Respondeo maximè habere in illis locũ, proportione seruata. Nam si ratione spiritualitatis (vt sic dicam) cariùs vendantur, quàm alias valeant, non solùm Simonia, sed in- E iustitia committitur, & ideò ille excessus Iure naturæ restituendus est. Ratio est eadem cum proportione applicata, quia consecratio, vel quid simile spirituale, non auget valorem rei temporalem, seu pecunia æstimabilem. Tum quia hæc est prudens æstimatio omnium hominum prudentum, à qua solet valor rerum sumi, maximè quando lex illam non taxat. Tum etiam quia spiritualitas illa non cadit per se sub dominium hominis, vt ab eo vendi possit, sed solùm ratione materiæ, cui veluti affixa est, & ideò solùm possunt tales res iustè vendi ratione materiæ. Dices: ergo reliquiæ v.g. quæ ratione materiæ nihil valẽt, pro nullo omninò pretio vendi poterunt sine iniustitia, quod videtur inconueniens, quia non tenetur quis gratis illas dare, cum verè sint suæ, Ad hoc aliqui fatentur, illam esse Simoniam, non iniustitiam, sed certè si Religio obligat ad dandum illas gratis, si dentur, quamuis absolutè non obliget ad dandum, non videò cur non sit idem dicendum de iustitia, si illæ res non sunt in se dignæ pretio. Sicut iustitia non obligat ad mutuandum, obligat tamen ad gratis mutuandum, si quis mutuare velit. Respondeo ergo concedendo sequelam, si verè supponitur, illas res materialiter spectatas non habere vllum valorem temporalem; hoc tamen non videtur semper ita esse, nam sub aliqua ratione possunt sine iniustitia aliquo pretio æstimari, vt declarabitur statim. De reliquiis.

12. De illo qui dat ad redimẽdam vexationem. Vltimò constat à fortiori ex dictis quoties Simonia committitur per vexationem, quia nimirum is, qui dat pecuniam, solùm dat ad redimendam vexationem, siue det, quando licitè potest dare, siue illicitè contra Religionem, alium teneri ad restitutionem, quia iniustè extorquet, & ab inuito recipit. Atque tota hæc doctrina huius Assertionis, & omniũ, quę ex illa intulimus, est consentanea menti D. Thomæ 2. 2. quæst. 23. art. 7. Vbi apertè sentit, hanc obligationem restituendi in hac materia esse ex natura rei, & ex iustitia diuinæ legis, vbi etiam Caiet. id latè docet, & idem sentiunt id nimirũ Auctores primæ sententiæ, quorum rationes illam etiam suadent, & confirmant. Difficile autem est, quod in dicto loco D. Thomas subiungit, tunc non debere restitutionem fieri ei, qui dedit, sed debere in eleemosynas erogari: nam standoin sola lege diuina, non videtur hoc posse subsistere quia dans pretium, esto, peccet contra Religionem non facit iniuriam alteri, cui dat, sed potiùs eam patitur ab illo, vt explicaui, ergò ex vi solius rationis naturalis, non potest iniustè priuari re sua. *D. Thom.* *Caiet.*

13. Restitutio ei facienda est, qui pretium dedit. Quartò ergo, infero ex dictis quoties restitutio Simoniaci pretij est facienda ex obligatione mera legis diuinæ ac naturalis, ei, qui dedit illud, faciendam esse, non aliis. Ita asseruit Sot. suprà, & rectè loquendo, & sequitur Bannez 2. 2. quæstion. 32. artic. 7. Fauet etiam Nauarr. in Man. cap. 17 n. 30. quatenus generaliter docet, id, quod ratione iniustæ acceptionis restituendum est, & à quo sumptum est, esse restituendum per se, & ex vi legis naturalis. Et probatur sufficienter ratione proximè facta, quia ille qui dedit pecuniam, passus est iniuriam, ergo illi facienda est restitutio, item quia pauperes, vel Ecclesia non habent vllum Ius ad illud pretium, neque vnquam est obligatio restituendi illis, nisi vel ratione legis positiuæ applicanti illis talem pecuniam, (quod non fit nisi per modum pœnæ, & ita non habet locum in pura lege naturæ, vt loquimur) vel in locum veri domini, quando ille haberi non potest, vt illi fiat restitutio (quod est per accidens, & ex interpretatiua voluntate eius ergo per se loquendo priori domino, qui pecuniam dedit, restitutio facienda est, & non alteri, nisi quatenus eius personam gerit. Et confirmatur, quia restitutio est actus iustitiæ quoad æqualitatem reducitur inæqualitas priùs facta, vel respectu pauperum, vel Ecclesiæ nulla est facta inæqualitas, ergo ex vi iustitiæ illis nihil debetur, ergo vel nulli debetur, vel debetur ei, à quo extorta est. Restitutio ergo vt sic propriè, & per se non fit pauperibus ex præcepto iustitiæ, vt dixi, *Sed illis donat vnusquisque quæ sunt sua, quæ autem rapuit, restituit à quo accepit*, vt dixit Augustinus, *Sot.* *Bannez.* *Nauar.* *Augst.* Epistola 54. ad Macedoni. & habetur capit. vltim. 14. quæst. 5.

Sed

24. Obiectio prima. Sed obiici contra hoc solet in primis cap. *Cum sit*, de Iudæis. Vbi bona turpiter acquisita, præcipiuntur restitui pauperibus, quia illi etiam, qui dederant turpiter dederant; ergo similiter in præsenti dicendum est. Secundò, quia is, qui dedit pecuniam pro re spirituali, voluntariè dedit, & habuit intentionem verè dandi, & abdicandi à se dominium talis rei, & transferendi in alium; ergo alius acquisiuit verè dominium illius rei, ergo non est restituenda danti, quia iam non est dominus, & quia, vt supponimus, impleta est causa, propter quam dedit, nam rem spiritualem consecutus est. Tertiò, eadem est ratio de dante pretium pro re spirituali, & de dante iudici pro iudicio iusto, vel testi pro veritate dicenda; sed iudex, vel testis recipiens tali titulo pecuniam, non tenetur illam restituere danti, sed (vt sentit August. loco proximè citato) *Si conuertatur ad meliorem vitam, illam pecuniam dat pauperibus*, vt suam, & ex consilio, non ex præcepto, vt sentit August. ergo idē est in præsenti. Quartò, ille, qui pecuniam dedit, turpiter dedit, vt constat; ergo indignus est, vt illi reddatur, quod dedit, sic enim D. Thom. suprà colligit, quem multi Doctores imitantur, ergo non est illi restitutio facienda. Quintò, qui rem spiritualem accepit, data pecunia, non tenetur illam restituere iuxta dicta in cap. 57. ergo nec qui accepit pecuniam tenetur illam restituere. Probatur consequentia, quia videtur esse contra rationem, vt restitutio pretij fiat danti, & ipse nihilominùs retineat rem spiritualem, quam accepit; tum quia aliàs commodum ex iniquitate reportaret, turpiter enim egit, emendo rem spiritualem, recuperando autem pretium, & illud, & rem emptam retinebit. Tum etiam quia, vel cōtractus fuit validus, standō in lege naturæ, vel non: si fuit validus, certè non tenetur emptor pretium restituere: si non fuit validus, sicut venditor non comparauit temporale pretium, ita nec emptor acquisiuit rem spiritualem, & consequenter tenebitur illam dimittere, quod est cōtra suprà dicta. Vnde possumus sextò argumentari, quia qui dedit rem spiritualem non voluit dare, nisi ob talem causam, scilicet, vt ipse fieret pecuniæ dominus, ergo si hæc causa non habuit effectum, nec datio rei spiritualis valuit. Cum enim aliquid datur ob causam, quæ de Iure non potest habere effectum, non censetur voluntariè, ac subinde validè datum, argument. cap. *Et si necesse*, de donatio. inter vir. & vxor. & leg. 1. de condict. ob caus. ergo vel pretium restituendum non est danti, vel ipse rem spiritualem retinere non potest ex Iure naturæ.

Tertia.

Quarta.

D. Thom.

Quinta.

25. Respōdetur ad primam obiectionē. Ad primum respondetur, textum illum non esse ad rem, quia ibi non præcipitur restitutio propter iniustitiam actionis, nec propter naturalem obligationem restituendi, sed est pœna quædam, & onus impositum Iudæis subditis Christianis exercentibus publica officia cum potestate, vel iurisdictione suprà ipsos Christianos. Præcipiuntur enim conuertere in vsus pauperum Christianorum omnia lucra talium officiorum, etiam si aliàs iusta fuerint, nam si aliqua fuissent iniusta, & constasset à quibus accepta fuissent, illis sine dubio essent restituenda, quia tamen ordinariè sunt incerta, possent etiam restitui pauperibus, vt ibi Glossa, & Doctores notant, hic verò non agimus de pœnali lege, sed de naturali iustitiæ obligatione.

26. Ad secundā. Scot. Ad secundum, dico in primis, diuersam esse quæstionem, An rei dominium acquiratur, vel an res sit obnoxia restitutioni: nam in vsu, Scot. & alij multi tenent vsurarium acquirere dominium, & nihilominùs teneri ad restitutionem, quia licet dominium acquisierit ex voluntate dantis, nihilominùs per iniuriam obtinuit illud, & ratione iniuriæ manet res illa restitutioni obnoxia, & aliter, qui dedit semper retinuit Ius iustitiæ ad illam, cui Iuri non cessit quando rem dedit. Sic ergo dici posset de Simonia, perinde enim in vtraque esse quoad hoc iudicandum censuit Glos. in cap. *Si quis vsuram* 14. quæst. 4. Secundò, sicut in vsura verior opinio habet, vsurarium non acquirere dominium, ita hîc dicimus de Simoniaco iniusto. Et ratio est, quia ille, qui dedit, non voluit donare, sed dare quātum iustitiæ ratio postularet, nec plus voluit à se abdicare, quàm ex iustitia deberet, & quia pretium illud, nec ex iustitia debebatur, nec iustè exigi poterat, ideò voluntas illa dandi, non habuit effectum, & hîc meliùs applicantur illa Iura, quæ dicunt, vbi causa dandi non subsistit, nec donationē subsistere. Cum autem instatur, quia causa est impleta, quandoquidem emens cōsecutus est rem spiritualem; respondeo, causam dandi non fuisse illam, quasi materialiter tantùm sumptam, sed illam vt tali pecunia æstimabilem, & vt sufficientem ad iustificandam exactionem talis pretij, saltem intra rationem iustitiæ. Hæc enim est vera causa, ob quam vsurarius non acquirit dominium vsurarum, & eadem, habet hîc locum, & applicari potest ad omnem iniustam extorsionem. *Gloss.*

27. Ad tertium. Ad tertium respondetur æquiparationem illam inter Simoniacum, & iudicem vendentem iustum iudicium, seu testem vendentem verum testimoniū, esse cum proportione faciendam: nam fieri potest vt iudex contra iustitiam peccet, talem extorsionem faciendo, & tunc procedit æquiparatio; & dico, tunc etiam iudicem teneri ad restituendum ei, qui dedit. Aliquando verò fieri potest, vt licet iudex turpiter accipiat, non tamen iniustè, quia sponte oblatum accipit, quando, vel quomodo non deberet accipere secundum honestatem legalem, & tunc non obligatur ad restituendum munus acceptum ei, qui dedit, nec etiam pauperibus ex præcepto, sed tantùm ex consilio, & in hoc casu locutus est Augustinus: & in hoc non comparabitur iudex cum Simoniaco iniusto, sed cum alio, qui sine iniuria Simoniam facit, vt statim dicetur. Ad quartum, respondetur, Simoniacum emptorem esse quidem ita indignum recuperatione sui pretij, vt illo priuari mereatur in pœnam sui delicti; tamen hæc indignitas neque illum obligat ad exequendum in se hanc pœnam, priùs quàm per iudicem puniatur, stando in solo Iure naturali, nec etiam dat facultatem ei, qui tale pretium recipit ad puniendum illum sua authoritate, quia punire est actus iurisdictionis, quam ipse non habet in alium, & ideò non potest sua authoritate illum priuare re sua, nec illam dare pauperibus, sed eidem, à quo illam extorsit. Ad quartū.

28. Ad quintū. Ad quintum respondetur, non esse eandem rationem de accipiente rem spiritualem, vel pretium, nam prior non peccat contra iustitiam; posterior autem iniustitiam committit, & ideò nihil mirum, quòd prior non teneatur restituere, licet teneatur secundus. Item vendens agit contra absolutionem Christi non recipiendi pretium, hæc enim negatio includitur in verbo illo: *Gratis date*: emens autem non agit contra prohibitionem absolutam Christi circa acceptionem rei spiritualis, sed solùm contra prohibitionem in modo accipiendi, & ideò receptio pretij est in se inualida, non autem receptio rei spiritualis. Negatur ergo consequentia argumenti, & ad primam probationem respondetur, illud non esse inconueniens, sed potiùs per illam restitutionem reuocari rem ad statum, in quo futura erat secundum voluntatem Christi, qui est supremus Dominus rerum spi-

ritualium, quæ voluntas, est vt hæc bona spiritualia gratis habeantur,& donentur. Vnde,inquam,non est inconueniens, quod non obstante restitutione pretij retineatur, quia tunc incipiet haberi gratis. Neque hoc commodum reportatur ex priori iniquitate, sed ex liberali voluntate principalis Domini,quæ voluntas potest ad effectum perduci, non obstante priori culpa mentis,quandiu per ecclesiasticam legem non impeditur, vel persona fit inhabilis ad illud bonum retinendum in odium talis criminis. Ad secundam autem probationem, respondetur contractum fuisse validum, quoad id, quod debuit gratis donari, non verò quoad pretij exactionem, vel collationem, quia in primo, nulla inuenitur iniuria, sicut in secundo. Explicatur exemplo adducto de hærede,qui pro danda dote virgini pauperi, pretium extorquet cum ex voluntate testatoris deberet illud dare gratis,quia ille tenetur restituere,quod accepit,& nihilominùs datio dotis valida permanet,quia in datione dotis nulla est iniustitia,imò per illam voluntas testatoris impletur: iniustitia verò fuit in modo, & vt ille reuocetur, & tollatur, pecunia restituenda est. Et hoc magis declarabitur in sequenti responsione.

29. Ad sextum respondetur primo.

Ad sextum ergo responderi posset, negando antecedens,quia dans,vel ministrans rem spiritualem absolutè vult illam dare, vel ministrare, etiam si ad volendum moueatur spe pretij, & licet fortasse non esset volaturus, si talem spem non haberet: quod patet apertè,quando pecunia non actu datur,sed promittitur, quæ promissio sine dubio non obligat in conscientia etiam ex vi Iuris naturæ, quia est de re turpi, & nihilominùs ordo Simoniacè collatus, validus est; ergo signum est voluntatem dandi ordinem absolutam fuisse,& non dependentem à valore conditionis, quæ non est propriè conditio, sed modus, seu motiuum. Idem ergo est etiam si tradatur pecunia,& traditio ex natura sua,vel valida non sit, vel obnoxia restitutioni.

30. Secundò.

Secundò (quidquid sit de antecedenti) negatur consequentia, quia conditio illa turpis est, & iniusta, & ideò habetur pro non adiecta, ideóque illa non obstante tenet datio rei spiritualis,non verò acceptio pretij,quia est iniusta. Iura autem illa quæ significant donationem ob certam causam non tenere, causa nõ subsistente, intelliguntur, quando causa est honesta, vel saltem non iniusta. Vt est causa matrimonij, de qua loquitur dictum caput, *Et si necesse*, nam licet in casu illius textus matrimonium esset contractum inter consanguineos, & ideò turpis causa, scilicet stuprum videri posset: tamen fortasse cõtrahentes ignorabant impedimentum, (vt Glossa ibi inter alia respondet) vel licet non ignorarent, nihilominùs ratio dandi non fuit tale matrimonium vitiosum, sed matrimonium secundum se,vt honestum,& validum esse potest. Et similiter de matrimonio loquitur lex illa Codicis,& plures aliæ ibi,& ff.eodem. Confirmatúrque hæc responsio optimè ex lege vlt. ff. de condict. ob turpem causam quatenus habet pretium datum pro recuperanda re propria,& alteri commodata,quæ gratis esset reddenda, cõdictione repeti posse. *Quamuis enim* (inquit) *propter rem datum sit, & causa secuta sit, tamen turpiter datum est.* Sic ergo in præsenti dicimus, pretium rei spiritualis iniustè receptum restituendum esse,etiam si causa sit secuta: & è contrariò acceptionem rei spiritualis validam manere posse, etiam si acquisitio pretij valida non fuerit, quia turpiter,& iniustè postulatum est.

31. Discrimen inter dantẽ,

Vnde ad hoc magis declarandum considero, licet vterque Simoniacus emens,& vendens rem spiritualem turpiter agat, & velit dare pro causa inuoluente turpitudinem, longè tamen diuerso modo. Nam qui dat pretium, vt rem spiritualem habeat, non dat pro causa secundum se mala, sed solùm modum habendi reddit malum per ipsammet dationem pretij; ipse autem per se potiùs vellet, rem illam gratis habere, sed ab alio, quodammodo cogitur ad volendam rem turpem, scilicet consecutionem illam per modum venditionis, & non per modum gratuitæ largitionis. Et ideò licet illa datio, & acceptio non teneat in ratione emptionis,&venditionis;tenet tamen in ratione dationis, & acceptionis. At verò qui dat rẽ spiritualem causa pretij,dat pro causa per se turpi & iniusta, & ideò nec datio, nec acceptio pretij valida, aut firma in conscientia esse potest. Cuius signũ est, quia si venditor rei spiritualis posset alio titulo accipere rem temporalem, vtique sub ratione stipendij, tunc mutata intentione (vt dixi) posset temporale illud retinere, & ita illius acceptio permaneret valida sub honesta ratione, licet non fuisset valida sub ratione pretij. Denique considero,hæc spiritualia bona, licet per ministros Christi conferantur, magis pendere ex voluntate, & dispositione eius, quàm ex priuata intentione ministrorum, si sit intentioni Christi contraria,Christus autem voluit, vt hæc bona gratis darentur fidelibus,& ideò licet ministri illa vendere intendant, ipse ratam habet largitionem, quantum ad substantiam eius (vt sic dicam) venditionem autem vt sic, relinquit inualidam, quia natura sua talis est tanquam iniusta, sine voluntate Domini, & sine potestate ministri vendentis facta. Vt facilè intelligi potest exemplo hæredis suprà posito,illud cum proportione applicando.

& accipientem Simoniacè.

32. Applicatur hæc doctrina variis materiis.

Declaratur præterea applicando prædictam doctrinam ad varias materias Simoniæ, possunt enim esse aut functiones sacræ, aut res sacræ permanentes, aut beneficia: de his vltimis nunc non loquimur,quia magis pertinent ad regulam sequentem. Functiones autem sacræ,cum solùm habeant esse transiens, postquàm factæ sunt, infectæ esse non possunt: ostendimus autem Simoniam ministri operantis per se, & ex natura rei nihil obstare; quominus tales actiones validæ sint, & apud Deum suos effectus spirituales habeant, qui ex merito, seu sanctitate operantis, vel recipientis non pendent, vnde si sint Sacramenta,valida sunt, & firma. In his ergo non habet locum restitutio, nec rescisio contractus ex parte eius, qui rem spiritualem accepit, etiam si is, qui talia opera fecit, & contulit propter pretium, ad restitutionem eius teneatur. Et in his constat, quòd licet intentio conferendi Sacramentum, vel faciendi opus sacrum, sit necessaria in ministro ad valorem operis, non tamen refert, quòd illa intentio sit de vendendo Sacramento, & quod habeat pro causa acquisitionem pretij, quæ in re ipsa non subsistat, quia Deus, qui est principalis author talium operum illa intentione ministri contentus est, quia quoad opus faciendum absoluta est, etiam si ex relatione ad pretium habeat causam iniustam.

33. Difficultas circa res sacras permanentes.

At verò in rebus sacris permanentibus, potest esse nonnulla maior difficultas, quia & possunt esse magis sub proprio dominio, vel Iure vendentis illas, & potest quoad illas rescindi contractus,quia cum permaneant, possunt vendenti reddi, quando ille pretium restituit, nec videtur ille obligandus aliter ad pretium restituendum, cum non teneatur gratis rem illam donare. Sed in his etiam rebus considero spiritualitatem earum semper esse quasi adiacentem alicui rei materiali, quæ dicitur annexa antecedenter rei spirituali,& ideò iusto pretio vendi posse; erit autem iustum, si non crescat ratione spiritualitatis, vt dixi.

dixi. Dico ergo ex natura rei loquendo, contractum manere validum ex hac parte, nec posse compelli, qui rem sacram cariùs, & Simoniacè emit, rescindat contractum, quoad emptionem illius materialitatis, vt sic dicam, empta autem re illa materiali, spiritualitas cum illa transit, tanquam affixa illi, & necesse, est vt transeat gratis, quia vendibilis non est, & licet vendens cogatur restituere pretium, quod pro spiritualitate accepit, non potest exigere rem sacrã, sed solùm retinere pretium, quod pro illa materiali re non potest iustè accipere. Contingit autem materialem illam rem, vel tam paruæ esse æstimationis, vt quasi pro nihilo reputetur, vt granum benedictum, vel reliquia alicuius Sancti, ac subinde moraliter loquendo nihil posse de pretio retineri propter illam considerationem: sed hoc per accidens est, quia natura, seu conditio illius spiritualitatis est, vt cum tali re transeat sine vlla pretij consideratione, quia vt sic, magis pertinet ad bona propria Dei, quàm ad temporalia bona. Et certè si res ipsa materialis, vilis est, & ferè pro nihilo æstimatur, nullum est inconueniens, vt pretium pro illa acceptum sit restituendum, etiam si res data non recuperetur. Interdùm verò res sacra, licet ratione materiæ non videatur æstimabilis temporali pretio secundum se spectata, propter aliquos respectus humanos potest æstimari, & hac ratione posset aliquid temporalis pretij pro illa retineri, quod maximè videtur habere locum in reliquiis Sanctorum, quæ ad vsus humanos parùm valent, tamen propter aliquos effectus temporales, quos possunt habere annexos, vt honoris, salutis, &c. Possunt sine iniustitia æstimari, quamuis non sine irreuerentia, & Simonia, vt in sequenti regula declarabitur.

34. Addi etiam potest limitatio, seu distinctio vt hæc procedant, quando aliquis sciens rei qualitatem, & se non posse iustè illo titulo eam vendere, nihilominùs voluit illam vendere sub tali ratione. Nam tunc virtute videtur voluisse vendere duo, & materiam, & formam, & tenet contractus quoad id, quod vendere potuit, & non quoad aliud, quia vtile per inutile non vitiatur, sicut qui mutuat sub vsuris, & verè mutuat; & validè, tamen quatenus vendit ipsum mutuandi beneficium, contractum facit nullum, & tenet primus sine secundo. Et ideò in dicto casu amittit spirituale, quia reuocabile non est sine materiali. At verò quando venditor ignorabat conditionem illius qualitatis, & ideò credidit illum fuisse iustum valorem illius rei; tunc probabile est, rescindendum esse contractum quia inuoluntariè fuit factus, ac subinde ita illum teneri ad restituendum pretium, vt illi sit res sacra reddenda, si extet, & possit reddi.

35. 2. Regula. Secunda regula principalis sit, aliquando posse Simoniam committi sine propria iniuria, vel iniustitia commissa contra commutatiuam inter vendentem, & ementem, & tunc ex natura rei non oriri obligationem restituendi pretium. Quoad hanc partem sequimur secundam sententiam. Ratio autem est clara stante hypothesi in ipsamet regula posita, quia obligatio restituendi, præsertim in contractu mutuo consensu facto, non potest oriri nisi ex iniustitia commissa in eodem contractu, quia nulla alia malitia, vel deformitas obligat ad restitutionem: ergo si iniustitia non committitur, nec obligatio restituendi relinquitur. Quòd autem possit esse Simonia sine iniustitia ex parte vendentis, suprà cap. 4. ostensum est, & descendendo ad particularia exempla, & corollaria, clariùs constabit: possunt autem exempla facilè inueniri in Simonia tantùm, quia prohibita: tamen etiã inueniuntur in illa, quæ est prohibita quia mala, & in aliqua, quæ potest esse dubia, quatenus vtriusque materia potest habere aliquam temporalitatem annexam consequenter.

36. 1. Corollarium. Primò ergò sequitur, illum, qui habet officium temporale Ecclesiæ tanquam proprium, cui est annexum temporale commodum, licet Simoniam committat vendendo illud, non obligari ad restitutionem pretij. Probatur, quia officium illud secundum se est æstimabile pretio, & qui illo se spoliat, temporalem incommoditatem sustinet ob eam causam, alter verò illam acquirit: ergo licet ratione prohibitionis ecclesiasticæ peccent contra religionem, & Simoniam committant: qui illud officium vendidit, non tenetur pretium restituere. Lócutus sum autem de illo, qui habet tale officium tanquam proprium, & illo se spoliat propter alium: quia si Episcopus, vel Prælatus Ecclesiæ illud vendat, puto committere iniustitiam, & teni ad restituendum pretium ex natura rei, & consequenter esse restituendum illi, qui dedit, nisi aliàs per iustum iudicium illo priuetur in pœnam. Ratio est, quia Episcopus non est Dominus illius officij, nec habet Ius peculiare in illud, nec potest temporale emolumentum ex ministerio eius accipere, & ita non habet illum iustum titulum exigendi pretium pro illo, quem priuatus possessor habet.

37. 2. Corollarium. Secundò infero, Simoniam, quam committere potest beneficiarius vendendo suum beneficium, ex sola lege naturæ non obligare illum ad restituendum pretium, si in illo seruata fuit debita moderatio, comparatione facta ad emolumentum temporale beneficij. Hæc Assertio probari potest satis probabiliter ex c. vlt. de Simon. Vt statim patebit. Probatur deinde ratione, quia emolumentum illud temporale, quod in beneficio est annexum spirituali officio, secundum se spectatum, pretio æstimabile est; ergo licet æstimari non debeat, ne illa occasione vendatur spirituale officium, nihilominùs licet vendatur, non venditur aliquid inuendibile, seu inæstimabile pretio, sed Simonia contra Ius diuinum ibi consistit in hoc, quòd simul cum temporali venditur spirituale, vel potiùs quia ad vendendum temporale venditur priùs spirituale. Tamen quia in effectu vtrumque simul spirituale & temporale non pluris venditur, quàm temporale valere posset, si per se esset, vel si esset annexum temporali officio, ideò in tali venditione non committitur propria iniustitia, & consequenter nec est obligatio restituendi pretium ex sola rei natura: Nam de statuto Ecclesiæ, cap. seq. dicemus. Et ideò apposui conditionem, & limitationem, vt seruari debeat moderatio in pretio, quia aliàs committeretur iniustitia. Hæc verò moderatio prudenti arbitrio præscribenda est, pensata temporali commoditate accipientis, & incommoditate dantis beneficium, & pensato etiam onere, labore, & obligatione, quam vnus suscepit, & alius relinquit. Quæ consideratio licet nunc speculatiua videatur in ordine ad Simoniam realem, quia leges Ecclesiasticæ circa illam aliud disposuerunt, vt videbimus; nihilominùs in ordine ad Simoniam mentalem, poterit esse necessaria, quia obligatio restituendi in illa locum non habet, vt dicemus.

38. Episcopi nõ possunt pretium accipere pro collatione. Locutus etiam sum in hac illatione de beneficiario, qui est suo modo dominus beneficij, quia ille est, qui habet proprium Ius in illud, & qui sentit incommodum, relinquendo illud, iuxta dicta in præced. corollario. Et eadem ratione existimo, non habere hoc locum in Prælatis conferentibus beneficia, quia nullum habent Ius proprium in illis, nec patiuntur temporale incommodum, dando illa, nec possunt alteri vendere commoditatem, quam gratis dare tenentur.

nentur. Nam (vt dixi de aliis rebus spiritualibus) licet non teneantur dare huic potius, quàm illi, tamen cui dederint, tenentur ex iustitia dare gratis. Nec pro collatione ipsa possunt aliquid exigere, quia per suas præbendas sufficiens stipendium accipiunt pro toto suo ministerio: & illa collatio, ac distributio est pars quædam sui ministerij. Nec ab hac regula excipio Summum Pontificem, quia licet ab aliquibus Canonistis dominus beneficiorum vocetur, reuera non est dominus, sed dispensator, & ideò in rigore, illa vendere non potest iustè, aliquid accipiendo per modum pretij. Posset tamen in alio sensu fieri exceptio, quatenus ille potest partem fructuum beneficiorum ad suum emolumentum per modum stipendij applicare, & in recompensationem illius emolumenti, quod posset accipere, aliquid posset exigere, sed illud non esset vendere beneficium, vt sæpè dictum est.

Nec Sũmus Pontifex.

39. Instantia.

Dices: Beneficiarius etiam non est dominus beneficij, nec potest illud transferre in alium; ergo non potest iustè vendere illud, etiam ratione emolumenti temporalis, quia vt venditio sit iusta, non satis est, quòd res tanti valeat, sed etiam necesse est, vt qui illam vendit, dominium, aut Ius habeat ad vendendum illam. Respondetur, non deesse plures Auctores, qui censeãt, Clericos beneficiarios, esse dominos suorum beneficiorum, quia licet non habeant omninò liberam, & absolutam potestatem vtendi illis, vel disponendi de illis suo arbitrio: habent tamen Ius in illis, & specialem potestatem vtendi illis. Sed non est hærendum in vocabulo, vocẽtur enim (si placet) vsufructuarij, vel administratores perpetui: satis ergo est, quòd ad illos pertinet temporale emolumentum beneficij, vt priuare se illo, sit ex natura rei pretio æstimabile, si per se, ac præcisè spectetur: ex hoc ergo cap. cessat iniustitia. Quòd verò non possit transferre immediatè beneficium in alium, non obstat, quia ipsa renunciatio proprij commodi temporalis in fauorem alterius, seu incommoditas temporalis quæ inde renuncianti resultat, æstimabilis pretio est. Eò, vel maximè quòd is, qui emit, non plus exigit à venditore, quàm ipse possit conferre, & secundum talem rei qualitatem debet etiam pretium esse moderatum.

Soluitur.

40. Sed instari potest, quia ille, qui emit beneficium, nunc non acquirit cum effectu ipsum beneficium, ergò iniustè ab illo exigitur pretium pro emolumento, quod ille reuera non consequitur. Propter hoc aliqui distingunt, an emens beneficium, sciat collationem esse nullam nécne: Nam si sciat, voluntariè emit illud solùm quod de facto fieri potest, siue Iure teneat, siue non teneat: & hoc videtur clarum. Si autẽ ignoret vitium collationis, dicunt restituendum esse illi pretium, attenta rei natura, quia tunc inuoluntariè dat, quia non esset daturus, si sciret, se non posse consequi beneficium. Ita sentit Vgolin. Tab. 4. cap. 2. §. 1. in fine. Et potest sumi ex Glossa, & Doctoribus, iuncto textu, in l. vlti. ff. de condictionibus ob turpis. causam. Sed nihilominùs in præsenti materia non placet distinctio, quia principalis causa accipiendi pretium in præsenti materia, est incommoditas, quam patitur, qui beneficium relinquit, & licet alterius acquisitio non sit valida, dimissio de facto valida est, & ita verè subsistit causa accipiendi pretium, quam alter ignorare non potuit, vel non debuit, & licet omninò ignorauerit, sibi imputet, nam alter iustè posset se conseruare indemnem, si solum naturale Ius inspiciamus.

41. 3. Corollarium. Tertiò, principaliter infero, Monasterium recipiens Simoniacè aliquem ad religionem, non teneri ex natura rei ad restituendum pretium. Hoc probatur ex d. cap. vlt. de Simonia, vbi declaratur, talem Simoniacam receptionem, si mentalis sit, non obligare ad restitutionem, quòd ideò est, quia restitutio illa non debetur ex Iure naturæ. Ratio verò est, quia illa receptio, licet spiritualis sit, habet adiunctum: temporale onus æstimabile pretio, scilicet sustentationem corporalem Religiosi; ergo hac ratione non fit iniustitia, licet alias fiat Simonia, siue illa sit ex natura rei, siue quia prohibita, iuxtà varias opiniones. Declaratur etiam, quia si is, qui dedit pretium, est ipse Religiosus, præter alias rationes interuenit illa, quòd omne Ius eius transit in religionem, si verò sit tertia persona, vel ipse Religiosus antè professionẽ reliquit bona sua, & Iura in alium transtulit per testamentum, nihilominùs Monasterium potest illud pretium, non vt pretium, sed vt stipendium sustentationis recipere, ergo non tenetur restituere, sed ad summum intentionem mutare. Subintelligenda verò hic est moderatio æquitatis, vt pretium non sit excessiuum, vltrà æquam æstimationem temporalis oneris, seu alimentorum, nam tunc excessus esset restituendus, quia pro re spirituali, & sine alio iusto titulo extorqueretur, iuxta dicta in priori regula.

42. 4. Corollarium. Quartò infertur, qui vendit fundum habens coniunctum Ius Patronatus, & eo titulo cariùs vendatur, respectu habito ad temporales commoditates, quas secum afferre solet tale Ius, & quibus priuatur qui illud in alium transfert, non teneri ad restituendum pretium ex vi naturalis iustitiæ. Probatur eisdem rationibus, quia illa etiam incommoditas, vel commoditas est secundum se pretio æstimabilis, licet propter annexionem æstimari nõ debeat ex virtute Religionis, quæ ad restitutionem non obligat. Idem censeo dicendum de quacunque re sacra, quæ antecedenter habet annexam rem materialem æstimabilem pretio, & vendi non potest, etiam ratione materiæ sine Simonia, propter positiuam prohibitionem. Nam si de facto vendatur, & committatur Simonia, dummodo non excedatur in valore materiæ, non oritur obligatio restituendi, vt in Chrismate, vel oleo sancto, si supponamus, prohibitam esse venditionem etiam materiæ. Idem censeo dicendum de quacunque re sacra etiam vt sacra est, si possessio eius habeat temporalem commoditatem adiunctam, siue illa commoditas consistat in lucro, vt solet esse in miraculosa imagine; siue consistat in aliquo speciali honore humano, vel voluptate peculiari, quam aliquis capit ex aliquo vsu, vel possessione talis rei. Nam si pro donatione talis rei aliquid exigat intuitu illius commoditatis, qua se priuat propter alium, esto, sit Simonia, non erit iniustitia, nec obligatio restituendi orietur, propter eandem rationem cum proportione applicatam.

43. An pretium accipi possit pro incommoditate ca rendi reliquia v.g. Maius mihi dubium est, An pro sola incommoditate spirituali, quam quis patitur priuando se reliquia, verbi gratia, vel grano benedicto, possit sine iniustitia aliquam recompensationem postulare, esto, non possit sine Simonia; & consequenter ad restitutionem non teneatur, si illam acceperit. Aliquibus enim videtur non esse iniustitiam, quia incommoditas illa est aliquid distinctum à re spirituali, & videtur esse compensabilis pretio. Declaratur: Nam si ego habeam plura grana benedicta eiusdem rationis, vel plures agnos, licet multa ex illis donem, non patior incommodum, & ideò nec pro re, nec pro incommodo possum aliquid accipere, si autem vnum tantùm habeo, & à me petatur, patior incommodum, si me illo spoliem; ergo hoc titulo possum aliquid postulare sine iniustitia, licet non pro re ipsa, nec inde sequetur, quod possim sine Simonia aliquid petere

petere pro illo incommodo, quia propter annexionem non licet, cedit enim in irreuerentiam rei sacræ. Nihilominùs oppositum censeo securiùs, & veriùs, quia si incommoditas purè spiritualis est, natura sua non est pretio æstimabilis, alioqui non esset iniustitia Missam vendere, distincto pretio ab stipendio, propter incommoditatem, quam patior, priuando me illo fructus, quem alteri applico. Et satisfactiones propriæ de se essent vēdibiles sine iniustitia, quod non videtur probandum. Vnde etiam censeo, non posse aliquem, si per vim, vel furtum, reliquiæ, grana benedicta, vel alia huiusmodi sibi surripiuntur, temporalem compensationem pro illis exigere, vel occultè facere, si alia via non possit, quia esset Simonia, & non careret iniustitia, quia illa esset virtualis quædam venditio.

An fieri possit compensatio temporalis pro furto sacrorum.

43. *An Simonia mentalis obliget ad restitutionē.* *Maior. Henric. Adrian. Sot. Ioan. Medin. D. Thom. Caiet. Nauar. Couar. Victor. Redoan. Petrus. Nauar.*

Vltimò ex dictis resoluitur facilè illa quæstio valdè controuersa, an Simonia mentalis obliget ad restitutionem. In qua Maior. Henr. Adrianus, & Sot. indistinctè affirmant. Et ad illos accedunt Ioan. Med. C. de restitut. Tract. de vsur. quæst. 4. §. *Jam ad rationem*, & Barth. Med. in Sum. cap. 14. §. 21. Contrarium autem docet D. Thomas distinct. art. 6. ad 6. & ibi Caiet. & in Summ. verbo, *Simonia*. Vbi alij Summistæ, præsertim Sylvester. Item Nauarrus, Couarruuias; & Victoria cum multis Canonistis, locis suprà citatis in 2. opin. & Redoan. 1. par. cap. 3. Petrus Nauarra lib. 2. de restit. cap. 2. difficult. 11. à num. 190. Fundamenta verò vtriusque sententiæ in his continentur, quæ in principio pro duabus sententiis relatis adduximus: & ideò necessarium non est illa repetere.

44. *1. Assertio.*

Nos autem breuiter sub distinctione data respondendum esse, cēsemus. Primò enim dicimus; Quando pretium Simoniæ sine iniustitia accipitur, mentalis Simonia non obligat ad restitutionem pretij. Probatur clarè, quia talis Simonia etiam si realis sit, non obligat ad restitutionē ex vi legis naturalis, vt ostensum est ergo multò minus obligabit, si sit tantùm mentalis. Vnde etiam obiter addere possumus, talem Simoniam simpliciter, & absolutè, nullo Iure obligare ad restitutionem. Probatur, quia non obligat ex vi Iuris naturalis, vt ostensum est, nec etiam ex vi Iuris Ecclesiastici, quia vbi Ius Ecclesiæ imponit hanc obligationem vltra naturalem obligationem id non facit nisi per modum pœnæ; at verò pœnæ Ecclesiasticæ, contra Simoniam non cadunt in Simoniam mentalem, vt suprà ostensum est. ergo. Atque hæc ratio probat vlteriùs, Simoniam, in quacunque materia sit, & siue iniustitiam inuoluat, siue non, si tantùm mentalis sit cum opere subsecuto, non obligare ad restitutionem ex vi Iuris Ecclesiastici, quidquid sit de alio Iure. Et simili modo si contingat, ex alio Iure habere obligationem, illam non immutari, nec alterari per leges Ecclesiasticas, vt, verbi gratia quod huic potiùs, quàm illi fiat restitutio, vel aliquid simile. Totum hoc patet, quia omnes dispositiones pœnales circa Simoniam, quæ sunt de Iure Ecclesiastico, non cadunt in Simoniam mentalem, vt suprà ostensum est; omnes autem hæ dispositiones pœnales sunt, vt constat: ergo totum hoc. Et ad minimum probat cap. vlt. de Simon. de quo statim plura. Idémque sumitur ex c. *Tua nos*, eod. vbi de dantibus, & recipientibus intentione Simoniaca dicitur. *Sine dubio apud districtum iudicem (qui scrutator est cordium, & cognitor secretorum) culpabiles iudicantur.* Et priùs dictum fuerat. *Nobis datum est de manifestis tantummodo iudicare.* Idem sumitur ex cap. *Sicut tuis*. Eod. in fin. ibi. *Si excessus esset Ecclesiæ manifestus, quæ non iudicat de occultis, pœna essent Canonica feriendi.*

Cap. Tua nos.

Dico secundò. Quando Simonia includit iniustitiam, etiam si mentalis sit cum opere subsecuto (vt loquimur) obligat ad restitutionem ex lege naturali, licet non obliget ex lege Ecclesiastica. Probatur primò, quia omnis acceptio exterior de se iniusta, & procedens ex intentione iniusta, obligat ad restitutionem, sed talis est illa Simonia etiam si mentalis sit, quia procedit ex intentione iniqua proportionata materiæ, & consequenter, ex iniusta intentione, & in re exequitur actionem iniustam, & infert nocumentum; accipiendo pecuniam contra iustitiam; ergo obligat ad restitutionem. Secundò probatur exemplo vsuræ mentalis, quæ ad restitutionem obligat in conscientia, & ex Iure naturali, vt definitur in c. *Consuluit*, de vsur. Vbi Vrbanus III. satis declarat, se loqui in foro conscientiæ, dicens: *In animarum iudicio.* Ergo idem est in Simonia, de qua loquimur. Probatur consequentia: Quia ratio cur vsura obligat, est propter iniustitiam, sed hæc locum habet in tali Simonia: ergo. Ad quàm rationem aliter Canonistæ, aliter Caiet. Nauar. & Couar. respondent, sed omnes solutiones, & differentiæ, quæ assignantur, necessariò supponunt, receptionem Simoniacam non esse iniustam, etiam si aliàs turpis sit, receptionem autem vsurarum esse iniustam. At supposito contrario fundamento, ex parte Simoniæ, vt nos supponimus, nulla differentia assignari potest.

45. *2. Assertio.* *Vrban.* *Caiet. Nauar. Couar.*

Scio aliquos Theologos tentasse negare, vsuram mentalem obligare ad restitutionem, vt Scot. 4. dist. 15. quæst. 2. artic. 2. Concil. 4. & ibi Richard. art. 5. quæst. 5. & alij, qui videri possunt apud Couarr. in Regul. *Peccatum*, 2. par. in princip. num. 4. & sequentibus. Sed hi Auctores intelligendi sunt, quando vsura ita est mentalis, vt exteriùs nulla probabilis suspicio appareat, quod aliquid detur pro mutuo; sed vel mutuans ex conscientia erronea putat sibi darì pro mutuo, & nihilominùs vult accipere, vel certè, licet sciat sibi liberaliter dari, ita est affectus, quòd si non daretur etiam pro mutuo, non mutuaret, tunc enim vsura est purè mentalis, & reuera non habet opus externum, & ideò in re non obligat ad restitutionem, sed in priori casu obligabit ex conscientia erronea, donec deponatur conscientia; in posteriori autem casu simpliciter non obligabit: & idem est cum proportione in Simonia. Nos autem non de hac vsura, vel Simonia mentali loquimur, sed de illa, quæ imperat actum externum, quia nimirum probabiliter aliquis credens dari pecuniam vt pretium iniustum mutui, vel rei sacræ, illud accipit. Et de hac dubitari non potest, quin vsura mentalis obliget ad restitutionem, id enim conuincit, & textus allegatus, & ratio facta, & in hoc diximus, eandem esse rationem de mentali Simonia iniusta.

46. Nonnullorum opinio. *Sot. Richard. Couar.*

Et hinc obiter intelligitur, hanc obligationem habere locum in pretio, non in acceptione rei spiritualis; & ideò fortasse Auctores quæstionem hanc mouerunt in pretio, & non in re spirituali, quia acceptio rei spiritualis, etiam si Simoniaca sit, nunquam est iniusta in accipiente respectu dantis, vt diximus, deberet enim gratis recipere; & ideò non facit iniustitiam, recipiendo pro pretio, sed potiùs illam patitur. Et ideò nunquam tenetur ad restitutionem ex vi Simoniæ realis, ne dum mentalis; sed tenetur, interdum rem dimittere, ex Iure positiuo, quod non obligat in Simonia mentali: qui autem recipit pretium, iniustitiam committit, & ideò obligatur ex natura rei ad restitutionem; ac subinde talis obligatio cadit etiam in mentalem Simoniam, qualem explicuimus.

47.

48. Explicatur textus cap. vlt. de Simo.

Solùm potest contra hanc resolutionem applicari cap. vlt. de Simon. quia in eo absolutè, & sine distinctione negatur, Simoniam mentalem obligare ad restitutionem. Ad quem textum variè respondent Auctores. Primò respondent Adrian. & Sot. potiùs ex illo textu colligi, ex mentali Simonia oriri obligationem restituendi, imò & resignandi spirituale acceptum Simoniacè, quia ibi dicitur, *mandatum dispensandi, extendi ad Abbates, & ad resignationes spiritualium, & temporalium, quæ nullo pacto, sed affectu animi vtrinque acquiruntur.* Ita enim dicti Auctores construunt literam textus, imò Sot. intelligit, illam extensionem *Ad abbates* actiuè, id est, vt ipsi dispensare possint, non passiuè; scilicet, vt cum eis dispensari possit.

Adrian.

49. Sed totum hoc repugnat cum verbis, & serie textus. Consultatio enim facta Pontifici videtur fuisse, an mandatum legato commissum, vt cum Monachis dispensaret in ingressu Simoniaco, extenderetur ad Abbates, & de qua Simonia esset intelligendum. Et respondet Pontifex in duabus clausulis: & in priori ait, extendi ad Abbates, non vt ipsi dispensent, non enim illis mittebatur mandatum, sed vt cum eis dispensaretur, erant enim participes criminis: in secunda verò declarat, pro Simonia mentali eos ad resignandum spiritualia, vel temporalia non teneri. Vnde non possunt illæ duæ clausulæ in vnam confundi; nec verbum *extendi*, referri ad sequentia verba, scilicet, *& ad resignationes*, quia aliàs vltima verba textus, scilicet, *eos pro Simonia huiusmodi non teneri*, superflua essent, nec possent cum superioribus construi. Igitur illæ sunt duæ declarationes, quæ diuersis verbis explicantur: Prior est, mandatum extendi ad dispensandum cum Abbatibus: Alia est pro Simonia sine pacto commissa non teneri, &c. Et hoc conuincit ratio, quæ per parenthesim interponitur, *In quo casu delinquentibus sufficit per solam pœnitentiam suo satisfacere creatori.* Ad quæ verba respondet Adrianus excluiuã, *solam*, non excludere restitutionem, sed mutationem loci, & ordinationis, quam fieri oportet iuxta Decretum Concil. Lateranens. sed repugnat contextui, & destruit rationem, quia expressè in textu dicitur, in eo casu non teneri ad resignationem, & pro ratione redditur, quia sola pœnitentia sufficit; ergo si ly *sola*, non excludit resignationes, inepta est ratio: illæ ergo potissimum excluduntur.

Conc. Later.

50. *Barthol. Medin.*

Hinc Bartol. & Medina, suprà dixit, breuiùs responderi dicendo, Pontificem secutum esse opinionem probabilem, sed probabiliorem esse contrariam. Breuior quidem, sed non prudentior expositio, quæ profecto à temeritate excusari non potest. Tum quia est contra torrentem omnium Doctorum, qui in omni opinione semper studuerunt, definitionem illam sustinere. Tum etiam quia ibi Pontifex respondet vt Pontifex, & de re morali pertinente ad salutem animarum; ergo nullo modo potest dici falsum respondisse. Apparentiùs profecto alter Medin. respondet, Pontificem ibi locutum esse in ordine ad forum externum. Et ponderat differentiam inter illum textum, & cap. *Consuluit*, de vsur. Nam in cap. *Consuluit*, fuit consultus Pontifex *in iudicio animarum*, id est, in foro conscientiæ, in dicto autem cap. vltim. fuit consultus in foro Ecclesiæ, scilicet, in ordine ad dispensationem Ecclesiasticam: Et ita in priori respondit Pontifex declarando obligationem in conscientia: in posteriori solùm declarat, quando Simonia fuit sine pacto in solo affectu, etiam si opus fuerit subsequutum non indigere delinquentes dispensatione, sed sola pœnitentia. Quæ expositio si necessaria esset, non careret probabilitate: Verumtamen

Medin.

Cap. Consuluit.

A necessaria non est, & aliquam vim facit textui, quia simpliciter dicit ad resignationem non teneri; vnde per solam pœnitentiam videtur excludere omnem restitutionem. Maiorem verò vim infert textui Maior. suprà; nam in summa exponit Pontificem loqui de illo, qui priùs habuit affectum emendi rem spiritualem, & posteà mutauit mentem, & licitè illam consecutus est. Quæ responsio & facit ridiculam decisionem, & est contra vim illorum verborum: *Nullo pacto, sed affectu animi præcedente vtrinque acquiruntur*: quæ apertè intelliguntur de acquisitione ex illo affectu proueniente. Item, ad quid esset necessaria pœnitentia de tali acquisitione, si absque culpa facta esset?

Maior.

B Hostiensis ergo, quem aliqui secuti sunt, respondet, illam decisionem habere locum in mentali Simonia contra Ius humanum, non verò in ea, quæ est contra Ius diuinum. Contra quam expositionem obiiciunt Caiet. & alij, quia textus ille loquitur in Simonia commissa in ingressu Monasterij, quæ est contra Ius diuinum. Sed hæc impugnatio non vrget, quia licet Simonia commissa in emptione, aut venditione ipsius professionis, aut status Religiosi, sit contra Ius diuinum, tamen aliquid recipere in illo ingressu prætextu paupertatis non est contra Ius diuinum, & prohibitio contraria est de Iure Ecclesiastico, & de Simonia, seu acceptione illi Iuri contraria, loquitur apertè Gregor. IX. in dicto cap. vlt. vt patet C ex illis verbis: *Secundum constitutionem generalis Concilij dispensare:* Igitur ex hac parte non est reiicienda illa expositio. Imò in rigore (vt etiam Maior fatetur) sufficeret, illam decisionem veram esse in materia, de qua loquitur, quia non dicit Pontifex idem esse in omnibus aliis, nec de aliis fuerat consultus. Nihilominùs tamen verum credo; quod Hostiens. ait, in omni Simonia mentali in materia, quæ solùm est mala, quia prohibita, habere verum illam decisionem, quia sola prohibitio titulo Religionis non facit, actionem esse iniustam, quæ de se talis non erat, vt supponitur. Posset tamen fieri iniusta, si lex Ecclesiastica non solùm prohiberet actum, sed etiam annullaret receptionem: tamen hoc etiam in præsenti D non obstaret, quia hæc annullatio non comprehendit Simoniam mentalem, vt suprà ostensum est, & ideò vniuersaliter est verum Simoniam mentalem in materia solùm mala, quia prohibita, non obligare ad restitutionem. Quòd autem omnis Simonia mentalis contra Ius diuinum ad restitutionem obliget, non credo esse vniuersaliter verum, quia potest interdùm committi sine iniustitia, vt in materia beneficiali. Vnde etiam de Simonia reali in tali materia diximus, non obligare semper ad restitutionem ex solo Iure naturali, sed ad summum ex Ecclesiastico, vt dicemus capite sequenti; ergo mentalis in eadem materia nullo modo obligabit, quia non ex Iure naturali, eadem, seu maiori ratione, nec Ecclesiastico, E quia non punit Simoniam mentalem, vt sæpè dictum est.

51. *Hostiens.*

Caiet.

Gregor.

Oportet ergo respondere, decisionem illam habere locum, & in materia, in qua data fuit responsio, & in quacunque alia, in qua fuerit similis ratio, non autem vbi fuerit dissimilis. In ingressu ergo Religionis licet Simonia commmittatur, non tamen habet necessariò iniustitiam annexam, & ideò si mentalis sit, nullo modo obligat ad restitutionem: etiam suppositis legibus Ecclesiæ, quod in illa decisione maximè intenditur. Idem ergo erit in omni Simonia non inferente iniuriam ei, à quo pecunia recipitur, siue sit contra Ius humanum tantùm, siue etiam contra diuinum. Vbi autem fuerit receptio pretij non tantùm

Simo-

Simoniaca, ſed etiam iniuſta, licet mentalis Simonia ſit, orietur obligatio reſtituendi, non ex lege Eccleſiaſtica (quod in illo cap. & in aliis negari potuit) ſed ex naturali Iure, quod nullibi negatur. Vel aliter (& in idem redit) in illo caſu de Simonia in Religione, etiamſi intentio fuerit praua, retineri poteſt pecunia, quia nõ deeſt titulus iuſtus ad retinendũ ſcilicet, & ad alendum Religioſum, & ad ſuſtentanda onera ſtatus illius, & ideò mutata intentione tollitur prauitas, & ita per ſolam pœnitentiam poteſt venia delicti comparari. Idem ergo erit in omni Simonia mentali, quæ ſimilis rationis fuerit, vt re vera eſt, quoties receptio pecuniæ non eſt iniuſta. Eritque talis Simonia ſimpliciter immunis à reſtitutione, non obſtantibus etiam legibus Eccleſiaſticis. Hoc enim eſt ſemper addendum, & præ oculis habendum, tum vt aliquid ſpeciale dicatur de Simonia mentali, quod non ſit commune reali, tum etiam vt intentioni illius capitis vltimi ſatisfiat. At verò quando Simonia eſt iniuſta, nullus ſupereſt titulus iuſtus ad retinendam pecuniam, & ideò obligat ad reſtitutionem, & ad illam non extenditur deciſio illius cap. vlt. niſi quoad hoc, quod illa etiam ſub legibus Eccleſiaſticis punientibus non comprehenditur, ſed per Ius naturale metienda eſt.

CAPVT LX.

An pretium Simoniacè comparatum ex Iure Eccleſiaſtico, ſit in conſcientia reſtituendum ante ſententiam, & cui?

1. HÆc quæſtio ſolùm habet locum in illis caſibus, in quibus diximus pretium hoc non eſſe obnoxium reſtitutioni ex vi ſolius naturalis Iuris, quia vbi Ius naturale obligat ad reſtituendum, clarum eſt non eſſe expectandam ſententiam iudicis; nam ipſa conſcientia ſatis eam profert. Vnde neque eſt neceſſaria lex Eccleſiaſtica id præcipiens, quia naturalis obligatio ſatis, ſuperque eſt, cum ſit diuina. Atque hinc colligo, ſolùm habere locum præſentem quæſtionem in Simonia in ordine, beneficio aut ingreſſu Religionis, nam ſi hæc obligatio reſtituendi, interdùm naſcitur ex ſolo Iure Eccleſiaſtico, ſolùm eſt per modum cuiuſdam pœnæ per illud Ius impoſitæ, vt per ſe conſtat; dictum eſt autem ſuprà, Eccleſiaſticas pœnas, quæ ipſo facto, & ante ſententiam incurruntur propter Simoniam, ſolùm habere locum in illis tribus materiis, ergo idem dicendum eſt de hac reſtitutione. Vnde licet aliqui dicere voluerint, hanc obligationem reſtituendi pretium, inductam eſſe per Eccleſiam in omni reali Simonia in quacunque materia, nullo Iure probare id poſſunt, & ex dicendis à fortiori conſtabit non ita eſſe. In aliis ergo materiis ſupponimus vt veram partem negantem, & de cæteris inquirimus, & primò ac præcipuè dicemus de materia beneficiali, & inde facilè conſtabit de reliquis.

2. Prima opinio abſolutè negat. D. *Anton.*

Eſt igitur prima opinio abſolutè negans venditorem Simoniacum beneficij teneri in conſcientia ad reſtituendum pretium acceptum, donec per iudicem priuetur. Pro hac ſententia refertur D. Anton. 2. par. tit. 2. ca. 5. quia ibi generaliter dicit, turpiter acquiſita non eſſe neceſſariò reſtituenda, ſed tantùm ex cõſilio, quando non ſunt per iniuſtitiam accepta. Quod etiã aſſeruit Nauar. in Manual. cap. 17. num. 30. cum aliis, quos allegat, ſed immeritò adducitur Anton. nam expreſsè addit exceptionem, *niſi in caſibus à Iure expreſſis*, & adiungit, *vt in Simonia*. Et idem ſenſit Nauar. & alij ab ipſo relati, vt videbimus. Quocirca opinio hæc Nauar. deſtituta eſt Auctoribus, quantum enim reperire potui, ſolus Vgol. illam defendit ſub quibuſdam diſtinctionibus (de quibus infrà) Tab. 4. cap. 2. §. 1. in fin. & ſuadetur primò, quia nullum eſt Ius Eccleſiaſticum obligans ipſo facto ad hanc reſtitutionem; ergo non obligat in conſcientia antè iudicis cõdemnationem. Probatur cõſequentia ex generali principio, quòd lex pœnalis non obligat ad pœnam ante iudicis condemnationem, niſi expreſsè declaret; hæc autem lex, ſi datur, pœnalis eſt quoad hanc partem, vt conſtat ex dictis cap. præcedenti. Antecedens autem probatur, quia tria Iura adducuntur pro illis tribus materiis, quæ non videntur ſatis probare. Primum eſt cap. *De hoc*, de Simon. Vbi Papa dicit, Principes, vel Patronos, qui pecuniam acceperant, non potuiſſe illam retinere tuta cõſcientia, id autẽ nõ probat, quia illud dictum non videtur fundatum in culpa Simoniæ, ſed in hoc quòd bona illa fuerant data de bonis Eccleſiæ ab illo, qui Epiſcopatum eius ambierat, vt ex textu colligitur. Et ſimiliter non probat cap. *Veniens*, eod. nam ibi præcipitur reſtitui pecunia ei, qui dederat, quod non præciperetur, ſi ille verè Simoniam commiſiſſet; præcipitur ergo illi reſtitui, quia per deceptionem, & potentiam fuerat extorta. Denique non probat cap. vlt. eod. nam ex illo ad ſummum ſumitur argumentum à contrario ſenſu, quod non eſt efficax præſertim ad inducendam tam grauem pœnam ante ſententiam, cum etiam poſſit textus ille commodè intelligi de obligatione mediante ſententia. Secundò argumentor, quia non apparet cui facienda ſit illa reſtitutio ex ſola conſcientiæ obligatione, quia non debet fieri ei, qui dedit, vt omnes fatentur. Et ratio eſt, quia ille, qui dedit, quantum eſt in ſe, võluntate ſua abdicauit à ſe dominium talis pecuniæ; ergo niſi impediatur per aliquam legem, voluntas illa habuit ſuum effectum, quandoquidẽ (vt ſupponitur) impleta fuit cauſa, propter quam dare voluit illam pecuniam, & alter voluntariè illam acceptauit. Lex autem Eccleſiaſtica non impedit quominùs voluntas largientis ſit efficax quoad hunc effectum abdicandi à ſe dominium, quia hoc cederet in fauorem Simoniaci, quem Eccleſia non præſtat, nec intendit, vt per ſe conſtat. Ergo cum ille voluntariè abdicauerit à ſe dominium, non poteſt manere obligatio ex iuſtitia ad reſtitutionem illi faciendam; ergo neque ad reſtituendum alicui alteri, vt Eccleſiæ, vel pauperibus, &c. quia neque alij habent Ius ad talem pecuniam; neque obligatio ad reſtituendum alteri, ſolet oriri niſi in caſibus, in quibus res erat reſtituenda priori domino, & illi fieri non poteſt, vel quia ignoratur, vel propter aliud legitimum impedimentum, vt ſuprà dictum eſt. *Vgolin.* Cap. *Veniens.* Cap. vlt. eodem.

Nihilominùs dicendum eſt primò, pecuniam acceptam pro venditione beneficij, ſeu electionis, aut præſentationis, & cap. in foro conſcientiæ reſtituendam eſſe ante omnem ſententiam: Vnde cum hæc obligatio non ſit ex vi ſolius Iuris naturalis, concluditur eſſe ex inſtitutione, ſeu lege Eccleſiaſtica. Hæc Aſſertio ſumitur ex D. Thoma d. art. 6. ad quartum vbi eodem modo loquitur de pecunia, ſicut de fructibus Simoniacè acceptis, & principalem partem fundamentalem eius ſupponunt omnes citati in cap. præced. pro vtraque ſententia: nam omnes admittunt hanc obligationem: vnde qui negant eſſe de Iure naturali, neceſſario ſentiunt eſſe de Iure poſitiuo, & expreſsè id docet Anton. ſuprà, & tit. 1. cap. 5. §. 7. Et Sylueſt. verbo, *Simonia*, quæſt. 20. & Nauar. d. cap. 17. num. 32. Palud. d. quæſt. 5. Medin. Cod. de reſtitut. q. 20. ad 3. Burg. tract. de irregular. ſexta parte tit. de Simonia num. 91. Redoan. 1. par. cap. 3. 3. 1. Aſſertio. *D. Thom.* D. *Anton.* *Sylueſt.* *Nauar.* *Palud.* *Medin.* *Burg.* *Redoan.*

Gloss. Cap. De hoc. & 4. & 4. par. cap. 8. Gloss. & Doctores in d.c. *De hoc*, & de cap. *Veniens*. Probari autem solet hæc sententia ex illo generali principio, quod turpiter recepta à dante etiam ob turpem causam, non debent manere apud recipientem; sed talia sunt accepta per Simoniam: ergo qui recipit pecuniam, non potest illam retinere: debet ergo illam restituere. Maior sumitur ex Iure ciuili in leg. 3. & leg. *Si ob turpem*. ff. de condiction. ob turpem causam, & in leg. 2. Cod. eod. & in l. *In hæredem*, in princip. ff. de calumniator. Quod ciuile Ius non contradicit canonico, imò cedit in fauorem eius, & ideò etiam in Simonia locum habet. Hæc autem ratio licet optimè probet, iustè posse puniri Simoniacum in amissione pecuniæ, quam accepit, imò in dupla quantitate vt dicitur in cap. *Audiuimus*, de Simonia, non tamen probat, ipso facto, esse illa priuatum propter solam turpitudinem receptionis: nam in illis legibus solùm dicitur esse ab illo extorquendam, vtique per fiscum seu iudicium iuxta leg. *Fiscus*. ff. de Iure fisci, nunquam verò illi imponitur onus illam offerendi, seu sponte à se abdicandi. Vnde hæc pœna in omni Simonia locum habet; signum ergo est, ex hoc titulo tantùm esse sententiæ ferendæ, non latæ per legem.

Leg. 3. Leg. *In hæredem.* Cap. *Audiuimus.* L. *Fiscus.*

4. Secundò probari potest ex cap. vlt. de pactis, quatenus ibi dicitur pactiones, & conuentiones omnes in spiritualibus nullius omninò esse momenti, hinc enim fit, vt contractus Simoniacus, quatenus est emptio quædam, & venditio nullius momenti sit. Ergo ex vi illius non potest transferre dominium pretij in venditorem, sicut non potest ipse transferre dominium beneficij in emptorem, ergo qui accipit pretium, tenetur in conscientia, illud restituere, quia non potest apud se retinere rem alienam, cuius non est factus dominus. Quæ ratio si efficax esset, in omni materia Simoniæ locum haberet, quia cap. illud vlt. absolutè loquitur de pactione in spiritualibus; quod verum esse non credimus, nec ex illo textu probari. Imò existimo, Decretum illud, si respiciat obligationem pacti in futurum, non continere legem inducentem irritationem Iure positiuo, sed declarationem pacti irriti ex natura sua, vtpote existentis de re turpi, & illicita, quod patet: tum quia pactiones de rebus spiritualibus pro temporalibus cõferendis, huiusmodi sunt: Tum etiam quia statim subiungitur, idem esse de aliis conuentionibus dicendum, *quæ obseruatæ vergunt in animæ detrimentum*; & ita videntur intelligere ibi Glos. & Doctores. Est enim obseruandum aliud esse loqui de actionibus, vel traditionibus factis ex pacto Simoniaco, vel de pactionibus ipsis: sunt enim hæc valdè diuersa; nam pactio consistit in mutua obligatione, & quia nemo potest obligari ad actum turpem, ideò tales pactiones ex natura rei inualidæ sunt: at verò executio obligationis consistit in traditione rei vel pretij, quæ potest esse valida, & habere suum effectum, etiam si turpiter fiat, vt cõstat in mercede meretricis. Et in præsenti materia licet pactio de vendendo baptismate nulla sit, nihilominùs baptismus traditus etiam Simoniacè validus est; ita ergo poterit esse valida traditio pecuniæ, etam si conuentio fuerit nulla, quoad inducendam obligationem.

5. Cap. *De hoc.* Vgolin. Teriò ergo specialiter probatur Assertio ex d. cap. *De hoc*, vbi in fine eius dicitur, temporalia sic recepta pro dando assensu electioni Ecclesiasticæ, non posse sine graui salutis periculo retineri: Quod planè intelligitur ex vi conscientiæ, etiam si nulla coactio, vel sententia iudicis intercedat, quamuis oppositum indicet Vgol. dist. 5. 1. n. 1. Nam quod dixi ex ipsis verbis, & contextu manifestum est. Et ideò Pontifex in illa postrema parte textus nullam distinctionem facit, sicut fecerat in priori, de delicto publico vel occulto, probato, vel non probato, sed simpliciter dicit, Regem, & principes monendos fuisse, obligatos esse in conscientia ad restituendum, si quid receperant: & ita sentiunt Gloss. Hostiens. Anton. Abb. & alij communiter ibi. Dicere autem, obligationem de qua ibi Pontifex loquitur, non fuisse ortam ex receptione Simoniaca, sed ex receptione iniusta, quia fuerat de bonis Ecclesiæ, omninò voluntarium, & improbabile mihi videtur. Primò quia nullum fundamentum habet in textu: Secundò quia est contra absoluta verba textus, *vt si qua receperunt*, non enim dicit, *vt si qua bona Ecclesiæ*, nec de illis mentio præcesserat, vt referri videantur per particulam, *si qua*, ergo voluntariè limitantur, & contra generalem regulam, quod vbi Ius non distinguit, neque nos distinguere debemus. Tertio, quia non habet verisimilitudinem, nam ille Episcopus dederat Regi, & principibus aliquid, vt eius electioni præstarent assensum, dedit ergo antequam esset Episcopus; non est ergo verisimile dedisse de bonis Ecclesiæ. Vnde notari potest differẽtia inter priorem, & posteriorẽ partem illius textus; nam in priori tantùm promissio spiritualium præcesserat, quæ promissio optimè fieri poterat à nondum Episcopo sub spe, & conditione futuræ electionis, in posteriori verò non promissio, sed traditio temporalium interuenisse dicitur, & ideò (vt dixi) præsumi non potest, eum, qui nondum Episcopus erat, de bonis eiusdem Ecclesiæ, ad quam eligi optabat, largitiones illas fecisse. Gloss. Hostiens. D. Anton. Abbas.

6. Atque ita est intellecta decisio illius textus à Iurisperitis, & Theologis, & conuicit illos, vt pro certo haberent, pretium Simoniacum saltem Iure Ecclesiastico tuta conscientia retineri non posse. Quia Ius ipsum impedit acquisitionem dominij talis pretij, quod optimè facere potuit in pœnam tam grauis delicti, sicut de acquisitione beneficij diximus. Quia verò textus ille in sola materia beneficiali loquitur, ideò de sola illa videtur nobis probare, quia in his pœnis non habet locum extensio ab vna materia ad aliàs, vt ex hactenus dictis constat, quia Iura ipsa non eodem modo puniunt Simoniam in beneficio, vel in ordine, &c.

7. Cui sit restituenda talis pecunia. *Sot.* Sed explicandum superest, cui tunc facienda sit restitutio, nam Sot. distinct. quæst. 8. artic. 1. dicit, esse restituendam pecuniam ei, qui illam dedit ante sententiam, & sequitur Banhes 3. 2. 2. quæst. 32 art. 7. dub. 2. saltem quoad hoc, vt liceat pretium reddere ei, qui dedit, quam etiam sufficiat, illud dare Ecclesiæ, vel pauperibus. Fundantur in hoc, quia putant dominium pretij semper manere apud dantem ex natura rei, & per legem pœnalem non priuari illo ante sententiam. Sed existimo fundamentum esse falsum, quia ille contractus ex natura sua sufficiebat ad transferendum dominium in alium, & consequenter ad se spoliandum illo. Consecutio etiam non est necessaria; tum lex pœnalis potest per se ipsam priuare tali dominio, quando id sufficienter exprimit, & maximè quando aliquis contra legem se ipsum spoliat possessione pretij, tum etiam quia potuit lex præcipere recipienti pecuniam, vt amplius illam non reddat largienti, sed in pios vsus expendat.

8. Decisio. *D. Thom.* *Caiet.* *Victor.* *Sylvest.* *Nauar.* *Couar.* Cap. *De hoc.* Dicendum ergo est, pretium illud restituendum esse Ecclesiæ. Ita D. Thom. 2. 2. quæst. 62. art. 5. ad 2. Caiet. verbo, *Simonia*, Victor. p. 2. num. 6. Sylvest. dist. quæst 20. Nauar. cap. 17. num. 36. & plures alij, quos refert Couar. Reg. *Peccatum*, 2. p. §. 2. num. 6. & communiter Doctores in d. cap. *De hoc*, vbi hoc videtur expressè

expressè definitum, dicitur enim ibi restitutionem esse Ecclesiæ faciendam. Rationem argumentando suprà posuimus, éstque optima, & eandem indicat D. Thom. quia dans voluntatem habuit, & habere debuit ex vi contractus, abdicandi à se illam pecuniam, & transferendi illam in alium, secuta causa: Ecclesia autem licet consecutionem dominij in recipiente impediuerit, non restitit abdicationi alteriùs, sed potiùs acceptauit illam in pœnam eius, & applicauit Ius illius pecuniæ Ecclesiæ, quæ passa est iniuriam, & ideò illi dicitur facienda restitutio in prædicto textu. Ergo de Iure communi cum proportione facienda est restitutio illi Ecclesiæ, in qua est beneficium, circa quod Simonia commissa est, & ita etiam docuit Diuus Thomas dicta quæst. 100. artic. 6. ad 3. Vbi solùm addit, de arbitrio Superioris ex causa iusta posse interdum fieri pauperibus, & idem docent communiter Doctores ibi, & in cap. *Veniens*, cap. *Consulere*, de Simon. Syluester, & Summistæ eod. verb. Dicunt verò aliqui, consuetudine receptum esse, vt pauperibus dari possit, & multi ex Doctoribus allegatis, præsertim à Couarru. hanc licentiam præbere videtur, & fauet Diuus Thomas 2. 2. quæst. 32. art. 7. ad 2. Sed ibi generaliter loquitur de Simonia, vt suprà dixi. In illa verò, quæ committitur in beneficio, ex rigore Iuris seruandum est, quod diximus: consuetudo autem consulenda est, essetque magis tolerabilis, si pauperibus eiusdem Ecclesiæ eleemosyna fieret; nam bona Ecclesiæ quodammodo ad illos pertinent; tamen vt ordinatè fiat, per Prælatum Ecclesiæ dispensanda est, vt rectè Diuus Thomas dixit. Alij etiam dicũt, ex consuetudine applicari cameræ Apostolicæ, vt attigit Sot. dicta quæst. 8. artic. 1. ad 4. & Vgolin. referens Quintilianum Mandosium, Tab. 4. cap. 2. §. 1. num. 7. Quod credo intelligi, quando applicatio fit per compositionem, vel per condemnationem ipsiusmet Pontificis, aut ministrorum eius, vel etiam si quis velit propria sponte restitutionem facere Cameræ Pontificiæ; nam sine dubio satisfaciet non credo tamen ad hoc teneri, sed satisfacere in foro conscientiæ, restituendo propriæ Ecclesiæ, & à propriis Prælatis posse ad hoc cogi in foro exteriori, quando compositio cum Pontifice non præcessit.

C. Veniens. Cap. Consulere. Syluest. Couar. D. Thom.

Sot. Vgolin.

9. 1. Assertio. Dico secundò; In Simonia commissa in ingressu religionis non est obligatio in conscientia restituendi pretium, priùs quàm per sententiam religiosus Simoniacè receptus à Monasterio excludatur. Ratio huius assertionis est, quia nihil aliud inuenimus in Iure expressum. Declaratur autem ex suprà dictis in hunc modum. Quia dupliciter potest hæc Simonia committi. Primò, si pecunia detur ingressuro, vt velit Monachari. Secundò, si ipse det pecuniam Monasterio, vt illum recipiat. In priori modo Simoniæ, nihil inuenio in Iure dispositum, & ideò causa subsecuta, censeo illum, qui pecuniam recepit, non teneri ad restituendam illam: quia ex Iure naturæ non tenetur iuxta d. cap. præced. & nullum est Ius, quod illum impediat, ne dominium illius pecuniæ acquirat. Igitur vel accepit pecuniam illam à Monasterio, vel ab alio. Si ab alio: clarum est non esse illi faciendam restitutionem, neque est cur fiat pauperibus, quia nullo Iure cauetur, nec ex ratione naturali sequitur. Vnde si ante ingressum Monasterij pecuniam illam consumpsit, vel donauit, nihil in hoc peccauit, & donatio rata manebit: Si verò permanet in bonis eius, cum persona ipsius poterit ad monasterium redire, non titulo restitutionis, sed Iure consecutionis; nam bona sequuntur personam. Idémque cum proportione erit quando pecunia à Monasterio accepta est. Quia per A hoc, Monasterium non est impeditum quominùs Ius in talem personam, & in bona eius acquirere possit validè, etiam si fortasse ipsummet Monasterium talem Simoniam commisisset, quia illud impedimentum non inuenitur Iure introductum in tali specie Simoniæ, vt dixi, & per extensionem, vel similitudinem extendendum non est, quia in pœnis hoc locum non habet, præsertim vbi non est identitas rationis, vt in præsenti reuera non est, quia hæc Simonia, & est rarior, & minùs deformis, & in Iure minus prohibita, solúmque per generales regulas damnatur.

10. De altero modo Simoniæ in religione, habemus expressam decisionem textus in ca. *Veniens*, de Simon. vbi in simili facto ita decernitur, *Abbatem, & Monachos ad restituendam pecuniam præfato F. tàm indignè acceptam compellas.* Vbi hoc est singulare, quòd pecunia Simoniaca eidem, qui illam dedit, restitui mandatur; de cuius ratione, & sensu multum à Doctoribus dubitatum est. Breuiter tamen duobus modis potest ille textus intelligi. Primò vt ille F. presbyter ante factam professionem, Pontificem consuluerit de conuentione cum Monasterio facta, quod (vt suprà dixi) inde aliqui colligunt, quod ei mandatur pecunia tribui, cuius non fuisset capax, si professus fuisset. Hoc ergo supposito, mandatur illi pecunia restitui, quia deceptus à Monachis bona fide illam dederat, vt notauit Couarr. suprà numer. 8. & potest colligi ex illis verbis: *Asserentes hoc esse de consuetudine Monasterij.* Nam quod à religiosis asserebatur, bona fide credi poterat, & existimari honestum, quod ab eisdem in consuetudine habebatur. Et iuxta hunc sensum nihil potest ex illo textu colligi ad rem præsentem, quia dici potest pecuniam illam ex iustitia fuisse restituendam illi presbytero tanquam vero domino, quia & deceptus fuit, & causa non fuit impleta, vt supponitur.

Couar.

11. Sed nihilominùs, vt suprà tetigi, sensus hic cum fine textus non bene quadrat; nam præcipitur illi, vt in alio Monasterio in habitu Monastico viuat, quod non præciperetur, nisi esset religiosus. Nam quod quidam dicunt, illud fuisse consilium, nõ præceptum, repugnat proprietati verbi, *Præcipuas*, quo vtitur Pontifex, vt Glossa notauit, quam omnes approbant. Et ideò verius existimo, illum presbyterum factum esse religiosum, & propter ingressum Simoniacum, siue bona, siue mala fide ab ipso factum, compelli transire ad aliud Monasterium, & ideò præcipi pecuniam illi reddi, non in gratiam eius, sed Monasterij, ad quod transfertur; quæ est communis intelligentia. Iuxta quam, si illa dicenda est restitutio (& non potiùs subuentio rationabilis alterius Monasterij) illa non fit propriè illi, qui dedit pecuniam, sed religioni; atque ita fit Ecclesiæ, proportione seruata. In hoc tamen considerandum est, quod suprà diximus, Monachum Simoniacè ingressum non teneri ad relinquendum monasterium, donec per sententiam in aliud transferatur. Sic ergo dicendum censeo, quandiù ibi Religiosus permanet non teneri Monasterium ad restituendam pecuniam, quam accepit, quia cum restitutio illa ordinetur ad expulsionem Religiosi sic ingressi, & ad subsidium alterius Monasterij, in quod transfertur, quandiù hæc translatio executioni non mandatur, cessat ratio restitutionis imò non est illi locus. Nam restitutio debet fieri danti iuxta illũ textum, ipse autem non est capax proprietatis in se ipso, sed datum illi transferetur in Monasterium; ergo perseuerante ibi persona, potest etiam Monasterium retinere quod accepit. Et ita Vrbanus IV. in Extrauag. 1 de Simonia, concedendo dispensationem circa aliquas Religiosas personas sic receptas in Monasteriis, con-

Quandiù Religiosus permanet non tenetur restitui pecuniã Simoniacè ob ingressum.

Vrban. 4.

consequenter concessit, vt Monasteria possent retinere, quæ receperant, dummodo ad communem vsum applicata fuerint. Ita ergo fieri posse dicimus in foro conscientiæ, quandiù persona à Monasterio non amouetur. Et ita constat ratio, & probatio assertionis, quia ex vi illius cap. *Veniens*, non oritur obligatio ante sententiam, sed ex alio Iure non oritur: ergo.

Cap. *Veniens.*

12. Sed quid si Religiosus ipse Simoniacè ingressus sponte, & absque vlla coactione sententiæ, vellet locum relinquere; & canones exequi, transeundo ad aliud, nunquid tenebitur Monasterium restituere illi pecuniam; Diximus enim non teneri ante sententiã, ibi autem non interuenit sententia; ergo non tenetur. Respondeo sine dubio teneri, primum quia illud est quasi alimentum talis personæ, & ille Iure suo vtitur, & honestè facit transeundo; vnde aliud Monasteriũ haberet actionem repetendi ex vero, & iusto titulo, ergo priùs Monasterium habet obligationem dandi: denique prior contractus fuit nullus quaod temporalem conuentionem, ergo Religiosus habet Ius irritandi illum, ergo etiam potest repetere in conscientia id, quod dedit, quandoquidem ipse etiam tollit à Monasterio onus alendi ipsum, ratione cuius dedit. Atque ita hæc obligatio in eo casu magis oritur ex natura rei, quàm per modum pœnæ. Conclusio autem intelligitur in rigore pœnæ.

13. §. Conclusio.

Dico tertiò: Pretium receptum in aliis materiis Simoniæ etiam in ordine non est obnoxium restitutioni in conscientia, ipso facto, ex vi Ecclesiastici Iuris, donec per sententiam restitui præcipiatur. Probatur prior pars, quia nullum Ius tale inuenitur; nam præter Iura citata nullum adducitur. Et cap. vlt. de Simonia non probat sufficienter hanc generalem obligationem in omni Simonia reali, nam solùm dicit in mentali non esse talem obligationem, de aliis autem supponit quidem esse posse; an verò sit in aliquibus, vel in omnibus, vel qualiter, aut quomodo sit, non declarat. In cap. autem *Audiuimus*, præcipitur duplicata restitutio, sed illa pœna est, quæ non obligat donec per iudicem exigatur; vt ibidem etiam significatur, ibi, *Exacta duplicata restituat*, & nullum habet verbum quod indicet obligationem ipso facto, vt ibi Abb. notauit, quem alij sequuntur. Aliqui verò ex illo textu colligunt, pretium Simoniæ semper esse restituendum Ecclesiæ, quia ibi dicitur pecuniam illam duplicatam conuertendam esse, *in vtilitatem locorum, in quorum fuerint soluta dispendium.* Sed oportet aduertere, ibi non de Simonia in omni materia, sed in institutionibus Parochorum, & ingressu Religionis, & in sepultura apud Religiosos, sermonem esse, & similiter non de quocunque modo Simoniæ, sed de speciali exactione, & extorsione iniusta Episcoporum in illo triplici genere rerum, tractari. Quia ergo illæ exactiones fiebant in iniuriam Ecclesiarum, & locorum Religiosorum, ideò specialiter præcipitur, vt pœna iisdem locis applicetur. Inde autem non licet colligere, pecuniam acceptam pro ingressu Religionis semper esse restituendam ipsi Monasterio; nam si ab ipsomet Monasterio recepta sit, seruanda est regula cap. *Veniens*, suprà explicata. De aliis verò Simoniis nihil inuenio in Iure statutum, sed arbitrio iudicis poterit applicari pœna vel Ecclesiæ, vel pauperibus, ante condemnationem verò non videtur esse obligatio, nisi in casibus in quibus ex natura rei nascitur, vt dictum est.

Cap. *Audiuimus.*

Abbas.

Cap. *Veniens.*

CAPVT LXI.

De dispensatione circa Simoniam.

DVobus modis intelligi potest, quod dispensatio cadat in Simoniam, scilicet, vel quoad culpam, vel quoad pœnam. De priori genere dispensationis nihil ferè dicere necesse est; nam si sit sermo de Simonia contra Ius naturale, manifestum est, non esse capacem dispensationis humanæ; nam de diuina, alia speculatio est, quam in superioribus sufficienter tetigimus. Si verò sit sermo de Simonia lege tantum Ecclesiastica prohibita, duo breuiter dicenda sunt. Vnum est, nullum Prælatum Ecclesiæ infrà Summum Pontificem posse in illa dispensare, quia omnis Simonia huiusmodi, per ipsos Pontifices prohibita est: nullus autem inferior potest in lege Superioris dispensare, nisi fortè ex commissione eiusdem Superioris vel expressa, quæ in hac materia data non legitur; vel tacita, seu interpretatiua, quæ ex graui aliqua necessitate oriri solet; nam hæc etiam in præsenti materia locum habere non potest, nam est valdè odiosa, & vix potest cogitari vtilitas talis dispensationis, nedum necessitas, vt in sequenti assertione magis declarabitur.

1. 1. Assertio.

Secundò dico; Pontificem Summum in rigore posse in hoc genere Simoniæ dispensare, nunquam tamen id facere moraliter loquendo. Prior pars probatur; quia Pontifex potest dispensare in Ecclesiasticis legibus; ergo potest dispensare in hac prohibitione, ergo potest dispensare in hac Simonia quoad culpam. Non quidem faciendo, vt maneat Simonia, & non sit culpa; hoc enim repugnat, quia Simonia ex proprio conceptu significat rem inordinatam, & malam, sed faciendo vt emptio, vel venditio, quæ obligante lege esset Simoniaca, ablata obligatione, non sit. Vnde hic etiam habet locum generalis regula de legibus humanis, quia licet talis dispensatio concederetur, sine rationabili causa, & fortasse cum culpa dispensantis, nihilominùs esset valida, & sufficiens ad excusandam culpam Simoniæ, quidquid de alia sit. Addidi verò in posteriori parte assertionis, Pontifices non solere has dispensationes facere; quia sibi non sunt necessariæ, & aliis, vel Ecclesiæ non possunt esse vtiles, seu conuenientes. Dico autem illis non esse necessarias, quia quando expedit dare, vel accipere temporalia pro spiritualibus, non est necesse id fieri per modum pretij, nec vnum pro alio commutando, sed alio superiori prouidentiæ genere, vnum auferre, & aliud dare ad sustentationem personæ, vel ex alia simili causa. Quando verò necesse est, permutationes inter spiritualia facere, vel permittere, id ex ordinaria potestate fieri potest à Pontifice sine vlla dispensatione; ergo ad nullum effectum est Pontifici necessaria talis dispensatio. Quòd verò moraliter loquendo aliis non sit vtilis, nec Ecclesiæ: probatur, quia expedire non potest, vt res Ecclesiasticæ venales fiant, neque priuata auctoritate liceat aliquibus beneficia permutare, aut similes negotiationes facere: & ita non constat nobis, tales dispensationes fieri, quamuis interdum contingat, renunciationes aliquas, vel permutationes quæ ordinario Iure fieri non possunt, nisi in manibus Pontificis, committi inferioribus Prælatis, vt ab eis approbari possint, quæ non est propriè dispensatio, sed delegatio Pontificiæ iurisdictionis, quæ multis in casibus potest esse expediens.

2. 2. Assertio.

Præcipuè verò hîc agimus de posteriori modo dispensationis, scilicet quoad pœnam, de qua supponendum est ex suprà dictis, solùm habere locum in Simonia commissa in ordine, beneficio, aut ingressu Religionis; quia dispensatio in pœna solùm habet locum, supposita pœna, sed in illis tãtùm tribus materiis inter

3. De dispensatione quoad pœnam.

riis interuenit pœna, ergo & dispensatio. Quapropter A immeritò dixit Armil. verbo, *Simonia*, numer. 53. Episcopum dispensare cum Simoniaco circa officia mortuorum benedictiones nubentium, sepulturas, Chrisma, & similia, post peractam pœnitentiam, referens hoc ex Hostiens. Et hoc dixit, esse tutius Præpos. in cap. *Statuimus vt sicut* 1. quæst. 1. in fin. & latiùs 1. q. 5. in princip. num. 5. Vbi refert Raymun. Gofred. Hostiens. & Archidiac. Sed hi Authores vel supponunt falsum, scilicet, per has Simonias incurri censuram, vel aliam pœnam ipso facto: vel intelligendi sunt de pœna ferenda, in qua fortasse poterit dispensare Episcopus ex iusta causa, saltem vt mitior sit. Quod ad nos, non spectat. Solùm ergo agimus de pœna ipso Iure lata, & in ea distinguendum est inter absolutionem, & dispensationem, hæc enim duo distincta sunt. B Absolutio enim propriè cadit in censuras, dispensatio verò in alias inhabilitates, seu priuationes, aut similes pœnas.

Armil. *Hostiens. Præpos.*

4. Primò ergo de absolutione breuiter dicendum est, contra vitium Simoniæ omnes tres censuras latas inueniri in diuersis casibus, vt ex discursu præced. cap. constat. Nam excommunicatio fertur tàm in Simoniam in ordine, quàm in beneficio, & in religione quoad singulares personas dantes, vel accipientes pecuniam, & tàm in dantes, quàm in recipientes ordinem, aut beneficium, & cum reseruatione ad Summum Pontificem, vt constat ex d. Extrauag. 1. & 2. de Simon. Et idem in excommunicatione lata pro Simonia conuentionali, vt suprà visum est. Imò idem inuenitur in excommunicatione lata contra com- C mittentes Simoniam in Curia datis. vel promissis pro gratia, vel iustitia, de qua videri potest latè Nauar. in Commentar. de hac re ad Bullam Gregor. X I I I. quæ incipit, *Ab ipso*. & Vgolin. Tab. 1. cap. 21. per totum. & videri potest etiam Abb. in cap. *Cum essent*, de Simon. num. 3. & Ioan. Andr. in cap. *Nemo*, eod. & Felin. in cap. *De cætero*, de re iudicata, qui eiusdem excommunicationis meminerunt iuxta antiquam Extrauag. Bonifacij V I I I. Est autem illa censura non propria Simoniæ sed generalior, & ideò plura de illa dicere in præsenti non est necesse, & aliquid de illa attigimus in 5. tom. disput. 22. sect. 5. num. 36. Quamuis autem absolutio cuiuscunque excommunicationis propter Simoniam incursæ Iure ordinario à solo Pontifice auferri possit, eius absolutio intelligitur D cõmissa per illas Bullas, aut priuilegia, in quibus conceduntur casus Pontifici reseruati, nisi in particulari excipiatur, quia non censetur habere singularem aliquam rationem, ob quam sub generali concessione non comprehendatur. Est ergo de illa iudicandum per generales regulas censurarum reseruatarum Pontifici, de quibus in 4. & 5. tom. dictum est.

Extrauag. 1. & 2. *Nauar.* *Vgolin. Abbas. Ioan. Andr. Felin.*

5. Notabile. Secundò, fertur suspensio ab ordine specialiter propter Simoniam in ordine commissam: circa cuius absolutionem, & dispensationem notandum est, in d. Extrauag. 2. de Simon. nullam addi rationem, sed simpliciter dici, *vt Simoniacè ordinati à suorum sint ordinum executione suspensi*, & ideò dubitari posse an inferiores Prælati ex vi Iuris communis possint illam suspensionem auferre. Et ratio dubij sumitur ex cap. E *Nuper*, de sententia excommunicationis. *Vbi conditor canonis, absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Sed dici potest, hanc reseruationem factam esse in Iure antiquiori in cap. penult. de Simon. & ideò non fuisse à Paulo 2. repetitam. Sed contra hoc est, quia in d. cap. solùm est sermo de suspensione ab ordine Simoniacè recepto: & quoad hanc partem certum est, hanc dispensationem esse Pontifici reseruatam, vt ibi Glossa, & Doctores notarunt, & in capit. *De Simoniacè*, & in capit. *Per translationem*, de renunciat. Vnde fit, neminem præpter Pontificem, posse cum sic ordinato dispensare, vt ad superiores ordines ascendat, quia non potest ascendere, nisi priùs à suspensione in inferiori ordine absoluatur. Imò existimo, in præsenti hanc esse vnam dispensationem, quia vnum est tantùm vinculum per se impediens vsum ordinum, & consequenter ascensum. Solus ergo Romanus Pontifex in hoc vinculo dispensat, imò difficilè solet in hac pœna dispensare, vt Ab. & alij in cit. locis dicunt. Quin etiam referunt, quosdam dixisse, non posse Pontificem in hoc impedimento dispensare, quia character à principio fuit vitiosus, & mutari non potest. Sed hoc ridiculum est, nam character sicut semel impressus, immutabilis est, & indelebilis, ita etiã à principio integer, ac perfectus imprimitur, & fortasse in se indiuisibilis est, & non potest diminutus fieri, & longè certiùs est, de facto non imprimi diminutum propter hominis peccatum, vel Ecclesiæ censuram. Illud ergo vitium non fuit aliud à principio nisi morale impedimentum per Ecclesiæ censuram impositum, quod sicut à Iure positiuo manauit, ita indubitatum est, posse per Pontificem auferri.

Abbas.

6. Dubium. Adhuc verò supereст dubium de ista suspensione, quatenus aucta est per dictam Extrauag. quoad vsum inferiorum ordinum priùs legitimè receptorum nam antiqua reseruatio non potest ad hunc effectum extendi. Tum quia in pœnis non habet locum similis extensio. Tum etiam quia non est similis ratio, nam quoad ordines priùs receptos multò facilior est dispensatio, vt constat, quia per illam restituitur homo ad statum, quem legitimè acquisierat: per hanc verò conceditur illi, quod vel non acquisierat, vel non benè. Cum ergo hæc suspensio quoad hunc effectum in illa Extrauag. reseruata non sit, videtur inferioribus Prælatis eius facultas concessa. Nihil enim impedit, eandem censuram, vel pœnam esse reseruatam quoad vnum effectum, & non quoad alium, maximè quando illi effectus ordinario Iure separabiles sunt. Hoc dubium pendet ex quodam principio generali, Resoluitur. An suspensio simpliciter lata pro delicto commisso, eo ipso sit reseruata auctori Canonis, etiam si specialiter non reseruetur. In quo puncto probabiliùs censeo, si constet suspensionem esse puram pœnam vindicatiuam (vt sic dicam) non posse tolli, nisi ab illo, qui eam posuit, vt dixi in 5. tom. disputat. 29. sect. 1. num. 18. & sequentibus. In præsenti autem, & ex verbis, & ex intentione prædictæ Extrauagantis videtur valdè verisimile, illam suspensionem esse puram pœnam pro peccato commisso, ideóque solùm Pontificem posse in illa dispensare. Hanc verò resolutionem certiorem reddit Sixtus V. in constitutione sua con- *Sixtus. 5.* tra malè promotos, vbi vult, hanc suspensionem esse perpetuam, & sine spe ascendendi ad superiores ordines, & postea absolutionem sibi reseruat etiam in foro conscientiæ, & cum tanto rigore, vt facultas absoluendi in hoc casu non possit censeri comprehensa sub quocunque generali indulto. Quæ reseruatio hodie perseuerat quoad Simoniam, quia Clemens *Clemen.* V I I I. non reuocauit constitutionem illam quoad hanc partem, sed potiùs confirmauit. Aliqui addunt limitationem ad hanc regulam, vt procedat in eo, qui scienter sic ordinatur, nam cum eo, qui vitium Simoniæ ignorauit, dicunt posse Episcopum dispensare. Sed verius est. illum qui bona fide ordinatur, non indigere dispensatione, vt dixi in 5. tom. disp. 31. sect. 4. numer. 40. & ita nulla limitatio, vel declaratio necessaria est. quia loquimur de suspensione, quando verè incurritur.

Gloss.

Atque

7. De ſuſpenſione incurſa ab ordinantibus Simoniacè.

Atque hinc conſtat, quid dicendum ſit de ſuſpenſione, quam incurrunt ordinantes Simoniacè. Nam loquendo de Iure communi in d.c. penult. de Simon. illa ſuſpenſio, vt ego opinor, erat præcisè triennalis, ac ſubinde pura pœna propter delictum commiſſum, & conſequenter ex vi eiuſdem Canonis auferri non poterat, niſi ab eius auctore, iuxta generalia principia de ſuſpenſione. Et idem cum proportione dicendum de ſuſpenſione ibidem lata pro mediatore, ſeu præſentatore ad talem ordinationem, circa quam nihil eſt innouatum. At verò circa ordinantem autem eſt ſuſpenſio, vt ſuprà dictum eſt, & cum eadem reſeruatione ad Summum Pontificem, & ideò quoad hoc, eadem eſt ratio de ordinante, & de ordinato. Tandem de ſuſpenſione impoſita Capitulo, vel Conuentui regulari propter Simoniacam receptionem, conſtat etiam eſſe reſeruatam, ita vt auferri nequeat abſque ſedis Apoſtolicæ licentia, vt dicitur in Extrauag. 1. de Simon. ſolus ergò Papa poteſt in ea diſpenſare. De pœna autem, quæ Religioſo Simoniacè ingreſſo imponitur expulſionis ab illo Monaſterio, cum dictum ſit, non incurri ipſo facto, non erit neceſſaria diſpenſatio ante condemnationem: poſt illam verò ſolus Papa poterit diſpenſare, niſi in caſu ignorantiæ, iuxta formam præſcriptam in c. *De regularibus*, de Simonia, vel in caſu neceſſitatis iuxta c. *Quoniam* eodem.

Extrauag. 1. De ingreſſo monaſteriũ Simoniacè.

8. De interdictis.

Tertiò, de interdicto in duobus tantùm caſibus Simoniæ inuenitur poſitum ipſo Iure, & in vtroque eſt tantùm interdictum perſonale ab ingreſſu Eccleſiæ, vt ex ſuprà dictis conſtat. In primo fertur cum reſeruatione in conſtitutione Sixti V. ſæpè citata; Eſtque contra ordinantes Simoniacè, & reſeruatio fertur cum eodem tenore, quo de ſuſpenſione dictum eſt, & ita nihil de illa ſupereſt addendum. Alter caſus interdicti eſt in Simonia confidentiali, fertúrque in Bulla Pij IV. contra Cardinales, & Epiſcopos, ac ſimiles Prælatos recipientes beneficia quæcunque, vel penſiones, & ſimilia in confidentiam reſeruatúrque Summo Põtifici ſimpliciter, & ſine vlla additione. Et ita licet Iure ordinario non poſſit ab inferioribus relaxari, ſequitur tamen, quoad Iubilea, & Indulta generalem regulam caſuum reſeruatorum.

9. De pœnis pro collatione, vel obtentione beneficij.

Vltimò, dicendum ſupereſt de diſpenſatione in aliis pœnis ipſo Iure latis, quarum prima eſt irritatio collationis ſeu obtentionis beneficij. Et in hanc propriè non cadit diſpenſatio, niſi fortaſſe cogitetur antecedenter (vt ſic dicam.) Nam ſtante lege, & efficacia eius, neceſſarium eſt vt collatio, vel electio ſic facta, ſit inualida: ſi autem ſemel nulla eſt, per nullam diſpenſationem fieri poteſt, vt valida ſit, aut fuerit, quia ſicut habet regula Iuris, *Non firmatur tractu temporis, quod de Iure ab initio non ſubſiſtit*: ita dicere poſſumus, nõ firmari diſpenſatione, quod à principio nullum fuit, licet poſſit iterum conferri, vt ſtatim dicemus. Antecedenter autem poſſet diſpenſationem concedi, vt beneficia validè obtineantur, etiam ſi interueniat Simonia. Sed hoc magis poteſt cogitari, quam fieri: nam adeò eſt iniqua, & indecens talis diſpenſatio, vt timendum non ſit, poſſe aliquando cum effectu concedi, quamuis poteſtas non deſit.

10 De inhabilitate ad beneficium.

Secunda pœna numerari poteſt, inhabilitas ad obtinendum idem beneficium, quod fuerat per Simoniã obtentum. Et in hac pœna ſolus Papa poteſt diſpenſare, ſi is, qui beneficiũ recipit, Simoniam non ignorauit, & ad illam cooperatus eſt, vel expreſsè, aut tacitè conſenſit. Hæc reſeruatio colligitur ex c. penult. de electione, vt ſtatim declarabitur. Sequitur etiam ex natura talis pœnæ, quæ ipſo facto per legem Pontificiam imponitur, & non eſt cenſura. Nam in his pœnis non poſſunt inferiores Prælati diſpenſare niſi in caſibus ſibi conceſſis, hic autem caſus non legitur conceſſus Epiſcopis, ergo eſt Papalis. Dixi autem, ſi recipiens beneficium Simoniacè, ſit particeps criminis; nam ſi per ignorantiam bona fide illud recipiat, diſtinctione vtendum eſt iuxta d. cap. penult. de electione. Nam ſi beneficium ſit ſimplex, poſt liberam eius reſignationem, poteſt Epiſcopus diſpenſare cum tali perſona; & iterùm illud beneficium eidem conferre. At verò ſi beneficium ſit maius, non poterit Epiſcopus pro illa vice cum illo diſpenſare. Ita enim intelligo priorem partem illius capituli: nam licet de prælatione tantùm loquatur, inter quam, & beneficium ſimplex, ſunt alia beneficia, quaſi mediæ conditionis (vt ſic dicam) nihilominùs quia ſolùm beneficium ſimplex excipit; quoad reliqua omnia regulam firmare videtur. Atque ita ſentiunt Doctores ibi, & in cap. *De Simoniacè*, de Simon. Eſt autem ponderanda illa particula *illa vice*: nam ex illa colligitur, quod ſi beneficium illud ſemel alteri detur, & poſteà iterùm vacet, tunc poterit Epiſcopus diſpenſare cum priori, qui per ignorantiam Simoniacè illud receperat, vt ad illud eligatur, vel in illo prouideatur: nam hoc ſufficienter ſignificatur per illam limitationem, vt omnes intelligunt. Atque ita etiam conſtat, extra caſus ibi conceſſos Epiſcopo, ſolùm Papam poſſe in hac inhabilitate diſpenſare, vel per argumentum ab ſpeciali, vel à contrario ſenſu; vtrúmque enim eſt efficax in tali materia, in qua lex ipſa veluti ex natura ſua ſecum affert talem reſeruationem, vt dixi.

C. De Simon.

11. De inhabilitate ad alia beneficia. *Abbas. Felin.*

Tertia pœna eſt inhabilitas ad alia beneficia, de qua tractant Doctores in cap. *De Simoniacè*, de Simon. vbi Abb. Felin. & alij dicunt, quando Simoniacus in beneficio voluntariè renunciat beneficio male acquiſito ante condemnationem, Epiſcopum poſſe diſpenſare cum illo ad alia beneficia obtinenda. Secùs verò ſi antequam renunciet, de Simonia condemnetur, & ideò beneficio priuetur; nam tunc aiunt non poſſe Epiſcopum diſpenſare ad alia beneficia obtinenda, & hoc ſequitur Vgol. Tab. 4. cap. 6. §. 7. num. 2. *Vgolin.* Verumtamen hi Auctores ſupponunt, hunc Simoniacum ante condemnationem indigere diſpenſatione, ad noua beneficia obtinenda, & conſequenter ſupponunt eſſe inhabilem, ipſo facto, ad obtinenda noua beneficia, quod non cenſeo verum, ſtando in Iure communi, quia nullibi inuenitur talis pœna lata ipſo Iure, vt ſuprà viſum eſt. Habere autem poſſet id locum iuxta Conſtit. 5. Pij V. quia per eam impoſita eſt talis pœna, vt ſuprà dixi. Et tunc illa ſuppoſita, non crederem poſſe Epiſcopum in illa diſpenſare, quia eſt pura pœna Papalis, & præciſè impoſita propter delictum commiſſum, & cum illa adiectione: *Sit perpetuò inhabilis*: maximè, quia in Iure communi, Epiſcopo non eſt conceſſa talis facultas. Quia verò ſuprà cum Nauar. diximus, hanc pœnam non eſſe vſu receptam, ideò in rigore non credimus eſſe neceſſariam hanc diſpenſationem, vt receptio aliorum beneficiorum valida ſit. Eſſe tamen poterit vtilis, vt poſteà non poſſit quis per ſententiam illis priuari propter Simoniam in alio commiſſam: & ad hoc meritò exigitur, vt beneficium priùs malè acquiſitum ſponte reliquerit, argum. c. *Quicunque*, 1. quæſt. 1. ibi, *Poſtquam eas omninò dimiſerit*. & ibi, *Cum ea, quæ emerunt, dimiſerint*. Quapropter ſi per ſententiam priùs deponantur, & inhabiles reddantur, meritò dicitur, non poſſe Epiſcopum cum eis diſpenſare argum. cap. *Nobis*, de Simon. & aliorum, quæ dicti Authores allegant. Circa has verò pœnas, ſeu cenſuras, in quibus diximus non poſſe Epiſcopũ diſpenſare, addenda eſt limitatio de caſibus occultis, & ad forum contentioſum non deductis, iuxta facultatem datam Epiſcopis in Trid.

Pius. V.

Cap. *Quicunque.*

Cap. *Nobis.*

Conc. Trid. in Trident. sess. 24. c. 6. quæ extenditur ad excommunicationem, & ad quamcunque suspensionem occultam, quæ propter Simoniam incurritur, quia eo ipso quod non excipitur, sub generali includitur, vt dictum est. Dubitari etiam potest an extendatur ad inhabilitatem ad beneficia, quæ ipso Iure per Simoniam incurritur; nam videtur esse irregularitas quædam, vel saltē partialis quidam effectus irregularitatis. Sed verius est non extendi facultatem illam ad hanc inhabilitatē, quia illa non est irregularitas, sed peculiaris pœna: Concilium autem non dat facultatem generalem dispensandi in omnibus pœnis occultis Papæ reseruatis, & ita de hac pœna in particulari declaratum est à Cardinalibus in Congregatione Romana. Duas autem declarationes in hoc inuenio, vna sic habet; *Non potest Episcopus habilitare ad beneficia in posterum obtinenda, quæ per Simoniam occultam quis obtinuit.* Alia sic. *Non tamen ad beneficia, quibus pro Simonia priuatus fuisset, nec ad obtinenda.* Quod vltimum verbū absolutè probatum videtur extendi ad omnia beneficia, & non tantùm ad acquisita Simoniacè. Quod verum esse censeo, si supponatur, Motum Pij V. inducentem hanc pœnam obseruari: tum quia etiam illa inhabilitas non est verè irregularitas: tum quia etiam illa pœna fuit introducta post Cōcilium, & illa facultas, non extenditur ad casus noua lege Pōtificia reseruatos post Concilium, iuxta quandā declara-
Gregor. XIII. tionem Gregorij XIII. audita prædicta congregatione, quæ inter responsa eius refertur.

12. Tria dubia. Tria verò dubia supersunt explicanda. Primum est, an in restitutione pretij Simoniacè accepti possit Papa dispensare? In quo distinguendum est aut enim restitutio illa debita est ex naturali Iure, vt in casibus suprà tractatis; aut est tantum debita ex le-
Primum. ge Ecclesiastica. In priori casu dicendum est, per se loquendo non posse Pontificem dispensare. Ratio est, quia tunc restitutio debetur certæ, & determinatæ personæ, non ratione pœnæ, sed ratione iniuriæ, ergo non potest illa obligatio per dispensationem auferri: tum quia est de Iure naturali, tùm etiā quia non potest alter priuari Iure suo sine causa. Dixi autem per se, quia si is, qui pecuniam dedit, Simoniam commisit, etiamsi non fuerit ex illis, quæ habent illam pœnam ipso Iure annexam, posset per Pontificem priuari illa pecunia, in pœnam sui delicti, & mediante hac pœna posset Pontifex cum alio dispēsare, ne illam solueret; oporteret tamen, vt præcederet sufficiens probatio, & condemnatio delicti. At verò quādo restitutio solùm debetur, vt Ecclesiastica pœna, tunc facilè potest Pontifex in illa dispensare, vel compensationem facere: tum quia potest dispensare in Iure positiuo, tum etiam quia illa pecunia iam pertinet ad Ecclesiastica bona, nam Ecclesiæ adiudicata est.

13. Dubium. Secundū dubium pertinet ad modum, quo potest, aut solet hæc dispensatio cōferri. An in ea præstanda debeat certa forma seruari? In quo breuiter distinguendum est inter Pontificem, & inferiores Prælatos. Et de inferioribus dicendum est, quāuis non habeat perscriptam formam verborum ad dispensationem cōcedendam, necessarium nihilominus esse, vt expressis verbis sufficienter declarent voluntatem dispensandi, & vt post causam cognitam id faciant, quia dispensant in lege Superioris, & ideò si absque iusta causa dispensent, non est valida dispensatio. Atque hinc inferunt authores statim referendi: Episcopum conferendo beneficium Simoniaco, etiamsi scienter id faciat, nō propterea dispensare, licet aliàs possit dispensare ordinato modo; sicut alibi diximus, Episcopum communicando cum excommunicato, non absoluere illum, etiamsi velit in tom. 5. disp. 7. sect. 9. numer. 13.

14. De Summo verò Pontifice dubitari solet, an cōferendo beneficium ei, quem scit fuisse Simoniacum in eodē beneficio, censeatūr cum illo dispensare, etiamsi id non declaret: nam si exprimat se velle dispensare, non est dubium quin dispensatio teneat, quia siue data sit sine causa, siue cum illa, est valida, & Pontifex non obligatur ad certā formam in ea seruandam, quod à fortiori probari potest ex Clem. vnic. de senten. Excomm. Ex eodem verò textu oritur difficultas quando Pontifex talē voluntatem non exprimit: nam ibi dicitur, Pontificem scienter communicando cum excommunicato, non censeri absoluere illum, nisi id exprimat, ergo similiter conferendo beneficium Simoniaco, non censetur dispensare. Et eadē quæstio esse potest de quocunque inhabili. Sed nihilominùs probabilius censeo, tunc cum ipso dispensare per tale factum, quantum necesse est ad validitatem eius. Ita Panor. in c. *Cum in cunctis* §. *Inferiora*, de Elect. n. 8. & Felin. in c. *Præterea*, de testibus cogendis n. 7. Vbi alios plures auctores refert, & in additione alij allegantur, & idem sentiūt auctores statim referēdi. Ratio est, quia non censetur Princeps supremus frustrà beneficium cōferre, frustrà autem daret ei, quem nouit inhabilem, nisi simul vellet, illum habilem reddere, maximè quia decet, vt concessum à Principe beneficium, semper sit mansurum, vt habet Regula Iuris 16. n. 6. Ad dictam autem Clem. respondeo, quod licet Pontifex nō absoluat excōmunicatum communicando cum illo, & nihil ampliùs exprimendo, nihilominus si scienter conferat illi beneficium, dispensare quantum necesse est ad valorem illius effectus, idem ergo in præsenti dicimus, ex vno facto non inferri dispensationem simpliciter, & in omni pœna, inferri tamen quoad habilitatem necessariam ad valorem illius concessionis. *Clem. vn.* *Panor.* *Felin.*

15. An Papa vēdens beneficium censea tur dispēsare cum emptore. Et iuxta hæc, expedienda est alia interrogatio, quæ hîc fieri solet, an Romanus Pontifex vendens alicui beneficium, & committens cum illo Simoniam, censeatur cum illo dispensare, saltem quoad pœnas Iuris? Nam quidem ita negant, vt dicant illum manere excommunicatum, & incurrere cæteras pœnas. Ita sensit Adrianus Quodl. 6. ar. 3. ad 4. Panor. non satis sibi constans in cap. 1. de Simon. n. 8. Vbi refert Ioannem Andr. & in additione citantur idem Abb. in c., *Extirpandæ*, de Præbend. Felin. in c. *De cætero* de re iudicata, & alij. Tenuit etiam Maior. in 4. d. 25. q. 3. ad 4. Fūdatúrque in dicta Clement. & inclinat. Caiet. d. q. 100. art. 6. Contraria verò est communis sententia, quam tenet Palud. d. dist. 25. q. 4. & Sot. li. 9. de Iust. q. 5. art. 2. & q. 8. ar. 2. Sylvest. ver. *Simonia* q. 4. & 19. Turrecr. in c. *Latorem* 1. q. 1. nu. 4. Couar. in regula *Peccatum* 2. p. §. 8. n. 9. vbi plures alios refert. Et videtur sententia magis rationi cōsentanea. Et in primis quoad pœnam nullitatis talis collationis, id est manifestū ex dictis in præcedenti puncto. Deinde quoad pœnā excommunicationis, certè non potest dici contumax contra legem Papæ, qui cum ipso committit actum per legem prohibitum, & sine contumacia non incurritur excommunicatio. Præterea non est verisimile, Principem velle punire opus, quod ipse simul efficit, vel fortasse ad illud inuitat. Denique si Simonia esset contra Ius tantùm positiuum, etiam quoad culpam censeretur dispensare cum illo, & subditus ipse ita deberet existimare, quia non deberet præsumere, velle Pa-
Adrian. *Panor.* *Abbas.* *Ioan. Andr.* *Felin.* *Maior.* *Caiet.* *Palud.* *Sot.* *Silvest.* *Turrec.* *Couar.*

Felin. pam Simoniam committere. Et ita sensit Felin. in d.c. *De cætero* n. 18. Imò licet Simonia aliàs videretur contra Ius diuinum, si tamen excusari posset in Papa per mutationem materiæ (iuxta supra dicta) ita etiam deberet subditus præsumere, & bona fide vitare culpam. Quando autem talis esset Simonia, vt Papa illam vitare non posset inuolueretur quidem subditus cum ipso in crimine, cum eodem tamen à culpa excusaretur.

26. Vltimũ dubium. Vltimum dubium esse potest, an per consuetudinem possit induci dispensatio in Simonia? Sed nulla ferè indiget noua expositione: nam per consuetudinem propriè hîc non introducitur dispensatio, sed interdum solet consuetudo abrogare legem humanam, vel in totum, vel ex parte. Et interdum potest illam abrogare, etiam quoad vim directiuam, & consequenter tollere rationem culpæ quæ ex sola prohibitione nascebatur, aliquando verò potest abrogare legem solùm quoad pœnam. Quod potest contingere, etiamsi delictum quod per eam punitur, contra Ius diuinum sit, quia pœna solùm nascitur ex lege humana, quam consuetudo abrogare potest. De consuetudine ergo, quæ in hac materia potest interdum excusare culpam suprà cap. 48. sufficienter dictum est. De illa verò quatenus in hac materia potest leges pœnales abrogare, vel mitigare, nihil peculiare adnotandum occurrit, sed consulendæ sunt generales regulæ de consuetudine, & de conditionibus necessariis, vt contra legem præscribat: nam eædem ad hanc materiam applicandæ sunt. Et quoad vsum, obseruare oportet vt de facto ipso sufficienter constet, talem pœnam non esse vsu receptam, vt tuta conscientia possit quis ab illa hoc titulo excusari: constare autem poterit, vel communi sensu Doctorum, vel ex praxi Prælatorum, & prudentum Confessorum, maximéque ex vsu Romanæ Curiæ, & ideò tàm de hoc dubio, quàm de tota materia Simoniæ hactenus dixisse sufficiat.

Finis huius tractatus, & primi voluminis.

INDEX

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRAE, QVAE IN HOC VOLVMINE EXPLICANTVR.

Prior munerus capita, posterior versuum numeros designat.

GENESIS.

c.1.v.14. *Et sint in signa, & tempora, & dies, & annos.* Id est vt sint in signa temporum, quæ tempora sunt dies, & anni: vel aliter, vt sint signa æstatis, & hyemis, ita vt alia tempus seminandi, alia metendi, alia nauigandi indicent. p. 342.1.25

2.3. *Benedixit diei septimo, & sanctificauit illum.* Non posuit obligationẽ obseruandi illum vt festum, sed posuit fundamentum talis sanctificationis. 157.2.3

4.4. *Abel quoque obtulit, &c.* Non constat hoc ex loco vtrum Abel fuerit Sacerdos. 418.1.5

15.8. *Vnde scire possum* Per hæc verba petit signum extraordinarium ad explorandam veritatem. 286.2.10

22.12. *Non cognoui,* Id est, feci, vt omnibus notum sit. 286.1,1

24.14. *Puella, cui ego dixero inclina hydriam tuam vt bibam, &c. Ipsa est, quam parasti seruo tuo Isaac.* Nullam in hoc commisit Eliezer diuinationis superstitionem, latè ostenditur. 334.2.9

24.50. *Non possumus extra placitum eius quicquã aliud loqui.* Extra placitum, id est extra obiectum ab eius voluntate approbatum. 234.1.8

28.16. *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.* Non in somno iudicium tulit de somnio præterito, sed postquam euigilauit. 357.1.23

31.10. *Vidi in somnis ascendentes mares super fœminas, varios, maculosos, & diuersorum.* Rei futuræ formalis imago fuit hoc somnium, & significabat fere vt oues parerent varios, & maculosos fœtus. 355.1.16

44.15. *An ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia?* Augurandi verbum latè sumitur hîc prout est indifferens ad honestam, & prauam cognitionem. Explicatur latè. 335.2.12 13

EXODVS.

12.26. *Quæ est ista Religio victimæ.* Id est, quæ est ista cæremonia sacra, & actio Religiosa? 6.c.1.n.5

19.22. *Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum.* Hinc non probatur Sacerdotes esse primogenitos, sed fuisse tantùm in populo Dei, ante institutum Leuiticum Sacerdotium. 418.1.6

20.3. *Non habebis Deos alienos coràm me.* Id est me solum habebis tanquam verum Deum, neque aliud consortium Deitatis tibi propones. 54.1.14

20.8. *Memento vt diem Sabbathi sanctifices.* Sabbathi dies sanctificatur per opera Religionis, quæ in eo exercenda sunt. 54.2.16

20.9. *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, septimo autem die Sabbathum Domini est, non facies omne opus in eo.* Vt extra Sabbathum externa seruilia permittuntur, sic in eo sola hæc prohibentur, & non alia, siue absque peccato fiant, siue cum illo. 212.2.11

21.13. *Constituam tibi locum, in quem fugere debeat.* Locus iste ex multorum sententia templum erat. 266.2.10

22.18. *Maleficos non patieris viuere.* Per maleficos omnes intelliguntur, qui pactum habent cum dæmone, & aliquid ex illo operantur. 382.2.1

22.29. *Decimas tuas, &c. Non tardabis reddere.* Ex verbo *tuas* probatur Decimas esse in dominio illorum, à quibus soluuntur, donec eas tradant, 146.25

29.9. *Erúntque Sacerdotes mihi Religione perpetua.* Id est lege stabili ad Religionem pertinente. 6.1.5

34.26. *Primitias frugum terræ tuæ offeres.* Nomine frugum etiam fructus arborum comprehenduntur 73.1.10

LEVITICVS.

2.14. *Si obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino de spicis adhuc virentibus.* Sermo est de Primitiis, quæ offerebantur ex fructibus ante generalem collectionem eorum. 73.1.11

7.36. *Quæ præcipit, &c Religione perpetua.* Id est lege stabili ad religionem pertinente. 6.15

16.29. *Affligetis animas vestras.* Pœnitentiam interiorem de peccatis significat. 207.1.14

19.31. *Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid scisciteminí.* Arioli, diuinatores propriè dicuntur: Magi ab illis videntur distingui tanquam præstigiatores in operibus faciendis, vel tanquam malefici. 358.2.4

NVMERI.

12.6. *Si fuerit inter vos Propheta, per somnium loquar ad eum.* Id est, per conceptus vocum in phantasia dormientes Prophetæ ita formatos, ac si eas voces per auditum corporis perciperet. 355.1.15

19 12. *Omnem medullam Olei, Vini, ac frumenti quicquid offerunt primitiarum, tibi dedi.* Medulla vocantur Primitiæ fructuum per metaphoram, vel quia multùm solent æstimari, vel quia ordinariè solent esse præcipui hi fructus. 71.1.1

23.23. *Non est augurium in Iacob, nec diuinatio in Israel.* Diuinatio sumitur hîc pro prædictione rerum occultarum per media indebita. 321.2.2

DEVTERONOM.

12.32. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino,*

neque addas quicquam, nec minuas. Nihil addendum, vel minuendum præcipitur legi traditæ contrarium; non tamen prohibebantur omnia, quæ non erant præcepta. 303.2.10

14.22. *Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis.* Ex verbo *tuis* indicatur omnes fructus esse possidentis quandiu sunt permixti, illúmque teneri ex ijs separare Decimam. 146.2.5

13.3. *Tentat vos Deus vt palàm fiat vtrùm diligatis eum. Tentat*, id est, tentatione examinis, *vt palàm fiat*, non ipsi Deo, sed aliis. 285.1.1

REGVM LIBRI.

1.Reg.c.6.9. *Siquidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsamos, ipse fecit nobis hoc malum.* Sacerdotes Philistinorum augurandi peccatum in hac signi obseruatione commiserunt, & Deum simul tentauerunt. 335.1.11

14.9. *Si taluer loquuti fuerint ad nos, Manete, &c. Stemus.* Ionathas in hoc nullum commisit peccatum diuinationis, vel tentationis Dei: Latè ostenditur. 335.1.10

15.22. *Melior est obedientia, quàm victimæ.* Licet obedientia præferatur externo sacrificio, non ideò præfertur toti Religioni, sed præfertur sacrificium internum, externo. 48.1,15

20.7. *Si dixerit, Benè, pax erit seruo tuo; si autem fuerit iratus &c.* Hoc non fuit omen, sed humana coniectura prudens, quia ex vultu, & verbis cognoscitur affectus. 335.1.11

28.15. *Dixit autem Samuel ad Saul, quare inquietasti me vt suscitarer?* Latè disputatur an vera Samuelis anima ad corpus rediret nécne. 335.1.11

2.Reg.20.5. *Moratus est extra placitum, quod ei constituerat Rex.* Id est vltra terminum à Rege præfinitum. 234.1.8

3.Reg.13.33. *Fecit de nouissimis populi, & quicunque volebat, implebat manum, &c.* Non de manu Ieroboam, sed de manu Sacerdotis est sermo. 415.2.10

4.Reg.1.3. *Nunquid non est Deus in Israel vt eatis ad consulendum Beelzebub?* Quasi consulendo Beelzebub, contemnerent Deum, ac si nullus esset. 327.2.17

PARALIPOMENON.

2.Paral.6.30. *Redde vnicuique secundùm vias suas; quas nosti cum habere in corde suo.* Cogitationes, & affectus vocantur viæ hominum. 325.1.8

32.17 *Epistolas quoque scripsit plenas blasphemiæ*: Blasphemia non solùm in verbis prolatis, sed etiam in scriptis datur. 291.2.4

ESDRAS.

2.Esdr.18. *Feceruntque blasphemias magnas.* Non in factis blasphemiæ consistebant, sed in verbis adiunctis. 291.2.3.& 292.1.5

IOB.

36.32. *In manibus abscondit lucem.* Id est in sua libera potestate. 336.1.15

377. *Qui in manu omnium hominum signat.* Id est, qui per tempotum varietates sæpe homines impedit, & quasi claudit manus eorum, ne laborare possint. *Vt nouerint singuli opera sua.* Id est, vt curam habeant suorum operum, nec opportunum tempus laborandi amittant, &c. Explicatur latè. ibid.

PSALMI.

18.1. *Opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Id est, opera Diuinæ omnipotentiæ, 336.1.15

33.2. *Semper laus eius in ore meo.* Laudis Diuinæ actus non nisi in ore reperitur. 291.2.4

43.21. *Si expandimus manus nostras ad Deum alienum.* Significat hanc manuum eleuationem esse proprium signum adorationis veri Dei. 56.2.8

77.19. *Et malè loquuti sunt de Deo: dixerunt. Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto?* Blasphemia est, in dubium reuocare, quę pertinent ad aliquã perfectionem Dei, vt ad potentiam, &c. 292.2.8

77.41. *Et tentauerunt Deum.* Tentauerunt, id est, ad iracundiam prouocarunt. 285.1.2

83.3. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Nomine *cordis*, spiritualis appetitus, nomine *carnis*, sensitiuus appetitus intelligitur. 19.2.8

94.4. *In manu eius omnes fines terræ.* In manu, id est, in Diuina potentia. 336.1.15

95.5. *Omnes dij gentium, dæmonia.* Appellat ita Deos Gentium, quia dæmones Idolis se insinuebant, vt ab hominibus deceptis colerentur. 312.2.9

117.24. *Hæc dies, quam fecit Dominus.* Diem Resurrectionis intelligit, quam, per Antonomasiam, Dominus fecisse dicitur. 163.2.1

PROVERB.

10.52. *Labia iusti considerant placita, Placita*, id est, quæ à Deo decreta, & statuta sunt. 234.1.8

14.22. *Errant qui operantur malum.* Errant errore practico. 293.1.9

23.23. *Veritatem eme, & noli vendere sapientiam.* Id est, acquirere sapientiã quantumuis magnis sumptibus, & postquam acquisiueris, eam noli perdere. 431.1.3

ECCLESIASTES.

5.6. *Vbi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates.* De somniis quæ dæmonum operę fiunt, hoc est intelligendum. 354.2.18

SAPIENTIA.

14.12. *Initium fornicationis est exquisitio Idolorum*, Id est, ab Idolis artefactis principium habuit idololatria. 316.2.13. *Et adinuentio illorum corruptio vitæ est.* Corruptionem vitæ appellat idololatriam, quia illa est radix omnium vitiorum, vel per modum finis, vel per modum occasionis. 319.2.16.

ECCLESIASTICVS.

18.23. *Ante orationem prepara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* Id est, ne loco placandi Deum per orationem, illum ad iram prouoces. 285.1.2. Vel locus hic de tentatione Dei interpretatiua intelligendus est. 290.1.7

34.7. *Multos errare fecerunt somnia*, De somniis dæmoniacis, & vanis intelligendum est. 355.2.18

21. *Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata.* Immolare ex iniquo est idem, quod ex iniustè acquisitis 67.2.6.& 308.2.20

ISAIAS.

9.1. *Duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius.* Significabant Seraphin velãtes capita, & pedes reuerẽtialis timoris affectum erga Deũ cuius maiestatem contemplari formidabãt. 53.1.7

34.4. *Complicabuntur, sicut liber cœli.* Id est iam tunc post diem iudicij non significabunt, quod naturaliter significare possunt, serenitatem scilicet, & pluuiam, ver, & hyemem, &c. Vel aliter. *Complicabuntur, sicut liber cœli*, quia vsus eorum, & ministeria cessabant sicut liber, qui tunc complicatur, quando iam vsui non est. explicatur latè. 342.1.25

41.23. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dij estis vos.* Ostenditur infallibilem cognitionem futurorum contingentium, propriam esse Dei. 322.2.9

46.10. *Ego Deus, &c. Nec similis mei annuntians ab exordio nouissimũ. & ab initio quæ necdum facta sunt:* Ex certa cognitione, & prædictione futurorum probat

probat ſuam Diuinitatem. 326.1.10.

47.13. *Stent,& ſaluent te augures cœli.* Augures cœli Aſtrologos appellat, qui ex aſtrorum curſu res humanas regi arbitrantur, & ex aſtris eas prædicunt. 339.1.13.

55.1. *Emite abſque argento.* Non eſt hæc vera emptio humana, ſed aliud genus acquiſitionis in qua licet aliquid ab homine petatur, res tamen datur gratis. 522.1.5

IEREMIAS.

10.2. *Iuxta vias gentium nolite diſcere, & à ſignis cœli nolite metuere.* Idololatrias, vias gentium appellat, & diuinationem per aſtra, ſigna cœli vocat. 339.1.13

EZECHIEL.

22.26. *Inter ſanctum, & prophanum non habuerunt diſtantiam.* Prophanum omne illud appellat, quod ſanctum, & religioſum non eſt. 252.1.1

DANIEL.

3.17. *Ecce Deus noſter, quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis, &c. Quod ſi noluerit notum tibi ſit, ô Rex, quia deos tuos non colimus.* Deum non tentabant, ſed ita ſperabant miraculum, vt parati eſſent ad credendum etiam, ſi illud non acciperent. 285.2.13

ZACHARIAS.

11.17. *O paſtor, & Idolum.* Quia cum paſtoris officium non exerceat, nomine ſolùm, non re paſtor eſt, ſicut idolum nomine Deus vocatur, cum talis non ſit. Vel ſceleratus Paſtor idolum dicitur, dum (teſte Hieron.) ſe appellat Deum, & vult ab hominibus adorari. 310.1.4

MALACHIAS.

1.8. *Si offeratis cæcum ad immolandum nonne malum eſt?* Eſt contra reuerentiam Deo debitam offerri illi cæcum, aut claudum, vel quia Deus contemptui habetur ita; vel quia per talem oblationem non ſignificatur eius perfectio in efficiendis operibus ſuis. 70.2.22

1.14. *Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens immolat debile.* Per maſculum intelligendum eſt integrum, & ſine vitio. 70.12.21

3.10. *Inferte omnem Decimam, &c. Et probate me ſuper hoc.* Id eſt ſoluite Decimas, & penuriam non ſentietis. 96.2.15

Teſtamentum nouum.

MATTHÆVS.

4.5. *Tunc aſſumpſit eum Diabolus in ſanctam ciuitatem.* Hoc totum per motum localem factum eſt. 368.2.4

4.6. *Mitte te deorſùm.* Hac tentatione Dei, non petebat dæmon vt Chriſtus probaret potentiam Diuinam, ſed affectum Dei erga ipſum. 288.1.4.

9.13. *Miſericordiam volo, & non ſacrificium.* Per miſericordiam omnia charitatis opera intelliguntur: Et ſenſus eſt, quod Deus non velit ſacrificium externum ſine interno; vel quod internum præferat externo. Vide aliàs expoſitiones. 47.2.14. Vel etiam eleemoſynam docet anteponendam ſacrificio, quando neceſſitas proximorum vrget. 67.2.7

10.8. *Gratis accepiſtis, &c.* Latè exponitur à. 411.1.4.

12.5. *Sacerdotes in templo ſabbathum violant, & ſine crimine ſunt.* Violant (inquit) non quoad præceptum (alioqui non eſſent ſine crimine) ſed quoad quietem. 220.2.9

22.35. *Interrogauit eum vnus ex eis, legis Doctor, tentans eum.* Hæc tentatio potuit non eſſe in malam partem, tanquam volentis decipere inimicum, ſed cauta, volentis experiri ignotum. 286.2.9

24.36. *De die illa nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, &c.* Chriſtus diem iudicij abſolutè non ignorabat, ſed ſolùm certa quadam ratione, quia non ex humanitate ſciebat, loquitur tamen cum tanta exaggeratione ad retundendam curioſam interrogationē diſcipulorum. 322.1.6

27.39. *Blaſphemabant eum mouentes capita ſua, & dicentes, vah.* Non ratione facti dicuntur blaſphemiæ iſtæ iniuriæ, ſed ratione verborum quæ proferebantur. 291.2.3

MARCVS.

13.32. *De die illa nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, ſed ſolus Pater.* Chriſtus diem iudicij abſolutè non ignorabat, ſed ſolùm certa quadam ratione, quia non ex humanitate ſciebat; loquitur tamen cum hac exaggeratione ad retundendam curioſam interrogationem diſcipolorum. 322.1.6

LVCAS.

19.7. *Edentes, & bibentes, &c. Dignus eſt enim operarius mercede ſua.* Stipendium vocatur hic cibus, quia datur in ſuſtentationem, appellatur etiam merces, quia debetur ex iuſtitia. 483.1.10

14.26. *Siquis venit ad me, & non odit patrem, & matrem, &c. Propter me, non eſt me dignus.* Significatur maius eſſe debitum honorandi Deum, quam parentes. 34.2.17

Vlt. 47. *Oportebat in nomine eius prædicari pœnitentiam in remiſſionem peccatorum.* His verbis Sacramentum regenerationis ſignificatur. 166.1.14

IOANNES.

2.16. *Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.* Reprehendit ad literam irreuerentiam, quæ per illas negotiationes templo fiebat. 257.1.19.

4.24. *In ſpiritu, & veritate.* Id eſt; ſine vlla ſuperfluitate, vel falſitate: falſitas enim veritati opponitur, ſuperfluitas ſpiritui. 304.2.2

15.12. *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos.* De amore amicitiæ ſermo eſt, quo ille nos etiam diligit vt amicos. 38.1.13

20.21. *Sicut miſit me viuens Pater, & ego mitto vos.* Per hæc verba, Euangelij tubam, & prædicandi officium acceperunt Apoſtoli. 165.2.14

ACTA APOST.

1.18. *Poſſedit agrum de mercede iniquitatis.* Iudas Simoniacus fuit, quia mercede ad iniqua perpetranda inductus fuit. 415.2.9

1.26. *Et dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Matthiam:* Latè explicatur, quæ fuerit hæc ſors. 349.1.22.

4.32. *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna.* Hic amor ex charitate fuit veráque, & propria amicitia. 38.1.13

7.7. *Non eſt veſtrum noſsè tempora, vel momenta.* Reiicit Chriſtus interrogationem de re futura tanquam ineptam, & appetitum ſciendi, vt curioſum. 322.1.5

8. *Date mihi hanc poteſtatem.* Spiritum ſanctum temerè tentaſſe oſtenditur. 407.2.13.403.2.10

12.12. *Ad ſe reuerſus dixit: Nunc ſcio verè, quia miſit Dominus Angelum ſuum, &c.* Videtur priùs non perfectè vigilaſſe, ac proinde non tuliſſe iudicium de ſomnio niſi perfecta vigilia. 357.1.22

19.19. *Qui fuerant curioſè ſectati contulerunt libros, & combuſſerunt eos coràm omnibus.* De libris ſuperſtitioſæ diuinationis per aſtra, hoc eſt maximè

intelligendum. 339.3.13
20.7. *Vna autem Sabbathi. Vna*, id est prima, *Sabbathi*, id est, post Sabbathum, quo dies Dominica significatur. 161.1.16. *Cum venissemus ad frangendum panem*, id est ad Missæ sacrificium, & communionem. 161.1.2
20. 16. *Festinabat, &c. vt diem Pentecostes faceret Ierosolymis*, id est, festum Pentecostes, & aduentum Spiritus sancti à Christianis celebratum. 179.1.2

AD ROMANOS.

1. 21. *Quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt.* Significat inexcusabiles eos esse, qui cognoscentes verum Deum alios deos cum illo coluerunt. 316.2.2
2. 4. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt*, id est, ad ea obligantur naturali lege, quæ in lege sunt præcepta. 157.2.3
10. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* De cultu Religioso potest explicari, per quem exteriùs homo se præbet veri Dei seruum, & cultorem, 54. 1. 13. Vel etiam ostenditur non solùm internam fidem, sed etiam externam illius confessionem, esse de necessitate salutis. 317.2.5

AD CORINTHIOS.

1. Epist. 5. 12. *Quid enim mihi de his, qui foris sunt iudicare*: Infideles foris esse dicuntur. 93.2.2
8. 4. *Scimus quia nihil est Idolum in mundo*: Nihil est, scilicet in ratione, qua Deum, vel personam summo honore dignam repræsentat. 310.1.4
9. 11. *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est, si carnalia vestra metamus?* Id est, æquum est, vt qui laboramus vobis spiritualia ministrando, à vobis etiam corporaliter alamur. 74.2.2
10. 20. *Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant. Dæmoniis*, quia Idolis se insinuabant, vt ab hominibus deceptis colerentur. 312.2.9
12. *Pastores, & Doctores, &c.* Pastores iidem sunt, qui Doctores, vt ostendatur populum Dei docere, ad pastores Ecclesiæ pertinere. 269.2.13
13. 13. *Nunc autem manet fides, spes, charitas, tria hæc*, His tribus virtutibus quasi per Antonomasiam, tribuit excellentiam virtutis. 45.2.1
16. 1. *De collectis autem, quæ fiunt in Sanctos*: Eleemosynas intelligit, quæ in Cleri, & pauperum sustentationem colligebantur. 127.25
16. 8. *Permanebo autem Ephesi vsque ad Pentecosten.* Per Pentecosten, festiuitatem celebrem apud Christianos intelligit. 179.1.2

AD GALATAS.

4. 10. *Dies obseruatis, & menses, & tempora. Timeo vos.* De obseruationibus Iudaicarum festiuitatum sermo est. 162.1.4. Vel etiam loquitur, (vt multi dicunt) de obseruatione harum rerum, vt sunt signa futurorum. 331.1.10

AD EPHESIOS.

5. 5. *Auarus (quod est Idolorum seruitus)* Per similitudinem hoc dicitur, quia vt idololatra subiicitur Idolo ad cultum ita auarus subiicitur pecuniæ ad vsum. 390.1.1

AD PHILIPPENSES.

2. 10. *In nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, &c.* Hanc adorationem exhibuerunt Angeli ad Præsepe descendentes Christo nato, atque illum in cœlum tendentem comitantes. 53.2.10
3. 19. *Quorum Deus venter est.* Quia totum affectum in esca habent, ideò ventrem tanquam Deum colere videntur. 309.1.1

AD COLOSSENSES.

2. 16. *Nemo vos iudicet in cibo, aut potu, aut in parte diei festi.* Id est, nemo vos reprehendat, quòd non discernatis inter cibos mundos, & immundos, nec in ea parte temporis, quæ ad festa Iudaica deputata erat. 155.1.6
2. 18. *Nemo vos seducat volens in humilitate, & Religione Angelorum, quam non vidit ambulans, &c.* Docet Apostolus cauendam superstitionem legalium cæremoniarum, & deceptores, qui illam sub specie humilitatis, & Religionis per Angelos traditæ introducere volebant. 303.2.10

AD TIMOTHEVM. 1. Epist.

5. 12. *Habentes damnationem, qui primam fidem irritam fecerunt.* Primam fidem à viduis irritam fuisse factam asserit per violationem voti castitatis. 390.2.4
5. 17. *Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni habeantur.* Tripliciter explicatur ex Patribus, quid per duplicem honorem sit intelligendum. 76.2.10

AD HEBRÆOS.

1. 6. *Adorent eum omnes Angeli Dei.* Hanc adorationem exhibuerunt Angeli, vel quando nato Christo ad præsepe descenderunt, vel quando ascendentem in cœlum comitati sunt. 53.2.10
5. 1. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat.* Significat præcipuum munus Pontificis esse sacrificium offerre. 57.2.4
12. 14. *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam.* Per sanctimoniam, gratia significatur, qua propriè sancti efficimur. 29.1.14
12. 16. *Prophanus vt Esau.* Cur prophanus appelletur exponitur. 419.2.14

EPIST. IACOBI.

1. 13. *Deus neminem tentat.* Id est, tentatione inductionis, quia neminem ad malum inducit. 284. 2. 1
1. 27. *Religio munda, & immaculata hæc est, visitare pupillos, & viduas, &c.* Non quod ij actus Religionis sint, sed quia Religio illos imperat. 3.1.1. Vel Religio hic non virtutem Religionis sed dotatum Religiosum significat, cuius proprij sunt actus in hoc loco numerati: vel etiam magis ad mentem Iacobi intelligi potest Religio Christiana. 21.1.10

EPIST. PETRI.

2. Epist. 2. num. 15. *Sequitur Balaam, qui mercedem iniquitatis amauit.* Simoniacus amare mercedem iniquitatis ideò dicitur sicut Balaam, quia tanquam Ariolus mercede ad iniqua perpetranda conducitur. 415.2.9

APOCALYP.

6. 14. *Et cœlum recessit, sicut liber inuolutus. Recessit* non motu locali, sed ab oculis hominum, vt recedere solet liber inuolutus, quia literæ eius videri non possunt. 342.2.25

INDEX

INDEX CAPITVLORVM

IVRIS CANONICI QVAE IN HOC VOLVMINE PRÆCIPVE EXPLICANTVR.

Ex decreto.



AP. *Non oportet* 2. dist. 42. pag. 260 col. 2. num. 7
C. *Oblationes* d. 90. 68. 2. 10
C. *Tua nos* 1. q. 1. latè 546. 1. 6
C. *Eos* 1. q. 1. 402. 2. 5. 414. 1. 5. 415. 2. 10. 432. 1. 2. 441. 2. 8
C. *Cùm* 1. q. 1. 408. 2. 3. 414. 1. 5
C. *Dictum est* 1. q. 1. 449. 2. 4
Cap. *Siquis neque* 1. q. 1. 550. 1. 7
Cap. *Gratiam*, cum aliis eadem 634. 1. 23
Cap. *Quisquis* 1. q. 1. 402. 2. 5. 408. 2. 2
Cap. *Pueri* 1. q. 1. 562. 1. 3
Cap. *Quicquid* 1. q. 1. 436. 1. 7
Cap. *Latorem*, Cap. *Filium* eadem q. ibidem num. 4
Cap. *Qui studet* 1. q. 1. 419. 1. 10. 4. 2. 1. 2. ad 433. 1. 5
Cap. *Ordinationes* 1. q. 1. 563. 2. 10
Cap. *Reperiuntur* 1. q. 1. 408. 2. 3
Cap. *Sunt nonnulli* eadem 564. 1. 12.
Cap. *Placuit*, & seq. 1. q. 1. 546. 1. 4. 449. 2. 4. 454. 2. 23
Cap. *Iudices* 1. q. 1. 416. 1. 12
Cap. *Sunt quidam* 1. q. 1. 486. 1. 4
Cap. *Quam pio* 1. q. 2. 527. 2. 20
Cap. *Sicut Episcopum* eadem 592. 2. 7
Cap. *Saluator* 1. q. 3. 510 2. 13. 15. 519. 2. 14. 520. 2. 18
Cap. *Siquis dator*, eadem 634. 1. 23
Cap. *Ecclesia* 1. q. 4. 630. 2. 5
Cap. Vlt. 1. q. 7. 408. 2. 2
Cap. *Euphemium* 2. q. 3. 595. 2. 15
Cap. *Nullus Episcopus* 1. q. 5. 465. 2. 13
Cap. *Quisquis* 2. q. 8. 585. 1. 13
Cap. *Quàm periculosum* 7. q. 1. 418. 2. 8. 9
Cap. 1. 8. q. 2. 562. 1. 3
Cap. *Ea enim §. Hoc Ius*, 10. q. 2 452. 2. 15
Cap. *De viro* 12. q. 2. p. 68. 2. 10
Cap. 1. 13. q. 1. 112. 2. 4
Cap. *In Ecclesiastico* 13. q. 2. 453. 2. 20. 455. 1. 21
Cap. *Clerici* 13. q. 2. 66. 2. 25
Cap. *Qui oblationes* 1. & 2. eadem ibid.
Cap. *Nullus* 13. q. 2. 265. 2. 7
Cap. *Sanè* 15. q. 3. 408. 2. 2
Cap. *Nouerint* 16. q. 1. 511. 1. 2
Cap. *Quæst.* 16. q. 1. 100. 2. 13. 104. 1. 30
Cap. *Siquis Laicos* 16. q. 1. 102. 2. 22
Cap. *Decimas* 1. q. 1. 105. 1. 3. 108. 2. 8
Cap. *Ecclesiæ* 16. q. 1. & cap. *Quicunque* ead. 119. 2. 6
Cap. *Moderamine* 16. q. 1. latè 147. 2. 9
Cap. *Siquis Laicus* 16. q. 1. 154. 1. 9
Cap. *Primo* 16. q. 7. 128. 1. 6
Cap. *Decimas* 16. q. 7. 73. 2. 14
Cap. *Nemini* 16. q. 7. 514. 1. 16
Cap. *Miror* 17. q. 4. 68. 2. 10
Cap. *Id constituimus* 17. q. 4. 269. 2. 9. 272. 2. 3
Cap. *Desiuit* 17. q. 4. 276. 1. 3
Cap. *Quisquis* 17. q. 4. latè 278. 2. 7
Cap. *Constituit* 17. q. 4. 388. 2. 3
Cap. *Siquis suadente* 17. q. 4. 389. 1. 6. 295. 2. 2
Cap. *Luminoso* 18. q. 2. 279. 1. 10
Cap. Vlt. 22. 9. 2. 481. 1. 3
Cap. *Mouet* 22. q. 1. 297. 2. à n. 13
Cap. *Siquis* 699. 2. 2
Cap. Vlt. 23. q. 6. 459. 1. 7
Cap. *Episcopus* 26. q. 5. 374. 1. 26
Cap. *Sortes*, & cap. *Siquis Ariolos* eadem 382. 2. à n. 2
Cap. *Admoneat* 26. q. 7. 384. 2. 12
Cap. *Nuptiarum* 27. q. 1. 436. 1. 7. & 2. 9
Cap. *Honorantur* 32. q. 2. 437. 1. 9
Cap. *Connubia* 32. q. 2. 436. 2. 9
Cap. *Latorem* 33. q. 2. 68. 2. 10
Cap. *Consideret* de Pœnitentia d. 5. 213. 2. 17
Cap. *Raptoribus* 36. q. 1. 275. 1. 17
Cap. *Sacerdote* de consecratione distinct. 1. 206. 1. 8
Cap. *Omnis Christianus* de consecratione d. 1. 206. 2. 11
Cap. *Didicimus* de consecratione distinct. 2. 61. 1. 6
Cap. 1. de consecratione d. 3. 159. 2. 11. 164. 2. 4. 178. 2. 1. 187. 2. 20. 190. 1. 3. 191. 2. 8
Cap. *Crucis* de consecratione dinstinct. 3. 181. 1. à num. 10

Decretales.

Cap. *Statutum* de rescriptis 793. 1. 7
Cap. *Quia propter* de electione 346. 1. 9. & 10
Cap. *Penultimo* eodem 636. 2. 34. & 660. 2. 10. per totum.
Cap. *Ad audientiam* de his quæ vi. 552. 1. 16
Cap. 1. *de feriis*, 213. 2. 17. 234. 1. 8
Cap. 2. *de feriis*, 1. 4
Cap *Licet* eodem 160. 1. 15. 189. 1. 4. 215. 2. 7
Cap. *Vltimo de feriis* latè exponitur 171. 2. à num. 2. 178. 2. 1. 185. 2. 20. & 21. 191. 2. 8. 233. 2. 8. & 242. 1. 7
Cap. *Causam, quæ* de præscriptionibus, 86. 1. 17
Cap. *De quarta* eodem 128. 2. à 9
Cap. *Cùm Apostolica* de his quæ fiunt à prælatis, &c. 125. 1. 10
Cap. *Significatum* de præbendis 484. 2. 17
Cap. *Maioribus* de præbendis 525. 1. 8
Cap. *Nisi* eod. 606. 1. 17. & 2. 8
Cap. *Dilecto* eodem 540. 1. 3
Cap. *Quæsitum* de rerum permutatione 537. 1. 10
Cap. *Quam pio*, eod. 458. 2. 5. 462. 2. 1
Cap. *Ad quæstiones*, eod. 537. 2. 13. 538. 16
Cap. *Cùm olim*, eod. 637. 2. 42
Cap. 2. cap. *Super eo*, cap. *Constitutus* de transact. 605. 1. 12. 538. 2. 43
Cap. *Veniens* eod. 607. 2. 23
C. *Vnico*, vt Ecclesiastica beneficia, &c. latè 555. 2. 10

Cap.vlt.de pactis 656.4
Cap.2. *De Decimis* 101.1.14.102.1.19
Cap.*Peruenit* de Decimis 153.1.4
Cap.*Nuntios* eodem 140.2.4
Cap.*Cùm homines* eodem 129.1.11
Cap.*Dilecti*,eodem 108.1,8
Cap.*Ex parte* 3.eodem,latè exponitur 117.25
Cap.*Quoniam* de Decimis latè 120. 1. 9. & 128. 2,9
Cap.*De terris* eodem 94.2.6
Cap.*Quamuis* eod.132.2.10.
Cap.*Cùm sint homines* eod.103.1,5
Cap.*Prohibemus* eod.123.1,3.& 124.1.7
Cap.*Ad Apostolicæ* eod.115.2.7
Cap.*Non est* eod.136.2.8.& 139.2.4
Cap.*Ex transmissa* eod. 95.2. 1. 2.& 136.1.7.138. 1.7
Cap.*Tua* 1. §. vltimo eodem, latè exponitur 117. 1.5
Cap.*Tua* 2.eodem 99.1.8
Cap.*Pastoralis* eod.latè exponitur 139.1.2.144.2.9. 149.1,15.& 154.2.9
Cap. *In aliquibus* §. Ille eodem 84.2.10. & 154. 1.9
Cap.*Cùm non sit* eod.147.2.20
Cap.*Nuper* eod.106.2.10.107.2.7
Cap.*Quoniam* de iure patronatus 511.1.2
Cap.*Quia Clerici* eod. 511.2.5
Cap.*Præterea* 2.eod.ibid.
Cap. *Quod autem*.cap. *Illud*. cap. *Nullus*.cap. *Laici* eod.514.1.16
Cap.*Ex literis* eodem 514.2.18
Cap.*Relinqui* de Custodia Eucharistiæ,259,2.1
Cap.1.de Immunitate Ecclesiarum,265.1.4
Cap.*Inter alia* eod.latè 466.1.à n.9
Cap. vlt. de Rebus Ecclesiæ non alienandis. 193. 1.2
Cap.*Et si necesse* de Donationibus inter virum, & vxorem,650.1.30
Cap.*Inquisitionis* de Accusationibus,642.1.4
Cap.*Quia in omnibus* de Vsuris,67.2.6
Cap.*Consuluit*,eodem 654.1.59
Cap.*Quanto* eod.94.2.6
Cap.*Primo*,de Homicidio,384.1.à n.10
Cap.*Statuimus*,de Maledictis,299.2.2
Cap.*Ecclesia*,de Sortilegiis,345.1.5.& 346.1.9
Cap.*Cùm sit* de Iudæis,649.1.24
Cap.*Ad audientiam*,de Simonia,64.1.12
Cap.*Matthæus* eod.594.1.7
Cap.*Dilectus*,1.& cap.*Quæsitum* eodem 193.2.2
Cap.*Sicut tuis*,& cap.*De hoc* eod.408.2.3.& 411.1. 5,ad 415.2.9.& 599.1.28
Cap.*Nemo*,eod,534.1,10.486.2.2.550.1.7.563.2. 10
Cap.*Cùm in Ecclesiæ*, eodem, 436. 1. 6.453.1.17. 454.2.23
Cap.*Ad nostram*,446.1.2.456.1.3
Cap.*De Regularibus*,eod.463.2.13
Cap.*Tua nos* 765.2.10
Cap.*Penult*.eod 660.1.7
Cap.*In tantum*,eod.567.1.10
Cap.*Consulere*,eodem 518.1.6
Cap.*Dilectus*,eodem 465.1.12.547.2.11
Cap.*Et si quæstiones*,eodem 553.2.2
Cap.*Matthæus*,eodem 634.2.23
Cap. *Sicut tuis*,eodem 635.2.29
Cap.*Veniens*,eodem 655.2.10.657.1.19
Cap.*De hoc*,eodem 655.2.2.& 2.5
Cap.*Audiuimus*,eodem 650.2.3.658.1.13
Cap.*De Simoniacè*,eodem.
Cap.*Vltimum*,eodem 655.2.2.latiùs 654.1.48
Cap.*Dudum*,de Priuilegiis,106.2.3
Cap.*Si de terra*, & cap.*Accedentibus*,eodem 110.2, 3.4
Cap.*Nuper*,de Sententia excomm.659.1.5.
Cap.*Nam*,*& ego*,de Verborum significatione 199. 1.17
Cap.*Quod non licet*,de Regulis Iuris,232.1.10

Ex lib.6.

Cap.*Cùm Episcopus*, de Officio Ordinarij, 279. 1. 10
Cap.1.de Præscriptionibus,86.1.1
Cap.2.§.*Sane*,de Decimis, latè 124.1.6
Cap.*Vnico*,de Iure patronatus,514.1.16
Cap.*Vnico*,de Rerum permutatione,529.1.2.7.531. 1.14.540.13
Cap.*Decet*, De Immunitate Ecclesiarum,247.1.7. 255.2.9.260.2.6.279.2.13
Cap.*De censibus*.
Cap.*Causam*,§.*Sanè*.de Hæreticis,383.2.7
Cap.1.de Priuilegiis,279.1.10

Ex Clementinis.

Clementina vnica, de Rerum permutatione,529 1.540.1.3.4
Clement. vnica, de Reliquiis,& veneratione Sanctorum,179.1.3.187.2,22

Extrauagantes.

Extrauagans 1. de Simonia ,465.2.15.466.2.17 6.8.2.12.
Extrauagans 2.de Simonia, 572.1.15.623.1.9..& 636.2.34.638.1,38.643.1.6.&latè,616. 2. 4.& 659.1.5.

Motus proprij.

3. Motus Sixti V. contra Astrologos exponitur, 339. 1.12.& 2.12.
Motus Pij V. Ex proximo , qui est 138. Exponitur 503. 1.3.
1.Motus eiusdem. Quanta Ecclesia Dei, 543. 1. 17:
Motus eiusdem,&Pij IIII, de Simonia confidentiali. 680.1. 5.7
Gregorius XIII. Omni certe studio, 45.1.1.10

Ex Concilio Tridentino.

Sessione 4. in fin. contra abutentes Scripturis in prophanis libellis.298.2.17
Sessione 5. cap. 2. de Ref. circa obligationem Pastorum ad concionandum,205.2.7
Sessione 15. capite tertio de Statu regulari. 466.1. 17
Sessione 22. capite de Obseruandis in Missa,206. 2.10
Sessione 24.cap.4.Ibid. & 205.2.7.de Reformat. 478.2. 14
Eadem sessione capite decimo octauo. 421.2.4. 563.1.7
Sessione 25. Circa decretum de veneratione Sanctorum,398.2.8
Eadem Sess. cap. 12.153.1.3.c.16,de Regular.466. 2.18.& c.18 de Reform.478.2.14

Ex Iure Ciuili.

§. Item pretium Instit. de emption.& vendit.553. 2,1

Auth.

Auth. de Mandatis princip. §. Publicorum. 272. 2.3
Leg.1.C.de His qui ad Eccleſiam confugiunt.271. 2.9.272.1.3
L.Si ſeruus eod.270.1.7
L.Præſenti,eod.276.1.2.& 2.4
L.vlt.eod.270.1.2.Cum autem,272.2.3
L.Vt in die, C. de Feriis, 234.2.1.236.1.7.237.1. 11
L.vlt.eod.236.1.7.237.1.11
L.Quiſquis,C.Si cert.pet.555.1.7
L.Pretij,C.de Reſcind.vendit.554.1.3
L.Ex placito C.de Rerum permut.525.1.9
L.Si duobus,C.Communia,de leg.354.2.4
Auth.Si quis ei,C.Ad l.Iul.de adult.277.2.1
L.Eorum,C.de Maleficis,& Mathematicis,385.1. 14
Leg. Aut ficta.ff.Quæ in frau.cred.486.1.3
L.Aut facta,ff.de pœn.258.1.2
L.Non poſſunt,ff.de Iure fiſci.260.2.12
L.In ſumma.ibid.
L.Siquis,ff.de Pollicitationibus.430.2.30.31
L.Qui non facit,ff.de Regulis Iur.486.1.4
L.In tantum,ff.de Rerum diuiſ.245.1.1
L.1.§.Sed excipiuntur,ff.de.Feriis,238.2.19
L.2.& 3.eod.ibid.
L.Diuus,eod.231.2.7.232.2.1
L.Sed etſi,§.Conſulit,ff.de Petit.hæred.578.1.5

INDEX

INDEX RERVM QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

Prior numerus paginam, secundus columnam, tertius §. indicat.

ABRAHAM.

ABraham quas ob causas Decimas soluerit Melchisedech. 75.1.5
Non tentauit Deum dicendo (vnde hoc sciam.) 286.1.à n.10
3. Vtrum Simoniacus fuerit cum Ephron, vide Simoniam in lege naturæ.

ABEL.

Abel non constat Sacerdos fuerit, necnè. 416.1.6

ABSOLVTIO.

Vide Simoniam in eius materia.

ACTIO.

Vide Simoniam ibidem.

ADMIRATIO.

1. Spectat ad voluntatem. 52.2.7
2. Admiratio Diuinæ excellentiæ propriæ spectat ad adorationem. ibidem.

ADORATIO.

1. Potest esse, & intellectus, & voluntatis actus. pagina 52. 1. 4
2. Genuflexio ex intentione habet, quod sit adoratio latriæ, vel duliæ. 52.2.5
3. Adoratio in intellectu, vel per modum cognitionis, vel per modum locutionis datur. 52.1.4
4. Qualis sit adoratio per modum locutionis. 52.2.6
5. Qui actus voluntatis spectent ad adorationem. 52.9.7
6. Qualem adorationem Seraphin apud Isaiam exhibuerint 53.1.7.
7. Quibus corporis actibus Deũ adorare debemus, ibid.n.8
8. Naturæ spiritualis, & corporeæ actibus Deum adorare debemus. 53 1.9
9. In lege naturæ, scripta, & in lege gratiæ hoc fuit vsitatum, ibidem.
10. Spiritus separati per corpora sumpta possunt adorationem similem nostræ Deo exhibere. 53 2.10
11. Hoc illis Deus potest præcipere. ibid.
12. Animæ purgatorij possunt Deum adorare. ibid. 11
13. Adoratio Dei tàm spiritualis, quàm corporalis est de præcepto naturali. ibid. num.12
14. Quotuplex sit. ibid.
15. Quare adoratio purè externa ficta sit. ibid.
16. Adoratio purè spiritualis non est in hac vita præcepta hominibus. 54.1.12
17. Mixta est homini præcepta, etiam ex lege naturæ. 53.1.13
18. Vtile est exercere animum in adoratione purè spirituali. ibidem.
19. Præceptum adorandi Deum in primo præcepto decalogi indicatur, & à n.3. 54.2.14
20. Non fuit opus expressiùs tradi in Scriptura. 55.1.17
21. Quo cultu interno teneatur homo Deum adorare ex vi legis naturalis. 55.2.2
22. Per adorationem mixtam potest homo satisfacere naturali præcepto. 55.2.4
23. In adoratione mentali nulla determinatio quoad exercitium præcepta est. ibid n.5
24. Ex lege naturali non est determinatus externus cultus adorationis. 56 1.6
25. Datur tamen præceptum, & quale illud sit. ibid.
26. Externę adorationes sunt indifferentes ad Deum, & homines. 56.1.7. & seq.
27. Numerãtur varia signa externæ adorationis. ib. n.7. & 8
28. Adoratio externa priuata per actum internum determinanda est. 57.1.10
29. Adoratio priuata quæ. ibid.
30. Quid in eo obseruandum, quando fit occultè. ibid.
31. Quid obseruandum, quando fit publicè. ibid.n.11
32. Adoratio publica qualis sit. 57.2.13
33. Requirit externum signum. ibid.13
34. Duo modi adorationis publicæ sunt in vsu, sacrificium, & oratio publica. 57.2.14

ÆQVINOCTIVM.

1. Duplex Æquinoctium aliud naturale, aliud Ecclesiasticum. 177.2.27
2. Greg.13. Æquinoctij, & kalendarij errorem correxit. ibid.
3. Vel in Æquinoctio venali, vel post illud mundus fuit conditus. 175.2.17

AFFECTIO PIA.

1. Habitus piæ affectionis manet in voluntate peccatoris 9.1.2
2. Quo pacto pia affectio tendat in Deum. 9.1.5
3. Habitus piæ affectionis est virtus moralis. 9.1.5
4. Habitus fidei, & habitus piæ affectionis possunt dici vna virtus Theologica. ibid.
5. Pia affectio voluntatis est perfectior Religione. 45.2.2

AGNVS DEI.

Vide Simoniam in eius materia.

AMICITIA.

1. Probabile est non dari aliam amicitiam per se infusam inter homines præter charitatem: 38 2.15
2. Ex natura rei sunt homines capaces naturalis amicitiæ inter se. ibid.
3. Amici inæquales, quando se diligunt, obliuiscuntur quodammodo inæqualitatis. 401.2.1
4. Amor amicitiæ, vide verb. Amor à n.1.

AMOR.

1. Amore concupiscentiæ res irrationales possumus amare, non verò amicitiæ. 38.1.12
2. Deus amat nos amore amicitiæ. ibid.n.13
3 Amor amicitiæ, quid sit? 38.1.14
4. Amor amicitiæ fundatur in aliqua vnitate. 40.1.22

ANGELVS.

1. Neque iustitia, neque Religio ad Angelos ordinatur. 6. 2 3
2. Verè Deum adorant. 52.1.2
3. Qualem adorationẽ apud Isaiam Deo exhibuerint. 53.1.7
4. Angeli in assumptis corporibus corpoream adorationem Deo possunt exhibere. 53.2.10
5. Hanc illis Deus potest præcipere. ibid.
6. Ex duobus festis Angelorum incertum est, quod sit antiquius. 184.2.6
7. Quod celebratur in mense Septembri, seruatur sub præcepto, non ita quod in Maio. ibid.
8. Multi Philosophi credebant substantias separatas non fuisse ab alio factas. 312 1.7
9. Angelus non potest species sensibiles per se efficere. 324. 2.4
10. Quas vires Angelus habeat naturales, vide verb. Dæmon. à n.1
11 Angeli ex solis astris non possunt cognoscere effectus casuales, 343.1.28
12. Angelus custos minimus, cur possit totius inferni potentiæ resistere. 398.1.2
13. Quid Angeli possint circa corpora, vide verb. Dæmon. à n.16
14. Inferiores Angeli non sunt subordinati Dæmonibus naturæ superioris. 368.1.2

ANIMA.

1. Anima separata in corpore assumpto potest Deum adorare adoratione externa. 53.2.10
2. Quomodo anima Purgatorij potest Deum adorare. 53 2.11
3. Effectus Magiæ non possunt tribui animis mortuorum. 359.2.7
4. Non versantur inter nos. ibid.
5. Probabile est animas seperatas sua virtute nihil posse circa corpora. ibid.
6. Mortuorum animas non verè euocat Dæmon ad corpora 371.1.14
7. An Samuelis anima verè apparuerit. 371. 2. à n.15. & 372. 1.18

ANNE

ANNEXIO ET ANNEXVM spiritualibus.

1. Annexio spiritualibus consistit in aliquo vinculo causalitatis. 490.2.1.
2. Annexorum tria genera, antecedenter scilicet, consequenter, & concomitanter. ibid.n.2
3. Quæ sint annexa antecedenter. 491.1.3
4. Functiones Sacerdotij, non sunt annexa antecedenter. ib.
5. Non solùm inter materiale, & spirituale, sed etiam inter spiritualia, datur connexio causalis. ibid.n.4
6. Materialia solum sunt propriè spiritualibus annexa ibid.
7. Ex his annexis, non sunt spirituales functiones Ecclesiæ. ibid.c.2.n.5
8. Vasa sacra, sunt spiritualia, & non annexa spirit. ibid.n.6
9. Beneficium ratione præbendę, est annexum spirit. 491.2.6
10. Annexa concomitanter verè datur, & quæ sint. 492.1.7
11. Vendi non possunt vllo modo. ibid.n.8
12. Annexum antecedenter per se spectatum, vendi potest. ibid.c.2
13. Annexum consequenter, vendi non potest. ibid.

ANNVS.

1. Annus lunaris obseruabatur à Iudæis in Paschate. 175.1.15
2. Cur quarto quoque anno, vnus bisextilis sit. 177.2.27

APOSTOLI.

1. Festa obseruarunt Apostoli, & aliqua instituerunt 161.2.2
2. Apostolorum festa antiquissima. 185.1.9
3. Festa Apostolorum principalia, sub præcepto celebrantur, non ita accessoria. ibid.
4. Festa singulorum Apostolorum, vide sub particularibus nominibus.

APPETITVS.

1. Quo pacto in appetitu consurgant motus proportionati affectui voluntatis. 19.2.9
2. Aliquando applicatur appetitus ad res Diuinas directè à voluntate. ibid.
3. Appetitus sensitiui motus qualiter ad cultum Religionis spectent. 19.2.10
4. Qualis Religionis habitus detur in appetitu. 26.1.14

ARTEFACTA.

Vide verb. Simonia in materia eius.

ASCENSIONIS FESTVM.

1. Ascensionis festum ab Apostolis manauit. 178.2.1
2. Generale est in tota Ecclesia. p. ibid.

ASTRA, ASTROLOGIA.

1. Aliqua prædictio futurorum ex astris licita est. 336.2.1
2. Astrologiæ diuisio in naturalem, & iudiciariam. ibid.n.2
3. Quod munus habeat. ibid.
In astronomia facilè datur error. ibid.c.2.n.3 & 337.2.6
4. Non est malum coniectare ex astris effectus naturales. 337.1.5
5. Quomodo peccet, qui pro certo effectus ex astris prædicit, quod non est peccatum diuinationis. 337.2.7
6. Non est malum coniectare ex astris nascentis pueri inclinationem, non tamen certò. 338.2.2 n.8
7. Diuinatio ex astris quomodo sit illicita, vide verb. Diuinatio ex astris, à n.
8. Hæresis est dicere, astra esse causas futurorum contingentium liberorum. 340.1.17
9. Si astra determinarent ad vnam nostram voluntatem, eam necessitarent. ibid.c.2.n.19
10. Imagines astronomicas defendit Caietan. impugnatur tamen. 365.1.2 n.18.
11. D. Thom. eas damnat. 366.1.21

ATTRIBVTA DEI.

1. Excellentia Diuina quatenus coalescit ex omnibus attributis, est ratio ob quam Religio colit Deum. 10.1.4
2. Ratio primi principij, non est distinctum attributum ab aliis. ibid.
3. Ex pluribus attributis coalescit ratio primi principij, ibidem.

AVDITORATVS.

1. Auditoratus rotæ, vide Simoniam, n.8. 1.149.150.2.
2. Auditoratus, & Clericatus Cameræ conueniunt cum beneficiis in Iure spirituali & temporali. 498.1.27

BALAAM.

1. An Balaam vocatus fuit vt Atiolus, non vt Propheta. 415.2.9
2. Balaam, vide Simoniam. 59.

S. BARNABAS.

1. S. Barnabę festum Iure communi non obseruatur. 183.2.10

BEATVS.

1. Religio in Beatorum voluntatibus reperitur. 25.1.7

BEATITVDO.

2. Beatitudo, quando comparabilis pecunia. 25.2.7

BELLVM.

1. Si segetes comburantur in bello iusto, an teneatur ad soluendas Decimas, qui combussit. 149.2.17
2. Bellandi actio an possit in festo fieri. 231.2.7

BENEFICIVM.

1. Vniones perpetuæ beneficiorum difficiles. 117.1.3
2. Beneficium quid significet. 492.2.1
3. In eo datur Ius ministrandi, & præbenda. ibidem.
4. Descriptio illius. 493.1.2
5. Beneficia distinguntur per titulos. ibid.
6. Titulus beneficij semper est spiritualis. ibid.n.5
7. Beneficium est semper annexum gradui Clericali. ibid.
8. Est materia Simoniæ Ius Diuinum. ibid.n.3
9. Si detur reditus Ecclesiæ, sine titulo hoc non erit beneficium. ibid.c.12
10. Quod spirituale est in beneficio, est de Iure Diuino quoad substantiam. 493.2.5
11. Nec Pontifici licet vendere beneficium secundum Ius spirituale. ibid.
12. Quod est temporale in beneficio, non potest vendi nunc sine Simonia. ibid.n.6
13. Sententia asserens, hanc Simoniam esse contra Ius Diuinum. 494.1.7
14. Opposita sententia proponitur. 495.1.12
15. An Ius spirituale possit separari in venditione, & non in traditione. 496.1.15
16. Tertia opinio distinguens inter beneficium simplex, & curatum. 497.1.20 impugnatur. c.2.22.
17. Quando præbenda est annexa officio merè temporali potest dari Laico. ibid.n.21
18. In beneficio simplici, & curato datur Ius spirituale. ibid. n.22
19. Papa potest separare præbendam ab officio, & sic eam vendere, vel dare Laico. ibid.n.23
20. Potest vendere beneficium quod hactenus fuit spirituale, extinguendo spirituale officium. ibid.
21. Potest dare beneficium cum onere soluendi sibi, vel alijs partem fructuum. ibid.n.24.
22. Hoc non est pretium accipere. 498.1.24
23. Probabile est posse Papam æstimare valorem pensionis, & eum simul accipere. ibid.n.25
24. Hoc non est vendere beneficium. 498.2.30
25. Nunquam hoc fecerunt Pontif. 499.1.31
26. Quomodo Pontifex media separatione possit exigere pecuniam dando beneficium. ibid.n.32
27. Conciliantur opiniones de venditione beneficij. ibid.
28. Prælati inferiores non possunt sine Simonia vendere, aut vllo titulo pro beneficio pecuniam petere. 500.1.35
29. Si non daretur Ius positiuum possent pecuniam petere ibid.
30. Ex Iure Diuino prohibitum est priuatis personis vendere beneficium. 500.2.38
31. An beneficiatus stando in Iure Diuino possit locare fructus separando illos à titulo benefic. ibid.n.29
32. Simonia est in priuata persona petere quid ab eo cui benef. confert. 501.1.41
33. Probabile est non esse hoc intrinsecè malum, probabilius tamen oppositum. ibid.n.42
34. Præstimonia sunt beneficia Ecclesiastica, & materia Simoniæ. 502.2.4
35. Episcopus non potest facere diuisionem in beneficio 1538.1.16
36. Indignus peccat sibi petendo beneficium. 562.2.6
37. Peccat etiam qui petit ad alterum indignum. 563.1.6
38. Non est necessaria, paupertas, vt dignus possit petere beneficium simplex. ibid.
39. Si quis moraliter se reputat dignum, non peccat petendo beneficium curatum. ibid.n.7
40. Non est necesse, vt se præferat positiuè aliis, sed satis est, quod non habeat principia, vt alius iudicet digniorē. ibi.
41. Petere beneficium pro indigno sacrilegium est, sed non Simoniacum. ibid.n.8
42. Beneficij possessor redimere potest iniustam expulsionem. 600.1.34
43. Quando liceat transactio in materia beneficiorum, vide verb. Transactio à n.9.
44. Simoniaca actio ordinata ad beneficium, quomodo irritetur, vide verb. Simoniaca actio quæ valida à n.9. & seq.
45. An recipiens beneficium priuetur benefic. obtentis, vide verb. Simoniæ pœna à n.46.

BENEFICIORVM PERMVTATIO.

1. Ex sola conuentione partium facta, licet sit iniqua, non est Simonia contra Ius diuinum. 524.1.4
2. Est Simonia contra Ius Ecclesiasticum. ibid.c.2.n.6
3. Licet nulla pecunia interueniat. 525.1.8

4. In

4. In permutatione benef. auctoritate priuata non distinguitur illicitum quia prohibitum,& Simoniacũ 525.2.11
5. Commutatio benef. priuata auctoritate meritò est prohibita. ibid.n.12
6. Quando permutatio fit auctoritate Episcopi,non dispensat in lege Pontif. 526.1.13
7. Permutatio cum pactione auctoritate priuata occultè facta est Simonia. ibid.
8. Commutationes facere in prouisione beneficiorum, est Simonia. ibid.n.14
9. Simonia est, ita pacisci, tu elige hunc, & ego tibi eligam illum. ibid.
10. Simonia est, permutare beneficium pro iure inchoato ad aliud. ibid.
11. Cedere præsentationi,vt alius sibi conferat expectationem, quam habet à Pontif.est Simoniac.526.2.17.& seq.
12. Potest fieri auctoritate Prælati. 527.2.19
13. Permutatio beneficiorum, & eorum, quæ illis sunt annexa,est prohibita. ibid.
14. Extra materiam beneficiorum,non est iure prohibitum commutare spiritualia. 527.2.20.21
15. Simonia est,si quis in permutatione soluat omnes sumptus bullarum nisi idPontifici aperiatur. 539.1.19.
16. Omnia beneficia propriè possunt inter se permutari.534.2.1
17. Quid requiratur,vt qui habet plura beneficia ex dispensatione possit permutare cum habente vnum. 535.1.1
18. Quando inæqualitas beneficij est,in spirituali,non licet illam supplere per temporale. ibid.n.3
19. Quot modis sint beneficia inæqualia. ibid.n.2
20. Benefic.dignius,& tenuius quomodo possit commutari propinquiori minùs digno sine Simon. ibid.n.3
21. Quando sunt inæqualia in fructibus, non licet compensatio per pecuniam. 535.2.4.& 536.2.9
22. permutatio beneficiorum,est materia odiosa,non fauobilis. 533.2.8

BENEFICIORVM PERMVTATIO. cum pensione.

1. Permutatio cum pensione non potest fieri auctoritate priuata. 532.1.1
2. Pensio in titulum beneficij erecta, potest permutari cum beneficio in manibus Episcopi. ibid.c.2.n.2
3. Pro alia spirituali pẽsione solùm Papæ auctoritate potest permutari beneficium. ibid.n.3
4. Hoc etiam probabilius est, licet quis habeat licentiam Pontificis ad transferendam pensionem. ibid.
5. Pensio non extinguitur, quando ille qui renuntiat sub conditione, vt in alium transferatur. 533.1.6
6. Pensio translata in alteram personam,est eadem.ibid.c.2.n.6
7. Cur non extendantur Iura de permutatione beneficiorum, ad eam quæ fit cum pensione. 533.2.7
8. Nec pensionum permutatio, nec collatio potest fieri ex auctoritate Episcopi. ibid.
9. Pensio merè temporalis non potest mutari cum beneficio sine Simonia contra Ius diuinum. 534.1.9
10. Non potest fieri à Pontifice per modum permutationis quamuis ab eo possit fieri idem effectus aliter. ibid.
11. Assignantur duo modi,quo idem effectus fiat.ibid.à n.10
12. Permutare beneficium ex prælati auctoritate, imposita pensione ex proprio arbitrio est Simonia. 538.1.15
13. Si pensio exponatur ex consensu Prælati inferioris Pontifici, similiter. ibid.n.16
14. Permutatio beneficiorum cum pensione,potest fieri auctoritate Pontif. ibid.c.2.17
15. Si beneficium vnum sit dignius, videtur Simonia, si in illo,pensio ponatur à Pontif.in commutatione.ibid.n.18
16. Hoc non est intrinsecè malũ,nec per se damnandũ.ibid.
17. An legatus Papæ possit imponere pensiones. 544.1.21

BENEFICIIS COMMVTANDIS QVÆ auctoritas prælati necessaria.

1. Auctoritas superioris requiritur,vt permutatio licitè fiat. 528.1.2
2. Per eam non solùm fit personarum translatio, sed etiam beneficiorum commutatio. ibid.c.2.n.4
3. Licet partibus tractare permutationem inter se cum ordine ad consensum prælati. 529.1.6
4. Non solùm tractare,sed etiam mutuò se obligare possunt ibid.c.2.n.7
5. Possunt se obligare ad perseuerandum in conuentione, si Prælatus consenserit. ibid.
6. Item ad non reuocandam conuentionem donec Prælatus consensum neget. ibid.n.8
7. Episcopus potest dare hanc licentiam si non adiungatur onus ex altera parte. 530.1.9
8 Qui prælati comprehendantur hic sub nomine Episcopi. ibid.2.n.10
9. Quando actus pertinet ad iurisdictionem si nominetur Episcopus, pertinet ad omnes habentes talem iurisdict. ibid.n.11
10. Non ita quando iurisdictio committitur Episcopo ex delegatione Pontif. 530.2.11
11. An ad permutanda beneficia sufficiat auctoritas inferioris Prælati, ad quem collatio beneficij spectat. ibid.n.13 & 531.1.4
12. Permutatio beneficiorum licet differat à translatione personarum,ordinariè non fit sine illa. 531.1.14
13. Translatio personarum spectat ad Episcopum. ibidem
14. Nulla potest fieri permutatio sine superioris auctoritate. ibid.c.2.n.1
15. Nullus item potest se priuare titulo beneficij sui sine consensu Prælati. ibid.n.16
16. Quid dicendum de præbendæ commutatione,& de fructibus, & de possessione annexa. 532.1.17
17. Non potest Pontificis auctoritate permutari commenda,vel officium temporale cum beneficio. 534.1.11
18. Quomodo idem effectus præstari possit à Pont. ibid.
19. Permutare sine auctoritate beneficium pingue cum tenui data pecunia,quæ Simonia sit. 536.2.9
20. Pactum hoc in manu prælati inferioris Pontifici est Simonia. ibid.n.10 & 537.1.11
21. Quomodo à Pontifice hoc possit fieri mutando materiam. 537.1.12

BENEFICIORVM RENVNTIATIO.

1. Quid sit. 539.1.1
2. Vt sit valida,debet fieri in manibus prælati. ibid.
3. Quatuor modis potest fieri. ibid.
4. Si fiat sub conditione vt detur Petro beneficium non est Simonia contra Ius Diuinum. ibid.c.2.n.2
5. Communis opinio fert esse Simoniam contra Ius positiuum. ibid.n.3
6. Sub conditione rigorosa,quæ inducat obligationem prælato,non potest fieri nisi in manibus Pontificis. 540.2.6
7. Si fiat in manu Episcopi interueniente tali pacto Simoniaca est. ibid.n.7
8. Probabile est non dato pacto dari Simoniam,oppositum tamen probabilius. 541.1.8
9. Non erit Simoniacus prælatus acceptans renunciationem, & dans personæ assignatæ libera voluntate. ibid.n.9
10. Non potest tamen id licitè facere sine licentia Pontificis. ibid.n.11
11. Renuntiatio illa ex vi prohibitionis Ecclesiæ est nulla. ibidem.
12. Non potest Episcopus acceptare resignationem tanquam absolutam reiecta conditione, nec validè dare beneficium alteri. ibid.c.2.n.12
13. Nec Pontifex potest acceptare renuntiationem, quæ fit in gratiam tertij,nisi donando ei beneficium 542.1.13.
14. Idem dicendum de Legato Papæ. ibid.
15. Quando possit renuntiatio sub conditione facta ab Episcopo validè acceptari. 543.2.15
16. Quomodo renuntians possit peccare in hoc casu. ibid.
17. Potest renuntians facta libera renuntiatione rogare Prælatum,vt huic det beneficium. ibid.n.16
18. Ex Iure nouo Pij 5. quæ renuntiationes prohibeantur. 543.1.18
19. Prohibet dare beneficium consanguineis renuntiantium ibid.
20. Intentio interior renuntiantis non prohibetur à Pio V. ibidem.
21. Renuntiationes reciprocæ non possunt fieri coram Ordinarijs titulo permutationis. ibid.n.18
22. Cum fingitur permutatio vt renuntiatio acceptetur ab Episcopo,actio est nulla. ibid.c.2.19
23. Renuntiatio in fauorem tertii,si addatur pensio non potest fieri nisi in manibus Pontif. 544.1.21.
24. Simonia est contra Ius Diuinum renuntiatio facta cum pensione in manibus Episcopi. ibid.n.22
25. Qui fecit expensas pro beneficio litigioso, non potest renuntiare in manibus Episcopi sine Simonia,sub condine vt sibi soluantur expensæ. 544.2.24.
26. Neque sub metu soluendi expensas, potest hoc fieri à Pontifice, poterit tamen si ea occasione alius indigeret. 645.1.26

BLASPHEMIA.

1. Ad irreligiositatem spectat. 284.2.8
2. Quid sit. 290.1.1
Definitio eius. 291.1.2
3. Diuiditur in internam,& externam. ibid.
4. Affect° blasphemię distinguitur à blasphemia interna.ib.
5. Blasphemia datur solùm in verbis, & non in alijs signis externis. 291.2.4
6. In scriptis etiam reperitur. ibid.
7. Signum blasphemiæ in facto nõ datur,si daretur reduce-

retur

retur ad blasphemiam. 292.1.5
8. Vti Eucharistia vt pane communi non est blasphemia, sed sacrilegium. ibid.
9. Varij modi blasphemiæ. 292.2.8
10. Blasphemia est dubitare de aliquo quod pertinet ad perfectionem Diuinam. ibid.
11. Nominare ignominiosè aliqua, quæ Deo conueniunt secundum partes obscœniores humanitatis, blasphemia est ibid. & 597.1.2
12. Falsitas, non est de speciali ratione blasphemiæ. ibid.
13. Blasphemia, vel est contra Deum, vel contra Sanctos. 293.2.4
14. An blasphemia in Sanctos, sit distincta à blasphemia in Deum. 294.2.7
15. Blasphemia diuiditur in hæreticalem, & simplicem, ibid. 8. & 297.1
16. Vulgares blasphemiæ expenduntur. ibid. n. 8. & 297. 1
17. Blasphemia, mortale peccatum est. 294.2.1
18. Ad illam necesse est, quod verba seriò proferantur. ibid.
19. Ex leuitate materiæ nunquam est venialis, potest tamen esse ex indeliberatione. 265.1.2
20. Est maximum peccatum inter omnia Religioni opposita ibid. n. 3
21. Nec est infidelitas, nec illam supponit. 295.2.5
22. Distinguitur ab odio Dei. 296.2.9
23. Distinguitur à desperatione. ibid.
24. Ab irreligioso iuramento distinguitur, sæpe tamen sunt coniuncta. 296.1. à n. 10
25. Ad eam non est necessaria formalis indignatio in Deum. 297.1.11
26. Nominare in iuramento corpus, & sanguinem Christi non est blasphemia. ibid.
27. Blasphemat qui veritatem humanam Diuinæ æquat. 297.2.12
28. Iurare per falsos deos est blasphemia. ibid. n. 13
29 Item per creaturam, vt creatura est ibid.
30 An sit grauius peccatum iurare verum per falsos Deos, quàm iurare falsum per verum Deum. 197.2. à n. 13
31. Quando in eodem actu datur periurium, & blasphemia semper sunt malitiæ distinctæ. 298.1.16
32. Blasphemus est, qui promittit peccatum facere in Dei honorem. 298.2.17
33. Et qui ad laudandum Deum turpi vtitur verbo. ibid.
34. Aliquando potest esse blasphemia abuti verbis Scripturę. ibid.
36. An blasphemiæ omnes sint eiusdem speciei. ibid n. 18
37. Blasphemia contra Sanctos, alteram malitiam habet in Deum, alteram in Sanctos. 299.1.19
38. Malitia blasphemiæ quomodo explicanda in confessione. ibid.
39. Nulla est blasphemia irremissibilis. 299.1.1
40. Non incurritur censura ipso facto, propter blasphemiam. 299.2.2
41. Quæ pœnæ in iudicio humano pro blasphemia imponuntur. ibid. n. 3

BONVM.

1. Quæ bona extrinseca intellectuali personæ sint vtilia. 11. 2.4
2. Virtus principalius intendit bonum licet versetur circa destructionem mali. 42.1.3
3. Bona fortunæ, & corporis, vide verb. Simon. 11

C.

CAIN.

Quæ fuit eius oblatio, & quare Deo displicuit. 60.1.1
Capellanus, vide Simoniam. 151.

CASTELLANVS.

Castellanus non potest vesci extremis animalium Sabbatho, dum per Lusitaniam transit. 201.2.17

CATECVMENVS.

Qui cathecumeni teneantur ad Decimas. 94.1.3

CHARITAS.

1. Charitatis, & spei est Deus obiectum, quod. 8.2.1
2. Eadem charitatis virtute Deum, & proximum diligimus. 37.2.11
3. Deum, & proximum diligit charitas amore amicitiæ. 38. 1.12
4. Quomodo à Religione distinguatur. 27.2.5. & seq.
5. Inter homines non dari aliam amicitiam per se infusam præter charitatem probabile est. 38.2.15
Amicitiam per se infusam non distingui à charitate valdè probabile est. ibidem.
6. Discrimen inter charitatem, & Religionem, prout circa Deum, & proximos versantur. 39.2.20
7. Detestatio peccati propter Deum, potest esse actus charitatis. 52.2.5
8. Ad amandum Deum tenetur homo ex Iure Diuino. 55.1.2
9. Charitatis actus obedientiam necessariam ad salutem continet. 55.2.3
10. Dilectionis Dei actus, non imperatur in festo. 207.1.12

CHRISTVS

1. Religio in Christo locum habet. 25.17.7
2. An eadem virtute Christus, & eius Vicarius colatur. 36.2.7
3. Christi festa, vide festiuitates sub particularibus titulis.

CHRISMA.

Vide verb. Simonia 82.152

CISTERSIENSES

Cisterciensibus quæ priuilegia cõcessa circa Decimas. 105.1.5

CIRCVNCISIO.

1. Circuncisionis festum perantiquum. 168.1.8
2. Est Christo, & Virgini dicatum. 168.2.8
3. In illo celebrabantur olim duæ Missæ. ibid.

CLERICVS.

Clerici per modum præscriptionis acquirunt Ius oblationum. 65.2.20
2. Ille, cui oblationis donatio fit proximè, necesse est, vt sit Clericus, vel persona cultui Diuino dicata. 69.2.2
3. Consuetudine potest introduci, vt in aliquo festo Clerici dent aliquid Laicis. 70.1.20
4. An teneantur Clerici ad Decimas, vide verb. Decimas à n. 74. & 81
5. Clerici simplices non habent Ius ad Decimas. 132.1.6
6. Clericus obligatur ad officium diuinum non debito iustitiæ, sed Religionis. ibid.
7. An peccata carnis in Clericis sint sacrilegia, vide verb. Sacrilegium contra personas à n. 6
8. Clerici quando Simoniam committant, vide verb. Simoniæ causa efficiens, à n. 18

CLERICATVS.

Cameræ. vide Simoniam 83. 135.

COEMETERIVM.

1. In cœmeterio placitum facere, est sacrilegium. 155.1.5
2. An intra cœmeterium sit admittenda particularium suppellex. 159.2.1. vide Simoniam. 155. ad 157

COMMENDA ET COMmendatarius.

1. Quid sit. 507.2.1
2. Commendæ aliæ perpetuæ, aliæ temporales. ibid. 2
3. Aliæ spirituales, aliæ militares. 508.1.2
4. Spirituales omnes, sunt materia Simoniæ contra Ius diuinum. ibid. n. 3
5. Simonia est, vendere Commendam datam, vt quis fruatur bonis seruiendo per aliam. ibid. c. 2. n. 4
6. Commendæ militares non sunt materiæ Simoniæ. ib. n. 6
7. Professio Religionis non est titulus Commendæ, sed conditio, sine qua non. 509.1.7
8 Precum obligatio in Commendatario, ex professione oritur. ibid.
9. Non omnes Commendæ habent Ius præsentandi. 509.1.7
10. Licet illud habeant, non venditur vendita Cõmenda. ib.
11. Commenda datur in præmium laboris militiæ. ibid. n. 8
12. Non est Simonia etiam contra Ius humanum vendere Commendam, est tamen iniustum. ibid. c. 2. n. 9
13. Vendere eam virtualiter, non est iniustum. ibid. n. 10
14 Quomodo possit vendi ex licentia Pontificis. ibid.
15. Non est Simonia procurare Commendæ obtentionem per pecuniam. ibid.

COMPOSITIO.

1. Compositionis, & transactionis discrimen. 602.2.1
2 Variis modis potest fieri compositio de re spirituali. 509. 1.3
3. In compositione super beneficia, in qua alter cedit Iuri suo non committitur Simonia. ibidem.

CONCILIVM.

1. Concilium generale potest decernere festa vniuersalia. 163.1.2

CONCIO, ET CONCIONATOR.

1. An infideles teneantur ad Decimas pro sustentatione suorum concionatorum. 95.2.10. & seq.
2. Non obligantur fideles in festo ad concionem. 205.2.5
3. Pastores Ecclesiæ tenentur ex officio ad prædicandum per se, vel per alios. 205.2.7
4. Non relinquenda Missa propter concionem in festo. 206. 2.10
5. Concionator non est superstitiosus vtens falsis miraculis, & testimoniis ad fidem confirmandam 307.1.12
6. Concio, vide Simoniam 14.

CONFESSOR, ET CONFESSIO.

1. Facultas eligendi Confessorem consuetudine non comparatur, ex ea tamen legitima probatur. 126.1.5
2. Mendacium in confessione, si sit in materia partiali, & non necessaria, vel totali. 306.2.10
3. Licentia à Parocho per pecuniam subdito concessa ad eligendum

gendum Confessorem, non est irrita. 640.1.50

CONFRATERNITAS.

Vide Simoniam. 84.154

CONSILIVM.

Vide Simoniam 112.112.212

CONSANGVINEVS.

Vide verb. Simoniæ pretium à n 15

CONSVETVDO.

1. Quam obligationem inducat consuetudo Oblationum, vide verb. Oblatio. à n 25
2. Quid possit consuetudo circa Decimas. vide verb. Decimas à n 36
3. In quo differant consuetudo & præscriptio. 86.2.3
4. In præscriptione requiritur bona fides, non ita in consuetudine. 87.2.8
5. Quando præsumatur bona fides in consuetudine, & quando mala. 87.8.& 9
6. Facultas eligendi Confessorem, consuetudine non comparatur. 126.2.5
7. Quo pacto consuetudo Ecclesiæ possit inducere festa vniuersalia. 163.1.2
8. Consuetudo Laicorum, & Clericorum non introducit diem festum. 193.2.5
9. An consuetudo queat honestare exactionem temporalium pro spiritualibus. 588.1.1.& seq.
10. Laudabili consuetudine ministrantes spiritualia ex officio, possunt ius acquirere ad Oblationes extraordinarias. 588.1.2.& seq.
11. Discrimen inter statutum, & consuetudinem. 588.2.3
12. Quæ consuetudo honesta, & pia iudicanda sit in exactione temporalis pro spirituali. 589.1.6 & seq.
13. Si aliqua est Iuri contraria, non potest esse honesta. 589.1.6

CREATVRA.

1. Creatura, prout est in Deo non tam dici potest Deo alligata, quàm ipse Deus. 4.2.7
2. Creatura rationalis per naturale debitum ad colendum solùm Deum ligata est. ibid.

CRVCIS FESTVM.

1. Festum inuentionis sanctæ Crucis. 179.2.5
2. Crux quo pacto inuenta. ibidem.
3. Causæ celebrandi festum Crucis. 180.1.7
4. Ad decernendum festum Crucis, satis fuit certitudo humana de eius inuentione. 180.2.9
5. Inuentio Crucis non fuit Eusebij tempore. 181.1.10
6. Hoc festum verisimile est incepisse à tempore Syluestri. 181.2.12
7. Festum exaltationis Crucis non præcipitur obseruari. ibid.

CVLTVS DEI.

1. Qui Deum colunt aliquo modo inser se ligantur. 4.1.6
2. Creatura rationalis per naturale debitum ad cultum Dei ligatur. 4.2.7
3. Cultus Dei esset exhibendus etiam sine præmio. 10.2.6
4. Ablata Dei prouidentia aufertur cultus Dei. ibid.
5. In cultu Dei non distinguntur actus, quo significatur æstimatio Dei, & ipsa æstimatio. 11.2.7
6. Non solùm cultus debitus Deo, sed etiam indebitus redditur per Religionem. 13.2.1. & seq.
7. Quales actus interni possint dici cultus, & quales non. 18.2.2
8. Existimatio Diuinæ excellentiæ quomodo contineat cultum Dei. 16.2.3
9. Deum colimus, vel exhibendo illi aliquid, vel nobis assumendo aliquid Diuinum. 19.1.6
10. Quotuplex cultus assignetur ad bona. 28.2.10
11. Cultum Dei, qui Phylosophi abiecerint. 51.1.1
12. Varij errores, circa cultum Deo debitum. ibidem.
13. Cultus Dei per sacrificium, est hominum naturæ conformis.

D.

DÆMON.

1. Non potest sensibiles species per se efficere. 324.2.4
2. Quomodo illas sensibus obiiciat. ibid.
3. Non cognoscit futura contingentia libera, nec cogitationes internas, nec mysteria supernaturalia. 324.2.6.& 325.1.8
4. Futura, quæ pendent à solis causis naturalibus cognoscit. ibid.
5. Cognoscit suam voluntatem, & potest prædicere 325.1.7
6. Ex indiciis cognoscit probabiliter cogitationes hominis. ibid.
7. Non omnes effectus præteritos cognoscit. 325.2.8
8. Dæmon semper intendit decipere, & nocere. 328.1.20
9. Qui credit responsum Dæmonis infallibile, implicitam idololatriam, & hæresim committit. 229.2.23
10. In consultatione Dæmonis, quæ sint malitiæ. 328.1.20
11. Qui petit à Dæmone cognitionem rerum per se occultarum, recognoscit in illo Diuinam excellentiam. 326.1. à n 10
12. Error negantium dari Dæmones. 359.1.5
13. Potest dari pactum inter Dæmones, & homines. ibid. n.6
14. In Dæmone mansit post peccatum eadem virtus naturalis, quæ anteà erat. 368.1.2
15. Dæmones naturæ superioris non habent subordinatos Angelos inferiores. ibidem
16. Dæmones possunt multa facere circa corpora. ibid. n. 2. & 4
17. Cur Dæmon non possit inuertere ordinem vniuersi. ibi. n.4
18. Non potest mouere corpus cuiusuis magnitudinis. ibidem.
19. Plures maius corpus mouere posse, quàm vnum solùm probabile est. ibid.
20. Applicando actiua passiuis inducunt formas, & qualitates in corpora. 369.1.5
21. Formationes rerum, quæ per agentia naturalia fieri non possunt apparenter tantùm Dæmones faciunt. ibid.
22. Non potest hominem suscitare, nec generare. 370.2.13
23. Quo pacto generari possit homo ope Dæmonis. ibid.
24. Non possunt generari à Dæmone animalia perfecta. 369.1.6
25. Transmutatio hominis in belluam apparenter solùm fit à Dæmone. 369.1.6.&.371.1.14
26. Verè efficit animalia imperfecta. 369.2.7
27. Non possunt striges à Dæmone per ianuam clausam intromitti. ibid.
28. Dæmon non potest subitò infundere scientiam. 370.2.12
29. Quo pacto liberet corpus à læsionibus vulnerum. ibidem.
30. Mortuorum animas non verè euocat ad corpora. ibid. n.13
31. Quo pacto possit cognosci Dæmon quando se in Angelum lucis transfigurat. 372.2.20

DAMNATVS.

1. Voluntas damnati est Religionis incapax. 25.1.8

DANIEL.

Daniel. vide Simoniam, 61.

DEBITVM.

1. Quale sit debitum legale, & quale morale. 14.1.4
2. Debitum Relig cur dicatur legale. 14.2.6
3. Est quodammodo infinitum. 15.1.7
4. Ipsa solutione crescit. ibid.
5. Non tam in exercitio, quàm in specificatione actus intelligitur. 15.2.8

DECIMÆ.

1. Ante Decimarum computationem soluebatur aliquid pro Primitiis. 73.1.12
2. Præceptum Decimarum est in Ecclesia, & ad Religionem spectat. 74.1.1
3. Sustentatio ministrorum Ecclesiæ fuit primarium fundamentum illarum. 74.2.2
4. Quæ Decimæ dicantur reales, 75.2.4
5. Præceptum Decimarum non est de puro Iure naturali ibid n. 5
6. Ante legem scriptam non dabatur. 75.1.5
7. Duas ob causas Gentiles aliquàdo soluebant Decimas. ib.
8. In lege veteri datum est Diuinum præceptum Decimarum, & quale illud fuerit. 75.2.6
9. Decimarum solutio non potest dici cæremonia. 76.2.9
10. Quid Decimæ in lege veteri significarent. 76.1.7
11. Quid modo. 76.2.9
12. Dari præceptũ Decimarũ Christianis de fide est 76.2.10.
13. Determinatio Decimarum quoad quotam est de Iure Ecclesiastico. 77.2.3
14. Præceptum Decimarum Ecclesiæ, non est idem, quod legis veteris. 78.1.5
15. Illud enim non obligat in lege gratiæ. ibid.
16. Præceptum Decimarum in lege veteri de Prædialibus non de Personalibus Decimis fuit. 75.2.6
17. Explicantur Iura quæ dicunt Decimas esse de Iure Diuino. 78.2.7
18. Possunt dici de Iure diuino, nõ actu sed potestate. 78.2.8
19. Determinatio earum quoad quotam, pertinet ad potestatem Ecclesiæ spiritualem, non ad temporalem. ibid.
20. Causæ Decimales sunt Ecclesiasticæ. ibid.
21. Determinationis quoad quotam, potestas competit soli Pontifici immediatè. 79.1.9
22. Quando possit Episcopus facere determinationem Decimarum in sua diœcesi. ibid.

23. Conuenienter facta fuit in lege gratiæ Decimarum determinatio. 79.2.3
24. Hæreticorum errores in hac materia. 79.2.2
25. Probatur ex Patribus conuenientem esse determinationem hanc. 79.2.3
26. Congruenti ratione explicatur. 80.1.5
27. Quoram Decimalem non esse rigorosam ex iis, ad quæ fuit instituta probatur. 80.1.6
28. Antiqua dibributio Decimarum in quatuor partes. ib.
29. Benè posset Ecclesia Decimas instituere, vt subueniret pauperibus. 80.2.7
30. Sacerdotibus licet alias diuitibus soluendæ sunt Decimæ. 81.1.11
31. Qui dixerint Sacerdotes diuites esse solùm Decimarum dispensatores. 81.1.11
32. Decimæ in dominium Ecclesiæ, & Sacerdotum, transferuntur absolutè. 81.2.13
33. Quæ personæ ex Decimis sustentuntur. 81.2.14
34. Decimæ datæ Clericis habent respectum subuentionis pauperum. 82.1.15
35. Decimarum partes possent à Pontifice variis rebus applicari. 82.1.16
36. An obligatio soluendi Decimas possit auferri, aut minui per consuetudinem. 82.2.1. & seq,
37. Vnde possit introduci talis consuetudo. 84.2.9
38. Cur detur contra Decimas præscriptio, & non contra tributa Regia. ibid.
39. Quo sensu verum sit non tolli Decimas per consuetudinem. ibid.n.10
40. Ecclesia potest ponere Decimam de nouo etiam contra consuetudinem. 84.2.11
41. Hoc ad solum Pontificem spectat. 85.1.11
42. Non se potest priuare Pontifex potestate condendi Decimas. ibid.
43. Explicatur locus D. Tho. circa non soluentes Decimas. 85.1.12
44. Quando sint in statu peccati mortalis, qui non soluunt Decimas. ibid.
45. Circunstantiæ Decimarum possunt variari per consuetudinem. 85.2.15
46. Potest aliqua persona per consuetudinem liberari à Decimis sine iniustitia. 86.1.16.& 18.
47. Laicus non potest acquirere Ius, vt Decimæ sibi soluantur. 86.1.17
48. Quantum tempus sufficiat ad præscriptionem in Decimis. 86.11.& seq.
49. An Pontifex possit capere Decimas relinquendo Ecclesiasticis sufficiens stipendum. 88.1.2
50. An Pontifex possit liberare à Decimis aliquos. ibid. & 90.1.11
51. Opinio Canonistarum in hac materia refellitur. 88.2.5. 89.1.6.
52. Quo pacto Pontifex posset Decimas tollere validè. 89.2.9
53. Quomodo non possit Pontifex legem Decimarum abrogare. 89.2.10
54. Dispensatio in Decimis requirit iustam causam 90.2.12
55. Data sine iusta causa adhuc est valida. 90.2.13. & 91.1.2
56. Exemptio à Decimis potest facilè concedi Ecclesiasticis. 90.2.13
57. Quomodo Laicis concedi possit. ibid.n.14
58. Pontifex potest applicare partem Decimarum Ecclesiasticis, vel Laicis. 91.2.3
59. Facta Ecclesiasticis sine causa valida est, non ita facta Laicis. 91.2.4
60. Hæc applicatio iniusta, & nulla omninò est si minister sustentione priuatur. 92.1.7
61. Prælati inferiores non possunt Ius Decimarum mutare. 93.1.11
62. Quæ personæ obligentur ad Decimas. 93.2.1
63. Infideles non obligantur. ibid.n.2
64. Hæretici obligantur. 93.2.3
65. Qui cathecumeni teneantur ad Decimas. 94.1.3
66. Iudæi ad quas Decimas obligentur. 94.2.6
67. Ecclesia dupliciter acquirit Ius reale in Decimis. 94.2.7
68. Gentiles vbicumque degant Decimas Ecclesiæ debere quidam falsò dicunt. 95.1.8
69. Quid dicendum quando habitant Regiones, quæ aliquando fuerunt Christianorum. 95.1.89
70. An teneantur ad Decimas pro sustentatione suorum prædicatorum. 95.2.10.& seq.
71. Qui pauperes teneantur ad Decimas. 96.2.15 & 16
72. Probabile est excusari à Decimis, qui est in graui necessitate. 97.1.18
73. Qui ex necessitate Decimas non soluit extra illam positus tenetur ad restitutionem. ibid.
74. An Clerici teneantur ad Decimas. 96.1.13.& 97.1.1.& seq.
75. An Papa obligetur ad Decimas. 98.1.4.& 99.1.8
76. An Clerici debeant Decimas de reditibus Ecclesiasticis. 98.1.5
77. Episcopi debito reali non personali tenentur ad Decimas. 100.1.11
78. Parochus similiter. 101.1.16
79. Non debet Decimas ex prædiis Ecclesiasticis. ibi.
80. Episcopus non potest Parochos sibi subiectos ad Decimas obligare. 101.2.19
81. Clerici simplices tenentur ad Decimas reali, & personali debito. 102.1.21
82. Quid dicendum de Clericis inseruientibus alicui Ecclesiæ. 102.2.22
83. Religiosi ex vi Iuris communis tenentur ad Decimas. 103.1.25
84. Aliqui ex Iure obligati ad Decimas possunt ab eis liberari. 104.2.1
85. Tres modi eximendi à decimis. 104.2.2
86. Priuilegium non soluendi Decimas odiosum est. 105.2.6
87. An ex bonis emphyteuticis debeat Monasterium Decimas. 108.2.11
88. Coloni Religiosorum non eximuntur per priuilegia Monasterij. 109.1.13
89. Quatuor modi amittendi priuilegium non soluendi Decimas. 110.2.1.& seq.
90. Primus est, si cedat in læsionē enormem alterius. 110.2.1
91. An in hoc casu ipso Iure amittatur priuilegium. 110.2.1. & 2.
92. Secundus modus est vsus priuilegio contrarius. 110.2.3
93 Tertius modus est conuentio partium. 111.1.5
94. Quartus modus amittendi priuilegium circa Decimas est alienatio prædiorum. 111.2.6
95. Ex priuilegio possunt Decimæ solui extra Parochiam. 116.2.1
96. Hæc dispensatio difficilior est ad Ecclesias alterius territorij. ibid.n.2
97. An Decimæ soluendæ Ecclesiæ bapriſmali, vel Parochiali. 118.2.3
98. Ius petendi Decimas spirituale est. 120.1.1
99. Decimæ vt tales non debentur Laicis per se. 120.2.3
100. Hoc neque per præscriptionem, neque per humanam concessionem potest mutari. 120.2.3
101. Laici possunt licitè percipere fructus Decimarum. 121.1.6
102. Quibus modis hanc facultatem possint accipere. 121. 1.7
103. Regula discernendi an Laici iustè accipiant fructus Decimarum. 121.2.8
104. Clericus ad breue tempus potest Laico Decimas locare, non ad longum. ibid.n.9
105. Laici pro stipendio possunt Decimas accipere. 122. 1.10
106. Decimæ possūt dari per liberales donationes. 122.1.11
107. Episcopi propria auctoritate possunt Laicis Decimas ad tempus dare. 122.2.1
108. Olim etiam in perpetuum feudum dabant. 123.1.2
109 A quo tempore sint irritæ tales concessiones. 123.1.3
110. An Laici, qui Decimas in feudum habent possint illas tranrferre. 124.1.7.8
111. Quando extinguitur linea, quid faciendum. 124.2.8
112. Ante mortem vltimi possessoris potest fieri hæc translatio, de consensu Episcopi. ibid.
113. Post illius mortem posse etiam fieri est probabilius. 124.2.9
114. An Laicus possit feudi Decimas cuicunque Ecclesiæ dare. 125.1.10
115. Quando requiratur ad hoc Episcopi consensus. ibid.
116. An Laici possint præscribere Decimarum perceptionem. 126.11
117. Quo pacto ad hoc conducat consuetudo. 126.1.3
118. Decimæ cuiusque Diœcesis ad illius Clerum spectant. 127.2.4.5
119. Decimæ cuiusque Parochiæ ad illius Clerum pertinent. 128.1.7
120. Decimæ, quàm antiquæ. 127.2.5
121. Decimas mediante Parochia deberi Episcopo, qui dicant. 128.2.10
122. Pontifex posset accipere partem Decimarum in Parochiis. 129.1.11
123. Quibus ministris Ecclesiæ debeantur Decimæ 129.2.12
124 An ad Ecclesiæ fabricam etiam spectent. 130.2.18
125 Primò debentur Episcopo. ibid.n.1
126. Post Episcopos debentur Parochis. 131.1.2
127. Quibus aliis debeantur. 131.1.3
128 Debitum Decimarum non solùm ad Religionem, sed etiam ad iustitiam spectat. 131.2.4
129 Clericis etiam diuitibus, & malis soluendæ Decimæ. 131.2.5
130. Cisterſienſibus, Templariis, & Hospitalariis, quæ priuile-

gia fuerint conceſſa circa Decimas. 105.1.5
131. Clerici ſimplices non habent Ius ad Decimas. 132.1.6
132. Religioſi non habent Ius Decimarum. 132.1.7
133 Religioſi auertentes alios à Dæcimis excommunicantur. 132.2.8
134. Decimæ poſſunt conferri Religioſis variis modis etiamſi Laici ſint. 132.2.9.& ſeq.
135. Eccleſiaſtici poſſunt præſcribere Ius Decimarũ. 133.1.1
136. Ius retinendi Decimas poteſt præſcribi,& à Religioſis, & à Laicis. 133.2.6
138. Religioſi poſſunt præſcribere Decimas Eccleſiæ ſuſcipiendo illius onera. 134.1.7
139. Quo pacto à præſcriptione præſumi poſſit priuilegium circa Decimas. 134.1.8.& ſeq.
140. Non poteſt quis præſcribere Ius Decimarum ſine Parochia. ibid.
142. Non tantùm ex Religione,ſed ex iuſtitia debentur Decimæ. 145.2.1
143. An Decimæ ſint ſub dominio Eccleſiæ, quandiu non ſunt ſeparatæ. 146.1.3.& ſeq.& 147.1.8.& 148.2.14
144. Numerantur varij effectus dominij,quod Eccleſia habet in Decimis,antequam illas percipiat. 147.1.9
145. Qua actione petendæ ſint Decimæ in iudicio. 147.2.9
146. Eccleſia poteſt petere Decimam, à quocunque poſſidente fructus non decimatos. 147.2.10
147. In poſſeſſionibus nõ eſt Decima pars Eccleſiæ. 149.1.15
148. Decimæ ſoluendæ ſine mora,etiam non petitæ. 150.2.1
149. Vt mora ſit culpabilis non eſt neceſſaria Parochi monitio. 151.1.2
150. Non tenentur fideles deferre Decimas Parocho ſuis ſumptibus. 152.1.7
151. Eccleſia ſemper habet Ius petendi Decimas, quandiu non remittit,vel alius bona fide præſcribit. 152.2.1
152. Parochus non poteſt ſua auctoritate accipere Decimas per vim. 152.2.2
153. Qui eas non ſoluit non eſt excommunicatus ipſo facto. 153.1.2
154. Poteſt tamen excommunicari. 153.1.3
155. Quomodo Prælati teneantur cogere non ſoluentes Decimas ibid. n.4
156. Poſſunt facere cum illis compoſitionem. 153.2.6
157. An Decima pars agri empti pecunia obnoxia Decimis ſit Eccleſiæ. 155.2.13
158. Qui negotiatur cum pecunia non decimata,non debet lucrum Eccleſiæ. 155.2.14
159. Cauſa Decimarum pertinet ad forum Eccleſiaſticum. 155.2.15

DECIMÆ DE QVIBVS rebus ſoluendæ.

1. Ex quibus lucris ſoluendæ ſint Decimæ. vide verb. Decimæ perſonales à n. 11
2. De apum examinibus non ſoluitur Decima. 140.2.4
3. Ex venatione quæ Decimæ ſoluendæ. 141.2.7
4. Ex partu ancillæ non debentur Decimæ. 141.2.7
5. De herba paſta à propriis ouibus debentur. 142.1.5
6. Qualiter ſoluendæ Decimæ ex duobus lucris,quæ ſunt in pecore. 142.1.5
7. An minutæ Decimæ ſoluendæ ſint. 142.1.7
8. Semen non decimatur bis,licet non auferatur ante Decimationem. 144.1.7

DEXIMÆ MIXTÆ.

1. Decimæ mixtæ impugnantur. 74.2.4
2. Cui ſoluendæ Decimæ mixtę,quando dominus habet domicilium in vna Parochia,& pecus paſcitur in alia. 113.2.7
3. Quot annis requirantur ad præſcribendum in Decimis mixtis. 116.2.11
4. Animalium Decimæ quando ſoluendæ. 152.1.6

DECIMÆ PERSONALES.

1. In lege veteri non ſoluebantur. 78.2.7
2. Cur in lege noua imperentur. 82.2.7
3. Iudæi non obligantur ad Decimas Perſonales. 94.1.5
4. An Clerici teneantur ad Decimas perſonales. 97.2.4.& 103.1.24
5. Qui in communi viuunt à Decimis perſonalibus eximuntur. 105.1.3
6. Decimæ perſonales Parochiæ propriæ ex Iure communi debentur. 112.1.1
7. Sunt ſoluendæ in Parochia, in qua quis habet domicilium,licet extra illam negotietur. 112.1.2
8. Quid faciendum ſi duo habeat domicilia. ibid.
9. Decimæ perſonales ferè ſunt ſublatæ. ibid.
10. Decimæ perſonales ad Eccleſiam Parochiales ſpectant. 118.2.3
11. Decimæ perſonales ſoluendæ ex omnibus lucris ſtando Iure communi. 134.2.2
12. Conſuetudine ferè ſublatæ ſunt. 135.1.4
13. Ex iis,quæ per donationem acquiruntur non debentur. 135.2.6
14. Ex eleemoſynis item. 136.1.9
15. Quando res donatur cum fructibus de his ſoluendæ Decimæ. 136.2.10
16. De lucris omnibus per actionem comparatis ſoluendæ ſunt Decimæ. 137.1.1
18. Item ex præda in militia capta. 137.1.3
19. Quid dicendum de rebus immobilibus bello captis. ibi, n.4
20. Ex ludo licito debentur Decimæ. 137.1.5
21. De rebus iniuſtè acquiſitis,nõ debentur Decimæ. 137.2.7
22. Ex pretio homicidij,& adulterij debentur. 138.1.7
23. Idem dicendum de omnibus acquiſitis turpiter, ac non iniuſtè. 138.2.9
24. Maretrix non tenetur dare pauperibus Decimam turpis lucri ab Eccleſia non acceptatam. ibid.
25. Quando poſſit Decima turpis lucri accipi ab Eccleſia. ibid.
26. An publicus peccator poſt conuerſionem teneatur dare Decimam omnium priorum lucrorum. 138.2.10
27. In Decimis perſonalibus deducendæ ſunt expenſæ. 139.1.2.& 130.1.6
28. Decimæ perſonales ſingulis annis ſoluendæ. 151.2.3

DECIMÆ PRÆDIALES.

1. Decimæ prædiales in Eccleſia ſunt ad imitationem legis antiquæ,perſonales verò additæ ſunt. 78.2.1
2. Cur Iudæi obligentur ad Decimas prædiales. 94.2.6
3. An Clerici teneantur ad Decimas prædiales. 97.2.3
4. An prædia vnius Eccleſiæ debeãt Decimas alteri. 10 .2.27
5. Probabile eſt eximi Religioſos ab aliquibus Decimis prædialibus. 105.1.3
6. Priuilegium nõ ſoluendi Decimas prædiales liberat à debito reali. 106 1.1.& ſeq.
7. An extendatur etiam ad noualia. 107.1.4.& ſeq.
9. Hæc priuilegia ad quæ prædia extendantur 107.2.7
10. Si agri ſint conducti,tenentur Religioſi ad Decimas. 108.1.8
11. An ex bonis emphyteuticis debeat monaſterium Decimas. 108 2.11
12. Coloni Religioſorũ non eximuntur à Decimis. 109.1.13
13. Quando Religio vendit prædium, vt aliud emat, emptum liberum eſt à Decimis. 111.2.6
14 Cur prædiales Decimæ ſoluendæ, cum quis habet prædia in vna Parochia,& habitat in alia. 112.2.3 & ſeq.
15. Probabilius eſt requiri 40. annos ad præſcriptionem in Decimis prædialibus. 115.2.7
16. An præſcriptio hæc extendatur ad noualia antea non poſſeſſa. 116.1.9
17. Decimæ prædiales ad Eccleſiam Parochialem ſpectant. etiamſi baptiſmalis ſit cathedralis. 119.1.14.& 120.1.8
18. Decimæ noualium eidem parochiali ſoluendæ. ibid.
19. Prædiales Decimæ ad Epiſcopalem menſam ſpectãt cum prędia nõ ſunt intra territoriũ alicuius Parochię 120.1.9
20. In Decimis prædialibus non deducendæ expenſæ. 139.2.4.& 142.2.1
21. Decimæ prædiales ſoluendæ ex fructibus omnium rerum. 140.1.1.& ſeq.
22. Neque penſiones,neque tributa ante decimationem deducenda ſunt. 144.2.10
23. Quando ager colitur per colonos, vel mercenarium, à quo Decima ſolui debeat. 145.1.13
24. Qui pro pecunia transfert agrum in colonum, non tenetur ad Decimas. 145.1.13
25. Decimas prædiales poteſt Eccleſia ab eo petere, qui ſegetes combuſſit. 149.1.16.& ſeq.
26. Quid dicendum, ſi ſegetes comburantur in bello iuſto. ibid.n.17
27. Eccleſia quomodo habeat actionem contra dominum fundi,ſi eius cauſa pereant fructus. 149 2.18
28. Quid Eccleſia ſit factura, ne fraudetur Decimis,quando Dominus non vult ſeminare agrum. 150.1.12
29. Decimæ prædiales ſoluendæ ſimul ac fructus colliguntur. 151.2.5
30. Fructus non condendi ſunt in horrea indecimati ſine conſenſu Clericorum. 152.1.7
31. An Decimæ prætetitæ non ſolutæ poſſint peti ab alio, qui modò agrum emit. 154.1.8
32. Quomodo Clerici poſſint Decimas prædiales recuperare,quando eis non ſoluuntur. vide verb. Decima à n. 151

DELINQVENTES.

Vide ver. Eccleſiæ Immunit. erga delinquentes à n. 1

DEVS.

Vide Relig. obiectum.

1. Qui Deum colunt,inter ſe manent ligati. 4.1.6
2. Ad Deum colendum creatura rationalis ligata eſt per naturale debitum. 4.2.7

3 Quarum virtutum sit obiectum. Quod. 82.1.3
4. Religio non potest in Deo dari. 24.2.4
5. Voluntas, quam Deus habet, vt sibi detur cultus, non spectat ad Religionem. 25.1.5
6. Dei bonitas, & excellentia quomodo communicetur creatis personis. 39.2.20
7. D. Thomæ locus, in hac materia difficilis explicatur. ibid. n.21
8. Placare Deum ne nobis iratus sit, ex quo affectu procedat. 42.2.6
9 Duplex Ius in Deo datur. 43.1.1
10. Deus non est finis particularis iustitiæ legalis. 47.1.1
11. Stultum est existimare nullum esse verum Deum. 51.1.1
13. Laus Dei, sola mente potest fieri. 52.2.6
14. Quibus corporis actibus possimus Deum adorare. 53.1.8. & seq.
15. Genuflexio ad Deum, vtroque genu fit. 56.2.8
16. Soli Deo vero stricte est offerenda oblatio. 69.2.1
17. Mundum à Deo animari, quidam dicebant. 311.2.5
18. Plato vnum summum Deum, & alios minores colebat. 312.1.6
19. Futurorum contingentium cognitio propria est Dei. 323.1.11
20 Solus Deus cognoscit hominũ cogitationes, & affectus. 326.1.à n 10

DIACONVS.

Vide verb. Simonia. 140

DII GENTIVM.

1. Quomodo Gentiles se habebant circa suos deos. vide verb. Gentiles à n.7
2 Ignorantia inuincibilis circa multitudinem Deorum, vel nunquam datur, vel rarissimè. 316.2.2

DISPENSATIO.

1. An Pontifex possit dispensare in Iure Diuino positiuo. 89.1.7
2. Dispensatio in Decimis requirit iustam causam, data tamen sine illa adhuc est valida. 90.2.12.13
3. De dispensatione ad laborandum in festo, vide verb. Festi dici laborem, quæ excusent à n.7.
4. Prælati dispensatio sine causa valida est in lege propria, secus in lege Superioris. 242.2.3
5. Non omnis causa sufficiens ad dispensationem sufficit ad tollendam per se obligationem. ibid.
6. Non est necessarium, vt Prælatus semper quando dispensat, cognoscat causam. 244.1.3
7. Potest Prælatus, quando dispensat ad laborandum in festo obligationem eleemosynæ imponere, id tamen non est opus. 243.2.10
8. Dispensatio Dei an possit cadere in præceptum naturale. 410.1.10
9 Dispensatio, vide Simoniam. 85. ad 86
10. Dispensatio circa Simoniam. vide verb. Simoniæ Dispensatio, à n.1
11. Dispensatio, & absolutio, in quo distinguantur. 660.2.3

DIVINATIO.

1. Quid sit. 321.1.2
2. Est peccaminosa, & prohibita. 321.2.3. & 323.1.11
3 Eius malitia consistit in inquirenda occulta cognitione interuentu Dæmonis. 322.1.5
4. Cognitio per diuinationem à Dæmone petitur. 323.1.10
5. Varij modi petendi à Dæmone cognitionem, & discendi ab illo. 323.2.2
6. Per Pythones solent homines consulere Dæmonem 324.1.2
7. Cæremoniæ, quibus Dæmon futura pronuntiat, sunt ab eo traditæ. 324.1.3
8. Varia diuinandi genera explicantur. 324.1.à n.3
9. Quo pacto Dæmones varias species diuinationi conducentes sensibus obiciant. 324.2.4
10. Alia diuinandi genera explicantur. ibid n.5
11. Postulare à Dæmone scientiam rerum per se occultarum est grauissima inter diuinationes. 326.1.10
12. Qui hoc petit recognoscit in dæmone diuinam excellentiam. ibid.
13 Quancumque societatem cum dæmone inire est graue peccatum. 328.1.19
14. In cõsultatione Dæmonis quæ sint malitiæ. 328.1.à n.20
15. Quando in diuinatione committatur idololatria. 328.2.21
16. Ad diuinationem sufficit implicitum pactum. 329.1.1
17. Quando detur pactum implicitum in diuinatione. ibid. n.2, & 331.1.10
18. Quale debeat esse medium inquisitionis, ne illa sit diuinatiua. 329.1.2
19. Cognitio occultorum à Deo indita non dicitur diuinatio, sed prophetia. 321.2.2
20. Species diuinationis quomodo distinguantur. 329.2.5
21. Siquis vtatur signo diuinationis otiosè, non cum animo adhibendi fidem, peccat venialiter. 331.1.11
22. Solus dæmon est auctor impositionis signi diuinatorij. 332.1.15
23. Doctrinam hanc in libris scriptam, qui addiscunt, docentur à dæmone. ibid.
24 Qui vtitur signis diuinatoriis expressè intendendo non habere pactũ cum dęmone, habet illud implicitè. 332.1.17
25. Qui crediderit hæc signa esse à Deo excusatur ex ignorantia. ibid. à n.17
26. Artes diuinandi positiuæ probantur esse à Dæmone. 332.2.17
27. Diuinatio per pactum expressum non differt specie abea, quæ fit per implicitum. 332.2.1
28. Obseruationes vanæ rerum occurentium reducuntur ad diuinationem. 333.2.5
29. Sunt peccata mortalia, licet aliquando ex ignorantia possint esse veniale. 334.1.6
30. Diuinationes sunt extrinsecè malæ. 334.2.8
31. Eliezer seruus Abrahæ non commisit peccatum diuinationis. 334.2.9
32 Neque Ionathas, neque Dauid. 355.1.10.11
33. Chyromantia, alia bona, alia vana est. 333.2.14
34. Prædicere futura, quæ pendent à libertate, est peccatum in Scriptura maximè prohibitum. 339.1.13
35. In Iure prohibetur, & à Patribus reprehenditur. ibid. c.2. n 14

DIVINATIO EX ASTRIS.

1. Error asserentium hanc artem fuisse licitam vsque ad tempus, quo Christus fuit à Magis adoratus. 340.1.13
2. Cognoscere euentus liberos per astra, vt signa, est superstitiosum. 341.1.21
3. Cur non possit quis vti arte diuinandi per astra à Dæmone docta possit tamen vti philosophia ab eodem tradita. ibid. c.2.n.22
4 Error asserentium astra esse signa à Deo imposita. ibid. à n.23
5. Ex astris non potest prædici voluntas Diuina. 342.2.26
6 Præterita etiam, vel præsentia non cognoscuntur ex astris. ibid. c.n.27
7. Effectus casuales non liberos ex astris prædicere, est superstitio diuinatiua. 343.1.28
8. Non solùm non possunt prædici vt certi, sed nec vt probabiliter euenturi ex solis astris. 343.2.30
9. Qui ita prædicit Iure Ecclesiastico damnatur, & grauem culpam diuinationis committit. ibid. n.30. & 31

DOCTRINA.

Doctrina supernaturalis quæ. 466.1.1

DOMINICA DIES.

1. Potestate humana mutari potest spatium 24. horarum in die Dominica. 159.1.9
2. Vbi approbetur septimi diei requies in nouo testamento. 160.2.16
3. Cur dies Dominica ita appelletur. 163.1.1
4. Eius obseruationem antiquissimam esse probatur ex Scriptura, & Patribus ibid. à n 1
5. Dominica die ieiunium fuit prohibitum. 164.1.6
6. Obseruatio illius non est de Iure Diuino. ibid. n.7
7. Quo pacto dici possit immutabile præceptum seruandi diem Dominicam. 164.2.à n.9
8. Diei Dominicæ excellentiæ, & cur potiùs quam alia celebretur. 165.1.à n.21. & 166.1.15
9 Episcopi non nisi die Dominica consecrantur. 166.1.14
10. Dies Dominica in Dei, ac Trinitatis cultum dicata. 166. 1.16
11. Resurrectionis festum semper Dominica die celebrandum. 171.2.3

DOS.

Dos vide Simoniam. 89

DVLIA.

1. Duliæ cultus non fundatur immediatè in exellentia increata. 35.1.5
2. Cultus Duliæ non formaliter, sed virtualiter exellentiam Diuinam respicit. 36.2.6
3. Dulia respicit distinctionem inter honorantem, & honoratum. 40.1.22
4. Actus externi ex intentione habent, quod sint adoratio latriæ, vel duliæ. 52.2.5

E.

ECCLESIA.

1. Oblationes Ecclesiis factæ sunt licitæ. 61.1.6
2. An debeantur ex præcepto. 62.1.9
3. Determinatio Decimarum pertinet ad potestatem spiritualem Ecclesiæ non ad temporalem. 78.2.8
4. Ecclesia potest ponere decimam de nouo, etiam contra consuetudinem. 84.2.11
5. Dupliciter acquirit Ius reale in decimis. 94.2.7

6 Quæ sit Ecclesia Baptismalis. 118.1.1
7. Cui Ecclesiæ soluendæ sint Decimæ, Parochiali nè an Baptismali. 118.2.3
8. An Decimæ ad Ecclesiæ fabricam spectent. 130.2.18
9. Ecclesia non habet decimam partem in possessionibus. 149.1.15.
10. Ecclesia imposuit præceptum festorum. 161.2.3
11. Potest decernere festiuitates vniuersales. 163.1.2
12. Hæreticum est dicere non esse peccatum agere contra Ecclesiæ præceptum. 249.1.7
13. Cultus illicitos positiuè non potest Ecclesia approbare. 181.2.2
14. An sit speciale præceptum colendi Deum in Ecclesia. 246.1.4
15. Præceptum colendi loca sacra, est negatiuum. 246.2.7
16. Ius prohibet Christianos Laicos in Ecclesia sepeliri, consuetudine tamen id est introductum. 266.1.7
17. De Ecclesiastico Iure est aliquid vel in radice, vel immediatè. 420.2.2

ECCLESIÆ VT EST LOCVS sacer, quæ sint contraria.

1. Omnis actus exterior continens irreuerentiam in templo, vitandus. 247.1.9
2. Quæcunque actio directè facta in contumeliam templi, est peccatum mortale. ibid.
3. Infans, & cathecumenus, ante baptismum nõ sunt, in Ecclesia sepeliendi. 251.1.14
4. Actus indifferens, non est contra Ecclesiæ sanctitatem. 252.1.1
5. Vtrùm omne peccatum in Ecclesia factum, sit sacrilegium 253.1 à n.6
6. Placitum in Ecclesia facere est sacrilegium. 254.2.5
7. In Cœmeterio item. 255.1.5
8. Qui placitum in Ecclesia facit, non manet ipso Iure excommunicatus. 255.1.6
9. Placita Ecclesiastica, possunt in Ecclesia fieri. 255.2.10
10. Mortaliter peccat, qui Placitum in Ecclesia facit. 256.1.12
11. Placitum in Ecclesia factum, irritatur. ibid.n.13
12. In domibus Ecclesiæ, non potest fieri. 255.1.6
13. In eis factum, non irritatur. 256.1.13
14. An actus iurisdictionis voluntariæ prohibeantur in Ecclesia, & facti irritentur. ibid.
15. Doctoralis gradus potest in Ecclesia conferri. 256.2.15
16. Concilium seculare, non potest ibi fieri. ibid.n.16
17. Ecclesia non potest conuerti ad vsus belli, extra necessitatem. ibid.n.17
18. Mercatus in templo fieri prohibetur. 257.1.18
19. Contractus mercium in templo facti, non irritãtur. ibid.
20. Furtum in Ecclesia prohibetur Iure Ecclesiastico. 257.2.1
21. Quæ in Ecclesia facta, sint sacrilegia. vide verb. Sacrilegium, à n.3
22. Intra Ecclesiam non admittenda particularium supellex 259.2.1
23. An id de cœmeterio intelligendum. ibid.
24. Seditio prohibetur in Ecclesia sub mortali. 260.1.4
25. Qui ludi in Ecclesia prohibeantur. ibid.
26. Quæ Concilia secularia in Ecclesia facere, non est mortale. ibid. n. 5
27. Non omnia colloquia in ea prohibentur, sed aliquomodo mala. 260.2.6
28. Conuiuia prohibentur. ibid.n.7.
29. Aliqua de se non mala naturæ Iure, in templo fieri prohibentur. 261.1.1
30. Quæ sint contra Ecclesiæ immunitatem. vide verb. Ecclesiæ immunitas, à n.1.

ECCLESIÆ POLLVTIO.

1. Quinque actus Ecclesiam polluunt. 248.1.2
2. Quod homicidium Ecclesiam polluat. 248.1.3
3 Sanguinis effusio Ecclesiam polluit ibid.n.3
4. Humani seminis effusio Ecclesiam polluit. ibid.
5 Sepelire excommunicatum in Ecclesia similiter. ibid.
6. Paganum in Ecclesia sepelire, item. ibid.
7. Quando crematur Ecclesia non propriè polluitur. ib.n.4
8. Quando crematur Ecclesia consecrationem amittit, non benedictionem. 248.2.4
9. Corpus Pagani, & excommunicati extrahendum ab Ecclesia, & postea purganda. ibid.n.5
10. Graue peccatum est agere aliquid in Ecclesia, ex quo polluatur. 249.1.5
11. Actus ex eo solùm quod polluat Ecclesiam, an sit peccatum mortale. 249.2.8
12. An actus, polluentes Ecclesiam, sint sacrilegi, quia prohibiti. 250.2.10
13. Ecclesia potest tollere prohibitionem, ne excommunicatus sepeliatur in Ecclesia. 150.2.10
14. Ex sepultura excommunicati vitandi, non polluitur Ecclesia ex natura rei. ibid.n.11
15. Non polluitur Ecclesia per sepulturam hominis personaliter interdicti, 251.1.13
16. Interdicti hominis corpus in Ecclesia sepultum exhumandum ibid.
17. Ecclesia non polluitur ex sepultura peccatoris publici, qui impœnitens moritur. 251.2.15
18. Hic tamen non potest in ea sepeliri. ibid.
19. Ecclesia non polluitur per actus qui fiunt super tectum, vel in turri. 269.1.7

ECCLESIÆ IMMVNITAS.

1. Immunitas Ecclesiæ duplex. 264.2.1
2. Ecclesiam confringere, est contra immunitatem. ibid.n.3
3. Item violare Ecclesiæ confinia ibid.
Hæc immunitas, respectu Ecclesiæ, est de Iure diuino naturali, extensio ad confinia non ita. 265.1.3
4. Alia quæ ad hanc immunitatem pertinent. 265 1.4
5. Ecclesia diruta non potest ad prophanos vsus conuerti. ibid.n.5
6. Ex lapidibus prophanæ domus, potest fieri Ecclesia. 265.2.5
7. Ex prophanis vestibus possunt fieri sacra. ibid.
8 Immunitas Ecclesiæ quoad officium loci. ibid.n.6
9. Excommunicati maiori excommunicatione, non possunt in Ecclesia sepeliri. ibid.
10. Excommunicatus minori, potest. ibid.
11. Vsurarij, in Ecclesia non sepeliuntur. ibid.n.7

ECCLESIÆ IMMVNITAS. erga delinquentes.

1. Delinquentes non possunt extrahi ab Ecclesia. 266.1.à.n.9
2. Hoc non est de Iure diuino naturali, nec positiuo. ibid.
3. A templo Iudæorum probabile est posse delinquentes abstrahi. ibid.n.10
4 Quo tempore cœperit hæc immunitas Ecclesiæ. 267.1.12
5. Ecclesia ab Episcopo consecrata, aut benedicta, ea gaudet. 267.2.1
6. Etiam antequam celebrentur in ea Diuina mysteria. ibi. & 268.1.4
7. Ecclesia non consecrata, nec benedicta ea gaudet, si in ea celebrentur Diuina mysteria. 267.2.2
8 Ecclesia interdicta, vel polluta, ea gaudet. 268.2.6
9. Tota Ecclesiæ fabrica, habitatio, & cœmeterium, gaudet hac immunitate. 269.1.7
10. Ecclesiæ portæ clausæ qui adhæret, non potest inde abstrahi. ibid.n.8
11. Neque qui est super tectum. ibid.
12. Ab Hospitali non potest abstrahi delinquens. 269 2.9
13. An Episcopi domus habeat hanc immunitatem. ibid.
14. Oratoria priuata non, illam habent. ibid.n.10
15. Delinquens si apprehendat Sacerdotem ferentem corpus Christi non potest inde abstrahi. ibid.
16 Omnes Christiani baptizati gaudent hac immunitate. 270.1.1
17. Seruus Dominum timens, si ad Ecclesiam fugiat, quid faciendum. ibid.n.2
18. Fidelis excommunicatus hoc gaudet Ecclesiæ priuilegio. ibid. n 3
19. Interdictus etiam. 270.2.3
20. A Monasterio toto non possunt abstrahi delinquentes. 271.1.6
21. Clerici possunt abstrahi à templo per iudicem Ecclesiasticum non per secularem. ibid.à n.6
22. Laici possunt abstrahi pro criminibus de quibus corripiuntur ab Ecclesiasticis iudicibus. ibid n.8
23. Infidelis fugiens ad Ecclesiam, si petat baptismum non abstrahendus. 271.2 à n.11
24. Hæreticus gaudet hoc priuilegio in aliis criminibus, non in hæresi 272.1.13
25. In causis ciuilibus, an ij gaudeant hac immunitate. 272.2.3
26. Propter nullum crimen extrahendus est Reus ab Ecclesia, nisi in casibus à Iure exceptis. 273.1.4
27. Qui fures non gaudeant hoc priuilegio. ibid.
28. Delinquentes grauiter in Ecclesia, possunt abstrahi ab ea. 273.1.6
29. Item qui existens in Ecclesia ferit alium existentem extra illam. 273.2.7
30. Similiter, qui existens in Ecclesia mãdat vulnerari alium extra illam. ibid.
31. Qui existens extra Ecclesiam ferit permanentem in Ecclesia, non gaudet immunitate. ibid.
32. An Ecclesia defendat latronem cum furto ad eam fugientem. ibid.n.8
33. Qui delinquit propè Ecclesiam spe fugiendi ad illam, non abstrahendus. ibid.n.9
34. Occidens per insidias, potest abstrahi à templo. 274.1.11
35. Qui per industriam occidit, non abstrahendus. 274.2.12
36. Vulnerans ex insidiis, gaudet priuilegio templi 275.1.14
47. Vtrùm

37. Vtrùm assassini possint abstrahi ab Ecclesia. 275.1.15
38. Mandans insidiosè interficere, si effectus sequatur, potest auferri à templo. ibid.n.16
39. Qui hoc facit per Assassinos, probabile est non gaudere priuilegio, etiam effectu non secuto. ibid.
40. Raptores virginum, an possint abstrahi. ibid.n.17
41. Fugiens ex carcere non potest separari ab Ecclesia. ibid. n.18
42. Qui vinctus ducitur per Ecclesiam, an possit ab ea separari. ibid.
43. An gaudeat Ecclesiæ priuilegio, qui sub iuramento redeundi exit à carcere. 276.1.20
44. Non potest in Ecclesia ligari, vel vllam pati violentiam delinquens. 276.1.2
45. Non potest spoliari in Ecclesia bonis iustè delatis. ibi.n 3
46. Fugiens ad Ecclesiam cum armis prohibitis, potest illis spoliari. 276.2.3
47. An Ecclesia obsideri possit quando delinquens ad eam fugit. ibid.n.4
48. Quando solùm vestis pars est extra terminos Ecclesiæ, non potest delinquens per eam apprehendi. ibid.
49. Dum est in Ecclesia, nec ad mortem, nec ad corporalem pœnam potest damnari. ibid.n.5
50. Quibus pœnis possit multari. 277.1.6
51. Ad seruitutem triremis, & exilium non potest damnari. ibid.
52. In casibus à Iure exceptis potest iudex sine licentia Prælati extrahere delinquentem ab Ecclesia. 177.1.1
53. Iudex per blanditias extrahens ab Ecclesia Reum, non peccat. 277.2.2
54. Contra Ecclesiæ immunitatem, si Reum abducat, sacrilegium committit. ibid.n 4
55. Quo pacto possit Ecclesia resistere iudici conanti abstrahere Reum. ibid.
56. Tenetur iudex restituere Ecclesiæ Reum. 277.1.6
57. Quam pœnam incurrat propter hoc sacrilegium. ibi.n.7
58. Iudex extrahendo Reum, non solùm peccat contra Ecclesiam, sed etiam contra Reum. 278.2.à n.8
59. Hoc peccatum est contra iustitiam commutatiuam. 279. 1.10
60. Comprehensio delinquentis iniustè in Ecclesia facta, est irrita. 279.2.12
61. Quando teneantur iudices reo restituere damnum secutum ex comprehensione. 280.1.15.n.15
62. Iudex licitè comprehendit extractum ab Ecclesia ab alio particulari per fallaciam. 280.2.17

ELECTIO.

1. Electio per sortes ad beneficium Ecclesiast. vide verbum Sortes. à n.4
2. Secularis electio non prohibetur fieri per sortes 347.1.14
3. Electio Matthiæ qualis fuerit. 349.1.21
4. In Pontif. electione Simonia non est redimere vexat cum indignus, vel euidenter minùs dignus eligitur. 600.2.35
5. Pecuniam dare, vt eligatur dignus in communi, non est illicitum ibid.n.36.& seq.
6. An Ecclesia habeat Ius, vt eligatur dignissimus è pluribus 601.2.40
7. Non licet, moraliter loquendo, redimere hanc vexationē per pecuniam, inducendo electores, vt hanc personam determinatè eligant, quòd illa sola sit digna. 601.2.41
8. An dicta de Pontificatus electione ad inferiores electiones accommodentur. ibid.n.42
9. Quæ electio sit inualida. vide verb. Simoniaca actio, quæ valida à n.17

ELISEVS.

Cur noluit pretium Naaman. 415.1.7

EPIPHANIA.

Epiphaniæ festum ab Apostolis institutum. 168.2.7

EPHRON.

Vide Simoniam. 65.66

EPISCOPVS.

1. Quid facere debeat quando Parochiani non possunt Parochum sustentare. 63.2.9
2. Quando possit facere determinationem Decimarum in sua Diœcesi. 79.1.9
3. Non potest Ius Decimarum mutare. 93.1.11
4. Cura pauperum specialiter Prælatis commissa est. 80.2.7
5 Episcopus non potest obligare ad Decimas, Parochos sibi subiectos. 63.2.9
6 Tenetur ad Decimas debito reali, non personali. 100.1.11
7. An Episcopus possit Laicis Decimas dare, vide verbum, Decimæ, à n.107
8. Episcopi Diœcesis ad Clerum cuiuscunque Parochiæ aliquo modo pertinent. 128.1.8
9. Decimæ primò debentur Episcopo. 130.2.1
10. Bona Prælati sunt obligata Ecclesiæ, pro mala administratione. 154.2.11
11. Quomodo Episcopi teneantur cogere non soluentes Decimas. 153.1.3
12 Episcopus nonnisi Dominica die consecratur. 166.1.14
13. Potest instituere festum in sua Diœcesi sine auctoritate Pontificis. 190.2.4.& seq.
14. Non potest canonizare Sanctum. 190.2.5
15. Quid olim in hoc possent. ibid.
16 Quid supponendum, vt ab Episcopo queat festum Dei præcipi. 190.2.6
17. An à domo Episcopi possint abstrahi delinquentes. 269. 2.9
18. Quæ Episcopi licentia sit necessaria ad permutanda beneficia. vide verb. benefic. commut. Quæ auctoritas necessaria, à n 1
19. Prælati inferiores Pontifici non possunt dispensare bona Ecclesiæ, nisi iusta concessione Canonum. 538.2.17
20. An Cathedraticum Episcop. persoluendum. 585.2.3
21. Episcopis visitantibus, procurationes à Iure concessæ persoluendæ. ibid.
22. Quomodo inferiores Prælati, & eorum officiales Simoniam committant, vide verb. Simoniæ causam efficientem à n.7

ESAV.

1. Quæ peccata commisit. 419.2.13
2. Prophanus dicitur non propter spiritualis venditionem, sed propter contemptionem. ibid.n.14
3. Primogenituram eius Sacerdotio annexam esse summo, certum est. 418.1.6
4. Vtrùm Simoniacus, vide Simoniam. 67

EVCHARISTIA.

1. Abstinere à frequentia Eucharistiæ, potest esse actus Religionis. 27.2.5
2. Sacrificium Eucharistiæ, est de Iure diuino. 59.2.9
3 Eius præceptum datum est Ecclesiæ. ibid.n.10
4. Quomodo per Sacerdotes, & per alios fideles offeratur. ibid.
5. Vtrùm omnes audientes sacrum communicarent olim. 67 1.2
6. A Sacerdote Eucharistiam deferente non potest abstrahi delinquens. 269.2.10
7 An liceat sumere Eucharistiam ad purgationem criminis. 290 1.15
8 Vti Eucharistia vt pane communi, non est blasphemia, sed sacrilegium. 291.1.5
9. Eucharistiæ Sacramento debetur suprema adoratio latriæ. 395.1.1
10. Contra eam committitur grauius peccatum quàm sacrilegium, concomitanter tamen datur sacrilegium. ibi.n.2
11. Propter crimen iniiciendi manus in Eucharistiam non incurritur excommunicatio. ibid.
12 Eucharistiæ festum quando institutum. 179.1.3
13. Vide Simoniam 90

EXACTIO.

Vide verb. Simonia conuentionalis, à n.8

EXAMINATOR.

Vide verb. Simonia 147

F.

FERIÆ.

1. Tria genera feriarum in Iure conceduntur. 170.2.18
2. Feriæ passionis qualiter obseruādæ, vide verbū passio. à n.2

FESTI DIES.

1. Obseruatio dierum festorum habet aliquid ex Iure naturali, aliquid ex positiuo. 157.1.1
2. Præceptum festorum partim morale, partim cæremoniale est. 157.1.2
3. Quid morale, & quid cæremoniale habent tertium præceptum. 158.2.7.& 157.1.2
4. Potestate humana mutari potest spatium 24. horarum in die festo assignatum. 159.1.9
5 Conueniens est festorum obseruatio in lege noua. 161.1.2
6. Christus festos dies non instituit. ibid.
7 Apostoli, festa obseruarunt, & aliqua instituerunt. 161. 2.2
8. Ecclesia imposuit præceptum festorum. 161.2.3
9. Potest decernere dies festos vniuersales. 163.1.2
10. Hæc potestas est in solo Papa. 163.1.3
11. Quo pacto consuetudo Ecclesiæ possit inducere festum vniuersale. ibid.
12. Concilium generale hoc etiam potest. ibid.
13. Festi dies dicati Virgini, vide verbum Maria. à n.1
14. Festi dies dicati Christo, vide eius festiuitates sub titulis particularibus.
15 Festa Sanctorum, vide verb. Sancti. à n.1
16 Festa Angelorum, vide verb. Angelus. n.6.& 7
17. Festa Apostolorum, vide verb. Apostolus n.3.& 4

18. Festa S. Lucæ, & S. Marci Iure communi non obseruantur. 185.2.10
19. Festum S. Bartholomæi diuerso die Roma colit. 187.1.18
20. Qui Sanctorum dies sunt festi, & obseruandi, vide Sanctorum festa à n 5
21. Dies ex præcepto seruandi sunt. 188.2.1
22 In magnitudine temporis quæ festa sint æqualia. ibid.2.
23. Aliqua inæqualitas intensiua in eis reperitur. 189.1.3
24. In solemnitate, & in difficultate relaxandi obseruationem, inæqualia sunt. ibid n.4
25. Aliquod festum potest obseruari in vno loco, & non in alio. 189.2.2
26. Episcopi possunt instituere festa in suis Diœcesibus sine auctoritate Pontificis. 190 24
27 Festa particulari præcepto imperata aliquando obseruantur per meridiem. 192 1 11
28. Principes Laici non possunt instituere dies festos. 193 1.2
29. Sola consuetudo Laicorum, & Clericorum non introducit diem festum. 193.2.5
30 Peregrini dum sunt extra Parochiam, vel Episcopatum non tenentur ad festum illius. 194.1.2
31 Peregrini obligantur ad festa, & leges loci, in quo inueniuntur. 195.1.1 & 197.1,7
32. Qui solùm in transitu alicubi sunt, probabile est non teneri ad festa, & lege loci, contrarium tamen certius. 199.1.17
33. Vagi homines, qui nullibi habent domicilium, tenentur ad festa loci, vbi inueniuntur. 199.2.19
34. Quo pacto obligetur peregrinus ad festa generalia, quando consuetudine non seruantur in eius patria, vel in loco vbi est. 201.1.27
35. Neque ad communionem, neque ad orationem tenetur quis ex præcepto colendi festum. 204.2 3
36. In die festo non obligãtur fideles ad oblationes. 206 2.11
37. Ex præcepto non est elicienda in festo dilectio Dei. 207. 1. 12
38. Neque pœnitentiæ actus. 207 1.14
39. Quàm antiquum præceptum cessandi ab opere seruili in festo. 208 1.2
40. An in die festo specialiter prohibeatur peccatum mortale. 210 1.1
41. Probabile est peccatum in festo factum habere peculiarem malitiam venialem. 213.1 14
42. Festi præceptum violare, est mortale. 239.1.1
43. Ex limitata materia, potest esse veniale. ibid.n.2
44 Quantum tempus laboris satis sit ad mortale. ibid.
45. Dies festus à media nocte vsque ad mediam noctem, seruandus. 239.2.4
46. Si transferatur festum, quoad officium, in alium diem, non transferuntur aliæ obligationes. 240.2.7
47. An violatio festi diei sit sacrilegium, vide verbum Sacrilegium contra loca, &c à n 1

FESTO DIE QVÆ LICEANT, vel non liceant.

1. Probabile est peccatum in festo habere peculiarem malitiam venialem. 213.1.14
2. Probabile est copulam coniugalem non esse omninò licitam in festo. ibid.
3. Potest pro mercede fieri opus non seruile in festo. 216.1.10
4. Si occurrat necessitas faciendi opus seruile in festo, potest fieri pro mercede. 215.2.9
5. Potest accipi pretium, quando datur dispensatio laborandi in festo. 215.1.7
6. Scribere pro mercede, nec seruile, nec in festo prohibitum est. 217.1.16
7. Comedere, & alia opera naturalia non sunt prohibita in festo. 219.1.2
8. Opera, quibus cibi parantur, licet seruilia, non prohibentur in festo. 219.1.3
9. Opera curandi proximam. similiter. 219.2.5
10. Opera cultui Diuino intrinseca, & si grauia, licent in festo. 220.2.9
11. An opera mundandi templa, & similia, sint seruilia, & in festo prohibita. 220 2.11
12. Quid de aliis operibus mechanicis dicendum. 221.1.12
13. Quo pacto opera seruilia ex misericordia facta liceant in festo. 221.1 14
14. Qui dicunt non licere studium in festo, impugnantur. 222.1.2 & 5
15. Liberalia opera non prohibentur in festo. 222.1.3
16 Quamcunque scientiam docere licet in festo. 222.2.6
17. Opus scribendi non est prohibitum in festo, neque ex mercede factum. 224.2.3
18 Neque transcribendi opus licet ex mercede fiat. 226.2.3. & seq.
19. Pingere est opus seruile, & prohibetur in festo. 228.2.5
20. Imprimere similiter. 227 2 8
21. Quomodo excusentur, qui recreationis gratia in festo depingunt breui tempore. 228.2.5
22. Iter agere non est seruile, nec per se prohibitum in festo. 229.1.2
23 Quo pacto sit prohibitum iter incipere cum bestia onusta. 229 2 3
24. Cantare, & saltare non sunt in festo prohibita. 389.1.4
25 Quæ venatio, & piscatio prohibeantur in festo, & quæ liceant ex consuetudine. 231.1.5
26. Bellandi actio est seruilis, & de se, in festo prohita. 231. 2.7
27. Ex necessitate fit licitè. 232.1.10
28. Exercitationes militares in die festo licent. ibid.n.12
29. Quæ opera liberalia Iure prohibeantur in festo. 232.1.1
30. Nundinæ non licent. 232.2.2
31. Consuetudine quo pacto liceant. 233.1.4
32. Placitum non liceat. 233.2.6
33 Quæ actiones iudiciales prohibeantur in festo. 234.1.9
34 Actiones iudiciales in festo factæ, sunt irritæ. 234.2.2
35. Contractus in mercatu facti in die festo, non sunt. ibid.
36. An citatio licita, & valida fiat. 234.2.3
37 Iuramentum iuridicum, non potest exigi in festo. 235.2.6
38 Nec testes examinari, siue causa sit temporalis, siue spiritualis. 236.1.8
39. Sententia excommunicationis, & absolutio non prohibentur in festo. 236.2 9
40 Executio sententiæ prohibetur, & irritatur in festo. 237.1.11
41. Appellatio potest fieri, licet non possit prosequi. 237.1.13
42. Aduocato licet informari iudicem die festo. 237.2.15
43 An iudicium arbitri sit in die festo prohibitum. ibid.
44. Quæ iuramenta sint in festo prohibita. 237.2.16
45 Quæ necessitas satis sit vt causa iudicialis in festo tractetur. 238.1.18
48 Cur hæretici in festo publicè iudicentur. 236.2.19
49. Ob pietatem licet in festo iudicialem causam tractare. 238.2 10
50 Alecia possunt in festis minoribus piscari. 242.2.5
51. Omnes item pisces, in quibus datur eadem ratio. ibid.n.6
52. Qui piscantur in festo, hos pisces ex ipso Iure disponẽte, tenentur ad aliquam eleemosynam. ibid.n.7

FESTI DIEI LABOREM quæ excusent.

1. Propria necessitas excusat laborem in festo. 241.1.2
2. Pauperes excusantur in festo laborantes ad suam sustentationem. ibid.n.3
3. Famulus item, qui cogitur præcepto Domini. 241, 1.4
4. Necessitas Reipublicæ excusat laborem in festo. 241.2.5
5. Necessitas proximi item. ibid.n.6
6. Pietas vel in Deum, vel in proximum. 242.1.7
7. Discrimen inter dispensationem, & excusationem à labore in festo. 240 2.1
8. Dispensatio ad laborandum in festo potest dare, & Papa, & Episcopus. 242 1.2
9. In absentia Episcopi quomodo possint etiam Parochi. ib.
10. An voluntas præsumpta Prælati satis sit, vt quis laboret in festo. 242.2.4
11. Consuetudo dispensationem ad laborandum in festo inducit. 243.2.12
12. Ad hanc consuetudinem, necessarius est consensus Prælati. ibid.
13. Ex consuetudine licent in festo multa alioqui prohibita. 244. 1.14
14 Non licet ex vi Iuris, personæ particulari operari in festo, ne amittat lucrum notabile. 243.1.8

FEVDVM.

1. Episcopus poterat olim in perpetuum feudum dare Decimas Laicis. 123.1.2
2. Quomodo tale feudum possit transferri. vide verbum Decimæ, à n.110

FINIS.

1. Discrimen inter finem, & pretium. 573 1.4
2. Multis modis ex parte operantis aliquid, est finis proximus respectu intentionis eius. ibid.c 2 à n.6
3 Omnibus modis finis principalis de se abstrahit à ratione pretij. ibid.n.6

FIDES.

1. Est simul speculatiua, & practica. 5.2.1
2. Voluntas credendi, est virtus. 8.2.2
3. Quo pacto tendat in Deum. 9 2.5
4. In quibus conueniat, vel differat habitus fidei cum Religione. 27.1.3
5. Habitus fidei, & piæ affectionis, possunt dici vna virtus Theologica. 30.2.7
6 Ad fidem tenetur homo ex Iure diuino. 55.1.1
7. Assensus fidei, est eiusdem speciei, licet res à Deo reueletur per varia signa, verborũ scilicet, Scripturę, &c. 333.2.3

FORNICATIO.

Fornicatio simplex in Ecclesia occultè facta, est sacrilega. 261.2.4

FORVM.

1. Causa Decimarum, ad forum Ecclesiasticum pertinet. 155 1.15

2. Spiritualia, & spiritualibus annexa, pertinēt ad forum Ecclesiasticum. ibid.

FRATER.

Fratrum dissidentiū non sunt acceptandæ oblationes. 68.1.9

FRVCTVS.

1. De fructibus arborum soluebantur Primitiæ. 73.1.11

2. Qui fructus dicantur à Iuristis, naturales, & qui industriales. 74.2.4

FVNERALIA.

Quos actus habent spirituales. 456.2.7

G.

GRÆCVS.

Græcus ad Latinorum ritus cur non teneatur, quando inter eos est. 201.1.26

GENTILES.

1. Falsa Religio apud eos est. 5.2.3

2. Gentiles, sacrificia semper habuerunt. 58.2.4

3. Aliquando ex voto, vel gratiarum actione Decimas soluebant. 75.2.5

4. Gentiles an teneantur ad Decimas vide verbum Decimæ. à n. 68

5. Dies septima Religiosè obseruata, etiam apud Gentiles. 157.2.3

6. Non est certum, non fuisse Euangelium gentibus prædicatum ante reuelationem Petro factam. 186.1.14

7. Plato, & alij vnum Summum Deum, & alios minores colebant. 312.1.6

8. Quid Gentiles sub Dei nomine intelligerent. 313.1.10

9. Non statuas nudas adorabāt, sed ratione alteri⁹ rei. ib. n. 11

10. Quomodo existimare possunt dari plura numina. c. 2. n. 11

11. Qui Gentiles philosophi commiserint idololatriam solùm externam. 318.1.7

12. Ecclesia non potest statuere pœnam hominibus non baptizatis pro idololatria. 320.2.20

GENVFLEXIO.

1. Ordinariè fit ad hominem vno, ad Deum verò vtroque genu. 56.2.8

2. Vtrumque genu Pontifici flectitur. ibid.

GIEZI.

Vide Simoniam. 62.

GRATIA.

1. Ad actum Relig. naturalem non requiritur, per se gratia. 17.1.6

2. Gratia, sanctitas dicitur. 29.1.14

3. Gratia reddit personam, cui inest dignam, aliqua excellentia. 36.2.6

4. Potest vendi, & emi de facto, non de Iure. 407.1.10.433.2.8 ad n. 10.

5. Cur in hoc nunquam datur materiæ leuitas. 918.1.5

6. Gratiam non cadere sub creatum dominium probabilius est. 406.2.8

Vide Simoniam 94.

GRATITVDO, ET GRATVITA donatio.

1. Gratitudinis obligatio intrinsecè sequitur ex vi beneficij. 58.1.10.11.

2. Gratitudo affectum potius, quam datum respicit. 576.2.7

3. Donatio antidotalis gratuita est, licet non sit omnibus modis liberalis. 578.2.6

4. Donatio gratuita non excludit omnem obligationem, sed debitum iustitiæ. 920.2.14

GREGORIVS.

1. Gregorius 13. Æquinoctij, & kalendarij errorem correxit 177.1.27.

2. S. Gregorius M. solus Simoniacam hæresim sumpsit pro Simonia. 580.2.14

H.

HABITVS.

1. In habitibus, finis proprius, terminus, & obiectum idem sunt. 6.2.3

2. Habitus non est principium per se, sed solùm coadiuuans 10.1.1

3. Quomodo habitus vnius potentiæ facilitet ad actionem alterius. 20.2.6

HÆRETICVS.

Obligatur ad Decimas. 95.2.3

HÆRESIS.

Hæresis Simoniaca quæ. 401.1.2

HELI.

De filiis eius vide Simoniam. 62.

HISPANIA.

Cur Hispania celebret festum S. Iacobi vide verb. Sanctus Iacobus. à n. 1

HOMICIDIVM.

Ex pretio homicidij, & adulterij debentur Decimæ. 138.1.7

HOMO.

1. Homo physicè à Deo distinctus est, moraliter tamen est quasi vnus cum illo. 33.1.10

2. Potest iniuriam Deo facere infinitam, recompensate autem ad æqualitatem nec per suas vires nec per auxilium gratiæ potest. 43.2.12

3. Externæ adorationes sunt indifferentes ad Deum, & homines. 56.2.7

4. Genuflexio ad hominem ordinariè fit vno genu. 56.2.8

5. Manuum eleuatio non solùm ad Deum, sed ad homines etiam fit. ibid

HONOR.

1. Non est bonum intrinsecum eius, qui honoratur. 10.2.7

2. Honor, & fama pro eodem reputantur in materia Relig. 11.2.6

3. In nobis non sunt idem, & ita etiam in Deo considerantur. ibid.

HOSPITALARII.

Hospitalariis, quæ priuilegia cōcessa circa Decimas. 105.2.3

HOSPITALE.

1. Hospitalia Laica non sunt materiæ Simoniæ. 510.1.11

2. Hospitalia Ecclesiastica, quæ sint ibid.

3. Quæ habent administrationem spiritualem, sunt materiæ Simoniæ. ibib.

4. Quæ solùm temporale regimen habent, non sunt materiæ Simoniæ contra Ius diuinum. ibid. n. 12

5. Sunt tamen materiæ Simoniæ contra Ius positiuum, ibid. n. 13

I.

S. IACOBVS.

1. Quibus ex causis Hispania solemniter celebret festum S. Iacobi Maioris. 186.1.13

2. Iacobus ante Martyrium adiit Hispaniam. ibid.

3. Beata virgo adhuc viuens apparuit Iacobo in vrbe Cæsar Augustana. 186.2.16

4. Iacobi corpus in Hispania est sepultum. 187.1.17

IDOLOLATRIA.

1. Hæreticorum error non distinguentium inter idololatriam, & superstitionem. 301.2.3

2. Idololatriæ nomen variis rebus accommodatur. 389.1.1

3. Idololatra dicitur, qui mortaliter peccat. ibid.

4. Quomodo actus latriæ concurrat in adoratione Idoli. 310.2.1

5. Idololatria illa vera alia ficta. 311.1.3

6. Omnis, est falsa adoratio ex parte rei adoratæ, non ita ex parte adorantis ibid.

7. Ad idololatriam veram, ex parte colentis requiritur existimatio Diuinæ excellentiæ in Idolo. 311.2.5

8. Ad falsam idololatriam, non est necessaria existimatio Diuinitatis in Idolo secus ad veram. 313.2.1.3

9. Idololatria falsa contra Religionem est. ibid. n. 14

10. Aliqua sunt signa determinata ad colendum Deum, quæ si Idolo præbeantur, committitur idlolatria. 314.1.15. alia non ita. ibid.

11. Cultus ab Ecclesia exhibitus Sanctis, non inuoluit Idololatriam. ibid.

12. Idololatria sine Idolis, incipit ab ignorantia veri Dei. 314.1.2

13. Quæ cum Idolorum cultu est, ex nimio affectu mortuorum orta fuit. 314.2.3

14. Enos non fuit idololatra. 315.1.5

15. Neque ab eo incepit idololatria. 315.2. à n. 8

16. In prima mundi ætate non idololatria. ibid.

17. Incertum est, quando cœpit. ibid n. 9

18. Fuerit ne prior idollolatria cum imaginibus an sine illis. 316.1.11

19. Hoc peccatum est grauissimum. 316.2.1. & 318.2.9

20. Sacrificium offerre creaturæ, idololatria est. 317.2.3

21. An grauior sit idololatria, quæ supponit mentis infelicitatem, an quæ supponit scientiam veri Dei. ibid. n. 4

22. Primus modus idololatriæ datur cum errore intellectus. 3.6.2.1

23. Scundus non inuoluit errorem mentis, habet tamen effectum verum colendi. 317.1.3

25. Tertius solùm habet effectum exhibendi externum signum, & hic leuior est. 317.2.5

25. Qui Philosophi hanc Idololatriam commiserint. ibid.

26. Probatur illam esse intrinsecè malam. ibid. n. 6

27. Tragœdus fictè Deo offerens in theatro sacrificiū, non est

est idololatra. 318.1.6
28. Odium Dei, & infidelitas, sunt grauiora peccata, quàm idololatria. 319.1.12
29. Idololatria non includit formaliter odium Dei, neque infidelitatem. ibid.n.13
30. Non est tam graue peccatum, quàm peccata contraria Theologicis virtutibus. 319.2.15
31. Excedit peccata opposita virtutibus moralibus. ibid.
32. Quomodo sit causa omnium vitiorum. ibid.n.16
33. Qui facit se coli vt Deum, causaliter est idololatra, & qui idololatriam alteri consulit. 320.1.17
34. Graues pœnæ à Deo infliguntur pro idololatria. 320.1.19
35. Quæ pœnæ statuantur ab Ecclesia homini baptizato pro idololatria. 320.2.20
36. Non incurrit censuras latas contra hæreticos, qui idololatriam committit sine interna infidelitate. ibid.
37. Idololatria quando committatur in diuinatione. 321.1.1
38. Idololatræ cur nihil verè sacrum habere possunt. 430.1.27. vide Simoniam. 6

IDOLVM.

1. Quid sit Idolum. 309.2.9
2. Imago peccatoris quæ colitur vt imago Sancti, est idolum. ibid.n.4
3. Omnis res creata, quæ tanquam Deus adoranda proponitur, similiter. 322.1.5
4. Non Idola nuda adorabant Gentiles, sed ratione alterius rei. 303.1.10
5. An Ninus primum fabricauerit Idolum. 314.2.4
6. Quæ fuerit prior idololatria, cum Idolis, an sine illis. 316.1.11

IEIVNIVM.

Dominica die ieiunium fuit prohibitum. 164.1.6

IGNORANTIA.

Vide verb. Simonia. 38. ad 40

IMAGO.

1. Imagines Astronomicas defendit Caiet. 616.c.2.n.17. impugnatur. 617.c.1.n.18

INCARNATIONIS FESTVM.

1. Incarnationis festum est Christo, & Virgini dicatum. 166.2.2
2. Bis in Ecclesia celebratur. ibid.2
3. Quo die sub præcepto seruandum fuerit propositum, non constat. 167.2.4

INIVSTITIA.

1. Iniustitia semper est venditio rei sacræ, vt sic. 413.1.7
2. Iniustitia. vide Simoniam. 15. & 41. à. 43

INTELLECTVS.

1. Intellectui attribuerunt aliqui Religionem. 5.1.1
2. In intellectu potest dari adoratio, vel per modum cognitionis, vel per modum locutionis. 52.1.4

IOANNES BAPTISTA.

1. Eius natiuitas de Iure communi obseruatur. 185.1.7
2. Cur natiuitas Baptistæ potiùs quàm mors, præcepto seruetur. ibid.

IONNES EVANGELISTA.

1. Eius festum Iure communi obseruatur. 185.2.12
2. Est antiquissimum. ibid.

IOSEPH.

1. Ioseph, qui petiit auxilium à pincerna Pharaonis. 420.1.16
2. In eo non diffisus est Deo secundùm Augustinum. ibid.
3. Venialiter peccauit. ibid.
4. Vtrùm Simoniacus. vide Simoniam. 68

IRRELIGIOSITAS.

1. Irreligiositas significat omnia vitia Religioni opposita. 281.1.1
2. Habet vnitatem genericam. 281.2.à.n.3
3. Irreligiositatis diuisio. 383.1.5
4. Habet oppositionẽ cum Religione per defectum. 383.2.7
5. Blasphemia, ad irreligiositatem spectat. 284.1.8
6. Infidelitas ad Deum in promissis, & ingratitudo similiter. 284.1.8.9
7. Malitia, quæ in omni peccato includitur, non spectat ad irreligiositatem. 284.2.11

IVDÆI.

1. Iudæorum cur modò sit falsa Religio. 5.2.3
2. Iudæi non obligantur ad Decimas personales. 94.1.5
3. Cur obligentur ad prædiales. 94.2.6
4. Iudæos perdere septimam vitæ partem colendos Sabbathum credidit Seneca. 249.2.10
5. Festa Iudæorum cessarunt in lege gratiæ, quoad cæremonialia. ibid.n.11
6. Quo die Iudæi suum Pascha celebrarent. 175.1.15

IVDAS.

Iudas, vide Simoniam. 61

IVDEX.

1. Quo pacto se debeat habere circa Reum fugientem ad Ecclesiam. vide ver. Ecclesiæ immunitas erga delinquentes, à n. 52
2. Quam pœnam incurrat, & ad quam restitutionem teneatur, si Reum extrahat. ibid.n.57.& 61
3. Iudex secularis Clericum comprehendens non solùm sacrilegus, sed etiam iniustus est. 473.1.11

IVDICIALIS ACTVS.

Qui actus iudiciales in festo sint prohibiti. vide verb. Festo die, quæ opera prohibeatur, à n. 32

IVRAMENTVM.

Quæ iuramenta blasphemiam contineant. vide verb. blasphemia à n. 26

IVRISDICTIO.

1. Quibus actibus exercetur. 473.2.3
2. Quibus confertur. n. 2
3. Quotupliciter potest in iurisdictione ad confessionem peccari. ibib.n.2. vide Simoniam. n. 137. & 138

IVRAMENTVM.

Quæ iuramenta blasphemiam contineant. vide verb. Blasphemia à. n. 26.

IVS.

Vide Simoniam. 44, ad 49. & 53. ad 58

IVSTITIA.

1. Ordinatur iustitia ad homines, & non ad Angelos. 6.2.3
2. Multipliciter diuiditur. 32.1.5.& seq.
3. Iustitia legalis, est propriissima virtus. 52.2.7
4. Iustitia, quæ inter homines datur, quas conditiones debet habere. ibid.2.8
5. Iustitia formalis, habet sub se legalem, distributiuam, & commutatiuam. ibid.
6. Iustitia potentialis, quas habet partes. ibid.n.9
7. Partes potentiales iustitiæ in aliquo deficiunt, & in aliquo habent maiorem eminentiam. 32.2.9
8. Religio ponitur inter partes potentiales iustitiæ. 33.1.10
9. Falsò Durand. dixit pœnitentiam esse iustitiam commutatiuam. 33.2.13
10. Iustitia exceditur à pietate in ratione debiti. 34.1.17
11. Iustitiam excedit Religio ex suo genere. ibid.
12. Diuiditur iustitia communissimè sumpta. 35.1.22
13. Errauit Durand. cùm dixit dari identitatem inter iustitiam humanam, & Diuinam. 42.2.7
14. Ad iustitiam humanam non spectat placare personam, ne sibi amplius sit offensa. ibid.
15. Iustitia ad Deum, diuiditur in Religionem, & pœnitentiam. 43.1.10
16. Inter iustitiam, & Religiunem datur discrimen in solutionis inæqualitate. 43.2.12
17. Iustitiam legalem Religioni præfert Caietan. 46.1.5
18. Quale sit obiectum Cui, & Quod iustitiæ legalis. ibid.
19. Non comparatur ad Religionem, vt totum ad partem. 46.2.6
20. Non tam propriè imperat virtutibus moralibus, & Theologicis, quàm Religio. 46.2.7
21. Ordinatur à Religione in suum finem. ibid
22. Aliquando Religionem ordinat. ibid.n.8
23. Deus non est finis particularis iustitiæ legalis. 47.1.11
24. Recipiens pecuniam, vt ab iniusta vexatione desistat, iniustus est. 596.1.16
25. Iudex vendens iustum iudicium, & testis verum testimonium, possunt contra iustitiam peccare. 650.1.27

L.

LABOR.

1. Discrimen inter laborem per se ex parte operis, & ex parte subiecti. 481.2.7
2. Labor per se, & per accidens qui. 484.1.14
3. Per acidens qui non ita; sed tantùm casualiter, & ratione circunstatiarum. ibid.n.1.5
4. Vide Simoniam. 95

LAICVS.

1. Res oblata quãdo possit in Laicorũ vsum conuerti. 70.1.8
2. Consuetudine potest introduci, vt Laici in aliquo festo accipiant aliquid à Clericis. ibid.c.2.n.20
3. Laicus non potest acquirere ius, vt Decimæ, sibi soluãtur.
4. Exemptio à Decimi quomodo Laicis Concedi possit. 90.2.14
5. Aplicatio Decimarum facta Laicis sine causa est inualida. 91.2.5
6. An Laici possint licitè Decimas percipere. vide verbum Decimæ. à n. 99
7. An Episcopus possit Laicis Decimas dare. vide verbum Decimas, à n. 107
8. Quo pacto Laicus Decimas, quas in feudum habet, possit transferre. vide verb. Decimas, à n. 110
9. Laici Christiani in Ecclesia sepeliri prohibentur, consuetudine. tamen hoc licet. 166.1.7

LATRIA.

1. Actus externi ex affectu, & intentione habent, quod sint adoratio latriæ, vel duliæ. 52.2.5

1. Latria, est adoratio soli Deo debita. 310.2.6
3. Quos actus internos, & externos includat. ibid.n.7
4. Quomodo actus latriæ concurrant in adoratione Idoli. 310.2.1

LECTIO.

Vide Simoniam. 96

LEGATVM.

1. Est sufficiens titulus oblationis debitæ. 62.2.5

LEGITIMATIO.

Legitimatio, vide Simoniam. 145

LEX DIVINA.

1. An Pontifex possit dispensare in lege, de Iure diuino positiuo. 89.1.7

LEX GRATIÆ.

1. In lege gratiæ, est præceptum soluendi Primitias. 73.2.14
2. In lege gratiæ, conueniens est determinatio Decimarum. 79.2.3
3. Cur in ea imponerentur Decimæ, non ita in lege scripta. 82.1.17
4. In lege gratiæ, cessarunt festa Iudæorum, quoad cæremonialia. 159.2.11

LEX HVMANA.

1. Non datur de actibus merè internis. 56.1.5
2. Discrimen inter abrogationem legis, & præscriptionem. 65.1.19
3. Priuata persona non eximitur ab obligatione legis, licet diù illam non seruet. 87.1.6
4. Diuturnus vsus communitatis habet vim introducendi, & abrogangi legem. 87.2.7
5. Quando Princeps non potest ferre legem, neque potest pro illa pœnam exigere. 194.1.7
6. Princeps Laicus potest leges condere in sua terra, etiam in ordine ad peregrinos. 198.1.11
7. Leges positiuæ non extenduntur per similitudinem. 211.1.11
8. Lex Principes non obligat cum, ex peculiari habitudine ad inferiores, vt tales sunt, pertines. 609.1.4
9. Non non est improbabile Principem sine causa secum valide non posse dispensare. 610.1.8
10. Quid requiratur, vt lex in Romana Curia abrogetur. ibid.c.2.n.11
11. Lex prohibens quando actum irriter. 633.1.18
12. Legis transgressio, quoad genus, inobedientia est. 422.2.29
Rem potest mutare moraliter, licet non physicè. 423.1.11

LEX NATVRALIS.

1. Lex naturalis in rigore non obligat hominem ad adorationem purè mentalem. 551.2.24
2. In lege naturali fuit vsitatum Deum colere vtriusque naturæ actibus. 53.1.9
3. Per adorationem mixtam potest homo satisfacere naturali præcepto. 55.2.4
4. Ex lege naturali non est determinatus externus cultus adorationis. 56.1.6
5. Datur tamen præceptum deo, & quale sit. ibid.
6. In lege naturali non erat præceptum Decimarum. 75.1,5
7. Lex naturalis vel puræ fidei lumine illustrata. 417.1.2

LEX SCRIPTA.

1. In lege scripta sæpe fuit latum præceptum de Primitiis offerendis. 72.2.10
2. Quæ cõditiones in lege scripta fuerint additæ Primitiis. ibid.
3. Lex scripta, quoad præcepta iudicialia, & cæremonialia cessauit. 73.2.15
4. In lege hac datum est Diuinum præceptum de soluendis Decimis. 75.2.6
5. Solùm fuit de Decimis prædialibus non de personalibus. ibid.
6. Quid Decimæ in lege scripta significarent. 76.1.7
7. Præceptum Decimarum non est idem in lege scripta, & in lege noua. 78.1.5
8. Cur Decimæ personales in lege scripta non soluebantur. 81.2.17
9. Cur lex vetus sit mortua, & cur mortifera. 159.2.12
10. Festum Pentecostes, prout fuit in lege scripta, erat de Iure diuino. 179.1.2
11. Purgationes aliquæ in lege scripta licebant. 491,2.16

LIBERALE OPVS.

1. Liberalia opera non prohibentur in festo. 222.1.3
2. An detur opus quod nec seruile sit, nec liberale, vide seruile opus.n.5

LIBERALITAS.

1. Datur in nobis erga homines, non erga Deum. 14.1.3
2. Non respicit vllam conditionem debiti. ibid.

LIBERTAS.

Quo pacto dicatur de Iure naturali. 89.1.7

LITANIÆ.

Tres dies, quibus solemnes Litaniæ fiunt, non sunt festiui. 178.2.1

LVDVS.

Ex ludo licito debentur Decimæ. 137.2.7

M.

MAGIA, ET MAGVS.

1. Magia sumitur pro Philosophia naturali. 358.1.1
2. Magia alia naturalis, alia superstitiosa. ibid.n.2
3. In quo differat Magia strictè sumpta à diuinatione. ibid.c.2.n.3
4. Discrimen inter Magiam, & maleficium. ibid.n.4
5. Quidam Magiam, & dæmones dari negant. ibid.n.5
6. Hoc contra Fidem est. 359.1.5
7. Effectus Magiæ non possunt tribui animis mortuorum. ibid.n.7
8. Magia est superstitio, & tacita idololatria. 360.1.10
9. Peccata diuinationis, & Magiæ eiusdem sunt rationis. ibi.
10. Magia potest habere varias malitias adiunctas contra alias virtutes. ibid.n.11
11. Graues iniustitiæ in ea committuntur, & magi tenentur ad restituenda damna. 360.2.12
12. Applicans medium inutile, vt res fiat, tacitè vult, vt illa à Dæmone fiat. ibid.n.13
13. Magia ex parte effectus in tres species diuiditur. 361.1.2
14. Notoria ars, ad quam speciem pertineat. ibid.c.2.n.4
15. D. Thom. sentit hanc artem ad Magiam pertinere, eiúsque mendosus locus corrigitur. 362.1.5
16. Si quis ex ignorantia Notoriam artem à Deo peteret, non committeret magiam, sed tentaret Deum. ibid.n.6
17. Omnis ars dicendi scientiam ope Dæmonis, spectat ad primam speciem magiæ. ibid.c.2.n.7
18. Quæ res spectent ad secundam speciem magiæ, quæ dicitur sanitatum. ibid.2.8
19. Nulla opera Magiæ, sunt vera miracula. 369.1.8
20. Opera magiæ, nec semper vera, nec semper falsa. 370.2.11
21. Diuitiæ per Magiam datæ, ordinariè vanæ sunt. 371.1.13
22. Quæ per Magiam acquiruntur. quando possint retineri. 375.1.2
24. Magis conuersis remedium contra desperationem adhibendum. ibid.c.2.n.4
25. Non opus est, vt Chyrographus à Mago datus Dæmoni iterùm restituatur. ibid.
26. Cur Magi in Ægypto Ciniphes facere non potuerit. 369.2.7
27. Mago pœna imposita, vide verbum magiæ pœna à n.1
28. Quo pacto cognosci possint magi suspecti da hæresi. 384.1.10

MAGIA PROVT EFFICIT SANITATEM.

1. Quæ res spectent ad magiam effectricem sanitatis. 362.2.8
2. Ars magica est, quando effectus ab ea promissi sunt supra vires causarum creaturam. ibid.n.9
3. Effectus seruandi corpus à læsionibus, est magicus. ibid.
4. Et si res, & verba sint sacra, si cum impertinentibus signis fiant, committitur magia. 363.1.10
5. Euangelium, aut verba sacra ferre, sperando certum auxilium non caret superstitione. ibid.
6. Quomodo cognoscendum, an verba adhibita sint superstitiosa. ibid.c.2.n.11
7. Signa, quę adhibentur præter signũ crucis, ordinariè continent superstitionẽ, & frequenter idololatriam. ibi.n.12
8. Ad magiam spectant effectus subitò, vel loco distanti, vel facilè exerciti. 364.1.14
9. Hi effectus non communicantur ab anima, imaginatione, vel effectu operantis. ibid.c.2.n.15
10. Neque cœlestibus influentiis. ibid n 16
11. Caietanus in hac materia, defendit imagines Astronomicas, 365.1.17. impugnatur. ibid.1.2.n.18
12. Quid dicendum de his, qui curant per verba, & panniculi applicationem. 366.2.23.367.1.26
13. Quid de salutatoribus, ibid & 367.1.25
24. Facientes hos effectus per herbas accommodatas, quas subtiliter applicant, non committunt magiam. 366.2.24
15. Quomodo aliquando peccent. ibid.
16. Nisi herbas ostendant saltem magistratibus, non sunt publicè admittendi. ibid.
17. Potest quis vti postea herba à Dæmone ostensa. ibid.
18. Confessores non debent absoluere eos, qui curant per verba, & panniculi applicationes. 367.1.26
19. Non potest præsumi, quòd Deus hanc gratiam alicui sancto concessisset. ibid.c.2.n27.

MAGIA EFFECTRIX MALEFICIORVM.

1. Maleficium ad magiam spectat. 367.2.12.8
2. Effectus maleficiorum sunt semper veri. 373.1.22
3. Remedia supernaturalia ad tollẽda maleficia vtilia. 376.1.7

4. Licitum est signa destruere, ad quorum præsentiam fiunt maleficia. 376.2.7
5. Si hæc signa tollantur ex mala intentione, actio erit mala, sed non superstitiosa. 377.1.11
6. Hæc signa non solùm licitè sed ex præcepto auferenda. 377.2.12
7. Quæ signa positiua licitè fiunt, vt Dæmon cesset à maleficio. 378.2.16
8. Non licet vti magia ad tollendum maleficium. 379.1.1
9 Non licet petere à Dæmone, vt cesset à maleficio. 380.2.5
10. Non licet cogere minis maleficium ad tollenda maleficia per alia maleficia. ibid.n.7
11. Non licet petere à mago licet parato, vt tollat maleficium per aliud. 379.2.2
12 Potest petere à malefico, vt tollat maleficium si ille sciat licito, & illicito modo tollere, etiamsi illicito vti debeat. 381.2.9

MAGIÆ POENÆ.

1. Diuini, magi, & malefici eadem pœna afficiuntur. 382.1.1
2. Nullam censuram ipso facto incurrunt. 382.2.3
3. Explicatur caput, siquis Ariolos. 383.1.4
4. Quando datur hæresis in mago, ratione illius manet ipso facto excommunicatus. 384.1.à n.8
5. Per quamcunque actionem externam suæ artis, banc pœnam incurret. ibid.
6. Ad quod forum pertineat hoc delictum. 384.2.11
7. Quæ pœnæ prò hoc crimine sint imponendæ Clerico in iudicio Ecclesiastico. pro ibid.n.12
Quæ Laico. 2 num. 13 385.1.13
8. Quæ pœna à Iure Ciuili imponatur, ibid.n.14

MAGISTER.

Ab Ecclesia conductus. vide Simoniam. 91

MALEFICIVM.

1. Discrimen inter magiam, & maleficium. 358.2.4
2. Vide verb. magia effectrix maleficiorum à num. 1

MANVS.

1. Manuum eleuatio ad cœlum, quid significet. 56.2.8
2. Non solùm ad Deum, sed ad homines etiam fit. ibid.

BEATA VIRGO Maria.

1. Incarnationis festum, est Christo, & Virgini dicatum. 166.2.2
2. Circuncisionis festum, similiter, & Præsentationis. 168.1.8. & 169.1.10
3. Conceptio Virginis potuit ab Ecclesia sub præcepto constitui. 181.2.2
4. Non est huc vsque, hoc præceptum impositum. 181.1.3
5. Hoc festum initium habuit in Anglia. 181.1.7
6. Natiuitas Virginis sub præcepto vniuersali obseruatur. ibid.n.4
7. Quando celebrari cœperit. ibidem
8. Festum Præsentationis, non est præcepti, sed deuotionis. 182.2.11
9. Visitationis festum quando cœperit. 182.2.12
10. Non obseruatur sub præcepto vniuersali. ibid.
11 Purificatio numeratur inter quatuor præcipuas Virginis solemnitates. ibid.
12. Assumptionis festum de Iure communi obseruatur. 183.1.13
13 Non est de Iure Diuino. ibid.n.14
14 Ab Apostolis manasse probabile est. ibid.
15. Festum B. Mariæ ad Niues. 183.2.15
16. Expectationis festum proprium est Hispaniæ. ibid.
17. Descensionis similiter. ibidem
18 Nulli Sanctorum, excepta Virgine, duo dies sub præcepto seruantur. 185.1.8
19. Beata virgo adhuc viuens, apparuit Iacobo in vrbe Cæsar-Augustana. 186.2.16

MARTIR, ET MARTYRIVM.

1. Passio Martyris non effectiuè ab eius voluntate, est tamen obiectiuè voluntaria. 58.1.11
2. An Martyrium sit actus designatus ad cultum Dei. 58.1.1

MATHEMATICVS.

1. Mathematicorum coniectura circa puerorum natiuitatem, debilis est. 338.2.11
2. Sixtus V. non prohibuit omninò illorum iudicium circa puerorum inclinationem. 339.1.12

MATRICIDA.

1. A matricida non est accipienda oblatio. 68.1.9

MATRIMONIVM.

1. Illius notanda differentia à reliquis sacramentis. 448.2.6
Vide Simoniam. 89.133.148

MATTHIAS.

1. Sors, qua electus fuit, non habuit imperfectionẽ. 348.2.21
Probabile est, datum fuisse aliquod signum Diuinum in hac electione. 349.2.23

MERCES, ET MERCENARIVM OPVS.

1. Quid sit opus mercenarium. 213.2.1
2. Lucrum, & merces in quo differant. 214.2.3
3. Vtrùm opus, ex mercede fiat seruile. 214.1.2. & 215.6

MERETRIX.

1. A publica meretrice, non est accipienda oblatio. 68.1.8
2. Non tenetur dare pauperibus Decimam ab Ecclesia non acceptatam. 138.2.9

MIRACVLVM.

1. Quid sit miraculum. 625.1.8
2. Nulla opera Magiæ, sunt vera miracula. ibidem

MISERICORDIA.

1. Est propria Religiosi. 21.1.10
2. Cedit Religioni.
3. Quibus virtutibus præstet. ibid.
4. Misericordia. vide Simoniam. 17

MISSA.

1. Materia oblationis, quæ sit in Missa est solùm Panis, & Vinum Aqua mixtum. 61.2.8
2. Vtrùm omnes audientes Missam communicarent olim. 60.1.2
3. Circuncisionis die duæ Missæ olim celebrabãtur. 168.2.8
4. Præceptum audiendi Missam quomodo possit dici Iure diuino. 202.1.2
5. An sit in Iure. ibid.n.3
6. An peregrini obligentur ad Missam, quando breui tempore sunt in loco, vbi dies est festus. 200.2.22
7. Antiquitas audiendi Missam in festo. 202.2.2
8. Hoc præceptum Missæ, sub mortali obligat. 203.1.5
9. Pro quo tempore obliget præceptum hoc in die festo. 203.2.7. & seq.
10. An qui manè discedit à loco, vbi festum agitur teneatur priùs ad Missam. 204.1.9. & seq.
11. Non relinquenda Missa propter concionem in festo. 206.2.10
12. Cùm non potest quis Missam audire, non tenetur ad alias preces. 207.2.16
13. Qui in Missa, vel officio accidentales ritus non seruat, superstitionem committit venialem. 380.1.18

MVNDVS.

1. Mundus, vel in æquinoctio vernali, vel post illud fuit conditus. 175.2.17
2. Mundum à Deo animari quidam credebant, & ita illum, vt Deum adorabant. 311.2.5

MVTVVM.

1. Emens mutuum, soluendo vsuras, verè acquirit pecuniam mutuatam. 633.2.19

N.

NATALIS DIES.

1. Natiuitatis festum ab Apostolis institutum. 168.1.6

NECESSITAS.

1. Qui in extrema necessitate aliena consumit, non tenetur postea restituere. 96.2.17
2. Quo pacto necessitas grauis excuset à Decimis. vide verbum Decimæ num. 72. & 73.

NOTORIA ARS.

1. Notoria ars pertinet ad primam speciem magiæ. 361.2.4
2. Si quis ex ignorantia notoriam artem à Deo peteret, non magiam committeret, sed tentaret Deum. 362.1.6
3. Quid D. Thomas de hac arte censerit. ibid.n.5

NOTARIVS.

1. Quando committat Simoniam vide verb. Simoniæ causa efficiens à num. 9

NOVALIA.

1. An priuilegium non soluendi Decimas prædiales, extendatur ad noualia. 107.1.4
2. An præscriptio contra Decimas, extendatur ad noualia anteá non possessa. 116.1.9
3. An noualia comprehendantur, quando conceduntur vni Ecclesiæ Decimæ prædiorum alterius. 117.1.7. & seq.

O.

OBEDIENTIA, VIDE Religionem.

1. Quo pacto Deum attingat. 9.1.5
2. Obedientia distinguitur à Religione. 40.2.3
3. Obedientia immediatè circa præceptum versatur, & aliquo etiam modo circa auctorem præcepti. 41.1.4
4. Quomodo obedientia soluat debitum Deo. ibid.n.5
5. eadem obedientia Deo, & hominibus obtemperamus. 41.2.7.
6. Obedientia præceptorum potest imperari à causis specie distinctis. ibid.
7. Cedit obedientia Religioni. 48.1.15
8. Actus obedientiæ necessarius ad salutem in perfecta dilectione

ctione Dei continetur. 55. 2. 3. sub speciali formalitate virtutis moralis non est simpliciter necessaria ad salutem. ibid.

OBLATIO.

1. Oblatio, & sacrificium differunt tanquam genus, & species. 57.2.1
2. Quid sit propria oblatio. 58.1.2
3. Variæ eius diuisiones. ibid.
4. Oblatio non est de lege naturali. 59.1.7
5. Explicatur D. Thom. in hoc ponit discrimen inter sacrificium, & oblationem. ibid.
6. Oblatio est actio minùs sacra, & publica, quàm sacrificium. 59.1.8
7. Eius vsus magis voluntarius semper fuit, quàm sacrificiorum. ibid.
8. Est legi naturali consentaneus. 59.2.1
9. Quæ oblatio Cain, & quare Deo displicuit. 60.1.1
10. Oblationum vsus in lege gratiæ licitus, & sanctus est. 60.1.2
11. Panis, & Vini oblatio antiquissima in Ecclesia. ibid.
12. Oblationes Deo immediatè factæ sunt licitæ. 61.2.7
13. Ecclesiis, vel piis locis factæ, licitæ sunt. 61.1.6
14. Quædam Sacerdotibus fiunt ad eorum sustentationem. ibid. n. 7
15. Hæ non continent immediatum cultum Dei. ibid.
16. Materia oblationis, quæ fit in Missa solùm est Panis, & Vinum Aqua mixtum. 61.2.8
17. Oblationes legales, vt tales, cessarunt in lege noua. ibid. n. 9
18. An oblationes Ecclesiæ debeantur ex præcepto. 62.1.1.2
19. Quo pacto hic sumenda oblatio. 62.2.3
20. Quatuor tituli ex quibus potest oriri oblationum obligatio. ibid.
21. Primus est ex conuentione. ibid. n. 4
22. Secundus ex voto, vel legato. ibid. n. 5
23. Causa sustentandi ministros Ecclesiæ. 63.1.6
24. Hic non datur si Decimæ sint sufficientes ad sustentationem ministrorum. 63.1.7
25. Nec cùm Parochiani sunt ita pauperes, vt non habeant vnde faciant oblationes. 63.2.9
26. Quid in hoc casu sit faciendum ad sustentationem ministri. ibid.
27. Quartus titulus oblationum est consuetudo. 63.2.10
28. Consuetudinem inducere obligationem oblationum, est communis sententia. 64.1.13
29. An consuetudo oblationum in principio consentanea, vim habeat obligandi, si ex conscientia erronea sub obligatione continuetur. 64.2.16
30. Consuetudo oblationum, potest obligare per modum præscriptionis. 65.1.19
31. Ad hanc præscriptionem sufficit continuatio decem annorum. 65.2.21
32. Ad illam non est opus continuatio oblationum in eadem persona, sed sufficit in diuersis. ibid.
33. An possit negari Sacramentum non soluendi oblationes. 66.1.23
34. Post inductam consuetudinem oblationum non potest populus contra illam aliquid statuere. 66.1.24
35. Qui oblationes non soluunt, an incurrant aliquam censuram, vel pœnam. 66.2.15
36. Quæ circunstantiæ ad oblationes requirantur. 66.2.1
37. Qualis debeat esse persona offerens. ibid. n. 2
38. Excommunicati possunt facere oblationes. 67.1.3
39. A re pro re non est accipienda oblatio. 67.1.4
40. Ab vsurario non est accipienda oblatio. ibid. n. 6
41. A quibus peccatoribus non est accipienda oblatio. 67.6
42. Oblatio rei iniustè possessæ, non est accipienda. ibid.
43. Quando peccatum oblationem maculat, illa non est accipienda. ibid.
44. Quando vitium est personæ, & non rei oblatæ, potest recipi oblatio à peccatore, dummodo non sit scandalum. 67.2.8
45. A publica meretrice non est accipienda. 68.1.8
46. A fratribus decidentibus similiter. 68.1.9
A matricida item. ibid.
47. Ab illis qui speciali Iure prohibentur offerre non est acceptanda oblatio. ibid.
48. Hæc prohibitio intelligenda solùm de oblationibus factis ad altare. 68.2.10
49. Non solùm intelligenda de oblationibus spontaneis, sed etiam de necessariis. 68.2.11.12
50. An expectanda condemnatio, & declaratio peccatoris, vt oblationes non accipiantur. 69.1.14
51. Prohibitio, vel fit peccatoribus, ne offerant, vel ministris ne accipiant. 69.1.23
52. Necesse est vt si verus Deus is, cui directè fit oblatio. 69.2.1
53. Quando homini fit immediatè, adhuc ratio offerendi est Deus ibid. n. 2
54. Hic homo necesse est vt sit Clericus, vel alia persona cultui diuino reputata. ibid.
55. Ius ad oblationes solis Ecclesiasticis conuenit. 69.3
56. Res oblata quando possit conuerti in vsus Laicos. 70.1.3
57. Tribus modis sunt Religiosi oblationum capaces. 70.1.19
58. Quas conditiones habere debeat res oblata. 70.2.21
59. Qualis res offerenda, quando obligatio cadit in rem absolutam, vel quando oblatio est spontanea. 70.2.21.22
60. Offerre cæcum, aut mancum in oblatione spontanea, non videtur ex se graue peccatum. ibid.

OBLIGATIO.

Vide verb. Simonia. 99.100

OBSEQVIVM.

Vide verb. Simoniæ pret. dictum munus ab obsequio à numer. 1

ODIVM.

1. Odium Dei, est omnium peccatorũ grauissimum. 319.1.12
2. Omne peccatum mortale includit odium Dei interpretatiuè. 319.1.13

OFFICIVM DIVINVM.

1. Clericus obligatur ad officium diuinum non debito iustitiæ, sed Religionis. 132.1.6

OMISSIO.

1. Omissio, actus iurisdictionis spiritualis potest esse. 487.1.9. ad 489
2. Omissio. vide Simoniam. 20. & à 101. ad 104

OPINIO.

1. Quando dicenda opinio tutior. 214.1.5

OFFICIA TEMPORALIA.

1. Officia temporalia, & eorum actus, stando in Iure diuino, non sunt materiæ Simoniæ. 516.1.1
2. Actio distribuendi officia Ecclesiastica, non est vendibilis. 516.2.2
3. Officia Eccles. vendi non possunt sine Simonia, propter prohibitionem. ibid. 2. 3. & 317.1.5
4. Dispensatoris officium vendi prohibetur. 518.2.8
5. Ecclesiæ defensor non potest pecunia constitui. ibid. n. 9
6. Qui Ecclesiæ aduocatus, non possit pecunia constitui. ibi.
7. Qualis item iudex. ibid. n. 10
8. Quid sit mansionarius. 519.1.10
9. Officium Sacristæ vendi prohibetur. ibid.
10. Officium Primicerij vendere, est contra Ius Canonicum. ibid. n. 12
11. Vendere functiones horum officiorum, non est Simonia. ibid. c. 2. n. 13

ORATIO.

1. Quomodo spectet ad Religionem. 8.1.6
2. Oratio interna, vt est materia Religionis, primam honestatem à diuino cultu habet. 13.1.5
3. Oratio publica, & sacrificium, sunt adorationes publicæ vsitatæ inter homines. 57.2.14
4. Oratio Dominica non est instituta, vt in persona tantùm Ecclesiæ dicatur, sed vt pro tota Ecclesia fiat. 397.2.16

Vide Simoniam. 196

ORDINES.

1. Ordines quatuor minores. vide Simoniam. 141
2. Quomodo in recipiendis ordinibus committatur Simonia. vide verb. Simoniæ.

P.

PACTVM.

1. Ad diuinationem sufficit implicitum pactum cum Dæmone. 329.1.1
2. Pactum implicitum in quo consistat. 331.1.11
3. In confessione aperiendum, an diuinatio fuerit ex pacto expresso. 333.1.1
4. Inter dæmones, & homines potest dari pactum. 559.1.6

PANIS.

1. Panis benedicti vsus. 60.2.3
2. Panis, & Vini oblatio, antiquissima in Ecclesia. 60.1.2
3. Materia oblationis, quæ fit in Missa, non potest esse nisi Panis, & Vinum Aqua mixtum. 61.2.8

PAPA.

1. An eadem virtute Christus, & eius vicarius Summus Pontifex colatur. 36.2.7
2. Vtrumque genu Pontifici flectitur. 56.2.8
3. Quid possit Papa circa Decimas. vide verb. Decimæ à n. 49
4. Potestas determinandi quotam Decimæ, de Iure diuino competit soli Pontifici immediatè. 79.1.9
5. Potestas iurisdictionis spiritualis, in solo Pontifice est immediatè, in aliis communicata. ibid.
6. Ponere Decimam de nouo ad solum Pontificem spectat. 85.1.11

7. Non se priuare potest potestate condendi Decimas. ib.
8. An Pontifex possit dispensare in Iure diuino positiuo. 89 1.7
9. An Papa obligetur ad Decimas. 98.1.4 99 1. 8. & seq.
10. Attento Iure diuino naturali possit ab Episcopis quotam aliquam suorum redituum petere. 100.1.11
11. Quomodo in electione Pontificis possit redimi vexatio, vide verb. electio à n. 1
12. An Papa possit committere Simoniam vide verb. Simoniæ causa efficiens. à n. 1.
13. Pontifex non ita pertinet ad Clerum cuiuscunque Parochiæ, vt Episcopi. 128.1.8
14. Solus Papa potest decernere festiuitates vniuersales. 163. 1.3
Vide Simoniam. 85

PAROCHVS.

1. Quando Decimæ non sufficiunt ad sustentationem Parochi, quid faciendum. 63.1.7.& 9
2. An possit negare Sacramentum non soluenti oblationes. 66.1.23
3. Peccatori occulto publicè petenti Sacramentum debet dare. ibid.
4. Si nec Pontifex, nec pensionarius alat Parochum, an populus ad id teneatur. 92.2.8.& 93.1.10
5. An Parochus teneatur ad Decimas, vide verb. Decimæ. n. 78.& 79
6. Parochus tenetur ex officio ad concionandum vel per se, vel per alios. 205.2.7
7. Parochus quomodo in absentia Episcopi possit dare licentiam ad laborandum in festo. 242.1.2

PASCHA.

1. Paschatis festum ab Apostolis institutum. 171.1.1
2. Non est de Iure diuino. ibid.
3. Quot dies hebdomadæ Paschatis obseruentur. ibid.2
4. Paschatis festum semper Dominica die celebrandum. 171. 2.3
5. Hæreticum est, sentire illicitum celebrare pascha die Dominica. 172.2.5
6. Ioannes Euangelista celebrauit Pascha 14. luna sine obseruatione diei Dominicæ. 173.2.9
7. Post Ecclesiæ decretum, hoc iam non potest fieri. 173.1.7
8. Pascha die Dominica celebrari conuenientius est. 173.2.10
9. Oppositum sentire est temerarium. ibid.
10. In Decima quarta luna non celebratur Pascha, ne cum Iudæis celebretur. ibid.n.11
11. Cur non celebretur semper certo die mensis. 174.1.13
12. Celebrandum Pascha proxima Dominica post Decimam quartam lunam primi mensis. 174.2.14
13. Annus lunaris obseruabatur à Iudæis in Paschate. 175. 1.15
14. Iudæorum Pascha quo die celebrabatur. ibid.
15. An aliquando sit nostrum Pascha celebrandum in 15. luna. 176.1.22
16. Intra quot dies possit Pascha celebrari. 176.2.23.& seq.
17. In toto orbe eodem die celebratur. 178.1.28

PASSIO CHRISTI.

1. Festum passionis. p. 169.2.n.15
2. Iudicia cessant per septem dies Passionis. 170.1.15
3. Probabile est eos hos dies olim solitos operum cessatione ibid.n.16
5. Non ita modò. ibid.
6. An ab officio Missæ feriæ quintæ vsque ad finem officij feriæ sextæ sit cessandum ab opere seruili. 170.2.16
7. Feriæ passionis cur solennes appellentur. 170.2.18

PATRONVS, ET IVS Patronatus.

1. Aliud Ius Patronatus Ciuile, aliud Canonicum. 510.2.1
2. Cur honorificum, vtile, & onerosum dicatur. ibid.
3. Patronus habet Ius præsentandi personas ad suas Ecclesias. ibid.2.n.2
4. Ius Patronatus quoad honorem, vtilitatem, & defensionem non est materia Simoniæ, 511.1.3
5. Simonia est vendere Ius Patronatus prout est Ius præsentandi. ibid.c.2.n.5
6. Hæc Simonia est contra Ius diuinum naturale. 512.1.7
7. Ius Patronatus intrinsecè est spirituale, dicitur tamen partim temporale. ibid.7.& 8
8. Ius præsentandi quod est in Patrono Laico est materia Simoniæ. 512.2.10
9. Præsentatio ad beneficium est materia Simoniæ in Patrono. 513.2.11
10. Ius Patronatus licet vendi non possit, transire potest cum re vendita. ibid.c.2.n.12
11. Propter illud non potest res vendi carius. ibid.13
12. Ius Patronatus non potest in alium transferri nisi modis à Iure expressis. ibid.n.15
13. Primus modus est per Ius hæreditarium. 514.1.15
14. Non solùm ad hæredes necessarios, sed etiam ad voluntarios potest transire. ibid.
15. Per liberalem donationem etiam transfertur. ibid.n.16
16. Quando ad hanc donationem requiratur Episcopi licentia. ibid.
17. Ius patronatus transfertur etiam cum re vendita. ibid.n. 17
18. Diuiditur in reale, & personale. ibid.
19. Quando Ius patronatus per se donatur, eget consensu Episcopi, non cum donatione villæ. ibid.
20. Simoniaca non est venditio, quod in ea hominetur Ius patronatus si pretium non excedit valorem villæ. 514.2.18
21. Si Ius patronatus est personale non transit ex vi venditionis, si vendatur pars bonorum à patrono. ibid.n.19
22. Neque si vendat omnia bona. ibid.
23. Cur transeat ad hæredem. 515.1.20
24. Ex donatione quomodo possit dari emenri. ibid.
25. Quid dicendum, quando Ius patron. non adhæret bonis, sed bona Iuri à n. 21

PAVPER.

1. Intuitu subuentionis pauperum, benè posset Ecclesia Decimas instituere. 80.2.7
2. Cura pauperum specialiter Prælatis commissa est. ibid.
3. Decimæ datæ Clericis habent respectum ad subuentionem, pauperum. 82.1.13
4. Qui pauperes teneantur ad Decimas. 96.2.15
5. Cur Decimæ ad pauperes non pertineant. 129.2.14

PECCATOR.

1. In voluntate peccatoris manet habitus piæ affectionis. 9. 1.2 ibid.
2. Religionis infusæ habitus non manet. ibid.
3. Actus Relig. infusæ potest in eo dari. 25.2.11
4. A quibus peccatoribus non est accipienda oblatio. vide verb. oblatio. à n. 37
5. Non est expectanda declaratio peccatoris, vt oblationes ab eo non accipiantur. 69.1.13
6. An publicus peccator teneatur post conuersionem soluere Decimas omnis prioris lucri. 138.2.10
7. Idololatra dicitur, qui mortaliter peccat. pag. 308. col. 2. n. 1

PECCATVM.

1. Omne peccatum est contra personam rationalem, aut intellectualem. 6.2.3
2. Pœnitentia non supponit præcessisse peccatum in subiecto, in quo est. 42.2.4
3. Detestatio peccati potest esse actus charitatis. 52.2.5
4. An peccatum sit specialiter prohibitum in die festo. Vide verb. festi dies. n. 40.& 41
5. Malitia, quæ in omni peccato includitur, non spectat ad irreligiositatem. 284.2.11
6. Omne peccatum mortale includit odium Dei interpretatiuè. 319.1.14
7. Probabile est peccare in die festo, esse sacrilegium veniale. 398.2.3

PECVS.

1. Pecorum Decimæ quando soluendæ. 152.1.6

PENSIO.

1. Probabile est posse Pontif. æstimare valorem pensionis, & eum simul accipere. 498.1.25
2. Episcopus non potest imponere pensionem, nisi in casibus à Iure concessis. 500.2.37
3. An pensio sit res spiritualis. 502.2.1
4. Pensionum quædam conferuntur omnibus, aliæ solis Clericis. 503.1.3
5. Priores non sunt materia Simoniæ. ibid.n.5
6. Secundum Ius nouum Pij V. pensiones sunt spirituales, & inuendibiles. ibid.c.2.n.8
7. Tenentur ad recitandum officium Virginis, qui eas habent. ibid.
8. Pensionarius habens licentiam transferendi pensionem, Simoniacus erit si pro pretio faciat. 504.1.9
9. Qui habet licentiam transferendi totam, potest transferre partem, retento spirituali titulo. ibid.
10. Qui accipit partem tenetur ad explendam obligationem Pij Quinti. ibid.
11. Ante Pium Quintum non erat contra Ius Diuinum, pensiones redimere. ibid.n.10
12. Supposito Iure Quinti redimere pensiones, est Simonia contra Ius Diuinum. ibid.n.12.& 505.n.14
13. Pensio iniusta valida redimi non potest, inualida potest 505.1.15
14. Pensiones temporales vendere, est Simonia ex stylo Curiæ ibid n.16
15. Si pensio redimatur, manente pensionario obligato ad pensum spirituale, non fit Simonia. ibid.c.2.n.17
16. Hæc non est venditio sed locatio pensionis. ibid.
17. Pensionarius potest renunciare pensioni, manendo liber ab onere spirituali ibid.n.18
18. Pensio

18. Pensio Clericorum vel datur in stipendium, vel ratione beneficij. 506.1.19
19 Stipendiaria, nec vendi, nec redimi potest. ibid. n. 21
20. Pensionarius retento officio, pro quo datur pensio, potest pacisci de illa. ibid. n. 20
21. Episcopus non potest sine Simonia dare munus, cui est annexa pensio, cogendo ad redemptionem. ibid.
22. De pensione stipendiaria personali, potest Prælatus pacisci. ibid. n. 21
23. Potest eam imminuere quantùm potuerit, si officium non habet certum pretium taxatum. ibid.
24. Pensio alia datur in titulum beneficij, alia pro beneficiis. 506.2.23
25. Prima, beneficium est. 507.1.23
26. Pensio pro beneficis, triplex est. ibid.
27. Opinio asserens posse illa vendi, & redimi. ibid. n. 24
28. Opinio asserens, neque modò, neque vnquam vendi potuisse. 507.1.25
29 Consulendus stylus Curiæ, an pensiones ex Iure antiquo essent vendibiles, vel irredimibiles. ibid. c. 2. n. 26
30. Ex nouo Iure Pij V. non possunt vendi. ibid.
31 Vel est temporalis vel spiritualis. 533.1.1
32 In titulum beneficij erecta, est præstimonium. ibid.
33 Neque pensionum permutatio, neque collatio potest fieri authoritate Episcopi. 533.2.7
34 Pensio translata in aliam personam, est eadem numero. ibid. n. 6
35. Beneficiorum permutatio cum pensione, qui fieri possit, vide beneficiorum permut. cum pens. à n. 1

PENTECOSTES.

1. Pentecostes cur numeretur inter Christi festa. 178.2.2
2 Prout fuit in lege veteri, erat de Iure diuino. 179.1.2
3 Non ita in lege gratiæ. ibid.

PEREGRINVS.

1. An peregrini dum extra Parochiam, oppidum, vel Episcoparum versantur, teneantur ad festa, & leges illius, vide verbum festi diei à n. 30.
2. Peregrinus debet cessare à seruilibus, etiam si breui tempore maneat in loco, vbi est dies festus. 200.1.21
3 De Missa quid dicendum. 200.2.22
4. Quæ mora obliget peregrinum ad præceptum negatiuũ, & quæ ad positiuum. 200.2.24

PERFECTIO SIMPLICITER.
simplex.

1. Religio non dicit perfectionem simpliciter simplicem. 24.2.4

PERMVTATIO.

1. Vide verb Beneficiorum permutatio. à numer. 1.

PERSONA DIVINA.

1. Vna persona Diuina non potest aliam colere. 25.1.5
2. Relig. in persona increata potest dari, vt in Christo. 25.1.7

S. PETRVS.

1. Petri, & Pauli festum, à die martyrij eorũ cœpit. 185.2.11
2. Non est certum non fuisse Euangelium Gentibus prædicatum ante reuelationem Petro factam. 186.1.14

PHILOSOPHI.

1. Qui cultum Dei abiecerint. 51.1.1
2. Variæ philosophorum opiniones circa suos Deos.
3. Multi credebant substantias separatas non fuisse ab alio factas. n. 7
4. Triplicem Theologiam distinxerunt, Physicam, Ciuilem, & Fabulosam. 311.2.2 n. 5

PISCATIO.

1. Prohibetur in festo. 231.1.5
2. Quæ liceat, ex consuetudine. ibid. à n. 5

PLACITVM.

1. Placitum non licet in festo. 233.2.6
2. Qui actus ad Placitum pertinentes liceant in festo. Vide verb festo die quæ liceant. à n. 32
3. Placitum quomodo sit prohibitum, & irritum in Ecclesia. vide verb. Ecclesiæ, quæ sint contraria à n. 6

POENITENTIA.

1. Non est iustitia commutatiua, vt falsò Duran. dixit. 33.2.3. 42.1.4
2. Pœnitentia, vt sit in subiecto non supponit præcessisse in eo peccatum.
3. Recompensatio pro iniuria facta Deo, ad pœnitentiam spectat. 42.1.5
4 Pœnitentia æquiparatur iniustitiæ, in aliquibus. 42.2.7
5. Pœnitentiam non distingui à Religione, probabile est, contrarium tamen probabilius. 43.1.10
6. Iustitia ad Deum, diuiditur in Religionem, & pœnitentiam. ibid.
7. Debitum penitentiæ, est restrictius, quàm Religionis. 43.2.10
8. Pœnitentia an necessariò exerceat actum positiuum erga Deum in effectù, vel affectu. 43.2.11
9. Nobilior est, quàm Religio. 48.2.17
10 In constituenda æqualitate magis deficit, quàm Religio. ibid.
11. Ad pœnitentiam ex Iure diuino tenetur homo, si mortaliter peccauit. 55.2.2
12. An necessaria sit ad salutem per modum specialis actus virtutis moralis. 55.2.3
13 Penitentiæ actus non est in festis imperatus. 207.1.14

POLLVTIO ECCLESIÆ.

1. Per quos actus Ecclesia polluatur. Vide verb. Ecclesiæ pollutio à n. 1

PRECES.

1. Vide verb. Simoniæ pretium, dictum munus à lingua. à n. 2

PRÆCEPTA DÆCALOGI.

1. Præceptum adorandi Deum, in quo decalogi præcepto continetur. 54.1.14
2. Tertium præceptum quoad determinationẽ Sabbathi est cæremoniale, quoad substantiã tamen est morale. 54.2.16
3. Quale fuerit tertium præceptum Decalogi. Vide verb. festi dies à n. 2

PRÆSCRIPTIO.

1. An consuetudo oblationum possit obligare per modum præscriptionis. 65.1.19.20
2. Præscriptio, non requirit consensum ex parte eius, super quem cadit. ibid.
3. Discrimen inter abrogationem legis, & præscriptionem. ibid.
4. Ad præscriptionem in oblationibus, qualis continuatio actus requiratur. 65.2.21
5. Cur datur contra Decimas, non ita tamen contra tributa Regia. 84.2.9
6. Quantum tempus sufficiat ad præscriptionem in Decimis. 86.1.1. & seq.
7. In quo differant consuetudo, & præscriptio. 86.2.3
8. In præscriptione requiritur bona fides, non ita in consuetudine. 87.2.8
9. Quantum tempus requiratur ad præscribendum in decimis. Vide verb Decimæ prædiales. n. 15. & 16
10 An Ecclesiastici, vel Laici possint præscribere Ius Decimarum. Vide verb. Decimæ à n. 135

PRÆSENTATIONIS FESTVM.

1. Christo simul, & Virgini celebratur. 169.1.10
2. Quando incepit. ibid. n. 11
3. Romæ celebratum ad abolenda supercalia. ibid. n. 12

PRÆSTIMONIVM.

1. Præstimonia non sunt quæ dantur Laicis. 502.2.2
2. Sunt perpetua, & Clericorum propria. ibid.
3 Non ex hoc solùm quod Clericis dentur, sunt materia Simoniæ. ibid. n. 3
4. Habent titulum spiritualem, cui temporale commodum est annexum. ibid.
5. Sunt beneficia Ecclesiæ, & materia Simoniæ. ibid. c. 2. n. 4

PRETIVM.

1. Pretium, dicitur per ordinem ad æstimationem operis. 483.1.10
2. Vide verb. Simoniæ pretium à n. 1

PRIMITIÆ.

1. Sunt primi fructus frugum terræ. 71.1.1
2. Non optimos fructus, sed tempore primos significat hoc nomen. ibid. n. 2
3 Primitiæ non sunt de Iure diuino naturali. 71.2.4
4 Earum vsus antiquissimus. ibid.
5 Quomodo possint dici de Iure naturali- 71.2.5
6. An sint de Iure naturæ, prout à sacrificio distinguntur. 72.1.7
7. Per vnam Actionem satisfit obligationi Primitiarum, & sacrificij. 72.2.8
8. Consentaneum est tamen, vt præter sacrificium, Primitiæ offerantur. 72.2.9
9 In lege veteri sæpius latum fuit præceptum Primitiarum. ibid. 10
10 Quales circunstantiæ in ea sint additæ Primitiis. ibid.
11. De fructibus arborum etiã Primitiæ soluebantur. 73.1.11
12. Quædam Primitiæ offerebantur ante collectionem fructuum, aliæ post illam. ibid.
13. Ante Decimarum computationem soluebantur. ibi. n. 12
14. Earum quantitas non erat certa, qualis tamen esset in vsu. ibid.
15. Quo pacto ex collectis fructibus deducentur Primitiæ. ib.
16. Quæ causæ essent Primitiarum in lege veteri. 73.2.13
17. Cur Aaron, & aliis Sacerdotibus fuerint applicatæ. ibid.
18. In lege gratiæ, est præceptum soluendi primitias. ibid. n. 14
19. Præceptum hoc non durat in Ecclesia, ex vi præcepti veteris legis. ibid. n. 15

20. Quantitas Primitiarum, quæ erat in lege veteri, non durat in Ecclesia. ibid.
21. Obligatio Primitiarum potest consuetudine variari, & auferri. ibid.

PRIMVM PRINCIPIVM.

1. Ratio primi principij non est in Deo, attributum ab aliis distinctum. 10.1.14
2. Formaliter ex pluribus attributis coalescit. ibid.
3. Primum principium concipi potest, vel in potentia ad se communicandum, vel in actu. 10.2.5
4. Sub vtroque modo est Religionis fundamentum. ibid. n.6

PRIVILEGIVM.

1. Priuilegium non soluendi Decimas est odiosum. 105.2.6
2. Discrimen inter priuilegium reale, & personale. 109. 1.14

PROCESSIO.

1. Processio habet rationem officij Ecclesiastici. 456.2.7
2. Vide Simoniam. 108

PROMISSIO.

1. Vt est materia Religionis, Primam honestatem à diuino cultu habet. 13.1.5
2. Promittere actus Religionis, & illos implere ad Religionem pertinet. 23.2.11
3. Promissio facta Deo, maius debitum legale, & morale inducit, quàm facta homini. 34.1.17
4. Quo pacto tollatur obligatio promissionis. 83.24

PRVDENTIA.

1. Quomodo Religio distinguatur à prudentia. 31.2.1
2. Prudentia non tantùm moralis, sed intellectualis est virtus. 48.2.19

PVPILLVS.

1. Bona tutoris sunt obligata pupillo pro mala administratione. 154.2.11

PVRGATIO CRIMINIS.

Purgationes vulgares quo pacto non liceant. vide verbum. Tentatio Dei. 2 n.19

R.

RAPTOR.

1. A raptore non est accipienda oblatio. 67.2.6
2. An Virginis raptor possit ab Ecclesia auferri. 275.1.17

RELIGIO.

1. Religio non solùm significat cultum Dei, sed etiam officium hominibus exhibitum, teste Aug. 3.1.1
2. Religio quid propriè significet. ibid.c.2
3. Solum Deum, & eius cultum respicit. ibid.
4. Eius Etymologiæ variæ referuntur. ibid.
5. Religio dicitur, quia ligat homines Deo. 4.1.5
6. Discrimen inter Aug. & Lact. de significatione nominis, Religio. ibid.n.7
7. Hoc nomen specialiter cui statui quadret. 4.2.8
8. Cur apud Latinos Religio sumatur pro anxia cura. ibid. n.9
9. Sumitur pro scrupulo conscientiæ. ibid.n.9
10. In veram, & falsam diuiditur. 5.1.1
11. Aliqui eam in intellectu, alij in voluntate consistere dixerunt. ibid.
12. aliquando Religio sapientia dicitur, & vice versa. ibi.n.2
13. Vera, vel falsa formaliter dicitur secundùm id, quod in intellectu supponit. 5.2.2
14. Quibus modis falsitas in Religione reperiatur. ibid. n.3
15. Apud Gentiles, qualiter falsa fuerit. ibid.
16. Qualiter apud Iudæos ibid.
17. Prout spectat ad affectum voluntatis, est formaliter Religio. ibid.c.2.n.4
18. Illa vera est, quæ in vera fide fundatur, & falsa, quæ in errore. ibid.
19. Falsa, non est virtus. ibid.
20. Non solùm actus internus, sed externus, quo Deus colitur, Religio dicitur. 6.1.5
21. Quæ honestas sit in rebus, quæ participant nomen Religionis. ibid.n.6
22. Hæc vox æquiuoca est. ibid.n.7
23. Ecclesia etiam Religio dicitur. ibid.
24. Religio ad Angelos non ordinatur, sed ad Deum. 6.2.3
25. Petitio quomodo spectet ad Relig. 8.1.6
26. Religio infusa non manet in voluntate peccatoris. 9.1.2
27. Refert in Deum totam suam materiam. 9.2.6
28. Datur vna ratio, sub qua Religio tendit in Deum. 10.1.4
29. Qualiter excellentia Diuina sit ratio, ob quam Religio colit Deum ibid.
30. Religio honorem, & gloriam Dei intendit. 11.2.6
31. Religionis vsus, per se est conueniens, propter solam Dei gloriam. 12.1.9
32. Non solùm reddit Deo cultum debitum, sed etiam non debitum. 13.2.1
33. Adæquatum munus Religionis est reddere Deo cultum debitum. 14.1.2
34. Religio quomodo habeat efficientiam in actum exteriorem. 20.2.5
35. Quomodo distinguatur à Spe. 27.1.4
36. Quomodo distinguatur à Charitate. 27.2.6
37. Benè D. Thom. asseruit actus Theologicarum virtutum posse à Religione imperari. 28.2.11
38. Promittere actus, & implere ad Religionem pertinet. ibid.
39. Religio, sanctitas dicitur. 29.1.19
40. Non est virtus Theologica. 30.1.3
41. Non attingit Deum immediatè, vt obiectum Quod. ibid. n.5
42. Est virtus moralis. 30.2.6
43. Durandus asseruit partim esse moralem, partim quasi Theologicam. ibid.
44. Religio quod medium respiciat. ibid.
45. Religio gloriam Deo præbet propter iustitiæ æquitatem. 31.1.10
46. Quomodo distinguatur à prudentia. 31.2.1
47. Sub qua consideratione dici possit iustitia. 32.1.4
48. Quæ conditiones ei desint, vt sit vera iustitia. 33.1.10
49. Quomodo distinguatur à fortitudine, & temperantia. 31. 2.1
50. Vnde colligatur excellentia Religionis inter alias virtutes morales. 36.1.4
51. Quomodo versari potest circa rem creatam, tanquam materiam immediatam. ibid n.5
52. An eodem modo se habeat erga Deum, & Sanctos, quo Charitas erga Deum, & proximum. 37.1.8
53. Discrimen inter Religionem, & Charitatem, prout versantur inter Deum, & proximum. 37.2.13
54. Religio respicit distinctionem inter honorantem, & honoratum. 40.1.22
55. Distinguitur ab obedientia. 40.2.3
56. Immediatius tendit in Deum, quam obedientia. 40.2.4
57. Cur eadem obedientia circa Deum, & homines versetur non ita eadem Religio. 41.2.7
58. Recompensationem pro iniuria Deo facta pertinere ad Religionem quidam dicunt. 42.1.5
59. Religionem non distingui à pœnitentia probabile est, contrarium tamen probabilius. 43.1.10
60. Religio ex parte obiecti postulat positiuos actus Diuini cultus. 43.2.14
61. Inter Religionem, & iustitiam datur discrimen in solutionis inæqualitate. ibid.n.12
62. Religio ex sententia D. Thom. virtutes morales longè superat. 46.1.3.& seq.
63. Reiicitur opinio Caiet. iustitiam legalem Religioni præferentis. ibid.n.6
64. Religio non solùm moralibus, sed etiam Theologicis virtutibus potest imperare. 46.2.7
65. Ordinat iustitiam legalem in suum finem. ibid.
66. Quomodo aliquando per iustitiam ordinetur. ibid.n.8
67. Perfectior est, quàm misericordia. 47.1.13
68. Quomodo pœnitentia nobilior sit, quã Religio. 48.1.16
69. Religio antecedit obedientiam. 48.1.15

RELIGIONIS ACTVS.

1. Inter actum internum Religionis, & Deum, semper mediat aliqua actio. 7.1.5
2. Religio nullum habet actum, quo versetur circa Deum, vt obiectum Quod. 8.1.5
3. Velle petere est actus ab habitu Relig. elicitus, non ipsa petitio. ibid.
4. Alij actus Relig. sunt primarij, alij secundarij, & quomodo Deus per eos colatur. ibid.n.8
5. Actus, quibus Sanctos colimus, non sunt Relig. si in eorum excellentia sistant. 8.2.9
6. Actus, quo Deus colitur in Sanctis, Religionis est. ibid.
7. Qui actus Relig. habeant rationem signi, ex impositione. 12. 2.1
8. Quando debeat esse publicum, & quando priuatum sufficiat signum in actu Relig. ibid.
9. Qui dicãtur interiores, & qui exteriores Relig. actus. 16.1.1
10. Actus Relig. naturalis possibilis est. 16.2.5
11. Ad eum per se non requiritur gratia. 17.1.6
12. Voluntas perfecta colendi Deum fideli cultu, est supernaturalis. ibid.n.7
13. Ex triplici capite potest considerari huius actus supernaturalitas. ibid.n.7
14. Ex solis principiis non est supernaturalis actus Religionis. 17.2.9
15. actus Relig. naturalis, & supernaturalis ex diuerso modo tendendi in obiectum distinguuntur. ibid.n.10
16. Voluntas non periurandi, est actus Religionis, & non iustitiæ. 18.1.12
17. Actus

17. Actus Relig. distinguntur etiam ex parte proximi moriui. ibid n. 14
18. Omnes actus exteriores, circa quos versatur voluntas colendi Deum, spectant ad Religionem. 28.2.1.& 2
19. Idem actus solitariè sumptus non potest esse affectus colendi Deum, & cultus ipse. ibid.n.3
20. Poterit, si fiat reflexio in eum per alium actum. ibid.
21. Quomodo actus interiores Religionis inter se distinguantur. 22.1.5
22. Impugnatur opinio asserens, quoties externi actus distinguntur specie, distingui etiam internos. 21.2.3
23. A formali diuersitate, quæ in actibus externis datur distinguntur specie actus interni circa illos versantes. 22.2.8
24. Actus Religionis distinguntur inter se non solùm per materialia, sed etiam per formalia obiecta. 23.2.11
25. Actus Religionis infusæ, potest dari in peccatore. 25.2.11
26. Abstinere a frequentia communionis potest esse actus à Religione elicitus. 27.2.5

RELIGIONIS HABITVS.

1. Religionis habitus, Religio etiam dicitur. 6.1.5
2. Dari hunc habitum ostenditur. ibidem. n. 7
3. Velle petere, est actus elicitus ab habitu Relig. non ipsa petitio. 8.1.5
4 Habitus Religionis certum est dari in nobis. 24.1.1
5. Vel est acquisitus, vel infusus. ibid.
6. Essentialiter est virtus. ibidem. n. 2.
7. Proprius est naturę intellectualis, vel rationalis. 24.2.4.& seq.
8. Non potest in Deo dari ibidem.
8. Non dicit perfectionem simpliciter simplicem. ibid.
10 Habet pro immediato, & proprio subiecto, voluntatem. 25.1.6
11 In Christo locum habuit. ibid. n. 7
12. Potest dari in persona increata. ibidem.
13. In Beatorum voluntatibus reperitur. ibidem.
14. Voluntas damnati est incapax huius habitus. ibid. n. 8
15. Viator quilibet est capax illius. 25.2.8
16. Habitus Religionis infusæ non datur in peccatore. 25. 2.11
17. In appetitu qualis habitus Religionis detur. 26.1.12
18. Quas causas habeat habitus Religionis. ibid. n. 13
19. Quos effectus habeat. ibid. n. 14
20. Distinguitur saltem specie ab habitu fidei, spei, & charitatis. 26.2.1
21. In quibus conueniat, vel differat cum habitu fidei. 27. 1.3
22. Religio quomodo habeat efficientiam in actum exteriorem. 20.2.5
23 Opinio asserens Religionem esse vnam genericè solùm. 44.1.2
24 Opinio asserens Relig. habitum esse specie vnum. 44.2.5
25. Vtraque probabilis iudicatur. 45.1.8
26. Quãdo genus esse asseritur, quas species sub se habeat. ib.
27. Cedit omnibus virtutibus Theologicis. 45.2.1
28. Imperfectior est, quàm pia affectio voluntatis ibid. n. 2

RELIGIONIS OBIECTVM.

1. Deus ad obiectum Religionis pertinet. 6.1.2
2. Quo sensu Deus sit obiectum proximum Religionis, & quo remotum. 7.1.5
3. Deus potest dici obiectum proximum Religionis, sed indirectum. 7.1.6
4. Quomodo Deus non sit obiectum Quod, sed Cui Religionis. ibid. n. 7
5. Quæ requirantur, vt Deus sit adæquatum obiectum Cui Religionis. 7.2.1
6. Religio nunquam attingit Deum vt obiectum Quod, sed vt Cui. ibid n 4
7. Nullum habet actum Religio, quo versetur circa Deum, vt obiectum Quod. 8.1.5
8. Deus est obiectum Cui adæquatum Relig. ibid. n. 8
9. Neque Religio aliud obiectum, neque Deus aliam virtutem sub eadem habitudine respicit. 8.2.1 & 9.1.4
10. Quid sit obiectum Quod Religionis. 11.1.1
11. Sacra instrumenta quomodo ad obiectum Relig. spectent. ibid n. 3
12. Omnes actus humani, quibus Deus coli potest, continentur intra obiectum Relig ibid. n. 4

MATERIA RELIGIONIS.
vide obiectum.

1 Qui actus cadant sub materiam Religionis in ratione signi 12.2.1
2. Interna Dei æstimatio, & actus quibus significatur, comprehenduntur in materia Relig. ibid.
3. Tàm interni, quàm exterми actus, possunt esse materia Religionis. ibid. n. 2
4. Quales esse debeant hi actus ibid.
5. Quilibet actus honestus, est apta materia Relig. ibidem. num. 5.
6. Vnde actus externi habeant conuenientem significationem, vt sint materia Relig. 13.2.5

RELIGIONIS DEBITVM.

1. Debitum Relig cur legale dicatur. 14.2.6
2. Debitum Relig. est rigorosius, quàm iustitiæ. 33.2.13
3. Qualis impotentia reddendi æquale debitum varier rationem iustitiæ. ibid. n. 14
4. Religio in ratione debiti, magis rigorosa est, quàm propria iustitia. 34.1.16
5. Superat item omnes alias virtutes, quæ sunt ad alterum. 34.2.18.19
6. Non est faciendum contra Religionem, ad soluendum alterius virtutis debitum. ibid. n. 20
7. Non semper præferendum Religionis opus aliis obligationibus ibid.
8 In Religione quomodo inueniantur duæ conditiones necessariæ ad iustitiam. 35.1.23
9. Religio re, & essentia distinguitur à Dulia. 36.1.4

RELIGIO SVMPTA PRO statu Religioso.

1. Peculiariter quadrat nomen Religio huic statui. 4.2.8
2. Status Religiosus non constituit ministros Ecclesiæ. 132. 2.8
3. Religionis ingressus in Iure alter ad probationem, ad professionem alter. 463.1.4
Vide Simoniam. 109
4. Religionis ingressus pro pretio, vide verb. Simoniæ pretium an restituendum. n. 28

RELIGIOSVS.

1. Religiosi propria est misericordia. 21.2.10
2. Tribus modis sunt Religiosi oblationum capaces. 70. 1.19
3. Quà tales non recipiunt oblationes, ibid.
4. An Religiosi, & eorum coloni teneantur ad Decimas prędiales, vide verb. Decimæ prædiales. n. 5
5. Priuilegium non soluendi Decimas etiam Religiosis concessum odiosum est. 105.2.6
6. Qui in communi viuunt à Decimis personalibus eximuntur. 105.1.3
7. An Religiosi possint accipere, vel præscribere Ius Decimarum, vide verb. Decimæ. n. 132
8. An Simoniam committant. vide verb. Simoniæ causa efficiens. n. 21
9. Eorum pœnæ, vide verb. Simoniæ pœna. n. 28
10 An validæ eorum professiones Simoniacæ, vide verb. Simoniaca actio, quæ valida. n. 6
11. An pœna Simoniacè Religionem ingredientibus, sit Papę reseruata. 580.1.7

REGNVM.

1. Si Rex non soluat stipendium suis ministris, non tenetur Regnum illa soluere. 39.1.10

RELIQVIÆ.

1. Qui falsas reliquias supponit, qualiter peccet. 307.2.17
2. Reliquiæ, & imagines Sanctorum sunt materia sacrilegij. 454.2.24
3. Colere reliquias Sanctorum cultu publico, si nondum canonizati, neque beatificati sunt, est sacrilegium.

RENVNTIATIO.

Vide verb. benefic. renuntiatio. n. 1

RESTITVTIO.

1. Maleficus corporaliter punitus, tenetur adhuc ad restitutionem, & eius hæredes, si ille bona reliquit. 360.2.12
2. Nulla est obligatio restituendi ex re accepta, si illa bona fide fuerit consumpta. p. 641.2.36
3. Turpe lucrum tàm ex parte dantis, quàm ex parte recipientis, si debeat restitui, cui sit dandum. 644.2.3
4. Cùm Ius naturale obligat ad restitutionem, Iudicis sententia non est expectanda. 655.1.1
5 Pretium beneficij electionis, aut præsentationis, restituendum est, ante omnem sententiam. 655.2.3.& Cui 656. 1.7 & seq.

REVERENTIA.

Quid sit, & à qua virtute procedat. 27.2.6

REX.

1. Si Rex non soluat stipendium suis ministris, non tenetur Regnum illa soluere. 39.1.10
2. Reges accipiunt Decimas à Pontifice, per liberalem donationem. 122.1.11
3 Non possunt instituere dies festos. 193.1.2
4. Possunt præcipere subditis feriari à laboribus. ibidem, n. 3
5. Non possunt immediatè processionem publicam præcipere ibid.
6. Quando Princeps non potest ferre legem, neque potest pro illa pœnam exigere. 194.1.7
7. Potest leges condere in sua terra, etiam in ordine ad peregrinos. 198.1.12

S.

SABATHVM.

1. Præceptum seruandi Sabbatum, non obligabat ante legem Moysis. 157.2.3
2. Dies septima etiam à Gentilibus religiosè obseruatur. ibidem.
3. An præceptum Sabbathi fuerit positiuum, vel negatiuum 158.1.5
4. Sabbathi quies, quid significabat. 159.1.8
5. Sabbathum fuit determinatum à Deo, per peculiarem reuelationem. ibid.
6. Malè Seneca credidit Iudæos perdere septimam vitæ partem colendo Sabbathum. 159.2.10
7. Præceptum Sabbathi cessauit in lege Gratiæ quoad cæremoniale. 159.2.11
8. Sabbathi obseruatio, mortifera modò est. 160.1.13
9. Sabbathi obseruantiam excitabit Antichristus. 159.2.11
10. In lege veteri, inæqualiter prohibebantur opera externa in Sabbatho, & in aliis festis. 209.1.8

SACERDOS, VIDE Parochum.

1. Sacrifici ũ Eucharistiæ, qualiter per Sacerdotes fiat. 59.2.10.
2. In sustentationem Sacerdotum quædam oblationes fiũt. 61.1.7
3. Cur Primitiæ Sacerdotibus fuerint applicatæ. 73.2.13
4. Cur Sacerdotes nouæ legis, maiori Decimarum sumptu indigeant, quàm veteris. 80.2.8
5. Illis soluendæ sunt Dæcimæ, licet aliàs diuitibus ibidem. n. 9
6. Sacerdotibus non debentur alimenta ex iustitia, eò quòd tales sunt, sed quia ex officio ministrant. ibid.
7. Sacerdotes diuites solùm Decimarum dispensatores, quidam asserunt. 81.1.11
8. Sustentatio Sacerdotum est de Iure naturali, non tamen modus, quo illis prouideatur. 82.2.18
9. Castitas, Sacerdotibus maximè commendabatur, etiam ab ethnicis. 391.2.9
10. Probabile est peccata carnis in Sacerdote esse sacrilegia, grauia, etiam præscindendo à voto. ibid.

SACERDOTIVM.

1. Sacerdotium Summum vide Esau.
2. Sacerdotium vide Simoniam 9.

SACRAMENTVM.

1. Sacramenti duplex materia, proxima, & remota. 438.1.3
2. Illius emptio, intrinsecè est mala contra Sotum. 441.1.7
3. Cuius opinio singularis, & improbabilis. 443.2.16
4. Sacramenti emptio potest esse contra charitatem. 436.1.6
5. Vide Simoniam, à 110. vsque ad 118

SACRAMENTALIA.

1. Quæ dicantur. 448.1.1
2. Quæ transeuntia, quæ permanentia. ibid.

SACRIFICIVM.

1. Sacrificium, & oblatio, differunt tanquã genus, & species. 57.2.1
2. Quid sit sacrificium. 58.1.2
3. Licet non sit in rigore de lege naturali, est quasi de Iure gentium ibidem n. 3.
4. Frequenter Patriarchæ, in lege scripta sacrificium obtulerunt ibid. c. 2. n. 4
5. Gentes etiam, sacrificium super habuerunt. ibidem.
6. Modus colendi Deum per sacrificium, est honestus. 58.2.5
7. Est conformis hominum naturæ. ibid. n. 6
8. Circunstantiæ necessariæ, vt sacrificium honestè offeratur. 59.1.6
9. Est actio magis sacra, & publica, quàm oblatio. ibid. n. 8
10. Non omnes fideles eodem modo sacrificarunt. ibid.
11. Sacrificiorum vsus non ita voluntarius semper fuit, vt oblationum. ibid. c. 2.
11. Sacrificium in lege noua, est de Iure Diuino à Christo instituto. ibid. n. 9
13. Celebratur in mysterio Eucharistiæ conficiendo. ibid.
14. Præceptum sacrificij huius, datum est Ecclesiæ ibid. n. 10
15. Quomodo per Sacerdotes offeratur, & quomodo per alios fideles. ibid.
16. Sacrificium an sit offerendum distinctum à primitijs. vide verb Primitiæ n. 7
17. Sacrificium sub Sacramentis comprehenditur. 730.23

SACRILEGIVM.

1. An peccatum omne in Ecclesia factum, sit sacrilegium. 258.1.3. 262.1.6 & 263.1.9
2. Quomodo ex prohibitione Ecclesiæ fiant actiones aliquæ sacrilegæ. 254.1.1
3. Furari rem non sacram de loco sacro, est sacrilegium mortale. 258.2.7. & 259.1.9
4. Ex solo Iure diuino, non esset mortale. 259.1.8
5. Quando ex leuitate materiæ sit veniale. ibid.
6. Fornicatio simplex in Ecclesia occultè facta, est sacrilega. 261.2.4
7. Probabile est peccata mentalia in templo facta, non esse sacrilegia. 262.2.7
8. Actus impudici grauiores in Ecclesia, mortalia, sacrilegia sunt. 265.2.11
9. Aspectus turpis, & similia venialia, sunt sacrilegia, si fiant in Ecclesia. ibid.
10. Quid sit sacrilegium. 386.1.1
11. Diuisio sacrilegij in tres species. 383.1.6
12. Sacrilegium, peccatum mortale est ex suo genere 397.2.1
13. Potest esse veniale, ex leuitate materiæ, vel inaduertentia. ibid. n. 2
14. An malitia sacrilegij, possit esse sola in actu. 398.2.9
15. Multiplicatio prohibitionum circa sacrilegia, est in confessione aperienda. 389.1.7
16. Species sacrilegij, quo pacto inter se distinguantur. 393. 2. 2
17. In tribus casibus incurritur censura ipso facto, pro sacrilegio. 399.2.11
18. Pœna pecuniaria est imposita pro sacrilegio. ibid.
19. Sacrilegium, vide Simoniam. 25. & 26

SACRILEGIVM CONTRA personas.

1. Persona quomodo fiat sacra, vt contra eam committatur sacrilegium. 388.1.1
2. Sacrilegium, non est iniuria facta Christiano, vel homini iusto. ibid. c. 2. n. 3
3. Quot sacrilegiorum genera dentur contra personas sacras. ibid. n. 4
4. Inicere manus violentas in has personas, sacrilegium est ex Iure positiuo, non ex natura rei. ibid.
5. Exigere tributa à Clerico, est sacrilegium. 389.2.8
6. Violatio voti castitatis, similiter. ibid. n. 1
7. Ordinibus minoribus initiati peccando contra castitatem, vel nullum, vel solùm veniale sacrilegium committunt. 391.1.8
8. Idem dicendum de Diaconatu, & Subdiaconatu præscindendo à voto. ibid.
9. An peccata carnis in Sacerdote sint sacrilegia præscindendo à voto. ibid. c. 2. n. 9

SACRILEGIVM CONTRA LOCA, & alias res sacras.

1. Violatio festi non audiendo Missam, non est sacrilegium. 309 1.1
2. Violationem festi per opus seruile, probabile est esse sacrilegium. ibid. c 2. n. 2
3. Peccare in die festo, probabile est esse sacrilegium veniale ibid.
4. Cur sacrilegium contra tempus non constituat speciem sacrilegij particularem. ibid.
5. Opinio negans per violationem temporis, sacrilegium committi. ibid. n. 3
6. Contra Eucharistiam cur non committatur sacrilegium. 395. 1.2
7. An irreuerentia facta imaginibus, & reliquiis, sit sacrilegium ibid. & 396.2.7
8. Impugnatur opinio, asserens percussionem Clerici non esse sacrilegium. 396.1.5
9. Quæ res in materia sacrilegij numerentur. ibid. c. 2. n. 8
10. Peruertere Scripturam sacram, est sacrilegium. 397.1.9
11. Abuti Scriptura ad res turpes, graue peccatum ib. c. 2. n. 3
12. Adorare imaginem Sancti cultu latriæ, an sit sacrilegium per excessum. 398.2.7
13. Colere in Missa, vel cultu publico Sanctũ nondũ canonizatum, vel beatificatũ, sacrilegium est per excessum. ibid.
14. Sacrilegium committi potest per excessum, & per defectum. ibid. n. 8

SAMVEL.

Samuelis anima an verè apparuerit. 215. & 372.1.18

SANCTI.

1. Contra Sanctos etiam datur blasphemia. 293.1.1
2. In blasphemia contra Sanctos, altera malitia est contra Deum, altera contra Sanctos. 299.1.19
3. Cultus ab Ecclesia exhibitus Sanctis, non inuoluit idolatriam. 514.1.15
4. Sancti possunt coli Religionis vel duliæ actu. 396.2.6
5. Adorare imaginem Sancti adoratione latriæ, quod sacrilegium sit. 398.2.7

SANCTORVM FESTA.

1. Sanctorum festa quàm antiqua. 183.2.1
2. Finis illorum. 184.1.2
3. Dupliciter errant hæretici circa Sanctorum festa. ibid. n. 4
4. Nulli Sanctorum, excepta Deipara, duo festa sub præcepto seruantur. 185.1.8
5. SS. Innocentium festum, Iure communi celebratur. 187.1.9

8. Sancti Laurentij festum iuris præcepto seruatur. ibid.
7. Nullus alius dies Martyrum iuris præcepto colitur. ibidem.
8. Confessorum festum nullum seruatur generali præcepto ibid.c.2 n.20.
9. Sancti Syluestri festum non obseruatur ex præcepto. ibid.
10. Similiter dicendum de festo S Martini. ibid.nu.21.
11. Sanctorum Doctorum festa non obseruantur iuris præcepto. ibid.n.22
12 Similiter festum Sancti Nicolai. 188.1.12
13. Quid de Sancti Francisci festo dicendum. ibid.
14. Nullum festum Sanctarum mulierum seruatur ex præcepto generali.ibid.n.23.
15. Festum omnium Sanctorum generali præcepto seruatur. ibid.n.24.
16. Cœpit tempore Bonifacij IV. ibid.

SANCTITAS.

1. Vox Sanctitas,quid significet. 29.1.14
2 Gratia,& charitas sanctitas dicitur. ibid.& c.2.n.15

SAPIENTIA.

1. Aliquando Religio dicitur sapientia,& vice versa. 5.1.1

SCANDALVM.

A peccatore publico potest aliquando accipi oblatio si non detur scandalum. 67.2.8

SCIENTIA.

1. Cur pecunia pretiosior,& qui? 431.1.33
2. Cur eam Sapiens emere,non vendere,consulit. ibid.
3. Qui potest de facto vendi. 426.1.11.
4. Propter solam aliquam excellentiam licitè venditur. ibid.c.2.nu.13.
5. Hoc si absit,carius illam vendere iniustum est. 427.2.16
6. Est ab Spiritu sancto, non vt Auctor est gratiæ,sed naturæ. ibid.n.15.
7. Quando contra charitatem est eam gratis non docere,etiam in pura natura. 431.2.33
8. Vide Simoniam.67.

SCRIBERE, ET SCRIPTA.

1. Scribere est opus liberale,& nunquam est in facto prohibitum. 124.2.3
2. Transcribere similiter licet ex mercede fiat. 382.1.à n.2.& seq.
3. In verbis scriptis reperitur blasphemia. 291.2.4

SCRIPTVRA SACRA.

Abuti verbis Scripturæ potest esse aliquando blasphemia,298. 2.17.

SENECA.

1. Malè credidit Iudæos perdere septimam vitæ partem colendo Sabbathum. 159.2.10
2. Quam grauiter peccauit colendo idola. 318.1.8

SEPVLTVRA.

Quibus in Ecclesia negetur sepultura, vide verb. Ecclesiæ immunitas à n.9.

SERAPHIM VIDE ANGELVM.

Qualem adorationem apud Isaiam exhibuerint. 53.1.7

SERVILE OPVS.

1. Quæ sint opera seruilia,& quæ liberalia. 109.2.10
2. Opus non fit seruile ex mercede. 214.1.2.&c. 2.5.& 216. 2.13.
3. Variæ descriptiones operis seruilis. 218.11.& seq.
4. Quæ opera seruilia liceant in festo, vide Festo die quæ opera prohibeantur.à n.8..
5. An dentur opera quæ nec seruilia sint, nec liberalia. 223.1.1 224.1.7.
6. Impugnatur opinio Caiet.affirmatiua,ibid.
7. Opus non seruile,non fit seruile ex corporis labore. 223.2.6

SIGNVM.

1. Quando signum habet impositionem à Deo,obseruatio illius non est superstitiosa. 330.2.7
2. Qui ex Iride cognoscit non futurum diluuium sanctè, diuinat.ibid.
3. Quo pacto cognoscenda Diuina impositio in signis. 330. 2.8
4. Origenes credidit signa cœlestia esse à Deo imposita ad significandum. 332.1.16
5. De signis maleficiorum, vide verb. Magia effectrix maleficiorum à,n.4.

SIMONIA IN COMMVNI.

1. Duplex est vel contra infusam, vel acquisitam Religionem 408.2.1.& 431.1.32.
2. Hæc duo membra à Religione sic differunt, vt priuatio ab habitu ibid.
3. Inter se tantum,quantum hæ Religiones inter se. ibidem.
4. Quæ auctoritas Prælati sit necessaria, vt permutentur beneficia sine Simonia. Vide Beneficiis commutandis quæ auctoritas necessaria à n. 1.
5. Permutatio beneficiorum quî fieri possit sine Simonia. vide Beneficiorum permutationem à n.1.
6. Quomodo beneficia cũ pensione permutentur sine Simonia vide Beneficiorum permutationem cum pensione.à n.1.
7. Quando detur, vel non detur Simonia in renuntiatione beneficij.Benefic.renunt. à n. 4.
8. Simonia diuiditur in mentalem,conuentionalem, & realem. 563.1.1
9. Alia bimembris diuisio proponitur. ibidem c.2.n.2
10 In hac diuisione,diuisum est Simonia externa. 566.1.3
11. Qualis Simonia sit dare statim rem spiritualem, & promittere pretium. 566.2.5. & seq.

SIMONIA CONTRA ACQVIsitam Religionem.

1. Qui possibilis in pura natura,vel paganis. 429.2.27.ad 431. 2.24
2. Quando erit eo statu positiuo tantum. 431.1.13
3. Qualis inter idololatras. 430.1.27
4. Distinguitur specie ab ea,quæ nunc est. 430.1.27.& 431. 1.32

SIMONIÆ HVIVS MATERIA.

1. Sunt Religiosa omnia naturalia. 430.1.17.ad 431.14
2. Vt Sacerdotium,sacrificium,& similia sacra. 430.1.27.28.29
3. Idque intrinsecè,& indispensabiliter. 430.1.31
4. Non bona corporis,& fortunæ. 424.11
5. Consilium,etiam in foro conscientiæ. 428,2.21.& 22
6. Doctrinæ veritas etiam directè vendita. 426.1.11
7. Exhortatio moralis publica,seu priuata, 429.1.23
8. Iniustitia siue in politicis,siue in moralibus. ibid.c.2.n.24
9. Intellectualia practica,& speculatiua. 425.2.8 ad 429.nu. 26.
10 Misericordiæ opera,aut similia. 429.1.24
11. Spirituale morale. 428.1.20
12 Testimonium ferendum. 429.2.25
13. Vitij,aut virtutis omissio. ibid.n.26
14. Quæ annexa spiritualibus sint materia Simoniæ, vide verb. annexum spirit.à n.11.
15. Beneficia sunt materia Simoniæ, vide verb. benef.à nu. 8.
16. Quomodo Pontifex possit separare præbendam, & sic eam vendere,vide Benef.à n. 19.
17. Præstimonia sunt materia Simoniæ. 502.1.3.& 4.
18. Quæ pensiones sint materia Simoniæ, vide verb. Pensio à nu 5
19. Episcopus Simoniam committeret, si quid acciperet, vt vnum potius,quam alium in Vicarium sumeret. 506.2.21
20. Simoniacus esset, qui pecuniam tertio daret,vt beneficium sibi ab Episcopo obtineret.ibidem.
21. Non est Simoniacus, qui à clerico pretium accipit, vt illi potius quàm alteri det stipendium pro Missis dicendis. 506. 2.22.
22. Tertia decimarum data Regi vendi potest sine Simonia. 503.1.5
Ius Patronatus non ita ibidem.
23. Priuilegia clericorum vendi non possunt. ibid. c.2.n.7.
24. Quæ Commendæ sint materiæ Simoniæ, & quæ non. vide Commendam à n.4.
25 Opus ex eo quod solum fiat ex voto, non redditur materia Simoniæ. 509.2.8.
26. Coadiutoriæ sunt materiæ Simoniæ. 508.2.5.
27 Quæ hospitalia sint materiæ Simoniæ, & quæ non, vide Hospitale à n 3.
28. Ius patronatus quomodo sit materia Simoniæ. vide Patronum,& Ius patronat.à n.4.
29. Character baptismalis est materia Simoniæ. 513.1.10
30. Simonia est præsentare aliquem, in casu litigioso, vt suis expensis litiget. 510.c.2.n.14
31. Non ita si conditio ponatur à patrono in casu litigioso vt alius à se præsentetur, nisi ad tempus statutum præsentationem prosequatur.ibidem.

SIMONIA CONTRA RELIgionem infusam.

1. Quid significat vitium. 401.1.1
2. A Simone cur denominatur. 401 2.3.& seq.
3. Simoniaca hæresis,& Neophytorum cur dicitur. 402.2.5
4. In eam cur Simon ex concepta hæresi cecidit. ibid.c.1.n.4.
5. Eius definitio,sacrilegium,&c. 402.2.7
6. Visitata vero,voluntas studiosa,&c. 404.1.9.ad 408.1.15
7. Nulla amplius desideratur particula. 404.1.1
8. Datio sufficit,quod sit quasi pretium. 424.1.1.
9. Non opus vt quid ab alio recipiat emens. 461.2.18
10 Sufficit quod factũ tantum in alio tradat vendens. 434.1.10
11. Hi cõtractus quas sacrilegas significant actiones. 404.1.13
12. Simonia per se fidei non est contraria. 402.26.
13. Verum sacrilegium. 386.2.3.
14. Peccatum mortale grauissimum. 408.2.2
15. Cur,& qui super omnia exaggeratur in Iure ib.
16. Ex leuitate materiæ. 409.1.5 ad 410.1.9
17. Ex parte pretij. 409.1.6
18 Ex subreptione,vel indeliberatione. ibid.n.7.
19. Erit tamen ex ignorantia vel facti,vel Iuris, ibid.n.7

In qua.

Venialis nũquam.

20. Ignorantia iuris Diuini in illa dabitur raro. ibid.
21. Cum iniustitia ad Deum omnibus modis est idē. 411.2.2.3
22. Iniustitiam proximi non habet per se. 412.1.4.5
23. Nisi quando spirituale æstimatur vt sic. 413.7.8
24. Est vel contra ius Diuinum, vel Ecclesiasticum. 404.2.1
25. Contra Diuinum naturale probatur de facto dari. 406.à n. 6. ad 407.1.11
26. Hoc ius fundamentaliter est positiuum, formaliter naturale. 411.1.14
27. Contra Ecclesiasticum etiam verè, ac propriè de facto datur. à 420.22.ad 423
28. Non quod contra illud fit in radice, sed quod immediatè. 421.2.4
29. Idque tripliciter. 422.1.6.ad 9
30. Est peccatum mortale ex vi suæ speciei, & materiæ. 423.2.13
31. Eiusdem speciei cum Simonia contra ius naturæ. ibid.
32. Simoniæ qui potest aliquid esse incapax. 413.2.3

SIMONIA IN LEGE NOVA.

1. Nulla contra ius Diuinum positiuum tantum. 407.1.11
2. Quæ esset simul contra naturale, fuit à Christo Domino explicatum. ibid.n.12.ad 408.15
3. Gratis accepistis præceptum continet positiuum. 407.2.13.14
4. Illud est etiam naturale. 408.1.15
5. Simonia contra ius Ecclesiæ huius legis est tantum propria. 423.2.12
6. Simon legis nouæ hæresiarcha primus Simoniam inuenit. 401.2.3.ad 402.16.432.2.3.

SIMONIA IN LEGE VETERI.

1. Contra ius Diuinum naturale de facto fuit. 414.1.4
2. Balaam Saule & eius puero. 415.2.9.ad 414.1.12
3. Ieroboam, & vxor eius. 415.2.10.ad 416.12
4. Naaman, Daniele, & Iuda vendente Christum. 414.2.7.ad 416.1.12
5. Filiis Heli, & Giezi. 415.1.8.416.2.14
6. Iasone, ac Menelao. 416.1.11

SIMONIA IN LEGE NATVRÆ.

1. Qui possibilis? 417.2.3
2. Illa si tunc in Ephron esset, esset etiam in Abraham. ibid.n.4
3. Nulla tamen fuit ratio præsumendi illam. ibidem
4. Nec in Esau tam de iure, quam de facto. 419.1.11
5. Nec in Ioseph. 420.1.16

SIMONIÆ MATERIA ABSOLVTE.

1. Debet esse pure creata. 432.2.4
2. Circa quam possit negotiari exterius. 433.2.7
3. Duplex vel spiritualis, vel spirituali annexa. 432.2.1
4. Per accidens est, quod ex eo præsentatur, ad litigandum obligetur. ibid.
5. Quæ officia temporalia Ecclesiæ sint materiæ Simoniæ, vide officia temporalia.à num.1.
6. Lex Ecclesiæ potest facere pactum Simoniacum licet alioquí non esset. 517.2.5
7. Vendere bona Ecclesiæ iniustè non est Simonia, etiam sacra bona si non vt sacra vendantur. 420.2.18
8. Non omnis electio digni prætermisso digniori est materia Simoniæ. 550.1.7
9. A quo dicitur, quod significati. 403.2.11
10. In tria membra diuiditur. 431.2.1
11. Fere semper hæc membra coniunguntur in idem. 432.1.1
12. Spirituali annexa quæ, & quotuplex. 404.1.12

Spiritualis.

SIMONIÆ MATERIA spirituale non est.

1. Absolutio vide Simoniam. 37.38
2. Dominij, ab Ecclesiastico, prout est dominus temporalis. 479 2.19
3. Virtutis quoad seruitium corporale. 457.1.10
4. Agnus Dei quoad industriam. 453.1.16
5. Artefacta sacra, quoad artificium. ibid.
6. Auditoratus Rotæ de iure naturæ quoad temporale. 476. 2.6
7. Chrisma quoad expensas de iure naturæ. 454.2.23
8. Clericatus Cameræ. Vide Simoniam. 81
9. Confraternitas quoad eleemosynam. 457.1.7
10. Apud Romanam Curiam. 477.2.10 & seq.
11. Apud inferiores titulo stipendij pro officialibus si sit consuetudo. 479.1.15
12. Titulo commutationis pro eleemosyna. ibidem
13. Dos, vt matrimonium commutatio est temporalis. 438.1. 10.11 & 438.2.5
14. Eucharistiæ redemptio ab infideli. 445.1.20
15. Exactio pretij à discipulis per magistrum ab Ecclesia conductum. 427.2.17
16. Fundus emptus ad Ecclesiam, seu sepulchrum. 453.1.17
17. Funeralia quoad stipendium in non obligato ad illa. 456. 2.6.
18. Gratia vnionis. 433.1.2.3.4.5
19. Labor spiritualium ab extrinseco non necessarius. 482.1.5. & seq.

Actus.

Disp ensatio.

20. Lectio, aut lectionis vacatio quocunque die. 428.2.18
21. Licentia quoad scientiam aliquam docendam, aut addiscendam. 428.2.29.479.2.18
22. Materiale, cui est annexum spirituale de iure naturæ. 451. 1.11. & 2.12.
23. Ad spiritualia quoad subsidium. 484.2.17
24. Quoad laborem ab extrinseco non necessarium. 485.1.17
25. Actus spiritualis debiti ex officio. 488.1.13.
26. Non prouenientis à iurisdictione spirituali. 487.2.11
27. Prauæ illius tantum circunstantiæ, cum ab spirituali prouenit. 486.2.8
28. Denuntiandi publicum peccatorem. 488.1.14
29. Oratio priuata quoad eleemosynam, seu stipendium. 457. 1.9
30. Ornamenta reliquiarum Sanctorum. 454.2.24
31. Primogenitura sacerdotio annexa in lege naturæ. 418.2.9
32. Processiones quoad stipendium. 456.2.7
33. Religionis ingressus quoad temporalem sustentationem, etiam de iure Ecclesiæ. 463.2.6.7
34. Quoad remotam materiam. 438.1.2.& 4
35. Redimendam vexationem vel tollendum prohibens. 443. 1.13.ad 745.22
36. Extremam paruuli, vel adulti necessitatem. 443.1.13.14
37. Nolentem iniustè absoluere etiam extra necessitatem. 474. 2.8
38. Securius tamen in graui tantum necessitate. ibid.
39. Petitum, & non datum iuxta intentionem petentis. 443. 2.15.
40. Sub iuramento æquiuocè promissum, in re denegatum. ibid.n.16.
41. Inflectens odium ministrare nolentis. 444.1.17
42. In quibus Sacramentis hoc procedat? ibid.n.19
43. Quoad licentiam ad eam docendam. 469.2.14
44. Doctrinam eius etiam in beneficiato ad id obligato. 468.2. 9. & 470.2.17
45. Magisterium in quacunque persona. 470.2.15.16
46. Consilium in foro externo. 470.2.18
47. Consilium doctrinale in interno. 471.19
48. Catechismum ad memoriam tantum. 472.2.24
49. Quoad remouens prohibens. 457.2.2
50. Quoad donum per modum eleemosynæ, aut amicitiæ. 450. 1.3
51. Spem donantis vt actus fiat. ibid.n.4
52. Recipientis vt munus detur. ibid.
53. Quoad pretium de præsenti, vel futuro. 460.2.12.13
54. Quoad promissionem libertatis seruo. 461.1.15.16
55. Vel vitæ mortis Reo. ibid.n.16
56. Quoad sponsionem matrimonij cum infideli. ibid.

Obligatio.

Omissio.

Sacramenti.

Pretium.

Theologia.

Virtutis exercitium.

Non obligatorium.

SPIRITVALIS, MATERIA Simoniæ sunt.

1. Prædicta omnia boni spiritualis intuitu. 489.2.18
2. Absolutio vide Simoniam. 30
3. Actio factiua gratiæ. 434.1.11
4. Potestatis ordinis ex iure naturæ. 746.1.2.3
5. Communicandi iurisdictionem spiritualem. 476.1.4
6. Iurisdictionis voluntariæ, & inuoluntariæ quoad spirituale & temporale. 477.1.8.479.1.15
7. Virtutis, vt est alteri meritorius. 457.2.10
8. Diaconi, & subdiaconi à quocunque factus. 447.1.6
9. Quatuor minorum ordinum. ibid.n.7.& 448.1.8
10. Actus dominij temporales ab spirituali. 478.2.14
11. Licentia studendi, seu docendi à grammatica ad Theologiam. 428.1.19
12. Causæ merè Ciuiles inter clericos. ibid
13. Legitimatio habilitans ad temporalia. ibid.
14. Agnus Dei quoad consecrationem, & materiam ceræ. 451. 1.10.
15. Approbatio examinantis ad Ecclesiasticas dignitates. 489. 1.17.
16. Assistentia parochi in matrimonio suorum. 475.1.12
17. Rotæ quoad spirituale de iure naturæ. 476.2.6
18. Quoad temporale de iure Ecclesiæ. ibid
19. Capellania vide Simoniam. 216
20. Quoad expensas de iure Ecclesiæ. 454.2.23
21. Quoad oleum in vnctione consumptum de iure Diuino. ibid.
22. Clericatus Cameræ vide Simoniam. 149
23. Confraternitas quoad pretium. 457.2.7
24. Quoad benedictionem de iure naturæ. 453.2.18
25. Quoad terram de iure Ecclesiæ respectu Domini. 454 2.1
26. Respectu clericorum de iure naturæ. ibid
27. Auditionem eius. 473.1.2
28. Electionem confessoris in habente facultatem. 474.1.5
29. Procurationem electionis in confessore, ibidem
30. Absolutionem cuicunque, & quocunque modo. 473.1.2
31. Negationem illius propter pretium ab alio acceptum. ibid. num.3.

Actus.

Vt.

Auditoratus

Chrisma.

Cœmiterium.

Confessio. 32. Delegationem à proprio parocho ad non proprium. 473.2.5
33. Pœnitentiæ leuis impositionem. ibid.n.4
34. Indulgentiarum concessionem. 474.2.9
35. Iubilæi fauorem pœnitenti communicationem. ibid.n.10
36. Dispensationes (extra Papam) in bonum præcipuè dispensantis. 478.2.24
37. Epistolæ cantatio in choro per laicum. 447.2.6
38. Fides eo modo quo vendibilis. 467.1.2
39. Spirituales actiones. 456.2.7
40. Pretium in non obligato ad ea. 456.2.6
Funeris. 41. Stipendium iure naturæ, & Ecclesiæ in obligato. ibidem
42. Sanctificans, etiam vt nostro arbitrio subiacet. 406.2.7. 433.1.7.ad 435.1.2
43. Gratis data est fidem propagandam, &c. 467.1.1
Gratia. 44. Sanctam Scripturam bene intelligendam. ibidem
45. In fide vel moribus non errandum. ibid.
46. Intellectualia per accidens infusa ad salutem animorum. 484.2.16
47. Quod sit potius sacra quam profana. 454.1.16
48. Quod Virginis sit potius quam Francisci. ibid.
Imago. 49. Iurisdictio vide Simoniam à 137.ad 146
50. Ius eligendi ad dignitates Ecclesiasticas conferendi, &c. 478.1.7
51. Intrinsecus sacro operi de iure naturæ. 480.2.2.482.1.8.9.10
Labor. 52. Ab intrinseco moraliter necessarius. 484.1.14
53. Licentiæ vel quasi dispensationes parochi cum subditis. 475.1.11
54. Locus honoratior sepulturæ. 454.1.22
55. Materiale spirituali annexum, & concomitans. 451.1.12.13
56. Matrimonium vt Sacramentum est. 436.1.8
57. Missæ administratio per quemlibet. 447.2.7
58. Negatio iustæ licentiæ eligendi confessorem. 489.1.16
59. Negotiatio profana etiam quoad materiale spiritualium. 455.1.24.
Vt. 60. Locare vasa sacra. v.g. pro faciendo sacro. ibidem
61. Permittere facere sacrum in sua parochia. ibidem
62. Negatio iniusta eligendi confessorem. 547.1.20
63. Obligatio ad spiritualia quoad pretium. 484.2.17
64. Officia Diuina. 456.1.3
Omissio. 65. A potestate spirituali proueniens. 487.1.9.10
66. Non proueniens sub respectu spirituali sumpta. 527.2.20
67. In parocho non denunciante publicum peccatorẽ. 488.2.15
68. Aliæ possunt esse de iure Ecclesiæ. 20.82
69. Oratio priuata prout causa gratiæ vel temporalitatis etiam. 437.1.9.10
70. Persona ad Prælationem Ecclesiasticam. 462.2.2
71. Prima tonsura. 448.1.8.9
72. Religiosus status quoad pretium de iure naturæ. 463.2.5
Sacramentũ. 73. Reliquiæ Sanctorum. 454.2.24
74. Sacramentalia transeuntia & permanentia. 448.2.2
75. Quoad actionem factiuam ipsius. 434.1.11.& 438.1.3
76. Materiam proximam. 435.1.3.ad 437.2.2
Pro illo pretium petitũ. 77. Pretium datum pro illo vt sic. 443.2.15
78. Ex contemptu Religionis quamuis non datur iuxta intentionem petentis. ibid.
Theologia. 79. Ex odio sub iuramento, & æquiuocè non negatum. 444.1.16
80. Quoad concionem publicam, & priuatam. 471.2.22.23
81. Doctrinam Christianam catechizando, vel concionando. 462.1.24.
82. Supellex sacra solùm quod melior, mundior, pretiosior. 455.1.26
83. Vicaria, Capellania, & similia. 8.1.5
Virtutis exercitium. 84. Obligans quoad pretium de præsenti vel futuro. 460.2.12.13.
85. Promissionem libertatis seruo, vel vitæ mortis Reo. 461.1.15,16
86. Sponsionem matrimonij cum infideli. ibid.
87. A prædictis de potentia ordinaria malitia inseparabilis. 411.1.15.
88. Hæc malitia proportionata est, & naturalis ipsi Simoniæ, ibidem
89. De potentia tamen absoluta potest auferri. 410.2.12.13
90. Quamuis non sit æqualis decentia. 411.1.16

SIMONIA CONVENTIONALIS.

1. Quæ sit. 566.1.4
2. Quando traditur solum pretium, & non res sit Simonia conuentionalis. ibid.c.2.n.6
3. Simonia non est deducere in pactum stipendium sustentationis pro spirituali functione ex officio non debita. 581.1.1
4. Exigens aliud stipendium pro ministerio spirituali debito peccat contra iustitiam 583.2.9. præsumitur Simoniacus. ibi.
5. Stipendium ministrorum Ecclesiæ non est pretium. ibi.n.10
6. An sit Simonia stipendium exigere pro functione spirituali debita ex officio? 585.1.1
7. An Cathedraticum Episcopis persoluendum, & procurationes. ibid.c.2.n.3
8. Temporale stipendium pro ministerio spirituali petere, cum exactio iure prohibetur, est graue peccatum. 586.1.5.& seq.
9. An consuetudo queat honestare exactionem temporalium pro spiritualibus. 578.1.1.& seq.

SIMONIA CONFIDENTIALIS.

1. Quando committatur. 569.1.2
2. Qualis sit eius regressus, & qualis ingressus. ibidem
3. Prohibentur collationes beneficiorum sub confidentia recipiendi certo tempore. ibid.n.3
4. Materia Simoniæ confidentialis sunt omnia beneficia Ecclesiæ. ibid.c.2.n.4
5. Pensiones non sunt materia illius. ibidem
6. Hæc Simonia spectat ad ius positiuum. ibidem
7. Si confidentia extendatur ad commutationem spiritualis pro temporali, erit contra ius Diuinum. ibid.
8. Quale sit pretium interueniens in Simonia confidentiali. 570.1.5
9. Per Bullas Pij V. & Pij IV. fuerunt prohibitæ confidentiæ Simoniacæ, sed non omnes. ibid.& n.6
10. Ad Simoniam confidentialem satis est quod tibi, vel alteri ius reserues recuperandi benef. ibid.n.6
11. Hæc confidentia committitur in renuntiatione benef. quæ fiunt cum pacto tacito, vel expresso. 570.2.9
12. Pro Simonia confidentiali, quæ pœnæ incurrantur 371.2.13
13. Pœna priuationis benef. legitimè prius obtenti non ita incurritur ipso facto, vt teneatur quis se spoliare. ibid.
14. Ad pœnas incurrendas non opus est, vt vtrinque incurratur Simon. 572.1.14
15. Cur grauioribus pœnis afficiatur hæc Simonia cum non sit grauissima. ibid.
16. Mediatores in ea, quo pacto excommunicentur ipso facto ibid. num. 15.
17. Ad hoc debet confidentia vtrinque compleri. ibid.

SIMONIA FICTA.

1. Quæ sit. 567.2.1
2. Opinio asserens non esse Simoniam. ibid.n.2
3. Opinio dicens comprehendi sub Simonia conuentionali. 568.1.3
4. Quando fictio datur ex parte dantis rem spiritualem non fit Simonia exterior. ibid.n.4
5. Tunc datur mendacium scandalosum, & sacrilegum. ibidem
6. Ex parte promittentis temporale, animo implendi datur Simonia mentalis. ibid.
7. Quando fictio ex vtraque parte datur vera Simonia non fit ibidem.
8. Quando fictio est solum ex parte promittentis pecuniam non datur Simonia neque incurruntur pœnæ. ibid.c.2.n.5
9. Qui promittit centum aureos pro beneficio intentione dandi illos ex aurichalco Simoniam committit. 559.1.13

SIMONIA MENTALIS.

1. Potest sumi pro desiderio peccandi, etiam si non detur Simonia externa. 565.2.3
2. Simonia mentalis quæ sit propriè. 566.1.3
3. Aliquando ex vna, aliquando ex vtraque parte datur. ibid.
4. Quale propositum requiratur ad Simon. mentalem. 572.1.1
5. Quale debeat esse obiectum huius propositi. ibidem
6. Ad eum non sufficit ita intendi temporale, vt sine eo non fieret spirituale. ibid.c.2.n.2
7. An sufficiat, quod temporale precipuè intendatur. ibid.
8. Discrimen inter finem, & pretium Simoniæ. 573.1.4
9. Simonia externa mentalis per quid constituatur. 574.1.8
10. Quomodo sine exteriori pacto expresso, vel tacito detur intentio dandi sub habitudine pretij in Simon. mentali. ibid.c.2
11. Ad Simoniam mentalem quæ intentio sufficiat. ibid.
12. Simonia ment. quomodo fiat externa. ibid.n.9
13. Concionari propter laudem non est Simonia. 575.2.12
14. Distinctio inter causam impulsiuam, & finalem nihil refert in Simonia mentali. ibid.n.13
15. Exponitur D. Tho. explicans mentalem Simoniam per intentionem rei temporalis, vt finis principalis. 576.1.à n.14
16. Simonia ment. non solum datur in Simonia prohibita ex natura rei, sed etiam in prohibita ab Ecclesia. ibid.c.2 n.16
17. Quomodo lex Ecclesiæ possit internum actum reddere malum. ibid.n.17
18. Habere propositum emendi rem spiritualem est Simonia pure mentalis. ibid.
19. Si ex illa intentione imperetur actus externus sine pacto, datur Simon. externa mentalis. ibidem
20. An sit Simonia mentalis intentio remunerandi spirituali dono, antidotalem obligationem ortam ex temporali. 577.à n.1
21. Obsequium intuitu remunerationis per spirituale donum ex pura gratitudine non est Simonia. 580.1.11

22. Simonia non est dare spirituale beneficium animo explendi obligationem, nec postulare remissionem. 580.2.13

SIMONIA REALIS.

1. Addit vltra conuentionalem rei traditionem. 566.1.5
2. Quando datur traditio pretij, & rei spiritualis, tunc fit Simonia maximè realis. ibid.
3. An possit committi vera Simonia saltem prohibita per gratuitam largitionem. 591.1.1
4. Secluſa Eccleſiæ prohibitione nequit dari Simonia realis ſine conuentionali. ibid.nu.2
5. Gratuita largitio in miniſterio ſpirituali canonica lege poteſt prohiberi, ita vt ſit vera Simonia. 592.1.5
6. Ad veram Simoniam non requiritur vera venditio rei ſpiritualis, ſed poteſt ſufficere præſumpta cum prohibitione. ibid.n.6.
7. Redemptio vexationis quando excuſat à Simonia. 593.1.1.& ſeq.
8. Quando ſit Simoniacus qui pecuniam recipit, vt à vexando ceſſet. 595.2.14
9. Iure nondum acquiſito in beneficio Simonia eſt, pecunia redimere vexationem, ab eo qui daturus eſt ſpirituale. 596.2.18.598.2.27. 599.19.
10. Non tamen ab eo, qui non poteſt conferre ſpirituale. 597.2.23.& ſeq.
11. Si eo tendat, vt ſubornans non tantùm ceſſet, ſed in contrarium officium inducatur, Simonia fit. 598.2.26
12. Simonia non eſt per ſe, & coram Deo redimere vexationem ab eo, qui impedit, non vt elector, ſed vt priuata perſona. 599.1.28
13. Iure acquiſito per collationem licet vexati facti circa poſſeſſionem acquirendam redimere. ibi.c.2.n.31
14. In Pontificis electione Simonia non eſt redimere vexationem, quæ fit vt indignus, vel euidenter minus dignus eligatur. 600.1.35
15. Pecuniam dare vt eligatur dignus ſaltem in communi non eſt illicitum. ibid.n.36.& ſeq.
16. In actibus non beneficialibus non ſemper eſt prohibita vexationis redemptio. 602.1.43
17. An tranſactio ad terminandam litem habeat locum in ſpiritualibus abſque Simonia, vide verbum tranſactio à num.1
18. In compoſitione ſuper beneficia quando reperiatur Simonia. vide verbum Compoſitio à num.2

SIMONIÆ PRETIVM.

1. Ad rationem pretij quid requiratur. 521.1.1
2. Vt detur Simonia ſtando in iure Diuino pretium debet eſſe temporale. ibid.c.2.n.4
3. Commutare ſpirituale pro ſpirituali non eſt Simonia in iure Diuino. 522.1.5
4. Quod dominium habeamus in rebus ſpiritualibus. ibid.n.6
5. Non eſt Simonia dare modo ſpirituale cum obligatione, vt aliud ſpirituale detur poſtea. ibid.c.2.n.7
6. Calicem pro beneficio commutare eſt Simonia. ibid.n.8
7. Roſarium benedictum pretioſum pro benedicto viliori ob maiores indulgent commutare eſt Simonia. 523.1.8
8. Calicem pro calice commutare licet, & pecunia recompenſare alicuius exceſſum in materia. ibid.
9. Sacrum pro ſacro licet commutare quando temporale eſt annexum antecedenter. ibidem
10. Quando commutatur ſpirituale pro ſpirituali, in quo eſt temporale, cur debeat eſſe temporale, vel in vtroque antecedenter, vel in vtroque conſequenter annexum. 523.1.8
11. Petere à Deo aliquid offerendo aliqua dona non eſt Simonia. ibid.nu.9
12. Commutare ſpiritualia inter ſe non eſt ſpecialiter prohibitum extra materiam beneficiorum. 527.2.20.21
13. Pretium Simoniæ diuiditur in munus, à manu, à lingua, & obſequio. 548.2.1
14. Obſequium & preces, quando pecuniæ æquipollent, pretij rationem habent. ibid.n.2
15. Qui dat beneficium propter conſanguinitatem, non dat propter pretium, nec Simoniacè. 549.2.6
16. Idem dicendum de motiuo amicitiæ vel fauoris. ibid.
17. Per prohibitionem Eccleſiæ non fieri poteſt, vt ſit Simonia dare beneficium conſanguineo, licet aliter fiat illicitum. 550.1.7.8
18. Dare beneficium conſanguineo alioqui digno non eſt Simonia, nec iniuſtitiâ. ibid. nu.8. etiamſi illum præferat aliis ea cauſa. ibid.
19. Dare qui ſpirituale propter timorem mali non eſt Simon. contra ius Diuinum. ibid.c.2.n.10
20. Neque contra ius poſitiuum. 551.1.13
21. Dare beneficium ad acquirendam, vel conſeruandam amicitiam non eſt Simonia. ibid.n.12
22. Neque ex motiuo ſedandæ iræ. ibidem
23. Dare rem ſpiritualem inimico ne noceat non eſt Simon. 551.2.14. licet intentio verbis exprimatur. ibid.
24. Simonia eſt dare beneficium, vt aliud ſe obliget ad non nocendum in futurum. 552.1.6
23. An ſit Simonia dare beneficium ad petitionem Principis ne offendatur. ibid.n.17
26. Simonia non eſt dare beneficium debitori, vt tibi ſoluat debitum. ibid.c.2.n.8
27. Si daretur nouum pactum, & obligatio ſoluendi eſſet Simonia contra ius Diuinum, & humanum. ibid.
28. Iniquum eſt dare beneficium filio Iudicis, vt mitiget pœnam Rei pluſquam poteſt. ibid.n.19
29. Simonia eſt ſi interueniat pactum ſub tali conditione. 553.1.19.
30. An ſufficiat ſola intentio. ibid.
31. Pretium promiſſum in generali ſufficit ad Simoniam, & quomodo per hoc non conſtituatur aliud mẽbrum. ibi.n.20
32. Diſcrimen inter finem & pretium. 573.1.à.num.4
33. Omnibus modis finis principalis de ſe abſtrahit à ratione pretij, & ſi res, quæ intenditur vt finis ſit temporalis. 574.1.6
34. Ratio pretij non poſtulat, vt intendatur tanquam bonum propter ſe amabile. ibid.num.7
35. Non eſt de ratione pretij, vt aliquid propter ipſum intendatur tanquam propter finem. ibidem
36. In quo conſiſtat ratio pretij Simoniaci. ibid.
37. Ad rationem huius pretij per accidens eſt ratio finis. 574.2.10.
38. Poteſt aliquid intendi vt pretium, & ſecundario. ibid.
39. Licet principaliter intendatur per ſpirituale ſi non intenditur vt pretium, non datur Simonia. 575.1.11
40. Sacerdos in mortali faciens ſacrum, ne perdat ſtipendium præcipuè illud intendit, & tamen non eſt Simoniacus. ibid.

SIMONIACVM PRETIVM quale donum temporale ſit.

1. Quibus modis poſſit dari temporale donum danti ſpirituale ſine Simonia. 545.1.1
2. Si gratis detur ſiue ante, ſiue poſt datam rem ſpiritualem acceptetur non fit Simonia. ibid.n.2
3. Dona antecedenter oblata cauenda propter præſumptiones. ibid.c.2.
4. Donum aliquando datur non in commutationem ſed in ſuſtentationem, & ſtipendium debitum. ibid.n.3
5. Poteſt aliquid dari per modum pretij pro re comitante donum ſpirituale, & non eſſe pretium ſpiritualis rei. ibid.
6. Quomodo donum conſtituatur in ratione pretij. 546.1.4
7. In foro exteriori malitia Simoniæ pendet ex intentione operantis. ibid.n.6
8. Intentio vel poteſt eſſe formalis vel virtualis. ibid.c.2.n.6.7
9. Non ſat eſt ad Simoniam Miſſam applicare pro dante ſtipendium, quam non applicaret ſi non daretur. 546.2.12
10. Simonia eſt petere ſtipendium pro Miſſa alioqui debita. ibi,
11. In foro externo ſatis eſt ad Simoniam, quod datio & acceptio ſit prohibita intuitu Religionis. 547.1.8
12. Licet deſit intentio in Eccleſiaſtico foro præſumitur Simonia. ibid.
13. Si donatio non ſit contra legem poſitiuam non ſat eſt pactum, vt actio ſit Simoniaca. ibid.
14. Si ſit cauſa in tali pacto, quæ illud honeſtet non eſt præſumendum Simoniacum. ibid.n.9
15. Quando factum eſt capax bonæ, & malæ intentionis, quomodo ſit cognoſcendum an ſit Simoniacum. ibid.n.10
16. Si detur titulus aliquis probabilis inducens obligationem non præſumendum dari dolũ propter rem ſpiritualem. ib.c.2
17. Quæ coniecturæ adhibendæ quando donum datur vt gratuita donatio. ibid.n.11
18. Si detur pactio de qua conſtet, non poteſt præſumi gratuita donatio. ibidem
19. Item ſi detur taxatio, vel exactio. ibidem
20. Quando hæ circunſtantiæ deſunt vtendum inſtructione Cap. Et ſi. ibid.num.12
21. Doli quantitas ſpectanda, & hæc ſumenda per ordinem ad perſonam. 548.1.12.& 13
22. Temporis circunſtantia expendenda cum aliis. ibid.14

SIMONIÆ PRETIVM dictum munus à manu.

1. Pecunia eſt præcipuum inter munera à manu. 553.1.1.1
2. In quacunque minima quantitate ſat eſt ad rationem pretij Simoniæ. ibid.num.2
3. Et ad graue peccatum Simoniæ, licet ignorantia excuſari poſſit. ibid.c.2
4. Inter munera à manu comprehenditur quæuis res temporalis pretio æſtimabilis. ibid.n.2.3
5. Simonia eſt, ſeu res ſpiritualis dicatur pretium temporalis ſiue è contra. ibidem
6. Qui pro re ſpirituali debitũ remittit Simoniacus eſt. 554.1.4
7. Item promittens remiſſionem futuri debiti. ibid.
8. Conſtituere titulum alicui ex ſuis bonis ad ordines ſub promiſſione, quod nihil petet Simonia. ibid.num.5
9. Item ſi quis petet eligi in Canonicum promittens ſe remiſſurum partem reddituum. ibidem c.2
10. Ad

10. Ad munus à manu, pertinet mutatio pecuniæ. ibid.n. 7
11. Non est Simoniacus, qui Episcopo indigenti mutuum dat, vt benevolum habeat ad beneficium. 554.1.7
12. Nec qui petit mutuum ab eo, cum quo beneficium permutat ad expediendas Bullas. 555.1.7
13. Si pactum præcedat ad hoc Simonia dabitur. ibid.
14. Maior iniuria fit rei spirituali cum datur pro vili, quàm pro magno pretio. ibid.
15. Multæ conuentiones licent in vsura, quæ non licent in Simonia. ibid.
16. Non licet petere dilationem debiti pro re spirituali. ibid. c.2.n 8
17. Simonia est, dare spirituale pro anticipata solutione debiti. ibid.
18. An fit Simonia dare spirituale pro solutione debiti in tempore debito ex iustitia. ibid.
19. Ad munus à manu spectat pensio, quam sibi, vel consanguineo reseruat dans beneficium. 555.2.10
20. Potest Episcopus reseruare fructus beneficij vacantis antequam illud det, non verò pacisci cum accipiente de pensione ibid.
21. Promissio pensionis admittendæ pro fauore, & admonitione ad beneficium, est munus à manu. 556.1.10
22. Procurare beneficium digno, siue indigno per munus à manu, est Simonia. 563.1.8

SIMONIÆ PRETIVM DICTVM munus ab obsequio.

1. Discrimen inter obsequium spirituale, & temporale. 556.1.1
2. Obsequium temporale est sufficiens pretium Simoniæ. ibid. n.2
3. Non ita spirituale. ibid.c.2.n.3
4. Multæ commutationes rerum spiritualium inter se prohibentur Iure Ecclesiastico. ibid.
5. Dare beneficium in solutionem præteriti obsequij, vt pretium ex iustitia, Simonia est. ibid.n.5
6. Non est Simonia moueri ex obsequio præterito ad dandum beneficium gratis. ibid.& 557.1.6
7. Dans beneficium Vicario, ne soluat salarium debitum ex ministerio spirituali, Simoniacus est. ibid.
8. Vt sine Simonia conferatur beneficium obsequenti famulo, debet accipere temporale præmium pro obsequio. ibi.
9. Non est opus distinguere de obsequio ad Simoniæ rationem. ibid.
10. Deciditur an detur Simonia discurrendo per duo genera obsequentium Prælatis. ibid.c.2.n 7
11. Si beneficium detur cum onere obsequij temporalis, non annexi beneficio, Simonia est. ibid.n 8
12. Dare beneficium cum onere vt sibi doceatur scientia, est Simonia. 558.1.8
13. Dare beneficium cum vacat, illi annectendo aliquod obsequium Ecclesiæ licitum est. ibid n 9
14. Tale onus tunc non est pretium, sed est opus, propter quod datur stipendium cum spirituali ministerio ibid.
15. Hæc annexio obsequij temporalis, solùm habet locum vbi res spiritualis habet annexum temporale. 558.2.10
16. Imponere pensionem pecuniariam super Ius spirituale nullos habens reditus, est Simonia. ibid.
17. Episcopus non potest facere annexionem obsequij temporalis in suam commoditatem. ibid Pontif. potest. ibid.
18. An obsequium spirituale iam exhibitũ possit habere rationem pretij Simoniæ. ibid n.11
19. Obligati ad obsequium spirituale pro beneficio spirituali, est Simon contra Ius Ecclesiasticum, non contra naturale. 57.1.12
20. Dare beneficium cum obligatione dicendi Missas, ad quas beneficium non obligat, est Simon ibid.n.13
21. Si electores conueniant, vt nunc vnius amicum, postea alterius eligant, Simoniam committunt. ibid.
22. Si obsequium spirituale sit annexum beneficio spirituali, non est Simon. conferre beneficium sub tali onere. 460.1.15
23. Ad Episcopos, & Prælatos habentes iurisdictionem Episcopi, spectat addere beneficiis noua onera spiritualia. ibid.n.17
24. Res temporalis potest Ecclesiæ relinqui sub conditione præstandi aliquid spirituale ex iustitia ibid.col.2.n.18

SIMONIÆ PRETIVM DICTVM. munus à lingua.

1. Munus à lingua temporale est, & merè humanum. 561.1.1
2. Comprehendit preces, supplicationem, laudes humanas, & similia. ibid.
3 Dare beneficium ob preces in sua natura manẽtes, non est Simonia, secùs si transeant in rationem pretij. ibi.c.2.n.2
4. Postulare à Prælato, vt conferat beneficium alicui siue aliqua promissione, non est Simonia. 562.1.3
5. Et aliis, & sibi potest quis petere beneficium sine Simonia ibid.2.5
6. Indignus peccat sibi petendo beneficium ibid.
7. Petere beneficium pro indigno sacrilegium est, sed non Simonia. 563.1.8
8. Cur D. Thomas dicat Simoniam dare beneficium indigno pro precibus. ibid.
9. Non est Simonia petere à potente, vt mihi à Papa impetret beneficium. ibid.n.9
10. Secùs si pecunia eum conducam, vt preces fundat ad beneficium mihi consequendum. ibid.
11. Qui per collationem beneficiorũ intendit obligare alium ad preces fundendas, recipit munus à lingua. 564.1.12
12. Si sub pacto implicito precum recipiatur beneficium, committitur Simonia. ibid.
13. Si Episcopus cum petente beneficium ita paciscatur, fac vt Paulus petat, & ego dabo, Simonia fit. ibid.c.2.13
14. Quomodo hoc applicandum ad laudes, &c. verborum genera. ibid. n.14
15. Qui dat beneficium nobili tacitè pacisces, vt se profiteatur suum consanguineum, Simoniam committit. 565.1.14
16. Quomodo munus à lingua distinguatur ab obsequio. 565.1.15

SIMONIÆ PRETIVM AN restituendum.

1. Pretium accipiens pro re spirituali ante eius traditionem, illud tenetur restituere. 644.2.1
2. An vendens Simoniacè, ex Iure naturali teneatur pretium restituere. 645.1.4
3 Simonia, iniustitiæ malitiam potest habere adiunctam. 646.1 10
4 Simoniacus iniustè pretium accipiens, ex naturali Iure tenetur restituere. ibid.n.12
5. Quando Simoniacus sit institutus. ibid.c.2.n.12
6. Vendens beneficia, vel officia Ecclesiæ, quorum est dispẽsator, tenetur ex naturali Iure pretium restituere. ibi.n.13
7. Electores ad beneficia si tenentur ex officio, & pro eligendo digno, vel digniori pecunia accipiunt sunt iniusti, & tenentur restituere. 647.1.14
8 Vendens functiones spirituales, vt tales, pretium acceptum tenetur restituere ex vi naturalis legis. ibid.n.15
9 Non verò, si tantùm vendat actionem materialiter spectatam pro pretio. ibid.
10. Deus potest homini concedere, vt vendat functiones spirituales, vel gratias gratis datas. 647.2.18
11. Vendentes spiritualia cur iniustè agant, & ad restitutionem obligentur. ibid. n.19
12. Omnes ministri Ecclesiæ tenentur gratis ministrare, sed non omnes eodem modo. 648.1.20
13 Res sacræ permanentes habentes annexam temporalitatem antecedenter si cariùs vendantur ratione spiritualis excessus, restituendus est Iure naturæ. ibid.n.22
14. An pretium pro reliquiis acceptum sit restituendum. ibi.
15. Pretium datum ad redimendam vexationem, est restituendum. ibid.2.22
16. Pretium Simoniacum, restituendum ex obligatione legis Diuinæ præcisè ei, qui dedit, est restituendum, non aliis. ibid.n. 23
17. Recipiens pro pretio rem spiritualem, stando in Iure naturæ, illam non tenetur restituere. 649.2.28
18. Quod sit discrimen inter dantem, & accipientem Simoniacè. 650.1.31
19 Aliquando continget, vt pretiũ totum restituatur ementi, quin ille rem acceptam teneatur restituere. n 31. & seq.
20. Cum in venditione Simoniaca nõ violatur iustitia commutatiua ex natura rei non datur obligatio restituendi. 651.1.35
21. Vendens Ecclesiæ officium, aut beneficium, cui est annexum temporale commodum, si illud habet vt proprium, non tenetur pretium restituere. ibid.n 36.c.2
22. Prælatus beneficium, aut officium vendens ex lege naturali, ad restitutionem obligatur. ibid.& n 38
23. Summus Pontifex beneficium vendens ex natura rei, pretium tenetur restituere. 652.1.3.8
24. Monasterium Simoniacè aliquem ad Religionem recipiens, non tenetur ex natura rei pretiũ restituere. ibi.n 41
25. Vendens rem spiritualem, ex qua temporale commodũ prouenit, stando in Iure, nihil tenetur restituere. ib.& seq.
26 Ex mentali Simonia si fit sine iniustitia non oritur obligatio restituendi. 653 2.45
27 Secùs quando includit iniustitiam, nam tunc opere subsecuto obligat ad restitutionem. ibid.
28. Simoniæ pretium in Religionis ingressu, non est in conscientia restituendum ante scientiam, nisi Religiosus ad aliom transeat. 657.1.9.& seq.
29 Cùm pecunia datur ingressuro Religionem, causa subsecuta nulla est obligatio restituendi. ibid.

30. Pretium receptum in aliis materiis Simoniæ, non est restituendum ex vi Iuris Ecclesiastici antè sententiam. 658. 1.13

SIMONIÆ DISPENSATIO.

1. In Simonia lege tantùm Ecclesiastica prohibita nullus Prælatus infrà Pontificem potest dispensare. 654.2.1
2. Summus Pontifex potest in rigore, moraliter tamen loquendo, id nunquam faciet. ibid.n.2
3. Dispensatio suspensionis ab ordine Simoniacè recepto, Pontifici est reseruata. 659.1.5
4. De suspensione, quam incurrunt Simoniacè ordinantes, idem dicendum, quod de ordinatis. 660.1.7
5. Suspensio capitulo, vel conuentui imposita, est Sedi Apostolicæ reseruata. ibid.
6 An pœna Religioso Simoniacè ingresso imposita, sit Papæ reseruata. ibid.
7. In duobus tantùm casibus Simonia, interdictum est positum ipso Iure, & cui sit reseruatum. ibid.n.8
8. An dispensatio habeat locum in irritatione collationis, vel obtentionis beneficij. ibid.n.9
9 In pœna inhabilitatis ad obtinendum beneficium per Simoniam obtentum, quando solus Papa, & quando alij Prælati dispensare possint. ibid.n.10
10. Ad alia beneficia qui, & quando possint dispensare. ibid. c.2.n.11
11. In restitutione pretij Simoniacè accepti, & debiti naturali Iure, non potest Papa dispensare per se loquendo 661. 1.12. secus in restitutione pœnali. ibid.
12. An in præstanda dispensatione, debeat certa forma seruari. ibid.n.13
13. Episcopus Simoniaco conferens beneficium, scienter non dispensat, licet aliàs possit. ibid.
14. Pontifex, conferendo beneficium Simoniaco, censetur cum illo dispensare. ibid.c.2.n.14
15. Pontifex alicui vendens beneficium, & committens cum illo Simoniam, eo ipso cum eo dispensat quoad ea, quæ potest. 661.2.15
16. An per consuetudinem possit induci dispensatio in Simonia. 662.1.16

SIMONIÆ POENA.

1. In Iure antiquo nulla pœna fuit ipso Iure lata contra omnes Simoniacos. 616.2.3. quid de Iure nouo. ibid.n.4
2. Pro Simonia solùm in ordine, beneficio, & Religionis ingressu, incurritur pœna ipso Iure. 617.1.5. & seq.
3. Per quam Simoniam hæc pœna incurratur ipso facto. 618. 1.10
4. Simonia cõditionalis, non punitur pœnis Iuris ipso facto latis. ibid.col.2.n.12
5. Posset tamen puniri. 619.1.15
6. Si ad executionem processit ex parte tantùm mentis spirituale, pœnis ipso facto incurrendis non punitur Simonia conuentionalis. ibid.n.16
7. Potest acceptionem rei spiritualis, quæcunque pretij solutio efficit Simoniam realem ipso Iure punendã. 619.2.17
8. An Simonia commissa in permutãdis benefic. quæ solùm est contra Ius Ecclesiæ, subiiciatur pœnis in Simoniacos latis. ibid.n.18
9. Pœnæ generatim in Simoniacos à Iure latæ, siue sint ferendæ, siue latæ sententiæ, Simonias comprehendũt ipso Iure prohibitas, nisi contrariũ ex lege colligatur. 620.1.19
10. Lex puniens Simoniam in beneficiis, non extenditur ad puniendum venditionem in pensionibus. 621.1.21
11. Lex puniens Simoniam in officiis Ecclesiasticis, probabile est non comprehendere officia Oeconomi, Aduocati, &c. ibid.
12. Lex potest punire Simoniam contra Ius humanum, & non contra Ius diuinum. ibid.n.23
20. Per Simoniam in ordine, in beneficio, & Religionis ingressu incurritur excommunicatio maior Papæ reseuata. ibid. c.2.n.1. non Iure antiquo. nu. 3. sed nouo. num. 622. 1.4
21. Non incurrit excommunicationem qui absque Simonia ordines suscepit, licet postea det aliquid pro titul. 622.1.5
22. Notarius, vel minister pro literis dimissoriis aliquid suscipiens excommunicationem non incurrit. Episcopus qui purè ordinem dedit licet postea aliquid accipiat, & peccet, non incurrit excommunicationem latam contra Simoniam in ordine. ibid.
23. Per Simoniam in beneficio, incurrit excommunicatio ipso facto. ibid.c.2.n.6
24. An extendatur ad scientes, & non reuelantes. ibid.
25. Vtrùm incurratur per Simoniã paruã, ex parte pretij. ibi.
26. Monasterium aliquid exigens ab ingressuro, Simoniam committit, & excommunicationem maiorem incurrit, non ita si sponte oblata accipiat. ibid.n.7
27. Ingrediens à Monasterio aliquid exigens, Simoniacus est, non punitur tamen censura. ibid.
28 Qualis suspẽsio in Religionis ingressu incurratur. 623.1.8
29. Suspensio recipientium ordines Simoniacè, culpam requirit ex parte ordinati. ibid.n.9
30. Qualis sit. 623.1.10. & 615.1.18
31. An conferens ordines Simoniacè, sit suspensus ipso Iure. 623.2.11. & 12
32. Ordinans Simoniacè, interdicitur ab Ecclesiæ ingressu. 624.2.16
33. Per Simoniam in beneficio, an suspensio incurratur. 625. 1.19
34. Irregularitas non incurritur per crimen Simoniæ. ibid. c.2.n.20
35. Ordinatus Simoniacè, non fit irregularis ratione excommunicationis, quam incurrit. ibid.
36. Vtrùm infamia, inter Simoniæ pœnas sit numeranda. 625.2.21
37. Depositio, pœna est Simoniacis imponenda non ipso Iure lata. 626.1.22
38. Non incurruntur censuræ per Simoniam, inchoatam per pretij solutionem, si spirituale non est collatum. 626.2.24
39. Præsentans ad ordinationem Simoniacam, non est suspensus, nisi ordinatio subsequatur. ibid.
40. Suspẽsio, de rigore Iuris incurritur ipso facto in ordinatione, licet tantũ præcesserit pecuniæ promissio. 628.2.32
41. Excommunicatio non incurritur ex vi Iuris si tantum pecuniæ promissio præcedat, etiamsi ordo suscipiatur. ibi. n.33
42. An cum Simonia completur solutione pecuniæ antequã tradatur res spiritualis, censuræ sint retrotrahendæ vsque ad diem commissi criminis per traditionem spiritualis. 629.1.34 35
43. Accipiens beneficium Simoniacè, licet ignoranter, est inhabilis ad illud idem beneficium. 637.1.13
44. Si bona fide per triennium possideat, non potest contra illum admitti actio. 638.1.39
45. Si scienter Simoniacè acquisiuit, non fruitur hoc priuilegio. ibid.
46. Per Simoniam commissam in beneficij acquisitione, non priuatur quis beneficiis antea possessis. 642.1.1. & seq.
47. Examinatores Simoniam in examine committentes, priuantur beneficiis antea obtentis. ibid.n.3
48. Simoniacus in vno beneficio, non tenetur fructus restituere ex beneficiis antea legitime obtentis. 643.2.8
49. Quando possit iudex punire Simoniam, priuatione fructuum priùs præceptorum. ibid.
50. Acquirens beneficium Simoniacè, ipso facto sit inhabilis ad illud. ibi. n.9. & alia post sententiam declaratoriam non antea. 644.1.10. & seq.

SIMONIÆ CAVSA EFFICIENS.

1. Simonia contra Ius diuinum, potest à Pontifice committi. 608.1.1
2. Simoniam contra Ius positiuum, facilè vitare potest Pontifex. 609.1.4
3 Ad Leges Ecclesiasticas positiuam Simoniam prohibentes Pontif non obligare, est probabile. ibid.n.5.6
5. Etsi Pontifex Simoniam committat, pœnas non incurret. 610.1.9
6. In Romana Curia potest committi Simonia contra Ius diuinum, & Ecclesiasticum. ibid.n.10
7. Quomodo inferiores Prælati, & eorum officiales, & intercessores, apud eos Simonia n committant. 611.1.1. & seq.
8. Ab omnibus personis Simonia potest committi contra Ius diuinum, & humanum. ibid.
9. An pro sacris ordinibus conferendis possit Episcopus, minister, notarius, Archidiaconus, aut alius, aliquid accipere. ibid.c.2.n.5
10. An notarius sit Simoniacus aliquid contra legem accipiendo. ibid.n.6. & seq.
11. Aduocato licet patrocinium suum vendere, & si causa spiritualis sit. 612.1.9
12. Testes in causa spirituali, si pecunia corrupti testimonium ferant, Simoniam committunt. ibid c.2.n.10
13. Dans pecuniam testi ad veritatem dicendam, si eam aliter nolit aperire, non committit Simoniam. Testis verò Simoniacus est, & iniustus. ibid n.11
14. Notarij, & similes, quando possint esse Simoniaci in collationibus beneficiorum. ibid.n.12
15. Simonia est contra Ius diuinum, & humanum, dare pecuniam amicis Prælatorum ab beneficia, vel dispensationem obtinendam. ibid.n.13
16. Familiaris, vt aditum faciliorẽ præbeat ostium aperiendo, Simoniam non committit, pecuniã accipiens. 613.2.17
17. An interces sor propter puram informationem pecuniam accipiens, sit Simoniacus. ibid.
18. Clerici omnes quà Clerici, possunt Simoniam committere. 614.1.2
19. Recipiens primã tonsuram per pecuniã, est Simoniac. ib.
20. An

20. An peccet vt Clericus, vel vt Laicus. ibid.
21. Religiosi vt tales possunt Simoniam committere. ibid. n 3
22. In professione Religiosa, vel habitus susceptione possunt Simoniam committere. 614.2.4
23. Infideles etiam possunt Simoniam committere. ibid.n.5. & 615.1.2
24. Quibus modis à Laicis non infidelibus committitur hoc vitium. 615.1.5.& seq.
25. Capitula, seu collegia possunt etiam Simoniam committere. ibid.c.2.n.9
26. Cùm Capitula in Simoniam incidunt, non est opus vt omnes capitulares coram Deo Simoniacè peccent. ibid. num.10

SIMONIACA ACTIO, VEL ACQVISITIO quæ valida, vel inualida.

1. Actiones, & functiones sacræ validæ sunt licet Simoniacè fiant. 630.1.2
2. Sacramenta Simoniaca collatè valida sunt. ibid.n.4.& 633.2.19
3. Ecclesiæ vel Calicis consecratio Simoniaca, valida est. 630.2.5
4. Idem dicendum de aliis functionibus ordinum, benedictionibus Sacramentalibus, & consecrationibus. ibid.
5. Iurisdictionis Ecclesiasticæ actus, non sunt inualidi ipso facto, ratione Simoniæ, exceptis beneficiorum promissionibus. ibid.n.6
6. Professio Religionis per Simoniam facta, valida est. ib.n.7
7. Religiosus Simoniacam emittens professionem, non potest permanere in monasterio, in quo professus est, nec habet in illo Ius ad sustentationem. 631.1.7
8. Hæc pœna in conscientia non obligat, donec per Superiorem legitimè imponatur. ibid.n.8.& 9.
9. Actio iurisdictionis, vel administrationis ordinata ad collationem beneficij, vel officij Ecclesiastici Simoniacè exercita, ipso facto est irrita. 631.2.10
10. Acquisitio rei spiritualis per Simoniam, ex natura rei, valida est, per Ius autem Ecclesiasticum irritatur in officiis, & beneficiis Ecclesiæ. ibid.n.11
11. Res sacræ permanentes, Simoniacè acquisitæ non sunt restituendæ, vel abdicandæ. 632.1.12
12. Acquirens Ius Patronatus Simoniacè non tenetur dimittere. ibid.n.13
13. Acquisitio Simoniaca Vicariæ concessa sine titulo beneficij, licet Simoniaca sit, valida est. ibid.
14. Officij Ecclesiastici temporalis acquisitio Simoniaca, irrita non est. ibid.2.14
15. Erroneum est asserere beneficij acquisitionem, per quodlibet peccatum esse nullam ipso facto ex vi Iuris. ib.n.15
16. Lex prohibens, quando actum irritet. 633.1.18
17. Electio digni, prætermisso digniori vilida est. ib.c.2.n.19
18. Simoniacus mentalis non tenetur resignare beneficium sic adeptum. ibid.n.20
19. Pontificis electio valida est, & si Simoniacè fiat. ibid.& 641.2.57
20. Simoniacè emens grana benedicta, & similia licitè potest retinere. 633.2.21
21. Simoniaca beneficij acquisitio Iure Ecclesiastico nulla est, & verum titulum non confert. 634.1.22
22. Secùs Iure naturali, & Diuino. 635.1.21
23. Licet acquisitionis beneficij irritatio sit de Iure Ecclesiastico, illa supposita obligatio reliquendi beneficium, cum fructibus est de Iure diuino 934.2.25.26
24. Simoniaca beneficij acquisitio, ratione alicuius tertij, quando sit nulla. 635.1.51.& seq.
25. Quando sit Simonia post beneficij acquisitionem pecuniam soluere amico, quam post aliam acquisitionem scienti mei gratia fuisse donatam. 636.1.31
26. Hæc Simonia non punitur priuatione beneficij, neque excommunicatione ipso facto. ibid.n.32
27. Collatio Simoniaca facta ignoranti, ipso facto est nulla Iure positiuo. 637.1.35
28. Fructus omnes tenetur restituere à principio beneficij. ibid.n.36
29. An fructus bona fide consumptos teneatur restituere. ibid.c.2
30. Collatio Simoniaca, ex parte mediatoris, quando inualida. 638.1.40
31. Electio Simoniaca ad spiritualia officia Religionum, nullitate punitur, & excommunicatione. 639.2.47
32. Quid sit intelligendum nomine officij, aut beneficij Ecclesiastici. ibid.n.45.& seq.
33. Licentia à Parocho per pecuniam subdito concessa ad eligendum confessorem, non est irrita. 640.1.50
34. Beneficij collatio ratione pretij promissi nondum persoluti, valida est. ibid.n.51.& seq.
35. Vtrùm sit nulla, si pecunia post aliquod tempus ab habente beneficium persoluatur. ibid.c.2.n.52
36. Facta pecuniæ solutione, obligatur ipso facto ad relinquendum beneficium. 641.1.53
37. Electio ritè facta non est irrita, propter confirmationem Simoniacam. 643.1.7
38. Potest tamen per iudicem irritari. ibid.
39. Electio Simoniaca nullam reddit confirmationem, idem dicendum de confirmatione, respectu collationis. ibid.
40. Baptismus traditus Simoniacè validus est. 656.1.4

SOMNIVM.

1. Quid sit. 351.2.1
2. Ex somnio non potest aliquid colligi, tanquam ex causa. ibid.n.2
3. Sed causæ somniorum expenduntur. 352.2.8
4. Somnia vnde naturalia, animalia, diuina, & dæmoniaca dicantur. 352.1.5
5. Per somnia inuestigare eorum causas, malum non est, vix tamen probabiliter hoc cognoscitur. ibid.n.6.& 7
6. Ex somnio tanquam ex effectu, non potest cognosci alius effectus futurus. 354.1.12
7. Ex eo, neque influentia cœli, neque aliquid aliud ab ea pendens certò cognoscitur. ibid.n.13
8. Hæc inquisitio, non est superstitiosa, si ad effectus liberos non extendatur. ibid.n.14
9. Somniorum vsus, prout signa sunt, quomodo detur. ibid n 15
10. Somnia, quæ significant vt imagines, neque naturalia, neque animalia possunt esse. 355.1.17
11. Et à Deo, & à dæmone possunt immitti. ibid 2.18
12. Somnia diuina, aliquando Ethnicis communicata. ibid.
13. Quomodo eis fides est habenda. 356.1.19
14. Non licet ea ordinariè petere à Deo. ibid.
15. Dæmoniacis somniis fidem dare, superstitio est. ibi.n.20
16. Quoties adhibetur fides somniis sine sufficiente ratione, vt credatur illa esse à Deo, superstitio committitur. ibi.c.2
17. Indicia ad discernendum vtrùm somnia sint à Deo. 357.1 à n.12
18. Iudicium de somnio non in somnio, sed in vigilia ferendum. ibid.n.23
19. Somniis temerè credere, grauis culpa est. 357.2.25
20. Excusatur à graui culpa, qui aliquid operatur non malũ propter somnium, non tamen illi credens omninò. ibid.

SORTES.

1. Quæ sint sortes diuisoriæ, consultatoriæ, & diuinatoriæ. 344.1.2
2. Sortes diuisoriæ, per se malæ non sunt. ibid.c.2.n.3
3. Sortes, aliquando approbantur. ibid.n.4
4. Prohibentur in electionibus Ecclesiasticis, & in compromissariis eligendis. 345.1.5
5. Sortes, non possunt mitti inter duos habentes paria suffragia ad dignitatem Ecclesiasticam. ibid.à n.6
6. Non possunt plures eligi, vt posteà inter eos mittantur sortes. ibid.c.2.n.8
7. An electio per sortes facta, sit irrita. 346.1.9 & seq.
8. Litigantes de aliquo beneficio, qua auctoritate possunt inter se mittere sortes. ibid.c.2.n.12
9. Peccatum in sortibus commissum contra Iura, non spectat ad diuinationem. 347.1.13
10. Secularis electio, non prohibetur fieri per sortes. ibi.n.15
11. Varia peccata possunt interuenire in sortibus diuisoriis. ibid.c.2.n.16
12. Quando liceant hæ sortes. 348.1.17
13. Sortium vsus ad cognoscendum occultum, illicitus est, nisi fiat inspiratione Dei. ibid.n.18
14. Per expressum mandatum Dei, cognouit Iosue malefactorem, per sortes. ibid.c.2
15. De Saüle quid dicendum. ibid.n.19
16. Sors, qua electus fuit Matthias, non habuit imperfectionem. 348.2.21
17. Non solùm diuisoria, sed etiam consultatoria fuit. 349.1.22
18. Probabile est datum fuisse aliquod signum Diuinum in hac electione. ibid.c.2.n.23
19. Graue peccatum est vti sortibus consultatoriis temerè, non est tamen diuinatio. 350.1.25
20. Quando licitæ sint. ibid.n.26
21. Sortes diuinatoriæ, vel sunt per expressam societatem cum Dæmone, vel per tacitam. 350.2.27
22. Iure prohibentur. ibid.n.28
23. Aliæ ad cognitionem solùm, aliæ ad operationem ordinantur. ibid.
24. Per sortes, iniustè punitur nocens, etiamsi talis sit. 351.1.29

SPES.

1. Spei, est Deus obiectum Quod. 8.2.1
2. Quomodo distinguatur à Religione. 27.1.3
3. Quomodo immediatè Deum attingat. 30.1.7

4. Ad ſpem tenetur homo ex Iure diuino. 55.1.2

SPIRITVALE.

1. Naturalia quotuplicia in homine intelliguntur. 424.2. & 425.1.7.

Eorum venditio licita eſt, niſi ſint Religioſa. 425.2 9

2. Spirituale naturale. vide Simoniam 12. ad 20.

3. ſpirituale ſupernaturale. vide Simoniam. 70. ad 76. 98.

S. STEPHANVS.

1. Eius feſtum antiquiſſimum. 387.1.19

2. Iure communi celebratur. ibid.

STIPENDIVM.

1. Stipendium dicitur per ordinem ad ſuſtentationem perſonæ. 483.1.10

2. Stipendium miniſtrorũ Eccleſiæ, non eſt pretiũ 583.2.10

3. Poteſt lege taxari, & conſuetudine definiri. 524.1. à n. 12. & ſeq. latè.

STRIGES.

1. An verè deferantur in loca diſtantiſſima, & intrà domos. 369.2.8. & 374.2.23

2. Aliquando verè deferuntur, aliquando ſolùm per illuſionem phantaſiæ. 374.2.25

3 Explicatur cap. Epiſcopus de hac materia. ibid. n. 26

4. Dari Dianam deam, quædam Striges credebant. ib. n. 27

STVDIVM.

1. Qui dicunt non licere ſtudium in feſto, impugnantur. 222.2.5

SVBDIACONVS.

Vide verb. Simoniam. 140.

SVFFRAGIA.

Suffragia mortuorum. vide Simoniam. 93

SVPERSTITIO.

1. Quid ſuperſtitio ſignificet. 301.1.1

2. In triplicem ſpeciem diuiditur. ibid. c. 2.2

3. Inter idololatriam, & ſuperſtitionem malè hæretici non diſtingunt. ibid. n. 3.

4. In cultu veri Dei, poteſt dari ſuperſtitio per exceſſum. 302.1.5

5. In ſigno, quo Deus colitur, poteſt dari ſuperſtitio. ibid. 2. num. 6

6. Zelus indiſcretus pro Deo, eſt ſuperſtitio. 303.1.6

7. Iudæus filium circuncidens, & Gentilis vitulum offerens Deo, ſunt ſuperſtitioſi. ibid. n. 7

8. Hæreticorum error dicentium omnem cultum, qui à Deo, vel Euangelio non præcipitur, eſſe ſuperſtitioſum. ibid. c. 2 n. 9

9. Ex parte Dei, non poteſt dari exceſſus in cultu, ſi ille ſit rationi conſentaneus. 304.1.11

10 Quomodo ſuperſtitio ſit vitium per exceſſum. ib. n. 12

11. Diuiditur in pernicioſam, & ſuperfluã. 304.2.2. & 305.2.6

12. Cultus ſuperſtitioſus, quam falſitatem contineat. 305.2.6

14 Superſtitio pernicioſa alia habet facultatem ex parte rei ſignificatæ, alia ex parte colentis. ibid. n. 7

15. Circunciſio facta ex intentione ſe conformandi Chriſto, in eo vulnere, eſt ſuperſtitioſa. 306.1.8

16. Omnis ſuperſtitio, quę in re ſignificata falſitatem habet, eſt pernicioſa. ibid. n. 10

17. Superſtitio pernicioſa, non ſemper eſt mortalis. ibid.

18. Quando detur falſitas pernicioſa, ex parte colentis. ibid. c. 2. 11

19. In quo ſit ſuperſtitioſus, qui ſacrificium offert, cùm Sacerdos non ſit, vel cùm ſit depoſitus. ibid.

20. Abuſus cæremoniarum Eccleſiæ, non eſt ſuperſtitio. ib. n. 12

21. Concionator, falſis teſtimoniis, & miraculis vtens, non eſt ſuperſtitioſus. 307.1.12

22. An ſuperſtitio pernicioſa, ex parte colentis ſit ſolùm in cultu communi, vel etiam in priuato. ibid. n. 14

23. Superſtitio pernicioſa falſa, ex parte colentis, mortale peccatum eſt. 308.1.18. & 19

24. Quando poſſit eſſe veniale. ibid.

25. Qui in Miſſa, vel officio accidentales ritus non ſeruat, vel adiungit alios, ſuperſtitionem committit venialem. ibid n. 28

26. Superſtitio ſuperflui cultus, in turpem, & leuem cultum diuiditur. ibid. n. 20

27. Superſtitio turpis cultus, ſemper eſt mortalis. 308.2.21

28. In ſuperſtitione, variæ ſunt malitiæ, in confeſſione declarandæ. ibid. n. 23

29. Superſtitio diuiditur in diuinationem, & Magiam. 321.1.1

SVSPENSIO.

1. Vide verbum Simoniæ pœna à n. 29

T.

TEMPERANTIA.

1. Temperantia. vide vel Religio. à num. 49

TEMPLARII.

1. Templariis Religioſis, quæ priuilegia conceſſa circa Decimas. 105.2.5

TENTATIO DEI.

1. Variis modis tentatur Deus ab hominibus. 285.1.2

2. Tentatio, vel eſt probationis, vel inductionis. 284.2.1

3. Deum tentat, qui ab eo petit auxilium, ad malum. 285.1.2

4. Et qui petit ad ſumendum experimentum. ibid. n. 3

5. Tentare Deum, ex formali intentione eſt per ſe malum, & peccatum mortale. ibid. c. 2. n. 4

6 Hoc peccatum, eſt Religioni oppoſitum. ibid. à n. 5

7 An in factis detur. 286.1.8

8. Quando, & quomodo liceat petere à Deo ſignum, & inſtructionem. 287.1.11. & 13

9 Quando Sancti petunt aliquod miraculum, id faciunt ex particulari motione Spiritus ſancti ibid. col.

10. Explorare voluntatem Dei de aduentu futuro, eſt tentare Deum. 287.2.14

11. Petere à Deo commodam inſtructionem etiam miraculoſam, non ſemper eſt malum. ibid.

12. Explorare voluntatem Dei de euentu futuro, mortale eſt ex ſuo genere. 288.1.14

13. Tentatio Dei, non ſolùm eſt ex dubitatione Diuinæ perfectionis, ſed etiam amoris erga homines. ibid.

14. Tentatio Dei interpretatiua, quæ ſit. 288.2.1

15. Tentatio Dei eſt, vti miraculoſo experimento, & probatione veritatis ibid.

16. An tentatio Dei interpretatiua, habeat ſpecialem malitiam contra Religionem. ibid. n. 1. & 289.2.5

17. Vt detur, neceſſe eſt vt fiat opus, in quo illa conſiſtit cum reſpectu ad Deum. 289.1.4

18 In quo differat à tentatione formali. ibid. c. 2. n 6

19. Purgationes vulgares prohibentur. 290.1.8

20. Cur Deus aliquando miraculosè illas confirmauerit. ibid. n. 15

21. In lege veteri aliqua licebat. ibid. c. 2 n. 16

22. An liceat ſumere Euchariſtiam ad purgationem. ibid. n. 15. & 16

DIVVS THOMAS.

1 Rectè aſſeruit actus Theologicarum virtutum poſſe à Religione imperari 28.2 11

2. Explicatur locus difficilis D. Th. quomodo Diuina excellentia, & bonitas communicetur creaturis. 92.21

3. Explicatur alius circa non ſoluentes Decimas. 85.1.13. & ſeq.

4. Diui Thomæ locus mendoſus corrigitur circa notoriam artem. 362.1.5

5. Sentit hanc artem ad Magiam pertinere. ibid.

6. D. Thom. imagines Aſtronomicas damnat. 366.1.21

7. Diui Thomæ rationes circa Simoniam de Iure naturæ, defenduntur. 405.1.2. ad 407.1.11

8 Explicatur latè circa venditionem veritatis. 436.6.12

THEOLOGIA.

1. Theologiam, in phyſicam, ciuilem, & fabuloſam diſtinxerunt Philoſophi. 311.2.5

2. Diſcrimen inter ciuilem, & naturalem Theologiam. 312.2.9

3. Qualis fuerit Theologia fabuloſa. ibid. n. 10

4. Theologicus aſſenſus perfectus, ſupernaturalis poteſt eſſe 469.1.11

5. Hunc hæreticus habere non poteſt. ibid. 12

6 Ad eum non eſt opus gratiæ ſpeciali auxilio diſtributiuè, ſed collectiuè. ibid. 4.1.3

Vide. Simoniam à. 119. vſque ad. 124

TIMOR.

Timor reuerentialis, poteſt elici à Religione. 27.2.5

TRANSACTIO.

1. Vtrùm tranſactio, vel pactio ad terminandam litem habeat locum in ſpiritualibus, abſque Simonia. 602.2.1

2. Tranſactionis, & compoſitionis diſcrimen. ibid.

3. Quæ requirantur ad propriam tranſactionem. ibid.

4. Tranſactio, in qua res ſpiritualis pro aliqua temporali remittitur, vel retinetur, eſt Simoniaca. 603.2.6

5. Simonia eſt, tranſigere in ſpiritualibus, dando pecuniam. 604.1.7

6. Tranſactio in materia ſpirituali, non beneficiali cum ſpirituali tantum compenſatione, non eſt Simoniaca. ibid n. 8. & 9

7. Ad quid requiratur Prælati Auctoritas, in tranſactione. 604.2.10

8. Tranſactio facta cum Laicis ſuper Decimas, indiget Pontif. confirmatione. ibid.

9. In materia beneficiali illicita eſt tranſactio, auctoritate litigantium facta, & ſi ſpirituale pro ſpirituali tranſigatur. ibid. n. 11

10. Solùm eſt illicita poſitiuo. ibid. & 606.1.12

11. Quibus modis fieri poſſit in materia beneficiali. ibid.

12. Trãſactio in materia beneficiali, ſi Prælati auctoritas intercueniat.

tetueniat licita est. 606. 1. 16. Etiam imposita pensione, & quomodo. ibid. n. 17. & seq.

13. Permutatio, vel renunciatio benef. cum pensione, regulariter Summi Pontif. indiget auctoritate, causa tamen transactionis fit aliquando per Episcopum. 607. 1. 20

14. Transactio in materia beneficiali quomodo ex consensu tantùm litigantium ad arbitrium priuatorum iudicum possit fieri. 608. 1. 24. & 25

TRANSFIGVRATIONIS FESTVM.

Quàm antiqua sit hæc solennitas. 169. 2. 13

TRIBVTA.

1. Cur detur contra Decimas præscriptio, non ita tamen contra tributa Regia. 84. 2. 9

2. Tributa, & pensiones non sunt ante Decimationem deducenda. 144. 2. 10

3. Exigere tributa à Clerico est sacrilegium, non ita tamen furari eius bona. 389. 2. 8

TRINITAS.

Dies Dominica in Trinitatis cultum dicata. 166. 1. 16

TVTOR.

Bona tutoris sunt obligata pupillo pro mala administratione. 154. 2. 11

V.

VENATIO.

1. Venatio est opus seruile. 230. 2. 3

2. An sit in festo prohibita. 231. 1. 5

VICARIA.

Vide verb. Simonia. n. 216

VERITAS.

1. Veritatem directè vendere, cur est graue peccatũ. 426. 1. 12

2. Veritas. vide Simoniam. 13

VEXATIONIS REDEMPTIO.

1. Vide Simoniam realem, à n. 7

2. Vexationem iustam redimere non licet. 594. 2. 10

3. Litem futuram, quæ est euidenter iniusta, licet per pecuniam remouere. 595. 1. 1

4. Conditiones necessariæ, vt redemptio vexationis illatæ, in iure acquisito fit licita. ibid. n. 12

5. Recipiens pecuniam vt ab iniusta vexatione desistat, iniustus est, & tenetur restituere. 596. 1. 16

VIRTVS SVMPTA PRO habitu.

1. Religio falsa, non est virtus. 5. 2. 4

2. Morales virtutes aliæ ordinant passiones, aliæ operationes circa alterum perficiunt. 6. 2. 2

3. Aliquæ virtutes sunt in voluntate attingentes Deum vt obiectum Cui. 9. 1. 4

4. Dupliciter spectat Deus ad obiectũ alicuius virtutis. 6. 2. 5

5. Actus externi sunt materia, & obiectum virtutum moralium. 11. 1. 2

6. Discrimen inter virtutes quæ ad solum operantem, & quæ ad alterum pertinent. 14. 2. 5

7. Virtutum moralium actus, vel interni, vel externi sunt. 16. 1. 1

8. Virtutes, quæ sunt ad alterum in voluntate sunt. 25. 1. 6

9. Omnis virtus habet puram naturam virtutis moralis, vel Theologicæ. 30 2. 6

10 Virtus moralis consistit in medio. ibid.

11. Habitus piæ affectionis, est virtus moralis. ibid. n. 7

12. Virtutes appetitiuæ, vel sunt ad alterum, vel ad se. 31. 2. 2

13. Virtutes ad alterum, diuersam habent honestatem à virtutibus ad se. ibid.

14. Subiecto differre qui dicant. ibid.

15. Omnes virtutes ad alterum conueniunt generice. ibi. n. 3

16. Virtus non respicit effectum, sed affectum. 33. 2. 14

17. Virtutes, quæ sunt potentiales partes iustitiæ, aliæ reddunt debitum propriè sumptum, aliæ latè. 34. 1. 16

18. Vnde colligatur differentia excellentiæ Religionis, ab aliis virtutibus. 39. 1. 4

19. Duobus modis potest aliqua virtus esse per se infusa. 38. 2. 15

20 Nulla virtus ita versatur circa destructionem mali, quin principaliùs intendat bonum. 42. 1. 3

21. Distinctionem, vel vnitatem specificam virtutum difficile est cognoscere. 44. 1. 1

VIRTVS SVMPTA PRO ACTV.

1. Eadem differentia constituit actum in tali esse virtutis, & in suo esse entitatiuo, 21. 2. 2

2. Duas potest habere vtilitates, corporalem scilicet, & spiritualem. 457. 2. 10

3. Ad eum exercendum mater potest licitè filium inuitare donis. 460. 2. 13

4. Excessus liberalitatis si cogat, peccatum est. 458. 1. 4

5. Virtus. vide Simoniam. 20. & a 125. vsque ad. 133. 139

VIRTVS THEOLOGICA.

1. Actus virtutum Theologicarum possunt à Religione imperari. 28. 2. 10

2. Possunt esse signum reuerentiæ. ibid. n. 11

3. Religio non est virtus Theologica. 30 1. 3. 4

4. Quid requiratur, vt aliqua virtus sit Theologica. 30. 1. 4. & seq.

5. Non in omnibus actibus operatur, quatenus Theologica est. 31. 1. 9

6. Potest amare Deum finem, vel obiectum alicui. 39. 1. 17

7. Solùm de tribus virtutibus Theologicis certum est esse per se infusas, de cæteris opinio solùm probabilior. 45. 2. 1

8. Theoligicis virtutibus peccata contraria sunt grauiora, quàm Idololatria. 319. 2. 15

VIRTVS PER SE INFVSA.

1. Duobus modis potest aliqua virtus esse per se infusa. 38. 2. 15

2. Probabile est dari amicitiam, quæ sit virtus per se infusa. ibid.

3. Theologicas virtutes certum est esse per se infusas, alias non ita. 45. 2. 1

VOLVNTAS.

1. Intellectui aliqui Religionem attribuerunt, alij voluntati. 5. 1. 1

2. Voluntas, vel directè, vel indirectè ordinat motus appetitus, per affectum in Deum. 19. 2. 9

3. Quo pacto per sympathiam insurgant in appetitu motus proportionati affectui voluntatis. ibid.

4. Qui actus voluntatis spectent ad adorationem. 52. 2. 7

5 Admiratio ad voluntatem pertinet. ibid.

6. Si astra determinarent ad vnùm nostram voluntatem, eam necessitarent. 340. 2. 19

7. Deus non determinat nostram voluntatem ad vnùm, influxu ab eo solùm procedente. ibid.

VOLVNTARIVM.

1. Passio Christi, vel Martyris non erat à voluntate effectiuè, erat tamen voluntaria obiectiuè. 53. 1. 11

2. Ad voluntarium indirectum satis est, quod potuerit, & debuerit res cogitari. 194. 1. 9

VOTVM.

1. Religio specialiter illi statui quadrat, qui habet vinculum voti. 4. 2. 8

2. Votum est sufficiens titulus oblationis debitæ. 62. 2. 5

3. Probabile est violationem voti solam malitiam perfidiæ habere. 390. 2. 5

4. Opus ex eo quod fiat ex voto, non redditur inuendibile. 509. 1. 8

VSVRA, ET VSVRARIVS.

1. Ab vsurario non est accipienda oblatio. 67. 2. 6

2. Vsurarius non tenetur reddere lucrum, quod comparauit negotiando cum pecunia vsurarij. 155. 2. 12

3. Non est vsura, nolle mutuare pecuniam, nisi sibi vendatur triticum. 499. 1. 30

4. Dare mutuum de præsenti cum obligatione accipiendi mutuum de futuro, est vsura. 522. 2. 7

5. Emens mutuum soluendo vsuras verè acquirit pecuniam mutuatam. 633. 1. 19

6. Pecunia ex vsura accepta cur sit restituenda. 647. 2. 17. 18

7. Vsurarius dominium non acquirit pecuniæ per vsuram acceptæ. 649. 1. 16

8. Vsura mentalis, ad restitutionem obligat in conscientia ex Iure naturali. 653. 1. 45. & 46

Z.

ZELVS.

Zelus indiscretus pro Deo, est superstitio. pagina 303. col. 1. n. 6

FINIS.

SORIA

SU
A
Reli

Staats Bibl.
28
7
3

SUAREZ
DE
Religion
.1.

505